





HISTORIÆ
ALOYSII LIPOMANI
EPISCOPI VERONENSIS,
De vitis Sanctorum,
PARS PRIMA.

Cum Scholijs eiusdem, omnium modernorum hæreticorum blasphemias ac deliramenta clarè conuincentibus.

SYNCERO LECTORI.

HABES hîc Syncere Lector Vitas Sanctorum nobis imprimis notorum, & eorum præsertim qui publico festo sunt celebres, per grauissimos probatissimósque autores conscriptas: Nunc primùm ex prolixis illis R. P. D. Aloysij Lipomani Episcopi Veronensis Tomis octo, summa fide, studioque doctissimorum virorum collectas. Piè itaque lege: Multa enim inuenies tam ex Græcorum quàm Latinorum thesauris deprompta, quæ hactenus nunquam ad manus tuas peruenerunt. Hósque bonorum virorum conatus, publicæ vtilitatis, necnon Christianæ religionis propagandæ magis quàm auræ popularis captandæ gratia susceptos, ac multis tandem vigilijs, laboribúsque perfectos, summa gratulatione, vt decet, prosequere & amplectere. Vale ac fruere.

Reliqua ex Epistola Nuncupatoria & Præfatione plenè intelliges.



LOVANII,
Apud Martinum Verhasselt Bibliop. Iurat.
in Pingui Gallina. M. D. LXXI.

SVMMA PRIVILEGII.

CAutum est diplomate Regio, ne quis has R. P. D. Aloysij Lipomani Episcopi Veronensis historias de Vitis Sanctorum in hisce eius Maiestatis ditionibus præter Martinum Verhasselt hoc proximo Sexennio imprimat, aut alibi impressas venum exponat, aut distribuat, sub pœna confiscationis Librorum, & vigintiquinque Florenorum mulcta: vt latius videre est in literis nostris. Datum Bruxellis Anno 1562. Decembris 11.

Subsignatum,

De Perre.

REVERENDO IN CHRISTO PATRI AC DOMINO D. LEVINO BAERS, ABBATI TRONCHINENSI MERITISSIMO,

ſtudioſorumque patrono feruentiſsimo,

Guilielmus Simônis Tiletanus, S. Theologiæ Baccalaureus

S. D. P.

QVANQVAM ferè ſoleat miniſterio verbi ſui Reuerende in Chriſto pater, ad ſe nos trahere Spiritus ſanctus (hoc enim docet nos, arguit, corripit & erudit in iuſtitia, vt perfectus ſit homo Dei, & ad omne opus bonum inſtructus) hocque non parum habeat energiæ ad cõmouenda corda noſtra, quinimo medium ſit validum admodum & efficax: diuinæ tamen bonitati viſum eſt non ſufficere. Siquidem tanta eſt humani cordis ſomnolentia, vt frequenter, niſi trahatur violenter, & aculeis quaſi pungatur, ſolo verbo à ſomno carnalis concupiſcentiæ non excitetur. Quare & alium præterea adiunxit modum nobis perquam vtilem, & in hac re, priore longè efficaciorem: dum videlicet nos ſanctorum virorum (quos indubitanter viua fuiſſe ſpiritus ſancti organa credimus) nobis interim in infirmitatibus perſimilium exemplis veluti ſtimulis quibuſdam vrget ac premit ad eas imitandum virtutes, quas in eorum vitæ conſuetudine admiramur. Cùm enim lumine fidei, æternũ illud gloriæ pondus quod per huius mundi contemptum aſſecuti ſunt ſancti, contemplamur: non poſſumus non vehementer accendi (ſi modò tanquam ingenui filij ad patriam, cœleſtemque patrem aſpiceremus) ad eorum ſequẽda veſtigia, qui iam in illa inenarrabili gloria ſecuri triumphant, certò Apoſtolica doctrina perſuaſi, quòd ſi ſocij fuerimus paſsionum, & conſolationis erimus. Qui modus quàm ad perſuadendũ ſit efficax, licet pluribus oſtendi poſsit, vnicum tamen ſuffecerit exemplum ex D. Auguſtini Confeſsionum libris deſumptum: quod Potitiano de ſuis conſocijs Imperatori ſecum militantibus narrante didicit. Hic enim apud Treuiros Imperatore Circenſium ſpectaculo præſente, quum cum ſuis deambulatum exiſſet in hortos muris contiguos, accidit fortè vt duo ex eis vagabundi in caſam irruerent quorundam ſeruorum Dei: eamque ingreſsi codicem reperirent, in quo deſcripta erat vita Antonij, quam dum legere cœpit alter eorum, admirans & intus accenſus, ſimilem vitæ rationem arripere eſt meditatus, atque ſocio: Ego iam relicta ſeculari militia Deo ſeruire ſtatui, & hoc ex hac hora, in hoc loco aggredior, te ſi piget imitari, noli aduerſari. Reſpondit ille, adhærere ſe ſocio tantæ mercedis, tantæque militiæ. Obſecro vnde nouæ hæ cogitationes? vnde ignita ſuſpiria? vnde hu-

[Margin notes: 1. Timot. 3 d — Conuertit nos Deus efficacites per exempla ſanctorum. — 2. Corint. 1 b — Auguſt. li. 8. cõfeſſion cap. 6. — Duo Potitiani ſocij ex lectione vitæ S. Antonij conuerſi.]

milia hæc deſyderia, in aulicorũ animis ſæculo eouſque deditorum? Et quæſo vnde narrante hæc Potitiano abrupta illa Auguſtini necdũ Chriſtiani ad Alipium declamatio? Quid patimur? quid hoc eſt? quid audiſti? Surgunt indocti, & cœlum rapiunt, & nos cum doctrinis noſtris ecce vbi volutamur in carne & ſanguine. An quia præceſſerunt, pudet ſequi? & non pudet nec ſaltem ſequi? Vnde rogo hi noui affectus? omniſque moræ tam impatientes motus? Certè ignitus ille militum pro propria ſalute zelus, Auguſtini cor accenderat, nouamque illam luctam ſpiritus contra carnem, illamque ardentem nouæ vitæ parturitionem in Auguſtini viſceribus produxerat. Itaque cùm non minor vis ſit ac energia in aliorum præclaris factis (ſi modò humili ac ſincero legantur animo) cõgruentiſsimè ac fructuoſiſsimè primitiua curauit Eccleſia, B. Lucam qui primus Apoſtolorũ conſcripſit Acta, imitata, ſanctorum martyrum varia pro Chriſti fide peracta, deſcribi certamina. Hoc enim eſt quod ſanctiſsimi patres noſtri Pontifices, Clemens D. Petri diſcipulus, & Fabianus, indubitatæ fidei in diuerſas orbis partes miſêre notarios, qui eximia martyrum facta fideliter deſcriberent. Præter hos ſimili diligentia & alij contenderunt ſanctorum propagare memorias, celeberrimi doctores & patres, quorum elaboratiſsimis monumentis nũc illuſtratur Eccleſia. Interim tamen temporis antiquitate, ſcriptorumque incuria, ſimul etiam perſecutionibus varijs, quas retro paſſa eſt Eccleſia, hoc præſtantibus, factum eſt, vt antiquus ille humani generis hoſtis (qua ſolet fraude optima quæque) è manibus noſtris eripuerit pleraſque ſanctorum vitas, eaſque maximè, quæ maxima cùm fide, tum eruditione per viros graues penè atque ipſi martyres illuſtres conſcriptę eſſent: illaſque quæ nullius ferè eſſent autoritatis, momenti, vel eruditionis, aut reliquerit, aut ſubſtituerit (veluti de quibuſdam Eccleſiæ cenſuram videre licet) vt ſic gradatim procedendo, facilè illæ confuſa barbarie deformes negligerentur: Ad hoc vnicè contendens, vt vel tandem ſanctorum martyrum nulla penitus extet memoria: atque eò penè miſeriæ in quibuſdam regionibus iam ventum erat. Verùm contra pernicioſas has dæmonis machinationes, opportunè excitauit nobis miſericors Deus Reuerendum in Chriſto patrem D. Aloyſium Lipomanum, Epiſcopum Veronenſem, nunquam ſatis laudatum virum, qui maximis & ſudoribus & ſumptibus tam è Græcis quàm Latinis patribus (omiſsis interim apocriphis) ſanctorum vitas collegit. At rurſus quia magna fuit huius viri diligentia, & ad ſuccurrendũ Eccleſiæ feruor ardens, ac zelus penè inſatiabilis, factum eſt, vt maximam huius operis partem (cum nullius ſancti vitam nobis etiam maximè incogniti, ſciens ac prudens omiſerit) eremitarũ, & aliorum quãplurimorum ſanctorum, quorum & nomina nobis penitus ſunt inaudita, hiſtoriæ

Damaſus in Põtificali in vita corũdem & venerab. Beda in Martyrologio ſuo in vita S. Clementis.

15. Diſt. cap. Sancta Romana.

riæ occupet. Quæ cùm admodum prolixæ sint & numerosæ, fecerunt vt opus hoc in octo iustę magnitudinis volumina accresceret. Quare cum rari admodum sint, quibus aut pretium ad emẽdum, aut otium ad euoluendum hoc opus suppetat, multorũ precibus quibus hoc ex animo dolebat vehementer solicitatus ac inductus, ex prolixis octo R. P. D. Aloysij tomis eorum Sanctorum vitas selegi, qui nostris his locis & temporibus magis sunt celebres. Vnius etiam sancti diuersis tomis insertas historias coniunximus, vt omnibus modis Lectorem ad operis huius lectionem prouocaremus. Habẽt autem hîc pastores quiuis & concionatores, quas fideliter, tutò, & sine scrupulo populo proponãt sanctorum vitas. Habent & illi, quibus propter solos quorundam corruptos mores Catholica Romanę Ecclesię fides in dubiũ venit, vnde aduertant & videant (si modo animum docilem huc adferant) eandem planè, & nullo modo diuersam sanctos nobiscũ, imò nos cum eis tenuisse ac tenere fidem. Quare meritò reuerenter eam suscipere debent, si non à nobis, certè ab istis, qui dum viuerent, magis Angelos quàm homines referebant. Habemus & nos ex quibus discamus, non tantum fidem retinere patrum, sed etiam quibus meritò incitemur, vt ipsorum sancta imitando vestigia, eos qui à fide alieni sunt, aut aberrant, ad Ecclesiæ gremium reuocemus, vt quos tanquam malefactores pessimè oderant, bona opera nostra considerantes, ceu fratres intimè diligant. Hoc autem compendiosissimè facere poterimus, si in morem pictorum, exemplaria hęc viua frequenter respectantes, secundùm illa interiorem hominem nostrum venustè depingamus. Aut si veluti sedulæ apes, per odoriferos flores istos discurrentes, quæ nobis maximè vsui esse possunt, in alueum cordis nostri congeramus. Qui enim (si Magno Basilio credimus) sanctorum vitis diligenter studet, optimè suæ vitæ prouidet. Porrò cùm multi viri sunt doctrina & sanctitate illustres, quibus meritò librum hunc offerremus: Tu tamen Reuerende in Christo pater præ reliquis occurristi. Siue enim præterita tempora illa, quibus in Collegio Theologorum Louanij simul veluti germani fratres egimus, in memoriam reuocem: siue etiam præsentem tuam erga me beneuolentiam considerem, inuenio me modis omnibus Reuerendæ paternitati tuæ obligatum. Proinde inurbanus planè essem, si non vicissim saltem animi mei propensum erga R. P. T. fauorem aliquo symbolo contestarer. Accipe ergo Reuerende pater ea charitate hoc meæ erga R. P. T. beneuolentiæ aliquale monumentum, qua tibi ex intimis cordis mei dedicatur. Bene vale in Domino Patrone benignissime. Gandaui XXVIII. Nouembris, Anno Domini Millesimo Quingentesimo Sexagesimo tertio.

PRAEFATIO AD SYNCERVM LECTOREM, ex varijs epistolis R. P. D. Aloysij Lipomani Episcopi Veronensis magna ex parte desumpta.

Expugnãtur hæreses factis sanctorum.

QVoniam huius temporis hæreses, cùm scripturarum tum sanctorũ patrum testimonijs iam prostratæ satis & conculcatæ reperiantur: operæpretium me facturum sum arbitratus, si sanctorũ virorum egregiè factis & exemplis (quod alij hactenus hæreticos impugnantes forsitan parcius fecerunt) quod reliquum in eis miserrimi adhuc spiritus superesse & palpitare videtur, nunc penitus extinguerẽ & suffocarẽ: ac veluti lætifera plantaria ita radicitus de agro Ecclesiæ extirparẽ, vt nullatenus repullulare valerent. Decreui itaque antiquorũ sanctorũ patrũ vitas ab eruditis quidẽ & approbatis viris conscriptas in vnũ volumen redigere. In quibus improborũ istorum blasphemiæ omnes & deliramenta ita iugulata & cõfossa reperiuntur, vt nisi quis vltro proteruire, & tenebras in meridie palpare, ac prudẽs (vt dicunt) & sciens in inferni profundũ præcipitari voluerit, his vlterius decipi & implicari nequeat.

Cur etiam scholia adiecta sint.

Nã qui has quas nunc euulgamus, vitas scripserunt, (vel ipsis hæreticis inuitis, cõtra quos præcipuè æduntur, testibus) scriptores sunt illustres omnibus probati, & fide lõgè dignissimi. Et ne quis fortè cursim legẽs, quod ad confutationẽ impiæ doctrinæ facit, minus aduerteret, Scholia quædã parua in ipsis paginarũ marginibus addidimus, vt Christi fideles, eadẽ semper fidei dogmata, easdẽ semper patrum traditiones in Dei Ecclesia, à sua primæua origine vsque in hanc diẽ viguisse considerantes, plurimũ in orthodoxa fide confirmẽtur, & sine hæsitatione profiteantur, Deũ semper Ecclesiam suam, cõtra innumerabiles hæreticorum nouas adinuentiones, solicitudine plusquã paterna, in vnitate fidei conseruasse & protexisse. Quis autem dubitauerit vnquam, quin si ea vera Christi fides esset, quã nouelli isti præcones, post mille quingentos & viginti annos annũtiant, illa proculdubio eadẽ & non alia tũ à sanctis Apostolis, qui primitias spiritus habuerunt, & ab his qui primitiuæ illi Ecclesiæ, virtutum omnium parẽti successerunt, tam ab ipsis Deo dilectis martyribus, inclytisq́; eius successoribus, qui ad hæc vsque tẽpora vixisse reperiuntur, & prædicata semper, & omni studio fidelium auribus & cordibus cõmendata fuisset. Sed cum sine ea, eiusq́; doctrina, mundus vsque in hunc diem Christianus fuerit: imò verò cùm nostra hæc fides, ac quã profitemur hodiè doctrina, in tota Dei Ecclesia per vniuersum Christianum orbem ab omnibus sanctis, per omnes ætates, gradus, & ordines, tum miraculorum exhibitione, tum sanguinis effusione exculta & celebrata fuerit: necessario cõsequi quis non viderit hos tanquam Antichristos, & nouorum dogmatũ assertores, expellẽdos prorsus & abijciẽdos esse? Et illud nobis mordicus tenendum Euangelium, ac in eo moriendum magis, in quo maiores nostri salui facti sunt, in quo parentes nostri baptizati, & in quo nos pueri nati sumus. Sic implebimus præceptum illud Domini per Hieremiã dicentis: State super vias, & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea: sic nẽpe à semitis, antiquorumq́; patrum tritis vestigiis, ad doctrinas varias & peregrinas non declinemus: vt eadem via incedentes, ad ipsos rectè perueniamus.

Hierem 6. d.

Cur vitæ sanctorum hic ponantur, qui non ita passim apud omnes sunt celebres.

Hoc aũt nolo te latere Candide lector, nos quandoque huic operi inseruisse vitas sanctorũ, qui non ita prima facie vulgariter noti videntur. Nam quãdoque contingit sanctũ aliquẽ in ciuitate vna, in qua aut passus est, aut reliquiæ ipsius asseruantur, vel præclarũ miraculum aliquod fecit, celeberrimũ esse, qui nobis ne de nomine quidẽ notus est: itaq; nõ tã vni episcopatui quã diuersis prouincijs seruire studuimus. Mirabitur aũt fortè quis, se quorundã celebriũ sanctorũ hic non reperire gesta: verũ hunc meminisse cupio nostræ protestationis paulò antè factæ, videlicet nos tantũ illas vitas hic posuisse, quas apud graues & priscos patres inuenire licuit: nõ aũt illas quæ passim sine certo autore vagãtur, ne dubia veris cõiungendo etiã quæ vera sunt & indubitata, incerta redderemus. Quotiescunque aũt Candide Lector in vitã incides alicuius, quæ in margine nullum præfert autorẽ, verum solum diẽ mensis habet notatum, eam scito vitam ex Simeone Metaphraste desumptam esse, inq́; ipsius opere de sanctis contineri, eo die & mense occurrentibus, prout in margine indicatur. Licet interim nonnunquam in distributione festorum, seruando morem Græcorum à Latinis differat.

Cur non omniũ sanctorum celebrium vitæ hic inueniantur.

Quis sit autor vitarum quæ in margine certum diem mensis præferunt.

Metaphrastes notat festa Græcorum more.

Si for-

Si fortaßis pie Lector in gestis sanctorum aliquod factum vsquã occurrat, quod cum præceptis Dei collatum magis admirãdum videtur quã imitãdum, sinceri animi erit nõ statim calumniari, sed potius illud interpretari candide. Quamuis enim nobis nõ licet sub alicuius zeli prætextu, expreßis sacræ scripturæ aut Ecclesiæ præceptis cõtrauenire: Illis tamen illuminatis spiritus sancti organis, Deoq; perfectè deuotis viris, non ita difficile fuit de inspirationibus diuinis diiudicare. Quorum oculus cùm planè simplex esset, facilè & totum corpus lucidum fuit. Sicut etiam de quibusdam stupẽda in sacræ scriptura legimus: Abraham enim spiritus excitat, vt vnicum filium suum immolet: & in alijs quibusdam miri fuerunt spiritus sancti afflatus. Ex quibus obedientiam Deo præstare in primis discemus: & opera illa stupenda, magis diuina, quàm humana arbitrabimur. Sic in nobis sententia illa D. Pauli implebitur: Diligentibus Deum, omnia cooperantur in bonum. Sed iam qui autores sint vitarum hoc volumine contentarum cognosce.

De factis stupendis quorundam sanctorum.

Roma. 8. B.

NOMINA AVTORVM.

Numerus indicans annum Domini quo quisque vixerit, ex Tritthemio.	Presbyteri & Diaconi Achaiæ.				*Numerus annorum quibus nos præcesserunt.*
50.	Philo.				1513.
96.	S. Dionysius Areopagita.				1467.
100.	Iosephus.				1463.
111.	S. Ignatius.				1452.
160.	Egesippus.				1403.
261.	Origenes.				1302.
270.	Pontius Cypriani Diconus.				1293.
300.	Arnobius.				1263.
320.	Eusebius Cæsariensis.				1243.
350.	S. Eusebius Emissenus.				1213.
350.	S. Athanasius.				1213.
370.	S. Damasus.				1193.
370.	Eutropius presbyter.				1193.
380.	S. Basilius.				1183.
380.	S. Gregorius Nyssenus.				1183.
380.	Ephraem.	1183.		* Gaudentius.	
380.	S. Ambrosius.				1183.
380.	Gaudentius Brixiensis Episcopus.				1183.
380.	Prudentius.				1183.
390.	D. Gregorius Nazianzenus.				1173.
390.	Ioannes Damascenus.				1173.
400.	Ruffinus.				1163.
411.	S. Ioannes Chrysostomus.				1152.
420.	Seuerus Sulpitius.				1143.
420.	S. Paulinus Nolanus.				1143.
422.	S. Hieronymus.				1141.
422.	Maximus Episcopus Taurinensis.				1141.
422.	Orosius.				1141.
430.	S. Augustinus.				1133.
430.	Theodoretus.				1133.
430.	Posidonius.				1133.
430.	Zozomenus.				1133.
435.	Casianus.				1128.
*	Michael Syngelus.			* Suidas.	
450.	Petrus Chrysologus.	1113.	461.	Leo Papa.	1102.
490.	Fulgentius.	1073.	575.	Casidorus.	988.
600.	Gregorius Turonensis.				963.
650.	D. Gregorius Magnus.				958.
630.	S. Isidorus.	933.		* Simeon Metaphrastes.	
732.	Beda.	831.		* Zeno Veronensis Epis.	
*	S. Braulius.				
1104.	S. Bernardus.	459.		* Ado.	
1283.	S. Bonauentura.				280.

Vt autem quiuis intelligat quãta his omnibus propter antiquitatem fides sit adhibenda, visum est de minus notis scriptoribus asterisco * notatis ista subijcere.

Gaudentius. 1 Primò si scire cupis quis fuerit Gaudentius Episcopus Brixiensis, & quantæ in Ecclesia æstimationis & reuerentiæ, ex eius scriptis facilè cognosces. Temporibus enim D. Ambrosij floruit, & ipsomet teste, successor fuit Philastrij Episcopi, qui D. Augustini tempora præcessit, & librum de hæresibus scripsit. Contemporaneus etiam fuit Gaudentius Beneuoli sanctissimi viri, tam in Ecclesiastica, quàm Tripartita historia celeberrimi, ad quem etiam quædam sua scripta dirigit.

Paulinus. 2. Illo etiam non inferior fuit sanctitate Paulinus Episcopus Nolanus, de quo multa præclara narrantur in epistolis Ambrosij, Hieronymi, & Augustini. Constat autẽ eundem etiam dictum fuisse Pontium, ex Ausonio Poeta, qui in principio Epist. 3. ad Paulinum, eundem sic alloquitur: Agnosces ne tuam Ponti dulcissime culpam? Hoc autem ideo dico, quia quidam (legentes apud Isidorum de viris illustribus, Pontium Paulinum presbyterum descripsisse vitam D. Ambrosij) diuersitate nominis decepti fuerunt.

Ambrosius li 6. Epist. 36. Hieronymus to. Epi. ad Paulinum. & Aug. Epist. 32. & 34. ad eundem. Paulinus etiam Pontius fuit appellatus.

Damasus. 3. Damasus verò ore D. Hieronymi toties laudatus, gesta Pontificum Romanorum (tota penè Ecclesia & Tritthemio teste) conscripsit, & quia libellus iste est solum duorũ aut trium quaternionum, non omisimus Pontifices obscuriores, vt illum totum suis locis insereremus.

Michael Syngelus. 4. De Michaele Syngelo vide præfationẽ in vitã B. Dionysij Areopagitæ, quã ipse elegãter descripsit, velut testis est Suydas Græcus in vita eiusdẽ Dionysij, quam etiã suo loco inuenies.

Suydas. 5. Vixit autem Suydas statim post tempora Magni Constantini. In vita enim Domini nostri Iesu Christi, quædam audisse se refert à quibusdam, qui Philippum quendam ipsi Imperatori contemporaneum & vidissent, & referentem audissent.

Gregorius Turonensis. 6. Gregorius cognomento Florentinus, tempore Magni Gregorij Romani Pontificis, vir scientia & nobilitate clarus, Turonensem Ecclesiam sanctissimè rexit, cuius scriptis ea adhibetur fides, quæ & viro sanctissimo, & de Christiana fide optimè merito adhiberi solet. Hic Apostolorum Petri & Pauli limina visitans, à beato Papa Gregorio cum maxima reuerentia & charitate, vt verè sanctus, est susceptus, quem etiam aurea cathedra, vt in Ecclesia Turonica in posterum seruaretur, donauit. Is etiam in testimonium magnæ sanctitatis (vt refert Tritthemius) in vita miraculis claruit.

S. Braulius. 7. Diuus verò Braulius, siue Braulio (vtraque enim nũcupatione Antistitẽ hunc sanctũ nuncupatum inuenio) Cæsaraugustanus fuit Episcopus, egregia doctrina & sanctitate præditus, & ab Hispanis magna veneratione excultus: floruit is An. Do. DCCCC. scripsit aũt breuiter vitã Isidori. Huius memoriã inuenies in Martyrologio Romano, sub pri. Id. Decẽb.

Ado. 8. Ado autem, ex cuius Martyrologio multa desumpsimus, fuit vir sanctissimus, pariterq́ doctissimus, & Archipræsul Treuerensis, qui iam annos plus vel minus quingentos à tẽpore Gregorij septimi florere cœpit, & ob vitæ sanctitatẽ tantæ extitit autoritatis, vt ab eodẽ Põtifice ad componendas res inter Henricũ & Radolphũ, qui de Romano imperio contendebant, vnà cũ duobus collegis de latere sedis Apostolicæ, legatus destinatus fuerit. Gratias itaque tu mecũ age Deo: qui cum nusquã inueniretur Ado (ne tantum lumen in tenebris lateret) reperiri eum ad piorũ consolationem, & Ecclesiæ suæ ædificationem voluit.

Simeon Metaphrastes. 9. Iam vt ad Simeonem Metaphrasten veniamus (quem ideo vltimo loco reseruauimus, vt de eo prolixius ageremus) scito virum fuisse sanctissimũ, & apud Græcos patres beatorum catalogo adscriptũ. Siquidem eius festum apud illos 27. Nouembris celebratur. Quare plenissima fides eius scriptis adhiberi potest, prout de eo grauissimorum, pariterq́ doctissimorum patrum testimonium habemus. Qui autem illi sint, ad tuam quoque fidem confirmandam, sicut & meam corroborant, eos hic subijcimus.

Psellus scripsit vitã Metaphrastæ. Primo Psellus vir ille egregiè eruditus, & inter Græcos eloquentes honorabili in loco connumeratus, eius vitam ornatè & compositè descripsit.

Iudiciũ Theodori Antiocheni de Simeone Metaphraste. Theodorus deinde Balsamon Antiochenus patriarcha, qui (vt testatur Gregor. patriarcha Constantinopolitanus in eo lib. quẽ pro Concilij Florentini defensione edidit) 400. annis antea fuit, & Nomocanonẽ Græcũ interpretatus est: Is exponẽs lxiij. Canonẽ 6. synodi Constantinopolitanæ, quæ dicitur in Trullo, quæ sic habet: Martyrologia quæ falsò cõficta sunt ab

iis qui

ijs qui sunt inimici virtutis, vt Christi martyres dehonestarent, & eos qui hæc audiunt ad infidelitatem attraherent, iubemus non esse in Ecclesia publicanda, sed igni tradenda. Hos verò qui hæc admittunt, vel tanquam veris mentem adhibent, anathemate condemnamus. Is, inquam, canonem hunc exponens, in laudem Metaphrastæ sic loquitur: Magnæ igitur habendæ sunt gratiæ Metaphrastæ ipsi, felicis beatæq; memoriæ, qui multis laboribus ac sudoribus beatorum veritatis martyrum certamina exornauit, in Dei laudem, & sempiternam martyris gloriam.

Theodorus item alter, Prodromus dictus, tempore Andronici Imperatoris Constantinopolitani Iunioris anno Domini Millesimo Ducentesimo, in breui illa authorum sacrorum historia, Metaphrastæ nostri honorificam mentionem facit hisce verbis: Qui Ecclesiam suis sermonibus ornarunt, hi sunt, Magnus Dionysius Areopagita, magnus Athanasius, Basilius, Gregorius, Chrysostomus, Nissenus, Cyrillus, Maximus, Ioannes, Climax, Nilus, Ephrem Syrus, Metaphrastes suauiloquus. Prodromus cõmendat Metaphrasten.

Nicephorus etiam Calistus Xanthopulus, li.14. historiæ suæ Ecclesiasticæ cap.15. scribens de Simeone Stylita, ita ait: Si quis admiranda sancti Simeonis Stylitæ facta nosse velit, eum ad historiam eius legendam mittimus, quam post magnum Theodoretum, optimè qui eodem nomine appellatus est, Simeon Metaphrastes conscripsit, nouum quoddam & admirandum in ea ex omnium generum cibarijs conuiuium omnibus proponens. Nicephorus etiã Metaphrastæ meminit.

Adhæc Concilium Florentinum sub Eugenio quarto celebratum in 7. sessione quæ habita fuit Ferrariæ, die 25. Octobris, honorabilem etiam Metaphrastæ sub his verbis agit memoriam: Nonnullos vestros doctores in medium producemus, complures verò alios ad aliud tempus reseruabimus: qui omnes professi fuerunt spiritum sanctum etiam ex filio procedere. In primis igitur Simeon Metaphrastes vestris in Ecclesijs celeberrimus accedat, qui in beati Dionysii vita inquit: Terminum corporeæ peregrinationis accipit, & quæ spiritus sunt, spiritualiáque exercet, ac in cœlos Christus meus ascendit, ad paternámque sedem reuertitur, & spiritum qui ex ipso procedit, discipulis suis demittit, vt ipsi gentem infidam regant. Ex huius sancti sententia, præstantissimi patres, apparet spiritum sanctum ex filio quoque procedere, & reliqua. De eodem Metaphraste, ex Concilio Florẽtino. Hęc verba inuenies in vita sancti Dionysii per Simeonem Metaphrasten descripta, in prima parte, fol.494.

Idem etiam venerabilis Simeon à Gennadio Scolario Patriarcha Constantinopolitano in defensione Concilij Florentini, & à Corinthio Rhetore Græco, ornatissimis verbis nominatur. Gennadius Constantinopolitanus meminit Metaphrastæ.

Vides igitur quanta pro hoc viro adducta sint testimonia, & quòd sanctus, quòd doctus, quòd idoneus, quòd eloquens, quòd in Græcis Ecclesiis celeberrimus sit, quòd inter eos computatus qui Ecclesiam sermonibus suis ornarunt, quòd sanctorum vitas descripserit?

De eo autem hæc est communis peritorum virorũ Ecclesiæ Orientalis sententia: Vitas sanctorũ ex diuersis authorum libris eum in vnum volumen redegisse, & quæ alicuius viri titulo erant inscripta, eas sub suo titulo reliquisse: Quæ verò ab alijs descriptæ erant, rudi tamen & inculto stylo, eas ipsum multis laboribus & sudoribus exornasse, & eruditione sua expolijsse, prout Theodorus Balsamon & Psellus (quorum supra meminimus) asserere non verentur. Ideóque & Metaphrastæ nomen fuisse adeptum: Μεταφράζειν *enim Græcè, Latinè est scripturam aliquam dilucidioribus verbis, sensu tamen & materia retentis, interpretari. Quæ autẽ à nemine adhuc scriptæ fuerant, sed quasi per manum & traditionem à patribus acceptæ, & pro veris habitæ, has ipse eleganti & condito stylo descripsit, & legendas Ecclesiæ proposuit: tantaq; authoritate liber hic in lucem prodijt, vt apud orientalem Ecclesiã, qui sanctorum vitas, præter vnũ Simeonẽ Metaphrasten scripserit, nec quæratur, nec reperiatur. Quinimo cùm in suis Mneis & sacris, sanctorum vitas recitat, non alias quàm ex istis desumptas legit, adeo pro certis, veris, & authenticis, ab omnibus & omnium authoritate confirmatis habentur. Imò nec Ecclesia Græca preces, orationésque Metaphrastæ post Basilij & Chrysostomi supplicationes statim locasset, si recentis temporis author is esset. Nec à Balsamone allegaretur, qui vltra 400. annos floruit: & Psello, qui vltra 500. Denique nec in Concilio Florentino ad confirmandum dogma fidei, inter doctores Ecclesiæ citaretur. Hæc fuerunt reliqua, quæ de hoc viro notanda erant.* Iudicium Græcorũ de Simeone Metaphraste.

AVTO-

AVTORES QVARVNDAM VITARVM, IN OPERE SIMEONIS METAPHRASTAE collocatarum.

EX PRIMA PARTE.

EX SECVNDA PARTE.

Hi omnes licet ferè solis Græcis noti sunt, nobis tamen de eis iudicium Simeonis Metaphrastæ, ipsos in opere suo citantis, abundè sufficere debet. Lege igitur hæc omnia Candide Lector, pede inoffenso, nihil de fide alicuius autoris dubitans: quin potius cuncta admirando venerare, non admittens vel leuem alicuius mendacij suspicionem: certò sciens omnia, licet stupenda, sanctos Dei potuisse, fide vera, & charitate munitos. Nam fidelis est qui dixit: Amen Amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. (Ioan. 14. b) *Ita fiet, vt ad tui creatoris amorem per sanctorum eius exempla in dies magis ac magis accendaris.*

Vale, & fruere.

SANCTORVM VITÆ
quæ in hoc opere continentur.

E Primæ

Ioelis

INDICIS SANCTORVM FINIS.

TITVLI SCHOLIORVM ORDINE Alphabetico cum numeris suis.

INDEX RERVM QVAE IN SEQVENTIBVS SANCTOrum vitis contra hæreticos nostri temporis pro Catholicorum dogmatum veritate astruuntur, & veluti robustissimis propugnaculis fulciuntur.

Matrimonium. 5.

Fides & opera. 6.

Ex

Ecclesia Catholica 10.

Excommunicatio. 11.

Papatus 12.

Ex se-

In vita

Festi dies. 18.

In

SANCTI. 19.

In

6 Sanctos inuocandos, & antiquos patres eos inuocasse, nec ob eorum inuocationem obtenebrari Dei necessariam inuocationem.

Ex prima parte.

7 Miracula quæ ad sanctorum inuocationem fiunt, Dominus noster Iesus Christus gerit in illis, siue per illos, vt veram fidem in nobis confirmet, & per aperta documenta doceat in illis nobis adesse Deum, resque ac mentes hominum paterno studio curare.

Ex prima parte.

8 Sanctos in Dei & Christi lumine scire quæ circa nos aguntur.

Ex prima parte.

9 Miracula quæ post sanctorum obitum fiunt, splendorem vitæ eorum apertè contestantur.

Ex prima parte.

10. Antiquitus mos est super sepulchra & memorias martyrum missas celebrari.

Ex secunda parte.

11. Sanctos magnam habere potestatem post mortem.

Ex prima parte.

12. Sanctos non rectè dici emortuos.

Ex prima parte.

Imagines 20.

Purgatorium. 21.

Vota. 22.

Cœlibatus. 23.

Templorum cultus. 24.

Mors & mortui. 25.

Sepul-

Hæretici. 28.

Finis Indicis Scholiorum.

SANCTORVM MINVS NOTORVM INDEX.

Ad Lectorem.

Studiose Lector, si tibi hæ vitæ Sanctorum non sufficiunt, sequens Index etiam ad sanctos obscuriores, in hoc opere omissos, viam ostendit, & principium cuiusque vitæ huiusmodi virgulis / / concludit, ne fortè vsquam aberres.

Chry-

Grego-

Mona-

Sabini

S.

T.

V.

FINIS.

HISTORIA DEDICATIONIS ECCLESIAE BEATI MICHAELIS Archangeli, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Posita est in martyrologio eiusd sub. 3. Calend. Oct.

IN MONTE Gargano venerabilis memoria B. Archangeli Michaëlis, vbi ipsius 1 consecrata nomini habetur Ecclesia, vili facta schemate, sed cœlesti prædita virtute. Vertice siquidem montis excelsi posita, de corpore eiusdem saxi, speluncæ instar, præcauata ostenditur. Est autem locus in Campaniæ finibus, vbi inter sinum Adriaticum & montem Garganum ciuitas Sypontus posita est, qui à mœnibus ciuitatis duodecim milibus porrectus in cacumine suo supremo hanc toto orbe venerandam gestat Ecclesiam. Quæ hoc modo mortalibus cognita est.

1 Etiam in honorem Angelorum consecratæ inueniuntur Ecclesiæ.

Quidam vir prædiues nomine Garganus, qui ex euentu suo monti vocabulum indidit, infinita pecorum multitudine pollebat. Contigit autem Taurum armenti gregis consortia spernentem, singulariter incedere solitum, & ad extremum redeunte pecore domum non reuerti. Quem Dominus per deuia quæque requirens, inuenit tandem in vertice montis foribus cuiusdam assistere speluncæ: quem cùm sagitta appetisset, illa velut flamine venti retorta, eum à quo iactata est, mox reuersa percussit. Turbati ciues & stupefacti, qualiter res fuerit effecta (non enim accedere propius audebant) consulunt Episcopum, quid facto opus sit. Qui indicto ieiunio 2 triduano, à Deo monuit esse quærendum. Quo peracto sanctus Michaël Angelus apparuit Episcopo per visionem, dicens: Ego sum Michaël Archangelus, qui in conspectu Dei semper assisto: ipsius loci esse me custodem, atque omnium quæ ibi geruntur, inspectorem, hoc volui indicio probare. His reuelatione compertis, consuetudinem fecerunt ciues, hic Deum precibus, sanctumque 3 intercessorem poscere Michaëlem. Duas quidem ianuas ibi cernentes, quarum Australis, quæ & maior erat, aliquot gradibus in occasum vergentibus adiri poterat. Sed nec vltra Criptam intrare ausi, præ foribus quotidie orationi vacabant. Interea Neapolitæ Beneuentanos bello lacescere tentant. Qui Antistitis sui monitis edocti, triduanum 4 ieiunium agunt. Et ecce nocte ipsa, quæ belli præcedebat diem, idem in visione sanctus Michaël apparens Antistiti: Preces dixit eorum exauditos, spopondit victoriam, seque eis affuturum. Quod mox veritas facti demonstrauit. Domumque victores reuersi, vota Domino gratiarum ad templum festinant referre: videntque mane iuxta ianuam Septentrionalem, instar posterulæ pusillæ, quasi hominis vestigia marmori arctius impressa: agnoscuntque beatum Michaëlem præsentiæ suæ signum voluisse monstrare: Vbi postea culmine apposito, & altari imposito, ipsa Ecclesia ob signa vestigiorum Apodanea est vocata. Et postmodum collatione facta Sypontini ad Orientem loci illius, beati Petri Apostolorum principis nomine condunt 5 Ecclesiam.

2 Ecce quomodo ieiunium valet ad impetrandam à Domino gratiam reuelationis secretorum.

3 Si S. Michael dici potest intercessor, cur non & sancti quorū animæ sunt in cælo?

4 Ecce & hic valere ieiunium ad victoriam de hostibus obtinendam.

5 Beati Petri Apostolorum principis nomine condunt Ecclesiam.

Iterum Romano Pontifice, & Sypontino Episcopo, de consecratione loci ipsius quærentibus, ac propterea triduanum ieiunium cum ciuibus suis celebrantibus, nocte ieiunij suprema sanctus Michaël Episcopo Sypontino per visionem apparens, monuit vt intrarent Ecclesiam, quam ipse dicauit, & missas iuxta morem ibi agerent. Meum, inquit, erit ostendere, quomodo per memetipsum locum consecrauerim. Adueniunt mane cum oblationibus, & magna instantia precum intrant Regiam Australem. Et ecce longa porticus in Aquilonem porrecta, atque illam attingens posterulam, extra quam vestigia marmori diximus impressa. Sed priusquam huc venirent, apparet ad Orientem basilica pergrandis, quæ per gradus ascenditur. Hæc cum ipsa porticu sua quingentos ferè homines capere videbatur: Altare venerandum, rubroque coopertum palliolo, prope medium parietis meridiani ostendens. Erat autem ipsa domus angulosa, non in morem operis humani parietibus erectis, sed instar speluncæ, præruptis, & sæpius eminentibus asperata scopulis: culmine quoque petroso diuersæ altitudinis, quod hic vertice tangi, alibi manu vix posset attingi: Credo docente Archangelo, Dominum non ornatum lapidum, sed cordis quærere & diligere puritatem. Nullus autem huc nocturno est tempore ausus ingredi, sed aurora transacta matutinos ibidem cantant hymnos. Ex ipso autem saxo, quo sacra contegitur ædes, ad aquilonem altaris, dulcis & nimium lucida guttatim aqua dilabitur, quam incolæ stillam vocant. Ob hoc & vitreum vas eiusdem receptui præparatum. Denique nonnulli post longas febrium flammas, hac hausta stilla, celeri confestim refrigerio potiuntur salutis. Innumeris quoque & alijs modis ibi & crebrò sanantur ægroti, & multa, Angelica tantùm illic potestate, geri miracula comprobantur. Sed non multò pòst Romæ venerabilis

6 Romæ etiam Papa Ecclesiam S. Michaelis nomine constructam dedicauit.

etiam Bonifacius Pontifex Ecclesiam sancti Michaëlis nomine constructam 6 dedicauit, in summitate Circi, criptatim miro opere altissimè porrectam. Vnde & idem locus in summitate sua continens Ecclesiam, Inter nubes situs vocatur.

NARRATIO MIRACVLI QVOD FACTVM est in regione Chonensi à Michaële Archangelo Principe militiæ cœlestis.

Per Simeonem Metaphrasten.

DE SANCTIS quidem viris narrare, & res illorum meminisse, non solùm est pium, sed etiam nobis vtile, & conducibile. Memoria enim est omnino signum desiderij. Martyrum autem & sanctorum desiderium, transit ad ipsum communē Dominum, quem illi laudare, & ei gloriam tribuere elegerunt: & à quo rursus maiorem sunt gloriam consecuti. De incorporeis autē scribere virtutibus, earumq; diuina signa enunciare, & prodigia, est lōgè vtilius. Nam quò est eis maior apud Deum coniunctio & fiducia, eò etiam maiorem percipimus vtilitatem ex eorum narrationibus. Incipiendum est autem paulò altius. Nam id quoq; coniūctum est cum argumenti consequentia. Cùm Christi iam discipuli, eiusque Euangelij ministri, & nostræ salutis, ciuitates obirent, & disseminarent prædicationem, & multos adducerent ad agnitionem, Euangelista quidem & Theologus Ioannes, cui de maiori quàm in alios discipulos, Magistri in eum beneuolentia, testimoniū fert Euangelium, versatur apud Ephesios: Philippus autē venit Hierapolin. Ioannes cùm inuenisset Ephesios errantes in profunda nocte infidelitatis, sacrificiaq; & festa peragentes, & quæcunq; Deo conueniunt, Dianæ facientes, doctrinæ luce eos deducit ad veritatē, & cùm puro veritatis radio eorū animas illustrasset, transit ipse quoq; Hierapolin, & versatur simul cum Philippo. Quoniā autem vsqueadeo decepta erat ciuitas, & Gentium erroribus erat adeo implicata, vt vel viperam Deum existimaret, neque vllo modo vellet admittere diuinum semen, & pietatis prædicationem, Apostoli Christi, qui non poterant aliter eis persuadere falsa hæc esse, & illorum animos traducere ad pietatem, proficiscuntur ad bestiam, quæ quidem fuerat eis causa tanti erroris, & interitus: & ambo conuersi ad orationem, & in Deo facientes virtutē, ipsam statim deijciunt, & morte afficiunt. Hoc stultos vehementer irritat, & magno cient furore cōtra Philippum, vt qui eum reputarent esse suæ gloriæ euersorem, & patriorum rituum. Et omnes simul in ipsum irruentes, tanquam vno animo tracti, & vna rabie, & alius alia parte beatum illud caput apprehendentes, cruci adfigunt, & ei acerbissimè vitam præsentem eripiunt. Sed Magister curam non abiecit discipuli: & qui misit, non est oblitus Apostoli: sed quoniam vidit ipsum conformem eius perpessionibus, eum etiam fecit socium gloriæ illius & miraculorum: & repentè quidem fuit vrbs terræ motu concussa sicut prius, quo tempore Christus meus pro nobis mortem subijt, & crucis supplicio volens est condemnatus: metus autem & pœnitentia inuadit Iudæos, eorum valdè percellens animos, & suadens, vt seuitiæ suæ, & immanitatis petant veniam. Et ille quidem sic præclarè è vita excedit, cùm certamen, & cursum Apostolicum exornasset corona martyrij. Magistro autem dilectus Ioannes transit ad quendam locum, qui vocatur Cheretopa. Quo quidem in loco cùm rursus solita peregisset, eis acclamat fore vt mox Michaëlis Angelorum principis diuinior illic fiat visitatio, & diuinum quoddam signum & admirabile. Sed ille quidem iuit etiam ad alias ciuitates, talentum doctrinæ sibi creditum volens multiplicare: re vera autem impleta sunt quæ prius ab eo prædicta fuerant: & aqua ex illa terra emanauit paulò pòst: quæ, si quis seu morbo laboraret, seu aliqua alia premeretur afflictione, simulatque eam sumpsisset, præbebat curationem: & miraculorum copia & magnitudine, clarius & apertius quàm lingua, ad se conuocabat infideles, & conuertebat ad pietatem. Erat enim cuidam Laodiceno filia vnigenita, muta, ex quo primùm fuerat in lucem edita. Quod quidem medium cor eius penetrabat, & vt suæ filiæ linguæ soluerentur vincula, vel propria emisset anima. Is ergo occupatus à graui morbo infidelitatis, videt diuinam quandam visionem, meliora annunciantem, & pulchrè ei promittentem id quod erat futurum. Videt autem, non vt qui dignus esset habitus videre talia (quomodo enim, cùm & esset impius, & caliginem tantæ infidelitatis haberet offusam oculis?) sed vt & ille cum filia conuerteretur ab infidelitate, & multos alios attraherent ad pietatem. Visio autem erat quædam intelligibilis natura, quæ ei astabat in somnis, & iubebat, vt veniret cum filia ad sanctam aquam, quæ apparuerat, pollicens fore, vt non reuerteretur dolore affectus: sed si vellet, exerceret pulchram negotiationem, & soluta solùm fide, quæ est in eius potestate, emeret filiæ curationem. Ille itaque è somno excitatus, plenus horrore & metu, statim cum filia accedit ad fontem aquæ, sicut iubebat visio. Et cùm eos quidem, qui illic

qui illic erant congregati, eam frequentes inuenissent haurientes, & eam in sua corpora infundentes: deinceps autem etiam consequentem operationem, & vnicuique præbentem à morbo liberationem, rogauit eos qui aderant, quænam esset eis in aqua inuocatio: & quidnam hoc sit, quòd sensim ad aquam cantantes, tam celerem & copiosam assequerentur curationem. Illi autem responderunt: Nomen patris, filij, & spiritus sancti, & militiæ principis Michaëlis. Ille autem nihil differens, nec accipiens tempus ad deliberandum, sed oculos simul, & manus ad cœlum attollens vehementer vsus est inuocatione, & aduersus affectionem Deum vocauit, qui tribus personis cognoscitur: & eius ministrum Michaëlem mouit ad intercessionem. Neque verò frustratus fuit petitione, sed affatim collegit curationem. Non solùm enim filia desijt esse muta: sed ipse quoque & filia liberati sunt à vinculis infidelitatis, quod quidem erat impedimento linguæ longè grauius. Nam simulatque pater dedit aquam filiæ, & facilè mouebatur lingua ad gratiarum actionem, & Deum habebat in ore, & famulum eius Michaëlem inuocabat admirabiliter, & præter opinionem. Quid deinde sequitur? Baptisma ipsius Laodiceni, & filiæ: & totius familiæ ad Christum adductio: & templi [1] militiæ principi extructio: magnificique & sumptuosi tecti sanctificatio: & re vera domus, vt scriptum est, decor. Et ille quidem cùm sic credidisset, & pro beneficio tales reddidisset gratias, domum reuersus est cum filia, saluus factus (vt diuinus ait Apostolus) per filiorum procreationem, vel potius saluam videns filiam, & ambo ditati pietate.

1 Etiam in honorem Angelorum olim templa ædificabantur.

Nonaginta autem annis postea, puer Hierapolitanus, nomine Archippus, cùm pij seminis & verè bonæ radicis esset bonum germen, tanquam quoddam lilium in medio spinarum, in medio hæresum spirans pietatis suauitatem, decimo anno ætatis venit ad hoc templum, vt qui duceretur à quadam prouidentia: & fit eius Edituus, qui quidem diuina gratia dignus fuit habitus. Carnis enim voluptatem tam pulchrè superauit, & tam pulchra fuerunt eius vitæ procemia, vt neque pane [2] vesceretur, neque aliquo alio ex ijs quibus homines vescuntur necessariò: non vteretur balneis, neque sui corporis vllam curam gereret, sed semper spiritali viuendi rationi vacaret: idque cùm esset puer, & nondum perfectiorem attigisset ætatem. Quod quidem penè esset incredibile, nisi magnitudo virtutis, & spectaculorum, quibus dignus fuit habitus, hæc redderet credibilia, & contra quæ nihil dici potest. Nam herbas quidem coquens comedebat, easque agrestes, & quæ ne tantillo quidem salis aspersæ erant: quod quidem omnibus necessarium est cibi condimentum. Id autem sumebat semel in hebdomada: & aquam bibebat dimensam. [3] Indumentum autem erant duo sacci, vnus quidem pro tegumento corporis, alter verò pro stragulo, longo tempore vterque eorum vsum implens. Anno enim toto alter ex saccis tegebat nuditatem, altero stratum operiente. Deinde vsum permutantes alter quidem vestimentum, alter verò rursus fiebat stragulum. Atque ea quidem, quæ erant sub sacco, erant acuti lapides: parte autem quæ erat ad caput, saccus sub se sentes habebat. Sic verò quiescebat vir ille egregius, si quando eum corpus defessum cogebat, vt se modicè remitteret. Quænam autem fuerunt eius verba ad Deum, per quæ suscepit hanc vitam laboriosam, & asperam? Ne bona huius vitæ videat meus oculus, neque mihi mens vnquam pendeat à præsenti vanitate. Imple Domine oculos meos lachrymis spiritualibus. Contere cor meum, & dirige gressus meos. Quid enim mihi prodest hoc corpus è luto factum, quod nunc quidem est, paulò pòst autem non erit: quod quidem sicut herba mane efflorescit, vespere autem flaccessit? Liceat mihi vni bono animæ adhærere, quod mihi omnino conciliabit eam quæ illic est, beatitudinem. Hæc quidem semper apud se versabat in animo, & Deum alloquebatur. Turba autem infidelium hæc nequaquam poterat ferre æquo animo: sed partim quidem magna illa abundantia miraculorum aquæ sanctificatæ: partim autem Archippi quoque zelus ad virtutem, & quæ sunt ex Deo certamina, & tanta propter illum tolerantia, illos mouebant, & incitabant, & ad apertam deducebant insaniam. Certè cùm simul coijssent, & dentem instar apri in vtrumque acuissent, alij quidem crinibus Archippum apprehendunt, & virgis (ô manus sceleratas) eum cædunt crudeliter: alij autem confluunt aduersus sanctam illam aquam, hanc quoque malè conantes afficere. Sed illis quidem manus obtorpuerunt: his autem flamma illinc ex aduerso occurrens, fecit vt redirent inanes. Vnde etiam ad aliam conuertuntur machinationem, volentes Archippum tollere de medio, & superare ipsam aquæ operationem. Quænam est ergo ea machinatio? Templi aram ad sinistram præterfluebat fluuius, nomine Chrysus. Eius statuerunt deriuare fluentum, & in aquam sanctam immittere, vt in hac congressione cum aqua fluuij aqua illa diuina admixta, non amplius haberet eandem operationem, sed perderet virtutem curationum. Atque hæc quidem illi, & ab eis deinde conuertitur aqua fluuij, vt immittatur in aquam sanctificatam. Illa autem (O Dei virtutem, & inanem impiorum laborem) non vt contendebant, fluxit ad sinistram:

2 Vide viri maximam abstinentiam cũ ciborum delectu: pane non vescebatur, herbas coctas sine sale comedebat, easque agrestes, aquam bibebat dimensam.

3 Ecce asperrimum & vilissimũ indumentum.

ſed conuerſa eſt in contrariam partem: quomodo etiam in hodiernum vſque diem cernitur fluere. Poſtquam autem res eis aliter ceſſit, & iniquitas, vt cum diuino dicam Dauide, ſeipſam fefellit, eis ſecundùm quid ſuggerit maius priore ſeminator zizaniorum, & hoſtis humani generis. Ego autem id narrabo ex alto repetens. Duo quidam alij fluuij originem habentes in Oriente, quorum alter quidem Lycocaper, alter verò Cuphus vocabantur, oſtijs quidem à ſe inuicem diſtantes, ſacrum illum locum tranſmittebant, confluentes autem ad montis radices, & ambo vnus effecti fluebant per Lyciam. Suggerit ergo malignus ijs qui armabantur aduerſus pietatem, & perſuadet, vt immittant fluuios aduerſus ſanctum locum, vt non ſolùm diuinam illam aquam, ſed ipſum etiam locum cum templo fluuij attraherent. Erat enim locus vſque adeo decliuis, & concauus, vt non ſolùm facilè, ſed etiam celerrimè videretur futurus deorſum aquæ lapſus. Magna ergo manu congregata Laodiceæ (eſt autem hæc inſignis vrbs Lyciæ) conueniunt: deinde accedunt ad rupem, quæ eſt prope templum. Erat autem rupes adeò alta, & tanta magnitudine, vt eam perfectè pertingere ne poſſet quidem oculus. Illi verò primùm illinc incipientes, maximam foſſam fodiebant inter fluuios & petram. Poſtquam autem ſatis iam eis effoſſa eſſet foſſa, cauant locum vſque ad profundum terræ ſinum, in quem conabantur deriuare fluuios, & eum ſepi circundant, quod erat laborioſiſſimum, vt repentè quidem aqua illic cogeretur: deinde, ſepi repente rupta, celerior eſſet aquæ deſcenſus. Interim autem, dum iſti multiplices ac varias conſtruebant machinas aduerſus locum ſanctum, Dei famulus Archippus, in nudo ſolo iacens, eum acriter rogabat, & pro viribus ſupplicabat, vt ſacer ille locus appareret potentior inſidijs inimicorum: &, In Deo, dicebat, confido, qui me ſaluum facit à puſillanimitate, & tempeſtate, quòd non ſinet ſanctam domum ſuam videre interitum. Cùm decem itaq; dies interceſſiſſent, illi quidem ſepem aquæ diruunt circa initium noctis, vt in Archippum nequaquam prouiſurum & cauturum aqua irruens, ipſum quoque ſimul cum aqua obrueret. Et ſtantes ad ſiniſtram expectabant ſancti loci, quæ mox videbatur futura, ſubmerſionem. Dei autem ſeruus Archippus, poſtquam ſenſit fluuios iam deſcendentes, cœpit flere vehementius, & precari intentius: Extulerunt fluuij Domine, dicens, extulerunt fluuij voces ſuas. Extollent fluuij fluctus ſuos à vocibus aquarum multarum. Mirabiles elationes maris, mirabilis in altis Dominus. Domum tuam decet ſanctitudo Domine, in longitudinem dierum. Cùm ſic ergo affectus eſſet Archippus, & ſic præclarè vacaret orationi, diuina viſio deſuper aduolans modo quodam arcano, eum vocauit nominatim. Et ille quidem è templo egreſſus, continuo cecidit pronus, vt cuius oculi non ferrent ſecurè ſe ad tale applicare ſpectaculum. Ea autem illi dixit: Surge, & veni huc ad me, & Dei virtutem videbis inexpugnabilem in his aquis, quæ vehementer confluunt. Cùm itaque beatus conieciſſet Archippus, hunc eſſe magnum illum cœleſtis militiæ principem, ſtetit quidem, vt ei iuſſit, ad eius ſiniſtram: ſtatim autem vidit columnam ignis, quæ à terra pertingebat vſque ad ipſum cœlum, & vocem illinc audiuit, quæ eum iubebat eſſe bono animo, & non timere. Deinde ad ipſos quidem aqua proceſſit. Cùm ille autem manum ſuſtuliſſet, 4 & crucis ſignum formaſſet, & loco ſtare iuſſiſſet fluuios (Quanta eſt, ô Chriſte, multitudo tuæ virtutis) Viderunt eum aquæ, vt pſalmicè dicam, & timuerunt: & tanquam murus repentè concreuerunt, ac conſtiterunt. Cùm ille autem rurſus ſuſtuliſſet dexteram, & in rupe quæ erat propter templum, figuraſſet ſignum crucis, repentè erupit tonitru, & terra valde contremuit: & terræ motu quidem fiſſa fuit petra: ille verò cùm valida rurſus in eam arma torſiſſet, nempe terribile ſignum crucis: Conteratur quidem hic, dixit, omnis virtus aduerſarij: ſcateat autem ab omnibus malis liberatio ijs qui accedunt fideliter. Cumq; ſic dixiſſet, iubet Archippum tranſire ad dexteram. Cùm is autem ad dexteram ſtetiſſet, & iuſſui ſtatim paruiſſet, militiæ princeps maxima & clariſſima voce iuſſit fluuijs, dicens: In hoc infundibulum de cætero infundimini. Re autem ſic admirabiliter, & contra opinionem facta, vt iuſſerat diuinus Archangelorum quidem princeps Michaël, continuò ab Archippo auolans, reuerſus eſt vnde deſcenderat, & ad primam lucem accedit, qui ipſe quoque eſt lux perfecta, & illo admirabili, & qui naturam ſuperat, ſplendore fruitur. Dei autem ſeruus Archippus ab illo tempore in templo permanet, intentius & ardentius ei preces fundens.

4 Etiam Angeli ſancti crucis ſigno vtuntur ad mirabilia peragēda.

Sed ille quidem cùm annos vixiſſet ſeptuaginta, hac vita relicta, ad ſuum redit Dominum tanquam bonus quidam agricola, pulchrorum horum virtutis ſeminum mercedem accepturus. Miracula autem in hodiernum vſque diem fidelibus ſcatent vberius, interceſſionibus ipſius Michaëlis principis incorporeorum, gratia & benignitate Domini noſtri Ieſu Chriſti: Cum quo patri gloria ſimul cum ſancto ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

PANTO-

PANTOLEONIS DIACONI ET CHARTOphylacis magnæ Ecclesiæ Encomium in maximum & gloriosissimum Michaëlem militiæ principem.

Apud Simeonem Metaphrasten.

MATERIÆ expertium spirituum Dominus, & qui in omnem carnem obtinet potestatem & administrationem: qui etiam nostram formauit essentiam: quinetiam vniuersum mundum qui cadit sub aspectum, constituit, eumque continet & conseruat propter hominem: imò verò qui propter solam bonitatem, ex ijs quæ non sunt, ad hoc vt essent, producit vniuersa: is est solus qui natura propriè & primò dux est omnium, eorumque curam gerit, & eis prouidet, & qui cuiuslibet quod dicitur & intelligitur bonum, est efficiens, impertiens, suppeditans, & prima causa. Secundò autem nobis constituit diuinos Angelos, & Archangelos, qui curam gererent, & præessent generi hominum propter bonitatem naturalem: vt suppeditarent hominibus diuinos nuncios & dona, & componerent, & dirigerent eorum vitam ad ea quæ sunt meliora. Et ex diuinis quidem & infinitis Angelis alios quidem vnumquemque vnicuique præesse fidelium, & eum regere iussit Dominus, vt dicit in diuinis Euangelijs: Videte ne despiciatis vnum ex his paruis, quoniam Angeli eorum perpetuò aspiciunt faciem patris mei qui est in cœlis. Similiter autem hanc quoque confirmat sententiam diuinus Propheta Dauid, dicens: Ne des in commotionem pedem tuum, & non dormitabit qui te custodit Angelus. Alios autem, vt alienas & ignotas Gentes regerent, vt qui omnia administret, constituit pro numero gentium, vt vnus Angelus totam Gentem gubernaret: quomodo etiam scriptum est in cantico Mosaico: Quando diuidebat altissimus gentes, vt dispersit filios Adami: Statuit terminos gentium secundùm numerum Angelorum Dei. Summè autem benedictum, & vndique exaudiendum, & omni ex parte venerandum militiæ principem Michaëlem, meliorum & diuinitus inspiratorum, & fidelissimorum hominum esse præsidem, & eorum salutis curam gerere voluit: quomodo ipse vniuersorum Deus dicit Mosi sacrorum interpreti: Vade ad Pharaonem regem Ægypti, & educes populum meum filios Israël ex Ægypto: & mittam Angelum meum ante faciem tuam, & parabit viam tuam, vt deducat populum in terram tibi promissam, quam iuraui patribus vestris. Quinetiam Propheta Daniel in visione Angeli audiuit eum dicentem: Princeps seu præses Angelus regni Persarum restitit mihi ne reuocaretur populus Israël ex captiuitate Babylonis: nec est vllus qui eos mecum tueatur, nisi Michaël princeps vester. Hoc ipsum autem sic quoque Dauid apertè significat: Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos. Quis enim tam strenuus fidelium propugnator insigniter apparuit, veteris & noui intercessor illuminationum: semper castra locans in circuitu fidelium, & eos redimens à telis Belial, & omnium inimicorum nostrorum qui sub aspectum cadunt & non cadunt, vt Michaël? dulcis re vera & veneranda res & nomen, Michaël, qui planè est plenus pietate Archangelica: qui propter eam quæ conuenit in Dominum reuerentiam, pietatem, & grati animi virtutem ineffabilem, & quæ mutari non potest stabilitatem, prope thronum assistit Dominicum horrendum & terribilem, cum Cherubin qui multos habent oculos, & cum Seraphin qui habent sex alas, & primum locum obtinet inter mille millia, & decies mille myriades Angelicorum ordinum, & proximè, & citra vllum stuporem canit ter sanctum & admirabilem hymnum, inuehens in rebellem & scelestissimum satanam, qui tanquam fulgur è cœlo in terram fuit deiectus cum immundis & malis eius spiritibus. Michaël qui est maxima & clarissima stella Angelici decòris & pulchritudinis, & qui claras reddit ac manifestas omnes diaboli insidias. Qui Adam è paradiso eiectum fraude dæmonis inimici bonorum texit, traduxit, & direxit, & eum terram ligone docuit fodere, seminareque, & metere, & ad reliqua quæ vtilitatem adferebant, instituit: & vt cum benedictione, & conuenienti gratiarum actione, cum sudore semper pane vesceretur effecit, vt qui ex iniuria ei contigerat lapsus, per laboriosam & Deo gratam viuendi rationem rursus corrigeretur. Michaël qui est verus & syncerus Dei assessor, & ducit ordines virtutum cœlestium: & est sapiens gubernator eorũ qui in Deum crediderunt. Qui pij Patriarchæ Abrahæ, etsi non videretur, prohibuit gladium, ne tangeret Deo gratum eius filium Isaac, postquam apparuisset omni ex parte absolutum & Deo gratum Patriarchæ propositum: & in eo benedixit omnes gentes, vtpote quòd ex eo secundùm carnem esset germinaturus Christus verus Deus & Saluator noster. Michael fax clarissima, immaterialis, & inaccessæ lucis, & diuinus ductor Angelicorum ordinum. Qui legislatori Mosi oues pascenti in monte Chorin apparens totus igneus in medio rubi,

eum vrebat sine vlla læsione, & non comburebat omnino, signa sanctissimæ Dominæ nostræ Dei parentis significans. Michaël, qui diuino nutu primas partes obtinet inter ignis ministros, & terrã obit, implens voluntatem Dei omnipotentem. Qui à ratione alienum vatis Balaam prohibuit impetum terribili suo aduentu. Quẽ etiam cùm vidisset asina, & timuisset, rationis participe voce senem amentem correxit. Michaël Angelorum ductor longè maximus & excellentissimus minister diuinæ legis, quæ data fuit in monte Sina. Qui cùm famuli Dei Mosis animam accepisset, obscurum & exitiosum diabolum de eius corpore cum ipso ausum verba conferre, cessare fecit, & citò euanescere. Michaël, qui, si id interpreteris, dicitur Dei dux exercitus, & fortissimus pugnator & propugnator eorum qui spem collocant in Domino: & flammea rhomphæa quæ scindit machinationes aduersariorum, tã eorum qui sub intelligentiam, quàm eorum qui cadunt sub sensum. Qui Iesu Naue aciem dirigenti contra aduersarios visus fuit stricto gladio: & eũ terruit hoc alieno & terribili spectaculo, & hortatus est vt manum consereret, & concideret inimicos Dei hostes. Michael, omnium suprema, ignemque ferens lampas diuinitatis, quæ est principium lucis, vnicaque & trina, & subtilis naturæ constitutio, qui terræ fines obit celeriter, & piè ijs quibus vult Deus mutata figura apparet. Qui ad Gedeonem solaris instar radij venit, & ab ipso tãquam diuinus & cœlestis Angelus fuit adoratus: & ignea virga tanquam holocaustum consumpsit cibum quem obtulerat: & eum cum trecentis solis impotentibus corroborauit aduersus maximè impiam & infinitam Madianitarum multitudinem. Michaël maximè perspicuum purissimumque, & ab omni macula alienum speculum ineffabilis & immensæ pulchritudinis diuini & fontani radij & splendoris, & acutum telum potentis & magni Regis Dei. Qui Prophetæ Nathan apparuit resplendentem tenens lanceam, & ei animũ addidit ad arguendum Dei parẽtem Dauid propter lapsum qui acciderat: & citò vt bonorum amicus recessit, quando, Peccaui Domino, ex profundo cordis à Dauid rege audijt. Michaël purum & capax receptaculum beatissimæ lucis effusionis, & diuinæ illuminationis, & acutissimus ac perniciocissimus gladius in eos qui blasphemant Dominum. Qui centũ & quinquaginta quinque millia execrandi & impij Sennacherib regis Assyriorum in vno momento noctu morte affecit: & ab eius tyrannide liberauit pium regem Ezechiam cum ciuitate Hierusalẽ. Michaël qui est lucidus & candens spiritus, multosq; habẽs oculos, & potentissimus & ab omni materiali apparitione remotus, & nullam omnino admittens corruptionem. Qui vnà cum Azaria & reliquis symbolicè ascendit in fornacem: & velut spiritum roris mediam effecit fornacem: & tres maximè pios pueros illæsos conseruauit: & diuina specie conspectus à rege Nabuchodonosor, eum magna affecit admiratione. Michaël qui versatur in cœlis: & ætherem obit tanquam pernix fulgur, & vniuersam quæ est sub cœlo terram vno momento peruadit, piosq; qui affligũtur, adit, recreat, & consolatur. Qui Prophetam Danielẽ in lacum per iniuriam coniectum celerrimè cõseruauit, & sæuorum leonum ora refrenauit: & Abbacum rapuit, & ad eum cum cibo parato à Palestina adduxit Babylonem: & eum rursus repentè in suum locũ restituit. Michaël qui est magnus princeps Angelicorum exercituum, & ordinum Archangelicorum, beatissimæq; & immensæ legionis incorporeorum: & qui fuit veteris Israël rector illo tempore: recens autẽ electi à Christo cognominati Israëlis dux validissimus & custos tutissimus, & doctor Dei præceptorum. Qui Persarum præsidem Angelũ resistentem, ne à Babylone liberarẽtur captiui Israëlitæ, repulit tanquã aduersarium, & captiuos, qui septuaginta annos miserè habiti fuerant, in regionem patriam restituit, propter assiduam cum vehemẽti ieiunio & multis lachrymis diuini Daniëlis Prophetæ pro eis ad Deum precationem. Michael qui est à Deo constitutus assessor mysticæ Trinitatis, mystaque illuminator & initiator supernæ Hierarchiæ, & veteris quod præterijt testamenti, & nouæ nostræ electæ Christi hæreditatis. Qui probaticæ piscinæ in vnoquoq; tempore aquas sanctificabat in figuram diuini Baptismatis: & primò qui in eã descendebat, statim præbebat curationem, quocunq; morbo teneretur. Michaël, qui est speciosum & maximè decorum, & quod non occidit luminare totius orbis terræ qui est sub cœlo. Ignea & non manu constructa columna sanctæ & Apostolicæ Ecclesiæ, auri speciem præ se ferentes, & ad cœlum vsq; magnitudine pertingentes scalæ, per quas descendit omnis datio bona, & omne donum perfectum quod mittitur à benefica & bonorum largitrice natura, ad viros bonos, & honesti amatores in terra. Qui in columna ignis apparuit Archippo, & fidelissimo ministro huius Archangelicæ & venerandæ domus, quando sceleratus populus conabatur ipsum sanctum cum templo obruere aquis fluuiatilibus, & diuina & Archangelica virtute, aquas quæ insolenter mouebantur, per virgam citò in petra effudit & transmisit. Michaël qui perpetuò aspicit faciem patris nostri qui est in cœlis, & lætatur, imò verò collætatur cum Domino vniuersorum propter inuentionem eorum qui perierant: & propter vnum peccatorem qui ducitur pœnitentia, diem festum agit cum omnibus cœlestibus potestatibus. Qui tuba

illa terribili & ingenti voce canenti est cantaturus, & fundamenta terræ, & quæ sunt sub terra est moturus, quando veniet finis consummationis: & surgere faciet & congregabit mortuos omnes qui sunt à seculo, in ictu oculi, ad iudicium generale, & ad accipiendam vitæ remunerationem, vt ferat vnusquisque ea quæ fecit per corpus, siue bonum, siue malum. Cùm hunc ergo suspiciendum & maximum patronum, potentemque, defensorem, & liberè & confidenter loquentem intercessorem apud omnium Regem Deum, diuinum militiæ principem habeamus Michaelem ô chari patres, fratres, & à Deo collecti cœtus, piè ipsum semper omnes vt re vera purissimum, in mundis cordibus semper magnificè extollamus, verbisque lætitiæ & spiritalis exultationis, vt decet Archangelum, honorificis verbis & laudibus hodie prosequamur: amoreque & desiderio ei offeramus & veneremur, qui ardenter concurrimus ad sacrum eius festum 1 in venerandum eius templum, quod est pij nominis, vt affatim colligamus perennes eius & salutares gratias & defensiones intercessionis. Est enim liberalis ac munificus Dei magnus ille dux exercitus, cum diuinissimo & coarchangelo suo Gabriele, benedicens, corroborans, gratia implens, lætificans, & orans, ac decorans corda fidelium: vt qui sit sanctis omnibus potentior. Vniuersam enim quæ est sub sole creatam naturam ad lucem deducit. Omnes autem eius laudatores eximiè à varijs eripit necessitatibus: & eos qui in omni loco piè eum inuocauerunt, à periculis tam quæ videntur, quàm quæ cadunt sub intelligentiam, liberat. Fidelium & Orthodoxorum populorum Ecclesias exhilarat. Romanorum custodit rempublicam Christi amantem. Imperatorem armat aduersus Barbaros: Christianos reddit victores: hostes inimicos persequitur: ab hominum calumnijs suos seruos conseruat: ab eorum qui persequuntur molestijs pios liberat: ab ingentibus maris fluctibus eos qui ipsum inuocant, eripit: fertilitates fructuum terræ suppeditat: eos qui in tenebris versantur, ducit: eos defendit, quibus fit iniuria: consolatur eos qui sunt pusillanimi: ægrotos visitat: fideiubet pro peccatoribus. Dæmonum impetus propulsat: vitiorum flammam restinguit: vt sanctitatem faciamus nos inducit: & omnes qui sanctum & venerandum eius festum 2 fide & desiderio alacriter celebrant, ex omni difficultate & noxio occursu liberat, & dat salutarem gratiam princeps Dei militiæ: ad petitionem semper vtilem deducit, & ad viam pœnitentiæ: & eis peccatorum procurat remissionem: & in iustorum stationem connumerat in regno cœlorum, gratia Christi Dei clementissimi: Cui gloria & potentia cum patre omnipotente, & sanctissimo, & bono, & viuifico spiritu nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

1 Nota sacrũ festum Archangeli Michaelis.

2 Omnes qui sanctum & venerãdum eius festũ celebrant alacrtier, ex omni difficultate & noxio occursu liberat.

EIVSDEM PANTOLEONIS DIACONI & Chartophylacis magnæ Ecclesiæ narratio miraculorum maximi Archangeli Michaelis.

Apud Simeonem Metaphrasten.

MAGNÆ & multæ, & variæ sunt tuæ incorporeæ & magnificæ Archangelicę virtutis & dignitatis notiones, donaque & gratię ô gloriosissime Michael princeps militiæ, amplusque, & re vera sublimis, & multiplex decoræ tuæ materiæ expertis formæ & vitæ status: est autem parua & nihili facienda humanæ linguæ carnea potestas, angustusque & humilis & artificio carens, qui per instrumenta corporea à nostro corde sermo proficiscitur. Quomodo ergo te ô omnipotentis Dei princeps militiæ, pro dignitate, licet conemur, laudibus affecerimus? Quam vocem incorpoream incorporeo tuo & intelligenti ordini respondentem, per materialia & corporea labra offeremus? Quibus vtemur sonis quæ significent ineffabilem & inexplicabilem tuam gloriam? Dubitat re vera vniuersa natura terrigenarum te laudare & celebrare, qui es princeps ordinis supercœlestis. Enarrari enim & verbis explicari non potest locus diuinæ tuæ pulchritudinis & splendoris. Quomodo enim mirabilis facta est scientia Dei ex nobis, inualuit, non potuerimus nos homines ad eam: ita etiam Archangelicæ essentialis tuæ bonitatis & potestatis infinita multitudo, à qua arcana & diuina emanant fidelibus, apprehendi & inuestigari non potest humanis cogitationibus. Sed quoniam alicubi dicit diuinum eloquium: Quod didicimus, prædicamus: & quod scimus, annunciamus; ea de causa mittentes infinita magnalia tuorum miraculorum, pauca quædam appositè & conuenienter collecta ex diuinis spiritus eloquijs, conamur exprimere nostrorum verborum coloribus, & graphicè narrare magnificentiã gloriæ sanctitatis tuæ: & terribilium tuorum miraculorum eructare potentiã, & prodigia tua annunciare ijs qui hodie fide sunt congregati in diuino tuo festo, vt salutis iam propositum argumentum, omnibus qui ardenter ad id accurrũt: O maxime, & in primis admirabilis Michael princeps Dei militiæ.

Hodie enim tanquã magnificentiſſimus quidem conuiuator, cõuocabo vos omnes ſpiritales conuiuas ad epulum tui feſti, quod ex ortũ eſt ſole luminoſius, quod poſitum eſt ad principia orbis terræ, qui eſt à finibus vſque ad fines, in quo miraculorum & animæ vtilitatis delitijs ſe explent omnia corda fidelium. Sed nunc quoque vt ſemper miſerere noſtræ humilitatis, qui es excelſus aſſeſſor regni cœlorum, & exorere nobis ſplendoribus benignæ tuæ prouidentiæ, qui à benigno Deo accepiſti benignitatem benigne Michael princeps militiæ. Qui es læta, & luminoſa, ſignificansque, & ſplendida ſtella ſolis gloriæ. Qui es fortiſſimus pugnator, & propugnator, ac defenſor eorum qui Dominum diligunt. Qui prouides & proſpicis, eosque firmo tuo patrocinio adiuuas & defendis qui te inuocant, & magno deſiderio ad te accedunt in diuinam tuam ædem, & maximè venerandam. Tu illumina noſtros intelligentes cordis oculos, vt intelligamus, menteque apprehendamus & enunciemus, quoad eius fieri poterit, miracula tuæ maieſtatis. Nam per te vniuerſa copioſa omnium bonorum ſuppeditatio datur ab omnipotenti Dei prouidentia, ijs qui in te ſperant citra vllam dubitationem, & ſe conferunt ad omnem tui laudationem. Quid autem cogitantes, aut quibus verbis vtentes in primis poterimus ſufficienter oſtendere diuinæ prouidentiæ & benignitatis infinitum pelagus? Ad primum enim bonum, & quod præcipuè primò operatur, quoad eius fieri poteſt, oportet apertè omnes extolli. Principaliter ergo & apertè, & ex debito debemus mente cogitare qui figuram ferimus, & imaginem eius quæ ex ſe habet poteſtatem, & dominum diuinæ eſſentiæ, quòd vnus eſt & ſolus Deus, qui propter infinitam bonitatem eſt omnia fabricatus quæ ſunt in cœlis, & in terra, vt dicit diuinus Apoſtolus: Siue viſibilia, ſiue inuiſibilia, ſiue throni, ſiue dominationes, ſiue poteſtates, ſiue virtutes, ſiue principatus, ſiue Archangeli, ſiue Angeli, ſiue Seraphin, ſiue Cherubin, & ipſe eſt ante omnia, & omnia in ipſo conſtant. Qui hanc etiam variam condidit creatam naturam, in vnam vnius mundi harmoniam & complementum. Qui ſolus eſt ingenitus & æternus. Qui ſolus eſt expers principij, & in quem non cadit interitus & finis. Qui ſolus eſt eiuſmodi, vt comprehendi & inueſtigari & videri nequeat. Qui omni circumſcriptione & comprehenſione eſſentiam habet ſuperiorem. Qui nullã poteſt ſuſcipere mutationem & alterationem: eſtque omnipotens, & ab exitio & interitu aliena natura, fons perennis, & qui nunquam exinanitur, miſerationum & bonitatis: omnium diuinorum donorum & gratiarum, qui exhauriri minimè poteſt, abyſſus miſericordię, quod non poteſt exprimi pelagus, beatiſſima & ſumma pulchritudo, & ſola re vera digna quæ ametur. Vniuerſi quod dicitur & intelligitur boni efficiens & impertiens & largiens cauſa & prima cauſa. Hic eſt qui propter ſolam bonitatem eſſentialem & naturalem ea quæ non erant aliquando vocauit ad hoc, vt eſſent: & omnia ad eſſentiam deduxit, & conſtituit, eaque cõprehendit & continet, dirigit & ducit, ferens ſolo nutu ſuæ maieſtatis & potentiæ.

Atque primum quidem conuenienter ei quod dicit Theologus Gregorius, mẽte agitauit Angelicas & cœleſtes poteſtates: & quod mente agitauit, fuit opus verbo completum, & ſpiritu perfectum. Sicque conſtiterunt ſecundi ſplendores, miniſtri primi ſplendoris, ſiue intelligentes ſpiritu, ſiue ignem, vtpote materiæ expertẽ & incorporeum, ſiue aliquam aliam naturam, quòd quàm proximè ad ea quæ dicta ſunt accedat, eos exiſtimare oporteat. Volo quidem, inquit, dicere eos primum ad malum immobiles, & qui ſolum habent boni motum, vt qui ſunt circa Deum, & primò à Deo illuminantur, nã quæ hic ſunt, ſunt ſecundæ illuminationis. Mihi autẽ perſuadet, vt non immobiles, ſed ad mouendũ difficiles eos exiſtimem, qui propter ſplendorem Lucifer, & factus eſt, & dicitur tenebræ propter elationem, & quæ ſub eo conſiſtunt poteſtates, architectatrices vitij, boni fuga, & nobis conciliatrices. Atque ſic quidem qui apprehenditur intelligẽtia, & propter hæc mũdus fuit cõſtitutus. Cùm autem prima ei rectè ſe haberent, ſecundum mente agitat mundum materia præditum, & qui cernitur, & is quidem eſt, id quod ex cœlo & terra, & ijs quæ intercedũt, eſt conſtitutum, & coagmentatum. Luciferum autem eum qui à Deo defecit, & cum eo pugnauit, & eſt inſolens & iactabundus, diabolum vocat Theologus, ex voce Eſaiæ prophetæ, qui eius caſum deplorat, & dicit: Quomodo cecidit è cœlo Lucifer, qui mane oriebatur, & contritus eſt ſuper terrã? De eo enim diuinus quoque Dauid, ad eos qui ſimiliter à diuina charitate defluxerant, atque ſceleratus ille & malitioſus qui defecerat, dicit: Et tanquã vnus ex principibus cadit is. Princeps enim erat vnius Angelici ordinis in cœlis diabolus, non diabolus ab initio productus & factus, ſed bonus ex bono, & pulcher ex pulchro, & qui ſolus bona facit, opifice vniuerſorum. Poſtremò autem præter legẽ naturæ, decretumque & rationẽ diuinæ iuſtitiæ, imperij cupiditatis œſtro percitus, rebellauit aduerſus Creatorem, regnum eius, & gloriam ſibi conans vſurpare. Secum autem attraxit etiam infinitam rebellium multitudinem, quæ ſuæ ſtultitiæ & malitiæ eum accepit adiutorem. Nam propter hanc cauſam impiæ cogitationis, ex cœli conuexis vehementi impetu cecidit execrandus. Nam ſimulatque ei

venit

venit in mentē ſceleratiſſima & maximè impia cogitatio, fuit confeſtim contritus ab omnipotenti Domino qui dixit: Videbam ſatanam tanquam fulgur è cœlo cadentem. Similiter autem de eo quoque per Ezechielē Prophetam: Simulatque elatum fuit cor tuum propter pulchritudinem tuam, & dixiſti in cogitatione tua: Deus ego ſum: ſtatim à ſancto monte meo in terram te deieci per Cherubin, & interijt ſcientia tua cum pulchritudine tua, & dabo te in cinerem ſuper terram coram omnibus te videntibus, fidelibus ſcilicet. Quomodo etiam dixit Dominus in diuinis Euangelijs: Ecce do vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpios, & ſuper omnem poteſtatem inimici.

Nonnulli autem diſcendi cupidi inquirunt, num propterea ſit eiectus, quòd Adam eum non adorauerit? Eſt autem ſtultorum & inſipientium hoc dicere. Cecidit enim diabolus, priuſquàm factus eſſet Adam: quomodo patres apertè pronunciant, omnes Angelos fuiſſe factos ante cœlum & terram. Diabolum verò eſt probabile quarto die cecidiſſe, quando Deus fecit luminaria, ſicut ſcriptum eſt in Iob: Quando facta ſunt aſtra, laudarunt me magna voce omnes Angeli mei, & hymnis celebrârunt. Semper enim etiam nō tacitè Angelis Dominum glorificantibus, tunc cum maiori voce eum laudibus celebrârunt, vt ſignificauit ſcriptura, propter iuſtum ſcilicet caſum maligni illius qui defecerat. Oportet autem ſcire ex noſtris ſcriptis ô dilecti, quòd omnis chorea & ordo habet ducem ordinis qui incipit melodiam. Sic etiam de ſanctis Angelis dicit Dionyſius Angelicorum ordinum diuiniſſimus interpres: Non abſurdè diuina & cœleſtia, materiali noſtræ Hierarchiæ, pro viribus ſenſiliter, quoad eius fieri poteſt, ſunt aſſimilata. Ducem verò ordinis angelicæ choreæ lucidiſſimum & maximum militiæ principem Michaëlem intelligere à ſuperis accepimus.

MIRACVLVM PRIMVM DE REBELLE & ſuperbo Satana, & immundis eius ſpiritibus.

Hic ergo fideliſſimus & ſanctiſſimus, magnus exercitus dux Michael, diuini conſilij pius miniſter, qui propter dominicum & omnipotentem diuinum iuſſum in terram iecit ex cœleſtibus abſidibus rebellem & ſuperbum ſatanam cum eius immundis & malignis ſpiritibus: tunc in eos inuectus, & triumphū agens de eorum malitia, congregatis cunctis Angelorum populis, magna voce laudauit Deum vniuerſorum, & omnipotentem Dominum Angelicos greges eò veluti ducens, vt ſtatus meminiſſent immobilis, & quæ bona facit ſtabilitatis, & dicit: Attēdamus: perinde ac ſi diceret: Qui creati fuerant, & quibus obtigerat vt Deus increatus & inaſpectabilis eos produceret propter naturalem ſuam bonitatē, quid eis accidit, qui nobiſcum hucuſque diuinis illuſtrabantur ſplēdoribus. Animaduertamus quàm repentè mutati ſunt in tenebras propter arrogantiam & contēptionem eius qui eos fecerat. Cognoſcamus quos fructus conciliet liberi arbitrij voluntas inconſiderata: & ſtemus immobiliter in timore, quotidie diuinum miniſterium opifici offerentes. Porrò autem quandam quæ eos contineret hymnodiam, vt qui in primo loco ſtaret, cum Seraphin & omnibus ſimul diuinis & cœleſtibus poteſtatibus magna voce cecinit diuinam illam, & quæ nunquam poteſt deſinere omnipotentis diuinitatis, quæ eſt principium luminis, vnitaque eſt & trina, ter ſanctam glorificationem: Sanctus, ſanctus, ſanctus Dominus Sabaoth, plena eſt vniuerſa terra gloria eius. A Dei verò adminiſtratoria diuina gloria alienatus maleficus diabolus, cùm vidiſſet terreſtrem hominē eſſe quauis re creata honoratiorem, vt qui dominicis manibus factus eſſet ad ſuam imaginem & ſimilitudinem, ſtatuit eum totis viribus ſeparare & eripere ab eius qui ipſum fecerat & honorauerat ſalutari præcepto. Videns enim malignus & ſceleratus ſe in extrema eſſe ignominia, valde cruciabatur: & cùm non poſſet ad Deum conuerti, in Dei imaginem ſuam effudit improbitatem: & effecit vt homo eſſet obnoxius interitui & morti, eo eiecto è diuinis & viuificis paradyſi delitijs. Et ſtatuit Deus Cherubin & flammeam rhompheam verſatilem, vt cuſtodiret paradyſum. Sed etſi ſic quidem cecidiſſet homo qui liberum habebat arbitrium, & à bono ſtatu defluxiſſet, non eum deſpexit Deus. Sed vt qui ſit natura benignus, & ingens mare habeat bonitatis, veluti quædam arma ad conſeruandum validiſſima, ei præbuit magnum Michaelem militiæ principem aduerſus diaboli potentiam, vt cuſtodiret & defenderet hominem qui lapſus fuerat: vt quomodo ceciderat per imperitiam, per laborioſiorem rurſus viuendi rationem, & diuinam virtutem inſtaurato prælio victor effectus coronetur. I.

DE ADAMO.

Porrò autem Archangeli Michaelis ſuaſionibus & monitis inſtructus Adam, & ligone terram fodiens, & ſudore & labore frugaliter nutritus, non fuit amplius ſeductus ab hominis inimico, & Dei hoſte: nec paſſus eſt aliam ab ipſo commotionem. Nam ab eo tempore omnino eum valde habebat odio, mente agitans per propheticum rorem qui adhuc in eo inerat, illud: Ne des in commotionem pedum tuum: & non dormitabit, qui te II.

cuſtodit

custodit Angelus. Ab eo enim tempore credimus nos habere Angelum vnicuique animæ ducem, vt dicit Dominus in Euangelijs: Videte ne despiciatis vnum ex his paruis, qui sunt minimi: Angeli enim eorum assiduè vident faciem patris vestri qui est in cœlis. Similiter etiam dicit Iacob Patriarcha: Angelus qui me liberat à malis omnibus. Non dixit: qui me liberauit: sed qui semper liberat. Quinetiam beatum Apostolum Petrum à manu Herodis Angelus Domini liberauit. Simulatque enim constitutum fuit humanum genus, iussi sunt Angeli eius vitæ curam gerere: & vnumquemque hominem fidelem sortitus est bonus Angelus, vt eius vitam componeret, & eius animam perficeret. Multi autem cum eo luctantur dæmones à via recta eum facientes aberrare. Immundis enim dæmonibus non sunt curæ infideles, sed ij qui piè viuunt: eis enim inuident, & cum eis bellum gerunt. Quando autem ambulat quidem in sanctitate & iustitia homo fidelis, lætatur Angelus, qui & fuit datus ad ipsum custodiendum. Quando verò à via recta declinauerit, tristis quidem est bonus Angelus, dæmones autem exiliunt. Iam verò Magnus quoque dicit Basilius: Sunt Angeli qui in vnaquaque Ecclesia describunt eos qui orant & ieiunant. Vide ô homo, ne propter paruam voluptatem, & breuem somnum, hoc damnum accipias, quòd te non descripserit Angelus. Et in fidelibus quidem, vt prius diximus, vnus Angelus à Deo datus est vnicuique. In infidelibus autem vnamquamque integram gentem sortitus est vnus Angelus, vt dicit scriptura: Statuit terminos Gentium secundùm numerum Angelorum Dei. Et vt Iudæorum quidem gentem custodiret, constitutus est Michael magnus Dei militiæ princeps, vtpote quòd in Deum credidissent. Alius verò præfectus fuit Persis, alius verò Græcis, & deinceps similiter. Cæterùm diuinus quidem & magnus dux exercitus Michael est princeps omnium cœlestium potestatum, præestque, & curam gerit totius gentis fidelis: & rursus fideles qui laborant præuenit & conseruat, vt qui à Deo iussus sit celerem habere naturam, & tanquam fulguris adeptus velocitatem, vniuersam terram & ætherem vno momento percurrere. Exilijt enim, inquit, Angelus, qui ambulabat ante castra filiorum Israel. Hunc autem Angelum militiæ principem Michaelem esse dixit scriptura in Iesu Naue. Nam nomen eius apertè declarauit in Propheta Daniele. Hic ergo magnus & gloriosus Dei militiæ princeps Michael, & veteri vt conuenit fuit administer: & nouo magis administrat quæ sunt salutaria. Postquàm enim valde irritauerunt, & penitus dereliquerunt Dominum Deum increduli Israelitæ: & ea de causa fuerunt penitus exterminati: & aduocati sumus qui credidimus ex gentibus: & factus est nouus Israel, à Christo denominatus & Christum intelligens: nam si interpreteris Israel, is est mens videns Deum: tunc diuinum quoque militiæ principem Michaelem remouit à Iudæorũ cõsuetudine bonus Deus: & ab eo tempore nobis electis Christianis constituit maximum defensorem & seruatorem, aliarum gentium curam suscipientibus apertè alijs minoribus Angelis. Nam quò est gens quidem sancta Christianorum reliquis omnibus præstantior, eò necesse est esse maiorem dignitatem Archangeli Michaelis, qui curam gerit generis Christianorum. Non enim essentia Angelorum habet differentiam, sed dignitatis excellentia. Vult enim omnes homines esse saluos qui vniuersorum curam gerit, & est natura benignus.

III. De Abrahamo.

SEd cùm miseri homines sua stultitia in errore perseuerarent, & cultu simulachrorum: & nequaquam vellent id quod oportebat intelligere, & effectorem agnoscere ex magnitudine & pulchritudine rerum ab eo creatarũ, pius ille Abraham cùm ex rebus creatis mente comprehendisset creatorem, & infinitæ potentiæ admiratus esset artificium: valdeque ægrè ferret & indignaretur in stultos & incredulos qui rem creatam colebant vltra creatorem, Deus è cœlo eum est allocutus, dicens: Egredere è terra tua, & ex cognatione tua, & ex domo patris tui, & veni in terram quam indicabo tibi. Deinde sic ei apparuit in specie trium Angelorum. Ab eo autem hospitio acceptus apud quercum Mambræ, præclaræ eius hospitalitatis mercedem præbuit ei iam seni, & cum sterilis esset vxor Sara, pium filium Isaac & in moribus & virtute ei similem. Postquam autem præter spem natus esset filius, omnibus probatiorem reddens eius animi magnitudinem, fideique & animi pietatem, ei rursus dixit: Abraham, Abraham, accipe filium tuum dilectum quem genuisti Isaac, & eum mihi offer in sacrificio. Ille autem simulatque fuerat ei imperatum, rem exequebatur: & cùm ligasset Isaac, & extendisset manum quæ tenebat gladium, iam guttur illius tacturam, eum repressit Angelus Domini, Michael scilicet, dicens, Ne immittas manum tuam in filium: Nunc enim noui, quòd tu timeas Dominum: sed aspice tuis oculis, & vide ad te missum arietem ligatum, & eum offer pro Isaac filio tuo. Hunc autem Angelum qui hæc dixit Patriarchæ, militiæ principem Michaelem apertè esse credimus. Etenim Iacob quoque quem frater persequebatur Esau, militiæ princeps liberauit & seruauit. Qui etiam ei animum addens, ne timeret eum qui persequebatur, cum eo luctatur in nocte, & tãgit eius femur propemodum dicens: Si cum Angelis valuisti luctari, quid times hominẽ in quem cadit interitus?

Cùm

CVm autem multiplicati essent qui ex pij Abrahæ genere descenderant, vt pollicitus ei fuerat Angelus, ij in Ægypto verò malè haberentur, eorum misertus est Deus, qui est natura benignus, & elegit Mosen famulum suum: & per ipsum Archangelum Michaelem, eum constituit ducem totius generis Abrahæ, vt educeret eos è terra Ægypti, & per mare rubrum tanquam per siccam terram eos transmitteret, properante populo ad terram eis promissam, quæ fluebat lacte & melle, Michaele Archangelo parante viā eius ante ipsum. Cùm autem peruenisset in regionem Moabitarum, vt transiret per eorum fines, ei restitit Balac rex Moab prohibens eum transire. Accersit quoque ipse Rex Balac vatem quendam senem insignem, nomine Balaam, ad execrandum populum Mosis vt vinceretur. Proficiscenti autem Balaæ in via occurrit Angelus Domini, Michael scilicet defensor Israelitarum. Quem cùm vidisset asina Balaæ, declinauit, & allisit pedem Balaæ ad parietem, & eum arguit asina humana voce, ostendens terribilem Archangeli visionem. Balaam autem cùm aspexisset splendorem qui ex eo emicabat, valde territus dixit: Parce mihi, parce mihi Domine, nam ignorans peccaui. Sed hanc licet visionem aspexisset Balaam, non statim est reuersus, sed venit ad Regem Balac qui eum accersiuerat, vt desiderio eius satisfaceret. Sed ambo à scopo exciderunt. Nam cùm in altissimo loco stetisset Balaā, & conspexisset castra Israel tanquam cedros iuxta aquas, propheticam benedictionem loco execrationis vel inuitus vates effatus est populo Israelitico, dicens: Orietur stella ex Iacob, & surget homo ex Israel: & confringet duces Moab, & quæ sequuntur. Propter malum autem omen & ,, execrandum suum consilium, quod merebat Balac accepit exitium. Quòd autem esset Michael princeps Domini militiæ qui occurrit Balaæ, & ei denunciauit, vt qui esset dux populi Iudæorum, eumque præcederet & deduceret, apertè ostēdit scriptura in corpore Mosis, vt diuinissimus Iudas Apostolus frater Domini dixit in sua catholica epistola: Michael autem Archangelus, quando contendens cum diabolo disserebat de corpore Mosis, non ausus est efferre iudicium blasphemiæ: sed dixit ei Angelus: Increpet te Dominus. Quid autem cum diabolo dissereret militiæ princeps Michael, sciemus. Conabatur hostis & inimicus & ,, profanus diabolus, cum summa impudentia, & contendebat in decessu Mosis, qui Deum ,, maximè est contemplatus, efficere, vt eius corpus redigeretur sub potestatem interitus, vt nullus videret bonum signum in futurum ad humanam essentiam. Et Idææ dicebat tenebricosus Satan luminosissimo Dei militiæ principi Michaeli, Mosen fecisse cædem Ægyptij, & alias in eum confingebat calumnias & criminationes. Superbo ergo & iactabundo maligni animo resistens Michael Archangelus, & contradicens: & nunc hoc, nunc illud respondens ad ea confutanda quæ ab illo dicebantur improbè: postremò videns eius insignem impudentiam, eum increpauit, dicens: Increpet te Dominus, hoc est, Te ô diabole perdat Deus. Statimque euanuit sceleratus aduersarius. Talis est enim potentia diuini, & Deum contemplantis Michaelis: & hæc est quæ fuit disputatio & contentio in decessu magni Mosis, quando eius corpus abscondit Michael princeps militiæ, ne si id inuenissent Iudæi, tanquam Deum adorarent, qui ne beluis quidem pepercerunt. Hæc Michael, qui est Angelicarum potestatum præstantissimus.

IIII. De Mose.

V. De Balaam.

SEd is quoque etiam post decessum diuini Mosis, cùm Iesus Naue diuinitus in populum Israeliticum obtinuisset imperiū, & eum duceret in terrā promissionis, & struxisset aciem contra aduersarios, & de committendo prælio dissereret, visus ei tanquam fortissimus miles militiæ princeps Michael, stās omnino erectus: læto vultu & veste insignis: eratque strictus gladius in manu eius. Accedens verò Iesus, qui erat armatus, ei acerbè dixit, vt est verisimile: Nostérne es, an aduersariorum? Præclarus enim tuus & varius aspectus incitat me vt te interrogem. Dic mihi ergo ocyus, priusquam te cęsim aggrediar. Non enim conuenit vt acie relicta in discrimine, ego te pergam alloqui: Arbitror enim te venire nos speculatum. Sin autem venisti transfuga, abiecto hoc tuo micāte gladio sis citò nobiscum: & liberare ab exitio quod impiæ vrbi Hiericho imminet. Sin autem es noster, cur solus stas extra aciem quæ versatur in certamine? Dic mihi autem ocyssimè, ego enim ex lingua Hebraica te agnoscā. Hæc cùm interrogaret Iesus Naue, respondit ei Michaël magnus ductor Dei ordinum: Ego præcipuus dux copiarum Domini nunc accessi. Protinus autē abiectis armis suis Iesus Naue, humi cecidit in terrā, & eum adorauit, dicens: Domine, Domine, quid imperas tuo famulo? Nam ego quoque sum tuus famulus, sicut etiam dominus meus Moses. Tu mecum quoque dux exercituū, me perpetuò sicut illū coroborans. Ecce enim aduersus hostes fortiter direxi aciem, fretus inuictis tuis viribus per quas sæuus & immanis Pharao cum toto exercitu, colligatis simul curruum axibus, vt mari funditus obrueretur effecisti: & qui dominum meum Mosen in via obsistendo impedierunt, impios Moabitas ad internecionem deleuisti. Quid imperas famulo tuo Domine? Sanctissimus autē princeps Dei militiæ dicit ei: Solue calceos ex pedibus tuis; Locus enim in quo stas, est sanctus. Quod cùm statim factum

VI. De Iesu Naue.

esset,

esset, iussit vt audacter inuaderet vrbem illam septem muris circundatã & inexpugnabilem, & simulatque inuasisset cum septem sacerdotibus tuba canentibus, eam ad solum vsque diruit admirabiliter, & eam totã cum omnibus ædibus & diuitijs exussit, vt qui eam Domino tanquam consecratum donarium & prædæ primitias obtulerit. Deinde sic postea viginti & nouem Reges præter Hiericho, cum eorum exercitibus & vrbibus Iesus Naue filius consumpsit, non habens ciuitatem, non vllam belli sedem, non milites qui vllam haberent belli peritiam, sed diuino nutu, & auxilio maximi ducis omnium cœlestium potestatum.

VII. De Goliath.

ERat enim hic militiæ princeps, qui etiam in Goliath ponè est iaculatus, & eum pronum prostrauit, quando diuina funda fuit percussus Dei parentis Dauid. Nisi enim Angelus Domini eum ponè percussisset, supinus cecidisset in fronte accepto vulnere.

VIII. De Daniele.

EVndem autem maximum militiæ principem, videt etiam Dei summus contemplator Propheta Daniel, arguens sceleratos qui aduersus castam Susannam insanierant, & dicit alteri eorum: Expectat Angelus Dei iam tenens gladium, vt te secet medium. Quin etiam postquam venit in mentẽ Dei parenti & Regi Dauid, facti ab eo peccati, & egregiam illam compunctionem & pœnitentiam citò ostendit, cum qua flens ex profundo cordis clamauit: Peccaui Domino. Postquam vidit propheta Nathan Angelum qui erat paratus recessisse, dixit diuino Dauidi: Dominus quoque abstulit peccatum tuum, non morieris: magnam, & ineffabilem benigni Dei bonitatem ei annuncians, & eum consolans.

IX. De Sennacherib.

IAm verò cùm execrandus Sennacherib Rex Assyriorum plurimas gentes redegisset in seruitutem, & multas Iudææ munitas cepisset ciuitates, venit & circundedit Hierusalem cum maximis copijs, & statuit Rapsacen sæuissimum suum ducem ad piscinam viæ superioris, & clamauit Hebraicè ad Ezechiam & Iudæos, qui erant in ciuitate, blasphema verba dicens & satanica. Hæc autem dicit vobis Rex magnus Assyriorum: Quæ est hæc fiducia qua confiditis, quòd dicitis: In Dominum Deum confidimus? Egredimini ad Dominum meum potentem Regem Sennacherib, & viuetis, & non moriemini: & comedet vir ficum suam, & bibet vitem suam, & accipiam ex vobis in terram meam, & glorificabo valdè, & magnificabo: & ne audiatis Ezechiam, quoniam vos decepit, dicens: Dominus nos liberabit. Num liberantes liberârunt Dij gentium vnusquisque suam regionem à manu Regis Assyriorum? Hæc cùm audisset Ezechias, induit saccum, & ingressus est in domum suam, & fleuit vehementer, dicens: Domine Deus Israël, qui sedes super Cherubin, & in orbem circundaris, & glorificaris non tacitè à Seraphin, & ab omnibus sanctis Angelis: Tu Deus solus in omnibus regnis terræ: Tu fecisti cœlum & terram, & omnia quæ sunt in eis. Inclina Domine aurem tuam, & audi. Aperi Domine oculos tuos, & vide, & attende sermones Sennacherib, quos misit, exprobrans Deum viuentem. Quoniam in veritate Domine desertas reddiderunt gentes Reges Assyriorum. Et nunc Domine Deus noster serua nos à manu eius, & cognoscent omnia regna terræ, quòd tu es Dominus Deus solus. Et egressus est Angelus Domini nocte illa, & interfecit ex castris Assyriorum 185. milia. Et cùm mane surrexissent, inuenerunt corpora mortua. Et dum auerteretur & fugeret Dei hostis Assyrius Sennacherib, eum interemerunt duo filij eius grauiter in gladio, cùm permansisset nulla ductus pœnitentia. Cuius autem fuit hoc stupendum, præclarumque & admirabile facinus, & potenita, num omnium regis Domini Sabaoth principis copiarum Michaël, qui non visus duxit exercitum, & aduersarios temporis momento sine gladio apertè concidit, in auxilium & custodiam suorum qui spem suam collocarunt in Deum viuum vltionum, & qui solus potest seruare? Sed ingrati Iudæi, & stulti, & increduli, qui plurimorum diuinorum beneficiorum fuerunt immemores, post manu Angeli hostium illorum infestissimorum factam cladem, & turpem illorum fugam, ne sic quidem potuerunt intelligere & agnoscere, sed dicebant: Manus nostra excelsa fecit hæc omnia prodigia. Propterea tradidit eos Deus omnino in manus Nabuchodonosor regis Chaldæorum, qui etiam diruit omnes muros Hierusalem, & incendit ciuitatem totam, & domum Domini, & bello capta accepit vasa sacra, & multitudinem diuitiarum eorum, & duxit omnia Babylonem. Et fuerunt Iudæi seruientes in captiuitate cum magno metu Chaldæis, colentes omnes eorũ simulachra, præter sanctos tres pueros & Prophetam Danielem. Hi enim soli viri pij, etiamsi planè infantes abducti essent in captiuitatem, Dei timorem semper habentes, non cum sui generis Pontificibus, Scribis, & Pharisæis, eò deducti sunt, vt colerent deos qui non sunt, neque regiũ illud iussum timuerunt: sed in Deum viuum qui dat salutem confidentes, cùm ducti essent ad tyrannum, audacter dixerunt: Notum tibi sit Rex, quòd deos tuos nõ colimus: & imaginẽ auream quam posuisti non adoramus. Tunc Nabuchodonosor rex, in ira & furore, iniecit Ananiam, Asariam, & Misael in fornacem ignis ardentem. Dei autem Angelus, Michael scilicet, simul cum eis descendit in fornacem: & nec omnino quidem eos tetigit ignis, sed excussit Angelus flammã fornacis,

X. De Ezechia rege Hierusalem.

XI. De sanctis tribus pueris.

& transit ignis circumcirca, & combussit viros omnes qui ipsos iniecerant, hoc est, administros Regis. Tunc tres tanquam vno ore lætantes, laudabant, & benedicebant, & solum Deum glorificabant. Rex autem audiuit ipsos Deum laudantes in medio fornacis, & citò surgens dixit magnatibus suis: Num tres viros vinctos iniecimus in mediũ ignis? & aspectus quarti est similis filio Dei. Tunc cùm rex eos accersiisset, egressi sunt illæsi. Cùm autem diuini pueri egressi essent absque vlla læsione, coram eis adorauit Rex, & dixit: Benedictus Dominus Deus Sidrach, Misac, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & eripuit pueros suos ex igne fornacis ardentis. Tunc Rex constituit eos principes, & maximo eos honore affecit cum Propheta Daniele. Pulchrè re vera diuinus cantor Dauid psallit: Castrametabitur Angelus Domini in circuitu timentium eum, & liberabit eos.

XII. De Daniele Propheta.

SImile autem rursus miraculum ostendit Deus admirabilium per gloriosum Archangelum suum Michaëlem, in famulo quoque suo Daniele iniecto in lacum leonum. Nam postquam regnarunt Reges alij à Nabuchodonosor, diligebatur ab omnibus sapientissimus Daniel, vt qui ex Deo somnia coniiceret. Babylonij autem inuidia moti, insurrexerunt eo tempore aduersus Cyrum, qui tunc apud eos regnabat, sicut prius aduersus Darium, & dicunt ei: Rex, da nobis vt morte afficiamus Hebræum Danielem, quoniam Bel Deum nostrum contriuit, & venerandum draconem interfecit, & sacerdotes, & incantatores nostros occidit. Sin minus, te interimemus, & domum tuam, vt Iudaizantem. Cùm verò vidisset Rex, quòd eum valde vrgerent, coactus tradidit eis Danielem. Illi autem iniecerunt eum in lacum leonum, & fuit illic sex dies. Erant autem in lacu septem leones. Occlusit verò Archangelus Michaël ora leonum: & non molestia affecerunt Danielem, neq; attigerunt omnino corpus eius. Cùm verò venisset Rex septimo die vt lugeret Danielem in lacu, inuenit salua quæ fixerat signacula. Et lacu aperto videt Danielem stantẽ rectum, & manus habentem extensas, & Deum laudantẽ, & dicentem: Benedictus es Deus, qui misisti Angelũ tuum, & obstruxit ora leonum, & mihi non nocuerunt. Tunc Rex citò cum gaudio Deum glorificans, sustulit Danielem è lacu illæsum, & adorauit eum. Viros autem qui Danielem accusauerant, iniecit in lacum leonum. Non prius autem fuerunt in solo lacus, quàm eos inuadentes leones deuorarunt, & omnia ossa eorum tanquam in puluerem comminuerunt. Hic ergo vir desideriorum Daniel sanctissimum Archangeli nomen nobis ostendit, quòd vocaretur Michael, id est, dux Dei exercitus, vt qui hoc mysterium acceperit ab alio Angelo.

XIII. De Abbacuch Propheta.

POrrò verò Abbacuch quoque Propheta erat in Iudæa. Ipse autem coxerat pulmentum, & panes intinxerat ad nutrimentum: & ibat vt id ferret suis messoribus. Angelus autem Domini apprehendit verticem Abbacuch, & impetu sui spiritus eum portauit à Iudæa Babylonem cum lentis alimento, & intulit ipsum Angelus in lacum leonum, non solutis illic signaculis. Comeditque Daniel seruus Domini, & lætatus est. Et rursus idem Angelus Michaël restituit confestim Abbacuch in locum suum, nihil ei impedimenti adferens, quò minus eadem hora veniret, & eodem cibo messores suos copiosè aleret. Papè quanta est diuini Archangeli pernicitas?

XIIII. De Ezechiele Propheta.

VAlidissimo quoque suo impetu, diuino nutu, similiter rursus aliâs assumpsit diuinum quoq; Prophetam Ezechielẽ, vt dicit ipse Ezechiel in sua prophetia: Et aspexi, & ecce similitudo viri à labijs suis: & inferius ignis, & à labijs eius, & superius tanquã visio electri: & accepit me à vertice in spiritu suo in medio cœli & terræ: & deduxit me Hierusalem.

XV. De Philippo Apostolo.

QVinetiam Apostolum quoque Philippum similiter rapuit Angelus Domini mei, & transtulit in Azotum, & non vidit amplius ipsum Eunuchus Reginæ Æthiopum, postquam ab eo accepit baptismum salutarem.

XVI. De Marciano Cerifero.

MEntem autem impellit, & mihi animum excitat eximia gratia & virtus diuini ordinum Ductoris supernarũ potestatum: & ducit ad narrandum vnum solum eius miraculum. Vincitur enim & caligat omnis vis dicẽdi, intuens ad altitudinem & multitudinẽ & excellentiã infinitorum & variorum & omnis generis eius miraculorũ: & recusat omnino de ijs scribere. Deficiet enim planè tempus nos, vt diuinus ait Apostolus, narrãtes. Est enim pelagus metiri facilius, & stellas numerare, quàm maxima quæ à maximo incorporeo quotidie in nos fiunt miracula. Ex magnis ergo & insignibus eius miraculis, audebo pauca quædam vobis narrare admirabilia opera. Tempore Michaëlis Imperatoris, & Theodoræ eius matris erat vir quidã nomine Marcianus, qui à teneris vnguiculis fuerat cerifer venerãdi huius templi. In ipso enim diuino & venerando & pulcherrimo tẽplo Archangelico, omnes qui mari agitantur, & accedunt in fide, & ex intemerata illa eius imagine bibunt vnguentũ emanans, omnis generis morborum statim assequuntur quæ speratur curationẽ. In hoc ergo diuino & religioso tẽplo assiduè perseuerabat prædictus Marcianus Archangeli cerifer, vsq; ad senectutem cum magno amore & fide: neq; vnquã omnino opus habuerat medico, sed simulatq; aliquãdo incidisset in vllum morbũ, protinus procidebat in dicto templo Ductoris ordinum

Michaëlis, breuiq; sanus redibat in domum suam propter totam suam in eum affectionem. Cùm eum ergo aliquando grauis morbus & planè desperatus inuasisset, iacuit in inferiore parte templi Archangeli aliquot dies, cum stabili & firma in eum fiducia. Cùm plurimi autem amici & medici ad eum congregarentur, & dicerent alij alia, quæ ad eius pertinebant curationem: ipso verò ne eos quidem omnino de his audire sustinente, ausus est vnus ex medicis facere ea quæ dicuntur fomenta: & iussit ijs qui ipsi ministrabant, vt ei mederentur ante matutinum, vellet, an non. Cùm autem fomenta composuisset medicus, domum redijt. Illa autem nocte Marcianus cùm à se veluti discessisset, & esset in extasi, quomodo & vir hic pius narrauit, & subiectum argumentum ostendit veritatem, omnes templi portas vidit repentè apertas, & ad lauacrum quod extabat virum terribilem cum impetu è cœlo equitem descendisse. Cùm is autem ex equo descendisset in purpureo quod illic erat marmore, ingressus est templum plurimis stipatus, tanquam Præpositi veste indutus: & impletum est vniuersum templum odore ineffabili. Paulò pòst verò cùm accessisset ad lectum Marciani, finxit se ea attrectare quæ erant in scamno, & rapere quæ in eo erant posita ad alimentum & vsum: & cùm inuenisset in catino posita quæ dicta sunt fomenta, ea accepta tulit ad Marcianum, rogans quid hæc sibi vellent, & quisnam esset qui ea temerè fecisset in domo sua. Cùm is autem respondisset cum tremore, dixit ille terribilis & gloriosus duobus suis satellitibus: Tollite ea, & euntes quamprimum perforate caput eius qui me contempsit, & ipsa in id inijcite. Cumq; intinxisset summum digiti sui in candelam quæ impendebat eius admirabilium rerum effectrici imagini, signauit caput Marciani sancto 3 oleo in figuram crucis, & ex Ecclesia egressus, equo rursus conscenso, sublatus est in cœlum: statimque clausæ sunt omnes portæ Ecclesiæ, ita vt quoquo modo videri non potuerit. Marcianus autē magno timore affectus, & animo anxius ad matutinum, propter terribilem visionem, accersijt presbyterum Ecclesiæ, & narrauit ei omnia. Tunc presbyter cùm quæsisset quæ à medico parata fuerant fomenta, nec inuenisset, Marciani quoque caput animaduertisset, & vidisset sanctam crucem in ea per sanctum oleum expressam, obstupefactus abiit quamprimum ad medicum, vt ei narraret omnia, & consuleret, vt ipse quoque peteret veniā ab ordinum ductore Michaële, de ijs quæ ipse admiserat. Cùm autem venisset presbyter in domum medici, inuenit illic multitudinem innumerabilem, & luctum qui non poterat comprimi, cognatorum, & amicorum eius sociorum, qui omnes deflebant repentinum & non prius animaduersum lætalem eius morbum: ipsum autem iacentem in medio omnium, totamque eius faciem pustulatam, clamantemque grauiter, & magna voce eiulantem: Miseremini mei qui Deum timetis. Scindite Christiani caput meum, non enim fero dolores. Postquam verò audiuit à presbytero verba terribilia quæ audiuerat à pio Marciano, tunc intellexit medicus esse plagam dignam sua audacia, & statim acerbè exclamauit: Ego sum causa grauis huius meæ mortis: sed me tollite, & abducite, & iacite in sanctam ædem eius: & si quid iubet eius misericordia, faciet in me indignum suum seruum. Portantes autem eum tulerunt vnà cum lecto. Marcianus autem cùm sensisset tumultum, assedit, & cùm causam resciuisset, seipsum considerauit, & inuentus est omnino sanus. Tunc citò descendens de lecto suo, Deum glorificauit, suumque defensorem, & dominum, & magnum medicum, & militiæ principem Michaëlem: cursimque egressus processit obuiam, & sustulit medicum è lecto, & portauit eum suis manibus simul cum presbytero, & posuit eum ante sanctam aram, miserabiliter deflentem & confitentem, vt ei esset propitius sanctus princeps militiæ. Marcianus autem cùm per se manare 4 fecisset vnguentum è sacra illa imagine, vnxit caput patientis medici: statimque fugatum est acerbum illud tormentum: & ardentes faciei pustulæ sunt extinctæ, & factus est sanus omnino, sicut prius, glorificans Deum, & sanctissimum eius militiæ principem Michaëlem. Mansit verò de cætero medicus ille perseuerans, & munificè offerens in eodem glorioso templo Archangelico, toto tempore vitæ suæ Dominum laudibus extollens, & eum qui fuit velox ad ferendum auxilium, & eum defendendum, militiæ principem Michaëlem.

3 Signauit caput Marciani sancto oleo in figuram Crucis.

De medico.

4 Nota curationis modum. Manare fecit vnguētum è sacra imagine, & illo vnxit caput patientis, et statim fugatum est acerbum illud tormentum.

XVII. *De decem drachmis.*

Atque nonnulli quidem dicunt esse nouē eorum ordines, conuenienter parabolæ Seruatoris quæ dicit: Si mulier aliqua habens decem drachmas, vnā ex eis perdiderit, nónne accensa lucerna eam quærit? Et quando eam inuenerit, conuocat amicas, dicens: Gratulamini mihi, quoniam inueni drachmam quam perdideram. Sunt autem nouem ordines incorporeorum: nempe Angeli, Archangeli, Principatus, Potestates, Virtutes, Dominationes, Throni, Cherubin, Seraphin, & decimus ordo est hominum. Nonnulli verò dicunt nonagintanouem esse earum partes, centesimam autem esse hominum, conuenienter parabolæ centum ouium, de quibus dicit Christus: Si fuerint alicui homini centum oues, & aberrauerit vna ex ipsis, num relictis nonagintanouem in montes, profectus quærit eam quæ errat? Et si contigerit eam inuenire, de ea magis lætatur, quàm de nonagintanouem,

quæ

quæ non aberrauerunt? Re vera enim nos sumus fratres, qui mali aufugimus & aberramus super montes & colles nefariæ actionis & incredulitatis, quos non despexit pastor bonus & benignus: sed quæsiuit, & supra suum humerum portauit, & retulit in numerum gregis boni, & non errantis.

DE S. ARCHANGELO GABRIELE.

Per Simeonem Metaphrasten.

LAudemus erga omnes Dominum, fratres, & nomen eius simul extollamus, qui facit magna, & quæ inuestigari nequeunt, gloriosaque, & admirabilia quorum non est numerus, per sanctissimum Michaelem quotidie, & olim, & nnunc, & hic, & alibi, & multis, & singulis. Nam & si per alios sanctos Angelos innumerabiles, fecit Deus admirabilium innumerabilia miracula per vniuersum orbem terræ, trium tamen solùm ostendit diuina scriptura pretiosa & veneranda nomina: Michaelis & Gabrielis, & apertè colendi Raphaelis. Et quod sanctissimus quidem Michael fecerit hæc omnia, quæ sunt simul posita terribilia miracula, hinc patet ex diuinis scripturis. Diuinissimus autem Gabriel missus fuit ab omnipotente Deo & patre, tempore diuini & benigni in terram descensus, veluti quidam pronubus Dei verbis, ad sanctam Virginem, & dixit: Aue gratia plena, Dominus tecum. Et hac voce depulit antiquissimam & diuturnissimam molestiam primæ parentis Euæ: & impleuit lætitia vniuersum orbem terræ. Prius verò sterili quoque clarissimæ Annæ, quæ in horto suo obsecrabat Dominũ, prædixit fore, vt ex ea nasceretur Dei parens. Quin etiam Prophetæ Zachariæ in templo suffienti ipse dixit fore, vt in senectute gigneret Præcursorem, quo tempore eum etiam fecit obmutescere in pœnam incredulitatis. Eundem ergo diuinissimum Gabrielem vidit rursus idem Zacharias in sanctis sanctorum, cibum è cœlis afferentem ad Dei matrem. Eundem autem Gabrielem viderunt etiam pastores in ortu Christi, annunciantem eis magnum gaudium, & vniuerso mundo. Alij quoque similiter plurimi boni insignes, & diuini patres sunt ab eo in diuinis initiati mysterijs. Nam per hos duos, Michaelem inquam & Gabrielem, descendit omnis datio bona & omne donum perfectum, quod desuper mittitur in terram à Deo omnipotente. Hæ enim sunt duæ maximæ & paris momenti lucernæ diuinitatis, quæ est principium luminis, & est vnica, & trina: & quæ non occidunt luminaria totius orbis terræ qui est sub cœlo, mystæque arcanorum, & ad futurorum introducentes mysteria.

DE ARCHANGELO RAPHAELE.

Per Simeonem Metaphrasten.

INducitur autem præclarus Raphael, quando Tobiæ excæcatos oculos artificiosè illuminauit. Hic enim Tobias fuerat abductus in prima Hebræorum captiuitate Niniuæ. Cùm autem esset pius & iustus, conueniéter legi eorum qui erant sui generis morientium in captiuitate corpora clam sepeliebat, quæ contemptui habebantur, & non sepeliebantur. Quodam autem die cùm reuersus esset ex hoc pio 5 opere, deposuissetque ligonem & bipalium, dormijt extra domum suam, propterea quòd ipse esset pollutus conuenienter legi, quæ dixit: Quicunque tetigerit mortuum, immundus erit vsque ad matutinum. Illa autem nocte calidum excrementum in eius oculos demisit passer, & statim fuit excæcatus. Nequaquam verò blasphemijs incessens, perpetuò gratias agebat Deo, qui id permiserat. Post hæc autem cùm accersiuisset Tobias filium suum, dixit ei: Ecce ego, vt vides fili, & cæcus, & senex factus sum, propter multitudinem meorum peccatorum: Age ergo mittam te ad Gabelum cognatum meum. Deposui enim apud eum ante captiuitatem aliquot auri talenta: & adfer ea ad sustentãdas meas calamitates. Sed viam, ô fili, nescis, quoniá est magna. Inueniamus autem hominem qui sciat viã, timentem Deum: & cum eo cõueniamus de iusta mercede, qui tibi sit viæ comes post Deũ: & te rursus reducat ad meos obscuratos oculos illæsum & lætũ. Cùm autẽ talis homo ab eis quęreretur, accessit ad eos diuinus Archangelus Raphaël humana specie, præse ferẽs se velle cõduci mercedula, & dicit eis: Pasciscimini mecũ vt par est, & ego ipsum conseruabo post Deũ. Rectè enim scio & locum, & cognatũ tuum Gabelũ, & eius vxorẽ, & filiã eius. Cùm ij ergo sic cõuenissent, & accepisset puerũ Angelus, qui videbatur mercede conductus, cũ plurimis votis ex senis manibus, ambulauerũt sine labore multos dies. Eos verò cõsecutus est canis quoq; à domo. Cùm autẽ venissent ad Tigrim fluuiũ, sedit puer Tobias ad lauãdos pedes: & aspexit piscẽ exilientẽ vt eũ deuoraret: & exclamauit puer. Dicit ergo ei viæ comes Angelus: Ne timeas, sed eũ teneas audacter. Id autẽ cùm factũ esset, rursus dixit ei: Disseca eũ, & cor quidẽ & iecur diligẽter serua in vase, fel verò in altero vase.

5 *Vides, sepelire mortuos esse opus pium.*

Habet enim senex quidam ad quem proficiscimur, formosam filiam habentem spiritum immundum, qui vocatur Asmodæus. Qui propter eius amorem suffocauit septem viros, qui eam desponderant. Loquar autem ego cum sene de contractu, & persuadebo ei, vt accipias filiam eius in vxorem. Suffumiga autem eam ex iecore & corde, & fugiet ab ea Asmodæus, homines occidens dæmonium, in supremas partes Ægypti, per me ligatum vinculis insolubilibus, & non repente morieris. Et reuertetur ipsa quoque nobiscum cum multis facultatibus in domum tuam. Quod etiam factum est, vt summatim dicam. Tunc puer seruauit cor, & iecur, & fel. Piscem autem comederunt. Cùm autem venissent, & alacriter accepti essent à sene Raguele, & verba mouissent de contractu, nolebat senex, timens maximè, propterea quòd ei esset propinquus genere, & ostendebat eis sepulchra septem virorum. Tandem autem persuasus cùm celebrasset nuptias, & eum aspexisset viuum, quomodo ei suggesserat eius viæ comes, Deo magnas egit gratias: & eam dedit senex vxorem Tobiæ, & dimidium bonorum suorum, & misit eos cum magno gaudio. Ipsis verò reuersis, & simul cum ea ancillis & famulis, & infinita pecunia, accepto etiam à Gabelo deposito. Cùm venissent propè domum Tobiæ, canis loco agnito præcurrens, ingressus est domum, & complexus pedes Tobiæ ei blandiebatur. Ille autem cùm ex eo cognouisset aduentum filij, surrexit properè, & iuit ei obuiam, & hic & illic offendebatur ad parietem non videns. Viæ verò comes dicit Tobiæ: Accipe fel piscis, & cùm in foribus occurreris patri tuo, priusquam ipse te amplectatur, vnge oculos eius, & statim aspiciet. Quod cùm factum esset, & protinus visum recepisset, steterunt obstupefacti Deum laudantes, propter omnia bona quæ eis fecerat. Volentibus autem ipsis magnas referre gratias viæ comiti, qui existimabatur mercenarius, & prompto & alacri animo ei dare dimidium pecuniæ quam attulerant: se eis aperuit Archangelus Domini, & dixit: Ego sum Raphael, vnus ex septem Archangelis, qui offerunt preces iustorum: & neque comedi, neque bibi, etiam si vos hoc putaretis. Domino verò perpetuò agite gratias: & semper ei confitemini, quòd magnificauit misericordiam suam super vos. Quæ cùm dixisset, statim fuit sublatus ab eorum oculis. Hoc ergo solùm dixit scriptura fecisse Raphaelem, quod fuit optimum & maximum miraculum. Dicit autem se vnum ex septem Archangelis, quoniam omnes ordines supercœlestium, & quæ intelligentia apprehenduntur, classium & cœtuum duces & principes, sicut dictum est superius. Celebremus autem nos hic quoque syncerè, vt debemus, ô sacrosancte, & à Deo collecte cœtus, lætum, & illustrem, & admirabilem diem 6 festum ordinum ductoris Michaelis, qui animas & corpora beneficio afficit: & ei offeramus dona accepta & digna: & pios ei hymnos perpetuò non cessemus psallere, vt ipse quoque moueat vehementiores intercessiones ad communem Dominum & creatorem, vt nobis det veniam, qui multiplicium peccatorum humana imbecillitate circundati sumus & miseria. Ad eum ergo clamemus, & dicamus: Benigne minister benigni Domini, qui in mysterijs initias Michaël princeps militiæ, assiduis tuis apud Regem gloriæ intercessionibus, omnes tuos laudatores & fideles tuos famulos, cùm per pœnitentiam vt meliores euadant, deduxeris: & vt sanctos decet, viuant, erudieris: illic colloca in statione iustorum. Te enim omnis cœtus Christianorum, post Deum & intemeratam eius matrem, patronum habemus maximum, & salutis defensorem. Te nostri auxilij arma validissima, & mœnia aduersus omnes hostes, tam qui in intelligentiam cadunt, quàm qui sub sensum, opponimus. Te nostræ defensionis diuinam & euidentissimam circumferimus gloriationem. Per te fideles reges assequuntur trophæa victoriæ. Per te duces exercitus Christiani populi vincunt, & dedecore afficiunt phalanges gentium infidelium. Per te omnis gratia illuminans, & prædictio, & sapientia, & virtus data est fidelibus hominibus. De cætero, vt qui habeas etiam quod potes, da etiam vicissim euentum petitionum. Protege semper & conserua vitam nostram pennis tuis Archangelicis: & nos libera ab omni nocumento. Cura affectiones eorum qui ægrotant. Fac vt in auram euanescant, & dissoluantur spiritus eorum qui probris insultant & iniurijs. Adhuc magis deprime & deijce elatum & gloriosum supercilium, & magniloquentiam peruersi & Dei hostis & hominibus infesti Satanæ: & fac vt cessent, & ociosæ reddantur improbæ eius machinationes. Depelle dæmonum insidias, quæ aduersus nos structæ sunt. Euelle quæ ab inimico sata sunt zizania in agro Ecclesiæ. Purga veri patrisfamilias & Domini sementem. Oppugna & ignominia affice, & dissolue cœtus eorum qui malè sentiunt, & sunt impij. Nos perpetuo confirma & corrobora intercessionum tuarum defensionibus, ad hoc vt citra impedimentum faciamus Dominicam & diuinam voluntatem. Vt perpetuam prouidentiam & defensionem digni habiti, qui vitam agamus in veritate & iustitia, assequamur æterna Christi bona in regno cœlorum. Gratia & misericordia Domini nostri Iesu Christi, cui gloria & potentia in secula seculorum. AMEN.

6 Celebremus lætum, illustrem, & admirabilē diem festum ordinum ductoris Michaelis.

DE VIRTVTIBVS AVGELORVM, PER D. Gregorium Turonensem.

IGitur dum in Auerno territorio commorarer, vir mihi fidelis retulit, & scio quia vera narrauit: nam euidenter cognoui gesta fuisse quæ dixit: Quòd scilicet diues quidam iussit ex annonis aqua infusis, atque decoctis messoribus poculum præparari. Hanc autem coctionem Orosius à coquendo Cœliam vocari narrauit. Quod cùm præparatum fuisset, & in vase reconditum, atque ille apud vrbem moras innecteret, vt mos seruorum est, maxima parte exhausta, exiguam reliquerunt. Ille igitur hoc nesciens, inuitare messores iubet, vt eo ab vrbe redeunte, hos segetem decidere reperiret. Quo facto, iamque operarijs in segetem collatis circiter septuaginta, aduenit dominus fundi, perscrutansque qualitatem potus, perparum reperit. Tunc pudore confusus, & sibi factum ad verecundiam reputans, vt potus deficeret operarijs, qui vt ipse arbitrabatur, super quinque modiorum mensuram ascenderat: quid ageret, quò se verteret, in ambiguo deprehendebat. Tamen inspirante Domino, conuersus ad vasculum, nomina 1 Angelorum sanctorum quæ sacræ docent lectiones, super aditum eius deuotè inuocat, orans vt virtus eorum paruitatem hanc in abundantiam conuertere dignaretur, ne operarijs deficeret, quod haurirent. Mirum dictu, tota die ab hoc extractum est, & nunquam defuit bibentibus, sed vsque quò nox finem operandi fecit, omnibus fuit in abundantia ministratum.

1 Sanctorum nomina Angelorum super vasis ostium inuocat, & statim maxima inuocationis eiusdē virtus apparuit.

DE ORTV, VITA ET OBITV SANCTORVM PATRVM, QVI IN VEteri Testamento virtutibus claruerunt, D. Isidori Episcopi Ispalensis Præfatio.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testamenti.

QVORVNDAM Sanctorum, nobilissimorumq; virorum ortus vel gesta cum genealogijs suis in hoc libello indita sunt. Dignitas quoque & mors eorum, atque sepulchra sententiali breuitate sociata. Quæ quanuis omnibus nota sint, qui per amplitudinem scripturarum percurrunt, facilius tamen ad memoriam redeunt, dum breui sermone leguntur.

VITA ADAM PROTOPLASTI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

ADAM Protoplastus, & colonus paradysi, princeps generis & delicti, ad imaginem Dei factus, vniuersitati prælatus, qui creaturis nomina dedit, atque in eis dominatus potestatem accepit. Hic namq; in delitijs fluentis paradysi constitutus inter redolentes aromatum syluas, ac vernantia florentis arui, rudis habitator nouæ vitæ gaudia peragebat. Vbi tellus fœcunda viret perpetuò. Vbi fons decurrens quadrifluo labitur amne. Sed postquam serpentis dolo lingua pollutus fœminæ, per tactum ligni loci beatitudinem prophanauit, à paradyso proiectus est, terram sentibus squalentem operarius gemens incoluit. Amissaque immortalitate, in puluerem, vnde carnis sumpserat ortum, post cursum nongentorum triginta annorum redijt. Hic iam posteritas in crimine huius parentis expulsi è paradysi gaudijs, mortis labori subacta ingemuit. Sepultus est autem in loco Arbeæ, qui locus nomen ex numero sumpsit, hoc est, quatuor, pro eo quòd tres Patriarchæ ibidem sunt sepulti, & hic quartus Adam. Hæc est Hebron metropolis vrbs Allophilorum, in qua fertur fuisse quædam habitatio Gigantium, vbi etiam & Eliu postea est vnctus in regno. Est autem ciuitas fortis Iudæ, sacerdotibus separata, distans ad Australem plagam milibus viginti duobus procul ab Hierusalem.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

VITA ABEL IVSTI, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

ABel filius Adam, & pastor ouium, in vita innocens, in morte patiens, post mortem nobilis, in martyrio primus, in obedientia summus, in sacrificijs Deo placens, in meritis fratri displicens. Quem Cain impius, & parricida nouus, ira stimulante inuidiæ, innocuum ferro nondum facto, sanguine maculatum prosternit, cùm adhuc innocens ferrum cruoris humani facinus non auderet.

Habetur libr. vt supra.

Habetur libr. vt ſupra.

VITA ENOCH, PER EVNDEM D. ISIDOR.

ENoch filius Iareth ſeptimus ab Adam, placens Deo, malorum neſcius, mortis ignarus. Qui ſceleratorum non ferens inſaniam, à pernitioſis mundi contractibus ſubtractus, meruit in eo loco transferri, vnde fuerat protoplaſtus expulſus. Sublatus eſt autem annorum trecentorum ſexagintaquinque. Manet autem hactenus in corpore, in conſummatione mundi reſtituturus cum Elia mortalis vitæ conditionem.

Habetur libr. vt ſupra.

VITA NOE, PER EVNDEM D. ISIDOR.

NOë filius Lamech, decimus ab Adam, ſecundi reparator orbis, iuſtitia inſignis, longanimis in ſpe, ſapiens in opere & iuſtus, Arcam condidit, & admonitus introiuit, nec horruit turbulentum diluuij fluctum, nec fragores ventorum, vel murmur cœli expauit. Geſtatur procellis, nec mergitur: ſerpentibus ſociatur & beſtijs, nec terretur: cui feræ colla ſubmittunt, alites famulantur: namque auem miſit, redeuntem ſuſtinuit: ſed perfidia & fraude corui decipitur. Meritò columbæ geſtantis ramum ore paciferum educitur, reſeratiſque foribus arcæ, beſtias, cunctaque animantia per 7. dies exire permittit. Ipſe poſtmodum egreſſus cum liberis Deum collaudat, electas victimas immolat. Cuius Arcam veteres ſediſſe teſtantur in Armenia ſuper montem Aratath. Hic nongenteſimo quinquageſimo ætatis ſuæ anno mortuus eſt.

Habetur libr. vt ſupra.

VITA MELCHISEDECH, PER EVNDEM D. Iſidorum Iſpalenſem Epiſcopum ſcripta.

1 Vidéſne hæretice quomodo Melchiſedech vero Deo obtulit ſacrificium, & non tãtum Abrahæ panem, vt impiè garris?

2 Melchiſedech in typo Chriſti ſacrificium de pane & vino Deo obtulit: ergo ſaluator noſter in veritate corpus & ſanguinem ſuũ ſub ſpeciebus panis & vini in nocte cœnæ æterno patri obtulit: ergo & miſſa noſtra, quæ & illius cœnæ & paſsionis in cruce peractæ commemoratio eſt, verũ eſt ſacrificium.

MElchiſedech Rex Salem, ſacerdos Dei altiſſimi, primus 1 veri oblator ſacrificij, cuius origo ſecreta. Hunc autem aiunt Hebræi Sem primogenitum Noë, tritauum Abrahæ. Ipſe eſt pater patrum, Prophetarum & Apoſtolorum origo. Ipſe eſt qui paternæ pietatis benedictione, dominus fratrum eſſe meruit. Qui verſis incedens veſtigijs, patris genitalia texit, nec deriſit ebrium vt procax reprobus filius, ſed velauit vt verecundus. Vnde accidit in lege Iudæorum, parentes à filijs nunquam videri nudatos. Hic Abrahæ reuertenti poſt victoriam benedixit, & 2 in typo Chriſti ſacrificium de frugibus terræ, primùm panem & vinum Deo hóſtiam obtulit: Quia ſacerdotium & regnum iure primogenito debebatur, antequam Aaron ſacerdotio fungeretur. Hic etiam prior omnibus poſt diluuium, vrbem Salem condidit, in qua etiam & regnauit, quæ poſtea Iebus ſiue Solyma dicta eſt, & nunc deriuatiuo vocabulo Hieroſolyma vocatur. Vixit autem annos ſexcentos, & perdurauit vſque ad ſeptuageſimum annum ætatis Iſaac. Mortuus eſt autem, & ſepultus in ciuitate ſua Hieruſalem.

VITA ABRAHAM PATRIARCHAE, PER D. Iſidorum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

ABraham pater gentium, filius Tharæ de ſtirpe Sem, natione Chaldæus, fide primus exul ſpontaneus, obediens in præceptis, credulus in promiſſis, pauper in patria, in peregrinatione locuples, in prælijs victorioſus, in victoria nō auarus. Reges quinque ſuperauit, ſpolijs exuit, captiuoſque parentes reduxit. Eò ſummus, vt Trinitatē in typo videret, & virtutem in myſterio veneraretur. Eò fidelis, vt in promiſſo germine contra ſpem naturæ, Deo crederet. Eò iuſtus atq; deuotus, vt indulgētiam vnici pignoris diuinitati non præponeret, ſed incunctanter præcepto parens, ad immolandum filium religioſus parricida gladio dexteram armaret. Qui dum diſtrinxit ferrum cōtra vnicum pignus in victimam oblatum, nec natum perdidit, & hoſtiam non amiſit: filium enim in ſacrificio obtulit, & arietem pro filio immolauit. Obijt 175. annorum, ſepultusq; eſt in agro Ephron, in ſpelunca duplici. In cuius interiori parte ſepultum ferunt Adam: in exteriori verò Abraham. Diſtat autem hic locus, vt Ioſephus docet, ſeptimo ab vrbe Hebron ſtadio, ibíque aſſerit Abraham & filium eius monumentum habere pulcherrimum, inſtructum marmore, & opere elegantiſſimo. Illic etiam & Therebinthum arborem magnam à conſtitutione mundi fuiſſe aſſerunt. Hanc Hieronymus vſq; ad Conſtantini Regis imperiū perduraſſe deſcribit. Et ipſa eſt quercus Mambræ Amorrhæi, qui fuit amicus Abrahæ. Quæ apud Gentiles in tanta extitit veneratione, vt eam muri ambitu circunſcriptam ſolenni ſacratione colerent.

Eſt ſerm. 68. D. Auguſtini inter ſermones de tempore.

1 Nō credat hæreticus ex hoc loco conuincere, quod

ITEM DE BEATO ABRAHAM, EX Diuo Auguſtino.

CRedidit Abraham Deo, & deputatum eſt illi ad iuſtitiā. Ecce 1 ſine opere iuſtificatur ex fide, & quicquid illi legali poſſet obſeruatione conferri, totum credulitas ſola donauit. Ipſe ſibi fuerat lex, qui legem nō acceperat, natura tamen quicquid legis fuerat, obſeruabat. Abraham pater noſter radicem fidei nominiſque Chriſtiani habebat, qui cùm

cùm ex proprietate genuina ad incerta atque peregrina iuberetur exire, tota deuotione compleuit: cui in re tam dura nulla dubitatio fuit, sed sententiam Dei, tanquam qui optare videretur, accepit. Exi, inquit Dominus, de terra tua, & de cognatione tua, & veni in terram quam demonstrauero tibi. Nouum probationis genus, habenti propria, exilia indicere peregrina, ingerere laborem itineris quiescenti, imperare penuriam possidenti, & tantarum facultatum domino necessitatem imponere peregrinandi. Libenter tamen fides accepit, quicquid arduum videbatur incredulis. Cui non est magis dulce proprium tugurium, quàm palatia peregrina: & voluntaria casa, quàm digesta prætoria? Leue cuiquam non est, dimittere propria, & sectari aliena incerta: dimittere quod scias, quærere quod ignoras. Quis enim propria sine dolore deseruit, aut sine lachrymis dereliquit? Cui non est durum illos conscios natalium parietes, dulcia illa limina, atque amabilem larem, quem & parentum memoria, & ipsius infantiæ rudimenta commendant: vbi cunabula illa noui & mox orientis hominis famulabantur: vbi secura alludens infantia inter lucis primordia, aut pueriles annos simplicitate fœlices, quos sibi inter lasciuos atque ipsius ætatis lusus vernaculo genuina solo necessitas exhibebat? Inter hæc ergo tam blanda, tam dulcia, quæ omni fuerant difficultate relinquenda: Exi, ait, de terra tua. Quis hoc sine fidei viribus libenter audiret? Leuius probaretur, si vel nomen loci quò perrexisset, audiret. Proficiscitur, pergit, socia scilicet credulitate, coniuge comite, it securus, it fretus, promissum sibi fidei laboribus exacturus: plus sperans de incerto, quàm fuerat securus de proprio. It ergo per desertas solitudines, per inuias sedes, per naturæ secreta, vbi hominis vestigium necdum rudis terra cognouerat: & inter illa omnia quæ Dei imperio deliquerat, non tugurium, non casam, sed inter ipsa camporum silescentium formidolosa secreta hospes tantummodo, cœli, terræque nullum suffugium quò diuerteret, inueniebat. Excepit tamen Abraham peregrinum quercus arbor humana, quæ venientem Abraham, atque æstiuo sole decoctum, amœnitatis suæ vmbraculo refoueret: cuius syluescentis nemoris comata luxuries, in æstiuum tempus diem, & vrentis solis vaporiferos radios ramorum frequentia suspendebat, vt quicquid iniuria temporis irrogabat, omne auferret & ramorum & foliorum densitas. Ingreditur ergo lucum arboris Abraham, sub qua construitur qualecunque suffugium, angustum quidem homini, sed sufficiens maiestati. Dignum tamen Deo palatium fides deuota pingebat, in quo fuisset maiestas superna pransura. Cùm ergo illic positus curiosis oculis cœlum intentaret, ecce subitò in trium virorum persona maiestas incorporea descendit. Accurrit, properat, manus supplices tendit, & transeuntium genua osculatur. Domine, ait, si inueni gratiam coram te, ne transieris puerum tuum. Videtis, Abraham tribus occurrit, & vnum adorat. Trina vnitas, & vna Trinitas. Sumatur aqua, lauentur pedes vestri, & refrigerate sub arbore ista, & afferam panem, & manducabitis, & postea transibitis in viam vestram. Et dixerunt ei: Fac vt dixisti. Seruat semper in bonis tenorem sui perfecta iustitia, offert peregrinis hospitium qui non habet tectum, & cùm sit omni domicilio viduatus, domicilium quale necessitas procurabat, exhibuit transeuntibus. Et licet illa minora fuerint quæ offerebantur, locorum angustijs magnitudinem dederat fides, quæ contemni non meruit à Deo. Diuertunt ad arboris hospitium, quod Abraham Deo iam fecerat dignum. Interea conspergitur similago, fiunt encryphiæ, mactatur & vitulus. Etsi illis diuinitas non eguit, iustitia tamé quod optabat impendit. Ecce ad humanam mensam cœlestis sublimitas recumbebat, cibus capitur, pransitatur, & contubernali colloquio inter hominem & Deum familiaria verba miscentur. Et quia apud Deum infructuosa hospitalitas esse non potuit, 2 statim pretium mercedis accepit. Datur filius seni, datur posteritas desperanti, accepit senectus, quod minimè potuit habere iuuentus. Ad hoc, inquit, tempus veniam, & erit Saræ filius. Cumque seniles anni, & emortua Saræ viscera hoc posse fieri denegarent, dedit tamen diuinæ promissioni credulitas fidem. Patrem, inquit, multarum gentium posui te. Repletus est bonis, quia quod ei promisit, impleuit. Ecce in ipso vitæ margine senectutis nondum prolatis legibus, recitatisque, asserimus Abraham quod fuerit religiosus, & qui fuerat in cultura iustior, fuerit in credulitate probatior.

fides sine operibus iustificet & sufficiat ad salutē: nā quod ea sola nō iustificet hominē ostēdit D. Iacobus, sumens eundē de quo hic loquimur, Abraham in exēplum, ita inquiēs: Vis autē scire ô homo inanis, quoniā fides sine operibus mortua est? Abraham pater noster nónne ex operibus iustificatus est, offerēs Isaac filium suū super altare? Vides quoniam fides cooperabatur operibus illius, & operibus fides cōsummata est? Intellige ergo Augustinū hic loqui de operibus legis scriptæ, sine quibus Abraham iustificatus est. Iacobū autē de operibus fidei quæ per dilectionē operatur, quæ si nō adsint, nequaquā homo ad consummatā iustificationem poterit peruenire.

2 Ecce meritū bonorum operū apud Deum, pro quibus pretium mercedis accipitur, contra nouos hæreticos, qui nullū penitus nostris operibus deberi præmium contendunt.

Ecce enim senex ille maritus, qui adhuc vnum non habebat, in vno tamen Deus innumerabiles promittebat. Ecce exhaustis visceribus dixit Deus ad Abraham: Suspice in cœlum, & numera stellas, sic erit semen tuum. Et credidit Abraham Deo, & deputatum est illi ad iustitiam. Defecerunt Saræ venire muliebria, quia iam lassa defecerant membra. Totum corpus sulcatur in rugas, fit perarata fronte, & exhausta senectute. Deficiente sanguine in venis, tritis senectus delassatur, sed diuino iudicio ætatis feruor accenditur. Meliorem facit diuina promissio matrem, quam ætas non fecerat generare. Accepit genitrix nomen, quod ei sterilitas temporis subtraxerat. Longè deficiētibus mēbris, Isaac concipitur, subitò inanes ac marcescētes venæ rediuiuo sanguine ferbuerūt, & emortua seni viscera calefacto sanguine

 vaporata,

vaporata, vsque ad partum inquilinis sunt caloribus animata. Iuuenilis ætas incaluit,& calefacto sanguine vaporauit. Fit anus fœta, fit senex grauida, crescit venter per dies singulos, & conualescente partu,tumescentis vteri capax sinus extenditur. Fit sarcina,& desideratus affectus ex visceribus lassis, onus nimium exoptata posteritas. Portabat vterũ grauem talis mater,quæ inanis ambulare vix posset. Sed quia credulitatis fuerant quæ acceperat, defecta viscera fides validior animabat. Marcidæ mammæ,quas in vacuos folles subditi succi detrimenta laxauerant, lactei fontis vbertate tenduntur. Fit mater in pectore, fit mater in partu, fit,inquam,mater,quæ auia fuerat per ætatem. Dedit fides vetustis nouos visceribus ignes. Sic Isaac credulitate pascitur, vt eorum fides in progenie enarretur in secula. AMEN.

ITEM DE SANCTO ABRAHAM, EX Diuo Zenone Episcopo Veronense.

Est sermo 5. in libro 2. sermonum eius.

ABraham, fratres dilectissimi, quale diuinæ pietatis munus acceperit, vetustæ legis gesta testantur. Sara vxor eius non inferior, vitæ longe transactis cursibus, qualem filium ediderit, partus effusione percipitur. Sed quia vtrisque ætas ademerat spem sobolis, pignus succidaneum meruerunt. Sic meruit fides, quod ademerat tempus: extorsit credulitas, quod natura denegauerat. Abraham patriarcha noster exploratus à Deo in senectute suscepit vnicum filium, nihil tamen solicitum patri, cuius ætas annis vergentibus, in occasus sui termino versabatur: & quem æducationis tempus angustum, & senectuti exitus iam vicinus fatigabat. Ecce prima deuotio, libenter excipere quod serò datur, & in tristissima senectute suscepta solicitudinis mole gaudere. Nam & ridet Sara munus iuuentutis subiens in senecta, vnde nomen accepit infans, qui post hæc Abraham sacratam Deo approbat mentem. Vnicus ille filius soliciti senis adhuc paruulus, cui pietas & miseratio maior debetur, postulatur ad victimam, cui si per humanam fragilitatem aliqua in corpore infirmitas nasceretur, aut humanus exitus contingeret, vix in eius casibus pater viuere potuisset, si annis teneris moreretur. Hic igitur infans, è cuius paternus affectus & maternus pendebat, ad explorationem fidei suæ, diuina voce postulatur ad victimam. Volo, dixit Deus, mihi fieri sacrificium Abraham tuis manibus in monte de filio tuo. Hæc mihi victima placet, hoc me sanguine deplacabis, iste meis sacris debetur. Vnde immolari iam iubeo. Non contristat frontem deuotissimus Abraham, nec dolor patri lachrymas persuasit: sed exultat, & gaudet: nec timuit ne parricidium ei imputaretur, sed magis vt deuotione parêret lætabatur, hoc iussisse Deum de filio, hostia parabatur festina. Denique implere sacrificium, ne mora faciat peccatum, necessarijs sacramentis protinus præparatur. Ascenditur in montem, omni mysterio, sacrificioque disposito, ductus filius gaudens, gaudente patre, patris dextra feriendus. Quanteququam veniret in montem, cùm de patre quæreret, vbi esset victima quam disponeret, & immolaret, securus de fide generis sui pater, filio de quo non dubitabat, patefecit, quia se Dominus postulasset, & quid ipse Domino promisisset ostendit. Lætatus est puer, patre fidele ipse quoque fidelior: nec recusabat mortem, quam Deus, qui vitam dederat, imperabat. Lætatur pater, filio quoque gaudente, & cum gaudio vnici pignoris alligat manus, quas ille vinciendas libentius offert: pedes quoque constringit, ne in exitu mortis concitata victima calcitraret. Securus enim pater optimus timuit, ne dolori aliquid liceret in mortem. O fratres, secura deuotio. O pater spiritum captans, corpus verò mortemque contemnens. O qui seruum Domini ita se esse meminerat, vt patrem se esse nesciret. Quid est pater? Ecce sub oculis iacet filius vinculis astrictus: vbi sunt lachrymæ, vbi dolor qui in humanis sensibus versari consueuit? In tantis filij casibus lætatur, & gaudet, & se Dominum promeruisse triumphat. 3 Accepit iam præmia quæ meretur: diuina etenim explorationis tentamina porriguntur. Exerit quidem ferrum, & armata dextera subleuat manum. Sed vox eius qui eam victimam postulauerat, contradicit. Respice retro, dixit Deus: & antequam respicias, parce. Ecce 4 & meritum principale, diuinam indulgentiam meruisse sub casibus. Nam retro respiciens Abraham, inuenit victimam quam innocens immolaret, eo ferro mactauit arietem, quo filium percutere iam parabat, à filio ad agnum transtulit dexteram, semper lætatus & gaudens, nec mutatus est vultus eius, cùm esset victima commutata. Cum tanta lætitia arieté obtulit, cum quanta obtulerat & filium. Vbi enim fides fuit, non erat dolor. In illo sacrificio solus Deus doluit, quia aliam victimam procurauit. Nam Abraham cum filio sic probatus adeo est, vt non postulans, misericordiam 5 mereretur. Videamus fratres dilectissimi, legis arcana, & intellectum alium proferamus. Abraham sub lege non erat, sed legem solus impleuit. Et qui nullo iure legis tenebatur, omne ius diuinum præcipuè custodiuit, cuius immolatione ille quoque gauderet, qui ad victimam parabatur. Aries hærebat in vepre, implicitus spinis, capite obligatus: hic est qui pro Isaac immolatus est Deo, hunc obtulit Abraham, hunc iussus est immolare.

3 Accepit iã præmia quæ meretur diuina, vide & hic meritum.

4 Quoties inculcat vocem meriti.

5 Meretur misericordiam: & hoc nota.

VITA

VITA SANCTI LOTH, PER D. ISIDOrum Episcopum scripta.

Habetur in lib. eius de patribus veteris testamẽti.

LOth filius Aram, cõsanguineus Abrahæ, pater Moab, & Amon, apud Chaldęos natus, homo iustus & hospitalis. In Sodomis piè casteque inter naufragam gentem conuersatus. Qui per solum hospitalitatis officium, etiam susceptor effectus est Angelorum. Sulphureum exitium euasit in vrbe Segor, quæ est iuxta mare mortuum, vbi balsamum gignitur, & copiosa poma palmarum.

VITA SANCTI ISAAC, Per eundem.

Habetur libr. vt supra.

ISaac filius Abrahæ ex promissione, in terra Chanaan genitus, semen æternum vocatur. Coniugalis vitæ castimonia clarus, promptus ad gratiam, ad ignoscendum paratus. Qui obstruentes puteos non armis, sed patientia vicit. Qui pœnitentes cum benignitate recepit: qui per timorem Dei eousquè detulit honorem patri, vt aram sponte sacrificandus ascenderet, atque in figura Christi, mortem non recusaret. Obijt centum octoginta annorum, sepultusque est iuxta patrem suum.

VITA IACOB PATRIARCHAE, Per eundem.

Habetur libr. vt supra.

IAcob filius Isaac, natus in terra Chanaan, dilectus matri, supplantator fratris, humilis quoque & simplex, & innocenter habitãs domi. Qui peregrè profectus dum consortium exigeret hominum, comitatum meruit Angelorum. Hic postquam primogeniti benedictionem præripuit, matri obediuit, & fraternæ iracundiæ patienter cessit, patriam & parentes relinquens, exul effectus seruitutem longam sustinuit, laborem famis & frigoris pertulit, seruiuit socero, vt pastor mercenarius pauit gregem, expectans non de diuisione, sed de gregibus lucrum. Hic autem cum Domino colluctatus spiritu præualuit. Hic facie ad faciem Deum vidit. Idem famis inopia pulsus, cum præclara progenie ingressus est Ægyptum: expletisque centum quadraginta septem annis, naturæ reddidit debitum.

ITEM DE SANCTO IACOB, PER D. Ambrosium Mediolanensem.

Habetur in libr. secũdo eiusdem de Iacob & vita beata. cap. 2.

1 *Vides quod beatitudo datur ex merito, cõtra nõnullorum garrulitatem.*

QVid horum quæ ad 1 meritum beatitudinis spectant, defuit sancto Iacob, qui tantum abfuit à perfidorum consortijs, vt ex eo fidelis populus nomen acceperit, Israel dictus, eò quòd Deum mentis internæ oculis intueretur, peccati abstinens, à luxuriæ omni ebrietate sobrius, vt dura laborũ absorbuerit, ocij secura neglexerit? Nónne pulchrè & verè de hoc dictum est, quòd & fructum dabit in tempore suo, de quo scriptum est: Ecce odor filii mei tanquam odor agri pleni? Erat enim perfectus in omni flore virtutum, & sacræ benedictionis atque cœlestis redolebat gratiam. Ipse est enim ager quem benedixit Dominus. In hoc agro vua illa reperitur, quæ expressa sanguinem fudit, & mundum diluit. In hoc agro est ficus illa, sub qua sancti requiescent, spiritalis gratiæ suauitate recreati. In hoc agro est oliua illa fructifera, Dominicæ fluens pacis vnguentum. In hoc agro florent malogranata, quæ plurimos fructus vno fidei munimine regunt, & quodã fouent charitatis amplexu. Hos igitur fructus redolebat Iacob, qui Deum per pericula sequebatur, & tutum se eius vbique deductione credebat. Nam licet dulcis & suauis odor sit agri, quia est odor naturæ, tamen in sancto patriarcha virtutum spirabit gratia. Quàm continens erat parcimonia, qui cibum sibi paratum non expetiuit, sed petenti sine dilatione concessit, à quo primatus benedictionis accepit. Quàm pius erga parentes, vt præferri germano seniori materno affectu mereretur, & paternæ benedictionis munere sacraretur. Quàm religiosus, vt fratrem recusaret lædere. Quàm verecundus, vt patrem timeret fallere. Quàm honorificus, vt matri quod iubebat non posset negare.

VITA IVDAE PATRIARCHAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in lib. eius de patribus veteris testam.

IVdas successionis prosapia, cui ducatus bellorum ex Israel traditur, & regnum. Qui nomen genti ex nomine suo dedit. Præpotens vt Leo in regni virtute, & clarus in splendore potentiæ. Cuius quidem imperij posteritas non cessauit, quoad vsque Christus quasi catulus leonis, ex germine eius ortus ascenderet, & ad spem gentium ex virginali procedens vtero coruscaret.

VITA RVBEN PATRIARCHAE, Per eundem.

Habetur libr. vt supra.

RVben primitiuus filius Israel, ætate fratribus maior, sed posteritatis numero minor, paternum thorum polluit, atque ordinem primogenitæ dignitatis amisit.

Habetur libr. vt supra.

VITA SIMEON PATRIARCHAE. Per eundem.

SImeon princeps Scribarum, & violatæ pudicitiæ vindex, non habet hæreditatem, sed manet in tribu Iuda particeps in possessione.

Habetur libr. vt supra.

VITA LEVI PATRIARCHAE. Per eundem.

LEui Sacerdotalis author originis, cum tribu Iuda permixtione generis iunctus, sed in Israel totus diuisus, carens propriæ sortis funiculo, & habitans in vniuersis sceptris fratrum.

Habetur libr. vt supra.

VITA ZABVLON PATRIARCHÆ. Per eundem.

ZAbulon possessor Maris magni, & littorum, ac dominans cunctis vrbibus Sydonum.

Habetur libr. vt supra.

VITA ISACHAR PATRIARCHÆ. Per eundem.

ISachar studiosus in laboribus terræ, possidens Galilæam, & benedictionis fructus donans, porrigit Regibus.

Habetur libr. vt supra.

VITA DAN PATRIARCHÆ. Per eundem.

DAN, cuius ex germine Sampson ortus est, sceptrum tenens in Israel, fortis Nazaræus, & triumphator in hostibus, obsidens in more serpentis Philistinorum semitas, & equitatum eorum, vt Regulus, spiritu oris sui depopulans.

Habetur libr. vt supra.

VITA GAD PATRIARCHÆ. Per eundem.

GAD in præcinctis præliatur expeditus pro filijs Israel trans Iordanem relictis, aduersum gentes pro hospitibus dimicat, & forti brachio ipse victor triumphat.

Habetur libr. vt supra.

VITA ASER PATRIARCHAE. Per eundem.

Aser diuitijs insignis, repletus delitijs principum.

Hebetur libr. vt supra.

VITA NEPTALIN PATRIARCHAE. Per eundem.

NEptalin pinguedine terræ vberrimus, doctrinæ legis abundans.

Habetur libr. vt supra.

VITA PATRIARCHAE IOSEPH. Per eundem.

IOseph princeps Ægypti, filius Iacob, ex Rachel ortus in terra Chanaan, benedictus in primogenito ab Israel, & accipiens primatum Ruben, dilectus patri, & solus præ cæteris hæres paternæ possessionis. Hic zelo sublatus à fratribus in lacum mittitur, ab his inuidia venditur, factus humilis vsque ad seruitutem, patiens vsque ad carcerem, pudicus vsque ad passionem. Fit deinde somniorum interpretator sapiens, in consilio prudens, in regno particeps, in fœcunditate ordinatus, prouidus in fame dispensator, iustus ad reddenda bona pro malis, & ad retributionem gratiæ promptus, dum iniuriam fratribus elatus non rependit, sed famis depulsa necessitate benignus indulget. Principatur in Ægypto annis octoginta: exactisque ætatis centum decem in longissima quiete diem vltimum clausit, sepultusque est in Ægypto. Cuius ossa transtulerunt filij Israel in Sichem, in ciuitatem patris sui Iacob, quæ nunc tam Latinè quàm Græcè Sichima vocatur. Ipsa est autem, quæ nunc appellatur Neapolis, vrbs Samaritanorum: vbi & sepulchrum eius vsque in hodiernum diem cernitur.

Ex libro 1. D. Zenonis, Serm. 7.

ITEM DE BEATO IOSEPH, EX D. ZENONE Episcopo Veronense.

IOseph Hebræus adolescens, clarus genere, clarior pulchritudine, morum quoque clarissimus probitate: fuit inter filios Iacob ætate minor, sed spiritu maior. Hic inuidiæ germanitatis impulsu in Ægyptum est delatus, atque distractus à fratribus. Quem domini sui vxor peius amare cœperat, quàm oderant fratres. Nam cum medullitus mulier ardoris insani conflagraret incendio in suadelam sacrilegam argumentis vehementer armata, captat solitudinem: secretum captat & locum: in quali etiam non irritata adolescentia inuitis fœminis sæpe violentia esse consueuit. At vbi in destinata prorumpens, neque blandimenta, neque promissa sibimet prodesse cognoscit, conserta manu, inuersa vice, adorta est, in suum fomitem, adolescentis ignem totis viribus deriuare. At ille in repugnatione vestem sibi violenter extortam relinquēs, ex impudicitiæ fouea nudus aufugit, sed pudicitiæ splendore vestitus: post calumniosam damnationem & liberatus à Deo est, & honoratus. Denique rex iure secundus factus est regni, qui insignis rex erat antè pudoris.

ADHVC

ADHVC DE S. IOSEPH, EX D. AMBROSIO.

Habetur in libr. eiusdē de Ioseph Patriarcha, ca. 1.

SAnctorum vita cæteris norma viuendi est, ideoque digestam plenius accepimus seriem scripturarum, vt dum Abraham, Isaac, & Iacob, cæterosque iustos legendo cognoscimus, velut quendam nobis innocentiæ tramitem virtute eorum reseratum imitantibus vestigijs prosequamur. De quibus mihi cùm frequens tractatus fuerit, hodie S. Ioseph historia occurrit: in quo cùm plurima fuerint genera virtutum, præcipuè insigne effulsit castimoniæ. Iustum est igitur, vt cùm in Abraham didiceritis impigram fidei deuotionem: in Isaac syncerae mentis puritatem: in Iacob singularem animi, laborumque patientiam, ex illa generalitate virtutum in ipsas species disciplinarum intendatis animum. Nam licet illa sint diffusiora, tamen ista expressiora sunt, eoque facilius mentem penetrant, quò magis circumscripta ac determinata sunt. Sit igitur nobis præpositus S. Ioseph, tanquam speculum castitatis. In eius enim moribus, in eius actibus lucet pudicitia, & quidem splendet castimoniæ comes, nitor gratiæ. Vnde etiam à parentibus plus quàm cæteri filij diligebatur. Sed ea res inuidiæ fuit, quod silentio prætereundum non fuit. Hinc enim argumentum totius historiæ processit, simul vt cognoscamus perfectum virum non mouendum vlciscendæ dolore inuidiæ, nec malorum rependere vicem. Vnde & Dauid ait: Si reddidi retribuentibus mihi mala. Quid autem esset quòd præferri Ioseph mereretur cæteris, si aut lædentes læsisset, aut diligentes dilexisset? hoc enim plerique faciunt. Sed illud mirabile, si diligas inimicum tuum, quod Saluator docet. Iure ergo mirandus, qui hoc fecit ante Euangelium, vt læsus parceret, appetitus ignosceret, venditus non referret iniuriam, sed gratiam pro contumelia solueret, quod post Euangelium omnes didicimus, & seruare 2 non possumus. Discamus ergo & sanctorum inuidiam, vt imitemur patientiam: & cognoscamus illos non naturæ præstantioris fuisse, sed obseruationis: nec vitia nescisse, sed emendasse. Quod si inuidia etiam sanctos adussit, quanto magis cauendum est ne inflammet peccatores?

2 Quod hic dicit Ambros. nō posse nos seruare post Euāgelium, quod omnes didicimus, non intelligas, eo quod præcepta Euangelica sint impoßibilia, vt dixere nonnulli, sed communi modo loquendi: non possumus, dixit, pro nolumus. Sicut & Marcus Euangelista dixit Dominum Iesum non potuisse facere vllam virtutem apud suos. Quemadmodum enim omnia poterat Dominus, quia Deus & homo: sic & nos Dei gratia adiuuante, omnia præcepta seruare valemus, iuxta Apostoli sententiam: Omnia possum in eo qui me confortat. Anathema siquidem est, qui dicit Deum impoßibilia præcepisse. Eundem loquendi modum habes Ioan. 12. vbi dicitur: Propterea non poterāt credere, id est, nolebant, vt Augustinus & Cyrillus exponunt.

ALOYSIVS LIPOMANVS
Episcopus Veronensis optimo
LECTORI.

NON potui dimittere, quin & hanc vitam ab Ephrem Diaconorum omnium eruditißimo & probatißimo compositam, hoc loco insererem. Etenim tanta dicendi facundia, tanta pietatis dulcedine fluit, vt cuiuslibet legentis pectus emolliat, audientisq́, ex oculis, velit, nolitve, lachrymas excutiat. Discis & hîc quantum valeat pura in Deum confidentia, quæ tamen non inanis sit ac temeraria, sed innocentis vitæ iuncta probitati, & virtutis splendore decorata: non enim in se sperantes derelinquit Dominus, sint licet vinculis ferreis constricti, aut medijs in fluctibus periclitentur, vel in caminum ignis ardentis proijciantur. Ecce quomodo & ab inuidorum fratrum manibus, & à pessimæ mulieris insidijs, longe deteriore malo, nec non à carceris squalore & pedore iustus eripitur, & AEgypti secundus à Rege dominus constitutus. Disce & tu cum honestate vitam ducere, & in Domino confidere, nec timere quid faciat tibi homo. Habes ex hac vita ad sacrosanctam Genesis historiam seu compendiosum commentariolum. Nam & quæ ibi diuinus scriptor reticuerat, hîc non omittuntur: nēpe quomodo beatus adolescens in via Hippodromi captiuus transiens super matris Rachelis tumulum amarißimè fleuit. Quomodo ex integritate tunicæ allatæ sanctus senex Iacob maturius rem considerans, non esse à fera pessima probum adolescentem deuoratum, sed insidiosè ab alijs interemptum argumentabatur. Quomodo & improba mulier peccatum suum, & insidias quas castißimo Ioseph tetenderat, necessitate simul ac veritate cogente, viro suo fateri coacta sit. Denique & quomodo furtum scyphi argentei fratres Beniamin imputabant, eò quod Rachelis esset filius, quæ aliàs patris sui idola furata fuerat. Sed & quod paulò obscurius ibidem dicitur, hîc apertius exprimitur: quomodo videlicet in scypho argenteo Ioseph sanctus

augurari

augurari dicebatur, per fictionem tamen, cùm ea impietas minimè iustum virum deceat. Cumprimis ergo cura & tu, charissime Lector, & quisquis hæc audis, huic sanctissimo viro assimulari, & peccato vsque ad carcerem, vsque ad sanguinem, vsque ad animæ efflationem resistere. Ita enim continget tibi eidem in æterna beatitudine sociari. Nam qui opera exercere solicitè nititur, iustorum etiam præmia assequi meretur. Quod tibi, mihiq́, & omnibus concedat idem benignissimus Deus, qui solus vires & robur præstat omnibus, qui eius fulti gratia, egregiè contra vitia decertare proponunt. VALE.

SERMO DIVI EPHRAEM DIACONI ECCLESIAE Edissenæ, De laudibus sancti Ioseph Patriarchæ, Ambrosio Camaldulensi Interprete.

DEVS Abraham, Deus Isaac, Deus Iacob, Deus magne atque admirabilis, qui etiam elegisti semen sanctorum seruorum tuorum diligentium te: largire clementissime, vt fluant in me gratiæ tuæ fluenta largissima, quò dignè valeam præclarum ac maximum præbere spectaculum pulcherrimi atque castissimi Ioseph, qui semper baculus fuit, cui inniteretur Patriarchæ Iacob profunda & veneranda senectus. Hic enim profectò, hic sanctus puer à prima statim ætate: & primum, quo ad nos ex virgine prodijt, & secundum quo summo pauore concutiet omnia, Christi signauit aduentum. Itaque charissimi mei à Christo dilecti fratres, constantes & alacres animo simus, vt honestissimi pueri facta tam grandia suspensis mentibus suspicere atque audire possimus. Equidem fratres mei, hunc adolescentulum non modò honestissimum dixerim, sed omni dignissimum admiratione, pudicitiæ fontem, victoremque libidinum, ac trophæum mirabile de hoste referentem. Vnde & futuri illius Saluatoris aduẽtus figura præcessit. Quisque igitur abijciat ex animo omnem terrenarum rerũ curam, & cum desiderio suscipiat dulcia carmina. Sunt enim spiritalia cantica, quæ lætificant animam. Sicut enim Dominus noster de sinu patris, vt nos omnes redimeret, missus est: ita & puer Ioseph à patre directus est vt suos reuiseret fratres. Et quemadmodum illi, simulatque inspexerunt appropinquantẽ Ioseph, cœperunt aduersus eum cogitare nequitiam, & quidẽ cùm illis pacem à patre perferret: Ita & Iudæi duro semper corde, mox vt Saluatorem viderunt, dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eum, & nostra erũt omnia. Et sicut fratres Ioseph dicebant: Occidamus eum, & euademus somnia ipsius: Ita & Iudæi: Venite (inquiunt) occidamus eum, & obtineamus ipsius hæreditatem. Ioseph fratres comedentes vendiderunt, quem proposito & voluntate necauerunt: eodem modo Iudæi execrabiles, Pascha manducantes, Saluatorem occiderunt. Descensus in Ægyptum Ioseph, Saluatoris signat ad nostra descensum. Sicut autem Ioseph intra thalamum inclusus, omnem peccati vim magno vigore calcauit, atque aduersus Ægyptiam dominam suam coronas victoriæ clarissimas retulit: ita & Dominus ac Saluator animarum nostrarum ad inferni claustra descendens, dextera sua omnẽ illic atrocissimæ mortis, & eatenus inuicti tyranni potentiam strauit atque destruxit. Quoniam verò peccatum superauerat Ioseph, in carcerem seruandus includitur, donec tempus coronæ percipiendæ veniret: ita & Dominus, vt peccata mundi omnia tolleret, in monumento reponitur. Ioseph biennij tempus egit in carcere, magna ibi cum requie ac libertate versatus: & Dominus noster triduum in inferno permansit, vt potens, & corruptione intactus. Iussu Pharaonis Ioseph placidè ex carcere, vt verissimus Christi typus, educitur, ac somniorum fidelis interpres, futuram frugum vbertatem facile signat: at verò Dominus noster ex mortuis propria virtute surrexit, inferni spolijs captis, reconciliationem nostram patri offerens suo, resurrectionemque prædicans & æternam vitam. Ioseph accepta super omnem AEgyptum potestate, in curru Pharaonis sedit: Rex autem noster ante secula, atque Saluator ascendẽs in nube lucida in cœlũ, ad dexteram patris cum gloria sedet, vtpote vnigenitus filius. Cùm verò in AEgypto regnaret Ioseph, accepta contra inimicos suos potestate, adducuntur sponte illius fratres ante eius solium, quem addixerant neci, ingrediunturque cum metu ac tremore, vt adorẽt in conspectu eius, qui ab illis in mortem venditus fuerat, & cum timore procidunt coram Ioseph, quem super se regnare noluerant. Agnitis verò ille fratribus suis, vno verbo ostendit homicidas. Quod illi audientes, attoniti, & pauore perterriti steterunt obtutibus humi depressis, confusione pleni, & loqui minimè audentes, neque omnino quicquã habẽtes quod in excusationem sui sceleris adferre possent, recognoscẽtesque apertè peccatũ suum. Putarãt infelices qua illũ hora vendiderãt, eum esse iam mortuũ, dũ repentè is qui fuerat ab eis perẽptus, magna fretus potestate, super illos regnare deprehensus est. Ita & in die illa terribili cùm venerit

Dominus

Dominus in nubibus aëris, sedebit super sedem regni sui, adducenturq́; vincti coram illo ab Angelis terribilibus omnes inimici eius, qui eũ super se regnare noluerũt. Arbitrati enim tunc sunt impij Iudæi, illũ, si crucifixus esset, quasi hominem esse moriturum, nõ intelligentes miseri, Deum illũ esse, qui vt saluaret animas nostras, aduenerat. Ac sicuti Ioseph dicebat palam fratribus suis, terrens eos, ac pudore suffundens: Ego sum Ioseph quẽ vos vendidistis, ecce nunc regno etiam nolentibus vobis: Ita & Dominus crucem ostendet lucentem ipsis crucifixoribus suis, recognoscentq́; ipsam crucem, & filiũ Dei à se crucifixũ. Vidistis vt Ioseph in carne figura certa fuerit Domini sui? Quoniam verò à puero effloruit ipsius virtus, age hinc iam initium sumentes, ipsius gesta enarrare pergamus. Hic nẽpe beatissimus, decem & septem annorum tempus in domo patris gratia sublimis virtutis enituit, proficiẽs quotidie in timore Dei, in honestate propositi, & honore parentum. Cùm verò in fratribus suis deprehẽderet iniquitatem, modicè illam annunciauit patri. Re enim vera virtus semper ab iniquitate dissentit, neque illi congruere potest. Huius rei gratia illum oderãt fratres, quòd ab eorum scelere alienus esset, virtutique puer operam daret. Habens autem habitantem in se Deum sanctum, cernebat in somnis, quæ sibi ex dispositione summi Dei euentura erãt. At pater Iacob cùm ignoraret fratrum odium clandestinum aduersum Ioseph, simplici animo diligebat Ioseph, virtutum flore ab ipsa prima ætate vernantẽ. Pascentibus autem illis oues in Sichem, contigit Ioseph esse cum patre domi. Pater autem Iacob absentium filiorum affectu patrio curam gerebat. Dixit ergo ad Ioseph dilectissimum filium suum: Veni fili, perge ad fratres tuos, & diligenter addisce, an rectè valeant ipsi greges, citoq́; rediens renuncia mihi. Accepto patris mandato, Ioseph pergebat gaudens ad fratres suos, deferens pacem ex persona patris, nullaq́; eum de illis mordebat suspitio. Profectus igitur oberrabat in solitudine, fratribus suis, eorumque pastoribus minimè inuentis. Cùm verò mœrens ac tristis incederet, occurrit illi homo, viamque monstrauit, quæ ducebat ad fratres. Vbi autem eos procul aspexit Ioseph, lætior aduolat, amplecti omnes nimio amore desiderans. Illi autem postquàm eum appropinquare viderunt, quasi feroces bestiæ, de occidendo eũ tractare cœperunt. Ibat igitur Ioseph, velut innocens agnus manibus atrocium luporum discerpendus. At vbi ad eos peruenit, placidè illos ac blandè salutauit, vt sese haberent ex persona patris interrogans. Verùm illi insurgentes continuò, tunica illum, qua indutus erat, exuerunt, & singuli stridebant dentibus in eum, viuum absorbere cupientes, trucesque, & immites, vt odio suo satisfacerent, honestum illum ac sanctum puerum varia cæde affligebant. Cernens autem Ioseph seipsum tot malis expositum (nullus enim prorsus erat qui misereretur) ad preces se & lachrymas, gemitusque conuertit: & extollens vocem, obsecrabat eos, dicens: Vt quid fratres mei ita irascimini? Deprecor vos omnes, sustinete modicum, dum loquar: Mater mea defuncta est, & pater Iacob eam nunc vsque quotidie luget, & vultis luctũ alium ferre patri nostro, priore adhuc vigente, & necdum sedato? Obsecro vos omnes, ne me à Iacob patre nostro separetis: ne descendat senectus eius cum mœrore ad infernum. Adiuro vos per Deum Abraham, Isaac, & Iacob, qui ab initio vocauit Abraham, & dixit ei: Exi de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram bonam, quam ego ostendam tibi, & multiplicabo semen tuũ sicut stellas cœli, & sicut arenam maris, quæ est innumerabilis: per Deum excelsum, qui dedit Abrahæ tolerantiam promptè offerendi in sacrificium filium suum vnigenitum Isaac, vt reputaretur ipsi Abrahæ in gloriam: per Deum qui eruit Isaac de morte, dans pro illo arietẽ in holocaustum acceptabilẽ: per Deum sanctum qui dedit benedictionẽ Iacob ex ore patris sui Isaac: per Deum qui descendit cum Iacob in Charran in Mesopotamiã, vnde exierat Abraham: per Deum qui liberauit Iacob ex omni angustia, & dixit se daturum ei benedictionẽ: ne quæso destituar patre Iacob, ne ita me lugeat, sicut luxit Rachel, neque rursus contenebrẽtur oculi eius qui horis singulis operitur reditum meum, & ingredi ad se expectat. Remittite me ad Iacob patrem meum. Nolite obsecro spernere lachrymas meas, sed patri me restituite. Hæc illo per Deum patrum adiurante, feræ illæ beluæ continuò in lacum eum iniecerunt, neque Deum metuentes, neque eius adiuratione ad reuerentiam moti: & quidem cùm ille singulorum vestigia stringeret manibus, & fratrum pedes rigaret affatim lachrymis, clamãs, ac dicens: Fratres mei, miseremini mei. Iniecto autem Ioseph in lacum solitudinis, amarissimis lachrymis, miserabilibusq́; lamentis atq́; gemitibus seipsum vnà & Iacob patrẽ deflebat, lachrymansq́; & trahẽs ex alto corde longa suspiria, dicebat: Inspice pater Iacob, quæ filio tuo contigère. Ecce enim in lacũ missus sum veluti mortuus. En ipse præstolaris meũ ad te reditũ, pater: & ego nunc in lacu iaceo tanquã homicida. Dixisti mihi pater: Perge ad visitãdos fratres tuos cum pastoribus, & ad me cum celeritate reuertere. Sed ecce isti velut immanissimi lupi effecti sunt, & me abs te separàrunt, honestissime atque amabilis pater. Non iam aspicis faciem meam, neque vocem audis, neque vltra super me innititur tua sancta & venerãda senectus.

Non iam ego viciſſim intueor ſacram dulcemque caniciem tuam, quoniam ſepulto mortuo melior non eſt conditio mea. Defle, pater, filium tuum, & te filius viciſſim deploret, quia ita à puero ſeparatus ſum à facie tua. Quis dabit mihi loquentem columbam, vt profecta hinc annunciet ſenectuti tuæ gemitum meum? Defecerunt, dulcis pater, & lachrymæ, gemitus, voxque ipſa penitus elanguit, nec eſt qui adiuuet. O terra, ô terra, quæ clamaſti ad Deum ſanctum pro Abel iuſto iniuſtè perempto, ſicut tradiderunt nobis aui, ac parentes, quòd ſcilicet terra clamauerit propter ſanguinem iuſti, ipſa nunc quoque clama ad Iacob patrem meum, apertè illi indicans, quæ mihi à fratribus acciderunt. Vt autem iniecerunt Ioſeph in lacum funeſti illi, ſederunt vt comederent ouantes, ac biberent: ac veluti exultant victores fugatis hoſtibus, & capta præda, ita illi nimio cum gaudio diſcubuêre. Cùm verò læti atque geſtientes manducarent ac biberent, leuantes oculos viderunt negotiatores Iſmaëlitas venientes, qui pergebant in Ægyptum, camelos ducentes, qui aromata ferrent, dixeruntque ad inuicem: Multò nobis melius eſt venundare Ioſeph peregrinis negotiatoribus iſtis, vt profectus hinc in aliena regione moriatur, ne ſit manus noſtra ſuper fratrem noſtrum. Eduxeruntque de lacu Ioſeph fratrem ſuum, tanquam feræ beluæ, acceptoque pretio vendiderunt mercatoribus, non patris ſui merores conſiderantes, cui curam ingentem, angoremque inijciebant. Illis verò iter agentibus, contigit vt deuenirent in locum Hippodromi, vbi ſepulta eſt Rachel. Illic enim defuncta erat, cùm rediret Iacob de Meſopotamia. Vbi autem vidit Ioſeph ſepulchrum Rachel matris ſuæ, accurrens cecidit ſupra monumentum, extollensque vocem ſuam ingemuit lachrymans, & clamauit in amaritudine animæ ſuæ, dicens: Rachel, Rachel mater mea, exurge, & inſpice Ioſeph filium tuum, quem dilexiſti, ac vide quid illi contigit. En ipſe captiuus in Ægyptum abducitur, traditus quaſi maleficus in alienorum manus. Fratres mei omnino nudatum vendiderunt in ſeruum, & pater Iacob ignorat quomodo proditus ſum. Aperi mihi mater mea, & ſuſcipe me in ſepulchro tuo. Fiat tumulus tuus, vnus mihi ac tibi lectulus. Suſcipe mater, filium tuum, ne violenta pereat nece. Accipe me mater, qui ſubitò Iacob patre deſtitutus ſum, ſicuti & tuo mater contubernio à puero priuatus ſum. Audi mater dulcis, gemitum cordis mei, grauémque eiulatum, & me in monumento tuo ſuſcipe. Non enim iam ſuſtinent oculi mei lachrymarum imbres, neque anima mea gemitibus ſufficit. Rachel, Rachel, non audis vocem Ioſeph filij tui? En vi abducor, & me ſuſcipere non vis? Iacob vocaui, nec audiuit vocem meam. Ecce rurſus & te voco, & ne tu quidem audis me. Hîc, hîc, ſupra tuum tumulum moriar, ne in alienam regionem quaſi malefactor aliquis ducar. Vbi verò omnes ſimul aſpexerunt Iſmaëlitæ, qui emerant Ioſeph, illum ita cucurriſſe, ac ſuper tumulum Rachel matris ſuæ in faciem corruiſſe, dixerũt ad inuicem: Adoleſcens iſte præſtigias artis magicæ in nos exercere vult, vt manus noſtras poſſit effugere, nobiſque ignorantibus euaneſcere. Comprehendamus eum igitur, & fortibus nexibus conſtringamus, ne nobis magijs ſuis auferat vitum. Accedentes itaque ad illum, frementéſque dixerunt: Surge iam, atque magicam exercere deſiſte, ne te ſupra tumulum hunc percutientes, auri, quod pro te dedimus, iacturam patiamur. Poſtquam verò ſurrexit, viderunt omnes illius faciem, lachrymis ac gemitibus nimijs adultam, cœperuntque ſinguli modeſtè illum rogare, dicentes: Cur fles? Quid lachrymis manas? Magno enim mœrore detineris, ex quo ſepulchrũ iſtud vidiſti, cùm eſſes in huius Hippodromi via. Itaque abiecto metu confidenter nobis eloquere, quod ſit opus tuum, cur item venditus ſis. Paſtores enim illi, cùm te venderent, nobis ita dixerunt: Cautè illum obſeruate, ne forte in via diffugiat à vobis: inſontes ſumus nos, ecce enim prædiximus vobis. Itaque diligenter expone cuiuſnam ſis ſeruus, paſtorúmne illorum, an liberi alicuius, cauſamque edicito, cur ita flebiliter, tantoque cum affectu ac ſtudio ſupra tumulum iſtum cecidiſti. Nos nempe te emimus, dominique tui ſumus: vt ſeruus igitur noſter tua omnia nobis ediſſere. Nam cui ea magis pandere debes? Noſtri iuris cùm ſis, effugere vis, negligentibus nobis, vt paſtores illi prædixerũt? Verum dic nobis apertè oramus quiſnam ſis, quod ſit opus tuum, bonoque eſto animo: videris enim liber. Non te vtemur vt ſeruo, ſed tanquam fratre, aut chariſſimo filio. Namque cernimus in te maximam libertatem, atque in ſtatu honeſto ingentem diſciplinã, dignúſque profectò es etiam Regi aſtare, & cum magnatibus honorari, ô iuuenis. Quippe hic decor tuus te & nunc honeſtiſſimum reddit, & paulò pòſt liberum, ac tui iuris faciet eſſe, eriſque noſter amicus, & imprimis familiaris in terra, ad quam te ducimus, vt lęteris & gaudeas. Quis enim huiuſmodi non cupiat puerum, oculorum ſpecie inſignẽ, & ingenuitate, ſapientiáq; præſtantem? Reſpondens autẽ Ioſeph inter ſuſpiria & gemitus dixit eis: Neque ſeruus vnquã fui, neque fur, neque magus, nec vllo quidem ſcelere meo in manibus veſtris vænũdatus ſum, ſed filius vnicè dilectus patri meo fui. Porrò paſtores illi, fratres mei ſunt, miſitq; me pater videre eos, vt ſeſe haberent: quippe indulgentiſſimus pater illorum cura macerabatur. Aliquantò enim diutius illic inter mõtes morati erant,

erant, cuius rei gratia me ad videndum illos miserat pater. At illi zelo magno, inuidiaque contra me concitati, me vobis in seruum vendiderunt, auulsum à finibus & visceribus patris, minimè ferentes tanta in me paternæ dilectionis indicia. Sepulchrum verò istud matris meæ est. Nam cùm ex Charran migraret pater meus, vt abiret in locum vbi nunc habitat, hinc transitum habuit, atque in eo itinere mortua est mater mea, & in hoc tumulo, quem cernitis, sepulta. Ista cùm illi audissent, lachrymati sunt, vicem illius miserantes, dixeruntque ei: Noli timere, adolescens, ad summum enim honoris prouehendus modò proficisceris Ægyptum ingrediens: nempe enim effigies tua tuæ ingenuitatis index est: imò nunc meliore esto animo, fratrum insidijs atque inuidia liber, qui te vendiderunt nobis. At verò fratres Ioseph, vbi eum vendiderunt, allato hirco, ac mactato, tunicam eius fœdantes sanguine, miserunt patri, dicentes: Hanc in montibus iacentē inuenimus, ac continuò cognouimus, Ioseph fratris nostri esse vestē, omnesque in mœrore sumus illius gratia. Quamobrē hanc ad te mittimus tunicā Ioseph variam, pater, cùm fratrem nostrum minimè inueniremus. Agnosce igitur & ipse, si filij tui est: omnibus quippe visum est hanc esse Ioseph. Cùm vidisset autem Iacob tunicam Ioseph, amaro cum gemitu & eiulatu exclamauit, dicens: Tunica Ioseph filij mei est, fera pessima deuorauit filium meum: amaroque animo inter luctus & intolerabiles gemitus dicebat: Cur ego pro te fili magis deuoratus nō sum? Vt quid mihi non continuò occurrit belua, vt satiata carnibus meis, te fili dulcissime reliquisset illæsum? Quare me magis non discerpsit, & dilaniauit, cibusque illi factus non sum miser? Væ mihi, væ mihi, dirumpuntur viscera mea propter Ioseph. Deficite plorantes oculi mei, & caliginem obducite semper. Ecce enim tunica me in altum impellit gemitum, fili: est enim integra. Itaque non te fera, puto, deuorauit, dulcis fili, sed humanis profectò manibus & exutus, & occisus es. Nam si, vt fratres tui aiunt, consumptus à bestia fuisses, tunica vtique tua per partes discissa esset. Neque enim fera prius exuere sustinuisset, ac tunc demum exatiari carnibus tuis, fili. Rursum si prius exuisset, ac demum deuorasset, tunica tua sanguine infecta non esset. Non scissuræ vnguium in tunica, non dentium sunt vlla vestigia. Vnde igitur sanguis? Si autem fera, quæ comedit Ioseph, ita sola fuit, quo pacto hæc omnia perpetrare potuit? Hic igitur mihi deserto ac destituto luctus, hic gemitus est: Ioseph lugeo, & tunicam defleo. Duo hi luctus, duo gemitus, acerbissimique ploratus Ioseph, atq; tunicæ. Quomodo enim ille exutus est? Moriar ecce, Ioseph fili mi, mea lux, meumque firmamentum, & tunica mecum descendet in infernum. Nolo enim iam solis radios absq; te cernere fili mi Ioseph. Deficiat anima mea cum anima tua, Ioseph lux mea. Interea Ismaëlitæ sumentes Ioseph, magno studio illum in Aegyptum deduxerunt, existimantes ob eximiam adolescentis formam pecunias plurimas à quouis ex principibus sibi conferendas. Ipsis autem per medium ciuitatis prætereuntibus, ecce Phutiphar illis continuò occurrit, intuitusq; Ioseph, percontatus est eos dicens: Dicite negociatores, vnde est hic adolescēs? Non enim vobis similis est: omnes namque vos Ismaëlitæ estis, hic autem formæ honestate præcellit. Qui responderunt: Nobilissimus omnino, plenusq; prudentiæ est. Dato igitur pretio, quantum illi postulauerant, summo affectu emit ab eis Ioseph, & cùm introduxisset domum, inuestigabat quænam fuisset eius æducatio. At verò ille à sancto semine iusti Abraham, Isaac, & Iacob nihil degenerās, proficiebat virtute, magnaq; constantia in domo domini sui, ac de die in diem pudicitiæ virtutem aspectu ac verbo magis magisq; tuebatur, habēs ante oculos iugiter Deum sanctum cuncta supernè inspectantem, Deum patrum suorum, qui illum ex lacu & morte, atq; ex fratrum eripuerat scelere. Verùm ipsius cor iugiter contristabatur, ac mœrebat pro sancto patre suo Iacob. Animaduertens autē dominus eius constantiam iuuenis, atque grauitatem, summamque disciplinam & gratitudinem, omnia quæ possidebat, Ioseph pulcherrimo, tanquam charissimo filio, tradidit gubernanda: neque quicquam aliud nouerat dominus, nisi panem solummodo quo vescebatur. Sciebat enim Ioseph esse fidelissimū, expertúsque erat rem suam, ac omnem substantiam sub manibus illius in dies augeri. Porrò domina ipsius cùm vidisset Ioseph singulari pulchritudine præditum, vulnerata est acri amoris iaculo vesaniáque diaboli, & vehementi cupidine dormire cum illo cupiebat, honestissimúmq; adolescentem ac pudicitiæ fontem in foueam turpitudinis ardebat impellere, innumeras artes, variósque ornatus excogitans, ac nullis omninò sumptibus parcens. Nam horis singulis mutabat amictum, faciémq; stibio, ac fucis varijs pingens, & crinibus aurum inserens, atque impudicis nutibus subridens, castissimos tentabat iuuenis oculos. Putabat nimirum infœlix hisce illecebris sancti animū facilè illaqueari posse. At verò Ioseph timore Dei vndiq; septus, ne simplici quidem aspectu in illam intuebatur. Postquā verò illa animaduertit artes suas, & ornatus insignes nihil iusto præualere, maiore flagrabat cupiditatis ardore, ac sollicitudine anxia quid ageret ignorabat. Cogitabat procacibus verbis illū ad ignominiæ opus hortari, obseruans tempus, quo illi, velut aspis insaniens, impudicitiæ virus infunderet,

impudentíque facie dicebat ad Ioseph: Dormi mecum, nihil omnino formidans. Audacter mecum congredere, vt & ego specie tua affatim fruar, & tu vicissim mea satieris pulchritudine. Cubilia multa nobis ad hoc opitulantur. Habes tu liberam totius domus potestatem: nullus omnino ingredi præsumet ad nos, neque nostrum impedire secretum. Itaque accede ad me, mecumque imple desiderium, valde enim vror concupiscentia tui. Ad hæc lapis ille adamantinus, & animo, & corpore inuiolabilis perstitit, atque in tanta procella immobilis mansit. Cæterùm timore Dei cuncta repellens ignea libidinis iacula, decora, congruáque sibi honestate à se illam diuinis verbis arcebat, ita illi dicens: O mulier, istud quidem scelus implere minimè conuenit tecum, quæ domina mea es, Deum enim quidem timeo. Ecce autem & dominus meus omnia tradidit mihi, quæ sibi & domi, & foris sunt, neque est aliud, quod sub manu mea non sit, præter te. Quàm igitur iniquum esset tantam vim dilectionis talis domini prodere, qui me ita dilexit? Quomodo possum coram Deo, qui scrutatur corda & renes, huiusmodi facinus exequi? Hæc sancta verba dicebat Ioseph horis singulis ad dominam suam, corripiens, admonens, increpans, culpans. Verùm nihil diuinum mulieris auris admittebat, maioréque turpitudinis flagrabat ardore, & insita magis vrebatur obscœnitate libidinis, obseruabátque per momenta tempus reperire idoneum, quo castissimum iuuenem impudicè violare posset. Videns autem Ioseph mulierem adeo impudenter atque immaniter, seu feram, super se irruere, vt animum suum, corpúsque corrumpat, leuauit oculos suos ad Deum patrum suorum, assiduéque orabat altissimum, dicens ita: Deus [1] Abraham, Isaac, & Iacob, Deus magne atque terribilis, erue me ab hac fera pessima. Ecce enim ipse aspicis Domine mulieris insaniam, quomodo me in occulto occidere per flagitium cupit, vt vnà secum moriar in peccatis, & prorsus separer à Iacob patre meo. Liberasti me Domine de morte, & ab iniustis fratribus meis: libera me nunc quoque ab insaniente fera ista, ne operibus nequam alienus efficiar à patribus meis, qui vehementer ac piè dilexerunt te Domine. Atque ex alto corde trahens longa suspiria, Iacob iterum appellabat cum lachrymis, dicens: Ora pater ipse pro filio tuo Ioseph, quoniam vehemens aduersum me concitatur bellum, quod me à Deo separare possit. Istud mulieris bellum longè atrocius est, quàm quod mihi fratres mei inferre voluerunt. Illud necabat corpus, hoc separat à Deo animam. Scio equidem dulcissime mi pater, quoniam orationes tuæ pro me ad Deum sanctum ascenderunt, atque ideo ex lacu mortis ereptus sum. Et nunc rursus exora altissimum, vt me ab hac eruat fera, quæ filium tuum perdere nititur: cui neque in oculis verecundia, neque in corde timor Dei est: ne sicuti finibus tuis destitutus corporaliter sum, ita & ab animo alienus efficiar. Profectus sum ad fratres meos, factíque sunt vt beluæ, & vt grauissimi lupi abs te auulserunt, pater sancte, & in Ægyptum deductus sum manibus aliorum, & ecce rursus fera alia occurrit mihi. Fratres quidem in deserto interimere me voluerunt: hæc autem in cubiculo me discerpere inquirit. Ora pater dulcissime pro me filio tuo, ne coram Deo & patribus meis moriar.

1 Si sancti nō viuerēt coram Deo, sed essent emortui, vt quidam nugantur, non inuocaret Ioseph Deum Abraham, Isaac, & Iacob, cum nō sit is mortuorum Deus, sed viuentium, vt ait ipse Dominus, & Saluator.

Cùm autem verbis dominæ suæ parêre noluisset, quæ illum singulis horis vrgebat, ac velut aspis immitis illi, omni pudore abiecto, imminebat, obseruauit ipsa tempus, quo illum in thalamo solum inueniret, sicque peccatum consummaret. Vbi verò illum in lectulo suo, vt cupiebat, deprehendit, accedens impudenter ipsum ad se conabatur attrahere, nequitiamque perpetrare. Ille autem admiratus mulieris impudentiam singularem, continuò extra domum cursu exilijt, ac sicuti aquila, cùm aucupes viderit, alis cœli celsitudinem penetrat, ita & Ioseph ex his retibus fugit, ne vel dicto, vel facto vulnus exciperet: inque illius manibus pallium linquens, diaboli laqueos fugit. Videns autem mulier illum ita effugisse, magno in mœrore erat, iámque plectere iustum cogitabat, accusare illum turpitudinis apud virum volens, vt eo comperto, vir eius zelotypio furore succensus interimeret Ioseph, illud simul secum reputans: Multò mihi melius est vt Ioseph moriatur, vt vel sic requie fruar. Non enim fero tantum pulchritudinis in domo mea per momenta conspicere, cùm frui ipsa vel clam, aut palam eximia iuuenis specie nequeam. Vocatis itaque seruis, & ancillis suis, ait: Scitis quid admiserit in me puer Hebræus, quem constituit vir meus super domum suam? Voluit mecum impudenter congredi. Non sufficit illi potestas omnis domus nostræ, nisi me quoque separare à viro meo conaretur. Sumptámque Ioseph tunicam ostendit viro, probro illi dicens: Adduxisti ecce puerum istum Hebræum, vt contumeliam inferret: illuderétque mihi vxori tuæ. Scis tu domine mi, quod pudica sum, atque ideo annunciaui tibi. Auditis huiusce calumnijs vir eius, vxoris verbis protinus credidit, ita esse asserentis, iratúsque iussit continuò vinciri Ioseph, & in domum carceris mitti, maximas intentans minas, verborum illius ac benedictionum, quæ sibi tum domi, tum foris propter Ioseph obuenerant, penitus immemor. Neque crimen obiectum diligenter inquisiuit, sed statim aduersus eum iniustam protulit sententiam, dicens: Ioseph in carcerem conijci

iubeo,

iubeo, nullaque prorsus requie frui. Deus autem Abraham, Isaac, & Iacob, qui scrutatur omnium corda, cum ipso erat, deditque illi misericordiam in oculis principis carceris, ac permisit illum in carcere liberum à vinculis viuere. Neque enim vnquam discedit benignissimus Deus noster ab his qui metuunt illum corde perfecto. Post hæc peccauerunt Pharaoni pincernarum princeps, ac magister pistorum, iussitque Rex vtrumque in carcerem trudi. Porrò Ioseph ministrabat illis. Cùm autem illi clausi detinerentur, post dies aliquot viderunt ambo somnia, quid eis breui euenturum esset, præsignantia. Ioseph autem sanctus minister cùm esset, consuetò ingressus ad eos, animaduertit ambos mœstos ac tristes: & cùm mœstitiæ causam percontaretur, dixerunt: Somnia vidimus, nec est qui ea nobis exponat, ideóque in mœrore sumus. Dixit autem eis: Istud quidem Dei est, obscura quæque reserare timentibus eum. Dicite mihi somnia vestra, & ea vobis per me Deus meus aperiet. His auditis pincernarum & pistorum principes, dixerunt somnia Ioseph, quæ viderant ambo. Ioseph autem paucis verbis exposuit eis exactissima fide quæcunque illis à Rege euentura erant, vt postmodum rei probauit euentus. Nam pincernarum principem honori suo officioque restituit: pistorum verò magistrum tradidit morti. Cúmque pincernæ ventura prædiceret, orabat eum, dicens: Memento mei coram Pharaone, Regique de me celeriter suggere, vt me hinc educat: nihil enim peccaui, neque mali quippiam feci, sed absque causa iniectus in domum carceris sum. O semen electum, atque beatissimum, quid à mortali homine subsidium quæris? Omisso Deo, hominem rogas? Certè expertus es auxilium Dei, quando etiam pudicitiæ tunicam intactam, inuiolatamque seruasti. Cur oro, castitatis lilium, deficis animo, cùm Deus tibi regnum gloriámque prouideat? Quò autem tentationem fortius tuleras, eò illustrior tibi corona victoriæ contexitur. Vt autem (iuxta quod prædixerat Ioseph) impleretur somniorum vtriusque solutio, post triduum fecit Pharao conuiuium omnibus optimatibus suis, recordatúsque inter epulas pistorum magistri, & pincernarum principis, alterum quidem in priorem restituit gradum, alterum verò tradidit morti. Cùm verò oblitus esset pincerna interpretis sui, per Dei prouidentiam post duos annos vidit Pharao somnia magna, quæ sapientium omnium Ægyptiorum, omniumque magnorum artem omnem, intelligentiamque transcenderent. Experrectus autem Pharao, sapientes omnes accersiri iussit, quibus cùm somnium annunciasset, nemo vim somni explicare valuit. Rege itaque mœrente, curisque confecto, nunciauit ei pincernarum princeps omnia de Ioseph. Eis auditis Pharao, gauisus est gaudio magno, iussitque continuò illum ad se adduci. Et cùm processisset ex carcere, dixit illi Pharao coram optimatibus suis: Audiui de te quòd vir sapiens & prudentissimus sis, & qui somnia obscura interpretari noueris. Respondet autem Ioseph Pharaoni: Indultoris sapientiæ Dei est exponere somnia. Dixit autem Pharao somnia sua coram Ioseph & omnibus magnatibus suis: audiuitque continuò somniorum expositionem ex ore Ioseph, veluti ex ore Dei. Stupefactus Pharao ad tantam adolescentis sapientiam excellénsque consilium (siquidem illi consuluerat, virum vnum constituere sapientem, atque intelligentem, vt Ægypti frumenta colligeret: futuram quippe famem ingentem dicebat, vt haberentur fruges plurimæ in tempus pressuræ seruatæ) ait ad illum: Teipsum constituam hodie super omnem Ægyptum, qui tale consilium reperisti: atque ad tui oris imperium & Ægyptus, & omnis domus mea disponetur. Tunc imposuit illum in currum suum, omnésque magnates partim antecedebant currum, partim circundabant eum, vnà pergentes, maximè cùm ex ore Pharaonis accepissent secundum esse illum Ægypti Regem. Videns autem Phutiphar, qui Ioseph prius in carcerem miserat, miserandum spectaculum, quòd sedisset Ioseph in Pharaonis curru, timuit valde, sensimque se ex medio principum subducens, cursu in domum suam cum metu maximo se recepit, & aperiens os suum, ait vxori: Vidisti ô mulier, signum mirabile, & insperatum, ex quo timor nobis magnus incumbit? Ioseph enim ille, qui quondam noster fuerat seruus, dominus noster effectus est, totiusque Aegypti. Et ecce cum gloria Pharaonis inuehitur curru, & tāquam Rex honoratur ab omnibus. Ego autem cùm illius ferre nequirem aspectus, sensim me subripui, clamq; discessi. His compertis, vxor viro rem aperuit, ita dicens: Notū sit tibi hodie peccatum meum, quod ego admisi. Ego sum quæ pulcherrimum Ioseph, pudicissimū illum adamaui: cumq; per singula momenta blanditijs plurimis, & ornatibus varijs castissimo insidiarer adolescēti, vt illo frui possem, eiusq; eximia pulchritudine satiari, neq; omnino efficere id quirem, vt vel verbo pudicitiam proderet, vt illum tenere contendi, vt me vel modicè toleraret. Verùm ille dimisso pallio in manibus meis aufugit. Ego enim eram, quæ vim illi inferre volueram, quando tibi pallium eius ostendi. Cæterum autor sum illi bonorum, quæ ipsi & regnum præstiti, & maximam gloriam. Nisi enim ego ita amassem Ioseph, in carcerem coniectus non fuisset. Imò verò & gratias mihi habere debet, qui fui gloriæ ipsius causa. Iustus ac pius, & sanctus est Ioseph, qui etiam calumniam

passus, nemini prodidit. Exurge itaque ac perge gaudens, & eum vnà cum magnatibus alijs adora securus. Surgens autem Phutiphar studiosè accurrit, & Ioseph sanctum adorauit. Inter hæc impletis iam annis illius vbertatis maximæ, inualuit fames in tota terra Chanaan, mœstusq; erat Iacob cum filijs suis. Audiens autem quòd alimenta venderentur in Ægypto ad omnem copiam, dixit liberis suis: Audiui quòd in Ægypto frumenti plurimum sit, pergite igitur illuc, & emite nobis escas, ne omnes fame moriamur. Acceptis mandatis patris filij Iacob, descenderunt omnes emere sibi cibos. Cumque in Ægyptum peruenissent, accesserunt ad Ioseph cum reliquis, vt triticum emerent: non autem agnoscebant illum, quòd esset frater suus. Vt autem vidit Ioseph fratres suos, protinus agnouit omnes, & ait fremens: Hi decem viri exploratores pessimi sunt, atque ideo ingressi sunt Ægyptum. Comprehendite illos igitur, & in vincula conijcite: profecti enim sunt ad explorandam terram. Hoc illi aspicientes, contremuerunt, & cum metu ingenti responderunt ei, dicentes: Absit hoc à nobis Domine, omnes fratres vnanimes sumus, filiíque dilecti patris vnius viri iusti. Fuimus aliquando duodecim numero, ex his vnus pulcherrimus, & charissimus patri, à bestia mala peremptus est, lugetque illum pater vsque in hunc diem. Frater autem alius cum patre nostro est in terra Chanaan, relictus in solatium patris. Respondet illis rursus Ioseph cum iracundia, dicens: Quoniam quidem ego Deum timeo, & colo, istud vobis condono. Sumite igitur escas, & continuò ad patrem vestrum pergite, ac si vera dicitis, fratrem vestrum minimum, quem ille amat, adducite ad me huc, sicque demum credam vobis. Sumentes autem triticum ad patrem suum cum mœrore profecti sunt in terram Chanaan, nunciaueruntque ei suspicionem pessimam, & iracundiam viri. Vehementer autem hac illorum relatione tristatus est pater, aitque cum gemitu: Quid hoc fecistis? Vt quid domino Ægypti alium vos habere fratrem dixistis? Qui respondentes dixerunt ei: Ipse interrogauit nos, cognationemque nostram scire diligentissimè voluit. Dicit eis Iacob: Moriar magis, quàm Beniamin ex sinu tollatis meo. Cùm verò fames vrgeret, dixit eis Iacob: Si ego filijs ex Rachel penitus orbari, meísque clarissimis liberis priuari debeo, vt dicitis, surgite, tollentésque munera in manibus vestris pergite simul. Fecerunt autem sicut præceperat eis Iacob. Cumque venissent omnes cum timore magno, adorauerunt coram Ioseph. Qui postquam vidit fratrem suum Beniamin, cum metu ac formidine astantem, commota sunt viscera eius, cupiebátque illum amplecti, atque exosculari, & interrogabat eum summo affectu, dicens: Viuit pater? Qui ait: Viuit seruus tuus pater noster. Dicit ei rursum: Num habet adhuc Ioseph in corde? Et ille: Vehementer, inquit, illum habet fixum in animo, consumitúrq; ipsius desiderio. Cùm verò illum amplecti non posset, neque vltra interrogare, ingressus in cubiculum suum copiosas profudit lachrymas. Qua enim hora vidit fratrem suum, continuò recordatus est patris sui Iacob, dicebatque cum lachrymis: Beati qui videre merentur diuinam sanctæ tuæ senectutis effigiem, dulcissime pater: neque enim totum regnum, omnísq; gloria conferri potest canis tuis, ô nimium dilecte Deo. Optaui addiscere ex ore Beniamin, an me gestares in corde, sicut & ego te: idcirco fratres meos arte coëgi, secum adducere Beniamin fratrem meum: non enim illis credidi dicentibus mihi de te, quòd haberent patrem & minimum fratrem, putabamque illos inuidia concitatos, etiam filium tuum minorem Beniamin occidisse, atque in maiorem luctum animum tuum iniecisse, quemadmodum & me proposito malæ voluntatis occiderunt. Oderant quippe nos duos, quòd vterini essemus ego & Beniamin. Scio pater, quia nostri gratia vehementer angeris, & solicitudine cumularis, & nunc maximè cruciatur senectus tua propter fratrem meum Beniamin: & ipse enim magno cruciatu afficior, dum considero neminem nostrum tuæ senectuti impresentiarum assistere. Non sufficiebat tibi luctus meus, adiectus est tibi pater & hic. Ego gemituum tuorum, atque singultuum sum author. Durè nimis ac crudeliter feci, Beniamin ad me venire præcipiens, dum addiscere cupio, an verè viueret pater meus. Quis mihi dabit tuam sanctam rursus effigiem cernere, & insatiabiliter intendere in Angelicam faciem tuam? Deinde cùm amarissimè in cubiculo fleuisset, lota iterum facie, prodijt hilaris, iubétque introduci omnes in domum suam, vt cum illo conuiuium inirent. Audite, quæso, fratres, quomodo illos vndique in formidinem impellit Ioseph. Iubet illos accumbere, singulos nominatim vocans, & per ordinem, sicut fuerant geniti, statuens, vtebatúrque per vnumquemque quodam quasi diuinationis modo. Propositus erat illi scyphus argenteus, quem tenens ille manu, atque in leuam transferens, pulsabat eum dexteræ digito manus. Cúmque pulsaretur cyphus, magnum sonitum edebat in aures omnium assistentium. Semel igitur pulsans ait: Horum omnium primus Ruben est, primus ipse in honore discumbat. Pulsauit secundò, & secundi nomen edixit: Simeon, inquiens, secundus natu est, ipse quoque secundo discumbat loco. Tertiò dehinc tinnitum digito exprimens: Leui, ait, discumbat, & tertio honoretur loco. atq; ita singulos accũbere fecit, nomine illos

illos per ordinem vocans. Quamobrem eos in stuporem conuertit, maiorique formidine impleuit, adeo vt putarent ipsum omnia scire, dicerentque ad inuicem: Putásne agnouit ex calice, nos sibi antea esse mentitos, cùm dixerimus Ioseph à fera pessima deuoratum esse? Magna igitur cogitationum tempestate fluctuabant. Vt autem hac eos suspitione leuaret, ex mensa sua partes ei tradit, ampliorem que partem fratri suo Beniamin, ita vt maiorem quintuplo quàm cæteris miserit. Cur itaque hoc Ioseph fratribus fecit, vt ex scypho nomina diceret singulorum? Vt scilicet illorum crimen augeret. Tunc iubet dispensatori suo, vt frumenti copiam fratribus absque pretio daret, atque in sacco Beniamin, clam deponeret scyphum, eósque gaudentes continuò à se dimitteret. Haud longè à ciuitate discesserant hilares, cùm illos ille cursu insecutus obiurgare cœpit, atque insectari, grauésque intentare minas, fures eos appellans, & collati sibi honoris indignos. Respondentes autem dispensatori Ioseph fratres dixerunt: Aurum etiam, quod altera vice inuenimus in marsupijs nostris, retulimus domino nostro, nunc scyphum domini tui qua ratione furati essemus? Absit hoc à seruis tuis. Dixit autem eis: Sacculos vestros deponite, scrutandósque permittite. Festinatò illi saccos deposuêre ex iumentis, inuentusque est scyphus in sacco Beniamin. Quod illi cùm vidissent, sciderunt vestimenta sua, cœperuntque minas multas & probra, & iniurias inferre ei: neque ipsum solùm, verùm & Rachel simul & Ioseph cum patre insimulabant, dicentes: Vos scandalum fuistis patri nostro, tu, & Ioseph filij Rachel. Ioseph enim regnare super nos voluit, & meritò à fera comestus est. Tu autem rursus frater eius in ignominia & probro nos esse fecisti. Nónne vos estis filij Rachel, quæ patris sui idola furata, se ea furatam esse negauit? Extollens autem vocem Beniamin cum gemitu & lachrymis, satisfacere singulis cœpit, ac dicere: Deus ipse patrum nostrorum scit, qui assumpsit Rachel, quemadmodum ipse voluit, qui pulcherrimi Ioseph mortem minimè ignorat, ipsúmque modò consolatur inuisibiliter, qui videt nostra omnia, qui scrutatur corda, & renes: ipse inquam, scit, quia non hunc scyphum, vt dicitis, furatus sum, neque tale aliquid cogitaui: ita videam patris Iacob sanctam venerandámque caniciem, vt cum gaudio sancta illius osculer genua, vt scyphum istum furatus non sum. Heu heu Rachel, quid contingit filijs tuis. Ioseph pulcher à fera, vt aiunt, occisus est. Ecce ego nunc, mater, fur repentè, dum nescio, factus sum, & ignoro quo pacto in terra aliena seruus detineor. Ioseph in eremo cùm discerperetur à bestia, clamauit, vt inueniret qui se liberaret, & non inuenit. En ego rursus ô dulcis mater, apud fratres meos me expurgo, nec est qui audiat me, credátque mihi filio tuo. Sumpto itaque Beniamin, regressi sunt in ciuitatem ad Ioseph, nihil habentes, quod respondere possent. Respondens autem Ioseph, irato similis, ait eis: Hæccine est beneficiorum meorum retributio? Idcirco honoraui vos, vt mihi scyphum meum, in quo vaticinor, auferretis? Nónne dixi vobis, quòd non estis pacifici, sed exploratores? Propter timorem Dei hoc agam vobiscum: eum solum qui furatus est calicem meum, seruum meum esse iubeo. Accedens autem vnus ex eis, Iudas nomine, posito genu orabat eum dicens: Ne quæso irascaris domine, si loquar. Interrogasti nos seruos tuos, dicens: Habetis patrem, aut fratrem? Diximúsque domino nostro: Est nobis pater seruus tuus, qui duos filios habuit, quos super omnes nos diligit. Vnum ex his fera pessima discerpsit in montibus, lugétque illum horis singulis pater, & in dolore ac gemitu nunc vsque persistit, atque adeo vt terra (ferè dixerim) ad voces eius lugere videatur. Alterum secum detinet domi in solatium prioris filij. Nunc autem sicut iussisti, adduximus fratrem hunc nostrum, & inuenti sumus serui tui grauissimi sceleris rei. Oro autem, vt ipse seruus tuus sim pro puero isto, modò puer cum fratribus reuertatur ad patrem. Ipsum enim ego suscepi à patre meo, & sine ipso ad eum redire non possum, ne videam patris mei amarissimam mortem. Cùm audisset Ioseph verba Iudæ, videretque eos omnes vultibus in humum demissis assistere, aspiceret item Beniamin scissa tunica cum gemitu procidentem astantium genibus vt ipsi Ioseph exorarent, quò ad patrem cum fratribus eum redire permitteret, nimis omnino turbatus est, commotísque visceribus astantes omnes protinus abire iussit. Quibus abeuntibus, leuauit vocem suam Ioseph cum fletu dicens fratribus, quos retinuerat: Ego sum Ioseph frater vester, non sum comestus à fera, vt modò dixistis: Ego sum qui à vobis in lacum proiectus sum nudus. Ego sum, quem Ismaëlitis vendidistis: qui cùm omnium vestrum genibus, vestigiisq; prouoluerer, nemo fuerit ex vobis, qui tũc in illa pressura misereretur mei, sed vt feræ beluæ in me inuasistis. Veruntamen, fratres mei, nemo vestrum timore turbetur, magis autem gaudete mecum, & exultate. Et quemadmodum dixistis patri nostro prius, quòd ego in montibus à fera interfectus essem, ita rursus læti renunciate Iacob, dicentes: Ioseph filius tuus viuit: & ecce sedet in curru Regis sceptrum regni Ægypti manu tenens. Cùm verò vocem Ioseph audissent fratres eius, præ pauore, ac formidine facti sunt velut mortui. Accedens autem Ioseph verus sanctæ propaginis palmes, osculabatur

ïabatur vnumquéque eorum magno affectu, nihil prioris iniuriæ memor, vt sibi congruum erat, eósque & donis, & honoribus lætiores fecit, magnóque cum gaudio remisit omnes ad patrem, dicens: Nolite in via contendere omnino, sed magis festinanter properate ad patrem nostrum, & dicite illi: Hæc dicit filius tuus Ioseph: Fecit me Deus Regem totius AEgypti, accede cum gaudio pater, & aspice filium tuum. Veni pater in lætitia cordis, vt videam sanctæ senectutis tuæ Angelicam faciem. Abeuntes verò cum festinatione renunciauerunt Iacob verba Ioseph. Audito Ioseph nomine, suspirauit Iacob, lachrymásque profundens, ait eis: Quare conturbatis spiritum meum, vt rursus recolam effigiem Ioseph pulcherrimi & optimi filij mei, dolorísque flammam iam sensim extinctam denuò vultis accendere? Accedens autem Beniamin deosculatus est illius genua, & mentum, dicens: Vera sunt quæ audisti pater optime & honestissime. Ostenderuntque illi omnia, quæ miserat Ioseph. Tunc autē credidit verbis Beniamin, surgénsque cum omni domo festinus, & gaudens perrexit in Ægyptū ad Ioseph filium suum. Vt autē audiuit Ioseph aduenisse Iacob patrē suum, processit ex vrbe cum optimatibus Pharaonis, magnóque obsequentium se stipatus cuneo, occurrit illi. Cùm vidisset autem Iacob filium suum, cecidit super collum eius, magno cum gemitu & affectu dicens: Iam nunc lætus moriar, ex quo vidi faciem tuam, dulcissime fili, adhuc enim tu veraciter viuis. Ambóque fleuerunt pariter, & glorificauerunt Deum. Et nos igitur pro his omnibus referamus gloriam Patri & Filio, & Spiritui sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

VITA BENIAMIN PATRIARCHAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testamēti.

BEniamin iacet inter fratres ortu posterior, imperio prior, cuius natiuitatis processus matri dedit obitum. Ipse lupus vorans & sanguinarius, qui super basem fortis suæ manu hostiam sanguinis fudit, & ad vesperum escas principibus & sacerdotibus diuidit.

VITA EPHRAIM PATRIARCHAE, Per eundem.

Habetur libr. vt supra.

EPhraim semen Ioseph, & adoptiuus filius Israel, in numero Patriarcharum benedictionis testamento relictus, minor ætate fratris, sed maiori prælatus gratia In benedictionibus cunctis tribubus fortior, & inter fratres dominator inuictus. Hic partem tribus Leuitarum accepit.

VITA MANASSE PATRIARCHAE, Per eundem.

Habetur libr. vt supra.

MAnasses dilatatus in milibus, vnà cum Ioseph patre suo mysticè possedit tribum. Hi omnes patres Apostolorum, & principes populi Iudæorum, tribus Iacob, & præclara progenies Israel. Quibus pater moriens pro diuitiarum copia, sanctificationis gratiam dereliquit. Qui regnante Ioseph, in Ægypto regnauerunt, ibique etiam post longæ vitæ quietem occubuerunt, ibique sepulti sunt.

VITA MOYSIS, PER EVNDEM SCRIPTA.

Habetur libr. vt supra.

MOYSES filius Aram ex tribu Leui, dux & propheta in Israel, filiæ Regis adoptiuus, Dei amicus, Pharaonis dominus, in rubo flammante, & non vrente, vocibus Angelicis euocatus. Quem vt exēplo formaret Deus, insinuatam eius manum iussit mori, & rursum retractæ vigorem per motum reddidit, & calorem. Cuius facies specie futuræ gloriæ illuminabatur. Humilis in recusando ministerium, subditus in suscipiendo, in conseruando fidelis, in exequendo peruigil, in regendo populum vigilans, in corrigendo vehemens, in amando ardens, in sustinendo patiens. Qui pro subiectis Deo se interposuit, consulentique posuit modum irascendi. Hic pro populi libertate propriam obiecit salutem. Regis sæuissimi minas non trepidauit. Quinetiam extulit contra draconem eius virgam, ac per manum Dei oppugnatum, decem plagis eius imperium verberauit. Primùm in cruorem vertit puteos, & flumina. Dehinc ranarum multitudine vrbes, muscarum aëra compleuit. Mortem intulit iumentorum. Percussit vlcere homines. Vastauit grandine terram. Obduxit tenebris cœlum. Post hæc spoliauit Ægyptios, eductóque populo, eremi pandit iter, flammea præcedēte columna. Nec motu transijt, diuidítque hinc inde frenata aquarum cumula. Pergenti populo viam sicco vestigio præbuit. Hostes dehinc cooperiūtur fluctibus. Atque amaras aquas per tactū ligni in suauitatē conuertit. Qui etiam esurienti Israel cœleste præbuit pabulū, volucrúmque escis repleuit locū castrorum. Percussit petram, aquæ extemplò copiosæ fluenta manauerūt. Ascendit quoque verticem Sinai montis, faciē Dei contemplatur,

platur: Ibi quadraginta dierum ieiunia pertulit. Descendens legem acceptam à Deo populo tradidit: ritumque religionis instituit. Inter hæc quoque bella gessit, victorijs clauit. Virgam in manu tenens percussit hostem: quos non tetigit, superauit. Lætiferos aspidum morsus æreі serpentis aspectu sanauit. Dathan & Abyron, terræ compagibus ruptis, in profundi hiatum deiecit. Ad extremum conscendit montem Nebo, terramque repromissionis, demonstrante Domino, aspicit. Mortuus est autem, iubente Domino, in monte Abarim: 1 sepultusque est à Domino in valle Moab, quæ est in Arabia. Rexit autem populum Dei in eremo annis quadraginta. Obijtque annorum centum viginti. Quidam autem eum viuere testantur, pro eo quòd sepulchrum eius non reperitur, & quia apparuit Domino in monte cum Elia. Mortuum autem illum, & non raptum, certissimè sacra scriptura testatur.

1 Dum Moyses à domino sepelitur, docemur mortuos sepelire opus esse pietatis, ac Deo placere: nec non sepulturam curãdam esse, & non negligendam.

VITA AARON, PER EVNDEM.

Habetur libr. vt supra.

AAron frater Moysi, & in signis miraculorum socius, atque in lege Domini sacerdos primus. Cuius virga sorte electa, fronde & germine floruit. Quique thuribulum in dextera gestans, furenti se flammæ opposuit: atque stans inter viuos & mortuos, obiectu corporis sui transire ignem ad agmen viuentium non permisit. Hic per hostiam victimarum, & sacrificium sanguinis, futuram Christi passionem expressit. Hic ius principatus sacerdotij per ordinem generis & successionem transmisit. Anno autem quadragesimo egressionis filiorum Israel de terra Ægypti, cùm esset annorum centum vigintitrium, mortuus est, iuxta præceptum Domini, in monte Hor, qui est iuxta petram, insignem Arabiæ vrbem. Ibi sepulta iacet soror eius Maria, vbi etiam & nunc vsque ostenditur rupes, qua percussa Moyses aquam populo præbuit. Est autem hic locus in extremis finibus Idumæorum.

VITA PHINEES SACERDOTIS, PER eundem D. Isidorum scripta.

Habetur libr. vt supra.

PHinees sacerdos filius Eleazar, zelo agens Domini, coëuntem impudicum simul cum Madianitide telo percussit, ac perpetuò sacerdotij infulas, premium victimarum in generationibus seculi meruit, pro eo quòd zelo accensus diuini amoris, iram Dei feriendo placauit.

VITA IOSVE, PER EVNDEM.

Habetur libr. vt supra.

IOsue filius Nun, ex tribu Ephraim in Ægypto natus, Moysi discipulus, & in potestate successor, nouique prælij triumphator: Qui quousque expediret victoriam, vt Sol staret, cœlo imperauit, Iordanis etiam cursum transitu suo suspendit. Hierico inexpugnabiles muros clangentium tubarum sono deiecit. Chananæorum euertit regna, reges extinxit, ac populum Dei solus in terrã repromissionis induxit, eamque ei sorte distribuit. Viginti & septẽ annis præfuit in Israel. Occubuit centum & decem annorum, atque sepultus est in Thamnathsare ciuitate sua, quæ sita est in latere montis Gaas contra Aquilonem: ibique hodie insigne monumentum eius ostenditur. Est autem hic in tribu Dan.

VITA DEBBORAE PROPHETISSAE, PER D. Ambrosium Episcopum scripta.

Habetur libr. vt supra.

NE vna vidua Iudith tantum opus imitabile alijs videatur implesse, plures alias vel pariles, vel proximæ fuisse virtutis, nequaquam dubitandum videtur. Bona enim seges plurimas spicas fructu refertas ferre consueuit. Ne dubites illam veterum segetem temporum in complurium fœminarum moribus fœcundasse. Sed quia prolixum est complecti omnes, cognoscite aliquas & præcipuè Debboram, cuius nobis prodidit scriptura virtutem. Hæc enim docuit non solùm viri auxilio viduas non egere, verùm etiam viris posse esse subsidio, quæ nec sexus infirmitate reuocata, munia virorum obeunda suscepit, & suscepta cumulauit. Denique cùm Iudæi Iudicum regerentur arbitrio, qui virili non poterant vel æquitate regi, vel virtute defendi, bellis hinc inde ardentibus, Debboram sibi, cuius regerentur iudicio, cooptarunt. Itaque multa milia virorum vna vidua & in pace rexit, & ab hoste defendit. Multi Iudices in Israel, sed nulla antè Iudex fœmina. Multi Iudices post Iesum, sed nullus propheta. Et ideo lectum istius puto esse iudicium, & gesta eius arbitror esse descripta, ne mulieres à virtutis officio muliebris sexus infirmitate reuocentur. Vidua populos regit, vidua ducit exercitus, vidua duces eligit, vidua bella disponit, mandat triumphos. Non ergo natura rea est culpæ, nec infirmitati obnoxia. Strenuos enim non sexus, sed virtus facit: & in pace quidem nulla quærimonia,

nullus

nullus error mulieris inuenitur, cùm plærique non mediocrium peccatorum autores populo suo Iudices extitissent. Vbi verò Chananæa gens feros prælio, & affluentium copiarum opima successu, hostiles in populum Iudæorum animos extulerunt, vidua præ cæteris bellicos instruit apparatus. Et vt discas non publicis copijs domesticas necessitates fuisse subnixas, sed domesticis disciplinis munus publicum gubernatum, domo propria filium ducem producit exercitus, vt agnoscatis quòd possit instruere vidua bellatorem. Quem quasi mater erudijt, quasi iudex proposuit, quasi fortis instituit, quasi prophetes victoriæ serta transmisit: denique in mulieris manum summam fuisse victoriæ, docet Barach filius, dicens: Nisi tu veneris mecum, non ibo: quia non noui diem, in qua direxit Dominus Angelum suum mecum. Quanta ergo fœminæ istius virtus, cui dux dicit exercitus: Nisi tu veneris, non ibo? quanta, inquam, viduæ fortitudo, quæ à periculis filium nec materno reuocat affectu, imò ad victoriam filium studio matris hortatur, dicens: Quod in manu mulieris sit summa victoriæ. Debbora ergo prælij probauit euentum: Barach iussus produxit exercitum: Hialech cœpit triumphum. Huic enim prophetia Debboræ militauit. Quæ mysticè nobis ortum surrecturæ ex gentibus Ecclesiæ reuelauit, cui triumphus de Sisara spiritali, hoc est, de aduersarijs potestatibus quæreretur. Nobis igitur Prophetarum oracula dimicarunt, nobis illa Prophetarum iudicia & arma vicerunt. Et ideo non populus Iudæorum, sed etiam Hialech victoriam de hoste quæsiuit. Infœlix ergo populus qui hostem quem fugauit, persequi fidei virtute non potuit. Itaque illorum delicto salus gentibus, illorum desidia nobis seruata victoria est. Hialech ergo prostrauit Sisaram, quem tamen corusco duce, hoc enim significat interpretatio Barach, manus veterum fugauerat Iudæorum. Frequenter enim, vt legimus, orationibus & meritis Prophetarum cœlestia patribus adfuêre subsidia. Sed his iam tunc de nequitijs spiritalibus victoria parabatur, quibus dicitur in Euangelio: Venite benedicti patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Ergo principium victoriæ, à maioribus: finis in Ecclesia. Ecclesia autem non armis secularibus vincit aduersarias potestates, sed armis spiritualibus, quæ sunt fortia Deo ad destruendas munitiones & altitudinem nequitiæ spiritualis. Et ideò Sisaræ sitis, lactis poculo restinguitur, quia oratione superatur. Quod enim nobis salutare ad escam, hoc aduersariæ potestati lætale ad infirmitatem. 1 Arma Ecclesiæ, fides: arma Ecclesiæ, oratio est, quæ aduersarium vincit. Ergo secundùm historiam ad prouocandos animos fœminarum fœmina iudicauit, fœmina disposuit, fœmina prophetauit, fœmina triumphauit, & præliaribus intermixta copijs, imperio viros docuit militare fœmineo. Secundùm mysterium veræ fidei, militia Ecclesiæ victoria est. Non ergo habetis quòd per naturam vos excusetis fœminæ. Non habetis viduæ, quod ad infirmitatem sexus, ad amissionem subsidij maritalis, mobilitatem vestram referre possitis. Satis vnicuique præsidij est, si virtus animi non desit. Et ipse in viduis frequens processus ætatis, munimen pudoris est, & ipse amissi coniugis dolor, vsus operis, domus cura, solicitudo liberorum, noxiam pudori solet arcere lasciuiam. Atque ipse lugubris habitus, pompa funebris, fletus assiduus, & mœstæ fronti intrantibus rugis impressa tristitia, petulantium premit oculos, restinguit libidinem, procaces auertit aspectus: bonus custos pudoris, pietatis dolor, non obrepit culpa, si cura non desit. Didicistis igitur viduæ, subsidio vos non egere naturæ, & posse salubritatem tenere consilij, nec domestico indigere præsidio, quæ etiam publicæ potestis apicem potentiæ vendicare.

1 Arma Ecclesiæ, fides & oratio.

VITA GEDEONIS, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

GEdeon filius Ioas ex tribu Manasse, genitus in solitudine, liberator populi, & multorum pater filiorum, potentiamque Dei explorans in vellere. Hic cum trecentis viris aquam lingua lambentibus, non tela dexteris, sed tubas: non lauacrypium, sed hydrias præferentibus, hostem terrore pertulit, ac victor de Median & Amalech fortiter triumphauit. Iudicauit Israel annis quadraginta, mortuusque est senex, & sepultus in sepulchro Ioas patris sui in Ephra de familia Ezdri.

VITA IEPTE, PER EVNDEM SCRIPTA.

Habetur libr. vt supra.

IEpte ortus ex tribu Gad, fœlix in prælijs, fidelis in promissis, affectum pietatis exuperans tolerantia mentis. Hic vouerat Deo, vt si quis illi post victoriam reuertenti primus occurreret, immolaret. Nam rediens ab hostibus Ammonitarum triumphator, ne pollueretur labe periurij, pollicitam sponsionem compleuit, ac filiam, quæ prima post victoriam illi occurrit, immolauit. Iudicauit autem Israel annis sex. Mortuus est, & sepultus in ciuitate sua Galaad, quæ est in dimidia tribu Manasse.

VITA SAMPSONIS, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur libr. vt supra.

SAmpson filius promissionis, genitus patre Manue ex tribu Dan, Nazaræus vocatus liberator Israël, & omnium fortissimus. Iste rugientem necauit leonem, fauumque ab ore mortui tulit. Seras quoque portarum in humeris tollens, in vertice montis imposuit. Vulpium caudis igne iunctis, Philistinorum totam regionem succendit. Vinctus etiam resticis funibus maxilla asini mille viros peremit. Posthæc auaritia illecebrosæ mulieris deceptus, detonsis crinibus, vim virtutis amisit. Effossis oculis, columnam domus concutiens, à ruina oppressus, pariter cum hostibus defecit. Qui iudicauit Israël annis viginti, & positus est in sepulchro patris sui, in ciuitate Estaol, in tribu Dan, decimo procul lapide ab Eleutheropoleo, contra septentrionis plagam, iuxta viam quæ ducit Nicopolim.

VITA SAMVELIS, PER EVNDEM.

Habetur libr. vt supra.

SAmuel Propheta filius Elchanæ de Ramathaim Sophim, de tribu Ephraim, cognominatus cum Moyse in sacerdotibus Dei, ab ipsis cunabulis Domino consecratus. Sedulus in ministerio, in gente princeps, in templo vates. Cuius verbo obtemperauerunt cœli, occurrerunt nubila, effusi sunt imbres. Hic triumphator ex hostibus, adiutorij lapidem posuit. Hic primus principem in regno vnxit. Sepultus est autem in viculo suo Rama, quæ est secus Bethlehem.

VITA SAMVELIS PROPHETAE, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrologio eius, sub xiij. Calēd. Septemb.

TErtiodecimo Calendas Septembris Natale Samuelis Prophetæ. 1 Cuius sacra ossa Imperator Archadius de Iudæa transtulit Thraciam, 2 portantibus Episcopis, & omnium Ecclesiarum populis tanta lætitia occurrentibus, quasi præsentem, viuentemque cernerent, atque susciperent: vt de Palestina vsque Chalcedonem iungerentur populorum examina, & in Christi laudes vna voce resonarent. Scribit sanctus Hieronymus in libro contra Vigilantium.

1 Vocat S. Prophetæ sacra ossa, non autem cinsumpta, vel cmortua, vt modò quidam faciunt.

2 Vide si scis inuenire solenniores exequias istis. Et quomodo sit de antiquæ Ecclesiæ vsu, quod Episcopi sanctorum reliquias dum tumulantur, aut transferuntur deferant, comitantibus & occurrentibus populis cum maxima lætitia.

VITA DAVID, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

DAuid Rex & Propheta, ortus de germine Iuda, filius Iesse, natus in Bethlehem, puer pastor, inter fratres ætate iunior, mēte prestantior, à Domino in regno vocatus, à Propheta vnctus in Regem, belliger iuuenis, in certamine singularis, in triumpho gloriosus, vincendo veteranus, patiens in aduersis, prudens in periculis, in peccato proprio dolens, in alieno funere lugens, pronus ad pœnitentiam, velox ad veniam, in conuitijs mitis, ad misericordiam facilis. Qui inimico Regi, dum posset, non nocuit: nec tantùm reseruauit traditum, sed & vindicauit occisum. Hic leonem & vrsum sine gladio interfecit. Citharæ suauitate immundum spiritum depulit, gigantes expugnauit. Igitur quadragesimo regni, ac septuagesimo ætatis anno diem vitæ supremum consummauit. Sepultus est in ciuitate sua Bethlehem quæ vocatur Ephrata. Ibi etiam Dominus noster Iesus Christus est natus. Ibi & Rachel cùm Beniamin peperisset, occubuit. Ibi etiam & sepulchrum patris Dauid ostenditur. Est autem hic locus in tribu Iuda, sexto ab Hierusalem miliario contra meridiem, itinere quo pergitur contra Hebron.

VITA ET MORS NATHAN PROPHETAE, per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

NAthan eisdem ferè temporibus, quibus Dauid in lucem æditus, Propheta, ex prosapia Thoch, popularis autem vrbis Galilææ Gabath, in lege Domini Dauidem instituit. Præsciebat autem Nathan ille Propheta, quòd Rex Dauid in Bersabeæ ardore plus æquo transgrederetur: Curriculo igitur Gabath recta Hierosolymam contendit, quò eundem à tanto facinore Regem abstraheret. Sed ecce impedimento fuit Beliar illi. Nam cùm exanimem eum in itinere, tam nudum, quàm ex matre, reperisset, tantisper cunctatus est, 1 quòd terræ mandaret, ne indignis admodum modis corpus hominis ab animalibus brutis ac beluis dilaniaretur. Eadem tunc nocte Nathan agnoscebat, quòd Dauid rex flagitium

1 Habes & ex hoc loco sepelire mortuos esse opus pietatis, & sepulturam non esse negligendam.

ſeſe planè indignum iam pridem deſignauerat. Quare mœrens, magnaque lamentatione reuerſus, Gabath repetit. Vbi verò Vrias Berſabeæ maritus à Dauide peremptus eſt, legauit Deus ad eum Nathan, vt grauiter Regem de piaculo corriperet & caſtigaret. Tunc demum Dauid in ſeſe deſcendens, ingenti formidine perculſus, in Dominum vehementius ſperauit, quòd illi nunc manifeſtè perpetratum ſcelus diſplicere animaduerterat. Sentiebatque Dauid Rex, ſpiritu Dei ſancto Nathan afflatum eſſe Prophetam. Honorabat itaque & venerabatur hominem, tanquam numen aut ſanctum Dei. Ipſe verò Propheta ſenio confectus deceſſit, & in Gabath ſuo tumulatus eſt agro.

Habetur in libr. eius de patribus veteris teſtam.

ITEM VITA NATHAN, PER D. Iſidorum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

NAthan Propheta ex Gabaonitis, qui legem Dei Dauid Regem docuit, & peccatum quod eſſet in Berſabeæ præuaricatus, manifeſtauit. Hic etiam, quòd non ædificaret Dauid templum Domino prædixit. Hic Salomonem vnxit, & principem conſecrauit. Obijt autem ſenex in terra ſua, 2 ſepultuſque eſt cum magna dignitate.

2 *Ecce & hic ſepulturam ſolennem.*

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

VITA ET MORS ACHIAE SELONITAE, per Diuum Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum deſcripta.

AChias Selonites è Selon oriundus, ex tribu habebatur Iuda, priſcum vbi contueri illud erat arce tabernaculum, ex Armethen, Heli ſacerdotis oppido. Hic eſt ille Propheta, qui ſuper Salomone Dauidis filio locutus eſt, quòd futurus eſſet aliquando Dei aduerſarius. Quique increpauit Hieroboam, quòd ſuſcepto olim principatu, dolo & fraudulenter foret acturus cum Domino. Viſum namque ſuis apparuit oculis: Par boum peſſundare populum, inque ſacerdotes impetum facere videbatur. Cæterùm vaticinatus eſt Salomoni, futurum vt muliebre genus alienaret ipſum à Domino. Item ingenuè dixit ad Hieroboam: Te par buccularum auertet olim à Domino, & erit in ſeruitutem tua propago. Vitam porrò Achias in mortem commutauit, & haud procul à quercu ea quæ in Selon exiſtit, poſtremum honorem & monumentum ſortitus eſt.

Habetur in libr. eius de patribus veteris teſtam.

ITEM VITA ACHIAE, PER D. ISIDOrum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

AChias Selonites de ciuitate Salomonis Regis, prædixit, quòd per mulierem à mandatis Domini declinaret. Mortuus eſt Achias, & ſepultus iuxta quercum in Silo.

VITA ET MORS AZARIAE PROPHETAE, per D. Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum deſcripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

AZarias Propheta domo quidem & genere de Sympata fuit. Is eſt qui precibus ſuis auertit captiuitatem, quam Iuda machinabatur in Hieruſalem. Cæterùm ſuper aduentu Domini vaticinatus eſt haud pauca. Obdormiuit in Domino, & in patria ſua humatus eſt.

Habetur in libr. eius de patribus veteris teſtam.

ITEM VITA AZARIAE, PER D. ISIDOrum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

AZarias in terra oritur Sabbatha. Mortuus eſt atque ſepultus in agello ſuo.

VITA ET MORS IOAM PROPHETAE, PER D. Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum deſcripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

IOam Propheta oriundus è Samaria, contuſus in via à leone, fato eſt functus. Is eſt ille qui Hieroboam, propter aureas quas erexit iuuencas, corripuit: quique eiuſdem hoſtias, ſacrificiumque è medio ſuſtulit & abrogauit. Cùm autem ob hoc Hieroboam eum pulſare conaretur, ſublata in Prophetam dextera, confeſtim arida eius facta eſt manus. Poſt hæc Ioam Prophetæ falsò Propheta impoſuit. Nam cùm eſſe panem, tum vndam potare impulerit, & egredientem peſſundedit, & contudit eum (in quem inciderat) leo: Aſinam autem ſuam nulla affecit iniuria. Solo autem redditus eſt in Bethel iuxta pſeudoprophetam. Cùm verò paucis poſt diebus animam pſeudo quoque propheta ageret, iurauit ſacerdotibus, quòd vnà cum Ioam Propheta ſepeliri affectaret, eò quòd illi verba dediſſet, & in reſurrectione iuſtitia ab vnoquoque exigatur. Ita vterque in eodem ſunt monumento conditi.

VITA

VITA ABDO PROPHETAE, PER D. ISIdorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

ABdo in Samaria natus. Hic est qui ad Hieroboam immolantem vitulos missus, in sermone Domini venit, eumque arguit immolantem. Hunc ad propria reuertentem leo in via strangulauit. Sepultusque est in Bethel, & Propheta ille qui eum fefellerat.

Si hic ille idem Propheta est cum superiori, fuit binominis.

VITA ET MORS HELIAE PROPHETAE, per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

HElias Propheta ex Thesbis erat, è continente Arabam, de tribu Aaron Leuita. Morabatur autem in Galaad, quoniam Thesbis erant ædes sacerdotibus consecratæ ac destinatæ. Quem cùm eniteretur parens eius, eiusmodi Sobac patri visio apparuit. Viri niueum quendam præ se ferentes habitum, pusionem salutabant, matrisq; vberibus in ignem alluebant, quin & flammam ignis cibi loco ministrabant. Profectus est itaque in Hierusalem genitor, visaque ad sacerdotes retulit: Respondit autem illi Chrematismus (hoc est, oraculum, siue responsor) Caue manifestum facias. Erit quippe lumen filij huius domicilium, sermoq; eius, demonstratio ac sententia breuis, & iudicabit Israel, cùm in igne, tum rhomphæa. Hic est ille Helias, qui ter ignem è cœlo deduxit, quique imbrem sua lingua gestauit, mortuos item suscitauit, & in cœlum denique nimbo seu turbine ignis assumptus est.

ITEM VITA HELIAE, PER D. ISIDOrum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

HElias qui interpretatur Dominus Deus, Thesbytes, sacerdos magnus, atque Propheta, habitator solitudinis, fide plenus, deuotione summus, in laboribus fortis, in industria solers, excellenti ingenio præditus, in exercitatione destrictus, in disciplinæ sanctæ meditatione assiduus, metuque mortis intrepidus. Verberauit tyrannos, sacrilegos interfecit, multisq; signis virtutum effulsit. Triennio siccitate clausit imbribus cœlum. Orauit [1] rursum, & cœlum dedit pluuias. Mortuum mulieris filium suscitauit. Cuius virtute hydria farinæ non defecit, & vas olei perpetuo fonte manauit. Cuius verbo super sacrificia ignis de cœlo venit. Duos quinquagenarios cum militibus cœlesti igne combussit. Iordanem transiens, tactu melotis obrupit aquas. Post hæc igneo curru in cœlum raptus ascendit, venturus, iuxta Malachiam Prophetam, in fine mundi, præcessurus Christum, annunciaturus vltimũ eius aduentum, cum magnis virtutibus prodigiisque signorum, ita vt bellum gerat Antichristus aduersus eum & Enoch, qui cum eo venturus est, & occidet eos. Cadauera verò eorum tribus diebus & sex horis in plateis insepulta iacebunt. Dehinc suscitati à Domino regnũ Antichristi plaga magna percutient. Posthæc veniet Dominus, & interficiet Antichristum gladio oris sui, & eos qui adorauerunt eũ. Et regnabit Dominus cum omnibus sanctis suis in æternum.

1 Vide quomodo oratio omnia impetrat à Deo.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM Magni Prophetæ Heliæ Thesbytæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

ALiquando quidẽ xij. tribus Israel erant simul inter se, nec poterant à se inuicem diuidi, vt quæ erant beneuolentiæ vinculo colligatæ, & credentes Dei præceptis. Nam cùm post Mosen, & Iesum Naue, & qui post illos fuerunt populi iudices, Dauid Propheta eis vnctus esset in Regem, & ad Solomonem filium is regnum traduxisset, vsque ad illum tribus manebant indiuisæ, vna nequaquam diuulsa ab altera: sed vnaquaq; cõseruante eam quam ab initio elegerat cõcordiam. Postquam autẽ eius filius Roboam patris regnũ suscepit, &, vt qui esset iuuenis, & nõ satis stabilis prudentiæ, ijs qui eius parebant imperio, insolenter est vsus, non tã ad se attrahens, quàm abstrahens & auellẽs, ab illo fuerũt tribus disruptæ: & aduersus eũ, & inter se insurrexerũt. Nam cùm x. earum defecissent, & Hieroboam seruo Solomonis adhæsissent, cũ eo habitarunt Samariam, solas duas tribus relinquentes habitare Hierusalẽ. Is autẽ cùm eos inuenisset moribus dissolutos, ventriq;, & iis quæ sunt subter ventrem seruientes, instituit quidẽ ad omne genus intemperantiæ: exercuit autem ad omnem impietatem. His cùm & templũ construxisset, & in eo duas iuuencas posuisset, vt quæ manibus facta erãt facilè possent colere, vt qui ad ea erant propensi, eis statim adfuère præmia malorum, dum & obsidetur ab accolis, & finitimis, & à Babyloniis & Persis sunt euersi, & suis moti sedibus, & passi quæ sunt omnium grauissima. Interim autẽ etsi facerent ea quæ sunt pessima, non eos tamen omnino reliquit bonus Deus: sed & eos sua dignatus est curatione, & manũ præbuit adiutricem. Quinetiam desuper eis dabat responsa, & futuri prædictiones: & quod est maximum, ad eũ mittebat Prophetas & prophetias, vt aliquo quidẽ modo eos ad se captos traheret. Sed enim cùm ante alios, & cum aliis Prophetam misisset Heliam, iussit eũ videre, &

inſpicere,& vlciſci ea quæ ab ipſis fiebãt.De quo nos quoq; oportet pauca dicere,vt plurimum eius verbis vtentes,& iis quæ ille loquebatur diuino zelo accenſus.Ergo is quoq; adſit orationi: & nobis proponatur argumentũ, & maximè cùm ſit eius [1] dies quẽ iam celebramus,& quẽ anniuerſarijs laudibus honoramus. Hic ergo vir ſacroſanctus & diuinus,cũ eſſet ex tribu Aaron,& natus in Arabia,tempore ortus ſui,quo eſt in lucẽ editus,viros candidis veſtibus indutos vidit eius pater,& eũ in igne ligantes faſcijs,& dantes flammam ignis,qua veſceretur.Quod cùm dixiſſet ſacerdotibus,ij dixerunt eũ magnum futurũ Dei puerum,& qui futurus eſſet ſemper luce plenus,& iudicaret Iſraël in rhomphea & igne:qui etiam ab eis appellatus eſt Thesbytes,quod eſſet domus quæ ſorte obtigerat ſacerdotibus,in qua is habitabat.virtutẽ exercens ab adoleſcentia,& flammeam efficiens animam per ignẽ ſpirantem ſancti ſpiritus gratiam.Nemo autẽ omnino contradicet eum virũ fuiſſe tantum & talem,qui poſſet & flammã,& rhomphæam,& ignẽ,& aquam,aliaq; admirabilia habere apud ſe,& ad alios,cùm vellet,immittere.Horũ autem ſingula explicabit oratio.Poſtquam poſt Roboam, & eos qui deinceps in Samaria conſecuti ſunt Reges,Achab accepit imperiũ,vir moribus prauus,& ab impietate poſſeſſus,cui coniuncta erat mulier,quæ ei erat par improbitate, vel etiã ſuperabat(mulieri nomẽ erat Iezabel.) Ambo verò ſtudebant & diuinos Prophetas malis affligere,& eos qui erant in illorũ poteſtate deterioribus aſſuefacere,vt qui à via recta iam olim declinaſſent: zelo diuino repletus Helias,qui etiã re vera & dignè hoc nomine fuerat vocatus,talia Achab liberè loquitur: Viuit Dominus Deus exercituũ coram quo aſto,ſi erit his annis ros & pluuia,niſi per os meũ.His enim iratus Deus vniuerſorũ,tres annos & dimidiũ pluuiam è cœlo retinuit,imbris defectu terram exiccans,& immittens famem omnium grauiſſimam.Hunc ſuũ Prophetam honorans,cœlũ claudẽdi aut aperiendi,& pluuiã continẽdi,aut demittendi ei dat poteſtatẽ.Qui etiam illa Achab dixerat ex poteſtate,quæ poterat facere,& quæ propter virtutis magnitudinem à Deo acceperat.Deinde illo relicto,ob diuinũ reſponſum accedit ad torrentẽ,qui erat ad oriẽtem ex aduerſo Iordanis.Vade enim illuc, audit voce ſuperna,& illinc bibe aquam: & præcipiã coruis,vt alimentũ ad te adferant.Certè corui,animal valde gulæ deditũ,& longè rapaciſſimum,panes quidem mane,Dei iuſſu, veſpere autẽ carnem ad Prophetã adferebant: & erat ei ſufficiẽs deinde ſalimentũ,vt cui nec obſonium,nec aqua deeſſet ad potũ.Poſtquam tunc aliquot poſt diebus torrẽs,cuius aquam bibebat,eſt exiccatus,rurſus reſpondens,tanquã amicus amico dicit Dominus ſeruo: Vade hinc in Sarepta Sidoniæ:& illic incides in viduam,à qua alẽris: & nullo opus habebis ex iis quę ſunt neceſſaria.Ille autẽ cùm veniſſet(ſciebat enim vocanti parẽre in omnibus)ligna inuenit colligentẽ viduam,& codturam panẽ ſubcineritium:habebat enim ſolum puſillũ farinæ,& modicũ olei in lecytho,quibus & ipſa,& filij parcè vti volebant.Quã etiam alloquẽs: Mihi,inquit,primũ,ô mulier,appone hunc panẽ,& modicũ olei lecythi: Deinde tibi & filijs appones quæ remanſerint.Neq; enim tibi de cætero hydria farinæ deficiet:neq; olei lecythus minuetur,donec fuerit deſuper pluuia ſuper terram.Et fecit quidẽ vidua ſicut ei præceptũ fuerat,benignè prius Prophetam conuiuio excipiens,& ſecundò ipſa,& filij veſcẽtes eo quod remanſerat.Quæ quidẽ ſtatim accipit admirabilem mercedẽ hoſpitalitatis,videns vaſa plena,& redundantia.Quod enim dictum fuerat à Propheta,ſtatim peruenit ad effectũ valde admirabiliter. Quid deinde conſequitur? In mordũ incidit filius viduæ,& paulò poſt ſubit animæ defectionẽ.Quem cùm repentè mater vidiſſet mortuũ,toto animo perturbata:Quid hoc eſt,clamabat ad Prophetam:Cur huc es ingreſſus,vt mea peccata renouares in memoriam,& morte afficeres meũ filium,ô homo Dei,qui mihi & viduitatis,& omniũ erat ſolatiũ? Helias autem petijt,& accipit mortuũ:& cùm eum ſuſtuliſſet,ponit in eo,in quo manebat,cœnaculo,& eum cõponit in lecto.In quẽ cùm ter inſufflaſſet,hanc ad Deum facit inuocationẽ,dicens: Domine Deus meus,conuertatur anima huius pueri ad ipſum.Et ſtatim(O magnam Prophetæ gratiam)is qui fuerat mortuus, viuebat,& mouebatur,iucundiſſimum ſimul & admirabile matri factus ſpectaculũ.Multi ex illo tẽpore dies præterierant,& factum eſt verbũ Domini rurſus ad Eliam,cùm iam eſſet elapſus famis annus tertius,iubens vt & veniret in conſpectum Achab,& futuram pluuiam ei ſignificaret.Nam qui natura eſt clemẽs, eorum qui patiebantur erat motus miſericordia,& ſuum iam incitat Prophetã,ne eos videat amplius magis affectos,ſed de magno zelo aliquid remittat,& eos benignè aſpiciat,& recreet.Qui iuſſu Domini alloquitur Achab,cùm prius eſſet allocutus Abdiu,qui cũ eo etiam res adminiſtrabat,& qui multos ex Prophetis quos perſequebatur Iezabel,occultabat in ſpeluncis terræ.Quẽ cùm vidiſſet Achab,quam in eũ conceperat parturiens acerbitatem:Tune is es,qui peruertis Iſrael? ei dixit apertè.Atqui oportebat,ſi nihil aliud,certè propter nimis diuturnam & admirabilem pluuiæ ceſſationem,habere eum ad Deum ſupplicanẽ, qui poteſt pluuiam è cœlo pluere,ad quod etiam venerat,& quod ſcilicet erat ſignificaturus. Sed ipſe cùm eſſet inflatus eius in illum animus,apud illum ſtatim eſt vſus verbis aſperioribus.

1 Nota,cũ ſit Heliæ dies, quẽ iam celebramus, & quem anniuerſariis laudibus honoramus.

Ad quem

Ad quẽ Propheta sermones oportunè conuertens: Non ego, inquit, sum qui peruerto Israel, sed tu, & domus patris tui, qui vniuersi Domino & Deo relicto, post Baalim (erat autem hoc execrandũ idolũ) ambulastis. Sed enim hoc tibi sit curæ, si te vlla Dei subit cogitatio, vt huc deducas, & cõgreges 400. eos qui numerantur Prophetas ad inuocandũ Baal. Quinetiã alios nemorũ seu excelsorũ qui præter hos ducuntur. Numerantur autẽ ipsi quadringẽti, & quinquaginta, qui sunt etiam perpetuò socij Iezabel. Cura autem vt hi omnes veniant in montem Carmeli, vt ipse quoq; cognoscas, qua de causa conuenerint. Achab autẽ, cùm sic visum esset, omnes illic congregat. Cum quibus etiam conuenit magna populi multitudo, auditura sermones Prophetarũ. Quibus Helias ardẽti zelo dicit: Quãdiu vos vtrisq; tibiis claudicabitis? Si Dominus est Deus, & ipsum scitis colere, ambulate post ipsum. Sin autem Baal ipse est, & eum colendum statuistis, post eum similiter ambulate. Populus autem ad hæc nihil respõdit. Quos cũ vidisset nihil loquentes, illis rursus intulit: Ecce ego sum relictus, vt vos quoq; scitis, solus: sunt verò quadringẽti, qui sunt apud vos Prophetæ Baal. Præterea autem excelsorũ quoq; quadringenti & quinquaginta, vt iam ante dixeram. Duo boues ad nos deferantur, & ipsi quidẽ vnum accipiant ad sacrificiũ, & eũ secent membratim, & seorsum ponant supra struem lignorũ. Alterum autẽ cùm ipse membratim conscidero, imponã strui lignorũ, ignem nequaquã accendens. Vnusquisq; ergo nostrũ Deum suũ inuocet, & qui in igne exaudierit, is scilicet erit Deus. Visumq; est hoc verbum vtile toti populo. Atq; illi quidẽ quomodo ab Helia iussi fuerant, cùm sacrificassent bouẽ, qui sorte obtigerat, super struem lignorum posuerunt absq; igne. Qui quidẽ & deos suos, & Baal inuocabãt, vt inferretur ignis in sacrificiũ, & ipsum consumeret. Fuerunt autem à mane vsq; ad meridiẽ, inuocantes stulti eos qui sunt inanimi. Fuerunt econtra illi, sicut re vera erant, surdi & nullo sensu præditi. Quos etiã subsannans Helias dicebat: Dij vestri dormiunt: & vos oportet magis clamare, vt videatis num sint intellecturi, aut è somno excitandi. Quibus etiã voces extollebantur altius, & furore incitabantur, & se incidebant gladijs. Postquã autem apud illos nihil erat, nisi risus & ludificatio. (Quid enim eis profuissent ij qui inuocabãtur, qui sunt statuæ, & re vera lapides?) Tunc Helias dixit populo: Venite etiã huc ad me: & Dei mei cognoscite potentiam. Et omnibus ad ipsum collectis, accepit duodecim lapides conuenienter numero duodecim tribuũ, & ex ipsis extruxit aram. Deinde ei ligna imposuit, scindens etiam holocaustũ in partes. Quoniam verò erat effecturus sacrificium magis admirabile, aqua locum impleuit, & inferius in profundo, & circũcirca, & super ligna, & vbiq; eam dimittens fluere. Quid is enim? Accipite, inquit, mihi quatuor hydrias aquæ, & fundite super holocaustum, & super ligna. Et dixit: Secundò hoc facite. Et secũdò fecerunt. Et rursus: Tertiò hoc facite. Et tertiò fecerunt. Et erat deinde aqua tanquam mare fluens circũ altare. Tunc Helias 2 oculis in cœlũ sublatis tã sensus quàm mentis, clamauit: Domine Deus meus, Deus Abrahæ, & Isaac, & Israël, exaudi me hodie in igne, vt hic quoq; agnoscat populus, quòd tu es Deus solus, & ego tuus censear esse seruus, & tuũ nomen inuocans: licebat autem statim videre (ô arcanum miraculum) ignem desuper descendentem, & omnia penitus consumentem. Tunc enim holocaustũ, & ligna, & aquam quæ erat circumcirca, & alia omnia exedit. Porro autẽ lapides quoq; & puluerem, & si quid aliud inuenit, elixit: & verè ostẽdit, non esse solũmodo ignem, cui aquæ repugnasset natura, sed diuiniorẽ quandam potentiam, & maiorẽ quàm vt ignis esset operatio. Quod cùm vidisset totus populus, procidit in faciẽ, & clamauit: Verè Dominus est Deus: ipse est solus. Quibus etiam iubet Helias, vt cõprehendant falsos illos Prophetas, daturos supplicium. Iiq; ilicò eos comprehenderunt. Quos cùm deduxisset ad torrentem Cison, omnes omnino de medio sustulit, igne diuino inflammatus corde propter deceptores. Et ipsi quidẽ talia præmia acceperunt. Helias autẽ tunc dixit Achab: Ascende, & securus vescere: etenim iam aderit sonus pluuiæ, quam ego venio vt tibi significem, & quam videbis deorsum descendere. Et ille quidẽ ascendit, vt comederet, magna lætitia affectus propter nuntium. Propheta autem ascendens Carmelum, & se in terram 3 inclinans confert ad precationem, posita facie inter genua. Porrò autẽ puero quoq; præcipit qui cum eo erat, vt ascenderet superius, & aspiceret viã quæ tenderet ad mare. Qui cùm ascendisset, tunc quidẽ nihil vidit eorum, quæ expectabat videre, pluuiam, inquam, in nubibus. Et rursus iubet ei, vt rediret septies ad eandem viam. Et iam cùm septies rediisset, videt nubem condensari, & aquam è mari extollere. Tunc etiam significat Achab per puerum, vt vehatur curru, & descendat in ciuitatem, ne eum apprehendat, quæ futura est, pluuia. Cùm primùm autem hoc dixisset, cœlum densabatur nubibus, contenebrans, & aquã emittens vehementem, & terram, vt ita dixerim, sitientem pinguefaciens, & abundè irrigans. Quamobrem emittebat Achab lachrymas præ gaudio, Helia ante eũ prosiliente, & suos lumbos fortiter adstringente. Et sic quidem pluuia post tres annos, & alium dimidium, per Prophetæ intercessionem delata est in terram. Iezabel autem ne sic quidem desistit ab improbitate, neque vitium omnino dimisit. Quoniam

2 Ecce quomodo sanctus Propheta orat Dominum, oculis in cœlum sublatis.

3 Ecce hic orat in terram inclinatus & facie posita inter genua.

niam neq; Æthiops nigrorem, aut pardus varietates. Sed etiã post factum miraculum irascebatur Prophetæ: & eò magis, quòd intellexerat suos Prophetas fuisse ab eo interfectos. Ei enim insidiebatur, & moliebatur ei malefacere, minitans si eum acciperet, fore vt eũ morte de medio tolleret, & sic vt eorum qui ab illo fuerant interfecti, illius poneret animam. Quid ergo Helias? Timet mulierculam (sic enim de eo traditur) vt humanã ostendat naturam esse perturbationi timoris obnoxiam: ne ipse aliud quàm sit, existimetur, propter diuina signa quæ fecerat. Quo tempore venit Bersabeæ, quæ est terra Iuda, & ambulat iter vnius diei per illam solitudinem. Cumq; fuisset defessus ex itinere, sedit humi, veluti cum Deo misere expostulans, & dicens: Accipe Domine à me animam meam, quoniã non sum melior quàm patres mei. Quem cùm corripuisset somnus, dormit ieiunus prope quandam arborẽ. Et ecce quidam eum tetigit (Angelus autẽ Domini missus fuerat) & dicit ei: Surge, & comede quem ad caput vides subcineritium panem, iuxta quem est etiam vas aquæ quam bibas. Ille verò surrexit, & comedit ea quæ erant apposita, & conuersus rursus obdormijt. Rursus secundò Angelus: Surge, inquit, & iterum comede, grandis enim tibi restat via, quam es confecturus. Quæ cùm iam comedisset, & firmus, valensq; euasisset, permansit de cætero ieiunus totos quadraginta dies, donec venit ad montem Horeb, illuc diuersaturus, & Deum compellaturus. Cùm enim iam illuc venisset, factum est protinus ad eum verbum Domini: Quid tu hìc agis Helia? Veluti eum prouocans ad respondendum. Ille verò: Zelans, inquit, zelatus sum Domino, quòd te dereliquerunt filij Israël: altaria tua destruxerunt, & Prophetas tuos occiderunt, & relictus sum ego solus, & quærunt animam meam, vt eam à me auferant. Rursus autem, quæ audita fuerat, vox ei dicit: Cras egredieris & stabis in monte coram Domino: Ecce ergo transibit Dominus, & ecce spiritus validus dissoluens montes, & conterens petras. Non in spiritu Dominus, & post spiritum commotio: non in commotione Dominus, & post commotionem ignis: & post ignem vox auræ tenuis, & illic Dominus.

Hæc cùm audiisset Helias, & à se veluti discessisset (nam vel parua Dei visio potest mentem sede sua dimouere, nedum talis Dei aduentus, & præsentia seu operatio) vultu operto egreditur, & stat in ostio speluncæ. Et vox rursus extitit, quæ ei respondebat, dicẽs: Quid tu Helia? sicut prius. Ille verò interno adhuc zelo intensus, eadem recenset quæ prius fuerat persecutus: Altarium, inquam, destructionem, Prophetarum euersionem, se solum fuisse relictum, seipsum quoq; fuisse propemodum cum alijs interfectum. Cuius animi ægritudinem consolans, qui est diues in misericordia: Ne putes, inquit, te solum esse relictum, neq; mansisse solum à malo intactum. Qui enim apud me manent, numerantur septẽ millia, qui nunquam genu flexerunt ante Baal, & nec animo, nec corpore tribuerunt simulachris adorationem. Postquam autem quæ audita fuit vox, ad alia conuertit Prophetã, nempe & ad vngendum Regem Azaëlem illum, & Iehu, quinetiam Helisæum in Prophetam, qui etiam erat illi comes futurus: ipse ea executurus, quæ ei imperata fuerant, abijt eò profecturus. Atq; Helisæum quidẽ inuenit cum bobus arantem: erant ei xij. iuga. In quem cùm iniecisset pallium ex ouilla pelle confectum, is statim omnibus relictis, & domo, & agris, & bobus, illum est sequutus, ministrans in omnibus, totus toti adhærens. Non parum deinde temporis prætererierat, & Rex Achab mente insatiabili vineam Naboth petijt sibi dari ad faciendum hortum olerum: Ille verò non dedit, & quòd eam hæreditatẽ haberet à parentibus, & quòd tanquam aliquid magnum eam possideret vineam. Ille verò animi affectus ægritudine vxori Iezabel renũciat id quod factum fuerat. Illa verò vt quæ sciret & dolos struere, & insidias cõponere: Ne sit tibi curæ, dicit illa marito: ego enim te dominum vineæ efficiam, & medebor omnino dolori, quem ex ea re accipis. Scribit autem libellum nomine Achab, & eius obsignatum signaculo, quẽ mittit ad eos qui habitabant cum Naboth. Continebant autem ea quæ scripta fuerant, vt & ipsi ieiunarent, & in medio populi sedere facerent Naboth. Deinde aduersus eũ duos falsos testes producerent, quòd is Deũ & Regem benediceret (quod quidẽ videbatur eis esse execrandũ) deinde vt lapidibus appeteretur, & mortis subiret suppliciũ. Et mali quidem vicini, Iezabelis consilio, & actũ composuerunt, & Naboth interemerũt, eũ obruentes lapidibus. Postquã autem impudens hæc audiuit fœmina, marito dicit: Surge, & esto hæres vineæ, mortuus est enim Naboth, qui tibi non cõcessit quod volebas. Achab autem cùm resciuisset interfectum fuisse Naboth, dolore affectus, & disrupit tunicam, & se sacco induit, seu verè, seu fictè. Non enim recessit ab ea quam desiderauit vinea: sed statim profectus est vt eam possideret, & cædem omnino sibi ascriberet, quæ iam propter vineã perpetrata fuerat. Sed enim Dominus statim dixit Heliæ Thesbitæ: Dic hæc Achab, ei factus obuiam: Quoniam occidisti, & quæ non est fas possedisti, scias quòd in quo loco linxerũt canes sanguinẽ interfecti, tuum quoq; lingent. Quinetiam in eo lauabuntur meretrices. Et alia præterea, quæ Propheta sigillatim persequitur. Qui quidem cùm ei occurrisset, ille vt qui nosset cur venisset: Num inuenisti me, inquit, inimice mi? Ei autem dicit Helias: Inueni, quoniam malum

malum fecisti in conspectu Domini,& prouocasti eum ad iracundiam. Quamobrem exterminaberis,& eris desertus simul cum domo tua, adeo vt omnes intereant, & nullus relinquatur qui mingat ad parietem. Quinetiam tuum cadauer canes, & cœli volucres simul edent, & pascentur deuorato sanguine. Eadem autem quæ tu, patietur quoque Iezabel. Nam præter alia in propugnaculo exedetur pariter à canibus, vt sit eius supplicium omnibus manifestum. Et Propheta quidem hæc dixit Achab. Ille autem cùm audiisset,& corde sauciatur,& suam rumpit tunicam : corpus quoq; affligens 4 ieiunio, & de sacco cingens: quæ erant omnia signa internæ animæ compunctionis. Dicit itaque Dominus Heliæ: Vidisti quomodo compunctus sit Achab à facie mea? Non inducam ego malum in diebus eius, sed in diebus filij eius. Quem, cùm ipse quoque malus fuerit,& quæ sunt deteriora, facere elegerit, è vestigio etiam consequetur iustitia. Non multum intercedit temporis,& moritur Achab. Imperium autem suscipit eius filius, qui vocabatur Ochozias, vir impius,& qui Baal habebat pro Deo. Qui etiam cùm in morbum incidisset, misit ad eum sciscitatum, an à morbo conualesceret, quinetiam ad Myan deam Accaron, vt ex ea sciret, an sanitatem esset perfectè recuperaturus. Quod Deus ægrè ferens, iubet Eliæ, vt dicat ijs qui ab illo missi erát: Quoniam Rex vester Domino Deo derelicto, misit ad inanima de sanitate interrogaturus, sciat fore, vt nec liberetur ab ægritudine, neque descendat ab eo lecto in quo nunc iacet, sed in eo moriatur, & abrumpat animam, suæ improbitatis colligens manipulos. Cùm his autem Helias in via occurrisset,& quæ Deus dixerat, ad verbum renunciasset, ij reuersi omnia dixerunt Ochoziæ, nihil celantes eorum quæ dicta fuerant. Ille verò cùm de eius figura,& forma, & zona esset sciscitatus, cognouisset autem esse Heliam, mittit statim quinquagenarium cum ijs qui ei parebant, vt eum comprehenderent,& ad ipsum deduceret. Ille autem cùm venisset, & solum in monte offendisset: O homo Dei, inquit illi, Rex te vocat, descende. Propterea autem: Si homo Dei, inquit, ego sum, descendens ignis de cœlo comedat te cum eo, qui te sequitur, populo. Et protinus ignis inuadés iussu viri iusti, omnes simul consumpsit. Ochozias autem rursus alium misit quinquagenarium, qui cùm ipse quoque renunciasset Prophetæ ea quæ Rex iusserat, easdem quoq; subijt pœnas, vt qui ipse quoq; fuerit ab igne consumptus. Sed Rex insipiens adhuc in suo cœpto perseuerabat: necdum eius coercebatur voluntas. Quocirca nec destitit quidē tertium mittere quinquagenarium. Qui cum metu accedens ad Prophetam, illius apprehensis pedibus, petijt veniam, quòd nolens eò venisset, & ei significauit, quòd eum Rex accerseret, supplex petens, ne easdem pœnas lueret, quas priores, nec diuinitus immissi,& ardentis ignis fieret materia: Propheta autem iussus ab Angelo descendere ad Regem, venit ad eum illæso conseruato quinquagenario. Cui etiam dixit vt res se habebat. Quoniam Deum quidem dereliquisti, à Baal autē petiisti auxilium, idolo inanimato, & præterea sciscitatus es Muscam Accaron, quæ ipsa quoque est molestū animal, quæ oritur ex stercore: scias fore vt non descendas de lecto in quo æger decubuisti, quod etiā tibi nuper significaui: sed morte in illo moriaris, vt etiam tibi sit supplicium ineuitabile. Et eius quidem fuit talis vitæ exitus. Tribuum autem quæ erant in Samaria, rex fuit eius frater Hieroboam, ad quem etiam translatum est imperium. Sed enim Helias, qui adhuc versabatur cum Helisæo, quem etiam, vt dictum est, diuino responso vnxit in Prophetam, erat deinceps cum illo, sub eodem tecto simul,& eodem vtens vitæ genere,& omnino inseparabilis. Cùm autem esset igneos currus mox ascensurus,& cum eo, quod deorsum deprimit, pondere ad superos venturus,& assumendus, iam tandem transiens Galgala,& in Bethel venturus,& cum se solo & Deo versaretur, iubet Helisæo manere in Galgalis. Ille verò nō parebat ei, neque ab eo recedebat: eius enim sermones eum ceperant, & planè vinctū tenebant. Quamobrem inuitus quidem, sed eum tamen secum assumit Helias. Qui cùm ambo venissent in Bethel,& dies aliquot in eo loco simul versati essent, rursusq; statuisset Helias ire Hiericho, iterùm præcepit Helisæo, ne veniat cū ipso. Ille autem sicut prius, parêre noluit, fuitq; firmo & constanti animo, vt qui sentiret se futurūquodammodo dubium,& ancipitem, si se sensisset separari à magistro. Quocirca cùm is nesciret quid ageret, concedit vt secum rursus veniret: quos etiā sequebantur alij quinquaginta. Ij verò erāt filij Prophetarū. Postquam autē Helias appropinquauit Iordani, qui eò quòd esset maximus fluuiorum,& instar maris inundaret, non poterat transmitti, eum cùm percussisset pallio,& in duas partes diuisisset, sibi & Helisæo iter reddit expeditum: & aridam facit eam quæ est humida. Qui postquā traiecit, pete, ait Helisæo, quid vis tibi faciam, priusquam à te assumar. Ille autē dicit ei: Fiat duplex spiritus tuus super me. Is verò dixit: Fuisti durus in petendo, pro eo quod est: Fuit magna & difficilis tua petitio,& quæ nō facilè potest cōcedi: attamen si videris me assumi, erit tibi sicut petiisti, ne sit tua fides hebetior. His autē adhuc ambulantibus,& simul colloquētibus, ecce currus igneus,& equi ignei,& diuiserūt eos à seinuicem. Et cùm currū ascendisset Helias, assumptus est in cœlum in cōmotione, & quò nemo alius

4 Vides quod ieiunium, & saccus sunt signa pœnitentiæ.

aſcenderat cum corpore. Coniunctã enim carnem non amiſit: ſed adhuc cum ea viuit. Cùm eum autem vidiſſet Heliſæus aſcendentem: Pater mi, clamabat, pater mi, currus Iſraël, & auriga eius. Et non vidit ipſum amplius, & dolore affectus apprehendit veſtimenta ſua, & ea diſcidit. Helias verò pallium ſuum ad eum ex alto deiecit, vt vel ipſum videns, acciperet conſolationem, & per ipſum faceret quæ vellet. Poſtquam enim illam accepit, reuerſus ſtetit in margine fluuij. Et cùm non poſſet traiicere, percuſſit aquas pallio, imitans magiſtrum: & aquis ſtatim diuiſis, per aridam tranſit in humida, ſicco pede præteriens Iordanem. Quem cùm qui erant Hiericho, ſic vidiſſent tranſmiſiſſe, dixerunt: Re vera ſpiritus Heliæ requieuit ſuper Heliſæum. Scit enim ille vel aſſumptus magna largiri ijs qui ei germanè & ſyncerè adhærent, quoniam ille à Deo accepit omnium maxima, & quæ nullus alius. Cui enim conceſſum fuit cœlos claudere, aut aperire? Cui aquam continere aut vnquam deferre in terram? Cui aqua excitare ignem ad ſacrificium, & id cum aqua conſumere? Quis alio igne binos vrit quinquagenarios ad arguendum ſcelus? Quis ardenti zelo interficit Prophetas dedecoris, propter ea quæ colebant ſimulachra? (ne multa dicam) Deum vidit in aura tenui, cùm inedia ſe prius attenuaſſet? Hæc enim omnia ſunt ſolius Heliæ, & eius qui erat in eo ſpiritus. Quæ ſunt autem maiora, prætermiſit oratio, ne videretur dicere, quæ ſunt incredibilia, & à vulgo minimè admittenda. Qui ne in hodiernum quidem diem mortis fecit periculum, ſed aſſumptus manet expers ſenij: qui, vt arbitror, vnà verſatur cum Angelis, quorum incorruptionem, & materiæ vacuitatem per puram vitam eſt imitatus. De quo maximè à Dauide quoq; dictum eſt: Longitudine dierum eum eſſe impletum, & Dei ſalutare ei eſſe oſtenſum. Etenim is etiam cernitur in transfiguratione vultum Dei nudum aſpexiſſe, ſtans facie ad faciem. Porrò autem in fine etiam ſeculorum, quando Dei adueniet perfectum ſalutare, ipſe Deum venientem prædicabit ante alios, & ali s oſtendet ſcilicet, & multis diuinis ſignis diem, qui eſt occultus, confirmabit, & pateſaciet. Cui nos etiam parati occurramus, hunc diem habentes admirabilem, nobis complanantem ea quæ ad illum ducit ſemitam, & ad cœleſtia deducentem tabernacula, in Chriſto Ieſu Domino noſtro. Cui gloria & potentia nùnc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

Excerpta eſt ex libro de viduis, circa principiũ.

VITA VIDVAE SAREPTANAE, QVAE Heliam pauit, per D. Ambroſium ſcripta.

TEmporibus illis quibus fames omne genus vrgebat humanum, Helias ad viduam deſtinatus eſt. Et vide quemadmodum propria ſingulis gratia reſeruetur. Angelus ad virginem, Propheta ad viduam. Adde quòd Gabriel ille, hic Helias, vt ex Angelorum & Prophetarum numero præſtantiſſimi principes videantur electi. Sed non ſimplex viduitatis laus eſt, niſi virtus etiam viduitatis accedat. Nam vtique multæ viduæ, ſed vna omnibus antefertur. In qua non tam cæteræ reuocantur ab ſtudio, quàm virtutis prouocantur exemplo. Sollicitas igitur aures præſagio facit, quamuis ſimplicitas intellectus ipſa moralis ſit quæ ad virtutis exemplum viduas cohortetur: quia non profeſſione, ſed merito videtur vnaquæque præſtare, & hoſpitalitatis apud Deum gratiam non perire, qui potum aquæ frigidæ, ſicut in Euangelio ipſe memorauit, præmio 1 æternitatis remuneret ampliſſimo, & farinæ breuis, oleique menſuram, indeficienti affluentium copiarum vbertate compenſet. Nam ſi quis de gentilibus dixit, communia omnia amicorum eſſe debere, quãtò magis debent eſſe communia cognatorum? Cognati enim ſumus, qui in vnam ſeriem corporis copulamur. Sed tamen non præſcripto quodam hoſpitalitatis fine concludimur. Cur enim proprium id quod in ſeculo eſt putes, cùm commune ſit ſeculum? Aut cur priuatos terræ deputes fructus cùm terra communis ſit? Reſpice, inquit, volatilia cœli, quoniam non ſerunt, neque metunt. Etenim quibus nihil eſt proprium, nihil deeſt. Et ſententiæ ſuæ Deus arbiter nouit ſeruare promiſſum. Deniq; aues non congregant, & redundant, quia Pater cœleſtis paſcit illas. Nos autem generalis monimenta ſententiæ ad vſus proprios deriuantes: Omne, inquit, lignum quod habet in ſe fructum ſeminis ſatiui, erit vobis in eſcam, & omnibus beſtijs, & omnibus auibus, & omnibus ſerpentibus ſuper terram: congregando egemus, & congregando euacuamur. Non poſſumus enim ſperare promiſſum, qui non ſeruamus oraculum. Salubre eſt igitur præceptum quoque hoſpitalitatis aduertere, vt hoſpitibus deferamus, quia nos quoque ſumus hoſpites mundi. Quàm verò ſancta vidua, quæ cum fame vrgeretur extrema, venerationem Deo debitam reſeruabat. Nec ſolùm ſibi vſurpabat alimenta, ſed cum filio diuidebat, ne caro pignori ſuperuiueret. Magnum pietatis officium, ſed religionis vberius. Nam ſicut neminem filio oportuit anteferri, ita Propheta Dei, & filio præferri debuit, & ſaluti. Cui non exiguum victum, ſed vitæ ſuæ omne ſubſidium exſtimanda eſt detuliſſe, quæ nihil reliquit ſibi: tam hoſpitalis, vt totum daret: tam fidelis, vt citò crederet.

1 Si Deus remunerat, qui potum aquæ frigidæ dederit, ampliſsimo æternitatis præmio: ergo opera noſtra regnũ cœlorum merentur. Quod vtique verum eſt, cùm ex parte diuinæ promiſsionis, tum ex radice operum ipſorum, quæ proceſſerunt, nempe ſpiritus ſ. gratia.

ITEM

ITEM VITA MVLIERIS SAREPTANAE VIDVAE, quæ Heliam Prophetam pauit, per D. Ioannem Chryſoſtomum Epiſcopum Conſtantinopolitanum ſcripta.

Habetur in ſermone decollationis S. Ioannis Baptiſt. Tom. 2.

MVLIER bona & hoſpitalis fuit beata Sunamitidis, quæ virum ſuum deprecata, manſionem ædificauit Heliſæo, vt præteriens & diuertens ad eos, quod facere conſueuerat, ſecretum haberet refectionis locum: poſuit ergo ei lecticam, vt ſcriptura declarat, & lucernam, & mēſam. Lectum verò non vtique vacuum tegumentis, ſed habentem competentia ſtrato indumenta. Et lucernam non ſine oleo, ſed cum ſtuppa & oleo, habentem lumen. Et menſam non ſine panibus, ſed ornatam cibis neceſſarijs. Quid autē? Dignè dicimus & beatam illam viduam, quæ ſuſcepit Prophetam Heliam, quam in nullo impediuit rerum inopia, diuitem bona voluntate, cui non erat frumentum, neque vinum, neque pulmentarium, neque aliud vllum terreſtris alimoniæ genus, ad paupertatis exhauſtæ conſolationem: Non ager illi frugifer ſemen panis præbebat, non vinea prædulci fluentibus vuam racemis de vite vberem miniſtrabat, non arbor fructum pomi ſuauiſſimum ramis fœlicibus adferebat, non ei palmo terræ ad arandum locus proprius erat, neque vel cubiti ſpatiū adminiculabatur, ſed ſemper in tempore meſſis procedens in campos, & lento incuruata progreſſu, raras ſegetis abſciſſæ reliquias ſcrutabatur, & reſiduas, vel caducas progreſſis meſſoribus ſpicas, breui gremio colligebat, in quo velut dimiſſa ſibi æſtimatione numeratam pro anni ſpacio reponebat annonam. Ad hanc igitur venit Helias in tempore famis, quando totus in defectu, ſiccitate pluuiarum penè aruerat mundus, & inopia ingenti tabefactis animantibus victum negabat: quando cœlum æſtiuo igne exaruerat, terra & craſſus aër nebuloſis vaporibus caligabat, ſubductiſque imbribus nubila refrenata pendebant: quando non herbæ, non flores, neque vlla germina pullulabant, quando flumina tenuata hyemis algore, aluei breuitas agebat, & fontium vberatos riuos ſol diurno ardore reſtrinxerat. Tunc ergo Helias, vir, cui totus erat mundus inferior, ad illam inopem viduam venit. Noſtis fratres, ſolitas viduarum anguſtias, & omiſſis Propheta diuitibus, qui etiā in tempore famis ſolent panibus abundare, deſcendens à monte ad illam pauperem venit. Quare ergo vir ille, qui in verbo ignem de cœlo eduxerat, non ſimiliter ipſe ſibi panes depoſuit? Nunquid non poterat? Vtique poterat. Sed non hoc facit, ne præparata ad bonum opus vidua, hoſpitalitatis mercedibus priuaretur, vt & illam modicum pugillum farinæ, & ſtillicidium olei more Prophetæ ſuſcepti, viduæ domus multiplicata benedictione rependeret: non enim pro ſua tantùm requie ad ea miſſus eſt Propheta, vt ab inope paſceretur: quantum vt egentem paſceret, & vt manifeſtaret occultum in corde bonæ illius voluntatis affectum. Hoc fecit etiam ipſe Dominus, qui poteſt ſanctos ſuos omnes qui ſunt in hoc mundo, per ſemetipſum ſufficienter alere: cōtinet tamen manum ſuam ab impendio miniſtrandi, vt ad bonum promptas mentes in tempore neceſſitatis de fructibus humanitatis oſtendat: & animarum affectiones operum qualitate diſcernat. Quòd ſi non fuerint digni, aut volentes, qui ſanctos Dei ſuſcipiant, tunc eos Dominus, aut ſicut Heliam per aues paſcit in monte ſecretum: aut per Prophetam aliunde tranſmiſſum, ſicut Danielem in lacu leonum: aut per maritimum animal, ſicut Ionam per cetum: aut ipſe per ſemetipſum Deus paſtor alimenta præſtat, ſicut patribus noſtris in deſerto. Cùm enim non eſſent in ſolitudine qui ſuſciperent filios Iſraël de cœlo manna eſurientibus Dominus miniſtrabat, & de petra aquam ſitientibus educebat. Cùm ergo in hoc mundo iuſti & iniuſti permixti verſantur, nunc interim ſanctos ſuos tribulationem & inopiam adeò permittit, quatenus volentibus opera pietatis & humanitatis exercere, gratiam non abneget Dominus, & per præſentia & terrena beneficia, theſaurizent ſibi æterna & cœleſtia.

Abijt ergo beatus Helias ad illam viduam præſentibus facultatibus inopem, non amplius quàm puſillum farinæ habentem. Quo ſumpto, eſſet ſine dubio fame cogente cum filijs ſuis moritura. Ad quam ait Propheta: Adfer mihi, vt bibam modicum aquæ in vaſculo. At illa mox abeunte, poſt tergum eius iterum clamans, ait: Adfer mihi & panem in manu tua. Illa ſimpliciter quod habebat confeſſa eſt, dicens: Viuit Dominus, ſi eſt in repoſitione, niſi hoc modicum farinæ, & exiguum olei. O rem laudabilē, quod in tanta eſcarum penuria ipſum modicum, quod ei reſiduum erat, nō denegauit: ô deteſtanda & inſatiabilis hominū auaritia. Quanti verò nunc, qui aurum & argentum velut lucrū habent, cùm rogantur, vt indigentibus opem præſtent, vel ad tempus pro neceſſitate commodent, renuunt, & non habere ſe iurant: aut ſi quando per multas obſecrationes flectantur, vt præſtent, ſcripturas & cautiones ordinant, & præiudicia quædam ferro duriora confingunt. Et illis mutuantibus, manū primùm callidis conſcriptionibus ligant, inſuper fideiuſſores, & interuentores fœnoris cōmodati accipiūt. Illa autē paupercula noſtra ab vna voce quod poſtulata eſt, habere nō

negauit, palmulam illam farinæ. Et quid ad illam propheta respondit? Festina, inquit, & fac subcineritium panem, primum mihi, & postea tibi & filijs tuis. Tentatio erat verbum Prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Et erat sicut in libra positum Prophetæ & beatæ viduæ cor. Quod in prophetici sermonis imperio, quasi quæstionis tormentorum interrogabatur, & anceps in vtrumque pendebat, qua vrget voluntatem, si sibi potius & filijs consuleret, an Prophetæ imperio obediret. Verum illa elegit se potius & filios suos angustare, quàm Dei Prophetam renuere: atque illi potius de inopiæ suæ residua refectione parare. Et illa quidem necdum Christum loquentem, vt nos monētem, audierat ita dicentem: Qui susceperit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet. &, Qui potauerit sitientem calice aquæ frigidæ in nomine discipuli, amen dico vobis, non perdet mercedem suam. Quid est autem quòd Propheta ait: Festina? Nũquid tantum esuriebat, vt indifferenter festinatione mulieris indigeret? Non vtique. Sed doceri illam voluit prompto animo & feruenti spiritu, & hilarem, & manu paratam ad boni operis effectum, non ex tristitia, & tanquam ex necessitate præbentem. Hilarem enim datorem diligit Deus. Festina, inquit, & fac primũ mihi. Sicut Abraham in Angelorũ aduentu ad boues festinauit, & vitulum ad eorum prandium detulit: & sicut Sara festinauit ad panes subcineritios faciendos, vt acciperet illum in cœlis absconditum panē: festina, & fac sicut Abraham hostias Deo. Non primum tibi, & postea mihi: non sicut Cain, & Ophni, & Phinees, filij Heli sacerdotis, qui despiciebant honorem Dei, primùm sibi sacrificiorum primitias eligentes ex omnibus donis, quæ Deo offerebantur.

Illa ergo vidua quod imperatum est ei à Propheta, festinãter effecit, & fructum suum festinanter impleuit, prouidens locupletem esse fructum operantibus in Deo repositũ. Propheta verò præparationem viduæ suscepit, gustauit, locutus est, & domum eius omnibus bonis repleuit. Hæc, inquit, dicit Spiritus sanctus: Non deficiet farina hydriæ, & oleum de capsace, donec det Dominus pluuiam super terram. Et quare vsque illud temporis finem benedictionis dedit? Necessario vtique. Oportebat enim nouam gratiam sicut pluuiam superuenire in terram, & veterem legem accipere terminum, & consequens est opus. Videtis ergo quomodo hospitalitatis mercedes benedicta vidua consequenter recepit. Bonorum enim laborum fructus gloriosus est apud Deum, & inconcussa radix prudentiæ.

VITA ET MORS HELISAEI PROPHETÆ, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in lib. eius de vitis prophetarum.

HElisæus Prophera erat ex Abelmuth, de terra Rubim, quo super huiusmodi contigit miraculũ. Quòd simulatque natus est in Galgalis, Bos illa aurea in Selom clamore tum acuto vociferata est, vt auribus acciperetur Hierosolymis. Exposuit tunc prodigiũ sacerdos. Hæc, inquit, argumento sunt, Prophetam hodie in lucē esse editum, qui cõminuet sculptilia, & confringet & euertet conflatilia. Prodigia porrò innumera Deus per manũ Helisæi designauit. Cæterùm carnis debitũ soluens, in Sebastopoli Samariæ, supremo honore affectus est. Vaticinatus est autē de aduētu Christi: & aquas in Hiericho steriles, quæ amaræ sunt admodũ, metendo dulcorauit, addens: Hæc inquit Dominus: Sanabo aquas istas: confestimq; sanatæ sunt in hanc vsque lucē hodiernam. Quin & exanimatis etiam vitã restituit. Leprosum item Naaman Syrum à lepra vindicauit. Giezi contrà puerum suum leprosum reddidit. Et vbi iam efflasset animam, extinctum tanquam ab orco in vitam reuocauit.

ITEM VITA HELISAEI, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Hebetur in libr. eius de partibus veteris testam.

HElisæus Heliæ discipulus ex Anathot oppido, ex tribu Ruben. In cuius ortu aurea vitula in Galgalis mugitum dedit, eiusque vox in Hierusalem pertonuit. Tunc quidam præsagus vates dixit: Hodie in Hierusalem natus est Propheta, qui cuncta eorum destruet idola. Hic gemino Heliæ glorificatus spiritu plurimis atque magnis virtutum signis emicuit. Iordanis trãsitu suo diuisus, refrenatis vndis, retrò conuertit aquas. Hiericho sterilē dimisso vasculo ad fœcunditatem perduxit. Pueros insultantes sibi verbo, bestijs credidit repentè voratum. Sanguineas aquas in necem hostium decurrere fecit. Item sterilem conceptione, verbo fœcundauit, eiusque filium mortuum suscitauit. Ciborum temperauit amaritudinem. Denique ex decē panibus plebem saturans, reliquias collegit. Naaman à lepræ stigmatibus lauacro Iordanis purgauit. Lepra quoque maledictum aspersit discipulum. Ferrũ securis in Iordanē mersum, ligno in aquam misso, supernatare cœpit. Hostes Syriæ cæcitate percussit. Mortem incredulo prædicauit. Fragorē quadrigarum fugauit. Hostium obsidionē dispersit. Famem repulit. Postremò 1 post mortem exanimi cadaueri vitam dedit. Cuius sepulchrum vsque hodie in Sebastia ciuitate ostenditur, honore satis dignũ, & digna habitũ veneratione.

1 Si Helisæus mortuus mortuũ suscitauit, nõ attendas hæretice sanctorũ cineres fauillas ossaue tēpore cõsumpta, sed diuinam virtutē, & spiritus sancti gratiã in eis radiantem & coruscantem.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI BASILII ARCHIepiscopi Seleuciæ laudatio in Prophetam Helisæum, & Mulierem Sunamitidem.

Apud Simeonem Metaphrasten.

EX Prophetarum numero, alij sermone Christum pronunciârunt, alij opere ac factis res eius indicarunt, alij diuinæ dispensationis figuram & rerum futurarum imaginem, tanquam adumbratione quadam præmőstrârunt: sermone Christum pronunciârunt Esaias, Ieremias, Ezechiel, & vnà cum illis duodecim alij Prophetæ. Factis illum indicarunt Helias Thesbites, & Helisæus eius discipulus. Figura ipsius sepulturæ fuit Ionas propheta. Sicut enim, inquit ipse Dominus in Euangelio, fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, ita erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Sed interea Ionæ & Heliæ, aliorumque narrationem in aliud tempus differamus: Helisæum verò in medium proferentes, primùm quæramus, quare Sunamitidis filium non oratione, vt Petrus Apostolus Dorcadem illam à mortuis excitauit, sed supra mortuum illius pueri corpus se ipsum expandit: pueri enim ori, sui oris superficiem, nares naribus, fronti frontem, pedibus pedes accommodauit, pectus pectori, & oculis oculos adhibuit: &, vt summatim dicam, singula pueri membra suis membris propheta contingens, vitam ipsi largitus est. Quæ igitur fuit causa, vt mortuum puerum oratione non excitauerit, sed seipsum eius corpori adiunxerit? Hæc illis quidem in figura contigerunt, & ad nostram doctrinam scripta sunt, ad quos fines seculorum deuenerunt. Narremus igitur, cuius rei figura fuit Helisæus, & cuius filius Sunamitidis mulieris, qui mortuus fuerat, imaginem præmonstrabat. Helisæus Christi figuram præ se ferebat, Sunamitidis verò filius gentium populum figurabat: hic enim à peccato ipso morti subiectus fuerat. Venit igitur spiritualis Helisæus, & eius membra omnia, os, oculos, manus ipsas, pedes, totum denique corpus mortuum deprehẽdit. Os videlicet mortuum erat, quòd non ad Dei gloriam celebrandam, linguam exercebat, sed ligno dicebat: Pater meus es tu: & lapidi, Tu me genuisti. Eiusdem oculi mortui erant, quippe qui non ad vniuersarum rerum opificẽ Deum erigebantur, sed relicto Creatore, his rebus seruiebant quæ à Deo ipso creatæ fuerant. Mortuæ erant & manus, quæ dæmonibus ipsis sacrificia offerebant. Mortui & pedes, quippe qui ad diaboli adorationem flectebantur. Totum denique eius corpus putridum erat, & potente illo medico indigebat: non quouis, inquam, medico, sed eo qui posset mortuis etiam hominibus vitam restituere. Venit igitur medicus ille qui requirebatur, spiritualis Helisæus Dominus noster Iesus Christus, qui cùm humanum corpus totum mortuum comperisset, seipsum totum toti mortuo corpori accommodauit.

Dicet aliquis. Quidnam hoc est, quod dicis? Tota, inquam, & plena diuinitatis perfectio totam nostram humanam naturam in se gestauit, hominem scilicet ipsum, in quo habitauit (vt inquit Apostolus) tota plenitudo diuinitatis corporaliter. Oculos habuit vt homines, similiter & manus, & pedes: non specie aliqua, sed re vera. Non enim rapinã arbitratus est se esse æqualem Deo: sed exinaniuit seipsum formam serui accipiens. Itaque vita ipsa mortis indumentum gestauit, vt mortalem illam conditionem ad propriam immortalitatem traduceret, cumque diuinitas ad humanum corpus descẽdisset, omnia deinceps hominis membra sancta sunt effecta, & ad meliorẽ vsum conuersa. Ita igitur os ipsum didicit tandem illud dicere: Domine, labia mea aperies, & os meum annunciabit laudem tuam. Oculi verò ipsi ad Dei gloriam intenti esse didicerunt, vt de ipsis dici possit: Oculi omnium in te sperant Domine, & tu das illis escam in tempore oportuno. Manus ad Deũ extensæ Domino suo benedicunt, vt & de illis dicatur: In noctibus extollite manus vestras in sancta, & benedicite Domino. Item illud: Eleuatio manuum mearum sacrificium vespertinum. Iam verò & pedes ipsi in Ecclesijs consistentes, & totum hoc Deo acceptum referentes: Stantes, inquiunt, iam iam sunt pedes nostri in sanctis locis. Item illud: Stantes erant pedes nostri in atrijs tuis Hierusalem. Vidisti, quæ sit in membris exterioribus diuinæ gloriæ celebratio. Quid igitur? Num & interiora hominis membra diuini ministerij sunt expertia? Minimè, inquam, sed anima ipsa cum interioribus membris clamans, & Deum inuocans ait: Benedic anima mea Domino, & omnia quæ intra me sunt, nomini sancto eius. Omittamus igitur Sunamitidem illam viduam cum miraculis ab Helisæo propheta effectis, vt Christi ad nos venientis vmbram quandam præ se ferentem, & nouæ gratiæ miracula orationem nostram conferentes, de hac ipsa re latius disseramus: & primùm consideremus, quemadmodum vnigenitus Dei Filius à solo patre ante omnia secula genitus, idem in extremis diebus, & ex virgine

matre sola, sine semine aliquo natus, vnicum viduæ cuiusdam filium mortuum misericordia motus ab inferis excitauit. Sed recurramus ad viduæ illius lachrymas, quæ cùm filium suum vnicum mortuum deploraret, Dominum ipsum qui nostræ salutis causa in mundum venerat, ad misericordiam allexit. Illius enim viduæ lachrymæ vnigenitum Dei filium ad vnicum eius filium à mortuis excitandum adduxerũt. Cùm enim ille valde misericors eam fœminam dolore nimio affligi vidisset, sponte viduam adijt, & mœroris flammam suæ benignitatis fronte totam extinxit: de ipso enim apud Prophetas scriptum legimus: Ros à te proficiscens, medicina ipsorum est. Fractum itaque ramum, vt bonus agricola, iterum inseruit. Cuiusnam hominis cor dolor ille non vulnerasset? Quis viduæ illius lachrymas sine lachrymis præterijsset? Eius, inquam, fœminæ mœror toti ciuitati fletum excitauit. Viduæ ipsæ viduam illam, quæ filiorum matres erant, mulierem liberis orbatam commiserabantur. Qui filios habebant, adolescentem mortuum lamentabantur. Adolescentes, adolescentem illum lachrymis prosequebantur. Alij vt filium, alij vt fratrem deplorabant. Omnes denique mœror ille tetigerat: & matris vulnus eò magis in corde renouabatur. Filij enim memoria in eis viscera tanquam telum aliquod recurrens flammam accendebat, & doloris acerbitatem maiorem efficiebat. Nihil enim ita matrem affligit, vt mortui filij recordatio. Cùm igitur crines sine intermissione laceraret, & vnguibus ipsis maxillas discerperet, ac dedecoraret, lachrymarum fluuios effundebat, & miserabiles pro filio mortuo voces emittebat, quales scilicet par erat à mœrore ipso in eius mentem ac vocem suppeditari. Cuinam, inquiebat, fili, viduam matrem, & orbam dereliquisti? Quem, te adempto, adiutorem inueniam? Cuinam ætas mea grandis, tanquam baculo, innitetur? Quem posthac patronum inueniam, cuius vir prius excessit, cui filius nunc adimitur? Qui potero orbitatis meæ angustias sufferre, & viduitatis tempestatem euadere? Hactenus onere illo, quod viduas consequitur, depressa fui, nunc & orbitatis caligo me oppressit. Duos illustres oculos possidebam virum, & filium: sed vtrũque mors ipsa effodit. Ecquis igitur, fili, matrẽ tuam iam mortuam sepulchro mandabit? Quis iusta persoluet? En illũ qui me lachrymis prosequi debebat, ipsa prius lachrymo: quem decebat sepulchrum mihi parare, eum ipsa nunc sepeliam. Non amplius tuis amplexibus fruar, non amplius tuis suauissimis osculis recreabor. Par erat matrem prius quàm filium à morte rapi: hic enim est naturæ ordo, vt filij parentes præmittant. Sed quoniam ordinem peruertisti, saltem celeriter Deus hoc mihi largiatur, vt ad eos qui mortui sunt, me quoque adiungat: satius enim mihi erit vno, eodemque sepulchro condi, quàm sine filio breui hac luce frui: nã nulla vitæ iucunditas mihi amplius reliqua est, cùm non amplius superstit ille, cuius causa viuere cupiebã. Quamdiu filius supererat, sine dolore ærũnas meas ferebã: vterque enim alteri consolationem adferebamus: neque illũ orbitas frangebat, neque viduitas ipsa tantùm, illo viuo, me onerabat. Et viri quidẽ calamitatem filij expectatio paulatim à memoria subtrahebat, sed cõsolationem meam hanc mors acerba statim conturbauit, & hilaritatem magnam in dolorem intolerabilẽ conuertit. Quàm diuersa sunt euenta ipsa ab ijs quæ mihi proposueram. Quotidie eius nuptias expectabam, sed pro thalamo nuptiali sepulchrũ cõstruxi. Quo tempore de nuru cogitabam, tunc monumentũ paraui. Cùm de nuptiali conditione tractabam, tunc testamentũ eius consignatũ accepi: & filius matrem hæredẽ scripsit, quæ filiũ hæredẽ cõstituere debebam. Cùm vestẽ nuptijs congruentẽ parare cœpissem, tunc funebribus vittis & indumẽtis eius cadauer astrinxi. Quàm diuersa sunt hæc ab ijs quæ mihi proposuerã? Non est dolor aliquis cum doloris mei acerbitate conferẽdus: nulla calamitas meæ calamitati par est. Nemo vlcus meum sanare poterit: nemo vulnus curabit: nemo talis, ac tantus medicus in vrbe hac est: non est, inquam, non est. Sed num aliquem apud vrbis portam inuenero? Cùm adhuc mulier loqueretur, Medicus, qui desiderabatur, præsto erat. Ille viduarum patronus viduæ occurrit. Pater orphanorum adolescentulum vocauit: vitæ largitor mortuum in vitam restituit: & orbatæ matris lachrymas misericordiarum amator Deus repressit. Cùm enim ad ciuitatis Naim portam Dominus appropinquasset (vt dicit Euangelista) ecce efferebatur mortuus filius vnicus matris suæ. Mortuus egrediens ingredienti vitæ occurrit. Cumque flentem matrem ipse Dominus vidisset, misericordia illius commotus est, eique dixit: Noli flere: mors enim quæ te impugnauit, expugnata nunc est. Noli flere: nam inferna sedes coacta filij tui animam à me repetitam restituet. Gaudebat quidem satanas, vt prædam deuoraturus, sed ingemiscet, voti compos non factus. Et vt discas verum esse quod promitto, re vera filium tuum resurgentem aspicies. Tunc dixit: Adolescens, tibi dico, surge. Et sedit, qui mortuus fuerat, & cœpit loqui. Adolescens, inquit, tibi dico, surge. Sed cúrnam addidit: Tibi dico? Simplicius enim dicere poterat: Qui mortuus es, resurge. Eius rei causam hanc esse arbitror, quòd Saluatoris vox summam vim habens, & alios mortuos in vitam excitatura erat: propterea illud addidit: Tibi dico, vt gratiam suam huius adolescentis resurrectione circunscriberet. Hoc idem fecit

& in

& in Lazaro. non enim dixit: Qui mortuus es, veni foras: sed nomine mortuum vocans: Lazare veni foras. Itaque id fecit, ne vox illius, qui vitæ autor est, simpliciter pronunciata multos mortuos excitaret. Sedit mortuus, & cœpit loqui, illud nimirum: Nisi Dominus adiuuisset me, paulominus habitasset in inferno anima mea. Item illud: Dominus eduxit me de lacu miseriæ, & de luto fecis: & statuit supra petram pedes meos, & direxit gressus meos. Hoc igitur & nos in tentationum fluctuationibus clamantes: Canamus gloriam patri, filio, & spiritui sancto, nunc & semper, & in æterna seculorum secula. AMEN.

VITA NABVTHE IEZRAELITAE, PER D. Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

Habetur in libr. 3. officiorũ eius, Cap. 9.

QVæ sancto Nabuthe fuit causa mortis, nisi honestatis contemplatio? Nam cùm ab eo vineam Rex posceret, pecuniam daturum se polliceus, indecorum pretium pro paterna recusauit hæreditate, maluitque morte declinare huiusmodi turpitudinem. Non mihi, inquit, fiat à Domino, vt dem tibi hæreditatem patrum meorum. Hoc est, tantum mihi opprobrium non fiat, non permittat Deus tantum extorqueri flagitium. Non vtique de vitibus dicit. Neque enim de vitibus cura est Deo, neque de terreno spatio, sed de iure loquitur patrum. Potuit vtique & aliam vineam de vineis Regis accipere, & in amicis esse, in quo non mediocris seculi huius vtilitas æstimari solet: sed quod turpe erat iudicauit non videri vtile, maluitque periculum cum honestate, quàm vtilitatem cum opprobrio. Vulgarem vtilitatem loquor, non illam in qua etiam honestatis gratia est. Denique & ipse Rex potuit extorquere, sed impudens arbitrabatur, sed occisum doluit. Dominus quoque mulieris immanitatem, quæ honestatis immemor turpe antetulit lucrum, congruo supplicio plectendam annunciauit. Turpis est itaque omnis fraus.

ITEM DE EODEM, PER EVNDEM AMBROSIVM.

Est caput 1. libri eiusdem de Nabuthe Israëlita.

NAbuthe historia tempore vetus est, vsu quotidiana. Quis enim diuitum non quotidie concupiscit aliena? Quis opulentissimorum non exturbare contendit agellulo suo pauperem, atque inopem auiti ruris eliminare finibus? Quis contentus est suo? Cuius non inflammat diuitis animum vicina possessio? Non igitur vnus Achab natus est. Sed quod peius est, quotidie Achab nascitur, & nunquam huic seculo moritur. Si vnus occidat, assurgunt plurimi: plures qui deripiant quàm qui amittát. Non vnus Nabuthe pauper occisus est: quotidie Nabuthe sternitur, quotidie pauper occiditur. Hoc metu percitum humanum genus cedit iam suis terris, migrat cum paruulis pauper onustus pignore suo, sequitur vxor illachrymans, tanquam ad bustum prosequatur maritũ. Minus tamen deplorat illa, quæ deflet suorũ funera: quia & si amisit coniugis præsidium, sepulchrũ patet: & si filios non tenet, tamen exules non dolet, non ingemit grauiora funeribus teneræ prolis ieiunia. Quousque extenditis diuites insanas cupiditates? Nunquid soli habitabitis super terram? Cur eijcitis consortem naturæ, & vindicatis possessionem naturæ? In commune omnibus diuitibus atque pauperibus terra fundata est. Cur vobis ius proprium soli diuites arrogatis? Nescit natura diuites, quæ omnes pauperes generat. Neque enim cum vestimentis nascimur, nec cum auro argentoque generamur. Nudos fudit in lucem, egentes cibo, amictu, poculo: nudos recipit terra quos edidit: nescit fines possessionum sepulchro includere. Cespes angustus æquè & pauperi abundat & diuiti, & terra quæ viuentis non cepit affectum, iam diuitem capit. Nescit ergo natura discernere quando nascimur, nescit quando deficimus. Omnes similes creat, omnes similes gremio claudit sepulchri.

Quis discernat species mortuorum? Rede peri terram, & si potes diuitem deprehende. Eruderato paulo pòst tumulum, & si cognoscis egentem, argue: nisi fortè hoc solum, quòd cum diuite plura pereunt. Sericæ vestes, & auro intexta velamina, quibus diuitis corpus ambitur, damna viuentium, non subsidia defunctorum sunt. Vnguentum accipis diues postquàm mortuus es, & fœtidus es, perdis alienam gratiam, nec acquiris tuam. Hæredes relinquis qui litigent cum hæredibus, relinquis depositum magis hæreditarium, quàm commodum voluntarium, qui quod relictum est, minuere ac violare formident. Si frugi hæredes sunt, custodiunt: si luxuriosi, exhauriunt: Itaque aut bonos hæredes perpetua condemnas solicitudine, aut malos dimittis, quò tua facta condemnent.

VITA IOB, PER D. ISIDORVM EPISCOpum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

IOB filius Zare de Bosera, Rex Idumeorum quartus post Esau, successor Bale filij Beor, homo gentilis, fidelis, stabilis, humilitate summus, hospitalitate præcipuus, in disciplina mansue-

mansuetus, in eleemosynis largus, diues in censu, exemplum factus egenis, locuples in liberis. Quibus repente orbatus, tentationi traditur: sed contra tentationem fide religionis armatus, fit gloriosus in certamine, æquanimis in dolore damna rerum pertulit, funera pignorum doluit, corporisque vulnera patienter excepit, & inter supplicia semper Deum glorificauit, mala sua sapienter sustinuit, coniugis verba & amicorum ratione superauit. Pro tanta virtute sapientiæ, duplici in fine subleuatur remuneratione, & post rerum casum multiplici claritate donorum. Nam post noctis tristitiam diem genuit. Post fœtorem vlcerum cassiæ odore fragrauit: sed & post abiectionem eorum in vnctione Regni promeruit, & stibium in acceptum laudis assumpsit. Vixit autem post plagam centum septuaginta & octo annis, & mortuus est, atque sepultus in regione sua. Hunc verò Hebræi asserunt non fuisse de genere Esau, sed de Nachor fratris Abrahæ descendisse stirpe, & fuisse eum temporibus Patriarcharum. Nachor enim genuit Hus, de cuius stirpe Iob creditur generatus, secundum quod in exordio voluminis eius notatur, inquiens: Vir erat in terra Hus, nomine Iob.

Est Sermo. 16. li. 1. Sermo. eius.

VITA SANCTI IOB, PER D. ZENONEM Episcopum Veronensem scripta.

Sacræ historię, fratres dilectissimi, ad hoc nobis est tradita legenda narratio, vt maiorum, si fieri potest, saltem aliqua ex parte mores imitemur, si non possumus imitari virtutes. Tanta enim probitate vixerunt, vt pars fœlicitatis sit nosse quid fecerint. Igitur Iob vir fuit iustus & verax, ab vniuersis concupiscentijs huius mundi segregatus: conuersatione limpidus, mente limpidior, vsq; adeo circunspectus, atq; irreprehensibilis, vt Dei sit testimonio collaudatus. Vnde non immeritò beatus beata vita fruebatur. Namq; erat illi splendidissima domus, diues census, diues quoq; numerus liberorũ: & quod est parentibus gratum, vtriusq; sexus, & inuicem se amantiũ, 1 quorum pro numero Deo diurnas hostias offerebat. Tanto autem puritatis & fidei erat muro munitus, vt nõ auderet eum attentare diabolus, nisi à Deo iussus. Iam hîc considerate, fratres, quemadmodũ sæuierit incitatus, qui ferri non potest blãdus. Igitur famigerabile committitur prælium, illinc diabolus horrendum totis intonans armis, ministrisq; insuper suis in auxilium concitatis, terribili increpans tuba prædonum, quæ corda face furiali succesa, impetibus crebris passim totas hominis Dei facultates inuadit. Subitò rapina igne, ferroq; vniuersa vno momento dispersit. Hinc Iob alta fidei radice robustus tot nuncijs lugubribus tunditur, nec mouetur: sed tantùm benedicit Deum, facultatesq; suas cõtemnendo custodit. At vbi diabolus aggressuris tantis nihil se profecisse cognoscit, omnẽ impietatis suæ rabiem in filios eius effundit. Nam cùm solito more vnanimes vna epularentur in domo, subitò concussis toto nixu quatuor angulis eius, in confusam molem parietibus tectisque labentibus, illam sanctissimam fratrum cohortem sepelit antè quàm iugulet. Taleque est cõmentus impietatis excidiũ, vt in illa vnius funeris turba, paternus dolor non sufficeret orbitati. Cùm nescit quem primùm plangat, quem priorem inueniat, cui primùm iustitiam crudi funeris soluat. Quo nuncio accepto, Dei seruus scidit vestimẽta sua, non vt Deo inuidiam faceret, sed vt expeditius cum hoste pugnaret. Contempsit deniq; in perditis facultatibus diuitem, dissimulauit in amissis liberis patrem, in pœna sui corporis iustum. Namque summo capitis à vertice vsque ad imos vngues pedum, plaga inimici percussus, pustulosis vlceribus non distinctum, sed totus vnum vulnus est factus. Veruntamen in his omnibus nihil aduersus Deum improbè loquitur. Non vxori illicita suadenti succumbit. Non amicis insultãtibus cedit, sed victor crudelitatis & impietatis, in sterquilinio fœtido scaturiẽte vermibus sedet, quasi nihil passus, sed solo Dei timore contentus. O fœlix vir, qui mira patientia Deum promeruit, diabolũ vicit, sanitatẽ recepit, facultates, liberósque suos non perdidit, sed mutauit. Iob, quantũ intelligi datur, fratres charissimi, Christi imaginẽ præferebat. Deniq; comparatio indicat veritatẽ. Iob iustus dictus à Deo est: ipse iustitia, de cuius fonte omnes qui beati sunt gustãt. Ecce enim de ipso dictum est: Orietur vobis sol iustitiæ. Iob verax est appellatus. Adest vera veritas Dominus, qui ait in Euangelio: Ego sum via & veritas. Iob diues fuit. Et quid ditius Domino, cuius sunt omnes diuites serui, cuius est orbis totus, omnisq; natura, beatissimo Dauid dicente: Domini est terra, & plenitudo eius, orbis terrarum, & vniuersi qui habitant in eo. Iob diabolus ter tentauit. Similiter Euangelista perhibente, & Dominum ter est tentare conatus. Iob facultates quas habuit amisit: & Dominus cœlestia sua bona amore nostri neglexit, pauperemque se fecit, vt nos diuites faceret. Iob filios furens diabolus interemit: & Domini filios prophetas insanus populus Pharisæus occidit. Iob vlceribus maculatus est, & Dominus sumendo carnem, totius humani generis peccatorum est sordibus obsoletatus. Iob vxor sua hortatur, vt peccet in Dominum: vt corruptelam seniorum sequatur, synagoga compellit. Iob amici sibi insultasse perhibentur, & Domino sui fa-

1 *Ecce in lege naturæ sacrificiũ. Quare ergo lex gratiæ nullũ haberet sacrificium? habet profectò, & illud est Missa, cum cætera omnia spiritualia & interna sacrificia communia sint omni legi & tempori.*

sui sacerdotes, sui insultauêre cultores. Iob in sterquilinio pleno vermibus sedet. Dominus quoq; in vero sterquilinio, id est, in huius mundi cæno versatus est, inter ebullientes diuersis sceleribus ac libidinibus homines, qui veri sunt vermes. Iob & sanitatem recepit & facultatem, & Dominus resurgens non sanitatem tantùm, sed immortalitatem in se credentibus præstitit, dominiumq; totius naturæ recuperauit: sicut est ipse testatus, dicens: Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Iob vicarios filios genuit, Dominus quoque post Prophetas filios sanctos Apostolos procreauit. Iob beatus quieuit in pace, Dominus autem manet benedictus in æternum ante secula, & à seculis, & in cuncta secula seculorum. Amen.

ITEM DE SANCTO IOB, PER D. Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

Ex lib. 1 officiorum eius ca. 39.

QVid sancto Iob vel in virtute defuit, vel in vitio obrepsit? Quomodo laborem ægritudinis, frigoris, famis pertulit? Quomodo despexit salutis periculũ? Nunquid rapinis diuitiæ coaceruatæ, de quibus tanta inopibus affluebant? Nunquid auaritia, census, aut voluptatis studia, cupiditatesque excitauit? Nunquid trium Regum iniuriosa contentio, vel seruorum contumelia in iram excussit? Nunquid gloria sicut leuem extulit, qui imprecabatur grauia, sibi si vnquam vel non voluntariam celauisset culpam, vel reueritus esset multitudinem plebis, quò minus annunciaret eam in conspectu omnium? Neque enim consentaneæ sunt vitijs virtutes, sed sibi constant. Quis igitur tam fortis, quàm sanctus Iob? Cui secundus adiudicari potest, qui parem vix reperit?

VITA TOBIAE, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

TObias filius Ananiæ ex tribu Neptalim de ciuitate Ciciel, quæ est in regione Galileæ. Hic captiuus ductus est ad Salmanasar Regem Assyriorum in Niniuen. Vir in timore Dei summus, in opere magnificus, in [1] exequiarum curis deuotus. Qui dum mortuos sepeliret, & inopes pasceret, cæcitatem luminis incurrit, & post tenebras reseratis oculis, lumen claritatis promeruit. Iacet in Niniue sepultus in pace.

1 Si commendatur S. Tobias de curis exequiarum & sepultura mortuorũ, quare hæc damnantur hoc tempore à nouis hæreticis?

ITEM DE SANCTO TOBIA, EX D. Ambrosio Episcopo.

Est cap primũ libri eiusdem de Tobiâ.

LEcto prophetico libro, qui inscribitur Tobias, quamuis plenè vobis virtutes sancti Prophetæ scriptura insinuauerit, tamen compendiario mihi sermone de eius meritis recensendis & operibus apud vos vtendum arbitror, vt ea quæ scriptura historico more digessit latius, nos strictius comprehendamus virtutum eius genera, velut quodam breuiario colligentes. Fuit vir iustus, misericors, hospitalis, & ob virtutes quibus præditus fuerat, subiit ærumnam captiuitatis, quam ferebat humiliter atq; patienter, communem magis iniuriam, quàm priuatam dolens. Nec sibi virtutum suffragia nihil profuisse deplorans, sed magis eam contumeliam minorem peccatorum suorum precio illatam arbitratus, meruit edictum, ne quem ex filijs captiuitatis mortuum sepultum daret. At illo interdicto non reuocabatur magis quàm incitabatur, ne deserere officium pietatis, mortis metu videretur. Erat misericordiæ præcium, mortis pœna. Talis flagitij deprehensus reus, vix tandem per amicum potuit direpto patrimonio egenus & exul restitui suis. Iterum in his versabatur officijs, si quid alimenti foret, peregrinum eum quo cibum sumeret, quærens. Itaque cùm à sepulturæ fessus reuerteretur munere, appositis sibi edendis subsidijs, misso filio quærebat consortem conuiuij. Dum conuiua accersitur, nunciatis insepulti corporis reliquiis, deserebat, nec putabat pium, vt ipse cibum sumeret, cùm in publico corpus iaceret exanime. Hoc illi quotidianum opus, & magnum quidem. Nam si viuentes operire nudos præcipimur, quantò magis debemus operire defunctorum corpora? Si viantes ad longiora deducere solemus, quantò magis in illam æternam domum profectos, vnde iam non reuertentur? Ego, inquit Iob, super omnem infirmum fleui. Quis infirmior defuncto, de quo dicit scriptura alibi: Super mortuum plora. Ecclesiastes autem ait: Cor sapientum in domo luctus, cor autem stultorum in domo epularum. Nihil hoc officio præstantius, ei conferre qui tibi iam non possit reddere: vindicare à volatilibus, vindicare à bestiis consortem naturæ. Feræ hanc humanitatem defunctis corporibus detulisse produntur, homines denegabunt? Tam sancto fessus officio Propheta dum requiescit in cubiculo suo, cadenti de passerum nido albugine, cæcitatem incidit, nec conquæstus ingemuit, nec dixit: Hæc merces laborum meorum? Fraudari magis se doluit obsequiorum, quàm oculorum munere: nec cæcitatem pœnam, sed impedimentum putabat. Et cum victum mercede leuaret coniugis, ne quid furtiuũ domum suam intraret cauebat. Vxor hœdum pro mercede acceperat. At ille plus honestati, quàm

Iob 30. Ecclesiast. 22. Ecclesiast. 7.

pietati consulens, cui sua deerant, alimoniam commodauerat proximo suo, quam toto vitæ suæ tempore in tanta indigentia non poposcit. Vix vbi se fessum vidit & depositum senectute, insinuauit filio, non tam cupiens commodatum reposcere, quàm solicitus ne fraudaret hæredem. Quòd igitur commodauit pecuniam, & non fœnerauit, iusti seruauit officium. Malum est enim fœnus quo quæruntur vsuræ: sed non illud fœnus malum, de quo scriptum est: Fœnera proximo tuo in tempore necessitatis illius. Nam Dauid ait: Iustus miseretur & commodat. Aliud illud fœnus iure execrabile, dare in vsuram pecuniam, quod lex prohibet. Sed Tobias hoc refugiebat, qui monebat filium ne præceptum Domini præteriret, vt ex substantia sua eleemosynam faceret, non pecuniam fœneraret, non auerteret faciem suam ab vllo paupere. Hæc qui monet, condemnat vsuras fœnoris, ex quo multi quæstum fecerunt, & multis commodare pecunias negotio fuit. Et quidem eam prohibuerunt sancti. Quò grauius malum fœnus est, eò laudabilior qui illud refugit. Da pecuniam si habes, prosit alij quæ tibi ociosa est. Da quasi non recepturus, vt lucro cedat, si reddita fuerit. Qui non reddit pecuniam, reddet gratiam. Si fraudaris pecunia, acquires iustitiam. Iustus est enim qui miseretur & commodat. Si amittitur pecunia, comparatur misericordia. Scriptum est enim: Qui facit misericordiam, fœnerat proximo.

VITA IVDITH, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

IVdith filia Merari de tribu Simeon magnanimis in gloria virorum. Hæc pro salute populi morti se obtulit, nec trepidauit furorem Regum. Nam dormitantem necauit principem suum: saluoque pudore, suis ciuibus triumphalem victoriam reportauit. Vixit annis centum & quinque. Sepulta est in spelunca sui viri Manasse in ciuitate Bague, quæ est in tribu Iuda, inter Dothain & Balmon.

ITEM DE EADEM, PER D. HIERONYMUM Presbyterum Stridonensem.

Est præfatio eius in eundem librum.

APud Hebræos liber Iudith inter hagiographa legitur: cuius autoritas ad roboranda illa quæ in contentionem veniunt, minus idonea iudicatur: Chaldæo tamen sermone conscriptus, inter historias computatur. Sed quia [1] hunc librum synodus Nicæna in numero sanctarum scripturarum legitur computasse, acquieui postulationi vestræ, imò exactioni, & sepositis occupationibus quibus vehementer arctabar, huic vnam lucubratiunculam dedi, magis sensum è sensu, quàm ex verbo verbum transferens. Multorum codicum varietatem vitiosissimam amputaui: sola ea quæ intelligentia integra in verbis Chaldæis inuenire potui, Latinis expressi. Accipite Iudith viduam, castitatis exemplum: & triumphali laude perpetuis eam præconijs declarate. Hanc enim non solùm fœminis, sed & viris imitabilem dedit: qui castitatis eius remunerator, virtutem ei talem tribuit, vt inuictum omnibus hominibus vinceret, & insuperabilem superaret.

[1] Ecce quo modo sancta œcumenica synodus est illa quæ sacros libros inter canonicas scripturas computat. Non possum me cohibere lector quin friuolam hic Erasmi censuram tibi indicem. Ait enim: Non affirmat Hiero. approbatum hunc librum in synodo Nicæna, sed ait, legitur computasse: O argutum sophistam Et quid est synodum computasse librum in numerum sanctarum scripturarum, nisi illa approbasse, inter canonicos admisisse, atque Ecclesijs legendum sua authoritate præstitisse? Siccine bone vir, piis lectoribus illuditur? Quod si Nicænæ synodi deliberatio non te permouit, quare non adhæsisti vel Carthaginensi concelio 3. Can. 47. Et Florentino sub Eugenio quarto celebrato, nec non Innocentio primo, vbi hic liber in Canone sanctarum scripturarum recensetur? An fortè parua tibi visa est tanti viri authoritas, etiam si dicat tantummodo, legitur?

ITEM DE SANCTA IVDITH, PER D. Ambrosium Episcopum Mediolanensem.

ECce tibi Iudith se offert mirabilis, quæ formidatum populis virum Holofernem adijt, Assyriorum triumphali septum caterua. Quem primò formæ gratia & vultus decore perculit, deinde sermonis circunscripsit elegantia. Primus triumphus eius, quòd integrum pudorem tabernaculo hostis reuexit. Secundus, quòd fœmina de viro reportauit victoriam, fugauit populos consilio suo. Horruerunt Persæ audaciam eius, vtiq; (quod in illis Pythagoreis duobus mirantur) non expauit mortis periculum, sed nec pudoris, quod est grauius bonis fœminis: non vnius ictum carnificis, sed nec totius exercitus tela trepidauit. Stetit inter cuneos bellatorum fœmina, inter victricia arma, secura mortis. Quantum ad molem spectat periculi, moritura processit: quantum ad fidem, dimicatura. Honestatem igitur secuta est Iudith, & dum eam sequitur, vtilitatem inuenit. Honestatis enim fuit prohibere, ne populus Dei se prophanis dederet, ne ritus patrios & sacramenta proderet, ne sacras virgines, viduas, grauidas, pudicas matronas barbaricæ subiiceret impuritati, ne obsidionem deditione solueret. Honestatis fuit, se malle pro omnibus periclitari, vt omnes eximeret periculo. Quanta honestatis autoritas, vt consilium de summis rebus fœmina sibi vendicaret, ne princi-

principibus populi committeret. Quanta honestatis autoritas, vt Deum adiutorem præsumeret? quanta gratia vt inueniret?

Habetur in libr. de viduis.

ADHVC DE SANCTA IVDITH, PER EVNDEM.

SEd ne fortitudo bonæ viduæ deesse consueuit. Hæc enim vera est fortitudo, quæ naturæ vsum, sexus infirmitatem, mentis deuotionē transgreditur. Qualis in illa fuit, cui nomen Iudith, quæ viros obsidione fractos, perculsos metu, tabidos fame, sola potuit à colluuione reuocare, ab hoste defendere. Etenim vt legimus, cùm Holophernes successu multorum terribilis præliorum, intra muros innumera virorum millia coëgisset, armatis pauentibus, & de extrema iam sorte tractantibus, extra murum processit, & illo præstantior exercitu quem liberauit, & eo fortior quem fugauit. Sed vt discas maturæ viduitatis affectum, seriem ipsam prosequere scripturarum. A diebus enim viri sui quibus ille defunctus est, vestem iocunditatis deposuit, mœroris assumpsit: per omnes dies intenta ieiunio, sabbato tantum & dominica, sacratarumque temporibus feriarum non refectioni indulgens, sed religioni deferens. Hoc est enim, siue manducatis, siue bibitis, in nomine Domini Iesu Christi agenda esse omnia, vt etiā ipsa refectio corporalis sacro religionis cultui deferatur. Diuturnis [2] igitur mœroribus & quotidianis roborata ieiuniis sancta Iudith, quæ seculi oblectamenta non quæreret, periculi negligens, mortisque contemptu fortior, vt commento strueret dolum, vestem illam iocunditatis, quam viuente viro vestiri solebat, se induit, quasi placitura viro, si patriam liberaret. Sed virum alium videbat cui placere quærebat. Illum vtique de quo dictum est: Post me venit vir, qui ante me factus est. Et bene coniugales pugnatura resumpsit ornatus, quia monimenta coniugij arma sunt castitatis. Neque enim vidua aliis aut placere posset aut vincere. Quid cætera prosequamur, quòd inter tot millia hostium casta permansit? Quid eius sapientiam prædicemus, quòd huiuscemodi est commenta consilium, vt dum potentem eiicit intemperantia, à se inferiores arceret, occasionem pararet victoriæ, abstinentiæ meritum, pudicitiæ gratiam reseruaret? Nec cibo enim, vt legimus, maculata, nec adultero, non minus seruatæ castitatis ex hostibus reuexit trophæum, quàm patriæ liberatæ. Quid sobrietatem loquamur? Temperantia enim virtus est fœminarum. Inebriatis vino viris, & somno sepultis, abstulit vidua gladium, exeruit manum, bellatoris abscidit caput, per medias hostium acies intemerata processit. Aduertatis igitur quantum nocere mulieribus possit ebrietas, quando viros vina sic soluunt, vt vincantur à fœminis. Esto igitur vidua temperans, casta primum à vino, vt casta possis esse ab adultero. Nequaquam te ille tentabit, si vina non tentent. Nam si Iudith bibisset, dormisset cum adultero: sed quia nō bibit, haud difficile ebrios exercitus vnius sobrietas & vincere potuit & eludere. Nec dexteræ tātum hoc opus, sed maiora trophæa sapientiæ. Nam manu solum Holophernem vicisset, cōsilio autem omnium hostium vicit exercitum. Suspenso enim Holophernis capite, quod virorum consilio non potuit excogitari, suorum erexit animos, hostium fregit: suos pudore excitans, hostes quoque terrore percellens: eò quòd cæsi sunt & fatigati. Ita vnius viduæ temperantia atque sobrietas non solùm naturam suam vicit, sed quod est amplius, fecit viros etiam fortiores. Nec his clara successibus, cui vtique gaudere & exultare licebat iure victoriæ, viduitatis reliquit officium, sed contemptis omnibus qui eius nuptias ambiebant, vestem iocunditatis deposuit, viduitatis resumpsit, nec triumphorum suorum amauit ornatus. Illos existimans esse meliores, quibus vitia corporis, quàm quibus hostium arma vincuntur.

[2] *Diuturnis mœroribus, & quotidianis roborata ieiuniis.*

VITA ESTHER, PER D. ISIDOrum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

ESther Regina filia fratris Mardochæi, de stirpe Beniamin, captiua de Hierusalem in vrbe Susis translata, atque ob aspectum formæ perspicuæ, virginitatisq; excellentiam, Regis Persarum connubiis copulata est. Hæc vt populum suum à periculo liberaret, morti se obtulit, amicumque Regis aduersum populum Dei nepharia persuadentem, cruci tradendum persuasit, gentemque liberam ab excidio eruit, & à seruitute eripuit. Iacet sepulta in Susis vrbe Medorum, in qua etiam & regnauit.

VITA ET MORS ESAIAE PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

ESaias Propheta quidem in Hierusalem de tribu Iuda ortus, sub Manasse verò Rege Iuda sectus in duas partes, occubuit. Tumulatus est sub quercu Rogel iuxta transitum aquarum, quas olim Ezechias Rex obstruxerat, cùm eas vndas peruias efficeret. Fontē quippe Deus Seloam causa Prophetæ effecit, quoniam priusquam moreretur, pusillum precatus [1] est, vti vndas illic effingere dignaretur. Et confestim demisit illi cœlitus aquam viuentem, vnde

[1] *Vide efficaciam orationis Esaiæ.*

vnde ſortitus eſt locus ille appellationem Siloam, quod ſi quis interpretetur, ſonat demiſſum. Sub Ezechia quoque Rege, antequam ſtagnum piſcinaſque fabricaſſet, precibus Eſaiæ effectum, vt exigua lympha ſcaturiret, quòd populus in obſidione hoſtium teneretur, & ne ipſa periret vndis deſtituta ciuitas. Milites igitur perſcrutabantur vndique, vbinam ſedare ſitim daretur: ignorabant etenim. Vrbe quippe iam potiti, obſidebant Siloam. Quandocunque itaque Iudæi aquatum venerant, ſcaturiebat eis vnda, & aquabant: exterarum verò nationum homines reperire neſciebant, latex namque aufugiebat. Eoque ad hodiernum vſq; diem eructatur clanculum quo ſignificet myſterium. Cæterùm quandoquidem Eſaiæ Prophetæ iſtuc acceptum referunt, in perennem eius rei memoriam, populus accuratè Prophetam iſthic ſolo cum gloria & honore reddidit, vt per 2 eiuſdem interceſſiones in conſummationem vſque ſeculi, aquæ eiuſmodi fructus impetretur, cui ſcilicet vſum referebant acceptum. Extat autem monumentum Eſaiæ finitimum ſepulturæ principum poſt ſepulchra ſacerdotum, verſus Notum, partemque meridionalem. Salomon enim Hieroſolymam conſtruens, regum excitauit Mauſolea, prout illa Dauid deſcripſerat. Exiſtit autem Orientem verſus Sion, quæ introitum à Gabaoth poſſidet, quæque ab oppido viginti diſtat ſtadijs. Foueam præterea fecit illic incomprehenſibilem, magnæ etiamdum parti mortalium incompertam.

2 Ergo ſancti poſt mortem orant pro nobis, et impetrãt exhiberi nobis à Deo beneficia.

ITEM VITA ESAIAE, PER D. ISIDOrum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris teſtam.

ESaias filius Amos, non illius Prophetæ, ſed alterius qui ſimili nuncupatus eſt nomine. Ille ex genere paſtorum fuit, oppido Thecue: hic autem genere nobili ortus in Hieruſalem. Quem etiam aiunt Hebræi ſocerum fuiſſe Manaſſe. 3 In quo tanta fuit ſanctitas, & vitæ excellentia, vt vnam tantùm dicatur habuiſſe tunicam cilicinam. Quanquam etiam poſtmodum pro delictis populi abijt, & ſacco membra cooperuit: ſed & hoc ad extremum depoſito, iuxta imperium Domini, nudo corpore, nudoque veſtigio in conuentu populorum verſatus eſt. Sicq; æſtiuum feruorem, hyemiſq; pruinas, atq; imbrium tempeſtates ſuſtinuit, vt Dei præceptis obediret, & deploraret populi delicta. Hic quindecim gradibus recedentem vmbram retro aſcendere iuſſit. Cuius oraculo Rex Ezechias mortis dilationem promeruit. Quem Manaſſes extenſum à vertice per medium ſerra ſecuit, atrociq; ſupplicio & cruciatu extinxit. Tradunt autem Hebræi duabus de cauſis occiſum fuiſſe Eſaiam. Vnam, quòd eos appellauerit Principes Sodomorum, & populum Gomorrhæ: Alteram, quòd teſtante Domino ad Moyſen: Nemo poteſt videre faciem meam, & viuet: iſte auſus eſt exclamare: Vidi Dominum ſedentem ſuper thronum excelſum & eleuatum. Non arbitrantes cæcati mente Iudæi, quòd in ſequentibus faciem & pedes Dei Seraphin texiſſe nouerat, ac mediam tantùm eius vidiſſe ſpeciem. Sub quercu Rogel requieſcit iuxta decurſus aquarum, quas Ezechias Rex Iuda molem conſtruendo terræ expoſuerat.

3 Aduertis quomodo ex vilitate veſtimẽti arguat vitæ ſanctitatem & excellentiam? Cur ergo reprehendũt modò hæretici in ſeruis Dei veſtiũ aſperitatem & vilitatem? Nónne & præcurſor domini vilibus & aſperis indumentis vſus eſt, & propterea etiã ab ipſo Saluatore ſummopere laudatus?

VITA ET MORS HIEREMIAE PROPHETAE, per D. Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum deſcripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

HIeremias Propheta Anathothides apud Taphnas in Ægypto, à plebe lapidibus obrutus occubuit. Iacet verò in eo loco ſepultus, quo dudum Pharao Rex habitauerat, quamobrẽ Ægyptij poſtea magna eum religione colebant, 1 vbi pluribus ſe officijs ab illo adiuuari cognouerunt. Aſpides enim, & vndarũ beluæ (quas Nephod appellitãt Ægyptij, Græci verò τοὺς κροκοδείλους,) eos interimẽtes, poſtulationis Hieremiæ beneficio, ex illis finibus ſunt progati: nec tam aſpidum furor, quàm ex flumine ratione pari beſtiarum inſidiæ. Quiq; vel hodie adhuc fideles comperiuntur, eodem in loco ſupplicare conſueuerunt, & ſumpto puluere morſibus aſpidum medentur. Feræ quoque aquatiles hinc fugam dedêre. Idem Propheta ſacerdotibus Ægypti ſignum exhibuit, dicens: Oportere olim cuncta eorum ſimulachra concidere, ſimulque omnia manu facta præcipitari, vbi Ægyptum aſcendet cum ſuo infante virgo enixa, Deo equidem perquàm amœna. Id quod tandem vſu venit illis.

1 Quid hic dicis hæretice, qui ſanctos vocas emortuos, & nil poſt mortem poſſe nugaris? Vides hic quot beneficia cõferãtur Aegyptiis ad interceſsionem ſancti Prophetæ apud eos ſepulti.

Hic eſt ille Propheta, qui ante mutationem templi arculam apprehendit, quæque fuêre in ea ſingula, & curauit ea abſorberi in ſaxum. Et locutus eſt ſacerdotibus plebis, & quicunque aderant maioribus. Perfectus Dominus è Sina in cœlos: ſed reuertetur in maieſtate, & virtute diuina. Et hoc aduentus ipſius indicium erit: Quando Gentes vniuerſæ ligno ſupplicabunt. Addidit præterea: Arcam hanc nec quiſquam reſerabit vnquam, neque ſacerdotum, neque Prophetarum, Moſe electo excepto Dei.

Tabulas quas cõtinet ipſa, nullus explicabit, præter Aaron. Cæterum in reſurrectione primùm

mum Arca resurget, & prodibit è saxo, inque Sina monte locabitur: & omnes sancti ad eam confluent, vt illinc suscipiant Dominum, & vitent inimicum seu aduersarium, qui perdere illos affectabat. Tunc saxum sigillauit digito, inscribens nomen Domini: & factus est typus instar sculpturæ ferri: & nubes petram cooperuit: & eum sanè locum vix quisquam nouerit. Quin ne nomen quidem vsque in hunc diem, nec vsque in consummationem seculi datur legere. Lapis deinceps ille habetur in solitudine, vbi primitus fabricata est arca, in medio montium, in quibus iacent Moyses & Aaron sepulti. In noctibus porro nubecula niret modo ignis eodem loci pro typo qui erat ab initio, quoniam nunquam cessabit maiestas Dei à lege eius.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

ITEM VITA HIEREMIAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Hieremias ex tribu sacerdotali, ortus in vico Anathot, qui est tribus milibus procul ab Hierusalem, sacerdos in Iudæa positus, Propheta in gentibus consecratus, antequam plasmaretur agnitus, antequam procederet sanctificatus, 2 & vt virgo permaneret admonitus. Hic prædicare puer cœpit, arguens populum ob delicta, & sæpius cohortans ad pœnitentiam. Sed plebis perfidè sæuientis crudelitate afficitur, atque sæpe ligatur in carcerem, & mittitur in lacum. Ad vltimum autem apud Taphnas in Ægypto à populo lapidatur. Sepultus est in eo loco, vbi Pharao Rex Ægypti habitauit. Veruntamen 3 precibus suis serpentibus ab eo loco fugatis, Ægyptios à noxio aspidum morsu eripuit. Insigni autem veneratione, amplissimoque honore eundem Ægyptij colunt. 4 Sepulchrumque eius insigni cultu hactenus venerantur.

2 Vidésne quomodo etiā in Sanctis veteris testamēti reperitur Virginitas?

3 Precibus S. Hieremiæ post mortē eius serpentes ab Ægyptiis fugati sunt: quid ergo dicunt Nouatores nostri temporis, Sanctos post mortem non esse inuocandos? Et Sanctos nihil posse?

4 Nota ex hoc loco antiquū morem fuisse, sanctorum sepulchra in veneratione haberi.

ITEM ADHVC DE HIEREMIA, PER D. Hieronymum Presbyterum Stridonensem scripta.

Est præfatio eiusdem in Hieremiam Prophetam.

Hieremias Propheta, cui hic prologus scribitur, sermone quidem apud Hebræos Esaiæ & Oseæ, & quibusdam alijs Prophetis videtur esse rusticior, sed sensibus par est: quippe qui eodem spiritu prophetauerit. Porro simplicitas eloquij, à loco ei in quo natus est, accidit. Fuit enim Anathothites, qui est vsque hodie viculus, tribus ab Hierosolymis distans milibus. Sacerdos ex sacerdotibus, & in matris vtero sanctificatus, 5 virginitate sua Euangelicum virum Christi Ecclesiæ dedicant. Hic vaticinari exorsus est puer, & captatiuitatem vrbis atque Iudeæ non solùm spiritu, sed oculis carnis intuitus est. Iam decem tribus Israel Assyrij in Medos transtulerant: iam terras earum coloniæ gentium possidebant. Vnde in Iuda tantum & Beniamin prophetauit, & ciuitatis suæ ruinas quadruplici planxit alphabeto: quod nos mensura metri, versibusque reddidimus. Præterea ordinem visionum, qui apud Græcos & Latinos omnino confusus est, ad pristinam fidem correximus. Librum autem Baruch notarij eius qui apud Hebræos nec legitur, nec habetur, prætermisimus, pro his omnibus maledicta ab æmulis præstolantes, quibus me necesse est per singula opuscula respondere. Et hoc patior, quia vos me cogitis. Cæterùm ad compendium mali rectius fuerat modum furori eorum silentio meo ponere, quàm quotidie noui aliquid scriptitantem inuidorum insaniam prouocare.

5 Hieremias virgo.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

VITA ET MORS EZECHIELIS PROPHETAE, Per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Ezechiel Propheta è terra Sarera, de filijs Pontificum genus duxisse asseritur. Fato functus est tempore captiuitatis in regione Chaldæorum. Plurima ille super reuisione populi prophetauit, deque reditu filiorū Israël, nec non & de aduentu Domini. Occidit autem illum dux populi, cùm vnà secum incola foret in Babylone, reprehensus ab eo de cultibus idolorum. Quare in agro Maur funerauerunt eum, in monumento Sem & Arphaxad progenitorum Abrahæ. Et sepultura isthæc ad nostra vsq; tempora specus est duplex. Etenim Abraham excitauit ad huius instar, Saræ coniugis suæ monumentum in Cebron: quod quia defossum sit atq; latens, duplex dicitur, è planicie, & in terra tabulatum, petraq; suspensum. Iste quidem Propheta populo obiecit prodigium, cùm precatus esset ad amnem Chobar. Quòd videlicet cùm deficerent vndæ fluminis eius, falce desolationis sperare deberent in finibus terræ. Et quando exundaret fluuius ille, id signum esse reditus in Hierusalem. Et contigit illud. Etenim in terra Spyriorum vir pius ille sepultus iacet: multiq; ad monumentum eius confluunt ad precationem & obsequium. Sanè 1 quando tanta eò frequentia vnà ad monumentum eius conueniunt, formidant Chaldæi, ac metuunt, ne illum auferant: quapropter egredientem comitantur, & deducunt. Effecit verò Propheta consistere hic fluminis vndas, quò terga darent filij Israël trans ripam. Cæterùm Chaldæorum aliquot audaciores populum pone persequi tentabant, qui quidem ad vnum omnes submersi sunt.

1 Confluitur ad sepulchrum Prophetæ, vt ibi funduntur preces & exhibeatur obsequium. Contra quod garriunt hæretici præsentis temporis.

Iste quoq; Propheta spontaneis orationibus filijs Israel vberrimum piscium impetrauit commeatum, vt qui inedia tantum non periissent, piscium esu reficerentur. Plurimis etiam illorum, qui aura vitali iam vesci desierant, vitam recuperauit. Is est quoque vates ille, qui plebe iam depressa ac pessundata ab hostibus, stetit contra faciem ducum illorum, & confundebat eos portentis & miraculis, ita vt milites territi cœpto desisterent. Tunc populo suo Ezechiel dixit: Propterea quod parum conuenit inter vos, spes vestra interijt. Nunc in prodigiis ossium mortuorum fecit illos, quoniam est spes Israel cùm præsente, tum ætate futura. Hic est, inquam, Propheta, qui quanquam esset in regione Chaldæorum, pleraque tamen populo quæcunque in Hierosolymis, inque templo fiebant, aperuit. Iste quoque Propheta eduxit eos de finibus Chaldæorum, & reduxit in Hierusalem ad redargutionem impiorum & infidelium. Hic Ezechiel per Moysen contemplatus est situm templi, murumque eius spaciosum, prout locutus est etiam Daniel, vti olim conderetur. Hic in Babylone iudicauit tribum Dan & Gad, quòd impiè egissent aduersus Dominum, persequendo eos, qui legi fidem suam astrinxerant. Obtulit autem illis insigne prodigium siue ostentum, quoniam angues deuorauerunt infantes eorum, & omnia iumenta ipsorum. Prædixitque, quòd culpa eorum nequeat populus regredi Hierosolymam, quin in Media permaneret quoad resipiscerent, & in viam, quod aiunt, redirent. Erat sanè vnus illorum qui eum interemit: oppositus enim erat illi, vsque in diem obitus sui.

ITEM VITA EZECHIELIS, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

Ezechiel Sacerdos filius Buzi, genitus in terra Sariara, in typo Christi filius hominis vocatus. Hic captiuus cum Ioachim in Babyloniam ductus est, & ad captiuos prophetauit, corripiens eorum offensiones: & zelo Dei motus, cuncta eorum crimina & turpitudines arguit. Quem dux populi Israel interfecit, pro eo quòd autoritate pontificiali corripitur ab eo ob impietatem sacrilegij. Sepultus est autem à populo in agro Maurim, & Arphaxat.

ITEM DE EZECHIELE, PER D. Hieronymum Presbyterum.

Est præfatio eiusdem in Ezechielem.

Ezechiel Propheta cum Ioachim rege Iuda captiuus ductus est in Babylonem, idque his qui cum eo capti fuerant, prophetauit, pœnitentibus quòd ad Hieremiæ vaticinium se vltro aduersariis tradidissent, & viderent adhuc vrbem Hierosolymam stare, quam ille casuram esse prædixerat. Trigesimo autem ætatis suæ anno, & captiuitatis quinto, exorsus est ad concaptiuos loqui. Et eodem tempore, licet posterior, hic in Chaldæa, Hieremias in Iudæa prophetauerunt. Sermo eius nec satis disertus, nec admodum rusticus est, sed ex vtroque mediè temperatus. Sacerdos & ipse fuit, sicut Hieremias, principia voluminis & finem magnis habens obscuritatibus inuoluta. Sed & vulgata eius editio non multum distat ab Hebraico. Vnde satis miror, quid causæ extiterit, vt si eosdem in vniuersis libris habemus interpretes, in alijs eadem, in alijs diuersa transtulerint.

VITA ET MORS DANIELIS PROPHETAE, Per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

Daniel Propheta è tribu quidem fuerat Iuda, genere patritius, optimatúmve regiæ administrationis filius, adhuc admodum infans pusio è Iudæa in Babylonem perductus est. Propugnatus autem in Bethebero superiore non procul ab Hierosolymis. Et ea semper fuit vir ille modestia ac probitate, vt Spadonem putarent eum esse Iudæi: Magno mœrore luxit vrbem Hierosolymam. Ita porrò à cunabulis in abstinentia & ieiunio vixit, vt ab omne genus cupedijs facilè temperârit. Vir aspectu quidem aridissimus ac squallore obsitus, atqui in fauore & gratia domini perquàm speciosus. Plurimas fudit preces pro Rege Nabuchodonosor, cùm factus esset brutum, ac pecus, siue iumentum, ne perderetur. Præferebat enim anteriore parte, pariter & capite bouem pedibus verò & posterioribus leonem. His quippe optimates eorum plerique omnes in iuuentute sunt præditi, vt instar bouis de iugo nascantur Beliar voluptatis, deliciorum gratia, deinde bestiæ tandem fiunt, nempe prædones, vastatores, percussores. Cognouit itaque Daniel vir sanctus, quòd more bouis fœno vesceretur, & destinatus est illi in humanæ naturæ pabulum. Quocirca Nabuchodonosor à flagello sibi hoc misso, retinens etiamdum in corde suo humanũ sensum, ingenti luctu perculsus eiulauit: Supplicabatq; Deo diésq; noctésq; quadragies, implorans Ecemon, quod est Deũ Israel: præsto namq; erat illi spiritus satan, & celabat eum, quòd natus fuerat homo. Linguáq; eius ligata hæserat, ne verba faceret, & vox bruti dedicata est ei. Et reddita sunt perinde ac caro à

continuo

continuo eiulatu: plerique verò summi magistratus, simul & ciues spectatum eum vrbem egrediebantur: solus Daniel illum visere detrectabat. Proinde vbi Nabuchodonosor transformatus est, assiduè præcationibus vacabat nomine eius: Dixitque fore, vt iterū hominis formam indueret, principatusque sui gubernacula resumat. Neque quisquam Danieli fidem habere ambigebat. Septem porrò annos, quæ illi septem tempora Daniel prædixit, supplicationibus ipse suis super eo ad Dominum, in totidem menses commutauit. Mysterium certè septem temporum super illo consummatum est, quòd mediator septem restituit. Sex [1] itaque annos, & totidem menses supplex præcatus est Dominū Deum, & confessus est impietatem suam, & post remissionem sceleris sui, principatum illi Deus restituit. Ex eo igitur tempore neque carnibus vesci, neque vino potari vnquam voluit, confitens vsque Deo, eò quod Daniel sibi mandauit, in leguminibus, viridibúsue, aut irriguis Dominum posse propitiari. Proinde Nabuchodonosor indidit Prophetæ appellationem Baltasar, iuxta nomenclaturam vnigeniti filij sui. Volebat ad hæc Danielem cohæredem constituere pignoribus suis. At pius ille vir inquit: Arbitrare me maiorum hæreditatem repudiare, & non circuncisorum hæreditati adhærere. Designauit complura præterea inter Reges Persarum miracula, quæ hoc quidem volumine annotata non sunt. Cæterum in libro Danielis prodita scriptis comperiuntur. Ille Propheta in celsis montibus Babylonis monstrum annunciauit, & exhibuit, dicens: Vbi cernetis montem ex parte Boreæ fumo denigratum, pro finibus Babylonis terminus imminebit. Quando verò isthunc flagrantem igne videbitis, aderit totius orbis terrarum finis. Sed cùm ad meridiem mons aquas propellet, remeabit populus in patrium solum, & condetur Hierusalem latè, campoque capaciori, perinde atque factum est etiam per Iesum Pontificem, pariter & Zorobabel filium Salathiel. Quòd si denique mons iste cruentus sanguine manat, stragem portendit ipsius Beliar in vniuerso terrarum orbe. Aderit autem Dominus humana natura indutus. Tunc igitur Babylone ex hac vita discessit Daniel vir sanctus in pace, [3] & humatus est honoribus magnis in augusta cauerna. Extat monumentum ipsius vsque ad hoc seculum nostrum, in Babylone cunctis notissimum.

1 *Quid non impetret à Deo humilis oratio?*

2 *Vide abstinentiam & ciborum delectū indictum à Daniele Nabuchodonosor, hisq; Deum propitiari.*

3 *Etiam antiquis patribus mos fuit cum honore magno & solennibus exequiis tumulare corpora mortuorum.*

ITEM VITA DANIELIS, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

DAniel de tribu Iuda, genere nobili, princeps omnium Chaldæorum, Sacerdotum Regúmque prosapia, & florens patriæ nobilitate. Hic sub Ioachim Rege Iuda post excidium Hierusalem, cum tribus pueris admodum puer in Babyloniam translatus est. Vir gloriosus, & aspectu decorus, mente humilis, & corpore [4] castus, & perfectus in fide, egregius in opere, in virtute summus, in prodigijs clarus, terribilis in signis, cognitor secretorum, visionum interpres. Qui [5] continuatis ieiunijs, ipsa orationis constantia, futura prænoscere meruit sacramenta. Hic inter cætera visionum mysteria, his virtutibus atque signis effulsit. Trium hebdomadarum diebus exorans, pro populo ieiunauit. Simulachrum Beli diuinæ inspirationis argumentis elisit. Draconem Babyloniæ (nomen eius ingens) offa picis cum adipe & capillis confecta, diuinæ mentis instinctu incredibili admiratione dirupit. In lacum missus rabiem mitigauit ferarum, atque virtute animi fortis, inter frementes securus epulatur leones. Hunc Darius, postquàm Babyloniam subuertit, imperij honore maximus, secum tulit, & in Mediam adduxit. Qui etiam fertur dedisse ei signum in montibus super Babyloniam, dicens: Dum montes à Borea fumauerint, finis instabit Babyloniæ: dum visi fuerint incendio conflagrare, finis erit mundi totius. Item dum ad partem non defluxerit Tigris, regressio erit populi Israel. Vixit autem vsque ad tempus Darij Regis Persarum, annis centum decem, sepultusque est iam senex in spelunca regia, solus in captiuitate cum gloria.

4 *Cū Daniel nec vxorē habuit, nec filios habuisse nec mulieri alicui cōmixtus legatur, et castus fuisse corpore perhibeatur, fateri debemus probabiliter saltē eū fuisse virginē.*

5 *Ieiuniis et orationibus meruit Daniel futura prænoscere sacramenta.*

VITA TRIVM PVERORVM, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur libr. vt supra.

TRes pueri stirpe regia clari, memoria gloriosi, scientia eruditi, fide pares, deuotione stabiles, incorrupti [1] corpore, sobrij mente, iudices prouinciarum, & regionum principes, paternarum quoque memores legum, & à cibis Gentilium vel immolatitijs nequaquam polluti, leguminibus vitam degentes, & oleribus. Hi vigore virtutis contempserunt mortem, & idolum non adorauerunt. Regem sæuissimum fidei virtute vicerunt. Extinxerunt quoque caminum flagrantis incendij, & inter horrendas spissæ caliginis flammas hymnum apertis vocibus cecinerunt. Iacent in Babylonia pariter sub vno specu positi, & magna [2] cum veneratione sepulti.

1 *Vide & in his sanctis virginitatem.*

2 *Cum magna veneratione sepulti.*

ITEM VITA TRIVM PVERORVM HEBRAEORVM, per D. Zenonem Episcopum Veronensem scripta.

Habetur in libr. 2. Sermon. eius. Sermon. 29.

MArtyrij quodammodo pars est, fratres dilectissimi, martyris non horruisse suppliciũ. Quantum etenim multiformis crudelitas, & lugubris contemplatio retrahit à corona, tantum generosa ac perfecta fides, quique illi fuerit cruciatus, sua complicent vota. Denique tres pueri in illo sacro certamine, præ oculis Deum sibi proposuêre, non flammas: præmium futurorum, non pœnam. Sicque inter tetros vndantis incendij globos triumphantes, Barbarum Regem, minas omnes, ipsum quoque supplicium, docuerunt ignes sanctis hominibus non esse fortiores.

Ibidem Ser. 30.

TRium puerorum martyrium qui credit interritus, potest etiam ipse adipisci martyrium. Tanta enim vis certaminis fuit, vt eam ipse quoque ignis horruerit. Nam à Barbaro Rege nimia crudelitate tribus pueris consulente, fornacis vltrà quàm solet, septenario pabulo ignis armatus est. Credo diuina prouidentia sacramento trinitatis spiritalem quoque numerum conuenire. Denique nec irrorati camini eis baptismatis defuit gratia. O admirabile incendium, ô verè spectaculum Deo dignum. Qui audiunt, timent: qui incenderant, ardent: qui incensi sunt, sanctificati & incolumes de camino procedunt.

Vbi supra, Sermon. 31.

INgens supplicium aliquotiens ingentior prosequitur gloria, maximè in rebus diuinis, in quibus fœlices obnixa deuotione, suam religionem custodiunt potius quàm salutem. Igitur cùm audio tres pueros incensos, prius vehementer horresco. Mox deinde eorum particeps optauerim fieri, cùm cognosco inter flammas roscuIentos hymnum Deo cecinisse securos. Tanta est enim fidei virtus, tantaque potestas, vt cultoribus suis etiam ipsa elementa contra suam naturam famulari compellat. Vnde fratres atrocissimæ rei non vos terreat contemplatio. Non enim vlla est metuenda iam pœna, cùm incensorum superstes insultet ignibus vita.

Vbi supra Sermon. 32.

MIrum fratres dilectissimi, ac delectabile certamen Deo, historia sancta prodidit nobis ignis ac fidei. Etenim duo discordantia, deuotione dominica in vnam concordiam conuenere. Namque tribus in pueris fides puniri non timuit, immissi camino ignis exæstuans detulit, vt eos vnius virtutis esse persensit. Denique arsit incendium incendentibus, non incensis. O admirabilis ratio. O inæstimabilis gloria Dei. Sacramento trinitatis tam potentis elementi subacta natura est. Qui putabantur incendio extingui, emicant beatiores incensi.

Vbi supra Sermon. 33.

CRedulo percipe corde rem miram Christiane, omnique virtutum exemplo famigerabilem. Hebræi verè tres pueri senum constantia maiores, iuuenum virtute fortiores, sibi pares, trinitatis sacramento præmuniti, vnitatis vna fide solidi, æqualitate pares, passionis victoria gloriosi. Hos Barbarus Rex, quòd eius statuam adorare contempserint, incendi præcepit. Qui vbi iactati sunt in fornacem ignis ardentis, hos deuotè cupidus ignis excepit. Lambunt rosidos flammæ blandientes. Mira res, opacitas intus, incendium foris est. Intus hymnus canitur, foris vlulatus auditur. O magna potentia Dei. Incensores incendio concremati sunt, & qui incensi sunt, incendio suo superstites, triumphantes de camino procedunt, præstante Domino nostro Iesu Christo.

Vbi supra Sermon 34.

EXulta Christiane, & fortiter Deum time, diaboli si vis incendia non timere. Ecce pueri Sacramento muniti, tres numero, sed vna virtute. Anhelantibus flammis, camino rugiente non læduntur, incensi hymnum canunt, Barbarum regem fidei tenacitate confundunt. Vindicantur de incensoribus suis, Deum vident: mors transit in vitam, metus in gloriam. Sic quis non optet ardere?

Vbi supra Sermon. 35.

TRes Hebræi venerabilis numeri sacramento muniti, ætate teneri, sed fidei soliditate robusti, supplicio suffragante gloriosi, amore diuinæ religionis Regis adorare imaginem contempserunt, vtpote qui ipsum contempserunt Regem. Qui ira suffiatus, solitò septies amplius caminum iussit incendi, ac ne quid immanitati sæuientis deesse videretur, pice & stuppa armatum citatur incendium, æstuantibus globis, rubescit quoque ipsum alienis ignibus cœlum. Illo præcipitantur insontes, ibidemque propter quem præcipitantur, inueniunt. Denique excipiuntur, non flamma, sed rore, Dei dignatione, non pœna. O fœlix supplicium, quod incolumitate superante immortalitas prosequitur & corona.

Vbi supra Sermon. 36.

EVigila Christiane, omnique secularis somni torpore discusso, apertis auribus cordis, à pueris disce virtutem. Sed vide, ne æstimes falsum, quòd eis cessit incendium. Veritatem ratio-

ratio protestatur. Qui nunc in se credentes baptizat spiritu sancto & igni, ipse tunc quoque numero suæ adfuit Trinitatis. Denique rem sacramento gestam esse cognosce. In caminum missi, vt submersi sunt flammis, statim inuisibili rore incendia temperantur, mors refugiens mutat officium, incensores cremantur, incensis hymnum cantantibus flamma blanditur, Deus à creatura benedicitur vniuersa. In tribus vna mens, vna virtus, vnus triumphus exultat. Melioratur vita supplicio, Rex non inuiderat pueris, si non eos præcepisset ardere.

ITEM ADHVC DE TRIBVS PVERIS, PER D. IOANnem Chrysostomum Episcopum Constantinopolitanum.

Est Homilia 8. in opere. 45 homiliarum eius. Tom. 2. Est in operibus eius Basileæ impressis, circa finē Tom. 1

TRium puerorum sermo tractabitur, quorum fides, quali laude intonet gloriæ, salutis flammæ testantur. Ecce in tribus pueris non anni faciunt sapientiam, non membra colligunt vires, habentes talem scilicet in sacrario temporis fortitudinem, quam armatus Rex exhorruit, & ignis expauit: quorum infantiam fidei constantia gloriosam decursa libri paginula paucis exponam. (Anno octauodecimo Nabuchodonosor fecit imaginem auream, altam cubitis sexaginta, & latam cubitis sex, & statuit eam in regione Babylonis) Singula exponenda sunt. singulis respondendo, postea ad fortiora veniamus. Fecit, inquit, imaginem auream. Qualis Deus nouo honore monstretur, quem abstrusa metalla generarunt? Quid ergo dicemus? Durus fossor sudauit, palluit, laborauit, ne minus fortia cupidus Deus membra susciperet. Alta, inquit, cubitis sexaginta. Hæc verò omnia ridiculis transigenda. Et stabat in conspectu imaginis præco fortiter clamans: Qualis Deus, qui vt disci possit, publicè præconatur, & tanquam nouæ religionis indicium. Aureus postea ponitur, quem cultum fore Gentibus monstrat insanus vates, quem contremenda species delectet, aut terreat. In fornacem ligna inijciuntur interea, quasi ad consumenda corpora contemptorum: crescit captiuis constantia, & amplius furit tyrannus, cùm de gloria plus miratur. Pueri ergo iactantur in flammam, ibat circa innocuos pedes nouo liberamine temperatus artifex ignis, & tot circumuolans pastus, sola consumere vincula laborauit, circa damnatos suos innocens pœna blanditur. Et stans Azarias precatus est, & aperiens os suum in medio ignis, dixit: Benedictus es Domine Deus patrum nostrorum. Et aperuit os suum. Non audet ignis inuocantis Deum fauces irrumpere, nec nubilo ductu vaporans eloquentis ora conturbat: innocenti oratione prolata, & quasi facto impetu sermonis tremula flamma subducitur. Et diffundebatur, inquit, flamma super fornacem cubitis sexaginta & nouem. O Dei potentia clarius luce monstrata. Furatur pastus alienos incendio: nam consumpsit quos propè inuenit, quia ieiunat in suis. Custodiam suam vehementer horrescēs, ne iam faciat vel ipso fumo sanctis quos tuetur iniuriam foris tantùm ducit vrere. Bene constanti vindicta innocentia defenditur, liberantur inclusi, & pereunt spectatores. Mira etenim ratione ius horridum commutatur in loco suo, vbi incenditur, illic refrigerat aut repescit, vt eodem loco scriptura testatur. Angelus autem Domini simul descendit cum illis qui erant in fornace, cum Azaria, & discussit flammam ignis de fornace, & fecit medium fornacis, vt spiritum roris sibilantem. Incedebant ergo pueri per medium fornacis cum Angelo, & murmure fugitiuo replicabatur incendium, ac velut amicus ignis sanctis viris præbebat obsequium. Rex autem cùm audiret eos benedicentes & laudantes Dominum, miratus est, & surrexit in festinatione, & dixit principibus suis: Nónne tres viros misimus in medio ignis vinctos? Ecce video viros quatuor solutos, & ambulantes in medio ignis, & corruptio nulla est in eis, & aspectus quarti similis est filio Dei. Ecce, inquit, video viros quatuor: exclude si potes adhuc demens eum, qui crescit ad numerum. Non poteris iam tuos finire damnatos, qui soli esse non possunt, mala tibi ratione creuit quæstio, fortior est quem claudis. O quibus te incorrupta fides triumphis extendis: Adest tibi amica maiestas, vt innocentia liberetur. Patitur se Deus cum pueris in supplicio numerari, & potest Dominum videre sacrilegus, sed non permittitur nosse, vt crescat gloria puerorum: insana enim mens in suis flammis parum crederet fortasse, si talem non disceret defensorem. Tunc exijt Rex ad ostium fornacis ignis ardentis, nec cùm propè fuerit positus flamma contingitur. Necessariò enim ab ipso igne cognoscitur, quia Dominus cœperit confiteri, pro hoc, & dixit: Benedictus Deus Sidrach, Misach, & Abdenago, qui liberauit pueros suos. O magna misericordia Deitatis, quod exultabile dictum est: Sanantur rei, & redimitur qui torquebatur. Inter hæc quid tale potuit inanis imago monstrare? Ecce Dominus non in auro lucet, sed in flammis ostenditur. Sed quibus flammis? Quæ illuminant, non quæ incendunt. Vnde nos fratres charissimi, omni fide Dominum Christum venerari debemus altissimum, vt possimus indubitanter ad regna cœlestia peruenire.

COM-

COMMENTARIVS DE SANCTO PROPHETA Daniele, & de sanctis tribus pueris.

Per Simeonem Metaphrasten.

CVM Nabuchodonosor Rex Assyriorum ciuitatem Hierusalem bello cepisset, & magnam illinc prædam egisset, & plurimos abduxisset bello captos, & splendidè ac magnificè reuersus esset Babylonem, sui imperij sedem, nobilissimos pueros Iudæorum delegit, & sibi ad suum attribuit ministerium. Inter quos erant etiam quatuor ex ijs qui à Rege Dauide ducebant originem, pulchri quidem specie corporis, pulchri autem specie quoque animæ, ingenuumque & liberalem aspectum pulchrè ex vtrisque ostendentes: qui etiam ad Ezechiam & Iosiam viros iustissimos genus proximè referebant. Cùm illos ergo excidisset, & prouidisset, vt ex mensa regia alerentur, tradit pædagogis, vt in externa sapientia, & ipsa Chaldæorum doctrina pulchrè erudirentur. Ex his vnusquidem vocabatur Daniel: qui ipsum verò sequebatur, Ananias: & tertius Azarias: & alius Misaël. Mutatis autem eorum nominibus, Danielem quidem vocat Baltasar: Ananiam, Sidrach: Azariam verò Misac: & Misaelem nominat Abdenago. Quos quidem & Rex amabat, & benignè admodum eos aspiciebat, eorum laudans indolem: & quòd non solum valebant ingenio ad disciplinas, sed eis quoque magnum adferebat ornamentum solertia & modestia. Sed sic quidem erat Rex affectus in pueros. Diuinus autem Daniel non solùm erat laudator virtutis, sed eam etiam diligenter exercebat. Et ideo asperitate vitæ 1 corpus affligebat, & ciborum mensæ regiæ non solum recusabat esse particeps: sed alijs etiam cognatis, tribus, inquam, pueris, sic suasit vt facerent. Cùm vtrisque ergo visum esset ab omnibus abstinere animatis, & vesci solùm seminibus & oleribus, accedentes ad Aschanetē Archieunuchū, cui erat commissa eorum cura à Rege, eum rogàrunt, vt quæ ab ipso Rege ad eos afferrentur, ipse accipiens consumeret: pro eis autem præberet legumina, & dactylos ad nutrimentum, & si quid aliud vellet ex inanimis: in hac enim vitæ ratione dicebant se esse æducatos ab initio, aliam verò despicere. Ille autem dicebat se esse quidem paratum inseruire eorum voluntati, sed timere ne id Rex rescisceret ex corporū gracilitate & vultus pallore. Necesse enim esse, vt eis simul mutentur corpora & colores cum ratione victus: & maximè ne cùm alij pueri sint bonæ habitudinis, ipsi sint ei causa periculi & supplicij. Cùm itaque cautione hac inire vteretur Aschanes, ei persuadent pueri illi egregij, vt decē dies hæc illis præberet experiendi causa: & si non mutaretur quidem eis corporis habitus, fineret in eis perseuerare. Sin autem viderit diminutos, & alijs se habentes deterius, eos ad priorem victus reducat rationem, & faciat vt fuit ei imperatum. Cùm verò eo alimento vtentes nihil offenderentur, sed & corpora eorum melioris essent habitudinis quàm aliorum, & aspectu pulchriora: adeo vt qui eos videbant, putarent Danielem quidem & tres alios viuere in omnibus lautitijs & delitijs: alios autem pueros vesci parcius, nec eis suppetere ea quæ sunt ad vsum necessaria: ex illo tempore, cum reuerētia, Aschanes quæcunque quidem è sua cœna vt solebat, ad eum mittebat Rex, ipse accipiebat: quæ prædicta sunt verò eis suppeditabat. Illi autem, vtpote quòd eis animæ propterea euaserant mundæ, & aptæ ad suscipiendas disciplinas, omnem citò didicêre doctrinam, tam quæ erat apud Hebræos, quàm quæ apud Chaldæos: maximè verò Daniel, qui cùm iam esset satis doctrina prouectus, studium quoque posuerat in iudicio somniorum: eique Deus manifestè apparebat, à quo cum eius mens informaretur, ex futuris multa euidenter prædixit. Secundus annus præterierat ex quo capta fuerat Hierosolyma: & Rex Nabuchodonosor somnium videt admirabile, cuius euentum in somnis ipse Deus ei significauit. Ille autē cùm surrexit è cubili, & ipsius somnij est oblitus, & illius quam à Deo habuit coniecturæ. Chaldæis ergo protinus accersitis, tam qui erant inter magos eximij, quàm qui periti diuinationis, dixit eis se vidisse somnium: & significauit accidisse, vt eorum obliuisceretur quæ viderat, & iubebat eos dicere quodnam esset somnium, & quænam esset significatio. Illis verò dicentibus, fieri nō posse ab hominibus, vt nisi ipse exposuisset visionē, coniecturam enunciarent: ipse mortem minatus est sapientibus, nisi ei & visionē reuocarent in memoriam, & coniecturam simul enunciarent: & statim iussit eos omnes interimi, cùm pronunciassent se non posse facere id quod iussi fuerant. Cùm hoc intellexisset Daniel, iussisse Regem omnes occidi sapientes: inter hos autem se quoque cum cognatis venire in periculum, accedit ad Arioch vnum ex Regis satellitibus, & rogat vt ei dicat causam propter quam Rex tam improbè iussisset occidi omnes sapientes Chaldæos & Magos. Cùm verò de somnio ex eo intellexisset, & quòd iussi à Rege hoc ei declarare, qui fuerat oblitus, dixerunt se non posse: & propterea Rex ira motus, eos morte damnauit: rogauit Arioch vt intraret ad Regem, & peteret Magis vnam noctē, & in eam hanc differret interemptionem.

1 *Daniel asperitate vitæ corpus affligebat, & simul cum socijs ciborū delectū habebat.*

Dicebat

Dicebat enim se sperare, fore vt cùm in ea Deum orasset, somnium cognosceret. Et ille quidem hæc Regi quamprimùm renunciauit. Ille autem cupiens scire quænam esset visio, & quænam esset eius significatio, iubet sustineri Magorum interemptionem, donec sciret quidnam dicturus esset Daniel, & quænam esset eius virtus. Hic ergo beatus cùm tota nocte cum cognatis ad se secessisset, tota nocte Deo supplicauit, vt Magos seruaret & Chaldæos, cum quibus ipse quoque simul erat periturus, vt liberaret ab ira Regis, aperiendo ei visioné, cuius Rex erat oblitus. Deus autem simul & misertus eorum qui erant in periculo, & volens suum prophetam reddere gloriosum, ei significat somnium, & aperuit coniecturam: & cùm protinus Daniel hæc Azariæ & cæteris aperuisset, eos qui vitæ spem abiecerant, & in mortem suam defixerant cogitationem, immutat & reddit lætiores, & animo alacriores.

Cùm Deo autem cum eis egisset gratias, qui misertus fuerat eorum ætatis, & esset dies, accedit ad Arioch, & rogat vt eum ducat ad Regem. Dixit enim se ei velle somnium significare, quod ei accidit, vt nocte viderat præterita. Ingressus verò primùm se excusauit, nolens alijs Chaldæis videri sapientior: & quòd cùm nullus eorum potuisset inuenire somniú, ipse id esset dicturus. Non enim per experientiam, neque quòd sit subtilioris & solertioris ingenij, hoc accidit: sed nostri, inquit, misertus Deus, qui veneramus in mortis periculum, mihi pro mea anima & eorum qui sunt eiusdem gétis precanti, & somnium aperuit, & eius expositionem. Non minorem enim nostri doloris, quàm tuæ gloriæ curam gerebam ô Rex, qui viros tam bonos & tam honestos iniquè mori iusseras, cùm nihil petijsses, quod esset humanæ sapientiæ: sed hoc ab eis exegisses, quod erat solius Dei opus. Tibi ergo ô Rex cogitanti, quis post te esset tibi mundo imperaturus, volens Deus significare, tale ostendit somnium. Visus es videre magnam statuam stantem, cuius caput quidem contigit esse aureum: humeros autem & brachia argentea: ex ære verò ventrem & fœmore: tibias & pedes ferreos. Deinde lapidem vidisti abruptum à monte, incedere in statuam, & eam comprehendere, ac conterere, & nullam eius partem relinquere integram: aurum autem, & argentum, & æs, & ferrum, vel puluere fieri subtilius: & statuam quidem vento spirante dispersam fuisse in aërem: lapidem verò adeo creuisse, vt videretur vniuersa terra ab eo fuisse repleta. Atque somnium quidem quod ipse vidisti, fuit tale. Eius autem coniectura hoc modo se habet. Aureum quidem caput te significabat, & qui ante te fuerunt reges Babylonios. Duæ verò manus & humeri, à duobus Regibus dissoluendum esse vestrum principatum, à Persis, inquam, & Medis. Illorum autem principatum destruet quidam alius ex Occidente ære indutus. Is est Alexander Macedo, & eum faciet alius cessare, viribus ferro similis. Superabit autem omnino propter ferri naturam: est enim is fortior auro, argento, & ære. Est verò id potentissimorum Romanorum imperium. Significauit autem ei etiam de lapide, dicens: Lapis qui fuit scissus sine manibus, est Christus. Illud verò, Sine manibus, prædixit eum sine coitu esse nasciturum ex vtero à labe alieno. Nabuchodonosor autem cùm hæc audiuisset, & hoc esse quod ei apparuerat somniú intellexisset, stupuit Danielis ingenij magnitudinem, & protinus parua omnia, & ipsum regnum, & imperij magnitudinem esse ducés: surgit è throno, & Deo paribus illum afficit honoribus. Præterea verò ei quoque summi Dei imposita appellatione, eum totius regni effecit curatorem. Quinetiam eius cognatos, qui erant ei virtute pares, Azariam, inquam, & cæteros, creat principes Babylonis: quos paulò pòst contigit propter inuidiam incidere in periculum, cùm Regem offendissent. Hac de causa Rex ille Babylonis, fœlici rerum successu, & infinitis diuitijs, & multitudine earum quas subiunxerat gentiú, in superbiam elatus, & valde inflatus, & propemodum propter leuitatem se Deum esse visione apprehendens, propemodum se vel deos eo ipso die putabat posse fingere: & suarum manuum opera deos contendebat efficere. Hinc factum est, vt cùm auream construxisset statuam sexaginta quidem cubitorú altitudine, sex autem latitudine, eam statuerit in medio campo Babylonis, qui vocatur Deera. Et cùm esset eam consecraturus, ex tota terra cui imperabat, conuocauit primos Satrapas. Dederat verò eis quoque signum, vt non tam temerè, & absque aliqua ratione ei honorem tribuerent: sed tanquàm signo dato accedentes, cum magno metu adorarét. Fuit auté tale signú. Quando, inquit, audiuerint tubam hoc magna voce significantem, tunc oportet, inquit, procidentes adorare statuá: eos verò qui hoc non fecerint, continuò inijci in fornacem ignis ardentis. Vt enim esset ei maius & clarius certamen pro statua, iubet fornacem ex diametro distantem, pice, sarmétis, naphta & stuppa accendi è regione statuæ, vt si quis conuinceretur iussui Regis non assentiens, in fornacem statim conijceretur. Cùm omnes ergo vt iussi fuerant, iam resonante tuba adorarent statuam, hi tres soli recusarunt hoc facere, vt sacra docent eloquia, vt qui patrias leges transgredi minimè sustinerent, & Deum dedecore afficere, & simulachro offerre adorationem. Hinc factum est vt apud iniquum Regem accusarentur. Accedentes autem qui eos accusabant: Rex dixerunt, ij quibus à te datum est imperium regionis, Sidrach, inquam, hic,

Misach,

Misach, & Abdenago, neque omnino sustinent adorare imaginem: neque tuis iussis obediunt. Hæc cùm illi dixissent, ij statim producti sunt ante tribunal regium. Quid ergo deinceps est consecutum? Ille quidem rogauit an vera essent, & nollent auream statuam adorare cum alijs. Dicebat enim se non credere hæc esse vera. Illi verò magno & excelso animo dixerunt, se nullum alium habere, nisi solum Deum in cœlis: qui nos potest ô Rex eripere ex hac fornace ardente, & ex tuis manibus. Certò enim scias, quòd nos deos tuos non colemus, & auream quam posuisti statuam non adorabimus. His tyrannus non minus ira accensus, quàm fornax ardens, iubet iratus, viros robustos, Azariam cum cæteris, vinctos cum vestibus & tibialibus, ita vt erant, in fornacem inijcere. Et illi quidem statim in ignem iniecti diuina prouidentia conseruantur illæsi: & admirabiliter ac contra opinionem manifestum effugiunt periculum. Non enim eos omnino ignis attigit, neque eos vlla affecit molestia. Sed cùm vnà cum eis descendisset & Angelus, statim quidem à circumpositis relaxantur vinculis: aura autem rore aspergens eis euasit ignis: & tanquam in thalamo in media flamma stantes laudabant Deum vniuersorum. Benedictus es, dicentes, Domine Deus patrum nostrorum, & laudabile & gloriosum est nomen tuum in secula: & quæ deinceps sequuntur in Cantico. Eos verò qui ipsos accusabant, Chaldæos & multos alios ex Assyrijs, ignis excurrens perdidit & interemit. Sic gloria & honore coronare nouit Deus eos qui re vera nomen illius glorificant. Sic fide dignus est qui promisit, quòd etiam si per ignem venias, non combureris, neque ardebis. Atque hæc quidem sic habuerunt: & tres pueri degebant in fornace laudantes Deum vniuersorum. Rex autem rem admiratus, statim quidem surgit è throno. Dubitabat autem quomodo tres ab eo coniecti in fornacem, nunc cernantur quatuor, qui nihil omnino graue aut molestum censêre. Aspectus verò quarti est similis filio Dei: & statim accedens ad ostium fornacis: Sidrach, inquit, & Misach, & Abdenago, serui Dei altissimi, exite, & venite. Illi autem salui egressi sunt & intacti, cùm ne in vnum quidem pilum dominatum obtinuisset ignis. Hæc cum vidisset Rex, miraculi, vel potius miraculorum summam stupens magnitudiné, nempe quòd & tali igne fuerint superiores, & quòd non solùm superiores, sed nec eorum quidem pilus, res quæ facillimè flaccessit & marcessit, tanta flamma effluxerit: & præterea quòd cùm essent vincti, continuò fuêre soluti: & quòd cùm adhuc essent in fornace, auditi sunt canentes: quod quidem ijs qui sunt in flamma, ipsa statim oris apertione, mortem solet adferre protinus, & quòd ille ignis, qui in eis propriæ est oblitus naturæ, in Chaldæis qui erant circa fornacem, fuit verus & perfectus ignis: & nec in loco quidem manens, sed egrediens & saliens, & eos qui digni erant comburens facillimè. Postquàm ille vidit hæc omnia, statim humi cecidit, &, Benedictus es Domine, magna voce clamauit, Deus Sidrach, Misach, & Abdenago, qui misit Angelum suum, & liberauit sanctos suos pueros ab igne, & à malis conseruauit illæsos. Deinde etiam ædit decretum: Quicunque, dicens, non adorabit Deum Sidrach, Misach, & Abdenago, interibit, & illius bona omnia prædę erunt. Ipsos autem beatos pueros maiori quàm prius honore afficiens, iussit Iudæis captiuis præesse. Non multum intercessit temporis, & rursus alia visio Regi apparet in somnis. Videbatur sibi videre arborem magnam & admirabilem, quæ radices quidem egerat in terra: creuit autem, & valde fortis euasit: & altitudo eius cœlum attingebat, & speciosis erat comata folijs, & plena erat multo fructu: omnes verò bestiæ agri & volucres in ea habitabant. Deinde vox quoque quædam repentè ex alto extitit, quæ iubebat arborem excindere, solùm autem dimitti germen radicis. Fuit itaque excisa, & eius folia repentè effluxerunt: & quæ erant in ea omnes animantes & volucres, citò recesserunt. Atque fuit quidem hoc somnium. Rex autem è somno excitatus, Magis rursus vocatis, narrat id quod visum fuerat: & simul rogauit vt dicerent, quidnam significaret. Atque aliorum quidem nullus potuit statim inuenire significationem, & aperire Regi quidnam esset futurum. Daniel verò solus hoc coniecit, & euenit sicut ijs prædixerat. Dixit enim: Tu es arbor quam vidisti ô Rex. Non multò pòst autem excides ab imperio: hoc enim significabat sectio. Deinde etiam vitam ages simul cum feris, & fœno pasceris sicut bos: cumq; sic septem annis vixeris in solitudine, imperium rursus accipies: hoc enim sibi vult vox illa: Sed germen radicum dimittite. Propterea ô Rex, tibi meũ placeat consilium: & iniquitates tuas eleemosynis redime: & peccata tua in miserationibus pauperũ: & fortasse in tuis delictis exercebitur lenitas & patientia. Atque hæc quidem postea euenerunt, & finem acceperunt, sicut dixerat Daniel. Cùm enim dictos septé annos versatus esset Rex in solitudine, neque vllus esset ausus regnum aggredi, Deum precatus vt suum regnum reciperet, cum successione potentiæ excelsam rursus mentem induens, in regnum reuertitur: & cùm regnasset quadraginta tres annos, excedit è vita, vir in rebus gerendis acer & vehemens, & eorum qui ipsum præcesserunt Regum longè fœlicissimus. Post decessum auté Nabuchodonosoris, eius filius regnum suscipit, qui statim Iechoniam Regem Hierosolymorum, quem pater Nabuchodonosor capti-

captiuum duxerat Hierosolymis, soluens è vinculis, habuit inter amicos maximè necessarios, ei donans multa munera, & honore afficiens inter eos qui erant in regno Babyloniorum. Nihil enim boni Iechoniæ omnino ostenderat pater Nabuchodonosor, sed eum in vinculis tenebat, & affligebat: etsi Iechonias fecerat rem humanissimam, & dignam multis laudibus, vt qui seipsum tradiderat cum vxoribus & liberis & toto genere manibus Babyloniorum, ne vrbs ab hostibus capta euerteretur: vt hæc leges apud Iosephum narrantem sigillatim. Cùm autem is quoq; è vita discessisset, postquam regnasset octodecim annos, eius filius ei succedit in imperio: quod cùm tenuisset quadraginta annos, è vita excedit. Deinde Balthasar quoq; eius nepos fit hæres imperij. Non multum intercessit temporis, & Cyrus Rex Persarum, & Darius Medorum expeditionem suscipiunt aduersus Babylonē. Cæterùm cùm regnum accepisset Balthasar, accidit nouum quiddā & prodigiosum. Accumbebat ille, cœnans in magna domo & facta ad conuiuia regalia, cum suis concubinis & amicis. Ipse autem cùm sic ei visum esset, præ magna arrogantia iubet è suo templo afferri vasa Dei, quæ Nabuchodonosor eius auus cùm rapuisset Hierosolymis, iis nequaquam vsus fuerat, sed in suo templo piè deposuerat. Hic verò inconsiderata & ratione aliena inductus audacia eis vtebatur: & dum biberet, & maledicam linguā moueret aduersus excelsum, ex pariete videt manum procedentem, & in muro syllabas inscribentem. Conturbatus verò à visione, Magos simul & Chaldæos, & quotquot erant Babylone eius generis qui poterant signa & futura coniicere, statim conuocauit, ex illis volens discere ea quæ scripta fuerant. Dicentibus autem Magis se eorum nihil intelligere, Rex valde anxius, & magno animi dolore oppressus, propter hanc rem inopinatam, & valde admirabilem publico præconio breui edixit per totam regionem, pollicens se ei qui has literas, & quidnam significarent esset declaraturus, daturum esse torquem aureum & vestem gestandam purpuream: sicut solent ferre Reges Chaldæorum, & præterea tertiam partem sui imperij. Cùm hoc publico præconio sic fuisset promulgatum, adhuc quidem magis concurrebant Magi, & contendebant inuenire quid sibi vellent literæ. Nihilominus autem stabant dubitantes. Interea Regem angore animi plenum videns eius auia, cœpit repetere, & de Daniele Propheta ei significare, qui illius auo, Nabuchodonosori inquam, ea quæ viderat arcana, exposuerat. Est quidam, dicens, qui fuit ductus huc è Iudæa captiuus, nomine Daniel, vir egregius ad inueniendam arcana, & quæ sunt soli Deo cognita, qui Regi Nabuchodonosori, cùm nullus alius posset dicere de iis quæ quærebat, omnia pulchrè significauit, & edidit in lucem ea quæ quærebantur. Si eum accersiueris, id quod scire cupis, mox inuenies. Ille verò eum celerrimè accersiit, & cùm dixisset, quæ de ipso, & de eius audiebat sapientia, & quòd diuinus sit cum eo spiritus, & sit ad inueniendum solus vel maximè idoneus ea quæ non veniunt aliis in mentem, rogabat vt ei diceret, & solueret ea quæ scripta fuerant: etiam si sit, inquit, iucundum & asperum quod à Deo significatur. Hoc ergo si feceris, dabo tibi purpuram qua te induas, & torquem aureum, quem collo tuo imponas, & tertiam partem mei imperij, futuram præmium & honorem tuæ sapientiæ, vt ex ipsis euadas longè clarissimus, & ab omnibus suspiciendus. Daniel autem rogabat quidem vt sibi sua haberet munera: virum enim sapientem & diuinum non esse capiendum muneribus, se verò gratis velle iuuare eos qui opus habeāt. Declarat autem ei ea quæ scripta fuerant, nempe vitæ exitum: quòd nec iis quidē quæ auus eius Nabuchodonosor passus erat suppliciis propter suas in Deum cōtumelias, iis ipse didicerat esse pium, & vltra modum humanæ naturæ non sumere spiritus, sed quòd etiam cùm Nabuchodonosor mutatus esset in vitam ferinam, propter ea quæ impiè gesserat, & post multas preces & supplicationes misericordiam esset consequutus, & rediisset ad vitā humanam, & ipsum regnum, & propterea Deum, vt qui omnē haberet potentiam, & hominum curam gereret, vsq; ad mortem laudaret, ipse eorum est oblitus: & Deum quidem multis insectatus est maledictis, vasis 2 autem eius vt sibi ministraretur effecit simul cum pellicibus. Hæc ergo videntem Deum ei esse iratum, & per ea quæ scripta sunt ei præsignificare, qualis sit futurus vitæ exitus. Significabant autem hæ literæ, Manel Thecel Phares. hoc verò dicebat lingua Latina significare: Tempus vitę tuæ numerauit Deus, & in libra appendit: & ablatum regnum tuum diuidet Medis & Persis. Cùm Regi sic dixisset Daniel, quænam significarent hæ in muro literæ, Balthasar quidem angore & animi dolore fuit oppressus propter aspera illa & tristia quæ ei significabantur. Neque tamen ei tanquam Prophetæ malorum, non dat ea munera quæ fuerat pollicitus, sed præbuit omnia: quam minatus quidem erat regni euersionem, definitæ esse necessitatis, sed non eius qui prædixit esse reputās: ea autē quæ promissa fuerant implere, boni esse viri iudicans, iustiq; & veri. Præterfluit breue spatium temporis, & captus fuit ipse, & ciuitas, sicut prædictū fuerat à Daniele Propheta, cùm Rex Persarum in ipsum duxisset exercitum. Sed Balthasar quidem sic è vita excedit. Darius verò qui Babyloniorum dissoluit principatum, qui erat etiam filius Astiagis,

2 Vides grauiter puniri à Deo qui sacris vasis abutuntur.

regni ſexageſimum ſecundum annum tranſegerat, quando cepit Babylonem. Qui etiam admirabilé hunc Prophetam ſecum accipiens tanquam rem aliquam magnam & pretioſiſſimam, duxit in Mediam, magnum ſuum in eum ſtudiũ oſtendens & obſeruantiam. Daniel ergo cùm eſſet in tanto honore & exiſtimatione apud Darium, & ipſe eius ſermones acciperet, vt qui haberent aliquid diuinũ, in eum quoq; excitata eſt inuidia ab eis qui primas partes ferebant in Media. Ei enim inuidebant Satrapæ, videntes eũ eſſe in maiori exiſtimatione, & eſſe maius in eũ Regis ſtudium, & haberi in maiori apud eũ honore. Quærentes autem calumniæ occaſioné & accuſationis, minimè inueniebant: nullã enim eis præbebat cauſam: nam neq; à pecuniis vinci poterat, & omné quæſtum deſpiciebat. Hinc factum eſt, vt cùm nihil poſſent inuenire, quod de eo dicentes apud Regé de eius honore poſſent aliquid detrahere, alium modum quærerent, quo eũ depellerent à Regis beneuolentia. Videntes ergo Danielé ter in die precantem, arbitrati ſunt ſe inueniſſe occaſionem, per quam ſint ei allaturi exitium: & accedentes ad Darium, ei renunciant, viſum eſſe omnibus eius Satrapis, & principibus, vt nullus ex omnibus ſpatio triginta dierum vllam omnino petat petitionem, neq; à Deo, neq; àb homine, niſi ab ipſo Rege. Qui hanc auté legem fuerit tráſgreſſus, in lacum leonũ iniiciatur. Rex verò non intelligens eorũ malignitatem, nec ſuſpicans eos hæc eſſe machinatos aduerſus Danielem, ceſſit eorum ſermonibus: & alij quidé omnes cauentes ne tranſgrederentur ea quæ eis imperata fuerant, quieſcebant. Daniel autem hoc minimè curabat, ſed ſicut ei mos erat, ſtans orabat. Hinc cùm eum obſeruaſſent Satrapæ, & apparuiſſet ea, quã in ipſum ſtudebant accipere, occaſio, ſtatim venerunt ad Regé, & accuſarunt Danielem, vt qui ſolus tranſgrederetur ea quæ fuerant imperata. Nam cùm nullus, aiebant, alius auderet deos orare, Daniel hoc non vult facere: & ſimul tanquam legis tranſgreſſoré volebãt eum ex lege iaci in lacũ leonum. Confidens auté Darius fore vt Deus eum eriperet, & à feris nihil graue pateretur, iuſſit eũ alacri animo ferre quod acciderat, & in lacum iniecto Daniele, cùm obſignaſſet Rex lapidem qui erat ſitus in aditu loco oſtij, receſſit, totam nocté inſomnis tranſigens, vt qui premeretur cura de Daniele. Cùm auté poſtquam dies eſſet, ſurrexiſſet, venit ad lacũ, & cùm ſaluum inueniſſet ſignaculũ quo reliquerat obſignatũ lapidem, aperiens, nominatim vocauit Danielem, & rogauit an adhuc eſſet ſaluus. Cùm ille verò infernè audiiſſet, & dixiſſet ſe nihil moleſtũ eſſe paſſum, iuſſit eum extrahi è lacu. Cùm vidiſſent auté inimici Danielem nihil mali fuiſſe paſſum: Non fuit, dicebant, iſte conſeruatus propter Deũ, & propter eius prouidentiam, ſed quòd leones eſſent cibo ſatiati. Hoc illi quidé dicebant victi ab inuidia. Rex verò odio habens eorum improbitatem, iubet quidé multas carnes obiici leonibus: cum ij auté fuiſſent ſatiati, eos in lacum iniici qui odio habebant Danielem, vt ſciret an propter ſatietaté eos non tangerent leones. Planum verò factũ eſt Dario, fuiſſe diuinam manum quæ ſeruauit Danielem, cùm iniecti fuiſſent Satrapæ. Nulli enim eorũ omnino pepercerunt: ſed eos omnes vnguibus & dentibus protinus diſcerpſerunt & deuorauerunt, perinde ac ſi fame laborarent, & alimento egerent. Cùm ij ergo interiiſſent qui Danieli parauerant inſidias, Rex Darius ſeipſum oſtendens virum prudentem & parentem veritati, rebuſq; apertis, & contra quas nihil dici poterat, miſit per totam regioné, laudans Deum quem adorat Daniel, & eum ſolum dicebat eſſe verum, & qui in omnes obtinet dominatum. Habebat auté Danielem in maiori honore, quàm vllum alium, oſtendens eum eſſe primum ex amicis. Simul verò cum eo erant etiam cognati, Azarias, inquam, cum cæteris, in quos & par erat ſtudium Regis, & in pari eos honore habebat. Cùm is autem eſſet inſignis & ſplendidus, extruxit in Medicis Ecbatanis turrim, pulcherrimum quoddam ædificium, & factũ admirabiliter, quę in hodiernũ vſq; diem cõſeruatur: iis autem qui vident, videtur nuper fuiſſe conſtructa, atque adeo eo ipſo die quo illam aſpicit vnuſquiſq;, tam recens eius pulchritudo, & quæ minimè conſenuit tanto tépore, cernitur. Sepeliuntur verò in hac turre Reges Medorum & Perſarum, & is cui ea eſt cõmiſſa, eſt Iudæus ſacerdos: hæc ab Ioſepho Iudæo ad verbũ conſcripta ſunt. Quoniã auté non ſolùm fuit admirabilis in ſoluendis aliorũ ſomniis, ſed longè admirabilior in iis quæ ille ipſe vidit, operepretiũ eſt hic quoq; eorũ meminiſſe, & oſtendere quàm eſſet eius mens pura & Deo digna. A magno hoc Propheta, cùm adhuc degeret Balthazar in terra Chaldæorũ, viſi ſunt quatuor vẽti cœli in mare irruere: & quatuor magnæ beſtiæ ex eo aſcẽdere, quæ ſignificabãt quatuor magna regna. Quarũ vna quidé viſa fuit tanquã leæna, & eius pénæ tanquã aquilæ: ea ſignificabat regnũ Chaldæorũ. Vrſa auté ſecũda quæ in ore tria habebat latera: cui vox quoq; audiebatur dicés: Surge, comede carnes multas: ea ſignificabat regnũ Medorũ, & Perſarũ. Et tertia, pardus, quæ etiã oſtẽdebatur habés quatuor pénas volucris ſupra ipſam: & in ea quoq; beſtia cernebantur quatuor capita: regnũ Græcorũ per eam ſignificabatur. Quorũ potentiſſimos Reges vidit poſtea in forma arietis & hirci. Dariũ quidem tanquã arietem, in omnibus terræ partibus cornu potenté. Alexandrũ verò tanquã hircum in eum inſurgenté, & viribus ac

impetu

impetu conculcantem & prosternentem. Quartam autem bestiam vidit terribilem & stupendam, & mirandum in modum fortem: cuius ferrei quidem dentes, vngues autem ænei: ea verò superabat omnes quæ ipsam præcesserant viribus & audacia: exedebatque & comminuebat, & conculcabat reliquas pedibus: per hæc docens manum Romanorum, quæ iamdiu tenet imperium. In cuius capite animaduerti, inquit Propheta, decem cornua, & aliud quoque paruum, quod inter ea nascebatur, & tria ex prioribus euellebat radicitus. Iam enim in ipso fine Romani imperij quod secatur in multos principatus, dicit quidem fore, vt decem Reges simul exurgant: hoc enim significabat visio decem cornuum: tria autem ex his regnis à paruo illo cornu dissolui, quod cernebat habere oculos hominis, & os magna loquuturum, & superaturum esse vitium omnium vitiorum quæ fuêre à seculo, quæ quidem apertè significant Antichristum. Cùm sic ergo in visione valdè fuisset admirabilis Propheta, vidit etiam quosdam thronos intelligentes positos, & supramundanos: & Deum gloriæ, tanquam antiquum dierum, præsidentem, qui eò quòd sit ante secula sic videnti voluerit videri, cuius etiam indumentum erat album sicut nix, & capillus eius cernebatur tanquam lana pura. Nihil enim obscurum, nihil triste, nihil sordidum apud veram & magnam & primam lucem. Quinetiam thronum quoque eius dicit apparuisse tanquam flammam ignis, & rotas ignem emittentes, & fluuium ignis ante eum fluentem: & horrēda omnia & terribilia, & admirabilia omnia, & quæ Deum decebant. Mille enim millia, inquit, & decies mille milia, ei assistentes piè admodum ministrabant. Deinde cum nubibus tanquam filium hominis, filium Dei dixit se vidisse venientem, & eum ad patrem vsque euntem, & tanquam ab eo dilectū cum eo honorificè sedentem: & ei vniuersam potestatē & regnum omnium dari, & honorem. Quinetiam libros ei esse apertos, & occulta ei esse manifesta, & omnia adstare nuda & detecta: & aliorum quidem aboleri potestatem & imperium: illam autem pessimam bestiam, & improbitate incomparabilem, quæ mouit bellum aduersus sanctos: & os habuit quod magna & superba loquebatur, deletam & transmissam ad ignis conflagrationem qui nunquam extinguitur: deinde verò maiestatem & vniuersorum regnum datum sanctis in æternum. Neque verò hæc solùm, ô beatam visionem, vidit Daniel: sed orans quoque postea, & verbis confessionis placans eum qui est summè bonus: Eram, inquit, deinceps Susis, quæ est metropolis Persidis, & postquam egressus sum in campum cum familiaribus, ecce factus est magnus terræ motus, & fugientibus iis qui mecum erant, relictus sum solus. Et ecce quidam stans me tetigit, & fecit surgere, & quæ ciuibus erant euentura post multas generationes mysticè enarrauit. Is autem erat magnus ille & primus cœlestium potestatum Gabriel. Qui etiam sibi, cùm surrexisset, significauit fuisse magnum ostensum arietem, cui multa quidem enata erant cornua, habebat autem vnum altius. Et hæc quidem cùm aspexisset, ait se vidisse in occidente hircum, qui inde ferebatur per aërem: confligentem verò cum ariete, & bis cornu petentem, ipsum humi prostrauisse & conculcasse. Deinde vidisse hircum, cui magnum cornu nascebatur in fronte: quo fracto germinasse quatuor, versa ad singulos ventos. Ex ipsis autem exortum esse aliud quoque breuius, quod is qui ostendebat, dicebat fore vt cresceret, & eius gentem bello inuaderet, & ciuitatem vi caperet, & quæcunque sunt legis tolleret, idque diebus mille ducentis & nonaginta sex. Hæc quidem se vidisse in campo qui est Susis, scripsit Daniel. Deum autem, eorum quæ aspexerat visionem dicebat sic sibi declarasse. Nam arietem quidem dicebat significare regna Medorum & Persarum: cornua autem eos qui erant regnaturi. Ipsum verò cornu vltimum, significat ipsum vltimum Regem. Dicebat enim fore, vt is præstaret cæteris & diuitiis, & gloria, & alio splendore. Hircum autem significare, futurum ex Græcis Regem quendam, qui bis cum Persa confligens, eum pugna vinceret, & vniuersum assumeret principatum: significari verò à magno cornu quod est in fronte hirci primum Regem. Deinde etiam ortum quatuor Regum cùm ille excessisset, vniuscuiusque autem eorum conuersione ad quatuor climata terræ, describi successores post mortem primi Regis, & significari factam ab eis diuisionem. Futurum autē alium quoq; quendam ex iis Regem, vultu quidem impudentem, idoneum verò ad intelligenda problemata: qui & dolo multos interimet, & stabit ad interitum multorum: bellabit autem aduersus gentem, & eorum leges fortiter dissoluet, quinetiam templum quoque spoliabit: & delebit rempublicam, & prohibebit tres annos fieri sacrificia. Hæc quoq; sic facta sunt, & ad effectum peruenerunt, Antiocho videlicet regnante, qui fuit cognominatus Epiphanes. Prædixit autem ipsa Daniel multis ante generationibus, cùm Deus ei ea ostēdisset, & vt scriberet effecisset: vt & qui ea legunt, & considerant ea quæ eueniunt, & Danielem admirentur propter honorem, quo fuit dignus à Deo iudicatus: & inueniant Epicureos hac in re valde errare, qui & prouidentiam è vita expellunt, & Deū non censent rerum humanarum curam gerere: neq; à beata essentia, in quá non cadit interitus, ad hoc vt vniuersa permaneant, gubernari omnia, carentia

auriga & curatore. Mundum autem vniuersum dicunt sua sponte ferri: sic malè sentientes, & dicentes apertè stolidè: & nescientes quòd ne nauis quidem in portu seruari potuerit, defecta gubernatore & nautis. Sed quis in rebus honestis fuit adeo socors & ignauus, aut auditores tantæ damnauerit negligentiæ & somnolentiæ, vt non aliorum etiam meminerit Prophetæ huius admirabilis, & quæ possunt afficere admiratione, & magnam adferre vtilitatem animis auditorum? Erat enim tunc apud Babylonios simulachrum, quod in magno habebatur honore. Et nomen erat Bel: cui etiam tanquam Deo constructum erat templum & ara: eique suppeditati fuerant largi sumptus: & circa illum erat frequens turba sacerdotum. Sumptus verò specie quidem ac prætextu suppeditabantur idolo: re vera autem ab eius sacerdotibus latenter consumebantur. Id ipse quoque Rex colebat: is erat Cyrus qui Dario successerat. Qui etiam similiter atque Darius honorem conseruans in Danielem, eum habebat conuictorem, & gloriosissimum omnium suorum amicorum. Hinc etiam factum est vt ei suaderet, vt Bel coleret tanquam Deum viuentem. An non vides, inquit, quòd similæ quidem artabas duodecim quotidie, oues autem non pauciores quàm quadraginta comedebat: vini verò sex totas ebibit metretas? Est hoc error manifestus, & apertè deceptio, ait Dei Propheta. Nam quod intus quidem est lutum, æs autem extrinsecus, neque potest esse, neque bibere. Irascitur hæc audiens Cyrus: & statim vocat sacerdotes, minaturq; mortem, nisi Bel comedentem ostenderint. Illi verò: Mensæ cibos, aiunt, appone, nos autem egrediemur: & clauibus ac signaculis obserata ianua, redi die sequenti: & nisi omnia consumpta inueneris, nos digni erimus supplicio. Sin minus, Daniel, qui & de nobis, & de ipso Deo est mentitus. Atque Cyrus quidem statim sicut dixerant, cibos apposuit. Daniel autem eis imprudentibus, cinere templi solum conspergit: & cùm sic ambo clausissent, & obsignassent, recesserunt. Sequenti verò die accedentes, vident vestigia mulierum, & virorum, & puerorum in cinere. Qui etiam capti ostendunt occultos aditus, per quos nuper ingredientes, consumebant ea quæ apponebantur. Hæc cùm Rex vidisset, ira simul repletur & pudore: & vlciscens sacerdotes propter eam quæ ad hoc vsque tempus latebat fraudem, eos omnes interimit. Templum autem & Bel præbuit euertendum Danieli.

Cùm Daniel Babyloniis hoc præclarum primum ostendisset factum, quod nullo eorum quæ propter intelligentiam & ingenij acumen in admiratione habentur, est inferius, deinde etiam secundum adijcit. Non solùm enim isti nullo planè sensu præditi, nullo sensu præditum Bel colebant: sed etiam magnum quendam draconem, qui in domo quadam delitescebat, tanquam Deum colebant. Hoc opus est eius qui intelligentia percipitur draconis, abducere quidem à Deo vniuersorum, persuadere autem, vt adhæreant bestiæ nequissimæ. Tentatur ergo in hoc quoq; Daniel à Cyro: & iubebat vt eum adoraret tanquã verè comedentẽ & bibentem, & viuentem Deum. Non potes enim, aiebat, dicere hunc nõ esse Deum viuentem. Ille autẽ: Dominum, inquit, meũ adorabo. Is enim est solus verè viuens, per quem viuimus, & mouemur, & sumus. Hic verò serpens est draco venenatus & malus, qui scit quidem nocere, nemini autem potest prodesse. Quòd si velis scire eum etiam esse mortalem, & in quem natura cadit interitus, non autem Deum, permitte ô Rex, & ego eum occidam sine gladio & virga. Cùm verò ei Rex in hoc annuisset, & picem simul & adipem & pillos coxisset hic vir admirabilis, & deinde etiam offas fecisset, dimisit in os draconis. Ille autem cùm comedisset, confestim rumpitur. Hæc cùm grauiter tulissent quicunque ex Babyloniis erant superstitiosi, & falsæ religioni dediti, ad Regem accesserunt, & petierunt Danielem: erant enim re vera instigati à dracone, qui non cadit sub aspectum: & aduersus Prophetam magnum furorem conceperant, & iam parturierant. Accedunt ergo ad Regẽ, dicentes: Trade nobis Danielem: Sin minus, te occidemus: iam enim nobis ex tuis factis euasit manifestum, te quoque ipsum eadem sentire quæ Iudæi. Eum itaque tradit Rex in manus eorum, non lubens alioqui nec volens, tradit tamen. Illi verò cùm eum accepissent, rursus demittunt in lacum leonum. Ij erant septem numero, quibus & duo corpora, & duæ oues singulis diebus erant deputatæ ad eorum alimentum. Sex autem totis diebus quibus iustus fuit cum eis inclusus, relicti sunt omnino ieiuni, & omnis alimenti expertes, vt fame quidem oppressi, & omni alio nutrimento carentes, etiamsi Propheta haberet aliquam virtutem quę eorum arceret impetum, at fame certè impulsi, violentius maxillas celeriter in eum immitterent ac discerperent. Quid ergo Dominus? Traditne feris animam quæ eum confitetur, aut seruat quidem ex ore leonum? Relinquit autem eum fame moriturum, aut alimentum quidem præbet ad esum, sed per alienigenam aliquem & incircuncisum? Multum abest, sed vt per omnia omnipotentes eius vires & ineffabilis misericordia fieret manifesta, diuina quidem manu obstruuntur ora leonum: vel potius ipsi seipsos comprimunt ac contrahunt, angulos subeuntes, & nec sacrum corpus omnino audentes attingere:

gere: ſed tanquam quidam ſatellites beneuoli ac fideles, ſuum Regem cuſtodientes, & quos nec famis quidem meminiſſe ſinebat qui eos vrgebat metus.

Erat autem alius quidam Propheta in Iudæa, is erat ſacer Abacuch, quem ſcio ſatis omnibus eſſe notum. Is ergo cùm panem in diſco comminuiſſet, & ius ei immiſiſſet, abibat vt ferret ad meſſores: erat enim tempus æſtatis. Angelus autem Domini ei apparuit, & iuſſit eum id ferre Babylonem ad Danielem. Cùm is verò ignorantiam, & eſſe maximum quod intercedit ſpatium, & quàm difficile eſſet imperatum, adduceret, protinus Angelus comam capitis apprehendit, & momento temporis impetu ducentis ſpiritus expanſus ſtetit ſuper lacum, & appellauit Dei vinctum, & dixit: Accipe hanc cœnam quam Deus ad te miſit, tui magnam curam gerens. Hæc Abacuch. Magnus autem Daniel in contritione ſpiritus, & humilitate animæ: Meminit verò mei Deus, reſpondit. Fidelis vox eſt re vera famuli, quomodo bonus quoque Dominus eius curam gerit. Deinde cùm accepiſſet, comedit. Ipſe autem Abacuch cum eadem rurſus virtute illud immenſum tranſuolaſſet ſpatium: ô celeritatem, ô diuinam pernicitatem, momento temporis ita ſuo fuit loco reſtitutus, vt nondum præteriiſſet hora prandij meſſoribus. Atque hoc quidem cùm ſit planè ſolius Dei opus, & eius immenſæ potentiæ, maius ex ſe habet miraculum, quàm vt id poſſit aſſequi ſermo vel cogitatio. Atque ſex quidem dies ſic tranſierunt, Danielem in lacu conſeruantes. Cyrus autem ſeptimo die abiit, vt amicum iam lugeret mortuum. Cùm verò deſpexiſſet, & vidiſſet ipſum in lacu ſedentem illæſum, magna voce laudauit Deum rerum admirabilium, & magis quàm prius Darius, & illum quidem illinc quamprimùm extraxit, eos autem qui ei temerè inuidebant, continuò demitit deuorandos à leonibus. Sic etiam in Gentibus cognoſcitur Deus iudicia faciens, vt in operibus manuum ipſorum comprehendantur peccatores, prouidens modo ineffabili. Fuit ergo poſtea Daniel & Regis conuictor, honoremque & gloriam apud ipſum eſt conſecutus ſupra omnes eius amicos. Sed & rurſus admirabilis Daniel conſueta faciens, & perſeuerans in ab initio cœpta abſtinentia, rurſus talibus eſt dignus habitus contemplationibus. Fui enim, inquit ille, tres dierum hebdomadas 3 ieiunans: panem enim deſideriorum non comedi, & caro, & vinum non intrauit in os meum, & vnguento non fui vnctus, donec impleti eſſent dies trium hebdomadarum: & viceſimo & quarto die primi menſis, ego ſedebam propè magnum fluuium Chobar, & ſuſtuli oculos meos, & vidi. Et ecce vir indutus ſacra ſtola, & lumbus eius accinctus auro Hophatz, & corpus eius tanquam Tharſis, & vultus eius tanquam aſpectus fulguris, & oculi eius tanquam lampades ignis, & brachia eius & tibiæ tanquam aſpectus æris reſplendentis, & vox verborum eius tanquam vox tubæ. Hæc vidi, & virtus mea defecit à me, & gloria mea conuerſa fuit in interitum: & continuò cado in terram, & ecce manus me tangens, erexit me ſuper genua mea: & attende, inquit, ad me, Daniel vir deſideriorum, & ſta in ſtatione mea. Quoniam nunc ego miſſus ſum ad te. Quoniam à primo die quo dediſti cor tuum vt humiliareris coram Domino Deo tuo, ego veni ad te: & Princeps regni Perſarum ſtetit contra me viginti & vnum diem. Et nunc eſto vir fortis & robuſtus, quoniam ego ſum tecum. Hic multa quidem futura, qui apparuit Angelus Prophetæ, myſticè annunciat de regno Perſarum & eius euerſione, & ad quos erat deuenturum. Deinde etiam de Regina Auſtri: quæ quidem poſtea finem acceperunt, & ſcripta ſunt in libris qui vocantur Machabæorum. Non ex his autem ſolis, ſed etiam ex aliis, Daniel apparuit magnus in contemplatione, & admirandus intelligentia. Et vt alia omittamus, quod de Suſanna factum eſt iudicium, quod diu ante fecit cùm eſſet adhuc iuuenis, quidnam reliquit intelligentiæ quò id poſſit ſuperare? Quæ quidem cùm fuiſſet marito fidelis, morte autem eſſet damnata ex iniquiſſima calumnia eorum qui illam impudicis aſpexerant oculis, & erat ſimilia paſſura iis quæ Ioſeph paſſus eſt, qui illunc tunc eripuit, is eam quoque admirabiliter ſeruat per Danielem, qui ſapiente iudicio ſeniorum conuicit malignitatem: & eos magis morte dignos oſtendit, & vt mortem paterentur effecit. Cùm tāta eſſet intelligentia, tanta gratia, & tam magnis dignus eſſet habitus contemplationibus: cumq; ipſa Dei arcana, & duplicis verbi aduētus myſteria ſpiritu eſſet contemplatus: quinetiam quæcunque ſunt aliis pluris facienda, & quæcunque ſunt euentura in fine ſeculi: & eam quæ tunc erit afflictionem: & hominum ex terræ aggere reſurrectionem, & ſanctorum gloriam, & impiorum ignominiam, quæ nunquam deſinit: & Dei profunda, quantum poteſt is qui eſt carne indutus, per ipſa ſcrutantem ſpiritum cognouiſſet. Deinde vinculo ſolutus, terra terræ lubenter tradita, ad Deum quem deſiderabat, vir deſideriorum abiit, cum his tribus & amicis pueris, & Prophetis perpetuò conuerſans, & nec à nobis quidem quod ad 4 defendendum & adiuuandum attinet abſcedens. Ad gloriam patris, & filij, & ſpiritus ſancti ſupernaturalis, & diuinæ Trinitatis. Quam decet honor & adoratio in ſecula ſeculorum. Amen.

3 Ecce in ſancto viro abſtinētiam, ieiunium, & ciborum delectum.

4 Habes hic ſanctos etiam poſt mortem nobiſcum eſſe, ad defendendum & adiuuandum.

VITA SANCTAE SVSANNAE VXORIS IOAchim, per D. Zenonem Episcopum Veronen. scripta.

Est sermone 7. lib. 1. D. Zenonis Episcopi Veronensis de pudicitię laudibus.

SVsannam columen matronatus, inaffectatæ formæ, pulchrius suæ pulchritudinis ornamentum, insigne pudicitiæ testimonium, è senioribus duo, sed vno incensi prodigio, secus quàm decuerat, deperire cœperant. Quam cùm aduerterent muro castitatis (quæ certè vera est & æterna formositas) in paradisi solitudine, vbi Euam ab autore operis sui meminerât esse deceptam, circumcingi, hanc re ipsa nacto consilio, capere dolo aggrediuntur: ac nisi culpæ succumbat, veluti adulteræ deprehensæ magnum minitantur exitium. At illa non Euæ ancipiti quidem metu contemplatione perculsa, cuius aut pudor esset iugulandus, aut anima, conscientiæ suæ conscium solum contestans Deum, honestam potius elegit mortem, quàm vitam turpem, melius credens hominibus se ream præbere debere, quàm Deo. Interea instant illi ex amatoribus accusatores effecti, crimenque suum in simplicitatem circunuentæ transfusum, artificiosè dum exaggerant, exinde iam priores se ipsi condemnant. Verùm proh nefas, creditur ætati, creditur autoritati: exultant adulteri, damnatur integritas. Iam iamque Susanna ad supplicium immerens trahebatur, iam totus populus in eius sanguine tumescebat, iam sui quoque familiares nouæ rei atrocitate perculsi miserabiliter ingemiscentes, dimissis capitibus omne studium defensionis abiecerant, iam etiam ipsa pudoris compendio mortis oderat moras: omnibus displicens, sed soli suæ conscientiæ placens, cùm subitò, quauis versutia qui fallitur nunquam, adest in Daniele puero Deus. Omnem repentè malitiæ scenam diripuit, proditum crimen properè recluditur: sed scelus suos redit in autores, purgaturque per innocentiam pudor. Sicq; Susannam quam impudicitia mentiente in publicum traxerant, probatam & vindicatam ad mariti thalamos cum ingenti triumpho victrix pudicitia reportauit. Sed ô quantum es miranda pudicitia, quæ aliter laudari te non vis, quàm vt custodiaris, solo bonæ conscientiæ ornamento contenta. Tu in virginibus fœlix, in viduis fortis, in coniugiis fidelis, in sacerdotibus pura, in martyribus gloriosa, in Angelis clara, in omnibus verò regina. Tu nunquam carni, nunquam vlli subiaces legi. De voluntate nasceris, sed bono puritatis voluntatê ipsa paris: quia voluntas fit voluptas postmodum tua, cùm per eam quotidie tricenos, sexagenos, centenosque colligis fructus. Tu in pauperibus diues, in diuitibus ditior, æqualis in omnibus consummaris. Tu es honor corporũ, tu thesaurus animarum, tu fundamẽtum, culmen, ac fructus omnium coæquarum. Tu tui propositi insolubilis nodus & æternus. Per te legitima ieiunia celebrantur, per te allegatæ priusquam formentur, acceptantur preces. Tu es sacrificium Deo charum, tu legitimum Dei templum, sacrarium pudoris. Te corruptio intrare nõ nouit, per te seculum vincitur, concupiscentia omnis eliditur, diabolus subiugatur, Antichristus non timetur, spiritus sanctus inducitur, glorificatur Christus, Deus pater omnipotens propitiatur. Postremò ille fœlix in futurum regnabit, qui tecum illò peruenerit. Amen.

ADHVC DE BEATA SVSANNA, PER D. Ambrosium Episcopum.

Habetur in libr. eius de fuga seculi, cap. 9.

FVgiamus hinc sicut fugit de patria sanctus Iacob. Sciebat enim veram patriam esse superiorem. Fugiamus sicut cerui ad fontes aquarum, quos sitiebat Dauid. Sitiat & anima nostra. Quis est ille fons? Audi dicentem: Quoniam apud te est fons vitæ. Huic fonti dicat anima mea: Quando veniam, & apparebo ante faciem tuam? Fons enim Deus est. Sed qui hũc fontem desiderat, effundat super se animam suam, vt nihil possessioni carnis relinquat, sed vbiq; anima superfluat. Pulchrè eã effudit Susanna, vt euaporare in ea nõ possent incendia corporis, mortis formidines, vitæ cupiditates. Effusa super ipsam anima, omne restinxit carnale desideriũ, seculare studium. Quæ etiã prodigiosorum senum & imprudentium presbyterorum potuit flammas restinguere, nisi in his libidinis profluuiũ redundasset. A quibus cùm intenderetur calũnia, si assensus negaretur adulterio, ingemuit Susanna, & dixit: Angustiæ mihi adsunt vndiq;: si enim hoc fecero, morte æterna peribo: si autem non fecero, non effugiam manus vestras: Melius tamen iudicauit crimẽ potius fugere, quàm periculum. Plorauit itaq; cùm crimen obiiceretur, plorauit cùm sibi de pudica & casta adulteri iudicium vendicarent, non mortem deplorans, sed castitatis calumniã. Religionis iniuriam plorauit, & effudit super se non corpus sed animam. Effudisset enim corpus, si carnalibus acquieuisset. Deniq; cùm morte damnaretur, exclamauit quasi iudex reorũ, arbitra calumniantium: & innocentis conscientiæ autoritate, diuinam sibi in iudicium accersiuit cognitionẽ, non timore mortis percita, sed arguentis censuræ potestate percelsa. Susanna ergo

fugit seculum, & se Deo credidit, ad illam arcem ciuitatis æternæ fugiens, quæ totum mundum complectitur, quoniam intra Deum sunt omnia.

VITA ADHVC SANCTAE SVSANNAE, PER D. Zenonem Episcopum Veronensem scripta.

Habetur libr. 1. sermonū eiusdē serm. 37.

QVotiescunque in hoc peruerso seculo contra laudabiles viros multiformes tenduntur insidiæ, & diuersis calumniarum generibus factiosæ emerserint causæ, quid homo pestilens excogitet, vel quid diabolus machinetur, non metuat iustus, quia cum illo est Deus. Inde Susanna illustris Hebræa, veræ decus pudicitiæ, docuit fœminas suæ castitatis exemplo. Stabat Susanna in iudicio perditorum, falsorum testium oppressa mendacijs, conscientiæ tamen bonis contenta secretis, non tam rea susceptura sententiam, quàm dicata Deo pro castitate fortiter moritura. Et quam iudicantium sententia praua deiecerat, illustris conscientiæ integritas erigebat. Sufficit ergo pudicitiæ conscientia, testis est Deus. Non respexit castitas quid falsi dicerent testes, aut qualiter iudices circumuenti damnarent. Non denique qualiter diabolus infamaret, qui non potuit pudoris fundamenta subuertere. Ibat ad supplicium non adulterum corpus, in quod extrema libido senilis exarserat: sed quod infamauerat diabolus, & quod protexerat virtus, & ornabat pudor illæsus. Tunc in puero sancto Daniele spiritus sanctus ingressus ait, cùm illa ad supplicium duceretur: Reuertimini ad iudicium, falsum enim isti contestati sunt de ea. Stupet populus, quòd à supplicio ad iudicium repetendum reuocaretur addicta. Falsos testes pauor inuadit, tremit diabolus, quòd ipsius commenta nudentur: gaudent Angeli, quòd oppressa veritas tandem defendatur in terris. Triumphat maritus, quòd castam inuenit coniugem: lætatur familia omnis, quòd in ea nihil inueniat fama quod feriat. Cruciatur diabolus, quòd nulla ex parte suam perfecerit voluntatem. Nec enim adulterium quod factum diffamabat exercuit, nec homicidium quod procurabat, inuenit.

ITEM DE SANCTA SVSANNA, PER D. IOAN. Chrysostomum Episcopum Constantinopolitanum.

Est homil. quæ habetur circa finem tom. 1.

DIuinæ lectiones, & sancta oracula Dei, quæ insonuerunt auribus vestris, nidum faciant in mentibus nostris. Non volent, & transeant, aut sedeant, & descendant. Nam si passer inuenit sibi domum, aut turtur nidum vbi ponant pullos suos, quantò magis passer verbum Dei? Audiuimus de Susanna lectionem. Ædificetur pudicitia coniugalis, & tam firmo fundamento innitatur, muroque valletur, vt insidiantes repellat, & falsos testes conuincat. Remanserat casta mulier moritura, nisi adesset qui videbat, quod iudicantes latebat. Conscripta sunt verba eius: O angustiæ mihi sunt vndique, si enim hoc fecero, mors mihi est: si autem non fecero, non effugiam manus vestras: melius est autem mihi manus vestras non euadere, quàm me peccare in conspectu Dei. Contemnebant quod audiebat, quia timebat eum, quem nihil latebat: Ait ergo: Angustiæ mihi vndique. Sed expectabat eum qui saluam faceret à pusillanimi tempestate falsorum testium, tanquā ventum malorum. In illis tamen ventis & fluctibus, naufragium castitas non fecit, quia Dominus gubernauit: adfuit precanti, exaudiuit quā nouerat, nec deseruit ne moreretur, cui subuenit ne adulteraretur. Excitauit Deus spiritum sanctum Danielis, adhuc nouelli ætate, sed robusti fide. Et quia erat in eo propheticus spiritus, cōtinuò nequissimorū seniorum vidit fallaciam. Sed quod ille intuebatur, prouidendum erat, quo modo cæteris monstraretur. Falsi, inquit, testes sunt, redite in iudicium. Quid pluribus? Apparuit falsitas. Susanna ergo religiosa mulier, & pudica coniux, erat vtique quandoque moritura? & ipsa quandoque. Et si tunc esset mortua, pudicitiæ quid obesset, dum caro conderetur sepulchro, & castitas redderetur Deo? Putastis enim fratres, tanquam ad magnum meritum pertinere, si falsi testes non præualeant super innocentem. Non est magnum meritum, si non præualeat falsum testimonium aduersus innocentem, si aduersus Dominum non præualeret. Ipse Dominus noster Christus per linguam falsorum testium est crucifixus. Sed etiam ipsi quidem falsi testes ad horam præualuerunt, resurrecturo quid nocuerunt? Demonstrauit ergo seruis exemplum, ne falsos testes perhorrescant: & cùm creduntur, non timeant. Possunt enim facere malam famam, non possunt interficere conscientiam. Liberati sunt tres viri de camino ignis ardentis, adfuit Deus eorum, & in ipsa deambulatione laudes dixerunt Deo: adfuit Deus eorum. Nunquid defuit Deus eorum? Illi euaserunt, isti mox arserunt, vtrique tentati. Hi carne consumpti, illi carne illæsi, sed vtrique coronati. Qui ergo liberauit Susannam mulierem castam coniugem fidelem à falso testimonio seniorum, ipse liberauit & virginem Mariam à falsa suspitione. Inuenta est ergo & virgo illa prægnans, ad quam vir non accesserat, vterus quidem fœtu tumuerat, & viginalis in-

tegritas manserat. Seminatorem fide conceperat, Dominum in suum corpus assumpserat, non eius corpus violari permiserat. Meritò tamen tanquam homini venit in suspitionem. Aliunde esse credebat, quod de se non esse sciebat, & ipsum alium de adulterio suspicabatur. Quare dignus fuit ab Angelo corrigi, quia nonnulla erat maleuola suspitio. Maleuolæ suspitiones sunt calumniantium: beneuolæ suspitiones sunt gubernantium. Licuit cuiquam de filio malè suspicari, sed filio non licet calumniari. Vtique suspicaris malum, sed optas inuenire bonum. Qui beneuolè suspicatur, vinci cupit. Tunc enim benè lætatur, quando falsum inuentum fuerit, quod malè suspicabatur. Talis erat Ioseph circa coniugem suam, cui corpore non erat mixtus, sed tamen iam fide fuerat copulatus. Venit ergo & virgo in falsam suspitionem, sed sicut pro Susanna affluit in Daniele spiritus, sic pro Maria, Domini fuit Angelus. Ad Ioseph inquit Angelus: Noli timere accipere Mariam coniugem tuam: quod enim de illa natum fuerit, de spiritu sancto est. Gaudebant paulò ante coniugatæ ad Susannam: gaudent virgines ad Mariam, vtræque tenebant charitatem: illæ coniugalem, istæ virginalem: vtraque enim castitas 1 habet apud Dominum meritum. Ergo vnusquisque fratres mei pro dono quod accepit, certet in hoc seculo, vt vincat in futuro. Per Christum Dominum nostrum, qui viuit & regnat cum patre & spiritu sancto, per omnia secula seculorum. AMEN.

1 Castitas habet meritum apud Dominum.

VITA ET MORS OSEE PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

OSee Propheta filius Beeri, & in Belomoth de prosapia tribuque Isachar progenitus, signum dedit & prodigium, Dominum scilicet venturum cœlitus in terram: cæterùm hoc fore indicium aduentus eius: Si quercus illa in Selom findatur à seipsa in portiones bis senas, & fierent totidem quercus. Et accidit ita. Cæterùm de fornicatione, & stupro gentis suæ vaticinatus est haud parum. Vitam cùm posuisset in pace, propria terra humatus est.

ITEM VITA OSEE, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

OSee de tribu Isachar, ortus in Bemoth: hic pronuncians dedit signum: Veniet Dominus in terram, si quercus, quæ est Silo, in semetipsa duodecim diuisa fuerit partibus, totidemque quercus effecerit. Hic in terra sua sepultus, placita quiete dormiuit.

VITA ET MORS IOELIS PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis prophetarum.

IOel Propheta ex agro Bethor, de terra Rubin oriundus, permulta quoque super Hierusalem prophetauit, & de consummatione gentium vaticinatus est. Hic quoque animam efflauit, ac desijt viuere. Estque cum honore & gloria humatus in Bethor.

ITEM VITA IOELIS PROPHETAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testamẽti.

IOel hic fuit de tribu Ruben, natus etiam in agro Betheron, vbi in pace mortuus est atque sepultus.

VITA ET MORS AMOS PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum

Non tenet Hieronymus hunc fuisse patrem Esaiæ, vt infra videbis.

AMos Propheta è Thecue de terra Zabulon oriundus, parens fuit Esaiæ Prophetæ. Ab Amasia autem sacerdote Bethel iugiter vapulans, insidijs & conuitijs notatus est. Postremò verò filius Amasiæ clauo seu fuste eum feriendo secundùm tempora occidit, quòd ipsum de insidijs duarum iuuencarum ex auro suggillasset. Cæterùm adhuc spirans in patriam terram profectus, & inibi fato functus, cum maioribus suis vnà sepultus est.

VITA AMOS PROPHETAE, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus veteris testamenti.

AMos pastor & rusticus, ac sicomoros vellicans, Propheta non genere, sed gratia vocationis. Hic autem fuit ex oppido Thecue, quod distat ab australi plaga sex milibus contra Bethleem. Vltra autem nulla est habitatio, sed sola eremi diffusa vastitas, patens vsque ad mare rubrum, atque à mari rubro vsque ad Indorum fines solis tantùm pastoribus concessa, & latè vagãtibus pecoribus exacta pastorali regione. Fuit Amos vnus de numero pastorum, quem Dominus ablatum misit ad populos Israel, præcipiens ei vt Samariam pergeret

geret, & ibi quæ ventura erant prophetaret. Quem Amafias facerdos frequenter plagis affiixit, & nouiffimè Ozias filius eius vecte per tempora transfixo, crudeli morte necauit. Pofthæc femiuiuus vectus eft in terram fuam: & poft aliquot dies dolore nimio vulneris, animam cunctatim efflauit. Sepultus eft cum patribus fuis.

VITA ET MORS ABDIAE PROPHETAE, PER D. Epiphanium Conftantiæ Cypri Epifcopum defcripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

ABdias Propheta oriundus erat ex Sichen, agroque Bethachamar. Hic eft vates ille qui ter femicenturionem egit, cuique pepercit Helias Thesbytes. Defcendit vt conueniret Regem, poft hæc verò regiæ ordinationis defertor adhæfit diuinatori Heliæ, & factus eft difcipulus eius, cuius gratia plurima fuftinens, feruatus eft. Suum autem diem obiens ille in agro Bethachamar, cum patribus fuis capulum obtinuit.

ITEM VITA ABDIAE, PER D. ISIDORVM Epifcopum Ifpalenfem fcripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris teftam.

ABdias de terra Sichen, ortus ex agro Bethagamar: ifte eft ille dux, cui pepercit Helias. Qui poftmodum relicto Ozeæ Regis minifterio factus eft Heliæ difcipulus, & prophetauit, qui etiam morte propria obijt, fepultufque eft cum patribus fuis in Sebaftea ciuitate, vbi & Helifæus Propheta, & Baptifta Ioannes venerabiliter requiefcunt.

ITEM ALIA ADHVC VITA ABDIAE, PER D. Hieronymum Presbyterum fcripta.

Habetur in libr. Commen. eiufdē fuper eundē Prophetam in principio.

AIunt Hebræi Abdiam effe qui fub Rege Samariæ Achab & impijffima Iezabel pauit centum Prophetas in fpecubus: qui non curuauerunt genu Baal, & de feptem milibus erant quos Helias arguitur ignoraffe: fepulchrumque eius vfque hodie cum Maufoleo Helifæi Prophetæ, & Baptiftæ Ioannis in Sebafte venerationi habetur, quæ olim Samaria dicebatur. Hanc Herodes Rex Iudææ Antipatri filius in honorem Augufti Cæfaris, Græco fermone vocauit Auguftam. Hic igitur quia centum Prophetas aluerat, accepit gratiam prophetalem: & de duce exercitus fit dux Ecclefiæ. Tunc in Samaria paruū gregem pauerat, nunc in toto orbe Chrifti pafcit Ecclefias, & φερώνυμος ficut in Actis Apoftolorum Stephanus, martyrio coronatus, ita & hic feruus appellatus eft Domini.

VITA ET MORS IONAE PROPHETAE, PER D. Epiphanium Conftantiæ Cypri Epifcopum defcripta.

Habetur in libr. eius de vitis prophetarum.

IONAS Propheta, patria fuit ex terra Cariathamaum, haud procul ab Azoto vrbe Grecorum mari vicina. Ea ætate Helias propheta redarguebat Achab principem Samariæ. Is vbi ingentem inediam fuper terram vocaffet, corripuit fe in folitudinem, vbi à coruis altus, de torrentis vnda fitim fedauit: & quando torrens exaruit, efuriebat, migrauitque in Saraphtha Sidoniæ ad fœminam quandam viduam pauperculam genitricē Ionæ, ingreffufque eft ædes ipfius. Mulier autem nihil reliqui fecit in his quæ ei mandauit. Manducauit etiam, & benedixit tam in frumento, quàm in oleo. Et cōmoratus eft cum ea: nam cum incircuncifis confuetudinem habere non poterat. Cùm autem poft hæc filius viduæ eius fato functus effet Ionas, refufcitauit eum Deus per Heliam, reftituitque ipfum iuuenē fuæ genitrici viuentem propter hofpitalitatem. Vbi igitur ad iuftam prouectus effet ætatem Ionas, ablegatus eft in Niniue ad Affyrios: cumque ftuderet effugere Dominum, abforptus eft à ceto in itinere profecturus in Tharfos: Egreffus verò rurfus balænam, prædicauit in Niniue. Tum refipuêre Niniuitæ coram Deo, & reddiderunt Deum fibi propitium. Mœrore autem affectus Ionas, natale folum repetit, neque domi permanendum ducebat: verùm affumpta parente fua, in Sur peregrinatus eft, regionem alienigenarum. Inquit enim: Ne forte exprobretur, vanam exiftere meam prophetiam contra Niniue. Cùm frequentaret itaque terram Saar, vita ibidem functus in fpecu Cenefæi iudicis humatus eft. Prophetauit autem vates ille, Quòd vbi confpicerent olim in Hierufalem innumeras gentes ab occafu, tunc radicitus popularetur ea ciuitas, & euerteretur funditus.

ITEM VITA IONAE, PER D. ISIDORVM Epifcopum Ifpalenfem fcripta.

Habetur in libr. eiufdem de patribus veteris teftamenti.

IOnas, Columba vel dolens, filius Amathi, qui fuit de Geth, quæ eft in Offer, gentium præco mittitur, miffus contemnit, contemnens fugit, fugiens dormit, propter quem pericli-

periclitatur nauis, sed sors latentem reperit. Cetus obiectum voratum orantem reuomuit. Reiectus prædicauit subuersionem Niniue. Sed contristatur in pœnitentia vrbis, & salutem inuidit. Gaudet etiam hederæ virentis vmbraculo, & dolet subitò arescenti. Tradunt Hebræi, hunc esse filium viduæ, quem à mortuis suscitauit Helias. Sepulchrum eius in quodam vrbium Geth viculo demonstratur, quod est in secundo miliario Sephorim itinere quo pergitur Tyberiadem.

ITEM VITA ALIA EIVSDEM PROPHETAE, per D. Hieronymum Presbyterum scripta.

Habetur in procemi o eiusdem Hieronymi in librum Commētariorū super eodem Propheta.

QVærimus, Ionas Propheta, excepto volumine suo, & Euangelijs, hoc est, Domini de eo testimonio, vbi alibi in scripturis sanctis lectus sit? Et ni fallor, in Regum volumine de eo ita scriptum est: Anno quintodecimo Amasiæ filij Ioas, Regis Iuda, regnauit Hieroboam filius Ioas Regis Israël in Samaria, quadraginta annis & vno. Fecitque malum coram Domino, & non recessit ab vniuersis peccatis Hieroboam filij Nabath, qui peccare fecit Israël. Ipse conuertit fines Israëlis in Samaria ab introitu Hemath, vsque ad mare solitudinis, iuxta verbum Domini Dei Israël, quod locutus est in manu serui sui Ionæ filij Amathi Prophetæ, qui fuit de Geth, quæ est in Opher. Tradunt autem Hebræi, hunc esse filium viduæ Sareptanæ, quem Helias Propheta mortuum suscitauit, matre postea dicente ad eum: Nunc cognoui, quia vir Dei es tu: & verbum Dei in ore tuo est veritas, & ob hanc causam etiam ipsum puerum sic vocatum. Amati eum in nostra lingua veritatem sonat: & ex eo quòd verum Helias locutus est, ille qui suscitatus est, filius esse dicitur veritatis. Porrò Geth in secundo Sephorim miliario, quæ hodie appellatur Diocæsaria, euntibus Tyberiadem, haud grandis est viculus vbi & sepulchrū eius ostenditur. Quanquam alij iuxta Diospolim, id est, Liddam, eum & natum & conditum velint: non intelligentes hoc quod additur, Opher: ad distinctionem aliarum Geth vrbium pertinere: quæ iuxta Eleutheropolim siue Diospolim hodie quoque mōstrantur. Liber quoque 1 Tobiæ licet non habeatur in canone, tamen quia vsurpatur ab ecclesiasticis viris, tale quid memorat dicente Tobia ad filium suum: Fili, ecce senui, & in eo sum, vt reuertar de vita mea. Tolle filios tuos, & vade in Mediam fili: scio enim quæ locutus est Ionas Propheta de Niniue, quoniam subuertetur. Et re vera quantum ad historias tam Hebræas, quàm Græcas pertinet, & maximè Herodotum, legimus Niniuem regnante apud Hebræos Iosia & Astyage Rege Medorum, fuisse subuersam. Ex quo intelligimus primo tempore ad Ionæ prædicationem acta pœnitentia Niniuitas veniam consecutos, postea verò in pristinis vitijs perseuerantes, Dei in se prouocasse sententiam. Traduntque Hebræi, Osee, & Amos, & Esaiam ac Ionam ijsdem prophetasse temporibus. Hoc quantū ad historiæ pertinet fundamenta. Cæterùm non ignoramus Chromati papæ venerabilis sudoris esse vel maximi totum prophetam referre ad intelligentiam Saluatoris, quòd fugerit, quòd dormierit, quod præcipitatus in mare sit, quòd susceptus à ceto, quòd eiectus in littus pœnitentiam prædicârit, quòd contristatus ob salutem vrbis innumeræ cucurbitæ sit delectatus vmbraculo, quòd reprehensus à Deo, cur maiorem curam habuerit herbæ virentis, & extemplò aridæ, quàm tantæ hominum multitudinis: & cætera quæ in ipso volumine explanare nitemur, & tamen vt totum Prophetæ sensum breui præfatione comprehendam, nullius melior typi sui interpres erit, quàm ipse qui inspirauit Prophetas, & futuræ veritatis in seruis suis lineas antè signauit. Loquitur ergo ad Iudæos sui sermonis incredulos, & Christum Dei filium nescientes. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam: quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & ecce plus quàm Ionas hic. Condemnatur generatio Iudæorum credente mundo: & Niniue agente pœnitentiam, Israël incredulus perit. Illi habent libros, nos librorum Dominum: illi tenent Prophetas, nos intelligentiam Prophetarum: illos occidit litera, nos viuificat spiritus: apud illos Barrabas latro dimittitur, nobis Christus Dei filius soluitur.

1 Quod dicit hic Hieronymus librū Tobiæ non haberi in Canone, intelligit ab Hebræis: nā eo ipso teste in præfatione eiusdem libri ad Chromatiū & Heliodorū Hebræi eum desecantur, his quæ hagiographa memorant manciparunt. Ab ea ecclesia liber iste in Canonē est receptus, vt hic innuit Hieronym. & patet ex Concilio Carthaginēsi tertio cap. 47 & ex Concilio Florētino in bulla Eugenij super vnione Iacobinorū, &c.

ITEM ALIA ADHVC VITA IONAE PROPHETAE, per D. Zenonem Episcopum Veronensem scripta.

Est sermo 38. in lib 2. sermonū eiusdem.

HVmanæ deuotionis religiosa confessio est, de Deo hoc nosse quod licitum est. Sicut enim in simplici corde scrutanda sunt testimonia eius, ita curiositate non sunt inquirenda secreta. Quis enim causas naturasque cœli huius & superiorum sciat? Quis corpoream aëris huius, vt quidam putant, inanitatem se disserere posse mentiatur? Quis terram aqua portari, an aquam terræ gremio contineri se nosse præsumat? Quis spiritus aërios, quis figuras ventorum, quis inter marinos æstus fluminum augmenta, quis denique opificiū Domini, Deiq; consiliū se deprehendisse gloriabitur, cùm Apostolus dicat: O altitudo diuitiarū sapientiæ & scientiæ Dei, quàm inenarrabilia sunt iudicia eius, & quàm inuestigabiles viæ eius:

eius? Quis enim cognouit sensum Domini? Non enim in horum inquisitione exæstuans Propheta dicit, De profundis clamaui ad te Domine. Clamat namque de profundis, id est, de imis præcordijs: Clamat de profundis, sed quibus septus erat mœstus ac tristis, calamitatibus humanis: & clamat, non voce, sed corde: non clamore, sed fide, quam scit Deum libenter audire. Hoc igitur è profundo clamans similiter Petrus impetrauit à Domino, vt profundi maris lubricos sinus, insubditaque humanis gressibus liquidi æquoris terga, quibus viator trepidus absorbebatur, & perambularet pariter, & euaderet. Clamat de profundis & Paulus obrutus calamitatibus beatis, cùm pro nomine Domini latrones in itineribus, latrones in ciuitatibus patitur: Cùm à Iudæis virgis ter cæsus, naufragio trino diluitur: cùm insani populi furibunda tempestate lapideis imbribus fœliciter grandinatur: cùm in profundo maris die demoratus ac nocte, ad Deum clamans, incolumis inde respuitur Ionas Propheta, qui ad Niniuitas missus à Deo est, eorum vt imminere ciuitati interitum nunciaret. Ingentibus enim peccatorum sarcinis premebantur. At ille alio deflexus itinere, naue Tharsos petiturus ascendit. Cùm subitò compugnantium ventorum flatu violento lacessitum fremit mare, solicitique gurgitis præruptorum montium cauis voluminibus, repugnantium littorum spumantia ora contundens, minatur per momenta naufragium, procellæ crebrescentes insaniunt, horrendum sibilant funes, gemunt cedentibus velis antennæ, retunsa vndique iter non inuenit prora: trepidant nautæ, festinant in cassum iactura vasorum nauem leuare ponderibus, quæ Prophetæ pondere premebatur. Tum Ionas, quem solum expectabat bona illa tempestas, sorte eductus, naufragus redditur, imò à nauigio ad nauigium vitale transfertur. Qui vt est dimissus in altum, ferinæque voraginis est receptus hospitio, vigilat in ceto, qui stertebat in naui. Mira res. Post naufragium, post natale sepulchrum, incolumis tertio pòst die Niniuitas lustrabat, terribilibus oraculis salutem ciuitati credulæ præstaturus. Quantum datur intelligi fratres, Nauis typus est synagogæ: eius proreptam, sacerdotale corpus accipimus: nautas, Scribas & Pharisæos: iacturam vasorum, repudiationem prophetarum, omniumque sanctorum, quos synagoga pulsos Iudæi in damna salutis suæ, indignis cædibus mactauerunt. Venti sæuientes, diuersi sunt Reges, qui Iudæam lugubri clangore tubarum, armorumque fragore terribili, instantibus vndique præliorum procellis, miserabiliter per totum orbem dispersère terrarum. Ionas in naui dormiens, sacraméti Dominici imaginem præferebat. Etenim significabat nauis materia crucem: somnus verò passionem. Mare autem, mundus est iste tumidus: fluctus eius, Iudæorum populum & Gentes accipimus, qui aduersus Deum inaniter fremuerunt. Sors Ionam præcipitandum prodidit, prophetia passurum Dominum prædicauit, vtrosque volentes: illum conditione, Dominum pietate. Cetum esse non dubitatur infernum. Sicut enim Ionas tribus diebus & tribus noctibus fuit in ventre ceti, euomitusque Niniue se intulit ciuitati: ita Dominus postridie ab inferno resurgens, se ciuitati Hierusalem intulit antè quàm cœlo. At verò Niniue, imaginem portat Ecclesiæ, in qua gentium iam inde noster populus morabatur, quæ non in cassum à Deo magna ciuitas dicta est. Erat enim futurum, vt omnium nationum in Christo credentibus populis totus orbis Deo vna ciuitas redderetur. Denique comparatione salutaria gesta confirmant, quæ & in nobis manent. Vt est, fratres, Niniuitis nunciatus interitus, credunt & timent. Et quantò sciunt Dominum non esse mendacem, tantò propensius eius de pietate præsumunt. Statimque actus veteris vitæ damnantes, pro salute redimenda non solito more ad stupida simulachra concurrunt, non aris fœtentibus funestos excitant ignes: non thura cremant, non merum profundunt, nec pecudum inexpectata morte rapti iecoris spirantes consulunt fibras, nec per varios auium volatus coniecturis inanibus, statum plumeæ salutis inquirunt: sed à suo corde remedium salutare deposcunt, spiritumque suum tota humilitate contribulatum ambitiosè sacrificant. Sicque legitimè celebrata pœnitentia, Deum sibi propitium reddiderunt. Quod & nos & fecimus, & facere plerumque debemus, vt & præsentis temporis tentationes, & futuri iudicij euadere mereamur: Per Christum Dominum nostrum.

VITA ET MORS MICHEAE PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

Micheas Marathides propheta, de tribu Ephrain oriundus, cùm plurima designasset Achab Regi Iuda, ab eiusdem filio, cui nomen Ioram, præcipitatus, occubuit: eò quòd eo iniquitatibus suis, progenitorumque suorum quas perpetrauerant, redarguisset. Is mortis carcere liberatus, in Marathi, propria terra planè solitarius tumulum sortitus est iuxta Polyandrum. Est quidem monumentum ipsius vsque ad hodiernum tempus nobilissimum.

ITEM

ITEM VITA MICHEAE, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

MIcheas de tribu Ephrain in Morasti ortus. Hic quoniam peccantem Achab sæpius arguebat, sub Ioram filio ei[illegible]e præcipitio valde porrecto iactus occubuit. Sepultus est in terra sua iuxta Polyandrum, prope Naim.

VITA ET MORS NAHVM PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

NAhum Propheta natus erat ab Helkesi trans Iordanem fluuium versus Begabar, de tribu Simeon. Hic est Propheta ille, qui post Ionam ostentum dedit super Niniue: Quòd ab aquis dulcibus, igneque terreno olim vastaretur. Id quod tandem contigit. Quippe eam ex terræ motu igne vndique ambiente, mox etiam aqua de solitudine superueniens, sublimiores etiam omnes vrbis locos occupauit. Expirauit verò Nahum animam in pace, & in Begabar Sedibus ille suis placidis in morte quiescit.

ITEM VITA NAHVM, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testamẽti.

NAhum de tribu Simeon in Helkesi trans Bethaberim natus est, ibique mortuus suo iacet in tumulo.

ADHVC DE EODEM, EX D. HIERONYMO.

Habetur in procemio eiusdẽ, ad Paulum & Eustochium.

POrrò quòd dicitur Nahum Helkesæi, quidam putant, Helkesæum patrem esse Nahum, & secundùm Hebræam traditionem etiam ipsum Prophetam fuisse, cùm Helkesi vsque hodie in Galilæa viculus sit, paruus quidem, & vix ruinis veterum ædificiorum indicans vestigia: sed tamen notus Iudæis, & mihi quoque à circumducente monstratus.

VITA ET MORS HABACVC PROPHETAE, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

HAbacuc Propheta ex agro Bexzogar, è tribu Simeon oriundus, cùm ante expugnationem prospiceret captiuitatem Hierosolymæ, maximè cùm super ciuitatem, tum super populum eius luxit. Appropinquante autem Nabuchodonosor Hierosolymis, vt dissiparet eas, fugam dedit ille in Ostracinam, & manebat illic incola in terra Ismaël. Ast vbi Chaldæi Hierosolymis soluentes, remearent in patriam suam cum exuuijs atque captiuis, & reliquiæ vrbis Hierosolymæ in Ægyptum descenderent, Antistes ille reuersus in patriam, ministrauit messoribus sui agelli, seminauerat enim hordea. Cæterum statim vt esculenta præparauerat, vaticinatus est, suis dicens: Proficiscar ipse in longinquam terram, & reuertar ocyus: veruntamen si cunctauero diutius, apponite nostris messoribus quod manducent. Et translatus repente in Babylonem, exhibuit prandium Danieli, qui erat in cauea cum leonibus. Deinde egressus astitit messoribus dum iam cœnarent, neque communicauit cuiquam vel tantillum de eo quod contigerat. Annunciauit præterea Habacuc, paucis pòst diebus postliminio ex Babylone, Hierosolymam populum remeaturum. Obiecit porrò ostentum ijs qui Iudæam habitant: Quòd scilicet visuri essent in templo grande lumen lucidè micans, & ita contemplarentur gloriam Dei. Prædixit item de consummatione templi, quòd à populo Occidentali foret deuastatio eius Hierosolymis. Tum carbasus, inquit, Dabir in duas findetur particulas: geminarum item columnarum capitella seu epistelia è medio auferentur. Neque quisquam cognouerit, vbi sint, quóue peruenerint: sed in desertum efferentur ab Angelis, vbi nuper compactum erat martyrij tabernaculum. Et in illis cognoscet in consummatione Dominus, quòd illuminabunt persequutos à serpente tanquam ab initio. Erseruabit eos Dominus ab vmbra mortis, eruntque in tabernaculo sancto. Hic Propheta de aduentu Domini non pauca vaticinatus est. Atque ante biennium quàm populus à Babylone redijsset, mors Prophetam occupauit, & magnis honoribus in agro suo sepultus est.

Vide solennes exequias etiam apud patres veteris testamenti.

ITEM VITA HABACVC, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus veteris testamenti.

HAbacuc de tribu Simeon in agro Bizachar ortus est. Hic ante biennium reuersionis filiorum Israël de captiuitate, in agro Sabbaritha vita discessit.

VITA

VITA ET MORS SOPHONIAE PROPHETAE, per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

SOphonias quidem Propheta Sarabathides, siue à monte Sarabatha, è tribu ac prosapia erat Simeon. Is quoque de Hierosolyma ciuitate prophetauit: Nempe quòd multò foret satius, si in longum latumque ædificaretur. Super consummatione etiam gentium, necnon & super confusione impiorum, deque aduentu Domini. Vitam morte commutauit in Apocalypsi Domini: & solitarius in aruo suo funeratus est.

ITEM VITA SOPHONIÆ, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus veteris testamenti.

SOphonias de tribu Simeon filius Chusi, in agro Sabba ortus, & gloriosa maiorum suorum stirpe progenitus, prophetauit. Mortuus est atque sepultus in agro suo.

VITA ET MORS AGGÆI PROPHETÆ, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum descripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

AGgæus Propheta, etiamdum iuuenis admodum, ex Babylone profectus est Hierosolymam, & ingenuè de reditione populi vaticinatus est. Et oculis structuram templi Hierusalem vidit. Idem ibidem omnium primus cecinit Alleluia, quod est, laudibus efferemus viuentem Deum. Amen, quod, fiat, fiat, interpretatur. Eodem igitur loci vitam finiuit, & humo prope sacerdotes cum honore [1] & gloria conditus est. Proinde etiamdum hodie psallimus, Alleluia, qui hymnus Aggæi & Zachariæ perhibetur.

[1] *Ecce & hic quoque solennes exequias.*

ITEM VITA AGGAEI, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

AGgæus natus in Babylonia, iuuenculus in Hierusalem venit, ædificationem templi ex parte aspexit. Hic iuxta sacerdotum monumenta gloriosè sepultus quiescit.

VITA ET MORS ZACHARIÆ PROPHETÆ, PER D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

ZAcharias Propheta natus Barachia, [1] è terra Chaldæorum soluit, & inter proficiscendum permulta populo vaticinatus est. Et demonstrationis causa, plurima designauit miracula. Hic est, qui in os annunciauit Iosedech: Nascetur ex te filius, qui sacris initiatus Hierosolymis sacrificabit Domino. Hic etiam benedixit Salathiel in filio, dicens: Procreabit filium, & indet nomen illi Zorobabel. De Cyro quoque rege Persarum Zacharias ostentum dedit, idque ad victoriam. Signum item super Crœso Lydorum tyranno obiecit: necnon & super rege Medorum Astyage. Deque publico ministerio, quod Cyrus Rex designaturus esset Hierosolymis, vaticinatus est, laudibusque euexit illum, nec vulgariter benedixit. In vaticinio porrò, quam prophetiam vocant, propriè locutus est de Hierusalem, deque consummatione gentium, & de templi Hierosolymitani ædificatione. De otio denique & desidia tam Prophetarum, quàm sacerdotum nonnulla duplici quodam iudicio exposuit. Decessit in vltima senectute in Iudæa, & proximè cum Aggæo Propheta humatus est.

[1] *Hic etiã dictus est filius Addo, vt habes in Zacharia cap. 1. Nec ambigitur secundùm Hieron ... num iuxta Paralipomenon librum ipse sit Addo qui missus est ad Hieroboam filium Nabath, sub quo altare diuinum est, & manus eius aruit, rursumque ad preces illius restituta est.*

ITEM VITA ZACHARIÆ, PER D. ISIDOrum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

ZAcharias de regione Chaldæorum valde senex in terram suam reuersus est, in qua & mortuus est, & iuxta Aggæum humatus.

VITA ET MORS MALACHIÆ PROPHEtæ, per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

MAlachias Propheta è tribu Zabulon emicuit. Hic post reditum populi de Babylone, natus perhibetur in Sopha, in terra nempe Zabulon. Is ab ineunte ætate, dumq; iuuenis esset, vitam inculpatam egisse fertur. Super aduentu Domini, deque vita functorum iudicio nonnulla ab eo vaticinata sunt. Quodque ritus cum legibus Moysi terminabuntur, seu consummabuntur, & emendabuntur.

Cæterùm cùm populus eum vniuersus, vt virum non minore sanctimonia quàm mansuetudine præditum coleret, indiderunt illi nomen Malachi: quod si quis interpretamentum requirat, sonat Angelus. Erat quippe forma oppidò quàm præstanti. Quæcunque præterea in prophetia dixit Malachias, visus est Angelus se in dies instituere & declarare, perinde ac factum temporibus quoque proditur Anarchiæ, cùm principatus existeret adhuc nullus, quemadmodum traditum est in Sepharphotim, quod est in volumine Iudicum. Ante diem verò, adhuc iuuenis, Propheta ille fato est functus, iuxtaque maiores suos in proprio agello repositus est.

ITEM VITA MALACHIAE, PER D. ISIdorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testam.

MAlachias post regressionem populi, in Sophi est genitus, vir iustus, & aspectu decorus. Quem Iudæi Malachiam, id est, Angelum Domini, ideo asserunt vocitatum, quia quæcunque prædicabat, confestim Angelo de cœlis adueniente, confirmabantur. Hic autem admodum iuuenis moritur, atque in agro proprio sepelitur.

ITEM ADHVC DE MALACHIA, PER D. Hieronymum Presbyterum.

Ex procœmio eiusdem in commentarios ad Minerium & Alexandrum monachos.

VLtimum duodecim Prophetarum Malachi interpretari volumus, cuius nomen Septuaginta transtulerint τοῦ ἀγγέλου αὐτοῦ, id est, Angeli eius, dicentes: Assumptio verbi Domini super Israel in manu Angeli eius, pro quo in Hebræo legitur מַלְאָכִי quod rectius & expressius dicitur, Angelus, id est, nuntius meus. Nec putandum est, iuxta quorundam opinionem, Angelum venisse de cœlo, & assumpsisse corpus humanum: vt Israeli quæ à Domino sunt mandata loqueretur. Si enim interpretanda sunt nomina, & ex nominibus non spiritualis intelligentia, sed historiæ ordo texendus est: ergo & Osee qui saluator dicitur, & Iohel qui interpretatur Dominus Deus, siue incipiens, & cæteri Prophetæ non erunt homines, sed vel Angeli, vel Dominus atque saluator, quia hoc eorum nomina resonant. Denique exceptis Septuaginta, alij Interpretes nomen Malachi, ita vt in Hebræo legitur, transtulerunt. Malachi autem Hebræi Esdram existimant sacerdotem, quia omnia quæ in libro illius continentur, etiam hic Propheta commemorat, dicens: Labia sacerdotis custodient scientiam, & legem requirent ex ore eius, quia Angelus Domini exercituum est. Tempus quoque titulusque conueniunt, quod & in psalmis diximus, qui titulos non habent, eorum esse credendos, quorum priores psalmi nominibus prænotati sunt. Igitur & Malachi, id est, Esdras, post Aggæum & Zachariam, qui sub Dario prophetauerunt, fuisse credendus est. Et propterea titulum non habere, quia liber eius pro titulo sit: in quo discimus, quòd in regno Artaxerxis Regis Persarum, Esdras filius Sariæ, & cæterorum, vsque ad eum locum vbi dicitur, filius Phinees, filius Eleazar, filius Aaron sacerdotis, ab initio ascenderit de Babylone, & dederit ei Rex secundùm manum Domini Dei sui omnem petitionem eius: ascenderintque cum illo de Israël, & de filiis sacerdotum, & de filiis Leuitarum, & de cantoribus, & de ianitoribus, & de nathinneis in Hierusalem, anno septimo Artaxerxis Regis: & venerint in Hierusalem mense quinto, ipse est annus septimus Regis: quia in primo die mensis primi cœpit ascendere de Babylone, & in primo mensis quinti venit in Hierusalem. Scripsit in hunc librum Origenes tria volumina, sed historiam omnino non tetigit, & more suo totus in allegoriæ interpretatione versatus est, nullam Esdræ faciens mentionem: sed Angelum putans fuisse qui scripsit: secundùm illud quod de Ioanne legimus: Ecce ego mitto Angelum meum ante faciem tuam. Quod nos omnino non recipimus, ne animarum de cœlo ruinas suscipere compellamur.

Habetur in libr. eiusdem de patribus veteris testamenti.

VITA ESDRAE, PER D. ISIDORVM Episcopum Ispalensem scripta.

ESdras sacræ scriptor historiæ, atque alter lator legis post Moysen. Hic post captiuitatem, legem incensam à gentibus renouauit. Hebraicarumque literarum elementa inuenit. Hic reduxit Israel, & reædificare fecit templum in Hierusalem. Mortuus est autem, & sepultus cum patribus suis in Hierusalem.

VITA ZOROBABEL, PER EVNDEM.

ZOrobabel, & Neemias ex tribu Iuda, sub Dario rege templum [1] Domini ædificabant, & muros Hierusalem construunt, atque Israel ad pristinum statum reducunt. Cultum quoque religionis, iusque sacerdotum vel Leuitarum restituunt. Item & ipsi in Hierusalem sepulti quiescunt.

1 Templum Domini ædificãt, ergo non est malum Ecclesias in honorẽ Dei fabricare. Quinimo sanctissimum opus est et Deo acceptũ, cùm Iudæi Centurionem quoque Saluatori nostro commendantes, dixerint: Diligit enim gentem nostram, & Synagogam nobis ædificauit.

VITA

VITA SANCTORVM MACHABAEORVM, per D. Gregorium Nazianzenum scripta.

Est oratio 20. in ordine orationũ eiusdem.

QVID autem Machabæi? Horum enim 1 præsens est festiuitas, qui licet minus honorantur à plerisque, quòd non Christi certârunt gratia, omnium tamen veneratione sunt digni, quòd ob leges paternas fortiter egerint. Cùm enim ante Christi passiones martyrium sustinuêre, quid facturi erant, si post Christum persecutionem pertulissent, ac illius pro nobis mortem imitati fuissent? Qui enim sine hoc exemplo tanta emicuêre virtute, quomodo non generosiores apparuissent, si cum exemplo periclitati fuissent? Proinde licet sermo iste mysticus sit & absconditus, mihi tamen ac omnibus Dei amatoribus admodum credibilis existit, neminem qui ante Christi aduentum martyrio decessit, id sine Christi fide assecutũ esse. Verbum enim quod postea temporibus propriis liberè prædicatum est, iis etiam qui mente puri fuerunt, antea cognitum extitit: quemadmodum ex multis liquet, qui ante illud honorati fuerunt. Non igitur despiciendi sunt, quòd tales ante crucẽ extiterint: sed propter crucem laudandi, ac honore qui ex sermonibus prouenit digni: non vt iis gloria inde augeatur: nam quo pacto eorum gloria crescere posset, quorum res gestæ tam gloriosum quid habuerunt? sed vt glorificentur laude digni, virtutemq; æmulentur audientes, memoria tanquam stimulo ad similia incitati. Cæterùm qualésnam hi fuêre, aut vnde, quáve sub initium institutione, & disciplina impulsi, ad tantum virtutis & gloriæ fastigium sunt progressi? vt 2 annuis his festiuitatibus ac panegyribus honorarentur? Nam quod maior quàm rerum visibilium de eis opinio in omnium resideat animis, id 3 liber de iis conscriptus discendi cupidis & studiosis ostendit. Qui etiam docet rationem passionibus imperare, dominamq; esse, siue ad virtutem inclinet, seu malitiam. Sanè & alios liber ille martyres celebrat, inter quos & horum meminit certaminum. Mihi verò hoc tãtum dixisse sufficiat, Eleazarum primitias tulisse inter eos, qui hîc ante Christum sunt passi, quemadmodum post Christum Stephanus. Vir sacerdos & senex, canus capillis, canus & prudentia, prius quidem pro populo sacrificabat, & orabat: nunc autem semetipsum hostiam obtulit Deo perfectissimam. Purgationem plebis vniuersæ, dextrum certaminis prooemium, adhortatioque loquens & tacens. Adduxit autem & filios septem, institutionis suæ indicia, hostiam viuentem, sanctam, beneplacitam Deo, omni legali sacrificio splendidiorem, & puriorem. Siquidem legitimum est & iustissimum, vt filiorum præclarè gesta patri referantur accepta. Pueri autem illi generosi & magnanimi, generosæ matris germina generosa, gloriosi veritatis certatores, Antiochi temporibus excelsiores, Mosaicæ legis discipuli genuini, patriarum consuetudinum obseruatores diligentes. Numerus apud Hebræos laudabilis, & propter septenariæ quietis mysterium venerabilis, vnum spirantes, ad vnum respicientes, vnicum vitæ iter scientes, vt pro Deo mortem sustinerent, non minus animis fratres quàm corporibus, inter se de morte æmulantes. Proh miraculum, tormenta tanquam thesauros præripientes, sub magistra lege pericula pro aliis subeuntes, quæ non magis ingruentia formidabant, quàm cessantia quærebant: vnum hoc declinantes, ne tyrannus eos punire differret, ac quidam ex eis incoronati discederent, inuitique à fratribus separarentur, & mala victoria superarent, ac nequaquam in patiendi periculum inciderent. Mater ibi erat animosa & generosa, puerorum simul ac Dei amatrix, cuius materna viscera vltra naturæ dilaniabantur rationem. Non quia eam filiorum misereretur cruciatus, sed quòd timore angeretur, ne paterentur. Neque magis desiderabat abeuntes, quàm optabat vt residui aliis adiicerentur. Et horum quidem rationem habebat maiorem, quàm eorum qui iam decesserant. Nam horum certamen anceps erat, at illorum dissolutio secura. Et hos quidem iam Deo conciliauerat, illos autem vt Deus acciperet curabat. O anima virilis in corpore muliebri. O specimen admirandum & magnanimum sacrificij illius Abrahamici, nisi fortè maius quid audendum sit. Ille enim promptè vnum obtulit, licet vnigenitum, & qui ex promissione erat, & ad quem promissio pertinebat: & quod maius erat, quòd non generis solùm, sed & talium sacrificiorum primitiæ & radix constitueretur. At illa totum filiorum populum sacrificauit Deo, tam matres, quàm sacerdotes victimis in iugulationem promptis exuperans. Holocaustis rationalibus, sacrificiis se vrgentibus. Illa vbera ostendebat, & filiis enutritionem in memoriam perducebat. Caniciem prætendebat, senectutemque pro supplicatione subiiciebat: non vt salutem quæreret, sed vt passionem moueret: nec mortem, sed dilationem periculum esse censebat. Nil eam flectebat, nil emolliebat, nil audaciam minuebat. Non tormentorum instrumenta exposita, non rotæ expeditæ, non catapultæ, non vngularum acies ferrearum, non enses quorum acies iam subigebatur, non lebetes feruentes, non ignis incensus, non tyrannus minans, non populus vrgens, non

1 *Festiuitas Machabæorum antiqua.*

2 *Annuis festiuitatibus & panegyribus honorabantur septem Machabæi.*

3 *Laudat librum Machabæorum.*

genus inſpiciens, non membra dilacerata, non carnes dilaniatæ, non ſanguinis riui fluentes, non iuuentus quæ conſumebatur, non mala præſentia, non quæ expectabantur, ſed & periculi prolongatio, quæ aliis in talibus grauiſſima eſſe ſolent, illis erant leuiſſima: ſpectaculo enim oblectabantur, & paſſionibus ferè moram innectebant. Ita varia tormẽta illa, tanquam nullius eſſent momenti contemnebant. Quinetiam perſecutoris ſermones multiformes conuitiantes, comminantes, blandientes deſpiciebãt. Quid enim ille non tentabat, vt quod ſperabat, aſſequi poſſet? Inſuper & puerorum ad tyrannum reſponſiones tanta ſapientia ac generoſitate erant refertæ, vt ſi cuncta aliorum bona in vnum fuiſſent congeſta, parua tamen eſſent, ſi cum illorum fortitudine eſſent collata. Imò fortitudo eorum parua fuiſſet, ſi cum prudentia eorum in ſermonibus comparata eſſet. Quin & ſolis illis contigit, vt ita paterentur, ac interim contra minas perſecutoris, & terrores imminentes adeo ſapienter reſponderent. Quibus tamẽ pueri generoſi, vel parens generoſior nequaquam vincebantur. Cùm verò ipſa omnibus ſuperſtes extitiſſet, ac animi dolorem cum amore temperaſſet, pulchrã parentationem illis ſeipſam exhibuit. Eos enim ſubſecuta eſt, quos paulò antè præmiſerat: Et hoc quónam modo? Spõtè ad periculum proceſſit. At cum quali oratione funebri? Pulchri ſanè puerorum ad tyrannum ſermones exiſtunt, pulchrorumque pulcherrimi. Et cur non? Cum quibus ſe inſtruebant, & Tyrannum feriebant. At matris longè fuêre pulchriores. Primò quidem conſolatorij, poſtea verò funebres. Quinam igitur puerorum ſermones fuêre? Bonum enim eſt, vt & vos illorum reminiſcamini, vt quemadmodum certaminis habetis exemplum, ita etiam ſermonum de laude martyrij in talibus habeatis temporibus. Erant autem aliorum alij, & ſecundùm quod vnumquemque vel perſecutoris ſermones, aut periculorum ordo, aut animæ armabat alacritas: & ſi typo effingere licet, tales erant. Nobis Antioche, ac circumſtantes omnes, vnus Rex Deus eſt, à quo facti ſumus, & ad quẽ conuertimur: vnuſq; legiſlator Moyſes, quem haud prodemus ſeu offendemus. Nõ per pericula ob virtutem viri exantlata, ac miracula multa, etiamſi alius adhuc Antiochus nobis minaretur, te etiam truculentior. Vna autem nobis ſecuritas eſt, mandati obſeruatio, & vt legem qua muniti ſumus, haudquaquam præuaricemur. Vna gloria omnem aliam gloriam præ illa contemnere. Solæ nobis ſunt diuitiæ quæ ſperantur. Nihil autem terribilius, quàm à Deo aliquid timere. Cum his conſiderationibus ſumus inſtructi, ac ita armati. Cum tali tibi iuuentute eſt controuerſia. Dulcis equidem mundus hic eſt, dulce & ſolum patrium, necnon amici & cognati, coætaneiq;, ac templũ iſtud magnum, & nomine tam celebre, ac panegyres patriæ, & myſteria, reliquaq; cuncta, quibus nos ab aliis differre videmur: non tamẽ dulciora ſunt Deo ac periculis, quæ propter honeſtatem ſuſtinentur. Nec tu hoc cenſeas: Alius nobis eſt mundus longè rebus viſibilibus ſublimior & ſtabilior. Patria alia Hieruſalem ſuperna, quam nullus Antiochus obſidebit. Et quia fortis eſt & inexpugnabilis, nullam timet deſolationem. Cognati verò nobis ſunt inſpiratio, & qui ſecundùm virtutem ſunt nati. Amici autẽ Prophetæ ac Patriarchæ, à quibus nobis & pietatis eſt typus. Coætanei verò qui hodie nobiſcum periclitantur, & fortitudine ſunt contẽporanei. Panegyres autem Angelorum tripudia, myſteriumq; vnum magnũ ac maximum, & à multis abſconditum, Deus: ad quẽ & hæc reſpiciunt myſteria. Deſine igitur nobis parua & indigna polliceri: non enim honorabitur in honeſtis, neq; lucrabimur dãnoſa, quoniam non tã infeliciter negociamur. Deſine etiam minari, aut contrà minabimur tuã impotentiam, & noſtra argue ſupplicia. Habemus & nos ignem, quo perſecutores puniamus. Exiſtimas tibi certamen eſſe cum gentibus ac ciuitatibus, necnon Regibus effœminatiſſimis? Ex quibus hi quidem vincent, illi autem fortaſſis ſuperabuntur. Verùm nequaquam eis de talibus periculum imminet. Contra Dei legem aciem inſtruis, contra tabulas à Deo inſculptas, contra paterna ratione & tempore honorata, contra ſeptẽ fratres vnica anima colligatos, ſeptem te trophæis infamaturos. Quos vincere nequaquam magnum eſt, ab illis verò ſuperari turpiſſimum. Illorum genus ſumus, & diſcipuli, quos columna ignis & nubis in via deduxit: quibus mare diuiſum eſt, & fluuius ſubſtitit, & ſol ſtetit, & panis pluuia deſcendit: quorum manuum extenſiones orationis gratia factæ, multa millia in fuga conuerterunt: à quibus feræ ſuperabantur, & quos ignis non tangebat: ac à quibus Reges generoſitatem admirantes abſtinebant. Dicemus & aliquid tibi cognitum. Eleazari myſtæ ſumus, cuius fortitudo tibi eſt comperta. Prior pater certauit, nunc filij ſuccedunt. Prior abiit ſacerdos, nunc ſubſequentur ſacrificia. Multis nos terres, ſed multò plura ferre ſumus parati. Et quid ô ſuperbiſſime, minis tuis nobis facere poteris? num perſuadebis? At nihil fortius eſt iis qui omnia ferre ſunt parati. Cur moramini lictores? cur cunctamini? Cur mandatum tam egregium expectatis? Vbi enſes, vbi vincula? celeritatem exopto: maior ignis accendatur, beſtiæ efferentur, tormenta augeantur, omnia ſint regia & ambitioſa. Ego primogenitus ſum, primũ me ſacrifica. Ego nouiſſimus, ordo mutetur. Sed & è mediis quidã inter primos exiſtat, quò æquis partibus inter nos honoremur: parcis quidem

ex

expectans fortuitum quid, aut contrarium. Sæpe ac iterum eundem repetimus sermonem. Nequaquam immunda comedemus, nec offeremus. Tu prius nostra veneraberis, quàm nos tua colemus. Summa sermonis: Aut crudeliora adhuc excogita tormenta, aut hæc à nobis contemni scias. Et hæc quidem ad tyrannum. At quibus inter se adhortabantur? qualiaq; de seipsis spectacula exhibebant? quàm fuêre pulchra? quàm sacra? omniq; visione ac auditione, Dei cultoribus suauiora? Ego enim recordatione solùm voluptate impleor, ac cogitatione cum certantibus versor, enarrationeq; exornor. Amplectebantur se mutuò, & à collis pendebant. Panegyris erat, ac si certaminibus initiarentur. Eamus fratres ad pericula, clamabant: eamus, vrgeamus, dum in nos excandescit tyrannus. Nil nos emolliat, vt salute plectamur. Conuiuium nobis propositum est preciosissimum, nequaquam illud negligamus. Pulchrum est fratres cohabitare, conuiuium celebrare, ac vnà conglobari. Pulchrius verò pro virtute periclitari. Quòd si possibile esset, corporibus etiam pro legibus certassemus patriis: sed & mors ista inter laudabilia existit. Verùm quia tempus hoc non admittit, corpora exhibeamus. Etenim si nunc haud morimur, num ideo nunquam occumbemus? num generationi debitum suum non reddemus? Ex necessitate gloriam faciamus, dissolutionem cauillemur, quod commune est, proprium faciamus, morte vitam comparemus. Nullus igitur è nobis animæ curam gerat, nec pusillanimis existat. Tyrannus postquam in nos incidit, de aliorum transgressione desperet, periculis ordinem ipse statuat, nos nihil in promptitudinis feruore dissentiamus, primusq; aliis via existat, nouissimus verò certaminis signaculum. Hoc nobis cunctis pariter infixum sit, quòd cum perpetua domus nostræ laude coronabimur. Et quòd persecutor nullam è nobis partem accipere poterit: vt quemadmodum de omnibus gloriatur, ita vnica intumescat prauitate. Non minus transmigratione, quàm generatione inter nos fratres appareamus, omnesq; tanquam vnus periclitemur, & pro omnibus singuli. Eleazarus, suscipe: mater, subsequere: Hierusalem 4 mortuos tuos magnificè sepelito. Si sepultura carebimus, posteris nostra referto: sed amatoribus tuis religiosum vnius vteri sepulchrum ostende. Et illi quidem talia dicebant, & faciebant, & aprorũ instar, dentes inter se acuentes, in ordine ætatis, & promptitudine qualitatis confortabantur, voluptatiq; ac miraculo erant contribulibus suis: terrori autem & stupori persecutoribus: qui cùm totam gẽtem subegissent, adeo septem fratrum vnanimitate sunt superati, vt nec spem meliorem haberẽt de aliis. At mater generosa, cùm illi virtute tot essent ac tales, magnum legis & magnanimum animal eousque gaudio pariter ac timore perfusa erat, in medioque duarum passionum campo constiterat. Gaudij, ob virilitatem, & ea quæ videbantur: timoris verò, propter ea quæ imminebant, ac pœnarum immanitatem: & tanquam auis pullos, cùm serpens adrepit, aut aliud quid insidiatur, circumuolabat, circumgemebat, supplicabat, simul certabat: & quid non faciebat, quod ad victoriam consequendam deseruiret? Sanguinis guttas rapiebat, membrorũ detruncationes colligebat, 5 reliquias adorabat, cũ vno loquebatur, & hunc offerebat, alium verò præparabat. Omnes autem ita alloquebatur: Euge filij, euge optimi mei, euge in corpore constituti, corpore ferè cassi. Euge legis ac canitiei meæ defensores, necnon ciuitatis quæ vos aluit, & ad tantam virtutis gloriam prouexit. Adhuc parum, & vicimus. Fatigantur tortores. Hoc timeo solùm: adhuc parum, & ego fœlicissima inter matres ero, vosque beatissimi inter filios. Sed matris desiderio tenemini? At nequaquam vos derelinquam. Hoc vobis promitto, non enim ita natos odi. Postquam autem defunctos vidit, ac securitatem ex complemento est assecuta, caput admodum lætè cum magna sustulit constantia, non secus ac ij qui in Olympiacis vincunt: manibusque extensis, magna & splendida voce: Tibi, inquit, ô pater sancte, gratias ago, tibi lex magistra, necnon pater noster Eleazare, qui ante filios tuos decertasti, quòd meorum in partu dolorum fructum accepi, quodq; mater facta sum omnibus matribus beatior. Nihil mundo reliqui, omnia Deo tradidi, thesaurũ meũ spemq; meam senilem. Quàm magnificè sum honorata, quàm abundè senectutis mercede perfruor, nutrimenti impensam vobis ô filij remitto, cùm ita vos pro virtute decertasse video. Omnes coronatos conspexi, tanquã benefactores intueor tortores: sed & parũ deest, quin me tyranno ob seruatum ordinem gratias habere fatear, quòd me vltimam periculis reseruauit, quòd sobolem meam decertantem vidi, & cum vnoquoque filio depugnaui. Ita enim secura cum sacrificijs digrediar, non comas dilacerabo, non vestem discindam, non carnem vnguibus secabo, non luctum instaurabo, non præficas conuocabo, non in tenebris me occultabo, vt aër mecum fleat, non consolatores expectabo, non panem luctus apponam: talia enim ignobilium sunt matrum, & quæ carnis tantùm sunt parentes, quarum filij vitam sine digna aliqua finiunt relatione. Mihi verò nequaquam mortui estis ô filij charissimi, sed copiosum fructum produxistis: Non me reliquistis, sed præcessistis: Non defloruistis, sed solidati estis: Non fera vos rapuit: non vnda absorpsit: non latro iugulauit: nõ morbus dissoluit: non bellum absumpsit: non aliud quid,

4 *Ecce magnificam sepulturam.*

5 *Reliquias adorabat. Ergo nõ inconuenit sanctorũ martyrum adorare reliquias, ea scilicet adoratione quæ veneratio dicitur, et magnis viris debetur, cuiusmodi adorationẽ exhibuit Nathan Propheta regi Dauid, non autẽ ea adoratione quæ soli Deo conuenit, de qua scribitur, Dominum Deum adorabis, & illi soli seruies.*

aut paruum, aut magnum, quod hominibus accidere potest. Flerem equidem, & valde quidem, si tale quid vobis accidisset. Lachrymis tum ostéderem, quòd filiorum amatrix essem, quemadmodum nunc lachrymas repello. Parua hæc adhuc existunt. Verè vos deplorarem, si male saluati fuissetis, si à tormentis victi essetis, si quis vos superasset, quemadmodũ nunc superati sunt persecutores. Iam verò superstitibus vobis laus, gaudium, gloria, tripudia, ac lætitia mihi accrescit. Ego enim post vos immolabor. Cum Phinea collocabimur, cum Anna glorificabimur, præterquam quod ille vnus erat, nos verò tot scorticidæ, non corporum, sed animarum, fornicatione confodientes. Et hæc quidẽ vnum à Deo datum, illumq; nuper gentium: ego autem viros septem, eosque voluntarios sacrificaui. Hieremias funebrem mihi suppleat sermonem, non lugens, sed mortem laudans beatã: super niuem splendetis, super lac coagulati estis, super lapide saphirum compositio vestra, quos Deus nasci fecit, ac mihi tribuit. Et quid amplius? Appone & me, ô tyranne, filijs, si qua apud inimicos gratia est, quò certamen tibi sit venustius. Vtinam & per omnia transeã supplicia, vt cruorem meum sanguini, & carnes meas seniles illorum admisceam carnibus. Amo propter filios tormenta. Quòd si hoc denegas, puluis saltem puluere iungatur, vnumque nos excipiat sepulchrum. Ne inuideas æqualis honoris mortem iis qui gloria sunt æquales. Valete ô matres, valete ô filij, ita enutrite eos qui è vobis nascuntur. Pulchrum vobis certandi exẽplum præstitimus. Talia dicebat, ac seipsam filiis adiungebat. Sed quónam modo? Ad rogum accensum, tanquam sponsum accurrit, huic enim adiudicata fuerat: nec ducentes expectauit, ne corpus sanctum & generosum corpora tangerẽt polluta. Sic Eleazarus sacerdotio est perfunctus è cœlestibus initiatus, & initians. Ac Hierusalem haud quaquam externo, sed proprio emundauit sanguine, diemque nouissimum, mysterium quoque fecit nouissimum. Ita etiam filij iuuentute sunt defuncti, non quòd voluptatibus seruirent, sed quòd passiones refrenarent, ac corpora sanctificarent, ad vitamq; transferrent impassibilem. Sic mater fœcunditate sua fructum accepit, sic viuentes adornauit, & cũ decedentibus quieuit. Quosq; mundo genuerat, illos obtulit Deo, ac dolores suos certaminibus annumerauit, partusq; ordinẽ mortibus manifestũ reddidit, à primo quidem filio vsq; ad nouissimum, iis quæ fuêre certaminis. Et quemadmodum in aquarum inundatione contingit, sic & virtutem aliam super aliam ostendit, ad passionemq; adeo prompta erat periculis corroborata prioribus, vt tyranno gratum fuerit, quòd nõ plurimorum mater esset: imò confusus & victus discessit: ac primùm tum didicit, quòd non omnia armis subigi possent, cùm pueros inermes adortus fuisset, qui sola pietate armati essent, & qui omnia potius pati, quàm quæ ille iubebat, facere parati erát. Hoc Iephthæ sacrificio securius & magnificentius fuit: nequaquam enim necessitate est persolutum, quemadmodum ibi promissionis feruore, ac victoriæ factum est desperatione. Verùm oblatio ista spontanea fuit, & quæ solùm mercedem haberet sperandam. Sed nec Danielis certaminibus hoc fuit ignobilius. Qui cùm in cibum datus esset leonibus, manuũ extensione feras deuicit. Imò nec in Assyria pueris posterius, quos Angelus refrigerabat in igne: quoniã legem seruabant paternã, nec cibum tangere volebant pollutum & prophanum. Quin nec certamen hoc gloria sua miraculis illis, quæ postea pro Christo sunt exantlata, inferius fuit. Illi enim, quemadmodum in sermonis dicebam principio, Christi sequebantur sanguinem, & Deus talium certaminum ductor erat, qui tantum ac tam admirandum pro nobis obtulit precium. His verò haudquaquam multa, neque talia virtutis fuêre exempla. Horum virtutẽ vniuersa admirata est Iudæa, & tanquam ipsa coronata esset, exultabat ac gestiebat. Certamen enim hoc maximum fuit, ex iis quæ vnquam in ciuitate illa fuêre decertata. Necesse enim erat, vt in die illa lex vel solueretur, vel glorificaretur. Eratq; res tum quasi sub nouacula posita, & ad vniuersam Hebræorum gentem illorum pertinebant certamina. Sed & Antiochus ita stupore est percussus, vt minas verteret in admirationem (nam hominum virtutem & hostes quoque admirari nôrunt) cùm ira deferbuisset, & res per seipsam fuit expensa: adeo vt infecto negotio abiret, multis patrem Seleucum ob honorem genti, necnon magnificentiam templo impensam laudans, multis quoque Simonem, qui eum adduxerat, inculpans. Proinde hos nos, ô sacerdotes, matres, & filij, imitemur: Sacerdotes quidem Eleazari honorem patris spiritalis, qui [6] tam sermone, quàm opere quod optimum esset ostendit. Mulieres verò generosæ matris illius gloriam, quò verè filiorum amatrices esse videantur, ac Christo fœturam suam offerant, nuptiasque per talia sacrificent sacrificia. Filij autem, vt sanctos illos venerentur, ac iuuentutem nequaquam in turpibus consumant affectibus, sed in certaminibus contra passionem initis, & vt contra assiduum Antiochum generosè pugnent, qui contra membra cuncta decertat, illaque multipliciter infectatur. Cupio enim pugiles habere, qui omnis temporis, omnisque sunt modi, vniuersum hominum genus, ac ætatem omnem, quæ vel palam oppugnatur, vel cui clanculum tendũtur insidiæ, illamq; veteribus adiuuare narrationibus, adiuuare & nouis, ac vndiq; api-

6 *Tam sermone, quàm opere ostẽdere cõuenit, quod est optimum.*

apiculæ instar, vtilissima colligere, in aluearij vnius fœturam & suauitatem, quò tam per vetusta quàm noua in nobis glorificetur Deus: qui in filio & spiritu glorificatur, qui suos cognoscit, & à suis cognoscitur, confessus & confitens, glorificatus & glorificans in ipso Christo, cui sit gloria in seculum. Amen.

ITEM ALIA VITA SANCTORVM SEPTEM MAchabæorum, per D. Ioannem Chrysostomum Episcopum Constantinopolitanum scripta.

Habetur tom. 1. operum eius.

QVàm speciosa, 7 & grata ciuitas nobis enituit, & totius anni diebus splendidior hodierna præfulget, non de vsitatis solis radijs illuminata præclarius, sed de lumine martyrum, supra coruscum fulgoris micantem illustrata sublimius. 8 Multis etenim solibus illustriores sunt martyres, & magnis luminaribus clariores. Propterea hodie, si dici potest, cœlo ipso ornatior terra lætatur. Sed in hac comparatione non attendas cinerem sanctorum corporum, nec fauillam reliquiarum carnis, omniaque ossa consumpta temporibus, sed aperi oculos fidei, & vide eos diuina virtute, & gratia spiritus sancti amictos, & diuini luminis claritate radiantes. Hi ergo ipsi de superno solis circulo in terram 9 radij Christo emittente iaciuntur, & à corporibus eorum prosilientes corusca luce fulgoris, sicut speciem Ecclesiæ gaudentes illustrant, ita faciem diaboli inuidentis obcæcant. Nam vt audaces latronum duces siue impij sepulchrorum effossores, si fortè dum prædas agunt, aut spolia capienda conquirunt, in arma vel ornamenta Imperatoris incurrerint, quamlibet cupidi prædarum, tamen ita agnitis Regis insignibus deterrentur vt fugiant, neque cominus accedere vel attingere audeant, vnde sibi non compendium procedere, sed periculum prouident imminere, si quid inde audeant vsurpare. Ita profectò & 10 dæmones, qui verè latronum & principes & magistri sunt, vbi coronatorũ martyrũ corpora viderint posita, longè illicò à conspectu eorum pauidi fugiunt & absiliunt. Non enim ad naturam eorum intendunt, sed in arcanam dignitatem, & gloriam Christi qui in agone certantium induta corpora martyrum suorum, sicut arma portauit. Huiusmodi enim armis non Angelus, non Archangelus, non vlla alia creaturæ virtus induta est, sed ipse Dominus virtutũ & Angelorum, sicut Paulus clamat, dicens: Si experimentũ quæritis præliantis in me Christi. Pretiosa enim sunt 11 corpora martyrum, quoniam plagas pro Domino susceperunt. Et quia stigmata propter Christum membris suis impressa ferunt, & sicut corona regalis vndique decorata fulgores varios emittit: ita & sanctorum martyrum corpora, sicut preciosis lapidibus acceptis pro Christo vulneribus distincta, omni regum diademate preciosiora, & spectabilia redduntur. Et illi quidem secularium spectaculorũ præsides, siue arbitri, quos Græci ἀγωνοθέτας vocant, proponentes certamina, magnum muneris ambitum esse existimant, quando iuuenes & robustos luctatores in stadium introduxerint, vnde prima ostentatione miraculum spectatoribus præbeant studio. Hoc verò spirituali in agone non ita est, sed omnia è contrario. Agonem enim proponens Christus non talem, qualem illi terreni agonothetæ, sed horribilem & plenum timoris. (Non enim hominum cõtra homines luctamen, sed hominum aduersus dæmones pugna est) Tale ergo certamen nobis proponens Christus, non iuuenes exercitatos ad luctamina athletas, sed primæuos adolescentulos, & cum ipsis senem Eleazarum, simulque mulierẽ anum matrem septem adolescentium vult considerare. Quid hoc noui est? quid paras inutilem, & adhuc teneram in bellum, in arenam vel prælium ducis ætatem? Quis enim ante hanc diem vidit, vel audiuit mulierem in vltima senectute positã dimicasse, & terribilem mortis adijsse conflictum? Nemo huiusmodi factum audiuit vnquam. Sed ego, inquit, admirabile hoc & nouum, quod neque auditu aliquãdo perceptum est, ipsis operibus demonstrabo. Non enim talis agonotheta ego sum, vt certaminis exitiũ in aliqua certantium virtute constituam, sed ipse assisto luctantibus, & auxilium præbeo, & manum præbeo athletis meis. Et quod ex proprij arbitrij libertate suscipiunt, de bonæ voluntatis affectu, vt pro legibus meis, & nomine meo dimicent, id in victoriam ipsis procedere, mei est auxilij. Ergo cùm videris mulierem annis confectam, senio tremulam, baculo indigentem induci, & congressam prælio passionis dissoluere crudelem tyranni furentis insaniam, & de incorporibus virtutibus triumphantem, & diabolo præualentem, & facilè vires illius concidentem cum potestate maiore, admirare diuini agonothetæ gratiam, obstupesce ad intuendam Christi virtutem, cuius athletæ non corporis robore, sed fidei virtute luctantur. Infirma eorum natura, vel vetus est: sed quæ eos vnxit gratia, potens est. Resoluta sunt corpora senectute, sed solidatæ sunt mentes desiderio pietatis. Non est sensibilis hæc pugna, neq; insensibile certamen. Noli ergo istos athletas extrinsecus considerare, sed ingredere sensu rationabili ad interiorem eorum habitudinem: conspice fidei eorum fortitudinem, vt intelligas, quoniam qui contra dæmones pugnat, nõ robore corporali, neque valida cõpage mem-

7 Laudat præclaram diem sanctorũ Machabæorũ, de eorum lumine coruscantem.

8 Hoc deberent in sanctis martyribus contemplari moderni hæretici, quod si facerent, nõ effunderẽt ineptias quas solẽt.

9 Radij ex sanctorum martyrũ corporibus prosilientes, Ecclesiã gaudẽtem illustrant, & diabolũ inuidẽtem excæcant.

10 Vide mirũ, dæmones sentiũt virtutem ex sanctorũ corporibus prodeuntem, & pauidi ab eorũ conspectu fugiunt: & hæretici nostri illam confiteri nolunt.

11 Quid quæso excelsius, quid dignius dici posset pro veneratione corporũ martyrũ, & sanctarũ reliquiarũ eorũdem? Et vnde sit eis tanta dignitas?

brorum indiget, nec de ætate iuuenili fiduciam sumit: sed etsi tener adhuc adolescentulus in flore primæuo agit, & si senex ad extremas ætatis suæ metas peruenerit, animam verò fortem habet & corroboratam fidem, nihil de ætate, vel modica, vel extrema ab effectu certaminis impeditur. Et quid dico senem & iuuenem, quando etiam mulieres expeditæ ad hæc prælia cucurrerunt, & illustres coronas adeptæ sunt? Nam illi extranei nobis, id est, mundani agones, & ætatis, & formæ, & generis dignitatem requirunt. Vnde & seruis, & mulieribus, & senibus, & pueris ad eos aditus denegatur: isthic verò apud nos omni personæ, omnique ætati, & vtrique sexui indiscreta facultate studium patet, & agonis adeundi commune ius, & vna libertas est, vt prompta omnibus sine inuidia bonitate ineffabilem Saluatoris nostri virtutem cognoscas, & Apostolicum sermonem opere confirmari videas: quia virtus in infirmitate perficitur. Quando enim pueri, & senes supra naturam valent, & internis viribus modos ætatis extendunt, euidenter operantis in ipsis gratia manifestatur. Et vt plenius appareat, quia infirmitas athletarum nostrorum, quæ in exteriori est, clariores faciat esse victores, & senem & pueros relinquentes, infirmiorem ipsis producamus in medium mulierē, illam anum, & septem puerorum matrem. Nam labores partuum non vel modicè huic certamini impedimento sunt. Quid ergo eius prius aut potius mirabimur? quod ex natura infirmum, aut quod de ætate habuit prælijs inutile & immaturum, aut necessariæ compassionis affectum? Mater enim erat, vnde facilè eam potuisset in tormentis viscerum suorum vincere materna pietas, nisi diuina pietatis altior virtus virile fide anile pectus armaret. Magna etenim hæc impedimenta sunt ad eum cursum, cuius intentio summa indiget patientia. Ego verò & aliud his maius habeo dicere, quod & virilem mulieris fortitudinem, & callidam diaboli versutiam consideretis. Quid autem hoc est, diligenter inspicere debetis. Immundi dæmonis maligna calliditas non primam eam traxit in agonem, sed post filios eam duxit in prælium. Qua causa hoc? Ob hoc vtique, vt præuenientibus in conspectu eius septem filiorum supplicijs deijceret sensum eius, cùm virtutem mentis in matre fregisset, varia crudelitate propositis ei spectaculis orbitatis suæ, cùm iam eneruatam, & consumptam maternis doloribus facilè vinceret, & in ruinam mentis impelleret. Ne ergo hoc consideres, quòd illata sibi tormenta tolerabant: sed illud magis contemplare, quòd mater per singulos eorum duriores sustinebat dolores. Et hoc quod dicitur bene nôrunt quæcunque pariendi dolores expertæ sunt mulieres, & matres factæ sunt. Nam sæpe & mater, si videat filium suum febribus æstuare, ita perturbatur, vt ardores illius in sua cupiat membra transferri, & mutata in se, si possit ægritudinis vice, transfundere in filium sanitatem suam: Ita omnibus domesticis malis eas quæ de filijs malis acciderint, ærumnas grauiores existimant, & intolerabiles fiunt, quæ matris sunt. Sicut ergo vera in cunctis matribus talis affectio, ita profectò manifestum est, quia mater illa grauius in supplicijs filiorum puniebatur, quàm si ipsa pateretur: & maior erat passio in visceribus matris, quàm in corporibus filiorum. Si ergo vnius filij nunciata est ægritudo, auditu solo viscera materna turbantur. Hic autem non vnum tantùm filiorum chorum vno tempore pariter interfici videns mater, nec absens per auditum suscipiens passiones eorum: sed præsens oculis hauriens vulnera omniū, quos pepererat, quid non patiebatur? Quomodo non excidit mente, vnumquemque horum spectans horribilibus & diuersis pœnarum ingenijs cruciari, & per incisiones membrorum tam crudeli, quàm lenta morte consumi? Quomodo tam ferali spectaculo non dissilierunt viscera eius, & desumpto corpore anima excussa est? Quomodo non & filij prima passione in ipsos ignes, quibus filius cremabatur, insilijt, vt simile, vel deterius filiorum spectaculum compendio mortis euaderet? Nam etsi sapiens esset, sed mater erat, etsi amans Deum, sed carnem portabat: etsi prompta esset fide, attamen fœmineum sexum gerebat: etsi zelo diuinæ pietatis prompta ferueret, sed & maternæ affectionis vinculo memor partuum tenebatur. Si enim nos, qui viri sumus, frequenter cùm videmus reum per forum duci, refrenato ore in mortis damnationē & eum trahēte carnifice, de solo eius aspectu frangimur, cùm tamen sufficientem habemus consolationem ex ipsa conscientiæ securitate, qua ab illius pœna mortis discernimur: facilè metiri possimus, quid illa pertulerit, quæ non reum aliquem & extraneum, & damnatione commerita duci videbat: sed septem filios simul in vna die, non iusta morte cōsumi, sed varijs laniatos pœnis videbat interfici. Si enim lapidea quidem fuisset, & si viscera adamante compacta gessisset, ita fortè potuisset incōcussa durare, & nihil eorū sentire, quæ mulierem & matrem perpeti, vis ipsa naturæ pietatisque cogebat. Deniq; cogita, quomodo admiremur patriarcham Abraham, quod filium suum offerēs Deo, ipse vinxit in apparatu hostiæ manus eius, pedesq; constringens, & eum paterna manu immolandum altari imposuit: & sapienter conferens, tunc videbis, quanta mulieris huius virtus exstiterit. O amarissimum illud, simul & dulcissimum matris spectaculum: O amarissimum quidem propter naturam affectionis humanæ, & propter ipsorū faciem tormentorum dulcis-

dulcissimum verò propter virtutem fidei qua delectabatur domesticarum spectaculo passionum, quo impiam sacrilegi Regis crudelitatem confessio gloriosa vincebat. Vnde fortissima illa mater non frangebatur spectaculo orbitatum suarum, sed confortabatur: quia non profluentem eorum sanguinem aspiciebat, sed magis ad coronas eorum, quæ texebantur in cœlis intenta gaudebat. Non videbat ad receptaculum temporale cauari petram sepeliendis, quia prouidebat æterna ædificari tabernacula coronandis. Non considerabat circumstantes populos, quia videbat adstantes Angelos. Oblita est dolores partuum suorum, contempsit naturam sexus sui, nec memor etiam senectutis, ipsam quoque naturæ tyrãnidem animo superante calcauit: naturæ, inquam, tyrannidem, quæ & bestiarum feritatem subigere consueuit. Sæpe enim difficiles capi belluæ, per amorem tamen suæ sobolis capiuntur. Dum enim natorum suorum dilectionem vitæ suæ præferunt, ita affectu pietatis incautæ, in manus incidunt venatorum: qui prius catulos eorum venantur, vt per affectionis captiuitatem perueniant ad capturam parentum. Nullum est animal, nec ita infirmum, quod non pro filijs suis defensandis robur assumat: neque ita mansuetum, quod abreptis catulis non irritetur, & aduersus rapientem quanta potest virtute desæuiat. Sed istam totã ipsam, & per homines rationabiles, & per animalia irrationabilia pari iure porrectam, atque diffusam naturæ tyrãnidem, fidei virtute dissoluit: & non solùm non insilijt capitis sæuientis tyranni, neque lacerauit faciem eius, vt bestia videns catulos suos diripi: sed tantam magnanimitatem fidelis animi omnem philosophiam supergressam monstrauit, vt immolationem filiorum suorum præpararet hortatu suo, & ingereret persecutori. Et cùm adhuc priores punirentur, residuos ad æmulationem eorum exhortantibus verbis in palestra passionis iungebat. Audiant hæc vniuersæ matres, & æmulentur virilem mulieris huius fortitudinem, & veram circa filios dilectionem, & secundùm illam septem martyrum matrem nutriant filios suos. Non enim educatio filiorum hæc naturæ est, sed educatio matres facit: hæc enim voluntatis est. Et vt discas quia non pariendo tantùm, sed magis bene nutriẽdo fit mater, audi beatissimum Paulum, quo modo honorificet & coronet viduam, nõ propter partum, sed propter educationem bonam filiorum. dicens enim: Vidua eligatur non minus annorum sexaginta, testimoniũ habens in operibus bonis: vt horum bonorum laudem consummaret, adiecit: Si filios enutriuit: non dixit: si peperit. Quid ergo æstimabimus illam mulierem pertulisse, si tamẽ mulierem istam dici oporteat, cùm videret in filiorum membris viscera sua cruciari, alterius auulsos à suis manibus digitos super prunas ignium spargi, & vnius caput clauis configi, alterius capiti cutem detrahi, & totum corpus extracta pelle nudari, & eum qui talia patiebatur stantem fortiter, insuper & ipsi tyranno pœnas æternas voce libera cõminantem? Quomodo mater hæc expectans eleuauit vultum suum, & os aperuit, & linguam mouit in verba, non in verba materni doloris affectu mollia, sed verba virtutis? Quomodo non recessit à carne anima eius? Quomodo? ego dicam. Non enim in terrena præsentia intendebat, sed in futura cœlestia præparabatur: in his omnibus filiorum suorum prælijs & tormentis vnum timebat, ne cuiquam tyrannus parceret, & inuidia diaboli soluto certamine, triumphantium scinderetur chorus filiorum eius, ne quis eorum sine corona maneret. Et quoniam hoc timebat, minimum eorum, qui iam solus agoni supererat, tantum quòd non manibus apprehendens, in ignem ipsa incensum impulit, veruntamen pro manibus eum verbis exhortationis impulit, & armauit cum magna trepidatione pietatis, voce patria obsecrans eum, ne callidi persecutoris sæuioribus crudelitate blanditijs emollitus, auelleretur à fratribus gloriosis, & concertantium immarcessibilem coronam victus amitteret. Nos citra dolorem alienas ærumnas audire non possumus, sed illa proprias & domesticas passiones citra dolorem intuebatur. Hæc non negligenter, neque in ambustione audiamus, sed vnusquisque eorum qui audiunt, in filijs suis totam hanc rem sibi depingat, in corde suo proponens virtutem eorum quæ dicimus, de suis affectionibus metiatur, quamuis nec ita possit, quia naturales passiones sermo non potest explicare, experimentis autem tantùm percipi potest humanæ affectionis expressio. Quàm bene igitur ad eam matrem congruit sermo ille propheticus, vt post septem filiorum coronas dicamus: Tu autem sicut oliua fructifera in domo Dei. Nam Olympiacis spectaculis cùm innumerabiles sæpe conueniant luctatores, vnum tantummodo manet corona victorem: isti verò de septem fratribus septem emicuerunt coronæ. Et quam mihi ostendis religionem ita ferendem, quem nidum tam numerosa prole fœtosum? Nunquid similes habuit parturitiones mater filiorum Zebedæi? Gloriosa quidem & ipsa Apostolorum mater, sed duorum tantùm. Septem verò martyres nescio vnquam vnum protulisse vterum, & ipsam eis matrem gloriæ sociam in consortio passionis appositam: & quidem non vna, neque simplici adiectione meritorum atque virtutum. Nam filij eius septem martyres erant, tantum autem corpus matris appositum est. Corpus quidem erat vnum, septem verò martyrum legio implebatur in matre. In qua dilata est gloria passionis, &

corona

corona matrimonij, in ea omnium virtus & gloria confluebat: quia per vnumquemque filiorum suorum passa est: & quoniam illos ipsos tales ipsa perfecit, hæc Ecclesiam nobis integram martyrum peperit, septem filios enixa sublimiter, quorum neminem peperit terræ, sed omnes cœlo, magis autem regi cœlorum, cui omnes eos in vitam peperit æternam. Ergo callidus omnis malitiæ machinator diabolus vltimam eam duxit ad certamen, ea causa, quam supra exposui, vt virtute eius fracta, & in spectaculo filiorum per tormenta morientium debilitata, facilè postea debellaret afflictam. Si enim sæpe sanguinis humani fusionem videntes homines consueuerunt pauore percelli, & non modicæ curationis eguerunt, vt & deficientem vitam resumerent, & labantem animam reuocarent: tantos illa videns sanguinis riuos, non ex aliena, sed de filiorum suorum carne manantes, quod non sustinuit, aut quam perturbationem mente suscepit? Itaque diabolus, vt suprà dixi, propter quod eam post filios suos, quasi perfractam orbitatibus, & facilè vincendam in vltimum certamen induxerat, id totum in contrarium sibi cecidisse persensit, & muliere per hæc ipsa, quibus vincendam putauerat, vincente confusus est. Maius enim confirmata mater exemplis filiorum aggressa est certamen. Quamobrē per orbitates suas non fracta est, sed fortior facta est. Non enim iam reliquerat sibi pro quibus angeretur, vel quibus timeret, ne forte infirmitate fraudarentur coronis: sed omnes, sicuti vnū reponens promptuarium, ad supernos præmittens triumphos, & ad inconcussa perennis gloriæ regna gaudebat, confidens de cætero, & secura cum magnanimi voluntate. Et sicut coronæ quædam prætiosissimis lapidibus compositæ eminentem gemmā: ita carnem suam choro filiorū coaptans, ad desiderabilem Iesum pullos suos vt aquila subsequens, euolauit, magnum nobis relinquens solatium atque consilium per id quod in semetipsa opere passionis probauit. Quod filijs valido sermone persuaserat, vt corroborata anima, & sublimi sensu instructa, audeat omnes ingredi passiones, & omnia siue tormentorum, siue discriminum visibilium dura contemnere. Quis enim vir, quæ mulier, quis senior, aut quis iuuenis de cætero veniam possit accipere, aut excusationem habere fragilitatis carnis, & timiditatis humanæ, si propter Christum sibi pericula videat inferri: quando mulier senectute confecta, & tantorum filiorum mater, & ante tempus gratiæ congressa, sustinuit multis virorum per idem tempus metu mortis inclinatis in sacrilegia perfidiæ, nec dum in Domini Saluatoris aduentu extincto peccato, neque morte deuicta, tantis animis, & tanta virtute, tantas propter Deum pœnas sustinuisse cernitur, & vicisse cognoscitur, vt Euangelicam perfectionem in temporibus legis impleuerit? Vnde hæc ergo omnia cogitantes, & mulieres, & viri, & iuuenes, & senes exemplum agonis huius, tantorumque in filijs in matre luctaminum, sicut in tabula, ita corde vestro describite, assidua vobiscum exercitatione meditamini. Contra omnem spiritualium inimicorum armaturam illius patientiam proponamus ad inuictæ virtutis exemplum, vt isthic æmulantes fortitudinem sanctorum illorum, similiter illic eorum coronam possimus adipisci. Quantam illi patientiam in periculis corporalibus ostenderunt, tantam nos in passionibus irrationalibus continentiam demōstremus, id est, contra iram & auaritiā, vel inanis gloriæ concupiscentiam diuino timore muniti, sensibus repugnantes, & consilia diaboli destruentes in nobis. Si enim cupiditatum ignes vicerimus, sicut illi tyrannidis ignem vicerunt, poterimus iuxta ipsos, & matrem eorum, pari gloria constituti similes haberi. Potens autem est Deus vt præster nos omnes per eandem fidem ad parem gloriam peruenire: per charitatem, & gratiam Domini nostri Iesu Christi, per quem, & cum quo est Deo patri regnum, gloria, cum spiritu sancto, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

ADHVC DE MACHABAEIS, EX D. Bernardo Abbate.

Est epistola eiusdem sine titulo 98 in ordine epistolarum.

12 *Vide quantopere timebāt sancti noua in ecclesia introducere, et à priscorum patrum sentētijs recedere. At nūc hæretici quicquid ex suo capite excogitāt, imo somniāt, statim ad plebeculas afferunt, & quasi sit Euangelium extollunt.*

QVòd per fratrem Hescelinum tua charitas à mea paruitate quæsiuit, inde iam ad me scripserat Fulco Sparnacensis Abbas, cui ego nil rescripsi: volens 12 si quam fortè super hoc reperissem patrū sententiā, ipsam potius ei transmittere, quàm nouū vel nostrum quippiam respondere, qua non facile occurrente, iam quod sentio ego sic interim vtriq; respondeo, vt quodcunq; fortè rationabilius quilibet vestrū super eadē quæstiuncula quando vel legerit, vel audierit, vel certè ipse senserit, mihi vicissim impartiri non negligat.

Quæris itaque quidnam visum patribus fuerit, vt solis ex omnibus antiquis iustis singulari quodam priuilegio Machabæis annuam celebritatem pari cum nostris martyribus veneratione decernerent in Ecclesia solenniter exhibendam. Si dixero dignos meritò martyrum gloria iudicatos, quibus nō impar fuit in martyrio virtus, erit forsitan solutum, cur ipsos, sed necdū planè cur solos, cùm & alios nonnullos ex veteribus pari constet zelo pietatis occubuisse, non tamen pari & tripudio recoli meruisse. Quòd si illis non immeritò huiuscemodi negatur solennis celebritas, quia nimirum quod præbuit virtus, præripuit tempus: cur non eadem

eadem fuit in Machabæis consideratio? Siquidem & ipsi pro tempore non ad cœli mox gaudia, sed ad inferni tenebras descẽderunt: ne tunc quippe apparente primogenito ex mortuis, qui aperiret credentibus regna cœlorum, agno videlicet de tribu Iuda, qui aperit, & nemo claudit, ad cuius introitũ cum omni autoritate supernis potestatibus diceretur: Tollite portas principes vestras, & eleuamini portæ æternales, & introibit Rex gloriæ. Proinde si congruum videtur cum gaudio recolere transitum, qui gaudij non fuit, caneatur & in istis: Aut si istos ob suæ virtutis meritum festiuo prosequi fauore placet: cur non itidem deferetur & illis? An dicendum est vtrosq; quidem in morte communem habuisse cũ martyribus pietatis causam, sed non etiam vtrosq; pariter eandem cum illis adeptos fuisse martyrij formã? Vniuersis nempe tam veteris quàm noui testamenti martyribus æquè conuenit pro iustitia occubuisse: sed interest, quòd isti passi sunt, quia illam tenebãt: illi quia non tenentes reprehendebant. Isti, quòd eam non desererent: illi quòd deserẽtes perituros esse assererent. Et vt breuiter totũ in quo differunt, proferamus, hos cultus, illos zelus iustitię martyres fecit. Soli ex veteribus Machabæi, quia nõ solùm causam, sed & formã, vt dixi, noui martyrij tenuerunt, iure fortasse in Ecclesia cũ nouis Ecclesiæ martyribus eandem cõsuetæ celebritatis gloriam assecuti sunt. Instar quippe martyrũ nostrorum libare & ipsi dijs alienis, patriamq; deserere legem, imò mandata Dei transgredi cogebantur, renuebant, & moriebantur. Non sic Esaias, non sic Zacharias, non denique vel magnus ille Ioãnes Baptista ita mortuus est: quorum primus serra fertur scissus fuisse: secundus inter templum & altare legitur occisus: tertius in carcere decollatus. Si quæritur à quibus, ab iniustis & impijs. Si qua causa, pro iustitia & pietate. Si quomodo, non tam eas confitendo, quàm proponẽdo. Proponebant veritatem obedientibus eam: veritas pariebat eis odium, & odium mortem. Licet iniusti & impij, non tamen in illis tam pietatem persequebantur, quàm se repellebant: nec tam in illorum iustitiam ferebantur, quàm propriam tuebãtur iniustitiam. Aliud est, aliena inuadere: aliud, defendere sua. Non est idipsum nolle sequi veritatem, & persequi: inuidere credentibus, & increpantibus indignari: obturare os confitentiũ, & redarguentiũ stimulos non ferre patienter. Deniq; misit Herodes, & tenuit Ioannem. Quam ob rem? Quia Christũ prędicabat? Quia vir bonus erat & iustus? Imò propter hoc reuerebatur magis illũ, & audito eo multa faciebat. Sed quoniam arguebat Herodẽ Ioannes propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui: ideo vinctus, ideo & decollatus est: passus quidẽ & ipse pro veritate: sed quam zelare videretur, non negare cogeretur. Hinc est quod hæc ipsa tanti martyris passio, multorum etiã longè minorum festiuitatibus minus festiuè recolitur. Profectò si tali ratione & ordine passi fuissent Machabæi, ne vlla quidem fieret de eis mentio. Nunc autẽ quoniã similes illos fecit martyribus Christianis nõ dissimilis veritatis cõfessio, meritò eos similis prosequitur & veneratio. Hæc moueant sanè, quòd quemadmodum martyres nominatim & ipsi pro Christo minimè passi sunt, quia non interest siue sub lege pro legalibus obseruantijs, siue sub gratia pro mandatis Euangelicis quis patiatur. Vterq; enim æquè pro veritate, ac per hoc pro Christo, qui dixit: Ego sum veritas, pati cognoscitur. Itaq; plus cõtulit Machabæis in hac parte martyrij genus, quàm virtus: quãdo ne hos quidem ex patribus, quos pari constat virtute illo in tẽpore pro iustitia decertasse, pari etiã honore concelebrat præsens duntaxat Ecclesia. Puto quòd arbitretur indignum quantumlibet laudabili morti, quæ Christi mortem præcederet, diẽ festum impendere, præsertim cùm ante illam salutiferam passionem non festiua gaudia, sed claustra tenebrosa quosque moriẽtes exciperent. Sanè Machabæos ideo (vt dictum est) excipiendos iudicauit Ecclesia, quoniam quod eis negabat tempus, contulit martyrij genus. Nec solùm ipsos, sed & qui fortè vitæ iam in carne manifestatæ mortem sua morte præuenerunt, siue morientes in ipsa, sicut Simeon & Ioannes Baptista: siue etiam pro ipsa, sicut innocentes: quos alia ratione licet ad inferos & ipsi descenderint, ritu nihilominus solenni veneramur. Et innocentes quidem, quoniam iniustum profectò fuit innocẽtiam pro iustitia morientem, vila vel pręsenti gloria defraudari. Ioannes quoq; sciens quòd à diebus suis regnum cœlorum vim patitur, vnde & clamat: Agite pœnitentiam, appropinquabit regnum cœlorum, simulq; videns vitam se protinus secuturam, mortem lætus excepit. Quòd vtique ab ipso Domino moriturus sciscitari solitus fuit, ac certificari meruit. Nam cùm per discipulos eum interrogasset: Tu es, inquiens, qui venturus es, an alium expectamus? Post enarrata plura miracula audiuit: Et beatus qui nõ fuerit scandalizatus in me. In quo nimirũ verbo significauit se Dominus moriturum: & tali morte quę posset Iudęis esse scandalũ, Gentibus stultitia. Ad hanc vocẽ sponsi gaudens amicus sponsi alacri animo præcessit: quo & illũ in proximo esse venturum iam dubitare non potuit. Porrò qui lætus & tam lætus potuit mori, putauit & lætam sibi memoriam promereri. Sed & senex ille tam plenus virtutum quàm dierum, morte iam propinqua vitam baiulans in manibus, aiebat: Nunc dimittis seruum tuũ Domine, secundùm verbum tuum in pace; Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Ac si diceret: Securus descẽndo

Psalm. 23. — Ioan. 14. — Matth. 3. — Matth. 23. — Lucæ 2.

descendo in carcerem, qui tam presto meam sentio redemptioné. Et hic ergo, qui cum tam secura iucunditate, & iucunda securitate moritur, meritò in Ecclesia celebrari cum gaudio memoratur. Cæterùm illa, qua ratione mors festiua reputabitur, quam nulla gaudiorum festiuitas comitatur? Aut vnde gaudium sumeret moriturus, qui se & ad infernales descendere tenebras certus erat, nec certi quippiam secum ferebat, vnde in proximo de sui liberatore consolaretur? Inde est, quòd vnus sanctorum cum audiret: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues: conuertit se ad parietem, & fleuit fletu magno, atque ita impetrauit exosæ mortis aliquam dilationem. Hoc denique & miserabiliter plangebat, dicens: In dimidio dierum meorum vadam ad portas inferi. Et paulò pòst: Non videbo, inquit, Dominum Deum in terra viuentium: Non aspiciam hominem vltrà, & habitatorem quietis. Hinc & alius quidam: Quis mihi hoc, ait, tribuat, vt in inferno protegas me, & abscondas me, donec pertranseat furor tuus: & constituas mihi tempus, in quo recorderis mei? Israël quoque ad filios aiebat: Deducetis canos meos cum dolore ad inferos. Quid in his solennis lætitiæ, quid festiuæ celebritatis apparet? 13 Nostri autem martyres cupiunt dissolui, & esse cum Christo, certi vbicunque est corpus, illò sine mora cógregatum iri & aquilas. Mox, inquam, ibi exultant iusti in conspectu Dei, & delectantur in lætitia. Ibi, ibi benignissime Iesu, ibi statim vt de hoc seculo nequam sanctus quisque eripitur, adimpletur lætitia cum vultu tuo. Vna ibi vox iubilo resonat sempiterno, vox vna exultationis & salutis in tabernaculis iustorum. * Anima nostra sicut passer erepta est de laqueo venantium: laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Nunquid hoc decantare libebat apud inferos sedentibus in tenebris & vmbra mortis: dum non erat qui redimeret, neque qui saluum faceret, quando nec dum visitauerat nos oriens ex alto, primitiæ scilicet dormientium Christus? Meritò igitur Ecclesia, quæ gaudere cum gaudentibus, flere cum flentibus nouit, quos pares iudicat ex virtute, discernit tamen ex tempore: nec pari putat prosequendum obsequio, & trásitum ad vitam, & descensum ad inferos. Itaque martyrium facit causa, tempus, genusque discernunt. Tempus quippe Machabæos à nouis martyribus disiungit, coniungit antiquis: genus verò nouis aggregat, segregat à veteribus. Et hæ quidem in Ecclesia præmissis ex causis differentiæ obseruantur. Cæterum apud Deum vniuerso cœtui sanctorum commune est, quod sanctus ait Propheta: Preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius. Vnde autem preciosam dixerit, exponat nobis: Cùm dederit, inquit, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini filij merces fructus ventris. Nec putemus solos martyres esse dilectos, cùm recolamus dictum de Lazaro: Lazarus amicus noster dormit. Denique beati mortui qui in Domino moriuntur. Non soli qui pro Domino moriuntur, sicut martyres: sed & qui in Domino moriuntur, sicut Confessores, profectò beati sunt. Duæ proinde res mihi videntur mortem facere preciosam, vita, & causa: sed amplius causa, quàm vita. Porrò illa erit preciosissima, quam & causa commendat, & vita.

[Margin: Esaiæ 28. — Ibidem. — Iob 14. — Genes. 42. — 13 Sancti noui testamẽti vt ex hoc seculo migrauerit vidẽt Deũ, et sunt cum Christo. Quod nota contra hæreticos id negantes. — Psalm. 123. — Psalm. 115. — Psal. 36. — Ioan. 11. — Apocal. 14.]

ITEM PASSIO SANCTORVM SEPTEM MACHAbæorum, per D. Eusebium Emisenum scripta.

[Margin: Habetur in volumine sermonum eius. — 1 Ecce necessitatem bonorum operũ vnà cum fide.]

AVdiuimus in Euangelio vocem Domini dicentis: Non omnes qui dicunt mihi, Domine, Domine, intrabunt in regnum cœlorum. Ad quos sermo hic respicit? Ad eos sine dubio, ad quos alio loco dicit: Populus hic labijs me honorat. 1 Studeamus ergo vt cum obsequijs labiorum vita concordet & consonet: quia si opera nostra ad Deum clament, & conscientiæ synceritas & morũ probitas: pietas Domini ad nos flectit auditũ. Caueamus ne fortè hic solo corpore consistamus, & corda nostra probentur errare per seculum. Quando enim præualent in nobis terrenæ, superfluæque cupiditates, quando tyrannico dominatu malitia in nobis regnat, quando ira superequitat: nos illi laudabiles heremitæ, qui extra mundum nos credimus, mundum intra nos inclusum tenemus. Ac sic animæ illæ, quæ possessio efficiuntur seculi, non possunt effici regnum Dei. Ideoque fratres, videre vocationem vestram. Venire quidem sic ad heremum, summa perfectio est: non perfectè in heremo viuere, summa damnatio est. Quid prodest si in loco quies teneatur, & inquietudo in corde versetur? Si in habitatione silentium sit, & in habitatoribus vitiorum tumultus, & colluctatio passionum? Si exteriora nostra serenitas possideat, & interiora tempestas? Nemo dicat, inuitus hoc feci, aut fato vrgente peccaui: nemo casum conditionis suæ ignarus accuset: nemo dominari æstimet fatum. Non potest homini præualere delictum, nisi accesserit consentientis arbitriũ. Et ideo ordinatio Dei nostri, cum cætera animantia ad periculum propulsandum foris sufficienter instruxerit atque munierit, vel velocitate pedum, vel armis dentium, vel violentia vnguium, vel mole membrorum: hominem interiorem cótra hostem magis intus armauit, intelligentiæ scilicet vigore, consilio sapientiæ, virtute iustitiæ, vt precioSior nostri portio, velut de excelsa turre, ita de secreta fidei suæ arce tutius repugnaret,

& quamlibet forti aduersario contra reluctantem animam nihil liceret. Confirmante hoc ipsum voce diuina. Nolite, inquit, timere eos qui occidunt corpus, animam non possunt occidere: sicut etiam nunc ex hoc triumphalium puerorum certamine intelligi datur.

Ecce septem fratres, ætas ad omnem perturbationem timoris obnoxia, & ad omnem vim doloris infirma, horribilia & inaudita tormenta ante oculos exposita, virili pectore & martyrum iam corde despiciunt: & illa tanquam oblatam mortis occasionem, velut pignus immortalitatis inuadunt: quod corpore accipiunt, mente non sentiunt: foris cedunt, intus triumphant: quos cruciat manifesta pœna, pascit docta victoria: multiplicentur licet per æris ac ferri illa feruentia incendiorum vires, perstat lignum viride contra violentiam vasti ignis inuictum: etsi exuri videtur in cortice, illæsum permanet in radice: etsi circa superficiem solidi roboris temporaria mors desæuit, intra conscientiæ medullas vita se recipit. Ac sic auidissimus prædo potest domum perfringere, ad thesaurum non potest peruenire: quem dum conatur expugnare, multiplicatur. Quantò enim persecutor in necem confitentis immanior, tantò Deus in remuneratione perseuerantis est ditior, qui nouit de impiorum criminibus merita 3 augere iustorum. Sicut enim improbi malè vtuntur bonis Dei, ita Deus bene vtitur malis operibus iniquorum. Primùm requiramus quid sit malè vti bonis operibus Dei, quod in ipso homine intelligi promptum est: quàm bene Deus corporis humani membra disposuit, & tamen ad contumeliam sui abutitur indultæ sibi pulchritudinis honore mens reproba. Bonum opus Dei est oculus, & tamen indignis concupiscentiis maculatur aspectus: nocte peruigil immeritorum somno insidiatur, & luce ad quam factus est offenditur. Et propterea de eo dicitur: Fornicatio animæ in eleuatione oculorum. Et alio loco: Qui viderit mulierem, inquit, ad concupiscendum eam. Et ideo quàm facilè potest in puncto temporis euagari velocitas oculi, tam solicitè præcauenda est irruentis noxa delicti. Lingua etiam tanti opificij decus mendaciis, maliloquiis, falsis testimoniis deprauatur. Manus bonũ opus est Dei, & tamen ad facinus iniquitatis, ad crimen peragendæ fraudis extenditur, ad scelus erigendæ salutis armatur: & totus homo ad malitiam propriæ perditionis accingitur. Sed eis ipsis creaturis quæ extra nos sunt, quæ à foris adiacent, quæ bonæ factæ sunt, malus male vtitur. Argento & auro appetitur veritas, expugnatur integritas, iustitia vincitur, innocentia proditur, pietas, fidesque violatur: ac de rebus ad præsentia subsidia concessis, detrimenta vitæ æternæ nequitia mortalis operatur. Quod ex hoc apertius inspici licet: Deus ab initio hominem conditioni subiectum, discretione liberum fecit, prudentia instruxit, ratione ditauit, eique bonum exercere præcepit. Malum ad hoc esse permisit, vt ad bonam partem voluntate deflecteret, & mandatum Dei non necessitate, sed virtute perficeret: atque in alterutram viam, non casu perurgente, sed iudicio eligente transiret: & tamen homo traditæ sibi nobilitatis oblitus, neglectis muneribus conditoris, bona animi ad improbas traxit cupiditates, & ad nocendi studia conuertit, deputans ad instrumenta nequitiæ, ornamenta naturæ. Processit etiam in hoc nephas, vt Deum suum non solùm non agnosceret, sed etiam agnoscentibus inuideret: eumque tantis viribus, quantis quærendus esset, de fidelium pectoribus conaretur eruere. Sed diuina prouidentia, quæ, vt dictum est, etiam malorum operibus bene vtitur, meliora de contrariis peragit: & ita iustas ordinat causas, vt boni ex aduersis proficiant, & ad pia transeant merita pietatis ingenia. Sicut etiam ex hoc admirando certamine fœlicium germanorum euidenter agnoscitur: nam quos per cruentissimum persecutoré humiliauerat diabolus, exaltauit Deus: quos ille damnauit, iste glorificauit: ille opprobriis adimpleuit, hic præmiis: ille affecit flammis, refrigeriis hic refecit: ille induxit in mortem, hic ad vitam de morte perduxit: ille interfecit gladiis, hic dignos fecit coronis. Ideo vox est Apostoli martyriũ suspirantis: Non sunt condignæ passiones huius seculi ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Hæc secum beati pueri conscia futurorum mente voluentes, illata supplicia quasi aliena reputant: quæ circa corpus remanentia ad animam peruenire non possunt. Diuerso itaque cruciatus genere, hic verberibus dilaniatur, hic craticula sacrificij more torretur, hic abscisso capite, æterno capiti iungitur, hic desecta lingua inuiolabilem fidem melius loquitur, & Christum Dominum in silentio oris, clamore vulneris confitetur. Nam etsi beato testi cruentus carnifex vocis abstulit ministerium, plenum tamen Deo perhibet testimonium vox ipsa pœnarum. Sigillatim itaq; à senioribus ad iuniores passionum ordo disponitur, vnumquemq; per decurrentes ætatum gradus crescétia torméta percurrunt: singuli magnitudine supplicij, omnes speciali acerbitate torquentur: inter videntes pariter & sustinentes qui dolores sunt? Propria sunt dolore communia, ac sic ille qui posterior vicit, cum omnibus triumphauit. Satagit inter hæc fœlix orbitatibus suis mater, sollicitior de perimendis, securior de peremptis, respiciens quot funera, tot trophæa: & filiorum merita exultando sua faciens, nouo genere gaudia doloris metit, ac septem martyria vnius pectoris virtute consummat: & numerosam

3 Dominus de impiorũ criminibus nouit merita augere iustorum.

prolem cœlo læta parturiens ad regnum Dei sequutura, præmittit: ita iuniorem, qui solus restabat, alloquitur: Miserere mei, inquit, fili, qui te decem mensibus in vtero portaui, & lac triennio dedi: ne timeas carnificem istum, sed similis fratribus effectus, libens mortem excipe: vt in illa miseratione vnà cum fratribus te recipiam. Aduerte quàm profunda pietas, & artifex fides, per futuram spem, præsentem subleuat orbitatem. Quid mirum fit vt pignoribus interemptis, nulli lachrymas dabat? Hoc loco expressius requiramus, quæ tandem causa paruulis vires dedit, vt inter tam exquisitos nouosque cruciatus, infatigabiles Iudæi confessione durarent. Et quæ alia causa charissimi, nisi in primis gratia diuina, 4 quæ vbi infirmitatis nostræ inuenerit votum, statim supponit auxilium? Quæ, inquam, alia causa charissimi, nisi diuina gratia, & doctrina domestica? Quæ causa alia, nisi quia statim post transacta cunabula, inter annos infantiæ, religionis affectum de institutione & cōuersatione piæ parentis acceperant, & de tam sanctæ matris pectore Deum traxerant, & in nomine Domini vincula linguæ trepidantis absoluerant? exempli enim fœmina, in pignoribus suis animas magis cupiens nutrire, quàm corpora, fidem primam teneris sensibus vice lactis infuderat, vt rudes eorum mentes & mali nesciæ, in ipso vitæ limine vitam ebiberent: eosque primitus agnitio diuini timoris impleret, vt in noua viscera sacris studiis occupata, locum vana seculi non haberent. Quæ cùm ita sint, discant boni parentes tantæ matris exemplo, erudire filios suos, vt quos se in hanc vitam gaudent munere acquisisse naturæ, præparent æternitati sedulitate doctrinæ, insinuent fidem, doceant religionem, præcipiant castitatem. Maiorem ad pignora vestra non potestis adhibere pietatem, quàm si per vos cognoscant animarum parentem, quàm si per vos in boni patris transeant adoptionem, quàm si per vos efficiantur cœli hæredes, & martyrum fratres. Quapropter studete ad Domini seruitutem, quæ nobis sola est causa viuendi, non lingua erudire, sed vita audiant vos, videant vos: vt quæ iusta, quæ honesta, quæ sancta sunt, vobis sectantibus & amantibus, in amore consuescant. Duplex vobis commodum erit, cùm salus ad filios vestros de vestra salute transierit: vt cùm per vos ad illos peruenerit, ex illis ad vos multipliciter reuertatur. Hoc enim bonum dando non consumitur, sed dilatatur: & magis dum transfertur, acquiritur, ac miro modo & transmittitur & retinetur: siquidem salubri iucundoque commercio, & accipientis lucrum, & tradentis augmentum est. Abraham diuina voce laudatur. Scio, inquit: quia Abraham præcepturus sit filiis suis, vt timeant nomen meum. Prædicatur quòd posteros suos eruditurus esset in Domino, qui iam ad hoc fidei virtute peruenerat, vt filium posset immolare pro Domino. Has itaque primas filiis vestris prouidete opes, has eis immortales procurate diuitias, hanc eis post vos hæreditatem relinquite: quæ offerri potest, relinqui non potest. Ostendite itaque eis de conuersatione vestra fugere malum, appetere bonum: odisse peccatum, timere iudicium. Ita nos agamus, vt non solùm filiorum, sed nostra in inuicem ædificatio simus: vt sicut beata mater illa gauisa est de gloriosis septem filiorum triumphis: ita dum nos vitiis interdicimus, dum passionibus repugnamus, dum diaboli præuidemus insidias, dum mundi calcamus illecebras, de victoria quoque & consummatione nostra mater lætetur Ecclesia.

4 Licet gratia detur desiderātibus, quærentibus & pulsantibus, non tamē propter hoc dicas dari ex meritis.

VITA ELEAZARI SACERDOTIS, ET SEPTEM fratrum Machabæorum quibus mater octaua addita fuit, per D. Ambrosium Episcopum descripta.

Habetur in libro 2. de Iacob & vita beata. Ex cap. x.

NEC te Eleazare præmittam, vtpote sacerdotum sacerdos, sed tuis iuuandus oratis, qui genere sacerdos, peritus in lege, maturus æui, cùm oblatus esses Antiocho persecutori, nec tētamentis potuisti capi, nec præmiis inflecti, nec suppliciorum acerbitatibus frangi. Denique à blandimentis cœpit, quia iudicabat tormenta sua posse superari. Erubesco, inquit, caniciem tuam, reuereor senectutem, miror prudentiam, cur abstinēdum bonis epulis putes, quas natura largitur? Relaxa istiusmodi peruicaciam, expergiscere aliquando, dum adhuc malo tibi persuadere, quàm extorquere: ne victus suppliciis, facias quod refutas ratione inuitatus. Ad hæc respondit senex: Nos Antioche non intentione ducimur, sed reuerentia legis tenemur, quæ à suilla carne abstinendum præcipit. Pulcherrimam creaturam iudicas, negare tamē non potes, quòd potior sit temperantia, quàm voluptas: potior legis obedientia, quàm præuaricatio. Quòd si hoc leue putas, vt carne vescamur suilla: qui in minimis legem contempserit, quomodo in magnis tenebit? Aut si preciosa est creatura nostra, disciplina est castimoniæ. Discimus enim resecare luxuriam, cupiditates vincere, excludere concupiscentias, delectationibus corporis obuiare. Fortitudinis quoq; exercitium est pœnis pro lege non cedere. Iustitiæ quoque insigne atq; prudentiæ, vt quod sequendum elegimus timore Dei, morte proposita reseruemus. Quis escā imperet liberis? Quis autē se ridendum præbeat? Quis autem in hoc seruiat, sed non ridebit? Non sum ita senex, vt mihi non

non iuuenescat animi fortitudo. Suspensus itaq; cùm hinc atque inde grauiter verberaretur, nec iam ferrent senilia membra verberum pœnas, lassatis carnificibus atq; extensoribus, in terram deflexus, inflexibilem mentem gerebat. Et quidam seu lōgæuam miseratus ætatem, seu tentamentis circūuenire desiderans: Responde, inquit, tantummodo te manducaturum, nos te escæ eius immunem præstabimus. At ille clamans, nequaquam contingat mihi, vt fiam senex incentiuum iuuenilis erroris, qui hucusq; eram forma salutaris instituti. His ego ludibriis vt paululum viuam luctabor, & totius vitæ labores addicā breuis viatico senectutis. Senectus portus debet esse, non naufragium vitæ superiori. Non te negabo lex patria, non adiurabo vos sancta instituta maiorum, non decolorabo vos infulæ sacerdotales, nō te perfidiæ puluere turbabo canicies. Quid multa? Immoriendo tormentis factus est cæteris magisterium perseuerantiæ, qui electus erat ad infirmitatis exemplum. Beatus igitur in quo non potuerunt tormenta rationem vincere. An non beatus qui potuit virtute animi victor esse pœnarum, pietatisque remigio seruare integram in tantis fluctibus passionem?

Post ipsum statuti sunt pueri septem cum matre. Insultare licet tyranno, qui dum callidè à sene incipiendum putat, magistrum elegit, quo discipulos faceret fortiores, quorum velut puerilem ætatem præmiis prouocabat ad culpam, arguebat terroribus ad formidinem. At illi non degeneres tanto duci respondent: Quid contemnis, vel circumscribis vt pueros? Sed fides cana est, sed valida disciplina. Experire certè, subijce quibus placet pœnis puerilia viscera, non inuenies corda puerilia, nec potentiores erunt tormentorum machinæ, quàm legitimæ obseruationis excubiæ. Quem vicit senectus, superauit æmula senectutis pueritia. Sequimur patrem filij, discipuli doctorem. Collige suppliciorum instrumenta proposita, meditationem patientiæ, non terrorem inscientiæ adferunt, dum videntur. Iussit maximum natu eligi. At ille ridens: Rectè, inquit, naturæ ordinem seruas. Sed cur Dei legem temerandam putas? Et pro pietate quidem omnes maximi sumus. Sed tamen à me inchoatum gaudeo. Quod quæris tyranne, confiteor nos summo Deo seruire, & doces quid agere debeamus? Si tu tanta pertinacia vis extorquere veritatem, cur non omni virtute nos eam tenendam putemus? Quid plura? Adhibentur variarum genera pœnarum. Sed vicit pietas immanitatis furorem: exclusa est anima, non religio. — Cap. xi.

Secundus accessit, nec degener fratris munia piæ cōfessionis impleuit. Et cùm detraheretur membrana capitis, respondit: Aufertis quidem membranam, sed habeo galeā spiritalem quam non potestis auferre. Et verè hanc galeam nemo auferre potest, sicut postea Apostolus docuit in Ecclesia Domini, quia caput viri Christus est, & eius sumus membra. Rectè puer istā diuino spiritu doctrinam Apostolicā præuidebat. Exuebant immanes bestiæ coriū capitis, & pardalicis feritatibus sæuiebant. At ille deficiens: Quàm dulce est, inquit, mori pro religione, quàm suauis omnis acerbitas mortis pro pietate, quia manet horū remuneratio laborū. Tu a sunt Rex, grauiora tormenta, tu tuis vehementius torqueris suppliciis, quia vides vinci in potestate. Et hoc defuncto, tertiū statui sibi iussit. Et cùm eū partim tentaret insidiis, partim cuperet terrore percellere, respondit ad eū: Non faciam voluntatē tuam, nō succumbā imperio tuo. Per beatam illam fratrū passionem, & nobilē vitam, non negabo piam germanitatem. Quæuis adhibito supplicia, quibus magis vrgeas: hoc proficies asperitate pœnarum, vt maiora testimonia nostræ germanitatis accipias. Iussit itaq; ei linguā amputari. At ille exclamans: Victus es, inquit, Antioche, qui organū vocis abscindi iubes. Confessus es te respondere nō posse rationi, maioraq; probas linguæ nostræ flagella, quàm tua verbera. Nos enim tua verbera non timemus, tu nostræ vocis flagella non potes sustinere. Sed hæc pietatis flagella sunt, tua flagella perfidiæ. Sed etiam lingua sublata grauius te suo cadens murmure flagellabit. Euadere te putas Antioche, si vocem eripias: & tacentes Deus audit, & magis audit. Ecce aperui os meum, laxaui linguam meam: abscindes linguam, sed non abscindes constantiā, non virtutem auferes, non rationē obliterabis, non eripies testimonium veritatis, non eripies cordis clamorem. Si lingua amputatur, sanguis clamabit, & dicetur tibi: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Audit enim sanguinis vocē, qui audit internas cogitationes. Tenebræ licet operiant, & parietum septa circundent, dicat impius, quia nullus sibi testis assistat, exploret vniuersa: videt omnia Deus: nec est aliquod facinus, quod possit latêre omnium iudicem Deum, qui cognoscit vniuersa antequam fiant. Quid verba damus? Loquaciora sunt vulnera, etsi vulnera tegantur, & abscondatur cicatrix, non absconditur fides: nec tamen plaudas, quòd auferendo linguam, confessionem laudis eripias. Satis iam Deum sermone laudaui, nunc passione laudemus. Et hoc perempto, iussit quartum vinciri ad rotam, vt eius vertigine membris omnibus solueretur. At ille cùm torqueretur immaniter: Dissoluis, inquit, corporis membra, sed adiungis gratiam passioni, nec eripis solatium morti. Est enim vox tonitrui in rota, quia in bono & inoffenso vitæ istius cursu, cœleste resultat oraculum: sicut in Ioanne & in Iacob filiis tonitrui resultabat. Itaque illud quod

1. Corinth. 11.

Ecclesiast. 13.

legi,nunc manifestius recognosco: quia rota intra rotam currit,nec impeditur. Teres enim vita sine vlla offensione in quauis passione versatur,& intra hanc quoque rota currit. Currit lex intra gratiam, & obseruantia legis intra diuinæ curriculum misericordiæ est. Nam quò magis voluitur, plus probatur. Potius est hic ab impiis aduersa tolerare, vt ibi à Domino consolationem inuenire possimus. Et iste consummans cursum suum,abrupit spiritum,animamq; victor effudit. Quintus cùm sisteretur,cæso prius,eidem iussit ignes admoueri,subijci incendia. Manabat è vulneribus cruor,& effossis vlceribus sanguis effusus,ipsos flammarum extinguebat globos. At ille inter ignium crepitus audiebatur,dicens:Gratias tibi Domine,quòd dedisti nobis dicere: Transibimus per ignem. Et sicut alibi idē tuus dicit Propheta : Igne nos examinasti,sicut igne examinatur argentum. Astabo tibi sicut aurum purgatus incendio, & si quid fuit culpæ, ignis exussit. Itaq; & iste transfiguratus à corruptela ad incorruptionem,vitam exhalauit.Sexto quoque admota tormenta sunt. At ille: Noli,inquit,frustra errare,& tuæ hoc adscribere potestati,quòd ista aduersum nos exerceas. Nostrorum hoc delictorū est pretium,vt peccantes puniamur.Et gratias Domino, quòd hic à nobis duplicia peccata exiguntur,vt ibi nobis consolatio deferatur.Gratias autē & tibi quòd tam durus & immitis es,vt talibus nostris suppliciis Dominus,in quem peccauimus, genti nostræ propitius fiat.Nos quoq; ableuamus ærumnam,dum fidei passionibus delectamur. Et iste duris & asperis dilaceratus suppliciis,appositus est ad fratres suos. Supererat iunior ex fratribus,& iam pudebat Antiochum immaturæ ætati se ita fuisse ludibrio.Itaque dolis eum desiderans circumscribere, pollicebatur honores,diuitias, amicitiā suam,consortiū secretorum. At verò pia mater monebat filium suū,dicens & huic sicut cæteris:Nescio quemadmodum in vterum meum introistis,neq; ego spiritum donaui vobis,neque membra formaui,sed hæc omnipotentis Dei munera sunt. Putauit Antiochus videns matrē solicitam, quòd saluti eius timeret,ipsi quoq; suadere cœpit,vt filiū ab intentione sua reuocaret.At illa voce patria dicebat filio: Tu solus superes fili summa votorū meorum,tu postremus clausisti partus meos,tu postremus cōclude gaudia mea. Miserere mei,quæ te in vtero tot mensium curricula portaui,ne vno momento confundas senectutē meam,ne decolores tot fratrū tuorū trophæa,nec sacrum eorum comitatū relinquas,nec consortiū deseras. Te adhuc isti expectant triumphi. Aspice in cœlū vnde hausisti spiritū ad patrem omnium: aspice in terram, quę tibi antè alimoniā ministrauit:aspice ad fratres,qui collegā requirunt: aspice ad matrem, quæ tibi lac dedit,redde mercedē pij sanguinis: noli à fratribus,noli à matre diuelli.Temporales opes sunt,quas promittit Antiochus, temporales honores: perpetua corona,quæ à Deo omnipotente defertur. Vos mihi septem dierum lumina dedit Dominus,sextum iam diem clausi,& omnium opera iam bona valde. Debes mihi fili,vt quæ in illis sex laboraui,in te requiescam septimo,tanquam à seculi operibus iam feriata.Itaq; proripiens se iuuenis,ait: Quid sustinetis? Et multa vociferans, quòd nequaquam diuelli posset à fratrum consortiis, quorum multò beatiora essent funera,quàm Regis imperia,cùm argueret conuitiis Regē,& ipse acerbis excruciatus tormentorum generibus, vitæ huius munus absoluit. Nouissima mater oblata est neci.Quis hanc beatam neget,quæ quasi septem vallata muris,inter corpora filiorum nullum sensit mortis incursum? Quis,inquā,dubitet de eius beatitudine,quæ septē turribus circundata,in paradysi sedem caput extulit: quæ septē filiis cincta,sacratissimum Deo chorū non solùm canorum vocibus,sed etiā passionibus,ad concinendas Domini laudes cœlestibus inuexit altaribus? Quàm bonus fidei partus,quàm tutus portus iste pietatis, quàm splendida lucerna Ecclesiæ,septeno fulgens lumine,& octauo vtero cunctis luminibus oleum subministrans? De quibus pulchrè dicitur: Date partem illis septem,& illis quidem octo,eò quòd in vtroq; numero consortiū gratiæ consequantur,in lege nutriti,per gratiam coronati,septē tanquam in sabbato,octo tanquam in Euangelio. Pia mater supplemēto passionis adiuncta,quæ in talibus filiis integram pietatis formam & parturiuit, & peperit.

Psalm. 65. — *Ecclesiast. 11.*

Cap. xij. Recurrūt in memoriam sermones sanctæ fœminæ,dicētis ad filios:Ego vos genui,ego vobis succū lactis infudi,nolite nobilitatē vestram perdere.Sic aliæ matres reuocare à martyrio solent filios,non vocare. At ista maternū in hoc ponebat affectū,si filiis vitā magis perpetuā quàm temporalē suaderet. Spectabat itaq; pia mater filiorum certamina:& quāuis maternorū viscerum cōpassione quateretur,tamen pietatis studio premebat dolorem.Et offerente Antiocho,cùm posset salutē eligere filiorū,malebat periculum:compressisq; naturæ gemitibus,pœnas filiis optabat augeri vt mors citius appropinquaret. Videmus conuersa vota matris in filios,ne quem superstitem derelinqueret,sed omnes piæ cohæredes mortis acquirerent.Sed nec filij minores tali parente qui se inuicem cohortabantur, qui dicebant vno studio,& quadam animorum acie: Mortis aduersæ impetum petamus. Tunc enim [1] viuemus, cū fuerimus mortui. Nemo pietatis ordinē derelinquat,nemo se subtrahat prælio triūphali: Non homini,sed Deo nostras animas deuouimus:nō homini, sed autori omniū militamus.

[1] *Vides quod tūc sancti viuūt, cùm fuerint mortui.*

Talis hæc pugna eſt, vt ille glorioſius vicerit, qui crudelius occiſus fuerit. Itaque nemo timuit, nemo trepidauit, nullus ad mortem ex tot fratribus pigrior fuit. Sed omnes tanquam ad immortalitatis viam, ita ad mortem per acerba ſupplicia cucurrerunt, vt mater conſona cernens filiorum agmina, tanquam pia anima ſui membra corporis in filiis offerebat, & per artus proprios videbatur ſibi ſubire tormenta. Cadebant filij tormentis exulcerati, mortui ſuper mortuos aduoluebantur, corpora ſuper corpora volutabantur, capita execabantur. Refertus erat locus cadaueribus filiorum, non fleuit mater, non lamentata eſt, non oculos cuiuſquam preſſit, aut ora morientis: non lauit vulnera, ſciens glorioſiores eſſe, ſi euiſcerati & concreti pariter puluere & ſanguine viderentur, quales ſolent de bello redire victores, qualia ſolēt trophæa ex hoſtibus reportare. Non ſuperiacienda velamina, nō proſequendas exequias, niſi ſuæ quoque comitatu mortis arbitrata eſt. Quæ cythara dulciores ederet cantus, quàm morientes filij in tam grauibus ſuppliciis ediderant? Erumpebat enim naturæ gemitus, & inuitus ſpectares peremptorum cadauera, ſicut fila chordarum audires heptachordum pſalterium triumphalibus gemitibus reſultare. Non ſic illecebroſi cantus Sirenum attraherent audientem. Illi enim ad naufragium trahunt, iſti ad ſacrificij victoriam. Nec ſic cygnea carmina aures animumque mulcerent. Cygni enim naturæ ſorte moriuntur, iſti moriebantur amore pietatis. Non ſic rauca reſonant ſecreto in nemore columbarum murmura, vt vltima verba morientium cum ſumma ſuauitate reſonabant. Nec ſic luna inter ſtellas refulget, vt inter filios mater: & cùm eos ad martyrium illuminatura deduceret, refulgebat: & cùm amplexata victores in medio filiorum iaceret. O vera mater adamante fortior, melle dulcior, flore fragantior: ô indiſſolubile pietatis vinculum, ô verè valida charitas ſicut mors dura, ſicut inferi zelus deuotionis ac fidei. Nulla tantarum diluuia paſſionum tuam potuerunt charitatem excludere, nulla inundare eam flumina tantarum acerbitatum. Sicut arca in illo mundi diluuio totius orbis ſpatiis innocua ferebatur, ita & tu aduerſus fluctus tam grauium paſſionum pietate immobilis reſtitiſti: & cùm poſſes ſalutem filiorum eligere, noluiſti. Quo affectu vos proſequar ſanctæ matris pia pignora? Quo penicillo ſermonis mei deſcribam formæ veſtræ & animarum ſimilitudinem? Stetiſtis inter exercitus regios, quibus totus fuit orbis terrarum ſubactus: quos India quoque in extremis maris ſecreta refugiens declinauit, & ſoli de rege ſuperbo ſine bellico conflictu victoriam reportaſtis. Vicerunt in vobis ſola arma pietatis, dedit pœnas tyrannus, & quia vos non potuit vincere, & quia atroci peremptus eſt morte.

VITA ET MORS ZACHARIAE PATRIS IOANnis Baptiſtæ, per D. Epiphanium Conſtantiæ Cypri Epiſcopum.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

ZAcharias adhuc alius fuit tum Propheta, tum ſacerdos, Iodaë ſacerdote propugnatus, Ioannis Baptiſtæ parens, quem Herodes ille tyrannus iuxta aram, domumque Dei occidit. Effuſuſque eſt ſanguis eius in veſtibulo templi Domini. Is natione Hieroſolymitanus erat de familia Dauid, officialis in domo Domini. Inter cætera quæ vaticinatus eſt, de origine quoque & natiuitate Chriſti nonnulla prophetauit. Eo igitur in loco Propheta in domo Domini, & templo Domini humatus eſt. Ex eo ſanè facta ſunt in templo illo ſtupenda miracula, phantaſiæque, hoc eſt, viſiones. Cæterùm ſacerdotes nequibant amplius neq; Angelorum viſa oculis vſurpare, neque oracula ſiue reſponſa populo ex Dabir reddere. Neque etiam poterant in Ephod per ſigna & portenta, quemadmodum prius ſoliti fuerant, vſque ad templum hodiernum reſpondere.

ITEM DE HOC EODEM ZACHARIA, per D. Baſilium Epiſcopum.

Ex homilia eiuſdem de humana Chriſti generatione.

QVòd autem Maria perpetuò virgo remanſerit, etiam Zachariæ declarat hiſtoria quædam, quæ ex traditione ad nos vſque peruenit. Zacharias enim Mariam poſt Domini conceptionem in virginum loco conſtituens, à Iudæis inter templum & altare interfectus eſt. A populo namque accuſatus, quòd rem prodigioſam inauditamq; prædicaret, virginem videlicet parientem citra virginitatis corruptionem.

ITEM DE ZACHARIA PATRE IOANNIS Baptiſtæ, ex D. Gregorio Epiſcopo Nyſſeno.

Habetur in oratione eius habita in die natiuitatis Domini, nuper per Petrū Franciſcum Zinum Veronenſem Latinè reddita.

NOn erit intempeſtiuum, ſi incorruptæ matris teſtem eum qui inter templum & altare fuit occiſus, proferamus. Hic eſt ſacerdos Zacharias, non ſacerdos ſolùm, verùm etiam Propheta. Ac prophetiæ quidem poteſtas in Euangelij libro declaratur, cùm viam hominibus muniens diuina gratia, ne virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium aſſenſum ſic exercuit, vt fœmina ſterilis, & vir iam ætate confectus filiū ſuſciperent.

Hoc mirandi virginis partus proœmium fuit, etenim sicut Elisabeth, quæ sterilis ad senectutem peruenerat, non potestate naturæ fit mater, sed ei diuino consilio filius nascitur: sic quod in virgineo partu non credendum videtur, si referatur ad Deum, credibile est. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuntius sterilis, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequam in lucem prodiret, in aluo matris exiliuit, simul ac natus est præcursor Verbi, prophetico spiritu Zachariæ silentium soluitur. Quæcunque autem disseruit Zacharias propheta, ad futurum spectabant. Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cùm virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo virginem matrem à loco virginibus per legem assignato, non semouit: Iudæosq; docuit naturam humanam vnà cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, & regi ita subiectam esse, vt arbitratu suo eam ipse regeret, non autem ab ea regeretur. Itaque in manu ipsius esse, nouā ortus rationem moliri, quæ matrem esse virginem nō impediret: quamobrem eam se à virginum loco non exclusisse: locus autem ille, erat spatium quoddam inter templum & altare. Cùm igitur audiuissent Iudæi rerum omnium Regē in vitam humanam diuino ordine prodijsse, metuentes ne Regi subderentur, sacerdotem qui hæc de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificantem interfecerunt.

SANCTI PATRIS NOSTRI ET CONFESSORIS, Theodori Studiti Oratio, de Natali sancti Prophetæ, Præcursoris, & Baptistæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

SI vocali alicui lusciniæ, quæ verno tempore pulchrè resonat, nostra esset similis oratio, inueniret fortasse, quemadmodum posset parumper laudare magnam illam vocem veritatis quæ hodierno die nascitur. Cùm sit autem voce admodum gracili & impedita, quomodo laudabit magnū decus prophetarum? quomodo celebrabit eximiam Apostolorum gloriam? quomodo glorificabit nouum & admirandum ornamentum martyrum? Porrò autem hoc quoque est mihi considerandum, quòd in alijs quidem sanctis tractauit alter alterius encomia: eius autem qui nūc laudatur, ante alios ipse Christus Deus, qui est ipsa veritas. Dicit enim: Maior Ioanne Baptista non surrexit inter natos mulierum. Quoniam ergo sunt tantæ laudes magni præcursoris, vt vel summa dicendi facultas eas assequi nequeat, nunquid ei deerit nostra orationis breuitas, studiosi auditores? Absit: sed seruile reddentes debitum, & iussum implentes spiritalem, & tanquàm qui simus [1] sanctificandi ex sola Præcursoris commemoratione, nostram ostendemus audaciam. Agedum ergo diem [2] festum deinceps celebremus, ad natalem honorandum conueniamus frequenti multitudine, non solùm accolæ, sed etiam vniuersa regio quæ est circa Iordanem, qui percipitur intelligentia. Videamus pulcherrimum hoc nouum & inauditum mysterium. Videamus id quod fit admirabiliter, & præter opinionem. Zachariam mente consideremus: res quoque Elisabethæ rursus conteamur. Non ex obscuris itaque parentibus, vt vel ex hoc maximus ostendatur Præcursor, sed vel ex valde claris, & insignibus originem habuit. Nam alter quidem erat Aaron, propter canos & dignitatem, veste indutus sacerdotali, pastorali, inquam, & superhumerali, talari cincinata tunica, cidari & zona quæ ex auro & gemmis, & hyacintho & bysso erant variata: & sic ingrediens in sancta sanctorum in vice sacrificandi. Matris autem Saræ gloria æqualis, vel potius superior, vt quæ esset propinquitate coniuncta Dei matri. Ex sterilitate enim gignit per promissionem, non Isaac, qui fuit vocatus Dei seruus: sed Ioannem, qui fuit appellatus Domini verus & germanus amicus. O sterilem vterum, qui talem concepisti filium. O terram infrugiferam, quæ talem spicam produxisti. Quocirca non est dubitandum illud Esaiæ, cuius vox est altissima, ad eam quoque nouo quodam modo eloqui: Lætare sterilis, quæ non paris, erumpe & clama quæ non parturis, quòd ex deserta matrice produxisti lilium castitatis, rosam spiritalis fragrantiæ, pratum bonorum feracis continentiæ, interdiu lucentem facem Christi aduentus, Ioannem à Deo electum, militem regni cœlestis, optimum Christi Ecclesiæ pronubum, silentio non mandandum testem eius, quæ verè est, veritatis, Ioannem canorum præconem pœnitentiæ, eius qui in corpore est, Angelus Domini, indicatorem agni, qui tollit peccatum mundi. Neque verò potuerim eius complecti dignitatem, etiam si plura nomina fuero complexus vocationis. Multa enim habet nomina, & plures causas, qui id, quod est maximum, est sortitus præter omnes Christos Domini. Atque honoratur quidem Isaaci quoque antiqui parentis natalis, quem cùm concepisset Sara, & peperisset filium in senectute, hæc ait: Quis annunciabit Abrahæ, quòd Sara lactat filium?

1 *Nota, & tanquam qui simus sanctificandi ex sola præcursoris commemoratione.*
2 *Vide antiquum festū natiuitatis B. Ioannis.*

Quocirca magnum quoque videtur facere conuiuium in die ablactationis. Et rursus honorauit natalis Samsonis, qui Manue erat, ipse quoque natus ex promissione, vt qui procederet ex sterili. Qui, inquit, non bibet vinum & siceram, & non comedet quicquam immundum: & ipse incipiet saluum facere ex manu alienigenarum. Præterea autem, vt aliorum natalem prætermittam, Samuelis quoq; honoratur natalis, qui ea quæ erant, antè videbat quem peperit celeberrima Anna marito suo Elcana, dedicatum Deo ab infantia. Sed non assecuti sunt, ô dilecti, Ioannis magnitudinem, quoniam alij quidem fuerunt ante legem scriptam, alij verò post legem. Ioannes autem filius Zachariæ sacerdotis, & Elisabethæ admirabilis, exortus est flos præcedens Christi aduentum, in medio legis & gratiæ apparens. Præluxit enim, qui intelligentia percipitur, Lucifer, significans ortum solis iustitiæ: præcessit miles, significans aduentum Regis omnium. Venit Paranymphus indicaturus adesse sponsum. Et alij quidem aliquamdiu postquam nati essent, aut prophetârunt, aut alia fecerunt miracula. Hic autem cùm adhuc ferretur in vtero, repletus fuit sancto spiritu, & extitit effector rerum admirabilium. Mihi ergo videtur id esse eiusmodi, vt tanquam in similitudine, Præcursoris ostendat magnificentiam. Quomodo ergo rex aliquis regaliter procedens ex regia, habet quidem primùm præcedentes quosdam, qui ferunt virgas, & quosdam qui sceptra gestant, deinde Consules, Præsides, & Ductores ordinum, postremùm autem quendam maiori dignitate præditum, post quem statim Rex apparet, nullo interiecto, resplendens auro & gemmis perlucidis: sic mihi cogita etiam in vero & solo vniuersorum Rege Christo Deo nostro. Eo enim per carnem ingressuro in orbem terrarum, præcesserunt quidem Patriarchæ, vtpote Abraham, Isaac, & Iacob: deinde Moyses Dei interpres, & Aaron, & Samuel, & vniuersa turba Prophetarum: vltimus autem extitit manifestus Ioannes, & statim Christus Dominus, de quo dicit: Qui post me venit, ante me factus est, quia prior me erat. Et qui erat vltimus ordine, maior dignitate extitit pro proportione. Sic ergo & Prophetis, & Apostolis, & alijs omnibus re vera prior est magnus Præcursor, illis quidem, vt sequens: his verò, vt præcedens. Verùm enimuerò Euangelicam explicantes historiam, audiamus quæ à Gabriele annunciantur Zachariæ. Visus est ei, inquit, Angelus Domini stans à dextris altaris incensi, & conturbatus est Zacharias cum vidisset, & timor irruit super ipsum. Quàm est terribilis etiam visio Angelica, & quàm in loco terribili apparuit. Quàm terribilis, inquit, est locus iste? Nihil est hoc, nisi domus Dei. Nec est mirum, si cùm esset iustus sacerdos, conturbatus est, & timor irruit super ipsum, cùm Daniel quoque vir desideriorũ, cùm vidisset, stupore est affectus, & in faciem cecidit, & ore hianti mansit attonitus, propter Angelicæ excellentiæ splendorem incomparabilem. Visus est ei, inquit, Angelus Domini. Quid ad hæc nobis dicunt semichristiani qui non admittunt 3 imagines? Si ab homine visus est Angelus, omnino habuit imaginem, & non aliam, quàm in qua visus est. Visus est autem in ea forma, in qua Moysi prius in monte Sina in figura ostensa sunt Cherubin, quæ erant circa propitiatorium. Si autem id quod est incorporeum, & quod caret figura, ea quæ fuit ostensa figura, circumscribitur, quomodo id quod est corporeum & figuratum, & quod colori & tactui subijcitur, & tres suscipit dimensiones, imagine non repræsentabimus, ad euidentem demonstrationem ab eo susceptæ carnis, quæ visione non potest apprehendi? Neque verò putet stulti, nos diuinitatem in hoc circumscribere, quæ neque verbis exprimi, neque comprehendi potest: cuius nulla est positura, nulla figura, nullus locus, nulla quantitas, nulla qualitas, non aliquid aliud ex ijs, quæ sunt intra fines circunscriptionis, propterea quod sit infinita, & non potest comprehendi. Nam hic quoque eius, qui est homo, solummodo effingentes imaginem, non materiæ expertem, & informem animam vnà omnino effingimus. Non enim contingit: sed vtrique conuenienter attribuimus ea quæ sunt eius propria, ei, quod circumscribi non potest, id quod non potest circumscribi: & ei, quod potest circumscribi, id quod circumscribi potest, sicut verbum ostendit veritatis. Reuertamur autem rursus ad propositum. Dixit autem ei Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est deprecatio tua, & vxor tua Elisabeth pariet tibi filium. O desideratum qui à Deo præbetur, iussum. O valde optandam quæ assertur ab Angelo promissionem. Assecutus id est, quod optauerat: obtinuit id, quod rogabat: inuenit id, quod quærebat, vt tolleretur sterilitas, & pulchram haberet prolem, non consequentia naturæ, sed precibus. Num enim maledicti erat pœna sterilitas? absit: sed magni mysterij significatio. Nam cùm Zacharias esset frequentibus ad Deum intentus precibus, vt solueretur sterilitas, arbitror eum fortasse hæc audiuisse. Nondum est perfectum tempus, nondum venerunt dies aduentus. Tunc ô Zacharia, spera fore, vt liberos suscipias quando venerit expectatio gentium. Tunc expecta sterilitatem, quando venerit spes omnium finium terræ. Postquam autem venit tempus: Accipe, inquit, id quod est tibi cordi per Gabrielis prædictionem: renouare tanquam aquila iuuentute: Cognosce, inquit, cõiugem: exaudita est enim tua deprecatio: & vxor tua Elisabeth

3 Nota pro vsu & cultu imaginum.

pariet tibi filium, & vocabis nomen eius Ioannem. Cognosce etiam nomen, quo vocabitur, vel ex ipsa etymologia tibi procedere ex alto. Dixit autem Zacharias Angelo: deinceps enim cum eo tanquam cum conseruo liberè loquitur. Quomodo hoc cognoscam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Atque prompta quidem & paterna demonstratio sacerdotem facit reum incredulitatis. Præsens autem sermo non se submittens, sed procedens tanquam ad examinationem, dicit eo modo fuisse affectum Zachariã, quo Diuus Thomas. Non enim erat consentaneum, eum hoc ignorasse cùm esset Propheta, & in rebus diuinis eruditus, posse Deum vel ipsam naturam innouare, & ex sene iuuenem efficere, & ea reddere facilia, quæ videntur nullo modo posse fieri, vt in Abrahamo, & Sara, sicut in Sunamitide, & in alijs eius varijs & omne genus miraculis. Sed quoniam magnarum, & quæ sunt præter opinionem, expectationum promissiones, si repentè audiantur, solent aliquo modo conturbare animum: non ad incredulitatem, vt arbitror, differens, sed festinans ad perfectionem, statim veluti captus à voluptate exclamat, & dicit: Quomodo hoc cognoscam? Ne me deceperis, ne me fefelleris, da mihi signum, præbe mihi pignus, vt Deus olim Abrahæ, ad hoc quòd ipse esset pater multarum gentium, & egrederētur Reges ex eius lumbis, signum circuncisionis: & sicut antea Noë, quod non induceret diluuium super terram, arcum qui est in nube: Et Moysi virgam in serpentem conuersam, & citò restitutam, ad hoc vt crederent Æpyptij, quòd qui est ei apparuerit. Respondens autem ei, dicit Angelus: Ecce eris tacens, & non poteris loqui: propterea quia non credidisti verbis meis. Adijciendum est, tacitè, & absolutè, & citra examinationem. Accepit signum Zacharias rei conueniens: nempe sermone soluto silentium, quod ad viuum sermonem, & qui consistit, est ei pariendum: & complicatis labris, vocibus quæ audiri non poterant, laudauit datorem partus. Egressus enim, inquit, non poterat loqui, & cognouerunt quòd vidisset visionem in templo. Et ipse erat annuens illis, & permansit mutus: partim quidem ne interrogaretur, vtpote quòd sustinendum nō esset, vt audiretur visio: partim autem vt qui quodammodo excessisset ex sensibus, & totus seipsum cōuertens ad id quod visum fuerat, mutus esset, inanibus, & aërem temerè verberantibus sermonibus. Par autem fortasse fuerit, eum vtpote prophetæ patrem, hîc quoque opus significare prophetiæ, & hoc fortasse est cessatio legalis cultus ad eam, quæ fit in gratia, prolationem per exortum Ioannis. His ergo prætermissis, quæ intercedunt, vt quæ neque ad diem pertineant, neque ea possint vires nostræ assequi, veniamus rursus ad institutum. Et factum est, inquit, vt audiuit salutationem Mariæ Elisabeth, exultauit infans in vtero eius. O Ioannes fœlix infans, fœtus qui sopiri non potes. Qui es in vtero, quomodo es in mundo? Qui nondum es perfectus, quomodo es plenissimus? Qui es semestris, quomodo multum habes tempus? Qui nō potes cogitatione percipere, quomodo es prudentissimus? Qui loqui non potes, quomodo bene loqueris? Dic nobis, dic, quomodo cùm continearis in tenebroso loco vteri matris, nōdum videndi facultatem exerceas, auditus sonum nondum admittas, vocalem sermonem nondum emittas, ambulandi motus nondum sis particeps, ridendi proprietatē nōdum exercueris: quomodo intueris? quomodo audis? quomodo res diuinas contēpiaris? quomodo exilis, & exultas? Responde, responde nobis, ô vir optime. Magnū est, inquit, quod peragitur mysterium: & actus est ab humana remotus comprehensione. Meritò innouo naturam propter eum qui innouaturus ea quæ sunt supra naturā. Video etsi sim adhuc in vtero, quoniam in vtero gestari video solem iustitiæ. Auribus percipio, quoniam audio vt qui nascar vox magni verbi. Exclamo, quoniam filium patris vnigenitū considero esse carne indutum. Exulto, quoniam vniuersi effectorem video formam hominis suscipere. Exilio, quoniam mūdi redemptorem cogito corporatum. Principium, inquit, vobis significo Dei in mundum ingressus, & aduentus corporei. Præcurro aduentum, & quodāmodo vobis præeo confessionem. Accipite psalmum, vt dicam Dauidicè, & tympanum propheticè, psalterium iucundum cum cythara. Cantate ei, & psallite ei, narrate omnia mirabilia eius. Nunquid ergo, ô Ioannes, super terrena ascendisti, ad cœlestia prouectus es, Angelicos, & primò operātes ornatus transcendisti? Quomodo ergo quorum naturam non apprehendisti, eorum es sortitus ordinem, & dignitatem? & quod eis est à seculo obscurum, & quod minimè didicerunt, statim, tanquàm post Deum traiecisti, & nobis annunciasti, idque cùm adhuc esses in matris visceribus?

Non volaui, inquit, per aërem, non peruasi nubes, non superaui cœlos, non transcendi flammeas & incorporeas virtutes: ne hoc existimetis: sed qui est supra omnia, & in sinu patris manet cum Sancto Spiritu, nescientibus alijs igneis eius ministris, tanquam aliud cœlum ingressus, in vtero semper virginis Mariæ seipsum patefecit, & hæc mihi talia exposuit mysteria. Sum ergo pueri index, quòd scilicet filius nobis nascitur, & filius datus est nobis (vt magnus dicit Esaias) qui quidem est ante secula. Sum natus ex sterili, quoniam prodibit fœtus Virginis. O opus magnificum, & supernaturale. O prodigiū admirabile, & quod

omnem

omnem superat opinionem. Qualia nobis infans nondum natus annũciat? Quanta nobis fœtus Elisabethicus diuinè significauit? Exiliat tota quæ est sub sole regio: choros agat Ecclesia, festi præludia, natalis Christi ingressum celebrans: & lætitia impleantur vniuersa suscipientia indicem aduentus Regis vniuersorum. Sed, ô beate Ioannes, qui maximorum es propheta maximus, qui es primorum primus inter Apostolos, qui es Martyrum Martyr excellentissimus, qui es solitudinis à Deo ordinatus patronus, qui speciosissimi sponsi es amicus dilectus, qui lucis quæ dici non potest, es parata lucerna, cui Agni inculpati fuit creditum præconium, qui paternæ vocis optimus auditor, qui prædicatus fuisti Baptista Christi, qui Herodis libidinis liber fuisti reprehensor, qui ijs qui erant apud inferos, vitam præsignificasti, qui Deum significans fuisti tuba orbis terrarum: nunc quoque nobis sonum ede cœlitus sacratissimis 4 intercessionibus, & esto propitius populo tibi decantanti, & minimo tuo gregi, cum excellente tuo patre, condonans rursus hoc audax mei miseri inceptum, vt quod non sit munus oblatum, sed tanquam inutilis serui, quod tibi offertur, debitũ cum tributo, & desiderio. In Christo Iesu Domino nostro, cui gloria, & honor, & adoratio cum patre omnipotente, & sanctissimo spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

4 *Precatur sancti præcursoris sacratissimas intercessiones.*

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOstomi Archiepiscopi Constantinopolitani Encomium natalis venerandi Præcursoris.

Apud Simeonem Metaphrasten.

EStí 5 celebrandi, & publicæ lætitiæ dies est oportunus, in quo mihi reuocatum est in memoriam Gabrielis ministerium, & Zachariæ sacerdotium. Nuper enim audiuisti Euangelistam dicentem, quòd Zachariæ obtigerat, vt suffiret ingressus in templum Dei: & vniuersa multitudo expectabat extra templũ hora suffitus. Et visus est ei Angelus Domini stans à dextris altaris suffitus. Et conturbatus est videns Zacharias, & timor irruit super ipsum. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniã exaudita est deprecatio tua. Eijcit metum, & eius loco inijcit desiderium. Nam cùm dixisset, Ne timeas, non tacuit, sed etiam precationis lucrum significauit (exaudita est enim, inquit, deprecatio tua) Quódnam? Leuiticæ tribus augmentum. Et ecce vxor tua Elisabeth pariet filium, & vocabis nomen eius Ioannem. O admirabile & mysticum miraculum. Meritò Zacharias ratiocinando & cogitando impeditus repugnauit Angelo. Aliud enim rogabat, & aliud accepit. Pro populo precabatur, & nominabatur pater filij. Quærebat veniam peccatorum, & vteri sterilis accepit promissionem. Maluisset Zacharias curari animas fidelium, quàm intumescere vterum Elisabethæ. Meritò ergo fuit conturbatus. Erat enim homo seruiens mutationi, etiamsi esset præditus dignitate sacerdotali. Deinde etiam apud se cogitabat, quænam esset aliena, & admirabilis viri visio: quisnam is esset, qui audaci pede in sacrum templum ascendebat: quis is esset, qui à dexteris altaris suffitus astaret, tanquam qui nulli peccato esset affinis. Quis hic est, aiebat, qui alienis & diuersis formis circumcirca coruscat, & metu meam comprimit animam? Nunquam enim ego vidi rem tam admirabilem, hominémne alatum, an volucrem humana forma præditam? Quid hoc sit dubito. Mei enim suffitus videtur esse aliquis speculator, & meæ intercessioni esse impedimento. Populi multitudo me foris orans expectat, tanquàm scribam cœlestis Regis, & hic me intus retinet. Per me Regi preces offerunt, veniam petentes delictorum, & incertus sum, an possim explere populi desiderium, & meo satisfacere officio: & hic constitit nouum mihi adferens nuncium. Cessa deinceps tu, qui me terres. Si enim esses à Deo missus Angelus, ad ea quæ sunt mihi vsui, adiumento fuisses, & misertus esses eorum, qui foris lachrymantur: affligereris vnà cum ijs qui affliguntur. Recede hinc, qui me terres: filij nullam duco rationem. Cur mihi significas promissionem? Quid enim lucrifaciet populus, si ego habuero filium? Quænam ad eos redibit vtilitas, si Elisabeth infantem lactauerit? Quid accipient commodi, si ego facultatum hæredem reliquero? Recede ergo qui me terres, quicunque sis. Sumus iam prouectæ ætatis, præterijt tempus cupiditatis: tempus refrigerauit calorem, fructum negauit sterilitas, natura secum agitauit seditionem: mortui sumus ambo ea parte, quæ spectat ad coitum. Quod ergo non produxit iuuentus, quomodo germinabit senectus? Sed hæc quidem animo agitabat & dicebat Zacharias. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Zacharia, neque conturberis cogitationibus: sum enim Angelus lucis, non tenebrarũ. Ego sum Gabriel vnus ex principibus Regis cœlestis, iussum affero, non mea iubeo autoritate: missus sum ad tibi significandum, non autẽ ad metum tibi incutiendum hanc indui figuram. Ne timeas Zacharia, missus sum ad tibi nunciandum, non autem ad te obstupefaciendum. Profers senectutem, & ætatem non aptam generationi & matri-

5 *Natiuitas celebrandi & publicæ lætitiæ dies est.*

matricem, quæ semen non suscipit. Quis autem licet velit generat? Dei est donum, non inuentum hominis. Non audiuisti Dominum dicentem: Ego sum, qui facio hominem, & fingo spiritum in homine? Non credis Zacharia? Quomodo formatus est Adam? Quomodo creata est Eua? Quomodo genitus est Isaac? Cùm audiisset Abraham, non est spe deceptus: & tu Sacerdos non credis? Non est impossibile apud Deum omne verbum. Propter senectutem contradicis, ô Zacharia, & corpus emortuum plus statuis, posse efficere, quàm Deum? Si non vidisses Abraham, rectè dubitasses. Naturalem profers imbecillitatem, & cùm adsit diuina promissio, non credis? Qui parua petijsti, magna sumis: & clamas, tanquam qui damnum patiaris? Tu Zacharia oras pro solo populo Iudaico: Ego autem hunc bonum tibi affero nunciū, pertinere salutē ad omnes gentes. Zacharias autē cùm hæc audijsset, & aspectū parum auertisset, dixit respondens Angelo: Quid dicis, ô Angele? Vxor mea pariet? num ego propterea oraui? an suffitum moueo hac de causa? Meo fungēs officio populo bonam spem affero, & peto veniam peccatorum, nō solutionem desidero sterilitatis. Volo meam leuari synagogam, non prægnātem effici Elizabeth. Rogo sauciatæ vt curentur animæ, nō vt exiccata vbera lacte fluant. Quid dicis, ô Angele? Vxor mea pariet? Et quid lucrifacient ij qui foris precantur? Nunquid cùm audierint, me obruent lapidibus, dicentes, me nō orare pro ipsis, & communi salute, sed pro me ipso solo, & me non verbum accepisse, sed fœtum? Nulla mihi res est cum liberorum susceptione. Absit, hoc nolo. Quod precatus sum nō accepi, & nunc mihi significas alia pro alijs. Filiorum procreationis nullā duco rationem. Non possumus ingredi sine baculo, & iubemur dare operā liberis. Senectus negauit naturam. Non ero frequens in templo ad obeundum ministerium: sed conducam nutricem propter infantē. Nulla mihi res est cum liberorum procreatione. Quæro salutem populi, & gentis fœlicitatem, & gentium captiuitatem, & nostram prosperitatem: non autem pueri fletus, & fascias, & nutrimenta puerilia. Horum ego nullam duco rationem. Quomodo enim inueniar pater germani filij? Senectus repellit modum. Ea res est deinceps à natura aliena. Sunt dissoluta membra genitalia. Virgam, tanquam equum, tenens ingredior, & me excitas, vt matrimonialem ineam coniunctionem? Vnde hoc sciam? Ecce membra mihi tremunt. Ecce vides amborum senectutem. Ecce aspicis vteri imbecillitatem. Ecce intueris colla nostra in terram inclinata. Totum corpus emarcuit. Nihil expectans aliud, nisi falcem mortis. Spicæ iam sunt maturæ ad messem. Vnde hoc cognoscam? Si ergo verum omnino dicis, ô Angele, da mihi signum, gratia arræ, & credam promissioni. Accipio promissionem, si miraculi videam effectionem. Aaron enim non credidisset, nisi virga floruisset. Moyses pro certo & firmo non habuisset, nisi eius manus fuisset dealbata. Gedeon non intellexisset, nisi ros descendisset in vellus. Ezechias spem abiecisset, nisi sol fuisset impeditus. Da ergo tu quoque signum, & saltabo iuueniliter. Da signum, ne Elisabeth profusè rideat, sicut Sara. Vnde hoc sciam Archangele, qui hæc significas? Quid mihi dicis nomen infantis, & eius qui non adest, virtutes enumeras? Ostende mihi id quod est supra naturam, vt credam id quod est præter naturam. Si cœli conuexum in partem conuertatur contrariam, ego quoque renouabor. Si mare suscipiat dimensionem, Elisabeth quoque pariet. Si sol comprehendatur, sicca quoque vbera lacte fluent. Si luna cingatur mœnibus, matrix quoque sicca humectabitur. Vnde hoc sciam? Ego enim sum senex, & vxor mea processit in diebus suis. Angelus autem dicit Zachariæ: Non credis Deo omnipotenti? Nescis Deum posse omnia? Statuis Domini promissionem esse infirmam & instabilem? Eum qui bonum tibi adfert nuncium, non vereris examinare ac percuntari? Vnde hoc sciam, dicis ô Zacharia? Num te mittam in Ægyptum, vt terrore afficias Pharaonem? Nil facit Deus supra naturam? Quæris naturæ consequentiam, non diuinitatis effectionem admirabilem? Dic enim mihi: Vbinam fixæ sunt ignis columnæ? Cœli moles vbinam est collocata? Vbinam inueniuntur nubium cubilia? Pluuiæ autem guttæ vbinam contexuntur? Niuis verò cespites vbinam excinduntur? Solis currus quis est auriga? Lunæ decremento quis imponit terminum? Furens mare quomodo reuereturarenā? Tenebræ caliginis quomodo cōtexuntur? Homo autem quomodo formatur in matrice? Et masculo quomodo fœmina inuenitur leuior? Vnde, inquis, hoc sciam? Eris, inquit, tacens, & nō poteris loqui. O benignum supplicium, quod effecit potius correctionem, Angelus enim castigat ipsam vocem, quæ lapsa fuerat: refrenat ipsam linguam, quæ fuerat audacior. Erat enim, inquit, annuens ipsis, & permansit surdus. Pulchrè Euangelista cōscripsit illud, Permansit. Permansit enim silentiū expectans vocem, quæ nascebatur: Zacharias, Ioannem: senex, infantem: Sacerdos, Prophetā. Cùm dicit Angelus: Quoniam tāquam incredulus à Deo signum quæris, in proprijs membris porta signū quod te castiget. Eris enim tacens, & non poteris loqui vsq; ad diē quo hæc fiant. Vbi est audacia temeritatis, illic est frenū disciplinę. Vbi calcitrauit cōtumelia, illic pœnę pronūciatur sententia. Volebat quidē Deus, ô Zacharia, te fieri præconē talis miraculi: quoniā autē corpo-

corporis imbecillitatem duxisti esse firmiorem ac stabiliorem promissione Domini, eris tacens,& non poteris loqui vsque ad eum diem quo hæc fiant: propterea quòd nõ credidisti verbis meis,quæ quidem implebuntur suo tempore. Vides nihil summum,ac perfectũ effici sine fide? Solùm autem audiuit Zacharias hæc verba, & statim egressus est ex templo, sermonis priuationem ferens mercedem incredulitatis. O miraculum. Ingressus est vt alios liberaret,& ipse exijt condemnatus. Thuribulum ferens ad ministrandum, circumferebat titulum exilij. Populus expectabat,vt aliquid boni ab eo audiret,ille autem annuebat: Nemo mihi appropinquet,nemo me interroget: fero horrorẽ Dominicæ iracundiæ. O res admirabiles,& quæ sunt præter opinionẽ. Zacharias mutus redditur,& veluti chamo cõstringitur. Elisabeth autem opiparè conuiuatur. Lingua obtunditur,& vterus inflatur. Quæ diserta erat lingua,sterilis efficitur: & quæ erat infertilis,mater redditur. Vxor frenatur, & mulier liberatur. Zacharias silet,& Ioãnes exilit. Solum enim vidit sterilis virginem,& solem animaduertit Lucifer,& valdè exilijt Ioannes in materno vtero,accusans naturæ tarditatem. Domini,inquit,sum seruus,non teneor ijsdem legibus,quibus conserui. Non expectabo quoad pariar,vt præcursor sim. Ne dominæ partus præueniat seruũ,qui parturiendi doloribus in vtero inuoluitur. Ne sit naturæ consequentia ordinis transgressio. Agnoui enim qui me præmisit,vt ambularem ante eius faciem,ad parandam viam eius ante ipsum. Labefacto vincula naturæ,propero enim prædicare. O res admirabiles,& quæ superant opinionem. Quæ in cœlo ignorauerunt Angeli,cognouit Ioannes,qui gestabatur in vtero. Thronos latuit:& eum qui erat in matrice minimè præterijt. Celauit Dominationes: & ei qui erat in ventre reuelauit mysterium susceptæ carnis œconomiæ, & quem venit Archangelus ferens bonũ nuncium, is eum narrauit in vtero. Nam cùm ad nos aduenisset,sicut modò audiuisti,Redemptor nostri generis, venit protinus ad suum amicum Ioannem, dum adhuc esset in vtero,& licebat videre figulum lutum salutantem,Regem habitantem in tabernaculo militis,Dominum qui venerat,in serui domunculam. Quem cum ex matrice in matrice aspexisset Ioannes,terminos naturæ concutiens,exclamat: Video Dominum,qui naturæ imposuit terminos,& non expecto tempus nascendi. Nouem mensium enim tempus in vtero nõ est mihi necessarium. In me est enim qui est æternus. Egrediar ex hoc tenebroso tabernaculo,rerũ admirabilium cõpendiosam prędicabo cognitionem. Sum signaculum,significabo Christi aduentum. Sum tuba, proferam filij Dei in carne œconomiã. Tuba canam,& eo ipso paternæ linguæ benedicam,& eam traham,vt loquatur. Tuba canam, & vterum maternum viuificabo. Vides ô dilecte,quàm sit nouum & admirabile mysterium. Nondum nascitur, & saltibus loquitur: nondum apparet,& minas intentat. Nondum ei permittitur clamare,& per facta auditur. Nondum discit vitam,& Deum prædicat. Nondũ aspicit lucem,& solem indicat. Nondum paritur,& properat præcurrere. Non fert enim præsente Domino contineri, non sustinet naturæ expectare terminos,sed contendit rumpere carcerem ventris,& studet præsignificare venientem Saluatorem. Accessit,inquit,qui soluit vincula,& quid ego sedeo vinctus,& retineor vt maneam? Venit verbum vt omnia constituat, & ego adhuc maneo detentus? Exibo, præcurram, & prædicabo omnibus, Ecce agnus Dei,qui tollit peccatum mundi. Et hæc quidem Ioannes. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi,& genuit filium, & audierunt cognati & vicini eius, & gratulabantur ei. Cur autem peperit, & genuit? Quòd illud quidem est opus naturæ, hoc verò supra naturam: quandoquidem peperit quidem vt mulier, sed superuenit gratia sancti spiritus,& genuit supra naturam. Aliud enim est naturæ opus, aliud gratiæ. Erat enim miraculum quod fiebat ab Ioanne, & non tantùm habebat paterni generis,quãtum Dei verbi. Hoc autem significabat Archangelus Gabriel, dicens Zachariæ: Ecce vxor tua pariet filium,& spiritu sancto replebitur ab vtero matris suæ, & multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum: Et ipse præcedet ante illum in spiritu & virtute Eliæ. Quoniam ergo est admirabilis naturæ ortus infantis,& Zacharias quidem non credidit. Elizabeth autem non dubitauit,tardè genitum pręter spem habens filium, ea de causa dicitur parere, & gignere: illud quidem propter naturam, hoc verò propter fidem. Qui enim gignit, sicut prius dixi, gignit cum lætitia: quæ autem parit, parit in doloribus. Quædam verò tristitia fuit in Elisabeth, vbi aderat sanctus spiritus? non erat autem obstetricis circumcursatio, nec gratiæ tumor onus extendens miserabilem efficiebat laborem, si conferatur cum lætitia. Non enim postquam fuit natus,& ad virilem peruenit ætatem, gratiam accepit Ioannes, sed ex ipso materno vtero amictus veste sanctificationis, præter opinionem procedit,tanquam miles,admirabiliter, sicut dicit Angelus: spiritu sancto ex vtero matris suæ implebitur: & ipse procedet ante ipsum in spiritu & virtute Eliæ: ante quem procedet? ante Dominũ Christũ. Et ideo appellatur etiã præcursor,vt licet ipsum audire Ioannẽ dicentẽ: venit post me vir, qui ante me factus est. Post me, propter tẽpus: Ante me, propter thronũ. Cur ergo in spiritu,& virtute Eliæ dixit Gabriel præcedere Ioannem?

Ioannem? Audi prudenter: Helias Deus exponitur. Quoniam ergo Ioannes Deum habebat in seipso, impletus est spiritu sancto ab vtero matris. Spiritus autem Deus est. De eo enim multis antè annis dixit Dominus: Ecce mitto Angelum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam ante te, & multos conuertet ab errore ad veritatem. Ea de causa in spiritu, & virtute Eliæ Ioannes præcedit Dominum. Quinetiam inuenies Ioannem habere multa Eliæ similia. Certè infans nascitur, & vox patris reuertitur. Interrogatus enim, inquit, Zacharias, quo nomine vellet vocari puerum, petijt pugillares, & scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Qui non credidit verbis Angeli, nunc necesse habuit scriptis prædicare visionem. Qui tunc auditione non acceperat ea quæ dicta fuerant, nunc ea quæ fiunt, manu constituit. Quamobrem, inquit, mirati sunt vniuersi. Statim enim apertum fuit os eius, & solutum est vinculum linguæ eius, & locutus est, Deo benedicens. O nouum, & alienum miraculum, nomen scribitur, & os patris quod loqui non poterat, aperitur. Ioannes vocatur, & eius qui vocat lingua componitur, ac concinnatur. Vides nos non aberrasse, cùm diximus præsentem expositionem esse eiusmodi: vt ei nihil possit obijci. Ecce enim ipsum iusti nomen, & os aperit silentij, & excitat linguam ad mouendum difficilem. Sic enim ostenditur vox clamans Ioannis, quoniam ipsum quoque nomen fit vocis operatio: Ego enim, inquit, sum vox clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. O miraculum. In populo versatur Verbum, & vox prædicat: Dominus venit, & seruus prius mittitur. Rex accedit, & miles præparatur. Gaudeamus ergo hodie, & lætemur, & exultemus, quòd Elisabeth peperit, & Zacharias est locutus: quòd sterilis peperit, & senex clamauit: quòd quæsitus est pugillaris, & soluta est lingua sacerdotalis: quòd Ioannes processit, & vox est reuersa: quòd natus est præcursor, & totus mundus est lætatus. Sed hic quidem oportebat finire orationem: & Zacharias non concedit clamans: Benedictus Dominus, quoniam visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. O res admirabiles. Quid dicit Zacharias? Primam vocem post resurrectionem exclamauit Zacharias, Benedictus Dominus. Quid ergo? Mortuus est Zacharias, quòd surrexit? Non mortuus est, inquit, sed quiddam mortis instar sustinuit. Tanquam enim sepulchrum tenuit silentium, & fascijs alligatus fuit, hoc est, linguæ vinculis. Vitam egit interea non exercens sacerdotium, & luctum sustinuit populi tristitiam. Rogante enim sacerdote pro ijs qui sunt in luctu, omnes pro quibus interceditur, consequuntur misericordiam. Hanc ergo primam exclamauit vocem post figuratam resurrectionem: Benedictus Dominus Deus Israel. Ergo nos quoque hanc vocem consequentes, bonum Deum nostrum benedicentes eum glorificemus, & per bonos 2 mores, & bona opera eum colamus, vt bona quoque æterna consequamur. Quæ liceat nobis omnibus consequi gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Quoniam eum decet gloria, honor & adoratio, & magnificentia, cum principij experte eius Patre, & cum sanctissimo, & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

2 Vide oportere nos Deum colere etiã per bonos mores, & bona opera, & non per fidem solum.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYsostomi Archiepiscopi Constantinopolitani oratio, de natali sancti Prophetæ, Præcursoris, & Baptistæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

BEnedictus Deus. Ecce enim rebus ipsis ostensæ sunt salutationes Ioannis, quæ fiebant in vtero. Processerũt iusti boni nuncij, qui afferebãtur pedibus, venit gratia, quam cùm in vtero esset, significauit. Nouit mũdus exultationem, quam præcursor in aluo descripsit pedibus. Re vera alij laborarunt, & vos ingressi estis in ipsum laborẽ. Proclamabãt Prophetæ, dum expellebantur. Non silebant iusti, dum verberabãtur. Periclitabatur catalogus Prophetarum. Resistebant tyranni. Reges bellum gerebant. Principes stabant in acie. Populi ira cõcitabantur. Totus mundus aduersabatur iustorũ certaminibus. Vbi producebantur ad tribunalia, illic flagris cædebantur. Vndique tormẽta, supplicia. Vndique afflictiones & eiulatus. Vndique tristitia & tenebræ. Sed cùm essent in tali ac tanta vitæ tristitia, annunciabant solutionem tempestatis. Ioannes enim ille magnus præcursor Domini, cùm esset adhuc naturæ fascijs alligatus, ver nobis ostendit salutare: & studens voce prædicare eum, quem significauit pedibus, conatur egredi ipsos naturæ terminos: vt quæ tardè pareret agitabat Elisabetham. Saliebat simul chorum ducens, & ægrè ferens quòd teneretur in vtero. Exclamabat aduersus mensium conuersionem. Tanquam iniustam custodiam quatiebat matricem. In claustra naturæ insultabat calcibus: modum nascendi accusabat, & clausis labris vociferabatur figuris, talia propemodum motu dicens Elisabethæ: Iniquè facis ô mater, quæ tardas. Prophetam gestas in vtero: contines gaudium orbis terrarum: portas præcursorem

Christi Regis,contines militem regiæ prædicationis,constringis martyrem,& maieré omnibus inter natos mulierum:& impedis velocem cursorem pietatis. Iniquè facis ô mater, non nosti futura,ignoras ea quæ sunt ventura. Lux venit,solue matutinum. Sol oritur,prius lucebit Lucifer. In foribus lux est,& voce est opus. Prope est spõsus, & iustum est,vt thalamus extendatur in Iordane. Opus est sanguine qui mundum emat: & oportet me agnum eminus ostendere. Inuolutum est humanum genus fascijs peccatorum. Venit qui soluit ligatos. Opus est deinceps precone,vt omnes cùm resciuerint,veniant omnes: & tu in vtero retines præcursorem? Non tibi venit in mentẽ ô mater, Adam tot secula teneri apud inferos? Non consideras Euæ luctus & gemitus? Non intueris mundi tristitiã,vel potius interitum? Adhuc clamat sanguis Abelis contra Cain interpellans. His ingemiscũt vel ipsa elementa. Propterea enim es liberata à vitio infœcunditatis,vt qui nascetur ex sterili,eum indicet qui nascetur ex virgine. Propterea ego in matrice exilij in exultatione, vt non amplius saltet in mundo diabolus. Talia ergo nondum natus Ioannes dicebat Elisabethæ. Cùm autem ex ipsa processisset, & iure maiorem suscepisset illuminationem,effectis ostendit effectorem,& figmentis digito ostendit fictorem, magna voce clamans. Ecce Agnus Dei, qui tollit peccatum mundi. Sed quomodo illum celebrabo ortum, qui verbis nequit exprimi? Quomodo illa enunciabo,quæ mentem superant & rationẽ? Quamnam suscipiam linguam, quæ sufficiat miraculis? Noua est & aliena conceptio:partus sine dolore:spica quæ prouenit sine cultura:fructus sine semine:alienæ naturæ partus:ignota generatio:filius,qui non habet in terra patrem, narratio,quæ est re vera in vita incomparabilis. Virgo rursus mansit,non prohibuit partus virginitatem, non corrupit vterum, non vitium attulit ei quæ pepererat. Meritò is quoque qui est natus,matri talia præbuit priuilegia. Quæ enim habuit solus,ea illi quoque soli dedit. Non habuit ipse fratrẽ ad generationẽ,neque dedit matri sororẽ miraculi. O Dei in homines liberalitas & munificẽtia. Quænã dona per mulierẽ consecuta est natura? Vnde cœpit bellũ,illinc Rex pacẽ conciliauit. Ex quo enim est virgo mater,& mater virgo, cessauit luctus Euæ. Filia soluit crimẽ maternũ. Per ipsam enim carne suscepta, Dominus ad nos accessit. Venit autẽ vt quæ erãt tristia,mutaret in gaudium. Venit vt dolore affectã mutaret consuetudinem. Venit vt inferna pacaret supernis. Audi autẽ quo modo. Illic probro affectus fuerat paradysus, hic spelũca effecta est gloriosa. Illinc duo, Adã & Eua, expulsi sunt à peccato, hic fines orbis terræ deducti à gratia. Non habemus amplius suspectã exilij exprobrationem nõ extimescimus amplius flammeã romphæam:non timemus amplius claustra portarum paradysi,non metuimus amplius morsus serpentũ:non amplius à ficu accipimus folia:nõ amplius ad sonũ gressus cõtremiscimus. Quæ enim ex virgine facta est,adorauimus processionem: medicũ naturæ aspeximus. Quis enim vidit,quis audiuit? Quís ex imbecilla radice cognouit vnquam effloruisse medicum? Quænã fœmina visa est mater patris proprij? Quænã eũ genuit,qui diuina virtute genuerat? Quænã ei m peperit, qui videbatur quidem figmentũ,intelligebatur autem esse fictor? Quænam fuit cõsecuta,vt haberet filiũ,& nullum senserit damnum virginitatis? Quid ergo dicis ô Iudæe? Quid sensu videris esse infans, cùm canis tegaris malitiæ? Quid tuos Prophetas,vel potius meos frustra legis? Tu enim literas, ego verò res teneo. Tu testamentum,ego hæreditatem. Tu in lege gloriaris, ego autem in gratia me magnificè circũspicio. Cur pugnas cum Prophetis? Cur à Deo acceptas, & veraces eorũ effugis prædictiones? Quàm multis antè seculis legisti ea quæ nunc euenerunt? Nesciebas ad homines venire Deum verbum? Quomodo ergo dixit propheta Hieremias: Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter ipsum. Inuenit omnem viam scientiæ, & dedit eam Iacob filio suo,& Israël dilecto suo. Postea in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est? Sed virginem, ô Iudæe,non credis peperisse. Quomodo legisti prophetam Esaiam clamantem: Ecce virgo in vtero concipiet,& pariet filium, & vocabũt nomẽ Emanuel,quod est interpretatũ,nobiscum Deus? Sed quòd post partum mansit virgo,hoc quoq; didicisti ab Ezechiele. Duxit me,inquit,Angelus,& posuit me ad portam Orientis,& dixit mihi: Fili hominis, quid tu vides? Et dixi: Video ego portam clausam. Et dixit mihi: Hæc est porta,nemo ingredietur per ipsam,neque egredietur,nisi Dominus Sabbaoth solus: Ipse ingredietur & egredietur,& erit porta clausa. Quinetiam quòd qui est omnis creatæ naturæ Dominus, nascatur in vili loco Bethlehem, hoc quoque prius didicisti à propheta Michea dicente: Et tu Bethleem terra Iuda,nequaquam es minima in principibus Iuda: Ex te enim mihi exibit Dux,qui pascet populum meum Israël. Tum verò quòd Herodes quoque sit infantes occisurus propter Christum, qui non potest comprehendi,ne hoc quidem est prætertitum silentio,sed sic scriptum est: Vox in Rama audita est, luctus multus & fletus: Rachel plorans filios suos,& noluit consolationem admittere, quoniam non sunt. Hæc ergo prius didicisti ô Iudæe per prophetas,vt paratus esses,vt ei ires obuiam, nõ vt crucem parares. Sed illis in præsentia prætermissis, ad prius institutum reuertamur. Elisabeth autem impletum

 est tem-

est tempus pariendi,& peperit filium. Et audierunt vicini,& cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa,& congratulabantur ei. Et factum est in die octauo, vt cùm venissent ad circuncidendum puerum, vocarent eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam,sed vocabitur Ioannes. Porrò autem eius quoq; patri annuebant,quémnam eum vellet vocari. Et postulans pugillarem scripsit, dicens:Ioannes est nomẽ eius.Et mirati sunt vniuersi.Et loquebatur apertè benedicẽs Deo. Infans nascitur,& vox patri restituitur.Ex quo manifestum factum est clamantem nasci vocem, quòd vocis ipsius, hoc est, Ioannis, nomine prolato,vox patri restituta est.Ego enim, inquit,vox clamantis in deserto,Parate viam Domini,rectas facite semitas eius.Cùm enim suscepisset Ioannes illuminationem sancti spiritus,effectis ostendit effectorẽ,& digito ostendit omnibus affictorem,magna voce clamans: Ecce Agnus Dei qui tollit peccatum mundi. Non enim amplius ex veteri lege & figura vnum est templum quod suscipit sacrificia,& eis gloriatur: sed in vniuerso orbe terrarum, Ecclesiæ & aræ purè ac syncerè clemẽti Deo emittunt gloriam. Accepimus enim animarum nostrarum Pontificem Iesum Christum Dominum nostrum, qui peccatum non fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. Habemus enim, inquit Paulus,Pontificem magnum,qui cœlos peruasit,Iesum Christum Dominũ nostrum. Quem decet omnis gloria,honor & adoratio,cum patre,qui caret principio,& cum sanctissimo & viuifico spiritu,nunc & semper,& in secula seculorum, Amen.

ANTIPATRI BOSTRORVM EPISCOPI ORATIO de sancto Ioanne Baptista,& de silentio Zachariæ,& de salutatione sanctissimæ Deiparæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

INter natos mulierum nullus est maior Ioanne: Verbum pronunciauit salutare. Quomodo ergo ex verbis contextam ei offeram coronam,qui talem accepit coronam à Domino? Quomodo eum laudabo, qui antequam nasceretur,didicit occultum mysterium? Ei enim antequam esset natus,Deus apertè tradidit gratiæ mysterium,gratiæ thesauros apud eũ deposuit,& ea quæ ignorârunt in cœlo,choros ducentes Angeli,sicut nuper audiuistis, Ioannes dicebat,qui in matris gestabatur vtero. Thronos latuit,& eum qui erat in matrice, Deus non præteriit.Celauit Dominationes,& ei qui erat in vtero,reuelauit mysterium susceptæ carnis œconomiæ: Et quẽ veniens Archangelus è cœlo tulit,bonũ nuncium intrinsecus narrauit fœtus saliẽs. Nam cùm aduenisset,sicut modò audiuistis,redemptor nostri generis ad suũ amicum,qui in vtero gestabatur,statim venit ipse quoque,cùm esset in vtero. Licebat autem videre lutum salutari à figulo,excipi Regem in tabernaculo militis,& venisse Dominum in serui domunculam. Quem cùm ex matrice in matrice aspexisset Ioannes, præuidens, exiliens,naturæ terminos conatus est transilire. Video enim Dominum, apud se dicebat, qui imponit naturæ terminos. Non expecto tempus, quo solet fœtus gestari in vtero: tempus nouem mensium non est mihi necessarium. Quænam mater Deum verbum persuasit ad nos apertè venire? Quis,cùm functus esset legatione,excitauit ex sinu patris eũ,qui est sine matre? Quænam autem est hæc virgo , quæ Deo visa est præstantior vniuersis potestatibus? Quænam ea est, quæ eum qui capi non potest,continet in vtero? Quænam ea est, quæ fert in ventre eum ad quem non potest accedi? Quænam ea fuit,quæ intercessit,vt fœno humanitatis admoueretur ignis diuinitatis? Quis primi parentis renunciabit vxori id quod nunc peragitur,mysterium? Quis dicet,ab ea quæ fuerat olim condemnata,intus,in ventre scilicet, habitum fuisse indicem atque præcursorem: quæque audiuit,In doloribus paries filios tuos,eam venisse illum portantem,qui nobis annunciauit doloris solutionem? Papè quantus honor,& quæ verbis non potest exprimi mutatio? A paradyso separauit Deus primum creatum hominem,& ipsum cepit quæ ab eo descendit.Qui pelles in paradyso consuit, tegitur in vtero. In quam primum parentem ira percitus expulit, in eam misericordia commotus aduentauit. Quam execratus est terram,eam calcauit, diuino gressu latam infirmans sententiam, spinam peccati conterens impollutis vestigiis. Hæ erant exultationes Ioannis,vel verba potius. Verba enim erant, pueri nondum nati saltationes. Quis ab æuo apud Græcos talia sapienter docuit, qualia ante fascias narrauit hic præcursor? Talia sunt mysteria huius celebritatis , quæ si vellem prædicare , inueniar obrui profundo miraculorum, & per aërem ingredi, narrando cœlestia. Quocirca te rogo ô Baptista, concede mihi anchoram deprecationis , & vt qui sis vox , conserua mihi certos & stabiles sensus vocis instrumentorum. Veni enim certam habens fidem, non hæsitans, verborum tibi suffitum offerens. Qua quidem refretus, tua narrabo certamina . Quòd si etiam sim vincendus , gaudeo : est enim mihi victoria vinci à mei patroni miraculis.

Fuit

Fuit, inquit, in diebus Herodis & Regis. Ne fallatur aliquis in expositione, quòd eodē nomine vtantur Euangelia. Fuit enim alius Herodes, qui pręcursorem sustulit, & alius hic Herodes, qui herbam demessuit infantium, dū quærit spicam pietatis. In huius diebus fuit quidam sacerdos nomine Zacharias, & eius vxor Elisabeth. Erant autē ambo iusti, (Vitæ enim cum viro societatem habebat mulier, honestè se gerens) iugum legis ferentes, iustitia abundantes, liberos non habentes. Læsa enim matrice temporis longitudine, erat Elisabeth sine liberis, & sterilis. Ambo autem processerant in diebus suis. Natura, inquit, carebant filiis, & cum procreandorum filiorum tempus definitum consumpsissent, non spe, sed lege amissa, mores habuerunt pro secundo tēpore. Defecit generatio, sed preces non fuerunt imbecillæ. Factum est autē cùm sacerdotio fungeretur Zacharias (erat enim festum sanctū, & insigne) veste indutus, & lamina circumposita accepto incenso, ibat in sanctorum adyta. Præcurrente autem sonitu tintinabulorum, multitudo orabat ante fores, sacerdotem senem ad Deum mittens, tanquam nuncium. Qui cùm fuisset intra velum, visus est ei Angelus Domini, stans à dextris aræ incensi. Conturbatus est autem Zacharias, & non potuit vltrà progredi, propter Angeli aspectum retrocedens: diu autem mansit attonitus, hæc apud se dicens: Quid sit hoc quod videtur, dubito. Alius ad altare incensi fungitur munere sacerdotali: ego autem quo modo imponam igni incensum? Vnum solum lex iubet fungi munere sacerdotali. Est Angelus, non homo qui videtur. Neq; sic tamen in templum patet aditus: non enim didicimus vnà ministrare cum Angelis. Quid igitur de me fiet? quid agam? quémnam accipiam consiliarium? Sanctóne cedam sanctis? salutabo, & accedens dabo incensum? Nunquid me accipiet socium? Num venit sermocinaturus cum ministris sanctorum? Video terribilem & lætum. Venitne bonū adferens nuncium? Famémne, an bellū minitans? Quòd verò is quidē, qui videtur, sit satelles cœlestis, & non Deus, statio indicat. Esaias enim vidit Dominum sedentem. Ezechiel supra thronum aspexit incorporeū. Daniël similiter antiquum dierum sedētem. Hic autem stat, implens ministerium, captis partibus altaris magis honorabilibus. Hei mihi, num propter meū peccatum etiam à populo rationem exiget? Num magnitudo honoris erit mihi occasio maioris supplicij? Hæc ratiocinans cōturbabatur Zacharias. Non latuit autē Angelum Gabrielem sacerdotis conturbatio. Quocirca ei statim placidā vocem dedit, tanquā dexteram, clamans: Ne timeas Zacharia. Prius eius compressit timorem, & tunc bonum narrauit nuntiū, vt non perturbato animo acciperet Zacharias id quod ei significabatur, dicens: Ne timeas Zacharia, tibi gratus adfertur nuncius, exaudita est tua deprecatio: Vxor tua pariet filium, & vocabis eum Ioannem. Ad te enim veni de cœlo, non solùm portans filium: sed etiam veni, cùm ex libro superno didicissem nomen eius qui nascitur. In ciuium cœlestium numerū eum asscripsit Deus, non talē mortalis produxit vterus. Multi in natiuitate eius gaudebunt. Est enim tuus quidem filius, tuum germen: fructus autē communis. Tu pater: qui nascitur, est lucerna omnium. Hæc cùm audisset Zacharias, euasit simul lætus, & curiosus. Curiosa certè cogitatione cùm accepisset id quod ei significabat Gabriel, respondit non cum satis magna fide: Vnde hoc sciam? Non tulit Gabriel Zachariæ interrogationem, sed nihili pendit sacerdotem: qui offert quidem suffitum, fidem autem nō habet: & cùm iram vultu indicasset, hæc dixit: O Zacharia, eorū quæ dixi à me poscis rationem? A Dei ministro exigis rationem? Cùm bonus tibi adferatur nuncius, pignus petis? Non gratias agēs, sed examinās, diuina dona suscipis, & dicis: Vnde hoc sciam? Ego sum Gabriel: eorum quæ dicta sunt pignus, nomen meum accipe: & si hoc à te parui ducitur, cognosce autoritatem. Ego sum qui asto ante Dominum. Me si deinceps falsa narrare existimas, num tibi succedet accusatio? Ego enim sum qui asto ante Dominum, & dicis: Vnde hoc sciam? Vnde hoc scies? Tu es enim, inquit, senex, & vxor tua processit in diebus suis. Tempus ô sacerdos, maiorem apud te habet autoritatem, quàm architectus temporis? Non cessas ergo Deo non fidere, & tempori cedere, sed dicis: Vnde hoc sciam? Quomodo didicisti Isaac nasci ex Abrahamo? Quandoquidem credidit, ætas confirmauit: non quoniam credidit, senectus nō obediit. Si autem quod de sterili dicitur, videtur non posse fieri, quomodo tibi audebo credere mysterium virginis? Si ergo cùm multas habeas similitudines, pignora exigis: quomodo narrabo eam, quæ est superior, Verbi conceptionem? Qua de causa multis antè seculis Esaias id prædixit, dicens: Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium? Ille cùm credidisset, prædicauit id quod est maius: Tu autem cùm ei quod est minus, non crederis, à me exigis rationem, qui è cœlo ad te propter te sum missus? Sed quoniam tibi est cordi signum accipere (hoc enim petiisti, & vtinam non petiisses) mutus eris, & voce carebis: & hoc erit signum filij procreationis. Eris tacens, donec res verba confirmauerint. Ex generādi instrumentis ad vocis instrumēta transeant vincula sterilitatis. Voce impeditus vocem mihi concipe. Illi enim soli patris delictum condonabo. Est amicus Domini. Quæ vult, petit vt amicus. Cùm hæc intus fierent, & dicerentur, tēpus quod trahebatur, multitudinē populi affecit

admiratione: & quæ in multa distrahebatur suspitio, vnicuiq; dictabat id quod videbatur, donec postquam apparuisset Zacharias, silens ea docuit, quæ passus est dum latuit. Postquam autem implesset dies ministerij, abiit domum, in visceribus habens bonum nuncium, & in ore frænum. Et hoc quidem est, vt dixerit quispiam, Præcursoris principium conceptionis. Cuius partũ si velimus prædicare, proximi festi necesse est omnino meminisse. Sexto enim mense conceptionis, Nazareth venit Gabriel, ad virginem afferens patris bonum nuncium. Quam cùm domi vidisset, prior salutauit, dicens: Aue gratia plena, Dominus tecũ. Aue, quæ prima & sola paris infantem liberum ab execratione. Aue, quæ in mundo paris vitæ occasionem. Aue, quæ es incorrupta, sed non es expers prolis. Aue, quæ satu caruisti, sed non fructu. Aue, quæ partus dolores expectas, qui te minimè inuadent. Aue, quæ tuo primo parenti Adamo exhibes defensorem. Aue, quæ fers sine dolore naturæ creatæ fundamentum. Aue, quæ citra laborem intercedis inter mortalitatem, & diuinitatẽ. Aue, quæ paris Deum non nudum, & hominem non solum hominem. Aue gratia plena, Dominus tecum. Illa autem cùm audiisset lætitiam, non porrexit aures, sed vocem examinauit, dicens: Qualis est hæc salutatio? Qui per se, & non vocatus, nostram est ingressus domunculam? Quisnam, inquit, est hic non familiaris, non cognatus, non genus ducens ab Adamo? Ex voce cõijcio, hanc esse nouam & alienam salutationem. Non adest Ioseph, voci non assentior. Cum sola prima parente, vt aiunt, locutus est ille, qui fuit primus autor malorum. Ei autem dixit Angelus: Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam, quam perdidit quæ primùm fuit creata fœmina. Illa sola decepit deceptionem: tu autem sola attulisti solutionem deceptionis. Paries filium, & vocabis eum Iesum. Illa autem cùm partum audiisset, & filium: Quomodo, aiebat, erit mihi istud, quoniam virum non cognosco? non contradicens, sed vt per interrogationem disceret. Quomodo erit mihi istud? Ego, inquit, sola naturam innouo? Liberorum procreationis in me soluentur rationes? Dic mihi modum ô hospes: nouus enim & alienus est tuus bonus nũcius. Spiritus sanctus, ait Gabriel, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Suscipe, inquit, ô virgo, id quod est dictum. Ne sis solicita de eo quod est mandatum silentio. Partui fero testimonium, modum dimitto. Veni ad te nuncius, non doctor œconomiæ. Missus sum præco aduentus Dominici, nõ interpres. Quomodo, nouit ipse qui adest: adesse enim scio. In te enim prosilit signum internũ, non possum autẽ dicere modum. Quod autem non falsa dicam, testimonium mihi fert Elisabeth, quæ in sterilitate, & senectute concepit Præcursorem. In sterilitate autem & senectute dixi eam concepisse, quod quidem est non paruum pignus. Inter anum enim sterilem, & virginem nihil est intermedium, quod attinet ad pariendũ. Hæc cùm virgo audiisset, venit ad ædes Zachariæ, & cùm Elisabeth inuenisset concepisse, eam salutauit: Infans autem intus respõdit: infanti enim auditio extitit auditio matris. Et quoniam Ioannes, qui intra naturæ fines coercebatur, loqui non poterat, saliens dicebat, cum propria matre loquens per exultationes: matri autem seruatoris respondens per linguam maternã. Cùm autem Elisabeth nõ ferret saltus filij, spiritu sancto repleta exclamauit, dicẽs virgini: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Tu, inquit, es benedicta, quæ execrationis portas solutionem. Tu es benedicta, quæ portas donum sapientiæ. Tu es benedicta, quæ eum gestas in vtero, qui ambulauit in paradyso. Tu es benedicta, cuius sanctum templum fuit venter. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Ex quo cùm comederit Adam, vincet inimicum. Benedictus fructus, qui fuit mundi cibus, & amictus. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Hæc, ô virgo, infans me docuit, intus propter tuam salutationem saliens supra naturam. Hæc sunt verba Elisabethæ inspirata diuinitus. Zacharias autẽ, vt dixi, domi mansit: vt cui esset impositum frænum incredulitatis, accepta vocis amissione æquali conceptioni, vt qui suscepisset ortum filij, terminum condemnationis. Postquã verò ex deserta matrice processit ciuis deserti, pater petitis pugillaribus, ea gratè scripsit, quæ non credens audierat: & cùm filio reddidisset appellationem, vocẽ recepit. Talia, ô Præcursor Baptista, tua sunt, antequam nascereris mysteria. Talẽ tibi Deus largitus est dignitatem ante conceptionem. Gabriel ortum Domini, & tuam annunciauit conceptionẽ in templo, quomodo in thalamo te esse conceptum dixit. Pium ac religiosum populo donum in celebri festo, ortum tuũ attulit Archangelus. Fuisti spiritu afflatus, vt qui donũ Prophetiæ accepisti in vtero. Saliens in ventre ea dicebas, quæ Moysi, cùm consenuisset, Deus significauit. Qua de causa te maiorem Prophetis vocauit sponsus Ecclesiæ. Quis enim ex Prophetis ex vtero matris narrauit mysterium? Quis ex iustis in ipso ortu patri vocem attulit hospitalem? Tu autem simul eũ qui te genuerat, à vocis priuatione liberasti, & dignatus fuisti prophetia. Qui enim erat paulò antè mutus, spiritu sancto impletus nobis cecinit canticum: quod paululũ mutatum ego opportunè inchoabo. Ille enim dicit: Benedictus Dominus Deus Israël. Ego autem dico: Benedictus Deus Christianorum. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

VITA ET MORS DIVI IOANNIS BAPTISTAE, per D. Epiphanium Constantiæ Cypri Episcopum scripta.

Habetur in libr. eius de vitis Prophetarum.

IOannes Baptista Zacharia natus & Elisabeth, è tribu Leui emicuit. Is est, qui tanquam digito ostendit nobis Agnum Dei patris filium, qui tollit errata mundi. Hic mortalibus viam præstruxit, & fores patefecit Regni Dei. Nemo sanè inter natos mulierum maior Ioanne Baptista. Functus est autem vita, decollatus ab Herode Tyranno propter Herodiadem fratriam, puta Philippi fratris sui coniugem.

ITEM VITA DIVI IOANNIS BAPTISTAE, per D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eius de patribus veteris testamenti.

IOannes Baptista filius Zachariæ ex tribu Leui in Hierusalem ortus, Angelo nunciante conceptus, prænuncius Christi, præco iudicis, Propheta altissimi, vox verbi, amicus sponsi, testis Domini, lucerna luminis, terminus Prophetarum, Baptismatis initium. Qui prænunciatus parentis vocem abstulit, genitus officium linguæ resoluit. Qui necdum editus Christum prophetauit, salutauit ex vtero, in columba agnouit, in deserto monstrauit. Cuius 1 vestimentum, lanugo fuit camelorum: habitatio, eremus: victus, mellis & locustarum cibus. Hic dum Herodem prohiberet fraternum violare connubium, carceralibus tenebris mancipatur. Cuius caput filia Regis ludens à patre præmium postulauit. At ille defectum malè poscenti filiæ ebrius inter pocula dedit. Sepultus in Sebastia oppido Palestinæ, quæ olim Samaria vocabatur. Quam Herodes Rex Iudææ Antipatris filius, ob honorem Cæsaris Augusti, Latino sermone Augustam vocauit.

1 Vide quomodo vestitus asperitas & vilitas, nec nō victus tenuitas et parcitas antiquis sanctis cordi fuerit.

ALIA VITA S. IOANNIS BAPTISTAE PRAEcursoris Domini, per D. Ambrosium Episcopum scripta.

Est sermo eius lxiij in ordine sermonum.

IN Sancti ac beatissimi Ioannis Baptistæ laudibus, cuius natalem hodie celebramus, quid potissimum prædicem nescio, vtrum quòd mirabiliter natus sit an quòd mirabilius sit occisus. Natus enim est in prophetia, in veritate peremptus est: nascendo annunciauit Saluatoris aduentum, moriendo condemnauit Herodis incœstum. Vir enim sanctus, & iustus, & qui præter cōmunem hominum natiuitatem ex repromissione generatus fuerat, hoc 2 de Deo meruit, ne communi cum cæteris de seculo morte discederet: sed corpus quod Domino donante susceperat, Dominum confitendo deponeret. Ergo Ioannes per omnia voluntatem Domini fecit, quia propter opus Domini & natus est & defunctus. Nam vt natiuitatis eius seriem breuiter repetamus: Cùm essent pater eius Zacharias & mater eius Elisabeth ætatis senectute defessi, & nulla filiorum prole gauderent, procreandi etiam illis liberos tempus florentissimum præteriisset, ita vt de suscipienda iam sobole ipsa etiam eos vota deficerent, subita per Angelum repromissione donantur, & nasci Ioannem Gabriel sanctus annunciat, dicens: Ne timeas Zacharia, ecce exaudita est deprecatio tua, & vxor tua concipiet, & pariet filium. Exaudita est, inquit, oratio tua: vnde intelligimus, quòd Ioannem Zachariæ iustitia magis orando genuerit, quàm Elisabeth senectus procurādo susceperit. Hinc, inquam, intelligimus, quòd Ioannem obsecratio 3 creauerit, non voluptas. Cùm enim materni vteri viscera ætatis senectute frigescerent, & fessi corporis membra fœcunditatis gratiam perdidissent, contra impossibilitatem corporis, cōtra sterilitatem viscerum, Zachariæ precibus, Elisabeth vterus intumescit, & concipit Ioannem, non natura, sed gratia. Vnde necesse erat sanctum nasci filium, qui nō tam complexibus, quàm orationibus gigneretur. Minus autem mirari debemus, quod tantam Ioannes gratiam in nascendo meruit: debuit enim præcursor & præuius Christi aliquid simile habere natiuitati Domini Saluatoris. Siquidem Dominus de virgine gignitur, Ioānes de sterili procreatur. Ille de adolescentula, iste de iam fessa generatur. Habet ergo & huius natiuitas aliquid gloriæ atque miraculi. Quamuis enim vilior partus mulieris videatur esse quàm virginis, tamen sicut Mariam suspicimus quòd virgo peperit, ita in Elisabeth miramur quòd anicula procreauerit. Quod quidem factum mysteriū aliquod arbitror continere, vt Ioannes qui veteris testamēti figuram gerebat, senis mulierculæ frigido sanguine nasceretur. Dominus autē qui regni cœlestis Euangelium prædicaret, feruentis iuuenculæ flore progrederetur. Maria enim conscia virginitatis, miratur fœtū visceribus inuolutum: Elisabeth autem conscia senectutis, erubescit partum vtero prægrauato. Dicit enim Euangelista: Occultabat se mensibus quinque. Illud autem quàm mirandū quòd idē Gabriel Archangelus vtriusq; natiuitatis officiū repræsentat, Zachariā solatur incredulum, confidentem Mariam cohortatur. Ille cur dubitauerit, vocem perdidit: hæc quia statim credidit, verbum salutare concipit. Hoc etiam in laudibus Ioannis minimè tacendū videtur, quòd nondum natus etiam prophetat, & adhuc in materni vteri finibus constitutus aduen-

2 Vir sanctus & iustus hoc de Deo meruit.

3 Ioannem oratio creauit, non voluptas.

tum Christi, quia voce non poterat, gaudiis confitetur. Dicit enim Elisabeth ad sanctam Mariam: Simul vt facta est vox salutationis tuæ, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Exultat enim Ioannes, antequam nascatur, & priusquam mundi oculis habitum recognoscat, iam spiritu mundi Dominum recognoscit. In quo arbitror propheticam conuenire sententiam, quæ dicit: Priusquam te formarem in vtero, noui te: & priusquam exires de vulua, sanctificaui te. Vnde mirari non debemus, quòd ab Herode missus in carcerem, clausus Christum semper suis discipulis intimaret, cùm etiam clausus in vtero eundem Dominum gestibus prædicauit.

Est sermo eius lxiiij. in ordine sermonum.

SAncti Ioannis Baptistæ natalem hodie prosecuturus, tacere vellem, & laborē atq; imperitiam meam silentio coërcere. Sed enim ipsa vis nominis minimè me silere permittit. Nam nūcupatio vocabuli ipsius, pectoris nostri vrget secreta, silētij nostri resoluit arcana: & quod dissimulatione reticetur, admiratione compellitur. Si enim pater Zacharias cùm eum nominauit, vocē recepit: quantò magis nos cùm laudamus illum, eloquium promeremur? & si illius os, cùm in seculo nasceretur, aperuit, quantò magis cùm pro Christo patitur, ora nostra fœcundat? Cùm enim Zacharias pater eius propter incredulitatem natiuitatis illius ab Angelo Gabriele silentij esset taciturnitate mulctatus, & iam diu mutus verborū dispendio mentis secreta velaret: subitò nato Ioanne filio, cùm apud proximos esset contētio quo nomine vocaretur, offeruntur patri tabulæ, vt vocabulum eius pro sui arbitrio ipse describeret, & quod sermone non poterat, literis loqueretur: tunc mirum in modum acceptis pugillaribus vt stilum figeret, linguam resoluit, ac literas sermone præuenit, & Ioannē non testatus est, sed locutus. Videte igitur sancti Baptistæ meritum, vocem patri reddidit, sacerdoti eloquentiam reparauit. Videte, inquam, meritum, os quod Angelus alligauerat, Ioannes absoluit: quod Gabriel obstruxerat, paruulus reserauit: quanquam & ipse sit Angelus, sicut scriptum est de eo: Ecce mitto Angelum meū ante faciem tuam. Respicite igitur Ioannē, quanta vis sit eius vocabuli, cuius nuncupatio reddidit muto vocem, patri pietatem, populo sacerdotē. Prius enim erat tacens lingua, sterilis filio, priuatus officio: at vbi Ioannes nascitur, fit repētè pater Propheta vel pontifex, loquela vsum recipit, prolē affectio suscipit, sacerdotem functio recognoscit. Cùm ergo tāta vis sit eius vocabuli, dicturi de eo, & si tacere volumus, silere non possumus: Ipse enim Ioannes vox clamantis dicitur. Quis igitur qui vocē laudet, & taceat? clamorem admiretur, & mutus sit? Ait enim ipse de se: Ego sum vox clamantis in deserto. Videte quid dixerit. Non enim ait tantùm: Ego sum vox: sed & clamantis vox, scilicet vt ad fidem consequendam vox aures penetret, clamor corda cōcutiat: vox regnum prædicet, clamor iudicium comminetur. Magnus igitur Ioannes, cuius magnitudini etiam Saluator testimonium perhibet, dicens: Inter natos mulierum maior non est Ioanne Baptista: præcellit cunctis, eminet vniuersis, antecedit Prophetas, supergreditur Patriarchas, & quisquis de muliere, inferior est Ioanne. Sed debemus diligenter inquirere, cui ita Dominus dixerit, hoc est, inter natos mulierum, & non potius dixerit, inter filios virorū non est maior Ioanne, cùm vtiq; mulieres natos sine viris habere non possint? Hoc autem dixit, quia numerosior est proles mulierū, quàm virorum. Est enim mulieris filius, qui viri filius nō est. Deniq; sancta Maria genuit filium, qui patrem hominē non haberet. Dominus enim est mulieris filius, & viri filius non est, sicut dicit Apostolus: Natum de muliere, factum sub lege: vt qui matrem in terris habet, patrem haberet in cœlis. Ergo in laudem Ioannis fæcundioris sexus generatio ponitur, vt nullius ab eo natiuitas separetur. Dicit forte aliquis: Si inter natos mulierum maior est Ioannes, nunquid etiam maior est Saluatore? Absit. Ioannes enim natus mulieris, Christus autem virginis natus est. Ille corruptibilis vteri finibus effusus est, iste impollutæ vuluæ flore progenitus. Ideo autem cum Ioannis natiuitate Domini generatio deputatur, ne Dominus extra veritatem videretur esse conditionis humanæ.

Est ser. eius lxv. in ordine serm.

DIximus superiore Dominica cùm silentij nostri veniā peteremus, quòd pro salute communi sacerdotibus etiam tacentibus doctrina Euangelica non taceat, & quòd silentium eorum suppleret diuina sententia. Semper enim diuina scriptura loquitur & clamat, sicut scriptum est de Ioanne: Ego sum vox clamantis in deserto. Non enim tantùm in illo tempore clamauit Ioannes, quo Pharisæis annuncians Dominum Saluatorem dixit: Parate viam Domini, rectas facite semitas Domini Dei nostri: sed & hodie clamat in nobis, & vocis suæ tonitruo deserta nostrorum concutit peccatorum.

5 Si sancta martyrij morte dormiunt sancti, non ergo rectè vocantur emortui à quibusdam.

At licet sancta martyrij morte 5 dormierit, vox tamē eius viuit: dicit enim & nobis hodie: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Semper enim scriptura diuina clamat & loquitur. Vnde & ad Cain dicit Deus: Vox sanguinis fratris tui clamat ad me. Nulla vtique sanguini vox est, sed clamare dicitur sanguis, qui innocens effusus est, non tam verè, quàm causa, & interpellare Dominum non prosecutione eloquij, sed indignatione commissi: ac reatum suum non tam verborū accusare sermonibus, quàm conscientiæ ipsius criminatione

tione

tione constringere. Quamuis enim malum factũ si in verba producatur, excusationẽ fortasse recipit, nisi consciẽtia reuocetur, non potest excusari. Conscientia enim reatum suũ semper tacita sine contradictione conuincit & iudicat. Hodieq; ergo Ioannes clamat & dicit: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Parare ergo iubemur viã Domini, scilicet nõ aggerem itineris, sed fidei puritatem. Dominus enim nõ terrenam semitam carpit, sed per secreta mentis incedit. Si quid igitur in hac vita fuerit moribus asperum, crudelitate durũ, cõuersatione pollutum, iubemur 6 mundare, exæquare, cõponere, vt superueniens Dominus nõ offendat in nobis, sed magis reperiat viam castitate puram, procliuem fide, eleemosynis eminentem. Quòd autẽ tali itinere incedere soleat Dominus, Propheta describit, dicens: Iter facite ei qui ascendit super occasum, Dominus nomẽ est ei. Sed videamus ipse Ioãnes qui parare viam Domino iubet, quam 7 ipse viam parauerit Saluatori. Per omnia planè aduenięte Christo tramitem viæ suæ composuit & direxit. Nam fuit vtique ieiunus, humilis, parcus, & virgo. Omnes enim has virtutes eius Euangelista describens, ait: Ipse autẽ Ioannes vestitum habebat de pilis camelorum, & zona pellicea circa lumbos eius. Esca autem eius erãt locustæ, & mel syluestre. Quæ igitur maior causa humilitatis in Propheta, quàm cõtemptis mollibus vestimentis, pilorum asperitate vestiri? Quæ deuotior fides, quàm præcinctũ zona paratum esse semper ad omne seruitutis obsequium? Quæ præclarior abstinẽtia, quàm spretis vitæ huius delitijs, stridulis vesci locustis, ac melle syluestri? Quæ omnia hæc quoniam prophetæ vsui erant, arbitror in his ipsis prophetiam fuisse.

Matth. 3.

6 Vide si sufficiat sola fides ad nandam salutem, vt hæretici negãtur, an cũ ea & virtutũ opera, et vitiorũ extirpationes requirantur.

7 O hæretice, cogita nũ via quam tu paras Saluatori, similis sit ei quam parauit Ioannes. Lege quid hic dicat Ambro. Ioãnes fuit ieiunus, humilis, parcus & virgo: tu crapulosus, & ebrius, superbus, diuitijs affluens, & mulierculară amplexibus constrictus. Elige prudẽs Lector, quem magis imitari debeas.

Nam vtique cùm prænuncius Christi vestimentum habebat camelorum asperitate 8 cõtextum, quid aliud significat, nisi quòd ipse Christus adueniens, vsurus esset indumento humani corporis, quod erat peccatorum asperitate densatum, & quòd velut immundissimæ bestiæ, hoc est, gentilis populi circundatus exuuijs, deformitatem eius ipse gestaret? Zona verò pellicea quid aliud demonstrat, nisi hanc 9 fragilem carnem nostram, quæ ante aduentum Christi dominabatur ad vitia, post aduentum eius restrictam esse ad virtutem, vt quæ antè luxuriando dilatabatur in pinguedinem, nunc abstinendo attenuaretur in pellem? Exitum verò eius quàm beatum legimus? scilicet quòd psaltria Regis filia post illam inimicam voluptatem caput eius petierit. Quid mirum, si psaltria occidit prophetam, quia luxuria semper est inimica iustitiæ, & quòd iniquitas sine cessatione persequitur veritatem. In quo facto grande mysteriũ continetur. Nam vtique ipsa psaltria synagogæ est cõparanda, quæ Christum dum luxuriatur occidit. Quòd autem ipsa psaltria synagoga sit, dicit Dominus ad Iudæos: Cantauimus vobis, & non saltastis. Cur autem à Ioannis corpore caput ablatum sit, manifesta res est. Ioannes (sicut scripturis adstruitur) typum legis gerebat. De Domino autem legimus, quia viri caput Christus est. Ergo cùm à Ioannis corpore caput eius aufertur, Christus quodammodo à Iudæis legis cultoribus separatur. Remansit enim illis sine Saluatore lex exanimis & truncata. Nam ex eo vtique Iudæi diuina non sapiunt, ex quo sine capite esse cœperunt. Iter igitur facit Domino, qui inter cæteras continentiæ virtutes, matrimonij limitem non excedit, nec coniugij præscriptum terminum adulterina permixtione commaculat. Sunt enim nonnulli qui cum legibus vxores duxerint, contra diuinitatis legem sibi sociant concubinas, non intelligentes quid contrahendo matrimonia proprijs vinculis constrinxerũt. Qui enim legibus ducit vxorem, profitetur se cõtra legem non esse facturum. Reum ergo ipse se statuit, qui adhibendo sibi adulteram, ius pollicitationis excedit. Sed dicit aliquis, vxorem non habeo, ideo mihi ancillam sociaui. Audi quid dicat scriptura ad Abraham: Eijce ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Si igitur ancillæ filius hæres non est, ergo nec filius est. Cur autem quæritur tale coniugium, de quo susceptus filius nec successionis possit hæres esse, nec sanguinis? Nec enim habere potest hæreditatis consortiũ, qui non habet originis priuilegium. Cur, inquam, quæritur tale contubernium, de quo nati, non filij sunt matrimonij, sed testes sint adulterij? Cur huiusmodi suscipiuntur adulteri, qui patri pudori sint, non honori? Dicit scriptura: Adulterorum filij in consummatione erunt, & ab iniquo thoro semen exterminabitur. Mulier igitur tua si talibus moribus prædita est, vt mereatur consortium, mereatur & nomen vxoris. Præsta concubinæ tuæ libertatem, & nomen vxoris, ne tu adulter sis potius quàm maritus. Sed & ille iter facit Domino Christianus, qui professionis suæ exhibet ei fidele seruitium & castitatem quam promisit, custodit tam mente quàm corpore.

8 Vestitus Ioãnis asperitas.

9 Ecce quomodo post aduentũ Domini carnis concupiscentia à sanctis robusto continẽtiæ rigore frenatur.

1. Corinth. 11.

Genes. 22.

Sapient. 3.

Sunt enim plerique qui singularem vitam proponentes, singuli esse non possunt, sed quærunt sibi contubernia, atque vtinam fratrũ. Inuenisti Christianum monachum, qui cum fratre non conuenit, & libentius ei conuenit cum sorore, qui non sequitur seniorem vtilia commonentem, & sequitur adolescentulam 10 incongrua cachinnantem, eius & si syncerè corpus sit, anima non potest esse synceris. Sed & ille clericus iter Domino facit, qui secundùm Euangelium viuit, & per omnia obtemperat sacerdoti. Aliqui enim cùm sint minus subditi,

10 Hoc multũ placet nouis istis magistris, videlicet nõ recedere à latere sororũ præsertim iuuencularũ.

molestè ferunt, cùm à senioribus arguuntur. Dicunt: Grauiter irascitur Episcopus, patientior esse deberet. Audi ergo optime clerice, sacerdotis exigis patientiam, & tui non exigis disciplinam? Nescis quia mihi salutis causa arguere aliquando permissum est, tibi nunquam peccare concessum est? Dicit enim Apostolus: Increpa oportunè, importunè argue. Esto ergo in omnibus subditus sacerdoti, si vis eum esse mansuetum.

MORS EIVSDEM SANCTISSIMI PRÆCVRsoris Domini, per D. Ambrosium Episcopum scripta.

Habetur libro eius 3. de virginibus.

QVoniam Ioannis Baptistæ talis viri non strictim prætereunda est recordatio, interest, vt quis, & à quibus, & quam ob causam, quo modo, & quo tépore sit occisus aduertere debeamus. Ab adulteris iustus occiditur, & à reis in iudicem capitalis sceleris pœna conuertitur. Deinde saltatricis præmium, mors est prophetæ. Postremo quod omnes etiam Barbari horrere consueuerunt, inter epulas atque conuiuia consummandæ crudelitatis profertur edictum. Et à conuiuio ad carcerem, de carcere ad conuiuium feralis flagitij circumfertur obsequium. Quanta in vno facinore sunt crimina? Extruitur regifico luxu ferale conuiuium, & explorato quando maior solito turba conuenerit, reginæ filia intimis mandata secretis, in conspectum virorum saltatura producitur. Quid enim potuit filia de adultera matre discere, nisi damnum pudoris? An quicquam est tam pronũ ad libidines, quam inconditis motibus ea quæ vel natura abscondit, vel disciplina velauit, membrorum operta nudare, inde oculis rotare ceruicem, comam spargere? Merito inde in iniuriam diuinitatis proceditur. Quid enim ibi verecundiæ potest esse, vbi saltatur, strepitur, concrepatur? Tunc Rex, inquit, delectatus dixit puellæ, vt peteret de Rege quod vellet. Deinde iurauit, quòd vel dimidium regni si petisset, concederet. Vide quemadmodum seculares ipsi de secularibus suis iudicent potestatibus, vt pro saltatione etiam regna donentur. Puella autẽ admonita à matre sua, poposcit adferri sibi in disco caput Ioannis. Quòd dicit: Rex contristatus est: non pœnitentia Regis, sed confessio iniquitatis est, quam diuinæ habet consuetudo sententiæ, vt qui gesserunt impia, ipsi propria confessione se damnent. Sed propter discumbentes, inquit: Quid indignius, quam vt homicidium fieri iuberet, ne discumbentibus displiceret? Et propter ius, inquit, iurandum. O religionem nouam. Tolerabilius peierasset. Vnde non immeritò Dominus in Euangelio iubet non esse iurandum, ne sit causa periurij, ne sit necessitas delinquendi. Itaque ne iusiurandum violaretur, percutitur innocens. Quid prius horrescam nescio. Tolerabiliora periuria, quàm sacramenta sunt tyrannorum. Quis non cùm è conuiuio ad carcerẽ cursari videret, putaret Prophetam iussum esse dimitti? Quis, inquam, cùm audisset natalem esse Herodis, solenne conuiuium, puellæ optionem eligendi quod vellet datam, missum ad Ioannem ob solutionem non arbitraretur? Quid crudelitati cum delicijs? quid cum funeribus voluptati? Rapitur ad pœnam Propheta conuiuiali tempore, conuiuiali præcepto, quo non cuperet vel absolui: perimitur gladio, caput eius affertur in disco. Hoc crudelitati ferculum debebatur, quo insatiata epulis feritas vesceretur? Intuere Rex acerbissimè tuo spectacula digna conuiuio. Porrige dexteram, ne quid sæuitiæ tuæ desit, vt inter digitos tuos riui defluant sacri cruoris. Et quoniam non exaturari epulis fames, non restingui poculis potuit inauditæ seuitiæ sitis, bibe sanguinem scaturientibus adhuc venis execti capitis profluentem. Cerne oculos in ipsa morte sceleris tui testes, auersantes conspectum delitiarum. Clauduntur lumina, non tam mortis necessitate, quàm horrore luxuriæ. Os aureum illud exangue, cuius sententiam ferre non poteras, conticescit, & adhuc timetur. Lingua tamen quæ solet etiam post mortem officium seruare viuentis, palpitante licet motu damnabat incœstum. Portatur hoc caput ad Herodiadem: lætatur, exultat, quasi crimen euaserit, quia iudicem trucidauit. Quid dicitis vos sanctæ fœminæ? Videtis quid docere, quid etiam dedocere filias debeatis? Saltet, sed adulteræ filia: Quæ verò pudica est, quæ casta est, filias suas religionem doceat, non saltationem. Vos autem graues & prudentes viri, discite detestabilium hominum epulas euitare. Talia sunt conuiuia, qualia iudicia perfidorum.

ITEM VITA SANCTI IOANNIS BAPTISTAE, Per Diuum Eusebium Emissenum conscripta.

Est homil. 1. de beato Ioanne.

HOdie dilectissimi fratres, Ioannis, qui Domini præcurrit aduentum, natalem diem celebramus, quod nulli sanctorum meminimus attributum. Hodie, inquam, eius natalem ‖ diem vnica ac singulari celebritate veneramur. Vnde quia eum dignè extollere non valemus humanæ vocis officio, prædicemus eum Dominicæ attestationis oraculo, proloquente Christo: Quia inter natos mulierum non surrexit maior Ioanne Baptista. Ipse hoc dicit, & ideo agnosce magnificentiã laudis, ex dignitate laudantis. Ac sic dum

‖ *Veneramur natã ẽ diem Ioannis vnica & singulari celebritate.*

dum nemo illo esse maior asseritur inter natos mulierum, datur intelligi, quòd Ioannes humanorum fugit mensuram meritorum. Iuxta hæc in huiusmodi eius præconijs fortasse cogitas, & dicis: quid est hoc, quòd Dominus Ioannem Baptistam principi Apostolorum Petro, quòd Ioanni Apostolo, qui supra pectus Domini recumbebat, anteponendum esse iudicauit? Non ita est. Nam dicens: Inter natos mulierum non est maior Ioanne Baptista, non eum summis priorem, sed primis pronunciauit æqualem. Comparauit itaque eum perfectis tali laudatione, non prætulit. Sed aduerte, quia cùm dicitur: Inter natos mulierum, solus ab hoc virginis natus excipitur. Meritò ergo inter conseruos nulli secundus esse creditur, cui solus Dominus antefertur. Quæ cùm ita sint, cui nullum præposuit in præconio, vide si ei vllum sit prælaturus in præmio. Hic itaque in tantum luce sanctitatis effulsit, vt non tam Christi nuncius putaretur esse, quàm Christus: & ideo interrogantibus, vtrũ ipse esset Christus, humili confessione respõdit: Ego vox clamãtis in deserto. Hoc est dicere: Non sum ego verbum, quod erat in principio Deus apud Deum, sed vox potius, id est, minister sum Verbi, vt per me ad auditus hominum sensumque perueniat. Vnde beatus Baptista pari humilitate pronunciat: Illum oportet crescere, me autem minui. Vide vocis sonum pertranseuntem, & verbi gloriam permanentem. Illum oportet crescere, quia cùm homo putaretur, Deus erat: me autem minui, quia cùm Deus crederetur, homo erat. Illum oportet crescere, quia per omnem mundum Christi Euangelium dilatatur, me autem minui, quia Ioannis prophetia finitur. Prophetia finem accepit, quia is qui prophetabatur, aduenit. Ioannes ergo formam venturi Domini natiuitate & conuersatione signauit: Ioannes nascitur de patre sene, Christus ex matre, mundi senescentis ætate: ætate, inquam, illa, quæ erat fide & operibus infœcunda. Ioannes venit desperata generatione per sterilem, & Christus natura obstupescente per virginem. Ille salutem prædicauit, hic contulit: ille baptizauit in pœnitentiam, iste generauit in gratiam: ille pilis camelorum, id est, cilicio vestitus incessit, & Saluator quodammodo pilis camelorum se induit, quando in se deformitatis nostræ fœdæ atque distortæ peccata suscepit, inclusum graui onere exonerans mundũ, & in se transferens humanorũ pondera delictorũ. Consequẽter ait ex præsenti sermo diuinus: Et zona pellicea circa lũbos eius. Zona erat pellicea circa lũbos eius, quia in eo nihil carnale remanserat: quia in eo fluẽtes lacunæ sensus carnis mortificatio præcingebat, quia in lũbis eius luxuriæ blãdimenta rigidæ crucis cõtritio castigabat. Meritò in eo locum cõtagio mundana nõ habuit, de quo Angelus protestatur: Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Felix qui venturus in huius mundi labores, prius gratiam susciperet, quàm vitam: prius benedictionem meruit 12 haurire, quàm lucem. Quid mirum si in eo culpa aditum non inuenit, cuius animam sibi Deus in ipsis exordijs occupauit? Et spiritu, inquit, sancto replebitur. Magnum est de spiritu sancto illustrari, sed multò est maius impleri. Et ideo sicut vas plenum balsamo admixtionem liquoris alterius expuit, & penitus excludit: ita in eum nil secularis maculæ introire iam poterat, in quo sanctificationis plenitudo regnabat. Hic ergo secundùm præsentis seriem lectionis, locustas & mel syluestre edebat. Nihil penè in sermone Dei mysterijs vacat. Quòd sectabatur agmina locustarum, hoc erat, quòd congregabat populos nationum. Populus, inquam, tanquam locusta, sine intellectu infructuosus, sine lege vagus, sine duce dispersus, incomposita libertate lasciuus. Mel autem syluestre edebat, qui in desertum gentium fidei dulcedinem requirebat. Mel syluestre erat, peregrina & rudis illa congregationis ecclesiasticæ fides, quæ à cognitione vnius Dei fera atque syluatica, nec intra aluearium legis reperta, nec de examine patrum, vel benedictione Iudaicæ plebis assumpta, sed extra domesticum Dei populum in profundis ignorantiæ syluis manebat, & in campis diffusæ per omnem mundum paganitatis errabat. Vnde & Propheta commemorat: Inuenimus eam in campis syluæ. In syluestri itaque melle significat populum extra domum Dei, nulla fide ac diuinæ agnitionis gratia mansuetum factum atque conditum, nulla spiritalis intellectus amœnitate compositum.

12 Meruit haurire benedictionem.

Hic est ille qui flagitium regis Herodis, quòd vxorem viuentis fratris inuaserat, publica autoritate condemnans, propter iustitiam perdidit vitam, sed lucratus est gloriam. Et nos interdum pro gratia hominum vel timore offensionum, præferimus adulationem, & vendimus veritatem. Vnde euangelico beatus ipse Ioannes alloquio, corda nostra salutifero pulsat oraculo, dicens: Ego vox clamantis in deserto, parate viam Domini. Et nos rectas faciemus semitas Dei nostri, si teneamus nobis verbum veritatis, affectũ iustitię, patientię, misericordię, pacis, beneuolentię. Hæc est illa via, per quam Christus incedere delectatur. Hæc est illa via, per quam humanũ pectus ingreditur. Ideo autem dicit: Ego vox clamantis, id est, vt vox tangat aurem, clamor penetret mentem. Ego vox clamantis: vox præconijs iudicem loquitur, clamor iudicium comminatur. Et consequenter annunciat: Omnis vallis implebitur, & omnis mons & collis humiliabitur. Hoc est, quod alijs verbis Euangelista commemorat:

Qui

Qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Hoc totũ spiritualiter implere studeamus in cordibus nostris, vt quod superbia tumidum elatumque reddiderat, humilitate & mansuetudine cõplanetur. Et erunt, inquit, praua in directũ, id est, quod iniquitas deprauauerat, directione iustitiæ corrigatur: quod malitia exasperauerat, bonitatis gratia temperetur. Inter hæc studia inueniat in nobis Christus Dominus viam, per quam nos perducat ad patriam, vt & de nobis dicere dignetur: Et inambulabo, & inhabitabo in eis, & ero illorum Deus. Et si in isto seculo ambulauerit in nobis, in illo habitabit in nobis.

Est homilia. 2. vbi suprà.

BEatus Ioannes à sancto spiritu etiam in maiorum suorum titulis prædicatur, non tam de veteribus cõsecuturus laudem, quàm vt magis in exemplum cresceret, dum nouis virtutibus antiquorum superat dignitatem. Felix parentum meritis, fœlicior suis. De huius itaque parẽtibus eloquia diuina testantur, de Zacharia sacerdote grandæuo, & Elisabeth matre eius, quæ sterilis consenuerat: Erant autem iusti ambo ante Deum, incedentes in omnibus mandatis Domini sine querela, & non erat eis filius, eò quòd esset Elisabeth sterilis, & ambo processerant in diebus suis. Cùm autem Angelus Zachariæ apparuisset in templo, stans à dextris altaris incensi, turbatus est Zacharias videns, & timor irruit super eum. Ait autem ad illum Angelus: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & vxor tua Elisabeth concipiet, & reliqua. Et spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ.

Quis est iste, qui cùm nondum nasceretur, iam in vtero sanctificatur? Benedictionem prius quàm lucem percepit: gratiam consequitur antè, quàm vitam: & quod maximum est, Angelo nunciante promittitur. Non immeritò sic honoratur, qui cœlorum Dominum terris erat renunciaturus præconio, & monstraturus aspectu, vt eum expectantium populorum, & sensibus prædicaret, & oculis præsentaret. Ita ergo ad Zachariam patrem eius Angelus loquitur: Ne timeas Zacharia, quoniam exaudita est oratio tua, & vxor tua concipiet, & pariet filium. Nunquid credendum est, quòd in templo, tanti populi sacerdos hoc petierit, vt ei filius nasceretur? Nunquid credendum est, quòd senex iuuentutis vota præsumpserit? Nunquid credẽdum est, quòd pro hoc tantopere inuigilarit publici intercessoris oratio, vt intermissis suorum necessitatibus, donari sibi à Deo posceret desperatum nomen parentis, & alienæ munus ætatis? Non ita est, sed dum ille solicitus pro salute populi supplicat, promissus est ei talis filius, per quem populus saluaretur. Dumque ille non pro se, sed pro omnibus precem fudit, meruerunt pro futuræ fructum posteritatis pia desideria sacerdotis. Ergo Angelus dum pro incolumitate Israëlis expectatum reddit oraculum, non tam seni sobolem, quàm Pontifici promisit hæredem. Quia dum tanto prophetæ præparatur successor generis, plebi prospicitur spes salutis. Propterea de eo in Euangelio memoratur: Et multos filiorum Israël conuertet ad Dominum Deum ipsorum. Erit (inquit) magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet. Abstinentiæ merita, ac virtutum, & iterarduum militiæ spiritalis humano generi insinuare curauit. Sciuit [13] quòd non sufficeret eligẽtis gratia, nisi inuigilaret collaborantis industria: sanctificatus est, & nondum tamen de sola Dei electione securus, sed nihilominus agonibus ieiuniorum, & laboribus abstinentiæ atque iustitiæ, diuina in se vota seruare contendit. Quòd autem Euangelista commemorat: Et vxor tua Elisabeth concipiet: hinc non solùm suscipere miraculum, sed mysterium debemus agnoscere. Nam dum sterili nascitur filius, de Ecclesia quæ antè sterilis erat, gentium populus intelligitur procreandus. Et ideo propheta quodam loco ad Ecclesiam loquitur: Lætare sterilis quæ non paris, exulta & clama quæ non parturis: quia plures filij desertæ magis quàm eius quæ habet virum. Synagoga namque legis vinculis, quasi viri iugo subdita, per sensum malè fœcunda carnalem, in Domini passione filios suos perdidit, Ecclesia totum mundum fructu sacræ generationis impleuit. Sicut Ioannes aduentu suo gratiam Domini Saluatoris, ita Elisabeth mater eius partu suo fœlicitatem Ecclesiæ prædicat.

13. Vides ne hic hæretice, quod non sufficit Dei eligẽtis gratia, nisi etiã inuigilet collaborantis industria. Et quid agere habeat homo vt diuina in se vota conseruet.

Zacharias autem sacerdos in tantũ, vt diximus, non pro suscipiendo filio orauit in templo, vt hoc fieri posse Angelo promittente non crederet, & ideo pro condemnatione incredulitatis obmutuit: Ita namque de eo Euangelista confirmat: Erat Zacharias pater tacens, & permansit mutus. Quod vtique & fidem rei præsentis expressit, & mysterium figurauit. Sub tempore deficientis synagogæ, & nascentis Ecclesiæ, sacerdos conticuit, cessauerunt apud Iudæos ritus sacrificiorum, cessauerunt in lege officia sacerdotum, & impletus est sermo propheticus de Iudæis, dicens: & non est in hoc tempore princeps, & propheta, & dux, neque holocaustoma, neque sacrificium, neque oblatio, neque incensum: propheta conticuit, prophetia cessauit. Meritò tacuerunt prophetę, quia is de quo prophetauerunt, venit: & impletum est quod dixerat Dominus: Lex & prophetæ vsque ad Ioannem prophetauerunt. Quid ergo opus est iam prophetis, cùm ille præsens sit, qui propheticis promittebatur oraculis? Quis autem adhuc quasi in obscuro requirat lucernã, cùm disruptis iam tenebris successerit dies? Quis tenui luce stellæ micantis indigeat, cùm se iam per totum mundum

mundum solis splendor infuderit? Quid ergo dicturi sunt infœlices Iudæi? Alterutrum faciant, aut Christum venisse consentiant: aut si renuunt, dent prophetas, qui annuncient Christum esse venturum. Sed non opus est nuncijs, quando seipsa veritas nunciauit. Meritò itaque obmutescant Iudæi, quia verbum salutis, qui Christus est, perdiderunt. Loquatur Ioannes & dicat: Ego vox clamantis in deserto. Vox erat, quia verbi Dei spiritu replebatur. Quia sicut sermo vocis quodam modo ministerio ac vehiculo ad audientem à loquente transmittitur: ita ille Christum sonans, verbi erat minister & portitor, qui ad Herodem clamabat: Non licet tibi vxorem viuentis accipere fratris. Iam vox ista contra persecutores, & contra diabolum dirigebatur. Quid, inquit, insectaris Ecclesiam? Quid eam tibi vis addicere, & tuam facere, cui Christus sanguinis sui dote coniunctus est? Non licet tibi vxorem viuentis accipere: Beatus Ioannes maluit mortem suam vrgere, quàm tacere.

VITA ADHVC ALIA SANCTI IOANNIS BAptistæ, per B. Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Est serm 167. in opere Homiliarum eius.

OPortunè nobis Ioannes beatissimus ieiunij tempore pœnitentiæ doctor aduenit, doctor dicto, factoque magister verus: quod verbo asserit, demonstrat exemplo. Magisteriū stat de scientia, sed magisterij autoritas constat ex vita: docenda faciens, obedientem perficit auditorem. Docere factis sola est norma doctrinæ: doctrina in dictis scientia est, in factis virtus. Scientia ergo illa vera est, quæ fuerit mixta virtuti: illa, illa diuina est, non humana, Euāgelista probante, cùm dicit: Quæ cœpit facere, & docere. Præceptor cùm docēda facit, & auditu instruit, & informat exemplo. In diebus (inquit) illis, venit Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ, & dicens: Pœnitentiā agite, appropinquauit enim regnum cœlorum. Pœnitentiā agite: quare non magis gaudete? gaudete magis, quia succedunt humanis diuina, cœlestia terrenis, tēporalibus sempiterna, malis bona, secura anxijs, ærumnis beata, mãsura perituris. Pœnitentiam agite. Pœniteat planè, pœniteat qui diuinis prætulit humana, qui seruire voluit mundo, & dominationē mūdi cum mundi Domino non habere. Pœniteat, qui maluit perire cum diabolo, quàm regnare cum Christo. Pœniteat, qui virtutum libertatem fugiens, captiuus voluit esse vitiorum. Pœniteat, & satis pœniteat, qui ne vitā teneret, manus tradidit morti. Appropinquauit enim regnum cœlorum. Regnum cœlorum est præmium 14 iustorum, iudicium peccatorum, impijs pœna. Beatus ergo Ioānes, qui pœnitentia iudicium voluit præueniri, peccatores non iudicium voluit habere, sed præmium, impios voluit regnum intrare, non pœnam. Et tunc Ioannes vicinum cecinit regnum cœlorum, quando adhuc puer mundus ætatum conquirebat augmenta. Modò cœlorum regnum quàm proximum iam scimus, quando mundus senectute fessus extrema, vacuatur viribus, membra deponit, amittit sensus, doloribus vrgetur, curā respuit, vitæ moritur, viuit moribus, defectū clamat, testatur finem. Nos ergo duriores Iudæis, qui fugientem sequimur mundum, qui futurorum temporum obliuiscimur, præsentibus inhiamus, qui in ipso positi iam iudicio non timemus, qui venienti iam Domino non occurrimus, qui volumus manere mortem, resurrectionem nolumus mortuorum: qui seruire volumus, nolumus regnare, vt tantum regnum nostro Domino differamus. Vbi est illud: Cùm orabitis, dicite: Veniat regnum tuum. Maiori ergo pœnitentia opus est nobis, & pro modo vulneris, modus adhibendus est medicinę. Pœniteamus fratres, pœniteamus citò, quia nobis spatium temporis iam negatur, iam nobis ipsa hora cōcluditur, iudicij præsentia iam nobis satisfactionis locum excludit: Currat pœnitentia, sententia ne præcurrat: quia Dominus quòd non venit adhuc, quòd adhuc expectat, quòd moras facit, nos sibi redire desiderat, non perire, quos pietate tali semper est alloquutus: Nolo mortem peccatoris, sed vt reuertatur impius à via sua, & viuat. Pœnitentes ergo reuertamur fratres, & ne de arcto temporis pertimescamus, quia autor temporis nescit arctari. Probat hoc Euangelicus latro, qui in cruce & in hora mortis rapuit veniam, inuasit vitam, effregit paradysum, penetrauit ad regnū. Et nos fratres, qui de voluntate meritū nō quæsiuimus, acquiramus vel de necessitate virtutē: ne iudicemur, iudices nostri simus: pœnitentiā demus nobis, vt possimus nobis auferre sententiam. Prima est fœlicitas, perpetua innocentiæ securitate gaudere, inuiolatā seruare mentis & corporis sanctitatē, nulla immunda mundi inquinamenta sentire, reatus conscientiam nō habere, vulnera nescire peccati, gratiā semper possidere virtutum, semper sub spe viuere cœlestiū præmiorū. Sed 15 si quo fortè nostra mēs fuerit iaculo confixa peccati, si caro tumescat ex crimine, si vitiorū sanis fragilitas humana corrūpatur: tunc ægris illa, quæ nō sanis pœnitētiæ medicina succurrat, ferrū cōpunctionis accedat, apponatur adustio tūc doloris, adhibeātur suspiriorū tunc fomēta, tumentis consciētiæ feruor euaporet: tūc reatus vlcera lachrymis abluātur, immunditiā corporis cilicia 16 tunc detegāt. Ferat,

14 Si regnū cœlorum est præmium iustorum, ergo datur ex merito.

15 Vides quod ad salutē peccatoris requiritur etiam operis satisfactio, nec prodest sola passio Christi, aut credere culpā sibi remitti.

16 Ciliciū habitus pœnitentium.

Ferat, ferat amaram pœnitentiæ curam, qui seruare debitam noluit sanitatem. Cui vita sua chara est, dura nulla est cura: medicus non sit ingratus, qui per dolorem reuocat ad salutem. Qui innocentię creditum seruat, pœnitentiæ non soluit vsuram: Dominus hoc aperit, dicendo: Non est opus sanis medicus, sed malè habentibus. Et qui malè haberent patefecit, iterum dicens: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Reuocat per pœnitentiam Ioannes, Christus per gratiam vocat. Hinc est quòd Ioannes vestitu, victu, loco, totus pœnitentia formatus incedit. Venit (inquit) Ioannes Baptista prædicans in deserto Iudææ. Pœnitentiam agite. Per deserta Iudææ pœnitentiam clamat Ioannes, qui legis cultum, Prophetarum laborem, fœcunditatem patrum, frugem Dei sua sterilitate perdebat: vnde ad pœnitentiam meritò vocantur disciplinarum deserta, non hominum, non locorum: vocat clamor, vbi non assistit auditor. Ipse autem Ioannes habebat vestimentum de pilis camelorum. Potuit de caprarum, sed cilicio opus non erat: sed accepit tortuosissimi pilos animantis, nihil habentis recti, nihil gratiæ, nihil decôris: quem natura dedit labori duro, addixit magno ponderi, extremæ tradidit seruituti. Tali pœnitentiæ magister indui debuit vestimento, vt qui à recti detorserant disciplina, & deformes se totos formis reddiderant peccatorum, magnis pœnitentiæ sarcinis subderentur, addicerētur duris satisfactionis 17 angoribus, suspiria compunctionis laboriosa portarent, vt directi & attenuati in modum acus per angustum pœnitentiæ foramen ampla remissionis intrarent, & impleretur Dominicum dictum: Camelum per foramen acus posse transire. Esca autem eius erant locustæ, & mel syluestre. Locusta est castigandis peccatoribus attributa, meritò pœnitentiæ figuratur in pastum, vt de peccati loco exiliens, in pœnitentiæ locum ad cœlum possit pennis veniæ peruolare. Hoc Propheta senserat, qui dicebat: Sicut vmbra cùm declinat, sublatus sum, & excussus sum sicut locustæ: genua mea infirmata sunt præ ieiunio, & caro mea immutata est propter misericordiam. Audistis quemadmodum de peccato in pœnitētiam excussus est vt locusta, & curuauit genua, vt pœnitentiæ pondera baiularet: & adijcitur mellis cibus, vt amara pœnitentiæ dulcis misericordia temperaret.

17 Ecce quomodo ad veram pœnitentiam requiruntur duri angores satisfactionis.

ITEM VITA ET MORS DIVI IOANNIS Baptistæ Præcursoris Domini, per eundem Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Est serm. 147. in opere Homiliarum eius.

HErodianæ cœnæ cruentas epulas, conuiuium sic ferale, tunc terra, tunc cœlum, hodie mecum vester horruit & expauit auditus. Herodes, inquit, natalis sui cœnam fecit. Bene cœnam: quia non luci, sed tenebris addictus est hic natalis, in quo noctis filius natus est, non diei. Natalis sui, inquit, cœnam fecit principibus, tribunis, & primis Galilææ. Quid egit incauta & cæca semper impietas? Omnes euocat potestates, vt non tam multos conuiuij sui socios, quàm innumeros criminis sibi testes assumat: & tot habeat facinoris sui arbitros, quot habuit præsides disciplinæ. Cumque intrasset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, inquit, & placuisset Herodi: Respondit suo turpis generi, dum patri complacet, turpiori: de adulterio namq; non nisi turpis debuit procreari: quæ fractis gressibus, corpore dissoluto, disiuncta compage membrorum, fluentibus ex arte visceribus, tota patri fieret deformitate formosior. Et re vera suā credidit tūc Herodes, cùm talem vidit: nā putasset alienam, si pudicam vel aliquantulum peruidisset. Serpens tunc latebat in fœmina, quæ reptās gressibus flexuosis lætale toto corpore virus effudit, vt discumbentium mentes furor, venenum corpora sauciaret, homines verterentur in bestias: nec vino iam tales, sed sanguine potarentur: nec pane rabidi, sed carnibus vescerentur humanis. Tales vtique, tales reddidit, quibus adhuc fumante sanguine caput intulit tunc Ioannis: vt illud Psalmistæ canticum probaretur: Dederunt carnes sanctorum tuorum bestiis terræ: effuderunt sanguinem eorum tanquam aquam. Ecce quid pariunt totis noctibus protracta conuiuia: ecce quid generat quod cum mensura emitur, & sine mēsura bibitur vinum. Ecce quò præcipitatur caro, cùm ad luxuriæ facinus voluptatis inflammatur incendiis. Rogo, quid tantis cuneis arctatur? Sufficit infœlix caro sibi suis casibus ad ruinam, attestante Propheta, cùm dicit: Vt quid irruitis in hominem, interficitis vniuersi vos tanquam parieti inclinato, & maceriæ impulsæ? Iacebat in Herode caro oppressa crapulis, ebrietate captiua, quæ titillante luxuria, & non tam ludente, quàm illudente lasciuia, promitteret, quicquid turpitudo peteret se daturam. Pete à me quod vis, inquit, & dabo tibi: & iurauit illi. Iurat miser, dum quicquid honestatis est & virtutis, abiurat. Pete à me quod vis. Quid peteret luxuria, nisi castitatis interitum, pudicitiæ necem, mortē sibi semper contrariæ sanctitatis? Volo, vt des mihi in disco caput Ioannis. Si caput viri est, iuxta Apostolum, Christus, iam tunc nouello ore antiquissimus serpens Christi Domini tendebat ad mortem. Volo vt des mihi in disco caput Ioannis. Iam tunc auidus draco in serui capite, Domini degustabat sitiens passionem. Volo vt des

des mihi in disco. Cur in disco? Cur pretiosè gestas, quem viliter occidis: nisi quia preciosa in conspectu Domini mors sanctorum eius? Hoc ipsum quod vis, non agis quo modo ipsa vis, quia agit te superna ratio aliter quàm vis. In illo quidem tunc ferali antro, non aula Regis, rabies tunc fera pastum suum credidit, cùm caput martyris vidit: totum suum sensit, cùm liquorem sacri sanguinis sitiens aspexit, ferculum crudelitatis suæ toto ore, totis faucibus contendit, & conatur absorbere. Sed Ioannes venit in sublimi positus, vt lucerna super candelabrum, tenebras vt fugaret, dicente Domino: Ille erat lucerna ardens & lucens. Venit Ioannes, vt iudex in tribunali resplendens, vt qui arguit adulterum, exponeret & damnaret homicidam: & qui piè viuens incœstum vocârat ad pœnitentiam, reseruauerat ad veniam, homicidium etiam damnaret occisus. Quam, quæso, meretur veniam, qui in morte Ioannis ipsam pœnitentiam tam crudeliter interemit? Gratis cucurristis Herodes, Herodias, nomina non affectione sociata, sed crimine, quæ vocem intercipi posse stultissimè credidistis. Ego sum, inquit, vox clamantis in deserto. Vox occidi non potest, sed magis clamat angustiis corporis absoluta. Sic vox Abel in suo iam effusa sanguine magis sonat, magis penetrat, magis pertendit ad cœlum. Sic nunc Ioannes toto orbe clamat, totis seculis facinus vestrum cunctis refert & ostentat in Gentibus. Ecce Ioannes Christi capite gloriatur, qui capiti putabatur addictus. Ecce eo die quo tu finisti tuum, ille sibi natalem cœlitus conquisiuit: quia quando ortus tuus mersit in finem, tunc illius finis ortus est in natalem. Iustus enim tunc inchoat [18] viuere, cùm pro Christo meretur occidi: trãsfertur ista morte vita martyris, non aufertur: morte magis claruit, qui ob hoc mortuus est, vt viueret in æternum. Ecce tu iaces in morte, Ioannes viuit occisus. Tu fucatam murice purpuram perdidisti, Ioannes cruore suo fulgenti purpura semper gloriatur indutus. Tuæ conuiuæ [19] nunc participes efficiuntur in pœnis, Ioannes cœlesti mensa cum choris vescitur Angelorum. Ille audit iugiter cœlestem symphoniã, tu audis inferni semper gemitum & stridorẽ. Ille meretricis tuæ, saltatricis tuæ addictus in precium, nunc regno, nunc præmiis cœlestibus honoratur: tu mercedẽ sententiæ tuæ cum tua filia in tartaro percepisti. Vestimentum Ioseph cùm adulteram fugeret, dereliquit, Ioannes ne videret adulteram, ipsum proiecit & corpus. Ioseph ne adulterium faceret, libens carcerem suscepit: Ioannes vt argueret adulterium, eremum carcere commutauit. Ioseph somnia dum reuelat, euasit ex morte: Ioannes vt Dei filium reuelaret, suscepit & mortem: Ioseph dum panẽ præparat temporalem, ex auro torquem meruit & honorem: Ioannes vt ostenderet cœlestem credentibus panem, martyrij torquem meruit ex cruore. Meritò in natis mulierum cunctis maior est hic Ioannes, qui non solũ in adulteras arguit, sed & licita mulierum consortia virginitatis [20] amore calcauit. Et si Ioannes tantus, Ioannes talis, tanta eremo separatus à fœminis, fœminarum pericula non euasit: Quis [21] est, qui inter fœminas viuens euasurũ se sine labore maximo, maxima sine cautione cõfidit, nisi is qui sancto alitur spiritu? Qui cum genitore, natoque vnà cuncta disponit secula per æui omnia spatia.

18 *Quã ergo impiè sancti martyres ab hæreticis nostris vocantur emortui, cũ maximè nunc viuãt, & morte huiusmodi trãsferatur eorum vita, non auferatur.*

19 *Vide quomodo etiam ante vniuersale iudiciũ animæ sanctorum sunt in cœlo, & reproborum in inferno.*

20 *Ioãnes virgo.*

21 *Notẽt hæc hæretici nostri tẽporis, qui semper inter fœminas viuunt, præcipuéque eorum sacerdotes.*

ITEM ALIA VITA SANCTI IOANNIS BAptistæ, per Diuum Bernardum Abbatem scripta.

Est sermo habitus per eundẽ in Natiuitate Ioannis Baptistæ.

SIT procul ab his conuentibus, fratres, increpatio illa Prophetæ Iudaica, reprobantis conuenticula, & dicentis: Iniqui sunt cœtus vestri. Hi nimirũ cœtus non iniqui, sed planè sancti, sed religiosi, sed pleni gratia, digni benedictione. Conuenitis siquidẽ ad audiendum Deum, conuenitis ad laudandum, & orandum, & adorandum. Sacer est conuentus vterq; placens Deo, Angelis familiaris. State ergo in reuerentia fratres, state in solicitudine & deuotione mentis, maximeq; in loco orationis, & in hac schola Christi, & auditorio spiritali. Nolite considerare, dilectissimi, quæ videntur, & tẽporalia sunt, sed magis quæ non vidẽtur, æterna. Secundũ fidem, non secundùm faciem iudicate. Terribiliter siquidẽ metuendus est locus vterq;: nec maior esse credendus est numerus hominũ quàm Angelorũ. Patet vtrobiq; sine dubio porta cœli, scala illa erecta est, ascendunt & descendunt Angeli super filium hominis. Gigas namq; est iste filius hominis, cœlũ ei sedes est, terra scabellũ pedum eius. Et eleuata est magnificentia eius super cœlos, manet tamen nobiscũ vsq; ad seculi consummationẽ. Ascendunt itaq; & descendunt ad Deum Angeli sancti, quia caput & corpus vnus est Christus. Nec tamen vbi caput, sed vbicunq; fuerit corpus, ibi congregabuntur & aquilæ, licet non possit caput à corpore separari. Deniq; & ipse ait: Vbi duo vel tres cõgregati fuerint in nomine meo, in medio eorũ sum. Sed fortè quis dicat: Vbi est modò Christus? Ostende nobis Christũ, & sufficit nobis. Quid curiosos circumducitis oculos? Num ad vidẽdum, & non magis ad audiendũ conuenitis? Dominus Deus aperuit mihi aurem, ait Propheta. Aurem meam aperuit, vt audiam quid loquatur: non oculum, vt videam vultum eius, illuminauit. Aut certè suam mihi aperuit aurẽ, non faciem reuelauit. Post parietem stat: audit, & audi-

Esaiæ 1.

Matth. 24.

Matth. 18.

Esaiæ 50.

& auditur, sed necdum apparet. Audit orantes, erudit audientes. An experimentũ eius quæritis, qui in me loquitur Christus? Ego inquit, qui loquor iustitiã. Quid ni loquatur ore, quod ipse plasmauit? Quid ni suo vtatur, vt libet, artifex instrumento? Non tantùm aures eorum, sed & labia mea aperi Domine: ego enim labia mea non prohibebo Domine, tu scisti. Bene enim omnia facis, & surdos facis audire, & mutos loqui. Audite ergo fratres, quid de Ioanne loquatur: cuius solennis 22 hodie natiuitas celebratur. Ipse, inquit, erat lucerna ardens & lucens. Magnum testimonium, fratres mei. Magnus enim est cui perhibetur, sed maior est ipse qui perhibet. Ille, inquit, erat lucerna ardens & lucens. Est enim tantum lucere vanum, tantum ardere parum: ardere & lucere perfectum. Audi quid dicat scriptura: Sapiens permanet vt sol: stultus autem vt luna mutatur. Quia enim splendet luna sine feruore: modò plena, modò exigua, modò nulla videtur. Mutuatum siquidem lumen nunquam in eodem permanet statu: sed crescit, deficit, extenuatur, annihilatur: & penitus non comparet. Sic sic, qui conscientias suas in alienis labiis posuerunt, modò magni, modò parui sunt, modò nulli: secundùm quod adulantium linguis vel vituperare placuerit, vel laudare. At verò solis splendor igneus est: & cùm feruet acrius, etiam oculis lucidior exhibetur. Sic sapientis ardor internus foris lucet: etsi non ei datur vtrunque, curat semper ardere magis: vt pater suus qui videt in absconso, reddat ei. Væ nobis fratres, si lux erimus tantùm. Nam lucemus quidem, & magnificamur ab hominibus, sed mihi pro minimo est, vt ab humano iudicer die. Qui enim iudicat me, Dominus est: qui feruorem ab omnibus exigit, splendorem verò non ita. Ignem, inquit, veni mittere in terram, sed quid volo, nisi vt accendatur? Hoc nempe commune mandatum: hoc est quod exigitur ab vniuersis: nec vlla, si deesse contigerit, admittitur excusatio. Cæterùm singulariter Apostolis & Apostolicis viris dicitur: Luceat lux vestra coram hominibus, nimirum tanquam accensis, & vehementer accensis: & quibus non timeatur à flatu quolibet aut impulsione ventorum. Dictum est & Ioanni: sed illi in aure audiunt: Ioannes in spiritu tanquam Angelus eruditur: Nimirum tantò propinquior Deo, quantò vox verbo vicina: cui nulla voce alia media quod foris sonet, oporteat intimari. Neque enim Ioannem prædicatio, sed inspiratio docuit, quem repleuit spiritus in vtero matris suæ, verè ardens, & vehementer accensus: quem sic præoccupauit flamma cœlestis, vt iam Christi sentiret aduentum, qui necdum sentire poterat vel seipsum. Nimirum nouus ille ignis qui recens illapsus è cœlo, per os Gabrielis in aurem intrauerat virginis: & per matris aurem introiuit ad paruulum: vt ab ea hora vas electionis suæ spiritus sanctus impleret, & lucernam Christo Domino pararet. Fuit ergo iam tunc ardens lucerna, sed interim adhuc sub modio, donec super candelabrum poneretur, & luceret omnibus qui erant in domo Domini. Illo enim in tempore solum adhuc potuit illuminare modium suum. Soli interim lucere matri, magnum ei pietatis sacramentum reuelans ipso motu nouæ exultationis. Vnde mihi hoc, inquit, vt veniat mater Domini mei ad me? Quis enim tibi indicauit matrem Domini mulier sancta? Vnde me nosti? Vt facta est, inquit, vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. Illuminauit ergo iam tunc modium suum sub quo latebat: sed quem non latebat: ardens lucerna sub modio, totum paulò pòst mundum nouis illustratura fulgoribus. Ille erat, inquit, lucerna ardens & lucens. Non ait, lucens & ardens, quia Ioannis ex feruore splendor, non feruor prodiit ex splendore. Sunt enim qui non eò lucent, quia feruent: sed magis feruent vt luceant. At isti planè non feruent charitatis spiritu, sed studio vanitatis. Vultis nosse quemadmodum arsit Ioannes & luxit? Ego vtrunque in eo triplicem posse arbitror inueniri, & ardorem scilicet & splendorem. Ardens enim erat in seipso vehementi austeritate conuersationis, erga Christum intimo quodam & pleno feruore deuotionis: erga peccantes proximos constantiæ liberæ increpationis. Luxit nihilominus (vt paucis dixerim) exemplo, digito, verbo, & seipsum ostendens ad imitationem, & luminare maius quod latebat ad peccatorum remissionem: & ipsas quoque tenebras nostras illuminans, sicut scriptum est: Quoniam tu illuminas lucernam meam Domine Deus meus: illumina tenebras meas, vtique ad correptionem. Considera igitur hominem Angelico promissum oraculo, conceptum miraculo, sanctificatum in vtero, & nouum in nouo homine pœnitentiæ mirare feruorem. Victum & vestitum, ait Apostolus, habentes, his contenti simus. Apostolica perfectio ista est: sed 23 Ioannes etiam hæc contempsit. Denique audi Dominum in Euangelio: Venit, inquit, Ioannes, non manducans, neque bibens, planè nec vestiens: Sicut enim non est locusta cibus nisi aliquorum, fortè irrationabilium animalium: Sic nec pilus cameli humanum est indumentum. Quid tu pilos tuos camele deposuisti? Vtinam gibbum magis deposuisses. Quid vos irrationabiles feræ & reptilia deserti cibos exquiritis delicatos? Ioannes sanctus homo, missus à Deo, imò Angelus Dei, sicut ait pater: Ecce mitto Angelum meum ante te: hic ergo Ioannes, quo nullus maior in natis mulierum,

2. Corinth. 12.
22 *Solennis hodie Ioannis natiuitas celebratur.*
Ioann 5.
Ecclesiast. 27.
Lucæ 12.
Matth. 5.
Lucæ 1.
Ioan. 3.
Psalm. 17.
1 Timoth. 6.
23 *Vide asperitatem vestitus, & parcitatem victus Ioannis.*
Matth. 11.

mulierum, innocentissimũ 24 illud corpus sic castigat, sic extenuat, sic affligit: vos indui festinatis bysso & purpura, & splendidè epulari. Heu hic est præsentis totus honor diei: hæc Baptistæ reuerentia, tota hæc natiuitatis eius prophetata quondam lætitia est. Cuius enim memoriam agitis ô nimis delicati cultores: cuius celebratis natalem? Nónne illius, qui in eremo fuit hirsutus 25 veste, confectus inedia? Quid existis in desertum videre filij Babylonis, arundinem vento agitatam? Quid igitur? Hominem mollibus vestitum? Nutritum mollibus? In his nẽpe tota versatur hæc vestra celebritas, in popularis fauoris aura sectãda, in gloria vestium, & voluptate ciborum. Sed quid hæc ad Ioannem? Neque enim Ioannes fecit sic, aut talibus vnquàm potuit delectari. Multi, inquit Angelus, in natiuitate eius gaudebunt. Verum id quidem, multi in natiuitate eius gaudent: & paganis ipsis, vt audimus, læta est & solennis. Illi celebrant quod ignorant: sed non ita debuerant Christiani. Nunc verò & ipsi in hac beati Ioannis Baptistæ natiuitate gaudent: sed vtinam de natiuitate, non de vanitate. Quid enim est, nisi vanitas vanitatum, quicquid sub sole est: aut quid amplius habet homo de vniuerso labore suo quo laborat? Fratres, sub sole est, quicquid oculis cernitur, quicquid huic corporeæ luci subiacere videtur. Quid verò illud, nisi vapor ad modicum parens? Quid illud, nisi fœnum, & flos fœni? Omnis caro fœnum, ait Dominus: & omnis gloria eius quasi flos fœni. Fœnum aruit, & flos decidit: verbum autem Domini manet in æternum. In hoc verbo laboremus fratres, in quo & viuere, & gaudere possimus in æternum. Operemur non cibum qui perit, sed qui permanet in vitam æternam. Quis ille? Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Seminemus in hoc verbo charissimi, seminemus in spiritu, quoniam qui in carne seminant, solam habent metere corruptionem. 26 Gaudeamus intus, & non sub sole: sed iuxta Apostolum, tanquàm tristes propter humilitatem & grauitatem: semper autem gaudẽtes propter internam consolationem. Gaudeamus dilectissimi in natali beati Ioannis, & gaudeamus de ipsa natiuitate. Copiosa quidem nobis in eius recordatione causa: multiplex est materia gaudiorum. Ille erat lucerna ardens & lucens: & Iudæi voluerunt exultare in luce eius: ipse verò potius gaudebat in feruore deuotionis, gaudebat ad vocem sponsi, tanquam amicus sponsi. Nobis in vtroque gaudendum est: in altero quidem ei, nobis in altero congaudendum. Ardebat enim sibi: nobis autem lucebat. Gaudeamus in feruore eius ad imitationem, gaudeamus in lumine, non tamen ibi manentes: sed vt in lumine eius videamus lumen. Lumen vtique verum quidem non est ipse, sed cui testimonium perhibet ipse. Venit Ioannes, ait Dominus, nec manducans, nec bibens. Incentiuum feruoris id mihi est, & materia humilitatis. Quis enim in nobis est fratres, qui Ioannis pœnitentiam intuens, suam non dico magnificare, sed alicuius saltem momenti reputare præsumat? Quis audeat murmurare in laboribus suis, & dicere: satis est quod patior, nedum nimis? Quæ enim homicidia, quæ sacrilegia, aut flagitia sic puniebat Ioannes in seipso? Accendamur ad pœnitentiam fratres: interrogemus conscientias nostras, & animemur ad vltionem exigendam de nobis, vt horrendum possimus euadere iudicium Dei viuentis: Quicquid verò minus est feruoris, humilitas suppleat puræ confessionis. Fidelis est Deus, si confiteamur iniquitates nostras, si miserias nostras exponamus, si non excusemus infirmitates nostras, dimittet nobis peccata nostra. Ex hoc sanè, & erga proximorum delicta feruorem intuere Ioannis. Hic nempe dignus est, & rationi consentaneus ordo, vt incipiendum memineris à te ipso. Ab occultis, inquit, meis munda me, ab alienis parce seruo tuo. Genimina viperarum, inquit Ioannes, quis ostendit vobis fugere à ventura ira? De quanto mentis feruore procedere putas scintillas istas, imò carbones desolatorios? Sic neque Pharisæis parcens, Nolite, inquit, dicere, quia patrem habemus Abraham: potens est enim Deus de lapidibus istis suscitare filios Abrahæ. Sed minus hoc videatur, si vel ipsum veretur potentis vultum, & non tota libertate spiritus arguit peccantem Regem crudelem atque superbum: sacra quadam vehementia ad hoc ipsum prodiens de deserto, si vel blanditiis eius, vel ipso mortis terrore mouetur. Metuebat, inquit, Herodes Ioannem, & audito eo multa faciebat, & libenter eum audiebat. At ille nihil ob hoc parcens, Non licet, ait, tibi habere eam. Ligatus quoque, & in carcere trusus, nihilominus stetit in veritate: & occubuit pro veritate fœliciter. Ferueat etiam in nobis zelus iste charissimi: ferueat amor iustitiæ, odium iniquitatis. Nemo fratris vitia palpet: peccata dissimulet. Nemo dicat, Nunquid custos fratris mei sum ego? Nemo quod in se est, æquanimiter ferat, cùm viderit ordinem deperire, minui disciplinam. Est enim consentire, silere cùm arguere possis: & scimus quia similis pœna facientes maneat & consentientes. Iam verò super humili & omnino feruentissima deuotione Ioannis erga Dominum, quid loquemur? Inde enim exultauit in vtero, inde expauit in Iordane baptisaturus eum, inde non modò Christum qui putabatur, sed vel ipsam corrigiam calceamenti eius soluere dignum

24 Ecce quemodo prisci Sancti carnis cõcupiscentiã robusto & integro cõtinentiæ rigore calcabant.
25 Ecce iterũ vestis vilitas, et victus tenuitas cõtra nostras delitias.
Lucæ 1.
Esaiæ 40.
Lucæ 4.
26 Gaudendũ est in solennitatibus sanctorũ, sed intus in spiritu, nõ foris carnaliter.
Matth. 11.
Psalm. 18.
Lucæ 3.

ſe-eſſe negabat: inde gaudebat amicus ſponſi, inde gratiam ſe accepiſſe pro gratia fatebatur:
illum autem non ad menſuram habere ſpiritum, ſed plenitudinē de qua omnes acciperent,
Pſalm. 61. clamitabat. Nónne Deo ſubiecta eris anima mea? Alioquin non ero lucerna ardens: niſi toto
corde, tota mente, & ex omnibus viribus meis diligam Dominum Deum meum. Sola enim
eſt charitas quæ accendit ad ſalutem: ſola quam infundit & inflammat ſpiritus, quem extin-
guere prohibemur. Habes quemadmodum Ioannes arſerit, & in hoc ipſo quemadmodum
Lucæ 8. luxerit, indicatum eſt, ſi aduertiſti. Neque enim ardorem eius noſſe poteras, niſi luxiſſet.
Luxit ergo, vt ſupra memini, exemplo, digito, verbo, opere ſeipſum: Chriſtum indice, noſ-
metipſos nobis ſermone declarans. Tu puer Propheta altiſſimi vocaberis, ait pater, præibis
enim ante faciem Domini parare vias eius: ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius. Ad dan-
dam, inquit, non ſalutem, neque enim ille lux: ſed ſcientiam ſalutis, vt teſtimonium perhi-
beret de lumine. Scientiam, inquit, ſalutis, in remiſſionem peccatorum. Num ſalutis ſcien-
tiam ſapiens paruipendere poteſt? Ponamus tamen necdum veniſſe Ioannem: necdum ſi-
gnificaſſe de Chriſto. Vbi ſalutem quærimus? peccaui peccatum grande, quod ſanguine vitu-
lorum vel hircorum deleri non poteſt: quia non holocauſtis delectatur altiſſimus. Memo-
ria mea infecta eſt fece huius amurcæ: non eſt nouacula quæ membranam hanc radere poſſit,
quia tota totam imbibit fecem: Si peccati mei oblitus fuero, ſtultus ſum & ingratus. Si in
memoria mea permanet, arguet me in æternum. Quid igitur faciam? Ibo ad Ioannem, &
audiam vocem lætitiæ: miſericordiæ vocem: ſermonem gratiæ: verbum remiſſionis & pa-
Ioann. 1. cis. Ecce, inquit, agnus Dei: ecce qui tollit peccata mundi. Et alibi: Qui habet ſponſam,
Ioan. 3. inquit, ſponſus eſt. Oſtendit igitur quia venit Deus: quia ſponſus: quia agnus. Quia Deus,
certum eſt quòd peccata remittere poſſit: ſed vtrum velit, adhuc in quæſtione eſt. Vult
profectò, quia ſponſus eſt, quia amabilis eſt. Et Ioannes amicus ſponſi eſt, quia ſponſus niſi
amicos habere non nouit. Et licet velit glorioſam ſponſam, non habentem maculam aut
rugam, aut aliquid eiuſmodi: non tamen quærit talem. Vbi enim illam inueniret? Sed ta-
Hierem. 3 lem potius ipſe facit: talem ſibi exhibet ipſe. Audi denique quid dicat per Prophetam. Vul-
gò dicitur: Nunquid mulier ſi dormierit cum altero viro, reuertetur ad virum ſuum prio-
rem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis: reuertere tamen ad me, & ego ſuſci-
piam te. Ecce quod poſſit: ecce quod velit. Sed tu fortaſſis timeas eam quam facere venit
delictorum purgationem: ne vſtione & ſciſſione oſſa & medullas oſſium collidat, ne dolo-
Matth. 8. rem inferat morte grauiorem. Audi, agnus eſt: in manſuetudinem venit, cum lana & lacte:
ſolo verbo iuſtificans impium. Quid enim iuxta Comicum facilius dictu? Tantum, inquit,
dic verbo & ſanabitur puer meus. Vt quid ergo deinceps hæſitemus fratres: & non omni
fiducia ad thronum gloriæ aſcendamus? Agamus Ioanni gratias: & eo mediante tranſea-
mus ad Chriſtum: quia, vt ait ipſe, illum oportet creſcere, me autem minui. Quomodo mi-
nui? Splendore vtique, non feruore. Retraxit radios, recolligit ſe: vt fieret ſicut is qui to-
tum profert ſpiritum ſuum. Illum, inquit, oportet creſcere, qui exhauriri non poteſt, de cuius
plenitudine omnes accipiant: me autem minui, cui datus eſt ſpiritus ad menſuram: & dan-
da magis opera, vt ardere ſemper valeam, quàm lucere. Præceſſi ſolem tanquam ſydus ma-
tutinum: abſcondi neceſſe eſt, orto iam ſole. Non eſt mihi niſi modicum olei quo vngar,
volo illud in vaſe tutius quàm lampade poſſidere.

VITA BEATI IOANNIS BAPTISTAE, PRAE-cursoris Domini, per diuum Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

Habetur in libr. eius in gloriam plurimorū martyrū edito. c. 12.

IOannes Baptiſta actu Herodis per Herodiadem vxorem fratris in carcerem colligatur. Tunc temporis à Galliis matrona quædā Hieroſolymam abierat pro deuotione tantum, vt Domini & Saluatoris noſtri præſentiam mereretur. Audiuit autem quòd beatus Ioannes decollaretur. Curſu illuc rapido tendit, datiſque muneribus ſupplicat percurſori, vt eam ſanguinem defluentem colligere permitteret, nec arceret. Illo autem percutiente matrona concham argenteam præparat, truncatique martyris capitis cruorem deuota ſuſcepit. Quem diligenter in ampulla poſitum patriam detulit, & apud Vaſatenſem vrbem ædificata 27 in eius honore Eccleſia, in ſancto altari collocauit.

27 Vides quod etiam in primitiua Eccleſia templa in honorē ſanctorum ædificabantur.

COMMENTARIVS DE SANCTO PROpheta, & Præcurſore, & Martyre Ioanne Baptiſta.

Per Simeonem Metaphraſten.

IOannem Baptiſtam, magnum illud decus orbis terrarum laudare, deſiderare quidem licet omnibus: vt pro dignitate autem laudet, nemo poteſt conſequi. Quis enim illi laudem

laudem contexet pro dignitate, quem omnibus hominibus esse superiorem dixit omnium opifex? Quoniam autem hic est illius amicus, & perfectus imitator, ei quoque omnino gratum fuerit id quod fit pro viribus. Sunt ergo à nobis res illius narrandæ, diuini Lucæ vestigia sequentibus. Vndénam ortus sit, & quomodo, & quænam fuerit eius educatio, & quónam fine vitæ vsus sit hic vir magnus & admirabilis. Dicenda sunt autem, non vt narrentur iis qui nesciunt. Quomodo enim, cùm omnes res illius celebrentur ab omnibus? Sed vt omnino percipiamus voluptatem in eis commemorandis. Sic verò habēt. Temporibus Herodis, qui fuit Rex Iudææ, sacerdotem dicit fuisse diuinus hic Lucas, Zachariam quidē nomine, ex vice autem Abiæ, quæ in sorte sacerdotum octaua erat: Ei autem fuisse etiam vxorem, quæ orta quidem erat ex filiabus Aaron, vt vtrinque esset Zacharias sacerdos legitimus. Vocabatur autem Elisabeth. Eis verò suo testimonio tribuit iustitiam ante oculos Dei. Ipsa enim est ea quæ est verè iustitia, quandoquidem ei soli aperta sunt corda hominum. Et quòd in omnibus eius mandatis, & iustificationibus ambularent citra reprehensionem. Quanquam autem essent tanta virtute prædíti, eos tamen dicit caruisse liberis, quod erat probro veteribus non leue & contemnendum, sed aliorum omnium grauissimũ. Quod quidem vobis magno debet esse solatio, quicunque bonæ quidem vitæ vobis estis conscij: sæpe verò vobis minus æquæ & prosperæ succedunt res humanæ. Huic autem Zachariæ, dum sacerdotali munere fungeretur, visum esse dicit Angelum Domini stantem à dextris altaris. Cuiúsnam autem altaris? Incensi: Erat enim alterum oblationum. Et Zachariam quidem illuc solum subiisse in ipsa hora incensi: totam autem populi multitudinem fuisse extrà vacantem orationi. Conturbato verò & perterrefacto Zacharia propter spectaculum, Angelum ei soluentem metum dixisse: Noli timere, auditæ sunt enim præces tuæ. Te autem fuisse exauditum probatur, quòd & sit tibi promissus filius, & significetur quemadmodum sit vocandus, & quòd propter eius ortum prædicatur gaudium. Sed quid, dixerit quispiam, est consequens, vt ille qui pro populi peccatis intercedit, accipiat promissionem, fore vt ei nascatur filius? Est certè valde consentaneum & conueniens. Nam qui ab illo erat suscipiendus, is erat futurus præco agni, qui tollit peccatum mundi: quemadmodum ille ipse clamat. Futurum autem eum magnum prædicit, non quidem absolutè, sed coram Domino: Sicut etiam ipsos parentes prius dixit iustos esse coram Deo. In quónam autem ipsum fore magnum dicit diuinus Lucas? Num omnino in abundantia spiritus? Neque enim diuinæ gratiæ eum solum dicit futurum participem: sed replebitur, inquit, spiritu sancto, & non post aliquod tempus, neque cùm ad aliquam peruenerit ætatem, sed adhuc in vtero matris suæ. Quod autem erit eius munus, & quidnam aget? Conuersionem multorum filiorum Israël ad Dominum Deum eorum. Adde etiam reliquam laudationem ô Angele: Et præcedet coram eo in spiritu & virtute Heliæ. Nam sicut ille erit præcursor secundi aduentus Christi, ita hic fuit primi, pari virtute, & pari potestate, & eodē spiritu. Et conuertet corda patrum ad filios. Quid significans, nisi quòd efficeret, vt Iudæi parērent doctrinæ Apostolorum? Hi enim erant illorum filij, cognatione sanguinis: quorum etiam prudentiæ visi sunt obedire, qui tunc erant inobedientes. Eò enim tendit illud: Et parare Domino populum copiosum: nempe quòd vt populus Iudaicus parēret Christo etiam antequam Christus appareret, ab Ioanne scilicet fuerit paratus, & eius linguæ præda factus fuerit. Quoniam autem tu (hæc enim dicit Angelus Zachariæ) visus es non credere meis verbis, & eius qui me misit, & cui assisto, virtutem non attendens, attendisti potius imbecillitatem corporis, & ad hoc solum aspexisti: imponetur tibi pœna, vocis mutatio: & donec euenerint ea quæ quæ dicta sunt, eris obnoxius silentio. Statim autem pœna affluit: & simul cũ Angeli voce extincta quoque est vox Zachariæ. Apertū verò eius indicium nutus: Erat enim, inquit, eis annuens, populo scilicet, propterea quòd ei sermo deesset. Tuum ergo erat hoc, ô maximi Præcursor, & arcanæ tuæ ab initio potentiæ, vt & patri solueres linguæ vincula ex solo nomine, & matri naturalis pedicas sterilitatis: sicut etiam multis postea pœnitentiæ prædicatione soluisti vincula peccatorum. Verumenimuerò Zacharias quidem, ab eo iam peractis diebus ministerij, domum reuertitur. Elisabethæ autem postea ex inopinato elucet conceptio. Et abscondit se, inquit, menses quinque, quòd in senectute, tanquam præter tempus concepisset, erubescens. Sexto autem mense, oportet enim ea connectere quæ sunt consequentia iis quæ sunt proposita: quæ ad eam genere attinebat, Maria, dico Deiparam, quæ degebat in domo sponsi Ioseph, qui erat in ciuitate Nazareth, cùm ei illic allatus esset bonus nuncius carnis à verbo susceptionis, & propter rem nouam de naturæ dubitaret legibus, apertè audit ab Angelo, & alioqui confirmante id quod dixerat, & ad fidem trahente tali exemplo. Ecce enim quòd cognata tua Elisabeth ipsa quoque concepit filium in senectute sua, & hic est sextus mensis ei quæ vocatur sterilis. Deinde paulò post consequitur Mariȩ cum festinatione in montana ascensus, & eius in domũ Zachariæ aduentus. Festinauit

enim vt gratularetur Elisabeth de bono nuncio huius nouæ conceptionis. Accedit ergo,& benignè eam salutat, seu appellat. Salutatio autem est dulcis exultatio infantis, qui est in vtero. Iam enim ex ventre didicerat seruus Dominum, qui erat in ventre: & cùm sensisset eius in mundum aduentum, mirandum in modum lætabatur. Hoc enim apertè ostendebat læta exultatio.

Ne te lateat autem magna Elisabethæ moderatio, & submissio cum admirabili prædictione. Erubescebat enim quòd ad eam venisset virgo, cùm id eius longè superaret dignitatem. Et ideo: Vnde hoc mihi? inquit. Sicut etiam illius filius fecit ad Domini aduentum: Et tu venis ad me? dicens in tempore baptismatis. Vide autem quemadmodum virginem appellat. Eam & matrem, & dominam suam nominat: quinetiam benedictam dicit in mulieribus. Et id quod gestabat in vtero, fructum ventris eius appellat admirabiliter, & præter opinionem. Quid hoc significans? Quòd seminis viri minimè erat particeps. Et in domo quidem Elisabethæ habitauit virgo circa tres menses. Deinde ea quidem sic domum reuertitur. Elisabethæ autem impletum fuit tempus pariendi. Quánam verò de causa ad tres menses, & non plures fuit cohabitatio? An omnino quòd tunc esset paritura Elisabeth? Si enim circa sextum mensem, ex quo ea conceperat, missus fuit Angelus ad virginem: ipsa autem cùm apud Elisabeth venisset, menses tres apud eam permanet, clarum est, quòd cùm finitum esset tempus conceptionis, quod nonus mensis circunscribit, in domum suam virgo reuertitur: & fortasse hac de causa, quòd vniuersa multitudo erat ventura in ædes Zachariæ, cùm instaret tempus pariendi Elisabeth: pudor autem virginalis hæc minimè sustineret. Vndénam verò venit in mentem Elisabethæ, vt infanti imponeret nomen Ioannis, quod re vera erat nouum, & ab eorum genere alienum? Vndénam autem, nisi re vera ex spiritu sancto, & ex virtute eius qui nascebatur: neque enim ei hoc significauit maritus. Quomodo enim, cùm ei esset adhuc lingua præpedita? Certè etiam postquam hoc scripto significauit Zacharias (nutu enim non poterat) admirati sunt, inquit, omnes. Propter quámnam aliam causam, quàm propter parentum conuenientiam circa nomen infantis? Simulatque ergo scribens nominauit, linguæ quoque dissoluta sunt vincula, & cœpit loqui. Sed cur inuadit timor omnes qui circumhabitabant? Quòd oportebat clara præcurrere miracula, & propter promissionem eius qui erat nasciturus, & propter tam eximium illius partum, vt ab initio fide dignus, præclarè appareret. Significat autem hoc quoque id quod subiungitur, quòd admiratio & metus inualerit omnes, scilicet eos qui audiebant. Quisnam erit, dicentes, hic puer? Verumenimuerò ne hæc quidem nos prætereant, neque socordiæ accusemur, in iis in quibus debemus potius conferre studium & diligentiam. Vide enim quemadmodum lingua Zachariæ, depositis quibus alligabatur vinculis, non solummodo loquitur, sed etiam, vt Propheta, cœpit futura pulchrè prædicere: atque adeo de ipso filio prædicere, qui eius linguæ vincula emiserat, & ea relaxauerat. Prædicit enim eum futurum Prophetam altissimi, & præiturum esse ante eius faciem, paraturum autem esse vias eius. Sed hæc quidem sic. Consequebatur autem, inquit, Ioanni pro ratione ætatis, spiritalis quoque gratiæ accessio. Hoc enim sibi vult Euangelista, dicens: Puer autem crescebat, & confirmabatur spiritu, & quæ sequuntur. Quinetiam eum dicit fuisse versatum in solitudinibus vsque ad tempus, quo se demonstrauit Israëli. Sed quánam de causa noluit conuersari cum populo, & peregrinationis amicus fuit, & solitudinis? Ne euanesceret populi in eum reuerentia, vt quæ obfuscetur, & flaccescat conuersationis assuefactione: quinetiam vt dum argueret, facilius admitteretur: & dum testimonium ferret, esset fide dignus: nunc quidem Iudæorum arguens improbitatem, partim autem Christo ferens testimonium. Verumenimuerò Zacharias quidem senex & sacerdos, vt à patribus de eo tradita tenet narratio, cùm vitam produxisset vsque ad ipsum Dei & Saluatoris nostri ortum secundùm carnem, & cùm maternis vlnis (ô diuinam submissionem) eum vidisset gestari, & sic ab ea sæpe in templum introduci, & eum esse Deum minimè ignorasset: propterea ei concedit, vt ingrediatur in sancta sanctorum, cùm cognouisset eam esse Deiparam, & vt illic stet, ei largitur propter excellentiam. Sed hæc quidem ita se habebant. Ea autem res clariores ex Iudæis (ita enim vult quæ traditur narratio) ad iram accendit, & efficit, vt in senem grauiter insaniant. Etenim audiebant, inquit, ab eo Regem creatæ naturæ ad humanam venisse generationem. Metu ergo ne Regi parêrent, concipiunt laborem, vt ait Esaias, & pariunt iniquitatem: & cùm essent procliues ad malitiam, & ad effundendum sanguinem, non minus quàm aquam è manu, vna nocte in templum irrumpentes, in conspectu (proh dolor) altaris occidunt Zachariam. Deinde cùm sanguis locum admodum cruentasset, & cædem factam planè argueret, terra effossa abscondunt mortuum parricidæ, vt qui cædis quoq; scelus vellent abscondere. Hoc autem est re vera difficile, est enim scelus factu

quidem facile: postquàm autem factum fit, celatu difficile. Et sic quidem narratur fuisse occisus Zacharias. Aliud quoque traditur non minus receptum, quòd propter puerorum cædem ab Herode factam is quoque fuerit interemptus. Postquam enim in omnem partem peruasit edictum, quod iubebat interfici pueros in Bethleē simul & in mōtanis, vt communi cæde horum puerorum, eum etiam vnà interimeret, qui erat suscitaturus mortuos: & sic ipse metū exueret principatus, ea enim de causa omnes pueros fuerat aggressus occidere, (Proh dolor, ad cuiusmodi cœpta impelluntur homines propter gloriæ cupiditatem) tunc quærebatur quidem filius quoque Zachariæ ad cædem, vt qui nuper esset natus: non inueniebatur autem. Etenim quomodo Ioseph iubebatur fugere in Ægyptum cum Maria, & puero: ita etiam Elisabeth quandam speluncam ingressa cum infante, in ea habitabat. Quoniam ergo infans ab eis apprehēdi non poterat, totam iram ij qui puerum quærebant, effundunt in Zachariam: & cùm in templo inuenissent (etenim rursus vice sua attendebat altari incensi) interficiunt celantem filium, vt qui eum nollet eis ad cædem tradere. Et sic duplicem assequitur coronam, quòd & Deo ministrans mactatur apud ipsum altare: & quòd cum infantibus primus Christo sacrificatur. Cùm hæc sic processissent, & post multos quidem annos è viuis Monarcha excessisset Augustus: Tyberius autem, qui Monarchiæ ab illo susceperat dominatum, quindecim iam annos in imperio transegisset: quinetiam Herodis alienigenæ regno in quatuor principatus diuiso, & totidem numero filijs distributo: qui quidem erant, Archelaus, & Herodes, & Philippus, & Lysanias: cùm prima quidem tetrarchia esset Iudæa, eam autem administraret Archelaus, qui erat primus inter filios: Cumque omnibus sceptro Romano collum inclinantibus post primam descriptionem, ducesque & præsides, quibus Reipublicæ cura mandabatur, Roma accipientibus, Pontius Pilatus tunc præses esset Iudææ, qui quoniam Tyberio Cæsari erat intimus, ideo præmium suæ in eum amicitiæ, hanc acceperat administrationem. (Oportebat enim cùm venisset Christus, cui imperare erat repositum, vt ait propheta, cessare principes ex Iuda) Et Galilææ quidem Tetrarcha esset Herodes, vt sacrum dicit Euangelium: Philippus autem eius frater esset Tetrarcha (oportet enim, tanquam ornamento aliquo, ipsis vti eloquijs) Itureæ, & regionis Trachonitidis: & Lysanias Abilinæ: sub Pontificibus Anna & Caipha, Ioannes definitum expectans tempus (vt sacra dicunt eloquia) quo se Israëli ostenderet, morabatur adhuc in solitudine, quam habitauit vix solutus à fascijs, exercens vitam Angelicam, & liberam ab omnibus impedimentis, & omni supellectile. Non enim tecto, non mensa, neque aliquo ex ijs quæ sunt huiusmodi indigebat: Non terram arauit, non sulcum proscidit, non sudore vultus, quam quidem meam & paternam noui pœnam, panem comedit: Sed arborum quidem summæ frondes alimentum parabant: ex pilis autem cameli rude, & sine arte confectum induebat vestimentum, vt eos qui erant in mundo, ad quos non ita multò pòst venit, doceret victus tenuitatem, & instrueret, vt & humana despicerent, & eam, quæ re vera erat apud antiquos, exercerent frugalitatem: qua prius Adam honoratus, minimè opus habuit vestibus. Clarum est enim ei post transgressionem opus fuisse vestibus. Cùm autem tempus iam dictum aduentasset, & seipsum Israëli patefecisset, cuiusmodi erat ad afferendam admirationem homo, qui triginta annos habitârat in solitudine: & se veluti perpetuo damnauerat exilio: & cum nullo omnino homine versari statuerat, & ab ineunte ætate vitam elegerat monasticam, vt qui tunc primùm veniret in conspectum hominum? Statim enim, vt iam diximus, ab incunabulis lubenter versatus fuit in solitudine, nulla re humana omnino indigens, simul cum moribus loquentem formam, & vestem attrahens: vt qui fuisset filius pontificis, & testimonium de eo ferentem Esaiam apertè induceret. Illud enim: Vox clamantis in deserto: de eo scilicet dictum est. Nouus quidem Helias ostensus ex omnibus, vel potius omnibus persuadens se habere illo aliquid amplius, quatenus plus est omnino versari in solitudinibus, quàm in ciuitatibus, in quibus erat Helias. Ea de causa erat Iudæis mirandum in modum venerabilis, & tolerabantur eius reprehensiones. Quomodo enim eos increpans, & vocans genimina viperarum, etsi manu essent valde prompti & propensi ad cædem, eos non adegit ad insaniam? Verumenimuerò attendendum est, quàm fuerit Iudæis Baptista admirabilis: Eis enim iniecit suspicionem, ne ipse re vera esset Christus. Et ideo extitit vox illa, quæ ex alto testimonium filij tribuebat ei qui baptizabatur: & columba quæ aduolauit, & apud illum solum mansit. Illum autem nihil ex his extulit, neque vnquam visus est primas partes sibi vendicare, sed sibi potius extremam adsciscere humilitatem. Quid enim sibi vult illa calceamenti corrigia, nisi quòd omnino recusaret se cum Iesu conferri, & disceret se non esse idoneum, qui solueret corrigiam eius calceamenti? Et alioqui cùm à Iudæis, missis ad eum legatis ex sacerdotibus & Leuitis, interrogaretur, confessus est, inquit, & non negauit: & confessus est, se nullo modo esse Christum: etsi illi ad exprimendam Baptistæ confessionem, quòd ipse esset apertè

Christus, quid non faciebant? Eò enim cum alijs hæc tendebat interrogatio: Quid tu baptizas, si tu non es Christus? Quin etiam à proprijs discipulis Christo inuidentibus, & propter Baptismum nonnihil vellicantibus (Ad eum enim sensim accedentes, & ad æmulationem accedentes: cui tu testimonium tulisti, aiebant, ecce is baptizat) ille ne tantillum quidem abducebatur: apertè autem dicebat, seipsum non esse Christum, sed missum. Christum verò & Agnum Dei vocabat, & se quidem oportere minui, illum autem augere confitebatur. Non erat autem Iudæis solùm venerandus Baptista, & verè dignus, qui haberetur in admiratione: sed etiam ipsi Herodi, & ei magis quàm Iudæis, quod ei non solùm pudorem, sed metum quoque iniecerat: Timebat enim, inquit, Ioannem, quòd sciret virum sanctum, & iustum eum esse. Quinetiam eum audiens multa faciebat, & eum lubenter audiebat. Nam illud quidem habebat ex conscientiæ condemnatione: quòd eum timeret, inquam, cùm prauè & sceleratè viueret: hoc autem ex virtute dicentis, quòd omnino eum lubenter audiret. Et sic efficit quidem virtus, vt eam illi quoque reuereantur qui sunt ab ea omnino alieni. Sed reuera magnam vim habet intemperans cupiditas, & res est omnium efficacissima ad animam redigendam in seruitutem. Sicut etiam hunc Herodem miserè admodum affecit, dum non secus Rege ac mancipio, proch dolor, vsa est. Qui despecta sua vxore, ea autem erat filia Aretæ Regis Arabum, & contemptui habito eius amore, plurimi faciebat amorem Herodiadis. Eam enim cùm esset vxor fratris Philippi, duxit præter leges, cùm iam haberet semen fratris. Illis enim solis permittebatur hoc facere, quorum fratres reliquerant vitam absque filijs. Permittebatur autem omnino hoc consilio, vt semen suscitaret fratribus. Propter hæc ergo Ioannes Herodem reprehendens, visus est surdo canere, & loqui in aurem mortuo: etsi solitus esset prius eum lubenter audire, & sciret eum in magna haberi reuerentia. Sed amor Herodiadis, qui, vt diximus, eum inuaserat vehementius, efficiebat vt nihil faceret verba Ioannis: & illum quidem coniecit in carcerem: Herodiadi autem gratiorem præbuit audientiam, & liberam dedit potestatem sui explēdi desiderij. Cæterum Baptista, vt qui esset propheta, vel potius propheta superior, cùm præcognouisset se per Herodem quidem mox esse excessurum ex hominibus: Suos autem discipulos hominem quidem solum existimare esse Christum, ipsum verò esse Christo longo interuallo præstantiorē: vellet autem hoc corrigere iudicium, vt quod non rectè haberet, quoniam neque desiderabat assentationē, neque præter veritatem volebat ornari gloria: quid facit? Cùm ille elegisset duos ex suis discipulis, mittit ad Iesum, qui rogarent: Tu es qui venturus es, an alium expectamus? Et hoc statuit facere, non ipse volens discere, sed illos doceri potius. Quomodo enim opus habuisset dicere, quem nouerat ex vtero antequam ex eo prodiret, & quem doctus à patre apertè prædicauit in omnibus? Quibus, cùm venissent, & hæc Christo dixissent, ille quidem primùm nullam dat lingua responsionem, sed factis potius respondens, se ipsum esse ostendit quem quærebant, signorum magnitudine: quoniam ea ipsa hora multa signa fecerat: deinde verò etiam per verba adijciens responsionem: Euntes renunciate, inquit, Ioanni, ea quæ audistis & vidistis. Quænam autem ea sunt? Cæcorum correctio, leprosorum mundatio, surdorum auditio, mortuorum resurrectio: & quæ deinceps consequuntur. Propter quæ diuinè subiungit: Et beatus est, qui non fuerit scandalizatus in me. Quid hoc dicens, aut quid volens ostendere? Quòd vel eius supercilia (vt ait diuinus Dauid) examinant filios hominū, & quæ ab eis agitantur in cordibus, eius oculos minimè effugiunt. Ipsi enim apertè erant qui scandalizabantur. Postquam autem ij redijssent ad Baptistam, volens Christus ijs quoque mederi, quæ turbæ circunsistentis animum perturbabant (Iam enim rectè se habebant Ioannis discipuli) Verisimile namque erat turbam dubitasse, num hæc dicta essent à Ioanne ambigente, vtrum is sit qui venit, an alium fortè expectare oporteat, vt qui vel propter carcerem in metum incidisset, vel etiam pœnitentia ductus esset eorum, quæ prius dicta fuerant. Has, inquam, dubitationes Christus corrigens: Quid existis, inquit, visum in desertum? Arundinem vento agitatam? aut eum qui in mollibus est vestitus? vel prophetam tantùm? Hæc autem post discipulorum Ioannis reuersionem, sicut diximus. Neque enim eis præsentibus volebat laudes contexere Baptistæ, quoniā assentantis potius, quàm vera dicentis existimata essent ea quæ dicta sunt. Ad quid ergo exemplum arundinis, quæ vento facilè agitatur, quàm vt ostendat hominē facilem & mobilem, venti campum: vt est in prouerbio: & mentem quæ facilè duci & transmutari potest: quæ seruit temporibus, & citò ab eis transfertur? Non ergo à priore illa mente, & sententia traductus est Ioannes: quoniā cum adducto exemplo pugnat ex diametro. Est enim ille firmus & solidus, arundini quæ facilè circumfertur omnino dissimilis. Quid autem illud in mollibus vestibus? Eos innuit qui viuunt in delitijs. Probabile enim erat Iudæos cogitare, quòd qui primū fuerat firmus ac robustus, & assuetus laboribus, deinde delitijs vsus, tunc euaserat delicatus, & inierat fœdus cum mollitia: Quorum neutrum fuisse Ioannis animi & vitæ, certum testimonium est, & vestis & carcer. Non

enim

enim condemnatus esset illum habitare, si sciuisset seruire tempori, & cedere Regibus se iniquè gerentibus: cùm præsertim ei nõ esset necesse loqui gratiâ, sed solùm tacere sufficiebat, vt omnibus modis obseruaretur, & coleretur. Quomodo autem accipiendum est illud: Eum esse plus quàm Prophetam? An quòd conspectus sit propinquus Christi aduentui ad homines? Mittam enim, inquit, Angelum meum ante faciem tuam. Quod quidẽ nihil aliud significat, quàm proximè. Nam ij quoque qui in progrediendo præcedunt continenter Regibus, ij scilicet & maiorem quàm alij habent autoritatem, & sunt ei coniunctiores.

Et sufficit quidem lingua Dominica ad ferendum Ioanni testimonium de excellentia inter homines: & quòd nulla mulier eo maiorẽ pepererit. Inueniet autẽ qui velit veritatem quoque rerum idem dicere, si illius mensam cogitet, si illius viuendi rationem, si excelsam illius mentem. Tanquam enim qui è cœlo venisset, sic terram obibat, corpus tanquam superuacaneum, & otiosum aliquid inserens, & eius ferè nullam curam gerens, hymnis & precibus assiduè deditus, propemodum quidem nec terram tangens: ad cœlum autem mente sublatus, & Deum solum purè contingens, nullam rem humanam vendicans, sed nouã vitæ viam ingrediens, vt qui esset simul tranquillus, & vehemens. Etenim cum populo quidem Iudæorum strenuè & fortiter, cum Rege autem liberè, cum suis verò discipulis comiter admodum & benignè loquebatur, non leuiter quidem, & temerè, sed vnumquodque scilicet vt oportebat. Quomodo ergo non erat hominibus maior, qui sic erat affectus? Quid autem sibi vult id quod subiungitur: Minor quidem, in regno autem cœlorum maior? An ne nimiæ laudes Iudæis aliquem parerent absurditatem, & darent eis occasionem Christo præferendi Ioannem? Minorem autem omnino & ætate, & multorum opinione seipsum vocat. Erant enim quidam qui ei non solùm tribuebant humilitatem: sed & voracem, & vinipotorem non verebantur eum vocare. Sed iam ad eius quoque mortem est transeundum, quam ille subijt propter reprehensiones, vt qui perpetuò aduersus peccatum decertauerit, non timens dies (vt dicam cum diuino Dauide) non formidans vultus Regum, qui Deum & leges despiciunt: sed apertè arguens eos seruos voluptatis, qui alijs (ô iura & leges) volent imperare. Nam postquam iam fuisset inclusus carcere (eo enim illic dimisso, digressi sumus) Herodes faciebat cœnã in suo natali proceribus & tribunis, et, vt sacrũ dicit Euangeliũ, primis Galileæ. Deinde in cœna oblectationes, & honestæ recreationes. Oportet enim eas quoq; dicere, quibus Rex vsus est apud eos qui inuitati fuerant. Accedit puella saltans non plebeia aliqua, aut vna ex vulgo, sed quæ nominata fuerat filia Regis, & illius ipsius Regis qui conuiuio exceperat. Nec erubescebat Regina filiam, eamque, vt videbatur, virginem introducens, & saltantem producens in conspectu tot masculorum, rem pudicis oculis non solùm iniucundam, sed etiam vitandã. Sed id consultò agebat, vt cognosceretur quàm esset honesta ea quam Rex duxerat, & ex fructu arbor, & ex filia mater aperta euaderet. Et ipsa quidem per illam: qui duxerat autem, per vtramque laudandus videretur, & beatus. Vide verò mali quoque accessionem. Patri placuit id quod fiebat, propter quod oportebat eum magis pudore affici: & sic placuit, ô Regiam munificentiam, vt polliceretur se ei regnum suum esse diuisurum, ad remunerandam rem tam publicè vtilem, & magno studio dignam: & quod est deterius, cum nec illa petijsset, sed ipse eam ad rogandum incitasset.

Illa autem laudis quoque & gloriæ mouetur cupiditate, & rem petit longè maiorem, vt quæ cum esset fœtus viperæ, didicisset ab ipsa matre petitionem. Quærit enim non dimidium regni sibi promissum, neque aliquid eiusmodi: sed rem, proh dolor, quæ omnia regna terræ superaret, & cum qua ne ipse quidem mundus potest conferri, si eius spectes pretium: nempe caput viri, quod tu quoque prius, qui seruus es potius quàm Rex, in maximo honore habuisti, vt ipsa dicunt Euangelia, & nos prius ostendimus. Nunc autem propter à ratione alienum tui animi motum, & eius reprehensiones, in vincula conijcis virum illum venerandum, & non solùm conijcis, sed etiam interimis: & illud caput malis vendis amoribus, tales, ô infelix, gratias ei largiens, cuius tu turpi amore tenebaris. Quis verò fuit hic prætextus? ne iusiurandum transilires, iusti interemptio? Clarum est enim te esse pollicitum regni tui dimidium ei daturum. Hoc autem quid est aliud, quàm opes, pecuniæ, iugera terræ, gloria ad tempus, quorum ipse erat dominus? Hæc enim si à te ex æquo essent diuisa, tuum conseruassent iusiurandum. Viri autem cædes, viri dixi, imò verò plusquàm viri, quid cum his commune habebat apud eum qui temperàter viuit, & rectas leges sequitur? nisi hoc tibi erat regnare, ô optime, subiectos nulla de causa interimere. Tu autem prætulisti te molestè ferre, vt qui necesse habuisses iusti viri cædem permittere, iusiurandi, & non legum solùm custos diligens. Sed satis intellectũ est te ad nouercæ, vt aiunt, flere tumulum, & præ te ferre te illud dare inuitum, quod magis gaudebas, quàm ij qui petebant.

Infertur autem caput plenum sanguine, inuitatis quidem tetrum spectaculum, & quod omnem conuiuij lætitiam poterat in dolorem conuertere: matri autem puellæ maximam

afferens

afferens voluptatem. Talem enim sitiebat eum videre, qui eam prohibebat ne viueret ex sui animi sententia, & zelo linguam habebat non minus gladio acutam, licet mutam. Diuina enim quędam res est virtus, & quæ vinci non potest, vt quæ etiam post mortem eius qui eam possedit, adhuc dominetur. Qui enim erat adeo turpis, & abominandus, & voluptatum seruus Rex, qui cædem talis viri, tanquam vnius abiecti & contempti, iussu fecerat, vide quemadmodum post illius mortem euadit timidus & meticulosus. Adeo certè timidus, vt eum qui erat mortuus, putaret propè esse morte superiorem. Cùm enim de Iesu audijsset, Euangelium inquit, Herodes, & quænam faceret miracula: Hic est, inquit, Ioannes Baptista, hic surrexit à mortuis. Huius autem rei probatio erat. Virtutes enim dicebat operari in eo: Domini signorum & miraculorum sic vocans operationem. Postquàm autem fuit interfectus diuinus ille Ioannes, & magna contentione petendũ caput, præmium saltationis donatum fuit illi debacchanti iuuenculæ: & id per ipsam habuit, mater illa cùm id accepisset, quod ardenter sitiebat, profundè infodit, & apud se tutò abscondit: vt ex ijs, quæ à patribus sunt tradita, narrationibus, scriptisque licet discere. Magnus enim timor, & magnitudo eius quem habebat odio, efficiebat, vt ipsa sibi caueret. Neque permittit caput coniungi cum corpore, dubitans ne sic resurgeret, & ad priores rediret reprehensiones: Sed si, inquit, apud me caput rectè abscondatur, id non facilè poterit resurgere. Postquam autem curæ fuisset eius discipulis, vt reliquum corpus in quodam loco insigni honorificè sepeliretur, ij ad Iesum venientes omnia ei renunciant. Ille autem, vtpotè ex eo dolore affectus, non amplius patitur manere in regione, sed illinc surgit protinus, & vnà cum suis discipulis nauem conscendens, venit in desertum quendam locum Thebaidis, & se, & illos quietè recreans, & veluti consolans tristitiam. Atque diuinus quidem Ioannes, cùm præter alia bona quibus erat locuples etiam quod à Christo acceperat, testimonio fuisset honoratus, cœlorum quibus erat dignus, sortitus fuit habitationem, cùm triginta duos annos, & sex menses peregisset in terra. Herodem autem Dei iustitia, etsi vt plurimum soleat esse tarda ad supplicium, tamen hoc fortasse insigne scelus habens odio, haud ita diu post inuadit. Postquam enim ille suam vxorem propter vehementem amorem in adulteram & odio habuit, & repudiauit: ea non ferens contumeliam, venit ad Aretam suum patrem, qui erat Rex Arabum, vt antea dictum est, eique & insolentiam, & alia omnia (vt semel dicam) exposuit, & petijt vt vlcisceretur rem, quæ mulieri est intolerabilis. Ille autem, neque enim eius solùm, sed suam potius propriam existimabat contumeliã, bellum commouit aduersus Herodem. Et cùm rem rectè gessisset, & illius exercitum valde cædisset: & alios quidem occidisset, alios verò redegisset in seruitutem, & subiectis flammis omnem esset populatus regionem, reuertitur. Et res quidem Herodis ita se habuerunt. Cæterùm huius adulteræ, & illegitimæ vxoris Herodis quomodo? Ipsa in longissimum quidem tempus vitam producit. Cùm suam autem vidisset filiam acerbo fine primùm vitam terminasse, sic ipsa quoque recedit ijs, quæ illic sunt, omnino seruata supplicijs, & bibitura totam fœcem iustissimi calicis, qui est in manu Domini. Filia autem illius, quam quidem diximus perijsse ante matrem, cùm ad quendam locum proficisceretur, & tempore hyemis oporteret eam flumen traijcere, quoniam erat glacie concretum, id transibat pedibus. Cùm autem glacies non sine Dei numine omnino esset disrupta, ipsa quidem vsque ad caput defluxit misera, tunc quoque veluti saltans laniationibus, non in terra, sed in aquis. Caput verò & glacie confractum, & validè amputatum, relinquitur supra gelu, admirabile iudicium Dei iudiciorũ, ipsum quoque diuisum à reliquo corpore, non gladio, sed glacie. Sed hæc quidem ita se habuerunt: & infame illud, & sceleratum caput propositum erat spectaculum omnibus, ea quæ fecerat in memoriam reuocans spectatoribus. Quemadmodum autem illud verè sacrum, & magna intentione quærendum caput, in profundo terræ (sicut prius diximus) à Baccha illa absconsum, admirabiliter sursus eluxerit, & manifestum euaserit fidelibus, iam ad declarãdum accedit oratio. Duo monachi ex Oriente profecti cùm eos teneret desiderium fruendi conspectu sacrorum locorum Christi passionum, veniunt Hierosolymam: Alteri eorum dormienti apparẽs Baptista, ostendit quisnam esset: & cùm ad Herodis, inquit, Regis domum veneritis: illic enim est meum caput conditum: à vobis maximè curandum est, vt id tollatis. Manè ergo accedens qui visionem viderat, ea comiti communicat. Ille autem id quod visum fuerat, inanem dicit esse visionem, non veritatem. Ipsum enim fortasse mouebat ad incredulitatẽ affectio æmulationis. Ea ratione & negligebatur id quod imperatũ fuerat, & ad effectũ minimè deducebatur. Sequenti ergo nocte sigillatim accedens preco veritatis vtrisque mandat eadẽ, dicens: Nihil oportere dubitare, sed omni incredulitate deposita & socordia, curam gererent eius quod fuerat imperatũ. Cùm ergo ambo id quod visum fuerat, rursus sibi inuicem significassent, & soluta est incredulitas, & ab vtrisque via simul est confecta: Præcursore rursus (vt semel dicam) illam eis dirigente, & bono duce eis effecto. Breui itaque ad locũ perueniunt, & inueniunt

inueniunt sacrum caput, cuius amputatio fuerat pœna temperantiæ, & ideo non merebatur abscondi, sed potius prodire in lucem, ad sanctificationem, & vtilitatem multorum.

Cùm id ergo sustulissent monachi, vt iussi fuerant, & in saccum ex pilis confectum id immisissent: quod quidem fortasse factum fuerat de illius sententia, vt caput imitaretur indumentum totius corporis, quo vtebatur in solitudine: statim se parant ad reditum, rem verè desiderabilem, & supra milia auri, & argenti (vt cum diuino Dauid dicam) fidelibus afferentes. Figulus autem quidam illo tempore, ex ciuitate quidem Emesa genus ducens, sed tanta laborans inopia, vt ipsam odio haberet patriam, vt quæ eum non posset alere, ob idque charum etiam solum, nempe patriam ipsam derelinqueret, & quasi secum habitantem, paupertaté fugeret: hic cùm erraret in via, incidit in monachos à quibus diuinus thesaurus, nempe Præcursoris caput exportabatur. Cùm ergo ille vnà cum eis colloqueretur, & simul iter faceret, illi tradunt ferendum hoc excelsum & venerandum caput. Ignorante autem figulo quidná esset, quod eius fidei commissum fuerat, illi apparet Præcursor, & in eius conspectum fugiens: Relictis, inquit, tuis comitibus, aufuge cum eo, quod habes in manibus. Hoc auté facit, Monachorum quidem, vt est verisimile, frigiditatem condemnans & socordiam, vt qui rem tantam homini alieno & ignoto credidissent: Figulo verò hanc præbens occasionem, & ré gerendi rectius, & vitæ melioris. Nam cùm ille obedijsset, & latuisset, & cum tali thesauro domum esset reuersus, fuit deinceps florens opibus, & bonorum bonis per totam vitam repletus. Quo modo enim non erat futurus, qui non vt ille comœdiæ Chræmylus Plutum domum introduxerat, cœcum penitus, & cui non est fidédum: sed veras diuitias, thesaurum, inquam, qui non exinanitur, secum habebat habitantes? Non oblitus auté ille quum malè prius rem suam gereret, sacrum illud & venerandum caput in omni honore habuit. Et hoc quidem tota vita sua fecit. Cùm autem esset decessurus, vbi illud imposuisset in hydria (sic enim fortè dispensabat, qui eius, qui propter me pauper est factus, paupertatem æmulabatur in omnibus) & deinde extrinsecus eá arca inclusisset, & pulchrè signaculo obsignasset, deponit apud sororem, ei quæ euenerant omnia aperiés, & quemadmodum veluti quoddam inexpugnabile malum aliquando ipsum atterebat paupertas: propter spem autem rebus mutatis, ad eas quas nunc habet, opes peruenit, & bonorum affluentiam. Causam autem mutationis dicebat fuisse caput quod in vase ostendebat inclusum: quod mihi, inquit, maiorem attulit vtilitatem, quàm quod vulgò celebratur, cornu copiæ. Cùm sic dixisset, diligenter præcepit vt in omni quidem honore illud haberet: id verò quod celabatur, ipsa non priùs aperiret, quàm ijs quos nouit modis Præcursor ipse id faciendum significaret. Hoc autem iussit, fortasse considerans, quòd qui suum Dominum, cùm adhuc esset intra vterum, non ignorauit, sed in ventre exultando eum significauit, is etiam post mortem capsa, tanquam ventre, vtens seipsum cùm vellet esset declaraturus. Atque quamdiu quidem, sorori inquit, vixeris, vide vt omnis honor, & cultus ei seruetur: postquam autem videris tuum appropinquare decessum, apud aliquem virum pium est hic tibi deponendus thesaurus. Sic ergo mulier, quamdiu habuit quidem corpus, alacritati seruiens, curauit mandata fratris, & in seruiendo venerando capiti non fuit negligens. Postquam autem peruenit etiam ad senectutem, & ad necessarium exoluendum debitum mors eam vocabat, implet hic quoq; mandatum: & apud quendam qui non solùm pietatem, sed etiam castitatem sibi vendicabat, deponit thesaurum, ea mandans similiter, quæ sibi quoque mandata fuerant. Ad multos ergo eodem modo donum transiens, deinde etiam ad quendam Eustachium monachum quidem & presbyterum, sed diuersæ ab orthodoxis sententiæ, & non conuenientem cum ijs qui de fide rectè sentiebant, bonum illud venit: cùm ignorassent, vt arbitror, ij qui deposuerant, sententiæ diuersitatem. Ei verò non hoc solum, sed mens quoque erat peruersa, & mores conueniebant ei quod sentiebat. Idque facilè probari potest. Quæ enim faciebat id quod apud eum celabatur, & quæ diuina signa operabatur, sibi improbè ille impius adscribebat, & fur erat simul, preciosissimam thecam habens tanquam marsupium, & non minus quæ fiebant, quàm quæ immittebantur, cauponans, vt qui omnino simularet, & ea ad se traheret. Non oportet autem omnino admirari, si viro tali tam pretiosum caput Baptista sustinuit committi. Quid enim, qui & in improbæ mulieris manus prius venire, & ab ea abscondi: multò autem magis qui etiam illam ipsam sustinuit habere causam amputationis? Tandem verò fuit euidens quænam esset eius sententia. Fauebat autem Ario, & eodé morbo quo ille laborabat. Propter ipsam itaque hæresim eadem hora expellitur ex ciuitate Emesenorum, valde quidem rogans, & obsecrans, vt vnum solum diem sibi liceret manere in monasterio. Cùm non fuisset autem exauditus, (Neque enim oportebat, cùm diuinus non permitteret Præcursor, futurum malum egregiè prospiciens: Volebat enim sceleratus diuinum caput secum accipere, vt rursus furaretur, & sibi attribuere quæ ab illo fiebant miracula, & sic procurare, vt hæresis rectè se habere, & Deo grata

esse videretur) ille quidem malus malè statim expellitur: 1 caput autem rursus ita vt erat, manet in monasterio. Cùm autem post multos qui præfuerunt, diuino quoque Marcello præfectura eius monasterij fuisset credita, visum est magni præconi veritatis seipsum ostendere. Ostensio verò fuit admirabilis, & digna quæ à fidelibus audiatur hominibus. Sic autem habet, vt ille ipse, cui fuit declaratum, Marcellus exposuit. Erat quippe media hebdomada diuinorum ieiuniorum, & decimus octauus mensis Peritij dies: Regnabant autem Valentinianus, & Marcianus, in primis pij Imperatores: Ecclesiæ verò præerat Vranius. Visæ sunt, inquit, mihi in somnis apertæ esse omnes portæ nostri monasterij: & ego conturbatus putabam me abire hoc animo, vt portas clauderem. Deinde rursus mihi sum visus videre fluuium in portam irruentem, & mirari, vndénam esset tantus aquæ impetus. Cùm hæc autem in animo versarem, audiebatur sonus multitudinis populi, & classium, quæ ab Oriente veluti ferebantur super aquam, quæ ad nos quidem procedebat. Vnaquæque autem classis propria lingua vtens: Ecce, dicebat, magnus ille Præcursor Christi Saluatoris nostri, & Baptista Ioannes ostenditur. Cùm ego autem starem ad portam meridionalem, & illa statim est aperta, & ingressæ sunt acies. Ego verò simul, relicta porta, currens sum ingressus: & stans in initio scalarum, vidi ipsos ingrediêtes monasterium. In ijsdem autem scalis mihi adhuc stanti visa sunt duo atria, vnum quidem vergens ad occasum, alterum verò ad meridiem: & magnum templum situm erat in medio eorum. Vnamquamque autem classem videbam ingredientem in atrium, quod vergebat ad occidentē. Deinde etiam cùm ad templum adorassent, statim abierunt ad portam meridionalē, & sic destiterunt ab itinere. Deinde etiam audiui vocem aliorum rursus clamantiū: Ecce magnus Ioannes Baptista. Cùm ad hoc sustulissem oculos, aspexi illum in eo templo, quod videram. Præterea autem duo quidam vnà cùm eo aderant, vnus quidem à dextris, alter verò à sinistris. Iam verò vnamquámque classem ad ipsum accedentem benedicebat: & postquam illæ cessarunt accedere, me quoque subijt desiderium ad ipsum veniendi, & similem percipiēdi salutationem, & benedictionem: me autē continui parumper, quòd nollem illis portis ingredi, per quas ingressæ erant illæ classes: & quoniam non videbam aliquem labra ori eius admouentem, nisi soli pectori: tandem nihilominus in eius quidem cōspectum veni anterius, sed tremebundus, & timidus, & humi figens oculos. Deinde etiam humi procumbens prehendo eius pedes. Ille verò me erigit, & barbam placidè tangens, & os ori admouens amplectitur, & præterea vas proferens lacte plenum, id tradit mihi, subiungens: Hoc tibi erit ad benedictionem. Deinde cùm sic visum esset progredi, eum præcedebam: & simul ipse, & qui cum eo erant, conuenerunt in hoc nostrū monasterium. A me autem cùm attendissem, ante ipsum conspecta fuit columna ignis: & cùm vidissem, non paruus mihi metus incubuit. Et statim è somno sum excitatus. Non multum tempus intercessit, quòd mox fui à somno iterum captus, & quæ visa fuerant ad finem peruenerunt. Nam erat quidem vespera diei vnius ex ieiunijs. Ego autem dixi monachis. Vnusquisque vestrum suum psalmum bis dicat. Qui cùm sic facerent, vni ex fratribus (erat autem ei nomē Isaacius) cùm sustulisset oculos, ignis apertè ardens visus est in spelūca. Cùm ex eo autem esset timore affectus, vox eum recreauit, dicens: Noli timere. Ecce enim datus sum vobis: Tu verò surge, & progredere, habens stellam tuæ viæ bonam ducem futurā. Vbi autem illa absorpta fuerit, si effoderis, nequaquam carebis eo quod est promissum, sed me omnino inuenies in regione. Et hæc quidem vox extitit. Ego autem terrore affectus & experrectus statim surrexi, & vidi proximè stellam ante oculos, quæ iter ineuntem me præcedebat. Ego verò ibam eam sequens, donec illa stetit super concham speluncæ, vbi etiam defossum fuerat caput Præcursoris. Cùm ego hæc omnia spectassem, & iam fidē animo conciperem, procumbens in genua, adoraui Dominū, & suffumigans vehementer oraui. Deinde in manus accepto ligone, cœpi vehementer fodere. Hæc autem mihi facienti, visus est quidam locus calce validè ædificatus vsque ad quinque cubitos. Cùm pergerem fodere, à me audiebatur quidam sonus quasi fictilium. Cùm autem iam solum tangerem, video æris ramenta, velut arena, & simul etiam vna egreditur tegula, sub qua tabulam aspexi nuceam. Quam cùm sustulissem, sub ipsa inueni preciosam hydriam. Et deinceps distrahebar metu simul & gaudio. Animo tamen confirmatus (ô manum audacem) & tremebundus hydriam aperio, & sanctū caput contrecto. Deinde cùm id etiam, sicut oportebat, 2 adorassem, rursus operui hydriam. Nondum finē acceperat id quod fiebat, & ad nos accedit Archymandrita, & diaconus, Gennadius, inquam, qui cùm nobis occurrisset in ostio speluncæ, & ea dixisset, quæ dici consueuerunt, narrat visionem, quam viderat in somnis. Ea autem ita se habebat. Putabam, inquit, nos ambos stare in hac spelunca, in ipsa verò positū esse panum cumulum. Atque erāt quidem illi hordeacei, sed æquè puri atque sol. Erat autē eis imposita quædam quoque particula. Eos examē hominum veniens in speluncā à nobis accipiebat. Neq; verò eis deficiebāt omnino panes qui dabātur, neq; ij cessabant venire. Postquam autē panes iam ad fi-

1 *Vide hic magnū contra hæreticos testimoniū, quod sanctus præcursor Domini caput suū noluit diu manere apud monachū Arianum.*

2 *Ecce quomodo adorat sanctū caput Præcursoris.*

ad finem venissent, ij visi sunt volare in nostris manibus: & sic ij qui accedebant, ipsos participasse. Hæc cùm audiissem, statim apud me versabam, quænam esset somnij significatio. Videbatur autem hoc ab illo visum esse non sine Dei numine, neque solam in se nudam continere visionem. Deinde Baptistæ diuinum ad nos aduentum aperio. Quæ cùm audiisset, vehementer me rogauit, vt visu locum apprehenderet. Ego verò illum statim ei ostendi. Posthæc nobis è spelunca simul exeuntibus, ipse considerabam, quidnam esset nobis faciendum: & mihi optimum visum est hæc etiam aperire Stephano (erat autem is Archimandrita Daromij) vt hæc ab eo rursus deferrentur ad Episcopum. Accedentes ergo ipsum quidem non inuenimus præsentem: iuerat enim ad monasteria quæ sunt in regione. Cùm itaque cogitassem, oportere accersere diaconum Cyriacum, qui erat Archimandrita eorum quæ in ea regione erant monasteriorum, & præcursoris res ei aperire, sic feci. Ille autem statim venit accersitus. Consecutum quoque est aliud pertinens ad ea quæ sunt proposita. Narrat enim ipse quoque nobis somnium, quod noctu viderat. Erat autem illud quoque valde consonans visioni Gennadij. Postquam verò ad eum delatæ sunt res præcursoris: Quid ergo, inquit ille, nobis est faciendum? Episcopo, inquam, est significandum: expedit enim. Postquam autem intelleximus, non adhuc adesse dictum Archimandritam Stephanum, per quem volebamus vt id ei significaretur, quinque dies postea expectauimus. Quid deinde consequitur? Erat quidem sabbatum vespere. Nobis autem ambobus sedentibus, & simul sermocinantibus, vehementer percussus in genua tanta vi inflector, vt ne possem quidem moueri, neque omnino aliquid aliud facere. Diaconus ergo Gennadius videns me tam malè affectum: Quid verò? non tibi dixi aiebat, oportere ad Episcopum accedentes nos ea illi statim significare, quoniam non veniebat Papa Stephanus? Atque ipse quidem mansi plaga adhuc magis magisque castigatus. Gennadius autem & Cyriacus posteaquam ministerium suum ad finem deduxerunt, simul ad me accedunt vbi eram iacens, & dicunt: Iam te scire oportet, quòd diuino Ioanni sumus polliciti, nos hæc Episcopo esse significaturos prius quàm sol oriretur. Ego verò: Rectè dixi, estis polliciti. Nondum id quod dixeram, finem acceperat, & mihi cessauit, & dissoluta est plaga. Cùm statim ergo die sequenti cum Cyriaco & Iuliano monacho accessissemus, significamus omnia Vranio Episcopo, qui iam egrediebatur ex Matutinis, dicentes: Magnus Ioannes Baptista ostenditur. Ei autem, cùm audiisset, succurrit admirari: & cùm propius accessisset: sed nemo, inquit, sciat, neque quis eum tangat omnino. Cùm verò rogasset Cyriacus: Quando ergo tu quoque venies? Die crastino, inquit. Cùm itaque postridie venisset, vt fuerat pollicitus, simul cum presbyteris & diaconis, vbi fuimus in loco, ipsi quidem procidentes adorabant. Malcho autem presbytero (erat is vnus ex iis qui sequebantur Episcopum) proh dolor, venit in mentem, vt minimè crederet. Et quánam, inquit, ratione credendum est id esse? caput simul ostendens & tangens Præcursoris. Postquam autem pilos quoque simul tetigit, manus illi protinus est arefacta, & hydriæ ori adhæsit. Eam autem recipere, aut illinc extrahere omnino non licebat. Quid ergo postea est consecutum? Fiunt ab omnibus preces & orationes vehementissimæ. Et manus quidem vix tandem fuit relaxata à vinculis, quæ non cedebant sub aspectum. Mansit verò admodum imbecilla, & non paruas reliquias ferens castigationis. Episcopus ergo cum omnibus qui erant cum ipso accepta hydria, quæ magnas opes, diuinum nempe celabat thesaurum, in Diaconico, quod vocatur, sanctæ reponit Ecclesiæ. Et fuit is illic, donec templum fuit ab eo ædificatum. Verum enimuerò cùm hæc iam esset facienda depositio, magnus ille præcursor fuit etiam præcursor ad misericordiam, & imitator eius, qui fuit ab eo baptizatus. Presbytero enim, qui non crediderat, apparens in somnis: Si in processione, inquit, meæ depositionis manum tuam hydriæ imposueris, nullam amplius pœnam senties, sed eam habebis deinceps omnino validam & sanam. Cùm sic fecisset senex, non fuit promisso frustratus, sed manum habuit, & cum ipsa animam quoque valde sanam: diuinus ergo Ioannes præcursor solis iustitiæ, stella Lucifer, patris Apostolus, Baptista filij, cognitor sancti spiritus, diuinæ administer œconomiæ, Euangeliorum principium, vox Verbi, præco Regis, tuba salutis, sponsi pronubus, inuentor continentiæ, dux & princeps castitatis, lucerna lucidissima, Præcursor & Baptista, vigesimo quidem quinto mensis Octobris, Quadringentesimo & Sexagesimo septimo anno, Imperij sceptra tenentibus imprimis piis principibus Valentiniano, & Marciano, deponitur quidem in Ecclesia Emesenorum in suo templo. Inuenitur autem vigesimo quarto Februarij sextæ Indictionis. Ad gloriam magni Dei & Saluatoris nostri IESV Christi. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, nunc, & semper, & in secula seculorum.

AMEN.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYSOSTOMI Archiepiscopi Constantinopolitani Oratio, de amputatione capitis venerandi Præcursoris, & Baptistæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

RVrsus furit Herodias, rursus perturbatur, rursus saltat, rursus quærit caput Ioannis Baptistæ scelerate ab Herode amputari. Rursus ambit Iezabel vineam Naboth rapere, & sanctum Eliam persequi ad montes. Existimo autem non solùm me esse in extasi, sed etiam omnes vos, qui auditis vocem Euangelij, mecum admirari Ioannis quidem loquendi libertatem: Herodis autem leuitatem: & impiarum mulierum beluinam insaniam. Quid enim audiuimus? Herodes enim apprehendit Ioãnem, & posuit in carcere, propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui. Hic meritò vituperauerit aliquis Herodis leuitatem ab infœlicibus discerptam & conuulsam mulieribus. Quid verò dixerit, aut quomodo explicauerit quispiam intemperantem mulierum illarum improbitatem? Mihi quidem videtur nulla esse in mundo fera, quæ possit conferri cum mala muliere. Sed nunc à me verba fiunt de mala. Scio enim esse multas moderatas & bonas, quarum me vitæ oportet meminisse ad ædificationem, & amorem eorum quæ sunt bona & honesta. Nulla ergo fera est in mundo conferenda cum mala muliere. Quid inter quadrupedes est leone vehementius? Sed nihil est. Quid verò inter serpentes est dracone crudelius? Sed nihil est. Imò verò & leo, & draco illi in malo cedunt. Ei autem quod dico, fert testimonium sapientissimus Salomon, qui dicit se malle habitare cum leone & dracone, quàm cum mala muliere, & loquaci. Et ne putes Prophetam dixisse ironicè, accuratè & diligenter disce ex rebus ipsis. Danielem in lacu leones sunt reueriti: Iustum autem Naboth Iezabel occidit. Cetus Ionam seruauit in vtero: Dalida autem Sampsonem tradidit alienigenis. Dracones, & aspides, & cerastæ Ioannem formidarunt: Herodias autem ipsum in cœna interfecit. Corui Heliam in monte aluerunt: Iezabel autem ipsum post beneficium persequebatur ad cædem. Quid enim dicebat? Si tu es Helias, & ego Iezabel: hæc mihi faciant dij, & hæc addant, si non cras hac ipsa hora ponam animam tuam, tanquam vnius ex mortuis. Et timuit Helias: Et ambulauit pro anima sua, & abiit in desertum viam quadraginta dierum: & venit sub Armathen: & petiit vt anima sua moreretur, & dixit: Domine Deus sufficiat mihi nunc: accipe animam meam, quoniam non sum melior quàm patres mei. Hei mihi, Prophetã Helias timuit mulierem, qui pluuiam orbis terræ gestabat in lingua. Qui ignem è cœlo deiecit, & precibus suscitauit mortuos, timuit mulierem? Certè timuit. Nullum enim vitium confertur cum muliere mala. Ei autem quod dico, fert testimonium Sapientia, dicens: Non est caput super caput serpentis: & non est malitia super malitiam mulieris. O malum diaboli arma acutissima. Is per mulierem ab initio Adamum sauciauit in paradyso. Per mulierem, Dauidem qui erat mitissimus, incitauit ad dolo occidendum Vriam. Per mulierem, sapientissimum Salomonem vulnerauit ad transgressionem. Per mulierem, filios Heli sacerdotis humi prostrauit. Per mulierem, Ioseph vinctum inclusit in carcere. Per mulierem, totius mundi lucernam Ioannem occidit. Quid autem dico de hominibus? Per mulierem, Angelos è cœlo deiecit. Per mulierem omnes interficit. Mulier impudens nulli parcit. Non honorat Leuitam: non colit sacerdotem: non reueretur Prophetam. O malum quouis malo peius mulier praua. Etiamsi sit pauper, plena est improbitate. Quòd si habeat opes, opem ferentes improbitati, duplex malũ. Fera est quæ non potest cicurari. Scio aspides blanditiis mansuefieri, & leones, & tigres, & pardos cicures fieri & mites. Mulier autem mala si afficiatur contumelia, insanit: adulatione autem & blanditiis insolescit. Si maritum habeat diuitem, eum verbis labefactans, ad cædem fraude faciendam incitat, sicut Herodias Herodem: & si maritum habeat pauperem, ad iras & pugnas eum excitat. Et si vidua, omnes præ se habet contemptui. Domini enim metu lingua non frænatur. Non ad futurum aspicit iudicium: non ad Deum intuetur: non nouit seruare leges amicitiæ. Malæ mulieri nihil est maritum suum tradere ad mortem. Iustum quidem certè Iob eius vxor tradidit ad mortem blasphemia, dicens: Dic aliquod verbum aduersus Dominum, & morere. O improbam naturam: ô impiam voluntatem. Non miserta est videns sui mariti viscera à feruentibns pustulis, tanquam à carbonibus scintillas emittentibus, vstulata, & totas carnes possessas à vermibus. Non inflexa est ad misericordiam, videns eum omnino circumagi, & laborare, patique difficultatem crebri & interrupti spiritus. Non mota est miseratione, videns eum qui aliquando fuerat in regia purpura, tunc iacentem in sterquilinio nudo corpore. Non meminit veteris cum eo consuetudinis, neque quàm multa, & gloriosa per eum fuerat consecuta: &

quantum

quantum propter ipsum floruerat. Sed dic aliquod verbum aduersus Deum, & morere. O gratia mulieris: ô malagma dolores præmolliens: ô lex amicitiæ coniugalis. Cùm tu ægrotares, tale ne vnquam verbum est elocutus: & non precibus, & benefactis morbũ absterſit & expurgauit? Non enim ſufficiebat ei, quæ erat ad tempus diſciplina: ſed etiam & æternum conciliabat ſupplicium per blaſphemiam. Neſcis quòd omne peccatum dimittetur hominibus: quod autem eſt contra ſpiritum ſanctum, non remittetur neq; in hoc ſeculo, neq; in futuro? Vis videre aliam quoq; coniugem eiuſdẽ improbitatis? Vide mihi Dalidam. Illa enim cùm virum fortiſſimũ totondiſſet Sampſonem, tradidit ſuũ maritum alienigenis: ſuum thori cõſortem, quem fouebat, cui blandiebatur, cui aſſentabatur, quem ſimulabat ſe plus quàm ſe amare: quẽ heri fouebat diligens, hodie ſepeliit decipiens: quẽ heri diligebat, hodie decipiebat. At non erat formoſus. Et quis fuit illo tempore formoſior? Qui ſeptem capillos ferebat in capite, portans imaginem gratiæ, quæ habet ſeptem lumina. At non erat fortis. Et quis eo fortior, qui terribilẽ leonem ſolus in via ſuffocauit: & vna aſini maxilla decẽ millia proſtrauit? Quinetiam erat ſanctus, & adeo ſanctus, vt ipſe aliquando ſitiens, in aquæ inopia precatus fuerit, & ex mortua quæ ab eo tenebatur maxilla aqua ſcaturierit, & ex ea ſitis hauſerit medicinam. Et eum qui erat tam formoſus, tam fortis, tam ſanctus, cùm propria vxor vinxiſſet, tanquã hoſtem, eum tradidit alienigenis. Quomodo autẽ factum eſt, vt eum qui erat tam fortis, ſuperaret mulier? Ex ipſius mariti bonitate. Myſterium enim eius virium noctu ſuffurata, eum nudum loris validis alligauit. Et ideo tibi præcipit Sapientia: Caue à tua thori conſorte, ne ei aliquid reueles. Quænam, dic mihi, fera aduerſus ſuum maſculum talia eſt machinata? Quænam draconis fœmina ſuum maritum tradit ad cædem? Vides quàm aptè dixerit Sapientia: Non eſt caput ſuper caput ſerpentis: & non eſt malitia ſupra malitiam mulieris. Et vt ſemel dicã: Qui mulierem habet malam, ſciat ſe iam accepiſſe mercedem ſuarum iniquitatum. Neq; hoc dicitur ſine teſte. Audi Sapientiam dicentem: Mulier mala dabitur viro iniquo pro malis operibus. Sed de malis mulieribus hæc hucuſq; dicta ſint. Oportet autem nos quoque meminiſſe bonarum, maximè propter eas quæ adſunt. Cur ergo bonæ? Quòd bonorum virtutes vident tanquam proprias, & illorum labores tanquam ſuos reputant. Bona mulier, & hoſpitalis fuit illa beata Sunamita, quæ cùm rogaſſet maritum, Eliſæo ædificauit domunculam, vt tranſiens abſq; impedimento poſſet requieſcere, ei poſito lecto, & candelabro, & menſa: lecto, inquam, non ſine veſtibus, ſed qui ſtragulas veſtes habebat Prophetæ conuenientes: candelabro, non ſine candela, ſed cum oleo quod lucem irrigabat: menſa, non defecta panibus, ſed cibis abundante. Quid autem dixerit quiſpiam de beata illa vidua, quæ ſuſcepit Eliam prophetã? Cui nihil impedimenti attulit pecuniæ inopia, propter opes bonæ voluntatis. Cui non aderat frumentum, non vinum, non aliquid aliud terrenum ad conſolandam paupertatem: non ager frumenti fertilis ei ſemen panis afferebat: non botrum ſuauiſſimum ei vitis producebat: nõ dulciſſimum fructum arbor ei ferebat. Quomodo enim, cui ne locus quidem agri vnius palmi erat ad ſerendum, neq; ſolum vnius cubiti ad plantandam vineam: ſed in tempore meſſis per agros curua incedens, ſpicas quæ è manibus meſſorum excidebant, colligens, pro modo temporis vnius anni reponebat alimentum? Ad hanc abiit Elias tempore famis, quando vniuerſa terra propter humoris egeſtatem propemodum feriabatur, & ſiccitate aperiebatur: quando cœlum inflammabatur: & aër erat æneus: & nubes refrænabantur: quando non erat herba, non flos, non germen baccarum, non aura roſcida ſummas ariſtas agitabat: quando fuerunt attenuati fluuij, & fontes vbera aquarum nimio æſtu conſtrinxerunt: & mare ſalſum penitus effectum eſt, repreſſis, quæ id ingrediebantur, dulcibus aquis & pluuiis: tunc, inquam, abiit Elias ad pauperculam, ad viduam. Qualia autem patiatur vidua etiam lætis rebus, ſcitis. Dimiſit Propheta diuites, quibus erat copia panis: & è monte deſcendens, venit ad ipſam. Cur autem qui ignẽ de cœlo verbo dimiſit, non ad ſe potius panes detulit? Non poterat? Poterat certè. Sed hoc non fecit. Quamobrem? Ne hoſpitalitatis fructibus priuaret viduam, & vt alioqui pugillum farinæ, & modicum olei multiplicaret per benedictionẽ. Non enim tantum venit Propheta vt aleretur, quantum vt aleret pauperculam, vt probaret cor occultũ, & bona voluntate præditum. Hoc facit Deus. Nam cùm poſſit omnes qui ſunt in mundo per ſe nutrire, ſuſtinet dationẽ, vt corda quæ ſunt bona voluntate prædita in tempore hoſpitalitatis per fructus diſcernat. Quando autẽ nulli fuerint, qui ipſos debeant excipere, aut nutrit per aues, vt Eliam in monte: aut per Prophetam peregrinum, vt Danielem in lacu: aut per animal marinum, vt Ionam per cetum: aut ipſe per ſe pluit alimentum, ſicut patribus noſtris. Nam cùm non eſſent qui eos deberẽt excipere, manna pluit è cœlo, & aqua è petra ſcaturiit. Quando autẽ fuerint ſancti in mundo verſantes cum aliis, dexteram ſuam manum retrahit: & ſi eos videt afflictos, emittit vt per id quod in ipſis confertur beneficium, det locum multis volentibus adipiſcendæ ſalutis. Abiit ergo Elias ad viduam, quæ nihil aliud habebat niſi pugillum farinæ, quæ vix ei &

eius filio sufficiebat in tempore prandij. Et quid ei dicit? Sume mihi parum aquæ in vase, vt bibam. Cùm ea autem iret, clamauit post eam: Sumes etiam mihi frustũ panis in manu tua. Illa autẽ id quod non habebat quidem, dixit: quod verò habuit, est confessa. Viuit Dominus si est mihi panis, nisi pusillus farinæ, & parum olei in lecytho. Mirandum est, quòd in tali ciborum inopia non negauit eas, quæ ei aderant, reliquias paupertatis. Quàm multi nunc, qui aurum habent & argentum, si rogentur, renuunt amicis benefacere: etsi etiam blanditiis deliniantur, inficiantur se habere. Quàm multi, qui si rogando inflexi fuerint ad dandum, conficiunt literas ferro valentiores: & manum quæ suscipit, alligant schedulis, satisdatores & fideiussores auri requirentes. Illa autem vna voce pugillum farinæ non negauit. Et quid ei dicit Propheta? Festina, & fac mihi primum panem subcinericium: postremò autem tibi, & filio tuo. Tentatio erat verbum Prophetæ, probatio cordis, examinatio voluntatis. Erat autem cor illius beatæ quodammodo positum in trutina, & dubium quonam vergeret: ad filij ne sui beneuolentiam, an ad hospitalitatem erga Prophetam. Illa verò eligit potius se & filium adducere in angustias, quàm Prophetam non suscipere. Sciebat enim quòd qui suscipit Prophetam in nomine Prophetæ, mercedem Prophetæ accipiet: Et qui dat poculum frigidæ in nomine discipuli, non perdet mercedem suam. Quid est autem quod dixit Propheta: Festina? Adeóne esuriebat, vt opus esset festinatione? Non omnino. Sed tacitè significabat, beneficentiam hilariter & spontaneè, & non cum dolore & necessitate impendi debere: hilarem enim datorem diligit Deus. Festina, & fac primum mihi, quomodo Abraham in aduentu Angelorum festinauit ad boues, & tulit vitulum, vt acciperet agnum. Et quomodo Sara festinauit ad panes subcinericios, vt acciperet panem, qui est occultus in cœlis. Festina, & fac, sicut Abraham, Deo sacrificia. Non prius tibi, & tunc mihi, sicut Cain, & Ophni, & Phinees filij Heli sacerdotis, qui Deum contemnebant, primi accipientes primitias donorum, quæ Deo offerebantur. Tunc ipsa quidem festinanter fecit, quod iussa fuerat. Ille autem cùm illum accepisset panem subcinericium, & gustauit, & eius domũ impleuit bonis. Non deficiet enim, inquit, pugillus farinæ ex hydria, & oleum ex lecytho, donec dederit Dominus pluuiam super terram. Quare eousque? Oportebat enim cùm noua gratia venisset, tanquam pluuia, veterem legem finem accipere. Vides quemadmodum fructus hospitalitatis perceperint bonæ mulieres? Bonorum enim laborom sunt gloriosi fructus: & non potest radix excidere prudentiæ. Audiuistis, mulieres, malarum mulierum actiones, & bonarum virtutes. Illas ergo odio habete, has verò diligite, vt earum cursus insistentes vestigiis, annumeremini in eundem chorum sanctorum, In Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREAE HIEROSOLYMITANI Archiepiscopi Cretæ, Oratio, de amputatione capitis venerandi Prophetæ, Præcursoris, & Baptistæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

IPSA etiam senectus vt plurimum exilit, roborata à prompto & alacri animi studio: imbecilla quoque roboratur, & confirmatur oratio, quæ vires cepit ab incitatione auditorum. Hoc ipsum nunc quoque nostræ vsu venit orationi, quæ ad suscipiendum quidem argumentum encomiorum impellitur ab iis qui sunt congregati. Sed quando considerat eum qui est laudandus, veretur suas educere copias. Et oratio quidem (vt dicam Apostolicè) est imbecilla, & contexta ex instrumentis, quæ sunt planè debilia. Encomiorum autem argumentum, eò magis cuiuslibet orationis superat facultatem, quò ex illa cum natis mulierũ comparatione maiorem præstantiam adeptus est: adeo vt sola & prima illa voce opus habeat primi, & solius secundùm naturam Dei verbi, virtutisque & potentiæ. Atque eiusmodi quidem est argumentum, & sic se habet. Nostræ autem orationis imbecillitas quanta sit, fuit vtcunque ostensum. Et nobis quidem proponit argumentum Ioannem, qui est maximus inter natos mulierum: quo ex iis qui à seculo extiterunt, nullum maiorem, nec ex Patriarchis, nec ex Prophetis, pronunciauit verbum salutare. Oratio autem, Verbi, quod fuit ante secula, vocem laudare aggrediens, ad suas verò vires respiciens, illud propemodum amplectitur silentium, quod Zacharias sustinuit in adytis propter incredulitatem: donec ipsa nostrum præueniens sermonem soluerit silentium, vt quæ verè sit vox Verbi, quod est secundum naturam. Hoc autem dabit omnino, tanquam vox ipsius verbi, non vt ipse maiorem gloriam consequatur (quænam enim ei gloria accesserit, cui à Domino talis fuit contexta corona, quali ex terrigenis nullus fuit redimitus?) sed vt nos illius laudibus deducamur ad imitationem. Hoc enim vult Deus, qui glorificat eos qui ipsum glorificant: & extol-

extollit eos, qui ipsum extollunt. Consequenter autem procemio æquum esse arbitror, vt præsentis diei scopum explicemus pro viribus, ne inutiles, ac sine fructu hinc domum reuertamur. Is autem est Baptistæ loquendi libertas ad Herodem, quam hodie aperiens liber Euangelicus apertè enunciat. Illam dico loquendi libertatem, in quam nulla cadit reprehensio, vt quæ tota apparuerit pura, & minimè mixta iis quæ sunt creatæ naturæ. Libertatem, inquam, quæ tam plena fuit, & tam redundans, vt nihil interesse arbitraretur inter priuatum, & Regem (est enim in vtrisque communis redargutio, quando actio ipsa similem exigit reprehensionem: quinetiam illam, vt quæ esset Dei Prophetæ, conueniens erat despicere: quid enim aliud faceret, qui zelo incitabatur eius pręceptorum?) purpuram, thronum, diadema, & omnia quibus se iactant, qui sunt inflati tumore inanis gloriæ: liberè autem dicere veritatem & absque vllo timore, & nihil reticendo aperire legis autoritatem, quoniam volebat ostendere optimam esse legis constitutionem. Quomodo enim qui est inter legem & gratiam intercessor, legis gloriam despiceret, cùm legem defenderet? Quòd autem legis defensor fuerit Domini Baptista, quis est adeo stolidus, vt non hoc quod reliqua præcedit, statuat esse primum caput eorum, quæ ab illo restè facta sunt? Qualis verò esset ei zelus, & quàm vehemens & inflammatus, declarabit Euangelium.

In illo tempore audiuit Herodes Tetrarcha de Iesu, & dixit pueris suis: Hic est Ioannes Baptista, ipse surrexit à mortuis: & ideo virtutes operantur in eo. Ipse enim Herodes tenuit Ioannem, & ligauit ipsum, & posuit in carcere, propter Herodiadem vxorem fratris sui. Dicebat enim ei Ioannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Et cùm vellet eũ occidere: timebat turbam, quoniam eum habebant tanquam Prophetam. Cùm ageretur autẽ dies natalis Herodis, saltauit filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi. Quamobrem cum iureiurando est ei pollicitus se daturum quod petiisset. Illa verò inducta à matre sua: Da, inquit, mihi hîc in disco caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus est Rex. Propter iusiurandũ autem, & propter eos qui simul accumbebant, iussit dari. Et misso spiculatore, decolauit Ioannem in carcere. Et allatum est eius caput in disco, & datum est puellæ, & illa tulit ad matrem suã.] An non tibi videtur zelo fuisse incitatus, & omniũ qui zelo mouentur, zelo incitatissimus? adeo vt ne vsq; ad occisionẽ quidẽ prodiderit veritatem, neq; de zelo remiserit aliquid, idq; apud Regem contendens. Cogita enim quanta res erat videre hominem pilis cameli indutum, & zona pellicea succinctum: Regem autem superbum, supercilia attollentem, in alto sedentẽ, sed quem vinctum tenebat tyrannus voluptatum. Cogita quãtum intersit inter Regem, & priuatum: inter bellatorem, & Eremitam: inter eũ qui concionatur in ciuitatibus, & eum qui versatur in solitudinibus. Si vis aliquẽ ex iis qui ante hunc virum in lege refulserũt, producamus, vt videamus quis zelo fuerit feruentior. Vt verbi causa illum qui inter zelo accensos est magnus Phinees, qui Seromaste Madianitidem confixit vnà cum Israëlita. Sed res non sunt pares, nec in similibus rebus fuit contentio. Nam ibi quidem etsi ad multos scelus peruenerat, non erat tamen vir aliquis eximius & excellens, in quem ille suum zelum intendit. Hic autẽ Rex, & quid aliud nisi in lingua ferens mortis sententiam, & accepta occasione spirans cædem in eos qui erant in eius potestate? Quid verò ille magnus, & magno zelo accensus Elias, qui quadriiugem igneum currum egit, & super terram sublimis sublatus est: & cœlo quidẽ frænum imposuit, vt diuturno tempore non plueret, & in terra esset fames trium annorum, & semper clamabat: Zelans zelaui Domino. Et quomodo irã non ferens, exilium & fugam, tanquam domum propriam, & solitudinem amplectebatur, non secus atq; ciuitatem? Cuius autem mulieris? Libidinosę, furore percitæ, quæ colebat idola, deosq; & dæmones adorabat: In quibus etiã fecit infelicissima mulier, vt peccaret Israël. Sed hucusq; quidem nobis currens oratio Ioannem ostendit æmulatorem præstantiorem, quàm ij qui præcesserunt, quòd illi quidem improuisam, hic verò manifestam, & ante oculos mortem habebat. Sed rogabunt fortè aliqui ex iis qui festis delectantur, quid sibi vult, quòd loquẽdi libertate, & zelo, tanquam magnifico aliquo & splendido ornamento, coronatur sacrosanctum caput Baptistæ, perinde ac si desit virtus aliqua aut actio gloriosior, quæ possit ornare Domini Præcursorẽ? Et quis æquè fuit virtutibus supra modũ plenus, atq; magnus ille Ioannes, qui solus ex omnibus inter natos mulierum, Sacerdos, & Baptista fuit electus ab eo, qui est solus, & primus Pontifex, & qui omnes purgat spiritu, & igne baptismatis? Habet quidem ô dilecte, oratio multa argumenta rectè factorum Ioannis: sed non vacat, relicto diei argumento, ad alia nunc excurrere: quoniam non est hæc lex encomiorũ. Ego autem magnarum, & admirabiliũ, quæ illi insunt rerũ, & quibus insigniter cognoscitur, dimisso splẽdore, ad quẽ accedi non potest, statui veluti quoddam paruum condimentũ oportere vobis proponi, qui 3 festo delectamini, explicationẽ prius lectæ historiæ. Mauult enim Baptista suis ornari ornamentis, quam alij externis. Age ergo percurrentes ostendamus tanquã in tabula, multis laudibus celebrandã Præcursoris decertationẽ, quã audacter & strenuè peregit, pro eo quod bonũ est.

3 *Ecce festum decollationis Ioannis Baptistæ.*

In illo, inquit, tempore, audiuit Herodes Tetrarcha famam de Iesu, & dixit pueris suis: Hic est Ioannes Baptista. Ipse surrexit à mortuis, & propterea virtutes operátur in eo. Hæc quidé postea. Quæ autem antea fuerunt, qualia? Herodes quidem adulterabat vxorem fratris Philippi. Ioannes autem Herodem arguens, prohibebat ne se iniquè gereret. Quomodo, & quánam ratione? Non licet tibi, dicebat, habere vxorem Philippi fratris tui. Hoc Herodem ad furorem cõcitauit. Hoc effecit, vt is cædem spiraret. Sed non celebris ille & magnus inter Prophetas, aut timore est repressus, aut cessauit reprehendere. Sciebat enim legem, quæ hanc de medio tollebat libidinem, non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Legi, inquit, Dei resistis, tabulis quæ sunt à Deo impressæ characteribus, repugnas præscriptis Mosis. Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Et ille quidé à ratione alienæ voluntariæ congressionis obrutus delitiis, neq; se potuit erigere, neq; aspexit ad lucem veritatis: sed mansit grauatus crapula libidinis. Hic autem perseuerauit corrigere, docere, admonere, vt consentaneum fuit Dei Prophetam facere. Ille verò etsi, vt dicit Euangelium, sciret eum esse virum iustum, & sanctum, & eum libẽter audiret, & audiens eum multa faceret: nihil eorum aut intellexit, aut voluit intelligere. Non Prophetam iis quos oportuit affecit honoribus. Non legis grauitatem vel tantillum est reueritus. Neq; si nihil aliud, supplicia quidem certè, quæ ab illa aduersus eos qui sunt tales, intentat, ipsum vllo pudore affecerunt. Dicam id quod est maius, & maximè cognitum. Ne illum quidem Achab, alterum mulieris mancipium est imitatus, qui tunc habebat Iezabel magistrum multorum deorum cultus: sicut nunc hic Herodiadem libidinis & intemperantiæ. Nam ille quidem cùm audiisset ab Helia Thesbita irã quæ accendebatur in eum à Domino, & mala quæ ei & suis erant apertè euentura: & reprehensionibus apertè esset consauciatus, propter improba & nefaria quæ perpetrarat facinora: non succensuit, non se insolenter gessit, non probrum duxit, aut cõtumeliam Prophetæ reprehensionem: sed vt Dei Prophetam, & diuina loquentem, illum quidem in honore habuit: hæc verò, tanquam Dei præcepta, prosecutus fuit reuerentia. Quid autem facit? Audi libros Regum. Et dixit, inquit, Dominus Heliæ Thesbyitæ: Surge, & descende in occursum Achab Regis Israël, & loquere ei dicens: Hæc dicit Dominus: Quoniam tu occidisti Naboth, & fuisti eius hæres, propterea hæc dicit Dominus: Inducam super te mala, & inflammabo post te, & exterminabo ex Achab mingentem ad parietem. Et alia quibus iram minis intentat, non aduersus illum solùm, sed etiam aduersus Iezabel. Quomodo tentauit, inquit, facere malum coram Domino: & quomodo eum transtulit Iezabel vxor ipsius? Is, inquam, cùm hæc audiisset, quid facit? Non cædem spirat: non ad iram incitatur: sed mœrore affectus ad tristem se conuertit habitum: & suum magis agnoscit vitium, non se superbè & insolenter gerens aduersus reprehensioné prohibitam. A sermone enim, inquit, compunctus est Achab à facie Domini. Et egressus est flens, & scidit tunicam suam: & ieiunauit: & sacco est indutus. Quid ergo, qui omnium nostrûm conuersionem expectat Deus, qui tardus est ad percutiendum & velox ad seruandum? Audi scripturam. Et dixit Dominus: Vidisti Helia, quomodo compunctus fuit Achab à facie mea? Propterea non inducam malum in diebus eius. Vidisti summam iram? Vidisti celerem mutationem? Non oportebat Herodem hæc scientem hoc modo se gerere? Non si hoc nolebat, suum saltem de Ioanne reuereri testimonium? Certè non ita se gessit. Quid ergo? ad cædem transtulit libidinem. A nuptialibus ad cædis instrumenta mentem tradidit sceleratam. Mali mores, scopus & institutum, quod non potest castigari. Oportebat enim, si suum nolebat vitium dimittere, at Prophetam saltem non tangere, cùm sciret eum iustum, & sanctum: & sæpe eum audiret, & multa propter ipsum faceret, & lubenter ab eo doceretur. Sed qualis fuit ei finis consiliorũ: & ad quem improbitatis impetum eum ducens, incitauit cædem spirans libido, audiamus Euangelistas: Et cùm fuisset, inquit, dies opportunus, quando Herodes in eius natalibus faciebat cœnam suis proceribus, & tribunis, & primis Galilææ: & ingressa esset filia ipsius Herodiadis, & saltasset, & placuisset Herodi, & iis qui simul accumbebant, dixit Rex puellæ: Pete à me quod volueris, & dabo tibi, vsque ad dimidium regni mei. Quamobrem cum iureiurando promisit ei dare quod petiisset. Illa verò egressa dixit matri suæ, Quid petam? Illa autem dixit, Caput Ioannis Baptistæ. Et ingressa cum festinatione ad Regem, petiuit dicens: Volo vt mihi des protinus in disco caput Ioannis Baptistæ. Et dolore affectus est Rex: propter iusiurandum tamen & propter eos qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Et statim misso spiculatore, iussit Rex afferri eius caput. Ille auté eum decollauit in carcere: & attulit caput eius in disco, & dedit ipsum puellæ: & puella dedit matri eius. O acerbos natales, & cœnam cæde plenam. Conseruasti tibi hunc honorem? Has ad tuum natalem adduxisti delitias? Tale tibi parasti conuiuium? Eiusmodi fluentis sanguinis oportebat cœnam temperare cõuiuiis? Sic honorasti tribunos, & tam benignè excepisti amicos? Tu neq; Dauidé es imitatus, qui à Nathã fuit reprehẽsus, & pœnitentia, nõ auté insolentia à se peccatũ depulit: Neq; Saulem, qui

qui à magno Samuele, præsente toto Israëlitico populo, fuit quidem reprehésus, sed propter suam in prophetam reuerentiam nihil ei mali fecit. Non animaduertisti ô miser, te Achab in Naboth scelus conduplicasse, quòd ille quidem propter vineæ cupiditatem, tu autem propter mulieris adulterationem, & fraterno cubili paratas insidias, & quod est omnium extremum, cædem prophetæ, idque in die delitiarum, & in mysterio natalium, quod tunc celebrabatur: Vtinam non esses natus, neque in lucem venisses super terram. Vtinam perijsset semen ex quo germinasti: & vterus, ex quo es egressus. Dic enim: Qua de causa interfecisti prophetam, qui vera tibi dixerat, & te reprehenderat de ijs quæ non erant facienda? Cùm in promptu habere posses, vt malum cogitans resipisceres, & declinares à scelere, aut mentem ad arguendi libertatem dirigens, temperanti cogitatione adhibita, id quod est præstantius amplectereris, & in hoc ipso victor fieres: prolapsus es ad contrarium, malo malum addens, non vt oportuit repellens. Etsi reprehensiones quidem ægrè ferens, eò deductus es, hoc apertè arguit te fuisse alienum à disciplina. Diligere enim oportebat, non occidere, vt videtur Salomoni, eũ qui reprehendit, ne ipse quoq; audires: Odio habuerunt in portis eum qui reprehendit, & sermoné sanctũ sunt abominati. Si autem cùm velles seruare iusiurandum cædem præposuisti, vt qui fugeres baratrum periurij: at oportebat regiam prudentiam, iusta intelligentię trutina alterius cum altero expendere comparationem, & stare à meliori parte: Inconsiderata autem mente factum est à te contrarium. Quis fuit qui ab initio te coëgit iurare? Quid puellæ Mænadis saltationi commune est cum occisione prophetæ? Quænam est societas iræ cum lætitia? Sin verò propter iusiurandũ, vt ipse opinaris: at ne sic quidẽ oportebat calculum sentẽtiæ permittere ebrietati. Lætitiæ enim erat tempus, non cædis. Resque erat planè absurda, & peruersa. Opus erat tempore sobrio, & mente quieta ac tranquilla: futura enim erat non leuis rei iactura. Verumenimuerò si quid ex tuis malis in te latẽs erat antea occultum, id aduersus te manifestum reddidisti, cæde aperiens flagitium, cuius arguebaris. Quid enim necesse erat eum qui in occulto prohibebat adulterare, reprehendentem ducere in triumphum? Tu igitur dum cædem facis, argueris libidinis. Ordinem conuiuij confudisti, ô homo. Nam cùm conuiuio statuisses excipere, consultò conuiuas affecisti molestia. Quid facis ô miser? Pro cibo, hoc adesum caput Baptistæ introducis? Pro cratere, tale merũ fundis conuiuis? Tale poculum Rex suis temperat consiliarijs? An non vides, quantum sit malum intemperantia, & actio libidinosa? Ad te parum redi, si vis, & intellige, quòd nihil hominem tanto afficit detrimento, aut externum tantum depascit hominem, quantum ira ei dominans. Tu autem cùm ex redundanti quadam copia his mentem coniunxisses, animæ sensum redegisti in seruitutẽ. Atqui omnium earũ quę sunt in nobis animi perturbationũ, has duas maximè generales definiunt ij, qui sunt in his rebus tractandis sapientes: nẽpe iram, & cupiditatem. Quarum vtraque in te dominatũ obtinens, tyrannico non priuato impetu, regnauit infeliciter. Cupiditas quidem sine vllis machinis adhibitis obsessam tuæ mentis arcem capiens, & animi qui regi non potest, effecta veluti præses: Ira autẽ te tam diu in seruitutem redigens, donec in profundum inferorum, & in profundam malorum charybdim præcipitauit. An non hæc est via eorum qui iniqua perpetrant? Aliter ne putas eos, qui sic capti fuerunt, à iustitia puniendos examinari? Sed rursus audiamus vocem Euangelij. Cùm enim, inquit, agerentur natales Herodis, saltauit Herodiadis filia in medio, & placuit Herodi. O amentiam: saltatio adolescentulæ, Regis cepit prudentiã. Fracti manuum motus, & pedum celeritas, & membrorũ tractus, firmum & validum Regis sensum eneruârunt. Non audiuisti Alexandrum Philippi filium, septem Darij filias ad se ad consuetudinẽ esse adactas, regaliter ægrè tulisse, & magnum illud & temperantiæ plenum dictum esse elocutum: Turpe est nos, qui viros vicimus, vinci à mulierum pulchritudine. Adeo es incautus? adeo intemperans? Non audiuisti diuinam vocem, quæ dicit: Videte ne mors ascendat per fenestras. Dico autem sensus, quibus homo internus illaqueatur. Quid eorum quæ ad voluptatem pertinet, non habet saltatio Corybantica? aut Musica instrumenta ad demulcenda comparata, sambuca, & cythara, & nabla, & tybia? Qua autem non est plenum turpitudine corpus, quod celeriter mouetur, & membra, quæ tanquam turbo rotantur? quæ sunt reuerà simulachra eorum qui sunt correpti à dæmone. Tu autem cùm his, tanquam cerui hinnulus, esses telis confossus, & tanquam volucris visco implicatus, neque vt caprea seruatus es ex retibus, neque vt auis liberatus es à laqueo: sed tibi fuit laqueus mulieris saltatio, & fouea præceps, furor ille quo in eam fuisti concitatus. Et saltauit, inquit, filia Herodiadis in medio, & placuit Herodi, & dixit: Pete à me quod volueris, & dabo tibi. Et cùm iureiurando pollicitus est se ei daturum quod petierit vsque ad dimidium regni sui. Esto, placuit tunc tibi puella quæ saltauit: Oportebat te aliquid munificè largiri puellæ, sed eorum quæ licent, & dari possunt, non eorum quæ sunt nimis excellentia: eorum quæ voluptate afficiũt conuiuas, non eorũ quæ molestia, non caput sancti Prophetæ.

Sed propter iusiurandũ, inquit, & eos qui simul accumbebãt, noluit ei abnuere. O amentiam, & prætextum, qui est planè sine ratione. Si enim petijsset, vt à regno excederes, quemadmodum esses executurus quod ei iuraueras? Si autẽ petiisset etiam vt matris effoderentur oculi, aut etiam imperasset, vt omnino recederes ab eius consuetudine, impleuisses ne quod petijsset? Sed propter iusiurandum, inquit, & eos qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Id enim quod dicitur, eò deducit necessitatem inexcusabilem. Quid ergo fecisses, si ex ijs quæ dicta sunt, vnum proposuisset? Sed vt videtur, omnis qui facit peccatũ, est seruus peccati. Nam qui voluptati suam subiecit rationem, fit quidem, sed non apertè, seruus motuum animi. Qui autem iræ impulsione vtitur vt ei deseruiat, suam apertè indicat affectionem, vt qui morum euentu illud aperiat quod suggerebat affectio, cui subiectus fuerat, ira non prius desinente, donec voluptatis rete inscium hominem condemnauerit. Vides in quantam tibi prolapsa sit absurditatẽ prolatio iusiurandi? Magna insania, mentis cœcitas, & vecordia hanc tibi peperit stultitiã. Pete à me quod velis, & dabo tibi vsque ad dimidium regni mei. Adeo eras incautus, adeo leuis & facilis, vt non dimouereris à suscepta cogitatione, neque perspiceres te id quod non oportebat, admittere citra examinationem? Considera quò tibi redierit, & quàm parum in te esse consilij arguerit, quòd temere iuraueris. Facilè autem abripi ad assentiendum, dico non esse Regis iudicium. Profusi autem oris morbus intemperans, quem cùm ipse subijsti, quod non erat iudicatum, tanquàm iudicatum, suscepisti (talis enim est mens effrænis, & incauta oratio) non est eius quod bonũ est, & honestum iudicij cogitationes moderantis: sed mentis non prohibentis facere quæ sunt contraria: quæ est etiam priuata sensu, qui est secundùm naturam. Sed Herodes quidem qui tam leuiter & miserè est inductus, hoc retulit, vt eius semper fieret misera commemoratio. Quid verò puella iniquitatis, esca adulterij, hamus Herodis, laqueus in quem ille prolapsus offendit, & captus non effugit? Dixit, inquit, matri suæ: quid petam? Cùm verò ab illa docta fuisset: Da mihi, inquit, hic statim in disco caput Ioannis Baptistæ. Vide Euangelistam ea semper quæ vera sunt adducentem. Quid enim dicit? Herodias autem ei insidiabatur, & volebat eum occidere, & non poterat. Herodes enim timebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum: & eum audiens multa faciebat: & lubenter eum audiebat. Vides etiam ante iusiurandum sceleratæ isti fœminæ mentem fuisse inimicam & infestam prophetæ? Et quid hoc testimonio possit esse euidentius? Libertatem enim loquendi, & zelum Ioannis ostendit, propterea quòd Herodem reprehenderet: & quæ longo tempore in profundo ab ea alebatur, iram producit in conspectum auditorum. Hoc enim simul significat & ostendit illud, insidiabatur. Nam illud quoque: Non poterat: ostendit Herodis in Ioannẽ honorem & reuerentiam, & quòd eum sanctum habebat & iustum: & eum audiens multa faciebat, & lubenter eum audiebat. Si autem superiorum fiat comparatio cum inferioribus, ea magnam in se habent differentiam, & res non sunt æquales, vt quas temerè ageret is, in cuius eæ erant potestate. Nam primæ quidem, nempe loquendi libertas, & zelus, & reprehensio, Regis increpabant amentiam, & ipsum se iniquè gerere, & fratris violare cubile, cõducibiliter apertè arguebant: & tamen in honore habere, & reuereri Dei prophetam, tanquam iustum & sanctum, tunc locum habuit. Quæ autem deinceps sunt consecuta, sunt dissimilia omnino & discrepantia, & nullo modo conferenda cum prioribus. Quanam autem de causa, & propter quid? Temulentus enim diuertit ad leuem & friuolum prætextum, quasi propugnaculũ ebrietatis. Quo factum est, vt propter frigidum iusiurandum, & conuiuarum reuerentiam, nefario concubitu maiorem pareret iniquitatem: vt qui tanquàm in scæna ludens actum illum exercuerit, ratus fore vt lateret oculum qui minimè falli potest. Quónam modo? Dolore, inquit, affectus est Rex. Sed propter iusiurandum, & eos qui simul accumbebant, noluit ei abnuere. Quid hac simulatione est magis abominandum? Quid autem illo iusiurando est miserius ad impietatem? Nam cùm ei liceret magis pio prætextu, & regio sensu iusiurandum expellere, malum malo perfecit. Misso enim spiculatore iussit abscindi caput Ioannis, & dari puellæ. Vidisti hebetudinem summam, & leuitatem? Non oportebat potius pulchrè peierare, quàm improbè seruare iusiurandum? apertè mentiri, & prophetam non tangere? delicti veniam petere, quem iustè vera dicentem effici iniustum occisorem prophetæ, & sibi iustum recondere iudicium, & gehennæ fieri filium? Si enim petijsset, vt in Deum peccaret, & idola erigeret, & eorũ qui eius parebãt imperio, sanguinẽ libaret, filiosque & filias, matresque & fratres & vxores etiã sacrificaret, quomodo de his factũ repulisset iusiurandum? Quomodo autem id ausus esset implere, cùm Iudæa esset Romanis subiecta, cuius ipse malè gerens tetrarchatum, Rex erat? Sed ille quidem sic incitatus, fuit irretitus à misera puella. Illa autem cùm esset instrumentum ad improbitatem inuentũ, & in se haberet impressam totam matris maliciosam & sceleratam mentem, induit personam eius cui debetur, & tanquam debitum inexcusabile petit à Rege petitionem: Da mihi hic, & protinus in disco, dicens: Quid dabo?

Non

Non aurum inquit, non gemmas pellucidas: non si quid ex ijs quæ sunt in regia est sumptuosum & preciosum: sed caput Ioannis Baptistæ. Quid dicis? Das caput, quod vel ipsi reuerentur Angeli? Das illud caput, super quod cum verbum baptizaretur, spiritus in specie columbæ sedes volauit? Das pro paruæ voluptatis remuneratione illius caput, cuius dextera eum qui sedet à dextera patris, baptizans sanctificata est? Illud caput nefarij ludi exoluis mercedem: cuius lingua in hodiernum vsque diem stetit clamans: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui? Hoc tu caput das in disco puellæ, quoniam tuum amorem accendit ad adulterium, & sauciauit cor saltationibus? Quid facis miser? Fers has leges, quas qui seruat, se iniquè gerit? Ea decernis quæ à Deo separant, & ei quod est iustum, damnum adferunt? Vnde tibi hoc impium & nefarium iussum? Quænam lex impia hæc dictauit? Apage. Hæc non sunt Dei mei, aut legis Mosaicæ. Non audiuisti dicentem Prouerbiorum scriptorem: Libera eos qui abducuntur ad mortem, & eme eos qui occiduntur? Si dixeris: Nescio hoc: Scias quòd Dominus nouit corda omnium, & reddet vnicuique secundùm opera sua. Quid tibi congregas materiam ad æterni ignis conflagrationem? Sed propter iusiurandum, inquit, & eos qui simul accumbunt, hoc facio. Pulchrè. Et quis te ab initio coëgit hoc polliceri? Quis te autem vlla ratione admiserit, aut leuiter laudauerit? Non præuisa enim res est, quæ in rebus obscuris & incertis fit cum iureiurãdo promissio, quando sine distinctione profertur, quòd ratio non acceperit vtrinque examinationem ad conferendum id quod est bonum & malum. Quod prius quoque vsu venit Iephtæ magno illi & celebri Duci, qui inconsideratè vouit, & illud Deo promisit, quod inopia consilij non potuit præuidere, propter inopiam iudicantis rationis, & mentis discretionis, quæ fit in rebus agendis. Oportebat ergo te, cùm puellæ iurasses, distinguere quoque & definire aliquid, quod esset dignum saltatione: non autem caput Præcursoris, quod nullis potest exæquari diuitijs, prodere mercedem nefarij spectaculi. Quid enim tibi, qui Rex eras, volenti pretiosum aut magnificum deerat, quod dares saltatrici pro mercede saltationis? Sed cùm alio modo velles à te depellere deprehensionem nefarij concubitus, maluisti permittere puellæ, vt illam peteret mercedem, quæ, vt tu putas, tollebat reprehensionẽ. Id autem erat caput Baptistæ, cuius, cùm esset Propheta, fuisti interfector, præter expectationẽ quidem & voluntatem duorum conuictus scelerum, adulterij, & cædis, cum malo vnà inducens id quod est longè pessimum. Quænam est hæc amentia? Quis te induxit, vt sic Deum offenderes, & cædem faceres in tempore lætitiæ? Tu quidem existimabas, de medio tollẽs Baptistam, simul etiam cum eo sublaturum esse reprehensionem. Ille autem etsi habitet in sepulchro, & lateat sub terra, nihilominus in te exprimit reprehensionem, dupliciter propter duplex crimen in tuam exclamans vanitatem. Existimabas quoque te illius cæde esse animi motum vehementius accensurum, æstumque amoris quo eras stimulatus, aucturum, & inflammaturum esse voluptatem vehementius. Huius autem rei est apertum indicium, quòd non statim quidem obstruxeris aures ad abominandam illam petitionem, neque citò resilieris, & deploraueris, ægrè ferens impudẽtem saltatricis appetitionem, nec valde eiulaueris, dicens: Veh mihi, si tam breuis, & tam nullius momenti delectationis tantam tradidero mercedem, cui nullus in regia possit par esse thesaurus. Cur enim, cùm oporteret, ad te redeundo, confidenter contraria obiectione negare petitionem, non repugnasti, ô Rex, puellæ petitioni, dicens: Non per Deum, qui in Moyse loquebatur, non dabo: neque pro vili & breui spectaculo talem dabo mercedem. Pretium enim meretricis est tanquam vnius panis, vt dicit Prouerbiũ. Quamobrem ne tantillum quidem ægrè tulisse, aut renuisse, erat signum animi sua sponte assentientis. Oportebat enim vocẽ statim emittendo vehementer deplorare & flebiliter eiulare. Facillimè enim pœnam iurisiurãdi abiurasset, & illata negatione depulisses periculũ periurii. Quónam modo? Contra iusiurandum intulisses iusiurandũ, & prius secundo euertisses. In sanguinem autem Baptistæ & Prophetæ nolle tale iusiurãdum admittere, nedũ exequi, fuerit profectò viri sobrij ac temperantis, & qui scit absque ira ferre reprehensionẽ: quomodo rursus non ægrè tulisse, nec tristem vultum ostendisse, aut quod fuisset modestius, de re parumper deliberasse, arguit te cupidè iusiurandum admisisse. Quod cùm nolles, aut vt verius dicam, non posses intelligere, protinus immitem tulisti sententiam, vt illud caput amputaretur, quod in hodiernum vsq; diem tuam arguit summã iniquitatem. Nam cùm liceret non iurare incautè, neq; iusiurandum permittere ebrietati: sed toruè & asperè impudentem illam puellam & oculos perstringentẽ aspicere, vt terrore vultus ei timorem incutiens, eò redigeres infœlicem, vt ne ea quide quæ sunt pro pedibus posset intueri, nedum impudenter exigere ea quæ sunt abominanda, fecisti contrariũ. Tam faciles aures præbuisti Mœnadi, perinde acsi hanc & non aliam expectares ab ea peti mercedẽ sceleris. Ita captus fuit Rex Iudæorum. Sic in eum est debacchata illius mentis præceps amentia: ad hunc stuporem ebrietatis eum deducens dæmon, præcipitauit, infeliciter impellens vt illud caput amputaret, quod longo tẽpore nõ tulerunt

latibula

latibula terræ in sinu occultare: quod adhuc distillans sanguine, non est veritus Herodes appositum, tanquàm cibum in disco aspicere. Sed illud quidem etiam amputatum clamat, & non sustinet tacere, sed adhuc liberè te arguens adulterátem, clamat: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Frustra ergo scelus est à te perpetratum. Inanis fuit consiliaria. Vana etiam fuit petitio saltatricis. Et tu quidem, qui seruasti iusiurãdum, semper fuisti condemnatus. Iniquitates enim virũ apprehendunt. Illa autem præter flagitium adulterij, cædis quoque perpetrauit facinus. Mulier enim insipiens, inquit, nescit pudorem: sed occurrit ad petram inferni. Libidinosæ autẽ fœminæ lena saltatrix, vna cum matre in cæde petulanter insultans, nullam hinc aliam adepta est vtilitatem, nisi flammam gehennæ, in qua meritò luit pœnas. Insipientiæ enim pedes deducunt eos qui ea vtuntur, post mortẽ ad inferos: vestigia autem eius non firmantur. Tales sunt actus eorum qui se iniquè gerunt: hunc fructũ dat libido suis amatoribus: hæc præmia largitur impudicis vehemens voluptatum intemperantia. Hæc audite, quibuscunque vsus & congressio intercedit cum cæteris, & quicunque vitam agitis cœlibem & separatam: & prouerbiorum pascamur sermonibus, & eis aures nostræ personent. Quid autem oportet dicere apud eos, quibus vt ea non ignorent, est innatum? Sumus enim omnes docibiles Dei in Christo, vt ait Euangelista Ioannes. Vtinam nos quoque qui hic sumus sacer collectus conuentus, talem essemus consecuti gratiam, vt non egeremus eo qui sit docturus aut increpaturus: sed solum sufficeret exemplum, vt Herodis amentiæ omnem effugeremus imitationem: & neque præ otio ac socordia, turbulentarum appetitionum vehementibus mentem dederemus impetibus: neque rursus voluptatum blanditijs inescatus animus attraheretur ad consensum: qui quidem peccati mortẽ concupiens, mortem ipsam parit. Quod ne nobis accidat, nos semper conseruemus, perpetuò effecti oculus, qui nulla clauditur dormitatione, ne nobis non animaduertentibus draco suffuretur thesaurum. Accipiamus ergo omnes simul doctorem Salomonem nos munientem verbis præseruantibus, & fusius persequentem offensiones quas accipiunt simpliciores ab insidijs mulierum. Dicit itaque: Noli adhibere animum mulieri malæ: Mel enim distillat à labris mulieris meretricis, quatenus ad tempus pinguefaciat guttur tuum: Senties autem postea felle amarius, & magis acutum, quàm gladium ancipitem.

Sed ne aut satietatem adferat, aut molesta videatur oratio, adijciam pauca quædam ijs quæ dicta sunt, quæ ijs quidem qui norunt, in memoriã reuocent: ijs autem qui ignorant, non leuem præbeant cautionem. Bibe, inquit, aquas è vasis tuis, & ex puteis fontis: & simul delectare cum muliere à iuuentute tua. Nam si in eius amicitia simul versans vitam transigas, multiplicaberis. Et rursus: Ne sis multum apud alienam, neque te vlnæ complectantur non propriæ. In conspectu enim oculorum Dei sunt viæ viri. Ne dederis somnum tuis oculis, neque dormitaueris tuis ciliis: vt serueris tanquam caprea ex retibus, & tanquam auis ex laqueo. Et rursus: Ne te vincat concupiscentia pulchritudinis, neque palpebris tuis confidas, ne attraharis ab eius oculis. Mulier enim virorum prætiosas venatur animas. Viæ autem inferorũ domus eius, deducentes ad promptuaria mortis. Tu autem fili audi me, neque declinet ad vias tuas cor tuum: & ne aberres in semitis eius. Multos enim vulnerauit & deiecit, & sunt innumerabiles quos occidit. Tu autem ne oculos tuos in eam defixeris, sed resilias: neque diu illuc moreris. Sic enim transilies aquam alienam. Ab aqua autem aliena abstine, & à fonte alieno ne bibas, vt viuas longo tempore, & adijcientur tibi anni vitæ. Atque sufficiunt hæc quidem ad castigandum eos qui sunt hebetiores, quibus nos satis communijt oratio Prouerbiorum, quæ viri illius diuini linguam defendit modestam, venerandi, inquam, Baptistæ, qui hanc nobis mensam apposuit, non sanguine conspersam, non recenter occisi caput proponentẽ tanquam cibum, non simul cum cruore effundentem vinum in crateribus. Hæc sunt præmia Herodis vinolentiæ. His rebus ille instruit conuiuium. Ille conuiuis talia miscet pocula. Sed non ita is qui nostro præest conuiuio. Absit. Contrà enim animi magnitudinis & temperantiæ cœnam nobis apposuit, cuius impleti obsonijs euasimus meliores. Quoniam autem Ioannis erga Herodem constantiæ magno transmisso pelago, in portum tranquillum, secundis eius ad Deum precum auris peruenimus: tempus est, laxatis velis intra portum sistereremos orationis. Æquum est autem, vt arbitror (nam hoc solent etiam nautæ facere) vt nos quoque iusta faciẽtes, epilogo paruã annectamus orationem, scripturæque floribus virum coronemus. Si is tamen vir est dicendus, qui inter natos mulierum apparuit maior. Hic enim est quẽ in multis scripturæ locis variè contineri inuenimus, si eã vt apis diligẽter obeamus. Multas enim eius appellationes attulit nobis rerũ cõsideratio, quarũ vnicuiq; adiecto quod par est testimonio, ostendit quàm meritò ei nomina fuerint imposita. Atque prima quidẽ est eius appellatio, Filius. Ne timeas, inquit, Zacharia, ecce Elisabeth pariet tibi filium: & multi in natiuitate eius gaudebunt. Elisabeth autem impletum est tempus pariendi, & peperit filium. Infans. Et factum est, postquam audiuit Elisabeth salutationem

Mariæ

Mariæ, exultauit infans in vtero eius: & impleta est spiritu sancto Elisabeth. Et: Ecce enim postquã facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit infans in vtero meo. Puer. Et tu puer Phropheta altissimi vocaberis. Puer autem crescebat, & inualescebat spiritu. Et erat in desertis: & quæ deinceps sequuntur. Magnus. Hic erit magnus coram Domino, & vinum & siceram non bibet: & spiritu sancto replebitur adhuc ex vtero matris suæ. Ioannes. Et factum est in die octauo, venerunt circuncidere puerum, & vocabant eum nomine patris sui Zachariam. Et respondens mater eius dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et Zacharias pater eius petitis pugillaribus scripsit: Ioannes est nomen eius. Homo. Fuit homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Propheta. Quid exiistis in desertum videre? Prophetam? Etiam dico vobis, plus quàm Prophetam. Omnes enim prophetæ, & lex vsque ad Ioannem prophetârunt. Elias. Et si vultis suscipere, ipse est Elias, qui est venturus. Et ipse præcedet in spiritu & virtute Eliæ. Magister. Venerunt autem Publicani quoque vt baptizarentur, & dixerunt ei: Magister quid faciemus? & cætera. Præparator. Præibis enim ante faciem Domini parare vias eius. Et, Parare viam Domini. Præco. Fuit Ioannes baptizans in deserto, & prædicans baptisma pœnitentiæ in remissionem peccatorum. Et prædicabat dicens: Venit post me, qui est me fortior: & quæ sequuntur. Vox. Quis es, vt responsum demus ijs qui nos miserunt? Quid dicis de te ipso? Dixit: Ego sum Vox clamantis in deserto. Baptista. Venit Iesus à Galilæa ad Iordanem ad Ioannem, vt baptizaretur ab eo. Erat autem Ioannes baptizans, & accedebant omnes, & baptizabantur. Confessor. Et confessus est & non negauit: & confessus est, Non sum ego Christus. Testis. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Trinitatis subscriptor. Sed qui misit baptizare in aqua, ille mihi dixit: Super quem videris spiritum descendentem, & manentem super ipsum, is est qui baptizat in spiritu sancto & igne. Et ego vidi, & testimonium perhibui, quòd hic est filius Dei, Iustus & sanctus. Herodes autem timebat Ioannem, sciens eum esse virum iustum & sanctum. Apostolus, hoc est, missus. Vos ipsi mihi testimonium perhibetis, quòd dixerim: Non sum ego Christus, sed quia missus sum ante illum. Euangelista. Multa quoque alia admonens euangelizabat populo. Pronubus. Qui habet sponsam, sponsus est: Amicus autem sponsi, qui stat & audit ipsum, gaudio gaudet propter vocem sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est. Lucerna. Ille est lucerna ardens & lucens: Vos autem voluistis exultare ad horã in lumine eius. Reprehẽsio Herodis. Dicebat enim ei Ioãnes: Non licet tibi habere vxorem Philippi fratris tui. Herodes autem cùm reprehẽderetur ab ipso propter Herodiadem, inclusit ipsum in carcere. His Ioannes vocatus est nominibus, his fuit honoratus. Habuit autem actiones conuenientes his appellationibus Ioannes ille, quo non surrexit maior inter natos mulierum. Hic est verè lucerna, de qua magnus canit Dauid, dicens tanquàm ex persona Dei patris: Paraui lucernam Christo meo. Super ipsum autem efflorebit sanctificatio mea. Hic est magnus ille Elias, non Thesbites, sed qui fuit medius inter legem & gratiam: & licet tempore sit ab illo secundus, prioris tamen Christi aduentus præcursor: qui cum eadem qua ille præcessit inspiratione & virtute, vt Archangelus prædixit Zachariæ. Cui Zachariæ? Cuius sanguis clamat plus quàm Abelis. Hic est qui prius exultauit: & priusquam prodiret in lucem, agnouit suum Dominum in vtero. Hic instrumento vtens lingua suæ matris, fœtum sine patre, cùm adhuc in vtero gestaretur, prius est allocutus. Vnde hoc mihi, dicens, vt veniat mater Domini mei ad me? Hic cùm conuertisset corda patrum ad filios, & incredulos ad prudentiam iustorum, parauit Domino plebẽ perfectam. Fructus ex promissione. Bonus Gabrielis nũcius. Germen præter ætatem. Sterilis flos genitalis. Propheta ex propheta. Ciuis deserti. Aliptes orbis terrarũ. Astrũ Solis. Lucerna lucis. Regis miles. Sponsi pronubus. Seruus Domini. Vox verbi. Sacerdos eius qui est sacerdos secundùm ordinem Melchisedech: quandoquidem dignus est habitus vt sacerdotis officio fungeretur in eius baptismate. Qui patrem audiuit, filiũ baptizauit, spiritum aspexit. Legis silentiũ. Gratiæ intercessor. Corona prophetiæ. Prophetarum cõclusio. Regis præco. Præcursor veritatis. Porta pœnitentiæ. Virginitatis ornator. Salutis pręparator. Tẽperantię legislator. Fręnum eorum qui se iniquè gerunt. Dux eorum qui iustè vitam agunt.

Ioannes ille magnus, nomen à Deo vocatũ. Quę è cœlis per vocẽ Archãgeli scriptis mandata fuit nominis appellatio. Vox orta ex tacente. Qui per id quod voce carebat pater, sterilitatis sustulit infœcunditatem. Qui loquenti digito agnum ostẽdit. Magna gloria continentiæ. Qui erat in corpore expers carnis. Qui in luto margarita. Qui in vase fictili pretiosus thesaurus. Qui inducit securim ad secandam animarum sterilitatem. Quæ solitudine gaudet, turtur Ecclesiæ. Os quod non potest tacere. Quæ vbique tonat, vox clamantis in deserto: parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Quæ Deum effatur lingua: cuius vox etiam post decessum reprehendet Herodem, & eum qui venit, prædicat, dicens: Regnum cœlorum appropinquat. Ei gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

ORATIO

ORATIO SEV ENCOMIVM DE EXPORTAtione pretiosæ Manus dexteræ sancti Ioannis Præcursoris ex Antiochia.

Per Simeonem Metaphrasten.

4 Vides aliud festum celebre Præcursoris, nepe exportationis manus eius.

ECCE ad nos rursus venit sacrosanctus Christi Præcursor, abundè fluenta emittens suarum gratiarum: & rursus dies alius 4 celebris redditur, qui maiora & potentiora alia ostendit argumenta, quàm quę sunt in alijs eius festis: & eos qui festis delectantur, euehit ad excelsiorem miraculorum considerationem. Ecce solis iustitiæ clarus, & omni ex parte lucidus lucifer resplenduit, suis radiis illustrans totam Ecclesiæ plenitudinem, & suum festum lætificans. Venit autem non vt prius, per suam natiuitatem: neque vt deinde per factam ab Herode ipsius capitis amputationem: neque vt postea, per arcanam eiusdem mirifici capitis reuelationem, sed per manum. Illam inquit, manum, quæ fuit vel ipsis Angelis venerabilis, quę cœlesti lumine illustratur, & sancti 5 spiritus gratia adumbratur: quæ quicquid erat quidem graue & terrenum, in terra deposuit, & ad incorruptionē traducta est per vitam continentem quæ erat supra hominem: quæ prius quidem ingratis Iudæis ostendit Agnum Dei, & securim ad arborum radicem positam, & excisionem minabatur peccatoribus. Nunc autem cùm illa ipsa apparuerit, & præstantiori quodam modo manus euaserit Barbaricas à quibus videbatur teneri tanquàm captiua, æquum est vt in festi lætitiam piè & reuerenter afficiatur cœtus eorum qui festum lubenter celebrant: & nubes quidem quæ interiectæ animam impediũt, eius, illa quæ intelligentia percipitur, illuminatione discutiat & dissoluat: alacri autem pede, & exultāte spiritu, ad ea quę sunt vel ipsis Angelis desiderabilia mysteria festinet. Hoc est enim festum celebrare, paratos esse ad prompto & alacri animo occurrendum ijs quæ sunt venerabilia: & extrinsecus figuris & motibus, fidei & affectionis internum ardorem ostendere. Hic ergo mihi adsit omnis ordo eorum qui sunt honorificè in excelsis remoti à materia, & eorum qui sunt adhuc hoc circundati puluere: & cōmuni contexta chorea, luminosum, & perquàm clarum constituamus theatrum, eo duce vtentes, qui inter natos mulierũ est maximus. Nam etsi humanæ naturæ superauit terminos per vitam à carne & corpore alienam: vt qui tamen nostrarum naturalium particeps fuit proprietatum, 6 lætatur nostris de se laudibus & celebrationibus: & bona accipiens voluntate, copiosam remetitur remunerationem. Cæterùm eius quidem conceptum & ortum, & vitam quam egit in solitudine, & eius ad Israëlem ostēsionem, & veridicum testimonium, per quòd Dei Agnum ostendit, & ipsum primum & postea venientem per diuinam autoritatem, & humanæ naturæ pronunciauit susceptionem: & quemadmodum ex alto vocatus venit ad Iordanē: & cùm purum, & ab omni labe alienum, & quauis purgatione superiorem baptizasset, illo contactu ostendit fontem sanctificationis, & quæ de ipso Iudæis, is qui fuit ab ipso baptizatus, per arundinis & molliũ vestium amictus similitudinem, ad eius dixit commēdationem: eius vitæ à rerum superfluarum cura abhorrētem simplicitatem, & in virtute firmitatem & constantiam, & eum veteri Heliæ æqualem, & moribus similem tacitè significans, & quæcunque sunt his consequentia, Euangeliorum quaternio ostendet apertius ijs qui hæc scrutantur diligentius. Quæ autem præsenti conueniunt celebritati, ea sunt annuncianda & docenda, vt cum argumēto festi hic scopus congruat, nostrumque in hoc rectè studiũ conferatur. Ille in Mosaicis educatus documētis, & assiduè meditans in lege Domini, eius custodiæ & obseruationi omnia postponebat, solùm autem vt in eius perseueraret iustificationibus plurimum ponebat studij. Cùm verò Herodes vir libidinosissimus, qui erat Galileæ Tetrarcha, decreta legis transgrediēs, fratris Philippi vxorem cùm sibi non liceret, propterea quòd Philippus ex illa liberos susceperat, duxisset in matrimonium, & esset illud quidem scelus legis euersio, Dei autem contemptio, hominum verò ad deteriora adhortatio & inductio: tunc tanquam fortis Athleta Ioannes rectè institutus, & in laboribus prius exercitatus, veritatis armis & telis munitus, aciem quidem struit aduersus tyrannum. Quænam verò ea erant? Non licet tibi habere vxorem fratris tui. O libertatem quæ non potest perterreri: & fiduciam quæ non potest euerti. O os diuinũ, & linguam quæ à Deo mouetur: quæ in ipsum cor reprehensionum figens aculeos, fecit vt ille superbus & insolens clypeum abijceret, & fugeret. O manum venerandam, & sanctam, quæ ad sermonum mota elocutionem, reprehensionum quoque augebat asperitatem, & fiduciam ostendebat & audaciam. Mos est enim ijs qui verbis contendunt, manum simul cum ore mouere, & sermoni eius quoque motum adhibere, & per vtrumque ostendere, quàm sit confidens & interritus is qui loquitur. Hinc factum est, vt in carcerem & vincula conijceretur, cùm vesana mulier nefarium amatorem suum ad id compulisset. Deinde dies festus natalis, potusque

5 Hæc est ratio, propter quam sanctorum reliquias veneramur, quia sancti spiritus gratia adumbrantur.

6 Vides Sanctos lætari nostris laudibus, & celebrationibus copiosam remetiri remunerationem.

potusq; copiosus & immoderatus, cùm nimium vinum eum qui celebrabat conuiuium, deuoluisset ad deliriũ. Potus autem quæ est delectatio? Saltatio filiæ, quænam erat instar meretricis, & petitio mercedis, & merces, Prophetæ interfectio. Ex qua Regis ficta tristitia propter œstrũ, quod eum obsidebat intrinsecus: obtẽperatio tamen & submissio, & aduersus iustũ Prophetam prolatio sententiæ: & paulò pòst caput in disco allatũ, & libidinosæ, & adulteræ mulieri traditũ. Quid hac inhumana actione inhumanius, & magis nefariũ? Quid hoc beluino facinore magis insanũ & beluinũ, hominem ex ipso matris vtero sanctitate circundatum, qui tẽperantiam erat amplexus, castitatẽ asciuerat, inedia se exercuerat, ab omni congressione hominũ se separauerat, solitudinẽ tanquam ciuitatẽ habitauerat, qui simul cũ agri bestiis versabatur, cameli pilis tegebatur, pellicea zona cingebatur, sicut aues, id quod sua sponte nascebatur, habebat alimentũ, carebat nutrimento, carebat vtẽsilibus, & planè carnis erat expers, qui totus quoq; cernebatur remotus à materia, quòd hæc materialis coagmentatio esset inedia attenuata & emortua, & ad materiæ vacuitatẽ traducta propter insignem continentiã: eum, inquam, pro iustitia, pro veritate, & ne lex in aliquo violaretur laborãtem, dari mercedem mulieri adulteræ? Sed quónã modo hæc quidem permissa sunt ab eo, qui omnia sapienter administrat, sciũt ij quibus datus est spiritus ad hæc aliqua ex parte cognoscenda. Huius autẽ discipuli cùm corpus à capite diuisum sustulissent, honoratæ mandãrunt sepulturæ, ne si hoc quoq; post decessum videretur à libidinosis & voluptuariis, esset maior fomes inuidiæ, & maioris sceleris materia intemperantibus. Sic ergo corpus quidẽ sepultum occultabatur, cùm neq; quisquã illud tunc perscrutari studuisset, neq; ipse manifestasset. Sed quandoquidẽ ad hunc locũ perueni, volo de hoc prophetico tabernaculo, & de manu quæ ei coaluerat, quiddã quod à veteri pendet narratione, huic sacro theatro explanare: & quæ de his audiuimus & cognouimus, & quæ veteres tradunt historiæ, explicare fusius: & vndénam diuina hæc gratia translata est Antiochiã, & vbinam fuit repositũ translatum propheticum illud tabernaculũ: & quisnam fuerit modus huius translationis, & quis rursus ablationis & exportationis. Herodes qui infantes occiderat, cùm Iudaicũ multorum principatũ traduxisset ad regnũ, parebat quidẽ Romanis. Cùm multis autẽ modis quæreret, vt eis videretur beneuolus & fidelis, effecit vt Romani eũ benignis aspicerent oculis, & nec fore vt ab eis deficeret, vllã haberent suspicionẽ. Is vt clarior esset sua in eos beneuolentia, inter alia condidit ciuitatẽ sitam non procul ab Hierosolymis, distantem tantũ itinere vnius diei, eã vocans Sebasten, Latinè Augustã, vt Augusti Cæsaris appellatione significaret suã in eum beneuolentiã & seruitutẽ. In ea, qui post illum obtinuit principatũ, Tetrarcha Herodes fixit regiam, in qua etiã fuit illud conuiuium quo Propheta fuit occisus, & iuxta quã fuerat in vinculis hic sacer Propheta in quodã tenebroso reorũ domicilio. Cuius ex transuerso referunt sepultum fuisse corpus præconis veritatis. Quo etiam in loco dicũt prius fuisse alterũ sepulchrũ Prophetæ Elisæi, adeo vt duo loculi viderentur simul iacentes in vno & eodem loco. Ibi quoq; templũ maximum olim extructum fuerat, quod propter ea quæ in ipso fiebant miracula, & pulchritudinẽ, fuerat incõparabile. Cùm eius autẽ tectum tempore defluxisset, sub dio relicta sunt eius ædificia, adeo vt vna sola illæsa remanserit domũcula, quæ vocabatur sacrorum vasorum custodia, in qua etiam inclusi loculi Prophetarũ conseruabantur absq; vllo detrimento. Cùm autẽ Lucas Euangelista circumquaq; omnes obiret regiones, vbi etiam obeundo venit Sebasten, Antiochiæ tactus desiderio, vt qui in ea esset natus, magno quidẽ tenebatur studio sacrum illud Præcursoris corpus tollendi integrum. Cùm autẽ non posset, quoniam diligenter seruabatur, ablata manu dextera, eam portauit in suam ciuitatẽ, loco alicuius alterius beneficij, & aliarũ diuitiarum, ei quæ ipsum aluerat hanc reddens mercedẽ educationis. Ab illo ergo tẽpore sita erat manus illa apud Antiochenos, in magno honore habita, & iugis quæ in ea habitat 7 gratiæ fidẽ faciens miraculis. Cùm autẽ Iulianus tyrannicè clauũ arripuisset imperij, quoniam eos qui ipsum præcesserant persecutores & Dei hostes, contendebat superare sceleribus, & eorũ qui pro Christo decertarant, quæcunq; erant reliquiæ, aut integrũ tabernaculũ, aut aliquid aliud ex iis quæ sunt puræ nostræ fidei signa, ea omnia 8 igni mandabat & cineri: magno deinceps studio venit Antiochiã, simul quidẽ immũda peracturus mysteria in ara simulachrorũ, quæ sita est ad Daphnẽ, & simul etiam perscrutaturus, & si Sanctorũ aliquid in ea inuenisset repositũ, id igni mandaturus. Cùm hoc ergo sæuum renunciatum esset eius decretũ, qui erant Christianarũ partium, sacram manum Præcursoris clam in quadam turre ciuitatis, quæ vocatur Gonia, id est, angulus, studuerũt includere, ne capi posset ab idololatra. Qui autẽ pontificalẽ sedem tenebat Hierosolymis, cùm auditione accepisset execrandũ decretum, nec tyrannum omnino moraturum, quin ad sacra loca ascenderet, & quæ in eis erant preciosissima corpora igni consumenda mandaret, hoc diligenter curat, & magnum adhibet studium, vt è loculo sublatum Præcursoris tabernaculum transmitteret seruandũ in ciuitate Alexandrina, alio quodam cõmuni corpore pro eo

7 Miracula quæ à sanctorum pignoribus fiunt, fidem faciũt gratiæ spiritus sanctique in illis habitat.

8 Ecce cui assimulãtur, qui sanctorum reliquias igni mandant & cineri.

repleta depositione. Postquam autē Antiochiæ omnia perscrutans ille impius, ea est aggressus quæ fieri non poterant, cùm absconsa manus nusquam cōpareret, eo ille sceleratus desiderio frustratus, & in reliquū propheticum corpus furore percitus, qui id scrutarētur, statim misit vsq; ad Hierosolyma, vt Præcursoris igni mandarēt tabernaculū. Quod cùm ad finem esset deductum, & commune, quod pro illo sepultū fuerat, corpus ab iis qui missi fuerant in cinerem esset redactum, illinc soluens duxit exercitū ad obsidendam Edessam, vtpote quòd qui in ea habitabant, planū esset eos stare à partibus Christianorū. Aiunt autem quendam ex suis famulis, qui liberè cū eo loquebatur, & erat ei valde coniunctus, ex animo verò res Christianorum colebat, & honorabat: eum à cœpto prohibuisse, & ad bellum aduersus Persas gerendum incitasse, ciuitatē, cùm vellet, in potestatem eius venturam pollicens. Et sic cōsilio obtemperans profectus est ad bellū contra Persas gerendum. In quo plaga diuinitus immissa percussus vitam finiit miserabiliter. Postquam autē ad fideles imperatores redierunt sceptra Romanorū, & reddita fuit libertas Christianis: nesciebatur quidē vbinam esset preciosa manus ab iis qui Antiochenam habitabant ciuitatē. Sed haud ita diu pòst per diuiniorem reuelatum fuit visionem, vbinam esset absconsa. Quam cùm fideliter ex eo loco sustulissent, in ea honoranda erāt insatiabiles. Cùm autē non parum effluxisset tēporis, Imperator Iustinianus inter alia quæ piè gessit, fecit etiam tale quid. Hanc enim miraculorū effectricem Præcursoris dexteram ex Antiochia, & Domini & Dei nostri tunicam, quę erat in ciuitate Maratsemere, & maximè venerandū caput ex Emesa transtulit ad regiam ciuitatē: quæ quidē ostendebantur obsignata signaculo sancti Imperatoris Constantini, ad hoc vt non amplius ex eis auelleretur ab iis qui amplecterentur. Ablatis ergo signaculis, cùm templum Præcursoris quod in Hebdomo est ab eo ædificatū, per Domini tunicam, & eiusmodi sacras sanctificasset 9 reliquias, rursus remisit suis obsignatas signaculis eò vnde venerant, solam dexteram propheticā relinquens non signatam, vt quæ vngeretur vnguentis, & sustolleretur in festo exaltationis. Et sic quidē de his relatum est à veteribus, aliis alia de manu narrantibus: conclusa tamen in vnam & eandē fidei notionem, & expellentia omnē incredulitatem: aberrante nemine procul à veritate. Quod si oportet etiam alicuius meminisse miraculi, Antiochia nobiscū ei quod dicemus feret testimoniū: quod quidem auditione à nobis acceptū est ex quibusdam qui illic sunt versati. In cauerna delitescebat quidam draco in eius finibus: quem qui habitabant ciuitatē in deos referētes, anniuersario honorabant sacrificio. Id autē erat: Puella virgo, quæ paulò antè peruenerat ad pubertatem, & propter non pollutam virginitatē conseruabatur draconi sacrificium. Quis erat autē modus sacrificij? In eo ipso loco, in quo erat cauerna draconis, Antiocheni publicè confluentes, & frequēs effecti theatrum cùm puellam circumduxissent, præbebant deuorandam draconi. Is verò proserpens è cauerna, & insperatū & incredibile apparens miraculū, serpens & repens suis pedibus, & naturali qui est intus spiritu incuruatus, & instar vndæ tumefactus, hianti ore, & dilatato thorace accipiebat sacrificium, & lacerabat dentibus. Pro more autē sors obtigerat cuidā Christiano, vt suam daret filiam draconi sacrificandam: qui stimulis sauciatus naturalibus, ex corde suspirabat ad maximum Præcursorem. Et vt filia à morte seruari possit, tale quid excogitat. Cùm magnā vim auri apud se abscondisset, petit vt sibi permitteretur adorare manū sanctam ab eo qui illam seruabat. Is autem concessit postulatū. Cùm verò is in his esset & quod offerebat aurū latenter, tanquā sub prætextu adorandi, humi effudisset, rectè processit ad adorandū. Æditus autem, vt qui auidis oculis ad aurū aspiceret, cucurrit ad illud colligendū. Ille autem qui petierat vt sibi liceret adorare, cùm se incuruasset, & totū se in loculum inclinasset, diuino sauciatus desiderio, cùm venerandæ dexteræ pollicem osculando, & labra admouendo mordicus dentibus abscidisset & occultasset, à templo quàmprimū recessit. Cùm autem iam dies aduentasset sacrificij, & ciuiū eorumq; qui circumhabitabant, collectū esset theatrum, accedit pater puellam adducens ad sacrificium. Et cùm fuisset prope draconē, & eum vidisset vasto ore hiantē, & horrendis sibilis eos qui audiebant terrentem, & sacrificiū desiderantem, sacrum illum & venerandū digitum in mediam gulam iaculatus, eius iactu statim quoq; mortem ei attulit. His sic gestis, pater quidem viuam filiam domū reducit, & lachrymis simul & gaudio plenus, & admirabilem, & quæ præter opinionem acciderat, filiæ narrans redēptionem. Qui autem circūsistebat populus insigni miraculo obstupefactus, ingentes Deo agebat gratias. Quo factū est, vt Præcursori templū illic construerent, vbi factum fuerit miraculum, quod nominarunt κρεμαστήν, id est, suspensum, siue propterea quòd supra terram sit solū templi eleuatū, siue quòd ad tantam ædificiorū sublimitatem eius sit extensa latitudo, vt cōspicientibus propè videatur pendere in aëre. In quo cùm hunc sacrū & mirificum digitum deposuissent, eū festis honorant anniuersariis, miraculū quod factum fuerat, per cōmemorationem transmittentes ad posteros. Dicitur etiam aliud quoq; mirum tale fieri signum. Huius scilicet sanctæ manus aliquando quidem extendi digitos, aliquando verò contrahi: quorum exten-

9 Nota templa sacris reliquiis sanctificari.

extenſione quidẽ ſignificari fertilitatem fructuũ, contractione autem inopiã & penuriam.

Cùm autẽ multi qui ante nos fuerunt, Imperatores hanc manũ deſideraſſent quouis modo poſſidere, nec ſinere, vt tantum bonũ maneret apud Barbaras gentes quæ partes illas occupârant captiuum: augebatur quidẽ ac vigebat eius rei deſiderium, ſed modus quo id poſſiderent, nullo modo inueniri poterat. Et cùm eis aliquando viſum eſſet dando pecuniã talem cõparare theſaurum, aërem, vt eſt in prouerbio, pugnis cædebant. Deſiderabatur ergo ab omnibus, à quibus nomen Chriſti eſt inuocatum, & quicunq; in eius rei verſabatur cogitatione, Deum rogabat gemitibus inenarrabilibus, vt benignis oculis ſuum aſpiceret populum, & eius eum efficeret poſſeſſorem & ſpectatorem. Quoniam autem diuinæ prouidentiæ ſunt omnia præfinita, ei qui omnia præſciuit ante mundum conditum, deſpicienti tempora noſtræ inſcientiæ, placuit per multas ſuas miſerationes, vt in hac quoq; generatione reuelaretur hoc magnum & inſigne miraculũ, in qua Conſtantinus & Romanus, qui digni ſunt magnis laudibus, ab ipſo ortu purpureis faſciis inuoluti regebant habenas imperij. Id autẽ eſt venerandæ Præcurſoris manus exportatio & reuocatio. Modus autem reuocationis eſt valde mirabilis, & præter opinionem. Nam vir quidam qui erat relatus in ſortem diaconorum Antiochiæ ciuitatis, Iob nomine, ſupernè inſpiratus, & diuino zelo repletus apud ſe cogitabat: Poſſétne Præcurſoris ſuffuratus dexteram eã donum deſideratũ largiri Chriſtianis? atq; adeo ad talẽ proceſſit experientiam. Pulchrũ templum, & excelſum ſub nomine Petri Apoſtolorum principis poſitum eſt in ea ciuitate. In huius veſtibulo cùm ſuã is feciſſet habitationem, cum ſacrorum quæ illic erant vaſorum cuſtode iniit amicitiam, vt ea de cauſa tentaret cum ipſo tota nocte venerandæ manus aſſidere loculo. Poſtquã autem petitioni nõ annuit is cui credita fuerat cuſtodia, inopinatũ quid cogitans, ad aliam tranſit machinationem. Cùm ſumptuoſa & lauta menſa eum exhilaraſſet, & amicè eum ad bibendum inuitando, ad profundum, & morti ſimilem ſomnum deduxiſſet: & per quandam feneſtrã intempeſta nocte ſe in tẽplum demiſiſſet, ſenſim, & ſine ſtrepitu ſacro aperto loco (ô rem & factu & auditu terribilem) accipit precioſam quæ deſiderabatur dexteram: & ſummo ſilentio reuerſus, diligẽter quidẽ apud ſe ſeruat, quod furatus fuerat, ne cognoſceretur ab aliquo Barbarorum. Hinc egreditur Antiochia: & iter iniit magno metu affectus, ne res fieret manifeſta inimicis, ad exequendum propoſitum multis ſæpe vtens precibus. Locũ autem loco, & ciuitatem ciuitate cõmutans feſtinabat ad exitũ. Cumq; lætiferas, & difficiles illas vias ſic peruaſiſſet, peruenit ad fines Romanos, magnũ quidem illum metum excutiens, audacius autẽ ac confidentius feſtinans ad Regiam ciuitatẽ. Poſtquam verò fidelis Imperator eius reſciuit aduentum, & re admirabili fuit obſtupefactus, Chriſto quidẽ non poterat agere gratias pro dignitate, vt quẽ inſperatum impediret gaudium: eos autẽ qui hoc ſanctum cum [10] hymnis, lampadibus & vnguentis eſſent ſuſcepturi, & ad ipſum allaturi, emiſit: & ſicut ipſe vox clamantis in deſerto parare vias Domini, & ſemitas rectas facere iuſſus erat: Ita etiam ipſi Chriſtianam ingredienti ciuitatẽ, & à qua eius gratia non longè aberat, pararentur honeſti & decori ingreſſus. Cùm ergo appropinquaret Chalcedonẽ, nauis quidem emiſſa eſt imperatoria, & Pontifex cũ ſacerdotibus, & quicunq; ex ſenatu erant clari & illuſtres ſimul, vt ſacrũ illum theſaurũ inferrent in Regiam: cũ quibus fidelium quoq; multitudo vrbe egreſſa, mari ei nauigarunt obuiam, vt eũ deducerent. Poſtquam autẽ fuit ſuſceptus in manus Põtificis, & eius ferebatur vlnis, & in mare aſcendit, licebat videre ipſam quoq; aquæ naturam placidam & tranquillã, mollibus fluctibus ante nauem exilientẽ, & ad imperatores eius curſum dirigentem. Porrò autem aliquid quoq; accidit aliis magis admirabile, & dignum manu veneranda Præcurſoris. Aderat enim dies feſtus [11] ſanctorũ luminũ, in quo vera illa lux Iordanis fluẽta complectens humanæ naturæ contritionem reformauit. Et quoniã præcedente die ieiunio præpurgamur, accidit vt in ipſa hora veſpertina, in qua mos eſt Chriſtianis peragere ſanctificationem, diuina manus aduenerit: quã cùm Chriſti amantiſſimus Imperator, tanquã cœleſte donũ, & ab interitu alienũ ſuſcepiſſet, & amplexus eſſet, deſiderijq; & fidei lachrymas effudiſſet, reponit in medio templorũ Regaliũ: adeo vt omnes crederent illum ipſum adeſſe Baptiſtã, etſi ſub aſpectũ non caderet, & propoſitas aquas ſua ſanctificaret dextera. Hinc canebantur hymnodiæ ſpiritus, illata [12] lumina templũ illuminabant, omniũ oculi ad ſacram capſam erant aperti, & aſpectu hauriebãt ſanctificationẽ. Sic quidẽ cùm feſtum ſanctorũ Theophaniorum, & ſic etiam ſequens, in quo ſacri Præcurſoris memoria eſt altius nobis tradita, quippe qui diuini baptiſmatis myſterio inſeruierit, peregiſſemus & celebrauiſſemus, iudicauimus par eſſe manus quoq; honorare depoſitionem [13] feſtis annuis, hac quoq; connumerata aliis eius feſtis, vt ex rebus illius nihil ſit nõ glorioſum & admirabile. Et nũc ecce adeſt hoc feſtum clarũ & inſigne poſt circularẽ anni ambitũ, diſtillans nobis imbres miraculorum, & ea adferens quæ ſunt futura animis noſtris conducibilia. Ergo eſto nobis propoſita omni ex parte glorioſa & veneranda manus Baptiſtæ & Præcurſoris, incorporeis circundata vir-

10 Vides cum quãto honore ſacra Præcurſoris manus excipitur, cum hymnis, lampadibus & vnguentis.

11 Dies feſtus ſanctorum luminum, id eſt, Epiphaniæ Domini aderat.

12 Nota, illata lumina templũ illuminabant, & oculi omniũ aſpectu capſæ hauriebant ſanctificationem.

13 Vides quomodo addunt aliud feſtum annuum præcedentibus feſtis Præcurſoris.

 tutibus,

14 Aduertis quod in sanctorum reliquiis, habitat spiritus sancti virtus.

tutibus, quæ admirantur sancti spiritus virtutem, 14 quæ in ea habitat. Quódnam ergo est hoc templum hodie pulchrius? Quænam ædes diuina venerabilior & magnificentior hac, in qua hic sacer & diuinus thesaurus repositus innumerabilium luminum splendore cum cœlestibus contendit spectaculis? Sub quibus quæ supernè descendunt gratiæ sancti spiritus, dispẽsantur pro modo vniuscuiusque fidei eorum qui laudant & celebrant animabus in Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

DECOLLATIO BEATISSIMI IOANNIS BAptistæ, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrolo eius sub iiij. Kalẽd. Sept.

PAssio & decollatio, vel potius inuentio capitis beatissimi Ioannis Baptistæ, quem Herodes Tetrarcha (vt Euangelistæ referunt) tenens ligauit in carcere propter Herodiadem vxorem Philippi fratris sui, quia duxerat eam. Dicebat enim Ioannes: Non licet tibi habere vxorem fratris tui. Hac de causa insidiabatur illi Herodias, & quærebat occidere eum, & non poterat: Herodes enim metuebat Ioannem, sciens eum virum iustum & sanctum esse. Sed cùm Herodes ipse diem natalis sui ageret, filia Herodiadis saltante in medio, sæuiente matre inter delitias, & conuiuia lasciuientium, temerè ab Herode iuratur, & impié quod iuratur, in nece Prophetæ impletur. Non enim poterat veritas æquo animo tolerari, quam homo Dei monebat: quia vicerat Regem libido. Vinctus autem erat sanctus Ioannes Baptista in Arabia, castello Macheronta. Misso itaque spiculatore decollatur in carcere, & allatum est caput eius in disco, puellæque datur. Quod audientes discipuli eius, venerunt & tulerunt 1 corpus eius, & posuerunt illud, in monumento Sebasten Palestinæ, quæ quondam Samaria dicta est. Vbi per aliquot annos iacuit, vsque ad tempora Iuliani impiissimi Cæsaris. Qui cùm esset Christianis infestissimus, pagani apud Sebasten Palestinæ sepulchrum eiusdem Ioannis Baptistę inuadunt, & ossa dispergunt. Eadem rursum collecta, & cremata latius dispergunt. Sed Dei prouidentia affuêre quidam ex Hierosolymis monachi, qui mixti colligentibus, quæcunque ipsi potuerunt, ablata ad patrem suum Philippum pertulêre. Ille confestim hæc (supra se enim ducebat tantum thesaurum propriis seruare vigiliis) ad Pontificem maximum tunc Athanasium per Iulianum diaconum suum mittit. Quæ ille suscepta paucis arbitris, sub cauato sacrarij pariete inclusa, prophetico spiritu profutura generationi posteræ conseruauit. Cuius præsagium sub Theodosio principe per Theophilum eiusdem vrbis Episcopum completur.

1 Ergo sepelire mortuos opus pietatis est, postquam & discipuli sanctissimi Ioannis hoc fecerunt.

MIRACVLA A DIVO IOANNE BAPTISTA DOmini Præcursore facta, per beatum Gregorium Turonensem Archiepiscopum descripta.

De muliere, quæ obtinuit pollicem beati Ioannis Baptistæ

Habẽtur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrium edito. cap. 13.

QVædam mulier à Maurienna vrbe progrediens ipsius Præcursoris reliquias expetiuit, & ita se cõstrinxit vinculo iuramẽti, vt nõ antea loco discederet, nisi de membris eius mereretur quicquã acccipere. Sed cũ impossibile hoc esse incolæ loci narrarent, prosternebatur quotidie 1 ante sepulchrũ, orans, sibi (vt diximus) de sanctis artubus aliqua condonari. In qua intẽtione integrũ duxit annum, similiter & alium iugi semper oratione deposcens. Tertiò verò ingrediente anno, cùm orationẽ suam non peruenire cerneret ad effectũ, proiecit se ante sepulchrum, & obtestatur, non se exinde resurrecturã, priusquam hæc petita obtineret à sancto. Septima verò die cùm iam inedia deficeret, apparuit super altare pollex miri candoris ac lucis effulgens. Cognito autẽ mulier Dei dono, surrexit à pauimento, factaq; capsula aurea, in eã recondidit, quæ Domino largiẽte meruerat: & sic gaudẽs remeauit ad propria. Impletumq; est in illa: Quòd si Dominus non surgit pro eo quòd amicus sit, propter importunitatẽ tamẽ eius surgit, & tribuit ei quotquot habet necessaria. Post hæc tres Episcopi aduenientes de ciuitatibus suis ad adorandum in hoc loco, voluerunt partem de hoc pignore elicere, positoq; in medio nihil omnino auferre potuerunt. Tunc vna vigilantes nocte deprecati sunt, vt aliquid mererẽtur à pollice. Positoq; sub eo linteo, dum partem auferre conantur, vna ex eo gutta sanguinis cecidit super linteũ. Quod cernẽtes duas deinceps vigilant. Deinde 2 prostrati coram sancto altari, dum supplicant, vt adhuc magis aliquid mereantur à pollice, duæ iterum ex eo fluxerunt guttæ. At illi gauisi colligentes deuotè quæ Dominus dederat iuxta numerum seruorum suorũ, diuiserunt linteum cum guttis suis, quem non sine grandi admiratione suis vrbibus intulerũt. Et quia locus ille ad Thaurumensem quandam vrbem pertinebat, tempore illo quo Rufus erat Episcopus, ait Archidiaconus eius ad eum: Non est æquum, vt hoc pignus in loco viliori teneatur, sed surge & illud accipe, & defer ad Thaurumensem Ecclesiam, quæ plus popularis habetur. Cui ille respondit: Quia hæc agere nõ audebat. Archidiaconus dixit: Ego hoc deferam, si permittis.

1 Vides quomodo deuota mulier ante sepulchrũ præcursoris orauerit, & miraculosè quod orauerat, obtinuerit? Præstat ergo sanctorũ sepulchra in veneratione habere.

2 Ecce oratio cum prostratione.

Et Episcopus: Fac quod libet. Tunc Archidiaconus accedens ad locum, dum vigilias celebrat, mittit manũ ad capsulam. Mox amens effectus, accensus febre die tertio expirauit. Factusq; est timor magnus omnibus: nec quisquam vltra beata pignora ausus est mutare.

DE MIRACVLIS PER RELIQVIAS BEATI Ioannis apud Turonos factis.

APud Turonicam verò vrbem in oratorio atrij B. Martini, dum ipsius Præcursoris reliquias collocaremus, cæcus quidam adminiculo deducente lumen recepit. Energumenus verò obtestans virtutẽ B. Ioannis, Martiniq; Antistitis, expulso purgatus est dæmone. Ibidem cap. 14.

In hoc oratorio vna puellarum, cui officiũ erat lichni fomenta cõponere, adueniens cum cæreo vt hæc ageret, ingressa cõpositum lichnũ atq; accensum attracto ad se fune sublimauit in altum, ac plerisq; innexo laqueis ad parietis clauũ, abcessit. Quæ dum redit, cæreus, quem manu gerebat, extinguitur: regressaq; velociter ad cicendilẽ, cæreum non audebat illuminare, neq; laqueũ funis absoluere. Dũ ambigua de hac causa pẽderet, subitò delapsa à cicendili flãma cæreum in manu eius illuminauit: & sic officio luminis præeunte quo voluit, iuit. Ferunt autẽ in hoc oratorio à lichno oleũ ebullire. Habetur enim & ibi reliquiæ sanctæ crucis. Ibidem cap. 25.

DE ARDORE MANVS CVIVSDAM mulieris extincto.

SVb huius vrbis territorio apud vicũ Langauiẽsis mulier quædã ex incolis cõspersa [3] Dominica die farina panẽ formauit, quẽ segregatis prunis cinere feruenti cõtegit decoquendum. Quod cùm fecisset, protinus eius manus dextera diuino igne succensa cœpit exuri. At illa vociferãs & plangens, basilicã huius vici, in qua reliquiæ B. Ioannis cõtinentur, expetiit. Et oratione fusa vouit, in hac die diuino nomini cõsecrata, nullã operã exercere, nisi tantum orationi vacare. Nocte verò sequenti facit cæreũ in altitudine status sui. Tunc in oratione pernoctans, tento tota nocte manu propria cæreo, extinctis ardoribus, incolumis est egressa.

3 Hic 4. sunt annotanda. Diẽ Dominicã sine opere manuũ trãsigendã. Mulierem ad reliquias sancti præcursoris sanatã. Votũ pro sanitate consequenda fuisse emissum. Cæreum accẽsum ante reliquias sancti detentum.

INVENTIO CAPITIS PRAECVRSORIS DOmini, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

APud Hierosolymam Inuentio capitis Præcursoris Domini tempore Martiani principis, quando isdem Præcursor duobus monachis, vbi idẽ caput eius celatum iaceret, reuelauit. Constat autẽ quia imminente festiuitate Paschali fuerit, sicut in Euangelio apparet, decollatus: Et anno post hunc sequente cùm denuò tempus Paschale rediisset, mysteriũ Dominicæ passionis esse completum. Et propterea quòd in libro sacramentorum natalis eius 4. Kal. Sept. notatũ est, & in martyrologio, quod Eusebij & Hieronymi vocabulis insignitum est, legitur iiij. Kal. Sept. in Edissa ciuitate Phœnice prouincia natale S. Ioannis Baptistæ die quo decollatus est, non specialiter ipsum diẽ decollationis eius, sed diẽ potius, quo caput eius in eadẽ Edissa ciuitate repertũ, atq; in Ecclesia est conditũ, designatur. Siquidem duo monachi Orientales venerant adorare Hierosolymis, & loca [1] sancta videre. Quibus per reuelationẽ assistens idẽ Præcursor Domini præcipit, vt ad Herodis quondã Regis habitaculũ accedentes, caput suũ ibi requirerent, & inuentũ digno honore reconderent. Quod ab eis inuentum, & assumptum, sed non multò pòst culpa incuriæ perditum, perlatum est Edissam ab illis, in quodam specu, & in vrna sub terra nõ pauco tempore ignobiliter reconditum, donec [2] denuò sese suumq; caput ostendit Marcello cuidam religioso presbytero & monacho, dũ in eodem specu habitaret. Ex quo tempore cœpit in eadem ciuitate beati Præcursoris decollatio ipso die quo caput eius inuentum, siue eleuatum est, celebrari.

Habetur in Martyrolog. eiusdẽ. sub xi. Kal. Mar.

1 Vides antiquis patribus peregrinationes ad loca sancta fuisse in vsu.

2 Ecce quomodo etiam ipsi sancti procurant reliquias suas in veneratione haberi, & dignis in locis collocari.

VITA ET MORS SIMEONIS PROPHETAE, per D. Epiphanium Constantiæ Cyri Episcopum scripta.

SImeon Sacerdos è tribu Aaron emicuit. Hic quippe est is, qui oraculũ accepit à spiritu sancto: Neutiquam visurum sese mortem, quousq; Christum Domini incarnatũ cerneret. Hic est, inquã, ille qui gestauit Dominum in vlnis suis, & glorificauit eum, referẽs: Viderunt oculi mei salutare tuum: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Fato functus est Simeon iste pluribus quidem annis obsitus, & ætate multa confectus, nec porro à sacerdotibus postremum consecutus honorem, humatus est. Habetur in libr. eius de patribus veteris testamenti.

VITA SANCTISSIMI IOSEPH CONFESSORIS, PAtris putatiui Domini nostri Iesu Christi, per diuersos authores scripta.

QVÆ fuit necessitas, vt despõsata esset Maria Ioseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur, & ille malignus fraudis commenta aduersus desponsatam virginem nulla penitus inueniret? Vel ideo fuerat desponsata Ioseph, Ex Homilia Origenis in vigilia Natiuitatis Domini.

 vt nato

vt nato infanti, vel ipsi Mariæ curam videretur gerere Ioseph, siue in Ægyptum transiens, siue inde denuò veniens: ideo desponsata fuit Ioseph, non tamen in concupiscentia iuncta. Inuenta est, inquit Euangelista, habens in vtero de spiritu sancto.] Cui inuenta, aut à quo inuenta est? Primò ab Angelis custodientibus eam, protegentibus eam, conseruantibus eam, vel eius beatissimam animam ad honorem illius qui ab ipsa generandus erat. Dehinc inuenta non incongruè putatur ab ipso beato Ioseph sancto & iusto, qui penè licentia maritali, licet eam non contingeret futuræ tamen, vt putabatur, vxoris omnia nouerat. Ioseph autem vir eius, inquit, cùm esset homo iustus, & nollet eam traducere.] Virum eum appellauit contra Iudæorum prauitatem, vt aduersus Virginem non sæuirent. Propterea & desponsata fuit ipsi Ioseph, vt suprà dictum est. Si enim non fuisset desponsata Ioseph, omnium bonorum increduli & inimici Iudæi lapidibus eam occidissent. Ideo virum eius hic eum Euangelista appellauit. Ioseph vir eius cùm esset homo iustus.] Iustus autem in verbo, iustus in facto, iustus in legis consummatione, iustus in iudicio gratiæ. Iustus itaque cùm fuisset, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Noluit eam traducere, noluit eam accipere, noluit eam malè diffamare, sed voluit eam occultè dimittere. Occultè eam se dimittere volebat, sicut pius, sicut mansuetus, sicut misericors. Talis ergo cùm esset Ioseph, cogitabat eam occultè dimittere. Hæc, inquit, eo cogitante. Quærendum est nobis, nunquid cogitauerit, vt occultè eam dimitteret: etsi cogitabat, vt eam dimitteret, etsi suspicionem in ea habebat, quomodo iustus erat? Si ergo non est suspicatus, vel tale aliquid cogitauit, cur eam dimittere volebat, vt immaculatam & sanctam? Iniustum enim & hoc erat. Sed simplicitatem sensus audi huius orationis. Ioseph iustus erat, & illa virgo immaculata erat. Sed ideo illam dimittere volebat quoniam virtutem mysterij, & sacramentum quoddam magnificum in eadem cognoscebat, cui approximare se indignum existimabat. Ergo humilians se ante tantã
Lucæ 5. & ineffabilem rem, quærebat se longè facere. Sicut & beatus Petrus Domino se humilians
Matth 8. aiebat: Recede à me Domine, quia homo peccator sum. Vel sicut ille Centurio ad eundem Dominum mittens dicebat: Non sum dignus vt intres sub tectum meum, quia nec meipsum dignum existimaui ad te venire. Vel sicut sancta Elisabeth ad ipsam beatam locuta est
Lucæ 2. Mariam dicẽs: Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Sic & Ioseph iustè humilians sese in omnibus cauebat, & timebat sibimet ipsi tantæ sanctitatis coniunctionem adhibere. Idcirco volebat eam occultè dimittere: Dimittam eam, dicens, & à me longè faciam eam, & à cognitione mea. Maior est enim eius dignitas, superexcellit eius sanctitas, nec meæ congruit indignitati. Ideo volebat eam occultè dimittere. Hæc ergo eo cogitante, Angelus Domini per visum apparuit ei dicens: Quid dubitas Ioseph? Quare imprudenter cogitas? Quare irrationabiliter meditaris? Deus est enim qui generatur, virgo quæ generat. Huius generationis minister es, & non largitor: seruus, & non dominus: mãcipium, & non plasmator. Propterea ministra, serua, custodi, fer curam, intende & huic qui nascitur, & huic quæ generat. Etenim si tibi vxor nominatur, si desponsata tibi esse dicitur, non tamen tibi vxor est, sed Dei vnigeniti electa mater est. Propterea Ioseph fili Dauid, qui has promissiones accepit, cui ista fidelia data sunt testamenta Ioseph fili Dauid, non tantùm secundùm carnem, sed secundùm spiritum, Ioseph fili Dauid. Si enim filius Dauid, iustè & hæres eius tanquam filius patris. Ideo in hæreditatem accipe ea quæ illi promissa sunt, testamenta fidelia. Ioseph fili Dauid, ne timueris accipere Mariam coniugem tuam.] Ne timueris, ne trepidaueris, ne conturberis, sed securus & intrepidus accipe eam secũdùm legis præceptum, vxorem tibi nominatam, sed secundùm nuptiarum consuetudinem, & coniunctionem lõgè alienam. Accipe ergo eam, sicut commendatum cœlestem thesaurum, vt Deitatis diuitias, sicut plenissimam sanctitatem, sicut perfectam iustitiam. Accipe eam sicut vnigeniti mansionem, sicut honorabile templum, sicut domum Dei, sicut creatoris omnium propriam, sicut Regis sponsi cœlestis domum immaculatam. Ita ergo Ioseph fili Dauid, ne timueris accipere eam tibi commendatam, tuæ religiositati creditam: Serua, fer curam, attende, fugiens ab Herode, duc in Ægyptum, iterum remeaturus post Herodis mortem deduc in terram Israël. Ne timueris accipere Mariam coniugem tuam. Coniugem audiens non expauescas, nec conturberis nec tu, nec quisquam sequentium vsque in consummationem seculi. Coniugem eam dico propterea, vt diabolo virginitatem eius occultem, & Iudæorum prauitatem excludam atque deijciam, vt legis instituta non destruam: & in sequentibus demonstrabo, quòd ista nec tua coniux secundùm consuetudinem coniugij habeatur: nec iste qui generatur, tuus filius esse credatur. Quod enim nascetur ex ea de spiritu sancto est.] Quia scilicet cooperator huius natiuitatis spiritus sanctus est Nam vnigenitus filius, qui ante secula ineffabiliter ex solo patre natus est, iam seculi appropinquante fine, ex voluntate patris in humano corpore, sancto cooperante spiritu, inter homines venit. Iste
Esaiæ 9. est, de quo scriptura prænunciat, dicens: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis.

Patris

Patris etenim vnigenitus filius ex virgine generatus est, vt illam virginem priorem Euam quæ ceciderat, iterum renouaret, atque erigeret. Et qui per prauam voluntatem filij effecti fuerant diaboli, per adoptionẽ gratiæ filios efficeret Dei. Pariet, inquit, filium, & vocabis nomen eius Iesum.] Virgo generat, & tu hunc genitum vocabis Iesum, quod interpretatur Saluator. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorũ.] Vocabis, ait, nomẽ eius hoc quod antè fuit, quod ante secula nominatum est. Non tu ei impones nomen, nec ex te ei vocabulum constitues, sed nomina & voca exultãdo Iesum, id est, saluatorem. Saluatorem eum esse testare, nec ex tẽpore cœpisse saluare, sed iam antiquissimum saluatorem. Ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum. Duo enim per hoc verbum præclara designantur, quòd & Deus fuerit, & Dominus prius ante incarnationẽ Christus, & quòd populus eius ab ipso saluandus iam tunc annũciabitur. Et ideo dictum est: Ipse saluum faciet populum suum à peccatis eorum, vt verè Deus. Dei enim est virtutis à peccatis saluare, vel peccata dimittere. Iste ergo filius Dei habens populum suum, ipsum venit, vt dictum est, liberare à peccatis, atque saluare, siue ex Iudæis, siue ex gentibus: de quo ipse iam per prophetam fuerat locutus, dicẽs: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Pete à me, & dabo tibi gẽtes hæreditatem tuam, & possessionem tuam terminos terræ. Ipse saluabit populum suum à peccatis eorum: sanguine videlicet suo cunctos redimens, morte sua de mortis eos liberans potestate. Ipse saluabit, hoc est, erit saluator omnium hominum fidelium atque credentium. Psalm. 2.

Bene autem sibi diuiserunt Euangelistæ, vt sanctus Matthæus Ioseph ab Angelo moneri induceret, ne dimitteret Mariam. Lucas Euangelista testimonium ferret, quòd non conuenissent. Hic ipsa Maria fatetur, cùm dicit Angelo: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognoui? Sed & ipse sanctus Lucas virginem declarauit, dicens: Et nomen virginis Maria. Et Propheta edocuit, qui ait: Ecce virgo in vtero concipiet. Et Ioseph designauit, qui quoniam prægnantem videbat, quam nõ cognouerat, dimittere gestiebat. Et Dominus ipse in cruce positus manifestauit, cùm dicit matri: Mulier, ecce filius tuus. Deinde discipulo dicit: Ecce mater tua. Etiam vterque testatus est, discipulus & mater: Quia ex illa hora suscepit eam discipulus in suam. Vtique si cognouisset, nunquam virum proprium reliquisset, nec vir eam iustus passus esset à se discedere. Quomodo autem Dominus diuortium præcepisset, cùm ipsius sit sententia: Quia nemo dimittere debet vxorem, excepta causa fornicationis? Pulchrè autem docuit sanctus Matthæus, quid facere debeat iustus, qui probrum coniugis deprehenderit, vt cruentum ab homicidio, castum ab adulterio præstare se debeat. Qui enim iungitur meretrici: vnum corpus est. Ergo vbique in Ioseph iusti gratia & persona seruatur, vt testis ornetur. Os enim iusti mendacium nescit, & lingua eius loquitur iudicium. Iudicium eius loquitur veritatem. Nec te moueat, quòd scriptura frequenter coniugem dicit. Non enim virginitatis ereptio, sed coniugii testificatio, nuptiarum celebratio declaratur. Denique quam non accepit, nemo dimittit. Et ideo qui volebat dimittere, fatebatur acceptam. Simul etiam mouere non debet, quod ait Euangelista: Non cognouit eam donec peperit filium. Illud enim velut idioma scripturæ est: sicut habes alibi: Donec senescatis, ego sum. Nunquid post illorum senectutem Deus esse desiuit? Et in psalmo: Dixit Dominus Domino meo, sede à dextris meis: Donec ponã inimicos tuos scabellum pedum tuorum. Nunquid postea non sedebit? Vel quoniam qui causam agit, satis putat quòd causæ est dicere, redundantia non requirit? Satis enim est ei, vt causam susceptã astruat, incidentem differat. Et ideo qui incarnationis incorruptum susceperat probare mysterium, non putauit vberius prosequendum virginitatis Mariæ testimonium, ne defensor magis virginis, quàm assertor mysterij crederetur. Certè quando iustum docuit Ioseph, satis declarauit, quòd sancti spiritus templum, matrem Domini, vterum mysterij violare non potuit. Didicimus seriem veritatis, didicimus consilium, discamus mysterium: Bene desponsata, sed virgo: quia est Ecclesiæ typus, quæ est immaculata, sed nupta. Concipit nos virgo de spiritu, parit nos virgo sine gemitu. Et ideo fortasse sancta Maria alij nupta, ab alio repleta, quia & singulæ Ecclesiæ spiritu quidem replentur & gratia, iunguntur tamen ad temporalis speciem sacerdotis.

Ex D. Ambrosio super Lucã cap. 1. Matth. 1. Esaiæ 7. Ioann. 19. Matth. 5. 1. Corint. 6. Matth. 1. Psalm. 106. Ibidem.

Ioseph fili Dauid, natus nõ solum ex genere sacerdotali, verùm etiam ex regali, filius prophetarũ, socius scribarũ. Ille Deus qui scripsit mirabilia in lege sua, ipse fecit mirabilia in cõiuge tua. Quid autẽ sunt mirabilia, nisi quæ hominibus sunt impossibilia? Mirabilia ergo Dei in lege non legisti: quod si etiã legisti, quare nõ intellexisti? Ipsa lex quam quotidie legis, sine graphio scripta est in tabulis lapideis. Lege & intellige, quòd panẽ in eremo terra produxerit, cuius semẽ in terra arator nullus induxit. Virga etiã Aarõ annis siccata plurimis sine aqua reuixit, in tẽplo floruit, nuces produxit, quas clausa sub tecto produxit. Ergo qui scripsit lapideas tabulas sine stylo ferreo, ipse grauidauit Mariã spiritu sancto: & qui produxit panes in eremo sine aratione, ipse impregnauit virginẽ sine corruptione: & qui fecit virgã sine humore folia germinare, ipse fecit filium Dauid sine semine generare. Postremò fili Dauid Ioseph

Ex D. Augustino in serm. 14. dici Natiuitatis Domini.

filius prophetarum, legisti Esaiam eximium prophetarum quid dixerit, quemadmodum scripserit: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Quod ergo legisti in libris tuis, aspice in Mariam oculis tuis, vt dignè dicas Canticum Dauid patris tui: sicut audiuimus, ita & vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. Aspice ergo Mariam coniugem tuam, semper de ea securus, & in nullo sis solicitus, quia quod natum est in eius vtero, non vocabitur filius Iudæi, sed vocabitur filius Dei. Habe ergo Ioseph cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi, in carne sua virginitate seruata: sis autem & tu pater Christi cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis seculis Christianis nulla sit zelotypia. Magnum meritum virginitatis fratres, 1 Virginitas Mariæ, Angeli salutatione est impregnata, & prægnans Mariæ virginitas de vtero, in vtero est salutata: & generans virginitas Mariæ ab Angelis est hodie collaudata: & lactās virginitas Mariæ per stellam de cœlo est indicata, & Magorum muneribus est honorata. Gaude itaque Ioseph, nimiumque cōgaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij, quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris. Necessariò fuit desponsata Maria Ioseph, quando per hoc & à canibus sanctum absconditur, & à sponso virginitas comprobatur: & virginis tam verecundiæ parcitur, quàm famæ prouidetur. Quid sapientius, quid dignius diuina prouidentia? Vno tali consilio secretis cœlestibus & admittitur testis, & excluditur hostis, & integra seruatur fama virginis matris. Alioquin quando pepercisset iustus adulteræ? Scriptum est autem: Ioseph autem vir eius cùm esset iustus, & nollet eam traducere, voluit occultè dimittere eam. Bene, cùm esset iustus, noluit eam traducere, quia sicut nequaquam iustus esset, si cognitam ream consensisset: sic nihilominus iustus non esset, si probatam innoxiam condemnasset. Cùm ergo iustus esset, & nollet eam traducere, voluit dimittere eam. Quare voluit dimittere eam? Accipe & in hoc non meam, sed patrum sententiā. Propter hoc Ioseph voluit dimittere eam, propter quod & Petrus Dominum à se repellebat, dicens: Exi à me Domine, quia homo peccator sum: propter quod & Centurio à domo sua eum prohibebat, cùm diceret: Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum. Ita ergo & Ioseph indignum & peccatorem se reputans, dicebat intra se, à tali & à tanta non debere sibi vltrà familiare præstari contubernium, cuius supra se mirabilem expauescebat dignitatem. Videbat & horrebat diuinæ præsentiæ certissimum gestantem insigne: & quia mysteriū penetrare non poterat, volebat dimittere eam. Expauit Petrus potentiæ magnitudinem. Expauit Centurio præsentiæ maiestatem. Exhorruit nimirum & Ioseph sicut homo, huius tanti miraculi nouitatem, mysterij profunditatem: & ideò occultè voluit dimittere eam. Miraris quòd Ioseph prægnantis sese consortio virginis iudicabat indignum, cùm audias & sanctam Elisabeth eius non posse ferre præsentiam, nisi cum tremore, & reuerentia? Ait namque: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ideo itaque Ioseph voluit dimittere eam. Sed quare occultè, & non palam? Ne videlicet diuortij causa inquireretur, exigeretur ratio. Quid enim vir iustus responderet populo duræ ceruicis, populo non credenti & contradicenti? Si diceret quod sentiebat, quod de illius puritate comprobauerat, nónne mox increduli & crudeles Iudæi subsannarent illum, lapidarent illam? Quando namque veritati crederent tacenti in vtero, quam postea contempserunt clamantem in templo? Quid facerent necdum apparenti, cui postmodum impias manus iniecerunt etiam miraculis corruscanti? Meritò ergo vir iustus, ne aut mentiri, aut diffamare cogeretur innoxiā, voluit occultè dimittere eam. Sin verò aliter quis sentiat, & Ioseph sicut hominem dubitasse contendat: sed quia iustus erat, noluisse quidem habitare cum ea propter suspitionem, nec tamen (quia pius erat) traducere voluisse suspectam, & ideo voluerit occultè dimittere eam: Breuiter respondeo, etiam sic dubitationem illam Ioseph fuisse necessariam, quæ diuino meruit certificari oraculo. Sic quippe scriptū est: Hæc autem eo cogitante, scilicet quod occultè dimitteret eam, apparuit ei Angelus in somnis, dicens: Ioseph fili Dauid, noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Itaque propter istas rationes desponsata est Maria Ioseph, vel potius, sicut ponit Euangelista, viro, cui nomen erat Ioseph. Virū nominat, nō quia maritus, sed quòd homo virtutis erat. Vel potius quia iuxta alium Euangelistam non vir simpliciter, sed vir eius dictus est: meritò appellatur, quod necessariò putatur. Debuit ergo vir eius appellari, quia necesse fuit & putari, sicut & pater Saluatoris non quidem esse, sed dici meruit, vt putaretur esse, dicente hoc ipso Euangelista: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph. Nec vir ergo matris, nec filij pater extitit, quamuis certa (vt dictum est) & necessaria dispensatione vtrumque ad tempus & appellatus sit, & putatus. Conijce tamen ex hac appellatione, qua licet dispensatoria meruit honorari adeo, vt pater

Dei

[Margin notes: 1 Commendatur virginitas. — Ex D. Bernardo in hom. 2. super Missus est. — Matth. 1. — Lucæ 5. — Matth. 8. — Lucæ 1. — Matth. 1. — Lucæ 1. — Lucæ 3.]

Dei & dictus & creditus sit: conijce & ex proprio vocabulo, quod argumentum non dubitas interpretari, quis & qualis homo fuerit iste Ioseph. Simul & memento magni illius quondam Patriarchæ venditi in Ægypto, & scito ipsius istum non solùm vocabulum fuisse sortitum, sed & castimoniam adeptum, innocentiam assequutum & gratiam. Si quidem ille Ioseph fraterna ex inuidia venditus, & ductus in Ægyptum, Christi venditionem præfigurauit. Iste Ioseph Herodianam inuidiam fugiens Christum in Ægyptum portauit. Ille domino suo fidem seruans dominæ noluit commisceri: Iste Dominam suam Domini sui matrem virginem agnoscens, & ipse continens fideliter custodiuit. Illi data est intelligentia in mysterijs somniorum: Isti datum est conscium fieri atque participem cœlestium sacramentorum. Ille frumenta seruauit: non sibi, sed omni populo. Iste panem viuum è cœlo seruandum accepit tam sibi quàm toti mundo. Non est dubium quin bonus & fidelis homo fuerit iste Ioseph, cui mater desponsata est Saluatoris. Fidelis, inquam, seruus & prudens, quem constituit Dominus suæ matris solatium, suæ carnis nutritium, solum denique in terris magni consilij coadiutorem fidelissimum. Huc accedit, quòd dicitur fuisse de domo Dauid. Verè enim de domo Dauid, verè de Regia stirpe descendit vir iste Ioseph, nobilis genere, mente nobilior. Planè filius Dauid, non degenerans à patre suo Dauid. Prorsus, inquam, filius Dauid, non tantùm carne, sed fide, sed sanctitate, sed deuotione: quem tanquam alterum Dauid Dominus inuenit secundùm cor suum, cui tutò committeret secretissimum atque sacratissimum sui cordis arcanum, cui tanquam alteri Dauid incerta & occulta sapientiæ suæ manifestauit, & dedit illi non ignarum esse mysterij, quod nemo principum huius seculi agnouit: cui denique datum est, quod multi Reges & prophetæ cùm vellent videre, non viderunt: audire, & non audierunt: non solùm videre & audire, sed etiam portare, deducere, amplecti, deosculari, nutrire, & custodire. Non tantùm autem Ioseph, sed & Maria descendisse credenda est de domo Dauid. Alioquin non esset desponsata viro de domo Dauid, si non esset & ipsa de domo Dauid. Ambo igitur erant de domo Dauid: sed in altera completa est veritas, quam iurauit Dominus Dauid: altero tantùm conscio, & teste adimpletæ promissionis.

Genes. 37. Matth. 2. Genes. 39. Matth. 1. Genes. 40.

FRAGMENTVM VITAE DOMINI NOSTRI Iesu Christi filij Dei Saluatoris nostri, ex diuersis autoribus collectum.

FVIT ijsdem temporibus Iesus sapiens vir, si tamen virum eum nominare fas est. Erat enim mirabilium operum effector, doctorque hominum eorum qui libenter, quæ vera sunt, audiunt. Et multos quidem Iudæorum, multos etiam ex Gentilibus sibi adiunxit. Christus hic erat. Hunc accusatione primorum nostræ gentis virorum cùm Pilatus in crucem agendum esse decreuisset, non deseruerunt, hi qui ab initio eum dilexerant. Apparuit enim eis tertio die iterum viuus, secundùm quod diuinitus inspirati prophetæ vel hæc, vel alia de eo innumera miracula futura esse prædixerant. Sed & in hodiernum diem, Christianorum qui ab ipso nuncupati sunt, & nomen perseuerat & genus. Conuersationem suam, quam in carne Saluator noster habuit, omnibus piè viuere volentibus virtutis typum & imaginem proposuit: vt in illos characteres respicientes, consimilem suæ vitæ formam imprimant, nusquam archetypum imitationis variatione peruertentes. Quòd enim vitam suam seruator imaginem optimæ conuersationis omnibus ipsi obedire volentibus proposuerit, audi ipsum conspicuè hoc docentem: Si quis, inquit, mihi ministrat, me sequatur. Non autem carnalem significans imitationem, quæ omnibus est imperuia, cùm ipse iam iuxta corpus in cœlis esse cognoscatur: sed exactam vitæ, quãtum eius fieri potest, imitationem. Quomodo igitur seruator noster vixit, & quomodo conuersatus est? Peccatum non fecit. Quomodo enim iustitia à peccato superari possit? Quomodo verò mendacium veritatem vinceret? Quomodo potentia per infirmitatem expugnaretur? Aut quo pacto id quod non est, eo qui est superius euaderet? Deus enim semper est, & essentiæ finem non habet terminum non admittit: peccatũ verò nunquã est, neq; in propria substantia deprehenditur: sed magis in ipsis est, à quibus fit, quàm in malefactis, & essentiam suam in defectu boni habens, instar spiritaliũ tenebrarum, per iniquitates exprimitur, perque iustitiæ lucem iterum dissoluitur (lux enim in tenebris lucet) & vnà cũ turpibus factis terminatur. Cessantibus enim malefactis, simul & essentia peccati cessat. Quæretur enim peccatum illius, inquit, nec inuenietur. Licet reconditum sit peccatorum gratia supplicium ijs qui peccant, & irrefragabilis super iniquitatibus sit deputata pœna. Peccatum igitur non fecit, nec est inuentus dolus in ore eius. Sed lenitatis, patientiæ, bonitatis, mansuetudinis, benignitatis, placiditatis, humilitatis, prudentiæ

Ex Iosepho antiqu. lib. 13. ca. 6.

Ex D. Basilio in lib. de constitutionibus monachorũ. ca. 4. to. 3

Ioann. 12.

dentiæ, & omnis in vniuersum virtutis quàm plurima exhibuit exempla, quæ in Euangelijs clarè sunt exposita. Lenitatis quidem & patientiæ, ferendo Iudæorum insidias, quibus perpetuò priorem malitiam, sequentibus maligni studij hyperbolis superabant. Quos quidem placidè reprehendebat, vt à malitia desisterent: vlcisci verò, vindictamque de illis vel modicè sumere non sustinebat: sed cum inhumanitate ipsorum beneficijs certabat, & malitiæ intentionem per bonorum subministrationem vincere satagebat, & tandem crucem pro crucifixoribus suis subibat. Mansuetudinis verò & placiditatis, in eo quòd quosuis admittebat cum benignitate sibi congrua, & colloquendi copiam & fiduciam exhibebat, non solùm honestis, sed & ijs hominibus quibus res turpissimæ grato & consueto vsu fuerant. Ita ad illum accedebant meretrices & publicani, non vt libidinis aut auaritiæ morbum augerent, sed vt animæ morbum propulsarent: nec tantum absterrebantur conscientia malitiæ, quantum confidebant spe medicinæ. Inueniebant enim experientiam spe maiorem. Benignitatis autem & commiserationis quanta sunt exempla? Interdum in solitudine egestate pressos mensa spontanea, & abundè copiosa, ac duplici nomine benigna, excepit: cùm propter necessariorum abundantiam, tum propter insolentem, & admirabilem suppeditationem & sufficientiam. Interdum deiectos commiseratus est, quòd essent afflicti & proiecti, sicut oues non habentes pastorem: & corporales infirmitates, membrorumque corruptiones, ac mutilationes, pariter & animæ ægritudines, ac peccatorum insolubiles nodos, & obligationes violentorum pactorum, quas cum diabolo patre peccati fecimus, curauit ac dissoluit. Humilitatis verò, qualia nobis præscripsit exempla in eo, quòd nod solum carne circundari, sed & humilium iuxta seculi formam parentum filius partim fieri, partim æstimari voluit? fieri, quod matrem: æstimari, quod eum, qui pater dicebatur, attinet. Prudentiæ autem, quod aliquando Sadducæos arguit, resurrectionem per commentum septem fratrum sub vna vxore mortuorum irridere conantes: aliquando verò discipulos Pharisæorum cum Herodianis pudefecit: qui cùm ancipitem quæstionem obijcerent, an liceret censum dare Cæsari, vel non, responsionem ambidextram tulerunt, quæ vtrinque illorum amẽtiam vellicaret, non dare, sed reddere iubens. Reddite enim, inquit, quæ Cæsaris sunt Cæsari, quoniam numisma Cæsaris erat, cuius imaginem & inscriptionem ferebat. Et hæc quidem sunt præcipua virtutum ac factorum Christi exempla, quorum adhuc infinitus est numerus. Corporis verò, qualia sunt & quot, quorum gratia potissimum istud Christi hypodigma adductum est? Primæua quidem ætate parentibus subditus quemuis corporalem laborem mansuetè & intemperanter cum illis tulit. Cùm enim homines essent iusti quidem ac pij, pauperes tamen, & rerum necessariarum haud quaquam abundantes, cuius rei testimonium dat præsepe, quod mederi iam debebat fastui nobilium partuum, verisimile est assiduò corporalium laborum exercitio victum sibi necessarium vnà comparasse. Iesus autem istis, vt scriptura inquit, subditus, obedientiam suam omnino etiam hic præstitit, vt simul cum illis laboraret. Successu verò temporis, cùm herilia ac diuina beneficia patefacienda, Apostoli deligendi, regnumque cœlorum prædicandum esset, non in angulo aliquo iacens, & corporis viribus destitutus aliorum ministerio opus habuit: sed nunc quidem assiduè, idque pedes iter fecit, discipulisque simul ministrauit, vt ipse dicebat: Ego autem sum in medio vestri tanquam qui ministrat. & : Sicut filius hominis non venit vt sibi ministretur, sed vt ipse ministret: nunc verò discipulorum pedes lauit. Rursus prolixo tempore doctrinæ munus exercuit, locum loco mutans impigrè, idque nostræ salutis gratia, semel tantum ac breui momento iumenti opera vsus legitur, non vt corpus refocillaret, sed vt hoc opere prophetiam confirmaret. Quid autem Apostoli? Dominum non sunt imitati? Non in continuis laboribus fuerunt? Considera Paulum sine intermissione operatum, continua peregrinatione ac nauigatione occupatum, periclitatum, tempestate iactatum, pulsum, flagris cæsum, lapidatum, ad vniuersas tentationes per animi alacritatem ac corporis vigorem infractum. Et hæc quidem liberatoris nostri conuersatio, & canon viuendi eorum qui piè vitam instituunt. Verùm in omnibus mirabilibus quæ egisti, mirabilior passio tua, Domine Iesu, quę passiones omnium nostrum propulsauit, propitiata est omnibus iniquitatibus nostris, & nulli vnquam pesti nostræ inuenitur inefficax. Quid enim tam ad mortem, quod non tua morte saluetur? In hac igitur passione fratres, tria specialiter conuenit intueri, opus, modum, causam. Nam in opere quidẽ patientia, in modo humilitas, in causa charitas commendatur. Patientia autem singularis, quòd videlicet cùm supra dorsum eius fabricarent peccatores, cùm sic extenderetur in ligno, vt dinumerarentur omnia ossa eius, cùm fortissimum illud propugnaculũ, quod custodit Israël, vndique foraretur, cùm foderentur manus & pedes, sicut agnus ad occisionem ductus sit, & tanquam ouis coram tondente se non aperuit os suum: non aduersus patrem murmurãs, à quo missus fuerat: non aduersus humanũ genus, pro quo quæ non rapuit exoluebat: non denique vel contra populum ipsum peculiarem sibi

Matth 4.
Luc 22.
Matth 20.
Joann 13.
Matth. 21.

2. Corint. 1.

Ex D. Bernardo in serm. Fer. iiij. maioris hebdomadæ.

à quo

à quo pro tantis beneficijs tanta mala recipiebat. Plectuntur aliqui pro peccatis suis, & humiliter sustinent, hoc ipsum tamen eis ad patientiam reputatur. Flagellantur alij, non tam purgandi, quàm probandi, coronandique: & maior in eis patientia comprobatur & commendatur. Quomodo non maxima censeatur in Christo, qui in funiculo hæreditatis suæ ab his quibus specialiter aduenerat saluator, crudelissima morte mulctabatur sicut fur, nullum omnino peccatum nec actu proprio, nec contractu, sed nec in quo crescere posset, habens? Nimirum in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis, non vmbraticè, sed corporaliter: in quo Deus est, mundum reconcilians sibi, non figuratiuè, sed substantialiter: qui denique plenus est gratiæ & veritatis, non cooperatiuè, sed personaliter. Vt faciat opus suum, alienum est opus eius ab eo (Esaias loquitur) quia & opus suum fuit, quod dedit ei pater vt faceret: & alienum ab eo, vt talis talia sustineret. Ita ergo habes in opere patientiam. Nam modum ipsum si diligenter attendas, non modò mitem, sed & humilem corde cognosces. Nempe in humilitate iudicium eius sublatum est, cùm nec ad tantas blasphemias, nec ad falsissima quæ sibi obijciebantur, crimina responderet. Vidimus, inquit, eum: & non erat ei aspectus: non speciosum forma præ filijs hominum, sed opprobrium hominum, & tanquam leprosum, nouissimum virorum: planè virum dolorum, à Deo percussum & humiliatum: ita vt nulla esset ei species neque decor. O nouissimum & altissimum, ô humilem & sublimem, ô opprobrium hominum, & gloriam Angelorum. Nemo illo sublimior, nemo humilior. Denique sputis illitus est, opprobrijs saturatus est, morte turpissima condemnatus est, cum sceleratis deputatus est. Nihil ne merebitur vel ista humilitas, quæ hunc habet modum, imò quæ tam est vltra modum? Sicut est patientia singularis, sic & humilitas admirabilis vtraque sine exemplo.

Esaiæ 28.

Esaiæ 53.

Vtramque tamen magnificè causa ipsa commendat: nimirum charitas est. Propter nimiam quidem charitatem suam, qua dilexit nos Deus, vt seruum redimeret, nec pater filio, nec sibi filius ipse pepercit. Verè nimiam, quia & mensuram excedit, modũ superat, planè supereminens vniuersis. Maiorem, inquit, charitatem nemo habet, quàm vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Tu maiorem habuisti, Domine, ponens eam etiam pro inimicis. Cùm enim adhuc inimici essemus, per mortem tuam & tibi reconciliati sumus, & patri. Quęnam alia videbitur esse, vel fuisse, vel fore huic similis charitas? Vix pro iusto quis moritur: tu pro impijs passus es, moriens propter delicta nostra qui venisti iustificare gratis peccatores, seruos facere fratres, captiuos cohæredes, exules reges. Nec sanè aliud aliquid patientiam hanc & humilitatem æquè illustrat, quàm quòd tradidit in mortem animã suam, & peccata multorum tulit, etiam pro transgressoribus rogans vt non perirent. Fidelis sermo, & omni acceptione dignus. Quia enim voluit, oblatus est. Non modò voluit, & oblatus est, sed quia voluit. Solus nimirum potestatem habuit ponendi animam suam: nemo eam abstulit ab eo vltrò. Cùm accepisset acetum, dixit: Consummatum est. Nihil restat adimplendum, iam non est quod expectem. Et inclinato capite factus obediens vsque ad mortem, tradidit spiritum. Quis tam facilè quando vult dormit? Magna quidem infirmitas mori, sed planè sic mori, virtus immensa. Nempe quod infirmum est Dei, fortius est hominibus. Potest humana vesania sibi ipsi in mortẽ sceleratas inijcere manus, sed non hoc est ponere animam suam: vrgere eam magis, & violenter abrumpere, quàm ad nutum ponere est. Tibi impie Iuda, misera planè facultas fuit, non ponendi animam, sed pendendi: nec tradente te, sed trahente laqueo, nequissimus ille spiritus tuus exiuit, nõ emissus à te, sed amissus. Solus in mortem tradidit animam suam, qui solus virtute propria regressus est ad vitam. Solus potestatẽ habuit ponendi, qui solus facultatem æquè habuit liberam resumendi, imperium habens vitæ & mortis. Digna ergo charitas tam inæstimabilis, humilitas tam admirabilis, patientia tam insuperabilis. Digna planè tam sancta, tam immaculata hostia, tam acceptabilis: dignus est agnus qui occisus est, accipere fortitudinem, facere ad quod venit, tollere peccata mundi. Ego autem dico peccatum triplex, quod inualuit super terrã. Putatis quòd dicere velim concupiscentiam carnis, & concupiscentiam oculorum, & superbiam vitæ? Funiculus triplex est, qui difficile rumpitur: propterea multi trahunt, imo trahuntur hoc funiculo vanitatis: sed prior ille ternarius non immeritò præualet in electis. Quomodo enim nõ illius patientię recordatio omnem arceat voluptatem? Quomodo non illius humilitatis consideratio superbiam vitæ prorsus extinguat? Nam charitas illa planè digna, cuius meditatio sic mentem occupet, sic totam sibi vendicet animam, vt omnino vitium curiositatis exufflet. Fortis igitur contra hæc passio Saluatoris: sed aliud ego triplex æquè peccatum, quemadmodum virtus crucis expugnat, dicere cogitaui, & id fortè vtilius audiatur. Primum quidem originale, secundum personale dixerim, tertium singulare. Et originale quidem maximum illud delictum vocatur, quod à primo Adam contrahimus, in quo peccauimus omnes, pro quo morimur vniuersi. Maximũ plane, quod sic totum, non modò genus humanum, sed & quemlibet ipsius generis occupat: vt non sit qui euadat, non sit vsque ad vnum. A primo homine vsque ad nouissimum protenditur,

Ioannis 15.

Ioannis 19.

ditur, & in singulis quoque à planta pedis vsque ad verticem diffunditur hoc venenum. Sed
& aliter nihilominus in vniuersam dilatatur ætatem, ab ea scilicet die, qua sua quenque con-
cipit, vsque ad eam qua communis eum recipit mater. Alioquin vnde graue iugum super
omnes & totos filios Adam, idque à die exitus de ventre matris eorum, vsque in diem se-
pulturæ in matrem omnium? In sordibus generamur, in tenebris confouemur, in doloribus
parturimur. Ante exitum miseras oneramus matres: in exitu more viperio laceramus, mi-
rum quòd non ipsi pariter laceramur. Primam vocem plorationis edimus, meritò quidem,
vtpote vallem plorationis ingressi: vt nobis illud sancti Iob ex omni parte possit aptari: Ho-
Iob 14. mo natus de muliere, breui viuens tempore, repletur multis miserijs. Quàm verum verbum
hoc sit, non nos verba docuêre, sed verbera. Homo, inquit, natus de muliere: nihil abiectius.
Et ne fortè ex ipsa sibi voluntate corporeorum sensuum, quam de sensibilibus hauriat, blan-
diatur: in ipso statim introitu, de exitu quoque terribiliter admonetur, cùm dicitur: Breui
viuens tempore. At ne spatiolum illud, quod inter ingressum & egressum relinquitur, sibi
Ioan. 19. liberum putet: repletur, ait, multis miserijs. Multis, & multiplicibus, inquam, miserijs
corporis, miserijs cordis, miserijs cùm dormit, miserijs cùm vigilat, miserijs quaquauersum
se vertat. Nimirũ ipse quoque natus ex virgine, imò factus ex muliere: sed benedicta in mu-
lieribus, qui loquitur ad matrem: Mulier, ecce filius tuus: etiam breui viuens tempore super
terram, & nihilominus multis est repletus miserijs in illa breuitate, appetitus insidijs, inter-
rogatus contumelijs, pulsatus iniurijs, vexatus supplicijs, conuitijs lacessitus. Túne hanc
sufficere dubites ablationem, quæ reatum omnem primæ præuaricationis absoluat? Imò ve-
rò non sicut delictum, ita & donum. Nam peccatum ex vno in condemnationem: gratia au-
tem ex multis delictis in iustificationẽ. Et graue quidem omnino delictum illud originale,
quod non solùm personam infecit, sed & naturam: personale tamen cuique grauius est, cùm
iam laxatis habenis exhibemus vndique membra nostra arma iniquitatis peccato, nõ modò
iam alieno, sed & proprio crimine compediri. Singulare verò est grauissimum, quod com-
missum est in Dominum maiestatis, cùm viri impi virum iustum iniustè occiderunt, & sacri-
legas manus in ipsum Dei filium iniecerũt crudelissimi homicidę, imò (si fas est dicere) etiam
deicidæ. Quid duo præcedentia ad tertiũ? Ad hoc expalluit, & expauit tota machina mun-
dialis, & penè in antiquum chaos sunt omnia reuoluta. Ponamus aliquem de regni princi-
pibus terram regiam populasse in vastitate hostili: ponamus alium, cùm esset de conuiuio &
consilio regis, vnicum eius filium proditoris manibus suffocasse: Nunquid non primus re-
spectu secundi innocẽs videbitur & immunis? Sic est omne peccatum, quantum ad hoc pec-
catum: & tamen hoc peccatum in se pertulit, qui seipsum fecit peccatum, vt de peccato
damnaret peccatum. Per hoc enim omne peccatum tam originale, quàm personale dele-
tum est, & ipsum quoque singulare eliminatum est per seipsum. Argumentum mihi est à
maximo, quòd duo minora sunt explosa. Et ecce argumentum. Peccatum multorum
Lucæ 23. tulit, & pro transgressoribus rogauit, vt non perirent: Pater ignosce illis, quia nesciunt
quid faciunt. Volat irreuocabile verbum tuum Domine, ne reuertetur ad te vacuum, sed fa-
ciet ad quod misisti. Vide nunc opera Domini, quæ posuit prodigia super terram. Flagel-
lis cæsus est, spinis coronatus, clauis confossus, affixus patibulo, opprobrijs saturatus: om-
nium tamen dolorum immemor: Ignosce, ait, illis. Hinc multæ miseriæ corporis, hinc mul-
tæ misericordiæ cordis, hinc dolores, hinc miserationes, hinc oleum exultationis, hinc san-
guinis guttæ decurrentis in terram. Misericordiæ Domini multæ: sed & miseriæ Domini
multæ. Vincéntne miseriæ misericordias, an misericordiæ miserias superabũt? Vincant mi-
sericordiæ tuæ antiquæ, Domine, vincat sapientia malitiam. Magna enim illorum iniquitas:
sed nunquid non maior pietas tua, Domine? Multum per omnem modum. Nunquid reddi-
tur pro bono malum, ait, quia foderunt foueam animæ meæ? Planè foderunt impatientiæ
Hierem. 18. foueã, occasiones plurimas indignationis, & permaximas ministrantes. Sed quid horum fo-
uea ad abyssum mansuetudinis tuæ? Retribuentes mala pro bonis foueam foderunt: sed
charitas non irritatur, non præcipitatur, nunquam excidit, non in foueam ruit, & pro retri-
butis malis cumulat bona. Absit vt muscæ morituræ exterminent suauitatẽ vnguenti, quod
de tuo corpore fluit: quia apud sinum tuum misericordia, & copiosa apud eum redemptio.
Muscæ morituræ, miseriæ sunt: muscæ morituræ, blasphemię sunt: muscæ moriturę, insulta-
tiones sunt, quas tibi reddit generatio praua & exasperãs. Tu autem quid? In ipsa eleuatione
manuum tuarum, cùm iam sacrificium matutinũ in holocaustum vespertinum transiret, in
ipsa, inquam, virtute incensi, quod cœlos ascendebat, terram operiebat, inferos respergebat,
exaudiẽdus pro reuerẽtia tua clamas: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. O quàm
multus es ad ignoscendũ, ô quàm magna multitudo dulcedinis tuæ, Domine, ô quã lõge co-
gitationes tuę à cogitationibus nostris, ô quã firmata est etiã super impios misericordia tua.
Mira res. Ille clamat, ignosce: Iudæi, crucifige. Molliti sunt sermones eius super oleum: & isti

sunt

sunt iacula, ô charitas patiens, sed & compatiens. Charitas patiens est, sufficit. Charitas benigna est: cumulus est. Noli vinci à malo: charitas abundans: sed vince in bono malum: superabundans est. Non enim sola patientia, sed & benignitas Dei ad pœnitentiam Iudæos adduxit: quia benigna charitas etiam quos tolerat, amat, & amat tam ardenter. Patiens charitas dissimulat, expectat, sustinet delinquentem, & benigna trahit, adducit, conuerti facit ab errore viæ suæ: denique cooperit multitudinem peccatorum: ô Iudæi, lapides estis, sed lapidem percutitis molliorem, de quo resonat tinnitus pietatis, & ebullit oleum charitatis. Quomodo potabis, Domine, desiderantes te torrente voluptatis tuæ, qui sic perfundis crucifigentes te oleo misericordiæ tuæ? Patet igitur quia hæc passio potentissima est ad exhaurienda omnium genera peccatorum. Sed quis scit si data est mihi? Mihi data est, quia alteri dari non potuit. Nunquid Angelo? Sed ille non eguit. Nunquid diabolo? Sed ille non resurgit. Denique non in similitudinem Angelorum: absit autem vt in similitudinem dæmonum: sed in similitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo, exinaniuit semetipsum formam serui accipiens. Filius erat, & factus est tanquam seruus. Non solùm formam serui accepit vt subesset, sed etiam mali serui, vt vapularet, & serui peccati, vt pœnam solueret, cùm culpam non haberet. In similitudinem, inquit, hominum, non hominis: quia primus homo nec in carne, nec in similitudine carnis peccati creatus est. Christus enim vniuersali hominum miseria pressius & profundius se immersit, ne subtilis ille diaboli oculus magnum hoc pietatis deprehenderet Sacramentum. Ideo habitu, & omni habitu inuentus est vt homo: nec in eo, quantum ad naturæ debitum, signum aliquod singularitatis apparuit. Quia enim ita inuentus est, ideo crucifixus. Paucis autem reuelauit seipsum, vt essent qui crederent: reliquis autem absconditus est: quia si cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent. Ad hoc etiam illi singulari peccato ignorantiam copulauit, vt sub aliqua iustitiæ vmbra ignorantibus posset ignosci. Duo autem in hæreditatem nobis reliquerat ille vetustus Adam, qui fugit à facie Dei, laborem scilicet & dolorem: laborem in actione, dolorem in passione. Non hoc ipse audierat in paradyso, quem acceperat, vt operaretur & custodiret illum: operaretur delectabiliter, custodiret fideliter, & sibi, & posteris suis. Christus Dominus laborem & dolorem considerauit, vt traderet eos in manus suas, imò se magis in manus eorum infixus in limo profundi: & intrauerunt aquę istæ vsque ad animam eius. Vide (ad patrem inquit) humilitatem meam & laborem meum, quia pauper ego sum, & in laboribus à iuuentute mea. Laborauit sustinens, manus eius in laboribus seruierunt. De dolore vide quid dixerit: O vos omnes qui transitis per viam, attendite, & videte, si est dolor, sicut dolor meus. Verè languores nostros ipse tulit, & infirmitates nostras ipse portauit: vir dolorum, pauper & dolens, tentatus per omnia absq; peccato. Et in vita passiuam habuit actionem, & in morte passionem actiuam sustinuit, dum salutem operaretur in medio terræ. [1] Proinde memor ero, quàm diu fuero, laborum illorum, quos pertulit in prædicando, fatigationum in discurrendo, tentationum in ieiunando, vigiliarum in orando, lachrymarum in compatiendo. Recordabor etiam dolorum eius, conuitiorum, sputorum, colaphorum, subsannationum, exprobrationum, clauorũ, horumq; similium, quæ per eum, & super eum abundantius transierunt. Facit ergo mihi fortitudo, facit similitudo: sed si accesserit, etiam imitatio, vt sequar vestigia eius. Alioquin etiam exquiretur à me sanguis iustus, qui effusus est super terram: nec immunis ero ab illo tam singulari scelere Iudæorum, quòd videlicet tantæ charitati ingratus fuerim, quòd spiritui gratiæ contumeliam fecerim, quòd sanguinem testamenti pollutum duxerim, quòd conculcauerim filium Dei. Sunt plerique qui laborem & dolorem patiuntur, sed necessitas in causa est, non voluntas: & hi non sunt conformes imaginis filij Dei. Sunt qui ex voluntate sustinent: sed non est eis sors, neque pars in sermone isto. Vigilat tota nocte luxuriosus non solùm patienter, sed & libenter, vt suam expleat voluptatem: vigilat raptor vestitus ferro vt diripiat prædam: vigilat fur vt domum perfodiat alienam. Sed hi omnes, & horum similes longè sunt à labore & dolore, quem considerat Dominus. Homines autem bonæ voluntatis, qui Christiana voluntate diuitias paupertate commutârunt, vel etiam non habitas, tanquam habitas contempserunt, relinquentes omnia propter ipsum, sicut & ipse reliquit omnia propter ipsos, [2] sequuntur eum quocunque ierit. Huiusmodi autem imitatio validissimum argumentum mihi est, quòd passio Saluatoris & similitudo humanitatis in meam transeunt vtilitatem. Hic enim sapor, hic fructus laboris est & doloris.

Vide ergo quàm magnificauerit facere tecum illa maiestas. De omnibus quæ in cœlo & sub cœlo sunt, dixit & facta sunt. Et quid facilius dictu? Sed nunquid solo verbo factum est, cùm te, quem fecerat, refecit? Triginta & tribus annis super terram visus, & cum hominibus conuersatus, etiam habuit in factis calumniatores, in dictis insultatores, non habens

1.Corinth.2.

Psalm. 118.
Thren.1.

Esaiæ 53.

1 Ecce quomodo Dominus & Saluator noster ieiunauit, vigilauit, orauit, lachrymatus est, exemplum præbẽs tibi vt hæc oĩa facias. Quæ tamen hæretici nostri abhorrent. Quinimo nõ faciẽda prædicãt, quoniã Dominus noster abũdè pro nobis hæc omnia fecerit. In quo ergo præbuit tibi exẽplum vt sequaris vestigia eius? In nullo profectò, si hæc modo omnia cauillaris.

2 Nota hæretice tibi non prodesse Christi passionem nisi imitatus eum fueris in vita tua, & sequaris eius vestigia. Qui enim mihi ministrat, (ait ipse) me sequatur. Et Apost. Petrus: Christus passus est pro nobis, & cæt.

vbi caput suũ reclinaret. Quare hoc? Quia verbũ à sua subtilitate descenderat, & grossius acceperat indumentũ. Nam caro factũ fuerat, & ideo grossiori & morosiori opere vtebatur. Sicut autẽ cogitatio vestit sibi vocem corpoream absque sui diminutione, vel ante vocem, vel post vocem: sic filius Dei assumpsit carnem non commixtionem passus, neque diminutionem, nec ante carnem, nec post carnem. Apud patrem inuisibilis, sed hic manus nostræ tractauerunt de verbo vitæ, & quod erat ab initio vidimus oculis nostris. Hoc autem verbum, quia carnem purissimam & animam sanctissimam vnierat sibi, liberè moderabatur actiones corporis sui, tum quia sapientia & iustitia erat: tum quia nullam habebat prorsus legem in membris suis repugnantem legi mentis suæ. Meum verbum nec sapientia, nec iustitia est, sed tamen vtriusque capax: & possunt ei hæc abesse & adesse, abesse autem facilius. Familiare enim magis iam nobis in carnis nostræ seruire vitiis, quàm actiones & passiones eius ordinare pro eo, quòd omnis ætas ab adolescentia prona est in malum, inter flagella quoque & gladios, etiam sub discrimine mortis ad suas ambiens voluptates. Fœlix, cuius cogitatio, hoc est, verbum nostrum, omnes actiones suas ad iustitiam dirigit, vt & intentio sana sit, & operatio recta. Fœlix qui passiones corporis sui propter iustitiam ordinat, vt quicquid patitur, propter Dei filium patiatur: quatenus & à corde tollatur murmuratio, & in ore versetur gratiarum actio, & vox laudis. Qui sic extulit se, iste tollit grabatum, & vadit in domum suam. Grabatum nostrum corpus est, in quo prius languidi iacebamus, seruientes desideriis & concupiscentiis nostris. Nunc portamus illud, cum spiritui obedire cogimur: & mortuum nostrum portamus, quia corpus mortuum est propter peccatum. Ambulamus tamen, non currimus: quia corpus quod corrumpitur, aggrauat animam, & deprimit terrena inhabitatio sensum multa cogitantem. Ambulamus etiam in domum nostram. In quam domum? In matrem omnium, quia sepulchra eorum domus illorum in æternum. Vel potius in domum nostram, quam habemus ex Deo non manufactam, æternam in cœlis. Qui sub hoc onere ambulamus, posito eo, quid putatis, quò curremus? quò volabimus? Planè super pennas ventorum. Amplexatus est nos Dominus Iesus per laborem & dolorem nostrum. Amplectamur eum nos quoque vicariis quibusdam amplexibus propter iustitiam, & iustitiam suam, actiones ad iustitiam dirigendo, passiones propter iustitiam sustinendo. Dicamus quoque cum sponsa: Tenui eum, nec dimittam. Dicamus etiam cum Patriarcha: Non dimittam te, nisi benedixeris mihi. Quid enim iam superest nisi benedictio? Quid post amplexum nisi osculum restat? Si sic adhærerem Deo, quomodo non iam clamare liberet: Osculetur me osculo oris sui? Ciba nos interim, Domine, lachrymarum pane, & potum da nobis in lachrymis in mensura, donec perducas nos ad mensuram bonam, & confertam, & coagitatam: quam dabis in sinus nostros, qui es in sinu patris super omnia benedictus Deus in secula. Amen.

Ger. 32.

Cantic. 1.

DIVI GREGORII NISSAE PONtificis, In diem natalem Domini nostri Iesu Christi oratio, Petro Francisco Zino Veronensi interprete.

Psal. 80.

CAnite tuba in nouilunio, inquit Dauid, in insigni Die solennitatis vestræ. Cœlestis autem doctrinæ mandata omnia, sunt instar legis iis qui intelligunt. Quamobrem, quoniam adest insignis dies solennitatis nostræ, nos item obseruemus legem, & efficiamur sacræ celebritatis buccinatores. Legalis autem tuba, vt declarat Apostolus, est oratio. Dicit enim, incertum tubæ clangorem esse non oportere, sed sonis distinctum, vt ea quæ dicuntur perspicua sint. Edamus igitur & nos fratres, clarum aliquem sonum, qui non minus exaudiatur, quàm si ederetur cornea tuba: quandoquidem & lex in vmbræ figuris antè depingens veritatẽ in tabernaculorum celebritate tubis vt caneretur, mandauit. Et præsens celebritatis argumentum veri tabernaculi mysterium est. In hac enim humanum ei tabernaculum figitur, qui propter nos formam hominis induit. In hac tabernacula nostra, quæ morte corruerant, instaurantur ab eo, qui ab initio construxerat ædificium. Nos etiam ea verba Psalmi cum vocali Dauide plaudentes dicamus: Benedictus qui venit in nomine Domini. Quomodo autem venit? Non nauigio, aut curru aliquo, sed incorrupta virginitate in vitam humanam traiecit. Hic Deus noster, hic Dominus, & illuxit nobis, vt diem hanc [1] solennem constitueret in cõdensis vsque ad cornua altaris. Quod autem mysterium, fratres, in iis quæ dicta sunt, contineatur, neutiquam ignoramus: scimus enim vniuersas res procreatas esse veluti templum quoddam Domini, à quo procreatæ sunt. Verùm quia superinducto peccato obstructa erant ora illorum, qui victi fuerant, & exul-

1. Cor. 14.

Psal. 117.

[1] *Natiuitatis Domini solennis dies etiam antiquitus habebatur.*

& exultationis vox obticuerat, & dies festos celebrantium consensus distractus erat, cùm humana natura cum beatarum mentium natura in celebrando non conueniret, idcirco venerunt Prophetarum & Apostolorum tubæ, quas lex corneas vocat, quia ex vero vnicorni confectæ sunt. Hæ spiritu sancto inflatæ continuum veritatis sonum protulerunt, vt auribus eorũ, qui propter peccatum obsurduerant, patefactis, per frequentiam inferioris tabernaculi cum excellentibus illis mentibus, quæ ad altare superius astant, concinnentem, vnà solennitas concelebraretur. Diuina enim illius altaris cornua, sunt eximiæ & præstantes cœlestis naturæ virtutes, & Principatus, & Potestates, & Throni, & Dominationes, quibuscum per tabernaculi excitationem in celebritate coniungitur humana natura, renouatione corporũ condensata. Nam condensari, & ornari, & indui, idem est, vt illi qui hæc intelligunt, interpretantur. Agite igitur, ad spiritualem choream animos nostros excitemus, nobisque chori ducem, & principem, & coryphæum Dauidem proponamus, & vnà cum illo dulcem illam emittamus vocem: Hæc est dies, quam fecit Dominus: exultemus, & lætemur in ea. In hac tenebræ incipiunt minui, & crescente splendore, noctis termini contrahuntur. Neque enim casu, aut sponte sua contingunt hæc, fratres, in hac die [2] solenni, qua humanæ vitæ splendet diuina vita. Sed per ea quæ cernuntur, mentis aciem intendentibus arcanum quoddam ostendit natura, ac tantùm non vocem emittens docet eos, qui audire possunt, quid sibi velit, quòd in aduentu Domini dies augetur, & nox imminuitur. Mihi enim videor eam sic loquentem exaudire: Considera, homo, qui hæc aspicis, ex iis quæ videntur, ea tibi aperiri quæ recondita sunt. Vides noctem ad summam longitudinem peruenisse, & cùm progredi vlterius nequeat, consistere, ac regredi? Cogita exitiosam peccati noctem, quæ malis omnibus artibus aucta, ad summum malitiæ cumulum venerat, hodie recisam esse, ne longius serperet, atque illuc deinceps redigi, vt planè deficiat, ac deleatur. Vides vberiores lucis radios, & solem solito sublimiorē? Cogita veræ lucis præsentiam Euangelij radiis totum orbem terrarum illustrare. Quòd autem humanæ vitæ non ab initio, sed extremis temporibus Dominus apparuerit, hanc meritò fortasse causam quispiam existimabit, quòd qui malitiam vt tolleret, humanam vitam erat ingressurus, expectauit necessariò, vt omne ab inimico satum, propagatumque peccatum germinaret, ac tum demum, vt legitur in Euangelio, radici securim admouit. Nam & qui præstant medendi facultate, dum febris adhuc corpus exurit, & ex causis morbum efficientibus paulatim intenditur, obsecundant morbo, quoad vis ad summum peruenerit, nec cibi subsidium vllum ægrotanti præbent. At vbi malum constituerit, patefacto iam toto morbo, tunc artem adhibent. Sic animorum ægrotantium medicus expectauit, dum malitiæ morbus, quo natura hominum victa laborabat, se totum aperiret, ne latens aliquid, incuratum remaneret, si curasset id solùm, quod cernebatur. Itaque nec Noë tempestate, cùm omnis caro in iniquitate corrupta esset, aduentu suo medicinam attulit, quia nondum Sodomitici sceleris germē pullulauerat. Nec tempore euersionis Sodomorum Dominus aduenit, quoniam in humana natura multa adhuc mala latitabant. Vbi enim impius Pharao? Vbi indomita Ægyptiorum malitia? Nec tunc igitur tempus fuit, vt huic vitæ se Deus commisceret. Oportebat, vt Israëlitarum iniquitas patefieret. Oportebat, vt regnum Assyriorum, & superbia Nabuchodonosor adhuc in vita latitans ostenderetur. Oportebat, vt piorum cædes, tanquam scelerata, spinosaque planta, ex mala diaboli radice prodiret. Oportebat, vt Iudæorum Prophetas occidentium, & à Deo missos lapidibus obruentium, ac Zacharia tandem inter templũ & altare interfecto, piaculum admittentium rabies detegeretur. Ad sceleratorum germinum numerum adde & infantium ab Herode patratam cædem. Cùm igitur malitiæ vis se totam effudisset, multisque luxurians modis creuisset in animis eorum, qui singulis seculis scelere insignes extiterant, tunc Deus, vt ad Athenienses Paulus ait, ignorantiæ tempora despiciens, in diebus vltimis aduenit, quando non erat intelligens, nec requirens Deum: quando cuncti declinauerant, & facti erant inutiles: quando conclusa erant omnia sub peccato: quando iniquitas abundabat: quando vitiorum tenebræ ad summum vsque terminum venerant. Tunc apparuit gratia, tunc veræ lucis nituit radius, tunc in tenebris, & vmbra mortis sedentibus, ortus est iustitiæ Sol. Tunc humanam carnem indutus multa serpentis capita pede contriuit, ad terramque allidens conculcauit.

2 *In hac die solenni.*

Matth. 3.

Act. 17.

Ne quis autem mala, quæ nunc in vita sunt, respiciens, falsa nos dicere suspicetur, quòd in extremis tēporibus splenduisse nobis Dominum asseramus. Nam (obijciat aliquis) qui tempora, quibus malitia retegetur, expectauit, vt illam auctã, cumulatamq; radicitus euelleret: sic etiam tollere, atque abolere cunctam debuerat, vt nullæ ipsius in vita reliquiæ remanerent. Nunc autem & homicidia, & furta, & adulteria, & reliqua omnia flagitia, & scelera debacchantur. Is ergo, qui hæc spectans sic obijcit, insigni, peruulgatoq; exēplo quæstionem ipsemet soluat. Quemadmodum cùm serpentes interficiuntur, non continuò reliquas partes

vnà cum capite mori videmus: sed cùm interierit caput, illæ tamen adhuc vitam retinent, nec vitali priuantur motu: sic accidit in draconis interitu. Etenim ingens cùm esset admodum fera, quippe quæ singulis hominum ætatibus excreuerat, qui multiplex eius caput, id est, vim illam malorum inuentricem multa in se capita continentem sustulit, cæterarum ipsius partium tractus neglexit, vt interfectæ feræ motum posteris ad exercitationis occasionem relinqueret. Ecquod igitur collisum, & effractum est caput? illud, quod impio consilio mortem intulerat, quod morsu mortiferum homini virus iniecerat. Quamobrem qui mortis euertit imperium, vim quæ in capite serpentis erat, vt ait Propheta, contriuit. Quod autem huius feræ in humana vita relictum fuit, quodque, quoad homines vitiorum motionibus permouentur, squama peccati vitam irritat, atque asperam reddit, potentia quidem, etsi non penitus actu, iam mortuum est, cùm eius caput contusum, & inutile factum sit. At vbi tempus transierit, & ea quæ mouentur constiterint, adueneritq; vitæ huius absolutio, quam expectamus, tunc & cauda, & extrema pars inimici, mors ipsa nimirum destruetur: atq; ita delebitur omnino cuncta malitia, cùm omnes in vitam per resurrectionem reuocati, qui iusti erunt, ad cœlestem quietem accedent: qui autem peccatis obnoxij, in gehennæ ignem detrudentur. Sed ad præsens gaudium reuertamur, quod pastoribus nunciant Angeli, cœli enarrant, & Magis Prophetæ spiritus, multis, variisque rationibus prædicat, vt etiam Magi gratiæ præcones fiant. Nam qui solem suum oriri facit super iustos & iniustos, quique pluit super malos & bonos, cognitiones radium, & rorem spiritus alienis etiam linguis demisit,
Num. 14. vt aduersariorum testimonio magis etiam apud nos veritas confirmaretur. Audiuisti ariolum Balaam meliori lumine afflatum sic alienigenis prædicentem: Orietur stella ex Iacob? Ecce tibi, qui ab eo genus duxerunt, Magi ex prædictione ipsius nouum obseruant ortum stellæ: quæ præter aliarum stellarum naturam, & motus, & status est particeps, & ad vtilitatem hac vtitur vicissitudine. Etenim cùm cæteræ stellæ partim in orbe non errante, semel infixæ statum immobilem sortitæ sint, partim nunquam cessent à motu: hæc & mouetur, dum Magis se ducem præbet: & stat, dum illis ostendit locum.

Esaiæ 9. Audis Esaiam clamantē: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis? Disce ab eodem Propheta, quomodo natus sit puer, quomodo datus sit filius. Num iuxta naturæ legē? Minimè verò, inquit. Legibus enim naturæ non paret, qui naturæ Dominus est. Quomodo igitur
Esaiæ 7. natus est puer? Dic. Ecce, inquit, virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Quod si interpreteris, significat, nobiscum Deus. O rē admirandam. Virgo mater efficitur, & permanet virgo. Cernis nouum naturæ ordinem? In aliis mulieribus, quamdiu aliqua est virgo, non est mater. Nam posteaquam est facta mater, virginitatem non habet. Hic autem vtrunq; nomen in idem concurrit. Eadē enim & mater, & virgo est. Nec virginitas partum ademit, nec partus virginitatem soluit. Decebat enim, vt qui in vitam humanam introibat, vt homines integros, incorruptosq; seruaret, ab incorrupta sibi deseruiēte integritate initium duceret. Nam hominum consuetudo expertem connubij, incorruptam
Exod. 3. appellat. Hoc mihi antè magnus ille Moyses per eam lucē, in qua sibi Deus apparuit, videtur cognouisse, qui cùm rubus arderet, nec tamen consumeretur: Ascendam, inquit, & videbo visionem hanc magnam: non loci motum, vt arbitror, per ascensum declarans, sed temporis transitum. Quod enim tunc per flammam & rubum significabatur, progrediente tempore, quod intercedebat, perspicuè in mysterio virginis apertum fuit. Quemadmodum enim illic est rubus, & tangit ignem, & non comburitur: ita hîc est virgo quæ lucem parit, & non corrumpitur. Quod autem per rubum, virginis corpus quod Deum suscepit, intelligatur, ne te similitudinis pudeat. Nam omnis caro propter peccati susceptionem, & ob id ipsum tantùm, quòd est caro, peccatum est. Peccatum autem in scriptura vocatur spina.

Ac ne à proposito longius euagemur, fortè non erit intempestiuum, si incorruptæ matris
Lucæ 1. testem eum, qui inter templum & altare fuit occisus, proferamus. Hic est sacerdos Zacharias, non sacerdos solùm, verùm etiam Propheta. Ac prophetię quidem potestas in Euangelij libro declaratur, cùm viam hominibus muniens diuina gratia, ne virginis partus incredibilis putaretur, minoribus miraculis fidelium assensum sic exercuit, vt fœmina sterilis, & vir iam ætate confectus filium susciperent. Hoc mirandi virginis partus procemium fuit. Etenim sicut Elizabeth, quæ sterilis ad senectutem peruenerat, nō potestate naturæ fit mater, sed ei diuino consilio filius nascitur: sic quod in virgineo partu non credendum videtur, si referatur ad Deum, credibile est. Quoniam igitur ex virginitate prouenientem præcedit nuncius sterilis, qui ad vocem illius, quæ Dominum vtero gerebat, antequam in lucem prodiret, in aluo matris exiliuit, simul ac natus est Præcursor verbi, prophetico spiritu Zachariæ silentium soluitur. Quæcunque autem disseruit Zacharias Propheta, ad futurum spectabant. Hic igitur diuino numine ad occultorum cognitionem ductus, cùm virginitatis mysterium in partu incorrupto non ignoraret, in sacro templo virginem matrem à

loco

loco virginibus per legem assignato non semouit, Iudæosq; docuit, naturam humanam vnà cum reliquis omnibus rerum omnium effectori, & Regi ita subiectam esse, vt arbitratu suo eam ipse regeret, non autem ab ea regeretur: itaque in manu ipsius esse, nouam ortus rationem moliri, quæ matrem esse virginem non impediret: quamobrem eam se à virginum loco non exclusisse. Locus autem ille erat spatium quoddam inter templum & altare. Cùm igitur audiuissent Iudæi rerum omnium Regem in vitam humanam diuino ordine prodiisse: metuentes ne Regi subderentur, sacerdotem, qui hæc de ipso partu testificabatur, ad ipsum altare sacrificantem interfecerunt. Sed longè à proposito aberrauimus, cùm ad Bethleem, de qua in Euangelio, oratione recurrere nos oporteret. Nam si verè pastores sumus, & propriis gregibus inuigilamus, ad nos vtique spectat Angelorum vox, quæ magnum hoc gaudium nunciat. Oculos igitur in cœlestem exercitum intendamus, tripudium spectemus Angelorum, diuinum ipsorum cantum audiamus. Quidnam plaudentiũ sonus? Gloria, clamãt, in altissimis Deo. Cur diuino numini, quod in altissimis cernitur, gloriam tribuũt? Quoniam, inquiunt, & in terra pax. Ob hoc spectaculum gaudio perfusi sunt Angeli. In terra pax. Quæ prius detestabilis erat, quæ spinis, ac tribulis plena solitudo, quæ damnatorum exilium, quæ belli regio, hæc pacem suscepit. O rem admirabilem. Veritas de terra orta est, & iustitia de cœlo prospexit. Talem dedit hominum terra fructum suum. Et hæc sunt pro bona in hominibus voluntate. Deus humanæ naturæ commiscetur, vt ad sublimitatem diuinam hominem tollat. His auditis, in Bethleem proficiscamur, nouum spectaculum contemplemur: quomodo partu suo virgo lætetur, quomodo lactet infantulũ. Sed prius auscultemus, quid de ipsa memoriæ proditum sit. Virginis pater (vt ex historia quadam incerti autoris accepi) fuit insignis quidam ciuis, obseruantia legis, & vitæ probitate in primis nobilis, qui sine filiis ad senectutem peruenerat, cùm minus idoneam ad gignẽdum vxorem haberet. Habebatur autem matribus ex lege honor quidam, quo carebant fœminæ quæ liberos nullos susceperant. Quapropter & hæc imitata id quod de matre Samuelis scriptum est, in sanctum sanctorum ingreditur, & supplex Deum orat, ne se legis benedictione sinat excidere, cùm nihil vnquam admiserit contra legem. Quòd si 3 mater euaserit, se quodcunqne pepererit, ei dedicaturam. Quamobrem cùm voti compos effecta filiam suscepisset, eã vocauit Mariam, vt ipso etiam nomine testaretur acceptum munus à Deo. Illam igitur, cùm iam grandiuscula esset, nec vbere matris amplius indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, & studiosè promissum exoluit. Sacerdotes autem, quamdiu paruula fuit, ad Samuelis similitudinem in sanctis ædibus æducârunt: sed cùm iam adolesceret, consulebant quidnam agerent de sacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ legi illam subijcere, vt cuipiam in matrimonio collocata seruiret, absurdissimum videbatur. Instar enim 4 sacrilegij fuisset, si muneris Deo sacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat constitutum, vt maritus dominaretur vxori. Mulierem rursus inter 5 sacerdotes in templo versari, atq; in sanctis ædibus conspici, nec lex, nec grauitas permittebat. Deliberantes igitur in hanc sententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomine cuipiam desponderent: qui tamen ad custodiam eius duntaxat esset idoneus. Ad hoc autem munus aptissimus inuẽtus est Ioseph ex eadem tribu, & patria, qua erat 6 virgo. Sacerdotum ergo consilio Ioseph puellam sponsam accipit. Quæ tamen coniunctio sponsalia non est egressa. Tunc ad virginem missus est Gabriel, qui ei diuinæ voluntatis arcanum aperiret. His autem faustissimis verbis vsus est: Aue gratia plena, Dominus tecum. Contraria hæc est oratio illis vocibus, quas prima mulier audiuit: tunc enim illa doloribus propter peccatum damnata est: nunc autem in hac per gaudiũ dolor expellitur. In illa molestiæ partum præcesserunt: huic partum lætitia prænunciat. Ne timeas, inquit. Quoniam omnibus mulieribus timorem adfert partus expectatio, dulcis partus promissione timor eximitur. In vtero, inquit, concipies, & paries filium: & vocabis nomen eius Iesum. Ipse enim saluum faciet populum suum à peccatis eorum. Quid autem Maria? Audi pudicam virginis vocem: Quomodo erit mihi istud, quoniam virũ non cognosco? Angelus partum nunciat: at illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonstrationi anteponendã iudicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi consuetudinẽ viri. Quomodo istud erit mihi, quoniã virum nõ cognosco? Hæc Mariæ vox declarat ea, quæ ex historia incerti autoris cõmemoraui, nõ esse penitus absurda. Si enim liberorũ causa ducta fuisset à Ioseph, quomodo paritura Angelo prænuncianti, se rem nouã & alienã audire præ se tulisset, cũ ipsa quoq; sese obstrinxisset naturæ lege, vt aliquando mater esset? Verùm quia carnẽ Deo consecratã tanquam sanctum aliquod oblatũ munus oportebat intactã, integrãq; præstare, idcirco, Licet, inquit, Angelus sis, licet è cœlo venias, licet id quod ostenditur naturam superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quomodo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum noui, sed virum non cognosco. Quid ad hæc auspex Gabriel? Quem thalamum statuit puro impollutoque connubio? Spiritus

Lucæ 1.

Psal 84.

3 Vide votum etiam sub conditione omissum à matre Dominæ nostræ, & illius obseruationem.

4 Nota instar esse sacrilegij, si virgo Deo dedicata homini iungatur in matrimonio.

5 Hoc locum hodie non habet apud hæreticos, nã inter eorũ sacerdotes fœminas semper permixtas reperies.

6 Vides etiam antiquæ legis tẽpore fuisse in vsu virginitatem

Lucæ 1.

sanctus, inquit, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. O beatum vterum illum, qui bonitatis præstantia ad se traxit animi bona. In reliquis enim omnibus vix animus purus Spiritus sancti præsentiam capit: hîc autem caro fit spiritus receptaculum. Sed & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quid significat arcanus hic sermo? Christus Dei virtus est, & sapientia, vt ait Apostolus. Virtus igitur altissimi, quæ Christus est, per aduentum Spiritus sancti formatur in virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium corporum figuram effingitur: sic forma, & indicium diuinitatis Dei in virtute ipsius qui pariter ostẽdetur, & imago, & signum, & adumbratio, & splendor exemplaris per admirabilem rerum effectionem demonstrabitur. Verùm hortatur nos Euangelium, vt in Bethleem oratione reuertamur, & quæ in antro sint mysteria videamus. Quidnam est hoc? Puer pannis inuolutus, & positus in præsepio: & virgo post partum, ac incorrupta mater complectitur filium. Emittamus illam Prophetæ vocem: Sicut audiuimus, sic vidimus in ciuitate Domini virtutum, in ciuitate Dei nostri. Num hæc, quæ vidimus de Christo, fortuna & casu contigerunt, & scripta sunt, an historiæ subest aliqua ratio? Quid sibi vult hæc Domini in antro sedes? hæc in præsepi reclinatio? Cur tempore descriptionis tributorum in vitam ingreditur? An perspicuum est eum, quemadmodũ à legis execratione nos eripit factus ipse pro nobis execratio, & liuores nostros in se transfert, vt eius liuore nos curemur, sic etiam vectigalem fieri, vt nos à grauissimo vectigali, quod ab homine mors exigit, liberaret? Quòd verò speluncam vides, in qua paritur Dominus, cæcam hominum vitam, & sub terra demersam cogita, in qua nascitur ille, qui in tenebris ambulantibus, & in regione vmbræ mortis sedentibus se ostendit. Pannis autem obuoluitur, & fasciis cõstringitur, qui peccatorum nostrorũ catenas subit & vincula. Præsepe verò, in quo verbum gignitur, bestiarum est domus, vt cognoscat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui. Per bouem intellige illum qui legis iugo subiectus est: per asinum autem, quod est animal ferendis oneribus natum, eum qui simulachrorum cultus onustus est crimine. Cæterùm commune rationis expertium animaliũ pabulum, & vita fœnum est. Producens, inquit Propheta, fœnum iumentis. Quod autem ratione præditum est animal, vescitur pane. Idcirco in præsepi, quod est animalium ratione vacantium sedes, è cœlo delapsus vitæ panis proponitur, vt & quæ à ratione remota sunt animalia, rationis cibo nutriantur, atque ita ratione decorentur. Medium igitur in præsepi se inter bouem & asinum vtriusque Dominus locat, vt medium parietem maceriæ soluens, duos condat in semetipso in vnum nouum hominem, ab altero graue legis iugum eripiens, alterum simulachrorum cultus onere liberans. Sed oculos ad mirabilia cœlorum spectacula tollamus. Ecce enim non Prophetæ solùm, & Angeli gaudium hoc nobis denunciant, verùm etiam cœli rebus suis admirandis Euangelij gloriam prædicant. Ex Iudæis, vt ait Apostolus, Propheta Christus ortus est. Sed eius ortu non illuminatur Iudæus. Peregrini, & à testamentorum promissione, benedictioneque patrum alieni sunt Magi, qui cognitione populum Israëlitam anteuertunt, & cœlestem agnoscentes lucem, & in spelunca Regem non ignorantes. Hi munera afferunt, illi insidias struunt. Hi venerantur, illi persequuntur. Hi gaudent inuento, quem exquirebant, illi nunciatum ipsius ortum reformidant. Videntes enim, inquit, stellam supra locum, vbi erat puer, gauisi sunt gaudio magno valde. Herodes autem sermonem audiens turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Hi & tanquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colunt, & prophetica quadam gratia per myrrhã mortis dispositionem subsignificant. Illi verò cunctos infantes vnum in locum coactos internecione tollendos censent. Quod eos mihi non solùm crudelitatis, verùm etiam summæ dementiæ videtur coarguere. Quid enim sibi vult ista puerorum trucidatio? Cur ausi sunt homicidæ sese tanto scelere obstringere? Quoniam nouum quoddam, inquiunt, mirandumq; cœli portentum Regis indicium Magis nunciauit. Quid igitur tum? Aut portendenti signo fidem habes vt vero, aut quod rumore iactatur, vanum putas. Si talis est, qui cœlos sibi fecerit inseruire, prorsus est supra manum tuam. Sin autem in potestate tua est, vt ille vel viuat, vel moriatur, eum frustra pertimescis. Qui enim id agit, vt imperio tuo subditus ipse sit, pro quo molietur insidias? Cur horrendum illud datur mandatũ? Cur impia fertur sententia, vt miseri infantes trucidentur? Quid peccârunt? Quid morte, aut supplicio dignum admiserunt? Crimen vnum duntaxat habent, quòd nati sunt, & in lucem editi. Et propterea necesse fuit, vt ciuitas carnificibus compleretur, vt cogeretur matrum multitudo, & infantiũ populus? vt adessent etiam patres, & generis propinquitate coniuncti ad sæuum facinus congregarentur? Quis oratione calamitatem describat? Quis acerbitatem enarrans oculis aspiciendam proponat? mixtam illam lamentationem, luctuosum questum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum miserabiliter exclamantium?

Quis dicendo possit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, & toruo trucíq; vultu contuentem, ac verbis crudelibus alloquentem, vna quidem manu corripientem

Lucæ 1.
1. Cor. 1.
Psal. 47.
Esaiæ 9.

tem infantulum, altera verò gladium adigentem? Matrem porrò ex altera parte filium ad se trahentem, obijcientemque ceruicem suam acuto gladio, ne miserum filium carnificis manu necatum proprijs oculis intueatur? Quis explicet ea, quæ patres agunt, reuocationes, suspiria, postremos filiorum complexus? ne præsertim cùm idem à multis fiat eodem tempore? Quis variam, multiplicemque calamitatem, & conduplicatos puerperarum dolores partus exponat? & acerrimas quas admouebat natura faces? Quomodo puer infelix & vberi simul inhæreret, & per viscera lætalem plagam acciperet? Quomodo misera mater simul infantis ori subderet vbera, & sinu sanguinem eius exciperet? Manus autem impetu sæpenumero carnifex vno gladij ictu filium & matrem consauciabat, & vnus sanguinis riuus ex matris plaga, & ex mortifero vulnere filij mixtus decurrebat.

Iam verò cùm nefaria Herodis sententia non solùm nuper geniti necarentur, sed etiam illi qui alterum agebant annum raperentur ad mortem: (scriptum est enim, eum iussisse bimulos, & minores interfici) videre erat matres non paucas, quæ eo temporis spatio duos filios enixæ fuerant. Quódnam igitur rursum in his spectaculum cernebatur, cùm duo carnifices circa matrem vnam essent occupati, vnusque propè currentem filium ad se raperet, alter autem lactantem adhuc infantulum è gremio matris euelleret? Quid tum faciat mater infœlix, cùm natura bifariam in filios diuellatur, & vtroque filio maternis visceribus ex æquo faces admouente, nesciat vtrum ex carnificibus prius sequatur, cùm vnus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cædem trahat? Præcurrátne ad nuper genitum, confusos, indistinctosque gemitus emittentem? At inhibetur ab altero iam loquente, balbutientique lingua matrem inclamante. Quidnam agat? quò se vertat? vtrius voci voce sua respondeat? vtrius gemitum gemitu excipiat suo? vtrius defleat necem, cùm vterque naturæ stimulis æquè miseram feriat? Sed amoueamus aures ab hisce questibus, & ad lætiora, dieique festo 7 Dies festus Natalis Domini.
magis conuenientia cogitationem conuertamus: licet Rachel, vt inquit propheta, clamans filiorum cædem deploret. In die enim festo, vt ait sapiẽs Salomon, malorum decet obliuisci. Quæ autem nobis celebrior dies hac esse potest, in qua malas diaboli tenebras discutiens iustitiæ sol per naturam nostram illucet mundo? in qua qui cecidit, excitatur: qui victus est, in gratiam recipitur: qui eiectus est, reuocatur: qui è vita excidit, ad vitam redit: qui seruitutem seruit, regni dignitatem assequitur: qui mortis vinculis constrictus est, ad regionem viuentium reuertitur. Nunc, vt Propheta testatur, æreæ mortis portæ confringuntur, ferrea comminuũtur vincula, quibus antea genus hominum in mortis custodia cõclusus detinebatur. Nunc, vt cecinit Dauid, recluditur porta iustitiæ. Nunc per totum orbem vna voce festum celebrantium clamor exauditur. Per hominem mors, & per hominem salus. Primus in peccatum lapsus est: iacentem secundus suscitauit. A muliere mulier defensa est. Prima peccato aditum patefecit: hæc, vt testamenti patêret aditus, ministra fuit. Illa serpentis consilium est secuta: hæc serpentis interfectorem exhibuit, & lucis autorem in lucem edidit. Illa per lignum induxit peccatum: hæc per lignum gratiam intulit. Lignum autem Crucis intellige, cuius fructus est sempervirens, & gustantibus vita fit immortalis. Nullus autem hanc gratiarum actionem Paschatis tanto mysterio putet conuenire. Sic enim cogitet: Pascha quidem diuinæ dispositionis esse finem: qui tamen finis consequi nequeat, nisi principium antecedat. Quid igitur antiquius est? Ortus nimirum morte. Et si igitur huius bona sunt, pars tamen bonorum ipsius ortus. Quòd si quis munera, quæ in Euangelijs commemorantur, enumeret: si recenseat miracula curationum, in inopia & fame ciborum copiam, mortuorum è monumentis excitationem, subitam atque improuisam effectionem vini, expulsiones dæmonum, varias affectiones ad valetudinem reuocatas, claudorum saltus, illitos luto cæcorum oculos, diuinam doctrinam, leges latas, arcanam similitudinem, significationem, hæc omnia huiusce diei gratia comprehenduntur. Hæc enim bonorum, quæ deinceps consecuta sunt, omnium initium fuit. Quamobrem exultemus, & lætemur in ea. Negligamus, vt hortatur propheta, exprobrationem hominum, nec despectione ipsorum sinamus nos vinci, qui diuinæ dispositionis, & prouidentiæ rationem irrident, quasi non decuerit Dominum subire corporis naturam, nec in hominum vita nascendo versari. Ignorant enim rei mysterium, quo Dei sapientia nobis salutem afferre constituit. Eramus sponte peccatis nostris venditi, & instar eorum qui argento væneunt, vitæ nostræ inimico mancipati. Quid tibi à Domino optandum fuit? Nónne vt eripereris è seruitute? Cur igitur curiose requiris modum? Cur benemerenti benemerendi rationem præscribis, non secus ac si quis benemerito succenseat medico, quòd se non hac, sed illa ratione curauerit? Quod si diuini consilij rationem curiositate ductus exquiris, hoc tibi satis sit intelligere, non vnum aliquod bonorum, sed quicquid boni cogitatione ac mente concipitur, illud esse diuinum Numen potens, iustum, bonum, sapiẽs, omnia denique nomina & notiones, quibus natura diuina declaratur. Cõsidera igitur mihi, num in hoc beneficio, quo nos af-

fecit, cernantur omnia, quæ dicendo percurri, bonitas, sapientia, iustitia, potentia. Vt bonus desertorem amauit. Vt sapiens rationem inuenit, qua seruitute oppressum in libertatem vendicaret. Vt iustus in seruitute continentem, & emptionis iure possidentem non coëgit, sed seipsum pro illo, qui victus erat, tradidit, & tanquam vas & sponsor debitum ipse persoluit, vt eum qui obstrictus erat, liberaret. Vt potens, non victus est in inferno, nec eius caro vidit corruptionem. Neque enim fieri poterat, vt vitæ autor ac Dominus à curruptioptione vinceretur. At turpe, inquies, fuit eum in vitam humanam ingredi, & carnis molestias experiri. Imò verò hic apparet muneris amplitudo. Etenim cùm aliter è tantis malis homo liberari non posset, beatitudinis Rex gloriam suam cum vita nostra commutauit. Ac puritas quidem ad nostras sordes sese demisit. Sordes tamen ipsæ puritatem non attigerunt. Lux enim, vt in Euangelio legitur, in tenebris fulsit, tenebræ autem eam non comprehenderunt. Nam tenebræ præsentia splendoris euanescũt. Sol in tenebris non obscuratur. Quod mortale est, absorbetur à vita, quẽadmodum scribit Apostolus: non autẽ vita à morte consumitur. Quod corruptum fuit, cum incorrupto seruatur: corruptio autem ad incorruptionem non accedit. Idcirco communis rerum omnium procreatarum concentus exurgit Dominum suum vna voce collaudantium, sic omni lingua cœlestium, terrestriũ, atq; infernorum exclamante: Dominus Iesus Christus in gloria est Dei patris laudandus in æternum. Amen.

FRAGMENTVM VITAE DOMINI NOSTRI IESV Christi, mundi redemptoris, per D. Ignatium Episcopum Antiochenum scripta.

Est pars Epistolæ eius ad Trallianos ex Smyrna scriptæ. Rom. 2. Ioan. 8. Ioan 6.

SVRDI estote fratres, cùm vobis loquitur quispiam absque Iesu Christo, filio Dei, qui progenitus est ex Dauide, qui ex Maria, qui verè natus est, & ex Deo, & ex virgine, sed nõ eodẽ modo, neq; enim idẽ est Deus & homo. Verè accepit corpus: verbũ enim caro factum est, & in hoc mũdo cõuersatus est sine peccato. Quis enim, ait, ex vobis arguit me de peccato? Mãducauit & bibit verè: crucifixus est, & mortuus sub Pontio Pilato. Verè autẽ nõ opinione crucifixus est ac mortuus, videntibus cœlestibus & terrestribus, & infernis: cœlestibus quidem, vt incorporeis naturis: terrestribus verò, Iudæis & Romanis, & ijs hominibus qui per id temporis præsto aderant, quando crucifixus est Dominus: infernis autem, vt eorum multitudine, qui cum Domino resurrexerunt. Multa enim, inquit, sanctorum corpora dormientium resurrexerunt, monumentis patefactis. Et descendit ad inferos solus: ascendit verò cum multitudine. Et scidit materiam quæ à seculo erat, & medium parietem eius dissoluit. Et resurrexit intra tres dies, suscitante eum patre, & quadraginta diebus conuersatus cum Apostolis, assumptus est ad patrem, & sedet à dextris eius, expectans donec ponantur inimici eius sub pedes eius. Die ergo parasceues, hora tertia, sentẽtiam accepit à Pilato, permittente patre: hora sexta, crucifixus est: nona, emisit spiritum: ante solis occasum, sepultus est: sabbato, sub terra manet in sepulchro, in quo posuerat eum Ioseph ab Arimathia. Illucescente dominica die, surrexit à mortuis, secũdùm quod dictum est ab eo: Sicut fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus, & tribus noctibus: ita erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus, & tribus noctibus. Continet igitur dies parasceues passionem, sabbatum, sepulturam: dominica dies resurrectionem. Nonnulli autem, quasi quidam athei, id est, infideles, dicunt eum opinione factum hominẽ fuisse, non verè corpus assumpsisse, & opinione mortuum esse, nec re vera passum esse: cuius nam causa ego vinctus sum, & cum bestijs depugnare exopto? ergo gratis morior: ergo mendacia de cruce Domini confingo: & vanus propheta qui ait: Videbunt in quem compunxerunt, & plangent super se tanquam super dilectum. Ergo infideles illi nõ minus quàm qui crucifixerũt eum. Ego verò non opinione, sed re vera spem habeo in eum qui pro me mortuus est: à veritate enim alienum est mendacium. Verè igitur peperit Maria corpus, Deo in eo inhabitante: vereque natus Deus verbum ex virgine, corpus perinde patibile atque nostrum indutus. Verè conceptus est vtero, qui omnes homines in vtero confirmat: sibiq; fecit corpus ex virginis sanguinibus, verùm absq; viri cõsuetudine: in vtero gestatus est, vt & nos, certo spacio tẽporis: & verè natus est, vt & nos: ac verè lactatus est ac nutritus, & cõmuni cibo ac potu, sicut & nos, vsus est: & annos agens triginta, baptizatus est à Ioanne verè ac non opinione: & tribus annis prædicato Euangelio, ac factis signis & prodigijs, tandem à pseudoiudæis & Pilato præside iudex iudicatus est, flagellatus, colaphis cæsus, consputus est, spineam coronam purpureamq; vestem portauit, condemnatus est, ac crucifixus verè, non opinione, non imaginariè, neq; fallaciter: mortuus verè & sepultus est, resurrexitq; à mortuis, sicut ipse alicubi orans dixerat: Tũc autem Domine resuscita me, & retribuã illis. Et pater qui eum semper exaudit, respondẽs, ait: Exur-

Marginalia: Matth. 27. (beside "titudine, qui cum Domino resurrexerunt"); Psalm. 109. (beside "cum Apostolis, assumptus est"); Matth. 22. (beside "pultus est: sabbato"); Zach. 12. (beside "propheta qui ait"); Psalm 40. (beside "tem Domine resuscita me")

Exurge Deus, iudica terram, quoniam tu hæreditabis in omnibus gentibus. Qui ergo resuscitauit eum pater, ipse etiam nos per eum resuscitaturus est: sine quo veraciter viuere nemo poterit. ait enim: Ego sum vita: qui credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit, & credit in me, etiam si mortuus fuerit, viuet in æternum. Fugite ergo impias & Deum abnegantes hæreses: diaboli enim sunt adinuentiones serpentis malorum actoris, qui per mulierem seduxit Adam patrem generis nostri. [1] Fugite verò malas quoq; eius soboles: Simonem primogenitum ipsius filium, & Meandrum, & Basilidem, & vniuersam eius malignitatis colluuiem, hominis cultores, quos maledictos Hieremias prophetа dicit. Fugite etiam illos immundos Nicolaitas, falsi nominis, voluptatum amatores, calumniatores & sycophantas. Fugite item peruersi illius nepotes, Theodotum, & Cleobulum, qui generant fructũ mortiferum, de quo si quis degustauerit, statim morietur, non morte temporali, sed æterna. Hi non sunt plantatio patris, sed progenies maledicta. Omnis autem, Dominus inquit, plantatio quam non plantauit pater meus cœlestis, eradicetur: nam si essent patris rami, vtique non essent inimici crucis Christi: sed rami sunt eorum qui occiderunt gloriæ Dominum: nunc autẽ crucem negantes, & passionem erubescentes, Iudæorum operiunt iniquitatem, eorum qui Deo rebelles extiterunt, & Dominum occiderunt: parum enim, si eos prophetarum interfectores dixeris. Vos verò inuitat Christus ad suam incorruptibilitatem, per passionem suam ac resurrectionem, qui estis membra eius. Saluto vos ex Smyrna, vnà cum ijs quæ mecum sunt, Ecclesijs [2] Dei: quarum præfecti me in totum recreârunt, carne & spiritu. Adhortantur vos vincula mea, quæ propter Iesum Christum porto, exoptans Deum assequi: permaneatis in concordia inter vos, & in oratione. Decet enim vestrum vnumquemque, & præcipuè presbyteros, Episcopum [3] refociliare, in honorem Dei patris, & in honorem Iesu Christi atque Apostolorum. Deprecor vos in charitate, me audiatis, vt ne sim vobis in testimonium quod scripserim. Et verò orate pro me, vestra charitate in misericordia Dei egente, vt merear sortem mihi assignatam consequi, ne reprobus inueniar. Salutat vos Smyrneorum & Ephesiorum charitas. Estote nostri memores, Ecclesiæ [4] quæ est in Syria, de qua non sum dignus dici vltimus eorum qui ibi sunt. Valete in Domino Iesu Christo [5] subiecti Episcopo, similiter & presbyteris atque diaconis. Omnes inuicem diligite corde inseparabili. Salutat vos meus spiritus, non solùm nunc, sed & cùm Deum [6] adeptus fuero: adhuc enim in periculo sum, sed fidelis est pater Iesu Christi, vt adimpleat petitionem meam & vestram, quo inueniamur inculpabiles. Vestri vtinam vtilitatem in Domino percipiam.

1 Ex hoc loco habes nõ esse cũ hæreticis communicandum, sed ab eis longe fugiendum. Id etiam [illegible]ecipiunt Apos[illegible] [illegible]lus & Ioanne.

2 Vide hæretice, num Ecclesia Dei sit inuisibilis, vt asseris falso, cum Ignatius salutet Trallianes cum præsentibus Ecclesijs, quæ & presentes vt id faceret eũ requisierũt.

3 Collige ex hoc, quod mandat Episcopum adeo venerari, episcopalem dignitatem esse super omnes gradus Ecclesiæ.

4 Si salutat eos Ecclesia quæ est in Syria, ergo Ecclesia quæ est in Syria est visibilis.

5 Habes hic diuersos gradus in ordine Ecclesiastico, quibus laici debẽt esse subiecti.

6 Videte quomodo sancti merentur, Deũ adipisci.

ITEM DE DOMINO NOSTRO IESV CHRISTO, per Paulum Orosium historicum.

ANNO ab vrbe condita DCCXXV. ipso Imperatore Cæsare Augusto quinquies, & Lucio Apuleio Consulibus, Cæsar victor ab Oriente rediens, octauo Idus Ianuarij vrbem triplici triumpho ingressus est: ac tum primùm ipse Iani portas, s[illegible]pitis omnibus, finitisque bellis ciuilibus, clausit. Hoc die primùm Augustus consalutatus est. Quod nomen cunctis antea inuiolatũ, & vsque ad nunc cæteris inausum Dominus tantũ orbis licitè vsurpatũ apicem declarat imperij: atque ex eodem die summa rerum ac potestatum penes vnum cœpit esse, & mansit, quod Græci μοναρχίαν vocant. Porrò autem hunc eundem esse diem, hoc est, octauum Idus Ianuarias, quo nos ἐπιφανίαν, hoc est, apparitioné siue manifestationem dominici Sacramenti obseruamus, nemo credentium, siue etiam fidei contradicentium nescit. De quo nostræ istius fidelissimæ obseruationis Sacramento vberius nunc dicere, nec ratio, nec locus flagitat: vt & quærentibus reseruasse, & negligentibus non ingessisse videamur. Hoc autem fideliter commemorasse ideo par fuit, vt per omnia venturi Christi gratia præparatum Cæsaris imperium comprobetur. Nam cùm primùm, Caio Cæsare auunculo suo interfecto, ex Apollonia rediens vrbem ingrederetur, hora circiter tertia, repentè liquido ac puro, serenoque die circulus ad speciem cœlestis arcus orbem solis ambijt, quasi eum vnum ac potentissimũ in hoc mundo, solumque clarissimum in orbe monstraret, cuius tempore venturus esset, qui ipsum solem solus, mundumque totum & fecisset, & regeret. Deinde cum secundò è Sicilia receptis à Pompeio & Lepido legionibus, triginta seruorũ millia dominis restituisset, & quadraginta quatuor legiones solus imperio suo ad tutamen orbis terrarum distribuisset, ouansque vrbem ingressus, omnia superiora populi Romani Imperatori debita donanda, literarum etiam monumentis abolitis, censuisset: in diebus ipsius fons olei largissimus, sicut superius expressi, de taberna meritoria per totũ diẽ fluxit. Quo signo quid euidẽtius, quàm in diebus Cæsaris toto orbe regnãtis, futura Christi natiuitas declarata est?

Habetur lib. 6. historiæ eius capit. 26.

Christus

Christus enim lingua gentis eius, in qua natus est, vnctus interpretatur. Itaque cùm eo tempore, quo Cæsari perpetua tribunitia potestas decreta est, Romæ fons olei per totum diem fluxit, sub principatu Cæsaris, Romanoque imperio per totum diem, hoc est, per omne Romani tempus imperij Christum, & ex eo Christianos, id est, vnctum, atque ex eo vnctos, de meritoria taberna, hoc est, de hospita largaque Ecclesia affluenter atque incessabiliter processuros, restituendosque per Cæsarem omnes seruos: qui tamen cognoscerent dominum suum: cæterosque qui sine domino inuenirentur, morti, supplicioque dedendos, remittendaque sub Cæsare debita peccatorum in ea vrbe, in qua spontaneum fluxisset oleum, euidentissima his qui prophetarum voces non audiebant, signa in cœlo, & in terra prodigia prodiderunt. Tertiò autem, cùm vrbem triumphans quintùm consul ingressus est, eo scilicet die, quem suprà nominauimus, cùm & Ianum post ducentos annos primùm ipse clausit, & clarissimum illud Augusti nomen assumpsit: quid fidelius ac verius credi aut cognosci potest concurrentibus ad tantam manifestationem pace, nomine, die, quàm hunc occulto quidem gestorum ordine, ad obsequium præparationis eius prædestinatum fuisse: qui eo die quo ille manifestandus mundo pòst paululum erat, & pacis signum prætulit, & potestatis nomen assumpsit? Anno verò ab vrbe condita 752. Cæsar Augustus ab Oriente in Occidentem, à Septentrione in Meridiem, atque per totum Oceani circulum cunctis gentibus vna pace compositis, Iani portas tertiò ipse tunc clausit. Quas ex eo per duodecim ferè annos quietissimo semper obseratas otio, ipsa etiam rubigo consignauit: nec prius vnquam, nisi sub extrema senectute Augusti pulsatæ, & Atheniensium seditione, & Dacorum commotione patuerunt. Clausis igitur Iani portis, Rempub. quam bello quæsierat, pace enutrire atque amplificare studens, leges plurimas statuit, per quas humanum genus libera reuerentia disciplinæ morem gereret. Domini appellationem, vt homo declinauit. Nam cùm eodem spectante ludos, pronunciatum esset à quodam Mimo: O Dominum æquum & bonum: Vniuersique quasi de ipso dictum esset, exultantes approbauissent, statim quidem manu vultuque indecoras adulationes repressit, & in sequenti die grauissimo corripuit edicto, Dominumque se posthac appellari ne à liberis quidem aut nepotibus suis, vel serio, vel ioco passus est. Igitur eo tempore, id est, eo anno, quo firmissimam verissimamque pacem ordinatione Dei Cæsar composuisset, natus est Christus: cuius aduentui pax ista famulata est, in cuius ortu audientibus hominibus, exultantes Angeli cecinerunt: Gloria in excelsis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Eodemque tempore, hic ad quem rerum omnium summa concesserat, Dominum se hominum appellari non passus est: Imò non ausus, quo verus Dominus totius generis humani, inter homines natus est. Eodem quidem anno, tunc primum idem Cæsar, quem his tantis mysterijs prædestinauerat Deus, censum agi singularum vbique prouinciarum, & censeri omnes homines iussit, quando & Deus homo videri, & esse dignatus est. Tunc igitur natus est Christus Romano censui statim ascriptus, vt natus est. Hæc est prima illa clarissimaque professio, quæ Cæsarem omnium principem, Romanosque rerum Dominos sigillatim cunctorum hominum ædita ascriptione signauit, in qua se & ipse, qui cunctos homines fecit, inueniri hominem, ascribique inter homines voluit. Quod nunquam penitus ab orbe condito, atque ab exordio generis humani in hunc modum, ne Babylonico quidem vel Macedonico, vt non dicam minori cuiquam regno concessum fuit. Nec dubium, quin omnium cognitioni, fidei, inspectionique pateat, quòd Dominus noster Iesus Christus hanc vrbem nutu suo auctam defensamque in hunc rerum apicem prouexerit, cuius potissimè voluit esse, quum venit, dicendus vtique ciuis Romanus, census professione Romani. Postquam igitur Ninus Beli filius in Babylone regnare cœperat anno quadragesimo tertio, natus est sanctus ille Abraham, cui dictæ sunt repromissiones, ex cuius semine promissus est Christus: deinde nunc primi istius Imperatorum omnium Augusti Cæsaris, (quamuis & pater eius Cæsar metator imperij potius, quàm imperator extiterit) istius, inquam, Cæsaris, postea quàm imperare cœpit, emenso propemodum anno quadragesimo secundo natus est Christus, qui Abrahæ sub Nino primo rege fuerat repromissus. Natus est autem septimo Calendas Ianuarij, quando primum incrementa omnia anni venientis incipiunt. Ita factum est, vt cùm Abraham. 43. natus sit anno, sub fine. 42. natiuitatis Christi conueniret, vt iam non ipse in parte tertij anni, sed in ipso potius tertius annus oriretur. Qui annus, quantis, quàm nouis, quamque inusitatis bonis abundauerit, satis etiam me non proferente compertum haberi arbitror. Toto terrarum orbe vna pax omnium, non cessatione, sed abolitione bellorum, clausæ Iani gemini portæ, extirpatis bellorum radicibus, non repressis, census ille primus & maximus fuit: cùm in hoc vnum Cæsaris nomen vniuersa magnarum gentium creatura iurauit, simulque per communionem census, vnius societatis effecta est.

Cap.22.

Libro 7.cap.2.

Igitur

Igitur anno ab vrbe condita septingentesimo quinquagesimo secundo natus est Christus, salutarem mundo afferens fidem, verè petra medio rerum posita: vbi comminueretur, qui offenderet: qui crederet, saluaretur: verè ignis ardens, quē qui sequitur illuminatur: qui tentat, exuritur. Ipse est Christus Christianorum caput, Saluator bonorum, malorum punitor, iudex omnium, qui formam subsequuturus verbo & opere statuens, quò magis doceret patientes in persecutionibus, quas pro vita æterna exciperent, esse oportere, mox vt virginis partu editus mundo apparuit, de passionibus suis cœpit. Namque eum Rex Iudæ Herodes simul vt natum comperit, necare decreuit, plurimosque tunc paruulos, dū vnum insectatur, occidit. Hinc malignis improbè currentibus, digna punitio est. Hinc in quantum tranquillè agitur mundus, credentium gratia: in quantum perniciosè inquietatur, blasphemantium pœna est, 7 securis per omnia Christianis fidelibus, quibus aut æternæ vitæ requies in tuto, aut etiam huius in lucro est. Cæterùm & tunc capta euersaque vrbe Hierosolymorum, sicut prophetæ prænunçiauerunt, extinctisque Iudæis, Titus, qui ad vindicandum Domini nostri Iesu Christi sanguinem, iudicio Dei fuerat ordinatus, victor triumphans, cum Vespasiano patre Ianum clausit. Igitur & si sub extremis Cæsaris temporibus apertus est Ianus, tamen per multa ex eo tempora, quāuis in procinctu esset exercitus, nulla bella sonuerunt. Vnde etiam ipse Dominus Iesus Christus in Euangelijs, cùm temporibus illis in summa tranquillitate vniuersus mundus ageret, cunctasque gentes pax vna velaret, & à discipulis suis interrogatus esset de conclusione temporum subsequentium, inter cætera sic ait: Audituri autem estis prælia, & opiniones præliorum, videte ne turbemini: oportet enim hæc primùm fieri, sed nondum est finis. Consurget enim gens contra gentem, & regnum in regnum: & erunt pestilentiæ & fames, & terræmotus per loca. Hæc autem omnia initia sunt dolorum. Tunc tradent vos in tribulationem, & occident vos, & eritis odio omnibus gentibus propter nomen meum. Hoc autem diuina prouidentia docēs, & credentes præmonendo firmauit, & incredulos prædicendo confudit. Anno igitur Tiberij decimoseptimo, cùm Dominus Iesus Christus voluntariè quidem se tradidit passioni, sed impiè à Iudæis apprehensus, & patibulo suffixus est, maximo terræmotu per orbem facto, saxa in montibus scissa sunt, maximarumque vrbium plurimæ partes plus solita concussione ceciderunt. Eadem quoque die ad horam diei sextam, sol in totum obscuratus, tetraque nox subitò obducta terris est: &, sicut dictum est: Impiaque æternam timuerunt secula noctem. Vsque adeo autem neque lunam lumini solis, neque nubes obstitisse manifestum est, vt decima quarta ea die tota lunam, cœli regione interiecta, longissimè a conspectu solis abfuisse, vt stellas tunc diurnis horis, vel potius in illa horrenda nocte, toto cœlo fulsisse referatur. Quod non solùm sanctorum Euangeliorum fides, sed etiam aliquanti Græcorum libri attestantur. Iam hinc post passionem Domini, quem Iudæi, quantum in ipsis fuit, persecuti sunt, continuæ clades Iudæorum, donec exinaniti dispersique deficiant, incessabiliter strepūt. Tiberius siquidem iuuentutem eorum per speciem sacramenti, in prouincias grauioris cœli relegauit, reliquos gentis eiusdem, vel similia sectantes, vrbe submouit, sub pœna perpetuæ seruitutis, nisi obtemperassent. Sanè Asiæ ciuitates illo terræmotu dirutas, tributo dimisso, propria etiam libertate donauit. P[illegible]stquàm verò passus est Dominus Christus, atque à mortuis resurrexit, & discipulos suos ad prædicandum dimisit, Pilatus Præses Palestinæ prouinciæ, ad Tiberium Imperatorem, atque ad Senatum retulit de passione & resurrectione Christi, consequentibusque virtutibus, quæ vel per ipsum palam facta fuerant, vel per discipulos ipsius in nomine eius fiebāt: & de eo quod certatim crescente plurimorum fide Deus crederetur. Tiberius cum suffragio magni fauoris retulit ad senatum, vt Christus Deus haberetur. Senatus indignatione motus, cur non sibi prius secundùm morem delatum esset, vt de suscipiendo cultu prius ipse decerneret, consecrationem Christi recusauit, edictoque constituit, exterminandos esse vrbe Christianos: præcipuè cùm & Seianus præfectus Tiberii, suscipiendæ religioni obstinatissimè contradiceret. Tiberius tamen edicto accusatoribus Christianorum mortem comminatus est. Itaque paulatim immutata est illa Tiberij Cæsaris laudatissima modestia in pœnam contradictoris Senatus.

Matth. 2.

7 Intellig[illegible] hanc securitate[illegible] mitti fidelibus, [illegible] opera bona fideī consona subsecuta fuerint, alias fides sine operibus non prodest ad salutē. Iacobo teste.

Matth. 24.

Lib. 7. cap. 4.

DE EODEM EX EVTROPIO.

DE terræmotu verò, qui in die Dominicæ passionis fuit, scribens inter cæteros & Phlegon, qui olympiadas enumerat, in tertiodecimo sermone eisdem verbis asserit hæc. Porrò quarto anno ducentesimæ secundæ Olympiadis facta est defectio solis maxima, & nox hora sexta diei facta est, ita vt etiam stellæ in cœlo apparerēt. Terræmotus etiā magnus in Bithynia factus, plurimam Niceæ partem vrbis subuertit. Pilatus autem Præses, qui sententiam damnationis in Christum dixerat, postquā plurimas seditiones Hieroso-

Habetur in septimo libro rerum Romanarū in tractatu de Tiberio Cæsare.

De Cæsare Caligula.

Hierosolymis excepit ac fecit, tantis irrogante Caio angoribus coarctatus est, vt sua se transuerberans manu, malorum compendium mortis celeritate quæsierit.

ITEM DE EODEM, EX DIVO Dionysio Areopagita.

Habetur in epistola eiusdē ad sapiētem Polycarpum contra Apollophanem scripta.

SEd fortè dicturus Apollophanes est, hæc vera non esse: Ac istud quidem Persarū sacerdotum monimentis reseruata historia continet: Magiq; nunc vsque triplicis mitri, id est, solis memoriam celebrant. Verùm liceat illi sanè his per ignorantiam, siue per hæsitationem fidem non accommodare. Age itaque illum rursus aggredere. Quid de illo qui tempore crucis Dominicæ factus est solis defectu dicturus? Eramus tūc ambo apud Heliopolim, amboq; simul incidentem mirabiliter soli, lunæ globū notabamus (non enim eiusce coniunctionis tunc aderat tempus) ipsamque rursus ac hora nona ad vesperam ad solis diametrum supra naturæ vires restitutam. In memoriam autem illius reuoca & aliud quiddam. Nempe enim vt ipse non ignorat, eam lunæ incidentiam ab Oriente cœpisse, & vsque ad solaris corporis finem peruenisse, ac tum demum resilisse notauimus. Neque verò eadem ex parte, vt assolet, & incidentia illa & repurgatio facta est, sed ex aduerso diametri. Hæc sunt quæ tunc temporis contigêre, naturam profectò superantia, ac soli Christo possibilia, qui autor est omnium, facitq; magna & stupenda, quorū non est numerus. Ea si fas tibi est, & si potes, Apollophanes, refelle, etiam contra me. Nempe enim præsens vna tecum affui, vnaq; aspexi, ac dijudicaui omnia, dignaque sum admiratione prosecutus. Denique tunc nescio quo afflatus spiritu ad diuinationem quoque prorupit Apollophanes, atque ad me conuersus: hæ, inquit, ô præclare Dionysi, diuinarum sunt vicissitudines rerum.

VITA DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI MVNDI Redemptoris, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta. In qua etiam de beata virgine eius matre, de Cruce, Clauis, Lancea, Tunica, ac Imaginibus Saluatoris insignis mentio habetur.

Habetur in opere eiusdē in gloriam beatorum Martyrū edito. Cap. 1.

QVOD in Bethlehem nasciturus erat Dominus, ostendit propheta, inquiēs: Et tu Bethlehem Effrata non es minima in milibus Iuda: ex te enim prodiet Rex, qui regat populum meum Israël. Hoc enim & Natanaël ille à Cana Galileæ asserens, dixit: Rabbi, tu es filius Dei, tu es Rex Israël. Ipse est & salus mundi, de quo & ille Simeon ait: Nunc dimittis Domine seruum tuum in pace: quia viderunt oculi mei salutare tuum. Nato ergo Domino nostro Iesu Christo secundùm carnem in Bethlehem in diebus Herodis Regis, iuxta fidem Euangelicam Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Et reliqua. Est autem in Bethlehem puteus magnus, de quo Maria gloriosa aquam fertur hausisse. Vbi sæpius aspicientibus miraculum illustre monstratur, id est, stella ibi mundis corde, quæ apparuit Magis, ostenditur. Venientibus deuotis, ac recumbentibus super os putei, operiuntur linteo capita eorum. Tunc ille, cuius meritum obtinuerit, videt stellam ab vno pariete putei super aquas transmigrare ad alium in illo modo, quo solent se super cœlorum circulos stellæ transferre. Et cùm multi aspiciant, ab illis tantùm videtur, quibus est mens sanior. Nonnullos vidi, qui eam asserebant se vidisse. Nuper autem Diaconus noster retulit, quòd eum quinque viris aspexit, sed duobus tantùm apparuit. Dominus igitur noster Iesus Christus in assumpta carne de virgine, multa populis miracula est dignatus ostendere. Haustos enim latices in vini saporem conuertit. Cæcorum oculis depulsa nocte, lumen infudit. Paralyticorum gressus, ablata debilitate, direxit. Febres ægrotantiū, fugato ardore restinxit. Hydropicū, compresso tumore, sanauit. Lepram discedere sacri oris virtute mandauit. Mulierem dæmonio inclinatam inuidentibus Iudæis erexit. Super aquas verò non dehiscentibus aquis incessit. Profluuium mulieris tactu fimbriæ salutaris auertit. Multa quidem & alia fecit, quæ sacra Euangeliorum narrat historia. Tamen cùm multos salubri, cœlestique mandato restaurasset ad vitam, tres ab infernali morte reductos vitæ restituit, id est, archisynagogi filiam resuscitauit in domo, vnicum viduæ surgere iussit ad portæ egressum, & Lazarum vocauit ex monumento. Igitur Iudæi furore succensi falsis accusationibus circundantes iustum, tradiderunt morti, & crucis afflixione damnauerunt. Quem Deus pater suscitauit à mortuis tertia die solutis doloribus mortis: quoniam impossibile erat eum apud inferos retineri, sicut ait Apostolus Petrus. Post hæc promittens paracletum, & imbuēs cœlestibus doctrinis Apostolos, victor ascendit ad cœlos, venturumq; se ad iudicandū Angelis testan-

Cap. 2.

Cap. 3.

testantibus repromittens, dicente Apostolici actus historia: Hic Iesus qui receptus est à vobis, sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum. Post admirabilem igitur Dominicæ ascensionis gloriam, quæ contrito diabolicæ malignitatis capite, mentes fidelium ad contemplanda cœlestia animauit, sancti Apostoli Domini & Saluatoris nostri cum beata Maria matre eius erant in vna congregati domo, omnia ponebant in medio, nec quisquam suum aliquid esse dicebat, sed vnusquisque cuncta possidebat in charitate, sicut sacer Apostolicæ assertionis narrat stylus. Post hæc dispersi sunt per regiones diuersas ad prædicandum verbum Dei. Denique impleto à beata Maria huius vitæ cursu, cùm iam vocaretur à seculo, congregati sunt omnes Apostoli de singulis regionibus ad domum eius. Cumq; audissent, quia esset assumenda de mundo, vigilabant cum ea simul: & ecce Dominus Iesus aduenit cum Angelis suis, & accipiens animam eius tradidit Michaëli Archangelo, & recessit. Diluculo autem leuauerunt Apostoli cum lectulo corpus eius, posueruntque illud in monumento, & custodiebant ipsum, aduentum Domini prestolantes. Et ecce iterum astitit eis Dominus, susceptumque corpus sanctum in nube deferri iussit in paradysum. Vbi nunc resumpta anima cum electis eius exultans, æternitatis bonis nullo occasuris fine perfruitur. Crux Dominica, quæ ab Helena Augusta reperta est Hierosolymis, quarta & sexta feria 1 adoratur. Huius reliquias, & merito, & fidei Helenæ comparanda Regina Radegundis expetiit, ac deuotè in monasterio Pictauensi, quod suo studio constituit, collocauit. Misit pueros iterum Hierosolymam, ac per totam Orientis plagam, qui circumeuntes sepulchra sanctorum Martyrum, confessorumque cunctorum reliquias detulerunt, quas in arca argentea cum ipsa cruce sancta collocatas seruauit, multaque 2 exinde miracula conspicere meruit: de quibus illud primum exponam, quod ibidem Dominus in diebus passionis suæ dignatus est reuelare. Sexta feria ante sanctum Pascha cùm in vigiliis sine lumine pernoctarent, circa horam tertiam noctis apparuit ante altare lumen paruulum in modum scintillæ, deinde ampliatum huc illucque comas fulgoris spargere cœpit gradatim in altum conscendens: effectaque pharus magna obscuræ nocti, vigilantique plebeculæ lumen præbuit supplicanti. Illucescente autem cœlo paulatim deficiens, data terris luce, ab oculis mirantium euanuit. Ego autem audiebam sæpius, quòd etiam lychni qui accendebantur ante hæc pignora, ebullientes virtute diuina in tantum exundarent oleo, vt vas suppositum plerumque replerent: & tamen 3 iuxta stultitiam duræ mentis nunquam ad hæc credenda mouebar, donec brutam segniciem ipsa ad præsens quæ ostensa est virtus argueret. Ideoque quæ oculis propriis viderim, explicabo. Causa deuotionis extitit, vt sepulchrum 4 sancti Hilarij visitans, huius Reginæ adirem colloquia, ingressusque monasterium consalutata Regina, coram adoranda cruce, ac sacris beatorum prosternor pignoribus. Denique oratione facta surrexi. Erat enim ad dextram lychnus accensus, quem cùm stillis frequenter defluere conspexissem, testor Deum, quia putaui quasi vas esset fractum, quia erat ei concha supposita, in quam oleum defluens decidebat. Tunc conuersus in Abbatissam aio: Tantáne te retinet mentis ignauia, vt integrum cicendilem laborare non possis, in quo oleum accendatur, nisi effractum quo defluat ponas? At illa: Non est, domine mi, sed virtus est crucis sanctæ quam cernis. Tunc ego ad me reuersus, & ad memoriam reuocans quæ prius audieram, conuersus ad lychnum in modum ollæ feruentis magnis fluctibus exundare conspexi, vt per oram ipsam vndis intumescentibus superflueret, & (vt credo) ad incredulitatem meam arguendam magis ac magis augeri, ita vt in vnius horæ spatio plusquam vnum sextarium redderet vasculum, quod quartarium nõ tenebat. Admiratusq; silui, ac virtutem adorandæ crucis deinceps prædicaui. Puella quædam Chrodegildis nomine, dum post mortem patris in vrbis Cenomanicæ territorio desideret, oculorum amissione mulctatur. Postquam autem ex iussione Chilperici regis adhuc beata Radegunde Regina superstite, ad antedictá monasterij transiuisset regulam, ipsa beatissima ostendente, ad sanctam prosternitur 5 crucem, ibiq; cum reliquis sanctimonialibus vigilias explicans, dato mane iisdem discedentibus prostrata solo in eodem loco quieuit, apparuitque ei per visum quasi aperiret aliquis oculos eius, & vnum sanitati redderet, cùm alius adhuc laboraret. Ita subitò ad ostij reserati sonum expergefacta, vnius oculi lumen recipit. Quod non ambigitur per crucis virtutem fuisse præstitum. Energumeni, claudi, & alij quoque infirmi persæpe in hoc sanantur. De his hactenus. Speciosi autem, omnique metallo nobiliores Dominicæ crucis claui, qui beata membra tenuerunt, ab Helena Regina post ipsius sacræ crucis inuentionem reperti sunt: & de duobus quidem frænum Imperatoris muniuit, quò facilius, si aduersæ gentes restitissent Principi, hac virtute fugarentur. De quibus non est ignotum, Zachariam vaticinasse Prophetam: Erit, inquit, quod in os equi ponitur, sanctum Domini. Eo autem tempore Adriaticũ mare magnis fluctibus mouebatur, in quo tã frequentia erant naufragia, ac demersio hominum, vt vorago nauium diceretur. Tunc prouida Regina condolens excidia miserorum, vnum ex quatuor

Cap. 4.

Cap. 5.

1 *Crux Christi in Ecclesia adoratur.*

2 *Ecce quomodo ad crucem Christi & sanctorum reliquias multa beneficia solent præstari.*

3 *Etiam hæretici nostris miraculis sanctorũ sunt increduli, & ea negant quæ dæmones ipsi plerunque compelluntur confiteri.*

4 *Vides quod etiã sancti viri olim causa deuotionis ad sanctorum visenda sepulchra peregrinabantur?*

5 *Ecce crucis adoratio: ecce vigiliarum celebratio.*

Cap. 6.

Nota de Adriatico mar. scitu digna.

clauis deponi iubet in pelago, confisa de Domini misericordia, quòd sæuas fluctuum commotiones facilè posset reprimere. Quo facto redditur mare quietum, tranquillaque deinceps nauigantibus flabra præstantur. Vnde vsque hodie nautæ sanctificatum 6 mare venerantur cùm ingressi fuerint, ieiuniis, orationibusque & psalterio vacantes. Claui ergo Dominici quòd quatuor fuerint, hæc est ratio. Duo affixi erant in palmis, & duo in plantis. Sed quæritur, cur plantæ affixæ sint, quæ in cruce sancta dependere visæ sunt potius quàm stare. Sed in stipite erecto foramen factum manifestum est. Pes quoque paruulæ tabulæ in hoc foramine insertus est: super hanc verò tabulam, tanquam stantis hominis sacræ affixæ sunt plantæ. Quæritur etiam, quid de his clauis fuerit factum. Duo sunt, vt suprà diximus, aptati in fræno: Tertius proiectus in fretum: Quartum asserunt esse defixum in capite statuæ Constantini, quæ ciuitate, vt aiunt, tota excelsior suspicitur, scilicet vt tota ipsa ciuitas, cui eminet, munitione salutis quodammodo galea coronata esset. Magnam asserunt virtutem esse huius fræni, quod ambigi nequaquam potest, quod Iustinus Imperator publicè expertus est, ac suis omnibus patefecit. Illusus enim à quodam Mago propter pecuniam amissam, quam sibi dæmonis vmbra intolerabilis attulerat, per duarum curricula noctium sustinuit insidias. Sed cùm tertia nocte frænum capiti collocasset, locum insidiádi inimicus vltrà non habuit: repertumque autorem insidiarum Imperator gladio percussit. Nobis verò quæ sit virtus ligni eius, hoc modo manifestum est. Aduenit quidam qui nobis pallulam holosericam valde vetustam exhibuit, dicens: Hierosolymis Crucem Domini huic inuolutam fuisse. Quod cùm apud rusticitatem nostram incredibile haberetur, ac rimaremur solicitè, vnde ei tanta fuisset gratia, vt ista meruisset, cùm sciamus in templo quo sacrum hoc lignum adoratur, non solùm exinde nihil quenquam mereri, sed etiam importunius accedentem verberibus arceri, respondit: Quando, inquit, Hierosolymam abij, Tutem Abbatem reperi, qui magnam cum Sophia Augusta gratiam habuit: huic enim omnem Orientem quasi præfecto commiserat. Me huic subdidi, à quo cùm ab Oriente regrederer, & sanctorum pignora, & hanc pallam, in qua eo tempore sancta Crux inuoluebantur, recepi. Postquam mihi vir ille retulit, & hanc mihi pallam tradidit, præsumpsi, fateor, eam abluere, & frigoreticis potum dare, qui mox opitulante virtute diuina sanabantur. Scindebam etiam exinde plerunque particulas, & dabam religiosis pro benedictione. Vni verò Abbati partem diuisi, qui post duos ad me annos rediens, cum sacramento asseruit, duodecim ab ea energumenos, tres cæcos, duosque paralyticos fuisse sanatos. Mitto cuidam ipsam pallam: In os posuit, quæ cùm dentes, linguamque eius attigit, statim vocem eloquiumque restituit. Quod nos fideliter credere ipsa Domini promissio illicit, dicens: Omnia quæcunque petieritis in nomine meo, credite, quia accipietis, & venient vobis. De lancea verò, arundine, spongia corona spinea, columnaque, ad quam verberatus est Dominus redemptor Hierosolymis, aliquid dicendum est. Ad hanc columnam multi fide pleni accedentes, corrigias textiles faciunt, eamque circundant, quas rursum pro benedictione recipiunt diuersis infirmitatibus profuturas. Ferunt etiam ipsas Coronæ sentes quasi virides apparere, quæ etsi videantur aruisse foliis, quotidie tamen reuirescunt virtute diuina. Prodit & ex monumento quo Dominicum iacuit corpus, mira virtus, quòd sæpius terra naturali candore radiante repletur, & exinde iterum ablata aqua conspergitur. De qua tortulæ paruulæ formantur, ac per diuersas mundi partes transmittuntur: de quibus plerumque infirmi sanitates hauriunt. Illud est mirum, quòd sæpissimè accessus serpentium vitant. Sed quid ego temerarius de his loqui audeo, cùm fides retineat, omne quod sacrosanctum corpus attigit, esse sacratum?

Cap. 7.

6 Nautæ sanctificatum mare venerantur ieiuniis, orationibus & psalterio vacantes.

Cap. 8. De tunica verò beati corporis non consuta, desuper contexta per totum, quæ iuxta Dauidicum vaticinium sub sorte iacuerat, fides Euangelica pandit: Ait enim: Partiti sunt vestimenta mea sibi, & in vestem meam miserunt sortes. De hac verò immaculati agni tunica quæ audiui, silere nequeo. Ferũt autem in ciuitate Galathæ, in Basilica quæ ad sanctos Archangelos vocitatur, retineri. Est enim hæc ciuitas ab vrbe Constantinopolitana quasi milibus centum quinquaginta. In qua basilica est cripta abditissima: Ibique in arca lignea hoc vestimentum habetur inclusum. Quæ arca à deuotis atque fidelibus cum summa diligentia adoratur, 7 non immeritò digna quæ hoc vestimentum retineat, quod Dominicum corpus vel contingere meruit, vel velare. Dignum autem videtur, vt & de Iordane, in quo Dominus baptizatus est, aliquid memoremus. Igitur à monte Phamo duo cõsurgunt fontes, quorum vnus Ior, alter Dan vocitatur. Qui ab vtraque parte Phamadæ vrbis, quæ prius Cæsarea Philippi vocabatur, descendentes, sub ipsa vrbe tam fluentis coniuncti, quàm nomine, vnà Iordanem efficiunt, qui vsque Hierico ciuitatem & vltra defluit. In eo habetur locus, in quo Dominus baptizatus est. In vno etenim reflexu aqua reuoluitur ipsa, in qua nunc leprosi mundantur. Cùm autem aduenerint, sæpius lauantur in flumine, donec ab infirmitate purgen-

7 Vide etiam arcam ligneã adorari quæ Dominicum continet vestimentum.

Cap. 16.

purgentur. De publico tamen, dum ibi commorati fuerint, victum accipiunt: sanati autem ad propria descendunt. Ipse quoque Iordanis ab eo loco in quinto miliario mari commixtus mortuo, nomen amittit. Mare enim mortuum ab hoc dicitur, eò quòd ab incendio Sodomæ, vel reliquarum vrbium est versatum: & aqua ipsa asphalto permixta est, vnde à nonnullis mare asphalti appellatur: in quo qui natare nescit, super aquam fertur, & circa eum sulphur adhæret. Igitur, vt diximus, in ipso primo Iordanis egressu Phamada ciuitas sita est. In qua habetur statua ex electro purissimo fabricata, in qua Redemptoris nostri forma dicitur esse expressa. Nam vt plerosque audiui qui eam contemplati fuerant, mira claritas in eius facie continetur. Sed ne cui hoc videatur absurdum, narrare quæ de ea Cæsariensis refert Eusebius, non pigebit. Ait enim: Mulierem quam sanguinis profluuio laborantem à Saluatore curatam Euangelia tradiderunt, huius vrbis ciuem constat fuisse: domusque eius in ea nunc ostenditur. Præ foribus verò domus ipsius basis quædam in loco editiore collocata monstratur, in qua mulieris ipsius velut genibus prouolutæ palmas suppliciter tendentis imago ærea videtur expressa. Astat verò alia ærea nihilominus fusa statua, 8 habitu viri stola comptè circundati, & dextram mulieri porrigentis. Huius ad pedem statuæ in basi herba quædam noua specie nascitur. Quæ cùm exorta fuerit, excrescere vsque ad stolæ illius æreæ indumenti fimbriam solet. Quam cùm summo vertice herba crescens contigerit, vires inde ad depellendos omnes morbos languoresque conquirit: ita vt quæcunque fuerit illa infirmitas corporis, haustu exiguo madefacta salutaris graminis depellatur: nihil omnino virium gerens, si antè quàm æreæ fimbriæ summitatem crescendo contigerit, decerpatur. Hanc statuam ad similitudinem vultus Iesu tradebant. Quæ permansit etiam ad nostra vsque tempora, sicut ipsi oculis nostris inspeximus. Et nihil mirum, si ei qui ex gentibus crediderant, pro beneficiis quæ à Saluatore fuerant consecuti, huiusmodi velut munus videbantur offerre: 9 cùm videamus etiam nunc & Petri vel Pauli Apostolorum ipsius Saluatoris imagines designari, tabulasque depingi. Hæc Eusebius retulit.

Cap. 20.

8 Habes ex hoc loco imaginum vsum licitum & antiquū esse, quæ si Deo displiceret, hæc Domini imago tantæ virtutis non fuisset.

Nam & isto nunc tempore per credulitatem integram tanto Christus amore diligitur, vt cuius legem in tabulis cordis credentes populi retinent, eius etiam imaginem ad commemorationem virtutis in tabulis 10 visibilibus pictam per Ecclesias ac domos affigant. Sed & in hoc inimicus semper humani generis æmulus extat. Nam Iudæus quidam cùm huiusmodi imaginem in tabula pictam, ac parieti affixam in Ecclesia sæpe vidisset, ait: Ecce seductorem illum, qui nos genusque nostrum humiliauit. Et sic nocte veniens, telo ipsam imaginem verberat, elisamq; de pariete, opertam veste ad domum portans flammis parat exurere. Sed res mira apparuit, quæ de virtute Dei exisse non potest ambigi. Nam de vulnere, vbi imago transfossa fuerat, sanguis effluxit: quod ipse iniquus spiculator oppletus furore non sensit. Cùm autem per obscuræ noctis tenebras domum suam fuisset ingressus, lumine adhibito cernit se totum sanguine cruentatum: timensque ne scelus suum patefieret, abiectam à se tabulam abdidit in obscuris, nec ausus est vltrà contingere quod iniquè præsumpsit 11 auferre. Venientes autem Christiani diluculo ad domum Dei, imaginem non inueniunt, stupentesque ac requirentes quod fuerat factum, cruoris vestigia deprehendunt, quæ sequentes, ad domum Iudæi accedunt. Denique sciscitati de tabula, nihil certi cognoscunt. Requirentes autem eam solicitè, in angulo cellulæ Iudæi reperiunt. Qua Ecclesiæ reddita, furem lapidibus obruerunt. Est & apud Narbonensem vrbem in Ecclesia seniore, quæ beati Genesij martyris reliquiis plaudit, pictura, quæ Dominum nostrum, quasi præcinctum linteo indicat crucifixum. Quæ pictura 12 dum assiduè cerneretur à populis, apparuit cuidam Basilio presbytero per visum persona terribilis, dicens: Omnes vos obtecti estis variis indumentis, & me iugiter nudum aspicitis: vade quantocius, & cooperi me vestimento. Et persona non intelligens visionem, data die, nequaquam ex ea rememoratus est. Rursumque apparuit ei. Sed & illud paruipendit. Post tertium autem diem secundæ visionis grauiter excruciato eo verberibus, ait: Nónne dixeram tibi, vt cooperires me vestimento, ne cernerer nudus, & nihil ex hoc à te actum est? Vade, inquit, & tege linteo picturam illam, in qua crucifixus appareo, ne tibi velox superueniat interitus. At ille commotus, & valde metuens, narrat ea Episcopo, qui protinus iussit desuper velum expandi. Et sic obtecta nunc pictura conspicitur. Nam etsi parumper detegatur ad contemplandum, mox demisso velo contegitur, ne detecta cernatur.

9 Vides nō solum Saluatoris Domini, sed etiam Apostolorum eius Petri & Pauli, imagines solitas fuisse designari.

Cap. 12.

10 Ecce quomodo non solum in principio nascētis Ecclesiæ fuere imagines, sed & longo post tēpore tam in Ecclesiis quàm in domibus frequētatæ. Quid ergo latras hæretice?

11 Si imagines Deo displicerent, non tāta miracula ostenderet Deus contra earū prophanatores.

12 Vide & aliud miraculum circa imaginē crucifixi.

DE CIRCVNCISIONE DOMINI NOSTRI Iesu Christi, quæ facta est octauo die. Et breuis laus magni Basilij.

Apud Simeonem Metaphrasten.

VMbram quidem futurorum bonorum, non ipsam autem rerum imaginem, legem habere scripturæ magnus pronunciauit Paulus. Quomodo enim pictores ad exemplar & ad formam animatam aspectum intēdentes, primum quidem atramento, eius quod depingitur speciem in tabula adumbrant: deinde diuersos colores artificiosè contemperantes, & adumbratæ figuræ adijcientes primarium exemplar referunt per imitationem quæ fit ad imaginem: ita etiam lex spiritus, tanquam ad viua exemplaria, & ad res in quas non cadit interitus, intuens ad bona quæ sunt reposita in cœlis, ipsorum quidem vmbras & figuras, per Moysen & vetus testamentum, prius obscurè & exiliter descripsit. Per Christum autem & nouæ pietatis & veritatis dogmata, veluti floridiores & splendidiores colores adijciens, cœlestium, & quæ sub aspectum non cadunt, bonorum imaginem, subijcit eorum qui vident oculis. Quomodo autem cùm imago perfecta est coloribus, & suam accepit pulchritudinem, quæ prius deliniata fuerat vmbra deletur, & euanescit: ita etiam cùm quæ nunc absconsa sunt, in cœlis postea reuelantur, ipsa quoque imago rerum cessabit & abolebitur. Siue enim, inquit, Prophetiæ abolebuntur: siue cognitiones cessabunt. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Quando autem venerit id quod est perfectum, tunc quod ex parte abolebitur.

Postquam ergo vetera quidem præterierunt, noua autem facta sunt omnia, & vmbræ quidem & figuræ sunt abolitæ: euidentes autem rerū imagines per gratiā spiritus & Apostolicā exortæ sunt sapientiam, legis deinceps figuras & vmbras negligamus, ipsius autē rerum expressioris formæ curam geramus: & quod dicit diuinus Apostolus, eorum quidem quæ retro sunt obliuiscentes, ad ea autem quæ antè sunt nos extendentes, ex instituto persequamur brauium supernæ Dei vocationis, vt non simus amplius paruuli fluctibus agitati, & omni vento doctrinæ seu spiritu circumacti, neq; tanquam infantes loquamur, aut sentiamus, aut cogitemus, quomodo Iudæi qui infantilia sapiunt aut desipiunt: sed in virum perfectum ad mensuram ætatis plenitudinis Christi perueniamus, peragendo & contemplando eius legem spiritaliter. Ad hoc enim vnigenitus Deus Verbum carne fuit indutus. Ad hoc Deus Dominus inter nos apparuit se pro infante gerens, vt infantilem & imperfectam nostram cogitationem ad sensum perfectum, & qui virum decet, transmutaret. Quamobrem legales quoque expiationes, & obseruationes, & alias adumbratas traditiones, & octauo quoq; die circuncisionem subiit is qui est supra omnem essentiam. Quo factum est, vt cùm in his debitum pro nobis exoluerit, ab omni legali seruitute, & quæ paruulis conuenit nos liberauerit consuetudine. Erat enim necessarium & ineuitabile mandatum circuncisionis, non solùm quatenus est lege antiquior, & ab Abrahamo accepit initium, & ab ipso Moyse & lege, & iis qui deinceps sunt secuti Prophetis, confirmata est & deducta ad posteras generationes: sed etiam quòd ea necessariò à Deo data signum melioris circuncisionis & spiritalis, in omnes suum iugum imposuit, donec eius legislator, cùm æquè ac nos pro sua benignitate fuisset carnis particeps, & se ad aliorum demittendo similitudinem fuisset circuncisus, & deinde meliorem ostendisset circuncisionem, nempe eam quæ est in baptismate, eam de cætero, vt quæ esset imperfecta & inutilis, aboleuit, & vt cessaret effecit.

Circunciditur ergo Iesus ex ea lege quā tulerat, die octauo, non vt doceret circuncidi, sed vt faceret cessare circuncisionē: vel potius vt veteris quidē & inutilis euelleret anticipationē: noui autem & salutaris aperiret potentiā, vt aboleret quidem eā quæ est secundū carnem: produceret autem eā quæ est secundùm spiritū: & illius quidē argueret imbecillitatē, huius autē ostenderet fortitudinē. Circunciditur Christus. Non enim venit ad dissoluendā legem tanquam alienā, sed tanquam propriam, & à se cōpositam, eam re ipsa adimpleturus. Tanquam suum dogma & Dei mandatum venit adimpleturus literam, & spiritum prædicaturus. Et quomodo quispiam pictor optimus, cùm in se, sicut dictum est, veritatis vmbram prius figurasset, & ita imaginis expressisset pulchritudinem, per ipsam rectè erigit, & deducit ad archetypi exēplaris perfectionem, idq; apertissimè atq; diuinissimè. Etenim quæ est secundùm carnem circuncisio, non describit solùm, & adumbrat peccatorū depositionem, & eam quæ est in baptismate Christi circuncisionem: sed etiam tanquam in vmbra describit ipsam vniuersi resurrectionem & alterationem: per quam omnis carnalis hominum sensus & cogitatio circunciditur & execatur, & in aliam vitam transformatur. Huius veluti quædam

dam obscura & adumbrata præfiguratio erat ea quæ est secundùm carnẽ circuncisio. Quocirca ea quoque octauo die fuit primum constituta: vtpotè quòd octauus dies octauum, vt arbitror, seculum tacitè significet. Cùm ergo rerum imago, vt dictum est, & quæ est in spiritu circuncisio, nondum locum haberet, necessaria fortè est existimata secundùm carnẽ circuncisio. Cùm autem ea quæ in spiritu sancto per Christũ manifesta fieret, per ipsum oportebat omnino quoque aboleri eam quæ erat in carne circuncisionem. Etenim si hæc circuncisionis quæ in carne fiebat, & animaliũ sacrificiorum ratio aut lex fuisset perfecta, vt quæ posset perficere eos qui illa ritè peragebant, ea nullo tempore aut modo potuisset dissolui. Verbum enim Domini, inquit, manet in æternum. Quoniam autem data erat ad pædagogicam institutionem eorum qui erant habitu imperfecti & infantes, vsq; ad tempus correctionis, cùm id quod est perfectum suo tempore refulsisset, oportebat omnino id quod est imperfectum & minus, aboleri & supprimi. Oportebat oriente sole, lunam & stellas obscurari & minui: & aperta vera circuncisione & cultu, vmbrosas veritatis imagines & figuras cedere. Propterea ergo Deus verbũ cùm primis esset caro factus, hodie octauo die in corpusculo circunciditur. Vt cùm literæ debitum pro nobis exoluisset, legem spiritus quæ manet in æternum, induceret: & id quod est minus, eo quod est præstantius, occultaret & tegeret. Propterea Sacerdotium quoq; quod est secundùm ordinem Melchisedech, prælatum est sacerdotio quod est secundùm ordinem Aaron: vt vmbræ quidem cessarent, liberè autẽ ageret veritas: & vt legalium quidem traditionum imperfectio & infantia euanesceret: Euangelicorum autem dogmatum exoriretur perfectio & magnificentia. Ideo cùm Petrum quoq; & Paulum diuinissimorum mystarum summos, & omnes sacros Apostolos & Discipulos lege literæ prius instituisset, & exercuisset in ea quæ est secundùm carnem circuncisione, traduxit ad eam quæ est in spiritu & baptismo circuncisionem: vt cùm etiam spiritum seruitutis per ipsos aboleuisset, spiritum gratiæ & filiorum adoptionis per diuinum baptismum in nobis excitaret in Christo Iesu. Ideo omnes quoq; diuinissimos Sacerdotes, tam alios quàm Magnum quoq; Basilium eo tempore magnum in Ecclesia excitauit Sacerdotem: qui non corpore perualit cœlos, sed contemplatione & spiritu est primus sacrorum Antistes, & qui erat in principio Deus imitans Iesum Christum: & in velum ingreditur intimum, & illinc legem spiritus, & dogmatum magnificentiam magno ore detonat: & legem literæ eiusque quæ est in carne circuncisionis angelica abolens & cessare faciens grandiloquentia.

Hic est Basilius, qui est magni & præclari nominis, qui est fax Catholicæ Ecclesiæ: qui Sol insignis veritatis: qui illustrat omnem terram radiis suæ Theologiæ: qui in actione est inimitabilis: & in contemplatione talis, vt ad eum nequeat vllus peruenire: qui vita perfectus, & sermone sapientissimus: qui virtutis est omnibus numeris absolutus: & in diuina & humana doctrina est planè consummatus, & cui nihil deest: qui omni mundana sapientia & scientia prius exercitatus, eas deinde subiecit vestigiis Discipulorum Iesu: qui omnẽ librum veterem & propheticum summè & sacrosanctè meditando perlegit: & per ipsos ad perfectissimam Iesu Christi fidem rectà deductus fuit & confirmatus: qui Euangelio quidem duce aut introductore vsus est ad propheticam veram cognitionem, diuina autem Prophetarum dictione ad sacri Euangelij accuratam notitiam: & per vtrumq; sublatus est ad purissimam diuinitatis agnitionem. Hic est sublimis & excelsa Ecclesiæ Dei columna, luminare Theologiæ, ornamentum Hierarchiæ, patris homo verissimus, vnigeniti nuncius acerrimus, sancti spiritus Oeconomus, & scriba fidelissimus, sapientiæ partus, plenitudo intelligentiæ, penarium cognitionis, ludus docendæ pietatis, sacri & diuini consilij eruditor, & Christi potentiæ & virtutis turris infracta & immobilis. Hic est qui Dei timorem, & præceptum Domini & virtutem omnes homines docet magnus Basilius, Dei verbi tuba vel maximè regia, quæ suæ vocis magnitudine omnes fines orbis terræ comprehendit. Hic est qui eam quæ est in spiritu & diuino baptismo præclarè prædicauit circuncisionem, & qui, si vllus alius ex Theologis, cessare fecit eam quæ est in carne circuncisionem. Quocirca eius ad Deum è terra & corpore solutio & transitus, non casu nec temerè, vt inconsideratè existimauerit quispiam, inter diuinum Christi natalem & baptismum concurrit hodie cum Iesu circuncisione: sed quomodo in laudando & extollendo Christi ortum & baptismum, eam quæ fit in spiritu circuncisionem extulit beatissimus, in sacra eius commemoratione, ipse quoque dignus est habitus, qui vnà extolleretur per resolutionem ad Christum: & statutum vt annuis eo 1 die honoraretur commemorationibus & celebritatibus. Quamobrem sanctissimam eius memoriam hodie vniuersa sanctorum Ecclesia, in omni parte vniuersi orbis terræ peragẽs, & glorificans gratissimis Deo laudationibus, eum qui in sanctis suis glorificatur, simul laudat & glorificat Christum. Vt quæ ab omni hæresi per ipsum fuerit liberata, totius autem pietatis dogmatibus confirmata, & vt quæ à quolibet quidem qui aliena sentit doctrina fuerit liberata: soli autem Dominicæ fidei & doctrinæ se adiunxerit.

1 Dies resolutionis B. Basilij annuis celebritatibus honoratur.

Etenim per huius instar tonitrui sonantem Theologi linguam attonitus quidem fuit, & sublatus Arrius. Eunomius autem dissolutus, & tanquam ardentibus fulminibus eius contradictionibus, in cinerem fuit redactus & consumptus. Sabellius autem interiit, & est deletus. Et Macedonius quidem qui aduersus sanctum spiritũ insaniit, Basilij spiritu eiectus fuit, & periit. Apollinaris autem amentissimus, & insipientissimus diuinis eius dictis conuincitur, & ad perpetuam transmittitur ignominiam: & vt semel dicam, quæuis enata zizania, & quæuis Deo inuisarum hæresum differentia, quas & longum ante ipsum tempus adtexuit, & quas post eius ad Deum excessum tempus est editurum, omnes diuini Basilij Theologiæ igni mandatæ, exuruntur & consumuntur, non minus quàm holocausta & ara Heliæ, & ligna igne qui per orationem fuit è cœlo demissus. Hic excelsus Basilius, non solùm Cæsariensium Ecclesiæ, cuius etiam fuit creatus Episcopus, neque suo solùm tempori, & suæ ætati, sed etiam omnibus vniuersi orbis terræ regionibus, & ciuitatibus, & toti huic seculo, & omnibus hominibus fuit vtilis, & maximè salutaris magister. Atque quisnam quidem fuerit eius ab initio ortus, & educatio, & quod studium in sacris disciplinis, quomodo autem à Græca disciplina transierit beatissimus ad Christianam philosophiam, & vita optima, & oratione pulcherrima omnes ferè superauerit, tam qui ante ipsum fuerunt Philosophos, quàm qui post ipsum: & dehinc quo modo ad sedem euectus Archiepiscopalem, & tanquam tota lucens lucerna positus supra candelabrum sanctæ Ecclesiæ, sacris quæ actione exequebatur verbis vniuersum orbem terræ illustrauit: & quemadmodum cum hæresiarchis & veritatis aduersariis fortiter pugnans, tanquam lupos Arabicos à sacro suo grege expulerit: & cum impiis quidem decertans Imperatoribus, cum iniquis autem manus conferens Præsidibus, præclarissima victoriæ trophæa aduersus omnes erexerit, & cùm in bonis pascuis & pinguibus, & sacrorum miraculorum ostentationibus, verborumque & legum cœlestium ac diuinarum expositionibus, Christi oues tanquam bonus pastor ipse pulchrè pauisset, & tãquam sanctus Pontifex, simplex, impollutus, à peccatoribus separatus, & ipsis cœlis, si mihi quid est audacter dicendum, effectus altior, ipse in Euangelio esset multorum salutem operatus, postea ab hoc humili solutus tabernaculo, & in loco tabernaculi admirabilis vsque ad domum Dei, 2 in voce exultationis & confessionis soni festum celebrantium peruasisset, cum primogenitis cœlestis Sion filiis vnà accubuerit, & cum eis quiescat: Cùm de his omnibus à sacris, vt arbitror, Theologis sit satis philosophatum, eaque satis laudata fuerint, superuacaneum existimaui de his loqui prolixius. Nos autẽ glorificemus diuini patris memoriam. Hodie hymnis & diuinitus inspiratis laudationibus Præceptoris virtutes celebremus pro dignitate. Quicunque ab eo didicimus honorare virtutem, eum tanquam verum patrem honoremus sicut debemus: vt qui in Christo Iesu nati sumus per Euangelium, & ab eius doctrina internum nostri cordis hominem, tanquam Dei filij, habeamus formatum. Quomodo autem honorabimus? Circuncidamur, non carnem quidem nostri præputij, vt vetus ille Israël, sed internum cordis hominem. Circuncidamur, omnes occultas animi perturbationes & mentis, eas auferentes, aut morte afficientes, & vnà cum Christo prompto & alacri animo morte affecti, & simul cum eo crucifixi, & consepulti in expoliatione corporis peccatorum carnis, in circuncisione Iesu Christi in baptismo: quomodo magnus quoque Doctor nobis præcipit, & in aliis diuinissimis suis admonitionibus, & in exhortatoriis ad baptismum orationibus. Sinamus ergo eam quæ est secundùm carnem circuncisionem. Resurgamus ad baptismum. Prætercurramus vmbram, accurramus ad veritatem. Moysen despiciamus, ad Ioannem exeamus. Modò enim clarè sonat: Vox clamantis in deserto, & ad se conuocat orbem terræ. Modò vox præcurrit verbum, & pronubus sponsum: & nuncius Regis præmittitur, & præit ad dirigendas vias eius, & ad populum Domino præparandum, accedit ad Iordanem. Nunc Iesus postquam ex lege fuerat carne circuncisus octauo die, venit ad Ioannem triginta annos natus, vt aqua baptizaretur: vt cùm literæ infantilem fecisset cessare circuncisionem, lege statueret eam quæ est in spiritu perfectionem. Nunc magnus ille præco & præcursor, magna voce turbis præcipit in deserto, vt agant pœnitentiam: quoniam appropinquauit regnum cœlorum. Vbi enim Rex, illic est omnino cum eo regnum. Quoniam ergo Rex cœlorum ad aquam baptismatis appropinquauit, necessariò simul quoque cum eo aderat regnum cœlorum. Nunc autem is quoque qui nomen aut cognomen habet regni cœlorum, post magnum illum Baptistam hodierno die qui est dies suæ resolutionis, dum & commemoratur, & tacet, & loquitur: omnes populos ab baptismum adhortatur. Paremus ergo vias Domini Dei nostri, dirigamus semitas eius. Christo omnium Regi qui apparet in Iordane corda digna reddamus per opera pœnitentiæ: & cum eo consepulti per baptismum, & in vitæ constituti nouitate, vnà cum eo conglorificemur & conregnemus in secula. Amen.

2 Animam Basilij collocat in cœlo.

BASI-

BASILII EPISCOPI SELEVCIAE ISAVRIAE oratio de transfiguratione Dei,& saluatoris nostri Iesu Christi.

Apud Simeonem Metaphrasten.

SOL in terram modò emittens radios, stellarum quidem choros contegit, Lunæ autem lumen obscurat: insigni splendore impediens, ne cernantur luminaria: noctis auté cursum reprimit, luce tenebras separans: omnia auté veluti nigra veste exuens, ea lucis gratia induit,& ostendit terga cõtinentis coronata floribus,& mare purpuræ speciem præ se ferens: & cùm sit vnus, creatæ quæ cernitur naturæ illustrat facié. Verùmenimuerò etsi sit tantus, ad summam vsque lucé nondum peruenisse arguitur. Nam & mortales oculi eum audent intueri,& sæpe subtercurrens nubes splendoré discutit,& vmbrosa arbor fulgoré prohibet, & nox freta lege eius qui eam creauit, in æquilibrio tépus cũ sole partitur. Quoniá enim vita hominũ est & laboriosa,& cõstringitur laboribus: propterea dié quidé extendit Creator ad operandum: nox auté aduentans,& defessos inueniens, eos tradit lecto relaxationis: mébra quidem somno soluens, dans auté naturæ præfinitum tempus virium paulatim colligendarum. Magna est igitur, vt dixi,& splendida lux solis, sed quæ vsibus solùm hominum æquali respondet proportione. Non est autem huiusmodi lux Domini. Non est enim fas creatam naturam conferre in creatore. Neque enim ex collatione radiorum solis honoratur, neque noctis successione occultatur: sed ea est hominibus admirabilis,& Angelis ad eam non patet aditus. Hac luce indutus Christus Dominus, tanquam trophæum gestans, venit è cœlo in secundo suo aduentu ad homines. Tunc enim mutata belli figura, veste victoris induitur. Sic enim dicit Propheta describens belli figuram: Quæ sunt rubra vestimenta tua? Ius enim belli eius, qui bellum gerit, vestem cruentauit. Quoniam enim Deo totius sui concilij,& œconomiæ is est scopus, qui eius in homines declaret benignitatem, variè perficit voluntatem,& ad vsum hominum humiles figuras induit. Sic in paradyso ambulans eum qui primus formatus erat, se abscondentem hominem vocat ad colloquium. Sic inter eum ad homines loquentem nubes intercessit: & cùm in nouissimis diebus apprehendisset humanitatem, semper apparet conuenienter legibus naturæ ex ijs quæ patiebatur, naturæ assumptæ fidem fecisse. Huiusmodi sunt, præsepe, partus, fasciæ, circuncisio, purificatio,& lege constituti pretij solutio, crux post hæc, passio, & mors. Sed sic quidem fuit prima carnis susceptæ œconomia, humili figura se ad vsum hominum accommodantis. In tempore autem secundi aduentus mutat figuram, non amplius humilem vt prius, sed terribilem faciens,& præclaram. Illius ergo aduentus gloriam volens aperire discipulis, dicebat: Sunt quidam ex vobis, qui mortem non gustabunt, donec viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Atque vos quidem intuentes ad eam quæ nunc est, figuræ humilitatem, propter ignorationem rationis eius quæ cœlatur sapientiæ non peruidetis profunditatem,& mensura cognitionis à vobis sumitur ex mensura aspectus. Tanto enim tempore sum vobiscum,& non cognouistis me. Aperiam ergo vobis aliquam partem eius, quod spectari non potest, spectaculi,& spem futuram deducam sub aspectum. Locutus sum vobis de passione,& obtorpuit animus. Dixi oportere me crucifigi,& illius consideratione metu fractus est animus. Dixi, si quis vult post me venire, abneget semetipsum,& tollat crucem suam,& sequatur me. Affectionem enim probat Crucis societas: sed memoria passionis robur quoque soluebatur. Dixi, Quid enim prodest homini, si totũ mundum lucretur? & eo sermone vestrum timoré non amoui: sed ita mansit animi perturbatio, quasi amoueri non possit. Rursus introduxi iudicem, qui non corrumpitur muneribus, qui donis non condonat delicta, dicens: Quod enim pretium dabit homo pro anima sua? & apud vos fuit dubia oratio. Dixi, Veniet filius hominis in gloria patris sui,& existimastis me narrare fabulas. Quoniam ergo fuit inefficax oratio, res docebunt. Sunt aliqui ex ijs qui hic stant, qui mortem non gustabunt, donec viderint filium hominis venientem in gloria patris sui. Futuri mei aduentus nondum est tempus. Oportet enim fixam esse crucem, vinci inferos, mortuis proponi decreta libertatis: cùm ex mortuis resurrexero, in cœlos ascendere, omnibus proponi certamen prædicationis, per prædicationem dominatum obtinere Euangelium,& tunc apparere eum qui in Euangelio annunciatur. Sed vobis meis discipulis studeo prius donare imaginem mei aduentus, vt cùm ante tempus spectaculum oculis hauseritis, ea quæ præcesserint, vobis fidem faciant futurorum. Sunt aliqui ex his qui hic stant. Quinam? Non enim omnes. Non enim nunc publico spectaculum: manet id quod visum fuerit mysterium, etiam postquam visum fuerit. Hæc cùm dixisset, inquit, assumit tres discipulos suos,

Petrum,& Iacobum,& Ioannem. Hos adhibēs spectatores,alios reliquit auditores. Et cùm duxisset in montem excelsum. Rectè excelsum: vt etiam mons haberet descensus ex cœlo imitationē. In mōtibus cœlo vicinis (vt Paulus prædicabat) rapiemur in nubibus in occursum Domini in aërem. Nunc quoq; quærit locū qui vnà cū nubibus extollitur. Atque spectatores quidē erāt parati. Oculi autē erant propter spē aperti,& anima cum timore parturiebat spectaculi desiderium. Cùm sic autē futurū expectarent, repentè transfiguratur Christus corā discipulis,& mutatur eius forma:& cùm lucis induisset tunicā,fulguris præ se ferentem speciem ostendit aspectū. O miraculū. Ex humana forma ferebantur radij,qui emittebantur diuinis operationibus. Vidit sol,quæ non prius didicit,vt qui doctus sit abscondi alterius luminis illustratione. Constitisti sol,aliquando victoriam expectans Hebraicam. Reueritus es Iesum ducē,qui imperauerat,in cōseruo honorans domini appellationē. Nunc vidisti lucē, quam non prius videras. Hoc spectaculū narrantes scriptores Euangeliorū, alius aliò trahit dictionem,vt qui verbis non possit exprimere spectaculum. Alius enim dicit vtiq;: Resplenduit facies eius, sicut sol. Alius verò: Resplenduerunt eius vestimenta, sicut nix. Iis enim, inquit,quæ videmus,assimilamus. Vna autē vincatur creata quoq; natura,nō inueniēs similitudinē eius quod cernebatur. Testátur oculi: lingua enim dicere non didicit. Spectaculum autem splendore eorū quæ videbantur,fulguris instar præstringēs oculos, significauit orbis terræ futurū iudicem. Visæ sunt autem vobiscum præsentes eæ quæ sunt viuorū & mortuorum ad virtutem primitiæ, vt viuorum simul & mortuorū iudicem Dominum prædicent præsentibus. Moyses enim,virtutis dux,& legislator morte excedit è vita. Helias autem diuino zelo accensus, ignis auriga efficitur: & cùm cursu vectus esset per aerem, leges naturæ transilijt,viā inueniens morte superiorē. Cùm in hunc locū perueneris, fac vt in memoriam reuoces Domini rogata,& responsa discipulorū: cùm alij quidem Heliam,alij verò vnū ex prophetis,alij verò prophetā nominarent,viderent autem eum adorari à prophetis. Moyses supplicat,Elias se inclinat, & Dominum esse, non seruum testatur eum qui adorat. Sed Petrus etiam si hæc videret,nōdum docetur,vt cuius esset obstupefacta ratio magnitudine miraculorū. Nam propter spectaculi desiderium,omniū obliuiscitur,& loco alligatur superatus à nimio gaudio. Faciamus,inquit,tria tabernacula: tibi vnū,Moysi vnum,& Eliæ vnū. Arguit suā ignoratiōnē,Dominū vnà cum seruis enumerās. Existimauit subiectos esse Domino æquales honore. Sed non māsit Petrus in hoc vitio ignorantiæ: Nā cùm tonitru desuper erupisset,cum timore curat ignorationem, propemodum cum strepitu hoc exclamans: Cur seruos cum domino comparatis? Vultis scire differentiam? Hic est filius meus dilectus: Illos creaui seruos,hunc filium ex mea genui essentia. Meus est filius, etiam si serui forma propter vos est indutus. Habet lucem, ad quam accedi non potest, etiam si propter vos habet moderatos radios. O beatos oculos, qui Christum contemplantur indutum instar sponsi. O beata lumina, quæ terribilem diem iudicij in miti cernunt specie. Quæ enim cernent trementes Angeli, ea læti viderunt homines. Quænam enim vis oculorum potest diem terribilem subire iudicij? quando terra quidem mouebitur, & mare, quod hominum ex Adam orta ebulliet corpora: quatientur verò cœli cum Angelis timorem non ferentes. Complicabitur enim cœlum tanquam Rege transeunte: repentè verò contrahent satellites vestibuli peripetasmata. Ablato autem cœlo, Angelicarum quidem potestatum cum splendore se offerent ordines, mille millia Angelorum, & decies mille millia præcurrentia. Videbitur autem descendens Dominus insigni luce fulgoris instar illustrans omnia. Quis ergo eorum quæ videbuntur sufficiet spectaculo? Quis metū poterit dimetiri? Si enim repētinam non ferimus fulguris coruscationē, sed eā qui cernit, in humū sæpe deijcit: quid dixerit quispiā ex orientē eum videns, qui fulgurat? quādo sonitus tubarū vocabunt mortuos è sepulchris: quando rūpentur capsæ monumentorū vinctos emittentes: quando iudicabūtur proposita, facta, & cogitata: quādo vinctus adducetur diabolus, de quo tyrannicarū sumentur pœnæ cogitationū: quādo separabūtur greges hominū, vt sciatur quis cuinā sit parti attribuendus, quisnā sit futurus Christi iudicis, ac condēnati latronis: quādo simul viuētes, & mortui confluēt. Erit enim vna omniū adoratio, quandoquidē celeritas resurrectionis faciet eorū qui immutabūtur corpora in cursu æqualia, cōuenienter voci B. Pauli: Nos qui viuimus qui relicti sumus, nō præueniemus eos qui dormierunt. Nec erit mortuus ijs qui viuunt, propter sepulchrum tardior. Et omnes eius sententiam expectabūt cum timore, nescientes an sint audituri: Venite benedicti patris mei: an, Abite in tenebras exteriores, quæ sunt paratæ diabolo, & angelis eius, quando trutina appēdens opera, res circūscribet fine cōuenienti. Huius ergo spectaculi imaginē dedit Dominus Apostolis. Cuius nos terrorem reputantes, mores mutemus ante id tēpus, bonis actionibus fiduciam comparemus, & ante tempus iudicij meditemur defensionē, ne vnà condēnemur cum inimico qui iudicatur: sed cum diligente Christo in cœlū ascendamus hæredes Dei, cohæredes autem Christi. Quoniam ei gloria in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI EPHRAIM SYRI ORAtio de Transfiguratione Domini & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

EX AGRO messes, & lætitiæ, & vinea fructus esculenti, & ex scripturis doctrina viuifica. Ager habet vno tempore vindemiam. Ex scriptura autem semper scaturit doctrina viuifica. Ager quando est messis, minuitur. Et vitis quando fuerit vindemiata, efficitur abiecta, & humilis: Scriptura autem quotidie metitur, & spicæ interpretum in ea non deficiũt. Quotidie vindemiatur, & botri eius, quæ est in ipsa, vineæ nunquam consumuntur. Accedamus ergo ad hunc agrum, & viuificis eius sulcis fruamur, & ex eo metamus spicas vitæ, nempe verba Domini nostri IESV Christi, qui dixit: Sunt hic viri, qui non gustabunt mortem donec viderint filium hominis venientem in gloria sua. Et post sex dies assumit Iesus Simeonem Petrum, & Iacobum, & Ioannem fratrem eius, & duxit eos in montem excelsum valde, & transfiguratus est coram ipsis. Et resplenduit facies eius sicut sol, & vestes eius fuerunt albæ sicut nix. Viri enim, quos dixit non esse gustaturos mortem, donec vidissent locum eius perfectionis, sunt hi tres Apostoli. Et cùm assumpsisset, duxit eos in montem, & ostendit eis quomodo sit venturus in die nouissimo in gloria sua. Duxit autem rursus eos in montem, vt ostenderet eis, qualis sit filius iste, & cuius. Quando enim interrogauit: Quémnam me dicunt homines esse filium hominis? Dicunt ei: Alij quidem Eliam: alij verò Moysen, aut vnum ex Prophetis. Propterea eos sursum ducit in mõtem: & ostendit eis se non esse Heliam, nec Moysen, sed Deum Eliæ, & qui sanctificauit Moysen in vtero matris: neque vnum ex Prophetis, sed Dominum Prophetarum, & qui eos miserat. Et rursus ostendit eis se esse effectorem cœli & terræ: & se esse Dominum viuorum & mortuorum. Et rursus eos duxit in montem, vt eis ostenderet se esse filium Dei. Si enim dixisset eis: Ego sum filius Dei: non eis persuasisset propter carnem quam gestabat, & quòd cum eis conuersabatur. Videbant enim Mariam, quæ eum pepererat, & quòd Ioseph qui aluerat, nomine vocabatur pater eius: & quòd quidem vocabantur fratres eius. Et rursus similiter esurijt, & comedit: Sitiit, & bibit: Laborauit, & requieuit: Et dormitauit, & dormiit: Et timuit, & sudauit: hæc autem diuinæ naturæ minimè conueniebant. Propterea eos ducit in montem, vt pater loquatur, & ostendat eis eum esse suum filium in veritate: & vt ostẽdat eis regnum suum ante mortem suam, & gloriam suam ante ignominiam: vt quãdo captus fuerit, & crucifixus à Iudæis, sciant eum non fuisse ab eis crucifixum propter eius impotentiam: sed quod ei ita placuisset propter suam gratiam ad mundi salutem. Et rursus suam eis ostendit gloriam ante suam resurrectionem: vt quando resurrexit à mortuis in gloria naturæ suæ diuinæ, sciant eum non accepisse tanquam mercedem sui laboris gloriam, vt qui ea indigeret: sed eum illam iam olim habuisse ab æterno cum patre, & cum spiritu eius: sicut dixit: Pater glorifica me gloria quam habui, antequam mundus esset apud te. Hanc gloriam suæ diuinitatis quæ erat obscura, & ignota suæ humanitati, ostendit Apostolis suis in ascensu montis. Facta est enim facies eius, sicut sol, & vestimenta eius alba sicut lux. Duos soles in monte videbant oculi discipulorum, vnum ex consuetudine, & alterum præter consuetudinem. Vnum qui eis lucebat, & mundum totum illuminabat in firmamento: & vnum qui eis illuminabat faciem, Iesu inquam. Hoc autem dixit: Facta sunt vestimenta eius alba. Etenim ostendit quod ex toto eius corpore eius gloria scaturijt: & ex tota eius carne resplenduit eius facies, & ex totis eius membris resplenduerunt radij. Non enim sicut Moysi, eius facies resplenduit extrinsecus: sed ex ipso scauriebat eius gloria, & in eo manebat. Ex ipso oriebatur lux eius, & in eo cogebatur. Neque enim abijt in alienam partem, & ipsum dimisit: quoniam non venit ex alio obliquo & eum exornauit. Neque eam vtendam pro tempore accepit. Totam tamẽ abyssum diuinitatis suæ eis minimè ostendit: sed quantum poterant contemplari pupillæ suorum oculorum. Et apparuerunt eis Moyses & Helias simul cum eo loquentes, & sermones eorum, quos cum eo loquebantur, ij erant: Agebant ei gratias, quòd vera fuissent verba Prophetarum in eius præsentia: offerebant ei adorationem pro salute quam fecerat in mundo propter genus humanum, & quòd mysterium quod ipsi prius descripserant, ipse re ipsa implesset. Fuit ergo lætitia prophetis & Apostolis in ipso ascensu montis. Lætati sunt Prophetæ cùm vidissent humanitatem eius, quam non nouerant. Lætati sunt autẽ Apostoli quoq; cùm vidissent gloriam diuinitatis eius, quam non cognouerant. Et cùm audiissent vocem patris ferentis filio testimonium, per ipsam cognouerũt fuisse ab eo susceptam humanitatem, quæ quidem erat apud eos obscura: eisque fidem fecit cum voce patris, gloria corporis eius:

quæ apparuit, ex ea quæ in eo fuit vnita diuinitate immutabiliter, & inconfuse. Et signatum fuit trium testimoniũ, in voce paterna, Moyseque,& Elia, qui quidẽ illi astiterunt tanquam serui: & aspiciebant alter alterum, Prophetæ Apostolos, & Apostoli Prophetas. Viderunt illic alter alterũ principes veteris, principes noui. Vidit Moyses sanctus Simeonẽ sanctificatum. Vidit œconomus patris procuratorẽ filij. Ille quidẽ scidit mare, vt populus ambularet in medijs fluctibus. Hic autẽ excitauit tabernaculum, vt ædificaret Ecclesiam. Vidit virgo veteris virginẽ noui. Elias Ioannem. Qui ascendit currum ignis, eum qui recubuit super pectus flammæ. Et factus est mons in figura Ecclesiæ. Et vnijt in eo Iesus duo testamenta quæ suscepit Ecclesia. Et nobis significauit ipsum esse datorem duorum. Vnum accepit eius mysteria: Alterum manifestam reddidit gloriam suorum factorum. Dixit itaque Simon: Bonum est nos hic esse, Domine. O Simon, quid dicis? Si hic manserimus, quis implebit verba Prophetarum? Quis obsignabit verba præconum? Quis peraget mysteria iustorum? Si hic manserimus, illud: Foderunt manus meas, & pedes meos, in quo implebitur? Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem, cui adaptabitur? Dederunt in cibum meum fel, & in siti mea potauerunt me aceto, cui accidet? In mortuis liber, quis confirmabit? Si hic manserimus, Adæ chirographum quis scindet? & eius debitum quis exoluet? & indumentum gloriæ eius quis restituet? Si hic manserimus, quæ dixi tibi quomodo fient? Ecclesia quomodo ædificabitur? Claues regni cœlorum quomodo à me accipies? Quem ligabis? Quem solues? Si hic manserimus, cessabunt omnia, quæ dicta sunt per Prophetas. Dixit rursus: Faciamus hic tria tabernacula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum. Simon missus est ad ædificandam in mundo Ecclesiam: & faciet in monte tabernacula: Modò enim Iesum humanè attendebat. Et nunc seipsum collocat cum Moyse & Helia. Ilico autem ei ostendit se non opus habere eius tabernaculo. Ipse enim erat qui patribus eius fecerat tabernaculum nubis in solitudine. Eis enim adhuc loquentibus, ecce lucida nubes eos adumbrauit. Vides Simon tabernaculum sine labore, tabernaculũ quod arcet æstũ, & non habet tenebras: tabernaculũ quod fulgurat, & resplendet? Admirantibus autẽ discipulis, ecce vox quæ à patre exijt, è nube est audita, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Cum voce patris reuersus est Moyses in locum suũ: & Helias reuersus est in regionẽ suam: & Apostoli proni ceciderunt in terram: & Iesus stetit solus, quoniam vox illa in illo solo implebatur. Fugiebant Prophetæ, & Apostoli in terram ceciderunt, quoniam vox patris non implebatur in eis quæ ferebat testimonium, dicens: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Docuit eos pater fuisse impletam Moysis dispensationem, & ab eis esse audiendum filium. Ille enim tanquam seruus locutus fuit, quæ iussus fuerat: & ea prædicauit, quæ ei dicta fuerant, & omnes itidem Prophetæ, donec venisset is cui repositum est, nempe Iesus: qui est Dominus, non seruus: dominans, & non parens imperio: legislator, & non is cui lex datur: filius, non verna: natura, & non adoptione. Apostolis itaque id quod erat obscurum, effecit pater in monte manifestum. Quid est, eum qui est significat. Pater aperit, & declarat filium. Ad hanc vocem Apostoli proni ceciderunt in terram. Erat enim tonitru terribile. Quamobrem voce eius terra tremuit, & ij ceciderunt in terram. Ostendit eis patrem appropinquasse, & eum vocasse filium. Voce sua eos etiam excitauit. Quomodo enim vox patris eos deiecit, sic etiam vox filij in virtute suæ diuinitatis eos fecit surgere: quæ quidẽ cùm in eius carne habitet, & in ea sit vnita immutabiliter, ambo in vna hypostasi, & vna persona inconfusè manent citra diuisionem. Non enim sicut Moyses, decorus fuit extrinsecus. Sed tanquam Deus, fulgebat in gloria. Moyses enim faciei eius apparitione vnctus fuit decore: Iesus autem toto suo corpore, tanquam sol suis radijs, resplenduit gloria suæ diuinitatis. Clamauit autem pater: Hic est filius meus dilectus, eum audite: non separatus à gloria filij diuinitatis. Vna est enim natura pater, & filius cum sancto spiritu, vna potentia, & vna essentia, & vnum regnum, & in vnam clamauit vocem in vili corpore, & in gloria terribili. Et Maria ipsum vocabat filium, non separatum corpore humano à gloria eius diuinitatis. Vnus est enim Deus, qui in corpore apparuit in mundo. Gloria eius significabit diuinam gloriam, quæ est ex patre. Et gloria eius significauit humanam naturam, quæ est ex Maria: ambas naturas quæ cõuenerunt, & vnitæ sunt in vna hypostasi. Vnigenitus ex patre, & ex Maria vnigenitus. Et qui diuidit, diuidetur à regno eius. Et qui confundit eius naturas, peribit à vita eius. Qui negat Mariam Deum peperisse, non videbit gloriam eius diuinitatis, & qui negat eum gestasse carnem peccato non obnoxiam, eijcietur à salute, & à vita quæ data est per eius corpus. Ipsæ res testantur, & diuinæ eius virtutes docent eos qui possunt discernere, eum esse verum Deum: & eius perpessiones significant, eum esse verum hominem. Et si hoc non persuasum habent, qui sunt mente imbecilla, luent pœnas in terribili eius die.

Si non erat caro, cur Maria in mediũ est producta? Si non erat Deus, Gabriel Dominum

quémnam vocabat? Si non erat caro, quisnam recumbebat in præsepi? Si non erat Deus, Angeli descendentes quémnam glorificabant? Si non erat caro, quis inuoluebatur fascijs? Si non erat Deus, pastores quem adorabant? Si non erat caro, Ioseph quem circuncidit? Si non erat Deus, stella in cœlo in cuius honorem cucurrit? Si non erat caro, Maria quémnam lactauit? Si non erat Deus, Magi cui munera offerebant? Si non erat caro, Symeon in vlnis quémnam gestauit? Si non erat Deus, cui dixit, Dimitte me in pace? Si non erat caro, Ioseph quémnam accepit, & fugit in Ægyptum? Si non erat Deus, illud: Ex Ægypto vocaui filium meum: in quo est adimpletum? Si non erat caro, Ioannes quem baptizauit? Si non erat Deus, Pater è cœlo cui dixit: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui? Si non erat caro, quis ieiunauit, & esurijt in deserto? Si non erat Deus, descendentes Angeli cui ministrabant? Si non erat caro, quis fuit inuitatus ad nuptias in Cana Galilææ? Si non erat Deus, quis mutauit aquam in vinũ? Si non erat caro, panes in cuiusnam manibus erant? Si non erat Deus, quinque milium hominum turbam præter mulieres & pueros in solitudine quis pauit quinque panibus & duobus piscibus? Si non erat caro, quis dormijt in naue? Si non erat Deus, quis ventos & mare increpauit? Si non erat caro, Simeon Pharisæus cum quo comedit? Si non erat Deus, peccatrici delicta quis condonauit? Si non erat caro, supra puteum ex itinere defessus quis sedebat? Si non erat Deus, aquam viuam quis dedit Samaritanæ, & eam arguit, quòd habuisset quinque maritos? Si non erat homo, quis gestabat indumenta hominis? Si non erat Deus, quis faciebat virtutes & miracula? Si non erat caro, quis spuit in terram, & lutum fecit? Si non erat Deus, ex luto oculos cæcorum quis coëgit aspicere? Si non erat caro, in Lazari monumento quis flebat? Si non erat Deus, mortuum iam quatriduanum quis iubendo eiecit? Si non erat caro, super pullum quis sedit? Si non erat Deus, cuinam cum gloria ibant turbæ obuiam? Si non erat caro, Iudæi quem apprehenderũt? Si nõ erat Deus, quis terræ imperauit, & eos pronos humi iecit? Si non erat caro, quis colaphis cædebatur? Si non erat Deus, abscissam auriculam à Petro quis medicatus est, & restituit in locum suum? Si non erat caro, cuiusnam facies sputa accipiebat? Si non erat Deus, quis spiritum sanctum insufflauit in faciem Apostolorum? Si non erat caro, quis stabat coram Pilato in iudicio? Si non erat Deus, quis Pilati vxorem terrebat in somnis? Si non erat caro, cuiusnam vestes exuerunt, & diuiserunt milites? Si non erat Deus, sol quomodo fuit obscuratus in cruce? Si non erat caro, quis erat in cruce suspensus? Si non erat Deus, quis terram mouit à fundamentis? Si non erat caro, cuiúsnam pedes & manus fuêre clauis confixi? Si non erat Deus, templi velum quomodo scissum est, & petræ ruptæ sunt, & sepulchra sunt aperta? Si non erat caro, quis clamauit, Deus meus, Deus meus, vt quid me dereliquisti? Si non erat Deus, quis dixit: Pater ignosce illis? Si non erat caro, quis in cruce pependit cum latronibus? Si non erat Deus, quomodo dixit latroni: Hodie mecum eris in paradyso? Si non erat caro, fel & acetum cuinam obtulerunt? Si non erat Deus, infernus cuiúsnam voce audita contremuit? Si non erat caro, cuiúsnam latus pupugit lancea, & exijt sanguis & aqua? Si non erat Deus, quis portas inferorum contriuit, & vincula disrupit? Et cuiúsnam iussu mortui è sepulchro egressi sunt? Si non erat caro, Apostoli quémnam viderunt in cœnaculo? Si non erat Deus, quomodo clausis foribus est ingressus? Si non erat caro, cuiúsnam clauorum & lanceæ plagas Thomas contrectauit manibus? Si non erat Deus, cuinam clamauit, Dominus meus, & Deus meus? Si non erat caro, in mari Tyberiadis quis comedit? Si non erat Deus, in cuiusnam iussu impletum est rete? Si non erat caro, quémnam viderunt Apostoli assumi in cœlum? Si non erat Deus, cœlum cuinam fuit apertum: & potestates quemnam in tremore adorarunt: & pater cuinam dixit: Sede à dextris meis, & quæ sequuntur? Si non erat Deus & homo, falsa est de cætero nostra salus: falsæ sunt etiam voces Prophetarum. Sed veri fuerunt prophetæ, & à mendacio aliena eorum testimonia. Dixerunt enim ea quæ iussi fuerant. Spiritus sanctus per eos est locutus. Quocirca castus quoque Ioannes qui super pectus flammæ recubuit, confirmans voces prophetarum, de diuinitate differens, in Euangelijs docuit, dicens: In principio erat verbum, & verbũ erat apud Deum, & Deus erat verbum. Omnia per ipsum facta sunt, & sine ipso factum est nihil, quod factum est. Et verbum caro factum est, & habitauit in nobis. Qui est ex Deo Deus verbum, & ex patre filius vnigenitus: Qui est eiusdem cum patre essentiæ: Qui est ex eo qui est: Verbum ante secula, ex patre genitus sine matre ante omnia secula ineffabiliter, idem in nouissimis diebus nascitur ex filia hominis, ex Maria virgine, sine patre carne indutus, ex ipsa carnem gestans, & homo effectus, quod quidem non erat, manens Deus, id quod erat, vt mundum saluum faceret. Et ipse est Christus Dei filius, vnigenitus ex patre, & ex matre vnigenitus.

Confiteor eundem esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui in duabus naturis, in hypostasi seu persona vnitus cognoscitur, & citra diuisionem, confusionemque & mutationem,

tionem, carnem induit animatam, & animam ratione præditam, & intelligentem, factus est omnino iisdem quibus nos obnoxius affectionibus præter solum peccatum. Idem terrenus & cœlestis, temporalis & æternus: qui cœpit, & qui est sine principio, expers temporis, & subiectus tempori, creatus & increatus: patibilis & impatibilis. Deus & homo, in vtrisque perfectus, vnus duo, & in duobus vnus. Vna persona patris, & vna persona filij, & vna persona spiritus sancti, vna diuinitas, vna potentia, vnum regnum in tribus personis seu hypostasibus. Sic glorificamus sanctam Vnitatem in Trinitate, & sanctam Trinitatem in Vnitate. In quo pater clamauit de cœlo: Hic est filius meus dilectus: ipsum audite. Hæc suscepit sancta Dei Ecclesia Catholica. In ipsa sancta Trinitate baptizat in vitam æternam. Eam sanctificat honoris æqualitate. Eam confitetur citra diuisionem & separationem: & eam adorat non errans, & glorificat. Ipsam in tribus personis Vnitatem decet gloria, gratiarum actio, honor, potentia, maiestas, patrem, & filium, & sanctum spiritum, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

CYRILLI ARCHIEPISCOPI ALEXANDRINI Oratio de Transfiguratione Domini & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi.

QVI benè quidem sciunt decertare, spectatorum delectantur plausibus, & spe præmiorum excitantur ad eam quæ illis det victoriam: qui autem diuina dona assequi desiderant, & spei sanctis paratæ sitiunt participationem, quæ pro pietate in Christum suscipiuntur certamina, lubenter quidem admittunt: In vita autem se rectè gerunt, non præferentes otium, quod nullam consequitur mercedem, neque ignauam amantes timiditatem: sed se strenue & fortiter gerentes aduersus omnem tentationem, & persecutionum insultus plurimi facientes, & pro ipso Domino pati magnas reputantes diuitias. Meminerunt enim beati Pauli, qui scribit non esse condignas passiones huius temporis ad futuram gloriam, quæ est reuelanda in nobis. Vide ergo pulcherrima dispensatione nunc vsum Dominum nostrum Iesum Christum, ad vtilitatem & ædificationem sanctorum Apostolorum. Nam eis quidem dixit: Si quis vult post me venire, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Qui enim vult animam suam saluam facere, perdet illam. Qui autem perdiderit animam suam propter me, inueniet eam. Et salutare quidem est præceptum, & decens sanctos, & quod supernam gloriam conciliat, & alacritatis animi, & gaudij sortem comparat. Eligere enim pati propter Christum, minimè caret mercede: imò verò efficit æternæ vitæ & gloriæ participes. Sed discipulos, qui virtutem ex alto nondum acceperant, consentaneum erat vtique in humanas incidere imbecillitates, & tale quid apud se cogitantes, dicere: Quomodo negabit quis seipsum, aut quomodo qui suam perdidit animam, eam rursus inueniet? Quod autem ijs qui hoc passi fuerint, erit præmium quod ei respondeat? Aut etiam quorumnam erit donorum particeps? Vt tales ergo cogitationes & verba eis adimat, & eos veluti transfundat, & transmutet ad animi magnitudinem, eius quæ ipsis danda est, gloriæ ingenerans desiderium: Dico vobis, inquit, sunt quidam ex ijs qui hîc stant, qui non gustabunt mortem, donec viderint regnum Dei. Num eis eò vsque vitæ extendetur mensura, vt ad illa perueniat tempora, post quæ in consummatione seculorum descendens de cœlis, restituet sanctis paratum eis regnum? Sed ipse quidem hoc præstare poterat. Omnia enim potest: nec est aliquid quod non possint efficere eius potentissimi nutus. Regnum autem dicit ipsum gloriæ spectaculum: in qua ipse quoque videbitur illo tempore, in quo resplendebit in terra. Venit enim in gloria Dei patris, & non in ea quæ est in nobis, humilitate & abiectione. Quomodo ergo fecit miraculi spectatores eos qui promissum acceperant? Ascendit in montem, habens ex eis tres electos. Deinde transmutatur in quendam excellentem & diuinum splendorem: adeo vt eius vestis videretur resplendere instar luminis. Deinde Moyses & Elias Iesum circunsistentes, de eius decessu inter se loquebantur, quem erat adimpleturus in Hierusalem, hoc est, eius quæ est cum carne œconomiæ mysterium, & salutarem passionem, quæ, inquam, futura erat in cruce. Verum enim est, quòd lex Moysis, & sermo sanctorum prophetarum, Christi prius ostenderunt mysterium: Illa quidem in figuris & vmbris ipsum propemodum describens in tabula: hi autem multifariam, multisque modis prædicentes, quòd suo tempore videbitur in nostra forma, & quòd pro salute & vita omnium non recusabit pati mortem in ligno. Quòd autem Moyses & Elias aderant, & simul loquebantur, id fiebat hoc consilio, vt ostenderetur, legem & prophetas esse veluti satellites Domini nostri Iesu Christi, vt qui ab ipsis fuerit ostensus Dominus,

per ea quæ significarunt, quæ erant inter se conuenientia. Non enim dissident à lege ea quæ dicuntur per Prophetas. Et hoc est, vt arbitror, quod inter se colloquebantur Moyses sanctissimus, & Prophetarum optimus: Is autem erat Elias. Potest autem aliud quoque considerari. Quoniam ex turbis alij quidem dicebant eum esse Eliam: alij Hieremiam: alij verò vnum ex Prophetis: ducit eorum principes, vt vel ex hoc videant, quid intersit inter dominum & seruum. Post hanc autem alia quoque potest dici consideratio. Quoniam enim eum assiduè accusabant, quòd legem transgrederetur, & existimabant eum esse blasphemum, vt qui sibi vendicaret eam quæ ei non conueniebat, nempe gloriam patris: & dicebant: Hic homo non est ex Deo, quoniam sabbatum non seruat. Et rursus: De bono opere non lapidamus te, sed de blasphemia. Et: quòd homo cùm sis, facis te ipsum Deum: vt ostenderentur vtraq; crimina profecta esse ex inuidētia: & eum neutri eorum esse affinem: & neque id quod à se fit, esse legis transgressionem, neque vendicationem gloriæ non sibi conuenientis, quòd dicat se esse æqualem patri, eos qui vtroque eorum clari fuerunt producit in medium. Etenim Moyses dedit legem: & poterant considerare Iudæi, quòd legem non neglexisset conculcatam, vt ipsi existimabant: neque eum qui ipsam transgrediebatur, & erat inimicus ei qui ipsam tulerat, honorasset.

Porrò autem Elias Dei gloriæ zelo erat incitatus. Qui, si Christus fuisset Dei hostis, & seipsum quidem dixisset æqualem patri, non fuisset autem id quod dicebat: si denique non faceret vt oportebat, non ei affuisset ipse, & obediisset. Potest verò cum iis quæ dictæ sunt, alia quoq; causa dici. Quænam autem ea est? Vt sciant eum vitæ & mortis habere potestatem: & superis & inferis dominari. Propterea in medium adducit qui viuebat, & eum qui erat mortuus. Apparentes enim non tacebant, sed loquebantur de gloria, quam erat impleturus in Hierusalem, nempe passionem & crucem: in his autem etiam resurrectionem. Sed beati quidem discipuli parum dormitant, vtpote quòd Christus vacaret orationi. Certo enim consilio, & certa dispensatione humanis necessitatibus seruiebant. Deinde cùm essent experrecti, fiunt spectatores tam venerandæ, & tam admirabilis mutationis. Arbitratus autem fortasse beatus Petrus aduenisse tempus regni Dei, in monte quidem versari deligit: dicit autem tria esse facienda tabernacula, nesciens quid diceret. Non erat enim tempus consummationis seculi, neque in præsenti tempore sunt sancti futuri participes spei eis promissæ. Dicit enim Paulus: Qui transformabit corpus humilitatis nostræ, vt sit ipsum conforme corpori gloriæ eius, Christi scilicet. Cùm ergo dispensatio adhuc esset in principio, & nondum esset finita, quomodo erat consentaneum Christum qui venerat propter charitatem in mundum, definire pro eo velle pati? Seruauit enim eam naturam, quæ est sub cœlo, cùm subiisset mortem secundùm carnem, & eam deleuisset per suam à mortuis resurrectionem. Nesciebat ergo Petrus quid diceret. Cæterùm præter admirabile & arcanum Christi gloriæ spectaculum, aliquid quoque aliud factum est, vtile & necessarium, ad confirmandam in se fidem, non solis Discipulis, sed etiam nobis ipsis. Desuper enim ex alto extitit vox Dei & patris dicentis: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui: ipsum audite. Et dum facta est, inquit, vox, inuentus est solus Iesus. Quid ad hæc dicit duræ ceruicis Iudæus, qui est contumax, & repugnans, & cor habet quod nullam suscipit admonitionem? Ecce præsente Moyse Pater iubet sanctis Apostolis, vt eum audiant. Quòd si eos voluisset sequi præcepta Moysis, dixisset: Seruate legem. Nunc autem ne hoc quidem dicit Deus & Pater. Sed cùm adesset Moyses, & eius Propheta Elias, iubet eos ipsum audire potius. Ne autem calumniarentur aliqui veritatem, dicentes quòd pater eos iusserit audire Moysen, & non omnium nostrum Saluatorem Christum, necessariò Euangelista annotauit, dicens, quòd cùm vox illa extitit, inuentus est Iesus solus. Quando ergo sanctis Apostolis Deus pater, tanquam ex nubibus desuper præcepit, dicens: Ipsum audite: Aberat quidem Moyses, Elias autem non aderat: solus verò erat Christus. Iussit ergo ipsum audire: ipse enim finis legis, & Prophetarum. Propterea Iudæorum populum allocutus est, dicens: Si crederetis Moysi, crederetis vtiq; mihi. Ille enim de me scripsit. Quoniam autem & per sapientissimum Moysen datum præceptum contemnere, & quæ per sanctos Prophetas dicta sunt nihili ducere perpetuò perseuerauerunt, iure sunt abalienati, & exturbati à bonis, quæ promissa sunt ipsis patribus. Obedientia enim melior est, quàm sacrificium: & auscultatio, quàm adeps agnorum: sicut scriptum est. Et ita quidem se habent res Iudæorum. Nobis autem qui eius aduentum agnouimus, omnia omnino bona aderunt, per ipsum, & in ipso Christo. Per quem, & cum quo Deo & patri gloria, & potentia cum sancto spiritu in secula seculorum. Amen.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS ARchiepiscopi Constantinopolitani, cognomine Chrysostomi, De occursu Domini nostri Iesu Christi, & de Dei parente, & Symeone.

Per Simeonem Metaphrasten.

NON solùm fert carnem Dominus noster Iesus Christus, sed etiam ex lege circunducitur: vt auferat prætextum Iudaicæ incredulitatis: venit enim ad legem pro lege, vt Discipulos liberet per fidem legis: & accipit carnem, & circuncidirur cũ Iudæis. Fuit carnis particeps, fuit etiam particeps circuncisionis. Confirmauit cognationem, vt non negarent eũ qui venit. Ex semine Dauid Christus expectatur, ostendit argumentum cognationis. Si enim etiam cùm esset circuncisus, dixerunt: Nescimus vnde sit. Si non fuisset carne circuncisus, excusationem rationi consentaneã habuisset eorũ negatio. Quando ergo impleti fuerũt dies octo, vt puerũ circunciderent. Erat Iesus expectans augmentũ instrumenti. Quando impleti fuerunt dies octo: iubet enim lex circuncidere puerũ octauo die. Et si venerit dies octauus, venit in mediũ medicus: & sumit ferrum, & exercet arté: & cessat sabbatũ in circuncisione. Rogemus ergo Iudæos, sabbatũ est remissio. Perfectum otiũ est dies. Qua de causa octauus eijcit septimum? Quamobrem fit octauus supra septimum? Sed Iudæi quidem non norunt Iudaica Ecclesia auté nouit Christum & disciplinas Iudaicas. Circunciditur enim infans die octauo, quoniam octauo futura erat resurrectio seu Dominica circuncisio totius mundi. Cur enim non iussit Moyses sexto circuncidere? Cur nõ nono aut decimo? Est ergo manifestus octauus quo surgit Dominus. Si quis ergo non credit resurrectioni, est corde incircuncisus, propter incredulitaté à Deo alienatus. Circuncisio autem fidei est vera cognitio & sensus. Propterea ô dilecte, circuncisio traditur fidelibus ratione sancti baptismatis, & suppeditatur simul cũ cognitione. Sanctum vero baptisma est typus Christi resurrectionis. Transi à carne ad spiritum, & ab eo quod est corporeũ, ad deductioné spiritus: & inuenies illic quidem carnalem circuncisioné: hîc autem spiritalem peccatorũ purgationé. Octauus verò est circuncisio. Illa auté etiam resurrectio: resurrectionis verò figura baptisma: à paruis ad maiora: à corporeis ad spiritalia. Veniant ergo Iudæi & proficiant. Oportet enim proficere à carnalibus, & non manere in eis. Dominus ergo noster Iesus Christus, qui non venit vt solueret legem, sed vt adimpleret, fuit circuncisus cum Iudæis. Impleti sunt ergo octo dies, vt circunciderent infantem: & vocatum est nomen eius Iesus, quod fuit ei vocatum ab Angelo, priusquã ipse fuisset conceptus in vtero. Nam nos quidé vocamur postquam nati sumus: Iesus autem vocatur, priusquam ipse fuit conceptus in vtero. Iesus verò fuit vocatus, quoniam fungebatur munere seruatoris. Et quando impleti sunt, inquit, dies purificationis eorum secundum legem Moysis. Cuiũ nam purificationis? Mariæ & Ioseph. Iussit enim lex purgari mulierem quæ recens pepererat: conseruare dies, & in eis non progredi. Quando ergo impleti sunt dies purificationis eorum secundum legem Moysis. Atqui non necesse erat virgini. Sed tamen lex fuit impleta. Deduxerunt eũ Hierosolyma, vt sisterent Domino: quomodo scriptum est in lege Domini. Vbi est purgatio corporis, dicit secundum legem Moysis, vbi autem sistitur sanctus, quomodo scriptum est in lege Domini. Non quòd lex Moysis non esset lex Domini. Nam quæcunque loquitur Propheta spiritu sancto differens, non ipse loquitur, sed Dominus suggerit. Quoniam tamen purificatio habebat figuram corporalem, dicit lex Moysis. Quoniam autem sistebat primogenitum, dicit secundum legem Domini, honorans id quod factum fuerat. Quemadmodum scriptum est in lege Domini: Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Hæc ergo oratio & lex tota & causa legis, posita est propter eum qui erat aperturus vuluam. Vniuersa enim primogenita animalium & hominum, nunquam aperuerunt vuluam: sed erant solum primogenita. Quem autem virgo peperit, ipse solus vuluam aperuit. Vide ergo mihi totius legis descriptionem, propter eum qui erat nasciturus ex virgine. Vndénam autem poterant Iudæi eam intelligere? Nam cùm sint carnales cogitatione, longè abest vt possint intelligere cursus ortus spiritalis. Deinde ascendunt vt dent hostiam secundum quod dictum est in lege, par turturum, aut duos pullos columbarum. Fiebant hæc autem quoque ex lege typicè, vt nihil deesset ad legis implementum. Veniamus iam de cætero ad expositionem Euangelicam. Et ecce homo in Hierusalem cui nomen erat Symeon: & homo ille iustus & pius: & erat spiritus Dei in ipso: & is acceperat responsum à spiritu sancto, se vitam non prius esse finiturum, donec videret Christum in carne. Erat senex, expectabat promissum: manebat intus in templo, illud dicés apud se: Vbicunque sit natus, omnino huc veniet. Is venit in spiritu in templum illa hora

quando parentes obtulerunt puerum. Nam sæpe quidem veniebat, sed suo proposito. Tunc verò à sancto spiritu deductus, venit opportunè, ad implendum promissum. Is accipit in vlnis Iesum, & benedixit Deum, dicens: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundū verbum tuum in pace. Vnde dimittis? Ex carcere huius vitæ: est enim res molesta, & planè serua vita. Ille ergo venit vt dimitteretur. Si quis autem damnum esse putat hinc recedere, is nondum est fide perfectus. Dicebat autem: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundū verbum tuum in pace. Qui enim mundo facturus est pacē, accessit. Venit enim pacificator, qui terræ cœlum cōiungit, & terram cœlum constituit. Per Euangelicam doctrinam clamat Symeon: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quoniam viderūt oculi mei salutare tuū. Quid est quod dicit. Nam prius quidem credebant cogitationi, & cognoscebant ratiocinatione. Nunc autem viderunt oculi mei. Quod enim cor meum expectabat, viderunt oculi mei: consummatus sum. Quid autem vidi, inquit: Salutare tuum. Quale? Quod parasti ante faciem: non vnius populi: neq; solius Israëlis: sed ante faciē omnium populorū. Est enim natus magister omniū. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël. Hic gloria, illic reuelatio. Illic principium doctrinæ, hic consequens disciplina. Et gloria populi tui Israël. Sed omnino dicet quispiā: Et vbi sunt Israëlitæ? Habe Petrum, habe Paulum, habe Ioannem. Habe tria millia, habe quinque millia, habe Ecclesiam Hierosolymitanā. Habe eos qui crediderunt ex gentibus: erat enim gens inter eos qui crediderunt. Nisi enim Dominus reliquisset nobis semen, facti essemus sicut Sodom a, & Gomorrhæ similes facti essemus. Deinde, Reliqui mihi septem millia virorum. Sic in populo conseruabatur semen fidei: & non perierat totus populus: absit, neq; interierant omnes Iudæi. Nam nūc quoq; in hoc beato statu & vocatione, Multi quidē vocati, pauci verò electi. Vocauit enim Christus vniuersum orbem terræ, & parauit sanctum conuiuium Euangelij. Sed cùm venerit, ingredietur & faciet electionem. Diligenter scrutatur eos qui recumbunt, & si inuenerit aliquem non habentem vestitum nuptialē, dicit ei: Amice, quomodo huc intrasti? Quamobrem & illic facta est electio, & hic fiet electio. Non enim quoniā vocati [1] sumus, ex eo debemus nos insolenter gerere, vt qui id quod est perfectum obtinuerimus. Lapsus enim primorum fiat nostra cautio. Sic ô dilecte, populus non omnino periit, neq; totus fuit incredulus, neq; totus fuit persecutus Apostolos. Sed crediderunt per Apostolos tria simul millia, præter mulieres & pueros: & fuit Hierosolymis Ecclesia decies mille hominum. Templo enim nondum euerso, & necdum erectis Iudæis, & nondum diruta Hierusalem, ædificata fuit Ecclesia: & fuerunt Ioannis verba euidens veritas: Illū oportet augeri, me autem minui. Symeon ergo cùm esset Propheta, dicit gloriam populi tui Israël. Erat enim gloria expectantium, aduentus eius qui expectabatur: glorificant Ioseph & Maria ea quæ dicuntur: Angelus annunciauit: Magi agnouerunt: Pastores audierunt: exercitus Angelorum duxit choros: stella ex alto significauit: Symeō prophetat: Anna vxor Phanuëlis prophetat: terra verba fecit: cœlum est elocutum: Magi Tyrannum negauerunt: Pastores adorârunt Christum principem pastorum: omnia agnouerunt: mater cognouit: Ioseph audiuit: Propter res tremuerunt: intellexerunt autem rerū quoq; euentum. Et benedixit eos Symeon, & dixit Mariæ matri eius: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. In quorum ruinam? Eorum scilicet qui non credunt, qui contradicunt, qui in crucem egerunt. In quorum autem resurrectionem? Eorum qui agnoscunt, memoriq; & grato animo confitentur. Et in signum cui contradicitur. Quod signum dicit? Signum [2] crucis, quod Ecclesia nouit mundi salutare, cui inimici sunt Iudæi: quod sæpenumerò cœlum quoque prædicauit. Contradicitur autem signo, vt vincat veritas. Nam absq; contradictione non est integra victoria. Oportebat ergo introduci contradictionem: vt Iudex per totum seculum ferat sententiam. Quamobrem dicit: Et in signum cui contradicitur, nempe ab incredulis. Tu verò, inquit, videris esse mater. Num autem tu euades sine tentatione, quoniam tu te fateris esse matrem, quoniam eum peperisti, quoniam visa es ei tuum commodare vterum? Fuit enim venter tuus vas operationis. Euadésne ergo sine tentatione, quoniam fuisti Dei parens, quoniam peperisti non experta nuptias? Quoniam fuisti constituta, num eris sine tentatione? Sed tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Quare ô Domine? Quid enim ego peccaui? Nihil quidem peccasti, sed quando videris eum pendentem in cruce: quando videris eum pro mundo patientem: quando videris eius manus extensas in cruce, & in ligno clauis affixas, incipies [3] dubitare & dicere: Hicne est de quo mecum Angelus est locutus? Hicne est in quo fuit miraculum meæ conceptionis? Virgo eram & peperi. Quare hic in crucem agitur? Et tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quamobrem nemo est qui non tentetur. Petrus ter negauit. Alij Discipuli eo relicto fugerunt. Neque enim opus habebat pastor præfectura ouium: neque Athleta opus habebat iis qui opem ferrent: sed omnes recesserunt. Christus autem erat solus tanquam

1 Vides non sufficere vocantis gratiam, nisi etiā inuigilet collaborātis industria.

2 Signum crucis nouit Ecclesia salutare.

3 Cautè lege, & verbum dubitare potius pro vehementer ex pietate & cōpassione admirari, positū accipe. Nam beatissima virgo de filij sui diuinitate nūquam dubitauit.

cen quæ de ea cum ab Angelo annunciaretur certißima reddita fuerint. Sic accipe dubitationem paulò post. Vel propius ad intentionẽ autoris loquẽdo, dici posset Chrysostomũ aliquantulum in hoc excessisse, vt dicit etiam D. Thomas super dictum eiusdem exponentis illud Io. 2. Vinum non habent.

aries suspensus. Pertransiit ergo eius quoque animam gladius, tentatio, dubitatio. Et tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, donec reuelatæ fuerint ex multorum cordibus cogitationes. Quamobrem patitur Iesus ad conuincendã incredulitatem, ad confirmandum gratum animum credentium. Contradicitur autem signo, vt conuincantur qui contradicunt propter improbitatẽ. Si enim veritati non contradiceretur omnino apud homines, nequaquam probata esset pietas. Concessio verò contradictionis, electioni veritatis affert probationem. Signo contradicitur. Quomodo enim probati sunt martyres in persecutione? Dum decertarunt effecti victores per tolerantiam. Vide quantum iuuit contradictio. Non solùm enim constituit, vt quis dixerit, fideles: sed etiam martyres, qui ad tormenta vsque & mortem processerunt, & præbuerunt gustum gratiæ Christi per suam tolerantiam. Quando ergo dicit Symeon: Ecce hic est positus in ruinam & resurrectionem multorum, & in signũ cui contradicitur: intelligitur, quòd neq; ruinam operatur, neq; vi adducitur ad resurrectionem. Sed positus quidem est in ruinam, iis qui offendunt ad lapidẽ offensionis. In resurrectionem autem iis qui sua sponte credunt. Positus est enim, inquit: quomodo si dixerit quispiam, lux oritur, vt qui sani sunt videant: ij autẽ quibus dolent oculi, radios lucis magis fugiant. Quomodo verò illi quidem ceciderunt, vt qui digni essent vt conuincerentur: hi autem surrexerunt, bonam spem habentes sua sponte, nisi signo contradiceretur? Et quomodo dicit Symeon: Et in signum cui contradicitur? Ne eos qui credunt alienet contradictio: quoniã veritati quæ est ex Deo, contradicitur. Et quis audet aut potest, nisi Deo concedente contradicere? Necessaria autem est concessio: erit enim quando non amplius contradicitur. Quãdo enim signum fulserit, cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnium deniq; lingua confitebitur, quòd Dominus Iesus Christus in gloria Dei Patris. Nam quamdiu quidem signum ipsum solum apparet, nusquam autẽ videtur quod significatur, signo contradicitur. Quando autem is qui significatur, reuelatus fuerit secundo suo aduentu, non audebit amplius aliquis signo contradicere, cùm is qui significatur, adsit manifesta diuinitate aduersus eos qui contradixerunt. Tunc qui signum quidem susceperunt, glorificabuntur ab eo cui contradicitur. Qui autẽ signo contradixerunt, condemnabuntur ab eo qui est significatus: & erit aliquando finis contradictionis, finis dubitationis, finis incredulitatis, finis erroris: principiũ verò præmiorum & coronarum. Quas detur nobis omnibus consequi in Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia nunc, & semper & in secula seculorum. Amen.

ITEM SANCTI PATRIS NOSTRI GEORgij Episcopi Nysseni oratio, De occursu Domini, & Deiparente, & de iusto Symeone.

QVI cœlestium rerum sapiẽtia est sublimis, & terrenarum rerum despicientia excellus, Paulus ille mens à Deo afflata, lingua à Christo mota, celeriter scribentis scribæ speciosissimus calamus, qui Ecclesiæ pulchrè descripsit dogmata veritatis: quæ est in manu potentis sagitta à Deo fabricata, quæ in corde principis tenebrarum huius mundi certam inflixit plagam, quod ab Hierusalem circumcirca vsque ad Illyricum, vel potius vsque ad fines terræ apparuit fulgur: Diuini tonitru in mystica Euangelij rota, quæ voluebatur per vniuersum orbem terræ, vox clarissima & maximè sonora, is tanquam ex ipsis paradysi aditis loquens, vbi audiuit verba ineffabilia, vel potius tanquam ex ipso excelso, & sublimi throno gloriæ vbi assistit, honorificum parans comitatum præsenti sancto festo Domini, ad accipiendum Regem gloriæ, tanquam mysticum quendam senatum, Ecclesiæ populum, regale Sacerdotium, per seriem, ita vt dicam, parat: & honestæ vitæ numerosum & concinnum tradens ordinem, dicit: Fratres ne efficiamini pueri mente, sed estote malitiæ infantes. Sic enim cum perfectissimo & æterno Deo, cuius diem 4 festum hodie celebramus, qui propter nos secundùm carnem infans fuit in extremis diebus, ex quo omne donum & quicquid perficit: qui virtutis admirabilem secundùm naturam perfectionem in humana sua ostendit constitutione, concorporales fiemus & comparticipes, & ad eius honorem & gloriam erit conuentus Ecclesiæ. Sic enim nuper genitam eius corporaliter diuinam apparitionem describit characteribus diuinę eius perfectionis. Priusquam, inquit, cognoscat puer bonum aut malum, non paret improbitati, eliget bonum, quod est summæ & perfectissimæ discretionis, & re vera prudentiæ indicium. Ad cuius similitudinem nos instruens magnus Apostolus dixit id quod prius est positum diuinitus inspiratum eloquium, vtpotè quòd in eo quæ est ad eius imaginem & similitudinem Dei fabricatio, in nobis similiter agnoscatur, & innotescat summa sanctitas primariæ pulchritudini. Quomodo enim cùm regi qui sub eo sunt exercitus appareat gloriosam & magnificam

4 Nota festum Purificationis Beatæ Virginis.

ficam pompam, deauratos & deargentatos esse conuenit eos qui sunt congregati, vt satellitum munere apud eum fungantur, & illius spectaculi effigiem proponi oportet significantissimè. Sic nos quoque qui transformamur renouatione mentis nostræ, & veterem hominem exuimus, & diuinæ imaginis similitudinem quoad eius fieri potest ab hominibus, in nobis circumferimus: sic ad salutaria & spiritalia festa accedere necesse est, vt sint nobis, conuenienter ei quod dicit Propheta, ieiunium quartum, & ieiunium quintum, & ieiunium septimum, & ieiunium decimum ad lætitiam, & ad bona festa, vt ieiunium scilicet intelligatur anagogicè in eo, quòd abstineatur & temperetur ab omni inquinamento & carnis & spiritus. Nam per quartum & quintum, septimumque & decimum significatur quæuis carnalis species, adnata sensibus qui facilè decipiuntur, & quæ cum vita præsenti concluditur. Corpori enim deditam & carnis magis amantem viuendi rationem, per quartum discimus: vtpote quòd ex quatuor elementis sint corpora contemperata. Quæ est autem per sensus cadendi facilitatem, vtpote quòd sint quinque, significat nomen quinti. Septimus verò conuenienter ei quod dicit Salomon, id quod septenarij ritu in se reuoluitur, infernę sortis seculum videtur significare. Decimus autem ostendit interni hominis expurgationem à sensibus, qui est deductus ad ea quæ sunt extrinsecus, vt sit mentis oculus simplex & pellucidus, vt sit totum corpus lucidum, vt dicit sanctum Euangelium: & auris animæ diuina exultatione impletur & lætitia, quam fore vt auditum accipiat magnus quoque Dauid est pollicitus: eius verò gustandi facultas exerceatur in Domini benignitate. Sicut is qui psallit inter Prophetas eloquitur, & in susceptione Christi boni odoris quem spirauit, consistat odorãdi habitus: & internis manibus discretionis, contrectet verbum vitæ, vt dixit filius tonitru. Mentis enim sensuum in his exercitatio: in eorum quæ sunt his contraria abstinentia & alienatione, id quod apud Deum laudatur efficit ieiunium: & ita fit vt nos rectè geramus, quòd vitio quidem simus infantes: simus autem in perfectione prudentiæ, quæ est ex Deo. Sic Apostolicarum & Propheticarum doctrinam, ex fontibus spiritus, confluens mens magna & excelsa, & Dei fluuium implens aquis mysticis Dei cœlestem ciuitatem, quæ ex supercœlestibus consistit virtutibus, scit lætificare impetu huius fluuij, vt audiuimus canẽtem psalmodiam. Supernorum enim spirituum sanctus cœtus, salute hominum valde lætatur. Sic enim cœlestia simul cum terrestribus communiter solent festum agere, iis qui sunt in terra Angelicam vitam amplectentibus. Quando enim hic Deus noster, quem præmonstrando annunciauit Propheta, in terra visus est, & cum hominibus est conuersatus: & supernam beatitudinem quæ in terra plantabatur, aspexerunt Angeli, Gloria in excelsis Deo eloquebantur: & in terra pacem annunciabant, cùm diuina volũtas fuisset in hominibus. Sic qui suum diuinum ministerium eximium, vereque purum & singulare esse gloriantur, sanctorum Angelorum beati cœtus, veræ sanctitatis in nobis videntes characteres, non nos reijcient qui assumant participes suæ puræ & syncerę lætitiæ, quomodo eum qui sordida erat veste indutus, à diuinis secerni nuptiis fecit Euangelicæ oratio parabolæ.

Etenim quando in archetypo, vt ita dicam, tempore præsentis festi, qui erat in forma Dei, & serui formam acceperat: qui fuerat Dei & hominum intercessor, legis implens præceptum: cùm esset quadraginta dierum infans Verbum æternum, ad templum cum matre est profectus, & vt par erat in decreto sacrificio, incorporeorum ordines collum seruiliter inclinantes, ex eo quòd non est aspectabile, quæ Deum decet pompam parabant: & ineffabilis sapientiæ pelagus diuinis efferebant laudibus: & legalis literæ quæ est magis ad manũ constitutionis transmissionem, mysterij absconsi manifestationem, in Deo qui omnia creauit expectabant: cuius quidem nos hodie celebrantes commemorationem, expleamus nos deliciis spiritalium contemplationum sicut mentes incorporeæ: & diuinorum miraculorum maiestatem glorificantes, erimus socij illorum dignitatis, non legali vmbra oculum animæ obscurantes: sed vt dicitur à sapientissimo Paulo, reuelata facie gloriam Domini tanquam in speculo intuentes. Nam cùm lex dicit, omne masculinum aperiens vuluam sanctificari: oportere autem quæ recens peperit mulierem, & fuit mater pueri masculi, quadraginta dierum spatio postquam peperit, sic cum definita & distincta hostia proficisci ad Dei tẽplum: illi quidem velum in lectione veteris testamenti in corde circumferentes, eisdẽ quotannis, vt ita dicam, sacrificiis quæ nunquam consummare possunt eos qui accedunt, se instar infantium sapientes putent eam legem implere. Nobis verò quibus in conuersatione ad Deum id est ablatũ velamen, qui semel in consummatione seculi, ad abolendum peccatũ per eius sacrificium credidimus euasisse manifestum magnum sacramentũ pietatis dignè diuino lumine veritatis, prælucente spiritu, est præsentis festi contemplandũ mysterium, quod parum ex alto accedit ad mysteriũ: cùm illud quidem prius significauerimus, quòd ex consequẽtia examinationis, legis decretum propositum, in solo Deo qui carne est indutus, definitè, & ita vt nulli alij conueniat, cernitur impletum. Solus enim ipse ineffabiliter conceptus, nuptiis

non prius apertam vuluam virginalé aperuit: signacula virginitatis illæsa conseruans, etiam post processum admirabilem: & solus spiritaliter masculus fuit creditus, vt qui nihil afferret virij, quod quidem est fœmineum & mulieri conueniens. Vnde etiam re vera sanctus iure est vocatus. Quomodo etiam Gabriel, viuifici fœtus ad Dei parentem ferens nuncium, & veluti prius latam, & ad ipsum solum spectantem legem in memoriam reuocans. Quamobrem & quod nascetur sanctum, inquit, vocabitur filius Dei: vtpote quòd sancti cognomen propriè conueniat ei qui virgineam vuluam diuino aperuit miraculo. Et in aliis quidem primogenitis, ea vocanda esse sancta, diligenter legis intuens profunditatem, perfectio pronunciauit Euangelica: vtpote quòd Dei consecratione sortita essent, vt sic vocarentur. In primogenito autem omnis creaturæ, sanctum id quod nascitur, dixit Angelus, vt quod hoc sit propriè, & eam quæ est verè sanctitatem, in amandando vitio, & homo eligendo, simulatque natus sit, vt dicit Propheta, ostenderit. Sed reuertendum est ad mare contemplationis, vt lex diuina iubet legislatori, spiritus gratia, tanquam in columna ignis & nubis, splendore scripturarum præcedente castra diuina Ecclesiæ: vt virga virtutis quæ emittitur è superna Syon, vt dicit Psalmus, per quam in inimicos obtinetur dominatio, transmittentes pelagus literæ, quod est hinc & hinc diuitum, in puro & dilucido transitu sententiarum, Ægyptium eorum qui gratiæ non obediunt, sensum effugiamus, eis obrutis fluento veritatis, quibus est studio nobis impedire viam Euangelij, quæ ducit ad spiritalem terram promissionis, & velle nos in ferrea fornace literæ, quæ dicta est Ægyptus, permanere, seruientes luto & lateribus, hoc est, corporalibus legis obseruationibus. Dixit ergo Moysi in Ægypto Deus vniuersorum, cùm iam plagam decreuisset infligendam aduersus Ægypti primogenita: Sanctifica mihi omne primogenitum primò natum aperiens omnem vuluam in filiis Israël, ab homine vsque ad pecus. Cuius quidem diuinæ legis id quod erat complicatum, veluti explicans beatus Moyses enunciat in sua ad populum allocutione: Et erit postquam introduxerit te Dominus Deus tuus in terram Chananæorum, quo modo iurauit tibi & patribus tuis, & dabo tibi eam, segregans omne quod aperit vuluam, masculina Domino: & omne quod aperit vuluã ex boum armentis, aut in iumentis tuis quæcunque tibi fuerint, masculina Domino. Omne autem quod aperit vuluam asinæ, mutabis oue. Sin autem non mutaueris, redimes ipsum, & omne primogenitum filiorum tuorũ redimes, hoc est, pro eo dabis pretium. Sic enim in libro Numerorum diuinum declarat responsum, cum eo loquens qui susceperat Pontificatum. Et omne arperiens vuluam ex omni carne quam offerunt Domino, ab homine vsq; ad pecus erit tibi: sed pretiis redimentur primogenita hominum, & primogenita pecorum immundorũ redimes, & redemptio eius erit post vnũ mensem, æstimatio argenti quinque siclorum, secundum siclum sanctum. Sed primogenita vitulorum, & primogenita ouiũ & caprarum non redimes. Sancta enim sunt, & sanguinem eorum profundes ad altare.

Iam ergo cum immundis ex pecoribus coniunxit & connumerauit vox diuina Israëlis primogenita, vt quæ quod verè est purum & sanctum, in cultu qui est ex lege non habeant, etiam si ea existimabantur sanctificari à lege facta attributione. Similiter enim ac pro iis quæ sunt reiecta ad Dei sacrificium, pretia dari pro primogenitis hominum apud eos fuerat constitutum, vtpote quòd quæ est apud Iudæos à ratione alienior constitutio, indigna sit cultum offerre rationalem, & eorum, quæ noui testamenti sunt maximè mystica, spiritalem offerre aræ oblationem. Pretia autem erant veluti sibi conuenientia, vt quæ solita esset offerre sacrificia, quæ ex lege fiunt per sanguinem. Quæ Propheta Esaias, tanquam ex Dei persona, me ex manibus quidem eorum requisisse definit: vtpote quòd ad spiritalem scilicet perfectionem intueatur scopus legislatoris. Quæ autem offerebantur ad sacrificium, quorum sanguinem in ara fundi lege cautum fuerat, sancta distinctè sunt nominata: vel in hoc scilicet veritate prius descripta à figura. Qui enim seipsum Deo obtulit, & patri sacrificium & oblationem in honorem suauitatis, Dominus noster Iesus Christus, is solus propriè & verè sanctus est & nominatur. Sed fortè dicit incredulus Iudæus, quòd quæ legitimo sacrificio non possunt offerri, immundorum pecorum apud eos primogenita solent pretiis permutari. Similiter etiam cùm humana primogenita non mactentur ad sacrificium: est enim hoc minimè consentaneum, & à lege diuina alienum, par est ea consecrari pretiorum permutatione. Sed consideret, si non impediatur velamine quod obstruit oculos eius animæ, quod iam in alia lege Leuitas accepisse ad consecrationem pro primogenitis, sacra docuit scriptura, sic dicens in Numeris his verbis: Et locutus est Dominus ad Moysen dicens: Ecce accepi Leuitas è medio filiorum Israël. Pro omni primogenito aperiente vuluam à filiis Israël, erunt eorũ primogenita, & erunt mihi Leuitæ. Mihi enim primogenitum sanctificaui in Israël, in quo die percussi omne primogenitum in terra Ægypti. Deinde quàm esset accurata permutatio, lex enuncians: Dixit, inquit, Dominus ad Moysen: Inspice omne primogenitum filiorum Israël, ab eo quod est vnius mensis & suprà, & accipe numerum ex nomine

eorum,

eorum: & accipies Leuitas mihi pro omnibus primogenitis filiorum Israël. Deinde cùm inuentus esset numerus primogenitorum maior numero Leuitarum, dicit: Locutus est Dominus Moysi, dicens: Accipe pretia eorum qui sunt supra numerum Leuitarum ex primogenitis filiorum Israel: & accipies quinque siclos per caput secundùm didrachmam sanctam. Si ergo, vt sacra dicit scriptura, Leuitæ sunt pretia primogenitorum filiorum Israël, vt accurata significat enumeratio, adeo vt pro ijs qui erant plures numero inter eos, definitum pondus lege sit redditum: quanam ratione in vnoquoque primogenito pretia dari lex iussit? In pecoribus enim quæ assumi non possunt ad sacrificium, aut ea permutari, aut pretia pro eis dari lex iubet. In hominibus autē & dari pretia, & iam permutationem per Leuitas factam esse discimus: quod quidem non videtur conuenire ipsi literæ legis: vt ostendit lex lata de pecoribus, & exponit ipsa rei natura. Si enim etiam post Leuitarum, ad Dei ministerium pro primogenitis attributionem, pro eis pretia dari edictum est: id fit scilicet, quod Leuitæ non sint tanti, vt pretio pro eis dando possint exæquari. Si autem hoc ita est, longè minoris est pretij, quæ per argētum offertur redemptio: quatenus quæuis expers rationis, & nullo sensu prædita natura, est vilior humana essentia. Sed quoniam, vt dicit Propheta, oculos suos clauserunt, & quod ex eis consequitur non possunt aspicere, num etiam audire poterunt sapientissimum Micheam clamantem? Ego quidem non puto. Nam etiam auribus suis grauiter audiunt. Veniat tamen beatus hic Propheta hæc magna voce clamans, & prophetico spiritu tacitè prius significans Iudaicorum primogenitorum abiectionem, similiter atque corporeorū sacrificiorum oblationis. Dicit enim: In quónam comprehendā Dominum, suscipiam Deum meum altissimum? Si comprehendam ipsum in vitulis vnius anni. Si acceptum habebit Dominus altissimus in millibus arietum: aut in decem millibus capellarum pinguium. Si dedero primogenita mea impietatis, fructum ventris mei pro peccatis meis, audiant qui cor habent crassum, id cuius Propheta Micheas eos ante nos accusauit. Primogenita enim impietatis beatus Micheas nominauit primogenita Israëlis secundùm carnem. Quomodo ergo ea sancta existimârunt, quæ propheticis verbis primogenita impietatis sunt nominata? Dicant nobis linguæ quæ re vera balbutiunt: quæ non possunt rectè dicere veritatem: quemadmodum propheta loquens in spiritu, fructum impietatis ea vocare ausus est? quónam modo quæ de eorum redemptione dicta sunt, non videntur esse plana, & inter se habere consequentiam, quod attinet ad literam: quanquam lex apud nos sancta & spiritalis esse intelligitur & creditur? Videtis Iudaicorum curruum axes colligatos, non secus atque olim Ægyptiorum currus in rubris fluentis. Sed pro virga immittatur in mare orationis, veri legislatoris & Regis gloriæ virtus & auxilium: & deducat populum suum in viam rectam anagoges & contemplationis, vt proficiscantur ad ciuitatem habitaculi cognitionis & veritatis: & obruat aduersarios diuinæ gloriæ inexpugnabilitas, qua repleta est vniuersa terra, vt cognoscant Dominum, vt dicit scriptura: quòd multa aqua maris iam obruit primogenitū diaboli fœtum, nempe peccatum, qui carne tectus est Deus: morteque id affecit, & deleuit, simulatq; natus est secundùm carnem, & cùm in seipso vitij fecisset condemnationem, & id in se planè deleuisset, contrarias virtutes repleuit lamentationibus: cùm veluti quædā vasa ab eis accepisset, nempe Magos qui venerunt ab Oriente, & adoratione & agnitione eius dominij, facti sunt Domino vasa vtilia ad adiuuandam Ecclesiæ ædificationem, quæ est à Deo verè constructum tabernaculum quod fixit Dominus, & non homo. Iam autem cùm sicut olim Israëlem à luto & lateribus, ita nunc à terrena prudentia genus hominum in seipso redemisset, id quidem fecit fugere Ægyptum, hoc est, mortis inuisum & tenebrosum præsidium. Sanctificat autem Deo & Patri, nō solum hominum primogenita, sed etiam omne genus hominum, per eam quæ in ipso ab initio fuit conspersioné, hoc est, per eā quæ ex nobis ab ipso sumpta est carnem intelligenter animatam, cùm totum veluti fermentasset ad sanctificationem, concretum humanæ essentiæ. Si enim primitiæ sanctæ, & conspersio, dixerim ego nunc quoque meritò cum diuino Paulo: & quomodo olim tribū cui obtigerat fungi muneri Sacerdotali pro primitijs primogenitorum legislator sermo typicè Deo obtulit: ita nunc in præclaro charactere veritatis, Pontificem & Apostolum confessionis nostræ, sanctum, & innocentem, & impollutum, & ab omni sorde & sensu peccati separatum, Deo & patri corporaliter oblatū fuisse cognoscimus pro humanitate ab eo per fidem sanctificata: & eò magis quòd nec esse superiorem, nec aliquid amplius in se habere, quàm is qui seipsum pretium dedit pro multis, totam videmus humanitatem, quod attinet ad sanctitatem, quomodo in vmbra legis inuenta sunt primogenita amplius aliquid habuisse præter Leuitas, sed eam longè ab ipso fuisse à tergo relictam, quatenus citra vllam controuersiam id quod bene dicitur, est minus eo quod bene dicit. Et tunc quidem in solo genere Israëlitico fuit dignitas sacerdotij: & solùm eorum quæ erāt apud ipsos primogenitorum pretia esse Leuitas, fuit testatum. Christus autem qui accessit Pontifex futurorum bonorum, vt dicit sapientissimus Paulus, & non secundùm ordinem

Aaron, sed secundùm ordinem Melchisedech, quomodo prius diuinũ respondit eloquium, transslatione quidem sacerdotij eum esse ex alia tribu. Clarũ est enim ex Iuda esse exortum Dominum Iesum Christum, & legis effecisse translationem, ex vmbra quæ est ex lege, ad regni cœlorum nos transferens Euangelium, perinde ac à tribu Leuitica ad tribum Regiam, dignitatem sacerdotij. Ea verò quæ est secũdùm ordinem Melchisedech assimilatione, non pro solo Israële, sed pro omnibus gentibus, se pretium patri obtulit: & omnium hominum confessionis fuit constitutus Pontifex. Nam Melchisedech quoque agnoscitur esse ex parte gentium: & nõ inuenitur ex genere Abrahæ. Quinque autem didrachmarum ex lege æstimatio pro vnoquoque primogenito, ostendit ænigmaticè, quòd oportet vnumquemque nostrûm omnem censum Deo sanctificare, & quæ sunt in eis: & mundum, ab omniq; nefaria voluptate alienum, Creatori offerre tanquam pretium pium & legitimum. Horum nos hodie sacrorum mysteriorum commemorationis diem festum celebramus. Hæc nobis spiritalis mysterij explicatio, hunc sanctũ cœtum qui adest cõgregauit: in qua legaliter quidem oblatus fuit seruator prout apparebat: intelligenter autem & spiritaliter, cùm nostræ conspersionis primitias patri suo obtulisset, totam eam sacram reddidit, & aptam ad diuinam oblationem. Hoc enim lex olim parturiebat, & eò spectabat id quod lege constitutum erat de primogenitis, & de Leuitarũ redditione, & de didrachmarum æstimatione. Sic nos per mare scripturarum transmisit gratia spiritus. Sed videamus etiam aduersariorum conclusionem & demonstrationem. Atque superius quidem nobis iam fuit euidens quod est lege constitutum de Leuitis & primogenitis. Sed quemadmodum magnus Moyses populo addens animum affirmauit eos non esse amplius visuros Ægyptios: ita ego nunc quoq; produco Dei populum peculiarem, vt ei annũciem, quòd adumbrati cultus corporea castra non amplius videbimus. Vbi enim nunc postquam magnus se ostendit Pontifex, est Leuitarum sacrificium? Vbi post mundi expians pretium, est æstimatio primogenitorum? Vbi est reliqua diligens & accurata obseruatio mysteriorum legis? Non vides quòd quamdiu vniuersa occupabat nox ignorantiæ, instar stellarum exilem quendam & modicum splẽdorem præbebat cultus qui est ex lege? Quando autem exortus est sol iustitiæ, & ex alto oriens apparuit, & illuxit dies salutis, legalium cõstitutionum lux modica euanuit, victa supra modum fulgenti luce gratiæ. Non est euersum & solo stratum non secus atque satellites & currus, inclytum illud templum & vniuersa Pontificum propter id gloriatio & elatio? Non est obrutus & confusus omnis eorum legitimus ornatus? Non penitus interierũt mores qui à Iudæis accuratè obseruaàbtur? Vbi enim obtulerunt sacrificia quæ offerebantur pro mulieribus quæ nuper pepererant, cùm locus electus corruerit: & apertè sit definitũ, non licere alibi ab eis offerri sacrificia? Vbi est vestis & dignitas Sacerdotalis, & reliqua omnia? Sed ne singula persequentes, tanquam mortuorum continuo contactu & contemplatione animæ oculos terreamus, illos quidem relinquamus mortuos ad aquã legalis literæ. Nos autẽ benigno & clementi Deo hymnum canamus epiniciũ, & nutriti nutrimento quod est verè cœleste, & potati fluẽto quod manat ex vera petra, veniamus ad montẽ Dei Choreb, hoc est, ad excelsam doctrinam Euãgelij, vt voci diuinarũ tubarum, verbis beati Lucæ internas aures admoueamus, tanquam ex sanctis adytis clamante spiritu mystagogiæ: Et factũ est postquam impleti sunt dies purificationis eorũ, duxerunt parentes puerũ Iesum, vt sisterent Domino, quomodo scriptum est in lege Domini: Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: & darent hostiam secundùm id quod dictum est in lege Domini: Par turturum, aut duos pullos columbarum. Et ecce homo erat in Hierusalem cui nomen Symeon. Et homo hic iustus, & pius, expectans consolationem Israëlis: & spiritus sanctus erat in eo: & fuerat ei responsum à spiritu sancto, non visurum eum mortem, priusquam vidisset Christum Domini in carne. Et venit in spiritu ad templum. Quid est: Expectans consolationem Israël? Hoc est, expectans dum fieret manifesta veritas: & populus Israëliticus ab vmbra legis ad eam transiret, propterea quòd mittens esse sub mundi elementis, accederet instituendus ad ludum veritatis, & perficeretur eius perfectione. Neq; enim potuerit quis dicere, quòd cùm Iudæi grauia perpetrarentur, & captiuitate aliqua detinerentur, expectabat vt ab his recrearentur, & ad lætum ac pristinum statum reuerterentur: cùm omnis antiqua consuetudo eis ritè procederet: & templũ staret: & offerentur in eo sacrificia: et omnis alia viuẽdi ratio eorum generi peculiaris ritè obseruaretur. Sin autem obijciatur, eos fuisse sub Romanis, & Herodem constitutum fuisse Regem Iudææ, qui erat genere alienigena: sciat is, quòd ratio vitæ ex lege agendæ ex eo nil lædebatur, quòd Israeli Rex esset alienigena, vt de eo consolationem iustus senex expectaret. Etenim diuersis modis contigit, perinde ac filium quempiam seditiosum, à patre alicui tradi austero pædagogo ad hoc vt castigaretur: Ita Israelem sæpe fuisse sub Rege alienigena. Hoc ostẽdit populi longa mora in Ægypto. Et propheta Hieremias tẽpore Sedechiæ Regis diuino iussu ad eũ loquens, & populũ qui eius parebat imperio: fore

fore vt essent sub sceptro Regis Nabuchodonosor, & accederent ad Chaldæos. Non solùm autem hos qui erant digni, vt quorum vita esset flagitiosa, alienigenæ subijci sceptro, non erat à ratione alienum: sed etiam quosdam ex iustis, & quibus dignus non erat mundus, vt dicam cum Paulo, non imperare, sed barbaris & impijs viris parere, Dei effecit lenitas & patientia: vt pietatis eorum probatio magis appareret. Id ostendit Abraham qui fuit in Ægypto, cuius & vxor ablata fuit à Pharaone, & qui terram sibi promissam habitabat in incolatu. Similiter autem eius quoque filius & nepos, Isaac, inquam, & Iacob: Rursusque temperatissimus illius filius Ioseph, qui factus est seruus, & cōdemnatus est habitare carcerem. Non ergo ad mundanam gloriam & iactantiam, Israëlis consolationem sapiens expectabat Simeon, sed eam quæ est verè traductionem ad veritatis pulchritudinem. Nam cum ei datum fuisset responsum, fore vt antè quàm è vita excederet, videret Christum Domini, expectabat fore vt spiritaliter cum eo appareret populi consolatio. Venit ergo in spiritu in templum: & dum introduxissent parētes infantem Iesum, vt facerent secundùm consuetudinem legis de ipso, ipse quoque eū accepit in vlnis suis, & benedixit Deum, & dixit: Nunc dimittis seruum tuum Domine, secundùm verbū tuum in pace. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem Gentiū, & gloriam plebis tuæ Israël.

O verè beate atq; adeo beatissime senex. Quàm beatus ille tuus re vera sacrosanctus in tēplum ingressus, per quem progressus es ad excessum è vita? Quàm beati sunt oculi animæ simul & corporis: hi quidem vt qui aspectabilem Dei apprehenderint apparitionem: illi verò vt qui nō solùm aspexerint ad id quod cernitur, sed fuerint illustrati ipsa luce spiritus, & corporatum Deum verbum agnouerint: qui viderunt diuinum salutare, quod paratum fuit ante faciem omnium populorum. Quàm beatæ sunt manus tuæ, quæ veritatis verbum contrectauerunt? Quàm beata est lingua tua, cui fœliciter fuit annunciata reuelatio vitalis luminis? Et quid studeo tibi sigillatim accommodare laudem in vnoquoq; mēbro, cùm te iam totū laudabilē & beatū, & à spiritu sancto possessum, prius docuerit Euāgelista? Sed age ô beate pater, eo qui in te resonat spiritu, doce tanquam filios pecudes Ecclesiæ, thesaurum qui tanquam in vasis fictilibus, latet in paucis tuis verbis, quandoquidem ad vos, & eos qui sunt sicut vos ornati canicie supernæ prudētiæ, & verè estis presbyteri, id est, seniores, & Ecclesiæ patres appellamini, diuinū verbum nos deducit, vt discamus doctrinas salutares, dicens: Interroga patrem tuum, & annunciabit tibi: seniores, & dicent tibi. Quæ illius ergo linguam tunc mouit ad loquendum de Deo, virtus spiritus, nobis quoque nunc det sermonem in apertione oris.

Nunc dimittis, inquit, seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Ex quo enim Christus homo factus est: & peccatum quod est belli causa, deleuit: & patri nos reconciliauit, in pace fit sanctorum excessus. Hoc enim prophetice Magnus quoque Dauid prius indicans, dicebat: In pace in idipsum dormiam & requiescam: non id quod adest, sed quod est futurum in Christi aduentu significans. Et vt ostenderet quòd vno solo modo talis spes, pacificæ inquam in Christo dormitionis, in sanctis sit collocata, per spiritum dicit: Tu Domine singulariter in spe constituisti me. Beatus autem senex Simeon cùm iam præsens tempus esset intuitus, dicit: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace, ostendens stabilitatem diuinæ promissionis: Quoniam viderunt, inquit, oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum, hoc est, eam quæ per Christum facta est toti mundo salutem, & non soli Israël. Quomodo ergo superius testatum est, eum expectare consolationem Israëlis: Nunc autem conspicitur dicere Dei salutare in conspectu omnium populorum? Quoniam tunc futuram Israëlis consolationem nouit spiritu, quando omnibus quoque populis fuit paratum salutare. Vide autem quàm sit accurata diuina inspiratio. Lumen enim, inquit, ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel: magno Paulo loquens consentanea de Israelis enumeratione. Quando enim, inquit, ingressa fuerit plenitudo gentium, tunc etiam totus Israël saluus erit. Ergo ipse quoque cùm præposuisset vocationem gentium, postremò conuenienter prophetiæ, vniuersi Israëlis reposuit conuersionem: etiamsi iam reliquiæ saluæ factæ sunt, propter eos qui iam ex Iudæis accesserunt ad gratiam. Contemplare autem mihi alterum sententiarum proprietatem dictionis. Nam cùm dixisset: Lumen ad reuelationem gentium, salutaris diuini reuelationem, dat nobis intelligendum, quòd in absolutis tenebris & perfecta caligine, nullum habentes splendorem Dei cognitionis ante Christi aduentum stabant gentes. Quomodo beatus quoque Esaias fœlicem nuncium afferens ijs qui sedebant in tenebris, dixit eos videre magnam lucem. Quoniam autem Israël, etiamsi modicè, typica tamen lege illuminabatur: lucem quidem in illo non dixit, gloriam autem illum sortitum esse prædixit. Veterem historiam reuoca in memoriam, quòd quomodo olim admirabilis Moyses, qui cum Deo familiariter est locutus, glorificatum habebat vultum: ita etiam ipsi cum diuina susceptæ humanitatis luce per fidem conuersati, & virtute

spiritus

spiritus illuminati, in gloria apparebunt, veteri depôsito velamine: & eadem imagine transformati à gloria in gloriam, vt dicit Apostolus, tanquam à Domini spiritu. Quòd autem dixit Deo afflatus Simeon, in ruinam & resurrectionem multorum in Israël positum esse Dominum, ostendit per consensum sentētiarum cum ijs quæ dixerunt prophetæ, vnum & eundem Deum & legislatorem locutum esse in Prophetis, & in nouo testamēto. Lapidem enim offensionis, & petram scandali, causam esse ne pudore afficiantur ij qui in ipsum credunt, dixit oratio prophetica. Est ergo ruina quidem ijs qui propter humilitatem carnis offendunt ex incredulitate. Resurrectio autem ijs, qui agnouerunt firmitatem diuinæ œconomiæ. Quinetiam dicens gladium transadactum esse per animā Dei parentis, apertè prædicit eam quæ fuit in cruce passionem. Nam cum ijs quæ ex ipsa admirabili conceptione, vsque ad tempus passionis, diuinè ab eo dicta & facta sunt, vnum veluti corpus indiuiduum, excelsiorem & diuiniorem de ipso haberet Dei parēs existimationem, existimabimus eam passam esse veluti quandam incisionem in ignominiosa cruci affixione, etiāsi miraculum resurrectionis ei incisioni perfectissimam obduxerit cicatricē? Sed nec eam solam hac affectione dicit esse tenendam, sed ex multis cordibus cogitationes, dubitationes scilicet & hæsitationes, prædicit apparituras: vt in diuersis de eo opinionibus nihil omnino moueretur Dei mater virgo. Quoniam verò Prophetissa Anna, præ senio imbecillum quid loquitur: & quod valde non potest exaudiri: Sed nec excelsum Euangelium, quæ ab ipsa dicta sunt, ijsdem verbis adduxit: primùm quidem rogemus Euangelistam, quænam, & vndénam ea fuerit, & sub quibus, & quando ad templum accesserit: & rursus scrutemur quorumnam dicit esse cogitationem. Dicit ergo beatus Lucas, quòd Anna erat Prophetissa, filia Phanuëlis ex tribu Aser: quæ processerat in multis diebus, & vixerat cum marito septem annos à virginitate sua: & ipsa erat vidua annorum circiter octoginta quatuor: quæ nō discedebat à templo, ieiunijs & precibus diu noctuque Deum colens, & ipsa hora accedens cōfitebatur Deo, & loquebatur de ipso omnibus expectantibus redemptionem in Israël. Quænam est ratio, quòd de hac Prophetissa tam accuratam Euangelista fecerit narrationem: vt ei venerit in mentem facere mentionem eius patris & tribus. Et quæ à nullo quidem ferè mandata scriptis inuenta est, de ea re accuratam rationem nouerit ipse solus sanctorum Deus, & qui eius inspiratione, vt dicit diuinus Apostolus, spiritu loqui docti sunt mysteria. Quantum verò nos possumus assequi, dicimus fuisse alias illo tempore eiusdem nominis, cuius hæc beata: & fuisse deditas ijsdem sacris quibus illa studijs, assiduis scilicet ieiunijs & precibus. Vt ergo eius persona facilè discerneretur, cū patris eius fecisset mētionem, tribum quoque propriam adscripsit. Magnis autem ipsam ornauit laudibus, & quæ auditoribus faciant omnino fide digna ea quæ de Domino disseruit. Sed quoniam, vt iam dictum est, sonora, & quæ grandi voce profertur oratio, oblata est à senio, prope os eius quodammodo admouentes aurem cogitationis, scrutando hoc præsens adnatum argumentum, videamus quid ipsa dixerit ijs qui expectabant redemptionē in Hierusalem. Conuenienter enim ei quod mente potest comprehendi ex verbis propheticis, verba faciebat de Domino. Nam cùm ij quibus eam hæc esse locutam dixit Euangelium, omnino ex diuinis responsis quæ efferuntur in Prophetis didicerunt expectare redemptionem, ea omnino fuit prompta ad describendum mysterium. Constat id quod magnus dixit Esaias: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: cuius principatus factus est desuper humerum eius: &, Vocatur nomen eius magni consilij Angelus. Et præterea: Illuminare, illuminare Hierusalē: venit enim lumen tuū, & gloria Domini super te orta est. Magnus quoq; Dauid adducebatur: Misericordia & veritas sibi inuicem occurrerunt: Iustitia & pax se osculatæ sunt, & viderunt omnes fines terræ salutare Dei nostri. Et ipsum indicando: Ante solem permanet nomen eius: & benedicentur in eo omnes tribus terræ. Omnes gentes beatum eum dicent, & seruient ei, & adorabunt eum. Et: Notum fecit Dominus salutare suum filijs Israël. Et rursus veneranda & Angelica vox Sapientis Malachiæ: Ecce ego mittam Angelum meum, & parabit viam ante faciem suam: & repentè veniet in templum suum Dominus: & Angelus testamenti quem vos vultis. Et alijs aliunde collectis mysticis floribus propheticorum eloquiorum, diuinam & beatam contexuit coronam, adhuc quidem imbecilla & tremente manu, vt quæ processisset in multis diebus. Non enim tunc permittebatur ijs qui audiebant, altorum de Domino sensuum expositio: quando etiam post tantam signorum ostensionem, & diuinorum mysteriorum prædicationem, sapientiæ & cognitionis thesaurorum promus Christus, suis dixit Discipulis: Habeo multa quæ vobis loquar, sed non potestis portare modò. Etsi autem obscurè & exiliter anus & Prophetissa verba fecit de Domino, vt quæ legis personam sustineret, quæ antiquata & senio confecta, & non longè remota ab interitu, cessit nouo testamento: non fuit tamen inutilis eius sermo auditoribus intelligentibus: quomodo nec quæ à lege in vmbris & ænigmatibus fuit magni mysterij præcedens enunciatio. Age ergo nos quoque ô patres, & fra-

& fratres, ſpiritales quid didicimus feſtum celebrare nouitate ſpiritus, & non vetuſtate literæ. Qui in azymis ſynceritatis & veritatis venerandum & viuificum paſcha ſacrificij Chriſti debemus celebrare. Qui diuina regeneratione ſancti baptiſmatis veterẽ hominem exuimus, qui corrumpitur per deſideria deceptionis: & nouum induimus, qui renouatur ad agnitionem ſecundùm imaginem eius qui creauit. Venite exultemus Domino: iubilemus Deo ſeruatori noſtro, dicamus: Quàm terribilia ſunt opera tua Domine: etiamſi in multitudine virtutis tuæ inimici tui mentiti ſunt, ſua ſponte ad diuinam tuam lucem quæ mundo apparuit, claudentes ſuos oculos. Præoccupemus faciem eius in confeſſione, & in pſalmis iubilemus ei. Sacrificium laudis Deo perpetuò offeramus, hoc eſt, fructum labiorum confitentium nomen eius: beneficentiæque & communicationis nequaquam obliuiſcamur. Talibus enim ſacrificijs placatur Deus, vt ſordes peccati abluamus: & renouabitur tanquam aquilæ ſpiritalis noſtra iuuentus, quomodo etiam beati ſenis Simeonis: vt nos quoque pacificè & iucundè in bona fiducia & ſpe ſalutari ad vitæ exitum contendamus: & non cum pudore & metu è vita præſenti excedamus, & quodammodo non volentes: quomodo qui ſibi mali alicuius ſunt conſcij, ægrè & iniucundè ferunt aduentũ Regis. Imitemur beatæ illius Annæ in ieiunijs & orationibus perpetuam conſtantiam: ne videamur muliere deteriores, idque quæ vitam agebat ſub vmbra legis: quo tempore ſe in his rectè gerere erat rarum. Sed nos luce gratiæ illuſtrati, & à certa & expreſſa ſpe adiuti, & virtute ſpiritus corroborati, ne ſeparemur à ſacris doctrinis, à quibus ſalutaris habitus ſolet generari in animis, quomodo teſtatum fuit illam quoque à templo fuiſſe inſeparabilem. Ne à diuino metu aberremus cogitationibus: ſed ex ipſo & in ipſo carnes noſtras & cogitatus, conuenienter votis Prophetæ affigamus, audiamus magnum Paulum docentem: Deſpondi vos vni viro, virginem caſtam exhibere Chriſto, & non violemus quæ inita ſunt cum ea pacta conuenta, per conſuetudinem cum eo qui vitam noſtram corrumpit, ex eo quòd faciamus illius voluntatem: vel in hoc Propheti ſſæ imitantes pudicitiam, quæ fuit vnico contenta coniugio. Sed quod eſt in promptu, ab imitatione eius non diſcedatis quicunque ſoluti eſtis à monogamia: & ſi fieri poſſit, ad ſecundas 4 non veniátis nuptias. Sic enim vos beatos futuros eſſe affirmat Paulus. Offeramus nos quoque in ſuperno altari, veluti par turturum, animi & corporis puritatem: vel tanquam duos pullos columbarum, prouidere bona, non ſolum coram Domino, ſed etiam coram hominibus: vt cùm nos quoque omnia ſpiritaliter ex diuina lege fecerimus, in ſapientia & gratia proficientes: & ad menſuram ætatis plenitudinis Chriſti peruenientes, & internum hominem perfectum habentes, & ſancti ſpiritus effecti habitaculum, reuertamur ad veram noſtram patriam, cœleſte Hieruſalem. In qua digni habeamur frui beata ac perpetua lætitia & regno, in Chriſto Domino noſtro. Cui gloria & potentia cum patre & ſancto ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. Amen.

4 Nota antiquos patres nō multum fauiſſe ſecundis nuptijs.

SANCTI PATRIS NOSTRI AMPHILOCHII EPIſcopi Iconij oratio, De occurſu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de Deiparente, & Symeone.

Apud Simeonem Metaphraſten.

MVLTI ex magnis viris admirantur 5 virginitatẽ, eſt enim admirabilis, vt quæ ſit congenita cum Angelis, vt quæ cum ſupernis verſetur poteſtatibus, vt quæ concurrat cum naturis incorporeis, vt quæ ſanctæ præluceat Eccleſiæ, vt quæ mundum vincat, vt quæ calcet affectiones, vt quæ Euæ non communicet, vt quæ ſit libera à moleſtia, vt quæ redempta à ſuſpirijs & gemitibus, vt quæ latam non accipiat condemnata ſententiam, quæ dicit: Multiplicans multiplicabo dolores tuos & gemitum tuum. In doloribus paries filios, & ad virum tuum conuerſio tua, & ipſe tibi dominabitur. Admirabilis ergo eſt virginitas, vt poſſeſſio quæ non redigi poteſt in ſeruitutem: vt liberum habitaculum, vt ornamentum comparatum ad exercitationem, vt quæ humano habitu ſit ſuperior, vt à neceſſarijs liberata affectionibus, vt congreſſa cum ſponſo Chriſto in thalamo regni cœlorum. Et hæ quidem ſunt laudes virginitatis, & quæ ſunt his ſimiles. Honorabile autem matrimonium ſuperat omne donum terrenum, tanquam arbor fertilis, tanquam elegans planta, tanquam radix virginitatis, tanquam agricola animatorum ramorum rationis participum, tãquam incrementi mundi benedictio, tanquam generis ſolatium, tanquam opifex humanitatis, tanquam depictor diuinæ imaginis, tanquam Dominum benedicentem poſſidens, tanquam omnem mũdum ferendum accipiens, tanquam illi vitam agens qui homo fieri voluit, vt quòd poſſit dicere confidenter: Ecce ego & filij quos dedit mihi Deus. Aufer honorabile matrimonium, & inuenies florem virginitatis. Hinc enim & non aliunde colligitur flos virginitatis.

5 Vide quanta ſit virginitatis commendatio.

Hæc autem dicentes ô dilecti, non pugnam introducimus inter virginitatem & matrimonium.

monium. Sed vtrumque admiramur, vt quod alterum alterius auxilio indigeat. Nam qui vtriusque est Dominus,& vtrique prouidet,non ea inter se conferendo alterũ expendit cum altero. Omnino enim vtræque partes pietatem amplectuntur. Nam sine veneranda & religiosa pietate nec est honesta virginitas,nec honorabiles nuptię. Hęc verò inductus sum vt in præsenti dicerem oratione,propter id quod in lege scriptum est, & in gratia confirmatũ,& omnino dictum, & omnino non inuentum,& in solo Domino impletum,de matrimoniali, inquam, fructu primitiuo. Quisnam autem is est? Audiuisti nuper dicentem Euangelistam: Et factum est, quando impleti sunt dies octo, vt circunciderent puerum, & vocatum est nomen eius Iesus,quod vocatum fuerat ab Angelo,priusquam ipse conciperetur. Et quando impleti fuerunt dies purificationis, duxerunt ipsum in templum: & stiterunt eum Domino, quemadmodum scriptum est in lege Domini: Omne masculinum aperiens vuluam,sanctum Domino vocabitur. Vidisti matrimonij benedictionem,& quod communiter dictum est,inuentum autem est in solo Domino: nempe, Omne masculinum aperiens vuluam,sanctum Domino vocabitur, refertur ad solum Dominum: non ad vllum alium, etiamsi vniuersè dictum sit. Etenim naturaliter cuiusuis virginis primum ex congressu viri vulua aperitur, & sic parit. In Seruatore verò nostro non sic, sed sine coitu, ipse aperta virginis vulua ineffabiliter processit. Quamobrem omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, refertur ad solum Dominum. Num ergo Cain sanctus,qui in profano scelere vitam abripuit: quoniam is ex materna vulua primus prodijt? Nunquid Esau sanctus,qui fuit hostis & hæres gladij, quoniam is quoque primum è materna aluo excidit? Nunquid fuit Ruben sanctus: qui paternũ cubile polluit,& fecit efferuescere sententiã maledicti: quoniã is quoq; ex fertili vtero primus exijt? Re vera nemo ex ijs est sanctus. Re vera enim ij omnes pœnis sunt affecti. Ex quibus ostenditur ad Dominum solum referri illud: Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: conuenienter Gabrieli, qui dixit virgini: Spiritus sanctus superueniet in te: & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quamobrem & quod nascetur ex te sanctum, filius altissimi vocabitur.

Fieri autem potest, vt omnino dicat quispiam ex aduersarijs: Si ergo refertur ad Dominum illud: Omne masculinum aperiens vuluam,sanctum Domino vocabitur, virgo non mãsit virgo. Si enim dixit Scriptura: Omne masculinum aperiens vuluam, omnino aperta fuit vulua virginalis quæ refertur ad Dominum. Audi sapienter: Neque enim portæ virginales omnino fuerunt apertæ, voluntate eius qui fuerat recens in vtero gestatus, conuenienter ei dicto quod de eo dicit: Hæc est porta Domini, & ingredietur, & egredietur, & erit porta clausa. Quod ad virginalem quidem attinet naturam, non fuerunt omnino apertæ portæ virginis. Quod verò ad virtutem Domini qui natus est, nihil est clausum Domino, sed omnia sunt aperta. Nihil est quod impediat: Nihil est quod afferat molestiam. Omnia sunt aperta Domino. Vnde etiam supernæ potestates infernis præcipientes, clamauerunt dicentes: Attollite portas principes vestras: & eleuamini portæ æternæ,& introibit Rex gloriæ. Admirabilis ergo est virginitas, quæ est verè virginitas: nam est etiam in virginitate differentia. Nam aliæ quidem dormitârunt, aliæ verò vigilârunt. Admirabile quoque est matrimonium, quod est verum & honorabile matrimonium. Multi enim id custodierunt: & multi transgressi sunt. Admirabilis quoque est viduitas, bonum est enim trium ordinum meminisse: & vt prius dixi, admirabilis quidem est viduitas, quæ est verè viduitas, quæ vicit impollutum certamen præmiorum: quæ est veneranda, pura,& non adultera, quæ absque proprio coniuge nulla sorde est commixta: cuiusmodi fuit ea etiam quæ nuper lecta est à nobis, Anna prophetissa: quæ pulchrè consenuit,& tanquam aquila fuit renouata. Audiuisti enim nuper Lucam Euangelistam dicẽtem: & erat Anna Prophetissa filia Phanuëlis ex tribu Aser. Ipsa processerat in diebus multis,& vixerat cum viro septem annos à virginitate sua: & ipsa vidua annorum circiter octoginta quatuor. Quæ in ieiunijs & orationibus colebat Dominum in templo noctes & dies. Vidisti in quibus versabatur,& cuiusmodi vidua erat Anna. In diuinis Euangelijs ornata fuit Anna, Anna re vera Anna. Cum morũ gloria cõcurrit nominis appellatio. Audiant mulieres,& imitẽtur gloriosam Annam,& similẽ cursum peragant, vt fruãtur etiã coronis similibus. Nemo excusationẽ adferat, quòd tutorẽ non habeat, ne castitatẽ repellat monomachiæ. Corona viduarum mulierũ Anna, sexu mulier: ordine prophetissa: versans in regno: corpore laxa ac remissa: animo firma ac neruosa: facie rugosa: explicata autem prudentia: senio incuruata: recta incedens cognitione: multitudine annorũ inueterata: iuueniliter verò exultans diuina scientia: ieiunans, & non se explens ad satietatem: orans & non vacillans: templo vacans,& domos alienas non obiens: psallẽs, non nugans: prophetans,& non dicens fabulas: diuina meditãs,& quæ sunt turpia non asciscens. Superauit Anna viduam quæ ab Apostolo beata ducitur. Quænam ea est? Audi Apostolum dicentem: Vidua eligatur non minus quàm sexaginta annos nata. Si filios aluit. Si Sanctorum pedes lauit.

Si

Si egentibus opem tulit. Si omne opus bonum est consecuta. Superauit ipsa eam quam Apostolus duxit beatam, & annis, & viuendi ratione. Si enim cùm digna habita fuisset prophetia, & spiritus sancti extitisset receptaculum, & omnibus expectantibus Domini in carne aduentum, signa aduentus indicasset, quomodo nõ fuit omnibus superior, cùm de ea dixerit Euágelista, sicut nuper audiuisti: Et ipsa, inquit, Anna ipsa hora adueniens, Domino confitebatur, & dicebat omnibus expectãtibus redemptionem in Hierusalẽ. Vidisti Annæ magnitudinem. Pro Domino concionabatur, sub eo res eius loquens in eius conspectu. O res terribiles planè admirabiles. Vidua sacerdotes simul & scribas terrebat, & terrens populum totũ consolabatur, significans futuram in Hierusalem redemptionem aduẽtu Domini, dicẽs ijs qui aderant, & Domini signa indicans. Infantem videbat Anna Dominum, dona & purgamenta ab ipso & cum ipso afferens, & non offensa est paruitate ætatis. Infantem Deum confessa est Anna, medicum & redemptorem, & peccatorum deletorem.

Ne leuiter prætereas ô dilecta verba Annæ, omnibus qui aderant indicantis Domini operationem: dicens ijs qui erant congregati. Non videtis hunc infantem qui trahit vber, qui exugit mamillam: qui requiescit in gremio materno: qui pedibus terram nunc ingredi non sustinet: qui octauo die circunciditur: Non videtis hunc infantem? Hic secula fundauit. Hic cœlos tanquam fornicem construxit. Hic terrã dilatauit. Hic mare sepsit vallo arenæ. Hic puer eijcit ventos è thesauris suis. Hic puer tempore Noë aperuit cœli cataractas. Hic puer efficit scamina imbris. Hic puer tanquàm lanam quatit niuem. Hic puer maiores nostros ex Ægypto liberauit per baculũ Mosaicum. Hic puer rubrũ mare secuit, & tanquam per herbidum pratum traduxit populũ: & cùm in deserto pluisset manna, terram fluentem lacte & melle eis sorte dedit. Hic puer effecit vt hoc templum per patres nostros in altum excitaretur. Hic puer iusiurandum Abrahæ proponens, dicebat: Multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut astra cœli multitudine, & sicut arenam quæ est in littore maris. De hoc puero dicebat propheticus chorus afferens consolationem. Excita potentiam tuã, & veni ad seruandũ nos. Ne offendamini puero quòd sit puer. Idẽ puer est cum patre expers principij. Hic & tempore numeratur, & eiusdem non potest enarrari generatio. Idem est & puer balbutiens: Idem etiam sapientiã & os largiẽs: illud quidem propterea quòd est ortus ex virgine, hoc verò quòd eius comprehendi non possit essentia. Nam hoc quoque Esaias ostendit, dicens: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis. Partim quidem natus, partim datus. Natus quidẽ, propter id quod cernitur. Datus verò, propter id quod intelligitur.

Hæ sunt Propheticæ Annæ prædictiones. Hæc sunt mulieris dicta præstantissima. Hæc sunt præclara facta viduæ quæ verè est vidua: quæ vitam pulchrè commutauit: quæ maritum suum præmisit, & filium suscepit. Septem annos vixit cum marito à virginitate sua, & cùm annorum implesset septenarium, & in anno septimo cessasset à viri consuetudine, pulchrè vsa est septenario: pulchrè sabbatum obseruauit, pulchrè peruenit ad gratiæ dominum. Turturis munere functa est Anna. Non oblita est coniugis, non irritam fecit primam fidem, non induxit in lectum quempiam qui ei faceret iniuriam. Non imposuit alij iugũ monogamiæ. In lecto enim habebat in memoria mortuum tanquam viuẽtem. Sponsæ sindonem non inquinauit. Non attigit eam Pauli reprehensio, dicentis: Quando autem luxuriatæ fuerint in Christo, volunt nubere, habentes condemnationem quòd primam fidem fecerunt irritam. Est re vera digna [6] condemnatione: quæ iugi à Deo coniuncti consepelijt memoriã, & maximè cùm adsint filius vel filij. Quamobrem lex quoque fuit plantata. Sin autem iuueni viduæ non adest filius, consentaneũ est eam venire ad secundas nuptias, vt quæ suscipiendorũ liberorum tenentur desiderio. Nam hoc quoq; suadens beatus Paulus dicebat: Volo iuniores viduas nubere. Deinde ostẽdens quodnam esset signũ quòd prodessent secũdæ nuptiæ, adiecit dicẽs: Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, domui præesse. Quamobrẽ adiectio liberorũ procreationis est secundarũ nuptiarũ. Quãdo verò viduæ quæ accessit ad matrimoniũ adsunt filij, est de cætero talis sementis inutilis, cùm rationis participes spice se gerãt meretriciè. Rursus ergo redeat oratio ad prius argumentũ.

6 Reprehendũtur secũdæ nuptiæ in viduis, quæ non sunt iuuenes, aut filios habeant ex priori coniugio susceptos.

Quid ergo de cætero Euangelista? bonum est enim id quod adest tractãdum attingere. Audiuisti nuper Euangelistam Lucam dicentem, quemadmodum Simeon dixerit virgini: Ecce hic positus est in ruinã & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Quin etiam tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Quid est autem: Et tuã ipsius animã pertransibit gladius? Audi sapienter Simeonem qui dixit de Domino, auribus virginis audientibus: Ecce hic est positus in ruinam & resurrectionem multorũ in Israël, & in signũ cui contradicitur. Succensere potuisset, vt est verisimile, mater Domini Simeoni, dicens ei: Nescis cur sine ratione & inconsideratè loqueris, ô homo: & aduersus Christũ & Deum, tristia annũcians. Non nosti pueri conceptionẽ: & tanquam de cõmuni fœtu, indicas signum contradictionis. Re vera nulla est in ipso ruina, sed magna in altum

ſublatio, & ſui demiſsio ad eos qui beneficio ab ipſo afficiuntur. Cur ergo non benedicis, ſed dicis: Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicitur? Simeon autem dixit virgini: Sufficit tibi virgo, quòd vocata ſis mater. Satis eſt tibi, quòd inuenta ſis nutrix eius qui nutrit mundum. Magnum eſt tibi quòd carne portâris eum qui portat omnia. Qui in te nunc habitauit Chriſtus, idem nunc quoque in me effecit vt de ipſo loquerer, quòd poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël. In ruinam quidem incredulorum Iudæorum, reſurrectionem autem gentium quæ crediderunt. Ecce hic poſitus eſt in ruinam & reſurrectionem multorum in Iſraël, & in ſignum cui contradicitur: Signum cui contradicitur crucem appellans. Quare? Quoniam in ipſa cruce multi ex incredulis obiecerunt Domino contradictiones, & verbis & factis ludificantes: aceto potantes, fel offerentes: coronam ſpineam imponentes: lancea latus pungentes: manibus alapas infligentes: probris ac maledictis eum clamando impetentes: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Hoc ergo interpretans Simeon dicebat: Et in ſignum contradictionis. Multi enim contradicebant quando Petrus negauit, & omnes Apoſtoli tanquã oues ſine paſtore diſpergebãtur. In ſigno ergo crucis ipſius quoque virginis cor fuit repletum triſtitia. Quamobrem dicebat: Cur non prius ſum mortua? Cur autem perueni ad hunc diem? Virgo manſi, & magis mordeor viſceribus quàm matres. Has infinitas virginis cogitationes Simeon prius appellauit gladium, vt quæ pungant interna: vt quæ ſint allaturæ ſcandala, quomodo etiã prius dixit Dominus: Omnes in me ſcandalizabimini in hac nocte. Vnde etiam intulit Simeon dicens: Tuam quoque ipſius animam pertranſibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Vide quemadmodum infinitas cogitationes, gladium prius appellauit Simeon, vt quæ pungant interna: vt quæ renes tangant & medullas. In eas autem incidit virgo Maria, cùm nondum ſciret vim reſurrectionis. Quòd in propinquo verò eſſet reſurrectio, nondum ſciebat. Itaque poſt reſurrectionem non eſt amplius gladius anceps, ſed lætitia & exultatio. Signum ergo reſurrectionis, ſignum crucis prius appellauit Simeon, quo tempore peruaſit virginem gladius cogitationum. Fieri autem omnino poteſt, vt dicat quiſpiam: Vndénam erit nobis huius rei demonſtratio? Ex ipſa doctrina Domini. Audi ipſum dicentem: Hæc generatio, generatio mala eſt, ſignum quærit, & ſignum nõ dabitur ei, niſi ſignum Ionæ Prophetæ. Quomodo enim Ionas in ventre cœti, ita erit etiam filius hominis in corde terræ tres dies & noctes. Vides quemadmodum paſsio crucis ſignum eſt appellatum, non ſolùm in nouo teſtamento, ſed etiam in veteri. Veteri enim nouum valde conſentit. Quamobrem? Quoniam vnus & idem eſt Deus, qui & illa conſtituit, & hæc adminiſtrauit. Quis eſt autem horum teſtis? Ipſe Dominus. Audi enim ipſum in Propheta Ezechiele dicentem ad meſſores Angelos, & vniuerſam ſignificantem conſummationem: Nolite parcere oculis veſtris, & ne miſereamini ſenis, nec adoleſcentis, virginem & infantem & mulieres morte afficite ad deletionem. Eos verò qui in fronte geſtant ſignum, ne tangatis. Vide ſignum veteris & noui. Ipſa enim eſt crux quæ dat mundo ſalutem, per Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum. Cui gloria & potentia, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorum. AMEN.

SANCTI PATRIS NOSTRI CYRILLI Archiepiſcopi Hieroſolymitani oratio de occurſu Domini noſtri Ieſu Chriſti, & de Simeone qui Deum excepit.

LÆtare valde filia Sion, prædica lætitiam filia Hieruſalem. Duc choros populę ciuitatis Dei. Exultate portæ & muri Sion, & vniuerſæ terræ, clamate montes & colles, & valde exultate. Fluuij plaudite, & rupes Sion comprehendite Dei aduentum, in eum intuentes. Concinant hodie cœleſtia cum terrenis, & Oſanna dicant cum ea quæ eſt infernè Hieruſalẽ, propter Chriſtum qui eſt in ipſa. Cœleſtium intelligentes virtutes, choros ducite. Qui eſtis in terris, cum Angelis hymnos canite. Hodie enim glorioſa dicta ſunt de te, ciuitas Dei Hieruſalem. Ciuitas regis magni aperiat portas ei qui aperuit omnibus cœleſtes portas, & aperuit in cruce oſtia ſepulchrorum, & contriuit portas inferorum quæ erant ab æterno, & admirabiliter clauſit portas virginitatis. Hodie qui mirabiliter olim reſpondit Moyſi in monte Sina, diuinè implet legem factus ſub lege. Hodie Deus à Themam, venit Sion. Hodie cœleſtis ſponſus cum thalamo Dei matris venit in templum. Filię Hieruſalem egredimini in occurſum eius. Lampades alacriter accendamus vero lumini. Tunicas animarum paremus ſponſo Chriſto cum Sion. Gentiũ populi, lucem ferentes occurramus

curramus cum templo. In templo ad Deum Christum conueniamus. Cum Angelis hymnum canamus: Sanctus Sanctus Sanctus, Dominus Saboth. Plenum est cœlum & terra gloria eius. Pleni sunt fines mundi bonitate eius. Plena est eius laude omnis humanitas. Eius indulgētia plena sunt cœlestia, terrestria, & inferna, plena misericordia, plena donis eius & beneficijs. Omnes ergo gētes plaudite manibus. Omnes gētes terræ venite & videte opera Dei. Omnis spiritus laudet Dominū. Omnis terra adoret. Omnis lingua canat & psallat, & glorificet puerum Deum, qui est quadraginta dierum, & est ante secula, puerum paruum & antiquum dierum, puerum lactantem & seculorum effectorem. Infantē aspicio, & Deum meum agnosco. Infantē qui lactat, & mundum nutrit. Infantem qui flet, & mundo largitur vitam & lætitiam. Infantem qui inuoluitur fascijs, & me liberat à fascijs peccati. Infantem in vlnis matris verè cum carne & sine defectu in terra, eundē verè in sinu patris, & sine defectu in cœlis. Infantem video in Bethleem, Hierusalem ingredientem, & qui nequaquam separatur à superna Hierusalem. Infantem video, qui ex lege in templo offert sacrificium in terra, sed idem pia omnium sacrificia in cœlis excipit. Ipsum in vlnis senis per dispensationem, eundem in maiestate diuina in thronis Cherubicis. Qui offertur & purificatur: sed idem omnia purificat, & purgat. Ipse est ergo donū, ipse Pontifex, ipse ara, ipse propitiatorium. Ipse qui offert. Ipse qui pro mundo offertur. Ipse ignis, ipse holocaustum. Ipse lignum vitæ & cognitionis. Ipse agnus, ipse gladius spiritus. Ipse pastor, ipse ouis. Ipse sacrificus, ipse qui sacrificatur. Ipse qui offertur, ipse lex, & ipse qui suscipit sacrificium.

Sed enim age, de cætero dicamus de die ex sacris Euangelijs. Ait enim de Christo Lucas admirabilis: Quando impleti sunt dies purificationis eorum secundùm legem Moysis, duxerunt Iesum Hierusalem vt sisterent eum Domino, quomodo scriptum est in lege Domini. Omne masculinum aperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Nam Samuel quidem & Isaac, & simul etiam Iacob & Ioseph, & alij multi, qui præter spem nati sunt ex sterilibus, & aperuerunt infertiles vuluas matrum, sancti Domino vocati sunt. Christus autem solus ex solo, ex solo vnigenitus, cum virginales portas nō aperuisset, non est sanctus Domino, sed sanctus sanctorum, & Dominus Dominorum, & Deus Deorum, & primogenitus primogenitorum, princepsque & Rex regnantium & vocabitur & credetur: & nunc in templo à Simeone prædicabitur. Erat enim, inquit, homo in Hierusalem cui nomen Symeon. Et ipse erat homo iustus: & spiritus sanctus erat cum eo, & fuerat ei datum responsum à spiritu sancto, non visurum eum mortem prius quàm videret Christum Domini. Et venit in templum in spiritu, Et cùm introduxissent parentes puerum Iesum, vt ipsi facerent secundùm morem legis de ipso, ipse Symeon accepit eum in vlnis suis: & benedixit eum, & dixit ei: Nunc dimittis seruum tuum Domine secundùm verbum tuum in pace. Quoniam viderunt oculi mei salutare tuum, quod parasti ante faciem omnium populorum. Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israël.

Quis loquetur potētias Domini, auditas faciet omnes laudes eius? Qui continet vniuersam terrā pugillo, senis vlnis capitur & portatur. Qui fert omnia verbo virtutis suæ. Exultet Adam, per Simeonē Christo dicens: Nunc dimittis seruū tuum Domine secundùm verbum tuū in pace. Nunc me soluis ab æternis vinculis: Nunc me soluis ab interitu: Nunc me soluis à morte: Nunc me soluis à mœrore. Meum Dominum & Deum Simeon in tēplo vlnis amplectens, altum œconomiæ mysterium significauit omnibus gentibus. Iudæis enim annūcians exilit & exultat, & clara voce de eo apertè clamat, dicens: Hic est qui est, & antè est, & semper adest cum patre eiusdem essentiæ, in eadem sede sedens, eiusdem gloriæ & potentiæ: par potētia, omnipotēs, principio carens, increatus, inalterabilis, qui nec circunscribi, nec aspici, nec verbis explicari, non comprehendi, nec contrectari, nec mēte concipi, nec conijci potest. Hic splendor paternæ gloriæ. Hic est character substātiæ omnium constitutionis. Hoc est lumen luminum quod oritur ex sinu patris. Hic apud Deum & ex Deo Deus cognoscitur. Hic est fons vitæ, ex fonte patris vita procedens. Hic est Dei fluuius qui exit è diuina abysso, sed ab ea nō separatur. Hic est thesaurus bonitatis paternæ, & æternæ beatitudinis. Hęc est aqua vitæ quæ vitam mundo largitur. Hic est radius increatus, qui ex sole patre luminum gignitur, sed nō scinditur. Hic est Deus Verbum, quod ex ijs quæ non sunt ad hoc vt essent, solo verbo omnia constituit. Hic est Lucifer, qui ante luciferum incorporeas adornauit virtutes cœlestium exercituū & ordinum. Hic est qui cœlum extendit solus, & super mare ambulat tanquam super cœlum. Hic est qui abyssum caligine inuoluit tanquā fascijs. Hic est qui terram firmauit super aquas. Hic est qui mare sepsit arena tanquam muro. Hic est qui lucem diuisit à tenebris. Hic est qui circularem astrorum ornatum composuit. Hic est qui vniuersum tam qui cernitur, quàm qui intelligentia apprehenditur, mundum constituit in sapientia. Hic est qui non fictis manu manibus, ex luto hominem finxit & formauit. Hic est qui ad Dei imaginem nos fuit fabricatus, nunc

ipse ad nostram imaginem homo factus. Quinetiam Deus id quod mente percipitur, perfectus ex perfecto patre habés essentiam. Qui cùm esset in forma Dei Dominico, nunc meam suscepit formam seruilem, non diminuens dignitatem diuinitatis, sed sanctificás, vt sanctificaret massam meæ naturæ, suprà totus & infrà totus. Qui idem cognoscitur supernè genitus sine tépore, & infernè sine semine: supernè effector, infernè res creata. Audite omnes gentes, audi Israël, Dominus hic est què ego Sacerdos tuus Simeon gestans in vlnis, magna voce prædico in templo populo testificans. Quamobrem attendite popule mi sermonem meũ, inclinate aures vestras ad verba oris mei. Hic est puer de quo Esaias prius prædicauit, dicens: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis, & vocatur nomen eius magni consilij Angelus, admirabilis consiliarius, Deus fortis, princeps pacis, pater futuri seculi. Si est ergo hic puer Deus fortis, de eo significãs Dauid quoq; dixit: Videbitur Deus Deorũ in Sion. De hoc puero clamat etiã Hieremias: Deus in terra visus est, & cũ hominibus conuersatus est. Hic est puer qui olim mare perfregit Israëli, & submersit Pharaonẽ, & legẽ dedit Israëlitis: & pluit manna, & in colũna ignis deduxit genus Hebræorum, & petram rupit, & rubum flamma ignis tanquam rore cinctum cõseruauit incombustum. Hic puer Moysen quadraginta annos fecit pastorem, & quadraginta annos cõstituit Ducem Israëlis: & eũ corroborauit vt ieiunaret quadraginta dies. Sic ipse quoque puer baptizatus ieiunauit quadraginta dies, & post quadraginta dies à mortuis regenerationis ascendit in supernam Hierusalem, & post quadraginta dies sui ortus ex virgine, nunc ingressus est in terrenam Hierusalem.

De hoc puero prius etiam prædicauit Propheta Abacuch, dicens: Deus à Themã veniet, hoc est, ab austro. Ab austro enim Hierusalem est Bethleem. A Bethleẽ autem nunc ingressus est Sion. Propter hunc puerum Moyses nobis testificatus est, dicens: Prophetam vobis suscitauit Dominus Deus ex fratribus vestris, & omnis qui non audit eũ, exterminabitur ex terra viuẽtium. De hoc puero Propheta Dauid vota fecit, dicens: Qui sedes super Cherubin, appare, excita potẽtiam tuam, & veni ad nos seruandos. & alibi: Cito præoccupent nos miserationes tuæ Domine. Et rursus: Domine inclina cœlos tuos & descẽde. Et alibi: Tu Domine Deus virtutum, attende ad visitandas omnes gentes. Quamobrem cognoscite gentes, & vincimini. Videte Iudæi, & persuadeamini, quòd hunc puerum laudant Angeli, hunc adorant Archangeli, hunc tremunt potestates, hunc glorificant virtutes, huic seruiunt Cherubin, hunc Deum prædicant Seraphin, huic sol seruit, huic ministrat Luna, huic obediunt elementa, huic subijciuntur fontes. Hunc puerum cùm vidissent, portæ inferorum sunt cõfractæ: portæ autem cœlestes sunt apertæ. Hic puer mortem aboleuit, diabolum pudore affecit, maledictum soluit, dolorem cessare fecit, serpentem contriuit, intermediam maceriam discidit, malum chirographum peccatorum perfregit, peccatum cõculcauit, errorem aboleuit, surgere fecit creatam naturam. Hic puer Adam conseruauit, Euam refinxit, gentes vocauit, mundum illuminauit. Quamobrem venite vos omnes Christi & Dei amantes, Domino læti & mundi occurramus, non legaliter, sed spiritaliter: non ventrem delitijs explentes, sed spiritu exultantes: non nos vino inebriantes, sed spiritu feruentes. Læti hodie lampades * ornemus. Tanquam filij lucis, cæras veræ luci Christo offeramus. Quoniam lumen ad reuelationem gentium mũdo apparuit, ideo lumina ex lumine supra niuem resplẽdeamus. Supra lac dealbati, supra saphirum illuminati, supra immaculatas columbas in cœlos euolantes, ita in nubibus ad Dei occursum exeamus. Hodie dilecti festi cursum perpetuò peragamus. Cum Angelis choros ducamus. Cum pastoribus illuminemur. Cum orthodoxis adoremus. Cum Bethleẽ festum agamus: cum Sion occurramus. Cum templo sanctificemur. Cum virgine festum agamus. Cum Simeone Christum vlnis amplectamur. Vt simus intra æterna Christi bona, gratia & miserationibus & clementia Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & in secula seculorũ. AMEN.

** Nota peruetustum Eccl. morẽ, quod in die purificationis beatæ Mariæ candelæ cæreæ benedictæ fidelium manibus deferantur.*

TIMOTHEI PRESBYTERI HIEROSOlymitani oratio, de Propheta Simeone Dei susceptore, & de eo quod est: Nunc dimittis seruum tuum Domine.

Apud Simeonem Metaphrasten.

AGe dilecte, vltimũ iustũ oratione intueamur. Et quis est ille vltimus iustus? Qui nuper à nobis est lectus in Euãgelio secũdùm Lucã, nomine Simeon. Hic est & primus & vltimus: vltimus legis, primus gratiæ: Iudęus religione, Christianus gratiarũ actione: Christian⁹ lectione, angelus lingua, Simeõ qui fuit modò à nobis lectus: qui ex Pharisaica blasphemia rosa collectus est ex spinis, & primus donationis gratiæ inspiratione cognitus. Simeon qui eò processit iustitiæ, vt in ipso corpore veluti respõsum acciperet, nõ præteriturũ præsentem

sentem quæ est ad tēpus vitá, donec videret Dominū nostrū Iesum Christū. Iustus ergo & magnus Simeō ô dilecti, cùm ante susceptá carné desiderasset videre Dominū, vidit in carnis susceptione, & animaduertit, & vlnis est amplexus, & rogauit vt relaxaretur à custodia corporis, ore seruili clamās ad omniū Dominū qui videbatur infans, sicut audijsti: Nunc dimittis seruum tuū Domine secundùm verbū tuū in pace. Quoniá viderunt oculi mei salutare tuum. Vidi gloriam tuá. Soluar ab hac breui vita, in quá cadit interitus. Vidi choream Angelorum, glorificationé Archangelorū, omnem creatam naturá exultantem: cœlestia & terrestria vnū habentia transitū. Nunc absoluar ne hîc retinear. Spiritus sanctus est in me, vt video quæ tibi eueniēt. Nunc absoluar, ne Iudæorum qui sunt mei generis, quæ in te est futura videá audaciam. Ne videá spineam quæ plectitur coronam. Ne videam seruum tibi alapas infligētem. Ne videam tibi intentari lanceam. Ne videam solé obscurari. Ne videam luná deficere. Ne videam elementa mutari. Ne videá te cruci affixum. Ne videá rūpi petras. Ne videam scindi velum tēpli. Non ferentia enim audaciá ipsa quoq; elementa cum Domino dolore afficiuntur. Nunc dimittis seruum tuū Domine secundùm verbū tuum in pace. Quòd viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum.

Quid ergo Euangelista? Audi ipsum dicentem: Et erat homo in Hierusalem cui nomen Simeon, & erat homo iste iustus, expectans consolationem Israëlis. Et spiritus sanctus erat in ipso, & erat ei datum responsum à spiritu, non visurum eum mortem prius quàm vidisset Christum Domini. Et venit in spiritu in templum. Audi sapienter ô dilecte, hoc est quod dicit. Simeone domi sedente & apud se orante, responsum venisse ad effectum. Solùm cogitauerunt Ioseph & virgo introducere puerum Iesum in templum, vt facerent ipsi secundùm morem legis de ipso, & statim Spiritus sanctus præbuit respōsum, hoc est, Excitauit spiritus Simeonem, dicens: Expergiscere senex, quid dormis? Venit tempus responsi. Vade cito: venit enim qui te soluit, excute vestes sepulchrales, para sepulchrum, ordina quę ad domū tuam spectant. Venit enim qui te soluit. Venit Emanuel. Transi citò in tēplum. In loco sacro sacra. De sacro loco propheta. Quamobrem pernicissimo cursu cupiditatis tanquam penna aliqua incitatus, & à spiritu leuatus, præuenit Ioseph & virginem in templum: non præuenit autem puerum qui portabatur. Quomodo enim potuisset præuenire eum qui vbique aderat? Ioseph & virginem præuenit Simeon in templo. Et cùm præuenisset adhuc propè adyta expectás reuelationem sancti Spiritus. Cùm fuisset verò in templo Simeon, vidit quidem multas matres cum suis filijs in templum ingredientes, ad peragendum sacrificium purificationis. In quarū medio erat etiam quæ portabat venerandum fœtum, & nullis sordibus contaminatum. Iustus autem Simeon huc & illuc oculos circūferēs, postquam vidit multas matres in priuato habitu humanitatis: solam autem virginem infinito & diuino lumine circumdatá, separauit reliquas matres, clamās & dicés corá omnibus: Date mihi locum, vt teneam eum qui desideratur. Vidi eum qui me pręuidit. Vidi, & meus germinauit spiritus. Cur quæ estis ancillæ, cum libera & domina cōcertatis? Cur infantes vestros aræ offertis? huc conuertimini, & eos offerte huic puero, qui est antiquior Abraham. Interim Simeon suis vlnis tenēs Dominū qui videbatur infans, Ioseph quidé & virginé benedixit: prophetiam auté traduxit ad Dominū, dicens virgini: Quid aspicis hūc puerum ô virgo tuum, & non tuum? mansisti enim virgo sicut eras prius. Cur enim assiduè fixis oculis intueris, & eum frequēter amplecteris? Cur ei mamillam semper præbes, volés filiū habere florentiorem? Non eget nutrimēto, cùm ipse sit mannæ & vitæ suppeditator. Cur mollibus palmis demulces infanté, eum volens sopire? Hic infans non dormitabit neq; dormiet, quod attinet ad diuinitatis dignitatem quæ celatur. De eo enim dicit Propheta: Non dormitabit neq; dormiet qui custodit Israël. Cur hunc puerū aspicis virgo? Hic puer ô virgo, diuinitatis quæ latet virtute cœlum extendit sicut pellem, terrá autem super nihilum suspendit, cùm aquam mundo basim fundasset. Hic puer ô virgo incorrupta, est solis auriga, lunam tanquam clauo regit: è thesauris suis promit ventos, & est omniū quæ sunt dominus. Hunc puerum ô virgo, nō mundaná sed spiritalem accipe lætitiam. Ecce enim hic est positus in ruinam & resurrectioné multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multorū cordibus cogitationes. Hæc sanctus & qui Deum suscepit Simeon dixit virgini Mariæ, reuelatione sancti spiritus de Iesu, qui videbatur infans. Ecce hic est positus in ruiná & resurrectionem multorum in Israël. Cur autem in ruinam, & cur in resurrectionem? Verum est verbū Domini. Quoniá enim Simeon nō sua virtute, sed sancti spiritus reuelatione, quicquid enunciauit de Domino ad virginé dicens: Ecce hic est positus in ruinam & resurrectioné multorum in Israël, dixit: In ruinam quidem infidelium, resurrectionem autem eorum qui credunt. Ad ruinam Synagogæ, resurrectioné verò Ecclesiæ. In ruinam dæmonū, resurrectionem autem sanctorum. In ruinam prophanorum, resurrectionem verò iustorū. In ruinam

 & re-

& resurrectionem surrexit Matthias, cecidit autem Iudas. In ruinam & resurrectioné multorum in Israël. In resurrectionem latronis qui erat à dexteris, in ruinam autem eius qui erat à sinistris. Nam ille quidem piè se gerebat: hic verò maledicebat. In ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur, vera est oratio. In signum cui contradicitur fuit Dominus, vtpote fœtus virginis. Nam magnũ est signum, quòd quæ virgo peperit, mansit virgo. Quòd verò virgo sit signum cui contradicitur, audi Esaiam in suo opere, Domino dicéte ad Achaz: Pete tibi signum in profundo aut in alto. & dixit Achaz: Non petam, neque tentabo Dominum. Et dixit Esaias: Ecce dabit nobis Dominus ipse signum. Quodná hoc? Ecce virgo in vtero cócipiet. De hoc Dominico signo in virgine nato, cui contentiosa lingua multi erant contradicturi, Simeon futurum prius significauit, dicens virgini: Ecce hic positus est in ruinam & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicitur. Tuam quoque ipsius animã pertransibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes. Hinc nonnulli existimarunt Domini matrem gladio morte affectam, finem accepisse martyrij, propterea quòd dixerit Simeon: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Non ita autem habet. Ferreus enim gladius corpus diuidit, non dissecat animam. Quo fit vt intemerata & sanctissima virgo huc vsque sit immortalis, propterea quòd qui in ea habitauit, eã traduxerit in loca in quibus est assumpta. Quid ergo vult dicere Simeó ad Mariam: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multorum cordibus cogitationes? Gladium qui pertransit animam, hic dixit Simeon doloré virginis, quo erat afficiéda virgo, vt quæ videretur perdidisse eum qui veniebat ad quærendum eos qui perierant. Quòd verò dolor attigerit animam virginis cùm videretur perdidisse suum filium qui appellatur, népe virginis, audiuisti nuper Euangelistam dicentem: Et quádo fuit annorũ duodecim Iesus. Sententia procedit ex sententia, & quæstio quæstione depellitur. Et quando fuit annorũ duodecim. Quis? Deus verbum annorum duodecim, vnigenitus filius Dei Qui est ante mũdum. Qui olim fuit effector visionis temporum, non autem genitus post tempora. Et quando fuit annorum duodecim Iesus. Quod attinet ad ortum ex virgine, numeratur tempus duodecim annorum. Particulatim enim proficiebat Iesus ætate corporea, non simul autem totus creuit Dominus. Quamobrem ne existimaretur fuisse phantasia œconomiæ veritas, vt prius diximus, particulatim proficiebat, seruans omnes humanas mẽsuras humanæ susceptæ naturæ. De eo itaq; dicebat Euangelista: Puer auté Iesus proficiebat spiritu & sapientia, & gratia Dei erat in ipso. Vide quàm accuratè locutus sit Euangelista. Non dixit: Deus verbum proficiebat, ne præberet Arrio materiam blasphemiæ, illud proficiebat, ostédit id fieri intercedente œconomia. Propterea enim duodecim annos natus. Vnde etiam dicebat Euágelista: Et quando fuit annorũ duodecim Iesus, adduxerunt puerum Iesum secundùm moré festi eorum in templum, & cùm impleuissent ipsi dies, dum reuerterentur ipsi, remansit puer Iesus: & non cognouerunt parentes eius. Putantes autem ipsum esse secum in comitatu, iuerunt iter diei, & quærebant eum inter cognatos, & cùm non inuenissent eum, iuerunt Hierusalé quærentes eum.

Immortalis sic intellige, non quia non sit mortua, contrarium enim tenet Ecclesia: sed quia ad immortalem vitam resurrexerit. Videtur tamen eius fuisse opinionis auctor quod nunquam mortua fuerit.

Ecce verò impletur dictum Simeonis ad virginem: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius, gladius, inquam, doloris, gladius inquisitionis, per quem eum quærebat qui perierat. Ná & si mater esset virgo, eum tamẽ gestauit vtero: & ei præbuit mamillam: & eum magna aluit cura, & maternũ habuit habitum vt mater erga suum filiũ. Quamobrem cùm visa esset eum perdidisse quærens in tribus diebus, in dolore cordis clamabat, dicens: O calamitatem, quando expectaui fœlicitatem, tunc damnũ sensi. Hei mihi, quis thesaurũ surripuit? Quis pretiosas opes mihi abstulit? Quis me mea spe est frustratus? Hei mihi, non dicar amplius benedicta in mulieribus. Non amplius dicent: Beatus venter qui te portauit: extabui, non autem beata euasi. Quis est qui te mihi eripuit? Quis tibi est insidiatus? Quis meum abscondit thesaurũ? Cognata mea Elisabeth lætatur propter filium, ego verò crucior. Illa enim habet militem, ego verò Rege sum frustrata. Seruus custoditur: & dominus non apparet. Vbi est Archangeli Gabrielis salutatio? Vbi stellæ illuminatio? Vbi Magorum adoratio? Vbi pastorũ exultatio? Vbi Angelorum est glorificatio? Quando regnum expectaui, tunc relicta fui in mendicitate. Hanc ergo afflictioné & doloré tanquam animæ gladium ancipité, Simeon futurũ videns, prçsignificauit, dicens virgini: Tuam quoq; ipsius animá pertrásibit gladius. nõ dixit: Tenebit gladius, aut dominabitur gladius. Sed pertrásibit gladius, hoc est, Paruo tépore dolore afficieris & affligeris, & statim à dolore liberaberis & afflictione. Quòd auté dolore affecta sit intemerata & sanctissima virgo, putás se perdidisse eum qui venerat ad salutẽ eorũ qui perierant, audiuisti Euangelistá modò dicentem: Et factum est post tres dies. Vide quantum dolorem & afflictionem subijt virgo tribus diebus. Et factũ est post tres dies, & ecce inuenit eum in templo sedenté in medio doctorum, & eos interrogátem, & eos audienté, & dixit ei mater eius: Fili cur fecisti nobis hoc? Ecce

pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te. Cur non nobiscum descendisti, sicut nobiscum ascendisti? Cur sedisti in medio doctorum? Quid interrogas & doces? Cùm literas nondum didiceris, quid Sophistam agis? Cur inuidiam aduersus te concitas? Cur me vis orbari filii? Ecce te ardẽtibus oculis aspiciunt, iam strident in te dẽtibus sicut feræ immanes quæ mouentur aduersus agnum. Fili cur sic fecisti nobis? Ecce pater tuus & ego dolẽtes quærebamus te. Dominus autem eis de cætero aperiẽs diuinitatis quæ latebat dignitatem in mendico humanitatis susceptæ spectaculo, eis respõdet, dicens: Quid me quærebatis? vbi autem quærebatis? In cœlũ non ascendistis, ad inferos non descendistis. In Ionæ balena non habitastis. Quid me quærebatis? nesciebatis quòd in ijs quæ sunt patris mei oportet me esse? Nõ audiuistis Simeonem? Non me Dominum & Deum est confessus? Vos autem me quærebatis tanquam puerum. Nesciebatis quòd in ijs quæ sunt patris mei, oportet me esse? Vnũ patrem habeo in cœlo: vos verò accepi commodato. Sed hic imponentes finem orationi, vacemus diuinæ & 7 mysticæ mensæ, per quam & mũdus est stabilitus, & orbis terræ consistit, & regnum custoditur: & Ecclesia multiplicatur, & Deus sanctificatur. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia nunc & semper & in secula seculorum. AMEN.

7 Diuinã & mysticam mensam, sanctam Eucharistiam appellat.

CONSTANTINI COGNOMENTO Porphyrogeniti, in Christo Romanorum Imperatoris narratio, [1]

COLLECTA EX DIVERSIS HISTORIIS de non manu facta Christi Dei nostri imagine, missa ad Abagarum, & ex Edessa translata in hanc beatissimam vrbium Reginam Constantinopolim.

Per Simeonem Metaphrasten.

1 Huic narrationi de hac sacra Domini nostri imagine minimè dubia fides habenda est, tum quod apud Græcos (vt ex eorum mneis cõstat) celebratur festum exportationis ipsius imaginis ex Edessæ ciuitate ad vrbem Constantinopolitanam tempore Romani Imperatoris, cuius filij fuêre duo, præsens scilicet auctor Constãtinus, & Romanus, qui etiam dum pater viueret, appellabãtur & ipsi Imperatores: tum quod & Euagrius in Ecclesiastica sua historia, & secunda Nicæna synodus, ipsam Euagrij historiam, & alios super hoc in quinta actione allegando, abundè tractãt. Vt de his omnibus in sequentibus apertissimè videbitur.

NON solùm comprehendi non poterat patri coæternum Dei verbum: sed eius quoque plurima, vel omnia potius eius opera teguntur eadem caligine incomprehensibilitatis: neque ea solum quæ constituit, hoc vniuersum architectans: sed ea etiam, quæ in assumpta per œconomiam massa nostri corporis, nobiscum versatus fecit per primam illam, & vnicam potentiam suæ diuinitatis. Vnde oportet omnino eum qui seipsum non ignorat, & quæ sunt supra ipsum se nescire cognoscit, non gloriari in immensum, neque stolidè ingredi per inane, nec contendere se omnia scire, neque ignorare, quæ ipse non comprehendat. De hac igitur expressa forma eius, qui fuit Deus & homo, quę impressa fuit sine pictura, admirabili eius qui fecit voluntate in contexta veste, quæ eam suscepit: & tunc quidẽ missa fuit ad Abagarum ad eius curationem: nunc autem Edessa ad hanc vrbium Reginam, certo omnino Dei consilio & prouidentia ad eius salutem & custodiam est translata, vt ex ijs quæ sunt pulchra & honesta nihil ei deesset, cùm debeat omnes vincere in omnibus: existimo oportere eum qui est pius & iustus auditor & spectator, singulorum quidem historiam sigillatim vt sciat postulare, & antiquæ narrationis velle certam & non dubiam accipere sententiam. Causam autem quomodo ex gutta humida absque coloribus, & arte picturæ impressa fuit forma vultus in panno ex lino cõtexto: & cur quod est contextum ex materia, in quam tam facile cadit interitus, interitum tempore non accepit, & quæcunque alia, is qui res aggreditur, naturaliter solet diligenter perscrutari, relinquere Dei sapientiæ, ad quã non potest accedi, vt qui sciat: quod si quis accuratè omnia contenderit apprehẽdere, exturbatus in perfectam ignorationẽ, & præcipitatus in profundũ incõprehensibilitatis, veniet in periculum, ne in ijs quę sunt præcipua patiatur iacturam, pauca nolens cõcedere. Quotquot ergo in fide recti & ardentiore zelo huc cõuenistis, agite, adeste, & narrabo vobis ea quę qua oportuit perscrutatus examinatione, & non sine labore versatus in inquirẽda veritate, tã ex ijs qui historias conscripsêre, quàm ex ijs qui illinc ad nos venêre, quę tãquam in arcanis dicebant apud eos cõseruari memoria, exactè potui cognoscere. Cùm Dominus & Deus, & Saluator noster Iesus Christus ad genus nostrum erigendũ apud nos versaretur, erat, vt dicit Propheta, multitudo pacis in terra, & fuerat dissipatus multorũ principatus & administratio, cùm tanquã ab vna zona Romano imperio cinctus esset vniuersus orbis terræ, & subiectus esset vni gubernatori. Ideo erat omnium cum omnibus secura congressio, neque sibi videbantur homines terrã habitare diuisam, sed vt quæ ab vno Domino possideretur, & esset tota vnius opificis: & collum primo illi seruo inclinantes, pacem inter se agitabant. Quamobrem qui tunc quoque erat Edessę Toparcha

Abagarus erat Ægypti Præsidi notus,& amicus,& alterius ad alterum veniebant vtrinq; ministri. Quocirca illo quoque tempore, quo Dominus noster & Deus paternā implens voluntatem,salutarē doctrinam proponebat hominibus,& per insignia miracula ad fidem in eum habendam conuertebat homines: accidit vt quidam ex ministris Abagari nomine Ananias,in Ægyptum vadens per Palestinam,in Christum incideret:& eum procul contemplaretur verbis ab errore attrahentem multitudinem,& quæ omnem superabant opinionem,facientē miracula.Postquam ergo iter suum confecisset in Ægyptum, & ijs quæ mandata fuerant tractatis rediret, cum recordaretur dominum suum diuturno articulari morbo tyrannicè vexari, & nigra lepra consumi, & duplicem calamitatem,vel multiplicem potius morbum sentire, quòd & articulorum affligeretur doloribus, & lepræ malis cruciaretur (aderat autem pudor quoque deformitatis, propter quam ab hominibus non erat aspectabilis: & neque solummodò erat ferè semper in lecto, sed amicos etiam qui veniebant ad eum aspiciendum, præ pudore celabat) propterea hæc laborauit scire diligentius, vt posset certè renunciare domino suo, quo ille quoque fortè per eum sanitatem consequeretur. Inuenit ergo rursus Dominum in eisdem locis mortuos excitantem: cæcis visum donantem: claudos ad ingrediendum integros efficientem: sanósque & firmos reddentem omnes, qui aliqua laborabant infirmitate.

Postquàm ergo persuasum habuit, & apertè cognouit hæc fieri à Domino, ea Abagaro reuersus significauit, & pluribus ea quæ viderat & audierat edocuit. Quamobrem vt qui rem in transitu comparasset maiorem quàm quæ ei cōmissa fuerat, & vt qui bona afferret nuncia,benignisimè fuit exceptus,& habitus fuit vnus ex maximè beneuolis.Et quoniā qui alicuius rei desiderio tenetur,tanquā rapinā existimat, si quod promissum fuerit differatur,re quæ narratur,& spe ipsa hominum excitante, vehementíque studio incitatur ad venandū id quod significatū fuerit.Idcirco Abagarus est excitatus,vt literis eū accerseret, qui talia dicebatur posse curare.Et protinus scripsit ad Dominū eam quæ vbique circumfertur epistolā.Abagarus Toparcha Edessæ,Iesu Saluatori,qui bonus exortus est medicus in ciuitate Hierosolymorū,salutem.Auditione accepi de te,& de tuis curationibus,vt quę à te fiant sine medicamentis & herbis:& vt fertur cœcos facis videre: claudos ambulare: leprosos mundas:immūdos spiritus & dæmones expellis:& eos curas qui diuturno fuêre morbo vexati:& mortuos excitas.Cùm hæc autē omnia de te audiuissem,duorū alterum mihi venit in mentem vt cogitarē, vel te esse Deum,& cùm è cœlo descēderis hæc facere: vel te esse filiū Dei.Propterea ergo ad te scribēs rogaui,ne grauēris ad me venire,& morbū quo laboro curare.Etenim audio Iudæos aduersus te murmurare,velle tibi malefacere.Est aūt mihi ciuitas minima & honesta,quæ vtrisq; nobis sufficiet,vt in pace in ea habitemus.

Quoniam ergo Ananias & suæ in dominum beneuolentiæ aperta præbuerat indicia, & viam rectè sciebat,& pingendi artē callebat,per eū ad Iesum talem misit epistolam, mandans ei,vt si literis Christo persuadere non posset, vt ad ipsum veniret,eius quidem certè formæ similitudinē accuratè descriptam ad eum afferret,vt in vmbra saltem disceret,non solùm per auditū,sed etiā per visum, qualis sit hic magnorum horū opifex miraculorum.

Cùm autē qui missus fuerat,peruenisset in Iudæam,inuenit Christū sub dio disserentem cum populo qui confluxerat,& prodigiosè facientē insignia miracula.Cùm verò propter multitudinem eorū qui propter diuersa quibus opus habebant venerant,non posset Ananias Iesu appropinquare, in quandam petram, quæ parum eminebat à terra,non procul à loco, in quo Iesus versabatur,ascendit & assedit. Et cùm ei fuit manifestus Iesus,quē populus abscōdebat,cæterosq; supereminuit,statim in illum quidem oculos,in chartā autem manum defigebat, & eius qui cernebatur describebat similitudinem. Hæc autem cognouit Iesus spiritu,& cùm Thomam accersiuisset: vade,inquit, in illum locum,& hominem qui sedet supra petram, & meam formam describit,adduc ad me, afferentem etiam quam habet ad me epistolam,vt id impleam, quod præcepit is qui misit. Vadens ergo Thomas, & agnoscēs Ananiam ex eo quod audierat quid eum esset inuenturus facientem,duxit ad Iesum. Priusquàm autem ab eo acciperet epistolam, dixit ei Christus causam cur ad se venisset,& quid cōtineret epistola. Deinde cùm eā accepisset,& perlegisset, alteram epistolā rescripsit ad Abagarū his verbis:Beatus es,ô Abagare,qui in me credidisti, cùm me non videris. De me enim scriptum est, quòd qui me viderunt,in me non credunt:& qui non viderunt,ipsi credent,& viuent.Quod autē ad me scripsisti vt ad te veniā, oportet me hîc omnia implere,propter quæ huc sum missus.Et postquā impleuero,assumi ad eū qui misit me,patrē.Postquā autē fuero assumptus,mittā ad te vnū ex meis Discipulis,qui tuū morbū curabit:& vitā æternā & pacē tibi præbebit,& tuæ ciuitati cauebit,vt nullus eā possit superare inimicus.Cùm Ananię Christus eam tradidisset epistolam,quoniam videbat eum solicitum,vt alterum domini sui exequeretur mandatum,nempe vt ad eum deferret illius

formæ similitudinem,cùm aqua faciem abluisset,deinde humorẽ qui ex ea descendebat,in dato ei mantili abstersisset,diuinè prouidit,& supra rationem vt eius 2 figura in eo impri-meretur,& cùm eã tradidisset Ananiæ,iussit reddi Abagaro,vt & eius solaretur desideriũ, & morbum reprimeret.Postquam ergo cum his reuertens Ananias,peruenit ad ciuitatem Hieropolitanorũ,quę Sarracenorum quidem voce dicitur Menibich,Syrorum autem Mabuc,cumq; extra eam ciuitatem diuertisset adolescẽs,in cumulo tegularum recenter factarum,qui illic iacebat,sacrum illum pannum occultauit.Circa mediã verò noctem,visus est ignis plurimus illum locum in orbem circundare,adeò vt intra ciuitatẽ viderentur omnia circumcirca ardere,& de se iam timentes exirent,vt inquirerent de eo quod videbatur incendio. Illic autem inuentum comprehenderunt adolescentem,vt qui hoc admisisset facinus, & de re eum sunt sciscitati, & quisnã ipse esset,& quò iret,& vnde veniret, sunt percontati.Cùm verò dubius animi esset adolescẽs propter alienam criminationem,tunc declarauit,vndénam esset,& vnde veniret,& quid afferret: & significauit se deposuisse in tegulis id quod afferebat, vnde etiam visa est flamma accendi.Statim autẽ volentes illi scire veritatem eorum quæ dicebantur,cùm locum essent perscrutati,inuenerunt non solùm id quod ab adolescente Anania illic erat repositum , sed etiam in vna quæ propè erat tegula, diuinam aliam expressam effigiẽ,admirabiliter & supra quàm posset cõsequi intelligentia, cumq; descripta non fuerat forma, in testa ex contexta tela descripta fuisset . Quod cùm vidissent,pleni stupore & admiratione,propterea quod ardẽs ignis nusquã esset inuentus, sed ex claritate quæ erat in forma,flamma visa esset emitti: tegulam quidẽ,quæ in se diuinam expressam habebat effigiem, apud se detinuerunt,tanquam aliquẽ sacrum & pretiosum thesaurũ: vt qui ex eo quod viderant,coniecissent diuinam quæ in ea erat operationẽ. Primum autem exemplar & eius ministerium veriti retinere,miserunt ad Abagarum. Et nunc conseruatur,& in honore habetur apud eius oppidi habitatores forma quæ est in tegula,non descriptæ formæ non descripta:& non manufactæ non manufacta.Ananias autẽ cùm confecisset iter sibi propositum,aperuit Domino ea quæ interim facta sunt, ei etiam redditis salutaribus quæ afferebat symbolis.Et hoc quidẽ est quod dicitur à pluribus,quod neq; remotum est à probabilitate,neq; bonis eget testibus. Cæterùm hoc quoq; exponã, ne quis suspicetur,me dum ego id ignorarem,tenuisse alterum.Neq; omnino est mirum in tanto tempore sæpe errare historiã. Nam in eo quod est hac in re præcipuum,omnes cõsentiunt,& cõfitentur, ex facie Dominica admirabiliter in linteo fuisse formã expressam: in nonnulla autem rei circunstantia,seu in tempore differunt,quod quidem nihil lædit veritatem,seu prius factum sit,seu posterius.Sic autem habet alterum quoque quod dicitur. Cùm,inquiunt,esset Christus iturus ad salutarem pasionẽ, quando humanam ostendens imbecillitatem,visus est animo anxius,& orãs:quo tempore eius quoq; sudorem tanquam guttas sanguinis distillasse significat Euãgelium,tunc dicũt eum cùm accepisset à quodam ex discipulis hoc quod nunc videtur,frustum lintei,stillãtes imbres in eo abstersisse:& statim fuisse expressam hanc quæ videtur diuinæ illius formæ effigiẽ. Quod cùm apud Thomam deposuisset,postquam ascendit in cœlos,per Thaddæum iussit mitti ad Abagarũ,implens id quod erat ei literis pollicitus. Postquam ergo assumptus esset in cœlos Dominus noster Iesus Christus,dans Thomas Thaddæo non manu descriptam Domini nostri faciei effigiẽ,misit ad Abagarum.Cùm ergo Thaddæus peruenisset Edessam,mãsit primùm apud quendam,qui illic erat,Iudęum,cui nomen erat Tobias.Et ante sermones ex factis volens Christi discipulus seipsum notum reddere Abagaro, eos qui erãt ægroti illius ciuitatis curauit sola Christi inuocatione.Quamobrẽ cùm fama citò peruasisset(quod quidẽ solet euenire in ijs quæ sunt eiusmodi: Res enim quæ sunt admirabiles,& præter opinionẽ,multos habent qui eas renuncient) peruenit etiã ad Abagarũ,per quẽdam ex eius proceribus qui vocabatur Abdu,illic scilicet esse Christi Apostolum.Cùm itaque statim apud se cogitasset ex ea spe,quæ in ipso habitabat,hunc illum esse, quem Iesus literis suis pollicitus est se ad eum missurum,& cùm de Thaddæo ipso didicisset perfectius, iussit vt ad se adduceretur. Veniẽs ergo Tobias significauit hæc Apostolo.Ille verò cùm dixisset se in virtute ad eum esse missum,deinceps venit ad Abagarũ.Cùm autem esset ante conspectũ eius appariturus, in sua fronte,tanquam in columna, appensa ea Domini Iesu,quam diximus, similitudine, sic ingressus est ad Abagarum. Is verò cùm ipsum procul vidisset venientem, visus est videre lucem maiorem, quàm vt eam ferre posset aspectus, radiosque emittentem, quæ ex eius vultu exiliebat. Prodibat autem ab effigie quæ erat ei imposita.Quamobrem insigni luminis splendore obstupefactus,& veluti eorum quæ sibi acciderant oblitus,& diuturnæ membrorum paralysis,è lecto exilijt:& resoluta membra coëgit ei currere obuiam. Eique idem accidit, sed alio modo, quod ijs qui in monte Thabor resplendentem formam Domini viderãt.Cùm ergo ab Apostolo eam accepisset effigiem,& capiti labris & oculis eam impo-

2 Si Dominus ipse & Saluator primus dedit imaginem suam mãtili impressam, cur tãtopere imagines abominantur hæretici?

imposuisset, & nec alias quidē partes corporis eo cōtactu priuasset, ilico cognouit omnia membra mirandum in modum roborari, vt quæ mutationem in melius susciperent, lepramque expurgatam & fugientem, etiam si in fronte eius aliquæ adhuc paruæ restarent reliquiæ. Cùm autem verbum veritatis ab Apostolo didicisset apertius, & de Christi, quæ opinionem superant, miraculis diuinisq; passionibus, & sepultura, & resurrectione à mortuis, & assumptione in cœlos perfectè audisset, & confessus fuisset Christum verum esse Deum, eum rogauit de forma in linteo impressa, quandoquidem propius astans, cognouit eam non consistere per colores materiales: & stupebat eam, quæ in ipsa erat virtutē, quæ fecit, vt admirabiliter è lecto surgeret, & connumeraretur inter sanos. Ad hæc Thaddæus declarauit tempus angoris animi, & eam quæ ex sudore sine colore facta est, transformationem, & vt ad ipsum veniret iussum Domini, & alia quæcunque præcedens narrauit historia. Postquam ergo & ex his, & ex impositione manuum Thaddæi in nomine Iesu Christi ea quæ dolorem afferebant, recesserunt: & quæ erant dissoluta quodammodo constringebantur, & deformitas dispergebatur: & omnia redibant ad sanitatem, Abagarus in maximam omni ex parte adductus admirationem: Reuera, inquit, verus es & germanus Iesu filij Dei discipulus, qui curabat sine medicamentis & herbis: Et ego tanta in eum sum deuinctus charitate & fide, vt nisi ego vererer summam Romanorum potentiam, qui non permittunt ijs qui sunt subiecti eorum imperio, cōtra seinuicem arma capere, fortiter aduersus Iudæos, qui crucifixerunt Dominum, arma mouissem, & eos subegissem. Nunc autem quoniam didici eius passionem fuisse voluntariam, & persuasum habeo, quòd nisi voluisset, ingrati in eum nullam habuissent potestatem, nihil quæro amplius. Rogo autem, vt diuinum quoque consequar baptismum, & cum tota domo Domino Christo reddar familiaris. Cùm itaque multa prius effecisset miracula Domini Apostolus, & omnes curasset à morbis suis, inter quos is erat etiam, qui primus de eo famam retulit ad Barbarum, quem liberauit à podagra, adduxit Abagarum ad diuinam piscinam, & cùm in eo ea fecisset, quæ sunt de more, baptizauit eum, & vxorem, & filios, & omnes qui erant in eius domo. Et egressus est ex diuina hac aqua expiationis totus mundus & sanus, repentè deletis ijs quoque paruis lepræ reliquijs, quæ erant in eius fronte. Hinc factum est, vt omnibus modis colens & adorans hanc formæ Domini effigiem, hoc quoque alijs adiecerit Toparcha. A veteribus Edessæ habitatoribus imago cuiusdam Dei insignis ex dijs gentilium posita erat ante portam publicam ciuitatis, quam necesse erat adorare omnē qui volebat ingredi ciuitatem, & quasdam preces reddere constitutas, & sic intrare vrbis vias, & vicos. Hanc ergo cùm tunc diruisset Abagarus, & omnino deleuisset, in eo loco vbi ea erat posita, hanc non manu factam Domini nostri Iesu Christi imaginem, cùm in tabula conglutinasset, & hoc quod nunc videtur auro ornasset, posuit hæc verba in auro inscribens: Christe Deus: Qui in te sperat, à spe non excidit. Et statuit, vt quicunque per illam portam erat transiturus, pro illa veteri inutili columna, eum quem par erat [3] cultum, & honorem qui debetur, & adorationem tribueret longè admirabili, & miraculorū effectrici Christi imagini, & sic ingrederetur ciuitatem Edessæ. Itaque conseruatum est hoc huius viri pietatis expressum monumentū, & Deo dedicatum donarium, donec in hoc vitæ incolatu mansit Abagarus, & eius filius, qui regni simul & pietatis paternæ fuit successor. Cæterùm eorum filius, & nepos fuit quidem successor paterni & auiti imperij, non fuit autem hæres etiam pietatis. Sed in pietatem calcibus, vt ita dicam, insultauit: & ad dæmones & idola transfugit. Quamobrem dæmones quoque veluti remunerans, voluit, quoniam eius auus idolicam illam deleuit imaginem, eandem afferre condemnationē Domini imagini. Sed quod captabat, minimè est assecutus vir fraudulentus. Nam cùm hoc præsciuisset loci episcopus, ea qua ipsi licuit vsus est prouidentia. Et quoniam locus in quo sita erat imago, seruabat figuram hemisphærij speciem Cylindri referentis, accensa ante imaginem lucerna, & imposita tegula, cùm calce & coctis lateribus obstruisset loci ambitū, redegit murum in planam superficiem. Cùm igitur non videretur diuina forma, destitit ille impius à conatu. Ideo autē, vt arbitror, statutū est à sacerdote, vt ante imaginē poneretur tegula, ne aliqua putrefactio, quæ fit ex situ ædificij, & ex humore calcis, inesset in linteo imaginis receptaculo, ex diuturnitate temporis aliquid damni acciperet. Fluxit itaq; interim multū temporis, & ex hominum effluxit memoria sacræ huius imaginis in columna erectio, ac eiusdem absconsio. Postquam autem suo tempore Chosroe Rex Persarum Asiæ ciuitates diripiens, venit etiam Edessam, & ante eam castrametatus omnem mouit machinam, & omne comparauit instrumentum aptum ad oppugnandam ciuitatem (fabricatus est namq; omnia quæ pertinent ad emittenda tela, conquassandos muros, & confringendas portas) in tantum periculum adducti Edesseni, ipsi quoq; excogitabant, quæ poterāt, ad sui defensionem. Miserunt autem legatos quoq; ad petendum auxilium à ducibus Romani exercitus.

3 Ecce quomodo ordinat Rex cultum exhiberi imagini Saluatoris nostri, quam collocauit supra portam ciuitatis.

Illion

Illion verò, qui tunc præerat Romanis copijs, & per se vexabatur ab hostibus, nō poterat Edessenis mittere auxilium: Literis autem addebat animum, Epistolam Domini reuocans in memoriam, & veram quæ est in ipsa prolata sententiam, per quam dicitur & creditur fore, vt conseruetur non direpta ciuitas. Persæ autē cum aperta inuasione occultas quoq; moliebantur insidias. Et cùm procul cœpissent fodere, cogitabant per cuniculos ingredi ciuitatem. Cùm verò perinde ac quidam vrinatores sub terra essent intra muros, ex tali causa contigit vt manifestæ fierent insidiæ ijs qui erant intra vrbem. In illa enim vrbis parte habitabat faber æris intra muros, cuius vasa ænea in domo sublimia sonitum emiserunt, Persis sub terra pulsantibus, & puluerem effodientibus. Cùm ergo planè essent inopes consilij, & essent ad extremam redacti desperationem Edesseni ciues, ad Deum confugiunt, & cum dolore cordis & lachrymis ipsum exquirunt. Noctu autem apparet Episcopo (Erat verò is Eulalius) mulier quædam honesta & moderata, præstantior quàm vt homo esset, ei consulens, vt Christi non manufactam acciperet imaginem, & cum ea faceret supplicationem, foretque, dixit, vt Dominus omnino sua ostendat miracula. Episcopus autem dicebat, se omnino ignorare, an sit apud ipsos, an apud alios ea imago. Tunc dicit ei quæ in muliebri apparebat habitu: Supra portam ciuitatis in hoc loco, hoc modo abscon͞sa fuit hæc imago. Manè ergo Episcopus euidenti visione fretus, ad locū veniens cum precibus, & perscrutans, inuenit hanc diuinam, integram & incorruptam imaginem, & lucernam quæ tot annis non fuerat extincta: & in tegula ante lucernam imposita ad eius custodiam, aliam expressam similitudinē similitudinis, quæ in hodiernum diem conseruatur Edessæ. Cùm ergo sumpsisset in manus hanc diuinā Christi, qui est Deus & homo, effigiem, meliori spe concepta venit ad eum locum, in quo Persæ fodientes, ex æris sonitu deprehensi fuerant. Et cùm cœpissent ciues fodere intrinsecus, vbi sibi inuicem appropinquarunt, ex illa lucerna oleum instillantes in ignem qui fuerat eis paratus aduersus inimicos, & immisissent contra Persas qui erant in cuniculo, omnes perdiderunt. Et cùm hinc liberati essent ab insidijs, eadem vsi sunt experientia aduersus machinas quæ erant extra muros, & eas repentè combusserunt: & multos consumpserunt ex ijs qui erant in eis hostibus. Iam 4 autem effecti fidentiores, lapides quoq; è muris emiserunt, & à quibus ducem quendam exercitus hostium contigit interimi, & alios multos cum eo. Nec id solum, sed etiam ea quæ extrinsecus à Persis accensa fuit pyra aduersus eos qui erant intus, quam olearum, & multarum aliarum, quas immiserant arborum alebat infinita materia, effecit diuinæ imaginis auxiliū ferentis virtus, vt cōtra ipsos esset qui accēderant. Postquā enim ex alto Eulalius eam è muro suis explicasset manibus, & obiret ciuitatem, repentè cùm peruenit ad hunc locum, ventus vehemens excitatus aduersus eos qui hunc rogum accendebant, flammam conuertit, quæ eos persecuta fuit, & exussit, sicut olim Chaldæos. Non sunt hæc miracula nullis approbata testibus, aut oratione composita ad aures oblectandas, aut à nobis conficta deceptio: sed tres simul Patriarchæ, Iob Alexandrinus, Christophorus Antiochenus, & Basilius Hierosolymitanus hæc scripserunt, & hæc ita se habere significarunt Theophilo Imperatori, qui sacras imagines iniuria affecerat, quando multis ostendentes, quàm sint sacræ & venerandæ imagines, de hoc quoque tractarunt. Licet autem ei qui velit ipsam prolixam legere epistolam, & id discere. Sed 5 Euagrij quoque Ecclesiasticam si quis diligenter legerit historiam, sciet omnino quænam de hac sacra imagine narret in quarto lib. Scribit enim, quòd cùm alijs de causis Chosroe, tum ob eam potissimum rationem exercitum duxerit, vt apertè ostenderet esse falsum, quòd à Christianis de Edessa iactabatur ciuitate, eam non posse expugnari ac diripi. Qui cùm magnam lignorum struem, & penè infinitam breui multa manu militum coëgisset, & ea circum circa fixisset aduersus muros ciuitatis: deinde terram in medium eorum iniecisset, & alium murum ei ex aduerso ædificasset, fuit altior muris Edessæ. Et sic ex superioribus locis, & supra modum dexteris, erat mox tela emissurus aduersus eos qui pericula adibant pro ciuitatis defensione. Quod quidem cùm viderent Edesseni, apertè veluti montem excitari aduersus inania, per quem tanquam ex plano, credebant hostes esse ingressuros ciuitatem, etsi planè essent perplexi, & nescirent quid agerent, machinantes tamē ipsi quoque quæ poterant, aggrediebātur ducere fossam ante murum illum recenter factum, vt si possent attingere vallos qui erant ante aggerem, terram in fossam attraherent: & sic magnus ille murus, tanquā somnio effictus, citò pessundaretur & difflueret. Postquam autem absoluta quidem esset fossa, ignē verò in lignea immittentes à scopo aberrarent, nec posset ignis, propterea quòd terra esset constipata, & ligna adhuc viridia, aliquid apprehendere, cùm hanc sacram imaginē in illam recēter ductam fossam tulissent, & ex ea aquam sanctificassent, eaque rogum & ligna aspersissent, effecerunt, vt ignis esset efficax. Et fidei eorum qui hæc fecerunt opem ferente diuina virtute, facta est aqua igni tanquam oleum, &

accendit

4 Vide mirabiles effectus huius venerādæ imaginis.

5 Quod Euagrius iste de hac veneranda imagine, & hoc eodem miraculo per eā edito ita scripserit, si alterū quis testimonium habere cupit (vt iuxta illud Domini: In ore duorum vel trium testium stet omne verbū) Secundæ Nicænæ Synodi actionem quintā legat, vbi ipsius Euangrij Ecclesiastica historia hoc idem narrantis adducitur cum alio religiosissimo viro, Leone nomine, de sacra hac imagine fidem faciente.

accendit flammam, & consumpsit quicquid apprehendit. Tunc ergo Rex Persarũ desperans fore, vt vrbs caperetur, cùm didicisset vndénam haberet auxiliũ, processit ad ineundam cum eis conuentionem, & percusso fœdere pacis reuersus est in suam regionem. Erat autem ipse quoque haud ita longo pòst tempore beneficium assecuturus ab hac sacra imagine, quæ hostes eius beneficio affecerat, & suos de medio sustulerat. Eius enim filia, quã dæmoniacus inuaserat spiritus, & excesserat è statu, qui est secundùm naturam, assiduè clamabat ab eo vexata: Nisi venerit Edessa imago non manu facta, id quod in ea habitat non esse egressurũ. Quod cùm Rex audijsset, & quæ in obsidione euenerant considerasset, (neque enim eum latuit quæ repentè extitit virtus admirabilis, & audacia Edessenorum) scribit statim ad Præsidem ciuitatis & ad Metropolitanũ Eulalium, & ad commune ciuitatis, vt statim ad eum mitteretur diuina, & maximæ virtutis effigies: adijciẽs etiam causam, nempe filiæ calamitatem, & omnino rogans, & instans ne frustretur petitione. Illi autem Persicos mores suspectos habentes, & timentes ne Rex Persarum vellet eorũ vires dolo subripere, & cauentes ne eam, in cuius erant tutela, & quæ eos beneficio afficiebat, perderent, nec eo prætextu initam pacẽ soluerent, capiunt cõsilium prudens & eis vtile. Cùm itaq; omnino æqualẽ, &, quoad eius fieri potuit, similem non depictæ depictam effinxissent imaginem, mittunt ad eum qui petierat. Postquam autem fuerunt intra fines Persidis ij qui afferebant imaginem, statim per filiam Regis exclamauit dæmon, se statim exiturum, & mutaturum esse habitationem, propter eius qui venit potentiam, si modò reuertatur quæ accersita fuit imago, & non appropinquet regiæ, neque ciuitati Persarum. Quod à Rege magnopere contendebat, & ab eo supplex petebat. Cùm Rex autem esset pollicitus, egresso è puella dæmone, & Regis filia sanitati restituta, Chosroe, siue implere volens dæmonis petitionem, & confirmare quod erat pollicitus, siue eius qui veniebat extimescens potentiam propter malos & scelestos suos mores, misit qui iuberent, vt hæc imago reuerteretur in suam ciuitatem, è qua exierat, adiectis à se missis donis ad eos qui eam miserant. Erant ergo apud Edessenos hæ pretiosæ opes, thesaurus qui non potest exinaniri, imago illa primaria, & non depicta, quæ semper ab eis honorabatur, & eos vicissim custodiebat. Postquam autem ad hanc vrbium Reginam vndique confluxerunt, quæ sunt optima & pulcherrima, eratque Dei voluntas, hanc quoque sacram imaginem hîc recondi cum alijs thesauris: Romanus, qui erat Romanorum dominus imperij studium adhibet, vt per ipsum ciuitatum Regina hanc consequatur. Diuersis verò temporibus mittens Edessam petebat, vt ea cum epistola quam Dominus sua manu scripserat, ad eum mitteretur: & promittebat se contrà eis daturum in permutatione Sarracenos numero ducentos, & argenti signati duodecim millia. Edesseni autem dicebant, sibi non conducere suæ ciuitatis custodem & conseruatricem, argento & hominibus mortalibus permutare. Cùm autem ille sæpè petendo instaret, illi verò sæpè preces reijcerent: tandem sexies millesimo quadringentesimo quinquagesimo secundo anno ab origine mundi misit Ameras Edessenus, rogans vt scripta cautione per aureũ signaculũ quod haberet firmitatẽ, fide iuberet Imperator, non esse Romanorum exercitus hostiliter inuasuros quatuor ciuitates: dico autem Rocham, quam vox Barbara vocat Edessam, Charam Sarotze, & Samosata, neque ex eorũ agris predas esse acturos, aut eos qui in illis habitant, redacturos in captiuitatem: tradendos autẽ esse sibi ducentos Sarracenos ex contribulibus, cum ea quæ prius fuit promissa quantitate pecuniæ: Quod si faceret, sciret se ad eum esse missurum illam quæ quærebatur, imaginem, & Christi epistolam. Imperator verò eius boni desiderio, concedens omnia quæ fuerant proposita, cùm dedisset ea quæ petebantur, misit Abramium Deo charum Samosati Episcopum, qui illo tempore hîc agebat ad diuinam illam suscipiendam imaginem, & Christi Dei nostri epistolam. Aduertens autem & qui misit, & qui erat minister, ne in ea tradenda callidè deciperetur, & pro non descripta & vera traderetur ea quæ tunc fuit descripta propter Persicũ casum, has ambas cũ alia quæ celebratur in Ecclesia Nestorianorum, quæ ipsa quoque, vt est verisimile, sumpta fuerat ex prima, quæsitas accepit ad fidẽ faciendã. Quæ rursus sunt redditæ, retẽta sola principali, & vera. Sed hoc quidẽ postea.

Tunc autem excitabatur magnus tumultus à fidelibus qui erant Edessæ, vt qui non sinerent à se auferri quæ erant pretiosissima, & propugnacula eius quæ ipsos tulerat ciuitatis: donec præfectus Sarracenorum, alijs quidem persuasis, alijs verò coactis, alijs verò etiam minis mortis territis, effecit vt ea traderetur. Cùm autem tonitrua & fulgura cum pluuia vehementissima diuina prouidentia subitò erupissent, dum Edessa esset exitura imago, & Christi epistola, rursus mouebantur ij qui ea prius retinebant, & affirmabant Deum ijs quæ fiebant significare diuina voluntate non fieri rerum sanctissimarum ex eo loco translationem. Sed cùm Præfectus Sarracenorum, penes quem erat vniuersa potestas, statueret standum esse conuentis, & implendum esse promissum, egreditur è ciuitate effigies pretiosissima,

tiosissima,& epistola à Deo scripta,& huc afferebatur. Et viam quidem conficientes ij qui ea ferebant,peruenerant ad Euphraté:& rursus tumultus excitatur nullo priorum minor, Edessenis dicentibus:quòd nisi diuinitus ostensum fuerit signum aliquod,nullo modo dimittent id, quo continetur eorũ securitas: datur ergo eis signum,cùm essent infideles, & tentarent. Nauis enim, cum qua erat eis propositum transmittere Euphratem, cùm adhuc esset in portu in partibus Mesopotamiæ, vbi eam solùm ingresi sunt Episcopi, diuinam imaginem afferentes & epistolam, cùm seditiosi tempestate adhuc retinerentur, repente sine remigibus, sine eo qui gubernaret, aut traheret, appulit in terram quæ erat ex aduerso, gubernata sola diuina voluntate. Quod quidem omnes qui conuenerant stupore impleuit & admiratione, & persuasit,vt non inuiti concederét emissionem. Hinc perueniunt Samosata ministri eorum quæ ferebantur. Erant autem Samosatorum, & Edessæ Pontifex & eius primus Presbyter, & alij quidam religiosi Christiani, cum quibus vnà erat etiam minister Ameræ,qui Romam reuertebatur. Hic cùm aliquot dies essent morati, multis illic factis miraculis, rursus iter sunt ingresi. Et rursus in via innumerabilia fiebant [6] miracula à sacra imagine,& Christi epistola. Cœci enim ex improuiso aspiciebant, & claudi reddebantur sani,& membris integri:saltabát qui longo tempore in lecto decubuerant,& sani fiebát,quibus erant manus aridæ:& (vt semel dicã) fugabatur omnis morbus & infirmitas,& qui sani erant,Deum glorificabant,& laudabant eius admirabilia. Cùm autem multum iam viæ confecissent,veniunt etiam ad sanctissimę Deiparæ monasterium, quod vocatur Eusebij monasterium, quod quidem est in loco qui dicitur Optimatum. In templo verò huius monasterij, quo par fuit honore, reponitur capsa, quæ miraculorum effectricem tegebat imaginem: & multi qui accesserunt pura & syncera affectione curati sunt à suis morbis. Quò etiam venit quidam vexatus à dæmone,quo tanquam instrumento vtens malus spiritus, & multa per ipsum eloquens quæ pertinebant ad laudem imaginis & epistolæ(Nam olim quoque:Nouimus quis sit sanctus Israël, dicebant qui erant earundem cum illo partium)tandé hæc quoque est quasi vaticinatus: Accipe,dicens ô Constantinopolis gloriam & lætitiam,& tu Constantine Porphyrogenite tuũ imperium. His dictis fuit homo curatus,& statim liberatus à vexatione dæmonis. Horum autem verborum fuêre multi testes. Nam cùm Imperator misisset obuiam ei quod desiderabat, magistratus & primos totius senatus: & multi ex satellitibus simul cũ eis exiuissent,accidit vt magistri & patricij cum inferioribus ordinibus ea audirent,& de ipsis ferrét testimonium. Et quoniam quæ dicta fuerant,citò euenerunt,iure est dubitandum,vndénam præscientia accesserit ad dæmoné. Non enim creduntur eam ex se habere,cùm à diuina gloria exciderint,& pro luce dicti fuerint tenebræ. Sed clarum est,quòd quo modo diuina virtus vsa est Balaamo ministro eius quæ tunc fuit prædictionis,& aliâs alijs sæpe ea re indignis, sapiéti quodã & solerti consilio:ita nunc quoq; virtus quæ erat in diuina effigie,vsa est dæmone. Et ideo per eum præsignificauit quę mox erant euentura. Sed cùm hoc quidé sic euenisset, eius meminisse interim non fuit fortasse alienũ. Pergamus autem ad ea quæ sequũtur narranda. Decimoquinto mensis Augusti,Imperatoribus de more festum [7] celebrantibus semper virginis & Dei matris Mariæ in venerabili templo, quod est in Blachernis,circa crepusculum illuc peruenerunt ministri harum rerum pretiosarum. Et reposita est in superiore oratorio diuini huius templi arca,quæ intus habebat imaginem & epistolam. Quò venientes Imperatores eam extra reuerenter adorauerunt. Deinde cùm honorificè magno comitatu,& multis lampadibus ad regiam eam portassent triremem,cum ea venerunt in regiam: & in templo quod illic est, & nominatur Pharos (propterea fortasse quòd sicut vestis splendida,id sit egregiè ornatũ)eam reposuerunt:die sequéti,qui erat mensis sextusdecimus, piè & reuerenter salutantes eam rursus,& adorantes. Illinc Sacerdotes,& iuuenes Imperatores(senex enim domi manserat propter corporis infirmitatem)cum psalmis & hymnis,& copioso lumine,per descensum ad mare,ea in triremi regia rursus imposita, prope vrbem remigantes, vt quodammodo vrbem conseruaret per ipsum in mare ingressum,appulerunt extra murum ciuitatis,qui est ad occidentem. Quo in loco egresi è naue, pedibus ingredientes Imperatores,& totus senatus,& sacrorum Antistes cum tota Ecclesiæ congregatione,eo quo par fuit comitatu prosecuti,tanquã aliam arcam vel potius supra eam vas deducebant,quod illa sanctissima & pretiosa custodiebat. Et cùm quæ erant extra muros trãsmisissent vsque ad portam auream, deinde ingresi ciuitatem [8] cum psalmodijs & hymnis sublimibus,& canticis spiritalibus,& infinito lumine lampadum publicam celebrãtes deductioné,iter faciebant per mediam ciuitatem, sanctificationis & roboris per hoc esse participé ciuitatem credentes,illæsamque & inexpugnabilem esse in æternum conseruandam. Otiosa autem turba concurrente ad spectaculum, homo quidam paralyticus & imbecillus,& qui iam longo tempore suis innitebatur famulis,surrexit,vt videret

6 Ecce quot miracula ostẽdit Deus pro approbatione recti cultus qui imaginibus exhibetur.

7 Imperatoribus de more festũ celebrãtibus semper virginis, & Dei matris Mariæ, hoc est, solennitatem Assumptionis eiusdem.

8 Vide cũ quanto honore, hymnis, psalmis, canticis spiritualibus & lampadibus pretiosa hæc deducatur imago, vt totam sanctificet ciuitatem.

deret diuinam imaginem transeuntē: qui simulatq; eam aspexit, præter opinionem sanus effectus, cùm cognouisset esse confirmatas & corroboratas bases suorum pedum, accurrit ambulans ipsis pedibus: & osculatus est capsam imaginis, & Deum magnificauit, narrans quod in se factum fuerat miraculum. Quem cùm vidissent omnes qui simul aderant, & verba eius audiuissent, emiserunt gloriam Deo vniuersorum, qui semper facit admirabilia. Tam multæ autem lachrymæ præ gaudio sunt profusæ, & tam multæ ad Deum preces, & gratiarum actiones factæ sunt ab vniuersa ciuitate, diuina imagine, & veneranda epistola, transeunte per mediam ciuitatem, vt verbis explicari nequeant, vtpote quòd quæ vidit oculus, non possit consequi oratio. Res enim quæ sunt excellentes pulchrius est videre, quàm audire. Solentque talia relinquere à tergo orationē. Cùm ergo ad forū, quod est ante Augustium, venissent duces huius celebritatis, & à via recta parū declinassent ad sinistram, veniunt ad clarissimum templum sanctæ Sophiæ: & intra adytorum propitiatorium reponunt pretiosam imaginem & epistolam. Cùm hîc autem adorasset tota Ecclesiæ congregatio, & vt par est, honorasset, illic rursus egressi sunt cū sancto onere, qui peragebant processionem, & cùm venissent in regiā, in auro quod cognominatur Triclion, super thronum imperatorium in quo consueuerunt respōdere de rebus magnis, tunc diuinam collocant imaginem, cathedrā omnino sanctificari imperatoriam, & simul iustitiā & benignitatem eis planè largiri qui in ea sedebāt, non immeritò credentes. Intensa autem de more facta oratione, post eam impletā hinc sublata fuit diuina imago, & in prędicto Phari tēplo, in dextera parte quæ vergit ad orientem, conseruata fuit & reposita ad gloriam fidelium, ad custodiam Imperatorum, & ad tutelam totius ciuitatis & status Christianorum. Sed ô diuina similitudo eius quæ mutari non potest patris similitudinis. O character characteris paternæ substantiæ. O venerandum & omni honore dignum signaculum primariæ pulchritudinis Christi Dei nostri (Tecum enim loquor, tanquam cum re animata) conserua, & custodi semper eum qui piè & moderatè nobis imperat, & tui aduētus memoriā luculentè celebrat. Quem cùm tua benignitate ad auitam & paternam sedem extulisti, cōserua eius germen ad generis successionem, & sceptrorum perpetuitatem. Statum pacificum præbe reipublicæ. Concede, vt hæc regina ciuitatū maneat inexpugnabilis: & vt nos placentes archetypo tuo Christo Deo nostro, admittamur in eius regnum cœleste, eum glorificantes, & celebrantes: Quoniā eum decet gloria & adoratio in secula seculorū. Amen.

ANDREAE EPISCOPI CRETENSIS HIEROSOLYMITANI, De pretiosæ & viuificæ Crucis venerabili exaltatione.

Apud Simeonem Metaphrasten.

CRVCIS festum celebramus, & illustratur totus Ecclesiæ cœtus. Crucis festum celebramus, & gaudij fulgoribus resplēdet facies orbis terræ. Crucis festum celebramus, per quam expulsæ sunt tenebræ, & lux est introducta. Crucis festum celebramus, & simul cum crucifixo extollimur, inferius terra relicta cum peccato, vt superna possideamus. Crux extollitur, & simul extollit humi iacentem humanitatem. Crux extollitur, & terrefit dæmonum elatio. Crux extollitur, & Satanæ aduersa potentia decidens cedit & contrahitur. Crux extollitur, & ciuitates festum diem agunt, & populi libant lætitiam. Crucis enim meminisse, est apertum gaudij argumentum, & contractio tristitiæ. Vel crucis autem cerni figuram, quantum est? Fit enim magnanimitatis conciliatrix, & à timore liberatio ei qui eam aspicit. Talis est magna illa crucis possessio: & qui eam possidet, possidet thesaurum. Auri fortasse putatis me dicere thesaurum, aut margaritarum, & Indiæ gemmarum longè pretiosissimarum? Ego autem id quod est omnium bonorum optimum, ac pulcherrimum, reque & nomine longè magnificentissimum, meritò thesaurum appellauerim, in quo, & per quem, & in quem vniuersa nostræ salutis summa reposita, fuit correcta, & in statum pristinum restituta. Si non fuisset crux, Christus non fuisset actus in crucem. Si non fuisset crux, non fuisset vita ligno affixa. Et si non fuisset affixa, non ex latere salientis riui incorruptionis manassent sanguine & aqua, quæ mundum expurgant: non fuisset ruptum peccati chirographum: non assecuti fuissemus libertatem, non ligni vitæ fructum percepissemus: non apertus fuisset paradysus, non versatilis rhomphæa cessisset è via Eden: non latro habitasset paradysum. Et quid hæc dico? Si non esset crux, non fuisset Christus in terra. Si non fuisset Christus in terra, non fuisset virgo. & si non fuisset virgo, non fuisset Christi secūda generatio, non fuisset Deus in homine, nō partus, non presepe, nō fasciæ, nō octauo die circuncisio, non parētibus subiectio, non ætatis processus, non corporis incrementū, non apparitio, non baptismi participatio,

non

non effectio miraculorum: non Iudas proditor: non Pilatus iudicans: non Iudæorũ audacia clamans crucifigi innocentem. Si non esset crux, mors non fuisset conculcata: non fuissent spoliati inferi: non morte affectus fuisset serpens acerbus. Propterea Crux res est magna & pretiosa. Magna quidem, quòd multa bona per ipsam rectè gesta fuerint,& eò plura, quòd Christi miracula,& perpeßiones aduersus omnem rationem obtinent victoriam. Pretiosa autẽ, quòd Dei paßio & trophęum est Crux. Paßio quidem, propter voluntariam in ea mortem eius qui est impatibilis. Trophæum autẽ, propterea quod per ipsam sauciatus fuerit diabolus: cum illa verò fuerit quoque victa mors, contrita autem fuerint etiam claustra inferorũ: & postremò fuerit Crux commune totius mundi salutare. Crux, spes Christianorum, seruatrix desperatorum, portus eorũ qui tempestate iactantur, medica infirmorum: expultrix vitiorũ, datrix sanitatis, eorũ qui morte affecti fuêre, vita: pietatis proscriptio, blasphemiæ obstructio. Crux, arma contra inimicos, sceptrum regni, diadema pulchritudinis, figura non scripta, virga potentiæ, fidei propugnaculũ, baculus senectutis, dux cœcorum, lux eorum qui sunt in tenebris, eruditrix insipientum, magistra infantium, peccati deletio, pœnitẽtiæ indicatio, vitæ conciliatrix, mortis solutio, interitus alienatio, ignis extinctio, apud Deũ fiducia, clauis regni cœlorũ. Crux, custos in nocte, in die turris, in tenebris deductrix, reconciliatrix, refugiũ supplicibus, solatiũ amicis: patrona, tutatrix, adiutrix, in tentationibus opitulatrix, in periculis seruatrix, in neceßitatibus auxiliatrix, in mari gubernatrix, in ærumnis refrigeratio. Crux noctu seruat dormientes: simul vigilat cum vigilantibus: vnà quiescit cum ijs qui laborarunt. Crux, robur imbecillorum, requies laborantium, alimentum esurientium, vires ieiunantiũ, aliptes Athletarum, tegumentum nudorum, comes hospitum, castigatrix diuitum, pauperum procuratrix, protectrix viduarum, tutrix orphanorum. Crux, honor magistratuum, potẽtia Regum, belli ducum victoria, sacerdotum gloria, monachorum adiutrix, virginũ cohabitatrix, signaculum castitatis, vinculum coniugij. Crux, custos ciuitatum, tutela domorum, quæ amicitiam cõiungit, inimicos vlciscitur, resistit hostibus, gentes persequitur: quæ est stimulus Barbarorum, pacis distributrix, charitatis administratrix, mundi recõciliatio, finium descriptio, cœli altitudo, terræ profunditas, createę naturæ coagmẽtatio, terræ quę apparet lõgitudo, latitudo orbis terræ. &, vt paucis dicã, Crux, caput & summa Christi perpeßionum, miraculorum, quæ in nos facta fuêre, coronis. Hæc & Christi gloria vocatur, & Christi appellatur altitudo. Hæc & desiderabilis calix intelligitur,& pro nobis susceptarũ perpeßionũ cõclusio. Quòd autem sit crux Christi gloria, audi eum dicentem: Nunc clarificatus est filius hominis: & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo,& Deus clarificabit eum in semetipso,& continuò clarificabit ipsum. Et rursus: Clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlis, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo; illam innuens clarificationem, quæ tunc facta est propter crucẽ, elementorum, inquam, mutationẽ & commiserationẽ, ac consensionem. Oportebat enim simul cum creatore per consensum res quoque creatas affici. Quòd autem Christi quoq; altitudo sit crux, audi quid ipse dicat: Quando ego exaltatus fuero, tunc omnes ad me traham. Quomodo etiam alibi dicit: Et sicut Moyses exaltauit serpentẽ in deserto, ita oportet exaltari filiũ hominis. Quamobrem? Vt omnis qui credit, inquit, in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternã. Vides crucem esse Christi gloriam & fortitudinem. Vis scire, quòd vbi est altitudo, illic adest etiam gloria? Audi Dauid dicentem: Exaltare super cœlos Deus,& super omnem terram gloria tua. Et Esaiã rursus, tanquam à facie Christi: Nunc exurgã, dicit Dominus, nunc exaltabor, nunc glorificabor. Quoniã ergo gloria est altitudo: Crux autẽ hodie in altum extollitur: Christus profectò glorificatur. Si enim crux est gloria Domini, Christus ergo est altitudo crucis. Crux ergo hodie in altũ extollitur, vt Christus glorificetur. Non in altũ extollitur Christus, vt crux glorificetur. Glorificatur Christus, vt nos secum simul extollat. Crux ergo in altum extollitur,& piorum spiritũ ac mentem simul extollit. Glorificatur Christus,& simul glorificat eos qui ipsum glorificant. Crux in altum extollitur,& dæmonũ detrahit superciliũ. Glorificatur Christus,& eorũ qui propter peccata ceciderunt, delet ignominiã. Crux in altum extollitur,& cadunt simulachra. Glorificatur Christus,& feritur diabolus. Crux in altum extollitur, non solùm quòd Christus fuit in altum elatus: sed quòd manifestus euasit tempore Imperatorũ qui crediderunt in Christũ. Hoc autem non ita fecit, vt qui antea simulatione & probabilitate quadam ad se multos attraxerunt, sed diuina & syncera virtute, ac veræ fidei solida & stabili firmitate. Postquam enim post mortem in cruce susceptam, vitę & mortis Dominus post tres dies reuixit, inuidiæ stimulis puncti Iudæi,& timore affecti, ne quid ex rebus illis sacrosanctis quæ fuerunt in illa veneranda & beata paßione, seruatum, Iudæos quidem vlciscendi esset instrumentum, custodiendi autem eos qui crederent in Christum, ea defoderunt in intimis terræ finibus, illic deponentes imprimis pretiosum

thesaurum,Crucem,inquam,& omnia quę ad crucem pertinent,nempe clauos & lanceam, & quem in cruce Pilatus scripsit,& affixit titulum.Deinde cùm Deus tradidisset Christianis sceptra imperatoria,& totum Romanorum imperium,ei tunc placuit per piam mulierem,mulierem regiam,& quæ regios habuit spiritus,tunc filio imperante Christianis sine labore,& diuino,vt ita dicam,instinctu sapientem reddere: quæ partim quidem grauitate principali,partim autem nonnũquam cõmunibus blanditijs, regulariter autem omnia faceret,quæ inflexibile Iudæorum poterát cor flectere.Et citò quærenti Imperatrici cõmunis apparuit thesaurus,Deo celeriter donũ porrigente mulieri,hanc dico Domini crucem, quæ in vniuerso mundo hodie extollitur, cum qua etiam omnia quibus beata illa & toti mundo salutaris fuit passio dispensata,extolluntur. Propterea ergo hodie diẽ festum celebramus,propterea frequentes conuenimus,quòd sanctũ illũ quod olim latebat,hodie euasit manifestum:quòd thesaurus qui fuerat abscõsus,ex terræ metallis refulsit,sicut aurum: quòd id quod erat in terra defossum,reuelatum est maximè insigne opus imperij Christianorũ:quòd cessauit procella dæmonũ,cùm crux euasisset manifesta:quòd qui aduersus inimicos à Christo fabricatus fuerat gladius, è terra euasit manifestus: quòd suum ornamentum hodie accepit Ecclesia:quòd quam illa perdiderat drachmá,regale inuenit imperium.

Hæc est crux Domini,signum dominicum,arma salutaria, regia potentia,victoriæ trophæum, inter superna & inferna intermedium, eorum qui firmiter credunt vexillum,coronis Apostolica,specula prophetica,Martyrum corona,eorum qui Christum adorant ara. Ex quo enim crux, Christus adoratur. Ex quo crux, filius Dei est agnitus. Ex quo crux, cum patre filium adoramus.Ex quo crux,abolitæ sunt res Iudæorum,extinctæ res gentilium:liberati sumus à sanguine qui fundebatur in altaribus,cultum gustauimus incruẽtum. Ex quo crux,liberati sumus à nidore dæmoniorum: participamus spiritalem bonum odorem vnguenti effusi.Ex quo crux,euanuerunt fabulosæ Deorum genealogię.Ex quo crux, principio superius principiũ quod processit ex principio,quod est expers principij,didicimus.Ex quo crux,didicimus fidem in patrem,& filium,& spiritũ sanctum: & inanium fabularum gentium excussimus perniciem.Ex quo crux,typicorum signorũ vmbras expulimus,& luci veritatis quę est in gratia,sumus recõciliati.Ex quo crux,mors fuit habita contẽptui:obstupefacti sunt dæmones:confracta sunt simulachra,cõculcata fuerũt animalium sacrificia:euersa sunt idola:vbique Ecclesiæ,altaria,psalmodiæ,stationes nocturnæ,theologiæ,baptismara,fidelium consensio,scripturarum agnitio,terræ contẽptio,cœli acquisitio, Dei participatio.Quid opus est multa dicere? Ex quo crux,versantur homines simul cum Angelis:& ipsum cœlum patet ijs qui sunt in terra,& Deus ab hominibus capitur,& cũ eis cõgreditur ac coniungitur,sed ô crux Christi,& nostra valde pretiosa gloriatio.O lignum insigne,in quo Christus est extensus:planta immortalitatis,ex qua Christus botrus nobis potum produxit viuificum. O crux,per quam peccati ruptum fuit chirographũ:& scriptus fuit contractus libertatis.O crux,thesaure bonorum innumerabilium:paradysi cõciliatrix, regni largitrix,peccatorũ solutrix, rectè factorũ datrix. Te Christus in te crucifixus effecit lignum immortalitatis.Te Christus in te affixus effecit scalas viæ quæ ducit ad cœlum.Te Christus in te suspensus,benedictionis fecit conciliatricẽ. Te Christus in te extensus fecit relaxare vincula eorũ qui erant in cathenis.In te Christus sua spõte in altũ eleuatus,mundum quoq; vnà secum extulit.In te Christus pro nobis in altum sublatus in altũ sublatum æneum serpentem publicè notauit.Non amplius mordens in via serpens obseruat calcaneum. Non amplius serpens æneus,si prospiciatur, facit cessare morsus mordentium serpentium.Non est amplius maledictus omnis qui pendet in ligno.Quomodo,& quaná ratione?Cùm benedictus filius Dei Iesus maledictionem mutarit in benedictionem.Non est amplius crux execranda,cùm maledictum cruci fuerit affixum:& Christus maledictum abstulerit,& eius loco nobis introduxerit benedictionem. Hæc crux Domini omnia nobis bona introduxit.Hæc crux Domini fuit multis appellata nominibus. Vocatur crux virga rectitudinis,regni virtutis hæreditatis:Thronus tuus Deus in seculum seculi: Virga rectitudinis,virga regni tui.Virgam virtutis emittet tibi Dominus ex Sion.Baculus: Virga tua & baculus tuus ipsa me consolata sunt. Lignum vitæ : Lignum vitæ est omnibus suscipientibus eam: vt quæ in Domino sit firma ac stabilis. Lignum plantatum : Dicit alicubi Dauid: Secus decursus aquarum. Quos decursus? Quarúmnam aquarum? Scripturarum à Deo inspiratarum.Scabellum: Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedũ eius,quoniá est sanctum.Locus:Ingrediemur in tabernacula eius,adorabimus in loco vbi steterũt pedes tui Domine.Si dedero somnũ oculis meis,& palpebris meis dormitationem: Et requiem tẽporibus meis,donec inuenero locũ Domino, tabernaculũ Deo Iacob. Hanc crucem tacitè significans Iacob Patriarcha,vicissim aliquádo manus imponẽs nepotibus,symbolicè præsignificauit.Hanc idem præfigurás in fastigio virgæ Ioseph adorauit.

Crucis figuram obtinuit virga eiusdem Patriarchę Iacob, quando transijt Iordanem. Dixit enim: In virga mea transij iordanem. Et paulò antè crucis signum Abrahæ ostendit id quod erat figuratum in medio cornuum arietis, quando eam hostiam quæ erat in figura posita ad indicandum crucifixum, per ouem mysticè peregit. Crucis figuram Isaac quoq; impleuit, qui acceptis lignis sacrificij, patrem qui properabat eum sacrificare, alacriter sequebatur. Crucis potestatem habuit virga Moysis mutata in serpentem, & transformans virgas Ægyptiorum, quæ has quidem scilicet deuorauit, illis autem fluuij fluentum effecit cruentum, ne biberent: & aliquando quidem ranas ex aquis proserpere, aliquando autem locustas, & bruchos, & palpabiles tenebras, & quæcunque Ægyptiorum ostendunt calamitates. Crucis figuram obtinuit ipsa virga Moysis, quando mare rubrum dissecanti murus ei & populo solidus ac firmus fuerunt aquæ. Crucis figuram obtinuit columna ignis & nubis, quibus errantem Israëlem, qui fugiebat ex Ægypto, deduxit Deus. Crucis figuram conseruabat ipse quoque Moyses, in monte manus in altum extollens, quando oppugnante Iesu Amalech alienigenam, ille quidem sustentabatur ab Aarone, & Hur: confirmatus autem & corroboratus Israël euasit superior. Crucis figuram obtinuit virga, quæ petram percussit in solitudine, & effecit, vt ipsa pareret fluuium. Quid verò virga, quæ produxit nuces, crucem non apertè describit? quid verò Esaias, qui serra lignea in duas partes diuiditur, non typum crucis significabat? Mitto dicere Aggæum fuisse in crucem actum: & Sisaram fuisse palo affixum: quæ crucem apertè præsignificant. Quinetiam Eliæ pellem ouillam dixerim ego crucis virtutem indicare, quando Iordanis fluento diuiso in duas partes, ingressus est, tanquam super terram aridam. Elisæi autem vbinam ponam miraculum, quando aquæ imposito ligno, securus ex profundo fluuij ferrum sustulit, id quod est graue, tollens eo quod est leue? Re vera res magna est crux, de qua & multis in locis fert scriptura testimonium: & eorum quæ in ea præfigurantur, quæque per ipsam quotidie peraguntur, miraculorum prius describit indicia.

Est itaque 1 crux adoranda, quoniam per ipsam Dominum cognouimus. Crux est adoranda, quoniam in ipsa Dominum benedicimus. Crux est adoranda, quoniam cùm per ipsam amarum ligni inobedientiæ gustum euomuissemus, dulcedinem salutis gustauimus. Benedictum est lignũ, per quod benedictæ sunt gentes. Benedictũ est lignum, in quo Deus extensus fuit corporaliter. Quid est autem admirabilius, quàm Deũ videre in crucẽ actum, idque cum latronibus? Benedictum est lignum, per quod latro paradysum habitauit: & ligni gustus amarum gustum expulit. Quid est admirabilius, quàm quòd quem clausit deceptus Adã, eum aperuit Latro cùm agnouisset? & à quo ille fuit exterminatus, hîc vocatus inscriptus fuit ciuis? O conuenientem mutationem. Egressus est fur, & in eius locum introductus est latro: ille quidem propter trãsgresſionem, hic autem propter agnitionem: ille quidem seductus ab eo qui supplantauit, hic autem simul crucifixus cum eo qui creauit. Benedictum est lignũ, ex quo qui comedit latro, dignus fuit habitus delitijs, ex quo Adam, qui non gustauit, mortẽ prius cum vita cõmutauit, vt qui nimia temeritate attigisset lignũ cognitionis. Verùm cùm huius fuisset particeps, sensit postea dulcedinẽ: & accepit reuocationem. Benedictum est lignum, per quod Reges excitant trophæa, & Duces exercitus simul inferunt spolia: & Barbarorum bello capitur multitudo. Benedictum est lignum, per quod vires arcuum contritæ confringuntur, & clypei ab igne consumuntur. Benedictũ est lignum, per quod brachium superbũ inflectitur, & colla inimicorum submittũtur: & terga vertit Barbarus, & fugit Scytha nemine persequente. Hodie ergo mihi vocem extollite: & cum scriptura crucis thesauro acclamemus scripturæ eloquia. Thesaurum autẽ crucis dico Christum filium Dei, ad quem magis decet nostra dirigi eloquia, dicendo: Omnes gentes quas fecisti, venient, & adorabunt ante te Domine: & glorificabunt nomen tuũ: quoniam magnus es tu, & faciens mirabilia: tu es Deus solus. Moueamus hodie, ô dilecti, tanquam lyram: assumamus psalterium & cytharam: psallamus Deo, psallamus sapienter: canamus quæ sunt gloriosæ exaltationis. Ostendamus in quot locis scripturæ affertur exaltatio, vt videamus quomodo hinc possumus discere crucis exaltationẽ, quæ est & magna, & supermũdana, & eius inuentionẽ non temerè celebrari in Dei Ecclesijs, quę sunt in vniuersa terra. In altũ ergo è terra crux manifesta extollitur. Quę paulò antè propter inuidiã celabatur, in altum crux extollitur. In altũ crux extollitur, nõ vt gloriã accipiat (Quámnã enim maiorẽ cõsequi posset gloriã, cùm in ea Christus fuerit affixus?) sed vt Deus in ipsa glorificetur, & per ipsam prædicetur. Crux ergo in altũ extollitur, vt cornu nostrum simul in ipsa ille erigat & extollat. Crux in altũ extollitur, vt superbum deprimat, & humilem efficiat. Crux in altum extollitur, vt liget fortem, & per nos vasa eius diripiat. Crux in altũ extollitur, vt ostendat inanem Iudæorũ inuidiam: ne lateat sepultus in terra vitæ thesaurus: vt nos margaritam accipiamus, quam qui in crucem egerũt, vel inuiti manifestã reddiderunt.

1 *Crux est adoranda.*

Quoniam enim fieri non poterat, vt perpetuò lateret vitæ thesaurus, multifariam autem multisque modis miseri examinati, & à sua ipsorum conuicti malitia, non poterant perpetuò latêre oculũ, quem nihil latet: quid facit Deus, qui in ipsa, & per ipsam, totius mundi salutem fecit in terræ medio? Imperatrici quidem, vt paulò antè diximus, ardens immisit desiderium: illis autem immittit timorem, totam eorum vitam conturbans. Qui postquam viderunt fieri non posse, quin perquireretur, ostendentes se sua sponte facere, quod faciebant inuiti, in primis venerandũ Domini signum manifestum reddiderunt. Illa autem, tanquam ex aliquo alio processit firmamento, nempe terræ penetralibus, instar solis emittens radios Dominicos. Processit itaque è terræ adytis signum Domini, per quod inferorum concussa latibula absoluerunt animas quę illic detinebantur. Processit tanquã ex thalamo sponsus, ex terrenis, inquam, cubilibus crux Domini, per quam Christo desponsa, quę est ex gentibus Ecclesia, deposuit multiplicem gentium impietatem. Processit intelligibilis illa fidelium margarita, coronæ Christi, tanquam lampas, infixa, vt vniuersam faciat coruscare. Processit ornamentum Ecclesiæ crux Christi, vniuersam omnem terrenam creatam naturam decorans. Processit veluti è custodia innocens, vt reos reuocaret. Ex vinculis is qui nec vinci nec teneri potest, vt vinctos redderet facilè solubiles. Ex tenebrosis locis lucerna lucis, vt ablata nocte ignorantiæ, luceret lux agnitionis. Meritò ergo Ecclesia gaudens cruce Domini suam ornat tunicam: & aperiens sponsi pulchritudinem, de huius diei facie gloriatur, eamque iactat & magnificat. Meritò hic quoque populus frequens hodie conuenit, vt & videat crucem in apertum prolatam, & Christum in ea alatum in altum adoret suspiciens. In apertum enim prolata fuit, vt extolleretur. In altum autem tollitur, vt in apertum proferatur. Quænam ea? Quæ paulò antè quidem in loco abscondebatur, nunc autem vbique adoratur. Hunc diem [z] festum hodie celebramus. Hac de causa frequétes cõuenimus. Hoc est caput, & summa festi præsentis. Hæc est mysterij declaratio. Sed iam tempus est ipsius crucis in altum elationem scripturæ confirmare testimonijs. Hoc enim sumus paulò antè polliciti. Nam præcurrens oratio prætermisit ea quæ media erant. Cùm enim oporteret illud occultum & viuificum lignum, in apertum prolatum & sublime sublatum, tanquam ciuitatem aliquam super montem positam, aut lucernam super candelabrum toti mundo ostendi, ea de causa cùm primi primitus Christiani prima regni sceptra suscepissent, cum triumpho totius simul Ecclesiæ veluti ex excelsa quadam specula iusserunt eam in altum extolli, & ostendi toti cœtui. Et hoc est quod nunc faciunt, qui clauum suscepêre Pontificium. In excelsum Ecclesiæ locum conscendentes, & hanc gloriosissimam, & vel maximè adorandam crucem in altum extollentes, & sæpe sublimè extendentes, ostendunt populis, propemodum clamantes: Ecce inuentus est, qui fuerat absconsus salutis thesaurus. Ecce signaculum, in quo signati sumus. Ecce crux, per quam cogniti fuimus crucifixo. Ecce cornu, in quo inimicos nostros ventilabimus, in quo illæsi transimus laqueos inimici, quo freti infantium tela putamus plagas dæmonum. Ecce hodie videmus oculis vitam ex aduerso pendentem. Audiamus ergo Prophetam dicentem: Extollite vocem in virtute, extollite, ne timete. Extollite Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum eius, quoniam est sanctus. Rursus cũ Dauide modulemur: [b] Exaltare super cœlos Deus, & super omnem terram gloria tua. Exaltare qui iudicas terram. Exaltetur manus tua, ne obliuiscaris pauperum tuorum in finem: sed in beneplacito tuo exaltetur cornu nostrum: Ingrediamur in ipsum scripturæ paradysum. Colligamus veluti flores tempori conuenientissimos. Accipiamus viæ duces prophetas, qui præsignificant crucis exaltationẽ. Sit autem primus Moyses Dei seruus & legislator, qui in altum æneum illum extulit serpentem, non vt glorificaretur, sed vt publicè notaretur, & vt cum æris rubigine vitij virus opponendo conferens, veluti in iudicio ostenderet mali conuenientiam. In altum ergo sublatus fuit serpens ille æneus, non vt qui esset præfiguratio, aut figura crucis, sed vt exemplar figuræ, aut figura sumpta tropicè. Extulit ipse quoq; Moyses aliquando manus, in figuram Christi crucifixi, & crucis, quæ nunc in altum extollitur. Stet sol in Gabaon, & luna in valle Ailon, precatus est aliquando Iesus consumens Amalec: non vt solùm diem crucis significaret, in quo tenebræ fuerunt diffusæ per totã terram: neque solùm vt Dei virtutis altitudinem, & aduersus inimicos elatum brachium illo die probaret, sed etiam vt crucis præsignificaret exaltationem, & in ipsam solis gloriæ ascensum præfiguraret. Adducit etiam Abraham in figuram mystici miraculi sacrificium, sed ex alto data voce statim persuasus arietem, qui aspectus fuit in planta Sabec, in excelso montis fastigio symbolicè sacrificauit, præfigurans crucis in altum elationem. In altum manus extulit Azarias, cum suis orans in igne fornacis Babyloniæ, & flammam ignis in altum elatam extinxit, manuum extensione crucem in altum elatam significans. Extulit Ionas aliquando vocem, manibus quoque in altum sublatis, & ex alto statim attraxit virtutem

z Nota diẽ festum exaltationis sanctæ Crucis.

illæsus ex bellua euomitus. Extulit aliquando præclara Iudith acinacem aduersus caput Holofernis dormientis, crucis præfigurans exaltationem, & effecit salutem Israëli. Extulit aliquando Daniel vocem in lacu leonum ad altissimum, præfigurans crucis exaltationem, quando prandium ei attulit propheta Abacuc raptus momento temporis. Quid autem videtur Hieremiæ, cùm loqueretur ex persona eorum qui Dominum occiderunt, dicentium: Venite inijciamus lignum in panem ipsius, & deleamus è terra vitam eius? Quid autem Esaiæ sibi volunt ea quæ dicit similiter, aliquando quidem: Tanquam ouis ductus est ad occisionem: & tanquam agnus coram ipsum tondentibus obmutuit. &, In humilitate eius sublatum est iudicium: quoniam tollitur è terra vita eius. Aliquando autem: Et ipse tulit peccata multorũ. Vbi nisi in ligno crucis, in quam cùm panem immisissent, non prius dimiserunt, quàm in altum sustulissent, ad testimonium videntium, & figuram propositæ exaltationis. Hoc autem quidnam esse dixerimus, nisi exaltationem crucis, & ostensionem? Quomodo etiam ouis occisionem in crucem sublatæ, quæ mundi peccata elisit. Quod ipsius quoque crucis apertè ostendit exaltationem.

Et satis quidem fuerit hactenus adduxisse scripturæ testimonia, quæ significant crucis exaltationem: ne oratio multis afferat satietatem. Nos autem Christum in ea adorantes, consideremus eius virtutis magnitudinem: & quę per ipsam in nos salutaria perfecta sunt miracula. Sicut dicit diuinissimus Dauid: Deus autem Rex noster ante secula operatus est salutem in medio terræ. Quòd autem in medio terræ positus fuerit Caluariæ locus, nemo dubitet. Oportebat enim tanquam in plani circuli descriptione, per mediam vniuersam terram infigi lignum salutare: vt veluti quidam alius sol lucens in cœlo, tanquam ex quodam crucis firmamẽto, luminosos suos radios emitteret in cruce occidens ijs qui in terræ tumulis detinentur. Hæc crux & lignum est aspectabile, & signum vocatur in scriptura multis in locis. Quid enim est quod dicit Dauid: Fac mecum signum in bonum. &, Signetur super nos lumen vultus tui Domine. Et, Dedisti significationem timentibus te, vt fugiant à facie arcus? Et quod ipse quoque Dominus clamat in Euangelijs: Et tunc videbunt signum filij Dei. Et ante hoc: Signum quærit hæc generatio, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Quod ipsum quoque per Crucem ostenditur. Simeon autem Dei susceptor, quod dicit virgini benedicẽs, quando infantili specie Dominum suscepit, quid sibi vult: Hic positus est, inquiens, in ruinam & resurrectionẽ multorum in Israël: & in signum cui contradicetur? An non per signum crucem vult apertè significare?

Quinetiam crux vocatur potentia. Quid enim dicit Dauid? Notam fecisti in populis potentiam tuam. Sed & brachium quoque: Redemisti in brachio tuo populum tuum. Quòd autem Christi virtus sit crux, audi Paulum dicentem: Verbum crucis pereuntibus quidem est stultitia: nobis autem qui salui simus, virtus Dei est. Porrò autem ipsum quoq; Christum audi dicentem Moysi: Indurans indurabo cor Pharaonis, vt in ipso ostendam omnem meam virtutem: Virtutem hîc significans eam, quæ per virgam Moysis in figuram crucis demonstrata fuit, multæ magnæq; virtutis ostensionem, per quam ei ostendit miracula quæ superant opinionem. Sic nos de cruce intelligere & sentire didicimus. Sic fidelem Dei populum crucem honorare, & colere perpetuò adhortamur. Per eam in sagenam inductæ sunt gentes: & fides vbique fuit disseminata. Hac enim cùm Discipuli veluti aratro humanam naturam coluissent, & vberem Ecclesiæ segetem ostendissent, eorũ qui in Christum crediderũt, magnam messem reportârunt. Hac confirmati, & huic procidentes martyres verberârunt eos qui feriebant. Per ipsam Christus fuit agnitus: & fidelium Ecclesia scripturã perpetuò exclamãs eundem inducit Christum Dei filium, & ipsum per se Deum, & ipsum per se Dominum, magna voce clamãtem: Si quis vult post me venire, tollat crucem suam, & sequatur me. Per ipsam florent res Christianorum, & in omnem partem extenduntur. Per ipsam regnum roboratur, Respublica stabilitur, cadunt inimici, supercilium Barbarorum deprimitur, Ismahel interficitur, dæmones fulmine feriuntur. Quoniam in ipsa, & per ipsam nos saluos esse credimus: & in ipsa omnis, sicut scriptum est, caro videbit salutare Dei nostri, & videbunt Iudæi in quem confixerunt. Nos autem qui in eius lumine ambulauimus, cum ipso glorificabimur, & cum Deo regnabimus, circa Trinitatem cum Angelis choreas ducentes: Quæ adoratur in patre, & filio, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

SERMO DIVI EPHRAEM VIRI SANctissimi & illuminatissimi Ecclesiæ Edissenæ Diaconi, De passione Domini Saluatoris, Ambrosio Camaldulensi interprete.

EGO qui timeo & narrationem plenam horroris linguæ officio aggredi. Eſt enim re vera metus ingens de paſsione Domini Saluatoris verba facere,& tentare tantæ rei indignitatem explicare. Hodie namque Dominus noſter traditus eſt in manus peccatorum. Sed cuius rei gratia eſt traditus ſanctus,innocens,cœleſtis Dominus,ac ſine peccato? Qui nihil peccauerat, hodie traditus eſt. Venite fratres, diſcamus quare traditus ſit Chriſtus Saluator noſter. Propter nos impios Dominus traditur. Quis non admiretur? Quis non obſtupeſcat? Peccantibus ſeruis dominus traditur, vt liberet à morte proprios ſeruos, qui ante peccauerant. Perditionis, ac tenebrarum filij in tenebris exierunt eum comprehendere, qui in ictu oculi poterat omnes exurere. Vidit illorum audaciam Dominus, & veſanam iracundiam, ſeque ipſum cum omni manſuetudine ſponte ſua impiorum tradidit manibus. Vinxerunt perditi immaculatum Dominum, illuſeruntque ei qui alligauerat fortem inſolubilibus nexibus, noſque à peccatorum noſtrorum vinculis ſoluerat. Texuerunt & coronam ſpinarum, quas pro fructu tulerat vinea Iudæorum. Illuſerunt ei, Regem appellantes, & conſpuerunt in faciem eius, cuius aſpectum omnes cœlorum virtutes contremiſcunt. En rurſus anguſtia, dolor, & lachrymæ cor meum occupant,dum conſidero Dominum contumelias,probra,verbera,ſputa tanta lenitate tolerantem. Venite, diſcamus miſerationum ipſius magnitudinem. Dulcis Dominus ſeruum inutilem & incontinentem habuit in paradyſo voluptatis, qui vbi peccauit, tortoribus traditus eſt. Vidit pius Dominus deficientem inter flagella, & miſericordia motus, vt ſeruum eximeret à pœna, ſemetipſum pro illo flagris expoſuit. Volebam hîc finem facere ob nimij ſtuporis magnitudinem, ſed rurſum veritus ſum, ne per meum ſilentium irritarem ſpiritus gratiam. Paueo tamen,fratres,non leuiter, dum iſta pronuncio, tremuntque omnia oſſa mea, cùm ea diligenti admota conſideratione diſcutio. Ipſe omnium conditor Deus noſter & Dominus ante Caipham hodie ſiſtitur,quaſi vnus ex reis,vnúſque miniſtrorum ei alapam dedit.Tremuit cor meum hæc omnia cogitans. Sedet ſeruus,Dominus ſtat: & qui plenus erat ſceleribus, contra inſontem, atque ab omni peccati labe alienum ſententiam dictat. Contremuerunt cœli, fundamenta orbis terræ concuſſa ſunt,expauerunt Angeli omnes atque Archangeli, Gabriel & Michaël facies ſuas alis contexerunt. Cherubin trementia ſub rotis ſe abdiderunt,Seraphin illa hora alas ad inuicem colliſiſſe viſa ſunt,cùm daret miniſter iniquitatis alapam Domino maieſtatis.Quomodo igitur non protulerant fundamenta terræmotum,atque tremorem,cùm hora illa contumelijs affici creatorem ſuum cernerent.Cogito,ac tremore concutior,rurſuſque compungor, intuens leniſsimam tolerantiam benigniſsimi Domini. Tremunt ecce renes mei dum loquor. Creator qui de puluere terræ hominem per gratiam finxerat, à manibus quas ipſe formauerat,alapam accipit.Caueamus ſolicitè fratres,ne iſta omnia ſimpliciter audiamus, quæ pro nobis Dominus pertulit, ſed ea ſolicitè ruminemus, & iugi meditatione voluamus. Dic miniſter infœlix,dic ſerue nequam.Cuius rei gratia Dominũ alapis cædis? Serui quidem omnes cùm liberi efficiuntur, accipiunt alapam, vt mortali libertate potiantur. At ipſe, ô infœlix, cùm ſit omnium liberator,iniuſtè alapa cæditur. Quid putas mercedis accipere à Caipha pro huiuſmodi alapa? Ergóne non audiſti? Ergóne non didiciſti, quoniam filius eſt omnium Domini? Alapam quidem dediſti omnium Domino,ſed ſeruus ſeruorum factus es in æternum,opprobrium & abominatio omnium,æterno damnatus incendio.Grande miraculum,fratres,ſtuporis pleniſsimum eſt, cernere Chriſti regis ac Domini noſtri manſuetudinem. Palma cæſus à ſeruo rationabiliter prudenterque reſpondit cum omni manſuetudine ac reuerentia. Seruus furit, Dominus patitur. Iraſcitur ſeruus, Dominus in ſua benignitate perſiſtit.Indignationis aculeos rixamque tumultuantis animi,iræ maximè tempore,quis continet?Dominus noſter hæc omnia pertulit benignitate ſua.Quis tuam ô mitiſsime Domine,patientiam aut ferre aut explicare poſsit?Huc accedite chariſsimi, dilecti Chriſti, compunctione ſimul & affectu ſummo Redemptoris illecti. Venite,conſideremus pariter,quid hodie contigit in Sion ciuitate Dauid.Semen Abrahæ charum atque electum,quid hodie geſsit?Immaculatum nempe Dominum tradidit morti. Hac die Chriſtus Saluator noſter per iniquorum manus iniuſtiſsimè ligno Crucis affixus eſt. Venite omnes,& corpus noſtrum abluamus lachrymis atque gemitibus, quia Dominus noſter,& Rex glorię pro nobis impijs morti traditus.Si quis fortè noſtrûm dilectiſsimi cuiuſpiam atque chariſsimi audiat ſubitò mortem,vel ipſum dilectum mortuum ante oculos ſuos iacere repętè cõſpiciat,immutatur facie, eiuſq; ſerenitas aſpectus obnubilatur.

Ita & lucidus ſol ex alto cœli axe contumeliã Domini pendentis in Cruce conſpiciens, immutatus eſt facie, contraxit lucis ſuæ igneos radios, iniuriamque Domini videre non ſuſtinens, mœrore ſe veſtiuit & tenebris. Ita & Spiritus ſanctus ex templo conſiderans

dilectum Iesum appensum in ligno Crucis, rupto honesto illo templi velo à summo vsq; deorsum, continuò exiuit de templo. Creatura omnis in metu ac tremore fuit, quando mortuus est Saluator noster, cœlestis Rex, Dominus maiestatis. Nos autem peccatores etiam contemnimus semper, propter quos ille traditus est, qui solus sine peccato fuit. Ridemus quotidie audientes passiones & contumelias Domini,& Saluatoris nostri, diebusque singulis delitias quærimus,ac omni studio vestis curamus ornatũ: Sol ecce propter contumeliam Domini,splẽdorem lucis suæ conuertit in tenebras, vt nos videntes ipsum imitemur. Dominus tuus,ô infœlix,pro te in cruce contumelijs afficitur,& tu vestis molliciem & ornamenta sectaris? Non tremit cor tuum, non mens tua exhorrescit hæc audiens? Qui solus sine peccato est, propter te impiæ traditur morti, iniurias, opprobria, verbera patitur: ipse verò superbia tumidius audis hæc omnia? At verò congruum ac decens est, vt grex rationalis vniuersus pastorem suum iugiter ambiat, eumque semper videre desideret. Ita obsecro, reueremini illum. Nolite cibis lautioribus, [1] & delitijs seculi contra propositum religionis assuescere, sed in omni exercitatione vestra in pastorem vestrum semper intendite, vt ab eius vestigijs nusquam aberretis. Ne, quæso, imitatores Iudæorum simus, vt populus durus, perfidus, inobediens, & bona Dei, Saluatorisque beneficia irritans iugiter. Altissimus propter Abraham fidelem famulum suum, pronumque ipsius deuotionis affectum, tulit ab initio duritiam, ac perfidiam populi, manna de cœlo ad manducandum dedit eis: verùm ipsi cœlesti cibo indigni, allia cõcupierunt, cibos planè malè olentes. Aquam rursus ex petra in deserto eis produxit, sed ipsi horum vice sibi acetum dederunt, suspendentes in ligno. Curemus, fratres, ne Iudæorum participes inueniamur, crucifigentes Dominum creatorem nostrum. Metuamus semper, habentes ante oculos passionem Redemptoris nostri. Meditemur assiduè pœnas ipsius atque supplicia. Propter nos enim passus est impassibilis Dominus, pro nobis crucifixus est, qui solus sine peccato fuit. Quid nos fratres ei reddere, quid tantis eius beneficijs retribuere vnquam poterimus? Attendamus ergo nobis ipsis, ne passiones eius irritemus. Huc omnes Ecclesiæ filij accedite, qui sancto & pretioso sanguine immaculati agni redempti estis. Venite, meditemur passiones Christi cum gemitu & lachrymis, atque inter meditandum contremiscamus, dicentes adinuicẽ: Christus Saluator noster pro nobis peccatoribus morti traditus est. Perpende frater, quidnam sit quod audîsti: Deus sine peccato, Altissimi filius pro te traditus est. Aperi cor tuum, considera ipsius passiones diligenter, & ita tecum tacitus volue: Deus, in quem peccatum cadere non potest, hodie traditus est, hodie illusus, hodie consputus, hodie flagris cæsus, hodie percussus alapis est, hodie coronã spineam tulit, hodie crucifixus est cœlestis agnus. Contremiscat cor tuum, horreat anima tua, in hac iugi meditatione passionum Domini tui quotidie lachrymas funde. Dulces quippe nimium sunt eiusmodi lachrymæ, illustraturque anima passiones Christi iugiter versans. Huiusmodi sit semper meditatio tua. Lachrymare quotidie, gratias referens Domino pro his quæ pro te passus est, vt in die aduẽtus eius sint tibi lachrymæ tuæ gloria & exultatio ante tribunal illud terribile Iudicis: affligere tu quoque, dum intentè cogitas, quæ pro te pertulit pius ac mitissimus Dominus. Tolera tentationes, gratias ex animo referẽs. Beatus sanè qui semper ante oculos habet cœlestem Dominũ,& passiones eius: quiq; seipsum crucifixit mundo, qui omnibus vitijs, terrenisque negotijs mortuus est, qui imitator factus est Domini sui. Hæc sapientia, hæc prudentia, hic affectus est fidelium omnino famulorum, cùm semper imitatores sunt Domini sui in operibus bonis. Aspicis, ô homo, immaculatum Dominum in cruce pendentem,& audes infœlix in delitijs,& risu peragere cursum, quo viuis in terra? An ignoras miser, quòd is qui crucifixus est Dominus, de his omnibus abs te exiget rationẽ? Tu quidem nunc negligis,& contemnens rides,& passim delitijs solueris, sed veniet profectò dies illa terribilis, dies vltionis, cùm sine fine lugebis, ac præ doloribus tuis in igne perpetuo cum eiulatu proclamabis, neque erit omnino qui respondeat,& misereatur animæ tuæ. Adoro te Domine, benedico te pie, precor te sancte, tibi procido amator hominum Domine, te immaculate glorifico, quoniam tu vnigenitus Dominus omnium, qui solus sine peccato es, pro me indigno & peccatore morti traditus es, & morti crucis, vt peccatoris animam liberares, & à peccati nexibus solueres. Quid tibi pro his omnibus retribuã Domine? Gloria tibi pijssime: gloria tibi misericordissime: gloria tibi longanimis: gloria tibi qui omnia peccata remittis: gloria tibi qui descendisti saluare animas nostras: gloria tibi qui te in vtero virginis nostra carne vestisti: gloria tibi qui pro nobis es natus: gloria tibi qui propter nos tentus es: gloria tibi qui vinctus es: gloria tibi qui flagris cæsus es: gloria tibi qui consputus es: gloria tibi qui crucifixus es: gloria tibi qui sepultus es: gloria tibi qui resurrexisti die tertia: gloria tibi qui prædicatus es: gloria tibi qui creditus es: gloria tibi qui assumptus es in cœlum: gloria tibi

[1] *Vide hic imponi delectũ ciborum, & à lautioribus abstinentiam.*

qui cum gloria ingenti ſedes ad dexteram patris, gloria tibi qui iterum venturus es in gloria patris, & ſanctorum Angelorum, ad iudicandum omnem animam, quæ irritas facit ſanctas paſsiones tuas, in hora illa horrenda atque terribili, quando virtutes cœlorum mouebuntur, cùm ſimul venient Angeli, Archangeli, Cherubin & Seraphin cum tremore magno in conſpectum gloriæ tuæ, cùm tremefacta quatientur fundamenta terræ, & ſpiritus omnis exhorrebit præ inæſtimabili gloria immenſæ maieſtatis tuæ. In illa hora, quæſo, operiat me manus tua ſub alis tuis, & liberet animam meam à ſempiterno igne, & ſtridore dentium, & exterioribus tenebris, & perpetuo gemitu, vt ego te ſanctum Dominum & Redemptorem noſtrum benedicens, dicam: Gloria tibi Domine, qui me peccatorem per immenſas miſerationes benigniſsimæ pietatis tuæ ſaluare dignatus es. Qui cum patre, & ſpiritu ſancto viuis & regnas, per omnia ſecula ſeculorum. Amen.

LAMENTATIO SANCTISSIMAE Dei genitricis, prope Crucem ſtantis, per eundem Diuum Ephraem.

STANS apud crucem puriſsima virgo, Saluatoremque in ligno ſuſpenſum ſuſpiciens, plagas reputans, intuens & clauos, quærelas, colaphos, ac flagellationem, cum grauibus ſuſpirijs, cum fletu ingenti, cum lamentis doloroſiſsimis exclamauit, dicens: Mi fili dulciſsime, dilectiſsime fili, quomodo crucem ſuſtines? Mi fili, & mi Deus, quomodo ſputa, clauos, & lanceam: quomodo pateris alapas, riſus, iniurias, ſpineam coronã, purpuream veſtem, ſpongeam, arundinem, fel & acetum? Quomodo pẽdens in cruce denudatus mi fili, qui cœlum nubibus contegis? Quomodo ſitim fers, qui es opifex, quique mare & aquas omnes creaſti? Quomodo moreris inſons in medio ſceleſtorum? Quidnam cõmiſiſti? Qua in re, fili mi, Hebræos offendiſti? Et cur ergo te iſti ſimul iniqui, ſimul ingrati cruci ſuffigunt? Quorum claudos, & permultos valetudinarios ſanaſti, mortuos viuificaſti, paralyticum, id eſt, membris omnibus luxatum conſolidaſti, mi fili pientiſsime: qui ab vtero cœcum illuminaſti, mi Saluator, viduæ filium ſuſcitaſti, ô omniũ vita: qui filiam Cananææ ſeruaſti, Centurionis filium à morte liberaſti. Arena quantumuis numeroſa menſuram habere poteſt: at tua miracula fili, omnem prorſus modum excedunt. Lazarum à monumento ſuſcitaſti: Mi Lazare, inquiens, exi de ſepulchro. Et vox tua eum traxit ab inferis, & ad vitales auras reuocauit. Tu verò quomodo interis, fili mi dulciſsime, magnanime Deus? Deficio te ſuſpiciens in ligno ſuſpenſum, conclauatum, plagiſque plenum, mi fili. O Iudæi illeges, & Chriſti interfectores, iniqui in Deum, & in creatorem veſtrum ingrati? Nónne manna vos aluit in eremo? nónne mare per Moyſen diremit? Nónne traduxit in terram promiſsionis? At tu, popule nequam, & Chriſti abnegator, pro commodis & bonis contraria reponis, pro manna fel, pro aqua acetũ. Amariſsima te potione potârunt impij, mi fili. Quinque panibus aluiſti quinque hominum millia: Iudæam tuis concionibus impleſti mi fili. Vbi nunc pulchritudo tua fili? Vbi tuus modò decor? Quomodo in Cruce extinctus es, mi fili, & Deus meus? Sol lumen ſuũ obſcurauit, & alius factus eſt: ſplendida luna in tenebras euanuit, petræ ſunt perfractæ, & monumẽta aperta, templiq; velum in duo eſt diſciſſum. Creaturæ conditorẽ ſuum & opificem cognouerunt: & hi peruerſi & miſeri Hebræi aures obſtruxerunt, oculos clauſerunt, ne ſolem nunquã occidentem ſuſpectarent, fili mi. O Gabriel Archangele & miniſter Domini, ô Gabriel Archangele, age, cauſam tuere. Vbi nunc illud Aue? Vbi benedictũ Aue quod mihi dixiſti Angele? Vbi nunc lætitia ac benedictio, qua dixiſti ad me: Benedicta tu in mulieribus? Ad quid verò mœrorẽ, & victimã filij mei, quam eram acceptura, non denunciaſti? Semper tribulationes, gemitus, Iudæorum immenſam inuidiam, ingratitudinem peruerſorum, & tranſgreſſorũ. O Simeon admirãde, en nunc gladius quo mihi prædixiſti cor meum traijciendum. Ecce gladium, ecce vulnus, fili & Deus mi. Tua mors meum cor ſubijt, viſcera mea ſunt diſrupta, meum lumen obtenebratum eſt, & pectus meum grauis pertranſijt gladius. Horrẽdam cerno paſsionẽ tuam, mi fili, & Deus meus. Video immeritam cædẽ tuam, nec opem ferre poſſum. Vbi tua nunc forma, fili mi? Miſerere deiectæ, & orbatæ fili mi. Miſerere ô ſuauiſsime, abiectæ Mariæ. Miſerere clementiſsime, & me ſolare. Proſpice fili mi, lachrymas, attende meos gemitus, & aperi os tuum. Da mihi ſolatium. Nõ habeo prorſus, fili mi, quo caput reclinẽ. Non alium cognatum, patrem, aut matrem, vel fratrem, vel ſororem, qui mihi animum reddat. Tu mihi pater, tu mater, tu frater, tu filius. Tu mihi vita, & ſpiritus, ſpes mea, & protectio. Tu mea conſolatio, tu & creatio, tu Deus meus, tu creator meus, tu opifex meus. Lugete mecũ omnes diſcipulæ Domini, dolorẽ meum, & vulnus profundũ cordis mei cõtuentes.

Decumbe,

Decumbe, Crux ſanctiſsima, lignum benedictum, vt plagas filij mei & Dei mei exoſculer, ad conſolandum proprium filium meum, vt amplectar filij mei corpus, vt os ſuauiſsimum deoſculer, oculos, faciẽ, manus, & cædem iniquam. Decumbe, Crux mea, decumbe. Magna ô Crux gloria tua, magna tua gratia, magna poteſtas tua. O lignum benedictum, quoniam innocẽs Deus & creator tuus, tanquam latro, & nocens ſuper te expanſus eſt. Fili mi chariſsime, veneror tuas afflictiones, colo & adoro tuam miſericordiã, & magnanimitatem. Honoro 2 lanceam, vulnus, arundinem, clauos, ſpongiam, alapas, opprobria, & acetum, colaphos, & ſputa, & verbera, fili mi, quandoquidem tuę creaturæ cauſa iſta ferre ſuſtinuiſti. Dedecus tuum, fili mi, decus cunctis factum eſt. Mors tua facta eſt mundi totius vita. Cæterùm reſurgito quamprimùm fili mi & Deus, quemadmodum prædixiſti mihi, vt ſaluus fiat mundus. Mortem conculcaſti & interitum, vt gaudeam ego humilis mater tua, & mecum lætentur dilecti tui. In verecundiam autem & confuſionem tui inimici omnes deueniant. At verò nos te ô immaculata & benedicta, filij tui Deiq; omnium mater inculpata, pura, integra, ſacroſanctiſsima, deſperatorum ſpes & damnatorum, collaudamus, benedicimus tibi, vt gratia plenæ, quæ Chriſtum genuiſti, omnes 3 tibi aduoluimur, omnes te imploramus. Erue nos, ô intemerata, ab omni neceſsitate, à cunctis diaboli tentationibus. Eſto noſtra conſiliatrix, & aduocata in hora iudicij. Libera nos à futuro igne & tenebris. Et tui filij gloria Virgo nos dignare. Tu namq; es ſpes apud Deum Chriſtianorum ſanctiſsima, cui honor in ſecula ſeculorum. Amen.

2 Sanctiſsima virgo non negligit, nõ ſpernit lanceã Domini, arundinem, clauos, & ſpongiã, & cætera dominicæ paſsionis inſtrumenta, ſed honorat.

3 Ecce quomodo ſanctiſsimam Dei genitricẽ inuocat, nec propter id iniuria infertur Domino noſtro Ieſu Chriſto.

EIVSDEM DIVI EPHRAEM
Sermo, De ſancta & viuifica Cruce.

NOS Chriſtiani à Gentilibus ac Iudæis declinemus, poſteáq; noſtros pretioſa ac viuifica cruce coronemus, dicentes cum Apoſtolo Paulo: Mihi abſit gloriari, niſi in Cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti. Pingamus 4 in ianuis, atque in frontibus noſtris, & in ore, & in pectore, atque in mẽbris omnibus viuificum ſignum. Armemur inſuperabili hac Chriſtianorum armatura. Ea enim victrix eſt mortis, fidelium ſpes, lux orbis terræ, paradyſi reſeratrix, profligatrix hæreſeôn, monachorum adminiculum, firmamentum fidei, magna ſalutariſq; cuſtodia, & gloria perpetua Orthodoxorum in æternum. Hanc, ô Chriſtiane, armaturã diebus ſingulis & noctibus, horis atque momentis in omni loco circumferre non deſinas, nihilq; ſine ipſa perficias: ſed 5 ſiue dormias, ſiue iter agas, ſiue euigiles, ſiue operi inſiſtas, ſiue manduces, ſiue bibas, ſiue maria nauiges, ſiue tranſmittas flumina, hac te lorica circumtege, membraq; tua omnia ſalutari ſigno exorna, atque circumſepi, & non accedent ad te mala. Hoc enim ſigno conſpecto aduerſariæ poteſtates conterritæ, trementeſq; recedunt. Crux 6 ipſa Chriſti veraciter ſanctificauit orbem, fugauit tenebras, lucemq; reuexit. Hæc eliminauit errores, viamq; mõſtrauit. Hæc ab ortu ſolis & occaſu, à Septentrione, & Meridie collegit gentes, atque in vnam Eccleſiam, in vna fide, ſub vno capite in charitate connexuit. Hæc Orthodoxorum inexpugnabilis murus eſt. Quod os, quæ labia, quæ lingua, dignè pro merito laudare poterit victricia arma æterni Imperatoris noſtri Chriſti? Crux Caluariæ in loco defixa, mox vitæ noſtræ fœliciſsimum botrum ſine opere humano pullulauit. Hoc denique pretioſiſsimo ligno Chriſtus Deus noſter inferni voraciſsimum dirupit ventrẽ, nimiſq; patulum diaboli obſtruxit os. Eo conſpecto, contremuit mors, omneſque quos à primo homine vſque ad id temporis, ſub ditione ſua tenuerat vinctos, dimiſit. Crucis armis accincti ſancti Apoſtoli, omnem inimici calcauêre virtutem. Hac ſe thoracis vice muniẽtes milites Chriſti, beatiſsimi martyres, omnes artes & inuentiones, atrocitateſque tyrannorum ſuperârunt. Hanc baiulantes ſancti monachi, ſeculo valefacientes, ſummo cum gaudio & alacritate in ſolitudinibus, & montibus, & ſpelũcis, cauerniſq; terræ ſibi ſedes elegerunt. O ineffabilem immenſamq; bonitatem benigniſsimi Dei, qui tam magna, tamque præclara munera, humano generi crucis indulſit vexillum. Hæc autem ſancta crux rurſus in cõſummatione ſeculi, cùm ſecundus illuxerit Domini Saluatoris aduentus, prima cum gloria ingenti, & Angelicorum exercituum infinita multitudine apparebit in cœlo, inimicos quidem terrens, ac vexans, fideles autem illuminans atque lætificans, aduentumque cœleſtis Imperatoris annuncians. De pretioſiſsima, & viuifica, diuinaque cruce hactenus diximus, etſi plura his dici poterant, ac fortaſſe debuerant.

4 Ecce quomodo olim ſignum viuificæ crucis vbiq; pingebatur, eo quod inſuperabilis ſit Chriſtianorum armatura.

5 Semper ſignare ſe debet crucis ſigno vir Chriſtianus, vt & mala ad illũ non accedant, & cõtrariæ poteſtates conterritæ & trementes recedant.

6 Vide & obſtupeſce ſanctæ crucis virtutem.

EPISTOLA CYRILLI HIEROSOLYmorum Episcopi ad Constantium Imperatorem, De Crucis signo quod in cœlo apparuit.

Apud Simeonem Metaphrasten.

IMPERATORI religiosissimo, & pietatis amantissimo Constantio Augusto Cyrillus Hierosolymorum Episcopus in Domino salutem. Hanc primam ex vrbe Hierosolyma epistolam ad te mitto, religiosissime Imperator, quam & tibi accipere, & mihi conuenientissimũ fuit ad te mittere, non assentationis alicuius sermonibus refertam, sed cœlestium signorum, & diuinæ visionis nunciam, neq; confictas Rhetoricæ dictionis probabilitates continentem, sed sanctorum Euangeliorum prędictionem ac veritatem ex ipsarum rerum euentu testantem. Alij quidem his quæ habent, te sæpissimè honorant, & coronas auro, ac pellucentibus gemmis compositas capiti tuo imponentes, proni te adorant: nos verò non terrenis rebus te coronamus (terrena enim dona terram ipsam finem habent) sed cœlestium rerum diuinum opus, quod te Imperatore in vrbe Hierosolyma perfectum fuit, pietati tuæ studiosè nunciamus, non vt nunc, tanquam inscius, ad Dei notitiam venias, cùm longè antea hanc acceperis, & pietate præditus alios eã doceas: sed vt quæ nosti, in illis ipsis confirmeris: cumque Imperij paternam hæreditatem acceperis, & à Deo ipso maioribus ac cœlestibus coronis honoratus fueris, Deo nostro omnium Imperatori etiam nunc dignas gratias agas. Maiore autem fiducia imperium tuum aduersus hostes ipsos afficies ex ijs miraculis quæ tẽporibus tuis Deus ostendit, te ab ipso diligi cognoscens. Quo quidem tempore diuinæ pietatis amantissimus, & beatæ memoriæ Constantinus pater tuus imperabat, salutare Crucis signum Hierosolymis inuentum fuit, diuina gratia ei viro qui pietatis erat studiosus, quiq; res ad pietatem spectantes diligẽter exquirebat, occultam ante sanctorum locorum notitiam aperiente. Te autem imperãte, religiosissime domine, propter tuam in Deum pietatem cœlestia etiam miracula sunt edita, ipsius, inquam, Domini & Saluatoris Iesu Christi vnigeniti Filij Dei trophæum contra mortis victoriam erectum, beata scilicet illa crux lucis multæ splẽdoribus effulgens Hierosolymis apparuit. His enim sanctis diebus sanctæ Pẽtecostes [1] nonis Maij circa tertiam diei horam, ingentis magnitudinis Crux, quæ tota ex luce constabat, supra sanctissimum Golgothæ locum, vsque ad sanctum montem Oliuarum extensa in cœlo apparuit, non vni aut duobus hominibus, sed ab vniuersa vrbis illius multitudine manifestissimè visa: neque vt aliquis putaret, repente apparens statim euanuit, sed pluribus horis supra terram spectantium oculis visa est, splendoris fulgore solis radios vincens. Nisi enim splendorem suum his qui crucem illam aspiciebant, solis ipsius radijs efficaciorem præbuisset, solis splendore superata & contecta fuisset. Quamobrem vniuersa Hierosolymorum multitudo præ diuinæ illius visionis terrore ac lætitia repentè ad sanctam Ecclesiam cucurrit. Itaque senes, mulieres, ipsæ etiam puellæ quæ in thalamis antea seruabantur, & cuiusuis ætatis homines, tam indigenæ quàm peregrini: tam Christiani, quàm qui ex diuersis nationibus illic erant, concordi animo, & tanquam ex vno ore cuncti Christum Iesum nostrũ Dominum Dei filium vnigenitum miraculorum effectorem collaudabant, cùm re ipsa & experientia edocti essent, Christianorum dogma omni pietate refertum, non probabilibus humanæ sapientiæ verbis, sed Spiritus sancti demonstratione, ac potentia constare: neq; ab hominibus solùm prædicari, sed è cœlo ipso diuinis testimonijs confirmari. Nos igitur qui vrbem Hierosolymam incolimus, & miraculum valde magnum nostris oculis vidimus atq; comprehendimus, Deo ipsi vniuersorum Regi, & vnigenito Dei filio, vt decebat, gratias egimus, atque agemus, quem adoramus, & adorabimus, assiduasque pro religioso imperio tuo in ijs sanctis locis preces ad illum ipsum mittimus ac mittemus. Decuit autem huiusmodi visiones cœlestes non silentio præterire, sed pietati tuæ recenti adhuc eius rei memoria significare, vt ad fidei quæ in te inest, bona fundamenta, earum rerum quæ nuper ostensæ sunt cognitionem adiungens, firmiorem in Dominum nostrum IESVM Christum fiduciam assumas, simulque omni fortitudine consueta vndique roboratus, vt Deum ipsum adiutorem habens Crucis trophæum salutare, & omni gloria sublimius præferas, signum, inquam, illud, cuius figuram cœlum ipsum hominibus ostendens, maximè gloriosum esse docuit. Miraculum quidem ipsum, Imperator religiosissime, Prophetarum testimonijs, & sanctis Christi vocibus in Euangelijs ipsis prædictum, iure ac ritè & nunc ostensum est, & iterum maiore quodammodo ostendetur. Cùm enim in Euangelio quod à beato Matthæo scriptum est, futurarum rerum notitiam Saluator ipse beatis Apostolis suis

1 His sanctis diebus sanctæ Pentecostes.

sui,ac per illos ijs qui postea futuri erant, clarissimè impertiret,hæc prædixit: Tunc apparebit signum filij hominis in cœlo. Hunc diuinum Euangelij librum consueto more in manum sumens,quæ de ipsa re testimonia illic sunt scripta inuenies. Quibus maximè te hortor,vt crebrò mentem adhibeas,eò quòd reliqua eodem ordine contenta,& à Saluatore nostro prænunciata multam pietatem atq; obseruantiam requirant,vt ab aduersarijs dæmonum potentijs damno aliquo non afficiamur. Has Imperator pietatis studiosissime nostrorum sermonum primitias tibi affero, has primas voces ex vrbe Hierosolyma ad te pronuncio, qui nobiscum vnà verissimè, & omni cum pietate Christum vnigenitum Dei filium,& Saluatorem nostrũ colis,qui,vt diuinis literis scriptum est,ex vrbe Hierosolyma orbi terrarum salutem dedit, quiq; mortem ipsam in hac regione conculcauit, & proprio certoque loco hominum peccata multo suo sanguine deleuit: & ijs omnibus qui fidem ipsius acceperunt, vitam, immortalitatem,& cœlestem ac diuinam gratiam elargitus est: cuius potentia & gratia te seruari cupimus, illustrioribus ac maioribus pietatis operibus decoratum, & legitimo filio auctum,quem etiam ipsum Cæsarem lætus videas. Vtrique autem ipse omniũ Rex,& Dominus Deus omnis benignitatis largitor,multos annorum circuitus,eosq; pacatos concedat,& in Christianorum gloriam te vniuerso terrarum orbi prosperis rebus vtentem,ac valentem, omniq; virtute ornatum conseruet,consuetam in sanctas Dei Ecclesias,& Romanorum Imperium humanitatem exercentem,ac maioribus pietatis diuinæ factis gloriantem,per multos,inquam,annorum ambitus,tranquillos atq; pacatos ipse vniuersarũ rerum Dominus Deus,Auguste Imperator religiosissime,te cum tota familia tua nobis incolumem seruet.

EXALTATIO SANCTAE CRVCIS,

Per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyrolog. sub xvIII. Cal. Octobris.

DIE decimaquarta Septembris exaltatio sanctæ crucis, quæ ab Helena Constantini matre inuenta,ita per medium est secta,vt & crux Constantinopolim sit portata,& crux Hierosolymis thecis argenteis sit reseruata. Multorum itaque annorum labente curriculo,Phoca Romanis imperante Persæ aduersus Rempublicam,Chosdroë Rege grauissima bella gerentes, multas Romanorum prouincias, & ipsam Hierosolymam inuadunt. Et destruentes 1 Ecclesias,sancta quoque loca profanantes,inter ornamenta sacra,quæ abstulerunt,etiam vexillum Dominicæ crucis abducunt. Fecerat namq; Chosdroë Rex eorum turrim argẽteam,in qua interlucentibus gemmis thronum extruxerat aureum,ibiq; solis quadrigam,& lunæ vel stellarum imaginem collocauerat,atque per occultas fistulas aquæ meatus adduxerat,vt quasi Deus pluuiã desuper videretur infundere. Et dum subterraneo specu equis in circuitu trahentibus currum moueri circumacta turris fabrica videbatur, quasi quosdam rugitus tonitrui, iuxta possibilitatem artificis mentiebatur. In hoc itaque loco sedem sibi parauerat,atque iuxta se quasi collegam sibi crucem dominicam posuerat: Filioque suo regno tradito, ipse in fano huiuscemodi residebat. Mortuo verò Phoca,Heraclius Imperator creatur, vir strenuus, & armis exercitatus. Qui aduersus Persas bellum aggressus, occiso Chosdroë, quem in turre iam dicta sedentem inuenit, Persas in deditionem recepit: lignumque gloriosissimæ crucis exinde rediens secum tulit, & Hierosolymam vnde sublatum fuerat, cum magna veneratione restituit. Et renouante Deo antiqua miracula, inter alia mira quæ tunc cœlitus ostensa fuerunt, die eodem mortuus vnus recepit vitam, paralytici quatuor sanati sunt, leprosi decem mundati: quindecim cœci illuminati: plurimi quoque à dæmonio, multique à varijs infirmitatibus liberati. Offerens igitur Imperator 2 Ecclesijs Dei multa donaria, ex Regijs sumptibus eas reparari fecit. Simul & decreto statuit, omnibus Episcopis ad id sentientibus, vt dies reuelationis sanctæ ac venerabilis Dominicæ crucis, in omni imperio suo ab omnibus fidelibus populis per singulos 3 annos solenniter ageretur. Sed & procurrẽtibus annis,Leone Romanis imperante, apud vrbem Romam Papa Sergius in sacrario beati Petri Apostoli capsam argenteam, quæ in angulo obscurissimo diutissimè iacuerat, & in ea crucem diuersis ac pretiosis lapidibus adornatam Domino reuelante reperit. De qua tractis quatuor petalis,quibus gemmæ inclusæ erant, miræ magnitudinis portionem ligni salutiferi Dominicæ crucis interius repositam inspexit. Quæ ex tempore illo omnibus annis in Basilica Saluatoris,quæ appellatur Constantiana,die exaltationis eius ab omni osculatur, 4 & adoratur populo.

1 Sicut infideles isti,ita nostri hæretici ecclesias destruũt, & sancta loca prophanant.

2 Imperator obtulit Ecclesijs multa donaria, & ex regijs opibus eas reparari fecit: ergo hæc bona opera sunt, & placent Deo.

3 Dies festus annuus exaltationis sanctæ crucis instituitur.

4 Crux Domini die exaltationis eius ab vniuerso Rom. populo osculatur & adoratur.

INCIPIT LIBELLVS ATHANASII EPISCOPI Alexandrinæ vrbis de pasione imaginis Domini nostri Iesu Christi, qualiter crucifixa est in Syria, in vrbe Beryto, qui citatur in septima synodo, secunda Nicæna, actione quarta, sub Constantino iuniore, & Irene eius matre celebrata.

DILECTISSIMI filij sanctæ Ecclesiæ, mentis vestræ oculos simul & aures erigite, & considerantes admiremini rem gestam, quam ad vestram scientiam trāsmittere cupimus. Cernite cuncti infinita Dei omnipotentis mirabilia, & ei laudes incessabiles reddite per secula. Contemplemini eius ineffabilem per cunctas generationes benignitatis magnitudinem, multis modis luce clariorem, super humanum genus resplenduisse semper. Considerate sublime dispensationis eius mysterium, & ideo ex nimia eius pietate permoti assumite planctum, lachrymasque amaras proferre mementote, ac singultus super tale miraculum in nostra generatione patratum, quod omnibus seculis est mandandum. Deo quippe nihil impossibile, sed etiam nec aliquid est difficile. Nam super ea quæ ipse modernis dignatus est patrare temporibus, omne cor obstupuit, audientium fugit visus, hebetatus est auditus. Sicut enim in pasione vnigeniti ipsius expauit cœlum, radij quoque Solis obtenebrati sunt, quinetiam terræmotus suo horrendo sonitu abysi fundamenta validè exterruit, & mortuos plurimos, quos abyssus ipse tenebat, eructare fecit viuificatos: ita & nunc secundò eadem signa pariter sunt innouata. Igitur audientes intelligite, intelligentes obstupescite, & ea quæ vobis intimare curamus, plena fide & aure intenta cordis percipite. Est autem huiusmodi series narrationis.

CAPVT I.

EST quædam ciuitas in Syria, inter terminos Tyri & Sidonis posita, Berytus vocata, Antiochiæ olim subdita. In hac vrbe innumerabilis multitudo erat Hebræorum, cùm eo tempore ciuitas illa Metropolitanam obtineret dignitatem. Accidit autem, vt iuxta synagogam Hebræorum, quæ magna valde habebatur, quidam Christicola à quodam suscepisset cellulam, cēsumque ei ex ea redderet: in qua dum ingressus esset ad habitandum, iconam [1] Domini nostri Iesu Christi, quam apud se habebat, fixit in pariete cōtra lectuli sui faciem, quæ etiam cōtinebat in se integram Domini staturam. Euoluto denique non paruo temporis spatio, iam prælibatus Deicola perquirere studuit in alio loco eiusdē vrbis magis spatiosam domū ad habitandum. Quam cùm reperisset, tollens cuncta, quæ ad se pertinere videbátur, egressus est de cellula, Domini autē prouidentia id agente, Iesu Christi Domini nostri iconam ibi neglectam reliquit. Hoc autem Domini occulto peractum est consilio, qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, vt ostenderet cunctis se colentibus suorum miraculorum virtutem, ad increpationem impiorum, firmamentum verò suorum fidelium. Factum est autem post hæc, vt Hebræus quidā eandē cellulam susciperet ad habitādum. Quā ingressus cum suis omnibus cœpit habitare in ea, minimè contēplatus locum illum, qui Dominicā iconam apud se retinebat absconditam. Die verò quodam idem Hebræus de suis contubernalibus inuitauit vnum ad prandium. Epulantibus illis, eleuauit Hebræus qui inuitatus fuerat, oculos, & vidit in interiori loco illius cellulæ iconam Dominicam parieti connexā. Tunc vehementi furore exardescens, cœpit fremere dentibus aduersus eum qui ipsum cōuocauerat, dicens: Tu Hebræus cùm sis, quomodo apud te Iesu illius Nazareni iconam habes repositā? Conuitia quoque & opprobria tanta aduersus Dominum Saluatorem emisit, quanta nec aures fidelium sufferre possunt, nec nos scriptis tradere præsumimus, ob iniuriam nostri redemptoris. Iudæus verò, qui illum maleuolum conuocauerat ad prandium, satisfacere illi cupiens, sacramentis terribilibus profitebatur, se nunquam illam quam præmonstrabat, vidisse iconam. Ad hæc qui inuitatus fuerat siluit. Finito autem conuiuio abscessit, & abijt ad summos sacerdotes & principes, & dixit eis: Notum vobis sit, quoniam Hebræus ille talis Iesu Nazareni iconam apud se retinet clanculò. At illi hæc audientes dixerunt ad eum: Nunquid possunt vera esse quæ asseris? Non credimus, nisi demonstraueris. Ipse verò affirmabat, quòd eam in domo illius demonstraret. Hæc illi audientes maximam in iram deciderunt. Sed die illo, quia iam hora incumbebat vespertina, siluerunt. Mane verò facto summi sacerdotes, principes, & maiores natu plebis Iudæorum, assumentes secum illum qui socium accusauerat, ad domum ipsius velociter festinauerunt. Videntes autem vera esse quæ dicta fuerant, facto impetu cum eo qui hæc testificauerat, irruerunt in illum, multisque contumelijs, ac varijs cruciatibus affectum, extra synagogam semiuiuum proiecerunt.

[1] *Vide antiquissimū vsum imaginū in Ecclesia.*

CAP.

CAPVT II.

DEponentes autem Domini nostri Iesu Christi iconam in terra, dixerunt ad inuicem: Quoniam aures nostras tetigit non exigua opinio, quòd Iesum Nazarenum patres nostri diuersis modis illuserunt, ita & nos huic faciamus. Tunc cœperunt spuere in faciem imaginis Domini Saluatoris nostri, & percutiebant eam alapis, inde dicẽtes: Quanta Iesu Galilæo nostri genitores fecerunt, eadem & nos huic eius imagini faciamus. Innumerabilibus itaque illusionibus Dominicam illuserũt iconam. Iterum dicunt: In eius passione scriptum esse agnoscimus, quòd eius pedes, & manus in cruce confixæ sunt, nos verò quamuis moderniores tempore, nil prætermittentes, addamus & hæc. Tunc crucifigẽtes iconam Dominicam clauos acutissimos adhibuerunt in manibus & pedibus ipsius imaginis. Post hæc permoti magis ac magis fellis amaritudine, dicunt inter se: Audiuimus quòd patres nostri Iesu Galilæo acetum & fel in potum cum spongia præbuerunt, hoc & huic faciamus. Quod & sic fecerunt, apponentes ad os sanctæ iconæ nostri redemptoris acetum cum felle mixtum. Nec sic itaque cordis sui malitiam refrenantes iterum dicunt: Didicimus quòd nostri maiores coronam contextam de spinis capiti illius crucifixi circumponebant, postmodum arundine percutiebant insultantes ei: & nos igitur nihil postponentes, id ipsum faciamus. Cumque coronam spineam capiti illius circumposuissent, accipientes arundinem, percutiebant caput imaginis illius, qui caput est omnium sanctorum. Ad extremum verò, cùm insaniam suæ mentis tolerare non possent, dixerunt: Sicut veraciter didicimus, patres nostri latus Iesu lancea aperuerunt: nos verò ne aliquid minus fecisse videamur, & hoc ipsum adijciamus. Nullam ad hæc morã mediam fecerunt, & afferri lanceam iusserunt, & præceperunt cuidam Hebræo tollere eam, & valido ictu latus dextrum iconæ illius transfodere. Cumque tam maximum facinus fuisset perpetratum, res mira & vehementer stupenda, nulloq; vnquã seculo audita, ibi repente est effecta. Nam ipsius vulneris locus, aqua & sanguine ilicò cœpit decurrere. Et sicut in passione Dei filij Saluatoris mundi olim contigit cœlum expauisse, ita nunc quoque, pariter Deo præstante, eadem innouantur. Verè enim in hoc facto non solùm elemẽta mundi concuti potuêre, sed etiam virtutes supernæ tale facinus exhorruêre. Tibi ergo, Christe, cum Patre, Spirituque sancto sit gloria indeficiens. Quis enim est sicut tu Domine: & quis est Deus faciens mirabilia signa, & terribilia, & obstupescenda in cœlo, & in terra? O admirabilis mediator Dei & hominum, homousion, mundi redemptor, ac saluator, totius bonitatis & pietatis fons & origo. O quantus es, Domine Iesu, in humilitate, qui cùm esses Deus, morticinum nostræ carnis suscipiendo, homo fieri dignatus es pro salute generis humani, quem impij & crudeles paulominus ab Angelis minoratum cernentes, horribili morte plectere non erubuerunt. O quàm magnus es noster Saluator in patientia, qui in tempore tuæ traditionis, tuo proditori ad te venienti osculum præbere non renuisti, & seruo Malcho Apostoli gladio abscissam auriculam redintegrasti, quãdo ad passionis victimam velut ouis mãsueta ducebaris. O quantus es in misericordia, Christe, spes vnica mundi, qui cùm in cruce teipsum hostiam Deo patri exhibuisses sanctam, & immaculatam, pro tuis crucifixoribus veniam postulasti, dicendo ad patrem: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Tunc quidem pro salute nostra incuruatus, in eadem carne, quam ex virgine sancta & immaculata assumpseras, mortem pertulisti crudelẽ. Et qui eras in substantia cum patre sanctoq; Spiritu vnus & impassibilis existens, & inuisibilis, condoluisti humanam perire naturam. Et ideo in hanc lachrymarum vallem descendens, pro nostris erratis & piaculis formam seruilem suscepisti, in qua te permisisti ab iniquis teneri, & flagellari, ad vltimum verò crucifigi. Nunc autem in sancta imagine tua crucifigeris Domine, iterum ad confusionem impiorum omnium infidelium, & ad corroborationem omniũ in te credentium. Et ideo tibi omnipotenti Deo vnà cum Patre Spirituq; sancto gloria sit per cuncta seculorum secula, decus & fortitudo, virtus atque victoria. Amen.

CAPVT III.

AVdite omnes Ecclesiæ filij, cætera quæ postmodum facta sunt, ipsius enim mysterij fuit dispensatio. Postquam enim, vt superius dictum est, latus sanctæ imaginis illius lancea apertũ est, continuò exiuit sanguis & aqua. Dixerunt autem principes sacerdotum: Afferatur vas ad locum vulneris, & videamus exitum rei. Qui ilicò detulerunt hydriam, & ad locum vulneris, vnde sanguis & aqua decurrebant, statuerunt. Quæ absque vlla mora subitò repleta est. Dixerunt autem ad inuicem: Quoniam susurrant Christũ colentes, quòd signa & mirabilia multa inaudita fecerit in mundo, quæ nemo alius potuit agere, accipiamus hunc sanguinem, & aquam hanc, & deferamus ad nostrã synagogam, & congregemus vniuersos qui se malè habent, & ex hoc perungamus eos, & si vera sunt ea quæ de Christo dicuntur, continuò sanabuntur: sin aliâs, ludibrio habeantur à nobis cuncta quæ à suis

sequacibus astruuntur de eo. Hæc dicentes, hydriam deferunt ad synagogam, æstimantes se Christo Iesu Domino nostro æterni Regis filio maximam inferre posse iniuriam. Congregauerunt igitur quoscunque repererunt languidos, & in conspectu cunctorum Hebræorum introducti sunt in synagogam, inter quos quidem prouectæ ætatis erat homo, quem à natiuitate sua grauissima possederat corporis molestia, quæ Græca locutione paralysis, Latina verò dissolutio membrorum dicitur. Hic dum primum ab eis fuisset perunctus, repentè de suo grabato quasi ceruus exiliens, ad laudem filij Dei incolumis redditus ad propria remeauit. Deinde adducentes cœcos nonnullos, loca eorũ luminum perungere studuerunt. Qui & ipsi statim in Iesu Christi nomine discussa cæcitate, post multos annos lumen amissum recipere meruerunt. Ægrotantes autem plurimi ad hoc spectaculum sunt adducti. Cumque & illi fuissent peruncti, mirabili Dei virtute vndique perfugi, sensu redintegrato pristino, ad propria dum reuertuntur sanissimi, laudes Dei omnipotentis filio Iesu Christo Domino Saluatori nostro persoluuntur ab omni populo. Tumultus autem exortus est magnus, per totam eandem vrbem concurrentibus omnibus, propter innumerabilia quæ fiebant miracula. Et quicunque varijs languoribus infirmos possessos habebant apud se, illuc eos deducentes perungebant, & statim sanitatem quam desiderabant, consequebantur. Omnes autem ad quoscunque peruenire potuit fama, afferentes infirmos quos ipsi habebant in domibus, paralyticos, cæcos, claudos, surdos, mutos, & leprosos, siue aridos, deducebant eos ad synagogam Iudæorum, vbi hæc fiebant signa diuinitus. Sed quamuis maxima esset hæc eadem synagoga, nequaquam tamen recipere poterat superuenientium multitudinem. Infinitæ enim erant populorum cateruæ, quæ vndique illuc confluebant propter innumerabilia miracula & prodigia, quæ pro sua nimia multitudine, ne fastidium generent, transgrediendo prætermittuntur. Omnes autem principes sacerdotum, & seniores, & omnis turba Iudæorum, paruulorum ac maiorum, & mulierum, videntes quæ facta fuerant, crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum, quem, vt Esaię vaticinium cecinit, virgo concepit, & virgo peperit, ac post partum virgo permansit, & dicebant: Gloria sit tibi Christe, quem patres nostri verum Deum, & verum hominem in cruce morte horribili afficere non metuerunt. Qui nunc etiam nobis iterum passus es te in imagine tua cruci affigi. Gloria sit tibi, Christe fili Dei, qui tanta mirabilia nobis miseris demonstrasti. Tibi credimus, tu nobis esto propitius, & nos suscipere dignare, quia ex toto corde, & tota anima, atque virtute ad te confugimus. Hæc & his similia clamantes dicebant, lachrymas autem amaras emittebant, & singultus.

CAPVT IIII.

POstquam autem curati sunt cuncti, qui ægritudine detinebantur, cucurrit omnis multitudo Iudæorum ad domum sanctæ Ecclesiæ, quæ in eadem vrbe erat, vbi & Metropolitanum inuenerunt. Cuius prouoluti vestigijs, se peccasse, se grauiter deliquisse, magnis vocibus fatebãtur. Is cùm ab eis perquireret omnem rei gestæ veritatem, sanctam iconam Domini Saluatoris eidem demonstrantes, annunciauerunt cuncta quæ in ea exercuerant: & qualiter ab ictu lanceæ sanguis & aqua emanauit ex latere ipsius: necnon & de mirabilibus ab ea ostensis ipsi retulerunt per ordinem. Ille verò interrogabat, qualiter icona ipsa ab eis fuisset reperta, & si ab aliquo eam accepissent. At illi retulerunt ei, quòd quidam Christicola per obliuionem in cellula synagogæ proxima dimisisset eandem iconam, dum se ad alium locum transferret hospitandi gratia. Qui statim iubetur inquiri: & repertus, in præsentia domini Metropolitani statuitur. Cumque ab eo studiosissimè fuisset interrogatus, quomodo icona apud se deuenisset, vel à quonam mirabiliter posita esset, respondit dicens, quòd Nicodemus qui ad Iesum nocte venerat, proprijs manibus eam composuisset, & moriens Gamalieli tradidisset. Gamaliel autem doctoris gentium Pauli magister, cùm diem sibi cerneret adesse extremum, Iacobo eam reliquit, & Iacobus Simeoni, & Simeon Zachæo, & sic per successiones temporum in Hierosolyma perdurauit, vsque quò subuersio illius vrbis patrata est quadragesimo & tertio anno post ascensionem Domini Saluatoris ad cœlos. Sed biennio antequam Titus & Vespasianus eandem subuerterent vrbem, admoniti sunt à Spiritu sancto fideles, atque discipuli Christi, vt relicta vrbe, ad regnum se transferrent Agrippæ Regis, quia ipse tunc Agrippa Romanis fœderatus erat. Qui egressi ab vrbe, omnia quæ ad cultum nostræ religionis vel fidei pertinere videbantur, secum auferentes, in has regiones se transtulerunt. Quo tempore etiam icona cum cæteris rebus Ecclesiasticis deportata vsq; hodie in Syria permansit, quam ego ipse à parentibus mihi ex hac luce migrantibus traditam, iure hæreditario vsque nunc possedi. Hæc certa & manifesta ratio est de icona sancta Domini Saluatoris, qualiter de Iudæa, in Syriæ partes deuenit. Auditis his sermonibus Reuerendissimus Metropolitanus valde hilaris redditus, conuersus ad populum Israëliticum dicebat:

Conuertere Israël ad Dominum patrem vniuersorum viuentium,& adora nobiscum eius filium, per quem sunt omnia creata, & spiritum sanctum, qui est viuificator cunctorum viuentium, & illuminator nostrarũ animarum. Festina debitum absoluere votum. Omnis autem turba stirpis Iudaicæ clara voce cœpit cantare,& dicere: Vnus Deus Pater, & ipse ingenitus: vnus filius, & ipse vnigenitus Christus, quem patres nostri crucifixerunt, & nos ipsum agnouimus verum Dominum. Vnus Spiritus sanctus,& ab vtroque procedens, per quem veraciter nos credimus esse saluandos. Hæc dicentes, prostrati genibus ipsius, veniam postulabant de suis consequi sceleribus per baptismi remedium. Quos suscipiens beatus Antistes cum suis clericis per dies [2] plurimos de disciplina erudiuit Christiana: ad vltimum verò catechumenos factos, & triduano peracto ieiunio, ex aqua & Spiritu sancto regenerauit eos.

2 Ecce quomodo baptizandi antiquitus per plurimos dies de fide Christiana instruebantur,& ieiunio præparabantur.

CAPVT V.

POstquam verò baptismum consecuti sunt, rogabant enixius sanctum virum, vt synagogam suam Ecclesiam [3] consecraret, in honorem sancti Saluatoris mundi. Quorum petitionem minimè aspernatus, synagogam illorum quæ maior esse videbatur, in nomine vnigeniti Dei filij Redemptoris mundi consecrauit. Ex tunc itaque per diuersas orbis terræ nationes, & prouincias mos inoleuit, vt basilicas plurimas, vel oratoria Pontifices Christianæ legis in honorem sancti Saluatoris mundi condere, & dedicare non desinant. Nam antea antiquiores nostri vel maiores hoc peragere minimè præsumpserunt. Sed ad narrationis nostræ ordinem reflectamus orationem. Rogauerunt autem Metropolitani præfatum virum, vt cæteras synagogas eorum in honorem quorundam beatorum martyrum consecrando reconciliaret. Itaque & huic petitioni libenter animum accommodauit, & quæ illi suggesserunt, Dei iuuamine fretus, cuncta expleuit deuotus. Factumq; est gaudium magnum in ciuitate illa, non solùm de sanitate corporum, quæ emanauerat maxima: sed & de tantis animabus, quæ ab interitu satanæ ad vitam æternam fuerant reuocatæ.

3 Vides vsum consecrandi Ecclesias antiquissimũ esse!

CAPVT VI.

VEnerabilis & verè summus Antistes die noctuque varijs fluctuabat cogitationibus de hydria quæ Dominicum intra se retinebat cruorem, valde hæsitans quid de ea opportunum fuisset peragere. Tandem autem salubri reperto consilio, omnibus Ecclesijs, quæ per orbem terræ longè lateque consistebant, inæstimabile atque profuturum prouidit consolationis remedium. Denique ampullas præcepit fieri vitreas, in quibus posuit portiones singulas de sanguine & aqua, quæ de imagine Domini Saluatoris nostri decurrerant: easque statim per Asiam, Aphricam, & Europam, per suos nuncios dirigens, cuncta quæ apud vrbem iam dictam suo tempore contigerant, suis scriptis manifestissimè vniuersis sanctæ Ecclesiæ filijs significauit, hoc insuper ab eis efflagitans vt per annos singulos in mense Nouembri, qui apud Hebræos est nonus, apud nos verò mensis vndecimus, nono die ipsius mensis, id est, quinto Idus Nouembris, non minori reuerentia, quàm Natalis Domini, vel Pascha, ista [4] dies præcipua obseruatione colatur.

4 Dies festus consecrationis Ecclesiæ.

CAPVT VII.

HÆc est vera & firmiter credenda narratio de cruore lateris Domini nostri Saluatoris, qui profluxit de sancta imagine ipsius quæ crucifixa est in Syria, in Beryto ciuitate. Hîc est etiam sanguis ille Dominicus, qui apud plerosque repertus esse dicitur. Nec esse aliter æstimandum est à verè Catholicis præter id quod scribitur nobis, quasi ex carne & sanguine Christi aliquid possit in mundo inueniri, nisi illud, [5] quod in ara altaris per manus sacerdotum quotidie spiritualiter efficitur. Hæc ergo sciens, amantissimi patres, & fratres, accelerau declarare vobis ad ædificationem animarum vestrarum, ad incrementum vestræ fidei, vt & in hoc scire valeatis, quanta sit virtus & pietas Domini Saluatoris nostri Iesu Christi. Idcirco in fide fortes estote, & congaudete super magna & obstupescenda eius miracula, quæ in nostra generatione à Deo sunt patrata, dateque illi gloriam cum lætitia gaudentes, & cum nimia cordis compunctione eius maiestati immensas gratias agite, eò quòd fidei suæ & sententiæ dignos nos fecit esse. Ipsi Christo Iesu Saluatori nostro cum Patre, sanctoque Spiritu gloria sit, honor, ac laus perennis: qui sempiternum, atque indiuisum absque initio & fine obtinet imperium.

AMEN.

5 Vides quod qui efficitur in altari per manus sacerdotum verus sanguis, & caro est Christi, sed spiritualiter, hoc est, in alia forma, nempe in specie panis & vini!

IN LAVDEM SANCTAE ET viuificæ Crucis, sermo beati Ioannis Damasceni.

Habetur lib. 4. cap. 12. de Orthodoxa fide.

SERMO crucis ijs qui pereunt, stultitia est: nobis autem, qui salute respiramus, virtus Dei. Nam spiritualis omnia dijudicat, animalis verò homo non suscipit ea quæ spiritus sunt. Stultitia enim ijs qui fidē nō suscipiunt, & bonitatem, omnipotentiam Dei non existimant, sed humanis & naturalibus cogitationibus diuina scrutantur. Omnia namque Dei sunt super naturam adhuc & super sermonem, & mentē. Quis enim cogitauerit, quo pacto ex nihilo ad esse, & cuius gratia deduxerit Deus vniuersa? Si naturalibus cogitationibus inuenire voluerit, non apprehēdet. Animalis enim est hæc indagatio, & dæmoniaca. Si quis verò fide manuductus bonitatem, omnipotētiam, veritatem, sapientiā, iustitiam, & diuinitatem cogitet, inueniet omnia leuia, & plana, & viam rectā. Sine enim fide impossibile est saluari: nam fide omnia, & humana, & spiritualia constant. Neq; enim agricola sine fide inscidit terræ sulcū, neque mercator paruo ligno suam ipsius animam insano maris pelago committit: non nuptiæ fiunt, non aliud quicquā in vita sine fide. Fide intelligimus, ex nihilo ad esse omnia Dei virtute deducta esse. Omnia, & diuina & humana, fide dirigimus. Fides autē est inscrutabilis consensus. Omnis igitur actio, & miraculifera operatio Christi, maxima, diuina, & summè admiranda: omniū tamen admirabilissimum est pretiosa ipsius crux. Per nullū enim aliud mors primi parentis destructa est, primi parentis peccatū solutum, infernus spoliatus, resurrectio donata, virtus nobis contēnendi præsentia, mortemq; ipsam elargita, ad antiquā beatitudinem regressio reparata, portæ paradysi patefactæ, natura nostra in dexteris Dei sedens, filij Dei & hæredes nos facti, nisi per crucē Domini nostri Iesu Christi. Per ipsam enim hæc omnia mirificè sunt impleta. Nam quicunque baptizati sumus in Christo, vt inquit Apostolus, in morte eius baptizati sumus: & quicunque in Christo baptizati sumus, Christum induimus. Christus autem est Dei virtus & sapientia. Ecce mors Christi, id est, crux, hypostatica Dei virtute, & sapientia circundedit nos. Virtus siquidem Dei est verbum crucis, aut quia potentia Dei, id est, contra mortem victoria, per ipsam nobis manifestata est, aut quia quemadmodum quatuor extrema Crucis per medium centrum continentur & constringuntur, sic per Dei virtutē altitudo & profunditas, longitudo & latitudo, id est, omnis visibilis & inuisibilis creatura continentur. Hæc nobis signum data est super [1] frontem quemadmodum Israëli circuncisio. Per ipsam enim fideles ab infidelibus & distamus & discernimur. Ipsa est scutum, & arma, & trophæum aduersus diabolum. Ipsa signaculum, vt non tangat nos exterminator, vt inquit scriptura. Ipsa iacentium erectio, stantium firmamentū, baculus debilium, pastorum virga, conuertētium manuductio, proficientiū perfectio, animę salus & corporis, omniū malorū auersio, omnium bonorū causa, peccati destructio, arbor resurrectionis, lignū vitæ æternæ, ipsum nimirum pretiosum lignum, & perquàm verè venerandum, in quo semetipsum in hostiam pro nobis Christus obtulit, atque vt sanctificatū tactu sancti corporis & sanguinis decenter [2] adorandū. Clauiq; & lancea, & indumenta, & sacra ipsius tabernacula adorāda, quæ sunt præsepe, spelunca, Golgotha Saluatoris viuificum sepulchrum, Sion Ecclesiarum propugnaculum, & similia, vt Dei parens ait Dauid: Introibimus in tabernaculum eius, adorabimus in loco vbi steterunt pedes eius. Quòd autem Crucem dicat, ostendit quod sequitur: Resurge Domine in requiem tuam: sequitur enim crucem resurrectio. Si enim amatorum desiderabilis domus, & lectus, & amictus: multò magis Domini & Saluatoris nostri, per quæ & saluati sumus. Adoramus etiam [3] figuram pretiosæ & viuificæ crucis, tametsi ex alia materia facta est, nō materiam venerantes (absit enim) sed figurā, tanquam Christi signum. Dixit enim discipulis suis contestans: Tunc apparebit signū filij hominis in cœlo, crucem dicens: Et idcirco mulieribus dixit resurrectionis Angelus: Iesum quæritis Nazarenum crucifixum. Et Apostolus: Nos autem prædicamus Iesum Christum, & ipsum crucifixum. Multi enim Christi, & Saluatores, sed vnus crucifixus. Non dixit, lancea perfossum, sed crucifixum. Adorandum est igitur signum Christi: vbi enim fuerit signū eius, illic & ipse erit. Materia autem ex qua figura crucis exprimitur, siue sit aurum, siue lapides pretiosi, aut alia quæuis materia, post figurationem, si contingat dissolui, non adoranda. Omnia igitur, quæ Deo adiacuerunt, adoramus, ipsi reuerentiā pietatisq; cultū exhibentes.

1 Nota quod crux Christi nobis signum data est super frontē, quemadmodum Israëli circumcisio.

2 Vide lignum viuificæ crucis pretiosi corporis & sanguinis Domini tactu sanctificatum decenter adorandum esse, sicque & cætera quæ hic ponūtur, ad eundem Dominum pertinentia.

3 Adoramus etiā figuram pretiosæ & viuificæ crucis ex quacunque materia factæ, & vide rationem.

Hanc pretiosam crucem præfigurauit vitæ lignū, quod in paradyso plantatū est à Deo. Nam posteaquā per lignum mors allata est, oportebat per lignum donari vitam, & resurrectionem. Iacob adorās summitatem virgæ, alternatis cancellatisq; manibus filios Ioseph benedi-

benedicens, signum crucis manifestissimè descripsit. Virga Moysaica in similitudine crucis mare percussit & saluauit Israël, Pharaonem autē submersit. Manus cruciformiter extensę Amalech repulerunt. Ligno amara aqua dulcis facta est, & petra rupta, & profundens fluenta. Virga Aaron sacri Pontificatus insigne fuit: serpens in ligno triumphatus, qui mortuus est, ligno mortuum videntes inimicum saluante, & credentes quòd Christus in carne peccati, peccatum non sciente, in cruce peccata affixit. Magnus Moyses clamat; Videbitis vitam vestram pendentem in ligno ante oculos vestros. Et Esaias: Tota die expandi manus meas ad populum discredētem & contradicētem. Qui hanc igitur 4 adorant, participes fiunt Christi Crucifixi. AMEN.

4 *Qui crucē adorāt, participes fiūt Christi crucifixi.*

IN SACRATISSIMVM CORPVS CHRISTI, de sanctis scilicet & incontaminatis eius mysterijs, sermo beati Ioannis Damasceni.

Habetur lib. 4. cap. 14. de Orthodoxa fide.

BONVS, & omnibonus, & superbonus Deus totus existēs bonitas propter superabundantes diuitias bonitatis suæ, non passus est solum esse bonum (id est suam ipsius naturam) à nullo participatum. Huius gratia fecit primum quidē intellectuales & cœlestes virtutes deinde visibilem & sensibilem mundum, mox ex intellectuali & sensibili natura hominum. Cuncta igitur quæ ab ipso facta sunt, participant eius bonitatem secundùm esse, quia ab ipso, & in ipso sunt omnia: non modò quia ipse ex nihilo illa ad esse deduxit, sed quia sunt ipsius actio, & quæ ab ipso facta sunt, conseruat & continet. Ex abundanti autem animalia: nam secundùm esse, & vitam participando, communicant bono, rationalia verò & secundùm prædicta: sed non solùm, verùm & secundùm rationem. Et hæc magis familiaria quoquo pacto sunt ad ipsum, quanquam omnibus improportionaliter supereminet.

Cæterùm homo rationalis, & arbitrio liber factus potestatem accepit indesinenter per propriam electionem vniri Deo, si permansisset in bono, hoc est, in creantis obedientia. Posteaquàm verò eius qui illum fecit transgressus est præceptum, & morti & incorruptioni succubuit, factor & opifex generis nostri, propter viscera misericordiæ suæ, similis factus nobis secundùm omnia factus homo 1 est sine peccato, & nostræ naturæ vnitus est. At verò qui tradiderat nobis propriam imaginem, & proprium spiritum, quem non custodiuimus, ipse pauperem nostram & imbecillem assumpsit naturam, vt nos purgaret, & incorruptibiles faceret, rursusq; Deitatis suæ participes restitueret. Atqui oportebat non solùm primitias nostræ naturæ in participationem venire meliores, sed & totum volentem hominem, & secunda natiuitate nasci, & nutriri cibo nouo, & natiuitati conuenienti, atque ita præuenire mensuram perfectionis. Per suam itaque natiuitatem, id est, incarnationem, & baptisma, & passionem, & resurrectionem, liberauit naturam à peccato primi parentis, à morte & corruptione. Et resurrectionis primitiæ factus, viam, & formam, & exemplū seipsum constituit, vt & nos vestigia eius sequentes, efficiamur adoptione, quod ipse est natura filij & hæredes Dei, & sui cohæredes. Dedit igitur nobis (ceu iam dixi) secundam natiuitatem, vt quemadmodum nati ex Adam assimilabamur ipsi, hæreditantes maledictionem, & corruptionē, ita ex eo nati, assimilemur ei, & hæreditate adipiscamur incorruptionem, & benedictionē, & gloriam eius. Et quia ipse spiritualis est Adam, decuit & natiuitatem spiritalem fore, similiter autem & cibum. Atqui verò quia duplices sumus, & compositi, par etiam fuit natiuitatem duplicem fore, idētidem & cibum compositum. Natiuitas igitur, per aquam nobis & spiritum donata, per sanctum dico baptisma. Cibus verò, ipse panis vitę Dominus noster Iesus Christus, qui ex cœlo descendit. Nam suscepturus voluntariam pro nobis mortem in nocte, in qua seipsum obtulit, testamentū nouum disposuit sanctis discipulis, & Apostolis, & per ipsos omnibus alijs in seipsum credētibus. In cœnaculo igitur sanctæ & gloriosæ Sion, antiquum Pascha cum Discipulis suis manducans, & implens antiquum testamentū, lauit discipulorū pedes, signum sancti baptismatis præbens. Deinde frangens panem dedit illis dicens: Accipite, comedite, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur in remissionem peccatorum. Similiter accipiens calicem ex vino & 2 aqua, tradidit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes, Hic meus est sanguis noui testamenti, qui pro vobis effundetur in remissionē peccatorum: hoc facite in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem filij hominis annunciabitis, & resurrectionem eius confitebimini, donec veniat. Si igitur verbum Dei viuens est & efficax, & omnia quæcunque voluit Dominus fecit. Si dixit: Fiat lux: & facta est. Fiat firmamentum: & factum est. Si verbo Dei cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum: si cœlum & terra, aqua, ignis, & aër, &

1 *Deus omnium creator propter viscera misericordiæ suæ factus est homo per omnia nobis similis, absque peccato tamen.*

2 *Nota quod Dominus noster in nocte cœnæ calicē ex vino & aqua benedixit.*

omnis ornatus eorum, verbo Domini perfecta sunt, & homo ipse vbique diuulgatum animal: si volens ipse Deum verbum factus est [3] homo, & ex sanctæ virginis purissimis & illibatissimis sanguinibus, in seipso sine semine carnem sustentauit: non potest panem sui ipsius corpus facere, & vinum & aquã sanguinem? Dixit in principio: Producat terra herbam virentẽ: & vsque nunc pluuia facta producit germina, diuino coadiuta & vigorata præcepto. Dixit Deus: Hoc est corpus meum. &, Hic meus est sanguis. &, Hoc facite in meam commemorationem: & omnipotenti eius præcepto, donec veniat, efficitur. Sic enim dixit, Donec veniat: & fit pluuia nouæ huic agriculturæ, per inuocationem Spiritus sancti obumbrans virtus. Nam quemadmodum omnia quæcunque fecit Deus, Spiritu sancto cooperante fecit: sic & nunc Spiritus sancti operatione hæc super naturam operatur, quæ non potest capere nisi sola fides. Quomodo fiet mihi istud, dicit sancta virgo, quoniam virum non cognosco? Respondet Gabriel Archangelus: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Et nunc interrogas, quomodo panis fit corpus Christi, & vinum & aqua sanguis Christi? [4] Respondeo tibi & ego: Spiritus sanctus obumbrat, & hæc operatur super sermonem & intelligentiam: panis autem & vinum transsumuntur. Nouit enim Deus humanam infirmitatem complura vsu non trita auersari, & molestè ferre. Assueto igitur condescensu vsus, per consueta naturæ ea facit quæ sunt super naturam. Et quemadmodum in baptismate (quia consuetudo hominibus est, aqua lauari, & oleo vngi) coniunxit oleo & aquæ gratiam Spiritus sancti, & fecit illud lauacrum regenerationis: Hunc in modum, quia mos hominibus est panem manducare, & vinum & aquam bibere, coniunxit his ipsis suam diuinitatem, & fecit hæc suum corpus, & sanguinem, vt per assueta, & quæ sunt secundùm naturam, in ijs quæ sunt super naturam, collocemur. Corpus enim quod ex sancta virgine corpus est, secundùm veritatem coniunctum est diuinitati, non quòd ipsum corpus assumptum ex cœlo descenderit, sed quòd ipse panis & vinum transmutatur in corpus & sanguinem Dei.

[3] Deus verbũ factus est homo ex sancta virginis purißimis sanguinibus sine humano semine.

[4] Probat sanctus Pater per verba consecrationis, ex pane verũ corpus, & ex vino & aqua verum sanguinem Domini nostri Iesu Christi effici.

Si autem modò requiris, quónam pacto id fiat, sat sit tibi audire: quoniam per Spiritum sanctum, quemadmodum ex sancta Deipara, seipso & in seipso Dominus carnem sustentauit. Et nihil amplius cognoscimus, quàm quòd verbum Dei verum est, & efficax, & omnipotens, modus autem inscrutabilis. Neque & hoc etiam dictu promptum, quomodo naturaliter per comestionem panis, & vinum, & aqua per potionem in corpus & sanguinem comedentis, & bibentis transmutantur, & non fit aliud corpus præter id quod prius erat ipsius. Sic & propositionis panis, vinumque, & aqua, per inuocationem & aduentum Spiritus sancti supernaturaliter transmutatur in corpus & sanguinem Christi, & non sunt duo, sed vnum & idem. Fit igitur ijs qui fide dignè assumunt, in remissionem peccatorum, & in vitam æternam, & in custodiam animæ & corporis: ijs autem qui in fidelitate indignè participant, in punitionem & supplicium. Quemadmodum & Christi mors credentibus facta est vita, & incorruptibilitas in fruitionem sempiternæ beatitudinis: infidelibus autem, & Domini interfectoribus, in supplicium & pœnam sempiternam. Non est [5] figura panis & vinum, corporis & sanguinis Christi (absit enim hoc) sed est ipsum corpus Domini Deificatum, ipso Domino dicente: Hoc est meum, non figura corporis, sed corpus: & non figura sanguinis, sed sanguis. Et ante hoc ipsis Iudæis: Quoniam nisi manducaueritis carnem filij hominis, & biberitis eius sanguinem, non habebitis vitam æternam. Caro mea verus est cibus, & sanguis meus verus est potus. Et rursus: Qui manducat me, viuet. Proinde cum [6] omni timore, & conscientia pura, & indubitabili fide accedamus, & omnino fiet nobis, quemadmodum credimus non dubitãtes: & veneremur ipsum omni puritate animi & corporis. Accedamus cum desiderio ardenti, & manus in Crucis modum formantes, Crucifixi corpus suscipiamus. Et apponẽtes oculos, & labia, & frontẽ, diuinum carbonẽ concipiamus, vt ignis in nobis desiderij assumens eo ex carbone ignitionẽ, comburat peccata nostra, & illuminet corda nostra, & participatione diuini ignis igniamur, & deificemur. Carbonem vidit Esaias. Carbo autem simplex non est, sed vnitus igni. Sic panis communionis non panis simplex est, sed vnitus diuinitati. Et corpori vnito diuinitati non vna ac eadem illi natura est, sed vna corporis, & vnitæ diuinitatis altera. Quare amborum simul non vna natura est, sed duæ. Pane & vino suscepit Melchisedech Abraham ex cæde alienigenarum reuertẽtem, qui erat sacerdos Dei altissimi. Illa mensa hanc mysticam præfigurauit mensam, velut & sacerdos ille Christi veri sacerdotis figurã præ se ferebat & imaginem. Tu es, inquit, sacerdos in ęternum, secundùm ordinem Melchisedech. Hunc panem panes figurabant propositionis. Hæc est pura scilicet hostia, & incruenta, quam ab ortu vsque ad occasum ipsi offerri per Prophetã Dominus loquitur, corpus videlicet & sanguis Christi in stabilimentum animæ nostræ & corporis inconsumptum & incorruptum, non in secessum iens (absit enim) sed in nostram substantiam, & conseruationem, omnimodi nocu-

[5] In Eucharistia ritè consecrata nõ esse figuram, sed verum corpus & sanguinem Domini, contra quosdam hæreticos nostri temporis.

[6] Nota modum dignæ sumptionis sanctißimæ Eucharistiæ, nec sufficere ad id solam fidem.

nocumenti reparatio, sordisq; omnis purgatio. Siquidem aurum offendit adulteratum, per iudicialem, correptoriamq; ignitionem purgat, vt non in futuro cum mundo condemnemur. Curat enim morbos, & omnimoda damna, quemadmodum dicit Apostolus: Si nos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Cùm iudicamur autem, à Deo corripimur, vt non cum mundo condemnemur. Et hoc est quod dicit: Quare qui participat corpus & sanguinem Christi indignè, iudicium sibi mãducat & bibit. Per illud purgati, vnimur corpori Domini, & spiritui eius, & efficimur corpus Christi. Iste panis est primitię futuri panis qui est supersubstantialis. Supersubstantiale enim ostendit, aut eum qui futurus est, id est, venturi seculi, aut eum qui ad conseruationem nostræ sumitur substantiæ. Siue igitur hoc, siue illo modo Christi corpus accommodatè dicitur. Nam spiritus viuificans est caro Domini, quia ex viuificante spiritu concepta est. Quod enim natum est ex spiritu, spiritus est. Hoc autem dico, non auferens corporis naturam, sed viuificationem, & diuinitatem eius ostẽdere volens. Si verò quidam 7 exemplaria corporis & sanguinis Domini, panem & vinum vocauerunt, vt Deifer vocauit Basilius: non tamen post sanctificationem, sed prius quàm sanctificaretur ipsa oblatio, ita vocabant. Participatio etiam dicitur, nam per ipsam Iesu diuinitatem participamus. Dicitur & communio, & est re vera, quia communicamus per ipsam Christo, & participamus eius carnem, & diuinitatem, & quia communicamus, & vnimur inuicem per illã. Nam quia ex vno pane participamus omnes, vnum corpus Christi, & vnus sanguis, & inuicem membra efficimur, concorporati Christo existentes. Omni igitur virtute obseruemus, ne participemus participatione hæreticorum, neque tribuamus (Nolite enim sancta dare canibus, inquit Dominus noster, neque seminate margaritas vestras ante porcos) vt participes efficiamur erroris, & malæ fidei, atque condemnationis eorum. Si enim omnino vnio est ad Christum, & ad inuicem omnino, & omnibus comparticipantibus nobis secundùm electionem vnimur. Nam ex electione vnio ipsa fit, non sine nostra sentẽtia ac deliberatione. Omnes enim vnum corpus sumus, quoniam ex vno pane participamus, quemadmodum diuinus inquit Apostolus. Exemplaria autem futurorum dicuntur, non vt existentia verè corpus & sanguis Christi, sed quoniam nunc quidem per ipsa participamus Christi diuinitatem, tunc autem intellectualiter per solam visionem. AMEN.

7 Quo casu quidã sancti Eucharistiã Exẽplaria corporis & sanguinis Domini vocauerint.

DE SANCTA VIRGINE MARIA DEI GENITRICE,

Sermo Beati Ioannis Damasceni.

DEIPARAM, Dei genitricem, Deiq; parentem, & propriè, & verè sanctam virginem celebramus. Nam vt verus Deus est, qui ex ipsa natus est, ita vera Dei genitrix 1 verum Deum ex ipsa incarnatum genuit. Deum enim dicimus ex ipsa natum esse, non vt diuinitate principium Verbi, vt Verbum esset, ex ea accipiẽte, sed vt ipso Dei verbo ante secula sine initio ex Patre genito, & sine initio, & sempiternè existente cum patre & Spiritu sancto in nouissimis temporibus propter nostram salutem in vtero eius inhabitante, & ex ipsa incommutabiliter incarnato, & genito. Non enim hominem 2 nudum genuit sancta virgo, sed Deum verum: non nudum, sed incarnatum: non ex cœlo corpus traducentem, & vt per canalem per ipsam transeuntem, sed consubstantialem nobis carnem suscipientem in seipso sustentatam. Si enim cœlitus corpus acceptum est, & non ex ea natura, quæ secundùm nos, sumptum est, quæ vtilitas humanationis? Humanatio enim Dei verbi propter hoc facta est, vt ipsa quę peccauit, & cecidit, & corrupta est, natura vinceret eam qui seduxerat tyrannum, & sic à corruptione liberaretur: quemadmodum diuinus inquit Apostolus: Quoniam per hominem mors, & per hominem resurrectio ex mortuis. Si primum verum, & secundum. siquidem dicit: Primus Adam ex terra terrenus, secundus Dominus ex cœlo. Non corpus dicit ex cœlo, sed ostendit quòd non nudus homo est. Ecce enim & Adam ipsum nominauit, & Dominum, & vtrumq; simul significauit. Adam enim interpretatur terrigena. Terrigena autem insinuat, quòd hominis natura ex terra plasmata est: Dominus verò diuinæ substantiæ est insinuatiuum. Rursus autem, inquit Apostolus: Misit Deus filium suum vnigenitum natum ex muliere. Non dixit, per mulierem, sed ex muliere. Significauit igitur diuinus Apostolus, quòd ipse est 3 vnigenitus filius Dei, & Deus, qui ex virgine natus est homo. Et ipse qui ex virgine natus est, filius Dei & Deus est. Natus quidem corporaliter, secundum quod homo factus est, non in

Habetur lib. 3. De orthodoxa fide c. 12

1 Beata virgo vera Dei genitrix, verũ Deum ex se incarnatũ genuit.

2 Non hominẽ nudum tantũ genuit sancta Virgo, sed etiã Deũ verum.

3 Vnigenitus filius Dei & Deus ex beata virgine natus est homo.

præ-

præplasmato homine inhabitans, quemadmodum in prophetis, sed ipse substantialiter & veraciter factus homo, id est, in sua hypostasi animatam carnem anima rationali, & intellectuali sustentans, & ipse factus est illis hypostasis. Hoc enim designat natum ex muliere. Quomodo enim ipsum Dei verbum sub lege factum est, si non homo nobis consubstantialis factum est? Vnde iure optimo, & pro veritate, Deiparam incontaminatam nominamus Mariam. Hoc enim nomen omne dispensationis mysterium commendat. Nam si 4 Deipara est quæ genuit, reuerà Deus est qui ex ipsa genitus est, reuerà etiam & homo. Quomodo enim ex muliere genitus, natúsque Deus est, ante secula hypostasim habens, nisi homo factus est? Si autem ipse qui ex muliere natus est, Deus est: vnus profectò est & qui ex Deo patre natus est secundùm diuinam & sine initio substantiam: & qui in nouissimis temporibus ex virgine natus est, secundùm initium habentem & temporalem substantiam, id est, humanam. Hoc autem vnam hypostasim, & duas naturas, & duas natiuitates Domini nostri Iesu Christi significat. Christiparam autem nequaquam dicimus sanctam virginem, quia ad renuendum 5 vocabulum θεοτόκος, id est, Deiparæ & Dei genitricis, scelestus & odibilis, & cum Iudæis sapiens Nestorius id adinuenit, vt vas contumeliæ in contumeliam solius verè honoratę super omnem creaturam, tametsi ipse cum patre suo diabolo disrumpatur. Nam & Dauid Rex, Christus dicitur, & Aaron, princeps sacerdotum. Vngebatur enim & regnũ, & sacerdotium. Et omnis Deifer homo, Christus, id est, vnctus, dici potest, sed non natura Deus. Vnde & Deo odibilis Nestorius, natum ex virgine, Deiferum dicere anhelauit. Nobis autem absit, Deiferum ipsum aut dicere, aut cogitare, sed Deum incarnatum. Ipsum enim verbum caro factum est, cõceptum ex virgine, præueniens quidem ipsam carnem & in assumptione Deus, & ipsa iam ab ipso Deificata, quasi tribus simul factis vnà cum deductione eius ad esse, assumptione, existentia, & Deificatione eius à verbo. Et sic intelligenda & dicenda 6 Deipara virgo, non solùm propter naturam verbi, sed etiam propter Deificationem humanæ carnis. Quorum simul conceptio, & existentia miro operata sunt modo: conceptio quidem verbi, carnis autem in ipso verbo existentia, ipsa Dei matre ineffabiliter suppeditante plasmationem plasmatori, & humanationem Deo factori vniuersi, & Deificanti quod assumpsit, saluante vnione ea quæ vnita sunt, talia qualia vniebantur. Non quidem diuinum dico solùm, sed & id quod humanum Christi, & quod super nos, & quod secundùm nos. Neque enim factum prius secundùm nos, posterius factum supra nos, sed semper ex præcipua hypostasi ambo substitêre, propterea quòd ex ipso conceptionis articulo in ipso verbo existentiam habuit. Quòd igitur humanum est, secundùm propriam naturam tale est, Dei verò & diuinum, ineffabiliter, & super naturam. Præterea & carnis animatæ proprietates gessit: illas autem suscepit, dispensationis motus naturalis ratione, ordine secundùm veritatem naturaliter obseruato.

4 Si Deipara est quæ genuit, & Deus & homo est qui ex ipsa genitus.

5 Vides quod nec vocabula habere communia cum hæreticis debemus?

6 Quomodo beata Virgo sit intelligenda, & dicenda Deipara.

FRAGMENTVM VITAE SANCTISSIMAE VIRginis Mariæ, Dei & Domini nostri Iesu Christi genitricis, ex Diuo Ambrosio Mediolanensi Episcopo excerptum.

Ex libro secũdo de Virginibus.

SIT vobis ô sanctæ virgines, tanquam in imagine descripta virginitas vitaque beatæ Mariæ: de qua velut speculo refulget species castitatis, & forma virtutis. Hinc sumatis licet exempla viuendi: vbi tanquam in exemplari magisteria expressa probitatis, quid corrigere, quid effugere, quid tenere debeatis, ostendunt. Primus discendi ardor, nobilitas est magistri. Quid nobilius Dei matre? Quid splendidius ea, quam splendor elegit? Quid castius ea quæ corpus sine corporis contagione generauit? Nam de cæteris eius virtutibus quid loquar? Virgo erat non solùm corpore, sed etiam mente: quæ nullo doli ambitu syncerum adulteraret affectum. Corde humilis, verbis grauis, animi prudens, loquendi parcior, legendi studiosior: non in incerto diuitiarum, sed in prece pauperis spem reponens. Intenta operi, verecunda sermone: arbitrum mentis solita non hominem, sed Deum quærere. Non lædere reos, bene velle omnibus, assurgere maioribus natu, æqualibus non inuidere, fugere iactantiam, rationem sequi, amare virtutem. Quando ista vultu læsit parentes? Quando dissensit propinquis? Quando fastidiuit humilem? Quando derisit debilem? Quando vitauit inopem? eos solos solita cœtus virorum inuisere, quos misericordia non erubesceret, neque præteriret verecundia. Nihil toruum in oculis: nihil in verbis procax: nihil in actu inuerecundum.

Non

Non gestus fractior: non incessus solutior: non vox petulantior: vt ipsa corporis species simulachrum fuerit mentis, figura probitatis. Bona quippe domus in ipso vestibulo debet agnosci, ac primo prætendat ingressu nihil intus latêre tenebrarum: vt mens nostra nullis repagulis corporalibus impedita, tanquam lucernæ lux intus posita foris luceat. Quid ergo exequar ciborum parsimoniam, officiorum redundantiam, alterum vltra naturam superfuisse: alterum penè ipsi naturæ defuisse? Illic nulla intermissa tempora: 1 hic congeminatos ieiunio dies? Et si quando reficiendi successisset voluntas, cibus plerunq; obuius, qui mortem arceret, non delitias ministraret. Dormire non prius cupiditas, quàm necessitas fuit: Et tamen cùm quiesceret corpus, vigilaret animus: qui frequenter in somnis aut lecta repetit, aut somno interrupta continuat, aut disposita gerit, aut gerenda pronũciat. Prodire domo nescia, nisi cùm ad Ecclesiam conueniret, & hoc ipsum cum parentibus, aut propinquis. Domestico operosa secreto, forensi stipata comitatu, nullo meliore tamen sui custode, quàm seipsa: quæ incessu, affectuque venerabilis, non tam vestigium pedis tolleret, quàm gradum virtutis attolleret. Et tamen alios habeat virgo membrorum custodes suorum: morum autem suorum se habeat ipsa custodem. Plures erunt, de quibus discat, si ipsa se doceat, quæ virtutes magistras habet: quia quicquid egerit, disciplina est. Sic Maria intendebat omnibus, quasi à pluribus moneretur: sic implebat omnia virtutis officia, vt non tam disceret, quàm doceret. Talem hanc Euangelista monstrauit, talem Angelus reperit, talem Spiritus sanctus elegit. Quid enim in singulis morer, vt eam parẽtes dilexerint, extranei prædicauerint: quæ digna fuit, ex qua filius Dei nasceretur? Hæc ad ipsos ingressus Angeli inuenta domi in penetralibus sine comite, ne quis intentionem abrumperet, ne quis obstreperet. Neque enim comites fœminas desiderabat, quæ bonas comites cogitationes habebat. Quinetiam tum sibi minus sola videbatur, cùm sola esset. Nam quemadmodum sola, cui tot libri adessent, tot Archangeli, tot Prophetæ? Denique & Gabriel eam vbi reuisere solebat, inuenit: & Angelum Maria, quasi viri specie mota trepida, quasi non incognitum audito nomine, recognouit. Ita peregrinata est in viro, quę non est peregrinata in Angelo: vt cognoscas aures religiosas, oculos venerandos. Denique salutata obmutuit: & appellata respondit: sed quæ primò titubauerat aspectu, postea promisit obsequium. Quàm verò religiosa in propinquas fuerit, scriptura diuina significat. Nam & humilior facta est, vbi se à Deo cognouit electam: & statim ad cognatam suam in montana processit, non vtiq; vt exemplo crederet, quę iam crediderat oraculo. Beata enim, inquit, quæ credidisti. Et tribus cum ea mensibus mansit. Tanti autem interuallo temporis non fides quæritur, sed pietas exhibetur. Et hoc posteaquam in vtero parentis exiliẽs puer matrem Domini salutauit, prius compos deuotionis quàm naturæ. Inde tot sequẽtibus signis, cùm sterilis pareret, virgo cõciperet, loqueretur mutus, adoraret Magus, expectaret Simeon, sydera nunciarent: Maria mobilis ad introitũ, immobilis ad miraculum: Conseruabat, inquit, hæc omnia in corde suo. Quamuis mater Domini, discere tamen præcepta Domini desiderabat: & quæ Deum genuerat, Deum tamen scire cupiebat. Quid, quòd annis quoque omnibus ibat in Hierusalem solenni die Paschæ, & ibat cum Ioseph? Vbique in virgine comes singularũ virtutũ est pudor. 2 Hic indiuiduus debet esse virginitati, sine quo non potest esse virginitas. Nec ad templũ igitur Maria sine pudoris sui custode processit. Hæc est imago virginitatis. Talis enim fuit Maria, vt eius vnius vita omnium disciplina sit. Si igitur autor nõ displicet, opus probemus, vt quæcunque sibi eius exoptat præmium, imitetur exemplum. Quanta in vna virgine species virtutum emicant? Secretum verecundiæ, vexillum fidei, deuotionis obsequium: virgo intra domum, comes ad ministerium, mater ad templum. O quantis illa virginibus occurret: quantas complexa ad Dominum trahet, dicens: Hæc thorum filij mei, hæc thalamos nuptiales immaculato seruauit pudore. Quemadmodum eas ipse Dominus commendabit patri. Nimirum illud repetens suum: Pater sancte, istæ sunt quas seruaui tibi, in quibus filius hominis caput reclinans quieuit: peto vt vbi ego sum, & ipsæ sint mecum. 3 Sed non solùm sibi debent prodesse, quę non solæ vixerunt sibi. Hæc parentes redimat, hæc fratres. Pater iuste mundus me non cognouit: istæ autẽ me cognouerunt: & mundũ cognoscere noluerunt. Quæ pompa illa, quanta Angelorum lætitia plaudentiũ, quòd habitare mereatur virgo in cœlo, quæ cœlestẽ vitam vixit in sæculo? Tunc etiã Maria tympanum sumens, choros virginales excitabit, cantantes Domino, quòd per mare seculi sine secularibus fluctibus transierunt. Tunc vnaquæq; exultabit, dicens: Introibo ad altare Dei mei, ad Deum qui lætificat iuuentutem meam. Immolo Deo sacrificium laudis, & reddo altissimo 4 vota mea. Neq; enim dubitauerim vobis patêre altaria, quarum mentes altaria Dei confidenter dixerim: in quibus quotidie pro redemptione corporis Christus immolatur. Nam si corpus virginis Dei templum est, animus quid est, qui tãquam membrorum

1 Si ieiunium non esset res Deo accepta, vt quidam garriunt, sanctissima Dei genitrix nõ congeminasset ieiunio dies.

2 Vide virginitatẽ seruare nõ esse impoßibile, vt pessime docẽt quidã, & quæcunq; beatißimæ virginis Mariæ secuta fuerit exemplũ, eiusdem etiam consequetur præmium.

3 Ecce quãtæ virginitatis laudes, sed illa in primis, quod solæ virgines Dominum cognouerint Saluatorem, mundo reliquo eum ignorante, cũ quo proculdubio veniunt & maritatæ.

4 Sãctæ virgines gloriãtur reddere se altißimo vota virginitatis suæ, & tu hæretice audes dicere votum castitatis ex se illicitum & præsumptuosum.

cineribus excitatis, sacerdotis æterni redopertus manu, vaporem diuini ignis exhalat? Beatæ virgines, quæ tam immortali spiritalis gratia, vt horti floribus, vt templa religione, vt altaria sacerdote. Ergo sancta Maria disciplinam vitæ informet.

ALIVD VITAE EIVS FRAGMENTVM, EX D. Bernardo Abbate Clareuallense excerptum.

Habetur in sermonibus eiusdē sermone qui incipit: Signum magnum.

SIGNVM magnum apparuit in cœlo, mulier amicta sole, & luna sub pedibus eius, & in capite eius corona stellarum duodecim. Quidni coronent sydera, quam sol iustitiæ Christus vestit? Quis illas æstimet gemmas? Quis stellas nominet, quibus Mariæ regiū diadema cōpactum est? Supra hominem est coronæ huius rationē exponere, indicare cōpositionem. Nos tamen pro modulo nostræ exiguitatis abstinētes à periculoso scrutinio secretorū, non incongruè forsitan duodecim stellas istas, duodecim prærogatiuas gratiarum intelligere videamur, quibus Maria singulariter adornatur. Siquidem inuenire est in Maria prærogatiuas cœli, prærogatiuas carnis, prærogatiuas cordis. Et si fuerit ternarius iste per quaternariū multiplicatus, habemus fortè stellas duodecim, quibus Reginæ nostræ diadema præfulgeat vniuersis. Mihi sanè singularis rutilat fulgor, primò quidē in Mariæ generatione, secundò in Angelica visitatione, tertiò in Spiritus superuentione, quartò in filij Dei inenarrabili cōceptione. Sic & in his quoq; sydereū planè irradiat decus, quòd virginitatis primiceria, quòd sine corruptione fœcūda, quòd sine grauamine grauida, quòd sine dolore puerpera. Nihilominus etiam spiritali quodā splēdore in Maria coruscant, māsuetudo pudoris, deuotio humilitatis, magnanimitas credulitatis, martyrium cordis. Vestræ quidē sedulitatis erit, singula quæq; diligētius intueri. Nos interim satisfecisse videbimur, si breuiter ea potuerimus demonstrare. Quod ergo sydereum micat in generatione Mariæ? Planè quòd ex regibus orta, quòd ex semine Abrahę, quòd generosa ex stirpe Dauid. Si id parum videtur, adde quòd generationi illi ob singulare priuilegium sanctitatis, diuinitus noscitur esse concessa: quòd longè antè eisdem patribus cœlitus repromissa: quòd mysticis præfigurata miraculis: quòd oraculis prænūciata propheticis. Hanc sacerdotalis virga, dum sine radice floruit: hanc Gedeonis vellus, dum in medio siccæ areæ maduit: hāc in Ezechielis visione Orientalis porta, quæ nulli vnquam patuit, præsignabat: hanc deniq; præ cæteris Esaias nunc virgam de radice Iesse orituram promittebat, nunc euidentiùs virginē pariturā. Meritò signum hoc magnū in cœlo apparuisse scribitur, quod tantò antè de cœlo noscitur fuisse promissum. Dominus ait: Ipse dabit vobis signum. Ecce virgo concipiet. Magnum profectò signum dedit, quia & magnus ipse qui dedit. Huius ergo prærogatiuæ fulgor, quorum non vehementer reuerberat aciem oculorum. Iam in eo quod tam reuerenter, atque officiosissimè ab Archangelo salutata est, vt iam in regali solio supra omnes cœlestiū ordines regionum exaltatam cernere videretur: & paulominus adoratus fœminam, qui solebat ab hominibus hactenus æquanimiter adorari, excellētissimum nobis virginis nostrę meritum, & gratia singularis commendatur. Nihilominus fulget etiam nouus ille conceptionis modus, vt non in iniquitate, quemadmodum cæteræ omnes, sed superueniente Spiritu sancto sola & de sola sanctificatione Maria conciperet. Nam quòd verum Deum, & Dei filium genuit: vt idem ipse Dei atque hominis filius, vnus omnino Deus, & homo prodiret ex Maria, abyssus est luminis. Nec facilè dixerim, quòd vel Angelicus oculus ad huius fulgoris vehementiam non caliget. 5 De cætero sanè ad virginitatem carnis, & propositum virginitatis, & ipsius quoque propositi nouitas euidenter illustrat, quòd videlicet in libertate spiritus legis Moysaicæ decreta transcendens, illibatam Deo corporis simul & spiritus sanctimoniam vouit. Probabat enim propositi inuiolabile fundamentum, quod tam constanter promittenti filium Angelo respondit. Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Fortè enim propterea primò turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio, quòd benedictam sese audisset in mulieribus, 6 quæ nimirum benedici in virginibus semper optabat. Ex tunc quidem cogitabat, qualis esset ista benedictio, quòd iam videretur esse suspecta. Vbi verò in promissione filij manifestum virginitatis periculum videbatur, non potuit vltrà dissimulare, quin diceret: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Meritò proinde & illam meruit benedictionem, & hanc non amisit: vt longè gloriosior fiat & virginitas ex fœcūditate, & ex virginitate fœcunditas: ac mutuis sese radijs illustrare hæc duo sydera videantur. Magnum est virginem esse, sed virginem matrem esse, longè amplius per omnem modum. Iure etiam illud molestissimum tædium, quo reliquæ omnes grauidæ mulieres laborare noscuntur, sola non sensit, quæ sola sine libidinosa voluptate concepit. Vnde & in ipso sub conceptionis initio,

5 Sancta Dei genitrix vouit virginitatem. Non ergo fuit temeraria, non præsumptuosa, vt impij suggillāt, nec virgines eam imitantes.

6 Non in mulieribus, sed in virginibus benedici beata Maria optabat.

Præstat ergo virginitas coniugio.

initio, quando potisſimum cæteræ mulieres miſerabilius affliguntur, Maria tota alacritate montana conſcendit, vt Elizabeth miniſtraret. Sed & aſcendit Bethleem, imminente iam partu, portans pretioſisſimũ illud depoſitũ, portans onus leue, portans à quo portabatur. Sic & in partu quàm lucidum eſt, quòd noua exultatione nouam edidit prolem, ſola inter mulieres, à communi maledicto & dolore parturiẽtium aliena? Si rerum pretia de raritate penſamus, nihil his poteſt rarius inueniri. Siquidem in omnibus iſtis nec primam ſimilem viſa eſt, nec habere ſequentem. E quibus nos, ſi ea fideliter intuemur, ſine dubio admirationem concipimus: ſed venerationem, ſed deuotionẽ, ſed conſolationem. Cæterùm quæ reſtant adhuc, & imitationem requirunt. Non eſt nobis ante ortum tam multifariè multiſq; modis promitti diuinitus, cœlitus pronunciari: Sed nec ab Archangelo Gabriele tam nouæ ſalutationis obſequijs honorari. Minus autem cetera duo communicat nobis, planè ſecretum ſuum ſibi. Sola enim eſt de qua dicitur: Quod in ea natum eſt, de ſpiritu ſancto eſt. Sola cui dicitur: Quod ex te naſcetur ſanctum vocabitur filius Dei. Offerantur Regi virgines, ſed poſt eam. Nam primatum ſola vendicat ſibi. Multò magis autem ſola ſine corruptione concepit, ſine grauamine tulit, ſine dolore filium parturijt. Itaq; nihil horum à nobis exigitur, ſed exigitur planè nõnihil. Nunquid enim ſi defuerit nobis etiam manſuetudo pudoris, ſi humilitas cordis, ſi magnanimitas fidei, ſi compaſsio mentis negligentiam noſtrã munerũ ſingularitas excuſabit? Gratiſsima ſanè gemma in diademate, micãs in capite ſtella, rubor in facie hominis verecundi. An verò quis putat, quòd hac caruerit gratia, quæ gratia plena fuit? Pudibũda fuit Maria: Ex Euangelio id probamus. Vbi enim aliquando loquax, vbi præſumptuoſa fuiſſe videtur? Foris ſtabat quærens loqui filio, nec materna autoritate aut ſermonẽ interrupit, aut habitationem irruit, in qua filius loquebatur. In omni deniq; textu quatuor Euangeliorum, ſi bene meminimus, non niſi quater Maria loquens auditur. Primò quidẽ ad Angelũ, ſed cùm iam ſemel atq; iterũ allocutus eam fuiſſet. Secũdò ad Elizabeth, quãdo vox ſalutationis eius Ioannẽ ſaltare fecit in vtero, & ea magnificante Mariã, ipſa magis Dominum magnificare curauit. Tertiò ad filium, cùm iam eſſet annorũ duodecim, quòd ipſa & pater eius dolẽtes quæſiſſent eum. Quartò in nuptijs ad filiũ, & miniſtros. Et is quidẽ ſermo certiſsimus index ingenitæ manſuetudinis, & virginalis verecũdiæ fuit. Aliorũ quippe verecundiã ſuã reputãs, ſuſtinere non potuit: nõ potuit vini diſsimulare defectũ. Vbi ſanè increpata eſt à filio (tanquã mitis & humilis corde) nec illi reſpõdit: nec tamẽ deſperauit, miniſtros admonẽs facere quod diceret eis.

Nunquid non ab initio veniſſe paſtores, & primã omnium Mariam inueniſſe leguntur? Inuenerunt ait Euangeliſta Mariã, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Sic & Magi quoque, ſi recolis, non ſine Maria matre eius puerũ inuenerunt. Et inducens in templum Domini templi Dominũ, multa quidem à Simeone audiuit tam de Deo, quàm de ſeipſa, ad loquendũ tarda, velox ad audiendum. Et quidem Maria conſeruabat omnia verba hæc conferens in corde ſuo. Sed in his omnibns neque de ipſo incarnationis Dominicæ ſacramento quodcunq; verbum feciſſe reperies. Væ nobis qui ſpiritũ habemus in naribus. Væ qui totum proferimus ſpiritũ, qui, iuxta illud Comici, pleni rimarum effluximus vndique. Toties denique Maria filiũ audiuit, non modò turbis loquentem in parabolis, ſed & diſcipulis ſeorſum regni Dei myſteria reuelantem: vidit miracula facientem: vidit deinde in cruce pendentem, vidit expirantem, vidit reſurgentem, vidit & aſcendentem. Sed in his omnibus quoties verecundiſsimæ virginis, quoties pudiciſsimæ turturis vox memoratur audita? Deniq; legis in Actis Apoſtolorum, quòd redeuntes à monte Oliueti vnanimiter perſeuerabant in oratione. Qui? ſi fortè Maria affuit, nominetur prima, quæ ſuper omnes eſt, tam filij prærogatiua, quàm ſuæ priuilegio ſanctitatis. Petrus & Andreas, ait, Iacobus & Ioannes, & cæteri qui ſequuntur, hi omnes perſeuerabant vnanimiter cum mulieribus, & Maria matre Ieſu. Itáne & mulierum ſeſe vltimã exhibebat, vt nouiſſima omnium poneretur? Verè carnales adhuc Diſcipuli, quibus necdum ſpiritus erat datus: quia Ieſus necdum fuerat glorificatus. Quomodo facta eſt inter illos contentio de primatu, cùm Maria quãtò maior erat, humiliaret ſe, non modò de omnibus, ſed & præ omnibus? Meritò facta eſt nouiſsima prima, quæ cùm prima eſſet omnium, ſeſe nouiſsimam faciebat. Meritò facta eſt omnium Domina, quæ ſe omnium exhibebat ancillam. Meritò denique ſuper Angelos exaltata eſt, quæ & infra viduas & pœnitentes, infra eam de qua eiecta fuerant ſeptem dæmonia, ineffabili ſeſe manſuetudine inclinabat. Obſecro vos filioli, æmulamini hanc virtutem, ſi Mariam diligitis, ſi contenditis ei placere: æmulamini modeſtiam eius, nihil enim tam idoneum homini, nihil tam congruum Chriſtiano, maximeq; monachum nihil adeò decet. Et quidem manifeſta ſatis in virgine, ex hac ipſa manſuetudine virtus humilitatis elucet. Nimirum collectaneæ ſunt humilitas & manſuetudo, in eo confæderatæ germanius, qui dicebat: Diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Sicut enim

mater præsumptionis elatio, sic mansuetudo vera non nisi ex vera humilitate procedit. Nec in sola tantùm Mariæ taciturnitate commendatur humilitas, sed euidentius resonat in sermone. Audierat, quod ex te nascetur sanctum, vocabitur filius Dei, & nihil aliud quàm ancillam eius se esse respondit. Inde ventum est ad Elizabeth, & continuò virginis gloria singularis, eidem per spiritum reuelatur. Denique & mirabatur personam veniētis, dicens: Vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Commendabat & vocem salutantis, adijciens: Vt facta est vox salutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo: & beatificabat fidem credentis: Beata, inquiens, quæ credidisti, quoniam perficientur in te quæ dicta sunt tibi à Domino. Magna quidem præconia, sed & deuota humilitas nihil sibi passa retinere, in eum magis vniuersa refudit, cuius in se beneficia laudabantur. Tu, inquit, magnificas matrem Domini: sed magnificat anima mea Dominum. In voce mea filium perhibes exultasse in gaudio: sed exultauit spiritus meus in Deo salutari meo. Et ipse quoque tanquam amicus sponsi gaudet ad vocem sponsi: Beatum esse dicis quæ credidisset: sed credulitas & beatitudinis causa respectus est supernæ pietatis: vt ex hoc magis beatam me dicant omnes generationes: quia ancillam humilem & exiguam respexit Deus. Veruntamen nunquid putamus fratres, Elizabeth sanctam in eo quod per spiritum vtique loquebatur errasse? Absit. Beata planè quam respexit Deus, & beata quæ credidit. Hic enim magnus diuinæ respectionis extitit fructus. Ineffabili siquidem artificio spiritus superueniens tantæ humilitati magnanimitas tanta in secretario virginei cordis accessit: vt (quemadmodum de integritate & fœcunditate prædiximus) hæ quoque nihilominus sunt stellæ ex respectu mutuo clariores: quòd videlicet nec humilitas tanta minuit magnanimitatem, nec magnanimitas tanta humilitatem: sed cùm in sua æstimatione tam humilis esset, nihilominus & in promissionis credulitate magnanimis: vt quæ nihil aliud quàm exiguam sese reputabat ancillam, ad incomprehensibile hoc mysterium & admirabile commercium, ad inscrutabile Sacramētum, nullatenus dubitaret electam: & veram Dei & hominis genitricem crederet mox futuram. Agit hoc nimirum in cordibus electorum gratiæ prærogatiua diuinæ, vt eos nec humilitas pusillanimes faciat, nec magnanimitas arrogantes: magis autem cooperentur sibi, vt non solùm nulla ex magnanimitate subintret elatio: hinc hoc maximè prouehatur humilitas, vt inueniantur eò amplius timorati, & largitori munerum non ingrati: ac vicissim ex occasione humilitatis pusillanimitas nulla surrepat, sed quominus ad sua quisq; vel in minimis præsumere consueuit, eò amplius etiam in magnis quibusq; de diuina virtute confidat.

Martyrium sanè Virginis (quam nimirum inter stellas diadematis eius, si meministis, duodecimam nominauimus) tam in Simeonis prophetia, quàm in ipsa Dominicæ passionis historia commendatur. Positus est hic (ait sanctus senex de paruulo Iesu) in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam (ad Mariam autem dicebat) pertrāsibit gladius. Verè tuam ô beata mater, animam gladius pertransiuit. Alioquin non nisi eam pertransiens carnem filij tui penetraret. Et quidem posteaquam emisit spiritum tuus ille Iesus (omnium quidem, sed specialiter tuus) ipsius planè non attigit animam crudelis lancea, quæ ipsius (nec mortuo parcens, cui nocere non posset) aperuit latus, sed tuam vndique animam pertransiuit. Ipsius nimirum anima iam ibi non erat, sed tua planè inde nequibat auelli. Tuam ergo pertransiuit animam vis doloris, vt plus quàm martyrem non immeritò prædicemus, in qua nimirum corporeæ sensum passionis excesserit compassionis affectus. An non tibi plus quàm gladius fuit sermo ille (re vera pertransiens animam, & pertingens vsque ad diuisionem animæ & spiritus) mulier ecce filius tuus? ô commutationem. Ioannes tibi pro Iesu traditur, seruus pro Domino, discipulus pro magistro, filius Zebedæi pro filio Dei, homo purus pro vero. Quomodo non tuam affectuosissimam animam pertransiret hæc auditio, quando & nostra licet saxea, licet ferrea pectora, sola recordatio scindit? Non miremini fratres, quòd Maria martyr in anima fuisse dicatur. Miretur qui non meminerit se audisse Paulum inter maxima gentium crimina memorantē, quòd sine affectione fuissent. Longè id fuit à Mariæ visceribus: longè sit à seruulis eius. Sed fortè quis dicat: Nunquid non eum præscierat moriturum? Et indubitanter. Nunquid non sperabat continuè resurrecturum? Et fidenter. Super hæc doluit crucifixum? Et vehementer. Alioquin quisnā tu frater, aut vnde tibi hæc sapientia, vt mireris plus Mariam compatientem, quàm Mariæ filium patientem? Ille etiam mori corpore potuit, ista commori corde non potuit? Fecit illud charitas, qua maiorem nemo habuit: fecit & hoc charitas, cui post illam similis altera non fuit.

TERTIVM

TERTIVM EIVSDEM SANCTISsimæ Dei genitricis vitæ fragmentum, ex Ioanne Damasceno Monacho.

DE Sancta & superlaudabili semper virgine & Deipara Maria in prætactis mediocriter tractauimus, & quod maximè oportunum visum est repræsentauimus, quòd propriè & verè Deipara & est, & nominatur: nunc reliqua compleamus. Ipsa enim ante secula præcognitiuo Dei consilio prędefinita est, & diuersis similitudinibus & oraculis Prophetarum per spiritum sanctum figurata: & prædicata prædefinitiuo tempore ex Dauidica radice pullulauit, propter factas ad ipsum repromissiones. Iurauit enim, inquit, Dominus Dauid veritaté, & non frustrabitur eum, de fructu ventris tui ponam super sedem tuam. Et rursus: Semel iuraui in sancto meo, si Dauid mentiar, semen eius in æternum manebit: & thronus eius vt sol in conspectu meo, & vt luna perfecta in æternum, & testis in cœlo fidelis. Et Esaias: Egredietur virga de radice Iesse, & flos ex radice eius ascẽdet. Enimuerò quòd Ioseph ex Dauidica tribu descenderit, Matthæus & Lucas sacratissimi Euangelistæ dilucidè monstrârunt. Sed Matthęus quidem ex Dauid per Salomonem deduxit Ioseph: Lucas auté per Nathan. Sanctæ verò virginis generationẽ ambo siluerunt. Decet autem scire, non fuisse morem Hebræis, neque diuinæ scripturæ, genealogias texere mulierum, Nam lex fuit tribũ nõ desponsare ex alia tribu. Atqui Ioseph ex Dauidica descẽdit tribu, & iustus erat. Hoc enim de ipso diuinum testatur Euangelium. Non igitur præter legem sanctam virginem ad dispensationẽ duxisset, nisi ex eius sceptro descendisset. Cùm igitur ostenderit Euangelista descensum Ioseph, satisfactum esse putandum est. Præterea id nequaquam latêre par est, quòd lex erat, viro moriente sine prole, fratrem eius defuncti coniugem sibi nuptijs copulare, & suscitare semẽ fratri. Quod igitur partu edebatur, secũdùm naturã secundi, id est, illius qui genuit, erat: secundùm verò legem, eius qui obierat diem.

Et serie igitur Nathã filij Dauid Leui genuit Melchi, & Panthera. Panther genuit Barpanthera, sic ab eo denominatum. Hic Barpanther genuit Ioachim. Ioachim verò genuit sanctam Deiparam. Ex serie Salomonis filij Dauid Matthan duxit vxorem, ex qua genuit Iacob. Mortuo autem Matthan, Melchi qui erat ex tribu Nathan, filius Leui, frater verò Pantheris, nupsit vxori Matthan, matri quidem Iacob, & genuit ex ea Heli. Erant igitur fratres vterini Iacob & Heli, Iacob quidẽ ex tribu Salomonis, Heli verò ex tribu Nathã. Defuncto auté Heli ex tribu Nathan sine liberis, accepit Iacob frater eius ex tribu Salomonis vxorem eius, & suscitauit semen fratri suo, & genuit Ioseph. Ioseph igitur natura quidem est filius Iacob ex descensu à Salomone: secundùm verò legem, filius Heli ex Nathan.

Ioachim ergo venerãdam & dignam laude Annam in matrimonium duxit. Sed quemadmodum vetus Anna sterilis facta, per votũ & repromissionem habuit Samuelẽm: hunc in modum & hæc per supplicationẽ & repromissionem à Deo Deiparam profert, vt & in hoc nulla illustriũ & gloriosarũ posterior habeatur. Parit ergo gratia (Anna enim hoc interpretatur) Dominã: quod profectò indicat Mariæ nomen. Nam re vera Domina facta est omnium creaturarũ, cùm conditoris omnium effecta est mater. Editur partu in domo ouilis Ioachim, & adducitur in templũ. Deinde in domo Domini plantata & impinguata spiritu, veluti oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, ab omni seculari vita & carnali concupiscentia procul mentẽ sequestrans, & sic virginem animam cum corpore conseruans, vt decebat eam quæ in sinu Deum susceptura esset. Sanctus enim existens in sanctis requiescit. Sic igitur sanctificationem omnem exercet, & templum sanctum & admirabile altissimi Dei dignè demonstratur. Quia ergo obseruabat virgines nostræ salutis inimicus propter Esaiæ prædictionem, dicentis: Ecce virgo concipiet, & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel, quod est interpretatum, nobiscũ Deus: vt deciperet eum qui semper in sapientia gloriatur, ipse qui deprehendit sapientes in astutia eorum, in desponsationem puella Ioseph à sacerdotibus traditur, vt nouus liber literas scienti. Nam desponsatio custodia virginis erat, & virgines obseruantis depulsio. Quando autem venit plenitudo temporis, missus est Angelus Domini ad ipsam annunciãs Domini conceptionem. Et sic concepit filium Dei, consubstantialẽ patris virtutem, non ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, id est, ex congressu & semine: sed ex patris bona voluntate, & cooperatione spiritus sancti suppeditauit creatori creari, & plasmatori plasmari, & filio Dei & Deo incarnari & humanari ex puris & illibatis carnibus eius & sanguinibus, primæ matris absoluẽs debitum. Nam quemadmodũ illa sine commixtione ex Adã plasmata est, sic ista nouũ Adam lege partus in vtero tulit, quem peperit super natiuitatis naturam.

Habetur in lib. 4 eiusdẽ de orthodoxa fide cap. 15.

Natus est enim ex muliere sine patre, & ex patre sine matre. Et quoniam ex muliere, lege partus, quoniam sine patre, super naturam est natiuitatis. Et quoniã consueto in tempore (nam nouem menses complens, & decimum attingens nascitur) id fit lege partus. Quòd autem sine dolore, supra legem partus est. Cuius enim voluptas non præcessit, neque pariendi dolor subsequutus est, secundùm Prophetã dicentem: Priusquam dolorẽ partus senserit, peperit. Et rursus: Priusquam adueniret tempus dolorum, partus effudit, & peperit masculum. Natus igitur ex ea filius Dei, & Deus incarnatus: non Deifer homo, sed Deus incarnatus: non vt propheta actione vnctus, sed totius vngentis præsentia: Vt homo quidem fiat, quod vngit, & Deus quod vngitur, non transmutatione naturæ, sed vnione secundùm hypostasin. Idem enim erat vngẽs, & qui vngebatur: vt Deus vngẽs seipsum vt hominẽ. Quomodo igitur non est Deipara, quæ Deum incarnatũ ex se genuit? Sic propriè & verè Dei genitrix, & Domina, quæ omnium creaturarum dominatrix, ancilla & mater omniũ Conditoris effecta. Quemadmodũ verò qui conceptus est, Virginẽ concipientem seruauit: sic & natus ipsius virginitatẽ seruauit illæsam. Solùm transiuit per eã, & clausam seruauit ipsam. Per auditum quidem conceptio, sed natiuitas per consuetum parientium egressum: tametsi nonnulli fabulantur per latus diuinæ matris ipsum editum fuisse. Non enim impossibile illi erat per clausam portã transire, & illius non lædere signacula. Manet igitur & post partum virgo, & semper virgo. Nullo modo enim vsque ad mortem viri admisit contactum, etsi scriptum est: Et non cognouit eam, donec peperit filium suum primogenitum. Sciendum autem est, quòd primogenitus est, qui primus genitus est, etsi etiam vnigenitus fuerit. Hoc enim primogenitum, primum natum esse ostẽdit: non omnino autem commanifestat & aliorum generationem. Hoc autem vocabulum (Donec) determinati temporis præfinitionem significat, non autem nunciat quod postea. Dicit enim Dominus: Ecce ego vobiscum sum vsque ad cõsummationem seculi; non quòd post seculi consummationem separandus sit. Nam ait diuinus Apostolus: Et sic semper cum Christo erimus, post communem resurrectionem intelligens. Quomodo enim quæ genuit Deum, & ex consequentium experientia miraculum agnouit, viri consortium admisit? Absit hoc. Non modestæ cogitationis est talia cogitare, ne dicam agere. Sed ipsa beata, & super naturam donorum digna effecta, dolores partus quos effugit pariens, illos tempore passionis sustinuit, ex materna compassione viscerum lacerum reparturiẽs. Et quẽ Deum per natiuitatem agnouit, illum vt maleficum interfectum videns, tanquam gladio, cogitationibus decerpitur. Et hoc est: Tuam ipsam animam pertransibit gladius, quemadmodum illi prædixerat Dei expectator Simeon Dominum gestans in vlnis. Sed commutat tristitiam gaudium resurrectionis, Dominum carne mortuum rediuiuum prædicans.

ITEM DE SANCTISSIMA DEI Genitrice, ex D. Ambrosio, Episcopo Mediolanense.

Ex Epistola eiusdem 82. libri 10. ad Vercellẽsem Ecclesiam scripta circa finem.

MATRES ablactate filios, diligite eos, & orate pro ijs vt longæui super terrã sint, non in terra, sed super terram. Nihil enim longæuũ in hac terra, & quod est diu, breue est & magis lubricũ. Monete eos vt magis crucem Domini tollant, quàm hanc vitam diligãt. Maria mater Domini ante crucem filij stabat. Nullus me hoc docuit, nisi sanctus Ioannes Euangelista. Mundũ alij concussum in passione Domini conscripserunt, cœlũ tenebris obductum refugisse solem, in paradysum Latronẽ: sed post piam confessionẽ receptum. Ioannes docuit quod alij non docuerũt, quemadmodũ in cruce positus matrẽ appellauerit. Pluris putatur quod victor suppliciorum pietatis officia matri exhibeat, quàm quod regnum cœleste donabat vitæ æternæ. Nam si religiosum est quòd latroni donatur venia, multò vberioris pietatis est, quòd à filio mater tanto affectu honoratur: Ecce mater tua. Testabatur de Cruce Christus, & inter matrem atq; discipulum diuidebat pietatis officia. Condebat Dominus non solùm publicum, sed etiam domesticum testamentũ, & hoc eius testamentum signabat Ioannes, dignus tanto testatore testis. Bonum testamentum non pecuniæ, sed vitæ æternæ, quod non atramento scriptum est, sed spiritu Dei viui, qui ait: Lingua mea calamus Scribę velociter scribẽtis. Sed Maria nec minor quàm matrẽ Christi decebat, fugientibus Apostolis ante crucẽ stabat, & pijs spectabat oculis filij vulnera, quia expectabat non pignoris mortẽ, sed mundi salutem. Aut fortasse quia cognouerat per filij mortem mundi redemptionem aula regalis, etiam si sua morte putabat se aliquid publico addituram muneri. Sed Iesus non egebat adiutore ad redemptionem omnium, qui omnes sine adiutore seruauit. Vnde & dicit: Factus sum sicut homo sine adiutorio inter mortuos

liber;

liber: suscepit quidem affectum parentis, sed non quæsiuit alterius auxilium. Hanc imitamini, matres sanctæ, quæ in vnico filio dilectissimo tantum maternæ virtutis exéplum edidit. Neque enim vos dulciores liberos habetis, neque illud virgo quærebat solatium, quòd alium posset generare filium.

DE EADEM ADHVC SANCTISSIMA DEI Genitrice, ex eodem Ambrosio.

Habetur in epistola 79. lib. 10. epist. eiusdem.

SAne non possumus negare de Mariæ filijs iure reprehensum, meritoque vestram sanctitatem abhorruisse, quòd ex eodem vtero virginali, ex quo secúdùm carnē Christus natus est, alius partus effusus sit. Neque enim elegisset Dominus Iesus nasci per virginem, si eam iudicasset tam incontinentē fore, vt illud genitale Dominici corporis, illam aulam Regis æterni concubitus humani semine coinquinaret. Qui enim hoc astruit, nihil aliud nisi perfidiam Iudæorum astruit, qui dicunt eum non potuisse nasci ex virgine. Nam si hanc accipiant à sacerdotibus autoritatem, & videatur Maria partus fudisse plurimos, maiore studio veritatem fidei expugnare contendent. Et vbi est illud quod scriptum est, dicente Domino ad matrem de Ioanne Euangelista: Mulier ecce filius tuus. Et rursus ad Ioannem de Maria: Ecce mater tua. Quid sibi istud vult, quòd cùm in cruce Dominus positus peccatum mundi tolleret, pronunciauit etiam de integritate materna? Aut quid aliud dicitur, nisi vt claudat sua ora perfidia: obmutescat, ne matrem Domini aliquo audeat temerare conuitio? Testis est ergo idem arbiter, idem materni pudoris assertor, quòd desponsata fuerit viro, tantummodo Ioseph, nulla tamen coniugalis coitus consuetudine thori iura cognouerit. Neque enim eam suscepturam ex Ioseph filios, à viri consortio separare voluisset. Sed si hoc parū est, addidit testimonium Euangelista dicens, quòd suscepit eam discipulus in suam. Nunquid ergo diuortium fecit? Nunquid à viro abduxit atq; abstulit? Ergo qui hoc legit in Euágelio, quasi naufragus titubat & fluctuat.

Hoc ergo testimonium filij est de matris integritate, hæc Mariæ locuples integri pudoris hæreditas, hic totius finis consummationis, denique hoc dixit: Et emisit spiritum, consummans omne mysterium bono fine pietatis.

ITEM DE SANCTISSIMA DEI Genitrice, per D. Gregorium Episcopum Nyssenum.

Ex oratione eiusdem in die Natiuitatis Domini habita, Petro Francisco Zino Veronēse interprete.

AVSCVLTEMVS quid de hac sanctissima virgine memoriæ proditum sit. Virginis pater (vt ex historia quadam incerti autoris accepi) fuit insignis quidam ciuis, obseruantia legis & vitæ probitate imprimis nobilis, qui sine filijs ad senectutem peruenerat, cùm minus idoneam ad gignendum vxorem haberet. Habebatur autem matribus ex lege honor quidā, quo carebant fœminæ qui liberos nullos susceperant. Quapropter & hæc imitata id quod de matre Samuelis scriptum est, in sanctum sanctorum ingreditur, 1 & supplex Deum orat, ne se legis benedictione sinat excidere, cùm nihil vnquam admiserit contra legem. Quod si mater euaserit, se quodcunque pepererit ei dedicaturā. Quamobrem cùm voti compos effecta filiam suscepisset, eam vocauit Mariam, vt ipso etiam nomine testaretur acceptum munus à Deo.

Illam igitur cùm iam grandiuscula esset, nec vbera matris amplius indigeret, ducens ad templum Deo reddidit, & studiosè promissum exoluit. Sacerdotes autem quamdiu paruula fuit, ad Samuëlis similitudinē in sanctis ædibus educârunt: sed cùm iam adolesceret, consulebant quidnam agerent de sacro illo corpore, ne Deum offenderent. Etenim naturæ 2 legi illam subijcere, vt cuipiam in matrimonium collocata seruiret, absurdissimum videbatur. Instar enim sacrilegij fuisset, si muneris Dei sacrati dominus homo fieret. Legibus enim erat constitutum, vt maritus dominaretur vxori. 3 Mulieres rursus inter sacerdotes in templo versari, atque in sanctis ædibus conspici, nec lex nec grauitas permittebat. Deliberantes igitur in hanc sententiam diuinitus conuenerunt, vt eam connubij nomine cuipiam desponderent, qui tamen ad custodiam eius duntaxat esset idoneus. Ad hoc autē munus aptissimus inuentus est Ioseph ex eadem tribu & patria, qua erat virgo. Sacerdotum ergo consilio Ioseph puellam sponsam accipit. Quæ tamen coniunctio sponsalia non est egressa. Tunc ad virginem missus est Gabriel, qui ei diuinæ voluntatis arcanum aperiret. His autem faustissimis verbis vsus est: Aue Maria gratia plena, Dominus tecum. Contraria hæc est oratio illius vocibus, quas prima mulier audiuit. Tunc enim illa doloribus propter peccatū damnata est. Nūc autem in hac per gaudium dolor expellitur.

1 Heus tu qui vota damnas, & ex Ecclesia ea tollere moliris, vidésne vt etiā antiquis patribus fuerint in vsu, & quomodo post emissionē illa adimpleuerint?

2 Notent qui Deo sacratas virgines sub prætextu matrimonij hominibus copulant ad abutendum eis, quod peccatum maximum committunt.

3 Quid dicis tu qui sacerdotem agis, & fœminarū consortia apud sanctas ædes semper habere vis?

In illa molestiæ partum præcesserunt. Huic partum lætitia pronunciat. Ne timeas, inquit, quoniã omnibus mulieribus timorem affert partus expectatio, dulcis partus promissione timor eximitur. In vtero, inquit, concipies, & paries filium, & vocabis eius nomen Iesum. Ipse enim saluum faciet populũ suum à peccatis eorum. Quid autem Maria? Audi pudicam virginis vocem: Quomodo erit istud, quoniam virum non cognosco? Angelus partum nunciat. At illa virginitati inhæret, & integritatem Angelicæ demonstrationi anteponendam iudicat. Nec Angelo fidem non habet, nec à proposito recedit suo. Interdixi, inquit, mihi consuetudinẽ viri. Quomodo istud erit mihi, quoniam virum non cognosco? Hæc Mariæ vox declarat ea quæ ex historia incerti autoris commemoraui, non esse penitus absurda. Si enim liberorũ causa ducta fuisset à Ioseph, quomodo parituram Angelo prænũcianti, se rem nouã & alienã audire præ se tulisset, cùm ipsa quoq; sese obstrinxisset naturæ lege, vt aliquando mater esset? Verùm 5 quia carnem Deo consecratam, tanquam sanctum aliquod ob latum munus, oportebat intactam integramq; præstare, idcirco licet, inquit, Angelus sis, licet è cœlo venias, licet id quod ostenditur, naturã superet humanam, tamen me virum cognoscere nefas est. Quo modo sine viro mater ero? Ioseph enim sponsum noui, sed virum non cognosco. Quid ad hæc auspex Gabriel? Quem thalamum statuit puro impolutoque connubio? Spiritus sanctus, inquit, superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. O beatum vterum illum, qui bonitatis præstantia ad se traxit animi bona. In reliquis enim omnibus viri animus purus spiritus sancti præstantiã capit, hîc autem caro fit spiritus receptaculum. Sed & virtus altissimi obumbrabit tibi. Quid significat arcanus hic sermo? Christus Dei virtus est & sapientia, vt ait Apostolus. Virtus igitur altissimi, quę Christus est, per aduentũ spiritus sancti formatur in virgine. Quemadmodum enim vmbra ad præcedentium figuram effingitur, sic forma & iudicium diuinitatis Dei in virtute ipsius qui pariter ostenditur, & imago, & signum, & adumbratio, & splendor exemplaris, per admirabilem rerum effectionem demonstrabitur.

5 Votũ hoc virginitatis beatissimæ Dei genitricis licitum fuit, Deoq; maxime gratum: quod nisi extitisset, filius Dei nunquam humanam carnem de ea assumpsisset.

ITEM DE EADEM SANCTISSIMA Dei genitrice, per D. Bernardum Abbatem.

Est sermo primus eiusdẽ habitus in die assumptionis Beatæ Virginis.

Virgo hodie gloriosa cœlos 6 ascendens, supernorũ gaudia ciuium copiosis sine dubio cumulauit augmentis. Hæc enim est cuius salutationis vox & ipsos exultare facit in gaudio, quos materna adhuc viscera claudunt. Quod si paruuli necdum nati anima liquefacta est vt Maria locuta est, quid putamus quænam illa fuerit cœlestium exultatio, cùm & vocem audire, & videre faciem, & beata eius frui præsentia meruerunt?

6 Virgo gloriosa hodie cœlos ascẽdens. Ergo ante diẽ iudicij sanctorum animæ cœlũ ingrediuntur.

Nobis verò charissimi, quæ in eius assumptione solennitatis occasio, quæ causa lætitiæ, quæ materia gaudiorum? Mariæ præsentia totus illustratur orbis, adeò vt & ipsa iam cœlestis patria clarius rutilet virgineæ lampadis irradiata fulgore. Meritò proinde resonat in excelsis gratiarum actio & vox laudis. Sed plangendum potius nobis, quàm plaudendum esse videtur. Quantum enim de eius præsentia cœlum exultat, nunquid non consequens est, vt tantum lugeat hic noster inferior mundus eius absentiam? Cesset tamen querela nostra, quia nec nobis hic manens est ciuitas, sed eam inquirimus ad quam hodie Maria benedicta peruenit, in quam si cõscripti ciues sumus, dignum profectò est etiam in exilio, etiam super flumina Babylonis eius nos recordari, eius nos communicare gaudijs, eius participare lætitiam, maximeque eam quæ tam copioso impetu lætificat hodie ciuitatem Dei, vt sentiamus & ipsi stillicida stillantia super terram. Præcessit nos Regina nostra, præcessit, & tam gloriosè suscepta est, vt fiducialiter sequantur Dominam seruuli clamantes: Trahe nos post te, in odore vnguentorum tuorum curremus. Aduocatam 7 præmisit peregrinatio nostra, quæ tanquam iudicis mater, & mater misericordię simpliciter & efficaciter salutis nostræ negotia pertractabit. Prætiosum hodie munus terra nostra dixerit in cœlum, vt dando & accipiendo fœlici amicitiarum fœdere copulentur humana diuinis, terrena cœlestibus, ima summis. Illò enim ascendit fructus terræ sublimis, vnde data optima & dona perfecta descendunt.

7 Audi sanctam Dei genitricẽ dici aduocatã nostrã, & ideo cœlos ascẽdisse, vt ibi pro nobis huiusmodi fungeretur officio. Nec propter hoc tam pius & Catholicus pater Domino nostro Iesu Christo aliquam intulisse iniuriam putauit, cum ipse sit summus & præcipuus aduocatus: eius verò genitrix primum post eum locum obtineat.

Ascendens ergo in altum virgo beata, dabit ipsa quoq; dona hominibus. Quid ni daret? Siquidem nec facultas ei deesse poterit, nec voluntas. Regina cœlorum est, misericors est, denique mater est vnigeniti filij Dei. Nihil enim sic potest potestatis eius seu pietatis magnitudinem commendare, nisi fortè aut non creditur Dei filius honorare matrem, aut dubitare quis potest omnino in affectum charitatis transisse Mariæ viscera, in quibus ipsa quæ ex Deo est charitas, nouem mensibus corporaliter requieuit. Et hæc quidem propter nos dixerim, fratres, sciens difficile esse vt in tanta inopia charitas illa perfecta non quærens quæ sua sunt, valeat inueniri. Vt tamen interim sileã beneficia quæ pro illius glorificatione cõsequimur, si eam diligimus, gaudebimus vtique, quia vadit ad filiũ, planè, inquã, congra-

congratulabimur ei, nisi fortè, quod absit, inuentrici gratiæ omnimodis inueniamur ingrati. Quem enim in castellum mundi huius intrantem prius ipsa susceperat, ab eo suscipitur hodie sanctam ingrediens ciuitaté. Sed cum quanto putas honore, cum quanta putas exultatione, cum quanta gloria? Nec in terris locus dignior vteri virginalis téplo, in quo filium Dei Maria suscepit: nec in cœlis regali solio, in quo Mariam hodie Mariæ filius sublimauit. Fœlix nimium vtraque susceptio, ineffabilis vtraque, quia vtraque inexcogitabilis est. Vt quid enim ea hodie in Ecclesijs Christi Euangelica lectio recitatur, in qua mulier benedicta in mulieribus, excepisse intelligitur Saluatorem? Credo vt hæc quam celebramus, ex illa susceptione aliquatenus æstimetur, imò vt iuxta illius inæstimabilem gloriam, inæstimabilis cognoscatur & ista. Quis enim si etiam linguis hominum, Angelorumque loquatur, explicare queat, quemadmodum superueniente spiritu, obumbrante virtute Altissimi caro factum sit verbum Dei, per quod facta sunt omnia, & Dominus maiestatis, quem non capit vniuersitas creaturæ, intra virginea sese clauserit viscera factus homo? Sed & illud quis cogitare sufficiat, quàm gloriosa hodie mundi Regina processerit, & quanto deuotionis affectu tota in eius occursum cœlestium legionum prodierit multitudo, quibus ad thronum gloriæ canticis sit deducta, quàm placido vultu, quàm serena facie, quàm diuinis amplexibus suscepta à filio, & super omnem exaltata creaturam, cum eo honore, quo tanta mater digna fuit, cum ea gloria, quæ tantum decuit filium. Fœlicia prorsus oscula labijs impressa lactentis, cui virgineo mater applaudebat in gremio. Verùm nunquid non fœliciora censebimus, quæ ab ore sedétis in dextera patris hodie in beata salutatione suscepit, cùm ascenderet ad thronum gloriæ epithalamium canens, & dicens: Osculetur me osculo oris sui? Christi generationem & Mariæ assumptionem quis enarrabit? Quantum 8 enim gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantum & in cœlis obtinet gloriæ singularis. Quòd si oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, quod præparauit gignenti se, & quod omnibus est certum diligenti præ omnibus, quis loquatur? Fœlix planè Maria, & multipliciter fœlix, siue cùm excipit Saluatorem, siue cùm à Saluatore excipitur, vtrobique mira dignitas virginis matris, vtrobique amplectenda dignatio maiestatis. Intrauit, inquit, Iesus in quoddam castellum, & mulier quædam excepit illum in domum suam. Sed laudibus magis vacandum est, quòd festiuis præconijs hæc dies debeatur. Quia verò copiosam nobis materiam lectionis huius verba ministrant, cras quoque conuenientibus nobis in vnum communicandum erit sine inuidia, quod fuerit desuper datum, vt in memoria tantæ virginis non modò affectus deuotionis excitetur, sed & mores ædificentur ad prouectum conuersationis, in laudem & gloriam filij eius Domini nostri, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

8 Beata virgo quantũ gratiæ in terris adepta est præ cæteris, tantũ & in cœlis obtinet gloriæ singularis.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI Archiepiscopi Constantinopolitani Encomium sanctissimæ Deiparentis, quando adducta fuit in templum à suis parentibus, cùm esset tres annos nata.

Apud Simeonem Metaphrasten.

ECCE rursus dies 1 festus & celebris matris Domini: ecce progressus spõsæ in quam non cadit vlla reprehensio: ecce primus processus futuræ eius gloriæ: ecce apertum prooemium diuinæ quæ eam erat adũbratura gratię: ecce clarum indicium eius eximiæ puritatis. Vbi enim non sæpe, sed semel solùm in anno sacerdos ingrediés peragebat cultus mysticos, illud ea vt ibi perpetuò maneret, à suis adducitur parentibus, & vt esset in sacris gratiæ adytis. Quis rem vnquam talem cognouit? Quis vidit, aut quis audiuit ex ijs qui nunc, aut qui vnquam fuerunt, fœminam quæ adduceretur in intima sancta sanctorum, ad quæ vix patet aditus hominibus, vt in his habitet & versetur? An non hæc est euidés demõstratio noui & alieni operis, quod in ea futurum erat postea? Non apertum signum? Non clarum indicium? Ostendant nobis qui in eam linguas mouent, & vident tanquam non videntes, vbinam talia vnquam viderunt, puellam ex professo adduci intra tertium velum tanquam domũ in quod nulla cadit reprehensio, vt illic habitaret assiduè, eamq; à diuitibus populi supplicantibus, & à virginibus deduci, cum lãpadibus adduci, à Sacerdotibus & Prophetis supinis manibus excipi? Quomodo ergo noluerũt intelligere? Quomodo videntes prima extremis fidem non habuerunt? Quomodo cùm quædam noua & aliena in ea prius vidissent, dixerunt contra ea quæ postea facta sunt? Non enim casu & temerè fuerunt quæ

1 Festus dies præsentationis beatæ virginis.

prima in ea euenerunt, sed fuerunt omnia vltimorum prooemia. Dicant ergo nobis qui ex seipsis sunt in rebus inanibus sapientes, quomodo cùm aliæ steriles pepererint, nullius ex ipsis filia reponitur in sancta sanctorũ, nec accepta fuit à Prophetis? An non hæc poterant dicere qui hæc & talia videbant, cuiusmodi etiam qui ex eis erant eiusdem sententiæ, dixerunt postea in illius filium: Quisnam erit hic puer? Maximè. Sed qui aliena quidem sentiunt, interitus viam ingrediantur, & cadant in barathrum quod ipsi fecerunt. Nos autem qui sumus Dei populus peculiaris, Sacerdotes & Principes, mundani & monachi, serui & liberi, artifices & agricolæ, plantatores & piscatores, iuuenes & senes, viri & mulieres adeste, prompto & alacri animo accedamus ad Dei parentem: & quæ in eam œconomicè prius perfecta sunt diuina mysteria intueamur. Quemadmodum à parentibus hodie virgo sacratissima in templum Dei per eius sacerdotes adducitur: quemadmodum templum Domini animatum templo inanimo dedicatur: quemadmodum propheta Zacharias eam sua manu accipit & adducit in adyta, nihil ægrè ferens, neque dicens eius parentibus: Non faciam hanc rem maximè nouam, neque puellam introducam in sancta sanctorum, vt in eis habitet assiduè, in quæ semel in anno iussus sum intrare. Nihil tale dixit propheta Zacharias, sed vt qui præsciuisset futurum, quoniam erat Propheta, eam expectans, sicut qui post eum fuit Simeon illius filium, eam is quoque excipit prompto & alacri animo. Deinde matrem amplexus eam allocutus est, sic dicens, & puellam tenens manibus: Vndénã orta es ô mulier: & quisnam est modus & scopus talis studij tui ac propositi? & quomodo cùm nullum tale habueris exemplar, sola inuenisti hunc nouum & non prius auditum actum, introducens puellam vt ingrediatur adyta? Quæ est tua deliberatio dic nobis & cogitatio? Ego, inquit Prophetæ, sum Anna grato nomine: nata quidẽ sum ex genere sacerdotali, tribu Aaronitica, radice prophetica & regia: Dauidis autem & Salomonis, & eorum qui deinceps fuêre, sum ramus. Sum autem cognata tuæ vxoris Elisabeth. Deinde viro quidem coniuncta fui lege Domini. Inuenta sum verò sterilis & infertilis multis annis. Nullum autem inueniens medicamentũ quod mederetur meæ calamitati, ad eum confugi qui est solus potens, & ea reddit facilia, ex quibus non datur exitus: & ad ipsum os meum ex animo aperiens, cũ luctu cordis clamaui & lachrymis, sic dicens: O Domine, Domine, qui dolore affectas animas exaudis ocyssimè, cur me reddidisti diuersam à natura meorum maiorum? Cur me fecisti parabolam in genere meo, & motionem capitis in tribu mea? Cur maledicti tuorum Prophetarum me fecisti participem, dás mihi matricem filios non producentem, & vbera arida? Cur fecisti vt mea dona non essent accepta, vt quæ sim sterilis? Cur me siuisti subsannari à notis meis, irrideri à famulis, & vicinis haberi opprobrio? Respice Domine, exaudi Domine, miserere ô sancte. Fac me similem volucribus cœli, & bestijs terræ, piscibus maris, quoniam ea quoque sunt genitalia coram te ô Domine. Ne brutis videar deterior ô Domine, quæ facta sum ad imaginem tuam & similitudinem. Hæc cùm dixissem, hoc quoque adieci ijs quæ dicta sunt: Quoniam tibi Domine donum gratiarum actionis omnino tibi dedicabo, 2 quem mihi dederis filium, vt is sit & maneat in tuo sanctuario, tanquã sacrum donarium & munus pretiosissimum, quod mihi datum est à te, qui es perfectissimus dator pretiosorum donorum. Hæc ego, cùm essem sub dio in meo horto, oculos in cœlum tollens, pectus autem meum manibus verberans, clamaui ad Deum, qui est in cœlis. Meus autem coniux cùm esset solus in monte, & ieiunaret quadraginta dies, eadem à Deo supplex petebat. Sic ergo flexus qui est paratus ad misericordiam, & benignus Dominus amborum precibus, misit diuinum suum Angelum, nobis prænunciatum meæ filiæ conceptionem. Statim ergo natura à Deo iussa semen excepit. Non enim ante diuinam gratiam ausa est excipere. Sed cùm illa accessisset, matrix quæ prius erat clausa, suas portas aperuit, & à Deo acceptum depositum apud se detinuit, donec Dei voluntate quod in ea fuerat seminatum in lucem est editum. Hinc ergo eo ablactato, vota mea reddo Domino, quæ distinxerunt labia mea, & locutum est os meum in afflictione. Et ideo virginum caternas coëgi cum lampadibus, conuocaui sacerdotes, congregaui cognatos meos, omnibus dicens: Omnes mihi gratulemini, quòd hodie & mater, & productrix effecta sum: non Regi terreno meam offerens filiam, quoniam nec par quidem erat, sed Deo cœlesti & Regi dedicatam. Accipe deinceps ô Propheta, meam à Deo datam filiam: & introductam plãta in loco sanctuarij, in prompto Dei habitaculo, in domo exultationis & lætitiæ: nihil curiosè inquirens, donec Deo qui eam hinc vocauit, visum fuerit quæ ad eam attinent ad finem deducere.

2 Ecce votum, & voti redditio statim sequitur.

Cùm hæc verba audijsset Zacharias, statim allocutus est Annã: Benedicta est radix tua ô fœmina in primis veneranda: glorificata est matrix tua, ô amans coniugis: & gloriosa est oblatio tua ô pia & Dei amans. Deinde puellam lætus tenens, eam prompto & alacri animo introducit in sancta sanctorum, sic vtique ei dicens: Adesdum implementum meæ pro-

prophetiæ. Adeſdum perfectio pactorum conuentorum Domini. Adeſdum ſignaculum eius teſtamenti. Adeſdum finis eius conſiliorum. Adeſdum declaratio eius myſteriorum. Adeſdum ſpecula omnium prophetarum. Adeſdum conſiliatrix eorũ qui malè diſſentiunt. Adeſdum coniunctio eorum quæ erant malè diſiuncta. Adeſdũ firmamentum eorum quæ deorſum inclinantur. Adeſdũ renouatio eorum quæ erãt inueterata. Adeſdum iubar eorum qui ſiti ſunt in tenebris. Adeſdum donum maximè nouum & diuinum. Adeſdum Domina omnium terrigenarum, ingredere in gaudium Domini tui. Nunc quidem inferre in terra quæ conculcatur ab hominibus, paulò pòſt autem in ſuperna, & ad quam non patet hominibus aditus. Cùm ſic vt erat conſentaneum, dixiſſet myſta puellæ, eam vbi oportebat depoſuit, & vbi conuenerat & fuerat præſtitutũ. Puella autem valde lætans & exultans, ibat in templo Dei, tanquã in thalamo, cùm ætatis quidẽ ageret annum tertium, eſſet verò perfecta diuina gratia, vt quæ eſſet prædeſtinata, & præcognita, & præelecta à Deo & diſpenſatore vniuerſorum ante mundi conſtitutionem. Manſit autẽ de cætero in ſanctis ſanctorum, ſeu in tẽpli penetralibus, ambroſiam nutrimentũ per Angelum accipiens vſque ad ſecundam ætatem. Tunc autem Dei nutu & conſilio ſacerdotũ de ea datur ſors: & fortè eligitur Ioſeph iuſtus: & hanc ſanctã virginem diuino conſilio ex tẽplo Dei ab eius accipit ſacerdotibus, ad ineſcandum mali autorem ſerpentem: ne tanquam virginem aggrederetur puellam ab omni labe alienam: ſed tanquam ad deſponſam ad eam accederet. Fuit ergo illa incorruptiſsima in domo fabri Ioſeph ſeruata Domino omnium architecto, donec quod ante ſecula fuerat abſconſum myſterium in ea eſſet perfectum: & hominibus Deus ex ea effectus eſſet ſimilis. Sed de his quidẽ dicere eſt alterius operis, & temporis conuenientis. Nobis autem rurſus ad propoſitum redeat oratio, & laudibus celebretur hodie dies deductionis. Abi ergo ô Domina Dei mater, abi ad tuam hæreditatẽ, & vade in atria Domini exultans & lætans: alacriſque expectans in dies ſanctiſsimi ſpiritus in te aduentum, & potentię altiſsimi adumbrationem, & vnigeniti tui filij conceptionem, vt Gabriel tibi prædicet: & da ijs qui tuum feſtum peragunt tuum auxilium, protectionem & defenſionem, eos omni ex parte liberans 3 tuis interceſsionibus ab omni neceſsitate & periculis, morbiſq; grauibus, & omne genus calamitatibus, & à futuris iuſtis minis tui filij. Eos

3 Vide quãta poſſit ſanctiſsima Dei genitrix.

autem colloca vt mater Domini in loco delitiarum, vbi eſt lux & pax, & rerum expetendarum ſummum donum, & fiant muta labia doloſa quæ contra te iuſtam loquuntur iniquitatem in ſuperbia & contemptione, & exterminetur in ciuitate tua imago eorum. Erubeſcant, & deficiant, & pereant, & cognoſcant, quòd nomen eſt tibi Domina. Tu ſola Dei genitrix excellẽtiſsima ſuper omnem terram. Nos autem ô Dei ſponſa, fide benedicimus, deſiderio honoramus, & metu adoramus, te ſemper extollẽtes, te laudantes, & te venerabiliter beatam pronunciantes. Eſt enim re vera pater tuus beatus inter viros, & beata mater tua inter mulieres. Beata domus tua, & beati noti tui. Beati qui te viderunt: Beati qui tecum ſunt verſati, beati qui tibi ſeruierunt, beata loca tua, beatum templum in quo fuiſti oblata. Beatus Zacharias qui te vlnis ſuis eſt amplexus. Beatus Ioſeph qui te deſpondit, beatus lectus tuus, & beatum ſepulchrũ tuum. Tu es enim honor honorantiũ, & premium premiorũ, & altitudo altitudinũ. Sed ô mihi ſola Domina: mea ex Deo conſolatio: ardoris qui eſt in me ros diuinus, exiccati mihi cordis diuinitus irrorãs aſperſio, tenebroſæ meæ animæ lãpas lucidiſsima: Dux meæ dubitationis, vires imbecillitatis, nuditatis amictus, opes mendicitatis, immedicabiliũ vulnerum curatio, lachrymarũ ablatio, requies gemituum, alleuatio dolorũ, calamitatũ tranſmutatio, vinculorũ meorum ſolutio, ſpes meæ ſalutis, & bonorũ omniũ remuneratio, 4 exaudi meas precationes, miſerere meorũ luctuũ, & excipe meos fletus, miſerere mei flexa meis lachrymis. Te moueat mei miſericordia, vt matrẽ benigni Dei, aſpice & annuæ meæ ſupplicationi. Imple mei ſitientis deſiderium, & coniunge me meæ cognatæ & conſeruę in terra mitium, in tabernaculis iuſtorũ, in choro

4 Ecce quomodo inuocat Dei matrem in ſui auxilium.

ſanctorũ: & dignare me tu quæ es omnium defenſio, & omnium lætitia, & vehemẽs gaudium, vt ſimul cũ ea læter te rogo. Rogo te prætera, vt in gaudio illo quod reuerà verbis nõ poteſt exprimi, perpetuiſq; delitijs & inſatiabilibus, & in regno eius quod caret veſpera, & nunquã terminatur, eos colloces qui fide & deſiderio hoc venerandũ tuum 5 feſtum peragunt. Certè Domina Dei parens: certè meum refugium, vita & defenſio, arma & gloriatio, ſpes & robur meũ: concede mihi vt ego quoq; cum ea fruar inenarrabilibus, & quæ cõprehendi non poſſunt tuis bonis, in cœleſti & quæ dici nõ poteſt perſeuerantia. Habes enim ſat ſcio cũ tua volũtate concurrentẽ potentiã, vt quę ſis mater altiſsimi, & propterea audeo. Ne ergo priuer mea expectatione ô Domina intemerata, quæ vniuerſorũ expectationẽ ſupra rationẽ peperit Dominũ noſtrũ Ieſum Chriſtum verũ Deũ & Dominũ & Regem vniuerſæ createą naturæ. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, cũ patre principio carẽte, & ſanctiſsimo & viuifico ſpiritu, nunc & ſemper, & in ſecula ſeculorũ. Amen.

5 Qui fide & deſiderio hoc venerandum tuum feſtum peragunt.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI GEORGII Archiepiscopi Nicomediæ oratio, De exitu sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparentis, quando fuit oblata in templo.

Apud Simeonem Metaphrasten.

6 Et hic habes festum diem Præsentationis Virginis.

PVLCHRA nobis principia argumenti dicendi ostēdit hic dies 6 festus, parauit pulchras consensionum semitas: iecit pulchra fundamenta ascensionum nunc erigens se ad orationem. Quamobrem eam tollens sublimem, gratia euehit ad encomiorum altitudinem, & gradus mutans gradibus, laudem transfert à gloria in gloriam. Sed quoniam fieri non potest, vt ea simul cum rebus extollatur, è terreno profundo parũ enatans, exiliter erigitur ad argumenti altitudinem. Age ergo nos quoq; cũ ea laborãtes, corporis onere deposito mētis pēna simul ad festũ extollamur, & intra adyta progredi festinantē castissimā virginē, prompto & alacri animo consequamur, & nos ab externo errore colligentes, orationis vestibula deinceps cōscendamus. Neque enim pratorũ pulchritudo adeo facit, vt ij qui extra obeunt, ea cupiant ingredi, vt odoratus ortus encomiorum virginis ingressum reddit iucundum volentibus. Etenim est hoc pratum & pratorum maximè odoriferum & varium, & incorruptione coronans eos qui decerpunt, non vernis comatum floribus, qui speciei habent delectationem quæ facilè marcescit, sed emittens gratiæ bonum odorem, perfundit sensum: & mentem apud se longè suauissima demulcet auditione. Nam in illis quidē sensus quoque capiens satietatem, non similiter delectatur ijs qui apparent postea. In his autem, eorũ quidem qui pręcesserunt manet odor, eorum autem qui succedunt, accedit maius desiderium. Malum quidem spectaculum vnà cum tēpore marcescentem habet pulchritudinem. Hic autem decor perpetuā fert animę delectationem: & quomodo qui vestibula regia fortè sunt ingressi, ex externis coniectant internam posituram, quæ sensu non iudicârunt, mente coniectant excellentia: idem etiam ostenditur accidere in vestibulis encomiorum. Atque in omnibus quidem, vt arbitror, non minimum autem in his quoque, vt arbitror. Nam in altitudinem quidē elata sunt prooemia: præclarus verò argumēti ornatus ex his apparet intrinsecus, plurima habens incremēta gloria & pulchritudine insignia. Est ergo nobis propositum ad ingressum parum attollere oculos, & qui latet, quoad eius fieri potest, intueri decorem, etiamsi fieri non potest, vt cōtemplemur vniuersam eius elegantiam. Age verò oratione procedamus interius, ductricē habentes ipsam Reginam. Sed video nunc hanc concionem luce infinita coruscare: & mente illuminor, & mihi venit in mentem exilire: & ea quæ nunc peraguntur magna esse visione apprehendo: & Angelos simul choreas agētes mente cogito: & omnia noua, & aliena, & digna pulchro cœli ornatu. Hinc mihi videtur eius qui laudatur gratia in medium procedere, & vniuersum cœtum implere lætitia affatim dona tribuēs. Quamobrem spem eorum attendentes omnes simul ingrediamur, vnusquisque reddens id quod debetur. Qui dicit, sermonem: qui prudenter audit, auditionē: qui ministrat, adimpletionē: & omnia quorũ debiti exolutio ad ingressum adhortatur. Præcedant ergo sermones, quæ deinceps sequuntur ad se congregantes. Atque iam quidem ij qui virginem pepererant, ad templi eam fores adducebant, Angelis eam circumcirca stipantibus, & supermundanis virtutibus omnibus simul collætantibus. Nam etsi ignorabant arcanum modum mysterij, vt serui tamen iussu Domini seruiebant eius processui. Et primum quidē considerabant videntes, vt qui sint naturæ intelligentes, eam esse pretiosum vas virtutum, & ferre signa incorruptæ puritatis: & habere corpus procul remotum à vitiorum colluuie. Deinde autem iussi parentes munus implebant. Tunc lampades luminis ingressum lætificabant: & omnia quæ tēplo continebantur, conuertebãtur ad lætitiam ipsis, vt puto, inanimitatis, simul cum Angelis lætantibus. Quamobrem mihi quoque licet cum eis choros ducere: & tanquã tunc præsenti venit in mētem in vocem erumpere, quæ dicitur aptè & conuenienter. Dilata atria ad excipiendam latiorem quæ sub aspectum cadere & non cadere conspecta est creatam naturam, in qua comprehensus qui comprehendi non potest, vitij latitudinem redegit in angustissimum. Accende lampadem luminis, & ingressum lætifica. Facem tanquã signum aliquod tolle sublimem: & ad te dirige orbem terræ: & lucidam intueatur nebulam, & radiorum eius fiat particeps, vt ex ea videat scatentem fontē luminis. Pande portas tuas, & introduc portam quæ percipitur intelligentia, per quam cùm solum transijsset Dei verbum, obsignatã conseruauit sicut nouit. Nam etsi accepit portæ appellationem, virgo tamen vsum conseruauit, & impleuit quidem rei ministerium: incorruptionis tamen non soluit signacula. Sustine velum, vt intra id ingrediatur verbi velum animatum, quod in se celauit diuinitatem

tatem,& eius igne non fuit combusta essentia materialis. Accipe quod fuit in spiritu inauratum candelabrum, lucerna cuius fines illuminat, per quam accenderunt septem dona spiritus, & mundum terrenum illuminârunt. Accipe mensam quæ portat vitam, in qua vitæ nostræ panis propositus,ambrosia pauit eos qui illius fuerunt participes,ex qua crateres sapientiæ imperturbatum & purissimum effundunt poculum cognitionis. Orna sancta sanctorum,& sanctissimum excipe tabernaculum quod est capax essentiæ immaterialis, quod nostrum quod ceciderat,excitauit tabernaculum,quod parentis nostri Dauid tabernaculum quod fuerat ablatum, rursus erexit, per quod membra quæ fuerant dissoluta nostra transgressione, fuerunt redacta ad suam integritatem. Accipe aureum thuribulum,in quo verbum quod carnem assumpsit,bono odore impleuit orbem terræ: in quo combusta fuerunt crimina inobedientiæ: per quod liberatur aër à molestia inquinamentorum: per quod bonus odor spiritus spirauit in homines. Introduc arcā sanctificationis, quæ intus accepit eum qui dedit legem, qui portauit mannam cœlestem, quæ à diluuio peccati seruauit nostram naturam,& per partum liberauit orbem terræ ab interitu. Noui testamenti thesaurum, vrnam inclytam ac gloriosam,tabulas à Deo impressas characteribus, in quibus inscriptum Dei verbum supra rationem, legalis literæ difficultatem traduxit ad leuitatem spiritus. Cape virgam sacerdotalem, quæ absque irrigatione produxit florem qui non marcescit, nempe Dominum. Sanctam terram & desiderabilem, ex qua orta est veritas & iustitia,in qua operculo tecti pedes prohibentur progredi,ratiocinatio, inquam, quæ dubitatione operitur & incredulitate. Vmbrosum montem, in quo verbo placuit habitare, in quo cùm recubuisset natura, declinauit peccati exustionem, ex quo sine manibus deuolutus lapis angularis,inimici cōtriuit imaginem,& redegit in puluerē. Accipe oleam frugiferam,per quam scaturijt oleum exhilarans, & pinguefecit creaturam. Thronum gloriosum, regium vehiculum, quo vectum verbum cum carne aduenit. Sanctam Sion quam elegit opifex, quam verbo prouidentiæ parauit ante secula, in qua in carne est genitus, ex qua progressus vires contriuit impiorum. Apprehende lectum Salomonis, quem in orbe circumsistunt sexaginta potentes, nempe diuinitus inspiratæ scripturæ veræ prophetiæ, quæ per ea quæ significârunt, suo testimonio comprobant Deum esse ex ea pariendum, in quo verbum cùm cecidisset, cum carne exurrexit, & inimici tyrannicam validè afflixit potentiam. Eam forceps expressit propheticus, qui carbonem ferebat,& labra expurgabat. Quæ Seraphicè custodiebatur,& per spiritū sanctum prædicabatur. Eam indicauit liber obsignatus, quem nullus legit sciens literarum præter eum qui obsignauit, & seruauit supra rationem. Eam charta significauit purissima,in qua verbum sine scriptis impressum scidit fraudis chirographum. Hæc est quæ à dextris Dei adsistit Regina, quæ propè est pulchritudine & splendore,quæ est speciosa natura,& nullam suscipit maculam libero suo arbitrio. Quæ ascendit ex Libano virginitatis, & mundum perfudit vnguento, ex qua dulcedo diffluens, veterem amorem ligni dulcem reddidit, cuius supra mel labra extiterunt dulcia: & è lingua eius tanquam è fonte manauit lætitia. Cuius vestes vnguento delibutæ bonum odorem emiserunt supra omnia terræ aromata. Hanc introduc tāquam sponsam,cuius pulchritudo est incomparabilis,& gloria ineffabilis, cuius lux oculorum solis superauit radios. Hortum conclusum, quem peccati cogitationes non possunt intrare: in quo diuina planta quæ citra agricolæ culturam germinauit, ligni maledictum quod prius in vita mirandum in modum crescebat, exiccauit radicitus:& eius loco effecit vt floreret benedictio. Fontē re vera signatum,ex quo manāt fluenta purissima,& irrigant orbē terræ. In quo limi qui conturbabat nō sunt deprehensæ reliquiæ,ex quo procedens fluuius gratiarū circuit vniuersam quæ est sub sole regionem. Suscipe quæ per aërem ingreditur nubē,in qua sedens qui ingreditur super nubes cœlestes, destruxit simulachra quæ colebātur ab Ægyptijs. Introduc Dei ciuitatē animatam,quæ in eius impulsu lætatur in æternum. Sanctificatum tabernaculum, domum gloriosam, templum quod non potest dissolui. Cuius tu fuisti & figura, & signum, expectans vt ea fieret manifesta,eam tu iam tenes,eam introduc,& cede tanquā potentiori. Hucusque siste signa, fac vt cessent consueta ænigmata. Quousque vmbrā attendis? Quousque in litera gloriaris? Ecce gratiæ radij illuxerunt: Ecce signa literæ in spiritum sunt trāsmutata. Es defessa figuris inseruiens,ecce accedit qui noua facit. Trāsi ergo à lege quæ consenit,ad verbi gratiam quæ est noua. Cur in somnis perseueras,cùm eam accipias quæ euentum conciliat? Cur sacrificiorum sanguine aspergeris,& eorū nidore suffumigaris,cùm qui iussit ea nō admittat? Sacrificium enim,ait Verbum patri,& oblationem noluisti, corpus autem perfecisti mihi. Venit qui proprio suo sanguine ea facit cessare:& naturam non à carnis inquinamētis,sed à peccato repurgat. In foribus redemptio,in portis tuis est prædicatio. Hanc ad te præmisit quæ præcedit mysterium. Ipsa eorum quæ tibi sunt verbis significata in se affert euenta.

Esaias significauit dicens: Ecce virgo in vtero concipiet, & pariet filium, & vocabunt nomen eius Emanuel. Hanc Ezechiel nominauit Dei portam. Hanc Dauid arcam sanctificationis. Hanc Moysi prius descripsit rubus qui ardebat in monte, & non comburebatur. Hanc cum gaudio excipe, prompto & alacri animo accurre, adora eam, vt quæ sit superior omni re creata, tam quæ sub aspectum cadit, quàm quæ non cadit, amplectere purissimum habitaculum, immaculatum introduc tabernaculum, & cæde inquinatum educ cœtum Iudæorum. In eos valde clamant responsa Prophetarum: apertè vociferatur sanguis. Cur tabo & sanie inquinamentorum ipsorum pollueris? Cur iniquitatibus eorum macularis? Cur eorum profanam tegis arrogantiam: & iram Creatoris accendis vehementius? Siste hucusque iram vltoris, ne vlterius accendas eius qui te finxit furorem, etenim quò maior congregatur multitudo peccatorum, eò maior existit vltionum redditio: imò verò ijs quæ admissa sunt grauior, quandoquidem fert ad immortale supplicium. Hæc tibi iubet vt cesses. Hæc venit vt te excipiat. Hæc te maiorem accepit gloriam, etenim rerum finis ei obtigit. Quorum enim figuras ostendebas, eorum ipsa ostedit euentũ. Quantum vmbra est minor corpore, & ænigma veritate, & sermo re, & imago causa: tu ab eius splẽdore tantũ differs. Nam tu quidem ab vna propria gente cultũ accipis: ipsa autem ab omni creata natura insigniter honoratur. Et tu quidem quæ Dei habes quæ intermittitur adumbrationẽ, non multò pòst ea dimissa dissolueris. Hæc autem quæ essentiali habitatione verbi eam accepit, permanet in æternum minimè dissoluenda, nunquã nudata hac gloria. Hinc ergo excede cedens melioribus. Neque enim vt illic maneas, tibi erit reliquũ, etiam si velis, cùm sint tibi causæ ministræ aduentus. Hæc à me ad templũ dicta sunt satis conuenienter, vt qui hæc persuasum habeam ex ijs quæ nunc cernuntur: quæ quidem existimo admittere eos qui audiunt citra examinationem, examinationis loco res ipsas probantes. Postquam autem fuit introductum eius spatium, quod vel est in cœlis ipsis latius, signum eorum dissolutionis, quæ in templo fieri consueuerunt, eam statim viderunt: gloriã quidem sua sponte ad eam currere: se autem ea in dies priuari animaduerterũt. Tunc verò qui munus Sacerdotale obibat Zacharias, dono Prophetico inspiratus, virginis quidẽ aduentu est lætatus, considerabat autem eius quoque animæ immensam pulchritudinem quæ latebat in muliebri habitu, animaduertebat verò intemeratã ferre noua & aliena naturæ signa, etiãsi ea erat vt vnusquisque prædita. Nam erant quidem mores ei incomparabiles: & erat eius vitæ agendæ ratio composita virtutibus. Quamobrẽ in dies procedente ætate crescebant in ea dona spiritus, & versabatur cum Angelis: nec erat diuinarum expers apparitionum. Cum ea vt solebat versante in adytis vidit Zacharias quendam sermocinantem, qui erat insitata specie, & ei præbentem alimentum: erat autem qui apparebat Angelus. Quamobrem mente à se discedebat, & hæc apud se cogitabat: Quid hoc est quod videtur? Nouum planè, & ab ea quæ hîc est alienum consuetudine: est Angelicus qui cernitur habitus, & alloquitur adolescentulam. Forma incorporeus affert nutrimentum tanquam corporibus conueniens, & essentia materiæ expers tradit mulieri canistrum qui videtur materialis. Angelorum huc aduentus solent esse ad solos Sacerdotes, vt vel hortentur, vel dehortentur ab ijs quæ sunt agenda. Neq; verò sæpe apparent. Ad mulierem autem omnino insolitus est eius qui nunc cernitur aduentus, idque cùm ea sit tenera ætate & iuuenis. Atque si ea quidem esset ex ijs quæ sunt coniunctæ matrimonio: & morbo sterilitatis à liberorum exclusa esset procreatione, & precibus contendisset vt sibi daretur proles, & in hoc immorata esset eius oratio: eius quod cernitur conijci posset dissolutio. Id autem Annæ semel accidit: nostris verò temporibus non semper ostenditur. Nunc autem ab eis quidem liber est aduentus virginis, est verò assiduus eius qui apparet aduentus. Propterea maior mihi concurrit admiratio & metus, occultæ autem insident dubitationes, quídnam hoc fuerit, quid significaturus venerit Angelus, quódnam sit quod affertur nutrimentum, ex quónam penario sit hoc expromptum, quísnam sit qui hoc parauit, quænam manus hunc panem fecit. Angelorum non est parare quod conueniat corporis necessitatibus. Nam etsi plurimi per eos sunt nutriti, apti tamen nutrimentum præparârunt: & per corpus incorporei conseruis inseruierũt. Nam qui Danieli inseruit Angelus, poterat eius qui iubebat virtute, non per alium, sed per se quod iubebatur implere. Sed Abbachum accepit intermedium, ne mores alieni, & spectaculum nimis magnum, & ab Angelis paratum quod non consueuit alimentum, terreret eum qui alebatur. Porrò autem coruus quoque qui inseruiebat Heliæ, non per se didicit locum, sed per Angelum. Quam autem afferebat prædam non aliunde, vt arbitror, afferebat, quàm ex diuitibus penarijs, non quòd non posset is qui iubebat ex tempore effectum præbere nutrimẽtum. Quomodo enim cuius verbo producta sunt omnia? sed vsui conueniens prǽberet ministeriũ. Et illic quidẽ sic fuit dispensatum, hîc autem nullo intermedio accedit Angelus ad virginem, resq; est arcana, & quam non potest

Spatium choriō significat autẽ spatium & secundinam.

sequi-

assequi ratio. Adoleſcentula talia dona eſt aſſecuta, vt incorporei cedant eius miniſterio. Quam ſunt hæc dona inſignia? Quidnã fecit virgo quò hæc mereretur? Quòd puritate quidem ſuperauit omnes quæ antea fuerunt generationes. Scio vt cui ſit hoc mihi rebus ipſis perſuaſum, vt qui mores apertum acceperim indicium, & poſtremò rem ipſam. Sed vt tanta bona conſequatur, quænam fuerit cauſa? Fortaſſe cernetur virgo beneficiorum magnorum conciliatrix, per quæ Deum ad ſe attrahit. Num reſponſa prophetarum in ea implebuntur? Num eorum quæ ſperantur finis in ea eueniet? Num qui eſt venturus ad generis correctionem, ex ea noſtram accipiet naturam? etenim hoc fuit prius prædicatum myſterium, & verbum quærit eam quæ ſit ei inſeruitura. Num non alia fuit prius electa ad eius miniſterium, præter eam quæ cernitur adoleſcentulam? Immenſam enim quæ in ea latet mente cogito caſtitatis pulchritudinem, & eius quæ eſt in occulto in apertũ prolationem, in eam oſtendit Dei beneuolentia. Quàm beata eſt domus Iſraël, ex qua tale germen pullulauit? Quàm beata eſt radix Ieſſe, ex qua vegeta hæc virga orta eſt, quæ mundo ſalutis florem eſt productura? Quàm eſt glorioſa memoria eorũ qui genuerunt, & vltra omnem beatitudinem? Quàm ſum ergo glorificatus, qui fruor talibus ſpectaculis & donis, & talẽ virginem orno in ſpõſam? Agam tibi in æternum gratias ô templum Domini, quòd propter tuum miniſterium non excidi ab ijs quæ ab omnibus iuſtis deſiderantur. Ego ſum hodie magnificatus ſuper omnes Sacerdotes. Hodie ſum glorificatus ſuper omnes prophetas, ea enim in quibus illi in vmbris initiati fuêre myſterijs, eorum ego eſſe vera video principia. Veriſimile eſt enim hæc cogitaſſe Zachariam, vt qui aliena, & naturam ſuperãtia conſideraret, quæ virginitatis ſunt admirabilia. Ita enim fuerunt re vera. O prœmia miranda. O ſigna inſignia. O augmentum corporis accipiens ſummum gratiæ incremẽtum. O puram illam & clariſsimam animam, quę in florenti corpore oſtendit dotes quę naturã ſuperant, quæ eius imperfectione non fuit prohibita à virtutis perfectione, cuius cũ Deo coniunctio iuuenili ætate non fuit retardata. Quis vidit, quis audiuit talem aſcẽſum corporis, quod in ſanctis habitat, & ſtipatur ab angelis, & alimentũ accipit ambroſiam? Nam animæ quidem incorporei communione, etiãſi ad ſummam peruenerint impatibilitatem, vix frui potuerint Angelico nutrimento, etiãſi cibum Angelorũ rationem quæ falli & errare non poteſt ſcriptura tacitè ſignificet. Hîc autem manus corporeę admirabile quod conſpectũ fuit alimentum accipiunt: & per ipſum immaculata anima impletur donis. O ſummã puritatem. O aſcenſum ætatis, quales ſcalas honeſtatis ſtatuit ad cœleſtiũ altitudinẽ, per quas verbum deſcenſu nouo ad nos deſcẽdit, per quas quod inferius erat ſitum terrenum naturæ tabernaculum, aſcendit ad cœlos. Tu autem ô homo, admirabilem & nouam in templo viuendi rationem audiens virginis, noli de eo dubitare. Noli examinare ratione ea quæ capere non poteſt cogitatio. Ne ſubijce comparationi ea quæ ſunt incomparabilia. Vides inauditum naturæ innouationem: & de his dubitas? Vides ipſum Dei verbũ modo ineffabili habitaſſe in eius vtero: & contendes, fuerit ne alimẽtum materiale an expers materiæ? Vides paterno conſilio ſpiritus in ea adumbrationem: & de miniſterio Angelorum dubitas? Nihil eſt dubiũ ex ijs quæ ſunt caſtiſsimę virginis, ex eius magnalibus nihil eſt quod non ſit conueniens. Omnia à veritate ipſa ſunt confirmata. Oportebat enim diuinum tabernaculum augeri talibus aſcenſionibus. Oportebat agnam immaculatam tali excipi conuiuio, talibus cibis exatiari. Oportebat non in ſanctis ſanctorũ tabernaculi, ſed in ipſo cœlo cœli in prima ætate æducari eã quę his cõſpecta eſt latior, & puritate antecelluit. Oportebat non vnum ſolum ei ſeruire Angelum, ſed decies mille millia eam ſtipare. Etenim quẽ illi minimè poſſunt videre, ipſa mirandum in modum in vtero cõtinuit. Eum qui lucem induit tanquam veſtem in ſuo ſinu comprehendit. Eum qui pugillo continet vniuerſa, virum ſanctum in vlnis continuit. Quis hæc cogitans non de ſua natura magna apprehenderit? Quis non propter hæc mente erectus fuerit ad altitudinem: & ſe exiſtimarit omnibus eſſe ſuperiorem? Quis non propter hæc magnos ſumpſerit ſpiritus, & ſupra ſuam aſſurrexerit humilitatem? Res eſt enim ingentis magnitudinis, & quæ omnem ſuperat magnificentiã. Conſidera enim ad quantã altitudinẽ res noſtræ ſunt euectæ, quæ humilitati proportione reſpondentẽ acceperũt aſcenſionẽ. Cecideramus trãſgreſsione: effecti fueramus indigni prouidentia eius qui nos formauerat, nihil inueniẽtes quo poſſemus errorem excuſare. Corruerat ergo natura: opus habebat eo qui eſſet erecturus. Eum eſt aſſecuta, non per alium, ſed per eum ipſum qui eſt fabricatus. Erectio autem fuit noua & admirabilis, non iuſſu quomodo olim in creatione, ſed diſpẽſatione cõuenienter ſuæ benignitati. Non erigendi munus tradidit Angelis, ſed ſui ſubmittẽdi ſibijpſi cõmiſit partes. Neq; verò ſolùm erexit, ſed etiam aſſumpſit, & quod fuerat aſſumptum in ſede paterna collocauit. Quid ad hanc magnam & ineffabilem cogitabo benignitatẽ? Quibus verbis infinitã laudabo ſubmiſsionem? Quibus laudibus celebrabo virginẽ per quã hæc acta ſunt, per quam lapſus facta eſt

reparatio? Quis honor exhiberi potuerit puritati eius ex æquo respondens: cuius amore captus opifex, ex ea suum cõstruxit tabernaculũ, in quo minimè recusauit habitare, in quo paterna voluntas est impleta? Quænã gloria ei poterit tribui pro meritis, cuius superiorem gloriam præter se ostendet Creator? O donum quod nullo potest honore, vt par est, affici. O pulcherrima pulchritudo omnium pulchritudinũ. O Dei genitrix pulchrorũ omnium summum ornamentũ. Tu casum veteris nostræ nobilitatis erexisti partu tuo, qui est supra rationem. Tu primę imaginis obscuratam speciem restituisti in suam pulchritudinem. Tu primæ parentis dolores in pariẽdo susceptos, tuo partu in gaudiũ conuertisti. Per te paradysum purè sumus consecuti. Per te generis colonia ad propriã rediit mansionem. Per te recessit rhõphea versatilis. Per te quæ erant clausæ delitiarũ portæ fuerunt apertæ. Per te spes Prophetarum ad effectum sunt deductæ. In te finem acceperũnt quæ ab eis dicta sunt. Per te nostræ resurrectionis certa signa tenemus. Per te nos regnũ cœlorum speramus esse assecuturos. Te nostrę salutis habemus adiutorem. Te nostri auxilij habemus defensorem. Te proponimus cuius ore nostra dicatur excusatio. Te nostræ fiduciæ circũferimus gloriationem. Te Christianorum multitudo murũ habemus firmissimũ. Te fideles Reges arma habent valida. Per te bellorũ frangunt audaces impetus. Per te consequũtur trophęa victoriæ. Tu ô Dei genitrix, ne despicias preces eorum qui semper petũt. Præbe manum laborantibus, opem fer eis qui agitãtur tẽpestatibus, seda bellorum fluctus, fac in auras euanescant spiritus eorum qui incessunt iniurijs. Da petitioni conuenientẽ, potes enim, euẽtum. Habes vt mater in filium quæ recusari non potest fiduciam. Habes vires insuperabiles, robur inexpugnabile. Ne immensam tuam clementiã superet multitudo peccatorum. Ne absurda facta retardent tuam quæ verbis exprimi non potest misericordiã. Nam quæcunque fuerit multitudo eorum quæ ignorantur, ea facilem accipit solutionem, si tu solùm volueris. Nihil tuæ resistit 7 potentiæ, nihil repugnat tuis viribus, omnia cedũt tuo iussui, omnia tuo obediunt imperio. Omnia tuæ potestati seruiunt. Te omnibus suis operibus reddidit excelsiorem qui est ex te natus, & per ea quæ in te facit admirabiliter & præter opinionem ita esse confirmauit. Ea potes consequi citra laborem. De ijs absque vllo intercessore compella Creatorem, delectatur petitione, gaudet se rogari, nõ resistit quo minus impleantur. Tuam enim gloriam existimat esse propriam, & tanquam filius ea exultans quasi exoluens debitum implet petitiones. Itaque ergo quoque ô Domina, fretus tua quæ exprimi non potest, potentia & benignitate, ex egenis labris fructũ tibi obtuli, indignum quidem qui offeratur, optimam autem indicat meam voluntatem. Neq; enim meæ solùm vires non assequuntur quod desiderãt: sed magnorum etiam virorum expectationibus ad ipsum accidit, vt id non assequãtur. Accipe ergo non attẽdens opera, sed admittens promptum animi studium. Accipies autem sat scio, vt quæ sis amans bonorũ, reddens pretium pro peccatis: & regno cœlorum dignãs propitiumque reddens patrem, filium, & spiritum sanctum, vnam diuinitatem & regnum, ineffabilem potentiam & dominationem. Quam decet gloria, honor, & adoratio: Nunc & semper & in secula seculorum. AMEN.

7 Vide Sãctæ Dei genitricis præconia, & admirabilem eius potentiam.

ORATIO QVAE TRACTAT A VENERANDO ortu, & educatione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ, & ortu Christi Dei nostri, & quæcunque contigerunt ad viuificum eius decessum. Et præterea quomodo in apertum prolata sit pretiosa eius vestis. Et quemadmodum hæ magnæ opes fuêre Christianis reconditæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

OPortebat re vera virginem, sicut ipsa Dei ad homines venturi inuenta est dignum, & Deo cõueniens habitaculũ, ita nunc illã ad encomij argumentum nobis propositum, dignã linguam esse consecutã, quæ res eius elegãter narraret, & cõuenientem ei laudem afferret. Sed quoniã quò hoc est maius, eo difficilius explicari potest, pro viribus saltem alacri animo dãda est opera, vt texamus eius laudationẽ. Scit enim ipsa quoque filij cedẽs legibus, gratũ habere id quod fit pro viribus. Dicendum est ergo, & diligẽter narrandũ, & vnde orta sit, & quos parẽtes habuerit: deq; educatione eius, & fine vitę. Quinetiã quæcunq; illi cõtigerunt ex diuina prouidẽtia, & arcanis rationibus. Quòd si oratio alia quoq; comprehendit & necessariò persequitur, nõ est à ratione alienũ, quod factũ est: omnia enim ad eam referuntur, eiusq; sunt gloria & encomia. Quorũ narratio nõ erit nobis absq; fide dignis testibus, nec sumetur ex personis quibuslibet, sed quam viri, quibus iure credendũ est, & qui simul cum

doctrina egregiam quoq; vitã attulerũt,diligẽter cõposuerunt.Gregorius,inquam,Nyssenus,Athanasius Alexandrinus, Dionysius Areopagita, & multi alij qui nec sunt vulgaris, vt diximus,eruditionis,& sunt vita admirabiles: Et quod maius est,quam ipsum quoque diuinum refert Euangelium.Iam enim diuinus Gregorius in oratione quę de ortu Christi ab ipso est composita, hæc de ea tractat: Audiui, dicens, arcanam quandam & occultam historiã de ea hæc narrantem: Erat insignis in accurata vitæ quæ est ex lege institutione, & inter optimos apprimè notus pater virginis.Consenuerat autem sine liberis,quòd non erat eius coniux apta ad procreandos filios. Erat verò ex lege quidam honor matribus, quem non adipiscebantur quæ carebant filijs.Imitatur ergo ea quoque illa quæ narrantur de matre Samuëlis. Et cùm fuisset intra templum sanctorum, fit supplex Deo rogans,ne excideret ab ea quæ est ex lege, benedictione, cùm in legem nihil peccaret: fieret autem mater,& Deo 4 consecraret id quod pareret.Cùm nutu autem diuino confirmata esset ad gratiam quam petierat,postquam peperit puellam,eam quidem nominauit Mariam:vt vel ipsum nomen significaret,à Deo datã esse gratiam.Cùm verò iam creuisset puella,vt non amplius opus haberet sugere mamillam,eam Deo tradidit, & promissum impleuit, & ad templum adduxit. Sacerdotes autẽ interim quidẽ,ad similitudinẽ Samuëlis,inter sanctos educabãt puellam. Cùm verò creuisset, consilium ceperunt,quidnam sacro illi corpori facientes in Deum non peccarent. Eam enim legi naturæ subiungere, & eam dare in seruitutem ei qui illam duceret,videbatur absurdissimum. Existimatum est planè sacrilegium, si diuini donarij homo fieret dominus: quandoquidẽ à lege est constitutũ,vt maritus esset dominus coniugis. Vt autem in templis versarentur mulieres cum Sacerdotibus,& inter sanctos viderentur,neq; lege permittebatur, nec res erat honesta. Eis verò de his consultantibus à Deo datur consiliũ,vt eam quidem dent viro nomine desponsationis.Is autem talis esset, qui ad virginitatis aptus esset custodiã. Inuentus est itaque Ioseph,qualẽ quærebat ratio,ex eadẽ tribu,ex quã erat virgo:& ex consilio sacerdotum sibi despondet virginem.Coniunctio autem processerat vsque ad desponsationem,Tunc virgini à Gabriele aperitur mysterium.Erant autem verba mysterij benedictio.Aue gratia plena,inquit,Dominus tecũ. Contraria illi primæ voci,quæ facta est mulieri,nunc verba fiunt virgini.Illa doloribus in partu condemnata fuit propter peccatum: In hac autem per lætitiam expellitur tristitia. In illa partũ præcesserunt dolores: Hîc verò lætitia est obstetrix partus.Ne timeas,inquit: Quoniam enim omni mulieri metũ affert partus expectatio,metũ expellit dulcis partus promissio. In vtero concipies,& paries filium,& vocabis nomẽ eius Iesum. Quid autem Maria? Audi puram vocem virginis. Angelus partum annunciat, & illa adhæret virginitati,non corrumpi iudicans esse præstantius,quàm apparitionem Angeli. Et neque potest Angelo non credere, neque discedit ab ijs quæ statuerat. Est,inquit,mihi prohibita cum viro consuetudo.Quomodo erit mihi hoc,quoniam virum non cognosco? Hæc vox Mariæ est demonstratio eorum quæ arcanè & occultè narrantur. Si enim eam Ioseph acceperat in matrimonium,quemadmodum ei visum est alienum,quòd partum ei antè significaret,si ipsa omnino expectabat fieri mater lege naturæ?Quandoquidẽ carnem quæ Deo fuerat consecrata,veluti quoddã sanctum donariũ,intactã conseruari oportebat. propterea: Etsi sis Angelus,inquit,etsi de cœlo venias,etiamsi sit super hominem id quod apparet,non potest tamen fieri,vt virũ cognoscam.Quomodo ergo ero mater absq; viro? Nam Ioseph quidem noui sponsum,virum autẽ non cognosco. Quid ergo paranymphus Gabriël,qualem thalamum parat puro & impolluto matrimonio?Spiritus,inquit,sanctus superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi. O beatã illam carnem,quæ propter insignẽ puritatẽ,animæ bona ad se attraxit. In alijs enim omnibus vix anima pura sancti spiritus aduentum acceperit: hic autem fit caro spiritus receptaculum. Quinetiam virtus Domini obumbrabit tibi.Quid hæc perarcana significat oratio? Christi Dei virtus,& Dei sapientia,inquit Apostolus. Altissimi ergo Dei virtus quæ est Christus,per aduentũ sancti spiritus formatur in virginitate.Quomodo enim vmbra corporũ cõformatur figuræ eorũ quæ præcedunt, ita etiam character & signa, quibus filij Dei cognoscitur diuinitas,apparebunt in eius qui paritur virtute, vt qui imago,& signaculum, & adũbratio,& splendor primi exemplaris,per admirabiles ostendatur operationes.Et hæc quidẽ diuinus Gregorius.Alia autem & sacrũ Euangelium,& alij viri pij,ac Dei amantes,quos nominauimus, & quorum nominatim non meminimus, verè docent. Hæc ergo postquã Virgo audiuit, statim mente illustrata à spiritu qui ei inhabitabat, lubenter accepit promissum: &, Ecce Ancilla Domini,ait Angelo: Fiat mihi secundùm verbũ tuum:simul & ad Angeli vocẽ ea vtens,qua par est,cautione: & postquam fide digna visa essent ea quæ dicta fuerant,noluit amplius esse incredula:sed illo quidem euasit primæ matris deceptionem,hoc autẽ vitauit Zachariæ incredulitatem,quæ vltrà quàm deceret processit. Atq; Angelus quidem ab ea

4 Vide beatã virginem sub voti emißione esse natam & matrem eius sicut Deo promiserunt,tẽplo illam obtulisse.

recessit. Consecuta est autẽ paulò pòst & Mariæ cum studio ad montana aduentus, & eius in domum Zachariæ ingressus. Magno enim studio contendit gratulari Elizabethæ, vt quæ ab Angelo didicisset nouam eius conceptionem. Accedit ergo, & benignè salutat. Fit autẽ salutatio dulcis exultatio infantis, qui erat in vtero Elizabethæ. Iam enim ex ventre sciebat seruus Dominum, qui erat in vtero: & cùm sensisset eius in mundum aduentum, mirandum in modũ lætabatur. Hoc enim apertè significabat illa exultatio. Non te autem lateat Elizabethæ reuerẽtia, & submissio cum prædictione admirabili. Virginis enim aduentum admiratur, quippe qui eius superaret conditionẽ: Vnde hoc mihi, dicens. Sicut etiã illius filius de Domini aduẽtu in tẽpore Baptismi. Iam verò hanc quoq; matrem & dominam suam nominat, sed etiam benedictam dicit in mulieribus, & eum qui in vtero gestabatur, fructũ vẽtris vocat admirabiliter, vt qui cum viri semine nihil habuisset commune.

Cuiusmodi verò est illa quoq; rursus admirabilis Mariæ prædictio, fore vt celebraretur ab omnibus generationibus? Non enim se beatam prædicat vana mota arrogantia, neque lingua cõmuni hæc loquitur, sed diuino spiritu seruiẽs, & id quod sit in æternũ diuinans. Magnificat autẽ Deum Maria, se & credere ostendens propter vocem Elizabethæ: Beata enim, inquit, quæ credidit fore vt ea perficiantur, quæ ei dicta sunt à Domino: & se ei tam magnæ rei inseruire. Sed hæc quidẽ sic habent. In domo autẽ Elizabethæ circa tres mẽses habitauit Maria: deinde, inquit, reuersa est in domũ suam. Sic enim me docet Euangeliũ. Quid autẽ sibi voluit Mariæ hæc mansio? Fortasse quidem, vt eius rei admirabilis videret exitum, de qua non mediocri tenebatur admiratione. Est autem in more positum, vt virgines secedant, cùm quæ fert vterum est paritura. Oportet enim hoc quoque considerare. Ea de causa cùm iam instaret tempus, vt pareret Elizabeth, & si re vera esset prægnans, recedit tamen, tanquam virgo, & in domũ suam reuertitur. Postquam autem reuersa est, nusquã quidem alibi, sed domi deinceps degebat, donec cognouit iam tẽpus adesse partus.

Cæterùm Iosephũ tumens virginis vterus (nesciebat enim id esse opus sancti Spiritus) in dubias induxit cogitationes. Et ideo eam clanculũ dimittere habebat in animo. Vt qui esset iustus, inquit, & eam nollet traducere: adeo iustus, vt non solùm nollet punire: etiãsi hoc lex iuberet: sed neq; rem vellet propalare, & in publicũ proferre. Hoc enim sibi vult illud traducere. Cùm hæc autẽ, inquit, cogitasset, venit Angelus promptè soluens dubitationẽ. Nihil enim probri, nec contumeliæ eam subire oportebat, quæ ab omni probro & dedecore erat longè purissima. Qualis autẽ fuit vox Angeli ad Iosephũ? Ioseph fili Dauid ne timeas accipere Mariã vxorẽ tuam. Filium Dauid illũ vocans, quidnã vult aliud, quàm ei reuocare in memoriã, vndénam sit Christus processurus? Dicendo autem: Ne timeas, ostendit eum timuisse, ne Deum offenderet, sed adulteram domi suæ haberet. Ea de causa, vxorẽ tuam purè nominat, tollẽs suspicionẽ. Neq; enim si ei omnino fuisset allatũ vitium, vxor illius diceretur. Quòd autem vxorẽ hìc dicat sponsam, tibi persuadeat scriptura, quæ ante matrimoniũ generos vocat sponsos. Quomodo verò pręcipit accipere eam, quæ iam erat accepta, & quæ intus manebat? Clarum est, quòd in animo suo iam dimissa fuerat, & erat extra fores. Visus est ergo ille eam Angeli voce Iosepho modò tradere, qui etiã eam postea in cruce tradidit Discipulo. Quod enim, ait, in ea est genitũ, ex spiritu sancto est: Ex redundanti quadã copia soluit eius angorem. Non solùm, inquit, virgo est intacta à coitu illegitimo, sed etiam natura est præstantior, & hominẽ superat conceptio. Quamobrẽ non est solùm soluendus metus, sed etiam oportet esse plenũ lætitia. Tua sunt hæc magnalia ô virgo: & te glorificans qui potens est, fecit dispensationem rerum admirabilium, & supernaturaliũ. Verùm enimuerò quomodo exitũ habuit prophetia, quæ non defecturum principem ex Iuda, neq; ducem ex fœmoribus illius, donec venerit cui est repositũ, ipsum autẽ esse expectationem gentium (de Christo videlicet hoc dicit) explicare aggredimur. Tunc enim illis aduenit, quãdo deinceps defecerant Iudaici principes, & Romanis erãt sceptris subiecti. Simul enim & Christus nascitur, & fit illa prima descriptio: cùm Romani scilicet dominatũ obtinerent in gentẽ Iudæorũ, & eos suo subiũxissent imperio. Antipater enim pater Herodis, qui postea princeps fuit in Iudæa, vxorẽ duxit ex Arabia Cyprim nomine: quæ eum patrem effecit quatuor filiorum, quorũ erat hic vnus Herodes. Satius est autem, vt quàm apertissimè possumus, rem declaremus. Cùm enim Hircanus frater Aristobuli, post interemptum Aristobulum Pontificem, qui etiam diadema regium sibi imposuerat, vinctus à Pompeio duce Romanorũ, cum filijs Romã turpiter esset transmissus (quo tempore constitutum quoque est, vt Iudæi tributa penderent) cumque postea Hircanus ipse creatus Põtifex ab eodem Pompeio, à Parthis fuisset postremò captus: & Antipater dolo fuisset interẽptus, qui erat pater Herodis, qui fuit postea Rex Iudææ, & nemo esset qui res Iudæorũ obtineret: hic Herodes Antipatri filius, cùm dedisset plurimas Romanis pecunias, & fœdus cum eis iniuisset, obtinet imperiũ. Quænã autẽ huius rei data sit ea occasio, dicemus

dicemus quàm fieri poteſt breuiſsimè. Cùm Auguſtus Cæſar in Ægyptum cum maximis copijs iret ad bellũ,inquam,Cleopatræ (Erant enim in eius poteſtate res Ægypti,vt quæ genus traheret ex Ptolemæis: ſicut etiam videtur Ioſepho) accedit ad eum hic Herodes, & exercitus,& impẽſas ei ſuppeditando,non mediocri ſungens apud eum munere. Cùm autem & Cleopatra,& Ægyptus eſſent in manibus Auguſti,qui iam duodecim annos imperauerat, ipſe Romam reuertens, memor, vt eſt conſentaneum, officij quo in eum vſus fuerat Herodes,ſenatuſconſulto Iudeæ eum Regem eligit,ei quoque impoſito diademate. Qui cùm veniſſet Hieroſolymam,quoniã ſciebat Iudæos non eſſe bene in eum affectos,ſed quòd eſſet alienigena,& alioqui aſper & difficilis, eius ægrè ferre imperiũ,eorum quidem nonnullos occidit, plurimis autem malefecit,ciuitatemq́; & Dei templum ſtolidè & improbè redegit in ſeruitutem.Ille ergo malè vtens poteſtate,quiddam inſigniter ſceleratum adijcit & quod erat ſui vitij apertum indicium. Tribuum enim & familiarum quæ erant in Iudæa,publicas ſcripturas à tempore Eſdræ,rem faciens inuidia plenam & inſania,igni tradit.Scopus autem erat improbiſsimus: nempe ne notũ eſſet Iudæis,ex quanam ij ſunt tribu,& quinam ex eis ſunt indigenæ,& quinam ex ijs quos ipſe ſolebat appellare γιώρας, id eſt,aduenas. Præter alia autem, cùm ſacerdotalẽ veſtem in quodã vaſe repoſuiſſet,viris indignis pecunijs(proh dolor)emptum mandabat pontificatũ. Et hæc quidem iſte. Cùm autem Cæſar Auguſtus quadrageſimum ſecundum ſui Imperij ageret annum, exit ab eo edictum,vt fiat deſcriptio vniuerſi orbis terrę.Abijt itaque vnuſquiſq; in ſuam ciuitatem, vt ibi deſcriberetur. Oportebat enim in deſcenſu eius qui regnat in cœlis, terræ quoque principes conferre munera.Quoniam autẽ edictum,ſcilicet deſcriptionis,vnumquemq; in ſuam compellebat patriam, Ioſeph quoque ei parens,ex Galilæa, ex ciuitate,inquam,Nazareth, venit in Iudæam,in Bethleem ciuitatẽ, quæ eſt ciuitas Dauid. Cauſa verò erat,eò quòd eſſet(inquit)de domo & familia Dauid,hoc eſt,cognatione. Venit autem ad deſcriptionem cum hac ex mulieribus maximè admirabili Maria,quæ erat grauida.Etenim Galilæa quidem eſt quædam regio Paleſtinæ. Nazareth autem eſt ciuitas Galilææ. Rurſus autem Iudæa eſt quædã,quæ ſic dicitur regio: Bethleẽ verò ciuitas Iudææ.Atq; Chriſtum quidem omnes Prophetæ,non ex Nazareth venturum dicebant,ſed ex Bethleem,& forè vt illic pareretur.Ecce enim tibi è veſtigio propoſita eſt prophetia: Et tu Bethleem terra Iuda,nequaquam es minima in principibus Iuda.Et quæ ſequuntur deinceps tibi declaret Euangelium. Quoniã ergo manifeſtum erat omnibus, Chriſtum venturum ex Bethleem: idcirco Ioſephũ & Mariam: qui etſi ciues eſſent Bethleemitę,ea terra dimiſſa(quod multis ſæpe accidit,vt dimiſsis ijs quæ ipſos tulerũt,malint in aliena habitare ciuitate)ipſi quoq; habitabant in Nazareth: compellebat,vt dictum eſt,eos vel inuitos in Bethleem edictum, Deo admirabiliter & præter opinionẽ hęc diſpẽſante,& verſante.Cùm illic ergo fuiſſent propter deſcriptionẽ: Impleti ſunt,inquit,dies,vt virgo pareret:& parit filium ſuum primogenitum, & faſcijs inuoluit eum,qui nullis poteſt terminis circumſcribi: & propterea quòd non eſſet eis locus in diuerſorio,(O tuam ineffabilẽ Chriſte propter me paupertatẽ) in præſepi reclinat eum qui omne alimentũ ſuppeditat, eum qui nequaquã capi poteſt,ea quæ ipſum arcana ratione receperat. Cùm enim multi ex multis locis ad deſcriptionem confluerent(vt eſt conſentaneũ)& loca ſcilicet præoccuparent,& ex eo eos qui poſtremi veniebant,in magnas abducerent anguſtias,illũ ſic cum alijs loco agentẽ præſepe ſuſcipit: illũ,inquã,qui paupertatẽ elegit ab initio,& eam honorauit in ſe ipſo.Sed paſtores quoq;, inquit,erant in hac regione agentes in nocte cuſtodias.Ad quos Dei quoque aduenit Angelus,& eos Domini gloria circunfulſit. Cùm autẽ exterriti fuiſſent ſpectaculo : Timuerunt enim,inquit,timore magno. Angelus timorẽ,vt qui non decenter eos inuaſiſſet, expellit: Nolite timere, dicens: Ecce enim annuncio vobis gaudium magnũ,quod erit vniuerſo populo,non Iudęis ſolis,ſed omnibus.Adijce adhuc apertiorẽ gaudij ſignificationẽ: Quoniam, inquit, natus eſt vobis hodie Saluator, qui eſt Chriſtus Dominus, in ciuitate Dauid.Vt autem à Deo profecta,& vera vox indicaretur,eius ſtatim ſequitur cõfirmatio. Repẽtè enim cum Angelo laus quoq; auditur à multitudine Angelici exercitus dicentis: Gloria in excelſis Deo,& in terra pax hominibus bonæ voluntatis.Quænam verò erant ea quæ tu admirabilis conſeruabas Maria,& in tuo corde conferebas? Num omnino & id quod tibi dixerat Angelus,& quæcunque rurſus dixerunt paſtores, hæc ipſa in tuo corde componens,& cum illo ipſo conferens,videbas omnia ad vnum conuenire,quòd Deus re vera ſit is, qui eſt ex te natus,& te fecit miraculũ,quod cœlo & terra nõ capitur? Qui etiã ſuſcipit circumciſionẽ,confirmans ſuam cum Iudæis cognationẽ,ne illis occaſionem præberet eum negandi.Circunciditur autem octauo die,ſeu die Dominico,quo fuit etiam reſurrectio. Et Ieſus nominatur. Significat verò hoc ſalutem populi. Quod etiam virgini prædicit Angelus ante conceptionem: Et vocabis,inquiens,nomen eius Ieſum.Idemque

Iosepho postea, atque subiungit: Ipse enim saluum faciet populū suum à peccatis eorum. Deinde etiam rursus expectat tempus purificationis. Postquàm enim impleti sunt, inquit, dies purgationis eius secundùm legem Moysi (implementū autem dierum erat dies quadragesimus) tulerunt infanté Iesum in Hierusalé, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam sanctum Domino vocabitur: & vt darent hostiam, secundùm quod dictum est in lege Domini, par turturum, aut duos pullos columbarū. Sed satius fortasse fuerit id soluere, quod videtur repugnare inter Euangelistas. Matthæus namq; dicit Iesum, postquàm natus esset, profectū in Ægyptum: hic autem, diuinus scilicet Lucas, ipsum post quadraginta dies venisse Hierosolymam. Sed nihil dicūt, quod inter se discrepet, neq; quod rei obstet consequētiæ. Cùm enim, postquá natus esset, secundus annus præterijsset, Christus adducitur in Ægyptū. Lucas ergo ea quę interim facta sunt, & quæ prætermisit Matthæus, circuncisionem scilicet tractat & purificationem. Et ecce, dicens, homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, & homo erat iustus, & spiritus Domini erat in ipso. Quinetiam venit, inquit, in spiritu in templum, & ei vlnas præbuit ad eum suscipiendum. Quódnam est auté salutare, quod senex suis vidit oculis? Ipse qui desiderabatur Iesus. Hoc enim nomen significat. Paratum verò fuerat eius mysterium omnino ad saluté, non solis Iudæis, sed mundo etiam vniuerso. Hoc enim sibi vult illud: Omnium populorū: sicut etiam illud: Lumen ad reuelationē gentium, & gloriam populi tui Israël. Vide verò quàm accuratè loquitur Euangelista. Erant, auté, inquit, Ioseph & mater eius admirantes propter ea quæ de ipso dicebantur. Matrem quidem dicens, vt quæ verè esset, & ab ipsa vocans habitudine: illum autem nudo nomine, vt qui videretur quidem pater, non esset autem re vera. Ea quoque ratione ambobus quidem benedixit Simeon: relicto autem Ioseph, alloquitur Mariam solam, vt quæ fuisset ministra diuini consilij: Ecce enim, inquit, hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorū, & in signum cui contradicetur. Quomodo autem à te studiose auditor, accipitur illud: Et tuam ipsius animam pertransibit gladius? Quidnam ergo existimare oportet hunc esse gladium? Num dubitationem, offensionem, tentationem, quæ in tempore crucis tuam, ô virgo, peruaserūt animá? Te ergo ipsam quoq;, etiási desuper Domini pulchrè res didicisti, attinget aliquid. Conuenientius est autem, quòd dolorem ipsum gladij nomine significauerit, qui quidem tempore passionis eam inuasit. Nam id quod dicitur: Vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes, ad discipulos magis quàm ad eam pertinere videtur: nempe quòd post tentationes, & dubitationes, quæ cor eorū concusserunt, non multū temporis intercessit, & velox quædam illuxit à Deo curatio, eorū animos replens tranquillitate, & ad fidem suam confirmans magnitudine resurrectionis. Sed id quod cœpit persequatur oratio, & rursus accipiat ea quæ prætermisit. Cùm enim, inquit, natus esset Iesus in Bethleem Iudæ in diebus Herodis Regis. Vides? Et tempus nobis Euangelista, & locum, & autoritatem similiter significat. Autoritatem quidé, vt eum ab altero Herode discernat, ac distinguat, qui Ioannem interfecerat. Ille enim erat Tetrarcha, hic autem Rex. Locum verò & tempus, nos transmittés ad prophetias. Quarū alterá quidem prædixit Michæas: Et tu Bethleem, dicens, terra Iuda, nequaquá es minima in principibus Iuda. Alterá verò Iacob Patriarcha: Non deficiet enim, inquit, princeps ex Iuda, & dux de femoribus eius. Quomodo autem magis venit in mentem, vt tantum iter conficerent, & venirent ad adorandum infantem, qui erat adhuc in fascijs: idq; cùm esset eius mater pauper, & nullius nominis, & quæ nihil habebat præter solum tugurium? Nunquid planū est Deum eorum animos ad hoc mouisse? Vide enim eorum quoque claram fuisse virtutem, non solùm eò quòd venerint, sed etiam quòd audacter & liberè loquātur. Ne enim existimarentur fuisse suppositi, & viæ ducem ostendunt: Vidimus enim, dicentes, eius stellam. Et viæ magnitudinem: In Oriente scilicet. Deinde etiam addunt insignem fiduciam cùm dicunt: Et venimus ad eum adorandū. Neq; iræ populi, neq; Regis tyrannidis vllam ducunt rationem. Quæ cùm audijsset Herodes, cōturbatus est, inquit. De imperio enim eum metus ceperat. Et ideo ad se quoq; congregat pontifices, & scribas populi, & eos diligenter interrogat, vbiná Christus nasceretur. Considera autem admirabilé rerū dispensationem, & quemadmodum veritas etiá suorum inimicorū vtitur auxilio. Cùm enim interrogarētur Iudæi, vbiná Christus nasceretur, ij: In Bethleem Iudæ, vt res se habebat, dixerūt, & statim testē adduxerūt Prophetam, qui & Bethleem magnificit, & ex ea ducem exiturū, & populum Israëliticū ab eo esse pascendū prædicit. Sic ij qui erant reuerà inimici, necesse habebāt vel inuiti aperire prophetiá, etsi non omné. Quod enim deinceps sequitur, reticuerunt, quod est: Egressus eius ab initio à diebus æternitatis. Cur sic fecerūt? quòd Regi loquerētur ad gratiá. Ille autem quid facit? Clanculū vocat Magos: diligenter perscrutatur stultus tēpus stellæ, quæ apparuit eis, iam aggrediés de medio tollere id quod natū fuerat. Quod quidē

nõn solùm erat amentiæ,sed etiã insaniæ. Cuiusmodi enim erant ea quæ clam cum Magis vocatis loquitur?Ite,& diligẽter inquirite de puero:Postquàm autẽ inueneritis,renunciate mihi,vt ego quoq; veniens eum adorẽ.Euidens & aperta insania.Si enim vera quidẽ sunt verba,& non insidiosa,cur cum eis latenter congredieris? Sin autem vis aliquid sinistrum celare & dolosum,quomodo ne hoc quidẽ potuisti perspicere,quòd sic à Magis deprehenderis malignè & sceleratè gerere, quod quæras latere? Hinc stella eis rursus apparuit, eis dux efficitur,sicut ab initio.Abscõsa enim erat quostquã apparuerat ad Orientem: vt cùm illi ducem perdidissent,necessariò Iudæos interrogarent:& sic res euaderet manifesta omnibus.Postquàm verò vel ipsos inimicos habuêre magistros,eis rursus apparet. Vide autẽ à quàm multis fit eius rei fides.Nam nunc quidem stella,nunc populus Iudæorum:deinde etiam Regis insidiæ,& præterea prophetia,docent id quod quærebatur. Deinde cùm eos rursus stella accepisset ex Hierosolymis, postquam cum Rege collocuti essent,deducit in Bethleẽ,non simpliciter vadens,sed eos trahens & ducens meridie,vt vel ex eo notũ esset omnibus, eam non esse stellã vnam è multis,neque omnino similis cum alijs ordinis.Ideo enim vadens ex Hierusalẽ non prius consistit,donec ad ipsum veniret præsepe.Postquam autem stetit supra puerum,statim constitit.Et propterea quòd nunc quidẽ absconderetur, nunc autem appareret,& deinde cùm apparuisset,rursus staret, ostendebat se esse maioris virtutis,quàm quæ in stellam caderet:& eis faciebat accessionẽ fidei.Certè longè maxima afficiuntur lætitia, quòd & inuenissent id quod quærebãt, & iter non frustra confecissent, & quòd fœtus esset diuinus,& quòd fuissent nuncij veritatis.Quæ quidem omnia sunt illius admirabilis puellæ encomia propter Deũ, qui ex ipsa natus est: & eorũ magnitudine illam vt præcipuam eximunt à mulieribus.Postquàm autẽ fuerũt intra domum,viderunt, inquit,infantem cum Maria matre eius.Quid autem magnum viderunt,quòd eum adorârunt,cùm omnia essent eiusmodi,vt nihil posset esse vilius? speluncámne,præsepe,fascias, an matrem, quæ tanta erat simplicitate? Quid ergo eos tanta affecit admiratione, vt non solùm adorarent,sed etiam dona offerrent, eaq; huiusmodi, quæ ipsum esse Deum,& Regem significarent?Hoc enim sibi volunt,nempe Regem quidem aurum,thus verò Deum, mirrha autem præsignificabat mortem , quam pro me erat subiturus. Quidnam ergo eos mouit? Illud quod etiam effecit,vt domo excitarẽtur,& tantũ iter conficerent:stella omnino,& quæ eorum animis inerat à Deo illuminatio.Sed quid consentaneum erat animo versare matrem,hæc cernentem? Cuiúsnam filij esset mater,ad quem viri tam insignes sic accesserant,stella duce vtentes,qui eũ adorabant in fascijs,& dona offerebant,tanquã ei se conciliare studentes, & sibi aliquid magnum quod hinc erat secuturum,procurantes. Vel quantum eam gaudere par erat,ac quantum illustrari,quantæque spei fructũ iam percipere non ex his solùm,sed ex illis etiam quæ præcesserãt,admirabilia colligente? Hæc puer ille dat ei præmia,sic opponit humilibus ea quæ sunt illustria:ne solam videns speluncam, & tugurium,& præsepe,& viles fascias,parua,vt consequens,videbatur,opinaretur & distraheretur cogitationibus:sed vt & hæc magna considerans,rursus in altum extolleretur, & propter hunc nouum partum se posse beatam ducere.Quod enim ab initio consueuit Dominus facere,vt quæ sunt vilia & humilia extollat præter opinionem,sicut econtrà,vt ea quæ sunt superba, deprimat : hoc quidem certè videretur etiam facere in seipso . Sed cur Magis est imperatum, ne rursus redirent ad Herodem? Et quorsum illa abiecta, & minus decora in Ægyptum fuga Christi, perinde ac si non posset aliter esse saluus ? Futurum est enim, inquit, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Num vt per hæc parua & humana,& cerneretur ipse carnẽ sumpsisse,& dispensationis illius crederetur magnitudo? Maximè:propterea nec primò statuit in omnibus facere miracula.Quæ enim ab initio facta sunt,propter matrẽ omnino facta sunt,propter Ioseph,propter pastores, propter Magos.Qua de causa Magis quoque datũ est responsum,ne reuerterentur ad Herodem,vt & doctores citò mitterentur in Persarum regionem, & Tyranni furor interrumperetur,sciretq; se ea aggredi,quæ effici non possent.Quòd si non euasit melior,non in eum qui hæc prouidit,& qui hæc eo fecit consilio:sed in summam illius insaniam culpa est conferenda. Pręterea vt tu quoque qui ex Christo viuere elegisti,non paruas ad philosophiã ex eo inuenias occasiones : nempe vt statim ab initio expectes tentationes, & sis paratus aduersus insidias. Iubetur autem assumere puerum & matrem eius , & fugere in Ægyptum . Non sicut prius.Nam tunc quidem dicit vxorem tuam:nunc verò hanc vocat matrẽ,cùm esset egressus partus,& emota suspicio.Fugæ autem causa est metus insidiarum.Vide ergo rursus cum magnis & suspiciendis coniungi humilia , & cum iucundis ea quæ sunt molesta. Post illam per stellam deductionem : post illorum tanquam Regi, vel potius tanquã Deo exhibitam adorationem , & donorum oblationem , in eo fuit metus mortis & fuga occulta . Et de quo prius renunciatum fuerat fore , vt saluum faceret populum , ne se

quidem videtur posse saluum facere. Quæ quidem quomodo rursus animum virginis affecerunt? Et quid consentaneū est eam interea cogitasse? Sic etiam in omnibus sanctis consequenter inuenies, cum ijs quæ sunt ex animi sentētia, misceri quoq; molesta. Verumenimuerò sic quidem Christus venit in Ægyptum. Herodes autem cùm à scopo aberrasset, in infantes, qui nullam fecerant iniuriam, tota ira erumpit, eo modo eos vlciscens qui illum illuserant: vel potius propter suam in Christum insaniā, quam concepit ob metum Regni, communiter aduersus omnem irruit naturam, & interficit omnes infantes, qui erant in Bethleem, in hac vniuersa cæde infantium, existimans se & vnum illum omnino assecuturum, & vt ille solutus esset à metu, omnes lugere procurans immisericorditer: quòd vel in rebus inanimatis abstinuisset facere alius, & teneras plantas aspiciens, misericordia ductus eas noluisset excindere. Sed videte vos qui imperiū amatis, & estis à vana superati gloria, in quantam ea insaniam adigat amatores, & quónam eos ferri persuadet, & quænam eos cogit facere. Hanc autem infantiū cædē Hieremias quoque multis antè annis prænunciat, & prædicit tragœdiam, & introducit Rachelem flentem suos filios, & consolationem minimè admittentem. Quocirca non ignorante scilicet Deo hęc fiebant, sed & sciente, & valente quidem arcere, permittēte autem arcanis quibusdā rationibus. Sed Herodes quidem percipiens eorum quæ fecit fructus conuenientes diuinitus immissa plaga, toto corpore sauciatur, & verè malus malè perit, eius Regno in quatuor partes diuiso: Archelao quidem imperium obtinente in Iudæa: Herode autem, & Philippo, & Lysania: illo quidē Galilææ, hoc verò in Iturææ, & Trachonitidis, postremò autem Tetrarchatum sortito Abilinæ. Postquàm autē excessit Herodes ex humanis, Angelus rursus in somnis Iosepho apparet in Ægypto, & iubet infantem accipere, & proficisci in terrā Israël. Quàm multæ ô Christi mater, fuerunt tibi casuum inæqualitates? quàm multæ rerum mutationes? Ecce enim rursus quidem fuisti soluta ab exilio, & ad propriam reuerteris regionem: & eum qui tibi malè facere aggressus fuerat, ipsa potius eum vidisti malè perijsse. Cùm domum autem venisses, rursus inuenis malorum successionem: & vides filium Tyranni, qui fuit tui filij (proh dolor) insidiator, pro eo regnantem. Sed rogauerit quispiam ex studiosis, quomodo Archelaus Iudææ imperabat Pontio Pilato tunc præsidente? Num quòd nuper decessisset Herodes, & nondū in multa regnum esset diuisum, illius filius interea habebat imperium? Non est autem Euangelistæ superuacanea patris quoq; adiectio. Pro Herode enim, inquit, patre eius: vt scilicet eum à fratre distingueret, vt qui ipse quoque Herodes vocaretur similiter. Venit ergo Ioseph Nazareth, vt qui in somnis responsum accepisset (ita enim diuinus ait Matthæus) simul & periculum fugiens, & volens habitare in patria. Vt autem posset magis confidere, responsum accipit ab Angelo. Atqui non dicit Lucas illum venisse ex responso, sed cùm omnem implessent purificationem, statuisse rursus reuerti Nazareth. Quomodo ergo est à nobis soluenda controuersia? Quòd tēpus, quod fuit ante descensum in Ægyptum, narrans Lucas (neque enim ante purificationem eos illuc duxisset, vt nihil omnino fieret contra legem) hæc dicit: Erat enim omnino purificandus, deinde venturus Nazareth, & tunc descensurus in Ægyptum. Deinde cùm sic ex Ægypto redijssent, iubentur rursus in Nazareth venire. Antea enim, nullo accepto responso vt illuc venirent: sed cùm lubenter habitarent, vt diximus, in patria sua sponte hoc faciebant. Cùm enim ascensus non fuisset propter aliam causam quàm propter descriptionem, & nusquam stare possent, eo impleto propter quod venerant, descenderunt in Nazareth. Angelus certè, qui postea eos reddebat quieti, domi restituit. Nec hoc ab re: sed cùm prophetia hoc ipsum multis antè annis significasset. Vt enim, inquit, impleretur quod dictum fuerat à Prophetis, Nazarenus vocabitur. Puer autem, vt ait Lucas, crescebat & inualescebat, spiritu repletus sapientiæ: & gratia Dei erat in ipso. Hæc accipienda sunt, vt dicta sint, quod attinet ad humanitatem. Cùm autem esset natus annos duodecim, ascendit quidem simul cum parentibus Hierusalen, festum Paschæ celebraturus. Cùm verò illud finem accepisset, ipsi quidem reuersi sunt. Iesus autem manet eos latens: Et illi quidem quærebant. Hic verò tres dies latuit. Deinde eis fit manifestus, in templo quidem sedens, simul autem audiens doctores, & cum illis disserens, & in responsis auditores afficiens admiratione. In hoc enim implebatur quod de illo scriptum est: Quòd puer confortabatur spiritu, & proficiebat sapientia & gratia apud Deum & homines, eò quòd multis talis esse declararetur. Latet autem parentes, ne ab eis prohiberetur disserere cum iurisperitis, vt qui scirent eum non didicisse literas, & cauerent ne laberetur in sermone: aut fortasse cauens, ne videretur parentes habere contemptui, eò quòd non parentibus parēret iubentibus ea quę sunt hominibus consequentia. Vide autem quemadmodum ea facit quæ puero conueniunt. Non enim docet legisperitos, etiamsi esset suppeditator sapientiæ: sed audit, & interrogat, vtrumque cum magna sapientia. Sed cur non primò, nec secundò, sed tertiò inuenitur, qui

quæritur à parentibus? Hinc fortaſſe ſepulturam, & quæ poſt tres dies futura erat reſurrectionem præſignificans. Tunc enim cùm ſepulchro contectus eſſet, apparet. Sed quomodo rurſus mater admirabilis à maternis victa viſceribus, & cum magna affectione vocat filium, & tanquam reprehendens adducit eam quæ cum dolore fiebat inquiſitionem? Ecce, dicens, pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ideò cùm illa dixiſſet de patre tanquam de eo qui videbatur, Chriſtus veluti corrigens id quod dictum fuerat, dicit de eo qui eſt verè pater, ei veritatem reuocans in memoriam, & prouidens vt non humi ſerpat, ſed in altum extollatur: Neſcitis, dicens, quòd me oportet eſſe in ijs quæ ſunt patris mei? Sic ſe oſtendit Deum eſſe natura, ſiquidem filius eiuſdem eſt naturæ cum patre. Quoniam autem illud templum patris erat, in ijs quæ ſunt patris ille verſabatur. Quod verbum nondum manifeſtum illis erat. Ille autem deſcendit cum eis in Nazareth, & manſit eis ſubiectus, ex ſe docens honorare parentes, & quod ipſe iuſſerat, hoc primus implens: honorare autem omnino poſt Deum, illiſque eſſe præferendum Dei cultum. Ideo enim eis relictis, manet in templo: remanſerat, oſtendens Dei amorem naturali & paterno validiorem eſſe debere. Sed mihi rurſus vide mulierum ſapientiſsimam Mariam matrem eius, qui eſt verè ſapientia, & arcana cognitio. Conſeruabat enim, inquit, omnia verba hæc in corde ſuo: ſicut etiam prius in aduentu paſtorũ, & ijs quæ illi viſa & audita narrabant. Et tunc Lucas ſimiliter hæc omnia dixit Mariam conſeruare. Non enim ei tanquam alicui infanti attendebat, ſed quæ dicebantur plurimi faciebat: & nihil erat ex ijs quæ ab ipſo dicebantur & fiebant, quod non ea magno ſtudio dignum duceret, & corde diligenter celaret, diuinarum quarundam rerum & arcanarum ea eſſe ſemina, eaſq; illis præmonſtrari rectè iudicans. Poſt hæc baptiſma; poſt quod miracula quoque. Sed (vt diuinus dicit Ioannes) id quod primum fecit (in nuptijs, inquam, aquæ in vinum mutationem) fecit matre præſente. Illa quidem certè prima admonet vinum deeſſe, filio præbens occaſionem, & materiam faciendi miraculum. Is autem quamuis ægrè ferre videatur, & ideo recuſare, facit tamen ea quæ à matre ſuggerebantur, honorãs omnino vt matrem, & veluti ei reddens mercedem, quòd ipſum in aluo geſtauerit. Vide autem hìc quoque Dei matris inſignem moderationem & prudentiam. Nec enim iubet audacter, tanquam mater filio, vt faciat miraculum, ſed eum ſolummodò admonet, idque cum quadam magna reuerentia & ſubmiſsione, & quantum ſufficeret ad ſuam declarandam voluntatem. Quid enim eſt, quod dicit filio: Vinum non habent? Nam etſi ea illum eſſe ſuum cognoſcebat filium, non ignorabat tamen eum eſſe ſuum quoque effectorem. Et ideo ſimul quidem volens oſtendere cuiuſnam eſſet mater, & ſimul etiam referre gratiam ijs qui inuitauerant, prudenter ei ſuggerit miraculi effectionem. Deinde etiam miniſtris: Quodcunque dixerit, inquit, vobis, facite: hoc dicens de filio: iam enim veniebat ad notitiam virtutis filij, vt quæ vidiſſet multa admirabilia, quæ etiam paulatim in corde conferebat, vt rectè cognouimus ex ijs quæ præceſſerunt. Quoniam autem non aliò ſpectat argumentum propoſitum, quàm ſolùm ad oſtendenda virginis magnalia, erit hoc quoque vnum ex ijs quæ illius ſunt bona & præclara, ſi oſtenderimus eam fuiſſe perpetuò verſatam cum filio, & ei ſemper aſſediſſe, & nec in tempore quidem rerum aduerſarum, nec in paſsione fuiſſe ab eo ſeparatam, quando & diſcipuli, & amici, & omnes noti, alij quidem ipſo omnino relicto, ſe in pedes coniecerunt: alij verò, cùm paululum expectaſſent, negauerunt. Itaque quoniam hæc ita ſe habent, alijs relictis, nos ea dicamus. Cùm enim tempus iam adeſſet paſsionis, & ille ſeipſum traderet, & ſtaret in medio eorum, qui in eum cædem ſpirabant, & iam adduceretur ad Pilatum, & ante Caipham ſiſteretur, & ad Herodem mitteretur examinandus, & tandem in eum ferretur ſententia, & cruce condemnaretur, mater, ſicut in alijs ſuperabat mulierem, ita etiam hìc quoque videtur plus quàm mulier, quæ ab illo minimè recedit, ſed propius ſequebatur, nihil timens quod eſſet formidabile: non quòd tantum maternis vinceretur viſceribus, quàm quòd potius diuino induceretur iudicio, adeo vt alias quoque duas, inquam, Marias, vt docet Euangelium, ad hoc adhortata ſit, & vt ſecum verſarentur perſuaſerit, vt quæ eſſent forti & generoſo animo, & vellent adhærere huic ſponſo, qui non videtur: & tamen cùm non cernatur, appropinquat. Erant enim, inquit, mulieres quoque quæ conſequebantur à Galilæa, & miniſtrabant ei: Ea ratione videntur ne abfuiſſe quidem à tempore myſteriorum: ſed cùm duodecim quidem minimè accubuiſſe, fuiſſe tamen eius domus conſequenter participes. Nam diſcipulos quidem, cùm myſteria & humilitatis ſummæ traderet doctrinam, vnà habuit accumbentes: matrem autem iuſsit curam gerere mulierum quæ miniſtrabant, tanquam per eam ipſas benignè accipiens, & adimplens officium humanitatis, & ſimul cum eis veſcens, & ſic pro miniſterio eis referens gratiam. Sic autem vnà quoque ingreſſa eſt in atrium Annæ & Caiphæ, cernens vnumquodque eorum quæ gerebantur, & apud eum quidem

manens,

manens, dum iudicaretur, vnà autem proficiscens, dum adduceretur ad mortem, eorumq; qui ibant egressus & ingressus considerans, & omnium ora attendens, vt sciret quænam in eum ferretur sententia, quinam verò erant ij qui ei assentiebantur, aut qui reprehendebant: vnà autem proficiscens, dum abduceretur ad mortem. Nulli enim obscurum est eam hæc vidisse omnia, quandoquidem in Cruce quoque vnà aderat, quando ab ipso crucifixo filio fuit commendata discipulo. Et ideo licet considerare, cuiusmodi illa esset, quæ hæc difficilia cernebat, & molesta, illusiones, flagella, alapas, purpuræ amictum, coronæ impositionem, contumeliosam traductionem. Oportet quoque considerare, quemnam haberet animum, siue ex filio eam simpliciter iudices naturalem ferentem vim passionis, siue quòd eum cognosceret homine superiorem, admirans summam eius tolerantiam, aut potius vtrumque, adeo vt & naturali flecteretur affectione, & miraculo afficeretur.

Postquàm autem scelerati venerunt in locum Caluariæ, & fixa quidem fuit crux, in ea verò pendebat eius filius, quomodo erat animo affecta, eum videns sic patientem? Quomodo videbat eum nudatum vestibus, qui cœlum tegit nubibus? Quomodo habentem puras carnes clauis confixas? Quomodo non in eius potius carnes tela immittebantur? vt etiam hinc 7 finem acciperet, quod dixerat admirabilis Simeon: Tuam quoque ipsius animam pertransibit gladius. Quomodo sanguinis guttis effluentibus con acerbiores lachrymarum aquæductus fluebant ex illius oculis? Quomodo illum tulit videre in cruce distensum, ipsam, & eos qui aderant, aspicientem aspectu benignissimo? Quid verò irrisiones, quid impia transeuntium scommata, ingratorum subsannationes, probra eorum qui circunstabant? Quæ quidem omnia eam transuerberabant profundius, quàm vlli claui. Et innumerabilibus quidem plagis sauciabatur, stimulis autẽ confodiebatur innumerabilibus. Hoc verò erat ei omnium molestissimum, quòd ad illum quidem accedere, & eum alloqui sitiebat, repellebatur autem à multitudine canum eam circũdantium. Sic enim diuinus ille pater eos prius nominauit. Postquàm autem quæcunque volebant, impleta fuerunt à Dei parricidis, & non expectabát amplius fore, vt ab eis euaderet: cùm proximi quidem amici effugissent, aut potius (vt dicam cum Propheta) à longè staret, ipse autem esset clauis confixus, custodia ab eis omnino negligebatur: Tunc verisimile est Deiparam, sibi data facultate, ad eum accessisse, & intemeratos quidem eius pedes & impressas eis plagas lubenter esse deosculatam, & sanguine miscẽtem lachrymas, oculos & genas attriuisse: cum maximo autem animi motu eum aspicientem dixisse: Quid hęc sunt, ô Domine & Deus? sunt ne hæ remunerationes tuæ inexplicabilis in homines clementiæ? Estne hæc retributio tuæ benignitatis? Ijne quos tu affecisti beneficio tales tibi gratias retulêre? Te purpura induũt irrisionis, quos tanquam filios pater ornasti stola gloriæ: & tanquam aquila nidum tegens, alis expansis suscepisti, & in dorso tuo portasti. Contumeliæ coronam tibi imposuerunt, quos bonæ voluntatis armis ipse coronasti, & vt aduersus inimicos caput tollerent, confirmasti. Clauis tibi dolores afferunt, qui à laboribus Ægyptiacæ seruitutis, & ab innumerabilibus affectionibus sunt liberati. Arundine tuum caput feriunt, quibus mare virga percussum cessit fugientibus. Sed loquere aliquid modicum ad tuam matrem recreandam: non fero enim dolores, quæ te peperi sine dolore. Vbi te videbo postea? Quod erit mihi solatium? Quis mei curam geret, ac defendet? Cùm eam vidisset tam acerbè affectam, & stantem propè dilectum discipulum, illud (sicut erat consentaneum) est omnino elocutus, quod diuinum narrat Euangelium. Eam enim primùm aspiciens: Mulier, inquit, ecce filius tuus: ostendens discipulum. Sic vel cruci affixus curam gerebat matris, & eam commendauit dilecto discipulo, nos docens non negligere parentes vsque ad extremum spiritum: quanquam prius videbatur eam repellere, vt quæ non in tempore ei esset molesta. Quid enim mihi & tibi (in nuptijs inquit) mulier? Et postea: Quæ est mater mea? Hic autem apertam ostendit dilectionem, & discipulo quidem eam commendat, sic consolans: illum autem magis honorans commendatione, & quòd valde eum diligeret, hoc vtens testimonio (Quid enim aliud faciens, aut dicens, illum tali honore est dignatus?) simul quoque quod permansisset, ei referens gratias. Deinde cùm etiam aspexisset discipulum: Ecce, inquit, mater tua. Hoc autem erat coniungentis ad dilectionem, & simul etiam ostendentis amborum authoritatem. Ab eo ergo tempore, inquit, discipulus eam accipit in propriam, intelligens quorsum tenderet oratio, & Domini voluntati syncerè inseruiens. Postquàm autem finem acceperunt omnia: Sitio, inquit Saluator. Qui verò erant veloces ad malum, & ingratorum ingratissimi, ei acetum felle commixtum, qui aqua (proh dolor) in sitis æstu in terra arida sunt potati: & qui melle saturati fuerunt, fel porrigunt. Quorum vua, vua fellis, & ira draconum domus. Sed quomodo rursus illam hæc videntem oportebat cruciari animo? Quando autem mortuum quoque vidit, quomodo tulit, quomodo non etiam ipsam vnà abrupit animam? Quomodo sustinuit videns inimicos,

7 Vides quomodo hic rectè exponat quisnam fuerit gladius, qui Mariæ animam pertransiuit?

inimicos,qui ne post mortem quidem adhuc erant reconciliati filio: sed cædem adhuc in eum spirabant, & gladio eius latus confodiebant? Sed hæc quidé diuinum narrat Euangelium. Dicuntur auté hæc quoq; à linguis quæ plurimi faciunt veritatem,quòd cùm hæc noua & admirabilia percepta essent oculis Deiparæ, & post mortem filij,perinde ac si viueret,ex eius latere aqua & sanguis scaturiret,illa eum quidé haurit reueréter & diligéter. Deinde ea sic se totam dedit parandæ sepulturæ, & quemadmodû diuinum illud corpus è ligno deponeretur,& aptum monimentû consequeretur. Cùm auté non posset hæc per se efficere,eius menté mouet omnino eius filius,vt scrutaretur in loco caluariç. Quod cùm factû esset,concedit vt eius scopus facilè succederet. Inuenitur enim quoddá monimentû recentissimum & pulcherrimû,& elegans locus,in quo erat situs,illo quidem nequaquam dignus. Quid enim omnino ex rebus terrenis? Sed non indignus eius quæ quærebat desiderio. Atq; erat quidem sepulchrû planè,vt dixi,nouum & omnino intactum,vt in quo nullû adhuc esset sepultum: ne si alia posita fuissent corpora,dubitaretur quodnam resurrexisset: & locus in optimo aëre positus,& in horti specié ornatus. Postquàm auté sciscitata intellexit,non solùm esse amicû horti Dominû,sed etiam discipulû,verùm occultum (hoc enim docet Euágelium) vt qui Dei timeret parricidas,venit ad eum virgo,& verbis ei suadet accommodatis,vt in suo monimento,tanquam in aliquo armario magnam vim opum reponat, & sic domum custodientem apud se vitam habeat. Finem enim, inquit, acceperunt res aduersariorû,& maximè probrosam hi mortem magistro attulerunt,nulla quantumuis magna iniuria & ignominia in eum prius prętermissa. Cæterùm nunc quoq; in ligno iacet mortuus,& nudus mihi, & creatæ naturæ horrendum spectaculû,vt quem potius irrideant,quàm eius misereantur. Da ergo mihi gratiam,& communi,inquá,huic magistro. Audacter pete illius corpus,vt deponatur,& mandetur sepulturæ,si non etiam post morté sit illis Iesus inuisus. Sic nobis omnibus magnam afferes consolationem, qui in omnem redacti sumus egestaté, & quorum nemo mouetur misericordia: Amici enim mei, & propinqui mei ex aduerso appropinquauerunt, & steterunt: Et proximi mei à longè steterunt. Ex me non possum quicquam facere, vt vides, cùm sim sola,& hospita, & cum vno solo ex discipulis attenta sim crucifixo. Sic mihi sistes dolorem, sic reprimes lachrymas.

Cùm Iosephum Deipara talibus verbis inflexisset,& incitasset,emittit ad Pilatum. Ille autem expulsa omni timiditate, & ab illo qui mortuus vitam inspirat mortuo, audacia inspiratus: Audacter (inquit Marcus) ingreditur ad Pilatum, & ijs vsus quibus opus erat verbis,petitum accipit diuinum illud corpus,& cui nihil potest exæquari,ostendens animum Iudæ tanquam ex diametro contrarium. Nam ille quidem cùm haberet,tradidit ijs qui erant interfecturi: hic autem ab ijs qui interfecerant,petijt & accipit. Verumenimuerò rursus persequatur oratio, quomodo mater se haberet. Dicunt enim ij qui de his rebus tractârunt,eam ab initio vsque ad finem se fortiter & constáter gessisse,honestè quidem, & non indecorè vtentem motu animi,factis tamen ostendentem se esse matrem,sed omnino matré illius,qui amico mortuo & ostendit amorem,& motum animi certis finibus continuit. Mortuum itaque videns filium,ea motu animi vsa est,vt oportuit. Quinetiam in eo à cruce deponédo maternis manibus inseruijt, & clauos qui extrahebantur,suo sinu accepit, & membra illius amplexa est, partim quidem vlnis stringens, partim autem suis quoque lachrymis plagas emundans,deinde etiam tota toti corpori circumfusa. Ecce tibi ab omni seculo præfinitum mysterium ad finem vsque venit, ô Domine,placida voce dicit: Et Iosepho in manu tradens syndonem: Tibi autem,inquit,deinceps erit curæ,vt in hac eum honestè cõponas,myrrhaq; pulchrè condias,& ei iusta facias. Cùm sic ergo nouo monimento diuinum corpus tradidissent, Ioseph, & qui cum eo erat, Nicodemus,& alij qui cum eis aderant,ipsi quidem statim recedunt à sepulchro: mater autem sola remansit sepulchro adhærens,minimè dormientibus oculis perseuerans. Nam etsi Mariam Magdalenam Matthæus ex aduerso cum altera significauit adesse, solùm tamen ad videndum venisse innuit, neque ausas esse accedere eo tempore quo mandabatur sepulturæ. Certè namque eis succurrit, vt recederent propter metum Iudæorum, & aduentum custodiæ. Inquit enim ipse Matthæus: Vespere autem sabbati quæ lucescit in prima sabbati, venit Maria Magdalenæ, & altera Maria videre sepulchrum. Non dixisset autem venisse quæ remansissent,nisi eæ quoq; similiter vt cæteri recessissent à monimento. Atq; alij quidem alterá quæ dicitur,Mariá quá ipse dixit qui præcessit,& Marcus clarè aperit dicés: Maria auté Magdalenę,& Maria Ioseph aspiciebant,vbi poneretur: alij verò Mariam quæ appellata est Iacobi, existimârunt esse Deipará,non rectè, neq; accuratè veritaté coniectantes. Vbiq; enim in Euangelijs ipsa post arcanû illum ortum apertè & propriè nominatur Mater, & hanc omnino maximè notam habet appellationem. Accipit (inquit) infantem, &

matrem

matrem eius. Et rursus erat mater Iesu illic. & alibi, Dicit mater eius ministris. &, Descẽdit in Capharnaum ipse & mater eius. &, Mater tua & fratres tui steterunt foris. Quinetiam steterunt ad crucem Iesu mater eius, & soror matris eius. Habes, si vis, etiam Lucam in Actibus suffragantem ijs quæ sunt proposita. Hi omnes erant perseuerantes in oratione cum mulieribus, & Maria matre Iesu. Et in summa difficillimè inueniri potest, eam esse aliter nominatam, aut ex patre, aut ex aliqua alia cognationis habitudine, vt diximus. Quocirca nulla ex his illa est. Nam aliæ quidem tota nocte ad sepulchrum ingressæ sunt & egressæ, vt ea quæ fiebant Apostolis nunciarẽt. Quamobrẽ nec eis cõtigit videre plura miracula resurrectionis. Illa autem quæ indiuulsa asidebat sepulchro, omnia vidit apertè: & non statim, sed postea protulit in lucẽ, & renunciauit. Nam quomodo simul terræmotum, & Angeli in momento temporis descensum, & lapidis reuolutionem, & custodum profundum soporem, & expergefactionem, & quorundã in vrbem reuersionẽ potuissent abeuntes mulieres, & rursus reuertentes integrè perspicere? Sed clarum est hæc fuisse materni & ardẽtis amoris, quæ perpetuò asidens, & acriore spiritu vigilans, omnia perfectè vidit, vt se habebãt, quòd ne tantillũ quidẽ, vt diximus, à sepulchro recesserit, donec ipsam viuificã vidit resurrectionem. Nam lapis quidem reuolutus, & Angelus ei insidens ab alijs quoque visus est mulieribus. Quando autem & quemadmodũ hæc facta sunt, illæ quidem omnino nesciebant: ipsa verò sola, vt quæ asideret, omnia accuratè perspexit. Videntur ergo ei primæ esse dati boni nuncij Resurrectionis: & quoad eius fieri potuit, ab ea conspectus fuisse splendor filij. Sed sic quidem Dei mater, & ipsa clarius aspicit filij resurrectionem, & eius prædicatores de ea magis confirmat, quàm eæ quæ vnguenta attulerunt: etiamsi, dum loquerentur de Domini resurrectione, nullam eius mentionem fecerint, cauentes fortasse maternum afferre testimonium, ne videretur suspectum, & propter coniunctionẽ fides ei minus haberetur. Sed Deipara, cùm filij resurrectionẽ & visu & internis oculis sic accepisset, postea habitauit cum dilecto discipulo, expectans tempus Christi assumptionis. Postquam autem finem accipere oportebat quæcunq; ad carnis susceptæ pertinebant œconomiam, & ita in cœlum extolli quod assumptum fuerat, amicis apparens Saluator (Non enim sæpe post resurrectionem spectabilem se illis præbebat) & multa alia cum eis disserit, & boni spiritus aduẽtum annunciat. Deinde etiam cùm eduxisset parum extra ciuitatem, & illos, vt eum decebat, impertijsset benedictione, videntibus ipsis in cœlum extollitur. Sed ne ea res ipsis afferret molestiam, & dolorem eius procrearet magistri priuatio, eius quoque curam gessit bonus pastor. Ad eos mittit Angelos, qui & illius ascensum explicarent, & eos ineffabili & admirabili implerent consolatione. Cùm autem adorassent, rursus domum læti sunt reuersi, simul quidem agentes in superiore cœnaculo, sicut constitutum fuerat, & paracleti expectantes aduentum. Erant autem in oratione vnanimiter perseuerantes. Sicut etiam Lucas Euangelista narrat. Cùm enim nominatim Christi enumerasset discipulos, deinde subiungit: Et hi omnes perseuerabant vnanimiter in oratione & precatione, cum mulieribus, & Maria matre Iesu, & cum fratribus eius. Semper enim ipsa quoque cum eis conuersabatur, à rebus pulcherrimis, & honestissimis nunquam omnino desistens. Postquam autem in tempore Pentecostes Apostoli impleti diuina gratia paracleti, ad Euãgelij doctrinam alius aliò mittebantur, & iam prædicatio fidei annunciabatur, Virginẽ, vtpote dilecto discipulo, & virgini commendatam, quæ erat in Sion eius domus, eam habebat illic degentem, cui tanquam matri Dei honor ab omnibus exhibebatur. Cùm verò & mortis eam participem fieri necesse foret (cur enim hoc passura non esset, quamuis Dei filius ex ea genitus re vera esset homo) cùm, inquam, ætate prouecta ad multam senectutem peruenisset, & peregrinationis tempus præsens esset, per Angelum se migraturam esse à filio edocta est, sicut antea, quo tempore in eius ventrem ingressurus erat, nunciatum illi fuerat. Cùm igitur excessus sui mysterium didicisset, eam rem lætitiæ tantæ, quanta verbis explicari non potest, materiam iudicans (Quid enim illi suauius euenire poterat, quàm cum filio suo esse, & vnà regnare?) statim iussit plurima domum lumina afferri. Idque factum est. Tota verò domus mundata est. Lectus item & thalamus ornabatur, & conuocabantur quotquot erant cognati & vicini, vt cum ea lætitiæ fierent participes. Deinde parata erant omnia ad excessum. Significat itaque ijs qui conuenerant id quod ei filius per Angelum nunciauerat. Ostendit autem brauium quod sibi ab eo datum fuerat. Id verò erat ramus palmæ, vt linguæ assuefactæ vera loqui de eo dixerant: signum victoriꝰ mortis, & vitæ imago immortalis. Sicut etiam Hebræorum pueri id eius faciebant filio inspirati diuinitus. Illi enim appropinquanti ad passionem ij ramos palmarum offerebant, eum futurum victorem mortis antè significantes. Cùm autem iam adesset tempus excessus, illa quidem veræ vitæ mater in Sion iacebat in grabato: aderat verò is qui eam domo exceperat, Ioannes. Aderant etiam

qui-

quicunque erant electi in Hierusalem, amicæque & cognatæ simul astabant. Virgo ergo ad Ioannem aspiciens virginem, cùm pauca cum eo esset locuta, deinde: Duas, inquit, tunicas, quas toto vitæ tempore habui tegumentum mei corporis, eas dari iubeo hisce duabus mulieribus. Hæc illa quidem dixit. Qui aderant verò vidêtes signa decessus, ex oculis multas fundebant lachrymas. Quis enim tali priuari muliere tulisset sine dolore? Deinde è cœlo quidem descendit eius filius, illius diuinam assumpturus animam. Per nubem autem suos congregat Discipulos, vt venerandum eius corpus mandarent sepulturæ. Postquàm verò vidit eos Deipara, cognouit autē causam propter quam omnes statim accersiti fuerant, & vniuscuiusq; audijt petitiones, eos quidem, vt par erat, impertijt benedictionibus. Cùm verò omnibus dixisset verba quę in decessu dici solēt: Vos, inquit, valete filij: meum autem hinc decessum ne luctu, sed lætitia potius prosequimini, quandoquidem vobis est persuasum nos transire ad gaudium, & videte vt corpus meum mandetis sepulturæ in hac figura, in qua ego me composuero. Hæc est enim, inquit, mea volũtas. Accersit autem Petrum, deinde alios: & cùm lucernas ipsi accendissent, illa in spiritu exultans, diductis labris: Benedico tibi, inquit, datori omnis benedictionis, causæ luminis, qui meũ vētrem inhabitasti. Benedico tuæ charitati, qua nos dilexisti Domine: & magnifico verba tua, quę nobis data sunt in veritate: & credo mihi affutura quæ dixisti. Cùm sic dixisset, se reclinat in lecto: & manibus in altum sublatis, cùm nulli reprehēsioni affine suum corpus in honestam & decoram figuram composuisset, & os venerandum aperuisset, etenim videbat iam Dominum ad ipsam veniente cum multitudine Angelorũ, tota impletur gaudio & voluptate. Et cùm rursus dixisset: Fiat mihi Domine secundùm verbum tuum, emittit tanquam in somno spiritum, & eum in amicis deponit filij manibus. Ne autē videatur esse inane quod dictum est de congregatione Apostolorũ, quę facta est in dormitione virginis, satius fuerit ea summatim addere, quę à Dionysio Areopagita dicũtur in tertio libro. Et caput quidem; Quæ sit vis orationis: & de beato Hierotheo, de pietate, & de Theologica inscriptum est cõscriptione. Dicuntur autem ea cuidam Timotheo Ephesi Episcopo. Ea verò sunt in hoc capite sic ad verbum posita. Quandoquidem apud ipsos quoque nostros à Deo afflatos sacrorum principes, quando nos quoq; (vt ipse nosti,) & multi ex nostris sacris fratribus ad videndum corpus, quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit conuenimus (aderat autem Dei quoque frater Iacobus, & Petrus, qui erat Theologorũ suprema & antiquissima summitas) visumque est, vt post illud spectaculum, omnes sacrorum principes hymnũ canerent, & laudarent prout poterat vnusquisque infinitam bonitatem diuinarum virium: post Theologos ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorũ, vt qui plane excederet, & à se omnino abduceretur, & in ea quam hymnis celebrabat, afficeretur societate & communicatione, & ab omnibus à quibus audiebatur, & videbatur, & cognoscebatur, & nõ cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorum. Et quid tibi amplius dixerim de ijs quæ illic de Deo diuinè dicta sunt? Etenim, nisi sum mei quoque oblitus, scio multos à te audiisse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Sed hæc quidem sacer Dionysius. Nobis autem pergat oratio ad ea quæ deinceps sequuntur.

Cùm autem in orbem sanctum virginis corpus circumdedissent Apostolorum chorus, & quicquid erat electũ ex viris & mulieribus: & hymnis honorabant qui illud deducebāt, & omnia membra reuerenter simul & amanter amplectebantur, non solùm suum ostendentes desiderium, sed vel ex tactu credentes percipere vtilitatem. Fidem autem consecuta quoque est operum demonstratio. Cœcis oculi illuminabantur, surdis aures aperiebantur, claudis bases pedum confirmabantur, & quodlibet morborum & ægritudinum genus facilè dissoluebatur. Cur non dico quę sunt perfectiora? Aër quidem & cœlũ ascensu spiritu sanctificabatur: terra autem similiter depositione sacri corporis. Cęterùm nec aquæ quidem natura erat expers benedictionis: sed ipsa quoque lauacro purissimi corporis fuit particeps sanctificationis. Neque enim illud habebat opus purgationibus. (Quis enim hoc diceret, nisi emotæ mentis?) Sed suo contactu potius sanctificabat id quod attingebatur. Deinde quid? Mundis syndonibus mundum corpus inuolutum rursus in lecto ponitur. Deinde cũ [8] lucernis & vnguentis intelligentibus quidem desuper laudãtibus virtutibus. Apostolis autem, & diuinis patribus Deo digna cantica canentibus, diuina arca ex Sion vecta Apostolicis manibus, & humeris, ad Gethsemane sacrum prædium exportatur, Angelis, vt est consentaneum, præcurrentibus, circumcursantibus, sequentibus, Angelicis pennis adũbrantibus, longè, inquam, splēdidiore & venerabiliore facta deductione, quàm propter translationem veteris illius arcæ testamenti Domini, vt sacra narrant eloquia.

8 Ecce quã splendidum & quàm honorificũ funus immaculatæ virginis, ducitur cum lucernis, vnguentis, hymnis, & canticis etiã Angelicis, ipsis Domini Apostolis lectum corporis deferentibus.

Accidit huic pulchræ, & diuinæ rei graue quidem quid & odiosum, non tamen silentio, sed memoriæ mandandum, & ad gloriam quidem & laudem piorum, dedecus autem improborum, qui infidelitatis malum semper sectantur. Cùm hoc sacrum & impollutum

X corpus

corpus in Gethsemane efferretur, vbi sepulchro tradi Deipara ipsa præceperat: Iudæis qui semper fuerunt repleti inuidia, ne in hoc quidem succurrit tacere, sed ad eius quod fiebat splendorem claudere oculos, & ad eis innatum motum animi irrumpere. Qui erat ergo alijs insanior, & impudentior, & is, cùm venerandum portaretur grabatum, in id irruit plenus incōsiderato impetu & furore. Eius autem scopus erat, hunc sacrum lectum in terram allidere, & tali afficere iniuria, vt qui esset vir insigni audacia. Non neglexit autem diuina iustitia, sed manus quæ grabatum apprehēderant, ex vlnis protinus fuerūt abscissæ. Verùm quæ in partu gaudio totum orbem terrarum repleuerat, non erat vlli omnino in morte futura causa molestiæ. Cumque qui passus fuerat, esset quidem improbus, ne tamen omnino eius improbitas videretur insanabilis, ex his quæ erat passus, iustam eorum quæ malè senserat, petijt pœnitentiam. Et quoniam carebat manibus, nec eas poterat ad preces extendere, emittit lachrymas ex oculis, & sic petit curationem. Disciplinam autem vide simul & medicationem. Statim enim ij quidem qui lectum ferebant, constiterunt: Accedit verò is qui passus fuerat sectionem: & quæ amputatæ fuerant, partibus vlnis applicatis (hoc autem iusserat Petrus) statim consecuta est manuum curatio.

Hinc ad sacratissimam abducitur Gethsemane, & illic sanctissimum quidem corpus mandatur sepulturæ. Quidni enim, cùm etiam qui erat Deus, eius filius more hominum sepelitur? Per ipsum autem ad cœlestia & diuina transmittitur tabernacula. Quod dicimus, confirmat Iuuenalis diuinus Hierosolymorum Episcopus. Fuit autem hic vir sanctus, & à Deo inspiratus, qui ab antiqua & vera traditione narrationē dicēs ad se sic fuisse deductam, ait: Quòd tres totos dies ad sepulchrum sancti permanserunt Apostoli, diuinas hymnodias ex alto audientes. Deinde post tertium diem, cùm vnus ex Apostolis tardius venisset ad exequias, vel quòd ita contigisset, vel quòd diuinum ita prouidisset consiliū, vt nota esset omnibus trāslatio admirabilis, tunc & ipse quidē accessit, & vt est consentaneū, magnum ex eo cepit dolorem, quòd tanti boni māsisset expers, idq; omnino tolerare non poterat. Sacer itaque ordo Apostolorum non iustum esse iudicans, vt ipse quoque viuificum illud corpus nō videret, & amplecteretur, iubet statim aperire sepulchrum. Et illud quidem fuit apertū. Thesaurus autem nequaquā erat in eo: sed solæ erant vestes, in quibus fuerat conditus, quomodo etiā eius filij in resurrectione. Quas cùm ipse esset amplexus, & qui cum eo aderant, & repleti essent inexplicabili odore & gratia, rursus quidē claudunt sepulchrum. Miraculum autem posteris filius à patre accipiens deinceps tradit. Atque viuifici quidem corporis diuinæ sepulturæ ita se habet narratio. Siquidem quod ex ea natū erat, totā eam verbū ad se trāstulit, & voluit eam apud se & esse, & perpetuò simul viuere. Verumenimuero pro eius impolluto corpore suam vestem, boni nostri magnam semper ducens rationem, veluti quandam dat huic ciuitati hæreditatem. Quemadmodū autem hoc factū sit & quomodo beatū illud donū ad nos venerit, & sacrosancto hoc thesauro ditata sit Cōstantinopolis, iam declarabit oratio. Leo ille magnus, qui illo tempore optimè Romanorum administrabat imperiū, duos sub se habebat, qui curā gerebant exercitus, quorū vni quidem erat nomen Galbius, alteri autē Cādidus, fratres genere, fratres virtute, & vt semel dicam, in cæteris quidē valde insignes, & paucis similes: sed vnum eis deerat, idq; maximū. Siquidem non rectam habere fidem, est laborare in rebus maximis & præcipuis: Arrianæ enim pestis erant participes, cùm ex paterna fortè traditione malum hoc tanquā quædā hæreditas, ab eo venisset. Dicebantur enim fuisse proximi genere Ardaburio, & Asperi, qui illis temporibus in regia obtinuêre tyrānidem: quos cum Arrio sensisse apertè arguit veritas. Verumenimuerò Galbium & Candidum, qui alioqui se rectè gerebant, & Deo placebant, non siuit diuina gratia non esse illuminatos in eo quod est præcipuū salutis: sed eos ab errore traducit ad veritatē adeo cōstanter & stabiliter, vt nō solùm rectè se haberēt, & tuti essent, quod attinet ad pietatem: sed etiam alios, quos nossent non recto pede ingredi ad veritatē, studerent pro viribus efficere, vt eiusdem essent secū sententiæ. Ij cùm piè essent affecti, magno quoque & excelso animo se dedūt misericordiæ exercendæ in pauperes, vt qui pro agnitione veritatis satagerēt Christo reddere gratias. Castissima ergo mater illius magni Dei & Saluatoris nostri, sacrosanctum thesaurum, nempe suam vestem, volens suę largiri ciuitati, vt hoc fiat, per dilectos illos viros prouidet quodā modo diuiniore. Modus autem ita habet. Immittit eis desiderium adorandi sancta loca, quæ sunt Hierosolymis. Quod planè & ab illis factum est. Cumque Leoni & Verinæ rem aperuissent, comitatum non exiguum eorum familiarium & amicorum secum adduxerunt. Cùm autem iter ingressi essent, & iam venissent Palœstinam, viam quæ ducit in Galilæam pręferunt maritimæ, pluris facientes contēplari Nazareth & Capernaum, quàm maritimis frui delectationibus. Ex quibus illa quidem fuit sacrum Deiparæ habitaculum, & in ea multo tempore vidit Deum Verbum ex se genitū. Hæc autem eius filij charum & consuetū diuersorium.

Cùm hic ergo fuiſſent, vt diximus, quoniam non permittebat tempus, vt vlterius progrederétur (Iam enim erat veſpera,& nox obſcura:prouiſum autem omnino hoc quoque fuerat diuinitus) vicus quidem eos excipiebat,iſque paruus: In eo auté habitabant & alij non pauci,& muliercula quoq; quędam inſignis caſtitate,& planè honeſtiſsima & moderatiſsima:quę propter profundū quidem ſenium & canos honorata,ſed propter magnum virtutum ornamentum longè honoratior erat.Apud eam autem veſtis,diuinus fuerat hic theſaurus reconditus. Quomodo verò fuiſſet illa tantæ rei cuſtos, niſi & virtutum fuiſſet ornata pulchritudine,& animi puritate?Quanquam enim Hebręa quidem erat illa mulier (eſt namque amica veritas)illius tamen animam locū dixiſſes,qui eſt in præſentia quidem obſcurus, aptus eſt autem ad lumen excipiendum,& valde accommodatus. Diuinū verò erat in hoc quoque apertè conſilium,vt res apud eam mulierem recondita,quæ ſic affecta erat,vt eam totis viribus celare ſtuderet,poſtea in lucem prolata maiorem fidem haberet.

Vide ergo quàm eleganter proceſſerit diuinum conſilium. Nam apud eam venientes excipiuntur hoſpitio Galbius & Candidus ſapientes,eos ſic diuina deducente gratia.Erat verò propter id ſolum,quod in ea latebat,domus admirabilis:alioqui autem nihil habebat magni,ſed erat plana,vilis,& abiecta.Cùm eos autem tēpus vocaret ad cœnam,vbi accubuiſſent,vident interius aliam domūculam,quæ multo quidem lucernarū lumine illuſtrabatur,multis verò ſuffitibus & vnguētis ſuauè ſpirabat:in ea autem ſitam magnam ægrotorum multitudinem.Ex quo diuinū quidem quippiam ſuſpicabantur eſſe, & venerabile, rei tamen veritatē omnino excogitare non poterāt.Inuitant itaq; ad cōuiuium egregiam illam aniculam,cupientes ex ea aliud ſcire eius quod deſiderabant. Illa autem hoc recuſabat,cauſans religionem,& quòd non fas ſit ei,cùm ſit Hebræa,veſci cum Chriſtianis. Illi verò,cùm propter magnam ſitim cognitionis eius quod erat propoſitū,nihil de propenſo ſuo ſtudio remitterent,eam adhuc inuitant ardentius,& illius nō parendi pertinacię obijciūt aliud validius: Quid dicētes,obſtat,ſi cùm tu acceperis cibos,quibus pro more veſceris,nobiſcū quidem colloquaris,ſola autem tuis alimentis vtaris?His itaque paret mulier, & congreditur.Poſtquam autem comediſſent apud eam viri illi,precibus egerūt,vt eis id ſignificare non recuſaret,quænam eſſent ea quæ fiebant in domo interiori. Exiſtimabant enim eſſe aliquid legale,& ex vmbratilibus illis & veteribus. Illa autem ea quidem dicit quæ fiebant, cauſam verò quamobrem ea fierent, minimè perſuadetur,vt aperiat. Videtis enim,inquit,ô viri diuiniſsimi,ægrotorū multitudinem.Etenim cùm Deo ita videatur,in hoc quidem loco dæmones expelluntur: cæcis autem vt liberè videant: claudis vt ambulent: ſurdis vt audiant: & mutis vt loquātur,efficitur mirabiliter: & alij morbi & corporum mutilationes,quæ medicorum artibus nullo ſunt modo medicabiles,curantur facilè. Illi autē(non enim erant imprudentibus hominibus ſimiles,neq; quod interrogare oportebat,ipſi præ ſimplicitate prætermittebant) Vndénam verò, rogabant, principium cepit locus talia operādi?Illa verò:Apud nos,inquit,Hebręos à patribus tradita habetur narratio,quòd Deus in hoc loco viſus ſit cuidā ex patribus, ex quo factū eſt,vt loco hæc ſeruaretur gratia.Hæc cùm ea diceret,illi ei corde minimè aſſentiebātur:ſed videbatur eis muliercula,ſicut res erat,probabilium verborū pulchra ſpecie celare veritatem. Ipſi ergo eam quidem adhuc rogabāt vehementius,vt eis rem,vt ſe habebat, aperiret, reſpiciens,ſi nihil aliud,laborem ſaltem tanti itineris, qui nulla alia de cauſa erat ſuſceptus, niſi vt viderent ſancta loca,& audirent ea quæ à pijs & ſanctis dicuntur hominibus.Illa autem ne ſic quidem cedebat,ſed manebat vt ſtatuerat,apertum religionis exiſtimans eſſe dedecus,ſi aperiretur veritas: & dicens ſe nihil ſcire amplius, quàm quòd locus ſit plenus diuina gratia.

Cùm autem illi pulchrè ſenſiſſent eam optimè quidem ſcire, vitare autem ne eam ſcire eſſet apertum,& ideo præ ſe ferre ignorationem,euadunt auidiores inueniendi eius quod quærebatur: & ſicut Cleophas,& ille alius diſcipulus, corde cœperunt ardere. Eos enim virgo beatiſsima incitabat,volens Byzantinis diuinum hunc & ſacroſanctum largiri theſaurum. Omnem ergo ſtatim mouebant lapidem, vt mulier remittens immobilem hanc occultationem, eis id quod tacuerat in apertum proferret. Quinetiam iuſiurandi neceſsitatem adhibebant,eiuſq; adeo validi, vt animum quantumuis inexpugnabilē ſuo poſſent loco mouere.Cùm ſic eam omni ex parte aſtrinxiſſent,& tanquam ineuitabilia ei vincula impoſuiſſent,vix tandem perſuadēt,vt eis rē aperiat. Cùm itaque ex alto, & cum lachrymis ſuſpiraſſet, & in terram fixiſſet oculos, perinde ac ſi eam puderet enunciare: O viri, inquit,nūquam in hodiernum vſque diem diuinū hoc myſterium viro euaſit manifeſtum. Quæ enim in genere meo me præceſſerunt,iureiurando adhibito,vni mulieri, eiq; virgini ita tradiderunt,vt ſingulis ætatibus ea res ſic traderetur:ſed quoniam video vos eſſe viros reuerendos & pios, & alioqui (nam hoc quoque vobis ſignificabo) ad me vſque redactæ ſunt mei generis fœminæ,nec vlla ſupereſt alia poſt me virgo,cuius fidei à me credi poſsit

cognitio mysterij, rem modò vobis aperiam. Existimo enim fore, vt quod à nobis dicetur, apud vos conseruetis. Mariæ illius Deiparæ (hoc enim est nobis ab alto traditum) hic custodita sita est vestis. Obstupuerũt viri illi, cùm solùm rei audijssent principium. Deinde adijciens mulier: Etenim hæc, inquit, Deipara vitam finiens, duabus mulieribus virginibus duas suas vestes donauit loco benedictionis. Ex quibus vna fuit ex mei generis maioribus quæ id accepit, quod donatum fuerat, & in arca deposuit: & omnino iussit ijs quæ erant sui generis, vt esset virgo vnaquæque quæ eam acciperet. Est ergo arca recondita in interiore domo, quam nunc videtis: & quæ in ea est vestis, est causa omnium quę fiunt miraculorum. Hæc, ô viri, est vera narratio eius quod à vobis quæritur: Et videte, vt ad vos vsque solùm deducta sit cognitio, & nemo sciat ex ijs omnibus qui sunt Hierosolymis. Cum hæc audijssent, adhuc maior metus viros subijt, & lætitia. Metus quidem propter magnitudinem eorum quæ audita fuerant: lætitia autem, quòd essent participes talium sacramentorum. Quid ergo deinceps consequitur? Viri seipsos humi deijciunt, & pedes illius prehensantes: Nulli quidem, inquiunt, ex ijs qui sunt Hierosolymis, notum erit id quod nobis dictum est: ne dubites domina, dominam enim iam te vocamus, quę sis talibus dignata mysterijs: ipsam tibi huius rei testem citamus Deiparam. Vnum autem aliud concede nobis rogantibus: Rogamus verò vt dormiamus in eo loco, in quo hic diuinus reconditus est thesaurus. Cùm hoc autẽ statim concessisset mulier, stragulę quidem vestes portatæ sunt in eum locum. Illi verò non se somno dederunt, sed cùm nocturnum accepissent silentium, totam noctem perseuerabãt in oratione, & cum lachrymis agebant gratias Deiparæ, quòd talibus auditionibus & spectaculis digni essent habiti. Cùm autem eos qui ægrotabant vidissent somno oppressos, metiuntur ex omni parte ambitum arcæ, in qua erat diuinum repositum indumentum, ipsamque ligni speciem & habitudinem, ex quo erat arca, accuratè admodũ & diligenter considerant. Deinde manè egressi, honestam salutârunt mulierem: & cùm rogassent, vt audacter iuberet si quid sibi opus esset Hierosolymis, se enim rursus ad ipsam venturos per eandem viam, inierunt iter versus Hierusalem, cùm illa dixisset se nullo alio egere, nisi eorum precibus, & vt eos rursus lætos videret & alacres. Cùm fuissent itaq; Hierosolymis Galbius & Candidus, & partim quidem Deo preces fudissent, partim autem pauperibus, & egentibus liberaliori dextera eleemosynam erogassent, secretè vocant quosdã fabros lignarios, quibus iubent, vt eis construãt arcam, & forma, & figura, & magnitudine illi quam viderant similem, mandantes præterea, vt formaretur etiã ex ligno veteri, quo nihil in ea cerneretur, quod non esset omni ex parte simile prædictæ. Excogitant deinde aliquid aliud idoneum ad celandum id quod erat futurum. Comparant sibi auratum operculum, vt eo arca tegeretur. Postquàm autem & precatio, & erogatio eis satis bene habere visa fuit, eo accepto quod fuerat fabrefactũ, redeunt in vicũ sani & alacres, aromatibusq; & suffitibus aptis ad sacrificium venerandam donant mulierem. Et illa quidẽ rursus viros, tanquàm sibi familiares iucundè excipit. Illi autem rursus ab ea petũt quod prius, vt scilicet in sacro habitaculo totam noctem transigerent. Illa verò rursus quoque permittit nihil omnino suspicans. Qui ingressi summo otio vtebantur precibus ad inculpatam, & ab omni reprehensione alienam Dei matrem, eas tanquàm sacram hostiam lachrymis pinguefacientes. Non ignoramus nos serui tui, dicentes, ô diuinissima, & in primis illustris Domina, quænam olim Oziæ euenerint, qui ausus est tangere arcam, quę erat secundùm legem. Quomodo ergo nos, qui sumus multis obnoxij peccatis, te non iubente, ausi fuerimus diuinã hanc arcam omnino tangere, intra quam est talis thesaurus repositus, & non solùm tangere profanis manibus, sed etiam eam aliò transferre? Annue ergo voluntati nostrarũ animarũ, ô boni filij bona mater. Ad tuam enim ciuitatẽ est translatio, quæ est omnium aliarum Regina, & te semper magno studio statuit honorare. Ad eam nos hoc diuinũ donum exportare statuimus, ad eius tutelam & gloriam, quæ nunquã extinguatur. Hæc tota nocte dicẽtes in oratione, & solũ lachrymis madefacientes, repente implentur fiducia, fiducia, inquam, contemperata cum reuerentia. Deinde ad diuinã accedunt arcam simul læto & tremente animo, & cùm omnes qui illic erãt efficeret somnus nullo sensu præditos (O beatas manus: ô furtũ, in quod nulla potest omnino cadere reprehensio) hanc accipiunt, eis quoq; omnino hac in re fauente gratia. Et eam quidem sic tollunt, apponunt autẽ quã Hierosolymis ad eius similitudinem fabricati fuerant, cùm ei etiam imposuissent operculum. Quod quidem erat aureum, vt diximus.

Cùm primum autem illuxisset, sanctam mulierem quidem iubent valere, & rogant vt non cesset pro eis orare, & eorum facere commemorationem. Deinde ei quoque digito ostendunt operculum, quasi veram illam tegeret, & primam arcam, quòd mulieri quoque visum est ab illis allatum esse honoris gratia. Et cùm præterea ijs qui fuerant inuenti, pauperibus suppeditassent quæ erant necessaria, valde læti protinus iter ingressi sunt

domum

domum reuersuri. Postquam autem venissent Bizantium, non honestum esse statuerunt ijs qui illo tempore erant Imperatoribus mysterium prius communicare, quàm Patriarchæ. Eos enim subibat timor, ne quòd ipsi suum esse bonum statuerant, eo ab illis priuarentur. Cùm ergo multa consultassent, eis hæc visa est optima sententia, latenter eos ad hoc quoque monente Deipara: Erat eis prædium apud muros ciuitatis, propinquum marini sinus cornui, (Huic loco nomen erat Blacherne) in eo extruunt quidem domum oratoriam. Cùm autem eis magnæ esset curæ, vt laterent, Petri Apostolorum principis, & Marci domum nominant. Cùm in eo certè sacrum illum thesaurum posuissent, omne statim studium adhibuerunt, vt in templo esset perpetua [9] hymnodia, perpetuus odor aromatum, & assiduus splendor luminum. Et sic quidem longo tempore hoc diuinum mysterium fuit semper re vera mysterium.

[9] *Ecce antiquum in ecclis esse, hymnodia, odor aromatū, & splēdor luminum.*

Quoniam autem ei quæ per ipsum honorabatur, & cuius erat ille amictus, visum est tantum bonum ad solos duos testes non debere contrahi, & tanquam profundo aliquo contegi silentio, & communes diuitias esse eorum tantùm proprias, & communi epulo eos se solos explere, mouet ipsos ad id quod tacuerat proferendū in lucem, & accedentes annunciāt ijs qui tunc erant Imperatoribus, & aperiunt quale sit miraculum, & declarant quemadmodum sit allatum. Eos autem cùm audijssent, magnum inuasit gaudium: & protinus fit publicum quod fuerat occultum. Et beati quidem inter omnes reputantur Galbius & Candidus propter tale ministerium, & publicis honorantur honoribus. Diuina autem domus in eo loco Regijs impensis Deiparæ ædificatur: & capsa ex argēto & auro constructa sacrum illum thesaurum excipit: & plurimis alijs muneribus & donis domus honoratur. Leo verò & Verina, ij enim tunc imperabant, quorum tempore hoc quoque magnum reuelatur mysterium, & ad Regiam vrbem exportatur, cùm pulchrè & piè imperassent: & Galbius & Candidus, qui hoc ministerium pulcherrimè obierūt, transferunt postea ad senectuti non obnoxiam vitæ conditionem. Cùm ergo hæc sacra arca nobis contineat non quasdam tabulas manu Mosaica politas, sed vestem planè [10] diuinam, & summè venerādam, quæ non solùm intemeratum, & ab omni labe alienum corpus texit, sed in qua (vt audacter dicam) cùm esset infans, Deus verbū fuit inuolutus, & auctus: adeo vt ea sæpe consperfa sit guttis lactis venerabilis, quo nutritus fuit is qui est omnium alimentum & vita: ad eam quidem verè laudandum nulla sufficit oratio. Sola autem gratiarum actione res est prosequenda, & ipsi Deiparæ sunt agendę gratiæ, & eius filio communi Saluatori, & Regi, qui omnia ad nostram vtilitatem & salutem dispensat. Ei gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

[10] *Vides quomodo etiam vestis beatæ virginis sit plane diuina & veneranda.*

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREAE Archiepiscopi Cretæ Hierosolymitani, in annunciationem sanctissimæ Dominæ nostræ Dei genitricis oratio.

Apud Simeonem Metaphrasten.

ADuenit hodie omnium gratia, quæ primam illam execrationem soluit. Passim aduenit, vt omnia gaudio repleret. Quomodo autē aduenit? Non satellitibus, non exercitu Angelorum stipata, non ostentans aduentum suum: sed silentium, & quietem adhibens, vt lateret principem tenebrarum, & arte sapientiæ serpentem irretiret, draconemq; decipiens, id est, mentē illam Assyriam, quæ in seruitutē suam omnē nobilitatē humanam redegerat, spolia illi detraheret. Neque enim infinita eius erga nos misericordia tam præclarum manuum suarum opus, nempe hominem, propter quem cœlos condiderat, terram firmauerat, aërem diffuderat, mare extenderat, & omnia quæ sub aspectum cadunt, procreârat, affici detrimēto sustinuit. Idcirco Deus in terra, Deus è cœlo, Deus in hominibus, Deus in virginis vtero gestatur, qui nusquàm concluditur. Hinc hominis natura lætitiæ ducit exordium, & diuinæ conditionis initium sumit. Hinc multiplices suas à peccato, natura diuitias separans, creatori tanquam sponsa exornatur. Hinc renouationem suscipit nostra formatio, & senex mundus contractam ex peccato vetustatem deponit. Lætetur cœlum desuper, & nubes pluant iustitiam. Stillent montes dulcedine, & colles exultent, quoniam misertus est Deus populi sui. Hodie enim mysterium quod ante secula absconditum fuerat, declaratur, & omnia in Christo perfectionem recipiunt. Hodie rerum omnium potentia procreatrix, consiliū, quod sibi in illis procreandis proposuerat, ad exitum perducit, vt malitiæ principis dolos ab initio excogitatos destruat. Itaque lætantur homines, gaudent Angeli, & recreatus in se redit orbis vniuersus. Quæ mens hæc concipere?

Quæ lingua explicare? Quæ oratio assequi? Aut auris percipere valeat? Meritò igitur diem hunc faustum, lætumq; dicimus, quo nostri generis massam à Deo assumptam celebramus. Ex quo lætitia gestit omnis creatura: & humana natura excitatur. Hodie lætitiæ nuncius affertur: Dei erga nos benignitatis patent indicia: mundi totius salus ostenditur. Vndénam, & à quo, & cui affertur hic nuncius? E cœlo, & à Deo, & Virgini viro desponsatæ. Quænam hæc virgo? Ecquis iste vir? Et quibus nominibus appellantur? Illa quidem Maria: hic autem Ioseph: Ambo ex genere Dauidis. Quo internuncio hæc gesta sunt? Et vnde is venit? Archangelo Gabriele, qui ab altissimo missus rem admirabilem nunciauit. Oportebat enim, vt minister altissimi, ex altissimis in terram proficiscens, maximè omnium admirandum mysterium indicaret. Quódnam mysterium? Dei submissionem, arcanam seruandi generis nostri rationem, absconditam à seculo diuinę voluntatis prouidentiæque consilium. Sed vbi hæc, & quando, & cuius gratia? In Nazareth ciuitate Galilææ, sexto mense ex quo Ioannes conceptus fuerat, vt venientem, dum adhuc in vtero gestaretur, nunciaret. Gabriel igitur ab æthereis sedibus ad terrestrem Dei thalamum deuolás, & ad virginem accedens sine strepitu, virginei partus arcanum significauit.

Hoc inter Deum atque homines recõciliationis mysterium Dei cum hominibus coniunctionem, assumptæ carnis diuinitaté, imaginis nostræ instaurationem, & mutationem in melius, atque sublimem in cœlos exaltationem hodie celebramus. Quamobrem omnia incredibili gaudio exultant: lætatur omnis cœlestium virtutum chorus, quibus gratum est, quòd Deo simus reconciliati, & meliorem in statũ perducti. Benigni enim admodum sunt, & hominum amantes, ac studiosi, quippe qui in ministerium mittuntur eorum, qui salutis hæreditatem sunt accepturi. Res igitur omnes hodie lætentur & gaudeant, triumphet ipsa natura. Aperitur enim cœlum & terra, ratione inuisibili suscipit orbis Regem. Nazareth imitatur Eden, & ipsius Eden plantatorem in sinum suscipit. Pater misericordiarum abiectam naturam humanam vnigenito filio despondet suo. Et Gabriel mysterio inseruit, ac Virgini succinit illud, Aue, vt lætitiam quam prima parens Eua perdidit, filia Adam orta ex Dauidis stirpe restituat. Hodie gloriæ pater genus humanum commiseratus, naturam in Adam corruptam benignis oculis intuetur. Hodie clementiæ largitor clementium viscerum suorum abyssum patefacit, & naturæ misericordiam effundit, vt aquæ copia maria contegat. Consentaneum enim erat, vt is ex quo, & per quem, & in quo omnia consistunt, antiquæ contra nos execrationis sententiam misericordia commutaret: & gloria sua naturam, quæ in Adam fœdata fuerat, honestaret: & perniciosum patris mendacij consilium, quo primi parentes nostri ceciderant, excluderet. Ideo magnus inter Reges, ac diuinus pater Dauid: Misericordia, inquit, & veritas obuiauerunt sibi, iustitia & pax osculatæ sunt. Cur dixit hæc? An vt filij misericordiam ex bona patris voluntate, qua nostri misertus ipse misericordiæ dator factus est, excepto peccato, quales nos sumus, & veritatem aduentus eius ad nos significaret? Neque enim, vt aliquis fortè suspicatur, simulatã ex nobis humanitatem assumpsit, sed veram. Benignè enim & humano more, ex hominis essentia sumpsit essentiam, qui omni est essentia præstantior, & totam naturam nostram in seipso diuinam reddidit. Neque dispensationem finxit, sed carnis veritatem suscepit, diuinitate ipsius aliena ab omni mutatione permanente. Quoniã igitur misericordia & veritas (vt prophetia testatur) obuiauerunt sibi: meritò iustitia & pax osculatę sunt. Iustitia quidem, quæ aduersus eum à quo primi parentes iniuria affecti fuerant, sententiam tulit. Quando? Et apud quem? Hodie, & apud altissimum patrem, qui natura benignus, & hominum studiosus dignum duxit, vt filius suus vnigenitus humanam formam indutus, aduersarium condemnaret. Pax autem quam è cœlo repente chorus Angelorum in ortu pacifici filij secundùm carnẽ decantauit: Gloria, inquiens, in altissimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Gloria nimirum, qua humana natura per Christum super cœlos euecta est, & super omnem principatum, & potestatem, & virtuté, vt magnus inquit Apostolus. Pax auté, qua medius ipse conciliator intercessit, terrestribus cœlestia coniungens, & nouam in cœlũ redeundi semitam mortalibus patefaciens. Bona porrò voluntas, qua patri placuit dilectũ filium ad nos damnatos mittere: qui salutem nostrã patri in ipso approbatam, eiusdem cum patre voluntatis expleret. Hoc nos hodie celebramus. Hoc Gabriel mandatũ exequitur: & diuinitati atque humanitati nuncius est: reconciliatorisq; pignus adfert ad Virginẽ. Nam misericordiarum pater genus nostrum peccati labe iam corruptum miseratus, meminit operum manuum suarum: nec passus est vt in perpetuum periremus. Primùm legem tabulis lapideis inscriptam Moysis manibus imposuit. Quæ quidem lex cùm nihil admodum proficeret, viros diuino spiritu afflatos, nempe Prophetas futura prospicientes, ac denunciantes misit, qui rectas Dei semitas demonstrarent. Verùm cùm ij ad quos missi fuerant, sensibus occlusis,

nihilóminus

nihilominus in peccatis iacerent, non despexit opifex opus à se conflatum: sed ex optimo sinu suo & perfectissimo, filium eiusdem potentiæ, sapientiæque, ac bonitatis genitum misit ad nos indignos, ad quos fines seculorum deuenerunt. Satius enim esse duxit, vt peccatorum salutem perageret, quàm vt opus à se confectum despiceret. Vni igitur ex præstantioribus Angelis mandat, vt mysterium exequatur: & amplitudinis suæ nutu sic illi, vt arbitror, imperat. Age Gabriel, abi in Nazareth ciuitatem Galilææ, in qua puella virgo habitat, nomine Maria, viro qui vocatur Ioseph desponsata. Abi, inquit, in Nazareth. Quid ita? Vt Deo gratissimum virginitatis decus, tanquam suauissimam rosam, è spinosa regione decerpat Omnipotens. Et propter prophetiam, quæ Nazarænum vocatum ire prædixit. Quem? Eum qui à Nathanaele postea Dei filius, & Rex Israël vocatus est. Solet vtique Gabriel in Dei mysterijs minister adhiberi, vt patet in Daniele. Abi igitur in Nazareth ciuitatem Galilææ: cumque illuc perueneris, hunc primum Virgini lætitiæ nuncium affer, quem Eua iam amisit. Caue perturbes animum eius: Gaudij enim non mœroris hoc est indicium: Solatij, non perturbationis hæc est salutatio. Quod enim maius humano generi gaudium esse potest, quàm vt fiat diuinæ particeps naturæ, & vnum cum Deo propter coniunctionem in persona efficiatur? Quid porrò admirabilius quàm Dei submissionem eiusmodi videre, vt in mulieris vtero gestetur? O rem maximè omnium admirādam. Deus cui cœlum sedes est, terra autem scabellum pedum eius, quem cœli non capiunt, qui idem quod pater solium habet æternitatis, in virginis vtero cōcluditur. Quid maiore dignum admiratione, quàm Deum sub hominis forma à propria diuinitate non deficientem intueri? Et humanam cerne naturā totam omnino cum suo creatore coniunctam, vt totus homo Deus euadat. Gabriel igitur cùm hæc audisset, mandatumque diuino nutu confirmatum, sed viribus suis maius accepisset, inter metum atque lætitiam dubius hærebat, cùm nec sibi ipse fideret, nec iubenti repugnare tutum existimaret. Quam ob rem diuina iussa facessens ad virginem deuolauit. Cumque Nazareth peruenisset, ad domunculam constitit: & cogitabundus atque hæsitans hæc secum ipse, vt arbitror, volutabat: Quomodo quæ mihi à Deo mandata sunt, perficere aggrediar? Celeriter in thalamum introëam? At animum virginis perturbabo. Tardius ingrediar? At puella introitum abscondere me voluisse iudicabit. Forésne pulsem? Quo pacto, cùm id nō sit Angelorū proprium: nec quicquam eorū quæ continent, aut continentur, impedire possit ea quæ corporis sunt expertia? Ostium aperiam? At mihi, vel ostio clauso, licet ingredi. Vocémne Virginem nomine? At illi terrorem inijciam. Sic igitur faciam. Ex illius à quo missus sum voluntate, gressum meum moderabor. Hoc enim illi propositum est, vt genus seruet humanū. Quod quidem reconciliationis consilium vt nouum est & admirabile, sic est benignitatis & clementiæ plenum. Quomodo igitur ad Virginem accedam? Gaudium illi nunciabo? An Dominum in ea dicam esse, an spiritus aduentum, aut altissimi obumbrationem significabo? Gaudium igitur illi nūciabo, indicabo mysterium admirabile, accedam, salutabo, succinam vocem hanc: Aue, Gaude, Lætare. Aptum ad fiduciam principium est salutatio. Hoc verbum mihi Virginem alloquendi aditum patefaciat. Nihil enim illi timoris potest inijcere: quinetiam animum eius leniet. Sic igitur exordiar, vt primum illi gaudij & lætitiæ nuncium afferam. His enim verbis decet Reginam salutare. Nam hoc est gaudij negotium, tempus lætitiæ, tranquillitatis imperium, consilium salutis, initium consolationis. Hæc ipse secum Archangelus. Tum domum petit, & ad thalamum in quo Virgo habitabat, accedens, sensim ad fores appropinquauit. Cumque iam esset intus, miti voce virginem alloquens: Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecum. Qui est ante te, hodie tecum est, & paulò pòst erit ex te. Illud quidem ab omni æternitate, hoc autem in tempore. O immensam humanitatem, ô benignitatem incredibilem. Non fuit satis gaudium indicasse, nisi ipsum gaudij autorem inesse Virgini significaret. Illud enim, Dominus tecū, perspicuè Regis præsentiam declarat, qui sic ex ipsa corpus assumit humanum, vt à propria gloria non recedat. Aue gratia plena, Dominus tecum. Gaude, lætitiæ instrumentum, per quod tristis execrationis sententia in lætum gaudij indicium commutatur. Gaude, verè benedicta, Gaude, virgo præclarissima. Gaude ornatissimum diuinæ gloriæ templum. Gaude sacrosanctum Regis palatium, Gaude thalame, in quo sibi Christus humanitatem sponsam adiunxit, Gaude electa à Deo antequam genita. Gaude diuinum inter Deum atque homines conciliationis perfugium. Gaude thesaure vitæ immortalis. Gaude cœlum, in quo Sol gloriæ splendet: domicilium cœlo præstantius. Gaude vnicum illius qui nusquam capitur amplissimum habitaculum. Gaude sancta terra virginea, ex qua nouus Adā formatur, qui veterem Adam seruet. Gaude fermentum sanctum, ac Deo gratum, ex quo totius generis humani massa fermentatur, & in vnius corporis Christi panē euadit, & admirabili ratione coagmentatur. Aue gratia plena: Dominus tecum; qui dixit: Fiat lux, & facta est lux: fiat

firmamentum & factum est, cuius denique amplitudinis opera sunt omnia quę facta sunt. Gaude gaudij mater sempiterni. Gaude noua Dei arca, in qua Dei spiritus conquiescit. Arca, in qua noster Noë Christus humanitatem seruauit. Arca, in qua nouæ gloriæ sanctificatio, & qui natura sanctus est, in virginea naturæ officina corpus sibi ratione mirabili fabricatus est, non deponens id quod erat, est enim immutabilis: sed assumens id quod non erat: est enim benignus, & hominum amantissimus. Gaude vrna aurea, quæ contines illũ qui dulce mãna & mel è petra ingrato populo subministrauit. Gaude seraphica mystici carbonis ardentis forceps. Salue spiritale præcognitionis perspicuæ speculum, per quod Prophetæ infinitam erga nos Dei submissionẽ mysticè vaticinati sunt. Gaude speculum, per quod iustitiæ Solem venientem è cœlo suscipientes, ij qui densis in tenebris peccati versabantur, illustrati sunt. Salue Prophetarum & Patriarcharum omnium decus, & clarissima arcanæ præcognitionis humanæ tuba. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus vẽtris tui. Et meritò benedicta, benedixit enim te Deus tabernaculũ suũ, quoniam paternæ gloriæ plenum Christũ Iesum, hominem eundem & Deum in ijs, ex quibus & in quibus naturis cõsistit, admirabili ratione in vtero tuo gessisti. Benedicta tu in mulieribus, quæ cælestem thesaurum, in quo sunt omnes thesauri sapientię, & scientiæ Dei reconditi, in sacro virginitatis tuæ penu sine angustia comprehendisti. Tu verè benedicta es, cuius vterus areę cumulus est: quia benedictionis fructum, immortalitatis spicam Christum, sine semine, sine cultoris labore, multiplicem frugum innumerabilium messem nostræ salutis agricolæ produxisti. Tu verè benedicta, quę sola ex omnibus matribus creatori tuo mater electa es, & quod est matrum omnium proprium, ignoras: cuius quoque excellentia virginitatis maternis doloribus corrupta non est, virgineo germine tuo signa tuæ castitatis integra conseruante. Tu verè benedicta, quæ sola sine viri coniunctione filium genuisti, qui cælos condidit, & terrã virginitate tua cœlis exæquauit. Benedicta tu in mulieribus, quæ sola benedictionem suscepisti, quam Deus per Abraham gentibus omnibus promisit. Tu verè benedicta, quæ sola benedicti filij Iesu Christi & Saluatoris nostri declarata es mater, per quã clamant gentes: Benedictus qui venit in nomine Domini. &: Benedictum nomen gloriæ eius in secula. &: Implebitur gloria eius omnis terra, Fiat, Fiat. Benedicta tu in mulieribus, quam beatam dicunt omnes generationes, quam Reges honorant, Principes venerantur, diuites populi obsecrant, virgines quæ vel præcesserũt, vel sequuntur, in tẽplum Regis comitantur. Benedicta tu in mulieribus, quam Esaias oculis propheticis aspiciens, prophetissam, & virginem, & laterem, & locum, & caput libri obsignatum arcana ratione nominauit. Benedicta tu verè, quam Ezechiel auroram, & portam conclusam, per quam solus Deus ingressus est, & rursum conclusam appellauit. Tu sola verè benedicta, quam vir desideriorum Daniel montem vidit: & Abacuc admirabilis montem opacum. Montem quoque Dei, montem pinguem, montem coagulatum, montem in quo placitum est Deo habitare, te tuus progenitor atque Rex propheticè decãtauit. Benedicta tu in mulieribus, quam Zacharias rerum diuinarum inspector eximius, candelabrum aureum vidit septem lucernis, & septem infusorijs, id est, septem spiritus sancti muneribus exornatum. Tu verè benedicta, quæ tanquam paradysus intra te contines ipsius Eden plantatorem Christum, qui infinita virtute ex almo vtero tuo prodiẽs instar fluuij, quatuor principijs per Euangelium rigat faciem vniuersæ terræ. Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui. Fructus, ex quo protoplastus Adam vescens, euomet veterem illam potionem, per quam fraudis venenum hausit. Fructus, ex quo ligni amaritudo dulcesit: qui expurgat humanitatem: qui vero Israëli fontes vberrimos præbet in solitudine, qui aquas amaras efficit dulces: & nouũ panis ac cibi imbrem emittit. Benedictus fructus, qui ex incorrupta virginei vteri planta maturos racemos extulit. Benedictus fructus, ex quo fontes emanant aquæ salientis in vitam æternam. Fructus, ex quo vitalis panis Dominici corporis, & salutare immortalitatis poculum conficitur. Benedictus fructus, quem omnis lingua cœlestium, terrestrium, & infernorum celebrat triplici sanctitate, in vna diuinitate trinitatem indicans personarum: Benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui.

At illa turbata est, inquit, hoc sermone, & secum ipsa cogitabat, qualis esset ea salutatio. Non incredulitate (absit) sed orationis potius nouitate commota. Mirabile enim vaticinium videbatur. Neque diffidẽtia substitit, vt antea fecerat in adytis Zacharias. Quamobrem pœna illi ex procreandi instrumentis ab ea quę ad loquendum pertinent translata est: & qui prius liberis caruerat, tum loquendi caruit facultate. Sed cùm esset ab omni reprehensione remotissima, & ab hominum coniunctione & consuetudine aliena: cumque assiduè in rerum cœlestium contemplatione versaretur, ex ea salutatione non potuit non commoueri. Etenim cùm minimè esset audax, & ad loquendum velox, acri prius rationis iudicio quæ dicebantur expendit, ne temerè, & inconsideratè responderet. Quod sapienter

pienter admodum indicauit Euangelista, Cogitabat, inquiens. Puræ mentis examine Angeli verba perpendebat, ne illa sine iudicio susciperet. Quænam, dicebat, est hæc salutatio? Consentaneum enim est, eam vtpote nobilem, & Dauidis filiam diuinarum scripturarum non fuisse ignaram, & animum statim ad primæ matris casum conuertisse, cogitasseque quomodo decepta corruisset, & mente veteres alias eiusdem generis historias comprehendisse. Non immeritò igitur eam Euangelista cogitabundam descripsit. Sed vt prudentiam ipsius declararet, stabilem etiam mentis constantiam adiunxit, quæ respondendo nondum assentiretur, propterea quòd illi de rei æquitate cõsideranti non constaret. Turbationem igitur virgo sedare studens, orationem non adhibuit: sed gestu solo parumper dubitationem significãs, animi habitum, & morum probitatem demonstrauit, secum ipsa cogitãs, qualis esset ea salutatio. Soláne ego, dicebat, inter mulieres naturæ ordinẽ immutabo? Egóne sola ventris fructum feram sine viri congressu? Qualis est hæc salutatio? Quis mihi nuncium hũc attulit? Vnde ingressus est? Homóne est iste qui loquitur? At corporis expers videtur. Angelúsne? At loquitur vt homo. Quid illud quod video sit ignoro: & de eo quod loquitur dubito. Quid igitur Gabriel? Vt virginis turbationem animaduertit, ad nihil aliud attẽdens, statim vocem emisit. &: Ne timeas, inquit, Maria, inuenisti enim gratiam apud Deũ: quã amisit Eua. Gratiã dicens, animo dubitationem ademit: & quod fieri non posse videbatur, adijciens: Inuenisti gratiã apud Deũ: fecit vt credibile esset, & virgini metum eripuit. Ne timeas Maria: non sunt hæc fallentis verba, non venio vt te decipiam: non loquitur fallax serpens: à terra tibi non loquor, sed bonũ ex altissimis nũcium affero: nec bonum tantùm, sed lætitiæ plenũ. Non ludicra, nec tristis est hæc salutatio. Dominus tecum, qui omnis lætitiæ largitor est, & mundi Saluator vniuersi. Tecum est, qui de sinu patris nõ recedit, & in vtero tuo concipitur. Gratia plenã te appellaui, vt mysterij gratiam in te existentis significarem. Gratia plenam te esse dixi, quoniã totam gratiam suscipis in vtero tuo, & stolam verè diuinarum gratiarũ splendore decoratam. Dominus tecũ, adieci, vt potentiam in te pręcurrentis declararem. Dominus enim est Deus potens, & princeps pacis, & pater futuri seculi, idemque tuus ô Virgo filius, atq; omnium saluator. Dominus tecum: gratia & veritas tecũ. Dominus quidem legis, pater autẽ gratiæ & veritatis fons. Ne timeas Maria. Dominus tecum. Qui omnium dominationum est princeps, qui patris luminum filius est, qui sine principio ab ipso genitus est, is in tempore ex te nascitur. Qui rursum totus est in sinu patris, is deorsum totus est in vtero tuo. Ipse tecum, & in te est. Adueniens enim in te desilijt: in vterum tuũ ingressus est, atque in te comprehendi voluit, qui natura cõprehendi non potest. Ne timeas Maria, inuenisti enim gratiam apud Deum. Gratiam quam non suscepit Sara, quam Rebecca nõ inuenit, quã Rachel ignorauit. Inuenisti talem gratiã, qualem Anna, licet fuerit exaudita, non habuit. Tu sola ita mater es futura, vt simul etiam virginitatis decus retineas. Ne timeas igitur, inuenisti enim gratiam apud Deum: Gratiam, quam nemo vnquam accepit. Quænam talis esse queat apud Deum gratiæ præstantia? Inuenisti enim gratiam apud Deum. Ecce concipies in vtero, & paries filiũ, & vocabis nomen eius Iesum. O rem admirabilem. Primùm illi dubitationis causam ademit, deinde rem explicauit. Vide autem quàm multa quàm paucis exequatur. Metum eripit, gratiam indicat, conceptus rationem exponit, partum prænunciat, filij nomen declarat. Neque verò hîc constitit: sed vt amplitudinem eius maiestatis ostenderet, subiecit: Hic erit magnus, & filius altissimi vocabitur: & dabit ei Dominus Deus sedẽ Dauid patris eius, & regnabit in domo Iacob in æternum, & regni eius nõ erit finis. Cernis quomodo Virginis metum abstulerit? Cernis quantopere animum eius confirmarit? Cùm enim altissimi filiũ dixisset, patrem orituri Dauidem nominauit. Statim igitur erectus est animus Virginis, vt indicant ea quæ sequuntur. Sed eius prudentiam considera, quæ cùm hæc audisset, & immutabilem diuinæ voluntatis potentiam cognosceret, ad Angelum: Quomodo, inquit, fiet istud, quoniam virum non cognosco? Noua, inquit, mihi, & quæ naturam superant, nuncias. Nuptiarũ sum expers. Despõsata enim sum, sed non cum viro coniuncta: Ioseph sponsum tantùm, non autem maritum agnosco. Domo, nõ lecto mihi iunctus est. Fœcundus quidem est venter, sed non cultus. Quomodo erit mihi hoc, quoniã virum non cognosco? Méne solam natura sine viri coniunctione matrẽ declarabit? Egóne pręter naturam sola nouum atque inauditum naturæ partum edam? Nuptiæ non præcesserunt, virum experta non sum, Ioseph non maritum, sed sponsum & custodem tantùm agnosco. Et quomodo erit mihi hoc? Respondit Gabiel, & responsionis sublimitate Virginis diluit dubitationem. Cur hæc dicis, Virgo beatissima? Ego è cœlo veniens cœlestis affero nuncium conceptionis. Non de terra loquor tibi. Dixi, Dominus tecũ: & tu dubitas, quomodo id tibi sit futurum? Ego enim qui aduentum meum antecedit, in vtero tuo nuncio: & tu mihi de viro, deque terrena loqueris generatione? Et dicis: Quomodo erit mihi hoc?

Quomodo

Quomodo hoc erit tibi? Cogita, quomodo virga floruerit, quomodo petra copiā aquarū effuderit, quomodo ignis in rubo ardens eum non combusserit. Quæ si credis, & id quod nuncio crede. Is enim hoc faciet, à quo & illa facta sunt. Noua & præter naturam ratione mater es futura. Non vt Elizabeth, non vt Anna, ex qua tu orta es. Ille enim ex virorum semine factæ sunt matres: tu autem sine viri coniunctione paries eum qui sine semine in te inhabitat. Quòd si modum requiris, eum quoque tibi declarabo: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Non enim ex voluntate viri, neque ex voluntate carnis gignetur. Nulla carnis voluptas intercedet. Naturæ enim terminos superat. Quamuis enim naturalis conditionis omnino non sit expers futurus quem paries: præstantiori tamen ratione concipitur, & sine vlla perturbatione, quemadmodum & ab æterno sine perturbatione genitus est. Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Considera quomodo trinitatis mysterium declaretur. Spiritum enim sanctum inquiens, non alium, quàm paracletum indicauit. Nam virtus apertè filium significat. Vox autem illa, Altissimi, Patris personam declarat. Illud verò, Obumbrabit tibi, mihi videtur innuere id quod antea propheticis oculis Abacuc viderat, cùm montem vmbrosum virginem appellauit, quasi obumbrantem illi patris virtutem describens, & arcanum sibi tabernaculum efficientem in carnis assumendæ ratione, qua sibi templum corporis non manufactū, in vtero Virginis ab omnibus maculis alieno, atq; integerrimo ipse Dominus fabricauit. Id quod ex sequentibus patet. Ait enim: Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Qui enim ex sancto spiritu per sanctum patrem diuina ratione formatur puer, meritò sanctus erit, & filius altissimi vocabitur, cùm altissimi sit verbum sempiternum. Dilucidè igitur Virgini demonstratum est, quid, & vnde, & quale id sit quod in ipsa conceptum est. Nempe sanctum, & ex ipsa, & filium Dei esse quem pariet. Verùm vt clarius adhuc & expressius ostendat Verbi virtutem, Elizabeth exemplum adducit. Quasi diceret: Qui ventrem in vetula præter spem fœcundum efficere potuit, virginem etiam poterit præter naturæ rationem matrem reddere. Atque ita subijcit: Quoniam non erit impossibile apud Deum omne verbum. His virgo auditis, & inhabitantis spiritus splendore illustrata, & faustæ promissionis lætitia affecta, in tranquillitate versabatur, & animi gratiam cum pulchritudine oculorum præ se ferebat: quemadmodum de Dauide scriptura commemorat. Re enim admirabili & salutatione gaudebat, in qua summa lætitia continebatur. Facilè igitur sapienterque Gabriel virgini persuasit, vt miraculum crederet: Non erit, inquiens, apud Deum impossibile omne verbum. Quid autem sequitur in Euangelio? Dixit autem Maria: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. Prudentiam virginis animaduertis? Vides præclaræ coniunctionis decus? Cùm enim fœtus conceptionem, & filij ortum intellexisset, & quis, cuius esset filius, & quo foret nomine appellandus, & cuius sedis successor, & quibus imperaturus, & Regni eius nullum finem futurum, statim lætissimam vocem emisit: Ecce, inquiens, ancilla Domini: illud apertè significans, Ecce parata sum, & nihil prohibet. Animus promptus est, vterus oportunus, vtpote minimè inquinatus, & soli seruatus creatori. Ecce ancilla Domini, ad obediendum parata, ad seruiendum idonea, ad suscipiendum prompta. Fiat mihi secundùm verbum tuum. Quoniam, inquit, quod fieri potuit, rectè nunciasti, & quod faciendum est, diuina est gloria plenum: Ecce ancilla Domini, fiat mihi secundùm verbum tuum. O prouidentiam, & gratiam admirabilem: ô consilium ab æternitate præcognitum atque institutum. Verè spiritus sanctus in virgine inhabitabat, & virtus altissimi obumbrabat eam ex præfinito eius consilio & præcognitione. Et discessit ab ea Angelus: Cùm ea nimirum, quæ sibi mandata fuerant, perfecisset, discessit ab eo Angelus, sed Dominus non discessit. Angelus enim, licet sit expers corporis, loco tamen includitur. Dominus, quamuis in virginis corpore atque vtero capiatur, nullis tamen locorum terminis circunscribitur. Et ille quidem venientem ad salutem hominum nunciauit ex Virginis vtero oriturum. Hic autem essentiam nostram à se susceptam reformauit, naturæque imaginem ac dignitatem, quam contumacia primi parentes amiserant, restituit, eamque supra omnem principatum, & potestatem, & virtutem, atque omne nomen, quod in hoc futuro seculo nominatur, prouectam, in cœlesti solio collocauit. Ipsi gloria, & imperium, & honor, & adoratio cum Patre, & Spiritu sancto, nunc, & semper & in æterna sæcula. Amen.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS Veroneñ. candido pioque Lectori.

PRiusquam ad hunc qui sequitur, diui Ioannis Chrysostomi sermonem legendum accedas, benigne Lector, est quod te aliquantulum detineam, cautumq; reddam. Videbis namq; magnũ Chrysostomum eiusdem hic esse sententiæ, cuius & in libro de excidio Hierosolymitano Egesippus, & Eusebius Cæsariensis lib. 2. cap. 1. Ecclesiasticæ historiæ, multiq; ex Græcis patribus fuisse leguntur: nempe beatissimum Ioseph sanctissimæ Deiparæ, sponsum filios ex alia vxore suscepisse, & inter cæteros Iacobum Apostolum, cognomento fratrem Domini: Ea verò deinde repudiata, seu, vt alij volunt, præmortua, in castitate vixisse, & liberos in disciplina & timore Domini educasse. Huius etiam opinionis fuisse videmus diuum Hilarium Pictauorum Episcopum, super Matthæum cap. primo: & diuum Ambrosium Mediolanensem Antistitem, super Epistolam ad Galathas cap. 1. Chrysostomum quoq; secutus est compilator eius Theophylactus Bulgariæ Archiepiscopus, qui eundem Iacobum & reliquos fratres filios asserit fuisse Ioseph: sed alio modo quàm Chrysostomus autumet. Cuius verba, vt melius res percipiatur, subnectam. Ait enim is super Matthæum cap. 13. Fratres habuit Dominus, & sorores, Ioseph filios quos genuit ex vxore fratris sui Clopæ. Mortuo enim absque liberis Clopa, Ioseph iuxta legem, vxorem eius accepit, & pueros procreauit sex, quatuor mares, & duas fœminas: Mariam quæ dicebatur Clopæ filia secundùm legem & Salomen. Et hæc quidem ille. Vides igitur quid magni vtriusq; Ecclesiæ viri de beato Ioseph sentiant.

Ego, vt verum fateor, & animum meum coram Deo, teq;, ac toto Christiano orbe testatum faciam (pace sit dictum omnium horum præexcellentium virorum, quos in alijs sequor, plurimum amplector, & tanquam venerabilissimos patres vehementer obseruo: at in hoc mihi placere nequaquam possunt) semper contrariam tenui sententiam, teneréq; profitebor vsque ad mortem: nisi sancta mater Ecclesia diuersum aliquid super hoc statuat: vel nisi quis me potentioribus & efficacioribus vrserit rationibus, vt à mea victus recedam opinione. Credóq;, & firmiter teneo, beatissimæ virginis sponsum, virginem & ipsum fuisse, nec vnquam pudicitiæ suæ florem amisisse. Talem enim matrem, talem sponsum, & talem tantumq; filium, talem putatiuum patrem habere par erat. Et ne ex meo cerebro hæc eruta videatur sententia, tribus eã si potero, enitar medijs confirmare: Sacræ primùm ipsius scripturæ fontibus, ijsq;, & secundùm germanum sensum deductis: Constanti etiam, vt credimus, & quæ vinci non possit, ratione: Tum demum sanctorum aliquorum patrũ autoritate. Quod nisi effecero, tum tu me imperitiæ stultitiæq; arguito: atque ego liberam tibi concedam quicquid volueris credendi potestatem. Audi ergo diligenter, & patienter ausculta, quæ pro hac sententia firmanda tibi affero.

Ac primum quidem id nobis explorandum censeo, num ex scripturis, quisnam verus pater, & quæ vera mater fuerit Iacobi istius minoris, qui etiam dictus sit frater Domini, reperiri possit. Credóq; non fore id difficile, imò ex propatulo loco satis constare: Sed assertio illa præmittenda, quam negare mihi nequaquam possunt etiam ij, qui vel sacras literas eminus salutauerint. Scripturam nempe sacram quotiens ita loquitur, Isaac, Abrahæ, vel Iacob Isaac, hunc in audientium aures sensum, & intelligentiam immittere, & non aliam, Isaac esse filium Abrahæ, & Iacob filium esse Isaac. Hoc Lucæ tertio capite maximè ostendere possumus, vbi genealogia Domini ex Ioseph ascendendo vsque ad Deum describitur. Dicitur namque ibi: Et ipse Iesus erat incipiens quasi annorum triginta, vt putabatur filius Ioseph, qui fuit Heli, subauditur filius, qui fuit Matthat, nempe filius: & sic de singulis vsque ad Adam, de quo vltimo loco dicitur: Qui fuit Dei, & subintelligitur filius. Hoc idem probatur Ioannis vltimo, cùm dicit Dominus Petro: Simon Ioannis amas me? Hoc est, Simon fili Ioannis. Quod ita esse, ostendit Dominus ipse Matthæi decimosexto, vbi dicit ad eundem: Beatus es Simon Bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Bar enim Hebraicè, Latinè filium sonat. Vnus est duntaxit locus in quo propositio ista non currit, quando videlicet

aliter interpretari scriptura ipsa te necessariò compellit. Et vt me intelligas, oportunum tibi affero exemplum, Lucæ sexto, vbi duodecim Apostolorum nomina recensentur: quo in loco inter cætera habetur: Et Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iacobi, & Iudam Iscariotem, qui fuit proditor. Quomodo hîc expones Iudam Iacobi? Filiúmne? Minimè quidem, quoniam te alia scriptura ita facere prohibet. Quomodo ergo? Iudam Iacobi fratrem interpretaberis, quoniam is in sua Canonica Epistola ita de se ipso loquitur: Iudas Iesu Christi seruus, frater autem Iacobi. Vbi autem nulla nos adigit scriptura, semper prædicta regula propositioq́; tenenda est. Venio nunc ad ipsum quæstionis scopum, & patrem Iacobi minoris dico non fuisse Ioseph, sed Alphæum. Hoc probamus ex Matthæi capite 10. vbi ponens Euangelista duodecim Apostolorum nomina, ita inquit: Duodecim autem Apostolorum nomina hæc sunt. Primus Simon, qui dicitur Petrus, & Andreas frater eius, Philippus & Bartholomæus, Iacobus Zebedæi, & Ioannes frater eius, Thomas, & Matthæus Publicanus, & Iacobus Alphæi, & Thaddæus, Simon Chananæus, & Iudas Iscariotes, qui & tradidit eum. Marcus quoque capite tertio, & Lucas capite sexto, & ipsi duodecim Apostolorum catalogum recensentes, sicut primum Iacobum cum Ioanne fratre Zebedæi, ita Iacobum alterum Alphæi dicunt. Quòd si primum illum Zebedæi filium exponere cogeris (Eius enim filius fuit, vt ex Matthæo eodem capite quarto, & Marco capite primo constat) ita etiam secundùm Iacobum, hunc videlicet minorem fratrem Domini nuncupatum, Alphæi filium exponere, velis, nolis, compelleris. Cur enim Iacobum illum ex Zebedæo natum patre asseras, hunc autem ex Alphæo natum neges? Aut ergo vtrosque filios expone, aut vtrosque nega: vel scripturam adducito aliquam, propter quam Zebedæum Iacobi maioris patrem dicere cogaris: Iacobi autem minoris Alphæum patrem non ita. Quam certò scio haud quaquam inuenire poteris. Crede ergo expositioni nostræ. Et hoc quantũ ad patrem pertinet. Quæ verò Iacobi huius iusti mater fuerit, & ipsa scriptura se consulentibus aperit. Si enim legeris 27. Matthæi caput, inuenies profectò ita in eo scriptum: Erant autem ibi (nempe vbi crucifixus est Dominus) mulieres multæ à longè: quæ secutæ erant Iesum à Galilæa ministrantes ei: inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi. Et ne qua detur tibi dubitandi occasio, quis iste sit Iacobus, cuius mater Maria dicitur, scrupulum tibi omnem aufert Marcus capite 15. inquiens: Erant autem & mulieres de longè aspicientes, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & Salome: quæ, cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei. Et quia futuros esse hæreticos præuidebat Spiritus sanctus, qui hanc Mariam, quæ Iacobi minoris, & Ioseph mater dicitur, eandẽ esse quæ & Saluatorem nostrum peperit, quæq́; ex Ioseph marito Iacobum hunc fratrem Domini, & alios fratres eius genuisset, impudentissimè asserturi erant: Ioannes discipulus Domini dilectus, omnium Euãgelistarum vltimus hanc hæreticorũ blasphemiam omnino sustulit, cùm dixit cap 19. Stabant autem iuxta crucem Iesu mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalene. Mariam Cleophæ, id est, filiam accipe, secundùm propositionem nostram primo loco positam. Ecce ergo quam alij Euangelistæ Mariam Iacobi minoris, & Ioseph matrem nominant, Ioannes sororem matris Iesu dicit, & Cleophæ filiam. Et quia soror erat sanctæ Dei genitricis, ideo Iacobus, Ioseph, Iudas, & Simeon fratres Domini vsitato scripturæ more, quo filij duorum fratrum seu duarum sororum, hoc est, patrueles vel consobrini, fratres nuncupari solent, & ipsi fratres Domini dicti sunt, Matthæi 13. in fine. Ex his omnibus luce, vt arbitror, clarius meridiana liquet patrem Iacobi minoris fratris Domini dicti, & fratrem illius fuisse Alphæum: eorum verò matrem Mariam sororem sanctissimæ Deiparæ, filiamq́; Cleophæ. Quæ autem Mariæ istius mater fuerit, ad præsens intactum relinquo. (Fortè in fine huius epistolæ, & de hoc aliquid dicetur.) Non enim ad præsentẽ quæstionem multum spectare videtur. Satis namq́; nobis est scire, sororem illam beatissimæ virginis extitisse. Quòd si Iacobus, & cæteri eius fratres, Alphæi, & huius Mariæ Cleophæ filiæ, filij fuerunt, videant, obsecro, quomodo id fieri possit, vt Ioseph pater Domini putatiuus ex alia vxore eos genuerit. Venio modò ad rationem vrgentissimã trimembrem: cui indi-

cui iudicio meo nullus aptè satis & idoneè respondere poterit, quæ est huiusmodi. Aut Ioseph aliam vxorem, ex qua Iacobum, & alios fratres suscepit, ante beatam virginem habuit: quæ postea mortua est, vel repudiata: Aut simul cum beata virgine & alteram illam habuit: Aut denique post mortem sanctæ Mariæ alteram vxorem superinduxit, ex qua filios illos suscepit. Nec enim quartum membrum mihi dare poteris. Si primo modo dixeris, vt velle videtur Hilarius: videlicet ex priori coniugio filios illos susceptos hoc profectò falsum est, & à veritate alienum. Nam ista coniunx, quam tu prætendis antè ductam, & postea mortuam, nō potuit esse altera à Maria ista sorore matris Domini, quæ ab Euangelistis mater dicitur fuisse Iacobi minoris: quæ tamen tempore mortis Christi viua erat, & stabat iuxta crucem Iesu vnà cum sorore sua sancta Deipara, quæ dudum antè, & iam annis 33. fuerat ipsi Ioseph desponsata, vt superius ex Euangelijs ostensum est. Quòd si dicas: Ea quidem viua potuit esse, sed repudiata, vt vult Chrysostomus: vide obsecro quomodo id asserere possis, tum quia non cōuenit viro iusto, cuiusmodi erat Ioseph, Euangelio teste sanctam mulierem, quæ continuè Dominum sequebatur ministrans ei, repudiare: tum quia ea adhuc viuente, minimè beatam virginem sororem suam habere potuisset: vt in sequenti membro euidenter patebit. Dices forsitan: Ambas Ioseph vno, eodemq́; tempore vxores habuit, Mariam scilicet Domini matrem, & Mariam alteram sororem eius. Hoc simili modo mendacium esse conuincitur, sed & insulsius primo dicto. Nam licet Iacob Patriarcha duas simul vxores habuerit, Liam & Rachaelem, hoc tunc ex diuina permissione, aut etiā significatione factū est. Præsignificabatur enim in duabus illis sororibus Iudæorum synagoga, & Ecclesia de gentibus congreganda, siue actiua vita, & contemplatiua. Quod si fortasse in alijs quoq; factum fuisse reperiatur, quod haud credo facilè ostendi posse, id vsque ad legis Mosaicæ promulgationem licuit. At ea lata, minimè, imò qui id faceret, mandatum est tolli de medio populi sui. Adduco autem tibi diuinam ipsam legem, factum hoc omnino inhibentem, quæ est huiusmodi, Leuitici 18. Sororem vxoris tuæ in pellicatum illius non accipies, nec reuelabis turpitudinem eius, adhuc illa viuente. Vel, vt alij legunt: Vxorem cum sorore eius non accipies ad æmulationem, vel ad lasciuiendum: Nempe sicut faciebant duæ vxores Iacob, quæ magna inter se ob virum ardebant zelotypia. Quam legem Isychius, Radulphus, cæteriq́; libri illius expositores de eo intelligunt, qui vxori, simul & eius sorori iungatur, ita vt duas sorores pariter vxores habeat: illæq́; in vnius viri contubernio simul habitent, aut quomodocunq; vna viuente, quam cognouerit, alteram superinducat. Superest ergo, vt tertium modū eligas, & dicas, post mortem sanctissimæ Virginis Ioseph hanc Mariam in coniugem accepisse, ex qua Iacobum minorem, & alios filios, & filias genuit. Hoc si dixeris, in eandem, & adhuc maiorem foueam te præcipitē dabis, à qua nunquam exire poteris. Nam cùm beata virgo post mortem filij sui superuixerit, quomodo potuit Ioseph, ea mortua, sororem Mariam ducere, & Iacobum, & cæteros fratres eius ex ea generare, qui iam adhuc viuente Saluatore nostro grandæui erāt, & in Apostolos eius assumpti, vt patet ex Euangelistarū libris, in quibus etiam Maria hæc Iacobi minoris iam profectò nati, & nō nascituri matris titulo prænotata iuxta crucē Domini stetisse reperitur? Impossibilia hæc sunt, & eruditis auribus indigna. Vides iam quocunque te vertas, indissolubiles esse tricas, à quibus te explicare non possis? Non ergo verū, Ioseph ex alia vxore Iacobum minorem cognomine fratrem Domini genuisse. Tertium erat medium, quo nostram hanc assertionem nos probaturos dixeramus, sanctorum nonnullorum patrum autoritas, qui virginem fuisse sanctum, quoque Domini patrem putatiuum manifestè adstruunt. Inter hos post Abdiam Babyloniæ Episcopum in vita sanctorum Apostolorum Simonis & Iudæ, quam is eorum discipulus lōgo sermone descripsit, primum obtinet locum diuus Hieronymus, qui in libro de perpetua virginitate Mariæ contra Heluidium hæreticum ita ait: Tu dicis Mariam virginem non permansisse, ego mihi plus vendico, etiam ipsum Ioseph virginem fuisse per Mariam, vt ex virginali coniugio virgo filius nasceretur. Si enim in virum sanctum fornicatio non cadit, & aliam eum vxorem habuisse non scribitur: Maria autem, quam putatus est habuisse, custos potius fuit, quàm maritus: relinquitur virginē eum mansisse

cum Maria, qui pater Domini meruit appellari. Huic proximè succedit diuus Augustinus, & ipse Ecclesiæ Doctor insignis, qui in fine sermonis 14. de Natiuitate Domini ita dicit: Habe ergo Ioseph, cum Maria coniuge tua communem virginitatem membrorum, quia de virgineis membris virtus nascitur Angelorum. Sit Maria sponsa Christi in carne sua virginitate seruata: sis autem & tu pater Christi, cura castitatis, & honorificentia virginitatis, vt de virgineis membris genitricis seculis Christianis nulla sit zelotypia. Et paulò pòst: Gaude itaque Ioseph, nimiumq́ congaude virginitati Mariæ, qui solus meruisti virginalem affectum possidere coniugij: quia per meritum virginitatis ita separatus es à concubitu vxoris, vt pater dicaris Saluatoris.

Rupertus quoque Abbas Tuitiensis super Matthæum capite 1. relatis Diui Hieronymi verbis cõtra Heluidium, eius sententiã amplectitur, & approbat. Sequitur hanc eandem & Hugo de sancto Victore, in Annotationibus super Epistolam ad Galatas, quæstione 5.

Demum Beda venerabilis, quem de industria in vltimo loco reseruaui, in hanc sententiam & ipse accurrit, qui etiã super Marci caput 6. de fratribus Domini loquens, inter cætera ait: Fratres & sorores Domini Iudæi secum esse testabãtur. Qui tamen non liberi Ioseph, aut Mariæ iuxta hæreticos, putandi sunt: sed potius, iuxta morem sacræ scripturæ, cognati ipsorum sunt intelligendi: quomodo Abraham, & Loth fratres appellantur, cùm esset Loth filius fratris Abrahæ. Cuiusmodi inuenies multa. Vides ergo, si quis dixerit hos Domini fratres, vel ex beato Ioseph natos, vel ex sancta ortos Dei genitrice, nedum inhonestam assertionem, sed etiam hæreticam inuentionem esse. Quòd si adhuc clarius, quomodo Iacobus, & cæteri fuerint Domini fratres, cognoscere desideras, & per quem sanguinis gradum, vel cognationis, siue affinitatis lineã: lege Hugonem ipsum in prædicto loco, qui abundè tibi in hoc satisfaciet, idipsum ostẽdere satagẽs. Quòd si fortè nec quæ ibi dicit tibi placuerint, nempe Cleopham post mortem Ioachim accepisse Annam beatæ Virginis matrem in vxorem, ex qua Mariam hanc Iacobi, & cæterorum fratrum matrem genuerit: quemadmodum nec mihi placere potest tantam illam matronam post sterilitatis diuina gratia solutũ impedimentũ, & post dignissimæ illius plãtulæ fœturam, nẽpe Reginæ Angelorũ, & Dominæ nostræ ortũ, mortuo Ioachim, vnũ atque alterum, vt vulgò dicunt, sibi maritos superinduxisse, & rursus atque rursus coniugales amplexus adamasse: dicito Cleopham qui hanc Mariã Iacobi matrẽ genuit, fratrem germanum sancti Ioseph fuisse, vt Theophylactus asserit, qui ex coniuge sua, quæcunque ea fuerit, Mariã hanc genuerit, quæ postea Alphæo nupta, mater horum filiorum effecta sit. Cùm ergo sanctissima Maria sponsa fuerit beati Ioseph, Cleophæ glos fuit, illeq́ ei leuir atque filia eius Maria, beatæ virginis neptis: quæ eius soror more scripturarũ dicta fuerit: sicut Loth frater Abrahæ. Hincq́ factum, vt Iacobus minor, & reliqui eius fratres, fratres etiam Domini dicti fuerint. Et hoc modo si dixeris, in nullã incides difficultatẽ. Quòd si nec hoc tibi placet, aliã tu excogita rationẽ meliorẽ, cui ego libens acquiescam, modo ne dixeris sanctũ & iustum virũ Ioseph à Deo custodiã castissimi templi eius, & Spiritus sancti tabernaculi, hoc est, beatissimæ Deiparæ, electum, & tanta dignitate decoratũ, vt pater filij sui in terris dici mereretur, alterius se vxoris osculis & amplexibus miscuisse, ac suauissimum decoræ pudicitiæ florẽ amisisse. Nõ quòd si hoc fecisset, aliquid iustitiæ eius, aut beatissimæ Virginis, vel admirabilis filij eius sanctitati detraheret, cùm honorabiles vbique prædicentur nuptiæ & thorus immaculatus. Sed quia indecens quodãmodo Dei filio videretur, si dum virginitatis gloriam, meritum ac priuilegiũ in sua sanctissimaq́ matris persona primum dedicabat, eandem minimè in patre quoq́ suo putatiuo, tanquã non suauiter omnia disponeret, cooptasset: Cùm ille maximè ad noui testamenti gratiam, in qua bibitur vinũ germinans, virgines pertinuisse videatur. Quod si dixeris: Et quid ad dicta sanctorũ patrũ contrariam sententiam tenentium respondebis? Quid, inquis, respondebo: De duobus alterum: vel (quod tangere visus est Beda) ab hæreticis hæc in eorum voluminibus fuisse interiecta, cuiusmodi plurima etiã alijs in rebus immissa quandoq́ cognoscere possumus: vel quæ ab eis dicta sunt, imprudentiusculè, ac minus accuratè (prout humana fragilitas fert, quòd grauissimi etiam & eruditissimi viri quandoque dormitent) fuisse enunciata.

Nam

Nam si maiori cum diligentia Euangelicos codices perpendissent, nequaquam Iacobum minorem fratrem Domini, filium Ioseph, sed Alphæi proculdubiò asseruissent: sicut & Iacobum maiorem Zebedæi filium, & Petrum Ionæ, vel Ioannis astruere compulsi sunt.

Habes ergo meam, bone Lector, hac de re sententiam: quam & te quoque, si pius es, si castitatis & sanctimoniæ amator, si beati Ioseph deuotus filius existis, secuturum non ambigo. Plura autem, si Veronæ in Episcopatu meo fuissem, super hoc forsitan collegissem, vbi & librorum mihi copia suppeditat, & adsunt nonnullarum Epistolarum schœdæ vltro citroq; missarum, dum recolendæ memoriæ Ioannes Coclæus vir doctißimus, & de Christiana Republica optimè meritus, adhuc nobiscum in humanis ageret. Nam memini hac de re inter nos multa & dicta, & constituta fuisse. Hæc verò quæ per me tunc apud nobilißimum Poloniæ Regem Pontificium Legatum agentem, & libris ferè carentem, atq; assiduè huc illucq; obequitantem, ac negotijs difficillimus implicatum quasi ex memoria dici potuerunt, tu & benignè suscipito, & æqui bonique consulito. VALE.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYsostomi Archiepiscopi Constantinopolitani, in sanctißimæ Dei genitricis Annunciationem oratio.

RVRSVS lætitiæ nuntij, rursus libertatis indicia, rursum reuocatio, rursum reditus, rursum gaudia, rursum à seruitute liberatio. Angelus cum virgine loquitur, quoniam serpens cum muliere locutus fuerat. Sexto, inquit, mēse missus est Angelus Gabriel à Deo ad virginem desponsatam viro. Missus est Gabriel, vt totius mundi salutem nunciaret. Missus est Gabriel, vt scriptum reuocationis Adam afferret. Missus est Gabriel ad virginem, vt mulieris dedecus in honorem conuerteret. Missus est Gabriel, vt puro sponso thalamum pararet. Missus est Gabriel, vt inter creaturam, & creatorem sponsalia celebraret. Missus est Gabriel ad animatum palatium Regis Angelorum. Missus est Gabriel ad virginem desponsatam quidem Ioseph, sed seruatam filio Dei. Missus est seruus incorporeus ad virginem immaculatā. Missus est à peccato integer ad corruptionis expertem. Missus est lucernæ splendor, qui iustitiæ solem nunciaret. Missus est nitor auroræ, qui diei lumen præcurreret. Missus est Gabriel, vt ostenderet eum qui est in sinu Patris, in matris etiam vlnis gestari. Missus est Gabriel, vt indicaret qui est in solio, in spelunca etiā iacêre. Missus est miles qui Imperatoris mysterium promulgaret. Mysterium quod fide cognoscitur, & curiositate non inuenitur. Mysterium adorandum, non humana prudentia ponderandum. Mysterium diuinis, non humanis rationibus explicandum. In mense sexto missus est Gabriel ad virginem. Quem sextum mensem dicit: Quem? Ex quo nimirum Elizabeth bonum accepit nuncium. Ex quo Ioannem concepit. Vnde id planum fit? Ipsemet Angelus virginē alloquens sic interpretatur. Ecce Elizabeth, inquit, cognata tua & ipsa concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis. Mense sexto: scilicet conceptionis Ioannis. Oportebat enim, vt miles anteiret: consentaneū erat, vt minister antecederet æquū erat, vt index Domini præsentiam significaret. Mense sexto missus est Angelus ad virginem desponsatam viro. Desponsatam, non autem coniunctam. Desponsatam quidem, sed seruatam. Cur desponsatam? Ne celerius latro mysterium intelligeret. Nam per virginem quidem Regem esse venturum improbus non ignorabat, quippe qui Esaiæ ipse quoque verba illa audierat: Ecce virgo in vtero habebit, & pariet filium. Itaque singulas virgines obseruabat, vt vbi mysterium impleri animaduerteret, infamiam pararet. Idcirco Dominus per desponsatam venit. Quæ enim desponsata fuerat, deinceps in manum sponsi tradenda erat. Mense sexto missus est Gabriel ad virginem desponsatam viro cui nomen erat Ioseph. Audi quid de hoc viro, & de virgine dicat Propheta: Dabitur hic liber obsignatus viro sciente literas. Id est, viro planè immaculato. A quo dabitur? A sacerdotibus vtique. Cuínam viro? Fabro Ioseph. * Hic Ioseph, fratres, claro prius iunctus matrimonio susceperat liberos: post autem, vxore repudiata, in castitate vixit, & liberos in disciplina, & timore Domini educauit. Cùm enim Paulus Apostolus ad Euangelij promulgationem proficisceretur, & vnum ex filijs eius reperisset: Alium, inquit, Apostolorum vidi neminem, nisi Iacobum fratrem Domini, non ex Maria, sed ex Ioseph genitum. Cùm igitur sacerdotes casto Ioseph virginem despondissent, eam illi commendauerunt, nuptiarum tempus expectantes. Verùm eam ipse suscipiens integram erat conseruaturus. Id quod multò antè Propheta pronunciàrat. Dabitur, inquiens,

** Cautè hoc leges, nam Ioseph etiam virginē fuisse credimus: quod superius euidētißimis medijs cõuicimus.*

liber obsignatus viro scienti literas, id est, matrimonio coniuncto, & dicet: Non possum legere. Cur non potest legere Ioseph? Non possum, inquit, legere, quia liber est obsignatus. Cui seruatur? Rerum omnium procreatori pro domicilio. Sed ad propositum reuertamur. Mense sexto missus est Gabriel ad Virginem. Qui profectò eiusmodi à Deo mandata accepit: Ades huc Angele, minister esto mysterij grauis & reconditi: miraculo inserui. Misericordia mea commotus, ad requirendum Adam qui aberrauit, descendere festino. Peccatum prostrauit eum qui ad imaginem meam factus est: corrupit opus manuū mearum: infecit decus à me confectum. Lupus deuorat alumnum meum. Exultat incola Paradysi. Vitæ lignum à flammeo gladio custoditur. Clausus est locus delitiarum. Errantis me miseret. Hostem capi volo. Placet, vt virtutes omnes quæ in cœlo sunt, mysterium hoc lateat, & tibi soli sit manifestum. Vade ergo ad Mariam virginem. Vade ad animatam ciuitatem, de qua loquitur Propheta: Gloriosa, inquiens, de te dicta sunt ciuitas Dei. Vade ad Paradysum meam ratione præditam. Vade ad portam Orientalem. Vade ad habitaculum verbo meo dignum. Vade ad alterum cœlum, quod est in terra. Abi ad nebulam leuem: & præsentiæ meæ illi nuntia integritatem. Abi ad sanctuarium mihi paratum. Abi ad thalamum diuinæ humanitatis meæ. Abi ad purum cubiculum ortus mei secundùm carnem. Loquere in auribus arcæ meæ ratione præditæ, vt paret mihi auditus ingressum. Caue offendas, aut turbes animum virginis. Templum illud diuinum modestè adi. Prima tua vox illi gaudium afferat. Dic: Aue gratia plena: vt ego miserear afflictæ Euæ. Audiuit hæc Angelus, & secum, vt par erat, hæc cogitabat: Noua res hæc est, cuius intelligētia nullis verbis explicari potest. Quem metuunt Cherubin, quem Seraphin intueri non possunt, quem omnes virtutes Angelicæ comprehendere nequeunt, speciali quodam modo nunciatur cum puella virgine conuersaturus, & propriæ eius personæ præsentia significatur, imò verò ingressus per auditum ei promittitur. Qui Euam condemnauit, eius filiam glorificare tantoperè festinat? At enim: Vt paret mihi auditus ingressum. Nunquid potest virginis vterus eum capere, qui comprehendi non potest? Verè mysterium magnum & venerandum. Sic Angelo cogitanti: Quid, inquit Dominus, turbaris, ô Gabriel, nouitate rei? Nónne paulò antè missus es à me ad Zachariam sacerdotem? Nónne illi Ioannis ortum nunciasti? Nónne incredulo sacerdoti pœnam intulisti? Nónne senem taciturnitate mulctasti? Nónne quæ tu pronunciasti, ego rata habui & comprobaui? Nónne nuncium tuum res ipsa consecuta est? Nónne sterilis concepit? vterus paruit? sterilitatis morbus discessit? naturæ fugit inertia? Quid est quod ego nō possim efficere? Cur igitur dubitas? Tunc Angelus: Naturæ, inquit, errores, Domine, corrigere, morborum nebulam dissoluere, membra mortua ad vitalem vim reuocare, naturæ præcipere, vt liberos gignat, à certis membris sterilitatem remouere, senescentem stipulam ad viridem formam reducere, terram infœcundam statim efficere manipulorum matrem, solitum est tuæ virtutis opus. Testis est Sara, tum Rebecca, pòst autem Anna, quæ cùm graui sterilitatis morbo laborarēt, abs te liberatæ sunt. Virginem verò sine viri congressu parere superat naturæ leges, & præsentiam tuam in puella denunciat, vt quem cœli, terræque termini non capiunt, virginis vterus comprehendat. Quomodo, inquit Dominus, me tabernaculum Abrahæ potuit continere? Quoniā, inquit Angelus, hospitalitatis pelagus habebat. Verùm illic, ô Domine, te conspicuum Abrahæ præbuisti in ostio tabernaculi, & pertransisti qui omnia comples. Quomodo autem feret Maria diuinitatis ignem? Solium tuum ardet splendore illustratū, & virgo te ferre poterit, vt non comburatur? Si læsit, inquit Dominus, rubum ignis in solitudine, lædet omnino Mariam quoque præsentia mea: sin ignis ille qui diuini ignis mei præsentiam significabat, rubum potius irrigauit, quàm combussit, quid de veritate dices, non in igne flammæ, sed in pluuiæ specie descendēte? Tunc Angelus Dei iussa facessens, virginem adijt, & clara voce: Aue, inquit, gratia plena: Dominus tecum. Non est amplius diabolus contra te. Vbi enim prius hostis ille vulnus inflixit, ille medicus adhibet medicamentum. Vnde mors ingressus principium habuit, inde vita sibi aditum patefacit. Per mulierem mala fluxerunt, per mulierem emanant bona. Aue gratia plena. Ne te pudeat quòd mulier causa damnationis extiterit. Tu enim iudicis & redemptoris mater existes. Aue gratia plena, quæ mundi paries Saluatorem. Aue gratia plena genitrix vitæ, quæ mortem delebit. Aue animatum Dei templum. Aue cœli terræque pariter domicilium. Aue, naturæ illius quæ comprehendi non potest, amplissimum habitaculum. Per hanc adest, charissimi, ægrotantibus medicus, in tenebris confidentibus illuxit iustitiæ sol, tempestate iactatis factus anchora, portusque tutissimus. Deo inuisis, & inimicis reconciliatio, captiuis redemptio, in bello versantibus munitissimum propugnaculum: ille nimirum, qui est pax nostra. Qua quidem pace vtinam detur nobis frui, per gratiam eiusdem Dei nostri Iesu Christi: Cui gloria & imperium cum Patre & sancto Spiritu, in secula seculorum. AMEN.

SANCTI

SANCTI ATHANASII ARCHIEPIscopi Alexandrini sermo, in descriptionem sanctissimæ Mariæ, & beati Ioseph.

Apud Simeonem Meaphrasten.

QVemadmodum qui terram effodiunt, aurum perscrutantes, cùm venam aliquam inuenerint, auream arenam præ se ferêtem, in eam incumbunt, & magis magisque terram effodiunt, quippe qui venam illam lucri ducem inuenerint, quam prosequentes non prius è loco illo discedunt, quàm auri propositi latebrá assecuti fuerint: ita & nos, vt Ecclesiasticæ negociationis operarij, beatũ Euangelistam Lucá in manu habentes, Dominici ex Mariæ virginis conceptione thesauri considerationé aggressi, non prius ab huiusmodi perscrutatione desistimus, quàm propositas diuitias syncerè colligamus. Quamobrem & ordine seruato Euangelistam ita perscrutabimur, vt nihil eorum quæ vtilitatem afferre possunt, derelinquamus. Nam & si verba ipsa non sublimia sint, nihilominus tamen mgni gaudij mysteriũ in se continent. Nemo igitur propterea segnem ac negligenté se præbeat, quòd quæ modò lecta sunt de Iesu, parua quædá esse videatur, si auditu solo percipiátur. Quantum enim ad geniti Domini potentiá pertinet, parua quidem sunt, & valde humilia, quæ lecta modò audiuimus, vt fasciæ, præsepe, ac locus, qui tantæ maiestati videbatur minimè cõuenire. Parua nimirũ sunt hæc, sed mystica & arcana quædá eiusdẽ Domini ortus nobis proponit, vt Mariæ ventrẽ, cuius gratia verbis explicari non potest: sinũ, quem humana cogitatione cõprehendere nõ valemus: mammas naturæ consuetæ radicé non habentes: lac peregrino & nouo modo fluens: vbera longè à naturali consuetudine ac lege aliena: Matrẽ Domini descriptá: Ioseph sponsum Mariæ, communionem eius non re sed nomine habentẽ. Audistis paulò antè Lucam Euangelistam dicentẽ: In illis diebus exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc autẽ descriptio prima facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes, vt profiterentur singuli suam ciuitatem. Ascendit autẽ & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatẽ Dauid, quæ vocatur Bethleem, eo quòd esset de domo & familia Dauid, vt profiteretur cum Maria despõsata sibi vxore prægnãte. Vides quàm exiguis verbis, quàm magna cõprehendantur mysteria? Dominus conceptus erat in ventre virginis, & prima gentium Augusti edicto instituebatur descriptio. Qui omnem naturam apud se descriptam habet, quiq; Discipulis suis ait: Gaudete & exultate, quoniam nomina vestra scripta sunt in cœlo: ille suam ipsius matrem paruis quibusdam Romanis codicibus describi voluit. Quis non loquetur, quis non admirabitur dispensationem illam, qua Dominus ad nostram se demisit humilitatem? Qui in excelsis liber est, in terris describitur. Illic Dei filius, hîc seruus: Illic Rex, hîc subditus: in cœlis diues, in terris pauper. In cœlis adoratur, in terris vectigal ab eo exigitur ac soluitur. Illic diuino sedet in throno, hîc in agresti, & rustica nascitur spelunca. Illic in paterno est & incomprehensibili sinu, hîc in paruo brutorum reclinatur præsepi. Quis non admiretur superna & sublimia illa, cum humilibus & paruis his collata? Inuoluitur fascijs, qui soluit omnia. Nutritur is, qui nutrit vniuersos. Qui nullo loco potest comprehẽdi puer, angusto comprehenditur præsepi. Qui emittit fontes, mammam sugit. Qui fert omnia, inexplicabili quodam modo ferebatur. Qui nusquam non est, in exigua Iudaicæ regionis parte incircunscriptè circumscribitur. O res admirabiles, & omnium hominum cogitationem superantes. Elizabeth in domo illustri Ioannem peperit: & virgo ipsa in parua spelunca Iesum parit. Ioannes in lecto, & Dominus in præsepi reclinatur. Sed non simpliciter factũ credamus, vt gigneretur Dominus Iesus, fascijs inuolueretur, mammá sugeret, in præsepi reclinaretur. Non temerè factũ existimemus, vt illa Cęsaris Augusti descriptione numeraretur. Omnia hæc certa de causa, & ad finem aliquem facta sunt diuina quidem dispensatione, sed obscura. Ex virgine gignitur, vt ex terra virgine formatum primum illum humani generis parentem Adam reformaret. Fascijs inuoluitur, vt peccatorum nostrorum catenas dissolueret, vinculis scilicet soluens vincula: peccata enim vinculorum nomine appellantur, vt ait scriptura: Vnusquisq; suorum peccatorum catenis constringitur. Suxit mammam, vt diuinum illud gratiæ lac nobis scaturiret, quod ex proprio latere profudit: nihil enim aliud est lac nisi sanguis, albus effectus. Reclinatur in præsepi, vt naturæ humanæ deprauatam rationem corrigeret, & duorum animalium esca fieret, Gentilis & Iudaici populi, de quibus scriptum est: In medio duorum animalium cognosceris. Augusti Cęsaris descriptionem suscepit, vt orbis terrarum confusionem ordinaret. Hæc enim descriptio fuit ordinationis, quæ in orbe terrarum futura erat, pignus & imago quædam.

Quòd autem vera sint quæ dicimus,paucis verbis explicabimus. Antequam Dominus homo fieret, multa humanum genus tyrannide premebatur, & orbis terrarum homines temerè ac sine ratione vitam degebant,& regalis dignitas dehonestabatur, cùm multi & copiosi extemplò crearentur reges.Centum homines aliquis subiectos sibi habebat,& statim Regni nomen ac specimen sibi vendicabat. Talis erat gentium concertatio, suarum regionum principatus appetentium,neq; ex proprijs locis excedentium,nisi fortè aliquo modo in se vicissim arma sumerent.Cùm eiusmodi confusio diutius vigeret,& Dominus Iesus Christus solus ipse virginalem aulam in terris habitare cõtentus esset,statim multorum principatum extinguens, Romanæ gentis dominatum cõstituit,vt sub vno principe ad militiæ cœlestis imitationem omnes viuerent. Sicut enim in cœlis sub vno Rege vniuersi continentur,dæmonibus ipsis, more Barbarorum,imperij iugum recusantibus:ita & in terris, etsi multæ sunt gentes quæ subijci noluerint, vnum tamen Romanorum imperiũ potestatẽ tenet,qui supernæ potestatis ope adiuuatur.Huius igitur ordinationis causa cœlestis ille Rex,cùm adhuc in sanctissimæ virginis vtero conceptus gestaretur, primam descriptionem orbis terrarũ sub Augusto Cæsare fieri iussit, atq; sub illa imperij Romani descriptione seipsum quoque contineri voluit, vt legem illam diuina prouidentia latam confirmaret. Tunc enim Regis lex firmatur, cùm Rex qui eam tulit, primus exequitur. Nam qui legem fert,& non obseruat,euersor potius est,quàm legislator.Eius igitur,quam suprà diximus,ordinationis gratia,sub Augusto Cęsare prima descriptio facta est,vt Iudaicæ gentis deprauata consuetudo reprimeretur, neq; liceret deinde inordinatè viuentibus Iudæis sua deprauata lege innocentes homines interficere,sed necessitatis iugo compressi alienis legibus seruirẽt. Necessaria igitur fuit sub Augusto descriptio.Illa Iudæorum gentem depressit,& Christianorum fidem amplificauit: cùm Iudaica natio Romanorum imperantium timore non amplius audeat superiorem insaniam atq; immanitatem exercere. Quamobrem post descriptionem illam cum Dominum Iesum comprehẽdissent,& morti tradere festinarent, non ausi sunt pro sua libidine ac temeritate, quemadmodum in alios Prophetas se gesserant,quibus iniustã cædem attulerant, Dominum Iesum aggredi,sed ad Pilatum Romanorũ loco præsidentem adduxerunt,pœnas ab illo exigentes.Quamobrem Pilatus præses, vt vidit Iudæos cædem Domini communiter flagitantes, dicebat illis: vt manifestè vos etiã ipsi cognouistis: Nihil dignũ morte inuenio in hoc homine.O nefarios & iniquos Iudæos,cur tantoperè studetis Romanorum magistratum labefactare, iniusto iudicio iustum illum aggredientes,& dantes omnẽ operam,vt innocẽtissimus,& ab omni labe purissimus tanquàm nocens condemnatus de medio tollatur? Nihil,inquit,dignum morte inuenio in homine isto. Iure igitur Barabas condemnetur,& Iesus absoluatur. cùm ille seditiosus sit & homicida: hic beneficus & vitæ dator. An illi beneficia, tanquam crimina,exprobrabitis? In hanc sententiam Pilatus respondit.Sed quidnã Iudæorum natio? Illa quidem nihilominus sæuiens,Pilatũ ipsum,vt Augusti Cęsaris inimicum,quippe quòd Christo patrocinaretur,his verbis præsentẽ insequebatur.Si hunc dimittis,non es amicus Cæsaris: siquidem illi vitã condonas,qui se Regem esse dicit.Hæc Iudæi.At Pilatus neque sic permisit Iudæos suo arbitratu quicquid vellent in Christũ facere.Nam si per imperium Præsidis licuisset Iudaicę gẽti facere quæ volebat,lapidibus Dominũ Iesum obruissent,vel serra lignea dissecuissent.Quod si factũ fuisset,nos Crucis beneficio defraudati,damnũ passi fuissemus.Crucis enim lignũ,Romani iudicij proprium est supplicium.Quamobrẽ Pilatus iterum eos interrogans aiebat:Quid vultis faciam ei,qui dicitur Christus? Illi verò clamabant:Tolle,tolle,crucifige eũ.Quibus statim Pilatus assensus est.Datũ enim ei fuerat desuper diuino nutu.Huius igitur rectę ordinationis causa instituta est prima sub Augusto Cęsare descriptio. Nisi enim lex hæc antea lata fuisset,Domini Iesu Christi corpus integrum sepulturæ mandatũ non esset.Nam Iudæorum natio nimio furore accensa,Dominicũ corpus in ignẽ aut in mare deiecisset.Nam si Hieremiam non sic inuisum in lacum cœni plenum coniecerũt,quid in Christi summoperè sibi exosi corpus facturi fuissent,nisi Romanę legis pœnã timuissent?Quamobrem cùm nulli Iudæorũ Pilatus cõcessisset,vt Christi corpus de cruce deponeret, Ioseph ab Arimathia Pilati amicus accessit, & petijt corpus Iesu, quod & accepit,rẽ planè singularẽ atq; incõparabilem.Necessaria igitur,vt sæpe diximus, descriptio fuit sub Augusto Cæsare,qua & sponsus virginis,vt paulò antè audiuistis,censsus fuit: nam totus mundus descriptione illa rectæ ordinationis primordia tunc accepit. Sed prosequamur Euangelicæ historiæ narrationem. Ibat Ioseph cum virgine,partim adiutor, partim spectator eorũ quæ futura erãt,non quia virgini adiutore opus esset,vel ei qui conceptus in vtero virginis portabatur:ille enim est omnium adiutor,ad quem clamãtis Prophetæ spectat oratio illa: Auxiliũ meum à Domino,qui fecit cœlũ & terram:sed quia eius dispensationis mysterio necessarius erat Ioseph, vt virgo quasi sub viro esse crederetur,&

res ipsa

res ipsa lateret diabolum, ne scilicet scire posset quod futurum erat, id est, quemadmodum Deus ipse cum hominibus versari contentus esset. Sed quidnã Euangelista Lucas ait? Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filiũ suum primogenitum, & pannis eum inuoluit; & reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. O res admirabiles, & omniũ cogitationẽ superantes. Papè quàm paucis verbis quàm magna continentur mysteria. Factum est, inquit, cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret. O res omnino admirabiles. Effector temporũ certũ expectat tempus: qui certos temporibus præfigit terminos, præfinitam expectat diẽ, ne quis eius ortũ specie quadam, non re vera fuisse suspicari posset. Operæpretiũ autẽ est huiusce rei mysteria considerare, ac primùm illud contemplemur, quemadmodum parua illa domus, in qua virgo peperit, Ecclesiæ figurã continebat. Præsepe verò altaris, Ioseph sacerdotis per vices munus suum exercentis: Pastores diaconorũ, Angeli sacerdotũ, & Dominus Iesus pontificis formã in se gerebat. Thronus autẽ Dei per virginem Mariam figurabatur. Quamobrem supradicta omnia in virginis partu præmõstrata esse cernens, admirare cùm audis Euangelistã Lucã sic dicentẽ: Factum est in illis diebus, impleti sunt dies, vt pareret filiũ suum primogenitum, & inuoluit eum pannis, & reclinauit in præsepio. Vide admirabilem virginis partũ. Illa ipsa quæ peperit, pannis inuoluit, & reclinauit in præsepio. Aliarũ mulierum quæ in mundo sunt, vna parit, & alia infantem pannis inuoluit. At non ita virgo fecit, sed quæ peperit, illa eadem infantem pannis inuoluit. Quæ sine labore aliquo mater fuit, eadem & obstetricis munere functa est, cùm à nulla muliere didicisset. Non enim permisit quenquã impuris manibus attrectare partũ ab omni labe purum. Illa per se eum qui ab ipsa, & pro ipsa genitus est, suscepit, pannis inuoluit, & in præsepio reclinauit, quoniam non erat eis locus in diuersorio. Iam vidisti amice, quemadmodum Ecclesiæ figuram præmonstrabat humile illud habitaculum, in quo virgo peperit. Quæ cùm semel cõcepisset, ac peperisset, nunquam amplius genuit, neq; virum cognouit, quãuis aliqui delirantes, eò quòd audiant Euangelistam Lucam dicentem: Et peperit filiũ suum primogenitũ: audeant dicere, virginem ipsam alteram conceptionem suscepisse, incorruptam atque ab omni labe puram virginẽ corruptioni subiectã fuisse temerè iactantes. Nunquã, inquiunt, diceretur primogenitus, nisi & alter partus secutus fuisset. Nõ solùm autẽ aduersarij suæ temeritatis testẽ Lucam Euangelistam proferre audent, sed Matthæũ etiam eadem scribentem proferunt: quinetiam manifestius hoc apud Matthęũ Euangelistam esse contendunt, cùm his verbis in ipsius Euangelio scriptũ legatur: Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Noli timere accipere Mariam coniugẽ tuam, quod enim in ea natum est, de spiritu sancto est. Et post pauca: Exurgens autem Ioseph à somno, fecit sicut præcepit ei Angelus Domini, & accipit coniugẽ suam, & non cognoscebat eam, donec peperit filiũ suũ primogenitum. Ex his verbis similiter aduersarij conantur probare, Mariam alios filios cõcepisse.

Sed caue hoc suspiceris: absurda enim omnino res est. Nam virginale illud claustrũ, in quo diuinus thesaurus repositus fuit, omni ex parte purum atq; impollutum permansit. Non coinquinatum fuit secundum illud cœlum: neq; commaculatum, & tanquam inutile factum est vas Mariæ, Dei capax effectũ. Dominus autẽ primogenitus Mariæ verè dictus est, non quia & alter ab eadẽ natus sit, sed quoniã primogenitus, hoc est, singularis, atque incomparabilis genitus fuerit. Beatus item Paulus, licet de Domini ex patre, qui est sine principio, scribens origine, dicat illum primogenitum omnis creaturæ, non propterea & naturalem aliquẽ fratrem ei fuisse innuit: neq; enim cùm eũdem appellat primogenitum mortuorum, iam similem aliquem introduxit infernum conculcantem. Quamobrem hæc scripturæ verba prudenter intelligas, & piè credas. Dominus propterea vocatur primogenitus à mortuis, à patre, & à virgine, vt ex omnibus his notior fieret singularis eius dignitas, qua filius Dei est. Incõparabilis enim fuit Domini origo. Cuius enim mater ipsa virgo est, eius origo qua ratione poterit explicari? Quod autem dicit beatus Matthæus: Non cognoscebat eam, donec peperit filium suum primogenitũ: non in eam sententiam accipiendũ est, in quam isti prauè accipiunt. Verè non cognoscebat illã Ioseph, donec peperit filium suum primogenitũ, quamdiu scilicet virgo ipsa, quem conceperat, ferebat in vẽtre. Namq; Ioseph, quid in ea lateret, ignorabat, & quale quãtumue illud esset, & quem ad finẽ res spectaret, non antea perspectũ habuit, quàm virgo peperit. Tunc enim quanta esset eius virtus, ac dignitas diuinitus ei collata, manifestè cognouit. Tunc vidit mãmam infanti à virgine datã, cuius virginalis flos intactus permãserat. Tũc vidit virginẽ peperisse quidẽ, sed nihil eorũ sensisse quæ parturiẽtes pati solẽt. Tunc cognouit petrã illã è mõtis vertice abscisã, & mammã sugendã dedisse petrę illi spiritali, quę mẽtis lumine cõprehen ditur. Tũc cognouit Ioseph clarissimi prẹconij Prophetã Esaiã de virgine illa hoc scripsisse: Ecce virgo cõcipiet. Propterea igitur primogenit⁹ dicitur Iesus, q̃ singulari & incõparabili

modo genitus sit. Nam si verum dicere volumus, Dominus ipse vnigenitus verè est ex Patre. Solus enim ex solo sine principio genitus est. Idem Dominus & vnigenitus, & primogenitus: vnigenitus ex Patre, vnigenitus ex Matre, propter dispensationis terminum. Habet ille quidem multos fratres non natura, sed gratia, & in virgine, & in patre. Et in resurrectione habet fratres Dominus Iesus. Sed quinam sunt isti? Ante omnes fuerunt sancti Apostoli, quibus dixit Dominus: Vado ad patrem meum, & patrem vestrum. Ipsi patri simul cum filio, & sancto ac viuificante spiritu sit gloria in æterna secula. Amen.

AMPHILOCHII EPISCOPI ICONII HOmilia in Purificationem Dei genitricis Mariæ, in Annam Prophetissam, & Simeonem.

Apud Simeonem Metaphrasten.

MVLTI quidem non vulgare, sed viri summi atque præstantes, virginitatem admiratione magna prosequuntur, idque non immeritò faciunt, cùm verè sit [1] admirabilis, vt Angelorum naturæ cognata, & eundem cursum sibi proponens, quem & naturæ illæ incorporeæ propositum habent, vt Ecclesiæ sanctæ lampadem gestans, vt mundum superans, vt affectus & perturbationes carnis cõculcans, vt appetitũ refrenans, vt cum Eua non communicans, vt à dolore, ac tristitia liberata, vt castitati adhærens, vt à gemitibus redempta, quippe quæ condemnationis sententiam non admisit, quæ ait: In dolore paries filios: & conuersio tua ad virum: & sub viri potestate eris. Verè igitur virginitatis ipsa est admirabilis, vt possessio quædam à seruitute libera, vt germen nunquam exarescens, sed semper virens ac florens, vt vitæ institutio insignis, vt exercitationis, & vitæ laudabilis ornamentum, vt humano habitu superior, vt corporeis affectibus pura, vt deniq; vnà cum sponso Christo in thalamũ Regni cœlestis ingrediens. Virginitatis igitur multiplex gloria, talis tantaque est, cui hæc & his similia conueniunt. At nuptiæ [2] honoratę etiam sunt, & quouis terrestri dono superiores, fœcundæ arboris similitudinem præ se ferentes. Est enim coniugium ipsum tanquã planta quędã pulcherrima, ex qua virginitas ipsa nascitur, & rationalia, animataq; germina producuntur. Est, inquã, coniugium ipsum benedictio illa qua mũdus creuit, & generis instauratio facta est: per ipsum enim natura humana reparata fuit: quam cùm Dominus suscepisset, diuinã imaginem renouauit. Tale deniq; coniugium est, vt vniuersum genus humanũ contineat, & cum illo versetur, ita vt liberè posit dicere: Ecce ego & pueri, quos dedit mihi Deus. Cùm ergo tam eximium sit coniugium, quid virginitas erit coniugij flos? Non enim ex alia re, quàm ex coniugio virginitas gignitur. Hæc autem cùm dicimus, inter virginitatem & nuptias contentionem aut pugnam non introducimus, sed vtriusque bona, vt par est, admiramur: quandoquidẽ tam coniugij quàm virginitatis curam habet Dominus ipse, qui non alterũ alteri, tãquam in trutina, opponit, sed facit, vt in vtraque parte Dei timor adsit. Nam si pietas absit, & Dei timor, neque virginitas ipsa veneranda, neque nuptiæ sunt honoratæ. Hæc antequã Euangelicæ lectionis explanationem aggrediamur, dixisse volui, propter id quod in lege quidem scriptum, sed gratiæ tempore confirmatum est: ab vniuersis expectatũ, sed in solo Domino completum est: dico primogenitum fructum illum Mariæ virginis. Audisti enim Euangelistam paulò antè dicentem: Postquam consummati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius Iesus, quod vocatum est ab Angelo, prius quàm in vtero conciperetur. Et postquam impleti sunt dies purgationis eius, tulerunt illũ in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur. Audistíne coniugij benedictionem? Id communiter quidem dictum est de omnibus, sed in solo Domino perfectum. Quod enim scriptura dicit: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: ad solum Dominum Iesum refertur, non ad alium quempiam, licet cõmuniter dictum sit. Talis enim est vniuscuiusque virginis natura, vt primùm viri congressu aperiatur vulua ipsa, deinde pariat. Sed in saluatoris nostri ortu non ita factum. Nam nulla præeunte [3] viri cognitione in virgine matre ipse sine virginitatis illius corruptione ortus est. Itaque dictum illud: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur, verè ac propriè ad Dominum Iesum referebatur. Nunquid Cain sanctus fuit, quoniam omnium primus ex materno vtero editus est? Num, inquam, propterea sanctus vocabitur, qui nefariè vitam terminauit? Num Esau vir bellicosus, & gladij hæres propterea sanctus dicetur, quia prior natus est, quàm Iacob?

1 *Vide virginitatis commendationem egregiam.*

2 *Vide etiã matrimonij & nuptiarum encomium.*

3 *Ecce quomodo vnigenitus Dei filius nulla præeũte viri cognitione in virgine matre ac sine virginitatis illius corruptione, ex eadem ortus est contra veteres & recẽtes hæreticos.*

An Ruben sanctus, quia primus ex vtero matris editus est,quippe qui patris cubile commaculauit? Nemo istorum sanctus fuit.Omnes rei isti extiterunt.Ex his igitur manifestū est scripturæ dictum illud: Omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur,propriè ac verè ad solum Dominum Iesum spectasse. Idque confirmatur illo Gabrielis ad virginem testimonio: Spiritus sanctus superueniet in te,& virtus altissimi obumbrabit tibi: ideoq; quod nascetur ex te sanctum,vocabitur filius Dei. Sunt autem qui nostris dictis aduersantes hæc nobis obijciunt: Si scripturæ locus ille:Omne masculinum adaperiens vuluam,sanctū Domino vocabitur, ad Iesum solùm refertur,non igitur virgo ipsa remansit virgo,cùm scriptura dicat: Omne masculinū adaperiens vuluam. Animaduerte , & prudenter intellige quicunque de virginea illa natura verba facis, quòd scilicet nullo modo virginalis illa porta patefacta sit, eius prouidentia & voluntate,qui antea in ipsa cōceptus est.Hoc enim futurum prædixit Spiritus sanctus, cùm per Prophetā dixit: Hæc porta clausa erit,& non aperietur,& vir non transibit per eam,quoniam Dominus Deus Israël ingredietur, & egredietur per eam,& porta ipsa erit clausa. Quantum igitur pertinet ad virginalē naturā, virginis 4 claustra nullo modo aperta sunt: quòd verò pertinet ad potentiā geniti Domini,nihil clausum,omnia aperta,nihil quod impedimentum afferre potuerit,cùm omnia Domino ipsi sint reserata.Quamobrē & superiores potentię clamantes dicebāt inferioribus: Tollite portas principes vestras,& introibit Rex gloriæ.

4 Claustra sacratißimæ Virginis nascente Domino, nullo modo sunt aperta.

Admirabilis certè virginitas ipsa est,sed quæ vera virginitas dici possit: nam & in virginibus discrimen est, cùm aliæ dormitent, aliæ vigilantes sint. Admirabile coniugium, sed quod verè coniugium est: multi enim coniugij legem seruârunt,multi eam violantes transgressi sunt.Admirabilis est & viduitas ipsa(quandoquidem omnes tres istos ordines decet commemorari) admirabilis , inquam , est & viduitas ipsa in castitatis certamine se victricem ostendens : cuiusmodi fuit Anna illa , de qua paulò antè Lucam Euangelistam narrantem audiuistis. Ea enim cùm bene ac laudabiliter consenuisset,renouauit vt aquila iuuentutem suam.Hæc autem ipse Lucas:Et erat Anna Prophetissa filia Phanuel de tribu Asser. Hæc processerat in diebus multis : & vixerat cum viro suo annos septem à virginitate sua: & hæc vidua vsq; ad annos octogintaquatuor,quæ non discedebat de templo, ieiunijs & obsecrationibus seruiens nocte ac die. Audisti quibus laudibus in sacris Euangelijs ornata sit Anna vidua sancta?Verè fidelis fuit Anna illa,morū probitate,vt nomine ipso gloriosa. Audiant mulieres,& egregiam Annæ vitam imitentur. Similem cursum & ipsæ teneant,vt pares coronas cōsequantur. Nulla sibi proponat viduitatis defectionem, ne monogamiæ continentiam amittat. Certè viduarū corona fuit Anna,sexu mulier,ordine ac dignitate Prophetissa (vt est in Euangelio) in viduitate vitam degens, & in tēplo versans,corpore quidem imbecillis,& propter senectutem infirma,sed animo fortis ac robusta: corrugata facie, sed prudētia vigens ac florens: senectute incuruata, sed concilio & sententia rectè incedens, multorū annorum numero senior iam facta,sed Dei cognitione præcellēs,ieiunijs non saturitati studens,Deum precās,non inter ossitantes vitam degēs, in tēplo perseuerans,non alienas domos obiens,psalmos canens, non nugis vacans,prophetiæ intenta,non fabulis,aut nugacitati,diuina meditans,inhonesta reijciens.Tot tantæq; fuerunt Annæ virtutes,vt illā etiam superârit,quam Apostolus Paulus beatam prædicat,hæc scribēs:Vidua deligatur nō minus sexaginta annorū,si filios educauit,si sanctorum pedes lauit,si tribulationē parentibus subministrauit,si omne opus bonum subsecuta est.An non hanc ab Apostolo prædicatā viduam superauit Anna,& annorum numero,& vita , ac moribus ? Quæ enim prophetiæ dono digna, & sancti Spiritus capax effecta est, Deiq; in carne humana præsentiā omnibus qui eam expectabant nunciauit, atq; ostēdit, quomodo nō illa omnes alias viduas superauit,cùm Euangeliū,sicut paulò antè audiuistis, de ipsa dicat: Et hæc illa ipsa hora superueniens, confitebatur Domino,& loquebatur de illo omnibus qui expectabant redēptionem in Israël.Vidésne quāta fuerit Annæ præstantia? Pro Domino testimoniū proferebat, & Domini spiritu afflata,quæ ipsius erant,præsente illo ipso Domino,loquebatur.O res admirabiles.Erat mulier illa vidua,& ea reuelabat,quæ sacerdotes quidē & Scribas mœrore afficiebant,sed populū ipsum recreabāt,cùm ex Domini præsentia futuram in Israël redemptionem nūciaret.Videbat Anna infantem Dominum dona pro seipso in templo tunc offerentem,neq; tamen propterea offensa est, neque quod videret Dominū in ætati puerili : sed confessa est infantem illum esse Deum, medicum,redemptorem,fortem ac validum peccatorum destructorem.Noli,quæso,Annæ verba simpliciter præterire, quæ omnibus qui præsentes erant, Domini Iesu Christi futurum opus prænunciabat. Vidésne , inquit, puerum hunc mammam sugentem, in materno sinu quiescentem,nondum pedibus vestigia supra terram figere valentem? Vidésne puerum istum , qui octauo die circunciditur ? Hic fundauit secula, hic cœlos in orbem circun-

circunduxit,hic terrã dilatauit,hic mare ipsum arena,tanquam vallo quodam,circũdedit. Puer iste educit ventos de thesauris suis. Idem & Noë temporibus cataractas cœlorũ aperiens,diluuium in omnem orbem terrarũ immisit. Hic pluuiam atque imbres componit. Iste puer niuem vt lanam spargit. Iste Mosaica illa virga patres nostros de terra Ægypti liberauit. Iste mare rubrum dissecuit,& tanquam per campum aliquem fecit illos transire pulueruIento pede,qui spem suam in eo collocauerant. Hic & manna,vt imbres quosdã, demisit. Iste patribus nostris terram melle ac lacte fluentem sorte distribuit. Iste templum hoc per Salomonem construi,atque in sublime erigi fecit. Iste iurãs dixit Abraham: Multiplicans multiplicabo semen tuum, sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris. De hoc puero propheticus chorus consolationem afferens dicebat: Excita potentiam tuam, & veni, vt saluos facias nos. Non igitur offendaris in eo quòd puer sit: idem enim & puer est,& cum patre coæternus. Idem sub tempore numeratur,& genealogiam non habet. Idem puer est balbutiens, & hominibus os & sapientiam largitur, partim vt ex virgine homo factus, partim vt naturam habens quæ comprehendi non possit. Nam & hoc expressit Esaias, cùm dixit: Puer natus est nobis, & filius datus est nobis: partim enim genitus,partim datus est. Quòd ad humanam naturam pertinet,genitus: quòd ad diuinam,datus est. Hæc in illa viduæ Annæ prophetia continebantur. Hæc à muliere & vidua illa egregia clara voce prænunciata sunt. Quæ veré fuit vidua, quæ bene vitæ statum permutauit,quæ virum quidem,cum quo fuerat coniugata,diem suum obeuntem amisit, sed Deum ipsum suscepit. Septem annos cum viro suo vixit à virginitate sua. Annorum hebdomadam complens, & anno septimo à viri consuetudine requiescens, bene sabbatismo functa est, benè amplexa est Dominicæ diei gratiam. Turturis morem Anna seruauit,Non oblita est coniugis sui,non admisit in cubile virum aliquem,à quo eius castitas violari posset. Nam & in lecto ipso priorem virum,quamuis mortuũ,memoria retinebat. Non cõmaculauit syndonẽ, in qua cũ primo illo viro copulata fuerat. Verè reprehensione dignæ sunt,quæ virorum, quibus autore Deo coniugatæ sunt,memoriam cum eorum sepulchris obruunt,præsertim filio aut filijs ex coniugio susceptis,cuius rei causa connubiũ concessum est. Nam si iuniori viduæ non sit proles,reprehendenda non est,si filiorum desiderio impulsa veniat ad alterum coniugium, quoniam & beatus Paulus hoc admonens dicebat: Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamiliãs esse. Itaq; procreãdorum filiorum causa secundum connubium additum est. Cùm verò sit proles iuniori viduæ, superuacaneum videtur semen spargere, cùm scilicet aristæ floreant.

Sed quidnam deinceps narrat Euangelista? Operæpretium est enim totam seriem tractare. Audisti paulò antè Lucam Euangelistã narrantem,quemadmodum Simeon dixerit virgini: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionẽ multorum in Israël,& in signum cui contradicetur: & tuam ipsius animam pertransibit gladius. Quæso, quidnam hoc est: Tuam ipsius animã pertransibit gladius? Intellige prudenter quod dixit Simeon virgini: Ecce hic positus est in ruinam, & resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Diceret virgo vt mater Domini: Quidnam hoc est,quod ait Simeon? Cur tristia quædam aduersus Christum denuncias? Ignoras qua ratione hic puer conceptus fuerit, & propterea tanquam alicuius communis hominis signo contradicendum significas. Nulla in hoc ipso ruina, sed exaltatio multa inuenietur, qui ad alios extollendos se demisit. Cur igitur non ei benedicis,sed ais: Ecce hic positus est in ruinã,& resurrectionẽ multorũ in Israël,& in signum cui contradicetur? Hæc dicere poterat virgo,cui responderet Simeon: Satis est tibi virgo,matrẽ omniũ Creatoris dici: satis est nutricẽ esse illius qui nutrit orbem terrarum,& mundũ sustentat. Satis est,quòd eum feras,qui portat vniuersa. Qui nunc in te habitauit Christus,& nunc manibus meis tenetur,hic ipse suggessit mihi quæ de ipso loquar: quòd scilicet hic positus est in ruinã,& resurrectionẽ multorum in Israël. In ruinam scilicet non credentium Iudæorum,& resurrectionem Gentium quæ credituræ sunt. Signũ autem cui contradicitur, Crucem appellauit. Quandoquidẽ multi ex infidelium numero contradictionis verba Cruci Dominicæ intulerunt,verbis ac factis Iesum impugnantes,arundine caput ipsius percutientes,acetum dantes illi bibere,fel pro cibo afferentes, corona spinis contexta eius caput induentes, sceleratis manibus alapas infligẽtes,lancea latus aperientes,contumeliosa illa verba magnis clamoribus obijciẽtes: Alios saluos fecit,seipsum non potest saluũ facere. Totum hoc interpretatus est Simeon, cùm dixit: Et erit in signũ cui contradicetur. Multi illo ipso tempore contradixerũt,quo Petrus negauit,& omnes Apostoli,vt oues sine pastore,dispersi sunt. In eodem illo crucis signo ipsius etiam virginis cor dolore fuit repletum,ita vt vitam ipsam acerbam sibi esse existimauerit, eò quòd diem illum viderit, & crucifixo filio intestino dolore affecta fuerit. Huiusmodi multas Virginis cogitationes, gladiũ Simeon appellauit,quippe quod

intimum

intimum cor pupugerit,& scandala 5 intulerint,sicut Dominus noster prędixerat:Omnes in me scandalum patiemini in nocte ista. Quamobrem & Simeon hoc futurum prævidit, & dixit: Tuam ipsius animam pertransibit gladius,vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes.Vidésne quemadmodum infinitas illas cogitationes gladium appellauit,vt intimas cordis partes,& renes,ac medullas feriẽtes?In huiusmodi cogitationes incidit virgo ipsa,cùm necdum resurrectionis potentiã cognouisset,quòd scilicet proxima esset Christi resurrectio.Ignorabat enim tãtam esse Christi virtutem,vt mortem quidem ipsam gustaturus esset,sed ab illa deuorari non posset.Itaque post resurrectionem nõ amplius gladius anceps,sed hilaritas, & exultatio consecuta est. Signum igitur cui contradicetur, Crucis signum Simeon appellauit, cuius causa gladius variarum cogitationum animam virginis penetrauit. Licet etiam alia quædam de hoc signo dicere,si Dominum hæc in Euangelio dicentem attendamus: Generatio hęc praua est,signum quærit,& signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus: sic erit & filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Vides quemadmodum Crucis signum non solùm in nouo,sed etiam in veteri testamento nominatum sit?Multum enim vetus testamentum conuenit cum nouo,quoniam vnus & idem est Deus,qui & veterem legẽ tulit, & nouam sanciuit. Huius rei testis est Dominus ipse, quem audi in propheta Ezechiele dicentem ad Angelos, & vniuersalem consummationem significantem:Ne parcat oculus vester,neque misereatur senis,vel adolescentis, non virginis, aut pueri, & mulieres interficite vsque ad internecionem. Eos verò qui tulerint in frontibus suis signum Tau, ne tetigeritis. Vidésne signum veteris & noui testamenti? Quod signum nihil aliud est,quàm crux ipsa,quæ mundo salutem dedit per Iesum Christum Dominum nostrum: Cui sit gloria, & imperium in secula seculorum. Amen.

5 Caute locũ lege. Nam quod dolere cor beatæ virginis in paßione Domini fuerit rep etiã, verißimũ est: sed quod etiam ipsa scandalizata sit, sicut cæteri Apostoli,& in varias inciderit cogitationes,eo quod resurrectionem filij ignoraret,à veritate longe abest, cum sanctißima Virgo resurrectionis filij ignara nõ fuerit,ceu quæ illã ab ore eius toties prædictam audiuerat.

DORMITIO SANCTISSIMAE DEI GENITRICIS Mariæ, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyrolog. sub xviij. Cal. Sept.

DIe xv. Augusti Dormitio 1 sanctæ Dei genitricis & perpetuæ virginis Mariæ.Cuius sacratissimum corpus etsi non inuenitur super terram, tamen pia mater Ecclesia venerabilem eius memoriam sic 2 festam agit,vt pro conditione carnis eam migrasse non dubitet.Quo autem illud venerabile spiritussancti templũ iudicio & consilio occultatum sit, plus elegit sobrietas Ecclesiæ cum pietate nescire, quàm aliquid friuolum & apocriphum inde tenendo docere.

1 Si dormitio appellatur S.Dei genitricis, cur hæretici volũt sanctos potius emortuos dicere,quàm dormientes?

2 Ecce quomodo sancta mater Ecclesia diem festum celebrat migrationis B.Virginis.

SANCTI PATRIS NOSTRI ANDREAE CRETENSIS Archiepiscopi Hierosolymitani encomium, de Dormitione sanctissimæ Deiparæ.

Apud Symeonem Metaphrasten.

MYSTERIVM 1 est festum præsens, cuius argumentum est Deiparæ dormitio,orationis facultatem superans: mysterium (inquam) quod non apud multos quidem iam celebrabatur,apud omnes autem nunc honoratur,& amatur. Et hoc est nostrũ festum, mysterij declaratio,seu explicatio.In qua re nos vellemus quidem silentium præferre orationi,cogimur tamen à desiderio:quibus parũ quid dicere conceditur,quamuis confidere non possimus, & nostram imbecillitatẽ non ignoremus. Non igitur committendum est, quo minus longi silentij secretum compensemus. Celebrandumque est donum, & non obruendum obliuione: non quòd recenter sit inuentum, sed quòd sit suo decori restitutum. Non enim quoniam à nonnullis qui nos præcesserunt, non fuit cognitum, iam etiam est tacendum: sed quod non omnino effugit, id est sanctè prædicandum.

1 Festum dormitionis virginis.

Sit ergo hodie vnum cõmune festum cœlestium & terrestrium:& cũ Angelis collętẽtur homines:Omnisq; lingua choros ducat,& Deiparæ occinat Aue.Hoc Gabriel prius sumpsit exordium mysterij,quãdo id quod est totius Theologię clarissimũ,diuina Iesu secundùm nos formatio,ineffabili cõsilio & dispẽsatione,noua quadam & præclara ratione effingebatur in virginali naturę officina.Et nos quoque rursus oportet hoc tanquam cõparatum ad agendas gratias offerre Reginę generis.Illi enim etiam post excessum conuenit dicere illud χαῖρε. Sola enim nobis introducto gaudio expulit dolorem primæ parentis. Tubis ergo canamus in Sion. Accipiamus Psalterium, & citharam. Canamus matri Dei

nostri

noſtri, canamus non epithalamium, ſed funebre canticum. Rogauerit autem meritò quiſpiam eorũ qui diligenter conſiderant: Quánã de cauſa Sion feciſti mentionem, ô qui canis hymnum ſacræ præſentis lætitiæ? Sed non ab inſtituto hoc eſt alienum ęi ego dixerim, ſi memini ſanctiſsimæ Sion. In ea enim peractum hoc eſt magnum Deiparæ myſterium. In ea ſacrorum caſtiſsimi corporis genuum inflectiones, tãquam clara voce teſtantur tabulæ, quæ ſunt humi conſtratæ. Toto enim tempore incolatus in ea eſt verſata. Et illic naturæ ſeruiens legibus, vitæ finem accepit. Hic quoque latuit principem tenebrarũ, quomodo in pariendo ea effugit quæ accidunt matribus, illa ſanctiſsima & à Deo vocata, quæ gloria & gratia cœlum & terram impleuit magnitudine diuinæ ſuæ tranſlationis. Cuius ſi omnia vellem deinceps perſequi, quomodo extiterit, aut concepta, vel nata ſit, non inuenerim tempus quod reſpondeat orationi: aut dicẽdi facultatem, quæ factis exæquetur: niſi quòd præclara eius omnia quæ narrantur, poſſunt ſummatim recenſeri. Dico autẽ generis claritatem: parentum vtrinque inſignem nobilitatem, qui hinc Sacerdotalẽ, illinc regiam nacti erant dignitatem: liberorum egeſtatem & ſterilitatẽ: pro ea frequentes interpellationes & crebra ſacrificia: in quibus Deũ rogabant, orabant, ſupplicabant vt vincula ſolueret ſterilitatis, & vt qui carebant liberis, fœcũdi fierent ex ſterilibus, & ex infertilitate datũ fructum producerent. Deinde amotionem ſterilitatis: implemẽtum promiſsionis, & paulò antè ea quæ viſa ſunt in ſomnis: & quæ re vera audierunt, & quæcunque ambo communiter & priuatim, viſione præſtantioribus diuinis exauditis vocibus, diuina illuminatione ſancti accepêre reſponſa. Deinde ad generandum aptitudinem, & ad eam progreſsionem: faſcias: aduentum ad Dei templum: quomodo ſit pulchrum munus Deo dedicatum: quomodo in adytis, tanquam in aureis vecta thalamis, immortalem, non autem communem cibum ſumebat. Deinceps verò educationem: & quomodo creſcens, à puerili ætate peruenerit ad adoleſcentiam, & quæcunque declarant perfectam illam conditionem, quibus, vt par eſt, pubeſcens, augebatur conuenienter ijs quæ ſunt ſupra naturam. Mitto dicere occulta plus quàm ignotæ conceptionis myſteria, & ſupra modum admirabilem, & ineffabilem partum Ieſu apparitionis: vt verbi cauſa quòd ea non fuerit corrupta: quòd ſine dolore & obſtetrice pepererit: quòd ea fuerit ſine macula: quòd inuiolatũ fuerit clauſtrum virginis: quòd nouo & admirabili modo lac produxerit: quòd ex lege fuerit purgata, & quæ in templo fuêre prophetias, quibus à propheta, qui legem & Deum ſuſcipiebat, Simeone prędicta ſunt futura. Deinde rurſus perſecutiones: fugam in Ægyptum: ex Ægypto reuerſionem: quemadmodum circumierit, & in terra morata ſit: quæ ante crucem probra ſubierit: quos iuxta crucem paſſa fuerit dolores: quos poſt crucem terrores: & poſtremò quæcunq; ab ea in vita & facta & dicta ſunt. Quæ cùm eſſet immaculata & impolluta, & ſupra modum plena puriſsimę caſtitatis, eũ quem totus mundus neq; capere, neq; verbis explicare poterat, conſeruauit perpetuò arcanũ & ineffabilem, tanquam Regis myſterium, quæ ex eo exprimũtur, ijs ſolis vota faciens, qui diuina diuinè cõferre didicerũt. Quibus maximè purgatis ea quæ eſt apud Deũ, appropinquatione, per loquendi egeſtatẽ, & ignorationem eo modo qui omne ſuperat ſilentiũ intelligentẽ, cutem aperiens ſanctiſsima oſtendit aliquã partem occulti qui intus latet myſtici ſplẽdoris. Vtinã autẽ nobis quoq; qui ſumus prę́ſente ſplendore illuminati, liceat longè clariſsima dignitatis effuſione luminis purè videre, aut modicè accipere radiũ myſticæ cõtemplationis, & ita imbui, ſi non in ijs quæ ad planè inexplicabilẽ illã vitã pertinent (ſunt enim ignota) at vt doceamur ſaltẽ quoad eius fieri poteſt, ea quę hodierno die dicẽda ſuſcipimus. Adeſte ergo, ô verbi chari myſtę, & rerũ honeſtarũ amatores, & ſpectatores. Vos enim voco magno & alto prę́conio, vt orationis aperta contẽplatione, quæ eſt velis adhuc tecta ſymbolicis, vobis oſtendamus eum qui eſt intus, decorẽ, qui Solis ſuperat ſplendorẽ pulchritudine nitoris. Poſtquã autẽ ad hunc locũ peruenit oratio non alienum arbitror nonnullos ex ijs qui hîc ſunt, præmunire, ne fortè illotis, vt dicitur, aut immundis pedibus ſancta adeant. Non enim ex æquo ab omnibus ingrediendus ſanctorum locus: ſed ab ijs qui propter mentis puritatem tranſcenderunt omnia materialia, & tranſilierũt omnia quæ cadũt ſub ſenſum, quibus maximè ſanctiſsimum Dei verbi tabernaculũ parans, ingreſſum cõcedit liberaliter. Si enim ijs qui ad Sina montẽ indignè progredi audacter cõtendebant, imminebãt fulgura, & tonitrua, & terrores, & ſonitus tubarũ, & minæ horribiles: Si autem templi quoq; parietes non erat tutum vulgo tangere, & ideo ſecundis extrinſecus opus erat parietibus: magnaq; res erat ante ſanctorũ contactũ prius expiari, & ante ſacra quę peragebãtur præparari idq; cùm adhuc Deũ colebant in vmbra, & à velis dependebãt typicis: quantò magis oportet eos qui veritatis lucem habent reſonantẽ, ſtudiũ adhibere, vt ad hoc magnificũ & longè maximum Dei gratiarum tabernaculum accedãt diligenter? In quod cum ineffabili quodam & qui nec cognoſci poteſt, & intelligentiã omnẽ ſuperat, modo ſe demiſiſſet ad exinaniendum,

in terris est versatus: & is qui nusquam capi potest, nullis compressus angustijs habitauit in vtero virginis, quæ vniuersam quæ est in generatione naturam superauit puritate, & hinc tanquam ex sacris quibusdã adytis, suæ carnis peregit mysteriũ. Quis autem? Is qui nullo indiget, & sibi attribuit omnes fines humanos. In hoc à Deo formato tabernaculo vniuersa lex & Prophetæ re ipsa sunt adimpleti:& in eo adũbratæ typicorũ charecterum formæ fuêre deletæ, speculis veritate dissolutis. His autem ad orationẽ satis iam præparatis, age typo dimisso ad ipsam accurramus veritatem, vel in ipsa potius adyta ingrediamur. Quousq; enim in verbi immorabimur vestibulis, eam quæ est ante ingressum admirantes pulchritudinem, cùm liceat ingredi vnà cum matre Verbi,& velo discisso introspicere sancta sanctorum, & imitari in ijs quæ sunt maiora & perfectiora? Si enim sunt talia sanctorũ vestibula,& templi porticus excellunt pulchritudine mentis oculos perstringentes, qualis fuerit locus adytorũ? Et eorũ quæ nõ licet aspicere,& ad quæ nõ datur adytus, intima: quæ solis illis oculis & & labris aspici & dici possunt, qui gloriã Domini contemplantur euidentissimè, & quæ carbone calculi Seraphici sunt expurgata, & ad summam peruenerunt impatibilitatẽ? Si mihi ergo rectè vobis cõsulenti credatis, iubentes quidem valere carnis perturbationes, cùm & materialem omnẽ amicitiã,& quæ est infernè commixtionem expurgaueritis, & deinde eius quæ ex alto procedit, diuinæ illuminationis luce vos circundederitis, accurratis simul ad Deiparam. Iam enim illustratos,& actione, orationeque, & virtutum pulchritudine omni ex parte refulgentes, Christus ipse, qui est purũ mysteriũ, lux semper viua, ex Sole, hoc est, patre sine principio,& absque egressione, tanquã ex luce radius, refulgens, volet nos simul congregatos mystico conuiuio accipere.

Hoc autem apertè ostendit, ex eo quòd suam matrem semper virginem: ex cuius vtero suprà quàm verbis dici possit, cùm esset Deus, formatus est (quod ad nostrã conditionem pertinet) hodie è terræ locis, vt humanæ naturæ Reginam transtulit, non prædicabilem quidem, sed non omnino incommunicabilem relinquens vim mysterij. Neq; enim præter terminos, qui nobis desuper fixi sunt, neque noua præter naturam lege deducta est ad generationem, aut vixit, quatenus versata est nobiscũ sanctissima in ijs locis quæ sunt supra terram. Etiam si in hoc quoque, sicut in alijs, habuerit rationẽ valde admirabilem: vt quæ nobis præstantius vixerit,& cõceperit,& tandem hinc excesserit,& re vera omnes superauerit, qui sunt in generatione, naturę magnitudine. Sed iam abeamus eo modo qui tempori conuenit, festum celebraturi. Omnia enim cum celebritate pulchrè concurrunt, & simul exultant. Ecce enim quilibet auditor eorum quæ à me dicuntur, talis est, qualia quæ nunc cernuntur. Regina tribuum, Ecclesia fidelium, Reginæ generis, quæ à Deo Rege, omnium Principe, in cœli regiam regaliter hodie assumuntur, pompam celebrat,& ex se dono ei offert quicquid est pulcherrimum atq; iucundissimũ. Quæ puluerem reddidit cœlestẽ, puluere exuitur: & quod à generatione acceperat, deponit operculũ:& terræ reddit id quod est ei cognatũ. Quæ cùm vitã cõciliasset, in vitalẽ statum denuò reuertitur: & in locũ introducitur, ex quo vitæ ducitur principiũ, & qui vinci non potest,& qui ab omni materiali & patibili disiunctus est positura ac habitudine. Et in summa ex ijs quę apparẽt, id quod apparet assurgit:& cũ eo quod intelligentia percipitur, intelligẽdi ratione cõgreditur ijs rationibus quas nouit is qui prius colligauit, & soluit, deinde rursus colligauit.

Nisi fortè nimia sum ego audacia, qui ea attingo, quæ non licet assequi. Quibus nemo sit qui non credat, aut qui de eis dubitet, Eliã,& Enoch in animo cogitans. Qui postquam ea quæ videntur superârunt, obstructis sensibus à carne & mundo remoti, ille quidem in curru, hic verò sublimis raptus est, non disiunctis eis partibus, non dissolutis, sed eousque productis vitæ eorum terminis, quos nobis, quæ omnia sapienter definit, fixit prouidẽtia, à qua & quæ olim fuêre, & quæ nunc sunt, similiter simul & conuenienter formantur,& deducuntur. Quòd si hæc parua videantur, si conferantur cum exemplo eius quæ à nobis laudatur, ipsa certè sibijpsi sufficiet, sua conferens & assimulãs. Considerandum autem est, an inter miracula inueniendum sit maius eo quod admirabiliter & præter opinionem in ea factum fuit. Deprehensum est legem naturalẽ euasisse imbecillam, quę vix tandem concidit. Omnino aboletur,& euertitur acerba mortis condemnatio: soluta est vis maledicti. Sed nemo vicerit ea quæ olim à Deo fuêre definita, nisi sit Deus secundùm naturam, qui omnia mutat,& transformat nutu suæ bonitatis. Ei autẽ conuenienter nunc quoque decuerit ea in matre innouare. Sic enim ostendet eam non solùm esse matrem secundùm naturam: sed etiam cõfirmabit eam quæ est ex ipsa dispensationẽ: per quam maximè eas quæ sunt in ipsa, magis mysticas rationes modo excellenti extollimus, quo verbum vitæ principium ea ratione quæ comprehendi non potest, eius subijt vterum: & naturam hominis susceptam superessentialiter induit. Propterea ea quæ olim quidem in ea facta sunt, à nobis autem nunc celebrantur, etiamsi videantur esse vtique admirabilia, & præter

opinionem, & longè esse remota à naturæ legibus: si tamen consideretur, quæ naturam superat, inexplicabilis ratio conceptionis, ad eam relata facilius erit illa assequi. Erat ergo tunc quoque Verbum præsens, & legem fecit cessare, legem, inquam, mortis, cui nihil poterat afferri detrimenti. Erat autem spectaculum verè nouum, & quod non poterat consequi cogitatio. Mulier, quæ cœlorũ superauerat naturam puritate, in adytorum quæ sunt in cœlis, sancta commeans, & ingrediés. Virgo ipsorum Seraphin, ipsam vincens naturam miraculo Dei generationis, prima natura proximè accedens ad Deum opificem omnium generationis: mater quę ipsum viuere pepererat, cõsecuta vitæ finé partui non absimilem, & miraculum Deo, & fide dignum. Sicut enim non fuit corruptus parientis vterus, ita mortuæ caro non interijt. O miracula: Partus effugit corruptionem, & sepulchrum non admisit interitum. Sanctos enim non attingit. Quomodo potest hoc demonstrari? Vultis dicam? Nemo auté ex ijs qui adsunt me irrideat. Quomodo est monimentum inane? Vos enim alloquar. Quomodo corpus euanuit? Quomodo non sunt in ea vestes, in quibus est sepulta, nisi effugisset interitum id quod sepultũ fuerat, si translatus non fuisset thesaurus? Quod si ita est, quomodo non est vera, & à mendacio aliena translatio? Nam alia quoque concurrerũt, animæ à corpore separatio, carnis depositio, compositionis solutio, partium disiunctio, resolutio, adiunctio, cõcretio, & eò discessio, vt nihil appareat. Stat enim sepulchrum inane vsq; in hodiernũ diem, quod & testimonio est approbatũ, & approbat factam translationem. Nescio autem an id factum sit partibus rursus inter se collatis, & concretis in vnam compositioné (de his enim parũ philosophabor, cùm sic fortè visum esset Creatori arcano hoc excogitato modo honorare parenté: an vno ex his alteri imposito, & vno quidem extra, altero verò intra fines sortito constitutioné, postquàm fuerũt à se inuicem separata: an noua quadã & aliena consequentia supernaturaliter in ea concurrente, vt sint re vera omnia noua quæ ad eam pertinent, appositè admittentia rationem, quæ superat naturã, vt quibus cedat omnis ratio & cognitio. Nos ad hoc spiritale conuocat verborum conuiuium, quę est Verbi mater secundùm carnem. Proponũtur autem hodie hæ mysticæ epulæ, & verborum argumentũ diuinis abundans mysterijs. Harum ego sum hodie epularum conuiuator, qui sum hospes & peregrinus expositor sublimiũ spectaculorũ. Nemo autem intuens ad nostram humilitatem & abiectionem, renuat conuiuium. Non enim à nobis, sed ab ipsa Deipara, sunt diuinarum harum contemplationum mysticæ paratæ narrationes. Quarũ quoniam plena est mensa spiritales inuitans conuiuas, eamus conuenienter dignati spiritus, ad profunda spiritus. Iam enim sapientiam, quæ ipsam sapientiam secundùm carnem genuit, appositè imitãs, cùm totam seipsam, tanquam mensam mysticam cœlestemq; parauerit, eos qui mente sunt in diuinis initiati mysterijs, benignè inuitat ad conuiuium, non victimas mactans, aut crateri liquores infundens: cuiusmodi fuerunt olim beatæ illæ victimæ, & crater ille, qui beatum illud & à Deo perfectum nectar suscepit. Sed suorũ mysteriorũ illa planè admirabilia, & diuina re vera spectacula. Ad quæ quidé maximè eos qui sunt congregati inuitans festi Domina, sapientiæ quidé domũ, quantacunque sit, hinc nobis ex seipsa ostendit. Ostendit autem suam quoq; sanctissimã mensam, vtpote quę ipsum totum viuificũ panem Dominum nostrũ Iesum, qui est vita æterna, qui creatam continet naturam, ex fermento Adamicæ conspersionis, panem factum, in vtero gestauit œconomicè, qui eos qui sanctè ad eum accedunt reducit ad vitam recentiorem, & reddit in Deo perfectos. Quo quidem modo eos quoq; expurgat, & reddit immortales, qui participatione nouæ illius, & pulchræ eius communionis ei coniungũtur, fiuntq; familiares.

Quæ auté suis amatoribus in conuiuio apponit, hæc sunt apertè, per quæ vita illa cõstat excellens, & ineffabilis, qua nihil ex ijs quæ considerantur in natura, est excelsius: per quã is qui omné superat Theologiam, per arcanam exinanitioné, homines cuius curam gerebat, flexus misericordia, vt qui vniuersa produxerit, se consultò demisit ad nostram vsque mendicitaté, & implicatus fuit in nostra conspersione, & similiter atq; nos fuit particeps carnis & sanguinis. Qui nullius indiget, qui est summè plenus, & diues: qui nõ recedédo à sua superessentiali diuinitate, elegit eam in qua non erat substantiã, integras in se seruans, etiam post vnionem inexplicabilé, rationes eorũ quæ conuenerunt, nulla vtique intercedente confusione aut diuisione. Qui ne supermundanis quidem cœlestiũ ordinũ præfectis significauit, quidnã esset quod ab eo fieret, præterquàm vni ex primis Angelis qui ministrauit in progressione cœlestis mysterij. Sic enim qui erat incorporeus, intercedéte méte & carne, nobiscũ est versatus, vt omnino commixtus toti nostræ conspersioni, renouaret id totũ quod ex nobis sumpserat. Hæc quidem est, vt mea consequitur scientia, & vt res sic in promptu offert, intelligens mẽsa diuino mysterio traditæ sapientiæ. Talia sunt etiã quæ in eo mysticè peraguntur, quæ sunt à Deo tradita arcana, in quibus meritò oportet adnotare præsentis quoq; diei mysteria, in quo Dei mater nullo mutato ex ijs præscriptis

quæ sunt secundùm naturam, nostræ legi seruijt: & sub eiusdem quibus nos terminis, quæ in carne erat, vitam finijt, miraculo plenum mundo relinquens suum ortum & decessum. Si quid ergo quod superat, in ipsa à diuina dispensatum est natura, nemo miretur, intuens ad nouum & inexplicabile quod in ea peractum est mysterium, ab omni infinitate infinities infinitè exemptum. Et sint hæc quidem perpetuò complicata, & arcana, & habentia suam rationem immobilem. Nos autem sanctissimæ, ex quo principium vitæ ductum est, corporis sepulturæ memoriam splẽdidi splendidè celebremus. Ad quam cum eo quod est aspectabile, quicquid percipitur intelligẽtia, & quicquid est cœleste & terrestre simul congregatum, Reginam honorat, & deducit ante tabernaculum. Ex quo commune hoc propitiatorium quod ex ea absque manuum sectione tãquam templum effectum, dominicum & salutare acquisiuit corpus, eius qui tam naturalis quàm intelligẽtis motionis cuius nos est particeps, excepto solo peccato. O miraculum. Quæ Deũ qui est infinita magnitudine, & ab omni circumscriptione seiunctus, in paruo sui vteri spatio cepit superessentialiter, ei hodie circunscripto lecto vectæ, sanctis manibus iusta fiunt. Quæ in suo sinu habuit collocatum eum qui tergis vehitur Cherubicis, insculptę petræ finibus sepelitur. Et cuius partum admirati sunt Angeli, huius tabernaculum deducunt Angeli choros ducentes.

Et quis eorum quæ illic peracta sunt rationes fuerit interpretatus? Quis pro dignitate in hoc extolletur mysterio? Quis menti dabit alas, vt vnà volet cum miraculo, & eius accipiat communionem? Quis (vt aliquid dicam magis mediocre, & fortasse ex ijs quæ sunt secunda) nostræ concretionis fluxionem descripserit, & afflictionem? Quam cùm non posset consequi natura, & quam comprehendere non poterat, superet constitutionem, appetitione conuersa in admirationem, ea quæ Dauid diuino spiritu afflata eloquitur ad Deum vniuersorum: Mirabilis facta est, dicens, scientia tua ex me: valida effecta est, non potero ad eam: propemodum nostram admirans compactionem, vel compositionem, aut contrà, eam quæ fit in membris disiunctionem. Quinetiam quod huic intemeratæ & clarissimæ Reginæ eius matri coniectu difficillimum factum est miraculum, tanquam diuinum celebrans, quod communiter in nobis, & propriè in ipsa ipsi soli, vt omniũ opifici, & talium operatori ante secula est agnitum. Hoc est nostra formatio, hoc concretio, hoc solutio, quod etiam hodie celebramus. Hinc ego me reprimens ac contrahens, & metu honorans mysterium, cum eo qui ex omnibus Prophetis maxima voce vtitur, Esaia simul loquor: O miser ego, dicens, quòd sum compũctus, quòd homo cùm sim, & habeam labra immunda, audeo aliquid dicere de pura & impolluta, & quæ summè plena est omni sanctitate: & eam aggredior funebri laudare oratione, cuius nubes tegunt ascensum ad contemplationem: intelligens autem quædã caligo circumfusa est theologicis quæ sunt circa ipsam conuersionibus, quæ non sinunt apertè explicari complicatã mysterij comprehensionem, quam est Dei tantùm laudare pro dignitate, qui, quas ipse nouit, rationibus in ea fecit miracula. Tantum abest vt sit meũ, qui humi iaceo, & nihil amplius scio, quàm quod est ante pedes, quòd desit mihi egregius ad res honestas animus. Non erubuerim igitur quæ sunt supra facultatẽ meam, etsi non possum pro dignitate ea dicere, cùm reijciẽdum non sit quod fit pro viribus. Itaq; loquendo silentiũ amouimus, Deo sermonẽ dedicantes. Cui gloria & potentia in secula seculorum. AMEN.

ANDREAE ARCHIEPISCOPI CRETENSIS Hierosolymitani aliud encomium, De Dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

AD concionem nos rursus vocat continuatio orationis: & oportet nos omnino ijs quæ deinceps coniungentur, ea quæ iam dictis deerant, supplere, vt sit perfecta & indissolubilis oratio, vt quæ nihil disiunctum vlla ex parte habeat. Atque in ijs quidem quæ præcesserunt, quoad eius fieri potuit, paucis à nobis est dictum de admirando illius corpore, ex qua vitæ processit initium. Dico autẽ de virginali Dei matris tabernaculo. Restat vt dicamus, quisnam sit hymnus, & quænã sint ea quæ in eo laudantur. Nemo autẽ mihi nunc inurat labẽ arrogantiæ aut audaciæ, quòd aliquid audeam quod sit vastę magnitudinis: non enim ex dicendi facultate, sed ex sola precũ promissione incitatus, hanc cõposui orationẽ, quę nũc est in manibus, submissionis & modestię semper curã gerẽs pro viribus. Sed nõ ideo vult mysteriũ minuere oratio, etiãsi hoc tanquã non tritũ, & minimè exercitatũ ex arrogãtia id sit primùm aggressa. Si quid autẽ ex ijs quæ nõ sunt à multis cõsiderata, hæc nũc est habitura oratio, nemo miretur. Ex cõiectura enim, & vt mens ea potuit cõijcere (rẽ enim ipsam exactè vix Angeli potuerint cõsequi) hæc sunt à nobis cõsiderata.

Iam ergo illa innumerabilis eorum qui Deum honorant clasſis, ſicut prius diximus, frequens erat congregata, & vniuerſus ſupermundanarum poteſtatum qui intelligentia percipitur pulchre inſtructus cœtus, à nullo conſpectus, deſuper aduolans, ad ſpectaculum confluebat admirabile. Aderant quoq; ſanctorum, quas Deus, vt arbitror, inſpirauerat, animæ choros ducentes circa lectum, quas liber Canticorum vocat adoleſcentes ex myſtica contemplatione. Oportebat enim cum Regina naturæ vnà adeſſe diuinas eorum qui vixerant animas, in exitu præcedẽtes, & eam deducere, & ea canere cantica quæ cani ſolẽt exeũtibus. Erat ergo in medio propoſitũ illud tricubitale, & luminoſum corpus Deiparę, quod Dei verbi totã capiebat plenitudinẽ. Quod quidẽ dum videbatur in lecto, vnguenti ſanctificationis ſuaui odore perfundebat totam creatam naturam. Quæ mens, & quænam lingua eorum quæ illic fuêre conſpecta rationes inueſtigauerit? Omnia enim pluſquàm in infinitum inuaſerat omnis ignoratio, & videndi egeſtas. Hinc certè factum eſt, vt diuinorum ſapientum præcipui, à diuino ſpiritu arrepti, & inſigni lætitia diuini tunc oblectãtis ſplẽdoris, id quod ſupererat illuminationis in ecſtaſim traducẽtes, illos hymnos diuinitus inſpiratos, illam, inquam, quæ eſt in hymnis tropologiam, vt poterat vnuſquiſque attingerent, alius alium excipiẽs. Erant autẽ ea, non qualia ipſi inducimur vt mente agitemus, aut vt quis fortè deſcripſerit: ſed vt eos ad dicendũ informabat ſpiritus, & audire iubebat: ita & ipſe hymnus, & quæ in hymno celebrãtur, ab ijs qui hymnos dicebant, dicebantur, & exaudiebantur: quæ ab inferiore quidem, & noſtra harmonia, & conſonantia erant infinito interuallo ſeiuncta, parũ autẽ aut nihil aberant à ſono Angelorũ, qui in cœlis feſtũ celebrant. Quorũ altitudinem & profunditatẽ, & infinitã pulchritudinem nõ eſt noſtrum velle temerè deſcribere, qui in tali dulcedine nullo modo ſumus exercitati, ſed ſilẽtio potius honorare, vt quæ nec poſsint comprehendi, nec verbis explicari. Ea autem ſola tutò poſſumus aggredi, quæ & iucundũ eſt aſſequi, & ſi non aſſequaris, nullum eſt periculũ: quę neque ſcienti afferunt moleſtiam, neq; rudem cruciant. Hymnis autẽ, & quæ hymno celebrantur, etiam ſi noſtrã effugiant comprehẽſionem, quantum tamen poſſumus aſſequi, vt rem vtcunq; exprimã, ſint eiuſmodi. Hîc eſt finis teſtamentorũ quæ nobis fecit Deus. Hæc eſt declaratio occultorum & profundorum diuinæ incomprehenſibilitatis. Hic eſt ſcopus, qui excogitatus fuit ante ſecula. Hæc eſt ſumma diuinorum oraculorum. Hoc eſt ineffabile, & quod planè cognoſci nõ poteſt, eius quæ eſt ante principium curationis hominum conſiliũ. Hæ ſunt primitiæ communionis & coniunctionis omniũ genitoris Dei cum ſuo figmento. Hæc eſt diuinarum reconciliationum, quæ pignore dato fit, fideiuſsio: Eximia pulchritudo: A Deo ſepulta ſtatua: Rectè deſcripta diuini Archetypi imago: Totius contemplationis & aſcenſus ſuſtentaculum: Sanctiſsimum verbi omnium creatoris tabernaculũ. Qui Deũ ſuſcipit, ſapientiæ quæ non poteſt exinaniri, crater: Vitæ, cui nihil poteſt auferri penarium: Fons, qui non poteſt exhauriri diuinarũ illuminationũ: Potentia, quæ nequit labefactari: quatenus nequaquã vincebatur ab animi perturbationibus, vt quę erat puritate omnibus ſuperior. Per hanc fuêre nobis data pignora ſalutis. Et quòd vſque ad noſtrã quidem proceſſerit menſuram, quæ fuit habita in tanta admiratione, & cõmune exoluerit debitum, eſt proprium naturę. Quòd autem ita viueret, vt non haberet omnino eaſdem quas nos proprietates, erat proprium eius quæ illi cum Deo intercedebat propinquitatis: quinetiam aperta quoq; eſt probatio ſummæ eius impatibilitatis. Quid enim ex ijs quæ ſunt lõgè maxima, nõ in ea proceſsit cum maxima virtutis abũdantia? Quid verò ex ijs quæ ſpectãt ad oſtendenda miracula, non productũ eſt admirabile: adeo vt omnium miraculorum quæ quomodocunque facta ſunt, aut fiunt, eam eſſe effectricem in omnium reſonet auribus. Quorũ pars eſt extrema id quod nunc adeſt: etiamſi ante omne tempus id fuerat prædeſtinatum, cùm diuinum conſiliũ ſic altius definierit vniuſcuiuſq; noſtrûm tranſitum. Et ô prouidentiã, ad cuius extrema nemo venit eorũ qui nati ſunt, aut poteſt inuenire veſtigiũ. Cuius opus eſt etiã, quod nunc peragitur, virginis myſterium. Eſt enim myſteriũ, etiamſi circa noſtrum finem conſideratur. Et hoc eſt pars, quæ ab initio hominis naturæ ſorte eſt attributa. Sed ô quomodo diſciſſa eſt ſepes, quæ peccato fuerat colligata? quomodo diuulſum eſt vinculũ, quod complexũ fuerat trãſgreſsione? Qui? quòd contemptui mors eſt habita, tanquã diei ſomniũ. Abit metus, non amplius terrens eos, qui ſunt in Chriſto infantes. Sed nũquid niſi mortuum fuiſſet Dei receptaculum, non diſſoluta fuiſſet corruptio, quæ ſeminata fuerat inobedientia? Diſſoluta certè fuit Chriſto prius mortuo. Iã enim exceſſerat natura à condẽnatione, quæ erat in corruptione, ſuſcepto ſtatu qui eſt per incorruptionem. O nouas remunerationes, ô diuinas permutationes. Produxit natura liberum arbitriũ ſpinis obſeptum. Ipſa contrà produxit eum qui impleret paternã voluntatem. Peperit natura ex inobedientia mortem voluntariã. Ipſa contrà peperit eum, qui mortem ſuſtulit per obedientiam. Sola enim ſola præter naturam fuit electa ad naturam

renouandam. Sola seruijt opifici vniuersæ naturæ. Quoniam ergo nunc proponitur hæc diuina capsa eius, quod à Deo sumptũ est, tabernaculi, quæ tanquam larga bonorum largitrix, inuitat eos qui sunt honesti studiosi, nemo cunctetur vocatus. Non indiget enim labore gratia, præterquàm sola voluntate. Eat ergo prompto & alacri animo vnusquisq;, qui certam & minimè dubitantem habet fidem: eat ad thesauri virginis repositorium, & discat experientia euentum eorum quæ desiderat. Propositum est hoc commune reconciliatorium. Omnes Deo reconciliemini. Ecce fons immortalitatis, qui non potest exinaniri. Venite qui morte affecti estis, haurite: Ecce vitæ fluuij perennes. Adeste omnes, efficimini immortales. O filia Adam, & mater Dei. O mater sine viro, & virgo quæ filium paris. O opus eius qui in te factus est temporaliter, & non excessit à sua æternitate. De te resonârunt omnes spiritus interpretes. Moyses primus cùm vidisset rubum, te prædixit. Transiens videbo magnam hanc visioné. De te Dei pater Dauid Christũ rogauit, dicens: Exurge Domine tu, & arca sanctificationis tuæ. De te idem tuum præfigurans egressum, prædixit: Vultui tuo supplices erunt diuites populi. Ecce enim, inquit, omnis gloria filiæ Regis intrinsecus, in fimbrijs aureis, circumamicta varietate. Te Canticorũ sanctus liber prædescribés, mysticè pręsignificauit. Quæ est hæc, quæ ascédit ex solitudine, tanquá rami fumi, suffita myrrha & thure ex omnibus pulueribus vnguentarij? De te rursus idé prius scripsit liber Eccles. dicens: Lectus Salomonis. Columnas eius fecit argentũ, & reclinatorium eius aurũ: ascensus eius purpura est intra ipsum, cõstratus charitate ex filiabus Hierusalem. Et rursus: Egredimini filiæ Sion, & videte Regem Salomoné, in corona qua coronauit eum mater eius, in die despõsationis suæ, in die lætitiæ cordis sui. Videte eam filiæ Sion, & beatá eam prædicate Reginæ, & pellices laudate eam: quoniá odor vestimentorũ eius est supra omnia aromata. Te præuidés diuino spiritu afflatus exclamauit Esaias: Ecce virgo in vtero cõcipiet, & erit radix Iesse: & flos de radice ascẽdet. De te magnus pręxit Ezechiel: Ecce porta, dicés, in Oriente: & erit porta clausa, & nemo ingredietur per eam: & Dominus Deus solus ipse ingredietur & egredietur: & erit porta clausa. Te quoq; prophetans vir ille desideriorũ magnum vocauit monté, & lapidem sine manibus viri ex te sumptũ, non excisum: ablatũ, nõ diuisum assumptione nostræ humanitatis. Tu es res illa magna venerandę œconomię, quá cupiunt inspicere Angeli. Tu es diuinę dimissionis pulchrum habitaculũ. Terra, quæ es verè desiderabilis. Rex enim desiderauit gloriá tuæ pulchritudinis: & amauit diuitias tuę virginitatis: & in te habitauit, & inter nos fixit tabernacula: & per te Deo & patri nos recõciliauit. Tu es thesaurus absconsi ante secula mysterij: Tu es liber verè viuus eius, qui in te tacitè fuit inscriptus, verbi paterni, viuifico calamo spiritus. Tu sola verè es noui testaméti volumen à Deo scriptũ, quod Deus antè fecit cum hominibus. Tu es ille decies mille millibus multiplicatus Dei currus, quę millia locupletũ adduxisti ad eum carne tectum. Tu es mons Sion, mons coagulatus, mons pinguis, in quo beneplacuit Deo habitare. Ex quo in carné concretus, quæ, sicut nos, est intelligenter animata, is fuit coagulatus qui est superessentialis. O diuinũ templum, & homo terrestris. O columna mortua, & colũna viuifica: non carnalem per lucem deducens Israëlé qui fugatur: sed spiritalem, qui deducitur ad inerrantem lucem cognitionis, diuinis illuminans facibus. O nubes tota lucida, & mons vmbrosus, non adũbrans ingratum populum Iudæorum, sed electum Dei populum, gentem sanctá maternis tuis tædis illustrás. O quouis auro purior, & quauis sensili & immateriali natura. O terra virginalis, ex qua secundus & vetere antiquior processit Adam. Quódnam sepulchrum te teget? Quænam te terra accipiet, quę cœli & cœlorum naturam superasti sanctitate? Quænam erũt vestes, quibus sepelieris? Quænam fasciæ? Qui amictus? Quibúsnam autem vnguentis vngent tuũ corpus odoriferum, impollutum, & plenũ sanctificatione, ex quo scatet remissio: ex quo manat immortalitas: ex quo est Deificatio: in quo est perfectio? Tu enim verè es quæ es re vera pulchra, & macula non est in te. Paruum quid tibi quoq; accinat diuinissimus Salomon: Formosa vt Hierusalem, & odor vestimentorũ tuorum tanquá odor Libani. Tu es noua theca vnguenti, quod minimè exinanitur. Tu es olei vnctionis exultatio. Tu es aromatũ, quæ intelligentia apprehenduntur, suffitus. Tu es flos incorruptionis: Terra quæ fers aromata: Lucerna luminosa: Quæ à Deo es contexta purpura: Indumentũ regale: Amictus à Deo variatus: Aurea specie dyplois: Verbi purpuræ, quæ intelligentia percipitur, quæ non potest nominare, tinctura. Manu non factum regni diadema: Thronus excelsus: Porta sublata supra cœlos cœlorum: Regina omnis humanæ naturæ. Quæ habes non comparabilem cum alijs appellationem. Quæ excepto Deo solo, es omnibus altior. Quænam te manus ad sepulchrũ component? Quibúsná vlnis portabimus eam, quæ eũ portauit qui minimè potest contineri? Quásnam sepulchrales preces in te fundemus? Quibusnam te deducemus canticis? Quibusnam autem labris tuũ laudabimus decessum? Qua voce, quibus verbis magnalia tua ornatè enunciabimus?

mus? Quamobrem pro omnibus tales tibi voces offerimus. Beata es in mulieribus,& benedicta in generationibus: benedicta in cœlis,& glorificata in terra. Te enim gratè omnis lingua glorificat, matrem vitæ prædicans. Impletum est quicquid est creatum tua gloria. Sanctificatum est vniuersum vnguento boni tui odoris. Per te deleta est peccati occasio: transmutata est in lætitiam primę parentis execratio. Omnes propter te nobiscū canunt: Gloria in cœlo, pax in terra. Te nequaquā potest habere sepulchrum. Corpus enim Dominicum non delent ea quę intereunt. Aduersus te non valebunt inferi. Animā enim regiam non attingūt ea quæ seruiunt cum alijs. Abi ergo, abi in pace. Migra ex ijs quæ sunt in natura creata māsionibus. Placa Dominum pro communi figmento. Nam quamdiu quidem versabaris in terra, te habuit parua terræ portio. Ex quo autē trāslata es è terra, te vniuersus mundus continet commune 2 propitiatorium. Supra Enoch magnificare. Supra Eliam in altū extollere, in lætitia, in gaudio ineffabili, in æterna luce: vbi est verè viuere, regnum totum lucidum, perpetua Angelorū chorea. Præterea fruere pulchritudine filij tui, explere delitijs quæ non possunt exinaniri,& beatitudine, in quam non cadit senectus: illic vbi est torrens æternarum delitiarum, vbi sunt prata incorruptionis, fontes vitæ æternæ, fluenta lucis quæ ex Deo scaturit, fluenta semper viuentis lucis effusionis. Illic est finis eorum quę sunt sperata,& quę nunc sperantur: propalatio eorum quæ occulta fuerunt,& tunc solùm conspiciuntur: comprehensio omnium bonorum: vltimus finis, vltra quem nihil est omnino. Illic pater adoratur, & filius glorificatur, & spiritus sanctus laudatur, vnica natura vnius quæ est in trinitate, diuinitatis. Hæc & quæ sunt huiusmodi, arbitror, diuinos illos viros diuino spiritu afflatos tunc & dixisse,& hymnis celebrasse: & quæ etiā sunt his superiora. Nescio enim quid dicam amplius, cùm sim terra,& cinis,& in summa putredo,& non secus atque serpentes serpam super ventrem. Atq; orationis quidem debitū pro viribus est à me exolutū, nullo, vt arbitror, ex ijs prætermisso, quę ad pręsens festū pertinent. Quòd si quis his aliquid sublimius cōferat,& ad nos hoc contulerit,& is festo fuerit conducibilis. Cùm pauca autem dixero, sistam remos huius orationis. Atque vt pro dignitate quidem rem exequamur, ex æquo nullus assequitur. Vt autē præstet quod posit pro viribus, est vniuscuiuiq: par alacritas. Scio autem fore, vt hanc nostram suscipiat orationem ea quæ verbum peperit: & reddet non ea quidem quæ petimus, sed quæ meremur accipere. Solet enim sanctissima, vt quæ sit munificentissima, maxima reddere pro minimis. Et hęc quidem ita se habeāt. Vos autē ô clarissimi & illustrissimi cœtus: vos rursus voco ad conclusionē orationis: age, in sacra virginalis thesauri deductione præeūtes canamus carmina funebria: & eam quæ festo præest, quibus possumus, coronemus honoribus. Vt hoc verò fiat insignius, adsit hodie omnis cœtus terrestrium,& cœlestium,& vnà mecum compleat hymnum decessui accommodatum, qui cōstat his verbis: Mota sunt castra Dei à tabernaculis Cedar, at materiæ expertia, & rediuina tabernacula. Tabernaculum legis exemplar accepit arcam supermundanam, cuius figura erat arca legalis. Attollatur id quod est supra supernas fores, vt summam cœli portā cœlestium regia regio sinu accipiat. Hanc excipite candidis vestibus induti Angeli: Laudate cœli: glorificate terrigenæ. Attollite ciuitatē Dei, Regis magni. Plaude terra, prosequere laudibus: narra quæ sunt gloriosa viginis partus, fascias, sepulchri miracula, quomodo sit sepulta, quomodo trāslata, quemadmodū cernitur inane sepulchrū, quod 3 adoratur, Iudæa congrega tuos filios: Prædica eam, quę est ex Iuda Reginā: esto bono animo: noli timere: celebra tua festa. Hierusalem exclama: iubila: deduc Dei metropolim, canta Dauidicè: dic apertè: In exitu Israël de Ægypto. Mater Sion quam adsciuit Dominus, quam elegit, voca tuas filias, ecclesias ex gentibus: Cane canorū, aliquid, sed non tragicum: iubilans, non gemens. Lætus enim est, non lugubris præsens cœtus.

2 Sāctißima Dei genitrix totius mūdi cōmune post Christū propitiatorium.

3 Sepulchrū Sāctæ Dei genitricis inane adoratur.

Gethsemane, suscipe nouam Reginam, para sepulchrum: produc ea quæ sunt vsui ad sepeliendum: orna thecā vnguentis. Sit arca tibi custos thesauri. Cautè & diligēter sanctum custodiatur. Si conseruetur quidē, manens in ipso, erit cōmunis possessio, quæ adorabitur ab Angelis,& hominibus. Si quid autem contigerit admirabile, & præter opinionem,& translatum fuerit id quod est impollutum, esto prædicans miraculū. Narrato trāslationē ijs quæ sunt postea cōsecuturæ, generationibus, supernis quidē spiritibus concedens spiritum Dei matris: nobis autē dans quasi ex perēni fonte, instar vngenti sanctificationē corporis. Accurramus simul omnes ad Deiparā, chori patrū & patriarcharū: spiritus Prophetarū,& cōuentus sacerdotū: cœtus Apostolorū: populi Martyrū: Doctorū cōgregatio: iustorū animæ: piorū ordines: dignitas quælibet,& ætas: Reges,& potentes: Principes,& qui parent imperio: adolescentes, & virgines: senes cum iunioribus laudate, supplicate: Dicite Dei matri, dicite: Quàm beata est Domus Dauid, ex cuius lūbis germinasti Dei mater? Matres & virgines glorificate eam quæ est sola mater,& semper virgo. Spōsæ præcedite eam, quæ inter adolescentulas sponsa quidem fuit, sed planè incorrupta: & sola sine dolore peperit

cum qui

eum qui non potest comprehendi. Steriles & viduæ plaudite, eam deducentes quæ virum non est experta, & liberorum egestatis effugit vincula. Filiæ exultate, eam quæ filium peperit, prosequentes incorruptione. Benedicite gentes: linguæ beatam prædicate. Cantate matri Dei omnes tribus terræ: cantate, deducite cum cãticis & cymbalis: iubilate, magnificate, psallite. Tolle, tolle Maria, tympanũ, & procede ante virgines: moue lyram Dauid: extolle vocem tuam: lauda Reginam: duc chorũ: extolle modos citharæ: voca virgines: congrega choros canentium: ordina choreas. Post lectum currant: ante lectum, cum lecto præcedant: circa capsam choreas ducant. Ecce enim Dei gloriæ noua arca, in qua est vrna aurea, & virga Aaron quæ germinauit, & tabulæ testamenti. Ecce summã, de qua clamarũt oracula Prophetarum. Ecce scalam quam vidit Iacob, qui in diuinis erat initiatus: in qua vidit Angelos Dei ascendentes & descendentes: quicunque is esset ascensus & descensus. Hæc est porta cœlorum, de qua dixit ille: Quàm terribilis est locus iste? Non est is aliud quàm domus Dei: & hæc est porta cœli. Ecce propitiatorium, quod sanctum supra sancta est positum mystici tabernaculi & adytorum, tunc quidem alis adumbratum Seraphicis: nunc autem nostra peccata expians per mysticam Iesu contemplationẽ. Legalis seruitutis iugum non amplius vero imponitur Israëli, cùm Christus nobis sua manu adscripserit libertatem per cultum, qui est in spiritu, in corpore quod ex Deipara sumpsit tanquam in charta. Non amplius anniuersarius Pontificũ cursus sanctis applicatur. Ipse enim magnus Pontifex Christus, qui cœlos assumpta carne peruasit, quæ habebat animam ratione præditam & intelligentem, tanquam in templo, in Virginis sanctuario nos adiens, sufsit, & sacrificat, & sacrificatur: & offerens oblationes offertur: & pro nobis seipsum sanctificans, sanctificat eos qui ipsum sanctificant. Talia sunt, ô Deipara, supermundanæ tuæ dormitionis mysteria. Hęc sunt sacrę tui, cui Deus iusta facit, tabernaculi deductionis epitaphia. Hi sunt hymni & laudationes quæ celebrantur in discessu. Hæc quæ ante & post sepulturam fiunt monimenta ad prosequendam eam, quæ planè ignoratur translationem. Hæc sunt diuinarum & beatarum quæ in te fiunt illũminationum simulachra per ænigmata. Non enim potest mens nostra plura assequi, quàm ea quæ dicta sunt. Hæc breuis tibi à nobis elaborata est oratio, quæ eadem simul agit gratias, & supplicat. Si habeat quidem aliquid dignum tua maiestate, pro eo tibi sunt agendæ gratiæ, quæ dedisti promptum & alacre animi studium. Sin autẽ (quod necesse est omnino contingere ijs qui aggrediuntur de te aliquid dicere) lõgè abfuerit, vt pro tua dignitate rem tractauerit, ignosces omnino, cùm tibi sit omnino innatum misereri, pro ea quæ tibi cum filio & curatore omnino intercedit propinquitate. Accipies autem hanc, satis scio, orationẽ vt donũ pulcherrimum, à me ex pauperibus compositũ laboribus. Nihil enim vltra habui quod offerrẽ excellẽtissimæ omniũ matri verbi, nisi orationẽ quæ ex arcanis fontibus gratiæ quæ est in te promanat, ô Dei gratissima. Atq; tuæ quidem quæ nunquã senescet, beatitudinis venerandus & planè ignotus status, vt qui nec omnino discerni, nec dici possit, honoretur silentio. Æquum est enim, cùm nostrum non sit ea aggredi quæ sunt supra nos, & quæ propterea quòd cõprehendi nequeant, arceant omnem perscrutationẽ. Atq; tibi quidẽ, ô sanctissima, ter Regina, Dei genitrix, quæ à nobis debebantur, qui à te, & tuis liberis ad Deũ precibus informati sumus arcanis tuis rationibus, hęc nunc sunt à nobis mediocriter cõposita pro viribus. Nobis autẽ quis præbebit vocẽ, & dicendi vires, quę æquali proportione respondeant altitudini, & magnitudini longè gloriosissimorũ de te cogitatorũ? Sed ô omniũ hominũ Domina, & capax ipsius sapientiæ, & verbi quod cõsistit, quod est primũ, & principale, & causa omnium. O vitæ suppeditatrix, & vita viuentium, & causa vitæ: O sancta & sanctis sanctior, & omnis sanctitatis sanctissime thesaure: O pars quæ insolubiliter & non per diuisionẽ Deo vnijsti hominẽ. O regnũ è terrenis quidẽ sumptũ, sed ex superna gloria potentiã habens inexpugnabilem. O Christianorum fidei propugnaculũ, & propugnatrix eorũ qui in te spem collocarunt: accipe à nobis qui veritatis lucẽ per te accipimus, ea quæ de te honorificè dicimus, quæ ex obscuris imaginibus à nobis, quoad eius fieri potuit, sunt mysticè cõsiderata. Nobis autẽ qui te, ô Dei mater, ornamus, da vicissim hanc parui doni remunerationẽ: nempe vt habeamus quibusuis thesauris & diuitijs pretiosiores & splendidiores, ad filium tuum, & nostrum Dominũ, & Regem, & Deum, & Dominum, preces supplices. Per quas & peccantes Deũ placamus, & nos rectè gerentes ad nos melius attrahimus. Per quas arma Barbarorum, infantium tela ducimus: lanceaq;, & galea, & iaculatio inutilia manẽt & inefficacia. Et (vt in summa dicam) per quas omne donũ rectè geritur à Christianis, & quæ fit Deo assimilatio. Habes ô dilecte, rationẽ mysterij, etiamsi spe longè inferiorẽ, qua tamen nihil maius pręstare potuit promotũ nostri animi studiũ. Magis autẽ mysticam & sublimiorẽ quæsieris à verbo qui propter te fuit exinanitus, & carne incrassatus, & te totum sibi propter suam vniit clementiam, & vt melius dicamus, homo quoq;

factus est, vt te totum Deum faceret spiritu: & id quod est deterius eo quod melius est consumeret, & humo ad se attolleret, & in spiritalibus sedibus collocaret. Ad quem semper erigaris per puram vitam & contemplationem, vitam agens in diuinis sermonibus & moribus: Deumque videns, quoad eius fieri potest, & visus. Qui quidem vt tibi manifestus euadat, stude ijs quæ per contemplationem fiunt illuminationibus, & in virtute ascensionibus: vt vtrinque, ex actione, inquam, & contemplatione, sis perfectus & solidus, euadens in vnum absolutissimum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Cui gloria & in secula seculorum. AMEN.

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS MOnachi & Presbyteri Damasceni, De Dormitione sanctissimæ Dominæ nostræ Deiparæ.

NEMO quidem homo est, qui possit pro dignitate laudare sacrosanctum discessum Dei matris: non si linguæ innumerabiles, neque si totidem essent ora. Sed neque si conuenerint omnium linguæ hominum multis in locis dispersorum, laudes quas decet assequentur. Superat enim omnem legem encomiorũ. Quoniam autem Deo gratum est, quod pro viribus ex desiderio & zelo offertur, & bona voluntate: matri autem Dei grata sunt, quæ filio sunt chara & iucunda: age, encomia rursus aggrediamur, vestris iussis parentes. O pastores optimi, & Deo in primis beneuoli, qui ex ipsa carnem suscepit, Deum Verbum inuocantes: qui implet omne os quod ad ipsum aperitur: qui ei solus fuit ornamentum, & gloriosum encomium: vt qui sciamus, quòd quando laudes incipiemus, debitum exoluemus: & cùm id exoluerimus, debitè rursus incipiemus. Sit autem propitia ea quæ à nobis laudatur, quæ res omnes creatas superat, quæ omnibus dominatur operibus: vt quæ sit Dei mater, qui est creator, opifex, & omnium Dominus.

Ignoscite autem vos quoque ô cœtus, qui diuinos audiendi sermones tenemini desiderio, & promptitudinem quidem accipite, & desiderio applaudite: imbecillæ autem misereac orationis. Quomodo enim si quis Imperatori, & cui sunt à Deo credita contribulium gubernacula, qui plenam quidem semper habet mensam, & omnigenis cibis affluentem, regiam autem sumptuosorum vnguentorum delinitam exhalationibus, tempore non consueto offerat violam purpuræ concolorem, aut rosam, spinæ germen odoris suauissimi, quæ viride habet floris receptaculum, & ex eo procedentem florem gemini coloris, & peruenientem ad ruborem speciosum & elegantem, aut maturum aliquem fructum dulcissimum: non attendet Imperator vilitatem muneris, sed considerabit quàm id sit nouum & alienum: & admirabitur quod sit inusitatum, optime iudicans, & rectè intelligens: magnis autem & gratis donis agricolam remunerabitur. Ita nos quoq; qui hyeme dictorum flores Reginæ offerimus, & quæ iam consenuit, dicendi facultatem, ad suscipienda certamina encomiorum armamus, & mẽti desiderium tanquam ferro lapidem adfricamus, atque immaturo botro expresso, nempe mente quæ parit narrationem, exiguam quandam orationis scintillam vobis tribuimus, quibus placent orationes, & qui audiendi tenemini desiderio, longè magis admittemur. Verbi enim matri quid aliud offeremus quàm sermonem? Simile enim simili delectatur. Et id ei quidem certè gratum est, quod fit pro viribus. Iam ergo orationum apertis carceribus, orationem, tanquam equum aliquem parum laxatis habenis ad cursum dirigentes emittamus. Sed mihi fer opem, ô Dei verbũ, & effice vt mea cogitatio, quæ est expers rationis, sit ratione prædita, lenem & planam ei fac semitam: & eius cursum dirige ad hoc, vt tibi placeat: ad quod quidem dirigitur sapientis oratio omnis & cogitatio. Hodie sancta & sola virgo supermundano & cœlesti templo offertur: quę virginitatem adeo desiderauit, vt ab ipsa tanquã ab aliquo igne purissimo qualitatem acceperit. Quæuis enim virgo partu amittit virginitatem. Ipsa autem & ante partum, & pariens manet virgo, & post partum. Hodie sacra & animata arca Dei viuentis, quæ suum gestauit in vtero artificem, requiescit in templo Domini, quod nullis est excissum manibus: & Dauid exultat eius parens: & cum eo choros ducunt Angeli: Virtutes glorificant: Principatus simul exultant: Potestates collætãtur: gaudent dominationes: Throni festum celebrant: laudant Cherubin: gloriam eius prædicant Seraphin. Non parum enim glorificant qui matri gloriæ gloriam attribuunt. Hodie sacratissima columba, pura & innocens anima, & diuino consecrata spiritui, ex arca euolans, ex corpore, inquam, quod Deum suscepit, & vitæ dedit principium, inuenit requiem suis pedibus, vt quæ peruenerit ad mundum qui percipitur intelligentia, & in immaculata terra supernæ hæreditatis fixerit tabernacula. Hodie Eden noui Adami paradysum suscipit rationalem, in quo soluta est condem-

condemnatio, in quo plantatum est lignum vitæ, in quo operta fuit nostra nuditas. Non sumus enim amplius nudi, & veste carentes, & non ferentes splendorem diuinæ imaginis & copiosæ, priuati gratia spiritus. Non amplius tragicè veterem defletes nuditatem, dicemus: Exui me tunica, quomodo me ea induá? In eum enim non patet aditus serpenti: cuius cum falsam appetijssemus dignitaté, cum eo facti sumus similes iumētis insipientibus. Ipse enim Dei filius vnigenitus, cùm esset Deus, & eiusdem cum Patre essentiæ, ex hac virgine, & pura terra seipsum formauit hominé. Et factus quidem sum Deus qui eram homo, qui mortalis auté, euasi immortalis, & pelliceis sum exutus tunicis: exui enim corruptionem, & indutus sum incorruptione, amictu diuinitatis. Hodie virgo intemerata, quę nō est versata in terrenis animi perturbationibus, sed fuit in cœlestibus educata cogitationibus, non abijt in terram: sed animatum verè cœlū appellata, in 4 cœlestibus collocatur tabernaculis. Quis enim eam cœlū vocás à vero aberrauerit? Nisi forte dixerit aliquis rectè intelligens, ipsam extolli incóparabiliter supra cœlorum excellenciá. Nam qui cœlos est fabricatus, & omnia continet tam mundana quàm supermūdana, & quę sub aspectū cadunt, & quę non cadūt, cuius nullus est omnino locus: siquidé locus definitur id quod quæ insunt continet, in ea est à seipsa fabricatus infans sine semine: & eam effecit spatiosum receptaculum eius quæ omnes implet, & à nullo circūscribi potest, diuinitatis, totus in ea contractus impatibiliter: & totus manés extrinsecus, & sibi habens locū, qui non potest cōprehendi. Hodie vitæ thesaurus, gratiæ abyssus (nescio quomodo dicam audacibus, & nō tremētibus labris) vitali morte tegitur, & ad eam sine metu accedit illa quæ eum peperit, qui ipsam fregit & dissoluit: si morté tamé vocare oportet, eius sacratissimū & vitalem è vita excessum. Quæ enim omnibus eam quę est verè vita, edidit, quemadmodū morti fuerit obnoxia? Sed cedit legi latæ ab eo qué peperit, & tanquā filia quidem veteris Adā, paterna soluit debita. Nam eius quoque filius, qui est ipsa vita, ea non recusauit. Vt quæ auté fuerit mater Dei viuētis, indignè ad ea adducitur. Si enim dicit Deus: Ne si manū extēderit is qui primus est formatus, & acceperit de ligno vitæ, & gustauerit, viuat in æternum: quomodo quæ vitā ipsam accepit, quæ caret principio & fine, quæ neque principij, neq; finis seruiuit terminis, non viuet in infinitū seculū? Olim quidé Dominus Deus eos qui fuerunt principes humani generis, & se impleuerūt mero inobediētiæ, & magnitudine trāsgresionis cordis, clauserūt oculū, & peccati crapula grauatos habuêre mentis oculos, & somno in morté fuêre sopiti, exterminauit ex paradyso Eden. Nunc auté hanc, quæ omnis vitij repulit insultus, & produxit germen Dei patris obedientiæ, & vniuerso generi fuit vitæ principium, non suscipiet paradysus, non cœlum gaudens portas aperiet? Maximè. Nam Eua quidé quæ aures præbuit nūcio serpentis, & inimici audijt suasioné, & falsæ deceptricisq; volūtatis insultu fuit delinita sensibus, accipit sententiá doloris & molestię. Et partus subit dolores: & cum Adamo mortis damnatur supplicio, & in inferorum collocatur penetralibus. Hanc autem omni ex parte beatá, quæ aures inclinauit Dei verbo, & repleta fuit operatione spiritus, & per Archangeli hymnū spiritalé, & patris voluntate absq; voluptate & viri coniunctione concepit omnia implenté Dei verbi personá, & apposité peperit absq; doloribus, & tota Deo fuit vnita, quomodo mors deuorauerit? quomodo susceperint inferi? quomodo audebit interitus in corpus quod vitá suscepit? Sūt hæc aliena, & omnino remota à diuina anima & corpore. Hanc mors tantū aspiciés extimuit. Eius enim filiū aggressa, didicit ex ijs quæ passa est: & cùm ipsa didicisset experiētia, fuit castigata. Ei clausum quidé & obseptū fuit iter tenebrosi descēsus inferorum: recta auté, plana, & trita parata est via quæ ducit in cœlum. Si enim, Vbi ego sum, illic sit meus minister, inquit Christus, qui est vita & veritas: quemadmodū non mater cū eo habitabit? Priusquá doloré sensisset, peperit, absque dolore fuit eius quoq; è vita excessus. Mors peccatorū est mala. In qua auté mortis stimulus, népe peccatū, fuit morte affectus, quid eá dicemus aliud, quàm vitæ principiū perénis & melioris? Verè quidem venerāda est mors sanctorum Domini à Dei potestatibus. Longè autem magis venerāda est matris Dei migratio. Nūc lætētur cœli, & plaudāt Angeli: nūc exultet terra, & præ gaudio exiliāt homines: nunc præ lętitia resonet aër cāticis: & nocti obscuræ auferātur atræ tenebrę & deformes: eaq; diei splendoré alacriter imitetur, procedentibus ex igne fulgoribus. Viués enim ciuitas Domini Dei exercituū sublime attollitur: & Reges ex templo Domini gloriosæ & illustris Sion, ad supernā Hierusalem, quæ est libera & sua mater, munus offerūt pretiosissimū, qui sunt cōstituti principes ab vniuersa terra, Apostoli, inquā, Dei matrem semper virginem. Non videtur autem mihi alienū pro viribus describere, & figura vtcunq; exprimere, quæ ab hac sacrosancta Dei matre facta sunt miracula: quæ moderatè & valde consideratè filius à patre, vt dicitur, ex alto repetita accepimus. Videor enim mihi videre hāc sanctis sanctiorem, & sacris sacratiorem, & pijs magis piam, dulcem mannæ vrnam, aut, vt verius dicam, fontem, super aliquem lectum recumbentem indiui-

4 Animā sanctissimæ virginis in cælo collocat, cōtra quosdam, qui audēt dicere, animas sanctorum vsq; ad diē iudicij nō esse in cælo, nec videre Deū.

indiuidua & inclyta ciuitate Dauidis: in qua lex quidem fuit impleta Prophetarum, pronunciata autem fuit lex ſpiritus, in qua typicum paſcha peregit Chriſtus legiſlator: & verum paſcha qui Deus eſt veteris & noui teſtamenti tradidit: in qua cœnam myſticam ſuis Diſcipulis Agnus Dei, qui mundi tollit peccatum, celebrauit, & eis ſeipſum, tanquam vitulum ſaginatum, ſacrificauit: & veræ vineæ botrum calcauit: in qua Chriſtus aſpicitur ab Apoſtolis ſurgens à mortuis: & fidē facit Thomę, & per eum finibus terræ, quòd ſit Deus & Dominus: duas in ſe ferens naturas, etiam poſtquam ſurrexit à mortuis, & eis conuenienter, duas operationes, & liberas voluntates, quæ durabunt in ſeculum infinitum. Hęc eſt arx Eccleſiarum. Hæc eſt habitaculum Apoſtolorum. In hac ſanctiſsimi ſpiritus, in varijs ſonis & linguis, & in ſpecie ignis, effuſus fuit aduentus Apoſtolis. In hac cùm ille Theologus accepiſſet Deiparam, ſubminiſtrabat ei ea quibus opus habebat. Hæc eſt mater Eccleſiarum, quæ ſunt per vniuerſum orbē terræ. In hac vitam egit Dei mater, poſtquàm filius ſurrexit à mortuis. In ea ergo beata virgo iacebat ſuper aliquem feliciſsimū lectum. Sed cùm ad hunc locum peruenit oratio (vt enunciem meum animi motum) ardentiſsima accenſus face deſiderij à quodam horrore occupor, & lachrymis quæ pariunt lętitiam, ipſum beatum, & amabilem lectum amplectens, qui eſt plenus miraculis: qui accepit tabernaculum, quod eſt vitæ principium, & eius acceſsione fuit particeps ſanctificationis. Ipſum ſacrum atque adeo ſacratiſsimum tabernaculum, & ſpectatu digniſsimum, mihi videbar proprijs complecti manibus, oculos, & labra, & frontem, & collum, & genas membris admouens. Et contactum ſenſi, perinde ac ſi conſtaret ex præſenti corpore. Sed cùm eſſem contemplatus, non potui videre oculis quod deſiderabam. Quomodo enim quod ſublime raptum eſt in templa cœleſtia? Et hæc quidem nunc. Quínam autem ei habiti ſunt honores ab eo qui lege ſanxit eſſe honorandos parentes? Eos quidem qui diſperſi erant per vniuerſum orbem terræ multiplicibus & varijs, ſed numeroſis linguis ſpiritus: & verbi ſagenæ captos homines deducebant ex profundo erroris ad ſpiritalem & cœleſtem menſam cœnæ myſticæ: ſacri, inquam, communi ſpiritalium ſponſi cœleſtis nuptiarum, quas pater filio, qui eſt eiuſdem naturæ & potentiæ, ſplendidè celebrat, & planè regiè. Eos, inquam, iuſſus diuinus, nēpe nubes, tanquam quoddam rete, vrgebat ex finibus terræ, veluti quaſdam aquilas cogens & congregans. Vbi enim cadauer, illic congregandas eſte aquilas, dixit veritas. Nam etſi de ipſius qui hæc dixit magno & glorioſo aduentu prædictum fuit: non abſurdè tamen, tanquam quoddam condimentum orationis, hîc quoque aſſumetur. 5 Aderant ergo ij qui Verbum & ipſi viderant, & ei ſeruierant, eius quoque matri vt debebant, miniſtraturi, & tanquam præclaram & pretioſam hæreditatem ab ea hauſturi benedictionem. Cui enim dubium eſt, eam eſſe fontem benedictionis, & omnium bonorum ſcaturiginem? ſimul autem aderant eorum quoque aſſeclæ, & ſucceſſores, & miniſterij & benedictionis ſimul futuri participes. Quorū enim labor communis, conueniens erat, & fructus quoque eſſent cōmunes. Aderant verò eorum quoque, qui erant in Hieruſalem, quicunque erat cœtus à Deo eléctus. Oportebat autem iuſtos quoque, & Prophetas qui olim fuêre, vnâ ſequi, futuros huius ſacri conuentus participes: qui prius annunciârunt fore vt ex ea propter nos carne ſuſcepta benignus Deus Verbum naſceretur. Sed neque cœtus Angelorum aberat. Quicquid enim Regi ſua ſponte obediebat, & ideo ei aſsiſtendi honore dignum habebatur, id tanquā ſatellites adeſſe oportebat ad honorandam eius matrem ſecundùm carnē. Ei omnes aderant reſplendente face ſpiritus, & præclaris illuſtrante ſplendoribus eos qui reuerentia & metu, & immobili deſiderio ſynceros mētis oculos in eam defigebant. Nullus enim ordo ex ijs qui in cœlo ſunt, qui non vnanimiter adfuerit: nec quiſquam inuentus eſt, qui eò quòd in ſupernis verſaretur, & cum inferioribus non comparandus eſſet, deſcendere, & omnia quæ diximus munera obire recuſarit. Hîc fuerunt verba inſpirata, & dicta diuinitus. Hîc hymni diuini, qui dicuntur 6 in diſceſſu. Oportebat enim propterea quoque laudare Dei pluſquam infinitam bonitatē, & quæ eſt omni magnitudine ſuperior, magnitudinem: & infinitam potentiam, & quæ omnem ſublimitatem & altitudinem exuperat, eius in nos moderationem: pluſquam infinitas diuitias eius quæ comprehendi non poteſt, benignitatis: inexplebilē abyſſum charitatis, quemadmodum à ſua maieſtate non diſcedens, ad eam quæ in altum extollit, deſcendit exinanitionem, id cum eo, Patre quoque comprobante, & ſpiritu, quemadmodum qui eſſentia, ex vtero muliebri ſupereſſentialiter accepit eſſentiam: quemadmodum Deus eſt, & homo factus eſt, & ſimul manet vtrunque, quemadmodum neque exceſsit ex eſſentia diuinitatis, & ſimiliter atque nos fuit particeps carnis & ſanguinis, quemadmodum qui implet omnia, & eſt ſuper omnia, & vniuerſa ſimul fert verbo oris ſui, habitauit in loco anguſto: quemadmodū materiale, & quod erat inſtar fœni, corpus inſignis huius virginis accepit, conſumentem ignem diuinitatis: & tanquam aurum purum, & minimè adulteratum,

5 Vide eſſe verū quod vulgo dicitur omnes Apoſtolos interfuiſſe dormitioni ſacratiſſimæ virginis.

6 Nota quod & tunc dicebantur hymni in diſceſſu hominis.

nequa-

nequaquam consumptum fuit, Deo hæc volente. Nam si Deus quidem velit, possunt omnia fieri. Sin autem nolit, minimè possunt. Post hæc autem inter eos quoque mota est dicendi contentio, non vt se inuicem superarent (hoc enim est mentis laborantis vanæ gloriæ cupiditate, & procul remotæ à diuina voluntate) sed vt de prompto & alacri animi studio & viribus nihil remittentes, Deum celebrarent, & matrem eius honorarent. Tunc tunc Adam & Eua nostri generis primi parentes, exultantes clarè suis labris exclamârunt: Tu beata filia, deleuisti pœnas nostræ trangressionis. Tu cùm quod corrumpi poterat, tanquam hæreditarium, corpus à nobis accepisses, in vtero nobis gestasti indumentum incorruptionis. Tu cùm à nobis originem duxisses, vt bene simus, vicissim reddidisti: dolores partus soluisti: mortis fascias perfregisti: nobis antiquum restituisti habitaculum. Nos clausimus paradysum: Tu ligni vitæ viam aperuisti. Per nos ex ijs quæ bona erant, venêre quæ erant molesta: Per te, ex ijs quæ erant molesta, rediêre quæ erant meliora. Et quomodo morti es obnoxia, quæ es intemerata? Tu es pons ad vitam, & schala ad cœlos. Tibi mors quodammodo erit cymba, qua traijciaris ad immortalitatem, verè beata inter mulieres, & vndique beanda. Ecquisnam talis, nisi verbum hoc passum, quatenus fuit oblatum, quod dum pateretur, mentem ipsam vicit? Plaudebat vniuersus quoque chorus sanctorum, dicens: Tu nobis eam quæ expectabatur adimplesti lætitiam. Per te enim soluti sumus à vinculis mortis. Agedum huc ad nos veni. O diuine, & qui vitam adfers thesaure. Veni ad nos desiderantes, quæ finem nostro imposuisti desiderio. Sed non paucioribus verbis eam vicissim retrahebat multitudo sanctorum, qui adhuc erant in corpore, dicens: Mane nobiscum, quæ es nostra consolatio: quę es nobis vnicum in terra solatium. Ne nos relinquas orphanos, quæ es mater misericordiæ, venientes in periculum. Habeamus te laborum requiem, & sudorum refrigerationem. Tibi si velis manere, in tua est potestate: & si velis recedere, nihil est impedimenti. Si recedis, quę es Dei tabernaculum, nos quoque recedemus, qui vocati sumus tuus populus propter tuum filium. Te solam in terra relictã habemus recreationem. Tecum viuente simul viuere, & cum moriente mori est beatum. Quid autem dicimus moriente? Nam tua quidem est vita mors: & vita es melior, & hanc vitam superasti incomparabiliter. Nobis autem quemadmodum erit vita vitalis, si te non habeamus cum qua versemur? Hæc mihi videntur Apostoli cum tota Ecclesiæ congregatione dicere beatæ Virgini. Sed cùm ad excessum è vita festinantem: & illum desiderantẽ vidissent Dei matrem, conuersi sunt ad hymnos, qui dicuntur in excessu, diuina impleti gratia, & os commendantes spiritui, & à carne excedentes, & vnà cum emigrante Dei matre emigrare cupientes: & quoad eius fieri poterat, vehementi animi studio præmigrantes. Postquam autem omnes desiderio simul & debito satis fecerunt, & ex multis floribus, varijsque hymnis contextam sacram contexuêre coronam, benedictionem, tanquam aliquem à Deo datum thesaurum accepêre, quæ in exitu postrema dicuntur verba, dicentes. Ea autem, quantum ego possum scire, fluxam & inanem vitam præsentem enunciabant, & quæ erant occulta, in apertum producebant futurorum mysteria. Deinde quædam his conuenientia, & consequentia tunc videntur esse facta. Aduenit enim Rex, vt mihi quidem videtur, ad suam parentem, diuinisque, & ab interitu alienis manibus suscepit eius puram, & nulli culpæ affinem animam. Et ea quidem dixit, vt est consentaneum: In manus tuas fili commẽdo spiritum meum: suscipe tibi charam animam, quam conseruasti alienam ab omni reprehensione. Meum corpus tibi trado, & non terræ. Custodi saluum quod tibi placuit habitare. & cùm natus esses, conseruasti virginem. Tu me ad te transfer, vt vbi tu es, fœtus meorum viscerum, ego quoque tecum degam. Ad te enim propero, qui ad me ventitasti citra vllam spatij distantiam. Tu meis filijs maximè desiderabilibus, quos tibi placuit vocare fratres, estote mei discessus solatiũ. Benedictioni eorum adijce benedictionem, per mearum manuum extensionem. Deinde cùm manus sustulisset, vt erat consentaneum, eis benedixit qui erant congregati. Cùm hæc autem fecisset, & audijsset à filio: Veni benedicta mater mea in requiem meam. Audi, surge propinqua mea, pulchra inter mulieres. Ecce hyems præterijt, venit tempus putationis. Pulchra es propinqua mea, & macula non est in te. Odor vnguentorum tuorum supra omnia aromata. Hæc (inquam) cùm audijsset sancta, deponit spiritum in manibus filij. Quid deinde fit? Elementorum, vt mihi quidem videtur, factus est motus & alteratio, vocesque & strepitus. Laudesque dignas canebant Angeli, præcurrentes, deducentes, consequentes: partim quidem sanctissimam, & nulli culpæ affinem animam comitantes, & simul ascendentes, donec regali throno stitissent: partim Reginam, partim autem diuinum & sacrum corpus circundantes, & canticis, quæ Angelis digna erant, Dei matrem celebrantes. Quid verò ij, qui aderant sanctissimo & sacratissimo corpori? Metu, & desiderio, & lachrymis exultationis 7 diuinissimum & sanctissimũ circũsistentes tabernaculum amplectebantur, osculaban-

7 Ecce quã multa dicit in honorem diuinissimi & sanctissimi corporis beatæ virginis: & quanta ei delata fuerit ab omnibus reuerentia.

osculabantur, omnibus membris os admouebāt, ex contactu repleti sanctificatione & benedictione. Tunc autem morbi quidem fugiebant, fugabantur turbę dæmonum, omni ex parte compulsæ ad sola loca subterranea. Aër, æther, & cœlum ascēsu spiritus sanctificabatur: terra autem depositione corporis. Sed neque aquæ natura erat expers benedictionis. 8 Lauatur enim aqua pura, quæ non eam mūdabat, imò verò ipsa sanctificabatur. Hic surdis quidem perficiebatur auditus: claudis autem integer reddebatur ingressus, firmæque & solidæ fiebant bases pedum: cæcis restituebatur visus: accedentibus peccatoribus disrumpebantur chirographa. Deinde quid? Mundum in mundis inuoluitur syndonibus, & in lecto rursus Regina imponitur. Deinde 9 lampades, & vnguenta, & hymni, quibus eam prosequebantur. Angelis quidem suis linguis canentibus hymnum eis conuenientissimum: Apostolis autem, & à Deo inspiratis patribus, Deo grata canentibus cantica, & quibus applaudebat spiritus. Tunc tunc arca Domini sublata, ex monte Sion, vecta inclytis humeris Apostolorum, in cœleste templum transmittitur per mediam ciuitatem, tanquam quædam sponsa speciosa, decorata splendore spiritus ad quem non patet aditus: & sic fertur in sacratissimum prædium Gethsemanes, Angelis præcurrentibus, consequentibus, aliis contegentibus, & Ecclesiæ tota congregatione. Et quomodo Rex Salomon, propter arcæ requiem in templo Domini, quod ipse construxit, omnes seniores Hierusalem vocauit ad concionem in Sion, vt transferret arcam testamenti Domini de ciuitate Dauid, quæ erat Sion: & sustulerunt Sacerdotes arcam, & tabernaculum testimonij: Ipse verò, & Leuitæ, & Rex, & vniuersus populus ante arcam sacrificabant boues, & oues innumerabiles, qui & intulerunt ipsam arcam testamenti Domini in locum eius, in Daber domos, in sancta sanctorum, sub alas Cherubin: Sic tunc propter requiem arcæ intelligentis non testamenti Domini, sed ipsius hypostasis Dei verbi, ipse nouus Salomon, qui est Princeps pacis, & vniuersi optimus architectus, mensium cælestium supermundanos ordines, & noui testamenti proceres, Apostolos inquam, cum vniuerso populo sanctorum, qui erat Hierosolymis, hodie congregauit: & animam quidem per Angelos in sancta sanctorum, quæ sunt exemplaria vera & cœlestia, introducit, sub ipsas alas quadruplicis formæ animalium, & suo sistitur 10 throno in interiori tabernaculo, in quod præcursor ipse Christus ingressus est corporaliter. Portatur autem corpus manibus Apostolorum, Rege Regum id tegente splendore suæ quæ sub aspectum non cadit diuinitatis: & toto cœtu populi præcurrente, & sacras voces emittente, & sacrificante sacrificium laudis, donec in sepulchro, tanquàm in thalamo, & per ipsum in delitijs Eden, & in cœlestibus repositus fuit tabernaculis. Aderant autem fortè ex Iudæis nonnulli. Operepretium enim est, tanquam obsonio condimentum, id quod multorum labris profertur, admiscere narrationi. Aiunt, cùm fuissent in descensu montis ij qui tollebant beatum corpus Dei matris, Hebræum quendam seruum peccati, & qui fœdus iniuerat cum errore, imitantem seruum Caiphæ, qui Dominico, & diuino Christi Dei vultui impegit colaphum, cùm effectus esset instrumentum diaboli, audaci & considerato impetu, & infœlici impressione irruisse in diuinissimum illud tabernaculum, ad quod timentes accedunt Angeli: & cùm ambabus manibus furiose grabatum apprehendisset, id in humum deijcere voluisse, inuidia illius, qui est autor malorum. Et hoc quidem fuit eius facinus. Sed laborem præuenit fructus: & amaram collegit vuam, & dignam sui animi instituto. Aiunt enim ei defecisse manus. Et licebat videre eum qui sua manu audax & nefarium fecerat facinus, repente carere manibus, donec mentem conuertit ad fidem & pœnitentiam. Cùm primùm enim constitissent ij qui grabatum portabant, & mutilata brachia imposuisset infœlix tabernaculo, quod vitæ dedit principium, & peperit admirabiliter, ex manco manibus sanus & saluus euasit. Solent enim magna ex parte calamitates quoque sapientia & salutaria parere consilia. Sed reuertamur ad propositum. Hinc ad sacratissimam deducitur Gethsemane. Rursusque amplexus, & rursus encomia, hymni sacri, & genuum inflexiones, & lachrymę, & ex animi mœrore, & desiderio sudorum fontes circumfluentes: licebatq; videre sudores & lachrymas de fluxu contendentes. Sic igitur sanctissimum corpus pręclarissimo imponitur monumento. Sed hinc tertio die ad cursus cœlestes in cœlestia transfertur curricula. Non oportebat enim hoc diuinum habitaculum, fontem, qui non potest exhauriri, aquæ remissionis, cœlestis panis terram inarabilem, botri ambrosię terram inirrigabilem, semper florentem & fertilem oleam paternæ misericordiæ, coërceri in sinu terræ. Sed quomodo quod ex ea constitit, Verbi Dei corpus sanctum, & integrum, & interitui minimè obnoxium, tertio die resurrexit ex monumento: ita etiam eripi è sepulchro decebat, & matrem transferri ad filium: & quomodo ipse ad eam descendit, ita etiam eam illi dilectissimam ad ipsum extolli in maius & perfectius tabernaculum, nempe in ipsum cœlum. Oportebat eam, quæ Deum Verbum in suo vtero hospitio exceperat, collocari in diuinis sui filij tabernaculis:

8 Vide morem lauādi mortuorum corpora.

9 Sācta Genitrix cum lampadibus, vnguētis, & hymnis etiam Angelicis sepelitur, & quidem honorificentissimè.

10 Animæ Sāctissimæ Virginis in throno sistitur filij Dei.

bernaculis:& quomodo dixit Dominus,debere se esse in ijs quæ sunt sui patris,ita etiam matrem oportebat habitare in regia filij,in domo Domini,& in atrijs domus Dei nostri. Si enim in ipso est habitatio omniũ qui lætantur,vbi est causa lætitiæ,oportebat eius quę in pariendo integram conseruauit virginitatem,incorruptum conseruari corpus etiã post mortem. Oportebat eam,quæ creatorẽ in sinu gestauit infantem,in diuinis versari tabernaculis.Oportebat sponsam,quã pater despõdit,degere in thalamis cœlestibus.Oportebat eam,quæ suum filium in cruce aspexerat,& doloris, quem in partu effugerat, gladium in corde acceperat,videre sedentẽ cum patre.Oportebat Dei matrem possidere ea quæ sunt filij,& tanquam Dei matrẽ, & ancillam,adorari ab omni creata natura. Nam etsi semper quidem à parentibus ad filios descendit hæreditas : nunc(vt dicit quidam sapiens)ad fluuiorum caput fontes procedunt.Filius enim vniuersam creatã naturam redegit in matris seruitutem.Agedum ergo nos quoq; hodie Dei matri diem festum [11] celebremus,qui solet in discessu: non tibias aliquas ferentes, & Corybantes, & matris falsorum, qui vocantur, Deorum, vt ipsi dicunt, peragentes orgia: quam etiam multis filijs fœcundam stulti confingunt: sermo autem veritatis ostẽdit carere filijs.Dæmones sunt hæc adũbrata spectra, qui id quod non sunt temerè simulant ac repræsentãt,eorum qui falluntur ignorationem habentes adiutricem.Quemadmodum enim gignit ex coniunctione id quod est incorporeum,& quonã modo coibit?& quis Deus est id quod prius quidẽ non erat,ducitur autẽ ad generationẽ?Quod autem dæmonum genus sit incorporeum,est cuiuis manifestum,vel ijs etiam qui mentis oculis cœcutiunt. Alicubi enim dicit Homerus,sed dignorũ deorum statum exponens:Non esca ijs panis,calidũ nec potio vinũ est.His deest hinc sanguis,immortalesq; vocantur.Non est eis,inquit,esca panis,neq; quod calefacit vinũ est eis potus. Ea de causa deest eis sanguis,hoc est,non habent sanguinem:& nominantur immortales. Propriè autem & verè dixit illud,Vocantur.Nam vocantur quidem immortales,nõ sunt autem id quod vocantur.Sunt enim mortui morte vitij.Nos verò quibus est verus Deus id quod colitur: Deus,qui nõ ex ijs quæ sunt,productus est ad hoc vt esset,sed qui semper est ex eo,qui est semper,supra causam,& rationem,& notionem temporis & naturę,matrem Dei colimus & veneramur, non eius diuinitatis ex ipsa describentes generationem, quæ est sine tẽpore: Dei enim Verbi ex Deo generatio est sine tẽpore,& patri coæterna. Sed secundam confitentes generationem,per voluntariam carnis susceptionem,atq; eius causam & scientes,& dicentes.Carne enim induitur is qui est sine principio,sine corpore, propter nos,& propter nostram salutem,vt simile seruet simili.Et cùm carnem suscepisset ex hac sacra virgine sine coniunctione, nascitur ipse manens totus Deus, & totus factus homo,ipse totus Deus cum carne sua,& totus homo cum eius plus quàm diuinitate. Sic Dei matrem cognoscentes hanc virginẽ,celebramus eius dormitionem: non hanc Deum appellantes (Absit: est enim gentilium nugarum hæc fabulari, nam eius quoque mortem annunciamus)sed Dei carne induti matrem cognoscentes,hanc hodie sacris prosequimur canticis,nos qui hoc adepti sumus,vt Christi populus & simus & dicamur.Hãc nocturnis honoremus stationibus . Hanc animi & corporis castitate oblectemus , quæ re vera post Deum casta est supra omnes.Solent enim naturaliter similia gaudere similibus. Hanc colamus egenorum commiseratione.Si enim Deus nulla re æquè colitur,atq; misericordia: quis contradicet matrem quoque non lætari similibus? Hæc publicauit ineffabilem Dei in nos abyssum. Per eam nobis cum eo magno plausu inita fuit reconciliatio , paxque & gratia fuit donata: & simul cum Angelis choreas ducũt homines:& filij Dei sumus effecti, qui prius eramus contemptui,& notati infamia.Ex hac botrũ vitæ decerpsimus.Ex hac colligemus germẽ incorruptionis.Hæc nobis bona conciliauit.In hac Deus quidẽ homo, & homo Deus factus est.Et quid hoc admirabilius? quid beatius? Caligo metu,timens id quod dicitur: Cum Maria prophetissa, ô animæ iuuenes, choros ducamus cum tympanis, mortificantes membra quæ sunt supra terram: hoc enim est mysticum tympanum. Iubilemus in arca Domini Dei,animæ iubilationibus, & muri cadent Hierichuntini,contrariarum,inquam,potestatũ infestæ munitiones.Post Dauid exiliamus spiritu.Arca Domini hodie requieuit.Clamemus cum Gabriele,qui primum locum obtinet inter Angelos:Aue gratia plena,Dominus tecum.Aue gaudij pelagus,quod non potest consumi.Aue vnicum molestiarum leuamen.Aue medicamentũ,quod medetur cordis doloribus. Aue per quam mors quidem fuit expulsa, vita autem introducta.

11 Dei matris diẽ festũ celebremus.

Tu verò, ô sacrorũ sepulchrorum sacratissimũ,post Domini quidem sepulchrum,quod vitæ dedit principiũ, quod fuit fons resurrectionis (etenim loquar tanquã cum animato) vbi est aurum purum, quod manus Apostolorum in te recondiderunt? Vbi sunt diuitiæ, quæ consumi nequeunt? Vbi est , qui Deum suscepit thesaurus? Vbi est mensa animata? Vbi est nouus liber,in quo ineffabiliter Deus verbum inscriptus fuit sine manibus?Vbi est

abyssus gratiæ? Vbi est pelagus curationũ. Vbi est valde desiderabile & admirabile corpus Deiparæ? Quid quæritis in sepulchro eam quæ ad cœlestia translata est tabernacula? Cur à me custodiæ rationem exposcitis? Non licet mihi iussis diuinis resistere. Corpus sacrum, & sanctum relictis syndonibus, cùm me impertijsset sanctificatione, & vnguento, bonoq; odore repleuisset, & templum diuinum effecisset, abis raptum sublime, comitantibus Angelis, & cœlestibus omnibus. Nunc me defendunt Angeli. Nunc diuina in me habitat gratia. Ego euasi officina medicinæ ægrotantibus. Ego sum fons perennis curationum. Ego remedium aduersus dæmones. Ego sum confugium omnibus refugientibus. Fide populi accedite, & tanquam ex fluuio haurite charismata, fidem habentes non hæsitantem. Accedite, qui sititis: venite ad aquam (iubet Esaias) & qui non habetis pecuniá, properate, emite sine pretio. Ego omnibus exclamaui Euangelicè: Qui sitit [12] morborum medicinam à perturbationibus animi liberationem, peccatorum abstersionem, ab omne genus insultibus alienationem, regni cœlorum requiem: ad me fide veniat, & hauriat fluentum gratiæ, quod magnæ est virtutis, & vtilitatis. Quomodo enim aquæ operatio, quæ est simplex & vnica, terræ quoque & aëris & solis omni ex parte lucentis, mutatur vnicuique eorum qui eam participãtur, conuenienter eorum naturæ: & in vite quidem fit vinum, & in olea oleum: ita etiam gratia, licet sit simplex & vna, variè tamen, & habita ratione vsus vniuscuiusque beneficio afficit eos qui sunt participes. Ex mea natura non habeo gratiam. Sepulchra fœtere solent, tristitiam conciliare, lætitiæ esse aduersa: Ego autem euasi vnguentum pretiosum, & boni odoris particeps, vnguentum, inquam, tam odoriferum, & tantæ efficatiæ, vt vel parua sui portione donet defensionem, quæ auferri nequeat. Sunt enim re vera eiusmodi charismata diuina, vt ea nullam vnquam inducant pœnitentiam. Lętitiæ fontem excepi hospicio, & diues remansi perenni eius scaturigine. Videtis amici patres, & fratres, quæ nobis porrigit sepulchrum gloriosissimũ? Quod autem hæc ita se habeant, in Euthymiacæ quoq; historiæ libro tertio, capite quadragesimo, his verbis scriptum est. Superius quidem dictum est, quòd Constãtinopoli multas Christo erexit Ecclesias sancta Pulcheria. Ex his autem vna est, quæ in Blachernis fuit ædificata, in principio imperij diuinæ memoriæ Marciani. Ij ergo, scilicet Pulcheria & Marcianus, cùm illic ædificassent domum venerabilem maximè celebrandæ & sanctissimæ Deiparæ, & semper virgini Mariæ, & eam omnibus exornassent ornamentis, quærebãt eius sanctissimum corpus, quod Deum susceperat. Et cùm accersiuissent Iuuenalem Hierosolymitanum Archiepiscopum, & Palestinæ Episcopos, qui in regia vrbe versabantur propter synodum, quæ tunc facta est Chalcedone, dicunt eis: Audimus esse Hierosolymis primam & egregiam sanctissimæ Deiparæ, & semper virginis Mariæ Ecclesiam in prædio quod vocatur Gethsemane, vbi eius, quod vitam portauit, corpus fuit in loculo depositum. Volumus ergo eius huc adduci reliquias ad custodiam huius Regiæ ciuitatis. Excipiens autem respondit Iuuenalis: In sancta quidem, & diuinitus inspirata scriptura de discessu sanctæ Deiparæ Mariæ nihil traditur. Ex antiqua autem & verissima accepimus traditione, quòd tempore gloriosæ eius dormitionis, vniuersi quidem sancti Apostoli, qui orbem terræ ad salutem gentium obibant, momento temporis sublimè sublati cõuenerunt Hierosolymis. Et cùm apud eam essent, eis visio extitit Angelica, & audita fuit diuina hymnodia præstantiorum potestatum, & sic cum diuina gloria & supercœlesti, in manus Dei sanctam tradidit animam ratione quadam ineffabili. Quod verò Deum suscepit eius corpus, cum Angelica & Apostolica hymnodia, elatum, vestis ei factis in loculo fuit depositum Gethsemane. Quo in loco Angelorum chorea, & hymnodia mansit tres dies perpetuos. Post tres dies autem Angelica cessante hymnodia, qui aderant Apostoli, cùm vnus abfuisset, & post tertiũ diem venisset, & quod Deum susceperat corpus adorare voluisset, loculum aperuerũt: sed intemeratum quidem, & omni ex parte laudandum corpus nequaquam inuenire potuerũt. Cùm ea autem sola inuenissent, in quibus fuerat compositum & positum, & ineffabili qui ex ijs proficiscebatur, essent odore repleti, locum clauserunt. Qui mysterij obstupefacti miraculo, hoc solùm poterant cogitare, quod cui placuit in propria persona carne indui, & ex sacrosancta virgine homo fieri, & nasci in carne Deus verbũ, & Dominus gloriæ: & post partũ, eius incorruptam conseruauit virginitatem, ei quoq; visum est, postquã ea è viuis excessit, intemeratũ eius & impollutũ corpus honorare translatione, ante communẽ & vniuersalẽ resurrectionẽ. Tunc autẽ aderant cũ Apostolis sanctissimus Timotheus Apostolus, & primus Episcopus Ephesiorũ, & Dionysius Areopagita: sicut hic ipse magnus testatur Dionysius in ijs quæ de B. Hierotheo, qui ipse quoq; tunc aderat, conscripsit ad dictũ Apostolum Timotheum, sic dicens: Nam etiã apud ipsos à Deo afflatos sacrorũ Antistites, quando nos quoq;, sicut ipse nosti, & multi ex sacris nostris fratribus ad spectaculũ corporis quod vitæ principium dedit, & Deum suscepit cõuenimus (Aderat autem & Domini frater Iacobus, & Petrus

12 Ecce quot & quãti virtutibus decoratur Matris Dei sepulchrum.

& Petrus superna & antiquissima Theologorum summitas) & postquã eam vidissemus, visum fuit vt omnes sacerdotes hymnos canerent,& laudarent prout poterat vnusquisq; infinitam bonitatem diuinarum virium: post Theologos ille, vt scis, vicit omnes alios mystas sacrorum, vt qui planè excederet, & à se omnino abduceretur,& in ea quã hymnis celebrabat afficeretur societate & cõmunione, & ab omnibus,à quibus audiebatur,& videbatur, & cognoscebatur, & non cognoscebatur, iudicaretur esse à Deo afflatus, & diuinus scriptor hymnorũ. Et quid tibi amplius dixerim de ijs quæ illic diuinè dicta sunt? Etenim nisi mei quoq; sum oblitus, scio me sæpius multosque alios à te audijsse quasdam partes illorum Deo afflantium hymnorum. Hæc cùm audijssent Imperatores, petierunt ab ipso Archiepiscopo Iuuenale, vt sanctus ille loculus cum vestibus clarissimæ & sanctissimæ Deiparæ Mariæ sigillo munitus ad eos mitteretur.Quæ cùm missa fuissent,ea deposuerunt in veneranda æde, quæ ædificata fuerat in Blachernis. Et hæc quidem sic. Quid nos autem dixerimus sepulchro:Tua quidem gratia est perennis,nec vnquam deficit.Sed non diuina virtus ijs circumscribitur: neque Dei matris beneficia habitant in solo monumento.Si enim solo sepulchro circũscriberentur,donũ paucis suppeteret diuinitus. Nunc autem in omnibus mundi finibus est abundè distributum. Nostram ergo memoriam efficiamus repositorium Deiparæ. Hoc verò quomodo erit? Ea fuit virgo, & amatrix virginum: Ea fuit casta, & amatrix castorum. Si ergo cum corpore mentem quoque castam habuerimus, inhabitantem eius gratiam possidebimus. Fugit enim omnem limum: & omnes cœnosos declinat animi motus.Abhorret ingluuiem turpissimæ fornicationis,infesta est vitijs, ac execrandas eius cogitationes fugit, tanquam fœtus viperarum. Turpia verba & scurrilia repellit, & cantica: vnguenta meretricia reijcit. Odit iræ tumores: Inhumanitatem, & inuidiam, & lites non admittit. Auersatur vanam gloriam, quæ ponit studium in rebus inanibus. Ampullis superbiæ hostiliter aduersatur. Odium, & iniuriæ acceptæ recordationem odit,vt salutis aduersariam. Omne vitium reputat,tãquam virus læiferum.Delectatur autem horum contrarijs.Contraria enim contrarijs curantur.[13] Iucundum est ei ieiunium, & continentia, & Psalmorum cantica. Castitati, & virginitati, moderationique, & temperantiæ assentitur, & cum eis pacem agit perpetuam: & eas benignè amplectitur. Moderatum & mansuetum diligit & fouet animum. Charitatem, & misericordiam,& humilitatem in honore habet,tanquã suas nutrices.Et(vt semel dicam) molestum quidem est ei omne vitium. Omni autem virtute delectatur,vt quæ sit ei nota & familiaris. Si ergo quæ prius quidem dicta sunt, omni animi impetu declinauerimus, virtutes autem omni studio dilexerimus, & eas habuerimus nobis familiares: veniet frequenter ad suos famulos, omnium bonorum cœtum secum simul attrahens: & Christum suum filium, & omnium Regem, & Dominum vnà assumet,vt in nostris cordibus inhabitet. Cui gloria,honor,potentia, maiestas,& magnificentia: Cum patre principij experte, & sanctissimo & viuifico spiritu: Nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

De Hierotheo intelligit.

13 *Hæ virtutes, quæ sunt gratæ beatæ Virgini,displicent nostri tẽporis hæreticis: non ergo hi amabuntur ab ea.*

MIRACVLA SANCTISSIMAE DEI GEnitricis, per beatum Gregorium Episcopum Turonensem descripta.

Habentur in opere eiusdem in gloriam plurimorum martyrũ edito, cap. 8.

Ac primum De Basilica eiusdem ab Imperatore Constantino extructa.

MARIA virgo gloriosa genitrix Christi,vt ante partum,ita virgo creditur & post partum. Quæ (vt supra diximus) Angelicis choris psallentibus in paradysum,Domino præcedente,translata est.Cuius [1] basilica ab Imperatore Constantino admirabili opere fabricata renitet, ad quam adductæ columnæ,cùm præ magnitudine leuari non possent,eò quòd esset circuitus earum sexdecim pedum, ac diebus singulis casso labore fatigarentur, apparuit artifici sancta virgo per visum,dicens:Noli mœstus esse,ego enim tibi ostendam, qualiter hæ queant eleuari columnæ: & ostendit ei quæ aptarentur machinæ, qualiter suspenderentur cocleæ, atque funes extenderentur, illud addens: Coniunge tecum tres pueros de scholis,quorum adiutorio hoc possis explere. Qui euigilans quæ præcepta fuerant cùm coaptasset, vocatis tribus pueris à scholis, erexit summa velocitate columnas. Præstitum est populis spectare miraculum admirandum, vt quod multitudo virorum fortium eleuare nequiuerat, tres pueruli absque virtute perfecti operis subleuarent.

Huius festiuitas sacra mediante mense Augusto, [2] celebratur. Nam in oratorio Marciacensis domus Aruerni territorij eius reliquiæ cõtinentur. Adueniente verò hac festiuitate ego ad celebrandas [3] vigilias ad eum accessi. Cumq; per obscuram noctem properarem ad

1 *Ecce quomodo antiqui principes templa magnifica in honorẽ Dei, & sanctissimæ eius genitricis ædificabant, cũ primum ad fidem conuertebantur, vnde nõ est opus malũ, sed bonum Ecclesias ædificare.*

2 *Festiuitas beatæ virginis,quæ medio mensis Augusti celebratur, est eius Assumptio.*

3 *Vide verum esse quod olim ante festa solennia, vigiliæ noctu celebrabantur in Ecclesia.*

 oratorium,

oratorium,suspicio à longè per fenestras ita immensam claritatem effulgere,vt putaretur ibi multitudo lichnorum aut cereorū esse accensa.Credens igitur quòd aliqui deuotorum iam nos ad celebrandas vigilias præcessissent, accedo ad ostium,pulso,nec quenquam inuenio,sed repertum ostium claue munitū,cunctaq; silentio data deprehendo.Quid plura? transmittimus ad custodem, cui tunc erat obseruandi cura, vt scilicet ostium claue exhibita reseraret.Dum autē ille venit,nos accendimus à foris cereum. Interea aperitur spōte & ostium: ingressisq; nobis credo à caligine peccatorum meorum effugata claritas,quam admirabamur, apparente nostro cereo, discessit. Nihil tamen præter virtutem gloriosæ virginis aliud penitus videre potuimus, vnde claritas illa fuisset exorta.

De puero Iudæo valde memorandum miraculum.

Habetur vbi supra cap. 9.

Quid igitur in Oriente actum fuerit,ad corroborandam fidem Catholicam non silebo. Iudæi cuiusdā vitarij filius, cùm apud Christianos pueros ad studia literarum exerceretur, quadam die dum missarum festa in basilica beatæ Mariæ celebrarētur,ad participationem gloriosi 4 corporis & sanguinis Domini cum alijs infantibus infans Iudæus accessit.Quo sancto assumpto,gaudens ad domum patris reuertitur,illoque imperante,inter amplexus & oscula quæ acceperat cum gaudio refert.At ille Christo Domino,ac suis legibus inimicus,ait:Si cum ijs infantibus communicasti,oblitus paternæ pietatis,ad vlciscendam Mosaicæ legis iniuriam parricida in te durus existam.Et apprehensum puerum in os fornacis ardentis proiecit,multaq; ligna,quò vehementius exureretur,iniecit. Sed non defuit illa misericordia , quæ tres quondam Hebræos pueros Chaldaico in camino proiectos nube rorulenta resperserat. Ipsa enim & hunc inter medios ignes , & paternarum flammarum moles latentē prorsus consumi non patitur.Hoc cùm audisset mater,quòd scilicet filium communem pater deliberasset exurere,cucurrit ad liberandum eum.Sed cùm vidisset incendia ab ore fornacis patulo , huc atque illuc flamma dominante respergi , ornatum capitis ad terram proiecit,diffusaq; cesarie,se miseram clamitans ciuitatem vocibus implet. At cùm Christiani quod actum fuerat didicissent, concurrunt omnes ad tam iniquum spectaculum, retractisque ignibus ab ore fornacis, inueniunt puerum quasi super plumas mollissimas decumbentem. Quo extracto admirantur omnes illæsum, clamoribus locus ille repletur,& sic Dominum omnis populus benedicit. Conclamant etiam vt authorem huius sceleris in ipsas proijcerent flammas. Proiectum autem ita totum ignis absorbuit, vt vix de ossibus eius paruum quodammodo relinqueretur indiciū. Interrogantes autem infantulum Christiani,quale ei inter ignes fuisset vmbraculum,ait: Mulier quæ in Basilica illa,vbi panem de mensa accepi, in cathedra residens paruulum in sinu gestat infantē,hæc me pallio suo ne ignis voraret, operuit. Vnde indubitatum est, beatam ei Mariam apparuisse.Agnitam ergo infans fidem Catholicam credidit in nomine patris & filij & spiritus sancti,ac salutaribus aquis ablutus vnà cum genitrice sua denuò est renatus.Multi autem Iudæorum exemplo hoc in vrbe illa saluati sunt.

4 Ecce quomodo in sacra Eucharistia verum Christi corpus & sanguis continetur.

De monasterio Hierosolymitano.

Vbi supra cap. 10.

Monasterium est valde magnum in Hierusalem , non modicam habens congregationem , in quo loco deuotio populi sæpe plurima confert , ac etiam Imperatoris iussu ibi non minima largiuntur. Accidit autem quodam tempore,vt præ penuria egestatis valde eis victus necessaria deficerent . Congregatio enim garrula monachorum cùm vna atque alia die refectionis alimoniam non caperet , vociferant ad Abbatem , dicentes : Largire cibos,aut permitte discedere vnumquemque in locum quo vitam propagare possit,alioquin te inconsulto abscedimus , ne pereamus fame . Hæc his dicentibus , ait Abbas: Oremus fratres dilectissimi , & Dominus ministrabit nobis cibos : nec enim potest fieri, vt deficiat triticum in eius monasterio, quæ frugem vitæ ex vtero pereunti intulit mundo. Quibus vigilantibus nocte tota ac psallentibus, mane orto ita reperiunt cuncta horreorum habitacula repleta tritico , vt vix vel reserari ostium posset. Accepto autem cibo gratias egerunt Deo.

Post multos verò annos iterum deficiente cibo,clamauerūt monachi ad Abbatem: qui ait, Vigilemus, ac deprecemur Dominum , & forsitan transmittere dignabitur alimenta. Denique prosternuntur ad pauimentum templi 5 vigilantes totam noctem in psalmis, hymnisq; & canticis spiritualibus. Cùm autem se post matutinas somno dedissent, venit Angelus,& posuit super altare multitudinē innumerā auri.Erant autē ostia ædis obserata.

Exurgente autē mane Abbate cum monachis ad celebrandum , rursum viderunt multitudinem auri super altare. Et ait abbas custodi ædiū : Quis præfectorū huc ingressus est qui hæc detulit? Respondit: Post egressum vestrū nullus huc hominum accessum habuit, sed ostij clauem munitam retinui, & mecum habui , donec surgerem ad commouendum signum. Tunc stupens Abbas cum monachis munus cœleste intelligit,gratias Deo agens colligit,

5 Vides vigilias, psalmos, hymnos, cantusq; spirituales horum monachorum placuisse Domino, qui eorū inopiæ subuenit.

colligit, comparatisq; victui necessarijs, plebem creditam affluenter refecit. Nec mirum si
6 beata virgo sine labore suis protulit auxilium, quæ sine coitu viri concipiens virgo permansit & post partum. Huius beatæ virginis reliquias cum sanctorum Apostolorum vel beati Martini reliquijs super me in cruce aurea positas exhibeam. Cumque per viam graderemur, conspicio haud procul à via hospitiolum cuiusdā pauperis incendio concremari. Erat autem folijs, quæ ignibus maxima præstant fométa, contectum. Currebat miser cum liberis & vxore aquam deportans, sed flammæ non mitigabantur. Tunc extractam à pectore crucem eleuo contra ignem: mox 7 in aspectu sanctarum reliquiarum ita cunctus ignis obstupuit, ac si non fuisset accensus.

6 Semper beata virgo ad eam cum fiducia confugientibus suum benigna præstat auxilium.

7 Sāctorum reliquiæ quam mirāda præstant beneficia.

De reliquijs beatæ virginis Mariæ.

Ibidem cap. 18.

Quidam reliquias beatæ Mariæ ab Hierosolymis accipiens, reuertebatur in Gallias, sed prius Romam adire disposuit. Verùm vbi altas Italiæ solitudines est ingressus, incidit in latrones. Nec mora, spoliatur indumentis, & ipsa quoque capsa, in qua 8 beata gestabat pignora, capitur. Existimátes enim inimici illi auri ibidem sestertias aggregatas, effracta claue omnia rimantur intentè: sed cùm nihil in ea pecuniæ reperissent, extracta pignora in ignem proijciunt, cæsoque homine discesserunt. Tunc ille semiuiuus exurgens, vt vel cineres exustorum colligeret pignorum, inuenit super carbones accensos illæsas iacere reliquias, ipsumque linteum, quo inuolutæ erant ita admiratur integrum, vt non putaretur prunis iniectum, sed ex aquis collectum. Collegitque cuncta cum gaudio, & viam, qua pergebat, ingressus vsque ad Gallias peruenit incolumis.

8 Sāctas reliquias beata pignora vocat.

De vltione peierantium.

Vbi supra cap. 19.

In vrbe autem Turonica est Ecclesia sanctæ Mariæ virginis ac Ioannis Baptistæ nomini consecrata, in qua periuris vltio diuina apparuit. Quidam enim cùm ad periurādum in hanc Ecclesiam fuisset ingressus, vbi manus ante altare stans sursum extulit, vt sacramentum mendax proferret, statim 9 resupinus ruens ita caput in pauimentum collisit, vt vix vel viués erigi potuisset. Ad se autem reuersus dolum periurij quod occultabat publicè patefecit. Vidimus enim & nos quosdam de Turonicis in loco eodem periurasse, qui ira diuino iudicio condemnati sunt, vt in ipsius anni curriculo finirentur à seculo.

9 Vide quomodo seuera Dei iudicia exercuit contra peierantes in Ecclesijs.

SANCTI PATRIS NOSTRI GERMANI ARCHIEpiscopi Constantinopolitani encomium in adorationem venerandæ zonæ sanctißimæ Deiparæ, & in depositionem sanctarum fasciarum Domini, & Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi, necnon in Encænia templi in quo illa deposita fuerant.

Apud Simeonem Meaphrasten.

GLORIOSA dicta sunt de te, ciuitas Dei: nobis diuinus Dauid cecinit in spiritu: re vera ciuitatem, de qua gloriosa dicta sunt apertißimè vocans ciuitaté magni Regis. Quænā ea est? Existimo eū manifestißimè & sine vlla contradictione dicere eam quæ verè est electa, & omnibus superior, non domorum excellentia, & altitudine excitatorum ædificiorum, sed diuinarum & sublimium virtutum magnitudine, & puritate omnibus antecellentem, Mariam nulli penitus culpę affinem, & castißimam Deiparam. In qua qui verè est Rex Regum, & Dominus dominantium habitauit, vel potius in qua plenitudo totius diuinitatis habitauit corporaliter. Hæc verè gloriosa ciuitas, hæc Sion, quæ percipitur intelligentia. Hanc, vt arbitror, Dauid prędixit diuinus. Quòd si quis eius quoque domum gloriosam vrbem vocauerit, non alienum à vero & honesto dixerit. Si enim ij quorum nomina in terris celebrata sunt, diuturno tempore nominis memoriam conseruant: aliorum autem, quorum ne nomina quidem fas esset labijs proferre, columnæ & templa, & simulachra vsque in hodiernum diem etsi nomine tantùm, sunt tamen extensa, & ipsi tāquam adhuc superstites, resonant in auribus simpliciorum: quid dixerit quispiam de gloriosißima & laudatißima virgine: quæ est omni ex parte intemerata, & nulli culpæ obnoxia? Nam si ea appellata est ciuitas animata Regis Christi, meritò illius quoque templum sanctißimum, cuius dedicationem hodie celebramus, & est, & nominatur ciuitas gloriosa. Ciuitas non terrestis, & mortali regi in ciuium numerum ascribés eos qui parent eius ditioni: sed cœlesti, qui trāsmittit ad vitam æternam, & præbet Regnum suum ijs qui ipsum sequuntur. Encæniorum autem nomen, id est, dedicationis, ô reuerendi auditores, ne re-

center factis ædificijs,& modò coagmentatis constructionibus existimetis solùm contineri, sed eam etiam quæ in spiritu fit, renouationem significare, per quam homo noster internus,cùm vetus & lacerum peccati exuerit indumẽtum, nouum pietatis induẽs viuit in vitę nouitate.Illis enim delectatur virgo ab omni penitus macula aliena,qui virtutibus, & secundùm Deum vitæ pio instituto renouantur.Sic castę castis castè fruamur encænijs: & tanquam ad ipsam præsentem, & omnia videntem accessuri, ita ad venerandum eius templum accedentes omnia componamus, & omnia mutemus in id quod est melius, actionem & contemplationem. Nihil sit nostro die indignum, non ingressus pedis, non risus dentium,vt dicitur,non vestis ornatus tendat ad indecorũ.Quid dico?Ipsas quoque componamus cogitationes, & incessu eas esse Deo dignas ostendamus.

Hæc autem omnia præcedat etiam misericordia qua Deus colitur,vt mente, anima,& corpore encæniorum intemeratæ Dei secundùm carnem matris diem nouo modo celebremus. Nam cum ea vnà quoque elucet venerandæ eius zonæ & intemeratarum eius filij fasciarum Christi veri Dei nostri depositio,& adoratio Zonæ,inquam,maximè venerandæ,fasciarum pretiosissimarum:Zonæ illius, quæ sanctissimum illud corpus constringebat, & Deum qui in vtero celabatur, continebat: Zonæ illius, quæ ad Dei arcam pulchrè & honestè exornabat: Zonæ, quæ sæpe humectabatur ex guttis lactis intemeratæ virginis. Nec existimet aliquis hoc esse absurdum ex ijs qui lubenter reprehendunt, si ea tanquam animata alloquamur, & ea bonis verbis & laudibus prosequamur. Si enim vas quod vnguentum vel breui tempore continuit,eo effuso,diu seruat odorem, quid dixerit quispiam de ea Zona,quæ verè ineffusum,& diuinum vnguentum, purissimum, inquam, & ab omni reprehensione alienum Deiparæ corpus diu inuoluit & est complexa? Non seruabit in æternum odorem curationum? & eos qui cum fide & desiderio ad eam accedunt,bono odore implebit,non quòd eneruat,& effæminat,& est abijciẽdum,sed diuino, & omni ex parte venerando, quod acerrimè expellit vitia animæ & corporis, & si vas, vt diximus, inanimum, quod inanimum continuit vnguentum, scit esse eius qualitatis particeps,& grati odoris:quid dicemus de ea,quæ propinqua fuit animato Dei verbi habitaculo?Non occurremus? Non supplices humi procidemus? Non 1 purgationem animæ & corporis ab ea postulabimus?Omnino.Quid verò?Non perinde ac viuam alloquemur, & ei laudum cantica afferemus? Id certè faciemus. O zona,quæ ijs qui ad te confugiunt, 2 das lumborum quidẽ mortificationem ad vitia, animi autem fortitudinem ad virtutum operationem. O zona, quæ nostræ naturæ imbecillitatem astringis, & roboras:& inimicos nostros tam qui sub aspectum cadunt, quàm qui non cadunt, impedis. Sed quî mihi accidit,vt dum sanctissimæ compungerer desiderio, & impetu vrgerer orationis,obliuiscerer fasciarum? Non mirũ. Dum enim mater glorificatur, lætatur quoque & voluptate afficitur filius. Quinetiam legi cedentes naturæ, etiam si res sint supra naturam, matri primum munus obtulimus.Neque omnino id ægrè feret,qui est summè bonus Dominus. Cùm enim verè homo ex ea progredi ei visum sit, & eius appellari filius, nos non condemnabit imprudentiæ, quæ extitit secundum hominem, is qui est summè misericors. Sed facta mentione fasciarum, rursus reuertor ad illam quæ Dominum peperit. Ea enim illas suis castis confecit manibus. Ipsa vt infantem oportuit, magnum Dominum maternis manibus in his inuoluit. Ipsa cum ijs eum ferens in gremio lactabat,qui supra rationẽ præbebat omni naturæ spiritum & augmentum. Sed ô fasciæ,quæ liberatorẽ Dominum inuoluistis, & nostrorum peccatorum catenas dissoluistis. O fasciæ, quæ fortem Dominum constrinxistis,& imbecillitatem nostri generis roborastis. O fasciæ,quæ fideles quidem custoditis & conseruatis:eos autem,qui contrà se habent,ligatis & prosternitis. Sed ô fasciæ,& zona veneranda,3 tribuite sanctificationem,corroborationem,at & expiationem ijs,qui fide accesseruut ad sanctum hoc templum,& cum desiderio vos colunt & adorant.O zona veneranda, quæ tuam ciuitatem circundas,& contines, & conseruas à barbarica illæsam excursione.O zona pretiosa,quæ Deum verbum,cùm esset in vtero,inuoluisti,& curationum benedictionem affatim illinc hausisti. O iucunda zona,quæ à corruptione alienæ Dei matris summè honesto corpori honestè appropinquasti, & illinc induisti incorruptionem,manens illabefactata & aliena ab interitu. Vt ad nos peruenit quædam narratio veritati consentanea. Sed quid conamur ingredi adyta, & septa festinamus transilire,eis verborum honorem pro dignitate conantes tribuere,quod profectò ne Angeli quidem possunt facere?Sed veniamus rursus ad supplicationem.

1 Vult peti posse à sacra Zona purgationem animæ, & corporis.

2 Ecce quãtæ virtutis sit hæc sacratissima Zona.

3 Vides ô heretice quomodo à fascijs Domini, & veneranda Zona expetit tribui accedentibus cũ fide sanctificationem, corroborationem, expiationem.

4 Quàm mira & magna petit à veneranda Zona.

O veneranda zona summè venerandæ Dei matris,4 accinge lumbos nostros veritate, iustitia,& mansuetudine.Fac nos hæredes æternæ & beatæ vitæ:& hanc nostram vitam interitu obnoxiam conserua,ne eam lædant inimici, tam qui sub visum cadunt,quàm qui non cadunt.Tuam hæreditatem,tuum populum,ô intemeratæ zona intemerata cõserua,

rectos

rectos fide, saluos vita quæ est secundùm Deum, & nullo damno & iniuria affectos. Habeamus te vires & auxiliũ, murum, & propugnaculum, portum & salutare refugium. Tu autẽ ô castissima, & optima, & summè misericors Domina, Christianorum solatiũ, eorum qui affliguntur potentissima recreatio, paratissimũ refugium peccatorũ, ne nos relinquas orbos tua defensione. Nam si tu nos deserueris, quónam cõfugiemus? Quidnam autem de nobis fiet, ô sanctissima Deipara, 5 spiritus & vita Christianorũ? Quomodo enim corpus nostrum vitalis signum operationis habet respirationem: ita etiam sanctissimum tuum nomen, quod in ore seruorum tuorum versatur assiduè, in omni tempore, loco, & modo, vitæ, lætitiæ, & auxilij non solùm est signum, sed ea etiam procurat & cõciliat. Nos protegas alis tuæ bonitatis: nos custodias tuis ad filium tuum & Deum intercessionibus: præbeas nobis vitam æternam, ô spes Christianorum, quæ pudore non afficeris. Nos qui sumus egeni diuinorũ operũ & morũ, per te nobis præbitas contemplati opes benignitatis, dicamus: Misericordia Domini plena est terra. Nos qui propter multitudinẽ peccatorũ à Deo eiecti eramus, per te Deũ quæsiuimus, & cùm inuenissemus, salui facti sumus. Potẽs ergo ad salutẽ est tuum auxiliũ, ô Deipara, & non indiget aliquo alio ad Deũ intercessore. Hoc nos certò scientes, vt qui etiã cùm sæpe petierimus experiẽtia didicimus, te esse vehementissimã nostrã defensionẽ: affatim postulandi sumimus occasionẽ: & in præsentia ad te confugimus tuus populus, tua hæreditas, tuus grex, qui tui filij appellatione exornatur & gloriatur. Non est re vera finis tuæ magnitudinis, non est vlla satietas tuæ defensionis, non est numerus tuorũ beneficiorũ. Nullus enim est qui 6 saluus fiat, ô sanctissima, nisi per te: nemo est qui liberetur à malis, nisi per te, ô purissima: nemo est, cui donum concedatur, nisi per te ô castissima. Nemo est, cuius misereatur gratia nisi per te, ô honestissimà. Quamobrẽ quis nõ te beatã pronũciabit? Quis nõ glorificabit, quis nõ magnificabit? si nõ pro dignitate, at prõptè quidẽ certè & alacriter? te quæ es glorificata: te quæ es dicenda beata: te quæ magnalia es cõsecuta ab ipso tuo filio & Deo, verè magna & admirabilia. Quamobrẽ te laudant omnes generationes. Quis post tuũ filiũ ita generis humani curã gerit, sicut tu? Quis ita nos defendit in nostris afflictionibus? Quis tam citò præueniẽs nos ab irruẽtibus liberat tentationibus? Quis in supplicationibus adeò pugnat pro peccatoribus? Quis ea quę corrigi nõ possunt, adeò repugnãdo excusat? Tu enim cùm habeas maternã apud tuũ filiũ fiduciã & potentiã, nos qui sumus cõmendati, & non audemus intueri ad cœli altitudinẽ, tuis interpellationibus & intercessionibus ei efficis familiares, & das 7 salutẽ, & ab æterno liberas supplicio. Quamobrem is qui affligitur, ad te confugit. Qui iniuria afficitur, ad te accurrit. Qui est rebus asperis & aduersis implicatus, tuũ inuocat auxiliũ. Omnia tua sunt admirabilia, ô Deipara. Omnia supra naturã. Omnia ingentia, & aliorũ vires superantia. Propterea & patrociniũ tuũ maius est, quàm vt intelligẽtia cõprehendi possit. Homines enim ipsos olim reiectos, expulsos, expugnatosq; tuo partu reconciliasti, domesticos effecisti filios, & hæredes. Tu quotidie peccatorum pelago fluctuantibus hominibus adiutricẽ manũ extendens, eripis à fluctuatione. Tu nequissimi hostis contra seruos tuos inuasiones sola tui nominis 8 inuocatione sanctissima repellẽs, tutos atq; incolumes seruas. Tu implorantes te homines ab omni necessitate ex omnigenis tentationibus opportunè liberas. Quamobrẽ ad templũ tuum studiosè accurrimus, in quo cùm stamus, in cœlo ipso stare nos credimus: in quo te celebrãtes, in Angelorũ choro versari nos existimamus. Ecquódnã genus hominũ talis gloriæ diuitias assecutũ est, talem opẽ, tale patrociniũ possidet, quale Christianorũ natio in te habet? Ecquisnã ex fidelibus venerandã tuã zonã intuens, non statim animi iucunditate repletur? Quis feruenti animo ad eam procidens honesta petitione inanis redijt? Quis tuũ characterẽ inspiciẽs, nõ subitò angustias omnes oblitus est? Norunt qui ad venerandũ hoc tuum templũ accedũt, in quo pretiosam zonam reponi concessisti, & filij tui ac Dei nostri incunabula, quorum depositionem hodierno die celebramus: quanto gaudio, quanta delectatione, quanta hilaritate affici soleãt. Non enim verbis explicari potest. O vas illud, ex quo recreationis mãna nos malorũ ardoribus arefacti ebibimus. O mensa, per quam esurientes nos panẽ vitæ abundè adepti sumus. O lucerna, per quã qui sedebamus in tenebris, magna luce illuminati sumus. Habes tu quidẽ à Deo ipsi dignas, & cõgruentes tibi laudes: sed ne quæso repellas hanc nostrã indignã quidem laudationẽ, sed ex animo tamen tibi oblatã. Ne repellas sordidis labijs pronunciatã orationẽ, quam beneuolè tibi offerimus. Ne quæso tenuis, & indignæ linguæ supplicationem reijcias: sed animum remetiens peccatorũ nostrorum 9 remissionem nobis concedas, sempiternæ vitæ fruitionem, & omnium malorum liberationem. Respice de sancto habitaculo tuo circunstantem fidelem populũ, qui cum te Dominã, & patronã habeat, huc conuenit, vt toto animo te celebraret. Diuina igitur protectione tua præsentẽ visitans cœtum, ab omni calamitate & angustia, ab omni morbo & incõmodo,

5 Sãcta Dei genitrix spiritus & vita Christianorum.

6 Ecce quàm potentissima sit sancta Dei genitrix. Et quomodo nullus saluus fieri possit, nisi per eã.

7 Beata virgo suis intercessionibus & dat nobis salutem, & ab æterno liberat supplicio.

8 Vide hic hæretice, num prosit beatæ virginis inuocatio.

9 Ecce mirabilem sanctissimæ Deiparæ potestatem: peccatorũ remissionem nobis concedit, & sempiternæ vitæ fruitionẽ: quæ sanctis suis intercessionibus præstat.

atque violentia liberatum, omni gaudio, salubritate & gratia prosequere, atq; in aduentum filij tui clementissimi Dei nostri, cùm assistemus omnes iudicandi, tu quæso vt maternam habens fiduciam, & maximá potentiam, valida illa manu tua ab æterno igne nos eripiés, fac vt sempiterna consequamur bona: gratia illius & benignitate hoc præstante, qui à te genitus est Dominus noster Iesus Christus: Cui gloria, & imperium nunc, & semper, & in secula seculorum. AMEN.

EVTHYMII MONACHI ENCOMIVM IN ADORATIONEM venerandæ zonæ sanctissimæ Deiparæ, & fasciarum Domini: necnon in anniuersarium diem dedicationis templi in Calcopratijs propter collocationem sanctæ Capsæ prædicta continentis.

Apud Simeonem Metaphrasten.

PROPOSITA est nobis hodie ad orandum, & spiritaliter celebrandum (ô purum mihi adiutorium) veneranda, & insignis, & colenda vel ab ipsis supremis ministris nostris secundùm gratiam, qui non potest comprehendi, patris integra, intacta & incorrupta [10] zona, supra quàm dici potest benedictæ, & gloriosæ semper virginis, & intemeratæ Dominæ nostræ Deiparæ. Cùm itaque animas & corpora, per virtutes quæ reprehendi non possunt, & Deo dignæ sunt nos omnes abluerimus, ita accedamus ad eius diuinum, & suspiciendum, & quod supercœlesti loco non est inferius, templum. In quod quicunque, vt videt, ingreditur, tanquam in cœlo quodammodo perpetuos & indeficientes cultus, & glorificationes facit cum timore, & cordis exultatione, maximè auté hodie.

10 Vides quomodo etiam res externæ Sanctorum sanctæ sunt, & eis exhibetur reuerentia.

O miraculũ in primis nouum & alienũ, quoniam post stupendã & lætam adorationem pretiosissimæ, & maximè Regiæ, & Christo dilectæ zonæ, vel ipso, quod est in Eden paradyso pretiosius, vt diximus, hoc templum fuit dedicatũ. In quo etiam Domini nostri Iesu Christi, qui est vnus ex supersubstãtiali, & increata Trinitate, repositæ sunt (ô miraculũ, ô rem nouã & inauditã) quæ pretio æstimari non possunt, & Deũ decent, fasciæ lucidæ & fulgẽti zonæ cõiunctæ. Et quis loquetur potẽtias Domini, auditas faciet omnes laudationes eius? aut quomodo possem ego hoc duplici luce resplendẽs [11] festum verbis exornare splẽdidis, primũ quidẽ vt Deo placeã, & ei quæ eum peperit sine semine, & planè ineffabiliter: deinde etiã vt prosim ijs qui conuenerũt, & iucũdè exultãt. Atqui vita quidẽ excelsa carens, quam conuenit habere eos qui volunt scribere, (Primùm enim cœpit Iesus facere, deinde docere) quinetiã spiritali egens oratione (oportet enim linguã habere theologicã, vt non opus habeat alio conuertere oculos diuinos, qui olim locuti sunt pulchrè & panegyricè) nihil aliud efficiam oratione, quàm molestia afficiã eos qui conuenerũt, indecora verborũ humilitate, & obscura ac inordinata dictione. Sed tamen viri fidelissimi implẽtes obedientiã, & eius qui est diuinis repletus, eamus iam duplex ad festum laudandæ semper & beatæ virginis. Dabit enim verbum, inquit, Dominus euangelizantibus virtute multa. Age verò huic diuino, excellenti, & iucundo diei nouum aliquod prius comparemus, & exequemur spectaculũ: & ita nobis orationem consequenter suppeditãte ea quæ sine vllis loci angustijs cœpit, ac continuit consistens verbũ patris, adijciamus coronas encomiorũ his, quibus est gratũ festum, & amborũ festo afferamus ea quæ est consentaneũ. Quomodo enim propositis geminis qui gaudiũ afferũt oculis, sole inquam resplendente, & Orientẽ illustrante, & luna cum splendidis stellis noctem obscuram illuminante: aut etiam duobus solibus orientibus nutu, & prouidentia diuina, & à patre mota voluntate est admirabile & ineffabile ijs qui hîc adsunt spectaculum: ita etiam quæ nunc adest splendida & summa celebritas, in nos emittit radiorũ micantia fulgura, & huius fidelissimi populi congregationem tanquã astrorũ multitudinem penè innumerabilem mittit ad templum eius, quæ est verè & propriè Deipara: diuinosq; radios, odoresq; suauissimè spirantes effundit innumerabiles, & persuadet Deum promptissimo glorificare animo, quomodo ex terrigenis nemo fuerit elocutus. Non potest enim exhauriri eius bonorum scaturigo. Est perennis thesaurus eius miraculorum. Si enim, vt diximus, est dulcis & desiderabilis, & eximius, & læta efficit corda oriens hic sol qui est ad tempus, & est interiturus, etiam si solus fuerit lucens, & illuminãs: quanto magis putas Christus sol iustitiæ nos illuminat iucundissima eius specie & pulchritudine fruentes, per immateriales inquã glorificationes, & purissimas preces? Ego enim (inquit Sapientia) eos qui me amant, diligo. Qui autem diligit filium & Deum, & hominem Christum, diligit eum quoq; qui ipsum genuit sine tempore, ante omnia secula, & ineffabiliter. Diligit verò etiam sanctissimum, & paraclytum spiritum, vt

11 Nota diẽ festũ adorationis zonæ beatæ virginis, & fasciarum Domini nostri Iesu Christi.

honore

honore æqualem,& confeſſorem patris,& filij,& vt qui ex patre quidem 12 procedit,per filium autem ad omnem pium mittitur. Diligit autem ſimul(ô excellentem Dei œconomiam)eam quæ ineffabili & ſtupenda ratione in vltimis temporibus continuit vnigenitum verbum patris,& quod cum eo eſt expers principij. Habuit enim, habuit in vtero intemerata & impolluta verbum illud, quod cœlos conſtituit. Habuit in vtero eum, qui pugno omnia continet,&(ô caſtiſsimam,& nulli culpę affinem,quam extimeſcunt intelligentes omnes Hierarchiæ) geſtauit in vtero eum qui nec contineri, nec adiri poteſt ab vniuerſa creatura, Deum perfectum, & (verùm quid tibi rei ô benigne & clemens cum mendicis & abiectis?) hominem perfectum,duplicem natura,vna autem conſiſtentē perſona. Non enim dicimus hominem Deificatum tanquam in viſione, ac phantaſia: Abſit, ſed Deum incarnatum, & hominem factum, qui totum illud quod noſtrum eſt, ſuſcepit, dogmate noſtro tenemus.Verbum enim(inquit tonitrui filius)caro factum eſt.Non quòd conuerſum ac mutatum ſit ex eo quod erat verbum,ſed quòd præterea acceperit vt caro fieret: non mutata diuinitate in humanitatem,ſed cum propria ſuæ diuinitatis eſſentia in propria perſona Dei verbi & conſiſtentis comprehendens etiam eſſe hominē.Hominem autem dico perfectè.Quæcunque enim homo,& qualia homo,& ſi quid eſt homo,accepit vnigenitus, vt in perfecto ſuo homine vniuerſam ſalutem, cum Deus eſſet, efficeret, hominis nihil relinquens: ne pars relicta rurſus fieret eſca diaboli. Non enim venit vt mutaret naturā carne indutus vniuerſorum Deus: ſed vt eam reformaret, & efficeret puram à mutatione,vt etiam factum eſt. Quod enim fuimus,erimus,propter myſterium eius incarnationis,eam quæ ab initio erat,immutabilitatem accepturi,quam mihi,& bonis omnibus perfecit, & corpus natura mundum reddens à peccato, & intelligentem animam voluntatem habētem immutabilem.Vno autem verbo vniuerſum dico myſterium. Neq; Deum nudum corpore,& ijs quæ ſunt corporis,Chriſtum eſſe credamus,neq; nudum hominem abſque vera diuinitate,& ijs quæ ſunt diuinitatis:Vtrunq; enim apertè oſtendunt doctrinam diaboli: Sed Deum totum, & eum ipſum abſque conuerſione totius hominis accepiſſe eſſentiam,corde puro credamus ad iuſtitiam,& ore Apoſtolicè & paternè confiteamur ad ſalutē.Hunc ergo ante ſecula Deum,qui comprehendi non poteſt,qui refulſit in duabus eſſentijs & operationibus, vna autē,vt diximus,perſona,& nobis in omnibus fuit aſsimilatus præter peccatum, peperit quæ eſt verum patrocinium Chriſtianorum,& propriè,vereq; eſt Deipara:quę eſt altior,& ſuperior quauis re creata,tam quæ ſub aſpectū cadit,quàm quæ nō cadit:quæ eſt pura,impolluta,intacta Patris,qui nec videri,nec comprehendi poteſt,ab omni reprehēſione aliena,& pulcherrima ſponſa,quæ eſt in omnibus glorioſa & benedicta, & in bonitate & benignitate eſt incomparabilis, conuenienter ei, qui ex ea natus eſt Deus & homo,& nobis ad indeficientem propoſita opem & ſalutem. Et quis non hodie(vt ſuperius diximus)accurrerit ad venerabilē zonę,quæ ſemper lucet, & omni ex parte reſplendet,venerationē,& ad hanc longè clariſsimam,& illuſtriſsimam eius ornatiſsimi, & à Deo conditi templi 13 dedicationem? Hodie enim admirabiliter ambo ſimul ſunt propoſita ad lætitiam fidelibus qui rectè ſentiunt,& qui verè eam confitentur, & adorant veram Deiparam, vt quæ peperit ſupereſſentiale verbum Dei Patris, qui nequit comprehendi. Et qui non eſt ita effectus, & non ita opinatur, vt paulò antè ſcripſimus, voces mutantes ex paternis præſcriptis ſit anathema.

Hodie lætantur Angeli,gaudēt Cherubin,gaudio afficiuntur Seraphin,Throni,& Dominationes mente nobiſcum exultant. Tranſilias,ô tu,pura mente æthera & cœlū,quod illum ſuperat,puris & caſtis oculis: & videbis vim eorū quæ dicuntur.Nec mireris. Nam ſi ſtudio & diligentia homo fit Deus (inquit enim: Ego dixi,dij eſtis, & filij excelſi omnes)quid eſt incredibile,aut magnum,quòd quis verſatus cum Angelis,quę illic ſunt bona videat,intelligentia,& in ijs ſe omnino extendat & oblectet?Abundè enim diuina gratia benignitatem ſuam iugiter effundit ijs qui purè viuunt & Euangelicè. Ego enim (inquit meus Ieſus) & Pater veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Vide ergo, vide, quemadmodum inhabitatio Trinitatis in hominibus maior fiat, quàm contemplari poſſimus. Hodie ergo à nobis quoque honoretur 14 zona, quæ eſt omnino à Deo maximè illuſtrata,& ſummè admirabilis,& valde veneranda.Hodie honoretur zona,qua ſuccincta fuit laudatiſsima Deipara, & fraudulentiſsimum draconem per eam ſuffocauit, & noſtri generis autores à graui reuocauit exilio. Hodie honoretur zona, quam ipſum quoque vnigenitum Dei verbum ineffabiliter ex ipſa carne tectum, quomodo ipſe ſolus nouit, tenuit, & eſt complexus adhuc corporaliter propter ætatem ſe gerens pueriliter, & vt puer ſolet facere balbutiens, & in materno gremio requieſcens, & exiliens. Hodie ipſi quoque, inquam,primi Dei miniſtri, licet non videantur,eam adorant,& maxima colunt veneratione, & arcanè vnà nobiſcum lætantur. Hodie à nobis etiam terrenis adoretur, & magni-

12 De proceßione ſpiritus ſancti recentiū Græcorum more loquitur.

13. Etiam antiqui patres celebrabāt anniuerſariū diē dedicationis Eccleſiæ alicuius.

14 Ecce quāto honore proſequitur beatæ Dei genitricis zonam.

& magnificetur hæc zona ad gloriam eius, qui supra rationem fuit carne indutus. Et (ô mysteria, quæ comprehendi nequeunt) hodie magnificetur zona, ad laudem & honorem semper Virginis & Deiparæ Mariæ. Lætatur enim cùm nos in his aspicit castissima Domina. Se enim ea re vera cinxit, vt credimus, & aras contriuit idolorum, & delubra gentium perdidit & comminuit, & cessare fecit immoderati sanguinis effusionē. Hodie zona magnificetur, per quam aër fuit sanctificatus, cœli summè refulgent, Sol & Luna supra naturam suam nunc splendidè radios & mysticè emittút, & vniuersus mundus, qui quatuor continetur finibus, renouatur, & illustratur. Et gloria sit ei, qui nos implet in bonis omnibus ad gloriā suæ bonitatis. Hodie glorificetur zona, per quam montes exiliunt, & tranquillum mare subridet placidè, omnesq́; summè ditantur, & lætitia afficiuntur, ad gloriam eius, quæ est semper virgo, & Dei mater. Hodie zona glorificetur, per quam pulchri euadunt fluuij, & soli subiectam terram rigant, & fertilem efficiunt: Et gloria sit ei qui eos regit, & nos in omnibus lætificat, & copiosè alit. Hodie proponatur, honoretur, & adoretur zona, quę diuina virtute cœlos superat, & resplēdet plus quàm radij solares, manetq́; integra & intacta plurimorum annorum curriculis, noningētorum, inquam, aut amplius.

O Dei mysteria quæ comprehēdi nequeunt: ô dona eius, quæ non possunt inuestigari. Papè tuam ô intemerata potentiam. Papè tuam ad filium tuum absque vllo intercessore fiduciam. Et quis ô Domina potuerit satis vel aliqua ex parte laudare hanc præclaram, & verè semper colendam celebritatem? Et præbete quidem aures: Sum enim admirabilia dicturus. Nam vt scriptum inuenimus in admiranda, & semper resplendente arca, in qua est pretiosa hæc zona recondita, à tempore Arcadij, qui olim imperauit, in fide rectè sentiens, quique fuit filius magni illius, & qui virtutibus refulsit, Theodosij, hic fuit reposita tricesimoprimo [14] vltimi huius mensis: Saluaq́;, illæsa & impolluta, vt videtis, permansit vsque in hodiernum diem, nullo modo fœdata aut obfuscata, aut eius colore vllo modo mutato: sed resplendens supra niuem, & tanquā modo ex coccino laborata, sic est proposita, virtute sancti, & viuifici, & adorandi spiritus. Ei autē prōpto & alacri animo [15] flectamus genua, lachrymas fundamus, præ lætitia ante eam stemus, & fideliter omnes sanctificemur oculis, labris, frontibus, manibus, eam cum metu tangentes, & in altū extollētes, & sic dicentes: Audi filia, & vide, & inclina aurē tuam. Vides enim, vides ante pedes pulcherrimæ tuæ capsæ nos omnes ardenter volutari, & tuum postulare auxiliū, expectātes tuam defensionem, tuum in omnibus inuocantes patrocinium. Itaque vt dum hîc quidem manemus, nos protegas supplicamus, rursus autem vt cùm excedemus, in ædibus semper viuentibus & luminosis habitemus [16] obsecramus. Contrà autem nobis parcat tuus filius & Deus, perennibus tuis orationibus. Nihil enim est, quod tibi sit impedimento, ô impolluta Domina. Ecce enim post tuum festum pretiosæ tuæ & adorandæ zonæ, huius quoque tui templi dedicationem concorditer peragimus, vt qui simus serui & debitores, ô optima. Respice seruos tuos, respice: in te enim [17] omnes spem nostram collocauimus, & in te viuimus, & gloriamur, & sumus. Scimus enim, scimus fore, vt non hac nostra frustremur expectatione, aut fallamur, & excidamus. Tua enim sumus hæreditas, ô impolluta: & ad te mane surgere & confugere nunquàm nos piguerit. Agedum verò popule electe, & Deo grate, postquàm de veneranda & pretiosissima zona pauca diximus, pro nostra quoque dicendi facultate nonnulla dicamus de dedicatione. Sicut vobis antè sumus polliciti. Dedicatur ergo hodie templum Dei matris, quod est pulcherrimum & luminosissimum, & cœlo potest æquiparari. Hodie dedicatur templum maximè benedictæ Dei Filiæ, in quo Angelorum exercitus assiduè ministrant, & circa semper splendentem capsam cum timore assistunt, quòd & fasciæ Christi in ea sunt reconditæ, & hæc à Deo contexta zona eius quæ peperit ineffabiliter. Gloria sit ei qui nos in his affatim ditat, & refrigerat, & à multis malis liberat, nempe & ex incursione Barbarorum, & grauibus alijs quibusdam casibus. Hodie celebrantur encænia nostræ intemeratæ. Et quis ex viris terrigenis, & ea quæ sunt Dei scientibus non exilierit, & non præclarè supra niuem dealbatus fuerit, & animo & moribus mutatus? Ita enim in his erimus sine periculo, si maximè cum metu, & tremore, & spiritali exultatione in id ingrediamur. Hodie templum dedicatur huius gloriosę Dei matris, in quod ab Oriente, & Occidente, à Septentrione, & mari, omnes ardenter & fideliter confluunt, & spiritales cultus cum timore peragunt, & Deum ex corde nō cessant glorificare à media nocte, atque adeò perpetuo prompto & alacri animo, assimilati Angelis, & Archangelis. Hodie dedicatur templum Regis Christi matris, in quo omnis scriptura à Deo inspirata & vtilis legitur ad vtilitatem animarū innumerabilium. Etenim ex quouis Christianismo ordine in id magno studio confluunt Pontifices, & Reges, Principes, & magistratus, diuites, & pauperes, immatura ætas, & piarum fœminarum caterua. Sed quis tuæ gloriæ loquetur magnalia ô intemerata? Hodie dedicatur

templum

14 *Vltimū mēsem appellat Græcorū more, qui Augustum extremum mensem anni faciunt.*

15 *Vide quo modo vult flecti genua ante zonā virginis, fundi lachrymas, ac illā tāgentiū omniū labra, frontes & manus sanctificari*

16 *Ecce quomodo innocat sanctißimam Dei matrem in auxilium.*

17 *Vide mira quæ de matre Dei dicit, & eadem ferè quæ de ipso Domino Deo dicuntur. Et quod omnis nostra spes in ea sita sit. Quod tamen sobriè intellige, scilicet post ipsum Dominum Deum.*

templum sponsæ expertis nuptiarum patris, qui non potest comprehendi, in quo chori piorum, & doctorum virorum in ordine assistentes, & indoctis non paruam præbentes vtilitatem summam accipiunt remunerationem. Qui enim adducit, inquit, indignum ab indigno, erit tanquam os meum. Hodie dedicatur templum purum, & integrum gloriosæ Dei filiæ, in quod etiam ij qui sunt in montibus, & speluncis cursu venientes, ex bona fama ossa (vt dicit scriptura) pinguefaciente, amore amorem assumunt, & læti domum vadunt, semper virginis Mariæ summum templum honorantes. Hodie templum dedicatur illius castissimæ templis omnibus superius, in quo plurimi ex ijs qui sunt polluti peccatis grauissimis redeunt ad pietatem, & summam puritatem, & fiunt æquales Angelis. Hodie dedicatur templum [18] patrocinij & defensionis Christianorum, in quo ij etiam qui optimè viuunt, redduntur formosiores, & luce lucem accipiunt, exornati humilitate, qui Christum imitantur. Hodie templũ dedicatur laudatissimæ, & ab omni labe alienæ puellæ, in quod quicunque ingreditur ex desiderio & fide, & ea enunciat quæ ab eo facta sunt grauiter, & confitetur se amputaturum ea quæ sunt molesta, statim (ô miraculum) inuenit solutionem, & cordis exultationem. Dixi enim, inquit, enunciabo contra me iniquitatem meam Domino, & tu remisisti impietatem cordis mei. Hodie templũ omni ex parte benedictæ & venerandæ adolescentulæ, & prophetarum coronidis est dedicatum: in quo eriguntur paralytici: qui non vident, visum recipiunt, & qui horrore ac febri laborant, curantur. Est enim semper perennis scaturigo eius miraculorum. Hodie nos quoque, qui huc accurrimus ab innumerabilibus, & sibi inuicem succedentibus afflictionibus, & turpissimis improborum hominum maledictis liberati, & tecti sub alis eius intercessionis, suppeditatam rationem, & sapientiæ cognitionẽ desuper à filio ex ea nato per ipsam admittentes, cùm loqui iussi fuerimus, sine impedimento clamemus. Ne assiduas [19] nostras preces repudies, ne repudies ô intemerata. Defende nos secundùm magnam & copiosam misericordiam tuam, ô Domina. Frange schedulam immensorum nostrorum malorum, tuis quæ nunquam dormiunt, intercessionibus, ô optima. Nos ante finem concilia tuo misericordi & iusto iudici, filio & Deo. Sumus enim planè omni destituti fiducia & audacia propter negligentiam & multitudinem peccatorum. Sed magnam vim habet, ô laudatissima, precatio matris ad filij conciliandam beneuolentiam, vt credimus. Cùm ergo habes maternam & infinitam ad eum fiduciam, qui ex te sine fluxione, & ineffabiliter ortus est, nos quoq; fac bonorum æternorum participes, & ab omni graui hîc & illic libera afflictione. Potes [20] enim omnia tu, quæ es plus quàm benedicta & gloriosa: vt à te custoditi, & de te gloriantes, emittamus gloriam & gratiarum actionem in hoc venerãdo templo, & vbicunq; simus, patri, & filio, & sancto spiritui, nunc & semper & in secula. AMEN.

18 Beata Maria virgo patrociniũ & defensio Christianorum.

19 Ecce quemodo beatam Mariam inuocat, & quantum eius intercessionibus confidit.

20 Beata Maria virgo omnia potest.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS Bergomensis syncero Lectori salutem.

CVM ex laboriosa illa, non minusq́ periculosa Poloniæ legatione, diuina prorsus ope, & non alia, incolumis in Italiam reuerterer, & hexaphora vectus, ne itineris tædio torperem, diui Ephram Edissenæ Ecclesiæ diaconi elegantissimos sermones legerem, quædam ex ipsis decerpsi, quæ ad illustrandum hoc nostrum sanctorum vitarum volumen admodum accommodata mihi visa sunt. Proinde ea tibi nunc subijcimus, benigne lector, quæ certò scio, ingens tibi paritura desiderium, reliqua sanctissimi huius viri scripta per te ipsum percurrendi. Quis enim eum morum probitate, & vitæ sanctitate, monachismi disciplina, eruditione, & pietate antecellit? Nemo profectò, nisi is vnus magnus sit Basilius, Ephram ipsius spiritualis pater, præceptor, & institutor. Sed non longè post eius vestigia, crede mihi, graditur sanctissimus hic vir, & clericorum, & monachorum iubar splendissimum. Accingere ergo tu quoque, & ad ea quæ scripsit, legenda: & ad ea quæ docuit, opere complenda. Ita enim nec ignauus lector, nec surdis apparebis auditor, sed verus illuminati viri discipulus, postq́ huius breuis vitæ cursum, ibi tandem collocaberis, vbi ipse modò Deum omnipotentem cum sanctis omnibus indesinenter laudat, & glorificat. Vale.

ORATIO DIVI EPHRAEM DIACONI Ecclesiæ Edissenæ, viri sanctissimi, & illuminatissimi, de sanctissimæ Dei matris laudibus.

INTE-

INtemerata, prorsusq; pura Virgo Deipara, Regina omnium, spes desperantiũ, Domina mea gloriosissima, eademq; optima, sublimior cœlicolis, purior Solis radijs, & splendoribus, honoratior Cherubin, & Polyommatis, id est, multoculis spiritibus, sanctior Seraphin, & nulla comparatione cæteris omnibus superis exercitibus gloriosior, spes Patrum, gloria Prophetarum, Apostolorũ præconium, & honor Martyrũ, Sanctorum lætitia, & lumẽ studiosorum Abraham, Isaac, & Iacob, decus Aaron, Moysis splendor, & Gedeon vellus, Hierarcharum cœtus, & omnium sanctorum ac virginum corona, ob fulgorem inaccessa. Accerra aurea, lucerna micantissima, vrna cœli manna gestans, tabula scriptam legem ferens mortalibus, arca vera, charta diuinissima, omnium princeps, circumspecta, & lucifera virgo, consolatio, sanctissima, & omnium dux, sacratissima puella. O rube incombuste, & parens prædium, & viridans Aaron illius virga. Virga profectò extitisti, & flos filius tuus. E radice Dauid, & Salomonis germinauit Christus noster creator, Deus & Dominus omnipotẽs, altissimus & solus. Tu quoad corpus Deum & verbum genuisti, virgo ante partum, virgo in partu, virgo post partum. Claues non excussit Deus Creator tuus in tuo virginali vtero absque semine carnem indutus, te ô celeberrima talem præseruans, qualis extiteras ante partũ. Per te reconciliati sumus Christo Deo meo filio tuo. Tu peccantium, & auxilio destitutorũ adiutrix. Tu portus [1] procella vexatorum, solatiũ mundi, carcere clausorũ liberatrix celeberrima. Tu orphanorũ susceptio, tu captiuorũ redemptio, tu ægrotantium exultatio, & omnium salus. Tu solitariorum stabilimentũ, & spes mundanorum. Tu virginum decus, corona & gaudium. Tu mũdi lætitia, ô Domina princeps, Regina præstantissima, & perquàm benedicta, puella veneranda, dominorum domina purissima. Sub alis tuis custodi me & protege. Miserere mei, qui sum luto inquinatus, qui sceleribus quàmplurimis creatorem Deum meum & iudicem offendi, ne aduersus me glorietur satanas exitiosissimus, ne in me exurgat execrandus inimicus meus, ne seruũ tuum à tui spe destitui cognoscam, ne calumnietur me detractantium lingua. Non mihi alia fiducia, ô virgo syncera. Ex vlnis equidem maternis tibi Domina mea, deditus sum miserabilis, & cliens tuus vocatus sum, ne maleuolus satanas me ad infernas portas adducat. Tu enim meus portus ô virgo inuiolata, & præsens auxiliatrix. Denique sub tutela & protectione tua totus sum. Crebris lachrymis te, ô celeberrima mater [2] imploro, & aduoluor tibi, Domina mea suppliciter clamans, ne dulcis filius tuus, & vitæ omniũ dator, ob multa quæ patraui scelera tollat me de medio, & miseram animam ceu leo diripiat, vel velut sterilẽ ficum infœlicem me excidat. Sed obsecro, vt Christũ meum adeam, & subeam aulas illas beatorum, vbi non sunt lachrymæ, non vexatio, non molestia, non mors, non tormenta, non locorũ angustiæ, sed lætitia inexhausta, voluptas iustorũ, delitiæ & exultatio, gloria & splendor. Imple os meũ gratia dulcedinis tuæ. Illumina mentem, ô gratia plena. Moue linguam meam & labia, ad laudes tibi alacri & læto animo canẽdas, & præcipuè melos illud Angelicũ celebratissimum: quod Gabriel in Nazareth seruili habitu ad te virginem & matrem Dei mei integerrimã clamans cecinit, salutationem maximè congruam, & dignissimam, mundi salutem, cunctarumq; animarum tutelam. Dignare, virgo, te, tuum seruũ laudare, & dicere: Aue Dei splendidissimũ, & luculentissimum vas: aue Domina Maria gratia plena: aue in mulieribus virgo beatissima: aue stella fulgentissima, ex qua Christus prodijt: aue illustrissima lux, mater, & virgo: aue quæ mirificè Regem omnium peperisti: aue per quam nobis sol præclarissimus illuxit: aue Domina cunctis sublimior: aue canticum Cherubin, & hymnus Angelorum: aue pax, gaudium & salus mundi: aue generis humani lætitia: aue patrum præconium, & prophetarum decus: aue martyrum pulchritudo, & corona sanctorũ: aue piorum gloria, & in solitudine degentiũ hymnus: aue præclarissimũ hierarcharũ cœlestium ornamentum: aue hymnigraphorum omnium oratio: aue præstantissimũ orbis terræ miraculũ: aue terrigenarũ omniũ delectatio: aue paradyse delitiarum & immortalitatis: aue lignum vitæ, gaudium, & voluptas: aue vallum fidelium, & mundi salus: aue tranquille portus, & à fluctibus agitatorũ liberatrix: aue nostra periclitantiũ auxiliatrix: aue progenitoris illius Adam resurrectio: aue iucũda libertas: aue omniũ parens: aue flos gratiæ & consolationis: aue refugium peccatorum, & hospitium: aue propitiatorium laborantiũ: aue refugium in Hierosolymis: aue throne mei creatoris gloriosissime, aue æui splendor illustrissime & micantissime: aue spes omnium proborum aduersis casibus afflictorũ: aue conuersorum refugium: aue virorum iuxtà mulierumq; Regina & tutela: aue mundi mediatrix gloriosissima: aue vniuersi terrarum orbis conciliatrix: aue Domina sceptrum fidelibus tuis impetrans: aue gloria & lætitia omniũ sacerdotum: aue virgo solatiũ solitariorum: aue porta cœlorũ, ascensus omnium: aue referamentum portarum paradysi: aue quæ mœrores sedasti, adornatrix omnium: aue eadem

1 Ecce quomodo sanctißima virgo est humani generis refugium, & totius mundi salus post Deum.

2 Inuocat sancti Dei genitricem, pro consequenda peccatorũ venia à filio, & beatitudinis gloria adipiscenda.

eadem quæ lenijsti oppressorum molestiã: aue clauis cœlorũ,& regni Christi: aue portus optime huius vitæ nautarũ: aue animæ meæ spes bona & fida: aue Christianorũ omnium firma salus: aue lumẽ præfulgens, quo mundus illustratur: aue mater Christi filij Dei viui: aue nostra genitorum protectio luculenta,& gloria: aue quę nullo spatio comprehensum in sinu comprehendisti: aue quæ Christũ vitæ datorem educasti, Christum pientissimum omnium creatorẽ, Deum, dulcem Iesum meum, altorem mundi, hominũ amantissimum, omnipotentem patrem meum, cui competit gloria, honor,& potestas in secula, laus, & magnificentia, cum æterno patre,& spiritu sancto, nunc & semper,& in secula seculorum. Precibus 3 Dei genitricis semper virginis, & exercitus cœlestium, ac cœtus Angelorum, Cherubin, Seraphin, Prophetarum, Martyrum, Hierarcharum, Sanctorum studiosorum intercessionibus, & omnium beatorum supplicationibus, miserere tuæ creaturæ Deus mi clementissime. A dextris in hora iudicij colloca humiles seruos tuos. Ne ô Domine vitæ author ad opera quæ nos mortales legem preuaricati commisimus, aspexeris, quin potius aspice ad mitissimam humanitatem & misericordiam tuam. AMEN.

3 Vide quomodo sancti intercedũt pro nobis.

EIVSDEM DIVI EPHRAEM oratio ad sanctissimam Dei genitricem.

IMmaculata, impolluta, incorrupta, pudica virgo, Dei sponsa, Domina nostra, quæ Deum Verbum hominibus mirifica tua conceptione conciliasti, & rebellem humani nostri generis naturã cœlestibus cõsociasti, vnica spes desperatorum, oppressorũ subsidium, & ad te currentium auxilium præsentissimum, omniũ deniq; Christianorum profugiũ, me scelestum peccatorem, & fœdis meis cogitationibus, verbis, factis, factũ vilissimum, atque adeo voluptatũ mollitiem animo seruili & abiecto amplexatũ, ne auerseris quæso, quin potius sicut humanissimi Dei mater es, ita me peccatorem humaniter suscipe, & meam sordidissimam, indignisq; labijs expressam orationẽ admitte, necnon tuum quidẽ filium, meum autem herum,& Deum, materna tua liberalitate volens exora, vt mihi quoque mitissima illa suæ pietatis viscera reseret, & posthabitis innumerabilibus peccatis meis, ad pœnitentiã me conuertat, probeq; sua complere mandata concedat. Adsis 4 mihi semper Virgo misericors, clemẽs,& benigna, in præsenti quidem vita feruens protectrix & auxiliatrix, hostiles impetus repellens: & me deducens ad salutem, ac in supremo vitæ momento miseram meam animam conseruans,& tenebrosos malorũ dęmonum aspectus ab eo procul abigens: in terribili autẽ die iudicij ab æterna dãnatione me liberans, postremò inaccessæ tui filij & Dei gloriæ me hæredẽ efficiens. Quam per intercessionem fauoremq; tuum, Domina mea sanctissima Dei mater, te etiam atq; etiam oro, assequi valeam gratia, miseratione, & humanitate vnigeniti tui filij Domini, & Dei, ac saluatoris nostri Iesu Christi, cui conuenit omnis gloria, honor,& veneratio cum æterno eius patre,& sanctissimo, optimoque vitæ autore Spiritu, nunc & semper,& in secula seculorum. Amen.

4 Et hic inuocat immaculatã Virginem.

PASSIO SANCTORVM INNOCENTVM, per D. Ioannem Chrysostomum Episcopum Constantinopolitanum scripta.

Est sermo 31. in opere serm. eius qui habetur Tom. 1. fol. 354. Est in operibus eius Basileę impress. Tom. 2. folio 1153.

DEDICATVR nouus ab infantibus sermo, sanctis laudibus Christi, in gloriam Domini primam vocẽ aperiunt innocentes: Fiunt diserti laude, qui fuerant imperiti sermone. Offerunt Domino primitias linguæ, nouos oris immolant fructus, verborum principia libant. Infantia enim quæ per ætatem loqui non poterat, glorias Dei cum gaudio resonabat. Norunt laudare Christum, qui loqui non norunt: fiunt periti laude, qui fuerunt imperiti sermone. Ostendunt laudibus Christum, suffragijs prædicant Christum. Fiunt interea pueri sine magistro diserti, docti sine doctore, periti sine eruditore. Agnoscunt Christum, prædicant Dominum: non quem persuasio humana docuerat, sed quem diuinitas innocentibus inspirabat. Cessant enim humana, cùm diuina tractantur: quia humana ipsa prodesse non poterunt, nisi diuinorum solatio subleuentur. Necesse est enim terrena succũbere, quum cœlestia prædicantur: naturalia silere, quum virtutes loquuntur. Erigitur itaque infantium ætas in laudem, quæ delictorum non nouerat crimen: dignus à dignis laudatur, & innocens innocentium testimonio prædicatur: accipiunt enim à Christo, & reddunt, consequuntur,& referunt. Vno enim tempore,& qui dederat, recipit: & qui acceperat reddit: vno, inquam, tempore sua Christo redduntur, dum eius laudes illi ab

infantibus referuntur. Diximus de laude infantiū, quid de lactētium laudibus proferemus, quorum laudem inuenire nō possumus, nisi eos ipsos qui laudauerint, nouerimus? Qui sint, vbi sint, quam laudem intulerint quæro, qui loqui non norant? Neq; enim illa ætas nosse poterat, quod natura non dederat, aut celebrari à talibus poterat, quod institutio denegabat. Dicunt namque Domino laudes trucidati ab Herode lactentes, loquuntur sanguine, quod lingua non possunt: passione canunt, quod sermone non norunt: occisi prædicant, quod viui non poterant. Nec nouum quid dicitur, vt innocens sanguis, aut Deo referat laudes, aut suas indicet passiones, cùm Abel sanguis clamet ad cœlū, aut occisorum animæ ab altari vociferantur ad Deum. Contulit martyrium laudem, quibus negauerat natura sermonem: licuit sanguine clamare, quibus narrare non licebat voce: licuit sanguine loqui, quibus lingua nō licuit: miscent cū Domino colloquia, quibus humana negata sunt verba.

Sed enim occisis innocentibus istis impleta sunt prophetiæ verba, dicentes: Vox in Rhama audita est, fletus & plorationis, Rachelis flētis filios suos, & noluit consolari, quia non sunt. Rachelem primò Ecclesiæ esse personam nemo qui abnuat, nemo qui aliud contra veritatem defendat: sed duo in illa diuersa conspicio, fletum, & consolationis contemptum. Si enim fleuit, cur consolari contemsit? Aut si consolari contemsit, cur fleuit? Aut quomodo competit consolari noluisse, cui competit flesse, cùm aut flere non potuit, cùm manifestum sit fletus consolatione tergi? Vel certè cur indiguit consolationis sermone? Sed (inquit scriptura) noluit consolari, quia non sunt: id est, noluit consolari quia sunt. Si idcirco noluit consolari quia sunt, quomodo voluit flere quasi illos qui non sunt? Sed vt compendiosa diuersitatum causa reddatur, conditio à matre defletur, sed spe gloriæ consolatio humana contemnitur. Pietatis affectus in fletibus declaratur, sed occisorum gloria repudiū considerationi indicitur. Pugnāt enim in matre affectus & fides, humanitas cum deuotione concertat, plangit affectus, sed fides exaltat: deflet humanitas, sed deuotio consolatur. Licuit enim matri humanitus flere, cui nō licuit cōsolatione humanitus indigere. Ideo & Dominus Christus in Lazaro fleuit: nec tamen ipse quoq; cuiusquā consolatione indiguit: quia hominis fuit quòd fleuit, cùm manifestè Deus sit qui Lazarū suscitauit.

Sed ô beata lactentium gloria, quibus pro Christo contigit dedicare martyria. Expugnant tempore vno natiuitatem & mortem, ingressum & exitum, principium & occasum, vt ipsis posset tempore vno, vt dixi, contingere, & nascendo ingredi mundum, & dedicare martyrio cœlum. Probat nouos exercitus Christus, rudes milites designat, legiones lactentes, victoria perpetrata coronat. Fiunt pro Christo victores, qui ætate fuerunt coæquales: fiunt, inquam, infantes sine certamine fortes, sine pugna victores: norunt vincere, qui pugnare non norant, existunt victoriæ compotes, qui fuerant ætate imbelles. Merentur pœna martyrium, gloriam sanguine comparant, æternam vitam temporali morte commutant. Nec timuit ætas illa mortem, nec horruit: timere enim non potuit, quæ timere non nouit: transmittit [t] infantes infans Christus ad cœlum, noua xenia, patri primitias fructuum exhibet genitori. Ostendit futuram fœcundissimam messem, dum in semine tantam exhibet vbertatem. Derisit se, derisit hostilis immanitas, quæ putauit turbare posse consilium Dei, gloriam Christi, salutem necessariam mundi, sed contulit infantibus multis martyrium, dum infantem quærit occidere Christum. Præstat hostis dum nocet, beneficium tribuit, quum occidit: inuideret enim eorum gloriæ, si amaret: sed aliæ sunt terrestres pugnæ, aliæ cœlestes victoriæ, in prælio Christi moriendo viuitur, cadendo surgitur, victoria per interitum comparatur.

t Transmittit infantes Christus ad cœlum.

ITEM DE SANCTIS INNOCENTIBUS, ex Diuo Gregorio Episcopo Nysseno.

Habetur in oratione eius in die Natiuitatis Domini habita, & nuper à Petro Francisco Zino Veronensi Latine reddita.

NON Prophetæ solùm & Angeli Dominicæ natiuitatis nobis gaudium denunciant, verùm etiam cæli rebus suis admirandis, Euangelij gloriam prædicant. Ex Iudæis (vt ait Apostolus) propheta Christus ortus est. Sed eius ortu non illuminatur Iudæus: Peregrini, & à testamentorum promissione benedictioneque patrum alieni sunt Magi, qui populum Israëlitam anteuertunt, & cœlestem agnoscentes lucem, & in spelunca Regem non ignorantes. Hi munera offerunt: illi insidias struunt. Hi venerātur: illi persequuntur. Hi gaudent inuento, quem exquirebant: illi nunciato ipsius ortu reformidant. Videntes enim, inquit, stellam supra locum vbi erat puer, gauisi sunt gaudio magno valde. Herodes autem sermonē audiens, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Hi & tāquam Deo thus offerunt, & auro dignitatem regiam colūt: & Prophetica quadā gratia, per myrrham mortis dispositionem subsignificant. Illi verò cūctos infantes vnum in locum coactos, internecione tollendos censent. Quod eos mihi non solùm crudelitatis, verùm etiā summæ dementiæ videtur coarguere. Quid enim sibi vult ista puerorum trucidatio? Cur ausi sunt

homicidæ ſeſe tanto ſcelere obſtringere? Quoniam nouum quoddam, inquiunt, mirandumque cœli portentum, Regis indicium Magis nunciauit. Quid igitur tum? aut portentis ſigno fidem habes vt vero, aut quod rumore iactatur, vanũ putas? Si talis eſt, qui cœlos ſibi fecerit inſeruire, prorſus eſt ſupra manum tuam: Sin autem in poteſtate tua eſt, vt ille vel viuat vel moriatur, cum fruſtra pertimeſcis? Qui enim id agit, vt imperio tuo ſubditus ipſe ſit, pro quo molitur inſidias? Cur horrendum illud datur mandatum? cur impia fertur ſententia, vt miſeri infantes trucidentur? Quid peccarunt, quid morte aut ſupplicio dignum admiſerunt? crimen vnum duntaxat habent, quòd nati ſunt, & in lucem editi. Et propterea neceſſe fuit, vt ciuitas carnificibus compleretur? vt cogeretur matrum multitudo, & infantium populus, vt adeſſent etiam patres, & generis propinquitate coniuncti ad ſæuum facinus congregarentur.

Quis oratione calamitatem deſcribat? Quis acerbitatem enarrans oculis aſpiciendam proponat? mixtam illam lamentationem, luctuoſum queſtum puerorum, matrum, propinquorum, patrum ad minas carnificum miſerabiliter exclamantium? Quis dicendo poſsit exprimere carnificem gladio contra puerum irruentem, & toruo truciq; vultu contuentem: verbiſque crudelibus alloquentem, vna quidem manu corripientem infantulũ, altera verò gladium adigentem? matrem porrò ex altera parte filium ad ſe trahentem, obijcientemque ceruicem ſuam acuto gladio, ne miſerum filium carnificis manu necatum proprijs oculis intueatur? Quis explicet ea quæ patres agũt, reuocationes, ſuſpiria, poſtremos filiorum complexus? præſertim cùm idem à multis fiat eodem tẽpore? Quis variam multiplicemq; calamitatem, & conduplicatos puerperarum dolores partus exponat? & acerrimas quas admouebat natura faces? Quomodo puer infœlix & vberi ſimul inhæreret, & per viſcera lethalẽ plagã acciperet? Quomodo miſera mater ſimul infantis ori ſubderet vbera, & ſinu ſanguinem eius exciperet? Manus autẽ impetu ſæpenumerò carnifex vno gladij ictu filium & matrem conſauciabat, & vnus ſanguinis riuus ex matris plaga & ex mortifero vulnere filij mixtus decurrebat. Iam verò cùm nefaria Herodis ſententia nõ ſolùm nuper geniti necarentur, ſed etiam illi qui alterũ agebant annum raperentur ad mortẽ: ſcriptum eſt enim eum iuſsiſſe bimulos, & minores interfici, videre erat matres nõ paucas, quæ eo temporis ſpatio duos filios enixæ fuerãt. Quódnã igitur rurſum in his ſpectaculum cernebatur, cùm duo carnifices circa matrem vnam eſſent occupati, vnuſque propè currentem filiũ ad ſe raperet: alter autem lactentem adhuc infantulũ ẽ gremio matris euelleret? Quid tum faciat mater infœlix, cùm natura bifariã in filios diuellatur, & vtroque filio maternis viſceribus ex æquo faces admouente, neſciat, vtrum ex carnificibus prius ſequatur, cùm vnus ex hac, alter ex illa parte pueros ad cædem trahat? Præcurrat ne ad nuper genitum confuſos indiſtinctoſq; gemitus emittentem? At inhibetur ab altero iam loquente, balbutientique lingua matrem inclamante. Quidnam agat? quò ſe vertat? vtrius voci voce ſua reſpondeat? vtrius gemitũ gemitu excipiat ſuo? vtrius defleat necem, cùm vterque naturę ſtimulis æquè miſerã feriat? Sed amoueamus aures ab hiſce queſtibus, & ad lætiora dieque feſto magis conuenientia cogitationẽ conuertamus, licet Rachel, vt inquit Propheta, clamans filiorũ cędẽ deploret. In die enim feſto, vt ait ſapiẽs Salomõ, malorũ decet obliuiſci.

ITEM DE SANCTIS INNOCENTIBUS, Per Diuum Bernardum Abbatem.

Benedictus qui venit in nomine Domini, Deus Dominus, & illuxit nobis. Benedictũ nomen gloriæ eius quod eſt ſanctum. Neq; enim ocioſe venit quod ex Maria natum eſt ſanctum, ſed copioſe diffundit & nomen, & gratiam ſanctitatis. Nimirum inde Stephanus ſanctus, inde Ioannes ſanctus, inde ſancti etiã Innocentes. Vtili proinde diſpenſatione triplex iſta ſolennitas natale Domini comitatur, vt non modò inter contiguas ſolennitates deuotio cõtinua perſeueret, ſed & fructus Dominicæ natiuitatis exinde nobis velut ex quadam proſecutione euidentius innoteſcat. Siquidem aduertere eſt in his tribus [2] ſolennitatibus triplicem quandam ſpeciem ſanctitatis, nec facilè præter hæc tria ſanctorum genera quartum aliud poſſe arbitror in hominibus reperiri. Habemus in beato Stephano martyrij ſimul & opus & voluntatem, habemus ſolam volũtatem in beato Ioanne, ſolum in beatis Innocentibus opus. Biberunt omnes hi calicem ſalutaris, aut corpore ſimul & ſpiritu, aut ſolo ſpiritu, aut corpore ſolo. Calicem quidẽ meũ bibetis, ait Dominus Iacobo & Ioanni, nec dubiũ quin de paſsionis calice loqueretur. Demũ cũ Petro diceret: Sequere me, euidenter eũ ad imitationẽ ſuæ prouocãs paſsionis, cõuerſus ille vidit diſcipulũ quem diligebat Ieſus ſequentẽ, non tam greſſu corporis, quàm promptæ deuotionis affectu. Et bibit ergo Ioannes calicem ſalutaris, & ſecutus eſt Dominũ ſicut Petrus, & ſi non omni-

Eſt ſermo B. Bernardi Abbatis in natali eorundem.

2 *Tres ſolẽnitates cõtiguæ natale Domini comitantur, S. Stephani, S. Ioannis, Sanctorum Innocentium.*

modo ſicut Petrus. Quòd enim ſic manſit, vt non etiam paſsione corporea Dominum ſequeretur, diuini fuit conſilij, ſicut ipſe ait: Sic eum volo manere donec veniam. Ac ſi dicat: Vult quidem & ipſe ſequi, ſed ego ſic eum volo manere. An verò de Innocentum coronis quis dubitet? Ille pro Chriſto trucidatos infantes dubitet inter martyres coronari, qui regeneratos in Chriſto non credit inter adoptionis filios numerari. Alioquin quádo coęuos ſibi pueros puer ille qui natus eſt nobis, non contra nos, propter ſe pateretur occidi, quod vtique ſolo nutu poterat prohibere, niſi melius aliquid eis videret, vt quemadmodum cęteris infantibus tunc quidé circuncíſio, nunc verò baptiſmus ſine vllo proprię voluntatis vſu ſufficit ad ſalutem: ſic nihilominus pro eo ſuſceptũ martyrium illis ſufficeret ad ſanitatem. Si quæris 3 eorum apud Deum merita vt coronarentur, quære & apud Herodem crimina vt trucidarétur. An fortè minor Chriſti pietas, quàm Herodis impietas: ille quidẽ potuerit innoxios neci dare, Chriſtus nõ potuit propter ſe occiſos coronare? Sit ergo Stephanus martyr apud homines, cuius volũtaria paſsio euidéter apparuit, in eo vel maximè, quòd in ipſo mortis articulo, tam pro perſequentibus, quàm pro ſeipſo ſolicitudinem gereret ampliorẽ, vinceretque in eo ſenſum corporeę paſsionis, internę cõpaſsionis affectus, vt illorum magis ſcelera, quàm ſua vulnera plangeret. Sit Ioannes apud Angelos martyr, quibus tanquã ſpiritualibus creaturis, ſpiritualia deuotionis eius ſigna certius innotuerũt. Cæterùm hi ſunt planè martyres tui Deus, vt in quibus nec homo, nec Angelus meritum inuenit, ſingularis tuæ prærogatiua gratiæ euidentius commendetur. Ex ore infantium & lactentiũ perfeciſti laudem. Gloria in excelſis Deo, Angeli dicunt, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis. Magna quidem, ſed audeo dicere, necdũ perfecta laus, donec veniat qui dicat: Sinite paruulos venire ad me, quia talium eſt regnum cœlorũ, & pax hominibus, etiã ſine voluntatis vſu in ſacramẽto pietatis. Conſiderent hæc qui de opere & voluntate contentioſis ſolent diſputationibus corrixari, conſiderent & aduertant neutrum negligi oportere, vbi non 4 videtur deeſſe facultas, præſertim cùm vtrunq; ſine altero, vbi tamen facultas deeſſet, non modò ſalutem cõferre poſsit, ſed etiam ſanctitatẽ. Sed & hoc quoque firmiter teneant, prodeſſe quidem opus ſine voluntate, nõ autẽ contra voluntatẽ, vt vnde ſaluantur infantes, inde magis dãnentur fictè accedentes. Nihilominus ſanè in quibuſdam voluntas ſine opere ſufficiens eſt, non autẽ contrà opus, verbi cauſa: Rapitur quis in bona quidem voluntate, ſed necdum perfecta, necdum idonea, martyrium ſuſtinere. Quis illi audeat pro hac imperfectione negare ſalutẽ? Fortè enim propterea non ſinitur in illã grauem tentationem venire, ne deficiat & damnetur. Nimirum ſi in hac tam infirma voluntate induceretur in eam, quæ ſupra ipſum eſt tentationem, nec voluntas roboraretur, quis illum dubitet defecturũ, negaturũ, & ſi in eo mori contigerit, etiã periturũ? Qui enim erubuerit me coram hominibus, erubeſcam & ego eum, ait Dominus, corã Angelis Dei. In ea igitur imperfecta voluntate in qua ſaluatur quis, vbi deeſſet facultas operis, iã non ſaluari poſſet propter defectum operis vel opus defectionis. Idem verò & in ignorãtia poſſet accidere.

3 Quòd negat pueros habuiſſe merita apud Deum, nõ conuincit ſanctos non mereri coram Deo, ſed dicere vult, quod propter exiguã ætatẽ pueri iſti nulla potuerũt bona opera edere quibus ex Dei gratia meremur vitã æternã.

4 Nõ ſufficit bona volũtas, vbi adeſt facultas operãdi.

Æmulemur proinde charitatem, 5 & ſectemur bona opera fratres mei, nec infirmitatis, nec ignorantiæ peccata vllo modo paruipendentes. Magis autem ſoliciti & timorati agamus gratias benigniſsimo & largiſsimo Saluatori, qui humanæ ſalutis occaſiones tam copioſa charitate perquirit, vt in his voluntatem & opus, in hís ſine opere voluntatem, in his etiam ſine voluntate opus ſalutis inuenire lætetur, qui vult omnes homines ſaluos fieri, & ad agnitionem ſui venire. Hæc eſt enim vita æterna, vt cognoſcamus patrem verum Deum, & quem miſit Ieſum Chriſtum, qui vnus cum eo verus eſt Deus ſuper omnia benedictus in ſecula. Amen.

5 Æmulãda charitas, ſectãda bona opera, nec infirmitatis aut ignorantiæ ſunt paruipendenda peccata.

BASILII SELEVCIAE DE SANCTIS Infantibus qui fuerunt interfecti ab Herode.

Apud Simeonem Metaphraſten.

RVRSVS ſenex ego deducor ad ſtadium orationum. Rurſus perinde ac mater quæ laborauit in multis nutriendis filijs, imbecillũ & egenum vber meæ humilitatis cogor exprimere ad tantum populũ. Et quis eſt qui me cogit? Hic magnus fluuius Euphrates: & ideo pareo. Poteſt enim ex ſua inundatione, dicendi in me aliquam deriuare copiam, & tantam quantam poteſt capere animæ meæ capacitas. Sunt enim ô fratres, pleni quidem melle faui ſcripturarum: & dulci rore abundè ſcatent aluei, adeo vt liceat ſtudioſis eos abſque vllo labore exprimentibus, virtutũ ebrietatem in ſuis locare animis, quæ eſt mater temperantiæ: ebrietatem, quæ vigilantem ſeruat obtutum animæ: ebrietatem, quæ lucem veritatis reponit in animis qui ſemper complentur: ebrietatem, quæ non facit amentes, nec eos qui bibunt imbecillos reddit ex ſatietate, ſed membra potius corroborat, & armis

iustitiæ armat aduersus peccatum: ebrietatem, qua fuit repletus chorus Apostolorum, quando rore spiritus qui è cœlis fluxerat, in sua lingua accepto congregatarum gentium auribus distribuit oris operationem. Vniuscuiusque vocem ad omnium gentium sensus accommodante & adaptante gratia, adeo vt fluentum sermonis quod profundebatur ex labris, fieret familiare omnium auribus, à spiritu sono transformato in id quod erat cognatum vocis vniuscuiusque eorum qui audiebant. Te autem infantium adhuc voces circumsonant, & me eos adhuc videre arbitror, voce quidem clamantes nihil significante cum stupore, & ad ensium splendorem conniuentes, & cum timore se ad matris vlnas tãquam tutas inclinantes, deinde in ipsos sinus subeuntes: Videor verò ipsas quoq; videre matres, aliam aliò per vrbem currentes cum illis miserabilibus & dulcibus oneribus, & locũ fugæ quærentes: & illam quidem quæ nec honestum sumpserat tegumentum in vigore malorum: hanc autem quæ quod habebat in cursu alieno proiecerat: aliam verò temerè & confusè comas filio inijcientem, & tali tegumento sperantem se posse infantem suffurari: aliam quæ comprehendebatur ab ijs qui vehementer persequebantur, & deinde à cursu desistebat, & timore diriguerat, & flentibus oculis ad gladij fulgorem aspiciebat, & aspectum diuidebat nunc ad stricti ensis impetum, nunc ad filium qui erat feriendus, & se festinanter opponebat ferri violento motui: & rursus aliam quæ ne moueri quidem poterat, & nec parum quidem respirare, cùm stupor vinxisset eius pedes, sed ante suum filium timore perierat, & cum exili eiulatu expectabat percussurum: & iam remissis trementibus manibus infantem vehementer portabat: quæ quidem ignorabat ex vlnis lapsum infantem, casu morte ei allata, præuenisse mortem gladij. O Herodis insaniam. Quibúsnam ex consilij egestate actibus repleuit orbem terræ? Quis erat ille longè infelicissimus, quando tam acerbam tulit sententiam in eos qui eum nulla affecerant iniuria? Omnino certè speciem induerat regiam: & fastus ac pompæ scenam sibi fixerat: & sedebat in aureo throno, gemmarum collucente splendoribus: & pectora ira dilatans, inuidia cogebatur in arctum: & capulo ensis innitebatur dextera: & viros sapientia insignes adhibebat in consilium, quorum linguas mouebat diabolus, illius vrgens interitum, & alia quidem furiose accipiens: alia autem statuens audire & iudicare, & improbis grauiter annuens consilijs, meditatus est messem immaturarum segetum. Postquã autem sæuo decreto illud inhumanum confirmauit consilium, & totum iam in armis iussit esse exercitum, eumque ferro munijt, eique Centuriones & Tribunos diuisit, & Duces elegit, qui præclarè poterant intelligere, quid oporteret facere in tempore, & optimè sciebant vti armis, huiusmodi verbis eos est allocutus, nullo pudore affectus eorum quæ dicebat: In multos quidem ò milites belligerantes vos fortissimè gessistis, & mœnia trophæorum meis circundedistis finibus. Nunc autem, si vnquam maximè, oportet vos magno studio incumbere ad victoriam. Ne sitis pigri & ignaui. Magnum est enim certamẽ & ingens periculũ. Domi mihi nascitur malum. Latenter agũtur cuniculi ad subruendam mei regni potentiam. Nullus me apertus inuadit inimicus. Puer qui adhuc ignoratur mihi sceptra eripit. Scitis Bethleem. In ea intellexi natum esse filium, qui à Deo regni accepit suffragium. Nondũ circumagitur tẽpus duorum annorum ex quo natus est: & nullus quidem qui appareat me terret apparatus: sed timeo Prophetarũ voces quæ de eo extiterunt. Etenim Magi (meministis autem) quando nuper ad nos venerunt, ex quadam stella quæ eis apparuerat, renunciárunt se intellexisse ortum pueri: & requisisse Bethleem, vt viderent puerũ: & Regem natũ eo quo par erat honore afficerent. Ego verò volebam ex eis scire quisnam is esset, vt mihi esset facile & expeditum dissoluere tyrannidem. Sed cùm illi nescio quanam de causa fefellerunt quæ mihi promiserant, & in suam redierunt regionem, timeo, conturbor, existimo adesse periculum. De cætero vos intueor, liberate me ab hoc metu. Properate cũ armis, omnes hos fines retibus cædis circunsidete, à senibus abstineat ensis: ijs qui iam pubescunt nullũ afferte periculum: aduersus paruos tantum infantes armemini. Omnem primam ætatem demetite miserabiliter. Nullius lachrymæ matris misereamini: meũ inimicũ scrutemini in sinu vniuscuiusq;. In eos qui ad matrum vbera confugerunt, ferrum trudite, & cædis sanguis misceatur cum lacte. Etiam matres ipsas cum infantibus adactas transfigite, vi ictus ferri à mollibus corporibus ad illas delapsi. Nullus huius cædis erit vobis accusator. Solùm festinate, instar leonum in ciuitatem irruite. Nulla vos cædis capiat satietas, donec à vobis existimatur aliquis puer restare. Si nulli vitam concesseritis, ille quoque inter omnes videbitur cecidisse. Et ille quidẽ non bene nec tuto fruetur honore Magorũ, mihi autẽ lętã dabitis vitam & à cura liberam. Hæc cùm illi audijssent, & à suis animis omnem amputassent misericordiam, & scelere statuissent alter alterum vincere, cursu ferebantur in ciuitatem, manus armatas extendentes: & in greges vrbis Bethleem irruentes, teneros agnos dilacerabant, & sanguinis fontes omni ex parte emanantes abundè inquinabãt terrę superficiẽ: & nihil

videbatur pereuntibus sufficere ad salutem. Non domus quæ celare posset eam quæ subierat: non templum adferens parricidis aliquam Dei reuerentiam. Non speluncæ clandestinus ingressus, sed infantes tanquam hostes omni ex parte inuestigabantur, neque latuit vllus eorum gladium, cùm vnusquisque tanquàm qui esset ipse Christus, in vniuscuiusque quæreretur sanguine. Quæ autem erant audaces matres, opponentes manus aciei gladiorum, à seipsis quidem feriebantur pro pueris: sed nihil eis proderat: neque aliud efficiebant, quàm vt esset eis temporis longius periculum. Aliæ verò violenter apprehendentes pueros qui contrà trahebantur, quæ membra manibus constrinxerant, ea solùm habentes postea conspectę sunt: ferro matri diuidente infantem, & ijs qui trahebant: & ille quidem, verbi causa, manum, hæc verò crus: illa autem aliquam aliam partem, tanquam totum tenens filium, excurrebat. Multæ autem dum cursu fugerent, in ea quæ iam iacebant corpora incidentes, & solo teneros suos fœtus allidentes, ense nihil opus habebant ad eorum interitum. Iam verò aliqua stans ante eum qui erat percussurus, & pro suo filio multum obsecrans, flens sic vociferabatur. Concede mihi ô miles, eorum quæ à te fiunt ignorationem: & me occide ante filium: & ne matris offendas oculos tam acerbo spectaculo. Est tibi omnino vtique mater, est etiam vxor quæ habet filium. Scis quemadmodum propter mala filiorum parentum dilacerantur viscera. Illi autem flectebatur quidem animus, & per genas fluebant lachrymæ. Herodis verò seruiens rabiei, verbis adhuc fluentibus, in vlnis matris infantem occidebat, & supplicationem interrumpebat cædis lamentatio. Hisque hæc agentibus magis fuit irritata insania. In ipsas domos irruebant, & omnia scrutabantur furentibus & cædem spirantibus oculis: & in excelsos thalamos excurrebant. Deinde cùm sub lecto, aut sub aliquo alio eiusmodi infantem inuenissent latentem, quem solus fletus indicauerat, ex ædibus tanquam lapidem in vicos deuoluebant, iræ Regis mortem largientes tam impiam. Confusa verò existebat vociferatio, & inualescebat varius sonus luctus, maioribus quidem pueris fratres suos deflentibus: parentibus deplorantibus eos quos genuerant: matribus autem propter calamitates sonoros eiulatus edentibus: senibus verò se nihil vnquam tale vidisse clamantibus, ne in hostium quidem incursionibus: conquerentibus omnibus de acerba luce illius diei. Cùm finem accepisset præclara hæc expeditio, & dimissus esset exercitus tanquam parta insigni victoria, rursus excitata est matrum lamentatio: & cùm flendi deinceps eis facta esset potestas, vnaquęque sui filij membra, alia alibi colligebat cum lachrymis, & violenter discissa in vnum coniungens, & quod restabat inquirens, & quod inuentum erat sæpe amplectens, & totum corpus in sinu imponēs, valde clamabat: Hei mihi fili mi, hei mihi, qui non ad talem spem nobis satus & productus fueras. Quomodo cùm tanquam ramus germinasses, & magna ornatus esses pulchritudine, & bonæ spei nobis pulchra præbuisses semina, repente à meis abscesisti manibus. Exurge parumper, excute somnum quem tibi Regis attulit inuidia: me voce imperti iucundissima, apprehende miseras mamillas eius quæ te peperit: trahe vbera quæ olim diligebas: fac vt tu pendeas à collo matris: taces, quiescis? Heu me miseram, quomodo rursus contexam membra quæ ensis dissecuit immaniter? Quísnam autem vterus mihi fiet administer vt sis rursus corporatus? Quibúsnam verò manibus necessariam tibi terram congeram? Quomodo autem à tua me forma separabo? Talibus fletibus completa fuerat ciuitas, singulis singulas ad fletum incitantibus: & suam propter mortuos filios lamentationem, aspectus viuentium indies incitabat. Coronatus autem erat Rex tanquam propter erecta trophæa: & se existimabat adeptum esse victoriam qualem nunquàm antea, & cùm se tanto cædis contaminasset crimine, & sui imperij totas plantas excidisset, magnos spiritus conceperat, & de securitate maximam acceperat fiduciam: nesciens homo planè stolidus, quò reciderat illa callida eius machinatio. Quem enim quæsijt, non potuit laqueis includere: quos verò, si fuisset adhuc sanæ mentis, noluisset sic afficere, malè perdidit, ipse sibi adferens exitium. Christus autem Dominus vniuersorum, tam sæuo nefariorum scelerum artifici morbum immisit acutissimum, cùm innocentium infantium animas reposuisset in sinum patris Abrahæ, ipse liberè proficiscitur in Ægyptum, expurgare volens arcem impietatis: & qui erat abditus in adytis idolorum errorem suis radijs aperire, & reddere manifestum ijs qui iam olim decipiebatur, & diabolo luctum adferre grauissimum. Nam cùm paucos Iudæorum infantes se existimasset perdidisse propter Christum, se illos quidem non aduertit collocasse in pratis vt pulcherrimis, ita longè tutissimis, & nihil eos læsisse: se autem iam vidit sua nudatum tyrannide, & priuatum antiquissima potestatis suæ hæreditate: Esaiæ impleta prædictione, quam ipse Christus in labris eius posuerat, longo à tempore talem suum aduentum apertè significans, & per illius linguam clamās: Ecce Dominus sedet super nubem leuem, & veniet in Ægyptum, & soluentur manufacta Ægypti à facie eius. Eum decet gloria in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTORVM
APOSTOLORVM PETRI ET PAVLI,
Per Egesippum scripta.

Habetur lib. 3. eiusdem de excidio Hierosolymitano cap. 2.

ERANT Neronis tempore Romæ 1 Petrus & Paulus doctores Christianorum, sublimes operibus, clari magisterio, qui virtute suorum operum Imperatorem aduersum fecerant, captum Magi Simonis deliramentis, qui sibi animum eius conciliauerat. Cui adiumentum victoriæ, subiectiones gentium, vitæ longæuitatem, & salutis custodiam feralibus artibus pollicebatur, atque ille credebat, qui vim rerum nesciret examinare. Denique summum apud Deum tenebat amicitiæ locum: quandoquidem etiam præsulem suæ salutis, vitæq; custodem arbitrabatur. Sed vbi Petrus eius vanitates & flagitia detexit, & species illum rerum mentiri, non solùm aliquid aut verum efficere demonstrauit, ludibrio habitus, & digno est consumptus mœrore. Et quanuis in alijs terrarũ partibus Petri esset expertus potentiam, tamen præueniens Romam ausus est iactare, quòd mortuos resuscitaret. Defunctus erat id temporis Romæ adolescens nobilis propinquus Cæsaris, cum vniuersorum dolore: admonuere plerique experiẽdum, vtrum posset resuscitari. Celeberrimus in his operibus habebatur Petrus: sed apud gentiles nulla facti huiusmodi deferebatur fides. Dolor exigit remedium, perrectum est ad Petrum. Fuêre, qui etiam Simonem accersendum putarent: vterq; adfuerunt. Ait Petrus, Simoni, qui se de sua iactaret potẽtia, priores sese partes dare: vt si posset mortuum resuscitaret. Si ille non resuscitaret, se non defuturum vt Christus opem ferret defuncto, quò posset resurgere. Simon qui putaret apud vrbem gentilium plurimum suas valituras artes, conditionem proposuit, vt si ipse resuscitasset mortuum, Petrus occideretur, qui magnam potẽtiam (sic enim appellabatur) lacessendo iniurias irrogauisset: sin verò præualuisset Petrus in Simonem, pari genere vindicaretur. Acquieuit Petrus, adorsus est Simon. Accesit ad lectulum defuncti, incãtare atque immurmurare dira carmina vt cœpit, visus est caput agitare qui mortuus erat. Clamor ingens gentilium, quòd iam viueret, quòd loqueretur cum Simone. Ita & indignatio in Petrũ, quòd ausus esset conferre sese tantæ potestati. Sanctus Apostolus poposcit silentium, & dixit: Si viuit defunctus, loquatur: si resuscitatus est, surgat, ambulet, fabuletur. Phantasma illud esse, non veritatem, quod videatur caput mouisse. Denique separetur, inquit, Simon à lectulo, & tunc ne id quidem ostentui futurum. Abducitur Simon à lectulo, manet sine specie motus alicuius, qui mortuus erat. Astitit Petrus longius, is intra se paulisper orationi intentus, cum magna voce ait: Adolescens surge, sanet te Dominus Iesus. Et statim surrexit adolescens, & locutus est, ambulauit, & cibum sumpsit, & dedit eum Petrus matri suæ. Qui cùm rogaretur vt ab eo non discederet, ait: Non derelinquetur ab eo qui eum fecit resurgere, cuius nos serui sumus. Secura esto mater de filio, non verearis, habet custodem suum. Et cùm populus in Simonem insurgeret vt lapidaretur, ait Petrus: Satis est ad pœnam eius, quòd cognoscit suas artes nihil valere, viuat, & Christi regnum crescere videat vel inuitus. Torquebatur Magus Apostoli gloria. Collegit sese, atque omnem excitans carminum suorum potentiam, congregat populum, offensumque se dicit à Galilæis, relicturum se vrbem quam tueri soleret. Diem statuit, pollicetur volatum, quo supernis sedibus inueheretur: cui quando vellet, cœlum pateret. Conscendit statuto die montem Capitolinum, ac se de rupe deijciens, volare cœpit. Mirari potius & venerari: plerique dicentes Dei esse potentiam, non hominis, qui cum corpore volitaret, nihil tale fecisse Christum. Tunc Petrus in medio stans, ait: Iesu Domine, ostende ei vanas artes suas esse, ne hac specie populus iste, qui crediturus est, decipiatur. Decidat Domine, sic tamen vt nihil se potuisse viuens recognoscat. Et statim in vocem Petri implicatis remigijs alarum quas sumpserat, corruit, nec exanimatus est, sed fracto debilitatoq; crure, Aritiam concesit, atque ibi mortuus est.

1 Tu qui negas Petrum Apostolũ Romæ fuisse, quid dicere potes cõtra tantum & tam vetustum autorẽ, qui tẽpore Aniceti fuit, imo Apostolorũ vicinus temporum, vt ait D. Hieronymus. Aut igitur ignorãs es, si hæc non legisti, aut si legisti, improbus.

Quo comperto deceptum se Nero & destitutũ, dolens tanti casum amici, sublatumq; sibi virum, vt idem & necessarium Reipub. indignatus, quærere cœpit causas quibus Petrum occideret. Et iam tempus aderat, quo sancti vocarentur Apostoli Petrus & Paulus. Denique dato vt comprehenderetur præcepto, rogabatur Petrus, vt sese aliò conferret. Resistebat ille dicens, nequaquam se facturum, vt tanquam metu mortis territus cederet, bonum esse pro Christo pati, qui pro omnibus se morti obtulisset: non mortem illam, sed immortalitatem futuram, tanquam indignum vt ipse fugeret passionem sui corporis, qui multos doctrina sua compulerit se hostias pro Christo offerre, debere sibi secundùm Domini vocem, vt & ipse in passione sua Christo gloriam atque honorem daret. Hæc &

In huius rei memoriã extat adhuc hodie Romę extra Appiã portam erectũ sacellum, quod vulgo appellatur, Domine quo vadis.

alia Petrus obtexere, sed plebs lachrymis querens ne se relinqueret, & fluctuantem inter procellas gentilium destitueret: victus fletibus Petrus cessit: promisit se vrbem egressurum. Proxima nocte salutatis fratribus, & celebrata oratione, proficisci solus cœpit. Vbi ventum est ad portam, videt sibi Christum occurrere, & adorans eum dixit: Domine quò vadis? Dicit ei Christus: Iterum venio crucifigi. Intelligit Petrus de sua dictum passione, quòd in ea Christus passurus videretur, qui patitur in singulis, non vtiq; corporis dolore, sed quadã misericordiæ compassione, aut gloriæ celebritate. Et conuersus in vrbẽ redijt, captusque à persecutoribus cruci adiudicatus, poposcit vt inuersis vestigijs cruci affigeretur, quòd indignus esset qui simili modo crucifigeretur, vt passus est Dei filius. Quo impetrato, vel quia ita debebatur, vt Christus prædixerat, vel quia persecutor non inuitus indulget pœnarum incrementa: ipse & Paulus, alter cruce, alter gladio necatus est.

ITEM VTRIVSQVE APOSTOLI VITA, per Diuum Maximum Episcopum Taurinensem scripta.

Est sermo primus eiusdem in natali Apostolorum eorundẽ.

1 *Honorantes annuis solẽnitatibus gloriosissimos Christianæ fidei principes, ipsum Dominum debita religione veneramur.*

2 *Nota Hæretice quod honorare sanctos, est honorare Christũ, quod tu peccatorũ tenebris inuolutus nõ fueris intelligere. Ideoq; tot & tanta cõtra sanctorũ honores & venerationẽ obloqueris. Nota & beata Apostolorum merita.*

3 *Qui lætatur de martyrum morte, non dubitat eos regnare cũ Christo. Infer ergo, quod hæretici nolentes Apostolorũ & aliorũ sanctorũ festa celebrari, populosq; in illis spiritualiter gaudere & exultare, nõ credunt eos esse in cœlo.*

GLoriosissimos Christiani fidei principes, annuis solennitatibus honorantes, Fratres Charissimi, ipsum 1 Dominum ac Deum nostrum, qui huius autor est fidei, debita religione veneramur. Apostoli namque Latino sermone dicũtur missi. Qui ergo honorant missos, manifestum est honorare eos mittentem, quoniam 2 dignitas quæ defertur ministris, illi sine dubio, cuius ministri sunt, exhibetur: vt ait ipse Saluator ad Discipulos suos: Qui vos audit, me audit: & qui vos recipit, me recipit. Verè beata Apostolorum merita, in quibus se Christus & recipi prædicat, & audiri. Beati nihilominus & illi, quorum deuotio delata Apostolis recurrit in Christum. Tenentes itaque fratres tantæ huius promissionis fidem, de supplicijs patrum nostrorum pro Christi confessione susceptis, fidelibus gaudijs exultemus: quoniam qui de martyrũ morte lætatur, 3 martyrũ non dubitat cum Christo regnare post mortem. Nos verò Ecclesiarum omnium reuerendissimos patres, Petrum dico & Paulum, pijssimis studijs honoremus: quibus Christi præstante gratia, factus est hodie de morte natalis: quibus finis vitæ viuendi initium dedit: quibus, vt ait Apostolus Paulus, viuere Christus erat, & mori lucrum. Erat vtique Christus eis viuere, quibus vita non erat sine Christo. Erat eis Christus viuere, quia totum proficiebat Christi Ecclesijs, quòd viuebant. Erat eis & mori lucrum, qui tali morte vitam sibi mercabantur æternam. Erat eis mori lucrum, quorum corruptioni incorruptio succedebat, & damna pręsentium temporum lucra perpetua sequebantur.

Sed iam necessariũ, charissimi, reor, vt proprias eorũ specialesq; virtutes, prout ariditas linguæ nostrę, ingenijq; tenuitas patitur, imò vt misericors Deus annuerit, proloquamur. Hic itaq; ille est Petrus, qui confitendo Christum Dominũ viui Dei esse filium, validissima inuictaq; nobis credendi fundamenta constituit. Nam percontanti Domino: Quis esse ab hominibus diceretur, respondit: Tu es Christus, filius Dei viui: id est, Tu Domine de carne virginis factus es Christus, qui Dei viui es filius sempiternus: Tu Domine hominibus natus es homo, qui incogitabili maiestate Deus es apud Deum: Tu es Christus, qui pro redemptione nostra ad passionem veniens, impassibilis permanes apud patrem. Quis igitur vnquam in tantum hoc incõprehensæ Deitatis arcanũ humani sensus attollere potuisset obtutum, nisi ab ore Petri salutaris huius fidei veritas radiasset? Quis meritorũ eius gloriam, quãuis magno æquiparare posset eloquio, à quo nobis adorandæ diuinitatis fides & cœpit, & permanet? Quid tanto gloriosius viro, qui fidem secreti inscrutabilis loquendo edidit, viuendo docuit, patiendo firmauit? Vt autẽ confessionis huius quanta esset magnitudo Saluator ostenderet, ait ei: Beatus es Simon bar-Iona, quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui est in cœlis: & tibi dabo claues regni cœlorum. Quis ergo Christũ per carnẽ, & in carne natum omnipotentis patris esse filium sentire potuisset, nisi propitius hoc ipse pater per Petrũ nobis reuelasset è cœlo? Hæc illi cõfessio dedit, vt antè claues regni cœlorũ acciperet, quàm cœli ianuas introiret. Sed ne qua vos fratres de creditis Petro clauibus Regni, more nostrarũ clauium cogitatio terrena permoueat. Claues enim cœli lingua est Petri, quia singulorũ merita censendo, Apostolus 4 vnicuiq; regnum cœlorũ aut claudit, aut aperit. Non est ergo clauis ista mortalis artificis aptata manu, sed data à Christo potestas est iudicandi. Denique ait eis: Quorũ remiseritis peccata, remissa erunt: & quorũ detinueritis, detenta erũt. Hic est Petrus, quẽ Christi esse confidentissimũ subiecta vestigijs eius maria probauerũt. Nam à Domino suo nouos sibi dari in fluctibus gressus vt fidelis poposcit, & vt dilectus emeruit. Qui ob hoc solùm trepidasse visus est, vt fra-

4 *Vnicuique Apostolus Petrus secundum merita claudit, aut aperit regnum cœlorum.*

vt fragilitas humana cognosceret, quanta esset inter Dominum seruumque distantia, dum aggrauata peccatis caro mergitur, & immaculati nescit planta desidere: similiter & illud, ne dum super aquas ambulans Petrus pede intrepido peruenisset ad Christum, Domini fortè sui virtutibus æquaretur. Sed quid illum tantopere dicimus trepidasse, cùm parua trepidatio sua maiorem profecit ad fidem? Vt enim credidit Petrus imperio Domini sui posse se à fluctibus sustentari, ita nihilominus dum mergitur, credidit ipsius Domini sui se virtute saluandum. Verè beati Petri, & dum trepidat mirabilis fides, quam nec perurgētis periculi potuit turbare formido. Clamando enim, dum mergitur: Domine libera me, de se diffisus est, non de Domino dubitauit. Ne quis ergo timorem hunc gloriosissimi Petri ducat in vitium: quoniam timor iste quamuis primam eius turbauerit fidem, cōfidentiam tamen in eo reparatę credulitatis ornauit. Hic est Petrus, cui Christus Dominus communionem sui nominis libenter indulsit. Vt enim (sicut Apostolus Paulus edocuit) petra erat Christus, ita per Christum, Petrus factus est petra, dicente ei Domino: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Nam sicut in deserto Dominico sitienti populo aqua fluxit è petra: ita vniuerso mūdo perfidiæ ariditate lassato de ore Petri fons salutiferæ confessionis emersit. Hic est Petrus, cui Christus ascensurus ad patrē pascendas ouiculas suas, agnosq; commendat, vt quos ille pietatis miseratione redemerat, hic fidei suæ virtute seruaret. Et rectè sanè ei arbiter occultorum Dei filius pascendas oues suas, tuendasque commisit, cui nouerat in nutriendo grege Dominico nec studium deesse, nec fidem. Hic est Petrus, qui dum ad crucem tanquam Crucifixi discipulus duceretur, verso se poscens corpore crucifigi, passionem non tenuit, sed æqualitatem crucis Dominicę declinauit, vt ostenderet vniuersis admirandę se humilitatis virtutem, nouiq; mysterij disciplinam & inter tormenta seruasse. Quàm securus, charissimi, perrexit Petrus ad crucem, qui repulso timore mortis, moriendi ordinē tam acerba in passione quæsiuit. Quid etiam de gloriosissimo referam Paulo, in quo Dominus fidem nominis sui, dum ipsam fidem persequeretur, elegit? Qui dum velut acerrimus persecutor Christianam vastat Ecclesiam, inimico adhuc eius in pectore amicum sibi cor Christus inuenit. Dumq; temporalia capit ad supplicia Christianos, ipse perpetuā captus ad gratiam factus est subitò pastor ex lupo, ex prædone custos, ex hoste defensor. Vnde patuit nec Paulum malignæ mentis proposito plebem Dominicam persecutum, nec Christum latuisse, quem eligeret in Paulo. Hic est Paulus, qui Christi vocibus inclamatus è cœlo, oculis in se Iudaicę infidelitatis obtusis, videndi aciem non perdidit, sed mutauit. Amisit oculos, & recepit, vt vno eodemq; tempore, & in persequentem cæcitatis vincta procederet, & vocantis Dei gratia illuminaret electum. Ait ille namque de cœlo Dominus: Saule, Saule, quid me persequeris? Id est, Cur me persequeris Saule, quæ mea odium erga me tuum excitauit iniquitas? Nunquid quia illuminaui cæcos, quia sanaui ægrotos, quia fugaui dæmones, quia esurientes populos quinque panibus paui, an quia de tumulis mortuos suscitaui, an fortè magis quia fidelibus meis regnum cœleste promisi? Sed si præstare me posse dubitas quæ promitto, aspice, si tamen potes, vnde te vel qualis appello. Sed quare me persequeris Saule? Aut quid me persequendo proficies? Nunquid aduersus regnantē in cœlo vllum tua persecutio habebit effectū? Nunquid nocere mihi quicquam poteris, quem nō potes intueri? Ego enim sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris, qui terras cœlo, crucē regno, mortem perpetuitate, mutaui. De quibus omnibus nō te debere cunctari, & ereptus tibi nunc, & post paululum redditus suadebit aspectus. At beatissimus Paulus repentina quidem cæcitate coërcitus, intellecta tamen maiestate loquentis è cœlo, continuò fidelis effectus, & à persecutione destitit, & nouos intuendi Christum oculos acquisiuit. Hic est Paulus, qui pro suarum remuneratione virtutum vltra humana merita tertium raptus ad cœlum, cœlestia secreta cognouit, vt Ecclesiarum futurus doctor inter Angelos disceret, quod inter homines prędicaret. Aut quis ei impunè vltrà non credat, qui de sacramentis Dominicis non solùm audita loquitur, sed & visa testatur? Quāta hoc, fratres, Dei nostri actum est gratia, vt qui de cœlestibus in Apostolatum vocatus est, Apostolatus eius cōsecraretur in cœlo? Et post omnia hic est Paulus, qui ceruices suas, quas aduersum Christi nomen superbus erexerat, perfidorū cædendas gladio humillimus pro Christi honore submisit, nec piguit eum pro illo mori, quem sæpe probauerat viuere, & regnare post mortem. Atque ita factum est, vt gloriosissimum Paulum, qui in diuersis gentibus pro fide Christi multo certamine dimicando innumera bella peregerat, velut victorem mundi Roma susciperet ad triumphum.

Hi ergo sunt beatissimi Petrus & Paulus, qui sacramentum cœlestis regni vno spiritu prædicantes, sub vnius passione Dei doctrinam suam pio sanguine & morte fortissima consecrarunt, qui etiam tanquam Ecclesiarum omnium principes facti dispensatione cœlesti

5 Audi bone vir qui dicis Petrum nunquã fuisse Romæ, & ex hoc loco disce conuinci imo leuissimum mẽdacium tuum.
** Est sermo quintus eiusdem in natali eorundem.*

cœlesti Romam 5 petentes, sacratissima sua corpora in illius vrbis arce reconderent, quæ totius orbis obtinuerat principatum: quatenus potentiam virtutis suæ Christus ostendens, vbi mundus caput habebat imperij, ibi regni sui principes collocaret. * Cùm omnes beatissimi Apostoli parem gratiam apud Dominum sanctitatis obtineant, nescio quo tamen pacto Petrus & Paulus videntur præ cæteris peculiari quadam in Saluatore fidei virtute præcellere, quod quidem ex ipsius Domini iudicio possumus approbare. Nam Petro sicut bono dispensatori clauem regni cœlestis dedit. Paulo tanquam idoneo doctori magisterium ecclesiasticæ institutionis iniunxit: scilicet vt quos iste erudierit ad salutem, ille suscipiat ad quietem: vt quorum corda Paulus patefecerit doctrina verborum, eorum animabus Petrus aperiat regna cœlorum. Clauem enim quodammodo à Christo scientiæ & Paulus accepit. Clauis enim dicenda est, qua ad fidem peccatorum dura corda reserantur, mentium secreta pandantur, & quicquid intrinsecus clausum tenetur, in palam rationabili manifestatione producitur. Clauis, inquam, quæ & conscientiam ad confessionem peccati aperit, & gratiã ad æternitatem mysterij salutaris includit. Ambo igitur claues à Domino perceperunt, scientiæ iste, ille potentiæ. Diuitias immortalitatis ille dispensat, scientiæ thesauros iste largitur. Sunt enim scientiæ thesauri, sicut scriptũ est: In quo sunt omnes thesauri, sapientiæ & scientiæ absconditi. Ergo beati 6 Petrus & Paulus eminent inter vniuersos Apostolos, & peculiari quadã prærogatiua præcellunt. Verùm inter ipsos quis cui præponatur incertum est. Puto enim illos æquales esse meritis, quia æquales sunt passione: & simili eos fidei deuotione vixisse, quos simul videmus ad martyrij gloriam peruenisse. Non enim sine causa factum putemus, quòd vna die, vno in loco, vnius tyrãni tolerauêre sententiam. Vna die passi sunt, vt ad Christũ pariter peruenirent: vno in loco, 7 ne alteri Roma deesset: sub vno persecutore, vt æqualis crudelitas vtrunque constringeret. Dies ergo pro merito, locus pro gloria, persecutor decretus est pro virtute. Et in quo tandem loco martyrium pertulerunt? In vrbe Roma, quæ principatum & caput obtinet nationũ, scilicet vt vbi caput superstitionis erat, illic caput quiesceret sanctitatis, & vbi gentilium principes habitabant, illic Ecclesiarũ principes morerentur. Cuius 8 autem meriti sint beatissimi Petrus & Paulus, hinc possumus intelligere, quòd cùm Dominus Orientis regionem propria illustrauerit passione, Occidẽtis plagam, ne quid minus esset, vice sui Apostolorum sanguine illuminare dignatus est. Et licet illius passio 9 nobis sufficiat ad salutem, tamen etiam horum martyrium nobis cõtulit ad exemplum. Hodierna igitur die beati Apostoli sanguinem profuderunt: sed videamus causam, quare ista perpessi sunt: scilicet quòd inter cætera mirabilia etiam Magum illum Simeonẽ orationibus suis de aëris vacuo præcipiti ruina prostrauerunt. Cùm enim idem Simon se Christum diceret, & tanquàm filium ad patrem assereret volando se posse conscendere, atque elatus subitò magicis artibus volare cœpisset, tunc Petrus fixis genubus precatus est Dominum, & precatione 10 sancta vicit magicam leuitatem. Prior enim ascendit ad Dominũ oratio, quàm volatus: & antè peruenit iusta petitio, quàm iniqua præsumptio. Antè Petrus in terris positus obtinuit quod petebat, quàm Simon perueniret in cœlestibus quò tendebat. Tunc igitur Petrus velut vinctum illum de sublimi aëre deposuit, & quodam præcipitio in saxo elidens eius crura confregit: & hoc in opprobrio facti illius, vt qui paulò antè volare tentauerat, subitò ambulare non posset: & qui pennas assumpserat, plantas amitteret. Sed ne fortè hoc mirum videatur, quòd Magus iste præsente Apostolo per aërem aliquandiu volitauerit, hoc patientia Petri fecit. Permisit enim illum sublimis ascendere, vt altius caderet: voluit eum in excelsum leuari, ad conspectum omnium, vt ruentem illum de excelso, oculi omnium peruiderent. Hæc igitur iniquitas est elatio, vt in altum se ferat, in sublime se erigat: sed sancta oratio omnem humiliat superbiam, vniuersam deijcit vanitatem.

6 Petrus & Paulus æquales meritis & passione.
7 Ambo Apostoli Romæ passi sunt.
8 Vide totiens replicari Apostolorũ merita, contra eos qui dicunt Sãctos nõ habere merita.
9 Ecce hæretice quomodo & si passio Saluatoris sufficiat nobis ad salutem, vult tamen Deus etiam nostras passiones & afflictiones, tũ in aliorum exemplum, tum etiã in ecclesiæ meritum, vt Paulus de suis passionibus testatur ad Colossen 1.
10 Petrus fixis genibus precatus est, & quod orauit obtinuit.

Est sermo 67. in ordine sermonũ eius.

VITA SANCTORVM APOSTOLORVM Petri & Pauli, per Diuum Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

1 Natalẽ beatissimorũ Apostolorũ Petri & Pauli hodie celebrantes. Ergo vltra diem Dominicum patres veteres alia festa celebrabant.
2 Ecce quomodo solennitates sanctorũ magna olim cum lætitia celebrabant.

NAtalem 1 beatissimorum Apostolorum Petri & Pauli hodie celebrantes, diuersis epulis nos reficere debemus, & tantam festiuitatem magna cum lætitia celebrare. Quis enim talium virorum solennitatem nõ 2 magna cum lætitia debet celebrare? Quis enim talium virorum solennitate non magnos sibi exhibeat apparatus, vt quò plus expenderit, plus se Apostolos confirmet amare? Veruntamen non opus est proprio sumptu ad refectionem nostram, nam natali suo sanctus Petrus ipse nos reficit. Est enim omnibus copijs refertum vas ei, quod illi de cœlo esurienti delatũ est. Igitur qui esurit sicut Petrus,

reficitur

reficitur ipse cum Petro. Vt quid ergo præparemus nobis proprium prandium, cùm Apostolico ferculo saginemur? Cur nobis inquiramus terrenas epulas, cùm cœlestes copias habeamus? Dicit enim sanctus Lucas in Actibus Apostolorum, post orationem esurienti Petro circa horam sextam, aperto cœlo vas quoddam splendidum velut linteum fuisse delatū, in quo erant quadrupedia, & repentia terræ, & volatilia cœli, & dixisse Dominum ad eum: Petre surge, immola & māduca. Ecce Petrus qui dicit alibi: Aurum & argentum non est mihi, nunc conuiuij eius vasculum splendidius est argento. Et qui propter Christum argenti speciem refutasset, per Christū argenti nitore ditatur. Pransuro igitur Petro desunt cocorum apparatus, desunt obsequia famulorum: sed quod est melius, ministeria diuina non desunt, & vtilioris communione sancto viro quod deest in terris, abundat in cœlis. Vt reficiatur enim Petrus, non cellarium solicitè reseratur, sed cœlum ipsum protinus aperitur. Legimus in scripturis sanctum Heliam in deserto coruis ministrantibus pastum: quantò melius Petrus, cui non paruam escam terra auis porrigit, sed integrum conuiuium multitudo Angelica subministrat. Post orationem ergo esurijt Petrus. Mirandum cur sanctū virum post orationem fames sequatur, cùm soleat fames oratione depelli, esuriens anima non nisi obsecrationibus saginari? Sed puto Petrum post orationem non cibum esurîsse hominum, sed salutem: nec inedia vexatum esse corporis, sed inopia credentium laborasse. Cùm enim Iudaicus populus perfidus & ingratus, illo prædicante, Christo non crederet, famem quodammodò Petrus sui officij sustinebat. Famem enim patitur, qui minimè fructum sui laboris assequitur. In cœnaculo igitur ad orationem festinus ascendit. Bene ait in cœnaculum ad orationem 3 ascendisse Petrum, quia omnis sanctus quando orat, relinquēs humilia vel terrena in altum mentis extollitur, & in sublime suspensus rapitur, & cogitatione sancta cœlo vicinus efficitur. Atque ibi esurienti illi, hoc est, cogitanti in cordis sui sublimiori loco pro salute Iudaici populi, offertur vas diuersorum generum animalibus plenum, velut diuinitate dicēte illi: Tu in Iudæos solos esuris, ecce famem fidei tuæ cunctarum gentium diuersitate reficio. Nam vtique per diuersa animalia collecta in vno vasculo, diuersarum gentium congregatio collecta in vna Ecclesia demonstratur, quæ Ecclesia in illius vasculo splendido, dum non habet maculam neque rugam, lintei nitore resplendet. In qua primum animal Deo ex gentibus Centurio Cornelius est immolatus. De hoc ergo vasculo suo hodie nos reficit Petrus. Cùm enim videmus gentilium turbas ad fidem Christianitatis accurrere, simul cum Apostolis gratulamur. Non 4 enim mortui sunt quorum curamus natalem hodie, sed renati viuunt planè, quia participes effecti sunt Christi, qui vita est omnium. Quamuis enim corpora passione cæsa sint, interruptus tamen non est ordo viuentium. Iugiter enim & Deo gratias agunt, & laudes Saluatori referunt, nisi quòd resoluta membrorum sarcina magis adhærent Christo, sicut ait Paulus: Dissolui & cum Christo esse quantò melius. Non ergo dicenda est mors, qua interueniente caremus persecutoribus, & Christò connectimur. Non est planè dicenda mors, quæ Christo mortuum socians, lucrum efficit morientis, sicut ait B. Apostolus: Mihi enim viuere Christus est, & mori lucrum. Illa autem vera est mors, quæ etiam viuentem hominem peccatorum morte constringit, qui quamuis viuere videatur, sceleribus tamen suis morti iam videtur addictus, sicut ait Apostolus de illa delitiosa vidua: Hæc viuens autem mortua est.

3 Petrus ascendit hora sexta ad orandū, ergo oratio non est res inanis aut superflua.

4 Si sancti Apostoli die passionis suæ nō sunt mortui, sed renati, cur laudes illos appellare emortuos?

ITEM DE EISDEM PER EVNDEM Diuum Ambrosium Episcopum.

Est serm. 68. in ordine vbi supra

NOtum omnibus vobis est fratres, & vniuerso mundo notissimum, & quòd beatissimorum Petri & Pauli natalis est hodie, nec aliquam partem orbis latêre potest tāta deuotio, siquidem de ijs dicat Dauid Propheta: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in finem orbis terræ verba eorum. In omnem terram mirabilium Petri virtus diffusa est, & in fines orbis terræ epistolarū Pauli verba penetrârunt. Quis enim non audiuit, Quòd primum Petrus sedenti ad portam speciosam claudo, & ex matris suæ olim ventre, iam debili, pedum restituerit firmitatem, vt quod natura minus contulerat, Apostolica gratia repararet. Cùm enim idem claudus stipem rogans, aliquid pecuniæ se ab Apostolis crederet accepturum, ait illi Petrus: Argentum & aurum non habeo, sed quod habeo, hoc do tibi. In nomine Domini nostri Iesu Christi Nazareni surge, & ambula. Beata planè largitas, quæ petenti argentū quidem non contulit, sed contulit sanitatem. Beata largitas, quæ de thesauris suis aurum non protulit, sed protulit medicinam. Beatus & ille claudus, qui dum stipem quærit pecunię, diuitias incolumitatis accepit. Hoc enim ab Apostolis donatum meruit, quod nullis thesauris à medicis redimere potuisset. Primum ergo signū mirabilium suorum Petrus fecit claudo pedū restituendo vestigia. Diximus frequēter ipsum

Petrum

Petrum à Domino nuncupatum, sicut ait: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam. Sic ergo Petrus petra est, super quam ædificatur Ecclesia, rectè prius pedes sanat. Vt sicut in Ecclesia fidei fundamentum continet, ita & in homine membrorum fundamenta confirmet. Rectè, inquam, primum in Christiano pedes curat, vt iam non intrepidus nec imbecillis possit supra petram Ecclesiæ, sed robustus & fortis incedere. Vbi autem verba Pauli Apostoli non leguntur? Qui locus ea non literis inscribit, corde retinet, conuersatione custodit, quia Paulus à Domino vas electionis est nominatus? Bonum vas, in quo pretiosa mandatorum Christi præcepta conduntur: bonum vas, de cuius plenitudine substãtia vitæ populis semper erogatur & plenum est. Optima Apostolorum nomina, petra & vasculum, necessaria domui Saluatoris. Domus enim fortitudinis petra construitur, vtilitate vasis ornatur. Petra ad firmitatem ne labantur sustentat populos: vas ad custodiam ne tentẽtur operit Christianos. Exitus verò eorum de hoc seculo quàm beatus fuerit, nemo est qui nesciat. Nam prima hæc in illis beatitudo, quod ambo vna die passi esse noscuntur, scilicet, vt quos vna fides seruitio deuinxerat, vna fides martyrio coronaret. Deinde ipsa passio licet diuersa in singulis fuerit, tamen quanta referta est gratiæ sanctitate? Nam Petrus crucis, sicut saluator, exitum tulit, & à Dominicæ deuotionis similitudine nec morte discretus est, scilicet vt quem imitabatur fide, imitaretur & passione. De Pauli verò ceruice, cùm eam persecutor gladio percusisset, dicitur fluxisse lactis magis vnda quàm sanguinis, & mirum in modum sanctum Apostolum baptismi gratia in ipsa cæde extitisse splendidum potius quàm cruentum. Quæ quidem res in sancto Paulo stupenda non est. Quid enim mirum, si abundat lacte nutritor Ecclesiæ, sicut ipse ad Corinthios ait: Lac vobis potum dedi, non escam? Hæc est planè repromissionis illa terra, quam patribus nostris Deus promisit, dicendo: Dabo vobis terram fluentem lac & mel. Non enim de hac terra locutus est, quæ manantibus aquis cœnum inuoluit, lutumq; permiscet: sed de illa terra Pauli, & similium Pauli, quæ iugiter purum suaueque distillat. Quæ enim Pauli epistola non melle dulcior est, lacte candidior? Quæ epistola tanquam vbera Ecclesiarum populos enutriunt ad salutem. De ceruice ergo Apostoli pro sanguine lac manauit. Legimus in ipso: Quoniam caro & sanguis regnum Dei non possidebunt. Igitur iam 5 Paulus possidet regnũ, quoniã caret & sanguine, qui impedire dicitur regnaturũ. Adhuc ergo Paulus in terris positus, etiam in regni cœlestis substantiã transformatur.

5 Iam Paulus possidet regnum cœlorum.

NARRATIO DE HIS QVI AD AEDES APOSTOlorum Petri & Pauli tempore Alarici Gothorum Regis confugerunt: & de vasis Ecclesiæ beati Petri miraculo seruatis, per Paulum Orosium digesta.

Habetur lib. 7. historiæ eiusdẽ cap. 39.

ADest Alaricus Gothorum Rex, trepidam Romam obsidet, turbat, irrumpit. Dato tamen pręcepto prius, vt si qui in sancta loca, præcipueq; in sanctorum Apstolorum Petri & Pauli Basilicas confugissent, hos imprimis inuiolatos securosque esse sinerent. Tum deinde in quantum possent prædæ inhiantes, à sanguine temperarent. Accidit quoque, quò magis illa vrbis irruptio indignatione Dei acta, quàm hostis fortitudine probaretur, vt beatus Innocentius Romanæ Ecclesiæ Episcopus, tanquam iustus Loth subtractus à Sodomis, occulta prouidentia Dei apud Rauennam tunc positus, peccatoris populi non videret excidium. Discurrẽtibus itaque per vrbem Barbaris, fortè vnus Gothorum, idemque potens & Christianus sacram Deo virginem iam ætate prouectam, in quadam Ecclesiastica domo reperit: Cumque ab ea aurum argentumque honestè exposceret, illa fideli constantia esse apud se plurimum, & mox proferendum spopondit, ac protulit. Dumque expositis opibus attonitum Barbarum magnitudine & pondere ac pulchritudine, ignota etiam vasorum qualitate videret, virgo Christi ad Barbarum ait: Hæc Petri Apostoli sacra ministeria sunt: Præsume, si audes, de facto, tu videris. Ego quia defendere nequeo, contendere non audeo. Barbarus verò ad reuerentiam religionis timore Dei & fide virginis motus, ad Alaricum hæc per nuncium retulit, qui continuò 1 reportari ad Apostoli Basilicam vniuersa vt erant vasa imperauit, virginem 2 etiam simulq; omnes qui se adiungerent Christianos, eodem cum defensione deduci. Ea domus à sanctis sedibus longo, vt ferunt, & medio interiectu vrbis aberat. Itaque magno spectaculo omnium, disposita per singulos singula, & super capita elata palam aurea atq; argentea vasa portantur, exertis vndiq; ad defensioné gladijs, pia põpa munitur, hymnus 3 Deo Romanis Barbarisq; concinentibus, publicè canitur. Personat latè in excidio vrbis salutis tuba, omnesque etiam in abditis latentes inuitat ac pulsat. Concurrunt vndique ad vasa Petri,

1 Si hæc vasa aurea & argentea, quæ in templo Apostoli diuinis sacrificijs inseruiebant, non fuissent Deo grata, nec illi placuissẽt, non fuissent tam mirabiliter à Barbarorum manibus reseruata

2 O rem mirandã: barbari hostes præseruant Ecclesias, & illarum vasa: nostri hæretici diripiunt, euertunt, prophanant. Vides vt in hoc facto nõ sint his gentilibus similes, sed longè deteriores

3 Habes hic quàm sit chara Deo virginitas, habes & cantum publicum cum hymnorum recitatione.

Petri, vasa Christi. Plurimi etiam pagani Christianis professione, si non fide, admiscentur: & per hoc tamen ad tempus, quò magis confundantur euadunt. Quantò copiosius aggregantur Romani confugientes, tantò auidius circumfunduntur Barbari defensores. O sacra & ineffabilis diuini iudicij discretio. O sanctum istud & salutare flumen, quod per arua exortum, dum beato alueo in sanctorum sedes tendit, oberrantes periclitantesque animas in salutis sinum pia rapacitate peruexit. O præclara illa Christianæ militiæ tuba, quæ generaliter cunctos dulcissimo ad vitam modulamine inuitās, quos ad salutem inobedientes non suscitauit, inexcusabiles reliquit ad mortem. Mysterium hoc quod transferendis vasis, dicendis hymnis, ducendis populis fuit, tanquam magnum cribrum fuisse arbitror, per quod congregatione populi Romani, tanquam ex magna massa frumenti, per omnia ex vniuerso ambitu ciuitatis latebrarum foramina, effluxêre grana viua, siue occasione, siue veritate commota, omnia tamen de præsente salute credentia, ex horreo Dominicæ præparationis accepta sunt. Reliqua verò sicut stercora, & velut paleæ, ipsa vel incredulitate, vel inobedientia præiudicatæ, ad exterminium atque incendium remanserunt.

Quis hæc perpendere plenis miraculis, quis prædicare dignis laudibus queat? Tertia die Barbari, quàm ingressi vrbem fuerant, spontè discedunt, facto quidem aliquantarum ædium incendio, sed ne tanto quidem, quantum septingentesimo conditionis eius anno casus effecerat. Nam si exhibitam Neronis Imperatoris sui spectaculis inflammationem recenseam, proculdubiò nulla comparatione æquiparabitur, secūdum id quod excitauerat lasciuia principis, hoc quod nunc intulit ira victoris. Neque verò Gallorum meminisse in huiusmodi collatione debeo, qui continuo penè anni spatio incensæ euersæque vrbis attritos cineres possederunt. Et ne quisquam fortè dubitaret ad corruptionem superbiæ, lasciuiæ, & blasphemiæ ciuitatis hostibus fuisse permissum, eodem tempore clarissima vrbis loca fulminibus diruta sunt, quæ inflammari ab hostibus nequiuerunt.

VITA ALIA SANCTORVM APOSTOLORVM Petri & Pauli, per Diuum Eusebium Emissenum scripta.

Habetur in lib. homiliarū eius de sanctis.

BEatorum martyrum præclara gesta & speciosa certamina, fidelium incitamina sunt, & exempla. Armantur enim filiorum animi, dum patrum recensentur triumphi. Clamat vtique Christianorum cordibus sanguis piorum, sanguis spiritalium bellatorum, quantum amari debeat Deus. Non solùm enim transitoria sermonis institutione rem peragunt, nec nuda tantum voce nos instruunt: sed per lucis salutisq; contemptum insinuant nobis autoris affectum. & simul tepidis ac dormientibus nobis, æternæ illius vitæ dulcedinem, auiditatem, iucunditatem ante oculos statuunt: vt vel sic intelligamus, quantum debeat desiderari vita illa, quam [1] per cruciatus, per vulnera, per intolerandos labores videamus inquiri, quam cognoscimus pretio sanguinis comparari. Huius itaque inexplebili ardore succensi Christianorum principes Petrus ac Paulus atque Andreas, fœnerauerunt vsuram Deo huius lucis, pro commercio æternitatis. Electi duo præcipui, ad duorum populorum salutem, Petrus ad Iudæorum, Paulus ad Gentium, erogant per omnem terram pij dispensatores argentum igne examinatum, sapientiæ aurum, fidei margaritam aperiunt, & gratuitum per cuncta dispergunt thesaurum salutis æternæ. Attonitis itaque populis, geminæ tubæ, spiritu maiestatis impletæ, gloriam Dei intonant, de quibus legimus: In omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum. Itaque tanquam sagittę acutæ potentissimę de pharetra legis electæ per totius orbis spatia deferuntur atque vibrantur, vt dura infidelium corda populorum Dei timore confringerent, & bruta nationum pectora salubri charitatis vulnere penetrarent. Sicut exultat anima perfecta quæ huiusmodi in se sagittam, ac telum Dominici amoris exceperat, dicens: Quia vulnerata charitatis telo ego sum. Duobus itaque fontibus ex vnius fluminis impetu ebullientibus, sitientium animarum præcordia reficiuntur. Nouo vino inebriantur, nouo lumine irradiantur, noua salubritate curantur. Putares duos medicos cœlo lapsos, qui officinam sanitatum aperientes, diuerso nossent genere varijs opem ferre languoribus. Aliorum oculis incredulitate cœcatis, ac nubilo infidelitatis hebetatis, iucundissimam claritatem infusam fidei luce reddebant. Aliorum auribus quæ ad vocem Christi obsurduerant, auditum mirabiliter imperabant. Aliorum interiores venas carnalium incentiuorum febribus æstuantes, prædicatione & castitatis refrigerijs irrorabāt. Ex aliorum visceribus malitiæ, superbiæ, iracundiæ sagittas, ac diuersorum iacula peccatorum à diabolo inflicta euellebant, curantes adiutorio diuinitatis omnem languorem, & omnem infirmitatem. Ac si per verbum sobrietatis euacuantes omnem crapulam veterum passionum, æternæ vitæ sitim indigestis ac defæcatis mentibus imperabant, & temperato poculo cœlestis antidoti, obliuionem præsentium, & futurorum desiderium propinabant.

[1] *Nota tu Hæretice, qui nihil horū pati vis, vt saluus fias, sed in sola inani fide tua cōfidis.*

Verè mirabiles lampadas æquali per vniuersam terram luce fulgētes: æquales enim illos ac pares, per varia & diuersa virtutū genera dixerim, Petro quidem claues regni cœlorum Domino committente credūtur: sed Paulo quoq; siue in corpore, siue extra corpus, vsque ad thronum tertium sublimato, cœlorum secreta reserantur. In paradyso quoque arcana verba panduntur, quę non licet homini loqui. Quę cùm ita sint, penè supra hominē est, cui credūtur eloquia homini non loquenda. Sed forsitā dicat aliquis: quomodo iste sine clauibus penetrare potuerit diuinæ ædis excelsa? Agnoscamus charissimi veras cœlorū claues, meritorum 2 esse virtutes. Quantum autem arbitror, omnes in nobis habere possumus claues regni cœlorum, & quidem duplicem vim gerentes, duplicem habentes effectum: fides, humilitas, patientia, castitas, quasi bonæ claues aperiūt Dei portam. Sed & superbiam, iracundiam, cupiditatem, non immeritò claues esse dixerim: nam claudūt regna cœlorum. Primus Angelus per superbiam & elationem, magnam clauem & validissimā seram inter se & cœlum misit: Paulus autem humilitatis ac pietatis clauibus, vsque ad tertiam cœli regiam penetrauit, æqualis per omnia virtutibus Petro. Nam etsi ille primus, iste pręcipuus.

2 Verè cœlorum claues meritorum sunt virtutes.

Vnde charissimi, his ducibus per sublimia salutiferi callis itinera, id est, per Dominica mandata gradientibus, circumfusos innumerabilium hostiū, quibus hinc inde iter nostrum inuisibiliter vallatur, inimicos peruigili circumspectione caueamus, ne nos aut in sinistra perniciosa remissio, aut in dextera ruinosa supplantet elatio: ne incipiat aut prauitas de negligentijs, aut vanitas pullulare de meritis. Quia illic de infirmitate peccatum, hîc de virtute fit vitium. Inueniemus autem morum instructionem, si volumus, vnde noster vel armatur interior homo, vel *Deest aliquid* & medicamenta sumenda sunt, quibus vel repellantur vulnera, vel sanentur. Nullus profectò aut excusationis, aut veniæ relinquetur locus, quando omnis anima in promptu habere cognoscitur oportunum pro sui qualitate præsidium, id est, illæsa munimentum, & vulnerata remedium.

ALIA VITA SANCTORVM APOSTOLORVM Petri & Pauli, per Diuum Gaudentium Episcopum Brixiensem scripta.

Habetur in lib. 3. serm. D. Zenonis num. 47.

Venerabilis antistes Christi, communis autem pater, affectu quo me proficiscentem detinuit, nunc etiam compulit excusantem, vt iterum dilectionem vestram tractatu sermonis alloquerer. Et idcirco aliquid de laudibus beatissimorum Apostolorum pro pusillitate sensus mei perstringam: ipsorum tamen quorum natalis est, precibus animatus. Tres intelligimus natiuitates humano generi ab æterna Trinitate concessas. Vna carnalis est omnium, duæ spirituales sunt pro merito fidei singulorum. Prima, qua creamur ex nihilo in superbiam vitæ mundanæ: Secunda, qua regeneramur in baptismo ex iniquitate & erroribus ad iustitiæ veritatem: Tertia, qua beatissimi martyres ob confessionem nominis Christi per tormenta nascūntur ad regnum. Talis forma præcessit in Christo, qui ex virgine natus in Iordane nascitur, in Crucis patibulo pretiosi cruoris sanguine baptizatur. Nam post illud baptisma quod pro nobis in Iordane susceperat, per passionem suam dicit Apostolis, Baptismo habeo baptizari. Resurrexit enim ex ipso baptismo passionis, ad vitam nullo iam termino claudendam. Remeauit ad regnum, cuius regni non erit finis. Per huius magistri vestigia gradiuntur fideles discipuli Petrus & Paulus, quorum passionis natalem 3 hodie per vniuersum mundum omnes Ecclesiæ debito honore celebrant. In hoc enim apud vrbem Romam 4 ambos pro Christi nomine Neronis crudelitas interfecit, Domini iustitia coronauit. Petrus crucifigitur verso ad terram capite, & in sublime pedibus eleuatis, asserens indignum se qui ita crucifigeretur vt Dominus suus. Paulus gladio capite truncatur. Ambo nobiles, ambo insignes, duo verò mundi lumina, columnæ fidei, Ecclesiæ fundatores, innocentię magistri, totius sanctitatis & veritatis autores, quos nunc verè laudare possumus, si eos diuinis testimonijs pędicemus, quibus eos veritas ipsa laudauit. Petro confitenti Dominus dicit: Beatus es Simon Bar-Iona, quoniā caro & sanguis nō reuelauit tibi, sed pater meus qui in cœlis est. Et tibi dico Petre: Tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiā meā, & portæ inferi non pręualebunt aduersus eam, & tibi dabo claues regni cœlorum, &c. De Paulo quid dicam? Quoniam vas electionis est (inquit) hic mihi, vt portet nomen meum in vniuerso mūdo. Super vnū fundatur 5 Ecclesia, alter pretiosum fidei murum doctrina sua portat in populo, ipse vas electionis effectus. Petrus signis & mirabilibus enitescit, Paulus in doctrina & persecutionibus gloriatur. Petrus erat antè piscator, Paulus persecutor: sed ambo postea facti sunt hominū piscatores. Etenim per totum mare seculi huius, saluatoris doctrinę retia tetenderunt. Petrus ambulare iubetur in fluctibus, Paulus in nubibus diuinisque ad tertium ducitur cœlum: ambo in

3 Natalem Apostolorū hodie per vniuersum mundum omnes Ecclesiæ debito honore celebrant.

4 Heus bone vir, Petrus fuit ne vnquam Romæ?

5 Si super vnum duorum Apostolorum fundatur Ecclesia, ergo Petrus est Ecclesiæ fundamentum.

in inuij itineris gradiuntur elemēto, fidei virtute sublimes. Quem cui prępонere audeam nescio, cùm Dominus eos sub vna confessione æquales in passione monstrauerit, in vera fraternitate coniunxerit, vnanimitatis vinculo copularit, vt etiam de ipsis rectissimè prę-sumamus prophetico spiritu prædicatū: Ecce quàm bonum, & quàm iucundum, habitare fratres in vnum. Sunt quidem Moyses & Aaron, de quibus dicitur, fratres: sunt prophetæ & Apostoli vna doctrina spiritu fratres. Sunt in nobis interior & exterior homo, si vnum sapiant fratres: sunt etiam Petrus & Paulus verè consanguinei fratres, quos vna pariter fides proprij sanguinis fecit communione germanos. Ego eos & geminos dicere fratres audebo, quos mater vna confessione felici vtero simul fudit in regnū. Beati enim qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorū. Communicemus igitur fratres sanctorum Apostolorum memorijs, fide, opere, conuersatione, sermone, vt mereamur [6] eorum precibus ad omnia quæcunque possimus adiuuari, largiente gratia Domini Iesu Christi, cui omnis honor in secula seculorum. AMEN.

6 Nota quod precibus sanctorum Apostolorum meremur in omnibus quæcunque poscimus adiuuari. Ergo orant pro nobis in cælo.

PASSIO SANCTORVM APOSTOLORVM
Petri & Pauli, per Aurelium Prudentium virum Consularem scripta.

Habetur in Peristephano eiusdem.

PLus solito coëunt ad gaudia: dic amice quid sit,
 Romam per omnem cursitant, ouantque.
Festus Apostolici [7] nobis redit hic dies triumphi,
 Pauli atque Petri nobilis cruore.
Vnus vtrunque dies pleno tamen innouatus anno [8]
 Vidit superba morte laureatum.
Scit Tyberina palus: quæ flumine labitur propinquo
 Binis dicatum cespitem trophæis:
Et crucis & gladij testis, quibus irrigans easdem
 Bis fluxit imber sanguinis per herbas.
Prima Petrum rapuit sententia legibus Neronis,
 Pendere iussum præminente ligno.
Ille tamen veritus celsæ decus æmulando mortis
 Ambire tanti gloriam magistri:
Exigit, vt pedibus mersum caput imprimant supinis:
 Quo spectet imum stipitem cerebro.
Figitur ergo manus subter, sola versus in cacumen,
 Hoc mente maior, quo minor figura.
Nouerat ex humili cœlum citius solere adiri
 Deiecit ora spiritum daturus.
Vt teres orbis iter flexi rota percucurrit anni:
 Diemque eundem sol reduxit ortus:
Euomit in iugulum Pauli Nero feruidum furorem:
 Iubet feriri Gentium magistrum.
Ipse prius sibimet finem cito dixerat futurum.
 Ad Christum eundum est, iam resoluor, inquit.
Nec mora protrahitur, pœnæ datur, immolatur ense.
 Non hora vatem, non dies fefellit.
Diuidit ossa duûm Tybris sacer ex vtraque ripa:
 Inter sacrata dum fluit sepulchra.
Dextera Petrum [9] regio rectis tenet aureis receptum.
 Canens Oliua, murmurans fluento.
Namque supercilio saxi liquor ortus excitauit
 Fontem perennem chrismatis feracem.
Nunc pretiosa ruit per marmora: lubricatque cliuum,
 Donec virenti fluctuet Colymbo.
Interior tumuli pars est, vbi lapsibus sonoris
 Stagnum niuale voluitur profundo.
Omnicolor vitreas pictura superne tingit vndas.
 Musci relucent, & virescit aurum:
Cyaneusque latex vmbram trahit imminentis ostri,
 Credas moueri fluctibus lacunar.

7 Dies festus triūphi Apostolici redijt.

8 Non tenetur hic Prudētius, nec Augustinus, in sermone incipiente, piscatoris: nā oēs reliqui prisci patres dicūt eos eodē anno, mense codemq; prorsus die fuisse coronatos.

9 Describit Prudentius duas basilicas in nomine sanctorū Apostolorū miris sumptibus fabricatas. Ergo placet hoc Deo, & non abominatur, sicut quidam modò calumniantur.

Paſtor oues alit: ipſe illic gelidi rigore fontis
Videt ſitire quas fluenta Chriſti.
Parte alia titulum Pauli via ſeruat Oſtienſis,
Qua ſtringit amnis ceſpitem ſiniſtrum.
Regia pompa loci eſt, princeps bonus has ſacrauit arces,
Luſitque magnis ambitum talentis.
Bracteolas trabibus ſubleuit, vt omnis aurulenta
Lux eſſet intus, ceu iubar ſub ortu.
Subdidit & Parias fuluis laquearibus columnas,
Diſtinguit illic quas quaternus ordo.
Tum Camyros hyalo inſigni variè cucurrit arcus.
Sic prata vernis floribus renident.
Ecce duas fidei ſummo patre conferente dotes,
Vrbi colendas quas dedit togatæ.
Aſpice, per bifidas plebs Romula funditur plateas,
Lux in duobus feruet vna feſtis.
Nos ad [10] vtrunque tamen greſſu properemus incitato:
Et his & illis perfruamur hymnis.
Ibimus vlterius qua fert via pontis Hadriani:
Leuam deinde fluminis petemus.
Tranſtyberina prius ſoluit, ſacra peruigil ſacerdos,
Mox huc recurrit, duplicatque, vota.
Hæc didiciſſe ſat eſt Romæ tibi, tu domum reuerſus,
Diem biſeſtum ſic colas memento.

10 Ecce quomodo in diebus feſtis ſanctorum cõſueuerant etiam antiquitus fideles eorum templa viſitare.

ITEM DE BEATISSIMIS APOSTOLIS PETRO & Paulo, ex Diuo Bernardo Abbate.

Eſt ſermo eiuſdem habitus in vigilia Apoſtolorum eorundẽ.

1 Ecce quomodo ante præcipuas ſanctorum ſolennitates olim vigilia celebrabãtur.

IN ſanctorum vigilijs [1] neceſſe eſt vigilare hominẽ ſpiritualem, qui ſolennitates eorum celebrare deſiderat in ſpiritu & veritate. Aliæ enim carnalium, aliæ ſpiritualium vigiliæ. Illi & nitidiores cultus, & epulas pręparant lautiores, & fortaſsis in ipſis vigilijs operantur opera tenebrarum, lætantur cùm malè fecerint, & exultant in rebus peſsimis. Vos non ita didiciſtis Chriſtum, qui Chriſtum ſecuti eſtis, qui omnia reliquiſtis, qui vigilanti oculo vigiliarum nomen debetis attendere. Ad hoc enim vigiliæ proponuntur vt euigilemus, ſi in aliquo peccato vel negligentia dormitamus, & præoccupemus faciem ſanctorum in cõfeſsione. Non ſic filij huius ſeculi, non ſic, qui potentes ſunt ad bibendũ vinum, & viri fortes ad miſcendam ebrietatem, qui obdormierunt in flagitijs & facinoribus ſuis. Illud vos non lateat, quia qui ebrij ſunt, & qui dormiunt, nocte dormiunt, & fruſtra ſonat eis nomẽ vigiliarum ſanctarum, cùm ipſi magis dormire ſtudeant, quàm vigilare. Vos non eſtis filij noctis neque tenebrarum, ſed lucis & diei, vt non vos pręoccupent natalitij ſanctorum dies, & inueniant imparatos. Tria ſunt igitur, quæ in feſtiuitatibus ſanctorum vigilanter conſiderare debemus, auxilium ſancti, exemplũ eius, confuſionem noſtram. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior [2] eſt in cœlis ante faciem Domini Dei ſui. Si enim dum hìc viueret, miſertus eſt peccatoribus, & orauit pro eis, nunc tantò amplius quantò verius agnoſcit miſerias noſtras, orat pro [3] nobis patrem: quia beata illa patria charitatẽ eis non immutauit, ſed augmẽtauit. Neque enim quia impaſsibilis omnino, ideo & incompaſsibilis factus eſt: ſed nunc potius induit ſibi viſcera miſericordiæ, cùm ante fontem miſericordiæ exiſtit. Eſt & alia cauſa quæ magis vrget ſanctos vt ſoliciti ſint de nobis, quia iuxta vocẽ Apoſtoli: Deus prouidet pro nobis, ne ſine nobis conſummentur, ſicut ait ſanctus Dauid: Me expectant iuſti, donec retribuas mihi. Debemus etiã attendere exemplũ eius, quia quamdiu in terris viſus, & cum hominibus cõuerſatus eſt, nõ declinauit ad dexterã, neq; ad ſiniſtrã, ſed viam regiam tenuit, donec veniret ad illũ qui dicit: Ego ſum via, veritas & vita. Intuemini humilitatẽ operum eius, authoritatem verborum eius, & tunc videbitis, quomodo tam verbo quàm exẽplo luxerit inter homines, qualia nobis veſtigia dereliquerit, vt ambulemus per ea, & non erremus in eis. Verè iuxta prophetam: Semita iuſti recta eſt, rectus callis iuſti ad ambulandũ. Sed diligẽtiori intuitu confuſionem noſtrã inſpiciamus, quia homo ille ſimilis nobis fuit paſsibilis, ex eodẽ luto formatus, ex quo & nos. Quid ergo eſt, quod non ſolùm difficile, ſed impoſsibile credimus, vt faciamus opera quæ fecit, vt ſequamur veſtigia eius? Confundamur fratres, & contremiſcamus ad vocem

2 Sancti in cœlis ante faciẽ Domini Dei ſui potẽtiores ſunt, quã fuerint in terris.

3 Sancti in cœlo pro nobis orant.

vocem istam, si fortè hæc confusio adducat nobis gloriam, si fortè generet gratiam nobis timor iste. Homines isti fuerunt qui præcesserunt nos, qui tam mirabiliter præcesserunt per vias vitæ, vt vix eos homines fuisse credamus. Sic ergo in sanctorum festiuitatibus & gaudere & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmisimus: confundi, quia eos imitari nō possumus: ita semper gaudiū nostrum in hac valle lachrymarum, lachrymarum pane condiri debet, vt semper non solùm extrema, sed prima gaudij luctus occupet: quia etsi magna est gaudiorum materia, sed maxima est dolorū. Memor fui Dei, clamat iustus, & delectatus sum: sed & statim subiungit: Deficit spiritus meus, turbatus sum, & non sum locutus. Quòd si hæc in vigilijs vniuscuiusq; sancti cogitare debemus, quid faciemus in solennitate [4] sanctorū & summorum Apostolorum? Petrum & Paulum loquor. Sufficeret vnius festiuitas ad infundendam exultationē vniuersæ terræ, sed amborū iuncta est ad cumulum gaudiorū, vt quomodo in vita sua dilexerunt se, ita & in morte non sunt separati.

4 Solennitas & festiuitas summorum Apostolorum Petri & Pauli.

Quid illis potentius dum fuerunt in terris, quorum alteri traduntur claues regni cœlorum, alteri magisteriū gétium: alter Ananiam & Saphiram occidit in verbis oris sui, alter donat quicquid donat in persona Christi, & cùm infirmatur, tunc fortior est & potens? Quàm potentiores sunt [5] in cœlis, qui potentes fuerunt in terris? Et qui nobis reliquerūt maiora exempla, quàm illi qui in fame, & siti, & in frigore, & nuditate, & in omnibus illis quæ Paulus enumerat, iugiter sunt afflicti, & demum fœlici martyrio [6] regna cœlestia conscenderunt? Verè nobis rubor confusionis sunt quos vix audemus respicere, ne dicam imitari. Oremus ergo [7] eos, vt ipsi propitium nobis reddant amicum suum iudicem nostrum, qui est Deus benedictus in secula.

5 Ecce animæ sanctorum in cœlo.

6 Fœlici martyrio regna cœlestia cōscendunt.

7 Sancti tanquam mediatores orantur, vt propitium nobis Deū reddāt.

Est sermo primus habitus in die natalis eorundem.

ADHVC DE EISDEM, PER EVNDEM.

GLoriosa nobis solennitas [8] illuxit, quam præclari martyres, martyrū duces, Apostolorū principes, morte clarissima consecrārunt. Isti sunt Petrus & Paulus, duo magna luminaria, quos Deus in corpore Ecclesiæ suæ constituit, quasi geminum lumen oculorū. Hi mihi traditi sunt in magistros & in [9] mediatores, quibus securè me cōmittere possim, quia & notas mihi fecerunt vias vitæ, & mediantibus illis ad illum mediatorē ascendere potero, qui venit pacificare per sanguinem suum, & quæ in cœlis, & quæ in terris sunt: Ille in vtraque natura purissimus est, qui peccatum non fecit, nec inuentus dolus in ore eius. Quomodo ad illum accedere audebo, qui sum supra modum peccās peccator, qui peccaui supra numerū arenæ maris, cùm ille purior, & ego impurior esse non possim? Verendum ne incidam in manus Dei viuentis, si illi appropinquare vel inhærere præsumpsero, quem à me tanta differentia diuidit, quantū distat inter bonum & malum, propterea dedit mihi Deus homines istos, qui & homines essent & peccatores, & maximi peccatores, qui in seipsis, & de seipsis discerent, quàm læti alijs misereri deberent. Magnorū enim criminum rei magnis criminibus facilè donabunt veniam, & in qua mensura mensum est eis, remetietur nobis. Peccauit peccatū grande Petrus Apostolus, & fortassis quo grādius nullum est, & tam velocissimè, quàm facillimè veniam cōsecutus est, & sic vt nihil de singularitate sui primatus amitteret. Sed & Paulus, qui in ipsa viscera nascentis Ecclesiæ tam singulariter, quàm incomparabiliter grassatus est, per ipsius filij Dei vocem ad fidem adducitur, & pro tantis malis, tantis bonis repletus est, vt vas electionis fieret ad portandū nomen eius coram gentibus, & regibus, & filijs Israël. Vas dignū, & cœlestibus ferculis repletum, de quo & sanus escam, & infirmus accipiat medicinā. Tales decebat humano generi pastores & doctores cōstitui, qui & dulces essent, & potentes, & nihilominus sapiētes. Dulces, vt me blandè & misericorditer susciperent: potentes, vt fortiter protegerent: sapientes, vt ad viam & per viam ducerent, quæ ducit ad ciuitatem. Quid Petro dulcius, qui tam dulciter ad se omnes conuocat peccatores, sicut & Actus Apostolici, & epistolarum eius series attestatur? Quid illo potentius, cui & terra obediuit, cùm mortuos reddidit, & mare sub pedibus eius se calcabile præbuit, qui Simeonē Magum spiritu oris sui in aëre attigit, qui claues regni cœlorum tam singulariter accepit, vt præcedat sentētia Petri sententiam cœli? Denique quodcunq; ligaueris, inquit, super terram, erit ligatum & in cœlis: & quodcunq; solueris super terram, erit solutum & in cœlis. Quid autem illo sapientius, cui non caro & sanguis reuelauit? Libentissimè Paulū sequor, qui præ nimia dulcedine luget eos qui peccauerunt, & non egerūt pœnitentiā: qui fortior est omni principatu & potestate, sapientiam & medullam sacrorū sensuum, non à primo vel secundo, sed à tertio cœlo largiter asportauit. Hi sunt magistri [10] nostri, qui à magistro omnium vias vitæ penitus didicerunt, & docent nos vsque in hodiernum diem. Quid ergo docuerunt, vel docent nos Apostoli sancti? Non piscatoriam artem, non scœnofactoriam, vel quicquid huiusmodi est,

8 Solennitas gloriosa sanctorum Apostolorum.

9 Vide sanctos Apostolos esse mediatores nostros, vt per illos ascendere possimus ad verum mediatorem Dominum Iesum Christū. Obmutesce ergo hæretice, qui negas sanctos vocari posse aut debere mediatores.

10 Sicut Apostolos esse nobis magistros non derogat summo Christi magisterio, sic esse pro nobis mediatores, nullum affert summo mediatori præiudicium.

non Platonem legere, nō Aristotelis versutias inuersare, non semper discere, & nunquam ad veritatis scientiam peruenire. Docuerunt me viuere. Putas parua res est scire viuere? Magnum aliquid, imò maximū est. Non viuit qui superbia inflatur, qui luxuria sordidatur, qui cæteris inficitur pestibus, quoniam non est hoc viuere, sed vitam confundere, & appropinquare vsque ad portas mortis. Bonam 11 vitam autem ego puto, & mala pati, & bona facere, & sic perseuerare vsque ad mortē. Dicitur vulgo, quia qui bene se pascit, bene viuit: sed mentita est iniquitas sibi, quia non bene viuit, nisi qui bonum facit. Arbitror autem, quòd tu qui in congregatione es, bene viuis, si viuis ordinabiliter, sociabiliter & humiliter. Ordinabiliter proximo, humiliter Deo. Ordinabiliter tibi, sociabiliter, vt in omni conuersatione tua sollicitus sis obseruare vias tuas, & in conspectu Domini, & in cōspectu proximi, cauens & tibi à peccato, & illi à scādalo. Sociabiliter, vt studeas amari, & amare, blandum te & affabilem exhibere, supportare non solùm patienter, sed & libenter infirmitates fratrum tuorum, tam morum quàm corporum. Humiliter, vt cùm hæc omnia feceris, spiritum vanitatis studeas exufflare, qui ex huiusmodi nasci solet, & quantumcunq; illum senseris, negare omnino consensum. Sic & in patiendo malum, quoniam triplex est, triplicem prouidetiam adhibere te oportet. Est enim quod à te pateris, quod à proximo, quod à Deo. Primum est austeritas pœnitentiæ: secundū vexatio alienæ malitiæ: tertium flagellum diuinæ correctionis. In eo quod à te pateris, debes voluntariè sacrificare: quod à proximo, patienter ferre: quod à Deo, sine murmure & cum gratiarū actione sustinere. Non sic multi filiorum Adam, qui errauerūt in solitudine, in inaquoso. Errauerunt planè, & errant 12 à via veritatis, qui in solitudinem superbiæ recedētes, socialem vitam habere non volunt, quorum singularitas associari non potest. Sed & inaquosa, quia nullo imbre lachrymarum compuncti in terra sterili & arenti perpetua siccitate morantur. Propterea viam ciuitatis habitaculi non inuenerunt, quia inueterati in terra aliena, coinquinati sunt cum mortuis, deputati cum his qui in inferno sunt. Non erat ita solitarius ille, de quo sanctus Hieremias ait: Bonum est viro cùm portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebit solitarius, & tacebit, quia leuauit se super se. Illi errauerūt, sed iste sedebit semper. Illi enim errāt corde, iste autē nō sedet, sed sedebit solitarius, cùm habuerit honorem singularitatis illius, videlicet iudiciariæ potestatis insigne, quod sancti in terra possidebunt, cùm lætitia sempiterna erit eis. Quare? Quia leuabit se super se, id est, cùm adolescens esset, & ætatis lubricæ sentiret ardores, senem induit, relinquens quod erat, assumens quod non erat. Leuauit, inquit, se super se, quia non respicit ad se, sed ad illum qui est super se. Sedebit enim, & tacebit, modò etiam à strepitu diabolicarum suggestionum, à strepitu carnalium desideriorum, à strepitu mūdi. Fœlix anima, quæ linguas istas non exaudit, audiat licet: illa multum fœlicior (si tamen aliqua est) cui penitus non loquuntur. Hæc est sapientia, quam Apostolus loquitur inter perfectos, abscondita in mysterio, quam nemo principum seculi huius cognouit. Sic me Apostoli & viuere & cōscendere docuerunt. Gratias tibi Domine Iesu, qui abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis istis qui te secuti sunt, & reliquerunt omnia propter nomen tuum.

11 Nota hæretice ex diuo Bernardo quid sit bene viuere.

12 Suggillauit hic sanctos religiosos apostatas, quorum plurimi sunt apud nouos hæreticos.

IDEM DE EISDEM.

Est sermo secūdus vbi suprà.

SAncti isti quorū solennis hodie passio celebratur, multā nobis de se loquēdi causam, multā quoq; materiā præbuêre. Verùm ego vnū timeo, ne toties audita verba salutis, vilescere nobis incipiāt tanquā verba. Vilis siquidē & volatilis res verbū hominis, nullius molis, nullius pōderis, nullius pretij, nullius soliditatis. Aërē verberat, vnde & verbū dicitur: Et sicut foliū quod vēto rapitur, effluit, & nō est qui cōsideret. Nemo vestrū fratres sic accipiat, imò nemo sic despiciat verbū Dei. Dico enim vobis, bonū illi fuisset, si non audiuisset homo ille. Fructus vitæ sunt verba Dei, non folia: & si folia, sed aurea sunt. Proinde nō paruipendātur, nō pertranseāt, non præteruolēt. Ipsa quoq; colligite fragmenta, ne pereant. Terra enim quæ sæpius superuenientē susceperit imbrē, & non fecerit fructū, terra reproba est, proxima maledicto. Sic & ea quæ in Euāgelio sterilis ficulnea legitur, si postea quàm foderit circa eā vineæ cultor, atq; miserit stercora, nihilominus sterilis inuenta fuerit, nónne iam securis ad radicē illius arboris est ponenda? Et ego dico vobis, si minus boni in secularibus inuenerit, maiorē in eis Dominus habiturus est patientiā, quàm in nobis, quibus cœlestiū consolationū pluuiā voluntariā segregauit, quibus nō sarculus disciplinę, nō paupertatis & vilitatis stercora defuerunt. An non stercora sunt abominationes Ægyptiorū, quas immolamus Deo nostro? Stercora planè vilia ad aspectū, sed ad fructum vtilia. Nō refugiat hāc fœditatē qui fœcunditatē desiderat. Siquidē ex deformi stercorum aceruo qui portatur in agrū, formosus surget aceruus manipulorum, qui reportabitur ex agro. Propterea nō vilescat vobis vilitas preciosa, sed preciosius cūctis thesauris Ægypti, Christi improperiū æstimate. Veruntamē terrenum habētibus sterquilinium, ipsa quoque

cœlestis non deest pluuia, quæ est orationũ deuotio, iucunda ruminatio psalmodiæ, dulcis meditatio, consolatio scripturarum. Denique & hæc ipsa pluuia est, quam accipitis per os meũ, si quãdo de flumine, cuius impetus lætificat Dei ciuitatẽ & torrentẽ voluptatis illius aliqua super vos, dum de eis loquimur, stillicidia stillare cõtingat. Sed necesse habeo interdum circũfodere, quandoquidẽ posuerunt me custodẽ & culturẽ in vineis. Heu qui meam non colui nec custodiui. Necesse habeo tamen, dum hunc occupo locum, & circumfodere nonnunquam & apponere stercora. Molestum id quidem, sed dissimulare nõ audeo, sciens multò amplius securim nocituram, quàm sarculum: ignem quàm fimum. Itaq; & arguere, & increpare interdum necesse est, nec ignoro fimum esse verbum increpatorium, verbum improperij, & quod si non excuset necessitas, ipsum quoque minus deceat proferentem. Sed quid agimus, quod hoc fimo, & si aliquos impinguari, sed alios planè & lapidari & indurari videmus? Hinc namque scriptũ est: De stercore boum lapidabitur piger. An non impinguatur, qui increpatus benignè accipit, mãsuetè respõdet, libenter emẽdare conatur? Hæc planè salubris, & fœcunda impinguatio est, vt corripiat me iustus in misericordia & increpet, oleum autem peccatoris non impinguet caput meũ. Ex ea siquidem pinguedine quam generat oleum peccatoris, abundantius pullulant spinæ & tribuli: Et omnis radix amaritudinis germinat copiosius. Itaq; qui iustorũ increpationem misericordiã nominat, satis indicat, quemadmodum suscipienda sit, quàm benigno animo, quàm deuota mente: quantaque ei gratia sit habenda. Sic enim accipientibus nobis erit impinguatio salubris, non fertilis vitiorum, quemadmodum oleum peccatoris, sed fructus illius, quem secundùm Apostolum habemus in sanctificationem. Quid autem faciamus tibi ô piger, qui ad hanc misericordiam irritaris magis & exasperaris? Nonne bonũ fimum sparsi in agro tuo? Vnde ergo lapides habet? Sed tu inimice homo, quoniã qui diligit iniquitatem, odit animã suam: tu, inquã, inimice homo, hoc fecisti, qui desidiam tuã non excutere, sed excusare pergens, fimum tibi peruertis in lapides, & vnde impinguari debueras, lapidaris. Hæc idcirco dicta sunt fratres, vt noueritis quàm benignè audiendum sit, quàm deuotè suscipiendum, quàm solicitè conseruãdum, quicquid ad animarũ salutẽ pertinet, & non sicut verbũ hominum, sed sicut verè est verbum Dei, siue illud consolatorium, siue commonitorium, sicut etiam increpatorium audiatur. Excessi, fateor, ipsius propemodum festiuitatis oblitus, sed vt arbitror, non ad insipientiam vobis, si firmiter inhæserint animo quæ audistis. Et nunc iam de solennitate ipsa vel breuiter aliquid loqui tentemus. Apostolorũ Christi festus 1 agitur dies, quibus sanè plurimum à nobis honorem deberi scio: Sed verũ possit aliquis exhiberi, hæsito satis. Nimis enim honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorum. Quid enim? Si in terra adhuc positi omnia poterãt, non quidẽ in se, sed in Christo, quid non poterunt 2 hodie viuentes in æterna fœlicitate cum ipso? Mortales adhuc & morituri, imperium vitæ & mortis videbantur habere, solo nimirum verbo mortificantes viuos, & mortuos suscitantes, quantò magis nunc cùm honorati sunt nimis, nimis confortatus est principatus eorum? Sed quid est fratres? Cùm Apostolorum beata hodie memoria celebretur, nunquid natiuitatis seu conuersionis eorum, aut certè vitæ vel miraculorum solennis agitur commemoratio? Non est fratres natiuitatis humanæ solennitas, sicut paulò antè beati Ioannis diem natalitium celebrastis. Ille enim nascens honoratur, quia nascitur sanctificatus. Denique in Ioanne solo celebrior est passione natiuitas, quia & si passus pro Christo est, cùm pro iustitia & veritate occubuit, euidentius tamen natus pro eo est, nimirum homo missus à Deo, qui in hoc natus est, & ad hoc venit in mundum, vt perhiberet testimonium veritati. Sed neque conuersionem Apostolorum, aut eorum miracula hodie recensemus, sicut cæteris diebus alijs, alterius quidem conuersio, alterius 3 de carcere liberatio facta per Angelum, festiuis Ecclesiæ gaudijs ad memoriam reuocatur. Mortem specialius veneratur, qua nihil inter homines humano iudicio plus horretur. Considerate fratres Ecclesiæ sanctæ iudicium secundùm fidem, non secũdùm faciem iudicantis. Mortem siquidem Apostolorum in eorum recolit solennitate præcipua. Hodie nimirum Petrus crucifixus est, hodie decollatus est Paulus. Hæc hodiernæ causa festiuitatis, hæc præsentium materia gaudiorum. In his igitur festum agens diem & lætum, sine dubio spiritum sponsi habet Ecclesia, spiritum Domini: In cuius conspectu, sicut habes in Psalmo, preciosa est mors sanctorum. Quantos enim dum paterentur Apostoli credimus adfuisse, qui nequaquam pretiosis mortibus illorum inuiderent? Visi sunt enim oculis insipientium mori, & æstimata est afflictio exitus eorum. Et sic quidem visi sunt oculis insipientium. Mihi, ait Propheta, nimis honorati sunt amici tui Deus, nimis confortatus est principatus eorũ. Fratres, amici Dei mori videntur oculis insipientium, sed in oculis sapientium iudicantur obdormire 4. Denique & Lazarus dormiebat quia amicus erat, & cùm dederit dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Studeamus fratres viuere vita iustorum:

1 *Festus dies Apostolorum agitur.*

2 *Quãta nũc possint sancti Apostoli viuentes cũ Domino in æterna fœlicitate. Nõ ergo sunt mortui, sed viuunt.*

3 *Festiuis Ecclesiæ gaudijs ad memoriam reuocatur conuersio Pauli, & Petri à vinculis liberatio.*

4 *Vides quod magis dormiẽtes deberent dici sancti, quàm mortui.*

iustorum: sed morte eorũ mori multò magis desideremus. Sapientia enim iustorũ nouissima præfert, ibi nos iudicans, vbi nos inuenerit. Omnino necesse est vitæ præsentis finem futuræ cohærere principio, nec tibi tolerabilis dissimilitudo est. Sicut enim si quis duo sibi (vt ita dixerim) cinctoria cõsuere aut colligare voluerit, minus de reliquis partibus curans, ipsa quę sibi copulanda sunt capita vniformiter parat, ne dissideãt à seipsis: ita dico vobis, quantumlibet extiterit conuersatio spiritualis, si carnalis fuerit consummatio nostra, vitæ illi spirituali penitus non cohæret, nec caro & sanguis regnũ Dei poterunt possidere. Fili (ait Sapiens) memorare nouissima tua, & non peccabis. Nimirũ quòd hęc maxime recordatio faciat timoratum, timor expellat peccatum, negligentiam non admittat. Hinc & Moyses de quibusdam: Vtinam (ait) saperent, & intelligerent, ac nouissima prouiderent. In quibus vtique verbis tria nobis video commendari, sapientiam, intelligentiam, prouidentiam. Arbitror sanè tribus eas assignari posse tẽporibus, vt æternitati quædam imago reformari videatur in nobis præsentia moderantibus per sapientiam, præterita per intelligentiam dijudicantibus, nouissima prouidentibus ad cautelam. Hæc nempe spiritalis est exercitij summa, hæc forma studij spiritalis, vt sapiẽter disponamus pręsentia nostra, recogitemus in amaritudine animæ nostræ præterita, futura quoque solicitè prouideamus. Sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo, ait Apostolus, vt videlicet in præsenti sobrietas obseruetur, vt iusta satisfactione præterita quæ nobis sine fructu salutis præteriêre, tẽpora redimantur, vt pietatis clypeum, imminentibus de futuro periculis opponamus. Sola est enim quæ omnia valet pietas, cultus scilicet Dei humilis & deuotus, nec aliter nobis est prouidere nouissima, nisi vt vniuersa quę nobis imminere vidẽtur pericula, sedula nobiscũ cogitatione versantes, discamus de nostra omnino industria, magis s autẽ de nostris diffidere meritis, & soli diuinæ nos protectioni committere, pio quodam mentis affectu piæ intentionis in ipsum, cuius datum optimũ & donum perfectum est, consummatio felix, & mors pretiosa. Habes in Euãgelio tria hęc ipso tibi sermone Domini commendata. Beati, inquit, pauperes, beati mites, qui lugent. Beati qui futura sapiunt, præ desiderio cœlestium, interno quodã sapore mẽtis præsentia respuentes. Beati qui nouissima prouidẽt, in mansuetudine suscipiẽtes insitũ verbũ, quod eorum saluare animas potest, & pietate cordis ad futurã tendunt hæreditatẽ. Beati qui pristinũ intelligentes errorẽ, crebris lauãt lachrymis lectũ suum. Vides quid optat vir sanctus, quid obtinere cupit eis pro quibus oret? Vtinam, inquit, saperẽt & intelligerent, ac nouissima prouiderent. Ac si manifestius dicat: Vtinam essent in eis spiritus sapientiæ, & intelligentiæ atque consilij. Vtinam hæc in nobis inueniãtur fratres, vt suauiter omnia nostra per sapientiã disponamus, vt intellectu præterita peccata damnemus, vt prouideamus futura consilio. Vtinam sapiamus ad præsentis vitæ moderationem: vtinam intelligamus ad præteritæ correptionem: vtinã deuota in Deum fide prouideamus, vt fœlicem habeamus ipso miserante consummationem. Hic enim est funiculus triplex quo trahimur ad salutẽ, ordinata conuersatio, rectũ iudiciũ, fides deuota.

s Quòd sancti habeãt merita apud Deũ, & tamẽ semper diffidere debeant de suis meritis, nõ repugnat: vtrunq; enim ab ipso Domino docemur, cùm dicit: verũ cùm feceritis hæc omnia, dicite, serui inutiles sumus, fecimus quod facere debuimus. Quando dicit, cùm feceritis hæc omnia, docet nos habere merita. Quãdo dicit, serui inutiles sumus, docet nos diffidere de meritis nostris.

Est sermo 35. vbi supra.

ADHVC DE EISDEM, PER EVNDEM.

MEritò fratres Apostolis sanctis attribuit mater Ecclesia, quod in Sapiẽtiæ libris legitur. Hi sunt viri misericordiæ, quorum iustitiæ obliuionem non acceperunt, cum semine eorum permanent bona. Sunt enim hi planè viri misericordiæ, siue quia misericordiam consecuti sunt, siue quia misericordia pleni, seu quia misericorditer à Deo nobis donati sunt. Et vides quam misericordiam consecuti sunt? Paulum interroga de se ipso, vel magis sponte confitentem ausculta. Qui fui blasphemus, & persecutor, & iniquus, sed misericordiam consecutus sum. Quis enim non audiuit quanta mala fecerit sanctis in Hierusalem? Nec solum in Hierusalem, sed & per totam Iudæam insaniæ ferebatur habenis, vt Christi membra laniaret in terris. Denique hac furia vectus ibat, sed præuentus à gratia est. Ibat spirans minarum & cædis in discipulos Domini, & discipulus Domini factus est, cui ostenderetur quanta eum oporteret pro nomine ipsius pati. Ibat dirum toto corpore virus exhalans, & subitò in electionis vas mutatus est, vt iam cor illius eructaret verbum bonum, verbum pium: & diceret, Domine quid me vis facere? Hæc vtique hæc mutatio dexteræ excelsi. Meritò proinde loquebatur: Fidelis sermo & omni acceptione dignus, quoniam Dominus Iesus venit peccatores saluos facere, quorũ primus ego sum. Hoc ergo apud beatum Paulum fiduciæ & consolationis accipite fratres, vt ad Dominum iam conuersos, non nimis cruciet præteritorum conscientia delictorum, sed tantum humiliet vos sicut & ipsum. Ego sum, inquit, minimus Apostolorum, qui non sum dignus vocari Apostolus, qui persecutus sum Ecclesiam t Dei. Ita & nos humiliemur sub potenti manu Dei, & fiduciam habeamus, quia & nos misericordiam consecuti sumus, abluti sumus, sancti-

t Quando Paulus persecutus est Ecclesiam Dei, num persecutus est inuisibilem, an visibilem? Dicant hoc paruuli.

ctificati ſumus. Et hoc quidem omnibus nobis, quoniam omnes peccauimus, & egemus hac gloria Dei. Verùm apud B. Petrum aliud habeo quod apponam, eò charius quò rarius, & quò ſingularius, eò ſublimius: Nam peccauit Paulus, ſed ignorans fecit in incredulitate ſua: Petrus cùm cecidit, apertos habebat oculos. Porrò vbi abundauit delictum, ſuperabundauit & gratia. Eorum ſiquidem qui peccent antequàm Deum nouerint, antequàm miſerationes eius experti ſint, antequàm portauerint iugum ſuaue & onus leue, priuſquàm deuotionis gratiam & conſolationes acceperint Spiritus ſancti, eorum, inquam, copioſa redemptio eſt, & tales omnes nos fuimus. At eorum qui poſt conuerſionem ſuam à peccatis & vitijs implicantur, ingrati acceptæ gratiæ, & poſt miſſam manum ad aratrum, retro reſpiciunt, tepidi & carnales facti, aut poſt agnitam vitam veritatis retro eunt apoſtatæ manifeſti: eorum 2 vtique perpaucos inuenias, qui poſt hæc redeant in gradum priſtinum: ſed magis in ſordibus poſiti, ſordeſcant adhuc. Super quos Propheta deplorat: Quomodo obſcuratum eſt aurum, inquit, mutatus eſt color optimus, & qui nutriebantur in croceis, amplexati ſunt ſtercora? Nec tamen ſi quis huiuſmodi eſt, deſperamus de eo tantum, vt reſurgere velit citò. Quãtò enim diutius permanebit, tantò euadet difficilius. Beatus verò qui tenebit, & allidet paruulos Babylonis ad petram. Etenim ſi creuerint, vix poterunt ſuperari. Filioli, hæc dico vt non peccetis, ſed & ſi quis peccauerit, aduocatum habemus apud patrem, qui poteſt quod nos minimè poſſumus: tantum qui cecidit, non adijciat in malum, vt profundius cadat, ſed magis vt reſurgat, confidens quòd nec ei negabitur venia, ſi tamen ex corde confiteatur peccata ſua. Si enim is de quo loquimur, Petrus poſt tam grauem lapſum ad tantam redijt eminentiam ſanctitatis, quis de cætero deſperet, ſi tantùm egredi voluerit à peccatis? Attende quod ſcriptum eſt: Egreſſus foras fleuit amarè. In egreſſu confeſsionem oris, in amaro fletu compunctionem cordis intellige. Et attende quòd tunc primum recordatus eſt verbi quod dixerat Ieſus, tunc primum cordi fuit verbum, quo prædicta fuerat eius infirmitas, cùm euanuit præſumpta temeritas. Væ tibi qui poſt lapſum fortiorem te nobis exhibes. Vt quid tam rigidus es in tuam ipſius perniciem? Inclinare potius, vt melius erigaris & prohibeas frangi quod diſtortũ eſt, vt poſsit melius ſolidari. Quid indignaris increpanti gallo? tibi potius indignare. Pluuiam voluntariam, ait Pſalmiſta, ſegregabis Deus hæreditati tuæ, infirmata eſt. Bona infirmitas, quæ ſegregatur hæreditati, quę modicum non repellit. Induratos enim tanquam vas figuli in virga ferrea cõteret, & hæreditas infirmata eſt, ait, tu verò perfeciſti eam. Audiſti certè quã miſericordiam conſecuti ſint Apoſtoli noſtri, vt iam nemo ex vobis ſuper peccatis præteritis vltrà quàm neceſſe ſit cõfundatur, in cubili conſcientiæ ſuæ compunctus. Quid enim fortè peccaſti in ſeculo? Nunquid amplius Paulo? Quòd ſi & ipſa in religione, nunquid plus Petro? Attamen illi in toto corde pœnitentiam agentes, non modò ſalutem, ſed & ſanctitatem conſecuti ſunt, etiam & ſalutis miniſterium, & magiſterium adepti ſunt ſanitatis. Et tu ergo fac ſimiliter, quoniam propter te ſcriptura loquitur. Viros illos eſſe miſericordiæ, vtique propter multam miſericordiam quam conſequi meruerunt. Potes tamen in hoc verbo etiam illud non inconuenienter accipere, viros miſericordię fuiſſe Apoſtolos, id eſt, plenos miſericordia, ſeu viros miſericordiæ, datos Eccleſiæ vniuerſæ. Scimus enim quòd viri iſti nec ſibi vixêre, nec ſibi mortui ſunt, ſed ei qui pro ipſis mortuus eſt, magis autem nobis omnibus propter illum. Quantum enim proderit nobis eorum iuſtitia, quando ipſa quoque, ſicut oſtenſum eſt, tantum profuêre peccata? pro nobis facit eorum vita, eorum doctrina, etiã & mors ipſa. Etenim in conuerſatione cõtinentiam, in prædicatione ſapientiam, in paſsione ſua patientiam nobis beati Apoſtoli contulerunt. Quartum vſque hodie cõferre non ceſſant, miſericordia pleni, quod eſt ſanctarum fructus orationum. 3 Quamuis & in ipſa eorum vita adhuc inuenias quod annumeres, fiduciã ſcilicet, quã nobis miraculorum exhibitione præbuerunt. Et quis enumeret quàm multa nobis per eos beneficia prouenerunt? Bene ergo de eis ſcriptura loquitur, quoniam hi ſunt viri miſericordiæ. Et addidit: Quorum iuſtitiæ obliuionem non acceperũt. Vis vt nec tua accipiat obliuionem? A triplici caue periculo, & florebit in æternum ante Dominum. Legis enim: Quia tepidus es, incipiam te euomere ex ore meo. Legis: Si auerterit ſe iuſtus à iuſtitia ſua, &c. omnium iuſtitiarum eius non recordabor. Legis quibuſdam dicendum in iudicio: Non noui vos, illis ſine dubio qui receperunt mercedem ſuam. Ergo omnis iuſtitia tepida, omnis tranſitoria, omnis vendita, erit in obliuionem coram Deo. Sed non ita Apoſtolorum iuſtitiæ, quod ex eo ſatis apparet quod ſequitur: cum ſemine eorũ permanent bona. Manent enim vſque hodie in nobis Apoſtolorum veſtigia, & eorum religio, qui ex Deo eſt, non poteſt diſſolui. Veſtes Iſraëlitici populi quadraginta annis in deſerto perſeuerarũt integrę, multò magis Apoſtolorũ veſtes ſuper iumentũ Saluatoris appoſitæ. Cùm ſemine, inquit, eorum. Quod eſt ſemen, quia ſecutus adiungit: hæreditas ſancta nepotes eorum. Iidem profectò

2 Notet hoc apoſtatæ noſtri temporis.

3 Sancti orant pro nobis in cælo.

& semen sunt,& nepotes.Meministis credo (scientibus enim legem loquor) meministis, inquam,legalis mádati, vt suscitet frater superstes semen fratri defuncto sine semine.Quis sine semine? Singulariter ait: Ego sum: donec transeam.Ideoque resurgens: Vade,inquit, dic fratribus meis.Ac si dicat: fratres sunt.faciant quod fratres. Ergo per Euangelium ipsi nos genuerunt,non tamen sibi, sed Christo,quia per Euangelium Christi. Hinc est quòd molestè tulit Paulus quosdam eorum dici à quibus geniti fuerant per Euangelium, indignans aduersus eos qui dicebant : Ego sum Pauli : Ego sum Cephæ : ego Apollo : Christi magis omnes & fieri volens, & dici . Itaque semen Apostolorum sumus per prædicationem, sed per adoptionem & hæreditatem semen Christi, & Apostolorum nepotes.

COMMENTARIVS QVI TRACTAT SIGILlatim certamina, labores, & peregrinationes, & consummationem sanctorum, & principum Apostolorum Petri & Pauli.

Apud Simeonem Metaphrasten.

NON eos solùm, qui fuêre ab initio patres artium,admittimus, & eorum fauemus laboribus: sed etiam,si quid aliud postea inuentum est à posteris, id fouemus,& amplectimur. Quinetiam istos ob id maximè laudamus,& eorum honorificam facimus métionem,quòd quæ sparsim & sigillatim ab alijs inuenta sunt,ij coniungentes & concinnantes,in vnum corpus redegerunt,& ei formam dederunt,& artes posteris perfectas reliquerût. Nos quoque eos sequentes,vt fidelium satisfaciamus desiderio,tanquàm informẽ materiam ea quę de summis Apostolorũ Petro & Paulo hîc & illic decantantur,tractantes,eis formam tribuimus, corpusque articulis expressum efficimus. Quoniam ergo hoc est nobis institutum,& ad res tantas nostrum studium conferimus,incipiendũ est dicere,vndénam primis Christi discipulorum fuerit ad vitã ingressus.Petrus ergo (vt illius primũ faciam mentionem,cuius primi fidei commissa fuit cura Ecclesię)fuit quidem genere Hebræus:Palestinæ autem regionem habitabat Galilæã. Patria verò ei fuit Bethsaida,quoddã paruum & vile oppidulum eiusdem tribus & patriæ,cuius ij qui de Simeone gloriantur Patriarcha.Pater autem erat Ionas,non is qui redditus fuit à ventre balenæ,sed qui ex monstro,quod cadit in intelligentiam,multos liberauit per filium.Fuit autem in diebus Hircani,cui aures vnà cum regno ablatæ sunt à fratre. Non is verò solus natus est patri,sed cum eo quoque erat frater Andreas.Cùm autem accepisset Petrus filiã Aristoboli fratris Barnabæ Apostoli,ex ea genuit filium vnum & vnã filiam.Et Andreas quidem,qui vitam à negotio remotam,& coniugis expertem agebat, fit Ioannis præcursoris discipulus, qui baptismum prædicabat ad pœnitétiam.A quo cùm audijsset illud: Ecce agnus Dei,dum seruatorem Christum digito indicauit, relicto Baptista Ioanne secutus est Iesum . Magnus autem ille Petrus cùm esset acerrimus & diligentissimus, magis versabatur in ijs quæ ad victum comparandum pertinent, vt qui & cum vxore habitaret, & senis patris prouideret senectuti. Cùm eum autem aliquando otiosum inuenisset Andreas,adduxit ad Christum.Ille verò eum admisit, & Petrum vocauit,eius mentis soliditatem per nomem significans. Postquam autem fuit relatus in numerum discipulorum,apparet statim vir probus & feruens spiritu. Quocirca regni cœlestis claues ei credũtur: super mare,perinde ac incorporeus,proprijs pedibus ingreditur: Domini transfigurationis spectator efficitur: Patris vocem suis audit auribus:in eos qui peccant docetur esse patiens:& vniuersi orbis terræ cura ei committitur.Sed hęc quidem, & his plura fusius tractans sacer liber Euangeliorum, ipsas quoque rerum causas nobis declarat.Quas quidem in præsentia non exposuimus,cùm oratio malit esse breuis, quàm nimis fusa.Cùm iã auté magnus Deus,& Saluator noster Iesus Christus per voluntariam & salutarem suam passionem aboleuisset diabolum,qui mortis tenebat imperiũ,& mortis vincula perfregisset,& tertio die resurrexit,hic Petrus princeps Apostolorũ, cùm esset magistri ditatus præsidentia,os efficitur reliquorum Apostolorum:vel,vt magis propriè dicam, magister. Et cùm deinde duodenariũ quidem numerũ Apostolorũ,in alterius locum substituto Matthia,suppleuisset:plurimas autem conciones Iudæis qui in sancti spiritus infusione aderát,& propterea stupebát quòd alijs linguis Dei magnalia annunciarét, effudisset,& alijs orationibus eis tulisset testimoniũ,tria millia statim ad fidé in Christum euocauit.Et cùm eũ qui erat ab ortu claudus,in speciosa tẽpli porta,vnà cũ Ioanne Euangelista curasset,& rursus eos qui erát cõgregati,arguẽdo instituisset,& ad saluté inuitasset: & verum Deum esse Dominum nostrũ Iesum Christum ex Moyse & prophetis euidenter ostẽdisset,nõ solùm miraculi magnitudine,sed orationis quoq; vehementia omnes obstupefecit,

perfecit,& ad fidem in Christū attraxit,& decies mille virorū Ecclesiam cōstituit Hierosolymis. Ananiam autē,& Sapphiram eius vxorē,qui nouam quandā fecerant vsurpationem,sibi,inquam,tanquā propria vsurpantes quę Deo consecrauerant,graui reprehēsione statim vita priuauit. Vmbraq; eius non solùm varios morbos expulit ab hominibus, sed mortuos etiam excitauit. Liddæ paralyticum Æneam verbo curauit. Ioppæ pauperum amantem Dorcadem mortuā excitauit. Cæsareæ Centurionē Corneliū qui erat gentilis, ad fidem in Christū euocauit, cum tota familia,& spiritu sancto impleuit per baptismū. Quinetiam fidei portā gentibus aperuit per eam quæ illi apparuit vasis linei visionem,in quo erant omnes bestiæ terræ,& vocem quæ de cœlo vnà cum vase est delata,& eum est adhortata vt surgens sacrificaret & comederet, nihil eorū esse commune existimans. Ab Herode autē,qui etiā dictus est Agrippa, duabus catenis vinctus,& in carcerem cōiectus, cùm diligenter custodiretur à quatuor quaternionibus militū,à diuino Angelo liberatur à vinculis,& à carcere,portis sua sponte apertis. Propter Simonem autē sceleratum illum Magum obit omnes ciuitates Cœlesyriæ,& præterea Pontū & Asiā,atque etiā Galatiam. Et cùm in eis seminasset verbū fidei,ad ipsam vsq; [1] Romā peruenit. Vt eas autem cursim persequamur,hæ sunt. Cùm ab Hierusalem venisset Cæsaream Strationis,& ijs qui ipsum sequebantur presbyteris Episcopū cōstituisset,venit Sidonem. Vbi cùm multos curasset, & Episcopū constituisset,venit Berytum. In qua etiam cùm ex ijs qui sequebantur vnum ordinasset Episcopū,venit Byblum: deinde Tripolim: & apud Marsonem virū quendam prudentē diuersatur. Quē cùm fidelibus qui erāt Tripoli Phœniciæ Episcopū cōstituisset, venit Orthosiam: deinde Antardum: deinde in Insulam quæ dicitur Aradus: deinde Balanæas: & illinc Pāta: deinde Laodicæā,in qua cùm multos qui morbis laborabāt,& vexabantur à dæmonibus curasset,Ecclesiamq; congregasset,& Episcopum cōstituisset,venit Antiochiam Syriæ ciuitatē. Quo in loco Simon quidē Magus eos qui ad eum quærēdum ab Imperatore missi fuerant,declinans,cōstituit fugere in ciuitates Iudææ. Petrus autem Domini Apostolus,simul ac esset ingressus,multasq; Antiochię fecisset curationes,& vnū Deum in tribus personis,ijs qui erant congregati feliciter annunciasset,& Episcopos ordinasset,Marcianū quidem Syracusis in Sicilia,Pancratiū autē Taurominij,venit Tyanem Cappadociæ,& illinc Ancyram Galatiæ. In qua cùm precatione suscitasset mortuū,multosq; catechesi instituisset,& baptizasset,& Ecclesiā constituisset,& Episcopū ordinasset, venit Sinopen Ponti ciuitatē. Deinde Amasæam,quæ est in mediterraneis Ponti. Deinde Gangram Paphlagonū. Deinde Claudipolim Honoriadis. Deinde Nicomediā Bithyniæ. Deinde Nicæam. Deinde cùm festinaret ascendere Hierosolymā propter paschæ [2] festū, reuertens venit Pisinuntem. Deinde per Cappadociā & Syriam rursus venit Antiochiam. Et illinc profectus venit Hierusalē. Quo in loco cùm iam tertius annus præterijsset à vocatione magni Pauli,ab ipso Paulo visitur,sicut ille ipse dicit: Post tres annos ascēdi Hierosolymā ad videndū Petrū,& mansi apud eum dies quindecim. In quibus cùm Canones & Ecclesiasticas constitutiones exposuissent, beatus quidē Paulus profectus est ad opus, ad quod vocatus fuerat. Magnus autem Petrus rursus reuersus est Antiochiam. Vbi cùm Prochorum ordinasset Episcopū,venit Synadem Phrygiæ ciuitatem. Deinde Nicomediā. In qua cùm Prochorum ordinasset Episcopum, venit Ilium ciuitatem Hellesponti. Quo in loco cùm Centurionem Cornelium constituisset Episcopum,reuersus est Hierusalem. Visus est autē ei Dominus in visione,dicens: Surge Petre,vade ad Occidentē: opus enim habet,vt tuis illustretur facibus,& ego ero tecum. Simon autem paulò antè captus ab ijs qui eum quærebant,vt prius diximus,Romam ducitur,vt luat pœnas eorum quæ perpetrauerat. In qua cùm fuisset,& arte sua magica multos mente mouisset & decepisset,non solùm non dedit pœnas, sed etiam à multis Deus fuit existimatus. Romanos enim præcursor ille satanæ sua Magia in tantam adduxit admirationem, quinetiam ipsum quoque Claudiū, vt ei posita statua inter duos pontes in Tyberi inscriberent: Simoni Deo sancto. Et hæc quidem Iustinus,& Irenæus fusius persequuntur. Nos autem peragamus cœptam persequi narrationem. Cùm ergo quæ visa fuerant,magnus Petrus annunciasset fratribus, & vale eis dixisset,rursus venit Antiochiā visitans Ecclesias. Quo in loco cùm magnum inuenisset Paulum, certo quodam consilio ab eo arguitur. Deinde cùm Tharsi Vrbanum constituisset Episcopum, & Epaphroditum Andriacæ Liciæ,& Phygellum Ephesi,quem aiunt à recta via diuertisse, & cum Simone sensisse, & Smyrnæ Apellem, qui erat frater Policarpi, venit in Macedoniam. Cùm Philippis autem Olympum Episcopum constituisset, & Thessalonicæ Iasonem, & Corinthi Silam, cùm eum illic inuenisset apud magnum Paulum permanentem & patris Herodionem, nauigauit in Siciliam. Et cùm venisset Taurominium, diuersatur apud Pancratium virum sapientissimum. Quo in loco cùm quendam Maximum [3] catechesi instituisset, & baptizasset, & Episcopum ordinasset,

1 Vide num Petrus Romæ fuerit.

2 Nota festū Paschæ ab initio Ecclesiæ.

3 Vides catechesim semper præcedere baptismum.

4 Petrus Romam appellit.

ordinasset, Romam 4 appellit. In qua cùm quotidie synaxes celebraret, & vnum Deum patrem omnipotentem, & vnum Dominum Iesum Christum filium verum de Deo vero, & vnum spiritum sanctum Dominũ, & viuificum in synagogis & domi doceret, attraxit multos ad fidem in Christum, & per sanctum baptisma liberauit ab errore idolorum: adeo vt breui tempore ad sanctum baptismũ omnes ferè accurrerint, & Deo per Apostoli doctrinam crediderint. Hæc videns Simon, non satis duxit tacere, & suam cœlare improbitatem, sed gloria & existimatione se superatum esse arbitratus, si fineret Apostolum totis viribus ijs qui Romæ erant, veritatem annunciare, audacter simul & indoctè cœpit liberè loqui in media ciuitate, & imperitè aggressus est ei contradicere. Vbi & vmbras quasdam eum sequi & præcedere: quas dicebat esse animas mortuorum & mortuos suscitatos, & ei tanquam Deo, honorem tribuentes, claudosq; rectè ingredi & saltare ostendebat: seque instar fabulosi illius Prothei in varias formas mutans, ostendebat aliquando quidem duas habentem facies, deinde autem, paruo interiecto spatio, transformabatur in capram, & serpentem, & volucrem, qualem par est eum videri, qui à ratione alienis seruit cupiditatibus: & igni sæpe assimilabatur: & simpliciores omnibus modis non cessabat decipere. Ille autẽ magnus Domini Apostolus, si solũmodo cernebatur, omnes eius machinationes facillimè dissoluebat, & in nihilũ resoluebat. Cùm multæ ergo (vt est consentaneum) inter eos fuissent vtrinq; controuersiæ & disputationes, nesciret autẽ Simon quidnam amplius ageret, aram quandã lauro coronatus ascendit. Ex qua turbas primũ iracundè alloquens: Quoniam, inquit, adeo insipientes fuistis ô Romani, vt me quidem relinqueretis, Petrum verò sequeremini, ecce in conspectu vestro mandabo Angelis meis, & me tollent in manibus, & ad patrem meum ascendam in cœlũ, & illinc vos extremo afficiam supplicio, vt qui non in ijs quę vobis dixi perstiteritis. Hęc cùm dixisset, plaudẽs deinde manibus, per aërem missus cœpit volare quibusdam vmbris, vel malis potius dæmonibus eum impellentibus & portantibus. Magnus autem ille Apostolus Petrus, cùm se parum retinuisset, audientibus omnibus, cœpit dicere: Domine Iesu Christe qui es Deus meus, ne finas eum implere quod proposuit, ne immittat petram scãdali, & lapidem offensionis malignus in eos qui in te crediderunt. Et sublatis ad Simeonem oculis, clara voce clamauit: Vobis Satanæ ministris præcipio, ne eum portetis, sed eum dimittatis in eo loco in quo nunc est. Statimque, cùm quæ circa ipsum apparebant vmbræ, recessissent, & in nihilum resolutæ essent, Simon lapsus ab aëre, ad terram fertur casu misero & miserabili, & contrito toto infœlici corpore, secundo post die miseram emittit animam acribus cruciatus doloribus. Cùm hoc autẽ factum esset, & turba multis horis clamaret: Magnus est Deus qui nobis à Petro prædicatur, Petrus cùm altũ quoddã sedile ascẽdisset, manumq; mouisset, & turbis præcepisset silentiũ, postquàm ex Moyse & Prophetis Dominũ nostrum Iesum Christum Deum ante secula annunciasset, & plurimos dæmones fugasset ab hominibus, & morbos curasset varios, eos demisit. Cùm autẽ nõ diu mãsisset apud Romanos, & sancto baptismo multos regenerasset, & Ecclesiam constituisset, & Linum Episcopũ ordinasset, venit Taracinam. In qua cùm Epaphroditum ordinasset Episcopum, venit Sirmium ciuitatem Hispaniæ. Quo in loco cùm Epænetum constituisset Episcopum, deuenit Carthaginem ciuitatem Aphricæ. In qua cùm Crescentem ordinasset Episcopum, venit in Ægyptum: & cùm Thebis, quæ septẽ habet portas, Ruffum: Alexandriæ autẽ Marcũ Euangelistam, eorum qui se in disciplinã tradiderant, Episcopatui præfecisset, rursus venit Hierosolymã ex reuelatione propter Deiparæ Mariæ migrationem. Deinde reuersus in Ægyptum, per Aphricam rursus Romam redijt. Ex qua venit Mediolanum, & Photicem, quæ sunt ciuitates in continente. In quibus cùm constituisset Episcopos & presbyteros, venit in Britanniam. Quo in loco cùm longo tempore fuisset moratus, & multas gentes non nominatas attraxisset ad fidem Christi, Angelicam aspexit visionẽ, quæ dicebat: Petre instat tempus tuæ resolutionis, & oportet te ire Romam, in qua cùm mortẽ per crucem sustinueris, recipies mercedem iustitiæ. Cùm ergo propterea Deum glorificasset, & egisset gratias, & apud Britannos mansisset dies aliquot, & verbo gratiæ multos illuminasset, & Ecclesias 5 constituisset, Episcoposque & presbyteros & diaconos ordinasset, duodecimo anno Cæsaris Neronis rursus Romam reuertitur. Quo in loco cùm Linum inuenisset consummatum, eius in loco ordinauit Clementem recusantem, & non admittentem eam curationem. Cui cùm ad id accommodatis verbis persuasisset, & vt bono esset animo fuisset hortatus, ad suorum sermonum eum prouehit cathedram. Qui cùm sicut quidem vitulus, collum suum bono iugo subiecisset, cum magistro suo trahebat currum verbi. Quocirca multi quidem illustres prompto & alacri animo fidei obediebant: multæ autem nobiles fœminæ addebantur ijs qui salui fiebant. Cùm verò duæ fœminæ Imperatoris, quæ plus quàm aliæ ab eo diligebantur, fidei accessissent, & publicè viuere

5 Vide prima signa receptæ Catholicæ fidei, cõstitutio ecclesiarum, Episcoporũ, presbyterorum & Diaconorum ordinatio.

statuissent,

statuissent, quoniam erat libidinosissimus Nero, & impudicissimus, furiebat aduersus omnem Ecclesiam: maxime autem Petrum principem Apostolorum, vt qui fuisset causa pudicitiæ eius fœminarum, quæ crediderant in Dominum. Quamobrē cùm ira supra modum efferbuisset, capitis pronunciat sententiam aduersus omnes qui in Christum sperassent. Cùm itaque milites omnes protinus comprehendissent, eos deducunt ad locum damnatorum, & Clementi quidem parcunt, vt qui esset cognatus Cæsaris. Herodionem autem & Olympam, vnà cum magna multitudine gladio subijciūt: Petrum verò illum magnum Domini Apostolum inuersum 6 Cruci affigunt. Quamobrem cùm ex clauis dolores, similiter atque Christus Deus noster, ipse quoque sustinuisset, puram & immaculatam suam animam in manus Dei deponit: Clemens autem eius discipulus, & Episcopus, cum maximè 7 venerandum & sanctum eius corpus magnificè composuisset ad sepeliendum, in loco insigni deposuit. Sed de vita quidem, & prædicatione, & fine magni Apostolorum Petri hucusque sit à nobis dictum breuiter. Necesse autem est de claro quoque, & beato Apostolo Paulo, quomodo poterimus, dicere. Magnus ergo & beatus Domini Apostolus Paulus, erat ipse quoque Hebræus quidem genere, ex tribu autem Beniamin, claris natus parentibus, hæresi Pharisæus, adscribens sibi patriam Tharsum ciuitatem Ciliciæ, sub præceptore Gamaliele, in lege Moysis insigniter eruditus, ardens morum paternorum æmulator, qui à pueritia Romanus vocabatur Saulus. Persequebatur autem & populabatur Dei Ecclesiam per ignorantiam. Quamobrem ei grata erat interfectio Stephani primi martyris, vt qui omnium qui lapides in eum iaciebant, susceperit vestes custodiendas, vt ad illius cædem omnium manibus vteretur. Porrò autem primus quoq; vbique aderat cum ijs qui agitabant seditionē, studens destruere præconiū pietatis: multaq; erant & magna, quæ ab ipso fiebant aduersus Ecclesiam: & nihil ei ad summam deerat insaniam. In hoc enim pietatem exercere, & se præclarè gerere arbitrabatur, sicut ipse fatetur in epistolis, & Lucas refert in libro, qui inscribitur Actus Apostolorū. Etenim non solùm is, quomodo multi Iudæi, odio habebat & aduersabatur præconium pietatis, sed etiam maiorem totius gentis iram prouocabat aduersus eos qui ei ministrabant. Postquam enim id vidit repentè refulsisse, & fidei præcones euasisse minis superiores, æmulatione percitus, & ratus se maxima affici iniuria, si præconium quidem per vniuersam terram diffunderetur, præcones autem persecutorū paruifacere periculum, omne studiū adhibuit, vt hos quidem de medio tolleret, illud verò retardaret ac reprimeret. Quamobrē cùm à sacerdotibus & doctoribus illo tempore accepisset epistolas ad Iudæos, qui erant Damasci, iter aggressus est contra eos, qui erant in ea, discipulos. Sed qui ex vtero matris eum segregauit ad suum ministerium, videns eum iniusta teneri insania in iusta voluntate, & iusto animi proposito, & ei in media via apparens, corporeis quidem eum orbat oculis, magnitudine purissimæ lucis quæ ei apparuit: eius autem mentem & animam adeo illuminat, vt eum qui erat olim persecutor, dilectum statim & fidelissimum fecerit suum præconem. Sauli itaque nomine in Pauli nomē transmutato, eoq; ex salo persecutionis traducto ad quietem eius fidei, mittit ad Ananiam quendam discipulū in vrbe Damasco. A quo cùm Paulus sanctum accepisset baptismum, & Christi intemeratis cōmunicasset sacramentis, efficitur fidelis socius prędicationis. Tantam ergo mutationem ostendit hic beatus post vocationem, & ad tantum in Christum exarsit desiderium, vt præcones veritatis non solùm verbis, sed factis etiam confirmaret, qui eum adhuc timebant, & suspectum habebant, ostendens se toto animi studio erupisse in amorē Domini. Quocirca cùm fuisset cum ijs qui erant Damasci discipulis, statim cœpit prædicare Christū in synagogis, Iudæos confutans, & rursum confirmans eum esse Christum. Cùm autem ei fuissent cognitæ, quæ à Iudæis parabantur insidiæ, per murum in sporta dimittitur à discipulis, & in Hierusalem accedit ad Apostolos: in qua liberè loquens in nomine Domini Iesu, differebat & disceptabat aduersus Gentiles. Sed cùm ei quoq; rursus significatæ fuissent insidiæ, à fratribus deducitur Cæsaream, & illinc venit Tharsum. Quò cùm venisset Barnabas, & eum inuenisset, deduxit Antiochiam. Cùm toto autem anno illic cœtus haberēt, & satis magnam docuissent multitudinem, & discipulos primùm nominassent Christianos, in Iudæam ad fratres mittuntur cum ministerio, propter famem quę fuit tempore Claudij Cæsaris. Cùm impleuissent autem ministerium, reuersi sunt Hierosolymā. Vbi Domino sacrū obeuntes ministeriū, & ieiunantes, à sancto spiritu segregantur ad opus ad quod vocati fuerant. Emissi autem venerunt Seleuciam, & illinc in Cyprum nauigarunt: & cùm fuissent Salaminæ, Dei verbum annunciàrunt. Cum verò peruasissent Insulam vsq; ad Paphum, excæcant pseudoprophetam Barieu, qui multos peruertebat. Quod cùm factum esset, euenit statim vt multi crederent, atque etiā ipse Proconsul, qui erat in Insula. Illinc autem profecti veniunt Pergen Pamphiliæ, & illinc Antiochiam Pisidiæ, in qua cùm die Sabbatorum concionatus esset Paulus in Synagoga,

6 Petrus Romæ cruci clauis figitur, sicut Dominus Iesus Christus.

7 Venerãdum & sanctum Petri corpus magnificè cõpositũ insigni loco à Clemente deponitur.

attraxit multos ad fidem in Christum. Quamobrem Iudæi pleni æmulatione, eum & Barnabam eiecerunt è ciuitate. Ii verò ex ea egredientes, excusserunt puluerem è suis pedibus, conuenienter præcepto Domini. Et cùm venissent Iconium, & illic longo tempore versati essent, multosque Iudæos & Gentiles, atque etiam beatam Theclam ad fidem Domini euocassent, à Iudæis qui non crediderant, & Gentilibus, afficiuntur contumelijs, & appetuntur lapidibus. Cumque Lystram & Derben confugissent, quæ sunt vrbes Lycaoniæ, medentur ei qui fuerat claudus à matris vtero. Quo in loco cùm presbyteros ordinassent, & Pisidiam peruasissent, venerunt in Pamphiliam. Et cùm Pergæ locuti essent sermonem, descenderunt in Attaliam. Cùm autem venissent Antiochiam, & congregassent Ecclesiam, annunciârunt quæcunque cum eis fecisset Dominus. Illinc dimissi peruaserunt Pheniciam, & Samariam, narrantes conuersionem Gentium. Cùm venissent autem Hierusalem, reuertuntur Antiochiam. Quòd non oporteat circuncidi, neque vesci sanguine, & abstinendum sit à suffocato, & immolatis, ab Apostolis adferentes tractantem epistolam. Quo cùm venissent, & satis longum tempus illic egissent, abierunt: Barnabas quidem in Cyprum, Marco assumpto: Paulus autem in partes Syriæ & Ciliciæ, cùm Silam elegisset, & quæ erant in ciuitate Ecclesias confirmasset. Cumque venisset Derben & Lystram, & Timotheum assumpsisset discipulum, eum circumcidit. Deinde cùm obijssent Phrygiam & Galatiam, à sancto spiritu loqui sermonem prohibiti, venientes per Mysiam, tentarunt proficisci in Bythyniam, neque siuit eos sanctus spiritus. Cùm autem transijssent Mysiam, descenderunt in Troadem: & cùm illinc accessissent in Samothraciam, veniunt Neapolim. Et cùm venissent Philippos Macedoniæ, versati sunt illic dies aliquot. Quo in loco cùm credidisset Lydia purpuraria, in domum eius venientes gratia precationis, spiritum Phytonicum eijciunt ex ancilla. Quamobrem ab eius dominis appetiti maledictis, vt qui alienos mores annunciarent, cæduntur virgis à Magistratibus, & in carcerem conijciuntur, eorumque pedes ligno cautè & diligenter stringuntur. Quo in loco cùm media nocte orarent, & Deum laudarent, fit maximus terræmotus, & carceris fores aperiuntur, & vincti omnes relaxantur, & custos carceris efficitur fidelis cum tota familia, cùm quod ducit ad salutem, à Paulo accepisset baptismum. Egressi autem è ciuitate, cùm Amphipolim transmisissent, & Apolloniam, venerunt Thessalonicam. In qua cùm multos accepissent in disciplinam, Iudæos ad iram prouocârunt. Qui etiam collecta multitudine, conturbabant ciuitatem. Et cùm accessissent ad ædes Iasonis, quærebant eos producere ad populum. Et cùm non inuenissent, traxerunt Iasonem, & aliquot ex fratribus ad Magistratus ciuitatis. A quo cùm satis accepissent, eos dimiserunt. Illinc autem egressus Paulus cum ijs qui cum eo erant, venit Beroëam. Quo in loco cùm multos accepisset discipulos, Timotheus quidem & Silas illic remanent, magnus autem Paulus per mare venit Athenas. Transiens autem, & ea contemplans, quæ ab eis colebantur, aram quoque inuenit, in qua erat scriptum: Ignoto Deo. Ex quo parua accepta occasione, annunciat eis in medio Areopago Dominum nostrum, & Deum Iesum Christum: initium ducens ab ipsa aræ inscriptione: statimque satis multos baptizauit ad fidem in Christum. Inter quos Dionysium quoque Areopagitam, & honestam quandam mulierem nomine Damarim, & cum eis alios. Post hæc verò Athenis abiens Paulus, venit Corinthum. Et cùm Priscillam & Aquilam inuenisset, eiusdem cuius ipse erat artis, apud eos diuersatur. Quo in loco cùm annum & menses quinque transegisset, & multos tam ex Iudæis, quàm ex Græcis gratiæ verbo illuminasset, & ad Domini fidem euocasset, Priscilla & Aquila, & Timotheo assumptis, venit Ephesum, eisque illic relictis, venit Cæsaream vnà cum Timotheo. Cumque salutasset Ecclesiam, descendit Antiochiam. In qua cùm aliquantum temporis esset versatus, egressus est deinceps transiens per Galitiam & Phrygiam. Et cùm per superiores partes venisset Ephesum, tribus mensibus cum Iudæis disserens in synagoga de Regno Dei, persuasit ne ijs attenderent, quæ adumbratè dicebantur à lege, sed ea ad spiritum transferrent, & componerent. Cùm autem apud eos alios duos annos & paulò plus mansisset, & ferè totam Asiam ad fidem Christi attraxisset, & non vulgares virtutes, non per se solùm, sed etiam per sudaria, & semicinctia sua perfecisset, & omne genus morbos & dæmones exegisset, & Timotheum Episcopum eis constituisset, egressus est vt iret in Macedoniam. Cùm illas autem partes transmisisset, venit in Græciam. Et cùm tres illic menses transegisset, & multos accepisset discipulos, venit Troadem. Quo in loco cùm Eutychium (qui dum dissereretur, dormitauerat, & ex tertio cœnaculo deorsum ceciderat, & mortuus erat) suscitasset, venit Assum: deinde Mytilenem. Et cùm die sequenti esset ex aduerso Chij, altera die appulit Samum. Et cùm mansisset Strongylæ, die sequenti venit Miletum. Ex qua cùm misisset Ephesum, accersijt presbyteros Ecclesiæ. Postquã autem accessissent, cũ eis disserit de humilitate, & malorum

tolerantia: deinde de constitutione Ecclesiastica & gregis cura. Et rursus cùm ea quæ & sibi Hierusalem eunti,& eis post eius recessum erant euentura prędixisset:& quòd oporteat vigilare in eos qui instar luporum sunt gregem auidè diuulsuri,eis mãdatum dedisset, eosque Deo commendasset,& præcatus esset,nauem ascendens statim soluit. Qua vectus cùm venisset in Con insulam Rhodum nauigauit, & illinc Parata. Quo in loco cùm alterum ascendisset nauigium, Cypro relicta à sinistris, præternauigauit Syriam : & cùm venisset Tyrum, illic enim nauis impositũ onus exonerabat,& inuenisset discipulos, mansit apud eos septem dies. Et naui rursus vsus venit Ptolemaidem, & illinc Cæsaream, & ad Philippum Euangelistam, qui erat ex septem Diaconis, diuersatur. Et post dies aliquot, sublatis sarcinis, venit Hierusalem. Et septem dies purificatus, templum ingreditur, annuncians impletos esse dies purificationis.Quo in loco qui erant ex Asia Iudæi,cùm eum aspexissent, conturbarunt omnem multitudinem, & manus suas in Paulum immiserunt, clamantes : Viri Israëlitæ ferte auxilium. Cùm fuisset autem maximus populi concursus, cœperunt in eum hæc dicere : Hic est qui aduersus legem & locum hunc omnes vbique docet : Quinetiam gentiles introduxit in templum, & ad id inquinauit. Statimque nota multitudo incitata est, vt eum tolleret de medio. Sed mox adueniens Tribunus Lysias eum liberat,& cum militari auxilio eum mittit ad præsidẽ Fœlicem, cui succesit Festus. Cùm sensisset autem Paulus à Iudæis in ipsum strui insidias, pro tribunali ad Cæsarem statim prouocat. Et tunc quidem dimittitur à iudicio: cessant autem qui in eum à Iudæis parabantur insidiæ: & deinceps à præsidibus & magistratibus mittitur ad Cæsarem.Cùm verò esset constitutum,vt Paulus nauigaret in Italiam,cumque eo accepto Centurio quidam nomine Iulius, vnà cum alijs vinctis nauem ascendisset Adramytenam, venit Sidonem,& illinc in Cyprum. Cùm autem præternauigassent pelagus, quod est ex aduerso Ciliciæ & Pamphiliæ, veniunt Myra vrbem Lyciæ. Et cùm nauem ascendissent Alexandrinam, vix Cnidum perueniunt. Et cùm subnauigassent Cretam per Salmonem, venerunt in locum, qui dicitur Pulchriportus. Ex quo cùm soluissent,& Cretam præterlegerent, ventus qui dicitur Typhonicus, qui latas excitat vndas, spirasset, propè Caudam, quæ sic dicitur, decurrunt insulam, vehementi tempestate exagitati,& nauis armamentis proiectis suis manibus. Cùm autem omnes magna affecti tristitia mortem expectarent, surgens Paulus in medio eorum, iussit eos esse bono animo,cùm nulla sit eorum peritura anima præter nauem : hortatusque est eos vt cibum sumerent, vt qui iam quatuordecim dies manerent ieiuni. Cumque seruati essent ij qui erant cum Paulo,ex nauigatione naue dissoluta ab vndarum violentia, descendentes in terram, cognouerunt insulam vocari Militen. Quo in loco cùm congregaret Paulus sarmentorum multitudinem, vipera eius manum apprehendit.Quam cùm in ignem excussisset,nihil mali passus,Deus existimatus est à Barbaris. Quinetiam cùm patrem Publij liberasset ab eo quo laborabat tormine intestinorum, & plura alia fecisset miracula, cum ijs qui secum nauigabant, alia naue venit Syracusas, & illinc Rhegium, deinde Puteolos, deinde Romam ipsam.

Cùm autem cognouissent fratres eius aduentum, iuerunt ei obuiam vsque ad forum Appium,& Tres tabernas. Et Centurio quidem reliquos vinctos tradidit duci exercitus. Paulus autem toto biennio seruabatur ab vno milite,omnes qui ad ipsum veniebant excipiens,& Dei regnũ cum omni fiducia prædicans absque impedimento.Atque hęc quidem hucusque narrauit Lucas in Actibus Apostolorum, qui librum eo tempore composuit. Quæ autem sunt postea consecuta, postquàm Paulo Romæ relicto, profectus est Thebas Bæotiæ,minimè cõposuit.Eusebius autem,qui in secundo libro historiæ Ecclesiasticæ hęc est accuratè perscrutatus,dicit Paulum,cùm tunc quidem causam dixisset apud Neronem, fuisse absolutum, & Dei verbum, cùm esset relaxatus, Romæ agentem prædicasse totis decem annis.In quibus dicitur peregrè profectus in Hispaniam,Galliam,& Italiam,Christi præco verbum disseminasse, & multos à Dijs patrijs euulsisse, & cum grege Domini coniunxisse.Iam verò cùm esset in Hispania,tale quid dicunt accidisse.Mulier quędam & genere,& opibus,& doctrina insignis,cùm iam olim auditionem accepisset Apostolicam, cupiebat ipsis quoque intueri oculis præconem veritatis, & ipsis auribus institui in veræ pietatis dogmatibus. Cùm ergo ei visum esset diuina quadam inspiratione in forum proficisci,quo tempore qui vel ex sola fama ab ea diligebatur,per medium eius transibat,dicitur & eum vidisse leniter & placidè ingredientem,vt qui non solùm gratia plenos mores haberet cæteros,sed etiam ipsum incessum,& marito suo persuasisse,cui nomen erat Probus (eorum autem qui illic erant facilè princeps) vt intra ædes suas hospitem exciperet. Postquàm verò fuit accersitus, & fuit prope illos, eiusmodi aliquod miraculum accidisse mulieri : nempe apertis mentis suæ oculis, vidisse in fronte eius qui fuerat hospitio acceptus, literas aureas, quæ dicebant, Paulus Christi præco. Illam autem propter visionem

insperatam inuasit & voluptas, & timor: & lachrymis plena procidit ad pedes Apostoli: & catechesi ab eo instituta, primùm quidem suscepit baptismum appellata Xantippe: Postea autem Probus eius maritus, qui erat notus Neroni: deinde etiam Philoteus præfectus: & deinceps omnes, qui illam habitant regionem. Quod autem in Hispania prædicauerit Paulus, hoc apertè dicit in epistola ad Romanos, sic scribens: Nunc autem non amplius habens locum in his regionibus, desiderium autem habens veniendi ad vos à multis annis, cùm proficiscar in Hispaniam, veniam ad vos: spero enim transiens vos videre. Quoniam ergo etiam antequam fuisset Romæ, in animo habuit prædicare in Hispania, cùm ei fœliciter successisset, vt ad primam veniret ex ciuitatibus, non neglexit ea quæ ei prius visa fuerant, etiamsi Romam rursus reuersus, in ea cessat à longis laboribus. Quomodo autem, & quánam de causa, iam sum declaraturus. Cùm ad insaniam summam processisset Nero, primùm quidem sustulit Agrippinam matrem propriam: præterea verò patris quoque sororem, & Octauiam suam vxorem, & alios innumerabiles, qui genere ad eum attinebant. Postea autem generalem mouit persecutionem aduersus Christianos, & sic venit ad cædem Apostolorum. Quo tempore accidit, vt Paulus quoque tricesimosexto anno salutaris passionis, tertio decimo autem Neronis, fieret martyr, ei capite gladio amputato. Gaius verò quidam vir Ecclesiasticus, & Zephyrinus Romanus Episcopus, & Dionysius Episcopus Corinthius scribunt, vno tempore & Petrum & Paulum simul subijsse martyrium, tertio decimo anno imperij Neronis. Dicunt enim Neronem eo tempore fuisse motum aduersus Christianos, propter eius fœminas, quæ in Dominum crediderant, & pudicè casteque viuere statuerant: nec cum eo congredi deinceps sustinebant: non autem propter Simonem Magum. Ei verò quod ab eis dicitur, fert testimonium Ioannes quoque ille lingua aureus, in rebus diuinis egregius, & cuius mens est plena spiritu, scribens in oratione aduersus eos qui prohibent ne fiant monachi: Neronem omnino auditis: fuit enim vir insignis libidine, qui primus & solus inuenit in tali imperio intẽperantiæ nouos quosdam modos & turpitudinis. Hic ergo Nero beatum Paulum (fuit enim ijsdem quibus ille temporibus) eo modo criminans, quomodo nos nunc hos viros sanctos: Eius enim pellici valde dilectæ persuasit, vt simul acciperet verbum fidei, & liberaretur ab immunda illa congressione: hoc modo, inquam, ille criminans, corruptoremque & seductorem, & ea quæ vos nunc loquimini, Paulum vocans, primùm quidem vinxit inclusum in carcere. Postquàm autem non persuasit, vt desisteret puellæ dare consilium, tandem ei caput amputauit. Et hęc quidem is, qui moribus & sermone est vir Apostolicus, de beato fine diuini Pauli. Principes ergo, & diuini (vt prius diximus) Apostoli decimo tertio anno Neronis consummantur. Execrandum autem Simonem circa medium annorum Claudij aiunt mortem subijsse teterrimam. Dicunt verò quidam præcessisse quidem Petrum anno vno, & beatam illam & Dominicam suscepisse perpessionem, cùm animam posuisset pro ouibus. Eum autem fuisse consecutum magnum illum Apostolum Paulum, vt dicit Iustinus, & Irenæus, cùm totis quinque annis synaxes, & disceptationes per se facerent ante resolutionem ad Christum. Atque ego quidem eis magis assentior. Eusebius autem Pamphili dicit Petrum duodecim quidem annos esse versatum in Oriente, viginti autem & tres annos transegisse Romę, & in Britannia, & in ciuitatibus quę sunt in Occidẽte: adeo vt sit totum tempus prędicationis Petri triginta & quinque anni. Paulum autem ipsum quoque viginti & vnum annum prædicasse pietatem in Christum, & alios duos annos Cæsareæ transegisse in carcere. His verò coniungit duos quoque priores annos, quos egit Romæ, & vltimos decem, vt eius quoque prædicationis, & vocationis vniuersum tempus sit triginta quinque anni. Et sunt quidem nostra huiusmodi, & quæ possunt nostrum in vos desiderium ostendere, ô Apostoli, & fraternum amorem in eos qui sunt congregati. Hæc enim est vestra lex, & communis Domini & magistri, vt nos inuicem diligamus, & quęramus multorum vtilitatem. Vos autem vicissim nobis reddite curam quam nostrũm geratis, aduersus vitia victoriam, contra dæmones resistentiam, animi quietem ac pacem erga omnes, atque adeo etiam ipsos, qui nulla de causa sunt nobis inimici, animi simul lenitatem, ac patientiam, beneficentiam ac mutuum amorem. Vos certe [8] rogamus in quocunque vniuersi loco sitis, seu etiam in vniuerso, vt credimus, nos quoque respicite, & ad animi tranquillitatem nostram vitam deducite, peccatorum expertem, rectis factis & bonis operibus plenam, diuinis dignam oculis: vt in hac vita nobiscum festum perpetuò celebrantes, in futuro bona quoque promissa consequamur: Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cum quo patri simul cum sancto Spiritu gloria, potentia, & honor nunc, & semper, & in secula seculorum. AMEN.

8 Ecce quomodo sanctos Apostolos inuocat, ne se putet iniuriã facere Domino Iesu Christo, vt nouatores nostri somniant.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani Chrysostomi encomium sanctorum & principum Apostolorum Petri & Pauli.

Apud Simeonem Metaphrasten.

COELI & terræ video certamen propter præsentem celebritatem memoriæ Apostolorum, cœlestibus quidem virtutibus laudantibus,& bonis verbis prosequentibus doctrinā laboris eorū,vtpote quod per eos cognitum fuerit carnis à verbo susceptæ mysterium , quomodo clamat Paulus: Vt innotescat nunc principatibus & potestatibus in cœlestibus per Ecclesiā multiplex Dei sapientia: qui sunt autē in terra,hominibus contendentibus per commemorationem , summis Apostolis dignas laudes adferre, vt qui per ipsos redierint ad salutem.Quid enim est Petro maius?Quid verò potest cōferri cum Paulo? qui quidem opere & sermone omnem naturam creatā vicêre tam in cœlo, quàm in terra: qui luto corporis implicati,vel ipsis Angelis inuenti sunt maiores. Quid ergo dicemus magistris naturæ creatæ tam internæ quàm supernæ? Non inuenio orationem dignam ad laudādum eos qui nostrum genus laudauêre: qui vniuersam terram & mare obiêre,& peccatorū radices euellêre, & pietatis semina deiecere in cordibus hominū qui erant increduli. Petrus magister Apostolorum,Paulus cognitor œconomiæ supernarum virtutum.Petrus frenum ingratorum Iudæorum , Paulus adhortatio gentium . Vide autem excellentem Domini sapientiam. Petrum quidem elegit ex piscatoribus: Paulū autē ex ijs qui consuëbant tabernacula.Et quod electionis quidem apparet,est ex his artibus:quod autē intelligitur,est valde admirabile,quia Dei quoque est electio.Quoniam enim obruebatur gloria Iudæorum, piscatori commisit Deus, vt scrutaretur profunda maris, quod percipitur intelligenti,dicens ei: Vade ad mare,& iace hamum,& cùm qui ascenderit,primum piscem sustuleris,aperi os eius,& inuenies staterem.Mare dicens,mentem Iudæorum instabilem: hamum autem, doctrinæ verbum artificiosum: & piscem, legem. Aperire autem os eius, significat eam interpretari: quomodo rursus in eo inuenire staterem,significat examinare ipsam spiritualiter. Paulo autem vtpote sutori tabernaculorum, totas gentes tradidit,vt eos qui lege & gratia nudati erant,pelle induerat coccinea,quæ aqua & sanguine Domini tincta fuerat. Audiuit enim ipse quoque Dominū ad ipsum clamantem: Ad gentes procul ego mittam te.O beata Dyas,cuius fidei sunt creditæ animæ mundi vniuersi.Petrus principium fidei orthodoxæ,magnus interpres sacrorum Ecclesiæ,Christianorum necessarius conciliarius, thesaurus supernarum virtutum, qui fuisti honoratus à Domino Apostolus. Paulus magnus præco veritatis, orbis terrarū gloriatio, qui es homo in cœlis,& Angelus super terrā,gloria Ecclesiæ,qui volas aquila in excelsis,qui es lyra spiritus, qui es hirundo & cicada, qui instrumentum Dominicum,qui vigilans Christi minister. Paulus & Petrus iuncti boues Ecclesiæ, qui vniuerso orbi terrarum bonam intulerunt negotiationem, qui crucē pro iugo sustulerunt:pro onere autem,nomen Saluatoris:pro collaribus verò,testamentum scripturarum: pro stimulo,gratiam spiritus. Paulus & Petrus,qui Ecclesiā indies lætificant , receptacula spiritualia , orbis terræ publica diuersoria , sanctæ interpretandæ Trinitatis instrumenta,à Deo Verbo susceptæ carnis œconomię interpretes.Petrus,amor meus spiritalis:Paulus vas electionis,meus baculus.Petrus,templū Dei: Paulus os Christi, qui es trium cubitorum,& ad tertium cœlum peruenis: qui loco circumscriberis,& mundum vniuersum Domino circumscribis: qui ab Hierusalem, & circumcirca vsque ad Illyricum sparsisti Euangelium, qui es velox cursor , qui diuina es impletus gratia . Cui fecit Dominus testimonia quòd portes nomen eius in conspectu totius orbis terrę:qui tertium cœlum peruasisti,& ingressus es in paradysum,& vsque ad Dominicam, quæ mente comprehendi non potest,cathedram ascēdisti,& arcana mysteria audisti,quæ non licet homini loqui. Quid autem de Petro quoque dicemus,qui est dulce Ecclesię spectaculum?Is reuerà est lampas vniuersæ terræ,alba & casta columba, acris & vehemens Apostolus,feruēs spiritu,Angelus & homo,gratia plenus,solida petra fidei,vetustus Ecclesiæ sensus. Qui beatus es,& columbæ filius propter castitatem, audijsti ex ore Domini,qui claues regni cœlorum accepisti à Domino . Vos Angelorum ordines spoliastis . Et quid dicam amplius? Vos laudat ipse Dominus : Vos estis lux mundi, dicens . Qui estis potentiores Regibus, fortiores militibus,ditiores diuitibus,sapientiores philosophis,eloquentiores oratoribus: qui nihil habetis, & omnia possidetis . Vos estis martyrum tolerantia , Patriarcharum orthodoxa sententia, monachorum exercitatio, Virginum coronatores, eorum qui sunt matrimonio coniugati,pacificatores,raptorum refrenatores,intemperātium castigatores,

tegumentum Regum, muri Christianorum, Barbarorum aduersarij, qui chamum hæreticis imponitis, qui à ratione alienas morte afficitis animi perturbationes, qui legiones dæmonum expulistis, qui aras idolorum diruistis, qui & infra & supra diuites fuistis, vt qui superorum quidem claues acceperitis, eorum autem qui sunt infrà, soluendi & ligandi peccata, potestatem habetis. O rudis idiotæ miraculum. O illiterati sapientia. Petrus vmbra sua paralyticos astringit, & soluit mortem. Paulus vestimentis suis morbos expellit, & fugat dæmones. Qui intermediam habetis matrem Domini, & quouis iusto spiritu estis præstantiores, columnæ Ecclesiæ, magna orbis terræ lumina. Qui vobis inuicem estis præstantiores, & simul omni creata natura meliores. Gaudeas Petre, petra fidei. Gaudeas Paule, gloriatio Ecclesiæ, qui mala innumerabilia propter ipsam sustinuistis, in carceribus inclusi, à Iudæis odio habiti, à Barbaris tracti & raptati, à Regibus cæsi, & ignominiã passi, quibus nec facilè quidẽ licuit respirare, nec permissum fuit cessare à doctrina, qui propter pondus vinculorum membra mouere non poteratis, & omnem orbem terrarũ peccato alligatum vestris soluebatis epistolis. Vos dæmonũ phalanges fudistis, per vos sancti spiritus gratia diffusa est in orbem terræ, caliginem erroris vos è terra contraxistis. Quásnam ergo vobis referemus gratias, qui tantũ propter nos laborastis? Memini tui Petre, & obstupesco: recordor tui Paule, & mente emotus opprimor lachrymis. Quid enim dicam, aut quid loquar, vestras contemplans afflictiones, nescio. Quot carceres sanctificastis? Quot catenas decorastis? Quot tormenta subijstis? Quot maledicta tolerastis? Quomodo Christum portastis? Quomodo prædicatione Ecclesias lætificastis? Sunt benedicta vestræ linguę instrumenta. Sanguine conspersa sunt membra vestra propter Ecclesiam. Vos sine defectu imitati estis Christũ in omnibus. In omnẽ terrã exijt vester sonus, & verba vestra in fines orbis terræ. Inseparabilem, quæ ei à vobis est desponsa, Christus conseruet Ecclesiam. Nemo ante vos, neq; post vos talis apparuit. Quis enim sermonẽ, qui in docendo versatur suscipiens, ausus est aliquid dicere absque vestra traditione? Vos omnes effecistis magistros: nostram vicit cæcitatem vestra tolerantia: vt qui optaretis esse anathema, vt mundũ lucraremini. Quid de cœtero vobis retribuemus pro omnibus bonis quæ nobis tribuistis? Fit hodie commemoratio vestrę decertationis. Gaudeas, Petre, cui datũ est, vt ligno crucis Christi fruereris. Et ad magistri quidem similitudinem voluisti crucifigi, non recta tamen figura, sed potius capite demisso deorsum: tanquàm qui à terra in cœlum iter faceres. Beati claui, qui mẽbra tua penetrarunt mihi desiderabilia, & quæ cœlesti gloria sunt mihi præstantiora. Tu qui cum omni fiducia in manus Domini animam tradidisti: qui indiuulse Domino seruijsti, & ei desponsæ Ecclesiæ: qui diligis Dominũ: qui ferues spiritu: qui es Domino fidelissimus omnium Apostolus. Gaudeas, Paule, cui beatũ caput fuit ense amputatũ, cùm homo esses, quem verba enarrare non possunt. Quisnam ensis tuũ guttur peruasit discernendi maxima potestate præditum, Dominicum instrumentum, quod à cœlo habetur in admiratione, & quod terra reueretur? Quisnam locus tuum excepit sanguinẽ, qui cruentauit quidem exteriorem tunicam Barbari, qui te palo affixit: atrã autem eius animæ vestẽ dealbauit modo inexplicabili, & vsqueadeò vt lucẽ fidei indueri, & ea citra inuidiã cõtribules impertierit. Sit mihi ensis ille pro corona, & claui Petri pro lychnitibus gemmis infixis in orbem diadematis, & illustrantibus formã meam ex peccato turpissimã. Non est nobis ó venerandi Apostoli, oratio, neq; mens sufficiens, vt aliquid suppeditet ad vobis agẽdas gratias. Egeni sumus omnis doni, quod offeratur excellentibus potestatibus. Mutuò date vos, qui estis verè diuites, indigentibus, vel potius donate: Neque enim possumus mutuum reddere. Et si beatas voces à vobis acceperimus, exclamabimus: Salue beata biga, quæ vna es anima in duobus corporibus, Petre, & Paule. Saluete vos semper in Domino, sine intermissione pro nobis rogamus 9 orate. Promissa vestra implete: Sũt enim hęc vestra conuenta: vnius

9 *Ecce quomodo rogat sanctos Apostolos, vt pro nobis orent.*

quidẽ hoc, Venite mecũ, & bonis ne deficiamur: alterius verò illud, Studebo post meum aduentum vestri facere mentionem. Pactorum ergo conuentorum nolite obliuisci, sed Trinitati principio carenti nullo intermedio assistentes, petite quæ sunt nobis omnibus salutaria: in Christo Iesu Domino nostro, quem decet gloria in secula seculorum. Amen.

ENCOMIVM SANCTORVM ET PRINcipum Apostolorum Petri & Pauli.

PETRVM & Paulum discipulos Domini laudare quidem est laudabile & beatum: scopum autem assequi, est arduum & difficile, quandoquidem vis laudationum ex rebus inferioribus & terrenis sumitur. Quibus autem totus mũdus est crucifixus, quomodo eis fuerit grata laus, ducta ex ijs quæ habuêre contẽptui? Quisnã verò, vt par est, eorũ aggressus fuerit encomia, qui

qui laudem ſortiti ſunt ab ipſa per ſe ſapientia, Chriſto verè magiſtro : poſt quem omnis mortalis oratio ex illius participatione paruum quendam ſuſcipit ſplẽdorem, conuenientem eius prompto, qui id ſuſcipit, ſtudio ? Quorum alter quidem dignus eſt habitus, vt beatus pronunciaretur, & cœlorum quæſtor conſtitueretur : Alter autem ſegregatus in vas electionis, diuinum vehiculum ad omnem vſum Dei conſtitutum appellatus fuit vtiliſsimum. Quid ergo? Quoniam eorum magnitudo ad tantam peruenit altitudinem, quæ ad eos pertinent mãdabimus ſilentio: quoniam ita eſt comparatum, vt in rebus maximis ſilentio honoretur earum ſumma excellentia. Quid verò lucri ex hoc redibit ad eos, qui illorum ardenti amore inflammantur ? qui & ijs qui [10] feſti præſentem congregauére celebritatem, vident cœlum extingui, & periclitari eis cupiditatem, eò quòd ſit ceſſatio. Si enim ſunt apud ipſos otioſæ leges encomiorum : res autem maximas eſſe quietè tractandas cenſuit Sapiẽs, & vetus oratio, ſilentio potius quàm ſermone eis honorẽ tribuẽs: neceſſe eſt, vt vnà deſinant feſti lætitiæ indicia, & quodcunque in vitam ſordidam & abiectam, in pauperes, inquam, in tali feſto effunditur fluentum benignitatis, & quicunque ſonus in tabernaculis iuſtorũ vocis exultationis & confeſsionis celebratur. Ne hæc ergo omnino contemnantur, & vobis à nobis hanc gratiam petentibus, id quod deſideratis, omnino deſinat in deſperationem, age, age veluti quoddam modicum medicamentum ægritudinis animi vobis adhibentes, ea philoſophemur quæ feſto conueniunt, onus quidem fortaſſe, quod vires ſuperat, ſubeuntes. Sed veſtris confirmati precibus, non deſperamus fore, vt aliquid vtile adducamus. His ergo omnibus prætermiſsis, quæ nos à re propoſita aggredienda retardant, nouum quoddam & alienum ſuſcipientes argumentum, ſi ipſos qui laudantur, cum nobis ipſis, in rebus ab eis præclarè geſtis cõparauerimus, quod noſtros pellat dolores, inueniemus. Erit autem hoc, quomodo? Cùm primam vtriuſque vocationem, tanquam ex qua ſit genus eorum deriuatum, primo loco poſuerimus, per quam ipſi & ad veriſsimam lucem nacti ſunt progreſsionem, & per hoc ad virilem ætatem peruenientes, diuinæ prædicationis ſuſcepêre plenitudinem : ne videamur procul diſcedere à legibus encomiorum, aggrediemur ad eam quæ nos vrget, gratiam. Ad eum qui eſt Deus & homo, Petrus eſt deductus, vt eius diſcipulus, fratre vtens veluti quodam ſatore partus Euangelici. Quinetiam Paulus non vtique opus habuit alio, qui ad hoc inſeruiret: ſed eo ipſo, qui eum aſſumpturus erat ad Apoſtolatum, ictu oculorum per fulgur ſtuporem afferendo, ipſum, qui prius erat fera agreſtis, conuertente ad manſuetudinem. Et quid hoc, & quomodo? Nam mitis quidem & facilis erat Petrus, nec tanto tuendæ legis zelo tenebatur, vt aduerſus ſtimulos calcitraret nõ ſentiẽns. Paulus autem cùm ſerò quidem didiciſſet quod oportebat, fracta autem nimia eſſet eius audacia, tantus viſus eſt in ſeruiendo ei quod eſt melius, quantus fuit ad impediendam prius prædicationem. Exegit vmbra Petri morbos: ſed veſtium quoque Pauli ſuperficies, & ſemicinctia erãt ijs qui homines vexabant morbis terribilia. Atque hæc quidem eſt (vt dixerit quiſpiam) eorum in genere comparatio. Quænam autem ea quoque fuerit, quæ poſt illam fuit laudabilis aſſumptio, licet ex ijs quæ deinceps ſequuntur intelligere. Magnus Petrus, qui dignus eſt habitus qui beatus pronunciaretur, cui fuerunt creditæ claues regni cœlorũ, & à quo licet hominibus conſequi quicquid refertur ad id quod eſt melius. Non minor eſt Paulus, qui vt vas eſſet electionis, ab eo ipſo eſt ſegregatus, audaciq; & periculoſo conatu contendendo aduerſus gentes, & Reges reſiſtentes, perfecit viam Euangelij. Diuiniſsimus Petrus, qui ad templũ legale, ei qui ab vtero matris erat claudus pedibus, integram reſtituit ſanitatem. Gratia eſt digniſsimus Paulus, qui claudo qui erat Lyſtris, fecit ſimile miraculum. A Deo fuit adiutus Petrus, qui ab Angelo Domini fuit liberatus ex carcere Herodis, & à cædem ſpirantium Hebræorum expectatione. Non minor eſt Paulus, qui ſporta fuit è muro demiſſus, qui ipſe quoque ab Angelo Dei, etiamſi cum carne, in hac fuerit actione directus: ſiquidem cum, à quo impijs inſeruitur operibus, ad Angelum Domini referunt labra à Deo mota. Sed quid hoc, & quánam de cauſa Dominus vtriuſque tantam in his gerit curam? Num vt ſicut Petrus circũciſioni, ita etiam Paulus præputio edat quod ſit probatum: & ſic quæ & ſentẽtia & vita erant diſtincta, concordem referrent & conſentientem Dei cognitionem? Admirabilis eſt Petrus, qui linteo è cœlo dimiſſo pleno omnis generis animantibus, caſtigatus fuit, & didicit eſſe indifferentem cum gentibus communionem. Non minor eſt Paulus, ſi non etiam maiorem dicere ſit religio, qui in tertium cœlum raptus, eorum quæ dici nequeunt ijs qui ab ipſo initiabantur, in tempore aperit myſterium. Venerandus eſt Petrus, qui Thabitam ſuſcitauit. Quid verò ? Num à tergo eius relinquitur Paulus, qui Eutychũ, qui cùm feneſtra cecidiſſet, vita exceſſerat, in vitam reuocat? [11] Romæ repreſsit Petrus Simonem ab arte magica. Qua de cauſa ad ſuum quoque abijt Dominum, cruce ſubiens magiſtri paſsionem. Paulus quoque eduxit Philippis mulierem,

10 Nota celebritatem feſti Apoſtolorum Petri & Pauli,

11 Romæ repreſsit Petrus Simonem ab arte magica.

quæ instar Pythiæ dabat responsa, ab errore quo populum tenebat irretitum. Qua de causa & virgis cæsus fuit crudeliter, & ense rursus ei caput amputatur, vt qui eam inuenerit mercedem, quòd ex Cæsaris familia quosdam Christo conciliasset. Deficiet me tempus, & ante tempus deficientis verbi fluxus, qui quidem à graui senectute recisus omnino defecisset, nisi vestrarũ precum vires, vt hæc dicerem, concessissent. Confirmarunt enim, vt propoheticè dicam, manus remissas, & genua dissoluta, mentem, inquam, meam quæ imbecillitate corporis simul euasit imbecilla, vt diuino vestro satisfacerem desiderio. Id quidem quod sperastis, præstiti: aut parum abest, quin id sim assecutus: vestra est hæc, & non mea gloriatio, qui me ad hoc induxistis, & nostram planè resolutam & imbecillem, ac defectam ætatem vestra ad Deum fiducia roborastis. Sin autem à scopo procul aberrauimus, indignitatis nostrę infœlicitati id est attribuendum, quæ ita multitudine malorum est cõturbata, vt ne in precibus quidem possim iusti munus implere. Sed quomodocunq; res se habeat, Gloria principij experti patri, & coæterno filio, & qui cũ eis est coæternus, diuino & bono spiritui, vni diuinitati in Trinitate, & quæ non potest diuidi, quæ vitam præbet omni spiritui, & ab omni creata natura colitur & adoratur, nunc & semper & in secula seculorum. AMEN.

VITA DIVI PETRI APOSTOLORVM Principis, per Diuum Hieronymum scripta.

Habetur in lib. eiusdẽ de viris illustribus.

SIMON Petrus, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ Apostoli, & princeps Apostolorum, post Episcopatum Antiochensis Ecclesiæ, & prædicationem dispersionis eorum qui de circuncisione crediderant, in Ponto, Galatia, Cappadocia, Asia, & Bithynia, secũdo Claudij anno, ad expugnãdum Simeonem Magum pergit, [1] ibiq; viginti quinque annis cathedram sacerdotalem tenuit, vsque ad vltimum annum Neronis, id est, decimumquartum. A quo & affixus cruci, martyrio coronatus est, capite ad terram verso, & in sublime pedibus eleuatis: asserens se indignum, vt sic crucifigeretur vt Dominus suus. Scripsit duas epistolas, quæ Catholicæ nominantur, quarum [2] secunda à plerisque eius esse negatur, propter styli cum priore dissonantiam. Sed & Euangelium iuxta Marcum, qui adiutor eius & interpres fuit, huius dicitur. Libri autem eius, è quibus vnus Actorum eius inscribitur, alius Euãgelij, tertius prædicationis, quartus Apocalypsis, quintus Iudicij, inter apocryphas scripturas reputantur. Sepultus Romæ, in Vaticano, iuxta viam triumphalem, totius vrbis veneratione celebratur.

1 Vbi sunt pseudoprophetæ nostri tẽporis, qui negãt Petrum aliquãdo Romæ fuisse? Cùm id non ex hoc loco tãtum, verùm ex Egesippo quoque, Tertulliano & Ambrosio ac cæteris antiquißimis & probatißimis patribus asseratur.

2 Si secũda Petri epistola à plerisq; eius esse negatur, tu cum Ecclesia tene illius esse, quod & D. Hieronymus tenet in epistola ad Paulinum, & D Aug. in lib. de fide & operibus.

VITA SIMONIS PETRI APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in lib. eiusdem, de patribus noui testamenti.

SImon Petrus obediens vel agnoscens, filius Ioannis, frater Andreæ, ortus vico Bethsaida prouinciæ Galileæ, quæ est iuxta stagnum Genezareth, cuius prima vocatio nominis Bar-Iona, legis directa generatio est. Petrus, in Christi Ecclesia firmamentum est. Cephas corporis Christi principatus, & caput est Simon Ioannis, virginitatis generatio incorrupta est. Qui dum [1] iuxta Ioannem habeatur tertius, circa Matthæum legitur primus: nec immeritò, quia Apostolorum princeps est, & confessor primus, filij Dei discipulus, pastor humani generis, petra Ecclesiæ, clauicularius regni, amator Domini atque negator, confitendo laudatus, prçsumendo elatus, negando lapsus, lachrymando purificatus, confessione probatus, passione coronatus: cui nomen ex opere datur, titulus ex merito potestatis imponitur. Hic in Galatia, Ponto, Cappadocia, Bithynia, Asia, atq; Italia Euangelium prædicauit, atque his virtutibus magnus effulsit. Pendulo gressu feruidum mare calcauit. Præteriens vmbra sua languidos sanauit. Claudis pristinũ reintegrauit officium. Paralytici fluida membra in proprium reparauit statum. Inter hæc defunctam viduam suscitauit: Ananiam & Saphiram reos perfidiæ mortis etiam aduersione dãnauit, Simonem etiam magicis artibus cœlum conscendẽtem, ad terram elisit. Hic postquam Antiochenam fundauit Ecclesiam, sub Claudio Cæsare contra eundem Simonem Magum Romam pergit, ibique prædicans [2] Euangelium, viginti & quinque annis eiusdem vrbis tenuit Pontificatum. Sexto autem & trigesimo anno post passionem Domini à Nerone Cæsare in vrbe Roma deorsum, vt ipse voluit, verso capite crucifixus est. Sicque post Apostolicum meritũ, etiam martyrio coronatur. Sepultus Romæ in Vaticano, secus viam triumphalem, tertio lapide ab vrbe, ad Orientalem plagam.

1 Quod Petrus apud Matthæum legitur Apostolorũ primus, id est dignitatis prærogatiua, non ordine vocationis. Nam primò vocatus est Andreas, aut saltem simul cum Petro, & vt hic dicit Isidor⁹, apud Ioannem Petrus tertius ponitur.

2 Habes hic tria contra sciolos nostri tẽporis, nempe Petrum Romæ fuisse, ibiq; Euangeliũ prædicasse, Romæ martyrio coronatum, Romæ etiam fuisse sepultum.

ITEM

ITEM DE BEATISSIMO APOSTOLO PETRO, per Diuum Ambrosium Episcopum Mediolanensem.

Habetur in lib. homiliarũ eius de sanctis.

DIximus fratres, quòd ad similitudinem Euæ Petrum ostiaria mulier quoque deceperit: & sicut Adam fœmina circunscripsit, ita & Apostolum fœmina circunuenerit. Vsitatus enim ad decipiendum sexus est, fraudis suæ vasculum in ostiaria diabolus recognouit. Fides verò non nisi per mulierem oppugnari consueuit. Ibi Adam per Euam superat, hîc Petrum vincit per ostiariam. Fuit enim, sicut legimus, in paradyso delitiarum diabolus: Nec defuit, sicut intelligimus, in prætorio Iudæorum. Ibi imminebat satanas serpens, hîc Iudas coluber perurgebat: est ergo eadem similitudo deceptionis in Petro, quæ in Adam fuit, quoniam eadem est & similitudo mandati. Accepit enim à Domino vterque mandatum, Adam ne tangeret: Apostolus, ne negaret. Ille ne lignum scientiæ præsumeret, hic ne crucem sapientiæ præteriret: sed transgrediens vterque præceptum, pari modo delinquũt. Gustat ille quod non licet, loquitur iste quod non decet, & tamen facilior negatio Petri, quàm Adæ præuaricatio. Citius enim Apostolo, quàm protoplasto subuenitur. Hunc etenim Deus ad vesperum requirit errãtem, illum Dominus pullorum cantu denegantem. Adam reus facti nudus erubuit, Petrus conscius dicti correctus ingemuit. Ille deprehensus festinat ad latebras, hic tanquam emendatus prorumpit ad lachrymas. Velut latenti enim & celanti à diuinitate Adæ dicitur: Adam vbi es? Non quòd Adam conspectum Domini latêre potuerit, sed quòd peccatrici conscientiæ nullus locus tutus vel certus sit, dum metuit deprehendi. Respexit Dominus, & apertis oculis eius emendat, quia scriptum est: Oculi Domini super iustos, & aures eius in preces eorum. Ergo Petrus prorupit ad lachrymas, nihil voce precatus. Inuenio enim quòd fleuerit, non inuenio quid dixerit. Lachrymas eius lego, satisfactionem [1] non lego. Rectè planè Petrus fleuit & tacuit, quia quod defleri solet, non solet excusari: & quod defendi non potest, ablui potest. Lauat enim lachryma delictum, quod voce pudor est confiteri. Lachrymæ ergo verecundiæ consulunt pariter & saluti, nec erubescunt in petendo, & impetrant in rogando. Lachrymæ, inquam, tacitæ quodammodo preces sunt, veniam non postulant, & merentur: causam non dicunt, & misericordiam consequuntur, nisi quòd vtiliores lachrymarum preces sunt quàm sermonum, quia sermo in precando fortè fallit, lachryma omnino non fallit. Sermo enim interdum non totum profert negotium, Lachryma semper totum prodit affectum. Et ideo Petrus iam non vtitur sermone quo fefellerat, quo peccauerat, quo fidem amiserat, ne per id ei non credatur ad confitendum, quo vsus fuerat ad negandum, ac per hoc mauult causam suam flere, quàm dicere: & quod voce negauerat, lachrymis confiteri. Inuenio autem & aliud cur tacuerit Petrus, ne tam citò veniæ postulatio per impudentiam plus offenderet, quàm impetraret. Solet enim citius mereri indulgentiam, qui verecundius deprecatur. In omni [2] igitur culpa antè flendum est, & sic precandum. Scimus iam hoc exemplo quemadmodum nostra peccata curemus. Ecce nihil nobis Apostolus nocuit quòd negauit, & plurimum profuit quòd emendauit. Denique imitemur eum dicentem alibi: Cùm enim tertiò interrogaretur à Domino, Simon amas me? Respondit tertiò: Domine tu scis quia diligo te. Ait Dominus: pasce oues meas. Et hoc tertiò, quod quidem dictum ad compensationem prioris profecit erroris. Qui enim Dominum tertiò negauerat, tertiò confitetur: & quotiens culpam delinquendo contraxerat, totiens gratiam diligendo conquirit. Videte ergo quantum fletus profuerit Petro: antequam fleret, lapsus est: posteaquàm fleuit, electus est: & qui ante lachrymas præuaricator extitit, post lachrymas pastor assumptus est: & alios regendos accepit, qui prius se ipse non rexit.

1 Ecce hæreticorũ Achillem contra fidelium satisfactiones. Sed non astipulatur verbũ Ambrosij sententiæ eorum. Non enim hic satisfactionem accipit pro opere pœnali vindicatiuo delicti patrati in se, sed pro excusatione, qua ratio redditur alicuius operis commissi, quemadmodum alibi Paulus ait: Bono animo pro me satisfaciam. Quodque hæc sit Ambrosij inëtio, vel ex verbis collige quæ hic subdũtur. Rectè planè fleuit, & tacuit, quia quod defleri solet, nõ solet excusari. Et quod defendi nõ potest, ablui potest. Ipsi autem fletus & lachrymæ Petri, quid aliud fuerũt quã veræ pro peccato cõmisso satisfactio? Non igitur tolluntur in hoc loco satisfactiones, imo stabiliuntur magis.

2 Si in omni culpa ante flendum est, & sic precãdum, ergo in omni culpa requiritur satisfactio.

ITEM DE EODEM, EX DIVO Ambrosio prædicto.

Est sermo 47. in ordine sermonũ eiusdem.

ASstruximus superiore Dominica, sanctum Petrum in Saluatoris passione sine erroribus profecisse, & posteaquàm negauit Dominum Deum, fuisse meliorem. Fidelior enim factus, postquàm fidem se perdidisse defleuit: atque ideo maiorem gratiam reperit, quàm amisit. Tanquam bonus enim pastor tuendum gregem accepit, vt qui sibi antè infirmus fuerat, fieret omnibus firmamentum: & qui ipse interrogationis tentatione nutauerat, cæteros fidei stabilitate fundaret. Denique pro soliditate deuotionis Ecclesiarũ, [3] petra dicitur, sicut ait Dominus: Tu es Petrus, & super hanc petrã ædificabo Ecclesiam meam. Petra enim dicitur, eò quòd primus in nationibus fidei fundamenta posuerit,

3 Petrus fuit petra, super quã fundata fuit ecclesia.

posuerit, & tanquam saxum immobile totius corporis Christiani compagem molemque contineat. Petra ergo pro deuotione Petrus dicitur: & petra pro virtute Dominus nuncupatur, sicut ait Apostolus: Bibebant autem de spirituali consequente eos petra: Petra autem erat Christus. Rectè consortiũ meretur nominis, qui consortium meretur operis. In eadem enim domo Petrus fundamentum posuit, Petrus plantat, Dominus incrementum dat, Dominus irriguum subministrat. Petrus enim tentationibus suis proficit, fletibus suis gaudet, periculis suis crescit. Sic namque in mari dum super vndas temerarius viator ingreditur, nutat incessu, sed conualescit affectu: periclitatur corpore, sed deuotione non labitur: mergitur pedibus, sed Christi dextera sustentatur. Sustentat fidem, quem vnda mergebat: & quem fluctuum procella turbabat, Saluatoris dilectio confirmabat. Ambulauit enim in mari Petrus magis dilectione quàm pedibus. Non enim videbat vbi pedum vestigium poneret, videbat autem vbi figeret vestigium charitatis. In naui enim positus considerat Dominum, & amore eius ductus descendit in mare, non cogitat labentes aquas, non fluenta currentia: & dum Christum respicit, non respicit elementum. Credit fide etiam inter vndas, non tamen turbatur Petri semita quę ducit ad Dominum. Ambulat igitur super aquas Petrus, & sub pedibus eius mollis vnda non cedit. Legimus in veteri testamento filios Israël per mare rubrum siccis itineribus ambulasse, & ad securitatem gradentium ne laberetur vnda, in soliditatem quandam eam fuisse mutatam. Quantò hoc melius, vbi ambulante Petro nec mutatur vnda, nec labitur, nec solidatur aqua, nec refugit? Melius, inquam, est, vbi eadem vnda quæ fluctuat & sustentat, vbi idem gurges qui mergitur & famulatur. Illic vt portaretur per mare populus Israël, meatum suum natura perdiderat: hîc portatur in aquis Petrus, & cursum suum fluenta non perdunt. Temerarius ergo viator Apostolus, noui itineris viam capit, modò curuati gurgitis molem ascendit, modò subsidentis sinus vndam descendit, & inter marinos fluctus ascensus illi itineris descensusque non deest: sed vbi turbatus ventis, exagitatus procellis incipit timere quod credit, statim ei gurges subtrahitur, vnda subducitur. Mox defatiscẽte fide, fatiscit semita, tunc exclamans Dominum Iesum, saluum se fieri deprecatur, quem apprehensum manu Saluator liberat, & obiurgat dicens: Modicæ fidei quare dubitasti? Hoc est, cur tam paruæ fidei es, vt qui credendo mare ambulare cœperas, non id perseuerando transires? Scriptum est enim: Qui perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit: sed dum cunctaris & dubitas, iter quod ingressus fueras perdidisti. Cur, inquam, tam modicæ fidei es, vt non ea fide qua venire cœperas, peruenires? Intellige ergo quod in mari crudelitas, quæ portabat, perfidia submergebat. Igitur fratres, sanctus Petrus dum fluctuat, dum mergitur, dum periclitatur, sic peruenit ad Dominum, ostendens nobis quòd non nisi per pericula properatur ad Christum. Multi enim diabolici fluctus sunt in hoc mundo, tentationum multa naufragia, à quibus ita liberari possumus, si clamantibus manum suam Saluator extenderit. Nos ergo clamare ad Dominum non cessemus, ille auxilium solitum non negabit.

ITEM DE BEATO PETRO Apostolo, per eundem.

Ex oratione D. Ambrosij de tradendis basilicis, quæ habetur lib. 5. epist. eius.

ADuertis quòd seruulos Christi ij magis custodiant qui non videntur, quàm qui videntur? Sed & illi si custodiunt, vestris custodiunt orationibus aduocati. Legistis nempe eos ipsos qui Helizæum quærebant, ingressos esse Samariam ad eum ipsum quem capere gestiebant. Cui non solùm non potuerunt nocere, sed ipsius aduersus quem venerant intercesione seruati sunt. Petrus quoque Apostolus vtriusque rei vobis edat exemplum. Nam vbi eum Herodes quæsiuit & cepit, recipit in carcerem. Non enim recesserat Dei seruulus, sed steterat timoris ignarus. Orabat [1] pro eo Ecclesia, sed Apostolus in carcere quiescebat: quod est indicium non timentis. Missus est Angelus qui dormientem excitaret, per quem Petrus productus è carcere, mortẽ ad tempus euasit. Idem Petrus postea victo Simone cùm præcepta Dei populo seminaret, doceret castimoniam, excitauit animos gentilium: quibus eum quærentibus, Christianæ animæ deprecatæ sunt, vt paulisper cederet. Et quamuis esset cupidus passionis, tamen contemplatione populi precantis inflexus est. Rogabatur enim, vt ad instituendum & confirmandum populum se reseruaret. Quid multa? Nocte muro ingredi cœpit, & videns sibi in porta Christũ occurrere, vrbemque ingredi, ait: Domine quò venis? Respondit Christus: Venio iterum crucifigi. Intellexit [2] Petrus ad suam crucem diuinum pertinere responsum. Christus enim non poterat iterum crucifigi, qui carnem passione susceptæ mortis exuerat. Quòd enim mortuus est, mortuus est semel: quod autem viuit, viuit Deo. Intellexit ergo Petrus, quòd iterum

1 Orabat pro Petro Ecclesia, ergo res bona oratio, & non superflua.

2 Hoc factum Romæ contigit, quo etiam in loco vsq; hodie extat sacellum extra portam Appiam in huius rei memoriã extructũ, quod vulgo Domine quo vadis appellatur.

iterum Christus crucifigendus esset in seruulo. Itaque sponte remeauit, interrogantibus Christianis responsum reddidit, statimq; correptus per crucem suam honorificauit Dominum Iesum. Videtis igitur quòd in seruulis suis pati velit Christus.

ITEM ADHVC DE BEATO PETRO Apostolo ex Arnobio.

Habetur hæc in lib. 2. Arnobij aduersus Gētes.

ENumerari possunt, atque in vsum computationis venire ea quæ in India gesta sunt, apud Seras, Persas, & Medos, in Arabia, Ægypto, in Asia, Syria, apud Galathas, Parthos, Phrygas, in Achaia, Macedonia, Epyro, in insulis & prouincijs omnibus, quas Sol oriens atque occidens lustrat, ipsam denique apud dominam [3] Romam, in qua cùm homines sint Numæ regis artibus, atque antiquis superstitionibus occupati, non distulerunt tamen res patrias linquere, & veritati coalescere Christianæ. Viderant enim cursum Simonis Magi, & quadrigas igneas, Petri ore difflatas, & nominato Christo euanuisse. Viderant enim, inquam, fidentem dijs falsis, & ab eisdem metuentibus proditum pondere præcipitatum suo, cruribus iacuisse præfractis, post deinde perlatum Brundam, cruciatibus & pudore defessum, ex altissimi culminis se rursum præcipitasse fastigio. Quæ omnia vos gesta neque scitis, neque scire voluistis, neque vnquam vobis necessaria iudicastis: ac dum vestris fiditis cordibus, & quod typhus est, sapientiam vocatis, dedistis circunscriptoribus locum, illis, inquam, noxijs, quorum nomen interest obsolefieri Christianum, superfundendi caligines, atque obscurandi res tantas, eripiendæ vobis fidei, subijciendiq; contemptus, vt quia sibi præsentiunt finem pro meritis imminere, vobis quoq; immitterent causam, per quam periculum adire possetis, & viduari benignitate diuina.

3 Ecce tu qui negas Petrū Romæ fuisse, cùm Arnobius recēseat eius conflictum quē ibi cū Simone Mago habuit. Sed quid hæretico homine impudentius?

VITA DIVI PETRI APOSTOLI PAPAE primi, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pōtificali eiusdem.

BEatus Petrus Apostolus, & [1] princeps Apostolorum, filius Ioannis, prouinciæ Galileæ, vico Bethsaida, frater Andreæ, primò sedit in cathedra Episcopatus Antiochiæ annis septem. Hinc beatus Petrus ingressus est in vrbem Romam, sub Claudio Cæsare, ibique sedit in Cathedra Episcopatus annis vigintiquinque, mensibus duobus, diebus tribus. Fuit autem temporibus Tiberij Cæsaris, & Gai, & Claudij, & Neronis. Hic scripsit duas [2] epistolas, quæ Catholicæ & canonicæ nominantur, & Euangelium Marci, quia Marcus adiutor eius fuit, & filius à baptismo. Post omnem quatuor Euangeliorum fontem, quæ ad interrogationem & testimonium eius (hoc est Petri) firmata sunt, dum alius Græcè, alius Hebraicè, alius Latinè scribentes consonat, omnia eius testimonio sunt firmata. Hic ordinauit duos Episcopos, Linum & Cletum, qui præsentialiter omne ministerium sacerdotale in vrbe Roma populo vel ad se venientibus exhiberent. Beatus autem Petrus orationi prædicatione populum erudiens vacabat. Hic cum Simone Mago multas disputationes habuit tam coram Nerone Imperatore, quàm coram populo. Et quos beatus Petrus ad fidem Christi aggregabat, ille per magias & deceptiones segregabat. Et dum diutius altercarentur, Simon diuino nutu interemptus est. Hic Petrus beatum Clementem Episcopum consecrauit, cui & cathedram, vel Ecclesiam omnem disponendam commisit, dicens: Sicut mihi gubernanda tradita est à Domino meo Iesu Christo potestas ligandi soluendique, ita & ego tibi committo, vt ordines dispositores diuersarum causarū, per quos actus nō Ecclesiastici profligentur, & tu minimè curis seculi deditus reperiaris, sed solummodò orationi & prædicationi ad populū vacare stude. Post hāc dispositionem martyrio cum Paulo coronatur post passionē Domini anno trigesimo octauo. Qui sepultus est in via Aurelia, in templo Apollinis, iuxta [3] locum vbi crucifixus est, iuxta palatium Neronianum, in Vaticano, iuxta territorium triumphale, tertio Kalendas Iulij. Hic fecit ordinationes per mensem Decembrem, presbyteros decem, Diaconos septem, Episcopos per diuersa loca numero tres.

1 Duo hic habes de beato Petro & quod princeps Apostolorū. & quod Romæ fuerit quorum vtrunque à nōnullis negatur, & perperā quidē.

2 Nota secundam Petri epistolam illius esse.

3 Nónne vides, si Petrus Romæ martyrio coronatus est?

SERMO IN ADORATIONEM VENErabilium Catenarum, & Gladij sancti, & Apostolorum Principis Petri.

Apud Simeonem Metaphrasten.

Quicunque

XVI. Ianuarij.

1 Nota diē festum S. Petri ad vincula.

QVICVNQVE diuino Apostolorum summi Petri amore allecti ad eius panegyrim, ac diem 1 festum celebrandum parati, & eius diuinis retibus capti, incolumesq; seruati, illius Theologiæ lumine illustrati sumus, communem panegyrim hodie celebrantes, ad eiusdem laudũ præconia linguam nostram dirigamus. Multis quidem de causis beati Apostoli Petri memoriam die festo & laudatione dignā esse censemus, non minimè autem propter Apostolicæ dignitatis gradum, & Euangelicæ prædicationis cursum, ac doctrinam, admonitionesque, quibus in dispersione gentium versantes Iudæos instruebat: illos enim eò maiore cura & solicitudine prosequebatur, quòd ex illis originē duxerat. Quæ omnia cùm ad laudum materiam suppeditandam idonea esse iudicentur, atque assumantur, omnino valent ad Apostolum ipsum summo laudationis præconio extollendum. Sanctum enim ac iustũ est eò quòd ex his quæ in lege diuina scripta sunt, eum qui ad salutē nobis conferendam in mundum venit, tanquam in speculo quodam perspexerit, summis & meritis honoribus Apostolũ ipsum prædicari: omnium verò maximè quòd in extremis temporibus Deum ipsum viderit, vnigenitum, inquam, Dei filium secum vnà versantem, ac loquentem, & humanę carnis, qua se induit, spectandæ, misterijq; cognoscendi facultatem præbentem: in quo & suam Ecclesiam pro diuinæ illius vocis præmio, qua ipsum Dei filium esse prædicauit, ædificaturũ se prædixit, & cœlorũ claues eius in se fidei arrabonem se illi daturum, & eorũ quæ ab ipso in terris ligata aut soluta fuissent, in cœlis sententiam confirmaturum promisit. Adde quòd vocanti fratri, & ad Messiam sequendum inuitanti libenter obediuerit, & vocationem illam sequens ad Christum venerit, & Cephæ appellationem, velut quoddam suæ in ipsum fidei signum atq; imaginem acceperit: quodq; ex eo tempore totus à magistro suo pendere, & eius amore inflammatus esse cœperit, ob idq; beneuolentiæ ardorem multis in rebus, ac sæpe talem ostenderit, qualem nullus alius ex discipulis ostenderat. Hæc etsi tam magna sunt, vt humanas cogitationes exuperent, & orationis facultate maiora videantur, non tamen talia omnino sunt, vt aditum nobis & viam obstruant. Ad nostram enim vsque imbecillitatem, & humilem captum se demittit omnium Apostolorum summus, non solùm propter commiserationem, qua præ cæteris nos homines prosequitur, sed etiam quòd magistrum suum imitetur, qui cùm vsque ad serui formam se demiserit, eo ipso discipulos suos edocuit, non elatos, sed modestos esse, & cum humilibus submissè atque humiliter se gerere. Hilaris quidem dies ille 2 festus est, & multo sancti spiritus lumine illustris, qui eius martyriũ nobis repræsentat, hoc est, crucem fixam, & Apostolum prompto animo ad eam ascendentem, manus ad extensionem vltrò expansas, & Dominicæ passionis imaginem præ se ferentes, figuram crucifixionis non rectam, sed capite in terram deuoluto: quæ res eius in magistrum reuerentiam significauit, cùm semper summus ille Apostolus magistro suo reuerentiam, & primas (vt par erat) concesserit, suamque humilitatem illius celsitati subiecerit, atque eo modo humilia & infirma magis quàm summa & sublimia optauerit. Nihilo autem hac ipsa hilaritate inferior est hodierna celebritas, quippe quæ eorum causas præmonstrat, quæ postremò Apostolus passus est: & non minus quàm crucis eleuatio, ea quæ antea passus fuerat, hæc indicat, quare & crux ipsa iucundior illi fuit, atque cæteris omnibus rebus optabilior. Hic enim dies venerandas eius catenas manifestas ostendit, & earum 3 adorationem proponit, quibus Apostolus ipse deuinctus, multiplices eius, quæ est malorum omnium origo, nodos ac machinas dissoluit, & quos diabolus astrictos tenebat, ereptos à morte sempiterna liberauit. Hæc pro diei festi argumento habentes, cùm crucifixionis causam his rebus conciliatam fuisse cognoscamus, & in vno eodemque Apostolo, tam hæc, quàm illa facta, & coniuncta contemplemur, ob id præsentem celebritatem à sacro martyrij die alienam non existimabimus. Itaque ex vtraque re vnam componentes, orationis laudibus, & fidei ardore, quàm maximè possumus, hodierno die celebritatem ipsam illustremus, eamque vt omni ex parte insignem & sacram, atque vniuerso mundo lumen conciliantem, & Dei voluntatem in Apostolo suo decorando præ se ferentem, sacris cantibus exornemus: hanc denique vt sancti spiritus gratiam, & lumen in animas illas, quæ sunt idoneæ, conferentem, pro viribus nostris laudemus. Ita enim fieri poterit, vt si Apostolicarum laudum sumus amatores, illum ipsum, quem honore prosequimur, ad misericordiam attrahamus, & nostræ laudationis, quam de illo instituimus, adiutorem habeamus. Eius enim linguæ gratiam mihi dari exopto, quam Spiritus Sancti virtus lumen afferens concinnauit, & cœlesti, atque arcanarum rerum doctrina ita repleuit, vt gentium nationes multis in locis dispersas in propriam sagenam magnificentissimè concluserit. Hoc autem loco, & Apostolicarum rerum pelago mentis aciem infigens, totus vertigine ac tenebris repletur, & in me ipsum conuersus clarissimæ Esaiæ verba illa pronuncio: Miser

2 Dies festus martyrij S. Petri hilaris & illustris.

3 Nota, hic dies venerandas eius catenas manifestas ostēdit, & earum adorationem.

Miser ego, qui impurus sum, & labia impura habens purissimas materias tractem, nulla ope mihi ad hæc ipsa rectè aggredienda spem afferente. Quamobrem ad Apostolicę misericordiæ perfugiem recurrens, tenui hac lingua de eius laudibus dicere conabor. Omitto nunc de eius ortu, de patria, & parentibus aliquid dicere. Honesta quidē illa sunt, & auditu digna, sed mentem tamen obruerent, neque sinerent orationem longiorem de his rebus habere quæ præstantissimæ sunt, & quarum memoria vtilis est ac salutaris. Diuinorum profectò signorum Apostoli huius, & miraculorum multitudo magna extitit: aliaque omnia, quæ spiritus sancti gratia in illo habitans effecit, tot, tantaque sunt, vt si velim singula scribere (decet enim de ipso dicere, quod Theologus quidam scripsit) nostrarum orationum vis satis esse non posit, quamuis ad eam rem tractandam audacter se ingerat.

Hic Apostolus, postquam vnigenitus Dei filius supra humanam conditionē in paterno solio arcano quodam modo cōsedit, vnà cum reliquo Apostolorum cœtu erat, ac viuebat, & communem cum illis Euangelij prædicationē exercebat, ac modò tribunali, iudicijsque vnà præsto erat, modò ignominias & verbera vnà cum alijs Apostolis à Iudęis ipsis patiebatur: neque vnquam ab Apostolorū societate aberat, sed cum illis in ærumnis perferendis cōmunicabat. Liber ille qui Apostolorum scripta continet, multa eius pericula percurrit, in quæ Apostolus ipse incidit, & quibus detentus fuit: multorumque miraculorū mentiomen facit, quemadmodum admirabili quodā modo claudū illum sanauerit, & Ananiæ ac Saphyræ mortem ineuitabilem seuerissimè intulerit, Tabithamq; puellam à mortis ipsius laqueo ereptam vitę restituerit, atq; Cornelium Centurionem Angeli præsentia edoctum instruxerit, & ad Christi fidem traduxerit: quemadmodū per vmbram corporis infirmos homines firmos reddiderit: quot denique ærūnas sustinuerit: quàm sæpe comprehēsus, & ante tribunalia constitutus, & pro Christo ipso flagellis verberatus gauisus fuerit quòd dignus habitus sit, qui pro nomine Iesu multas ignominias pateretur. Licet ex eodē libro discere, quàm libera oratione apud Iudæos sæpe vsus fuerit: & quemadmodum ipse idiota ex illiterato ore sermones diuina sapientia refertos protulerit: vt precibus suis terrā commouerit, ac turbā quæ illuc cōuenerat, ad Christi fidē attraxerit. Hęc, inquā, & quęcunque alia deinceps passus est, & effecit, cùm tam multa sint, vt facilè narrari non possint, oratio nostra summatim perstringens ad vnū illud periculū enarrandū se confert omniū grauissimum, & vitatu difficillimū: nā in eo effugiendo diuino quodā miraculo opus fuit. Quæ res & multā Iudæorū aduersus Apostolū immanitatem, & diuini auxilij celeritatē declarauit. Herodes ille, eius viri progenies, qui primus Hierosolymorum Rex fuit, cùm è Iudaico semine ortū duceret, & Iudaicū cultū teneret, zelo quodā excitabatur ad patrias institutiones ac leges defendēdas, easq; dissolui nō patiebatur, quæ Apostolorum doctrina tolli ac funditus euerti videbantur. Ille igitur Iudęorū iracūdis vocibus inflāmatus, vt illis gratum faceret, furorem ac rabiem in Apostolos ipsos magis effundens, primùm Iacobum fratrem Ioannis gladio interfecit. Quo loco diuinæ literæ eius ferociam atque inhumanitatem eo ipso significarūt, quòd gladio Apostolū Iacobū ab eo interfectū dicunt: Poterat enim alio mortis genere Apostolū interimere, vel cruciatibus morti similibus subijcere. Sed vt Herodis mēs feris etiā ipsis immanior, Apostoli verò Iacobi animus ad cædē illā subeundam æquissimus cognosceretur, instar ouis quę ad cædē trahitur, gladio interfectus martyrium perfectè obijt. Ita igitur sacer Iacobus consummatus fuit, & martyrij morte Apostolicum cursum consignauit, calicē bibens, quē olim Dei sapientia illi bibendū prædixerat, & proprio sanguine baptizādum antea significauerat. Cùm autē videret gratū esse Iudæis quod faceret, præterea & Petrū ipsum capere aggressus est. Quē cùm cepisset, in carcerē cōiecit, & tradidit quatuor quaternionibus militū, qui eum seruarēt, eò quòd essent dies Azymorum, volens post Pascha producere eū populo. Omnibus his historiæ scriptor verbis vsus est, vt Herodis in effundendo sanguine studiū, eiusq; in patrāda cæde voluntatē innueret. Nihil enim quod iustū esset ante oculos propositum habebat, nihil honestū, aut laudabile, sed quæ nationi suæ grata esse intelligebat, quæque ad profanam Iudæorum voluntatem alliciendā spectabant, ea tantum ab illo dicebantur, & fiebāt. Quod enim Apostolū ipsum tenuerit, & in carcere custodiendum tradiderit, mortemque ipsam præsentem cōstituerit, totum hoc eò spectabat, vt Iudaicis votis satis omnino faceret. Namque putabant illud futurum, vt si Petrum Apostolum de medio sustulissent, facilè reliquos Apostolos superarent. Ille enim erat, qui contrarias voces emittebat, quique in Consilijs, in Iudicijs, & in Synagogis cū aduersarijs certabat, & Iesu nomen palam prędicans, inuocato eius nomine, præcipua quædam miracula perficiebat. Licet autem illud considerare, quemadmodum & Herodes ipse studuerit similis esse Scribis, & Pontificibus, qui aduersus Christum insaniam & rabiem effuderunt. Nam sicut illi dicebant, ne in die festo Iesus comprehenderetur, ne tumultus fieret in populo, vt post diem festum omnino in crucem acturi:

ita & hoc loco post Pascha mortem Petro Herodes inferre constituebat. Cùm igitur hi, ad quorum gratiam hæc faciebat Herodes, eadem senserint, quæ & illi quos supra diximus, iisdem & verbis, & operibus aduersus Apostolum vsi sunt, quibus & aduersus illius magistrum superiores vsi fuerant. In quatuor autem quaterniones militũ custodiã distribuit, non vno in loco, sed pluribus, & paululum à se distantibus, vt custodia ipsa tutior ac munitior foret, vt si forte Apostolus ipse à vinculis effugisset, & custodes qui propius manerent, latuisset, ab alijs deprehẽdi & capi posset. Sed Petrus, inquit, erat in carcere dormiens inter duos milites, & ligatus catenis duabus: oratio autem fiebat assiduè pro ipso ab Ecclesia. Quænam fuit causa, vt tot diebus custodiretur, & non statim adhuc furore Iudæorum efferuescente, & Petri Apostoli mortẽ sitiente, cædes ipsa Principi Apostolorũ allata fuerit? Scriptoris quidem sententia hęc est, mortem propter dies Azymorum prorogatam fuisse, quibus Iudæi se ipsos purgantes, & ab omni turpi atq; inhonesto facinore abducentes, diem festum Paschæ celebrabant, puris manibus sacrificium, quod in lege scriptũ erat, contrectantes. Sed erat & alia eius rei causa. Cùm enim Herodes ipse infinita rabie contra Petrum Apostolũ redundaret, pluribus diebus eũ detineri voluit, vt diuturniore cruciatu, mœroribus, inquam, ærumnis, catenarum pondere, ac morte, quam à fame ipsa inferẽdam spectabat: eorum denique militum, qui vnà dormiebãt inhumanitate grauius affligeretur. Quot enim per illos dies verba temeritatis, & minarũ plena, quàm multa cõuitia, & contumelias credimus à militibus illis in Apostolũ iniectas fuisse, partim vt cognatorũ Iudęorum dogmata peruertentẽ, partim vt præceptis legalibus aduersantẽ? Modò autẽ vt seditiosum, & causam tumultus, modò vt Mosaicis legibus contrariũ conuiciabãtur: nonnunquam pugnis & alapis eum percutiebant: neq; quisquã illud dubitare potest, quin catenis illis vehementius ac laboriosius Apostolum constringentes, ita coarctauerint, vt ex omnibus his maiorem doloris sensum percipiens, celeriter ab hac vita migraret. Sed omnia illorum studia & facta inania extiterunt, perinde ac si quis in aqua ipsa literas imprimat, vel aërem verberet. Quò enim diutius in carcere Apostolus detentus est, eò firmior atq; constantior effectus fuit, & acerbis illis ærumnis, quibus vndique affligebatur, vt quibusdam stimulis excitatus & erectus, tantum aberat, vt rebus his infirmior fieret ac deficeret, vt custodes illi Apostoli Petri iucunda & secura hilaritate confusi in ruborẽ conuerterentur.

Hæc cùm ita se haberent, preces ab Ecclesia missæ in cœlos penetrarunt. Itaque statim Angelus illinc missus est, & in carcerẽ veniens, illum compleuit lumine, vt Apostolorum summus miracula quę fierent apertè intueretur. Percusso autem eius latere: Surge, inquit, velociter. Ac ne quid absurdi in Apostoli mentẽ veniret, (quippe quòd satanas etiam ipse interdum in Angelũ lucis se transformare, & figuræ ipsius specie sensum subripere soleat) cùm primùm verba illa prolata sunt: Surge velociter, catenæ è manibus ipsius deciderũt, vt verba ipsa factis confirmarentur: neque potentiã aliquam ex earum numero, quæ Deo ipsi rebelles extiterunt, neque quod visum fuerat, inane aliquod spectrum esse crederet, sed verum & cœlestem Angelum, visionem, inquam, veram esse sciret, ac certa fide comprobatam. Hæc cùm ita processissent Apostolo, quoniam adhuc metu & tremore detinebatur, non solùm re visa dubius, atq; anceps, verùm etiam qua ratione dispositas militũ custodias pertransiret, quippe qui multa diligentia & cautione, multisque vigilijs in eo custodiendo vtebantur. Propterea Angelus: Indue te, inquit, sandalia tua, & præcingere vestimẽto tuo, & sequere me. Quoniã, inquit, Regis & Iudæorũ timore adhuc detentus es, ac eorũ militũ vigilię, qui circunstantes te custodiunt, horrorem ac stuporem tibi attulerunt, ob idq; non his, quę à me dicuntur, fidẽ habes, tanto te auxilio ac præsidio munitũ esse facio, sicq; omnem metum à mente tua excutio, vt & pallio ipso sine timore aliquo, & sandalijs indui possis. O celerrimũ Dei auxiliũ. O Apostoli in Deum fiduciã atq; gratiam. O maximas, & ex corde ipso prolatas preces, quæ tanquã à funda quadam, ab ipsius Ecclesiæ ore prolatæ, atque in cœlos emissæ, Herodis animũ lætaliter vulnerârunt, & Apostolorũ principẽ ab eius manibus incolumẽ eripuerunt. Proh quanta est Apostolica gratia, & spes firma & vera, quibus diuinum numen propitiũ, & ad audiendũ promptum habens à mortis laqueo Petrus ipse ereptus est? At si quis dubitaret, & à nobis illud quæreret, cúrnam Apostolum ipsum eius magister Iesus à Iudaicis manibus non eripuit, quo tempore ab illis comprehendebatur, sed & vinculis & custodia diebus aliquot eum vexari atq; affligi permiserit, qui hoc obijcit, is consideret, non ita inimicos ipsos fuisse miraculum illud cognituros, si Apostolum statim cùm comprehenderetur, Dei auxilium eripuisset, quemadmodum cùm eorum manibus detentum, catenis vinctum, & à custodibus cautè seruatum, è medijs atq; ineuitabilibus illis retibus liberauit. Tunc enim his à quibus comprehendebatur, fortasse id beneficio & Magicis artibus factũ videri potuisset, quò minus ab eis cõprehensus esset, itaque Apostoli miraculum irrideri ab illis potuisset. Nunc verò cùm & catenis vinctus, & qua-

& quatuor quaternionibus militum custoditus,& inter duos milites cubans,omnibusque his rebus paratis,quę mortem condemnatis hominibus adferre solent,ita superno auxilio dignus habitus sit,& contra omniũ opinionẽ,admirabilem liberationem assecutus fuerit, tantò hoc admirabilius,& contra opinionem omnium fuit, quantò è medijs malis seruari maius est,quàm illa nõ attigisse. At Apostolus ipse vel post tanti miraculi potentiã,& Angeli adhortationẽ,nesciebat verũ esse,quod fiebat per Angelum : sed videbatur sibi visum videre. Adhuc enim arguebatur humanæ naturæ infirmitas,quodq; supra naturã eo modo, qui explicari nõ potest,efficiebatur,cũ naturali ordine,ac viribus cõparatum,tale perinde ac si inane aliquod visum esset,æstimabatur. Sed quidnã Angelus ipse? Quoniam illũ vidit adhuc animo fluctuantẽ,visioni fidem non habere, neq; quicquã ex ijs quæ fiebant,reuerà factum admirabiliter existimare,primam & secundam militum custodiam ita sine strepitu cum Apostolo pertrãsit,vt custodes ipsi eorũ transitionem ne senserint quidẽ,diuino nutu somno ipso illorũ palpebras detinente,quò minus factum illud sentire possent. Cùm verò ad portam ferream venissent,quæ ad ciuitatẽ ducebat,illa vltro aperta est,Deo ipso & hoc loco miraculũ faciente,& Apostoli formidinem paulatim subtrahente,vt ad ea quæ deinceps futura erãt promptior fieret. Postea verò quàm exeuntes processerunt vicum vnum, Angelus quidem ipse auolauit,neque amplius apparuit. Ille verò cùm miraculi sensum cepisset,atq; considerasset tam ea quæ prius in carcere mirabiliter effecta fuerant,quàm quæ nunc supra naturam prodigiosè facta viderat,atque hęc cum illis conferens,& vtraque vicissim comparans,de visione ipsa certior factus fuisset, quòd videlicet non inane aliquod spectrum,sed verum illud fuerat,quippe quod manifesto rerũ euentu cõfirmatum videbat, gratias Deo agens talẽ emisit vocem: Nunc scio verè quòd misit Dominus Angelũ suum, & eripuit me de manu Herodis,& de omni expectatione plebis Iudæorum. Quidnam est, quod dicis Apostolorum princeps? Nunc te sciuisse ais? Nunc credidisti? Nunc gaudes miraculo? Quónam abijt feruor ille tuus? Quónam auolauit certa illa spes? Quónam effluxit illa tua vehemens confessio? Vbinam sunt claues regni cælorum? Vbinam appellatio,qua Ecclesiæ firmamentum nominaris? Vbi ardens illud desiderium,& coniunctio ad mortem vsque inseparabilis? Nunquid tantæ fidei argumenta inania extiterũt? An talis,& tã multa spes in ventos dissoluta est? An non sensisti quæ à magistro tuo prodigia sunt effecta? Oblitúsne es maritimæ illius fluctuationis, quemadmodũ dextera sua te,quì submergebaris, incolumem seruauit? An non aures tuas vocibus illis adhuc habes personãtes: Qui credit in me,opera quæ ego facio,& ille faciet,& maiora his faciet? Nónne scis,quemadmodum è monumẽto exurgẽs custodes ipsos velut mortuos prostrauit,& ea quibus monumẽtum signatũ fuerat,intacta seruauit? Nónne præsens fuisti,cùm mortuos homines suo iussu exilire fecit? cùm cœcis hominibus videndi facultatem præbuit? cùm tibi per sancti Spiritus aduentum miraculorũ potentiam impartiuit? cùm in porta speciosa claudum hominem, cum Æneam, cùm Thabitam, alterũ integrum pedibus,& ad currendũ velocem,alterum diuturno morbo liberũ reddidisti,huius animã,quæ auolauerat,in corpus reduxisti? Cùm tantorum & talium miraculorum particeps effectus fueris,quorũ alia videris, alia ipse feceris,cùm deniq; multam ipsius Dei potentiã expertus fueris, nũc te scire dicis,quòd ais: Misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis? Si tot præteritis miraculis adductus non fuisti vt crederes, quomodo vni huic credes? Si tantorum miraculorum multitudo veritatis confirmationem non attulit, quî poterit vnum hoc fluctuantes cogitationes tuas sedare? Maxime,inquit ille: non enim talia sunt diuinæ potentię opera, vt facilè comprehendantur,& fidem afferant: facilis enim comprehensio non solùm non auget miracula, sed etiam illa imminuit atque extenuat, & eorum quæ facilè comprehenduntur, formas ex animo delet: quod verò examinatione, & varijs cogitationibus sæpe probatum fuerit, plus veritatis, quàm opinionis ingignit, eò quòd animæ ipsius dubitatio atque infirmitas ad ea quæ sensum superant & ardua sunt, comprehendenda, minimè idonea,post fluctuationem multam,& cogitationum varietatem demum certam fidem, ac veritatem in animos ipsos immittere, atque altius infigere solita est.

Cùm deinde Apostolus ad eam domum accessisset, in qua fideles homines congregati erant,& ianuam pulsasset,ab ancilla quidem ipsa cùm agnosceretur, nunciatus ijs est qui intus erant. Sed quod ancilla nunciabat, tã incredibile videbatur,vt insana esse crederetur. & non Apostolum,sed eius Angelum præsentem vidisse putaretur. Cùm verò patefacta ianua Apostolus ipse ad eos ingressus esset,omnes stupuerunt,insperatam eius liberationem videntes. Tum ille statim narrauit, quemadmodum ab Herode comprehensus,& in carcere detentus,& ferreis catenis vinctus fuerit,quodque per Angeli visionem catenę ipsæ è manibus cecidissent,ipse verò Angelũ sequens,eorũ à quibus seruabatur custodias pręterisset,& portam sponte patefactã transisset. Quibus rebus perterrefacti,& admirabili narra-

tions illa perculsi, apud seipsos non amplius esse videbantur, gaudio cū admiratione coniuncto, & duobus his affectibus illos obsidentibus. Tales enim sunt res quæ à Deo proficiscuntur, quippe qui neque lætitia nimia homines ipsos dissolutiores fieri, neque propter miraculū ad nimium stuporem labi permittit: sed gaudio animum erigit, & ad iucundiorem statū traducit: admiratione autē ac stupore cohibet, ne vlterius progrediatur: denique vtraq; re hominum ipsum in composito statu conseruat. Hoc loco velim consideres Apostoli mentem ab omni superbia & ambitione alienam, eiusque modestiam animaduertas, quippe qui miraculo illo non ita elatus est, vt ipsum tuba cecinerit, quod fortasse alius fecisset: non præclara illa facta ostentans, supra tecta prædicauit: non præ lætitia rem ipsam omnibus velut triumphans propalauit, aut cum peregrinis, & notis hominibus ea cōmunicauit: sed manu silentium indicens, his solis qui in Ecclesia erant submissa voce factū significauit, per quos Iacobo, & ijs qui cū eo erant, rē nunciandā curauit, vt cùm audiuissent, qualibus vinculis præter spem ereptus fuerat, magis magisque ad fidei prædicationem incumberent miraculorū spe corroborati, quique à Iudaica infidelitate ad Christi fidē nuper conuersi, & diuinæ cognitionis lumine illuminati fuerant: Illi eadē opera confirmari, & si quam de Dei fide in animo latentem dubitationem haberēt, ab illa reuocari possent, & in bonarum rerū perseuerantia firmiores essent. Sed ô animi excęcationē, quę Herodis mentem corripiens, totū illum ita oppressit, vt obstinato animo miraculorū, quæ per Apostolum effecta fuerant, potentiam non considerauerit. Decebat enim admirabilem Apostoli Petri liberationē ex custodibus, ex catenis, deniq; ex foribus sigillo impresso clausis certa fide prosequi, neque negligētia aliqua factū credere, vt id accideret, sed animo commoueri, atque erubescere, & resipiscere, & si non apertè propter Iudæorū in Apostolū ipsum furorem, atq; insaniam, saltem animo miraculū illud prodigiosum secum admirari, atq; obstupescere, & à cædendis custodibus desistere. Verùm illi, vt eius ferocitas atque inhumanitas magis cognosceretur, innocentes homines mortis sententię subiecit, idq; cùm illi in Apostolo cautius custodiendo nihil aberrassent. Cùm enim Herodes ipse furorem suū in Apostolum effundere, & ferocē animū Apostolica cæde satiare non potuisset, quod proximum fuit, in custodes illos, ita vt erat insanus, mortē intulit. Quòd Apostolus illos ipsos, qui eius causa condēnati fuerant, miraculo aliquo facto à morte non liberauit, quæstio hæc duobus modis solui potest: primum quòd inhumanè ac ferociter custodes illi aduersus Apostolum se gesserant, quippe qui vnà cubantes verborum plagas vinculis acerbiores infligebant, ac nihilo minus, quam Herodes, rabiē suam & prauos affectus in beatū Petrum effundebant: deinde verò quòd non solùm aduersus Apostolū Principem tanta ferocitate abusi fuerant, (Benignitatem enim impetrare potuissent, si in eum solum peccassent) sed etiam contra reliquos Apostolos eandē rabiem exercuerāt, & multos alios fideles homines persecutionum pœnis, & omnigenis cruciatibus subiecerant, ac mortis retia vndique eis parauerant. Hac de causa morti addicti sunt, vt veteris & insanabilis malitiæ, in qua educati fuerant, pœnas exoluerent. Hoc fuit Petri Apostolorum summi contra diabolum valde illustre trophæum, hoc miraculorum omnium, quæ in eundem Apostolū à Deo collata sunt, maximè admirabile. Quid enim primum in hoc Apostolo admirabimur? Eiúsne in Christū ardentem beneuolentiam? An reuelationem è cœlo à Patre ipso concessam? An quòd cum magistro suo mori paratus erat, neque à mortuo auelli poterat? Quid quòd post Christi resurrectionē tertiò interrogatus fuit? Qua re nō solùm Iesus Christus singularem & summum in se Petri amorē declarauit, sed mortis etiam genus iuuentutis, senectutisq; nomine præmonstrauit, & eo ipso quod ab alio cingendus esset, illum capite ad terram verso in crucem tollendum esse indicauit. Hic propter fidei abundantiam cùm reuelationē à Deo & patre accepisset, Filium Dei viui Christū apertè prædicauit, & duarū naturarum veritatem certa fide testatus est. Hic magistri desiderio ac beneuolentia inflammatus, cùm Iesus ipse longè antea se cruciatus passurum indicasset: Propitius, inquit, tibi sis, Domine: non erit hoc tibi. Quod cùm diceret, quasi humanū quippiam non diuinū sentiens, reprehensus silere docebatur. Hic è nauigio Magistrū aliquando repellebat, cùm miraculi magnitudinem obstupesceret: quodq; illū à se repelleret, eius rei causam esse dixit, quòd se peccatorē agnosceret. Hic præsens fuit, cùm Christus alia forma in mōte apparuit, & tria tabernacula construere se paratum esse aiebat, vt Iudæorū ad inferendā cædē paratos ac scelestos animos vitaret. An non hic cum Christo se moriturum promisit, & homicidæ illius auriculam gladio amputauit, in omni re fidei suæ zelum atque ardorem ostendens? An non hic est, qui ne valde immisericors & durus esset, in Magistri sui negationē incidere permissus fuit, & fletu multo peccatum purgare? Quid dicam alia? Missam facio timiditatem, fugam, duritiem, & eius in sepulchrum ingressionem, mulierum vnguenta ferentium læta nuncia: quemadmodum etiā Christus ipse illi seorsum apparuit, & in mare Tyberiadis miraculum effecit: item alia

quæcunque

quæcunq; antea quàm passus est, & post resurrectionem, tam nõ credente, quàm credente, discipulo illo, Iesus perfecit. Quę omnia nõ frustra ita dispensabantur, sed, quantũ hominis mente comprehendi potest) modò Apostoli remissum & infirmum animum Christo ipso recreante, modò austerã & durã eius mentem leniente, & vtraque re illum docente, neque aliquid sibi, quod humana infirmitate maius sit polliceri, neque animo decidere, & obstupescentẽ horrore, quo tẽpore oportebat in cruciatibus perferendis cũ magistro cõmunicare, & seruiturẽ discipulo conuenientẽ ostendere, sed intra mediocritatis fines consistere, vt & ab inconsiderato feruore, & ab humili, atque abiecta timiditate pariter distaret. Ego verò non verebor hoc de illo dicere, quòd testis, vt ipse ait, Christi passionũ agnoscitur, & eius gloriæ quæ reuelanda est, communicator: quoniam ad eos Iudæos qui dispersi erant, congruẽtes & diuinas admonitiones per epistolas scripsit, quibus charitatẽ, & Christianæ fidei confirmationem suggessit, Christique aduentũ omnino futurum sperari docuit, ac in illis ipsis & ex hoc tabernaculo nos migraturos esse prædixit: eaque ratione ad zelum & diuinòrum præceptorũ obseruationem nos ipsos magis excitat, facitque vt maiore metu, ac terrore afficiamur, diluuij, & eorum Angelorũ qui peccauerunt, condemnationis exemplum adferens, quos & in tartarea loca detrusos fuisse affirmat. Ad hæc & alterum Christi aduentum significat, quo tempore cœlos transituros dicit, & elementa ipsa comburenda dissolutum iri. Hunc vnigenitus Dei filius beatum prædicauit. Hunc Deus ipse ac Pater corona donauit. Hunc paracletus Spiritus sanctum reddidit, & instrumentum quoddam diuinas res spirans effecit. Hunc cœlestes Angelorũ ordines collaudarunt, & Apostolorum chorus valde admiratus, tanquam os suum amplexatus est ac celebrauit. Hunc qui Christo crediderunt, ducem & magistrum sequentes, ad infidelitatis scopulos non offendũt. Hunc ad cœlum vsque peruenientem, & valde illustrem spiritualis Israelis columnam, & animarum in perfidiæ pelago fluctuantium gubernatorem appellamus. Hunc vt vmbræ legis expulsorem valde honoramus. Quiq; nos ad veritatis lumen traduxit, eum laudibus atque hymnis prosequimur. Verè hic est Apostolorum firmamentum, & sacratus cœlorum magister, arcanorum interpres, nutantium confirmator, lapsos erigens, firmos conseruans, pœnitentiæ dux ardẽtissimus: Petrus denique magnum illud orbis terrarum miraculum, Ecclesiæ iactatio, discipulorum decus, & eorum qui rectè sentiunt ornamentum, Theologorum pulchritudo, Christi os, mens cœlestis, Trinitatis purissimum tabernaculum, lapsorum reconciliator, honestè viuẽtium ductor, rectè currentium propugnator, omni cœlesti, & humana laude, omni præconio dignissimus. Cuius si vmbra & lintei morbos profugabant, certè catenæ quæ venerandum Apostoli corpus attigerunt, quantò propiorem tactum habuerunt, tantò abundantiorem miraculorum vim participárunt: catenæ, inquam, illæ omnino 4 venerandæ, ac pretiosæ. quæ Apostolicum illud ac beatum corpus colligarunt, quæ manus illas miraculorum effectrices astrinxerunt, quæ diuina gratia ab ipsis repletæ sunt, ex quibus miracula abundè scaturiunt, quæ ægrotos homines à morbis liberant, quæ homines illos sanctos efficiunt, qui cum fide ad eas accedunt, à quibus animarum maculæ mystico quodam modo expurgantur, & morbidæ influentiæ reprimuntur, quæ denique in aëream celsitatem extensæ, & vsque ad cœlos ipsos peruenientes, à Dominico illo, & diuino solio, tanquam ab anchora quadam extenduntur. Has catenas potentiarum, quæ à Deo ipso defecerunt, princeps exhorruit, & nunc etiam exhorret, ac multo cum timore illas subterfugiens comprimitur. Has aëra spirituũ multitudo metuens ac tremens, iaculisque inde immissis percuss, longius profugatur. Nõ enim ferre potest Spiritus sancti gratiam has ipsas catenas obumbrantem, neque scintillas ex diuino illarum igne exilientes sustinet: sed ab ipsis inceditur atque comburitur. Has composuit Dei Patris verbum eiusdem æternitatis, & principij particeps, vt eius de Deo confessionis premiũ essent. Illas ignitas reddidit carbo ille ab Esaia antea visus, & ad Deum intuẽdum efficacissimus. Spiritus sanctus paracletus suo afflatu ignem è carbone illo exilientem ad opus perficiendum maximè idoneum reddidit. Quamobrem licet ferreæ sint naturæ, diuina tamen gratia, & potentia 5 plenæ sunt. Ab his dæmonum praui spiritus illigati enecantur: ab his princeps mundi huius pertractus captiuus ducitur, à fidelibus hominibus illuditur, hoc est, ab ijs, qui antea peccatorum laqueis constricti, soluti, & liberati sunt, & mortis retibus antea circundati, ad vitam transierunt. Hæ diuinæ hæreditatis terminos cingentes, & vndiq; munientes, faciunt ne ab hostibus expugnari possint. Eædem Christianorum vertices coronantes, ab illorum hostium insidijs, qui corporeis oculis non cernuntur, intactos seruant. Nam & si à malignis hominibus pro tormenti genere aduersus Apostolum sunt adhibitæ, tamen ad eos propellendos, qui malum aliquod inferre volunt, idoneæ sunt effectæ, non magis cruciantes, quàm venerandum illud Apostoli corpus vndique seruantes, ac munientes. His catenis Apostolus ornabatur, his exultans ac gestiens se oblectabat, & tanquam

4 *Nota, catenæ illæ omnino venerãdæ ac pretiosæ quæ & cætera.*

5 *Vide quot & quanta sit harum catenarum præconia, vt scias etiã res exteras sanctorũ sanctas esse, & gratiarum beneficia fidelibus præstare solere.*

regalem aliquem ornatum circumferens, animo exultabat. Has & pœnæ instrumentum cognoscebat, & coronæ multæ conciliatrices existimabat. His & nunc sanctissima, omniq; ex parte incorrupta, ac pura Christi sponsa Ecclesia, tanquã splendido monili, & aureo quodã ornatu induta, velut corona quadã ex intactis floribus contexta, decorata est, & ad dexteram sui sponsi partẽ assistit. Has, inquã, catenas & nos copiosissimus Christi populus hodierno die amplexamur. Has reuerentes veneramur & colimus, & pro animarũ emendatione habemus. His omnem sensum & membrum admouentes, illarũ sanctitate implemur, & per mentis intelligentiam sancti Spiritus gratiã in animos ipsos admittimus. Deceret certe, deceret non solùm catenas, quę manus illas astrinxerũt, magnopere venerari, sed etiam indicia omnia, ad quæ Apostoli membra accesserunt, sigillatim amplecti ac reuereri, & in illis singulis diem festum ac panegyrim celebrare. Consentaneum autem & illud fuit eius prouidentiæ, & in nos benignitati, pro quibus laborauit, & quotidie certamina & pugnas subijt, propter quos catenarũ pondere astrictus fuit, & crucis mortem libenter suscepit: consentaneum, inquam, fuit seipsum his, qui per eum Christo crediderunt, distribuere, atque impartiri, & veteri quidem 6 Romæ venerandi sui corporis depositionem ac sepulturam largiri, huic autem regali, & nouæ vrbi eorum quæ passus est symbola atque insignia relinquere, & sacratissimi corporis loco suauissimarum catenarum munere vrbem hanc afficere. Quas catenas qui in eandem præclaram vrbem venisse crediderit, non aberrabit, neq; aliquid Deo & veritati contrarium crediderit. Vetus quidam sermo, & in libris ipsis conscriptus ad nos vsque peruenit, non longè ab Herodis Tetrarchæ regia Petrum Apostolum in carcere, sed in propinquo quodam loco militaribus cohortibus obseruatum. Nam illi metuebant, ne Apostolus ipse ab aliquibus solueretur è vinculis, & miraculũ fuisse videretur. Illic igitur seruabatur, vt tum propter regalis palatij vicinitatem, tum ob militum custodias, & catenas, quibus ipse erat constrictus, nullam effugiendi facultatem haberet. Quoniam verò multi ex ijs, qui Petri Apostoli opera Christo crediderant, in regia illa erant, atque illic viuebant, & Regis ipsius ministeria obeuntes, suam in Christum, & eius Apostolum beneuolentiam in animis occultã seruabant, cùm admirabili illo modo Apostoli Petri liberatio per Angeli præsentiam allata est, & Apostolus ipse per portam exijt, quæ ad vrbem ducebat: catenas illas in carcere derelictas ipsi Herodis ministri, quibus diuinæ cognitionis lumen effulserat, clam sustulerunt, & apud se ipsos velut thesaurum quendam eas conseruârunt. Quod verò à patre suo, vt dicitur, traditum, & de catenis illis narratum sibi quisque acceperat, posteris suis deinceps tradebat, & tuto in loco catenas illas occultas seruabat, quoad & Iudaica natio bello deuicta, captisque Hierosolymis ad nihilum redacta est, & superstitiosæ idololatriæ cœcitate & errore sublato, Romanorum sceptra ad Imperatores, qui Christi fidem sequebantur, translata sunt. Quibus Christi & Apostolorum facta omni honore prosequi studentibus, hæc etiam Apostoli Petri catena manifesta facta est, & ab illis ad vrbem hanc regiam translata in Apostoli Petri sacro templo iure optimo reposita est, quam vt eius ipsius miraculorum effectricem & veneramur & amplectimur: hanc enim videntes, illum ipsum mente inspicimus: hanc tangentes, illum à nobis tangi existimamus. Sed quidnam gladius? Neq; enim hic despiciendus est, quoniam & ipse Apostolica manu eductus totam sancti Spiritus gratiam ac diuitias illinc attraxit. Hoc gladio Petrus, cùm Iesus ipse à Iudæis caperetur, Pontificis seruum percussit, & eius aurem amputauit: qua re suæ in Magistrum fidei ardorem ostendit, suamque in eum, quam in animo accensam habebat affectionem, & beneuolentiam patefaciens, magnum quiddam effecit, non suis viribus fretus, sed Magistri potẽtiam spectans: per quam auris illa, quæ abscissa fuerat, homini percusso restituta est, vt ex hoc ipso furens illa Iudæorum multitudo sectæ auris curationem repentè factam videns resipisceret, & à sua in Christum rabie desistens, ab eo prodendo abstineret, ac re ipsa eius ipsius qui prodebatur, vim illam omnipotentem, & diuinitatis magnitudinem cognosceret, denique vt Pontifex ipse à seruo illo miraculum factum edisceret, atq; cognosceret eum qui percussus fuerat, ita celerem curationem minimè assecuturum fuisse, nisi verus Deus esset ille, qui ab eo quæsitus iudicabatur. Aderat autem Apostolo gladius ille, nõ, vt aliquis diceret, ad proprios vsus, & manuum opera explenda sumptus. (Quomodo enim hoc fecisset is, qui Magistri sui præceptis obtemperans non peram, non zonam, non gladium ferebat, sed expeditus, & omni vitæ apparatu liber ab his cognoscebatur, qui eius prædicationem accipiebant?) sed quoniam tempus illud expectabatur, quo Christus passurus erat, & discipulorum de Magistro cogitationes adhuc fluctuantes vacillabant. Partim enim credebant, partim non credebant: quapropter neque sublimius aliquid cogitare poterant, neque ad humiliorem omnino & abiectum sensum deueniebant. Illis autem adhuc imperfectioribus tutum non erat Christum apertè significare, & prædicere quæ passurus esset. Cùm igitur eorum timidi-

6 Habes hic vrbẽ Romã venerandi corporis beati Petri depositionem, ac sepulturam obtinere.

timiditatem Dominus Iesus perspiceret manifestè, quod futurum erat, non explicauit, sed eorum quæ passurus erat, mentionẽ obscurè fecit, dicens: Et qui non habet gladium, emat. Verba hæc non sunt illis consentanea, quæ antea dixerat, cùm non peram, non gladium possidendam præceperat. Quid est igitur, quòd gladios nunc emendos esse iubet? Maximè inquam, ob eam causam, quòd tunc quidem, cùm illis inopiæ semina insereret, vt ad Euangelij cursum conficiendum leuiores, & agiles, atque expeditos redderet, gladiorum & aliarum rerum possessionem interdixit: hoc autem loco, tempore illo imminente, quo salutaris eius passio futura erat, tacito & mystico quodã modo indicare volebat, non dormiendum, neq; animo decidendum, sed quasi contra Iudæos armari oportere, & aduersus cæsores, tanquam in acie aliqua contraria standum esse, & ijs resistendum, qui Deum interficere parati erant, eiusque sanguinem ac mortem sitiebant. Nunc non est, inquit, doctrinæ tempus, non curandorum ægrotantium locus, neque miraculorum opportunitas. Armis opus est, gladijs, & huiusmodi propugnaculis ad arma illa repellenda, quibus homicidæ scelestissimi ad meam cædem vtentur. Hac igitur ratione Petrus gladium attulit, cuius licet feruentem beneuolẽtiam, & ardens studium Iesus ipse cognosceret, quodq; eo gladio aurẽ illam abscissurus erat, non tamen prohibuit ne fieret, vt & cuius in Magistrum suum ardor aperiretur, & curationis opus ac ingratos illos qui Deum interficere aggrediantur, redarguendos patefieret. Quòd autem non ad oppugnandum aut vlciscendum Dominus Iesus discipulis suis gladiorum possessionem præceperit, sed ad eorum quæ passurus erat significationem, licet hoc apertè cognoscere ex Euangelij verbis, cùm ipse dicit: Mitte gladium tuum in vaginam; quasi diceret: Non enim propterea iussi vos gladios possidere, vt illis ipsis inuasores vlcisceremini. Non est mihi hoc optabile. Nam si deceret, & mihi opem ferri vellem, possem rogare Patrem meũ, & daret mihi plusquàm duodecim legiones Angelorum. Sed quoniam voluntariè me ipsum ijs tradidi, propterea & gladiorum possessionem ad ea significanda quæ passurus sum, vobis indicaui. Si enim permisi paululum te Petre gladio vti, ob eas causas feci quas prædixi, & vt discipulos ad pericula subeunda promptos efficerem. Sed conuerte gladium in vaginam, quòd mihi fas non est gladijs vti ad imminentes cruciatus auertendos. Nam licet antea gladios emendos Dominus præcepisset, & discipuli se duos habere dixissent, satisque illos esse Magister ipse respondisset, ea re significauit passionis suæ tempus propè esse, quasi gladijs vtendũ esset ad inuasores repellendos. Ita igitur gladium Petrus possidens, secum & in prædicatione adferebat, tum vt sicubi opus esset, illo vteretur, tum vel maximè vt ipsum videns, ad magistri admonitionem memoria tenendam reuocarent, & eo modo tempus illud, quo Iesus crucem passus est, & ea quæ postea secuta sunt, secum cogitaret, inuidiam scilicet, odium, insidias, proditionem, iniustũ iudicium, iniustiorem mortis sententiã, crucem, sepulturam, & reliqua omnia, quæ homicidæ Iudæi facere ausi sunt. Hæc, cùm gladiũ illum Apostolus videret, contemplabatur: hæc assiduè animo reuoluebat: hæc secũ repetens, meditabatur, gladio ipso memoriam suggerente, & ad prædicationem exequendam illum alacriorem efficiente. Hoc gladio & ad omne periculum pro Christo subeundum armabatur Apostolus, & ad pericula omnia suscipienda, tum vel maximè ad sacras illas catenas induendas, & iniquorum hominum carcerem habitãdum: denique ad crucis martyrium subeundum firmior ac promptior effectus est. Quamobrem hic gladius, vt res quædam pretiosa, & omnino veneranda, Apostolicisque manibus deseruiens, ac eas tangens, eodem honore & veneratione, qua & catenæ ipsæ, in regali palatio, vbi Apostolo Petro sacrum templum erectum est, tanquam sacratus quidam & cœlestis thesaurus in intimo loco repositus seruatur, vt scimus, qui fidelibus imperatoribus, & fidelium virorum multitudini ad sanctitatem propeni solet. Cœlestem enim gratiam 7 confert, variarum curationum copiam suppeditat, sui cultores salutariter custodit, seque amplectentes erigit, animas ipsorum eleuans. Quòd si breuis & informis videtur gladius ille, non est propterea despiciendus. Apostolicam enim miraculorum vim, & potentiam secum continet. Nam hanc Apostolus vt potentis Dei frameam possedit, & vt ancipitem gladium cognouit, sic & aliæ Apostolicæ vestes, atque indumenta multùm illa quidem vilia sunt, atque abiecta, sed si quis eorum decorem, & magnificentiam, quæ mente comprehenditur, inspexerit, diuina & cœlesti gratia repleta esse, & Apostolicis miraculis nihilo inferiora inueniet. Sed perinde valet cùm quis hæc ipsa recordatur, ac si Apostolum inuocet. Ego & carcerem ipsum in quo Apostolus custoditus est omni præconio dignum censeo, quippe qui omni veneratione plenus est: dignus enim habitus fuit, qui tantum sanctitatis domicilium intra se acciperet. Ego & solum illud, in quo decubuit, & vinctus dormiuit, sanctitate decorum existimo, & Apostolica gratia refertum. Sed dubitat aliquis, num hæc ita se habebant: neque hæc tanti esse credit, vt gratiam illam, quæ in Apostolo fuit, participârint.

7 *Vide beneficia, quæ D. Petri gladius præstat.*

Persuadeat huic vmbra ipsa, & semicintia, quorum illa quidem ex corporis oppositione ad solis lucem composita, & ab Apostolorum Principis tactu longè distans: hæc autem à Pauli corpore delata, & diuinam ex illo gratiam participantia, pari, & miraculorum effectrici potentia repleta sunt: quodque admirabilius est, per secundam participationis consecutionem, & gratiarum translationem sibi adhærentibus impartita eandem miraculorum potentiam, & nihilo minorem abundè suppeditant. Considerandum igitur est: Si quibus gratia impertita est, ea talia sunt, qualisnã is est, qui vim illam impertiuit? At si participantes res talium miraculorum gratiam præbent, quantum existimare oportet eum esse, à quo hæc impertita sunt? Maius enim est id, per quod aliquid fit, quàm in quo efficitur, vt causa ipsa maior est eo, cuius est causa, cùm superiorem, & digniorem gradum contineat. Si quis autem mihi daret, vt & sandalia, & vestes, quibus ab Angelo se induere iussus est, ipse videre possem, illa certè apertis vlnis exciperem, atque amplecterer, & vt cœleste donum in cordis mei penetralibus conderẽ. Hunc igitur sacratum gladium cum sacris, & Apostolicis catenis connectẽtes, Petrum ipsum mente inspicere nobis videmur: & vtraque tangentes, Apostolum à nobis tangi existimamus: neque vllo modo ambigimus, eò quòd hæc loco ab Apostolo ipso disiuncta sint: sed & hæc, & illũ mente formãtes, & per fidem ipsam in vnum copulantes, ad eum ipsum, qui per hæc passus est, totum referimus. Hæc amplectentes, illum videre nos credimus: atque illum cogitantes, hæc quæ illius fuerunt, videre nos arbitramur. Itaque non omnino ipsius gratiarum expertes constituti sumus. Nam & si in vetere vrbe 8 Roma diuersatur per corporis sepulturam, quam vrbs illa sortita est, non tamen à nobis ipsis abesse vult, quòd pertinet ad illius gladium, & catenas. Adest enim & apud nos: qui partem hanc, vt totum corpus continẽtes, ab eius coniunctione non separemur: sed cùm vna, eademque sit gratia, quæ per eius corpus, catenas, vestes, & gladium miracula operatur, nemo dubitauerit, quin præsens sit in singulis, perfectus, atque integer, & ijs qui cum fide accedunt, & hæc amplectuntur, pro diuino eorum desiderio, atque ardore mercedem remetiatur. Hic & vnus est, & multis impertitus non imminuitur: quin etiam totus in se manens, omnem, & eandẽ vim ostendit: & quamuis eorum quæ passus est, symbolis non in vno, sed in multis locis diuisus sit, idem tamen est, qui in Apostolica Ecclesia prodigia, & miracula ingentia perficit. Ita nihil ex ijs quæ in summo illo Apostolo insunt, inane est, & actionis expers, nihil gloria, & diuinis miraculis vacuum. Tu verò 9 Petre, Christi Ecclesiæ petra, & firmamentum, summe Apostolorum vertex, qui verus & ardens fuisti Christi discipulus: qui præter cæteros orationis libertate apud eum vsus es, viui Dei filium illum prædicando, cuius manibus Regni cœlorum claues tibi traditæ sunt, vt quę à te in terra ligata, aut soluta essent, eadem ligarentur, & soluerentur in cœlis: qui Christum Deum, & hominem fuisse clarissima voce prædicasti: qui ex circuncisione, quæ in lege præcipitur, ad præputium, diuinæ fidei cognitionem transtulisti: qui propter Christum omnia dereliquisti, vnum illum pro omnibus diuitijs possidere cupiens, à quo & mortis, & vitæ adferendæ potestatem accepisti: cui Deus cœleste mysterium reuelauit: qui columna quædam es è terra vsque ad cœlos extensa, eos ducens, qui ad mansiones illas festinant: qui rudis & inscius artificiosam Græcorum orationem expugnasti: qui diuino Spiritu loquens, & verbo tantum gentes ipsas in ea conuertens, quæ voluisti, acerbam illam crucifixionem sustinuisti, vt nulla in re à Magistri cruciatibus distares: qui catenas has, instar scelerati alicuius hominis, pertulisti, & curationum fontem illas reddidisti: tu, quæso adesto hodie misertus nostri, & hoc in loco spiritu versare. Adsis huic templo miraculorum promptuario, quod sancta nominis tui appellatione præcipuè honoratur, in quo venerandas catenas tuas, vt thesaurũ quendam, reponi voluisti: in quo has ipsas, vt pretiosissimas res seruandas esse iudicasti: vbi catenæ ipsæ propositæ, & ab omnibus Christi fidem colentibus inspectæ, miraculorum deriuationes non corporeis oculis, sed mente ipsa perceptas abundè à te ipso quærentibus suppeditant. His catenis nostrarum animarum vulnera, quæso, liges. His tumores & inflationes à delictis illatas reseces, & diuinis medicamentis eas cures. His, vt scuto bonæ voluntatis Christi gregem corones. His Barbaros ipsos deuincias, captiuos ducas, & ciuitati te veneranti hostiles illorum exuuias conferas. Omnium autem maximè pium, & fidelissimum Imperatorem nostrum telis pro militaribus his catenis armes, munias, custodias, victorijs, & trophæis corones, hostibus terribilem, & subiectis benignum, atque optabilem facias, vt pace fruentes sub eius regno simus, & ab eo gubernati tranquillam, & quietam vitam ducamus, veri Dei nostri gloriam celebrantes, quem tu in omni re gloriosè & magnificè celebrasti: quandoquidem conuenit omnis honor, & adoratio, æterno Patri, cognato filio, & eiusdem substantiæ participi Spiritui sancto, nunc, & semper, & in secula seculorum. AMEN.

8 Ecce hic secũdo asserit Apostolum Petrum in vrbe Roma per corporis sepulturam diuersari.

9 Inuocat autor Apostolũ Petrum, vt adsit suis dilectis, & eos protegat, atque defendat.

SANCTI

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS Chrysostomi Homilia in sanctos Petrum Apostolum & Eliam Prophetam.

Apud Symeonem Metaphrasten.

PAVCI hodierno die nostræ concioni pręsentes sunt. Quænam causa est, quamobrem id facere debeatis? Martyrũ diem festum, & memoriam celebramus, & nemo nobis occurrit? Sed omnino viæ spatium segnes illos reddidit, imò verò non interuallum viæ, sed segnities ipsa eos impediuit. Sicut enim solertem virum animo, & proposito alacrē nulla res detinere potest: ita segnem, & remissum hominem omnia possunt impedire. Martyres pro veritate ipsa sanguinem suum effuderunt: & tu ne breuem quidem viam subire potes? Illi pro Christo capita sua exposuerunt: tu verò eiusdem Christi causa neque extra vrbem vis egredi? Dominus ipse propter te mortuus est: & tu segnem te ostendis? Martyrum celebratur memoria: tu verò piger es, & iacentem animum habes, quem oportet hic præsentem esse, & diabolum superatũ, Martyres verò ipsos superantes videre, necnon Dei gloriam celebratam, Ecclesiamq; martyrij corona insignitam? Sed istorum excusatio talis est. Peccator, inquit, sum, idcirco festo diei occurrere non possum. Maximè, inquam, ob hanc causam, quoniam peccator es, occurrere debes diei festo, vt iustus efficiaris. At si iustus es, occurrere ne à iustitia excidas. Ecquísnam ex hominibus sine peccato est? Propterea sacrificium 1 & Ecclesia, propterea preces, ac ieiunia: & quoniã multa sunt animæ vulnera, propterea medicamenta ipsa inuenta sunt, quæ singulis animæ vulneribus congruentem medicinam adferunt. Habes Ecclesiam, & sacrificium, quod perficitur, habes patrum orationes, habes Spiritus sancti donum, & sanctorum congregationem, multaq; alia quæ sunt huiusmodi, quæque possunt te à peccatis ad iustitiam reuocare. Cùm res se ita se habeat, tu tamen ad Martyrum preces occurrere noluisti. Dic, agè, quam peccati veniam habere poteris? Nihil mali in via positũ fuerat, & tamen detentus es, quò minus ad Martyrum concordiã celebrandam conuenires. Sed dices, vnam aliquam ex ijs quę huius vitæ sunt, curam te detinuisse. Maius certè hoc crimē est, cùm ne breuem quidem horam Deo ipsi conferre volueris, vt integram totius diei mercedem reciperes. Peccator, inquit, sum, & non possum facere quod dicis. Quia peccator es, propterea magis hoc debes. An ignoras eos etiam qui altari assident, peccatis esse affixos? Carne enim sunt induti, & sanguine, atque ossibus compositi. Nos etiam ipsi in cathedra sedētes, & alios docentes, peccatis quidem complicati sumus. Non propterea tamē de benignitate diuina desperamus, neq; duritiem aut inclemētiam aliquã Deo ipsi affigimus. Omnes, inquã, homines sumus, ijsdem elementis cōpositi, neq; correptionem recusamus, immensum diuinę in humanum genus benignitatis pelagus considerantes. Et vobis quidem, si post peccata commissa in Ecclesiam ingressi fueritis, non tantum crimen est: sub magistro enim viuitis. Nos verò quantò dignitate præstamus, eò maiori culpę sumus obnoxij. Aliud enim est eum peccare, qui docetur, aliud doctorem ipsum delinquere. Non ob id tamen 2 docendi locum recusamus, neque submissionis prætextu ad segnitiem decidimus. Nam & hoc diuina quadam dispensatione factum est, vt sacerdotes etiam ipsi peccatis subiecti sint. Audi quæso, quomodo res se habeat. Si doctores & sacerdotes ipsi non peccarent, neque vitæ huius affectibus subiecti essent, certè inhumani & à venia alijs danda essent abhorrentes. Sed propterea ipsos etiã sacerdotes affectibus subiectos esse Deus voluit, vt eorũ quæ ipsi patiũtur sensum habentes, alijs etiam veniã darent. Ita Deus mundũ optimè gubernat, quippe qui & illos ipsos, quorũ fidei Ecclesiam & populũ commissurus erat, permisit peccato subijci, vt à suorum erratorum conscientia admonerentur in alios esse benigniores. Nam si ipsi non peccassent, nullam peccantibus veniam daturi essent, sed inhumanitate ducti, omnes ab Ecclesiæ corpore abscidissent. Quòd autem res ita se habeat, neque temerè aut coniectura ductum me hoc dicere existimetis, agè rebus ipsis consideratis probemus quod dicimus. Petro Apostolo orbis terrarum Ecclesiæ, & populorum multitudines eius fidei committendæ erant, vel potius creditæ sunt illi claues regni cœlorum. Quid enim ait illi Dominus? Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlo. Erat autē Petrus non mitis, sed admodũ seuerus, & aliquantò durior. Quòd si ad eius naturam illud etiam accessisset, vt nullis peccatis subijceretur, quæso, quam veniam habituri fuissent qui ab illo docendi erant? Propterea hoc egit Dei gratia, vt paululum ab ipso desciscteret Petrus, & peccato alicui subijceretur, quò ex his quæ ipse passus fuerat, disceret humanior esse in alios. Sed vide cuiusmodi peccato permisit subijci Petrum illum talem ac tantum virum,

1 *Sacrificium, Ecclesia, preces, & ieiunia, sunt medicamēta vulnerum animarũ nostrarum.*

2 *Vides quod propter peccatũ prælatus non perdit prælaturam, nec præsidēdi munus.*

Aposto-

Apostolorum verticem, fundamentū immobile, petram stabilem, & quæ frāgi non posset, Ecclesiæ principem, portum inexpugnabilem, turrim firmam, & quæ non posset concuti. Hic, inquam, fuit Petrus ille, qui dixit Christo: Etiam si oportuerit me mori tecum, non te negabo. Petrus ille fuit, qui diuina reuelatione doctus, veritatem confessus ait: Tu es Christus filius Dei viui. Hic cùm nocte illa, qua se ipsum tradidit Christus, staret ad prunas, & calefieret, ait illi puella quædam: Et tu cum Iesu Nazareno eras. Tum ipse: Neque scio, neque noui quid dicas. Hem Petre, modò dicebas: Si oportuerit me mori tecum, non te negabo: & nunc eum negas, & ais: Non noui hominem istum? Nondū tormenta, nondum flagella proposita tibi sunt, sed simplex vilis cuiusdam puellæ verbum audisti, & ad negationem prolapsus es. Negásne Petre? Nulla tibi tormenta, nulla flagella, nullæ plagæ, nullus furor, nulli principes, nulli gladij acuti, nulla iussa, nulla edicta, nulli Reges minantes, nullæ denique instantis aut mox futuræ mortis minæ tibi obiectæ sunt: nondum carceres, & præcipitia, & mare, nondum aliquid tale terrorem tibi attulit, & Dominum negans, ais: Non noui hominem istum? Rursus puella cœpit dicere circunstantibus, quia hic ex illis esset. At Petrus: Non noui, inquit, hominem istum. Quisnam est, Petre, qui te negare facit? Non vnus, inquam, aliquis ex grauioribus, sed fœmina, eaque ostiaria, abiecta, & captiua quædam puella, nullius pretij mulier. Talis, inquam, est quæ te interrogat: & tu confestim negas? O rem nouam & admirabilem. Puella momento temporis illius Petri fidem conturbauit. Petrus illa Ecclesiæ columna, ac propugnaculum, puellæ vnius non minas, sed vnicum verbum non sustinuit. Locuta est illa, & ipse statim quassatus est. Verbum puellæ processit, & columna illa concutiebatur. Illa locuta est, & propugnaculum fluctuauit. Quémnam vidisti, Petre, vt Christum negares? Puellam vilem, & ianuæ custodem contemnendam. Hanc vidisti, & Christum negas? Verùm quamuis Petrus negauerit, humani tamen generis amator Deus peccatum illi condonauit. Nouit enim illum, vt hominem humanum quiddam passum fuisse: cùm ob eam maximè causam, vt dixi, ipsum peccare permisisset, quòd populorū multitudo illi credenda erat, ne seuerus, & innocens, à venia proprijs fratribus impartienda esset alienus. Succubuit igitur peccato, vt delictum suum, & Domini veniam considerans, cōdonaret & alijs benignitatis causa, iuxta dispensationem Deo congruentem. Permissus enim est peccare is, cui Ecclesia credenda erat, illa videlicet Ecclesiarum columna, & portus fidei. Petrus orbis terrarum magister peccare permissus fuit, vt eius indulgentia humanitatis argumētum alijs proponeretur. Sed quam ob rem hæc à nobis dicta sunt? Quoniam & nos sacerdotes in cathedris sedētes, peccatis colligati sumus. Propterea enim non Angelo, neque Archangelo, sacerdotiū commissum est (liberi enim sunt à peccandi libidine) ne videlicet eos qui ex populo peccarent, fulguribus transfigerent: sed homini à Deo cathedra hæc commissa est, qui & ipse 3 libidine & peccatis colligatus est, vt si quem peccantem inuenerit, suorum peccatorum conscius, in eum qui peccat benignus efficiatur. Nam si Angelus sacerdos fuisset, & aliquē adulterium committentem inuenisset, statim eum de medio sustulisset, cùm ipse huic libidini subiectus non sit. Si Angelus potestatem accepisset, peccantes homines non doceret: sed in iram mortiferam concitatus, repentè illos perderet. Itaque ob id homini commissa est Ecclesia, quòd sciat se delinquere, & peccata expertus, ijs qui peccant veniā dare possit, ne irascēte illo Ecclesia inanis fiat. Sed cúrnam tam minutis orationibus de Petro loquens, ad aliam personam sermonem nō transfero? Age in medium proferamus prophetam illum Eliam, terrestrem Angelum & cœlestem hominem: qui humi quidem ambulabat, & ea quæ in cœlis sunt mente animoq; versabat. Erat trium cubitorū staturæ homo, & per sublimem aëris regionem perambulabat, & vsque ad ipsa cœli fastigia protendebatur: ille, inquam, aquarum custos, cuius lingua aquarū fuit thesaurus, & clauis cœlorum: ille idiota, & philosophus: pauper, & diues: pauper, quòd propter Dei charitatē ac studiū, relictis terrenis rebus, maiora sibi comparare studuerit: diues, quòd cœlestes nubes lingua sua detinuerit, quippe qui durior erat ad condonandum peccatoribus, ita vt Deum orârit, ne daret pluuiam. Viuit, inquit, Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum. Quid agis, Elia? Cur sic pronuncias: Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum? Vbinā sunt hæretici, qui dicunt, filium Dei orare? Miser homo, & impudens, quid agis? Elias pronūciat, & Dei filius orat? Seruus iubet, & Dominus obsecrāt? Neque eum honorem Dei filio tribuis, quem & Eliæ? An non vis parem saltem dignitatem Domino concedere, & seruo? Non orat neque precatur Elias, sed veritatis sermonem proponit, & cœlum ipsum claudit. Non orat: sed quidnam facit Elias? Scio, inquit, quòd me audiat Dominus meus: zelo enim impulsus hoc facio. O rem nouam, & admirabilem. Vidisti Dominum serui beneuolentia superatum? Etenim Elias ipse multo zelo impulsus hoc fecit. Videbat enim absurda multa fieri. Videbat vitia ipsa multa cum libertate propagari. Atra siquidem nox orbem terrarum oppres-

3 Ecce quomodo sacerdos libidine, & peccatis colligatus non perdit sacerdotium, vt quidam malè senserunt: sed retinet locū suū, & officio suo fungitur.

oppresserat: itaque omnes in tenebris illis offendebant. Erat orbis terrarum naufragium, non aquarum, sed intemperantiæ. Propulsata enim temperantia, incontinentia ipsa dominabatur: virtus expellebatur, & vitia tanquam res aliqua legitima colebantur. Colles, montes, saltus, & viæ, atque aër tenebris contegebatur. Itaque obfuscato sole, cœlum erat caliginosum. Omnis natura propter idolorum culturam coinquinabatur. Ergo tanquam in nocte aliqua omnes ambulabant, rebus creatis, non tanquã creatis, animum adhibẽtes. Videbant lapidem, & tanquã Deum adorabant: Videbant ligna, & illa similiter colebant. Altissima igitur nox illos oppressos tenebat, cùm creatorem despicerent, & res creatas venerarentur. In tam multis tenebris solus Elias virtutis lucernam tenens, & tanquam in quodam montis vertice, in sapientiæ vestigio sedens, virtutis quidem faciem præferebat, sed splendorem præferens: Nihil tamen eos iuuabat, eò quòd illorum mens tenebris oppressa erat, & idololatriæ sceleribus detinebatur. Excandescebat igitur Elias, animo dissecabatur, lamentabatur, & multis verbis illos ab erroribus reuocabat: sed nemo tamen eum loquentẽ audiebat. Precabatur, sed nemo illi obtemperabat. Zelo igitur commotus, illos erudire voluit, vt fame ipsa tabefacti, preces suas tandem ad creatorem transferrent, ac fames pietatis materies illis fieret. Nihil, inquit, aliud homines istos erudire poterit, nisi fames, vt vel sic angustijs vndique coarctati, ad omnium creatorem Deum reuertantur. Quid igitur Elias? Viuit Dominus, si erit pluuia, nisi per os meum. Prolata fuit vox hæc, & statim aër mutatus est. Cœlum æreum factum fuit, non naturam mutãs, sed facultatem suam refrenans. Statim elementa tanquam in aliam quandam figuram conuersa sunt. Prophetæ oratio, tanquã flãma quædã, ad terræ viscera demissa est: & omnia statim exarescebant, omnia vastabãtur, omnia destruebãtur: statimq; videre licebat herbas ipsas arefactas, item arbores, ac plantas, tam fructum ferentes, quàm quæ fructum non ferunt, tam quæ in campis, quàm quæ apud mare positæ erant, omnia simul arefacta, omnemq; ætatem iam iam destruendam, puerorum lamentationẽ, matrum eiulatum, & desperationem multam. Vna fuit Prophetę oratio, sed vide quàm multa effecerit. Omnes igitur feræ moriebãtur, iumenta, pueri, viri, animalia, volucres omnes, denique orbis terrarum erat naufragium, & calamitas ipsa totam terram occupârat. Nemo seruabatur, sed vniuersi propter aquarum penuriam moriebantur: arescebãt plantæ, arbores, fontes, fluuij, stagna, & paludes, omnia deniq; perire videbantur, & vniuersale quoddã naufragium vniuersam terram detinebat, cœlumq; ipsum siccitate claudebatur. Itaque detentũ erat, & naturam omnem mutauerat. Omnia igitur moriebantur, & ira, pœnaq; à Deo missa perdebantur vniuersa, sed nihil tamen Elias hæc ipsa curabat: nam præ zelo tanquam ebrius efferuescebat contra eos, qui Deum non quærebant. Ergo & immatura ætas extinguebatur. Quid agis Elia? Esto, iuuenes peccârunt, cur infantes castigantur? Esto, homines deliquerunt, cur iumenta ipsa vnà cum illis moriuntur? Tantáne immanitate indutus es, vt homines nihil cures? Non habes vxorem, non infantes: ob id pereuntes homines tibi curæ non sunt? Quid igitur Deus ad Eliam? Vade, inquit, ad fluuium Chorazim, & pręcipiam coruo, vt te nutriat illic. Libenter hoc loco quæsiuerim ab homine Iudæo, vt ostenderem ipsi quemadmodum lex ea quæ legis sunt euertat, & ipsa secum pugnet, firmitatem non habens, quippe quæ non erat veritas, sed vmbra: Nam in lege ipsa continebatur vmbra, hæc autem nostra lex sine dubio continet veritatem: res illæ figuram, nostræ facta exprimunt. Elias iste quem veneraris, quem venturũ expectas, quem multa oratione celebras, quem prophetam appellas, ille, inquam, Elias quomodo à coruo nutriebatur? Coruus in lege impurũ animal habetur, coruum, inquam, lex ipsa præcipit impurum esse animal: quomodo igitur ab impura volucre nutriebatur? Nam si lex ipsa coruum impurum esse dicit, omnino qui à coruo nutriebatur, eum quoque impurum fuisse oportet. Sed caue hoc dicas, caue, inquam, hoc sentias, cùm diuinus Elias à coruo nutritus fuerit: nihil enim ex ijs, quæ à Deo creata sunt, impurũ esse existimo. Interuallo autem temporis factũ est, vt fluuius ille exaresceret. Eliam igitur Deus illinc excitans: Surge, inquit, vade in Sarepta Sidoniorũ, & præcipiam mulieri viduæ, vt te nutriat illic. Hoc autem qua dispensatione Deus effecerit, velim audias: quoniam videlicet nesciebat Elias, quomodo apud alias nationes res se haberet. Cùm enim in vno certo loco sederet, neque orbis terrarũ calamitatem videre posset, quomodo omnia arefacta essent, paludes, fontes, fluuij, plantæ, arbores, fructus, tam maturi, quàm immaturi, tam quę ferunt, quàm quæ nullos ferunt fructus, tam quæ apud fontes, quàm quæ apud paludes aquarum: cùm, inquam, hæc ignoraret, & volucrum, aliarumque rerum omnium interitum, puerorum mortem, & matrum vlulatus, tantam denique orbis terrarum calamitatem nesciret, excitans illum Deus, fecit vt multam terram peragraret, illinc & Sidonem vsque proficiscens, vt cùm vidisset Elias, quo pacto res se haberent, rogaret deinceps Dominum suum, vt pluuiam dare vellet. Excitauit igitur illum ob hanc

rationem ad iter tam longum aggrediendum, non quòd non posset eum illic nutrire, sed vt Eliæ oculis calamitatem illam subijceret, qua ad pluuiam ab ipso rogandam alliceretur. Poterat quidem Deus sine Elia hoc facere, sed nolebat tamen proprium famulum contemnere, ne malorum conciliatorem Eliam, bonorum autem Deum fuisse diceres. Itaque serui sui obsecrationem expectabat. Sed neque sic ille ad misericordiam flectebatur, quinimo duritia quadam vsus, neque cuiusdam rationem habens, viam illam ingressus est: Zelo enim (vt prædixi) ebrius erat. Cur Elia, tāta inhumanitate indutus es? Expecta paulisper, & redargueris etiam ipse peccato esse obnoxius. Propter eorum peccata qui terram habitant, squalorem à Deo ipso impetrasti, cœlum clausisti, terræ frenum imposuisti, & naturæ cursum retinuisti: neq; pro his quę fiunt Deum orare vis. Non multò postea & ipse peccato subiectus esse redargueris, benignitatemque ac veniam à Domino impetrabis, vt tu quoque in conseruos tuos mitem atque humanum te ostendas.

Sed quamobrem hodierno die harum rerum narrationem exponendam suscepi? Vt scilicet vobis ostenderem, propterea non vnum aliquem ex Angelorum numero in terris sacerdotem præfectum fuisse, sed hominē ex homine genitum, ne si peccatorum omnino esset expers, peccantes homines sine misericordia puniret. Sed propterea homo creatus est sacerdos, vt ex proprijs affectibus disceret humanæ naturæ consortibus veniam largiri. Itaque in medium protuli magnos illos viros, quibus cùm populos multos crediturus esset, Deus eos peccato subijci permisit, sed postea peccatum illis condonauit, vt ex ijs quibus ipsi eruditi essent, benigni fierent. Primò Petrum tantum illum Apostolum adduxi, qui cùm peccare permissus fuisset, diuina benignitate adiutus, pœnitentia peccatū deleuit. Deinde venimus ad Eliam, cuius erratum iam iam exponemus, & vt impetratam veniam ostendamus, quoniam volebat quidem Deus Eliam benignitate vti, sed ille nolebat. Volebat Deus pluuiam dare, sed petitionem à seruo requirebat. Cùm igitur totum iter perfecisset Elias, venit in Sarepta Sidoniorum, & vidit mulierem viduam ligna colligentem. Quid expectas amplius, Elia? Cur accurris ad viduam? Vidisti paupertatis exordia. Ne interroges quanta sit eius tenuitas, nihil quæras de his quæ intra domum sunt, cùm paupertatis ingressum iā videris. Quid est quòd in eius domū introire velis? Vidisti ligna colligentem, & ab ea nutriri postulas? Sed habebat ille tanquam pignus quoddam, Domini sermonem. Abijt igitur illuc, vt cum vidua loqueretur. Sed quidnam ait? Da mihi, inquit, paululū aquæ vt bibam. Animaduerte sapiētiam Eliæ, quemadmodum non statim ad maius aliquid petēdum venit, sed ad id quod erat vilius. Non dixit, da mihi panem, sed da mihi aquam. Prius aquam petijt, coniectura colligens, quòd si aquæ facultatē habuerit, posit & panis facultatem habere. Da mihi, inquit, paululū aquę. Abijt vidua, aquam tulit: quam cùm ille bibisset, animum auxit, & ait: Sume mihi & buccellam panis vt comedam. Cui respondet vidua: Viuit Dominus, si est mihi panis cineritius, nisi pugillus farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho, quæ cùm confecero, comedā ego, & filij * mei, & moriemur. Quid ad hęc Elias? Vade, inquit, & fac mihi subcineritium panem seorsum, & comedam, & postea facies liberis tuis & comedent. Quid ais Elia? Esto, panem petis: cur seorsum, & primùm tibi dari vis? An non gratias acturus esses, si vnà cum filijs viduæ comederes? Tu vis panem comedere, & eius filios fame necari? Scio, inquit Elias, quàm copiosa sit Domini mei liberalitas. Hæc ille. Vidua verò, non eius sermone obstupuit, neq; tale quippiam absurdum cogitauit, aut dixit: Tu es, qui famē hanc intulisti, & ex reliquijs huius famis à me nutriri postulas? Non dixit: Tam magnam orbis terrarum partem prętergressus ad me venisti, vt liberos meos fame corrūperes, ipse auctor famis existēs? Nihil tale dixit, sed Abraham illum imitata, ingressa est domum, & fecit sicut à Propheta dictum fuerat. Quinimò licebat videre viduam illam magis quàm Abraham hospitalitatis amantem. Ille enim cùm esset locuples, Angelos hospitio accepit: at hæc post famem mortem expectans, Prophetam accepit. Itaque videre licuit naturam contemptam, & hospitalitatem honoratam. Licebat videre eius viscera proiecta, & Prophetam susceptum, cùm integram filiorum multitudinem sepulchro mandauit. Quantum enim fuit in viduæ proposito, omnes eius filij mortui sunt: sed Dei benignitate factum est, vt viuerent, & incolumes essent. Nescio certè quibus verbis huius viduę laudes comprehendam, quemadmodum seipsam & filios contempserit, & hospitalitatis studiū secuta fuerit, quemadmodum eius natura non tabuerit, & viscera nō dissoluta sint, cùm videret integram filiorum multitudinem iam iam fame perituram. Sed illa animum gerens omnibus his rebus superiorem, accepit Prophetam hospitio. Cùm verò Propheta ipse panem accepisset, & comedisset, deinceps mercedem retribuit. Hospitalitatis sementem vidua sparsit, & statim florentem atque copiosam hospitalitatis messem collegit. Quid enim Elias ait viduæ? Viuit Dominus, hydria farinæ non deficiet, & lechytus olei non imminuetur. Facta est

** Cùm Chrysostomus huius viduæ filios numero plurali nominet, aduerte illum interpretationē Septuaginta secutū esse.*

eſt viduæ dextera torcular,& ſiniſtra facta eſt area,& manipuli fructum in ipſa neceſſitate reddentes,ac propter prophetę dicta viduam illam nutrientes. Torcular & area effecta eſt domus viduæ. Non imber,non pluuia, non ver,non autumnus,non æſtas,non æſtus,non ventorum vis,non temporum mutationes,ſed verbum vnum ex illius Prophetæ ſententia prolatum abundantem rerum copiam viduæ ſuppeditauit. Poſt hæc (vt orationem concidam) abijt illinc ad Regem Achab: Dicam nunc eius rectè facta,vt cùm peccantem videris, diſcas ex Dei gratia bona omnia proficiſci. Sed quidnam Eliæ dixit Achab? Tu,inquit,es qui peruertis Iſraelem. Cui Elias reſpondit: Non ego id facio, ſed tu,& domus patris tui. Vidiſti liberam Prophetæ orationem,quemadmodum Regem ipſum redarguit? Poſt hæc cùm ſederet in monte, venit ad ipſum quinquagenarius,& ait: Homo Dei deſcende,quia Rex te vocat. Cui Elias: Si homo Dei,inquit,ſum ego,deſcendat ignis de cælo,& deuoret te,& quinquaginta tuos. Deinde venit alius quinquagenarius,& ait: Homo Dei deſcende, quia Rex te opus habet. Si homo Dei ſum ego , inquit Elias , deſcendat ignis de cœlo, & deuoret te,& 50. tuos. Ad hæc venit ad orationis conuentionem:cumque ſacerdotes illos infames Baal prouocaſſet: Oremus,inquit,& addidit: Facite vos ſeorſum altare,& eligite duos boues,& imponite ligna ſuper vnum bouem, & ignem non imponite,& ego idem faciam: Poſtea inuocate nomen Deorum veſtrorum,& ego nomen Dei mei: & qui Deus exaudierit ignem mittendo, hic erit verus Deus . Fecerunt ſacerdotes infames altare, & cœperunt inuocare Baal,dicentes: Exaudi nos Baal,exaudi nos. Cùm verò multo clamore edito,nemo eſſet qui exaudiret(non enim erat vox,neq; auditio)expectabat Elias patientiam retinens,donec illi orarent. Cùm autē vidiſſet multā eſſe illorum moram,& intenſos clamores,neque quenquā exaudire,irridens illos: Clamate,inquit,quàm maximè poteſtis, nam fortè dormit Deus veſter. Poſt hæc cùm meridies eſſet,& tempus proceſſiſſet: Concede,inquit Elias,vt faciam holocauſtum meum:cumq; feciſſet altare,& impoſuiſſet ligna, dixit: Adferte aquam circa altare: Adferte,inquit,bis tantum & ter tantum. Fecerunt hoc miniſtri. Velim conſideres,quare ab Elia hoc factum ſit. Quoniam erroris mos eſt veritati propria vitia obijcere. Id quod faciunt meretrices, anticipant enim ipſæ,& ingenuas fœminas meretrices vocant, vt non habeant illæ quid conuicij obijciant . Propterea etiam in hac re ſapienter ſe geſsit Elias. Attende quæſo,quod dicturus ſum: Vidi enim ipſe quod dicam . In idolorum altaribus foramina quædam ſunt ex inferiore altaris parte, & fouea quædam obſcura: deſcendunt autem erroris artifices in foueam illam, & ex foraminibus, quæ diximus,ignem ſufflant ad ſacrificium conficiendū,ita vt multi decepti cæleſtem eſſe ignem illum exiſtimant. Ne igitur & Elias in ſuſpitionē veniret,quòd & ipſe aliquid tale machinatus eſſet,aquam effudit,vt aqua illa nulla eſſe infra altare foramina oſtēderet: Vbi enim foramen aqua inuenerit,illic aqua non conſiſtit,ſed per foramina ipſa defluat neceſſe eſt. Impleuit igitur altare,& his verbis Deum orauit: Exaudi me Domine,hodie in igne. Exaudiſti me in aqua,exaudi me & in igne. Vidiſti elementorū aurigam & gubernatorem Eliam? Et ecce,inquit,cùm ipſe inuocaſſet,celeriter ignis deſcendit de cælo,& conſumpſit ſacrificium & lapides: & aquam deleuit ignis. Tunc ille: Comprehēdite,inquit,ſacerdotes iſtos infames,& nemo ſeruetur ex ipſis. Cōprehenderunt,& interfecerunt ipſos,quadringentos ſcilicet,& quinquaginta ſacerdotes Baal, & quadringentos ſacerdotes ſublimium montium. Audiuit Iezabel vxor Regis Achab,quę facta fuerant,& miſit ad Eliam,dicens: Hæc faciant mihi dij,& hæc addant,niſi cras ponam animam tuam,vt animā vnius ipſorum. Cùm hæc audiſſet Elias,aufugit. Vbinā quæſo? Eſt Elias ille talis,tantuſq; vir. Propoſitum enim mihi eſt oſtendere, quòd peccato ſuccubuerit. Hoc autem dico,non accuſans virum illum iuſtum: ſed ſalutis materiam tibi procurans,vt cùm ſanctos quoq; peccantes videris,& de ſua ſalute non deſperantes,ſed diuinę benignitatis compotes factos,tu etiam ſi peccaueris, ſalutem valde ſperes. Cùm igitur dixiſſet Iezabel: Hæc faciant mihi Dij,& hæc addant, niſi cras ponam animam tuam, vt animam vnius ex ipſis: Audiuit Elias, & fugit itinere dierum quadraginta. Proh facinus. Quanta fuit hæc timiditas? Mulieris vnius audiuit verbum,& aufugit quadraginta dierum itinere,idque fecit non poſt vnum,aut alterum,aut tertium diem,ſed cùm primùm mulieris ſermo ad ſe perlatus eſt, ac præ metu neſciens quid ageret,tantam fugam corripuit. Quid hoc eſt,Elia? Tu ne ille es,qui cœlum clauſiſti,pluuiam refrenaſti,aëre iuſſiſti, & ignem ex alto euocaſti, ſacerdotes interfeciſti, & Regi Achab dixiſti: Tu es,qui peruertis Iſraelem,& domus patris tui? item illud: Viuit Dominus,ſi erit pluuia,niſi per os meum: qui denique domum viduę copioſam quandam aream & manipulos effeciſti,& eius filium mortuum ſuſcitaſti? Talis,inquam,tantuſq; vir, mulieris verbo audito,aufugiſti,& mulier vna captiuū te ducit? Duo illa propugnacula & arces à duabus mulieribus ſunt redargutæ,Petrus puellā extimuit,& Elias Iezabel formidans,in ſimile incidit peccatū,& fugit itinere dierū quadraginta. Vbinā eſt ille feruor tuus,

Elia, cùm dicebas: Viuit Dominus, si erit pluuia nisi per os meum: cùm Achab regem redarguebas, & ignẽ è cœlo euocãs, tot & tanta fecisti? En vt mulieris vnius sermonẽ non sustinuisti. Vbinã est illa tua cõstantia, cùm Dominũ rogare noluisti, vt pluuiã daret terrę? Manifestis enim quibusdã demõstrationibus te prouocabat, quasi illud diceret: Pete à me, Elia, vt terræ dem aquas. Poterat ille quidẽ id facere sine te, sed nolebat tamen: vt quẽadmodum mala per te inuecta fuerant, ita & bona per te conciliarentur. Tu quidem facinus cõmisisti crudelitatis plenũ, at Deus calamitatẽ tantam miseratus est, quoniam ipse omniũ rerũ creator & opifex est. Cumq; omniũ esset curator, volebat ille quidẽ in hac charitatem tuam lenire, tu verò in illa permanebas. Dicebat ille: Noui ego præsentẽ calamitatẽ, noui matrũ eiulatus, & puerorũ vlulatus, video terræ illius quam ipse feci, speciẽ immutatam, itaque volo benignè cum illa agere, sed nolo tamen te contemnere, & sine tuo consensu pluuiam emittere, ne malorum causa tu sis, & bonorum expers existas. Honoris igitur tui gratia id facio. O summam Domini nostri benignitatem. Hæc quidem Deus faciebat, sed Elias tamen multũ arrogantiæ habebat, quasi ipse peccare non posset. Nunc autẽ & illum peccato succubuisse ostẽdimus, cùm hoc Deus permiserit, ac prouiderit, vt quarum rerum indulgẽtiam ipse impetrauit, eam & in alios exerceret. Fugit, inquit, Elias itinere dierum quadraginta. Cùm vellet Deus declarare miracula illa quæ ostensa fuerant, non ab Elia, sed à sua ipsius potentia facta esse, vide quid faciat. Quo tempore Deus ipse operabatur, Reges, principes, & populi Eliæ succumbebant. Cùm verò Deus abscessisset, etiam mulier vna Prophetæ illa terribilis visa est. Abscessit Deus, & natura humana redarguta fuit. Sed nihilominus tamen cùm fugisset Elias diebus quadraginta, & dormiret in loco quodam, venit ad illum Deus: Dominus ad seruum, suam in humanũ genus charitatem vti creator exercens. Sed quidnam ait? Sciebat ille quidem quamobrem Elias illuc venerat, interrogauit tamen illum his verbis: Quid tu hic Elia, quid, inquam, hic agis? Hæc dicens fugam illius innuebat, quasi diceret: Cur aufugisti? Vbinam est illa tua in loquendo libertas, vt discas viribus tuis non confidere? Respondit Elias, alia in mente habens, & alia dicens: Domine Prophetas tuos interfecerunt, altaria tua suffoderunt, & ego relictus sum solus, & quærunt animã meam, vt auferant eam. Quid ad hæc Deus? Statim illum redarguens: Non propterea, inquit, fugisti Elia, non enim tu solus es Baal non adorans. Subiungit autẽ eum redarguens: Reliqui mihi ipsi septem milia virorũ, qui non curuauerunt genua ante Baal. Redarguit igitur illũ, quòd non ob eam causam fugisset, sed propter mulieris timorẽ.

Sic mulier vna talem tantumque Prophetam Eliam fugitiuum effecit, vt discas, cùm aliquid admirabile feceris, illud non tibi, sed Dei potentiæ tribuendum esse. Vidisti quemadmodum discedẽte gratia diuina, redarguta est natura humana? Fugit enim Elias itinere dierum quadraginta. O timorẽ nimium, ô formidinis vehemẽtiam. Non vno, aut altero, aut tertio, sed quadraginta diebus aufugit, & ad regionem omnino desertam se contulit, non nutrimentũ, non cibum aliquem secum ferens: nam tanquã ebrius præ metu cætera nihil curabat: sed desertas tantum regiones sequebatur. Quemadmodum enim ventus Zephyrus, cùm vehementer flat in velum aliquod, nauigium ipsum cum impetu transmittit, ita illius mulieris oratio in Prophetam irruẽs, multo cum impetu ad solitudinẽ desertam eum compulit. Vbi nunc est, Elia, tua in loquendo libertas? Vbinam os illud terribile? Vbi lingua, imbrium atque ignis gubernatrix, & quæ elementis imperabat, modò cœlum claudens ne pluuiam demitteret, modò ignem ad sacrificium aduocans? Sed, vt suprà dixi, hæc faciebat Elias Dei gratia operãte: quocirca & à Deo postmodũ redarguitur. Vides quemadmodum in peccatũ exiguũ illud quidẽ permissus est incidere Elias, vt integrã benignitatis formã se indueret? Deinceps enim eruditus est, vt benignus esset quemadmodum & eius Dominus, & quam indulgentiã in se fuerat expertus, eandem & in alios ostenderet. Vidistis quemadmodũ Deus permiserit in peccatũ, quamuis exiguum, incidere columnas illas, propugnacula, & turres, ne si omnino fuissent isti à peccatis liberi, omnes ab Ecclesia exciderent, neq; cùm viderent aliquem peccantẽ, immites & inhumani essent: sed suorum etiam peccatorum memores, quam illi à Domino benignitatem impetrarunt, eam & ipsi libenter alijs impartirent. Hæc diximus, non vt iustos illos viros reprehendamus, sed vt salutis viã vobis præparemus, vtq; cùm peccaueritis, de vestra salute non desperetis, viros ipsos memoria repetentes, qui cùm deliquissent, per pœnitentiã honorem non aliqua ex parte imminutũ, sed integrum qualem antea possidebant, recuperarunt. Diximus primùm quantæ fuerint illorũ virtutes, & deinde protulimus peccata illa tenuia, in quæ lapsi sunt. Ergo & tu, quamuis peccator sis, ab Ecclesia abesse noli. Quamuis etiam iustus sis, noli abesse, vt scripturarũ cognitione aures tuæ personẽt, & iustus permaneas, memoria repetens, quæ pertinent ad regnum cœlorũ, & bona illa, quæ præparauit Deus diligentibus se, quoniã gloria Patri, Filio, & sancto, bono, & vitę datori Spiritui in secula seculorũ. Amen.

EX LIBRO PRIMO HISTORIARVM Diui Gregorij Turonensis.

PETRVS ROMAM VENIT, ET PER MARTYRIVM Christo testimonium, vt cæteri Apostoli, perhibet.

BEATVS Petrus Apostolus sub Imperatore Claudio quarto ab Augusto, Romam 1 aggreditur, ibiq; prædicans in multis virtutibus manifestissimè Christum esse Dei filium comprobauit. Ab illis enim diebus Christiani apud ciuitatem Romanam esse cœperunt. Cùm autem nomen Christi per populos magis ac magis dilataretur, oritur contra hoc antiqui serpentis inuidia, & totis se Imperatoris pręcordijs immittit sæua malignitas. Nam Nero ille luxuriosus, vanus atque superbus, virorum succuba, & rursus virorum appetitor, matris, sororum, ac proximarum quarumq; mulierum spurcissimus violator, ad complendam malitię suæ molem, primus contra Christi cultum persecutioné excitat in credentes. Habebat enim secum Simonem Magum, virum totius malitiæ, & omnis magicæ artis magistrum. Hoc eliso per Apostolos Domini, Petrum atque Paulum, commotus contra eos, quòd Christum filium Dei prędicarent, & idola adorare contemnerent, Petrum cruce, Paulum gladio iubet interfici. Ipse verò excitatam super se seditionem fugere tentans, quarto ab Vrbe lapide propria se manu interfecit. Tunc & Iacobus frater Domini, & Marcus Euangelista pro Christi nomine glorioso martyrio coronati sunt. Primus tamen omnium hanc viam Leuita Stephanus & martyr intrauit. Magna autem post Iacobi Apostoli necem Iudæos calamitas est assecuta. Nam adueniente Vespasiano & templum incensum est, & sexcenta milia Iudæorũ eo bello gladio & fame confecta sunt. Domitianus autem secundò post Neronem in Christianos sæuit, Ioannemque Apostolum in insulam Pathmos relegat in exiliũ, & diuersas crudelitates in populos agitat. Post cuius mortem beatus Ioannes Apostolus, & Euangelista de exilio redijt, qui senex & plenus dierum, perfectæque in Deum vitæ, viuens se deposuit in sepulchro. Hic fertur non gustare mortem, donec iteratò Dominus iudicaturus adueniat, ipso in Euangelijs ita dicente: Sic eum volo manere donec veniam.

1 Habes hic Petrũ & Paulũ Romæ fuisse, ibiq; Christum prædicasse, & sub Nerone in eadem vrbe martyrio fuisse coronatos.

VITA SANCTI PAVLI APOSTOLI, per Diuum Hieronymum scripta.

PAVLVS Apostolus, qui antè Saulus extra numerum duodecim Apostolorum, de tribu Beniamin, & oppido Iudeæ Giscalis fuit, quo à Romanis capto, cum parentibus suis Tharsum Ciliciæ commigrauit, à quibus ob studia legis missus Hierosolymam, à Gamaliele viro doctissimo, cuius Lucas meminit, eruditus est. Cùm autem interfuisset neci martyris Stephani, & acceptis à Pontifice templi epistolis, ad persequendos eos, qui Christo crediderant, Damascum pergeret, reuelatione compulsus ad fidem, quę in Actibus Apostolorum scribitur, in vas electionis de persecutore translatus est. Cumque primùm ad prædicationé eius Sergius Paulus, proconsul Cypri credidisset, ab eo quòd eum Christi fidei subegerat, sortitus est nomen Paulus: & iuncto sibi Barnaba, multis vrbibus peragratis, reuertensque Hierosolymam, à Petro Iacoboque & Ioanne, Gentium Apostolus ordinatus. Et quia in Actibus Apostolorum plenissimè de eius conuersatione scriptum est, hoc tantùm dicam, quòd post passionem Domini vigesimoquinto anno, id est, secundo Neronis, eo tempore quo Festus procurator Iudeæ successit Felici, Romam vinctus mittitur, & biennium in libera manens custodia, aduersus Iudęos de aduentu Christi quotidie disputauit. Sciendum autem in prima satisfactione, necdum Neronis imperio roborato, nec in tanta erumpente scelera, quanta de eo narrant historiæ, Paulũ à Nerone dimissum, vt Euangelium Christi in Occidentis quoque partibus prædicaret: sicut ipse scribit in secunda epistola ad Timotheum, eo tempore quo & passus est, de vinculis dictans epistolã. In prima mea satisfactione nemo mihi adfuit, sed omnes me dereliquerunt, non eis imputetur. Dominus autem mihi adfuit, & confortauit me, vt per me prædicatio compleretur, & audirent omnes gentes: & liberatus sum de ore leonis: manifestissimè leonem propter crudelitaté Neronem significans. Et in sequentibus: Liberatus sum de ore leonis. Et statim: Liberauit me Dominus ab omni opere malo, & saluauit me in regnum suum cœleste, quod scilicet præsens sibi sentiret imminere martyriũ. Nam & in eadem epistola

Habetur in libro eiusdem de Viris illustribus.

præmiserat: Ego enim iam immolor, & tempus resolutionis meæ instat. [1] Hic ergo decimoquarto Neronis anno, eodem die quo Petrus Romæ pro Christo capite truncatus, sepultusque est in via Ostiensi, anno post passionem Domini trigesimoseptimo. Scripsit autem nouem ad septem Ecclesias epistolas: ad Romanos vnam, ad Corinthios duas, ad Galatas vnam, ad Ephesios vnam, ad Philippenses vnam, ad Collossenses vnam, ad Thessalonicenses duas: præterea ad discipulos suos. Timotheo duas, Tito vnam, Philemoni vnam. Epistola autem quæ fertur ad Hebræos, non eius creditur, propter styli sermonisque distantiam: sed vel Barnabæ, iuxta Tertullianum: vel Lucæ Euangelistæ, iuxta quosdam: vel Clementis Romanæ postea Ecclesiæ Episcopi, quem aiunt ipsi adiunctum, sententias Pauli proprio ordinasse & ornasse sermone. Vel certè, quia Paulus scribebat ad Hebræos, & propter inuidiam sui apud eos nominis, titulū in principio salutationes amputauerat. Scripserat vt Hebræus Hebræis Hebraicè, id est, suo eloquio disertissimè, vt ea quæ eloquenter scripta fuerant in Hebræo, eloquentius verterentur in Græcum: & hanc causam esse, quòd à cæteris Pauli epistolis discrepare videatur. Legunt quidam & ad Laodicenses, sed ab omnibus exploditur. Igitur Nero, vt apertum se hostem diuinitatis pietatisque professus est, ipsorum prius Apostolorum, quippe qui duces & signiferi erant in populo Dei, expetit neces. Et Paulum quidem capite in ipsa vrbe Roma, Petrum verò crucis patibulo condemnat. Horum testimonium quærere extrinsecus superfluum puto, cùm rem gestam insignia vsque in hodiernū, & splendidissima eorum monumenta testentur. Veruntamen scribit de his etiam [2] Caius quidam scriptor antiquus, qui cum Zephirino Episcopo Romano aduersum Proculum quendam Cataphrygam disputans, hæc de Apostolorum commemorat locis. Ego, inquit, habeo trophea Apostolorum, quæ ostendam. Si enim procedas via regali, quæ ad Vaticanum ducit, aut via Ostiensi, inuenies trophea defixa, quibus ex vtraque parte statutis Romana communitur Ecclesia. Quod autem eodem tempore ambo passi sint, Corinthiorum Episcopus Dionysius, cùm in vrbe positus esset, & de scripturis disputaret, hoc dicit: Sed & vos habentes commonitionem à Petro & Paulo, plantationem [3] Romanæ & Corinthiorum Ecclesiæ coniunxistis. Ambo etenim simul aduentantes, & in nostra Corinthiorum Ecclesia docuerunt, & per omnem Italiam, atque in hac vrbe simul docentes, etiam martyrio pariter, vno eodemque tempore coronati sunt. Hæc autem retulimus, vt historia quæ in opinione omnium est, confirmatior habeatur.

[1] Si hæc te Hieronymi verba super epistolam ad Hebræos perturbant, confirment quæ postea in 2. capite ad Titum scribit, nempe hāc epistolā iam inter Ecclesiasticas esse receptam, & in 1. ad Galatas, vbi eam Pauli liberè nominat. Sed apertius in prologo super epist. ad Titū asserit hanc epistolam ab hæreticis propterea esse reiectam, quod in ea omne dogma manifestè destrueretur.

[2] Ex historiæ Ecclesiast. lib. 2. cap. 23.

[3] Heus tu qui imprudenter garris Petrum nunquam Romæ fuisse.

VITA SANCTI PAVLI APOSTOLI, PER Diuum Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libro eiusdem de patribus noui testamenti.

PAulus, qui antea Saulus, Apostolus Gentium, aduocatus Iudæorum, à Christo de cœlo vocatus, & in terra prostratus, qui oculatus cecidit, cœcatus surrexit, ex persequutore factus est vas electionis, & ex lupo agnus, inter Apostolos vocatione nouissimus, prædicatione primus, in lege Gamalielis discipulus, in Euangelio Christi seruus, cuius patria Iudæa fuit, genus de tribu Beniamin. Hic secundo post ascensionem Domini anno baptizatus, dignitatem meruit Apostolatus, atque plus omnibus laborans, multò latius inter cæteros verbi Dei gratiam seminauit, atque doctrinam Euangelicam sua prædicatione compleuit, incipiens ab Hierosolymis vsq; ad Illyricum, & in Italiam, Hispaniamq; processit, ac nomen Christi multarum Gentium populis manifestauit, quibus non fuerat declaratum. Cuius miracula ista esse noscuntur. Raptus tertium cœlum ascendit. Seducentem Phytonis spiritum imperata discessione damnauit. Adolescenti mortuo vitalem redintegrauit spiritum. Cœcitate præclusit Magum. Claudo proprium reformauit incessum. Diri serpentis nec sensit morsum, sed igni dedit arsurū. Patrem etiam Publij à febribus orando sanauit. Ob amorem quoque Christi multas passiones sustinuit. In primis Iudaicas persecutiones, & gentium miserias, & laborem, famem, sitim, frigus, & nuditatem, die ac nocte profundi naufragia, mille pericula, ferrum, verbera, carcerales tenebras, tormenta catenarum, calores & vincula. Inter hæc ligatur, & Iudæis traditur, à gentibus lapidatur ad necem, in sporta per murum dimittitur, virgis cæditur, pœnis arctatur, in carcere vinctus, terræ motu facto resoluitur. Ad vltimum à Nerone gladio occiditur eo die, quo & Petrus crucifixus est. Sic enim oportuerat, vt ij, qui simul confessi sunt, vno die coronarentur. Sepultus est Romæ via Hostiensi anno post passionem Domini trigesimosexto, tertio miliario ab vrbe, contra Orientalem plagam.

THEO-

THEODORI DAPHNOPATI ENCOMIVM SANCTI & magni Apostoli Christi Pauli, collectum ex diuersis orationibus Diui Chrysostomi, & encomijs, quæ fecit in magnum Paulum.

Apud Symeonem Metaphrasten.

VNIVERSA quidem lex encomiorum, & omnis oratiò cōposita arte oratorum à splendoris sanctorum vincitur magnitudine, maximè autem quæ de diuinis, & Principibus habetur Apostolis. Quantum enim alios, martyres inquam, & iustos gloria, & honore, & apud Deū propinquitate superant, tantò etiam sunt superiores lege encomiorū eorū decertationes, & ea, in quibus alijs antecellunt, quòd humanam rationem superant, & cogitationem, quæ pro vniuerso orbe terrarum certamina susceperunt, & quæ præclarè gesserunt. Quamobrem vestrum veluti placantes desiderium, etiamsi cœptum sit audax, cùm eorū laudes verbis studeremus extollere, cogitassemus autē id planè fieri non posse, nec à nobis est suscipiendū ex ijs, quæ à diuino patre, & melle fluente Chrysostomo variè dicta sunt, moralibus, inquam, orationibus & suasionibus, sermonibusque, & encomijs, & ijs quæ sunt aliter ab eo laborata, id quod est vtile (vt par est) eligentes, & in vnā harmoniam & consonantiā componentes, eis vnum ex omnibus encomium obtulimus, eisdem (vt semel dicam) dictionibus, quoad eius fieri potuit, & sententijs, & verbis id ornantes. Sic autem habet. Apostolicorū quidem Actuum inscriptionis totum iam vobis debitum exoluimus. Deinceps autem erat consequens libri aggredi principium, & dicere, quidnam sit illud: Primùm quidem verba feci, ô Theophile, de omnibus, quæ Iesus cœpit facere, & docere. Sed Paulus non sinit nos vti hoc ordine consequentiæ, ad se, & ad rectè eius facta linguam nostram vocans. Cupio enim videre ipsum vinctum introduci Damascum, non catena ferrea, sed voce Domini. Cupio videre ipsum captū, hunc, inquam, magnū piscem, qui mare vniuersum agitauit, qui fluctus innumerabiles excitauit in Ecclesiam. Cupio videre eum vinctum non hamo, sed verbo Domini. Nam quomodo quidam piscator sedens super altam petram, & ex alto tenens arundinem, hamū mittit in mare: ita etiam noster Dominus, qui piscatum ostendit spiritalem, sedens tanquam in alta petra cœlorum, tanquam hamū vocem illam emittens desuper, & dicens: Saule Saule, quid me persequeris? Sic cepit hunc magnum piscem. Quis enim illum crudelem, & inhumanū, & persecutorem, & blasphemum, & Ecclesiam sic vastantem, vt etiam domos ingrediens traheret viros & fœminas, & omnia confunderet & perturbaret, sustinuisset: si non repentè eum Rex noster transmutasset, & ad se reduxisset? Etenim discipuli quoque, vbi eum vidissent adfuisse, timore affecti horrebant, & ne eum quidem audebant aspicere: & quando rursus fuit ex amicis, eundem metum ostendebant. Si eum ergo timebant etiam reconciliatum, si fuisset inimicus & hostis, quid nō fecissent? Ego autē quid agam? Necesse est, vt maxima fugiam celeritate, ne si me rursus apprehenderit, abducat à proposito. Scitis enim quòd cùm sæpe mihi aliò eunti, & ad aliud conuerso occurrisset, me in media detinuit oratione, & sic cepit, vt in ea persuaserit finire orationem. Hic ergo beatus Paulus, qui vniuersum orbem terræ illuminauit in tēpore vocationis, aliquādo est excœcatus: sed illius excœcatio facta est totius orbis terrę illuminatio. Quoniā enim malè videbat, eum Deus rectè excœcauit, vt vtiliter aspiceret. Et quoniam Dei Ecclesiam summè persequebatur, & erat adeo vehemens & alienus à congressione, accipit frenum vehemētius, ne si eum abduceret impetus illius animi alacritatis, non obediret ijs quæ dicebantur, & vt sciret cum quo bellum gereret: quem non solùm punientem, sed neque beneficio afficientem ferre potest. Neque enim eum obcœcauerunt tenebræ, sed lux modum excedens ei offudit tenebras.

Si nos ergo bellum circunsisteret Barbaricum, & in acie hostes maximam exhibuissent molestiam: deinde Imperator hostiū, qui innumerabiles admouebat machinas, & nostra omnia confundebat, multoq; tumultu & turba replebat, & ipsam minabatur se vrbē diruturum & igni mandaturū, & nobis intentabat seruitutem, repentè à nostro Rege ligatus in vrbem duceretur captiuus, non omnes cum fœminis & infantibus exilijssemus ad illud spectaculum? Cùm autem nunc quoque est bellum conflatum, Iudæis omnia perturbantibus, & ad oppugnandam Ecclesiam machinas omnes adhibentibus: hostium verò caput est Paulus, qui omnia magna facit, & dicit, qui omnia permiscet & perturbat: eum autem alligauit Dominus noster Iesus Christus Rex noster: non egrediemur omnes ad hoc spectaculum, vt videamus eum duci captiuum? Etenim Angeli è cœlis videntes eum vinctum introduci, exultabant, non quoniā videbant eum vinctum, sed quoniam mente agitabant, quot

quot homines è vinculis esset liberaturus: non quoniam eum manu duci cernebant, sed quoniá intelligebát, quàm multos ille homines esset è terra in cœlũ deducturus: non quoniam eum orbatũ aspiciebant, sed quoniá cogitabant, quàm multos ille esset educturus è tenebris. Propterea ego quoq; alijs omnibus dimissis, ad Paulum exilire cõtendo. Paulus enim, & Pauli desideriũ coegit nos hunc facere saltũ. Quis loqueretur potentias tuas Domine? Quoniá non siuisti Paulũ latêre: quoniam talem virũ ostendisti orbi terræ. Laudauerunt te omnes Angeli vno animo, quádo astra fecisti, & quando solem: Sed non sic vt quádo Paulũ ostẽdisti vniuerso orbi terræ. Propterea terra fuit cœlo lætior, quoniá hic est lætior solari luce. Et hic quidẽ sol cedit nocti, ille autẽ superauit diabolũ. Et hic quidẽ in alto fertur, & deorsum immittit radios: ille autẽ infernè oriens non mediũ cœli & terræ luce impleuit: sed & os aperuit, & Angelos magna impleuit voluptate. Si enim propter vnum peccatorẽ pœnitẽtiam agentem est gaudium in cœlis, ipse verò ex prima concione venatus est quinque virorũ myriades, quomodo superiores virtutes gaudio non implebit infinito? Quid autem dico? Sufficit Paulus solummodo loquendo ad efficiendum vt cœli exultent & lætentur. Quid enim est huius visceribus feruentius, qui totum orbem terræ percurrit tractus, lapidibus appetitus, & vinctus vt vinctos solueret, & ad se traduceret?

Neque enim tanquam pugnans sic res confecit, sed tanquam ad promptam & paratam veniens victoriam sic erexit trophea, destruens, diruens, deijciens diaboli munitiones, & machinas dæmonum. Et neque parum quidem respirabat ab his ad illos, & rursus ab illis ad alios transiliens, tanquam optimus aliquis Imperator, quotidie trophea erigens, & victorias, vel potius horis singulis. Tunica enim sola indutus veniens in aciẽ, cum ipsis viris capiebat vrbes aduersariorum, telaque & lanceas. Et omnia lingua Pauli. Solùm enim loquebatur, & illius verba, quasi ignis fluxiones in hostes incidentes, fugabant quidem dæmones, & eos qui ab ipsis detinebantur, homines ad ipsum deducebant. Quando enim malum eiecit demonem, quinque præstigiatorum, & maleficorũ hominum conuenientes myriades combusserunt libros artis magicæ, & transierunt ad veritatẽ. Et quomodo cùm in bello turris cecidit, aut deiectus fuit tyrannus, qui cum illo erant, omnes abiectis armis accurrunt ad Imperatorem: Ita etiam tunc factũ est. Eiecto enim dæmone, obsessi omnes cùm libros abiecissent vel potius dissoluissent, ad Pauli pedes concurrebant. Ille autẽ tanquam vno exercitu dirigens aciem aduersus orbẽ terræ, nusquá consistebat, sed tanquam alatus esset quispiam omnia faciebat. Et tunc quidẽ claudũ corrigebat: nunc autem alium orbabat, Magum, inquam. Et nec in carcere quidem inclusus quiescebat: sed illic quoque custodem carceris ad se traduxit, efficiens illam pulchram captiuitatem. In admiratione habetur Dauid qui Goliath vno solo deprimit lapide: sed si quis præclara Pauli facta examinauerit, & cum facto illius pueri cõparauerit, quantũ interest inter pastorẽ & Imperatorem, tanta est inter hunc & illum differentia. Hic enim non lapidem iaciens prostrauit Goliath, qui percipitur intelligẽtia: sed solùm loquens perfregit vniuersam diaboli cateruam. Et tanquam leo rugiens, & flammam lingua emittens, sic inuadendo erat omnibus intolerabilis, & in omnem partem assiduè transiliebat: Ad hos currebat, ad illos veniebat: ad hos transibat, ad illos resiliebat, vento inuadens celeriùs, & perinde ac domũ vnam, aut nauigium vnum, gubernans vniuersum orbem terræ: & eos qui submergebantur sursum attrahens, eos verò qui caligabant confirmans, nautas adhortans, ceruicibus imminens, proram circumspiciens, funes tendens, remum tractans, velum trahens, cœlum suspiciens.

Ipse deniq; erat omnia, & nauta, & gubernator, & qui prorá regit, & velũ, & nauigium, & omnia patiens, vt mala solueret aliorũ. Et quomodo quidá athleta ipse luctás, currens, pugnis decertans, aut miles muros oppugnans, pedes, manus conferens, & nauali pugnás certamine, nullum non pugnæ genus obibat, & ignẽ spirabat: neq; vllus poterat ad eum accedere, vno corpore totũ orbẽ terræ occupans, & vna lingua omnes fundens, ac fugás. Non sic multæ tubæ irruebant in lapides vrbis Hierichontinæ, & eos diruebant, vt vox Pauli quæ resonabat, humi diabolicas deiecit munitiones, & ad se traduxit aduersarios. Et per fenestrá demissus fuit è pariete, vt ab inferiori loco sursum trásmitteret eos, qui humi sunt abiecti. Atq; famem quidem & sitim, & nuditatẽ, & naufragia, & metus, & insidias, & carceres, & plagas, & alia omnia, quæ sustinuit beatus Paulus propter prædicationem, nihil arbitror oportere dicere. Sufficiebat enim vnumquodq; eorum ad valde conturbandam & frangendá sanctam illam animá. Quádo autem dicit: Quis infirmatur, & ego non infirmor? Quis scádalizatur, & ego non accẽdor? hoc est quod omniũ maximè perpetuá & intolerabilẽ ei præbebat animi ægritudinẽ. Si enim in vnoquoq; eorũ qui scandalizabantur, ipse accẽdebatur, non poterat ardor ille extingui ex illius anima. Nõ deerát enim qui scandalizabantur, & igni præbebant materiam. Videre autem Iudæos non credentes, quámnam eum vel paruá sinebat habere dilationẽ doloris & ægritudinis? Optarẽ enim,

inquit,

inquit, anathema esse à Christo pro fratribus meis, cognatis meis secundùm carnem, qui quidem sunt Israëlitæ. Quod autem dicit eiusmodi: Mihi esset optabilius in gehennam incidere, quam Israëlitas videre non credentes. Qui autem in gehenna elegit supplicium, vt posit omnes Iudęos adducere, clarũ est, quòd qui hoc non fuit assecutus, ijs qui puniebantur in gehenna vitam egit grauiorem. O ardentem amorẽ charitatis. Qui aduersus ignem fuit audax Paulus, qui adamantinus, qui firmus & validus, qui immobilis, qui inflexibilis, qui dicebat: Quis nos separabit à charitate Christi? afflictio, an angustia, an fames, an persecutio, an nuditas, an periculum, an gladius? Qui in terra & mari suam ostendebat audaciam, qui adamantinas irridebat mortis portas: is postquam vidit lachrymas quorundam dilectorũ, adeo fuit fractus & contritus, vt ne celaret quidem affectionẽ, sed statim diceret: Quid facitis flentes, & cor meum conterentes? O miraculum. Non contriuit eum abyssus aquarũ, & paucæ eũ lachrymæ contriuerunt, & fregerũt. Quid facitis flentes, & conterentes cor meũ? Quid dicis? Dic mihi: Adamantinã illam animam potuit cõterere lachryma? Certè, inquit: magna est enim vis charitatis: Ea me vincit & superat: resisto enim omnibus, præterquàm charitati. Audite, quicunque ne pecunias quidem propter Christũ despicitis, imò verò propter vos ipsos: & stupetis, Pauli amorem in Christum cogitantes, & admirantes? Neque enim Christum sic diligebat, propter ea quæ sunt Christi, sed propter ipsum res illius. Et vnum solùm timebat, ne excideret ab ea quę est in illum charitate. Hoc enim erat ei vel gehenna terribilius, sicut etiã in ea manere vel regno optabilius. Quando ergo ille propter Christi desiderium vel in gehennã non recusat incidere, & à regno excidere, si vtraque hæc essent proposita: nos autem ne præsentem quidem vitam despicimus, sumúsne digni vel illius calceis, cùm tantùm absumus ab eius animi magnitudine? Si enim qui vnius domus tantùm curam gerit, etsi habeat procuratores, ministros, & œconomos, sæpenumerò ne respirat quidem propter curas, cùm nemo sit qui ei molestiam exhibeat: qui non vnius domus, sed ciuitatum, & populorum, & gentium, & vniuersi denique orbis terræ curam gerit, suntque tot & tanta negotia, & tam multi qui insultant, & obsunt, idque cùm sit solus, & tot & tanta patiatur, & tantam curam gerit, quanta nec pater filiorum, cogita quid sustinuit. Si quis vult diligere germanè & syncerè, & scire vim charitatis, currat ad eius alumnum beatum Paulum: & ille eum docebit, quantum sit certamen ferre separationem à dilecto, & quanto animo opus habeat. Hic enim, hi qui carnem exuerat, & corpus deposuerat, & orbem terræ ferè nuda obierat anima, & omnem perturbationem ex animo expulerat, & incorporearũ virtutum imitabatur impatibilitatem, alia quidem omnia ferebat facilè, tanquã patiens in alieno corpore, & carceres, & catenas, & abductiones, & flagella, & minas, & mortem, & omne genus supplicij, ab vna autem separatus anima quæ ab eo diligebatur, adeo fuit confusus & cõturbatus, vt in qua dilectum separans se visurum non inuenit, ex ciuitate protinus recesserit. Quid hoc, ô beate Paule? Ligno quidem alligatus, & carcerẽ habitans, & flagris cæsus, & in tergo sanguine circumfluens, & mysterijs initiabas & baptizabas, & offerebas sacrificium, & neminẽ despiciebas qui esset saluus futurus. Cùm venisses autem in Troadem & terram inuenisses purgatam, & paratam ad excipienda semina, tantum lucrum iecisti è manibus, & statim resilijsti? Certè, inquit, magna enim me inuasit tyrannus animi ægritudine, & meum animum valde confudit Titi absentia, meque sic vicit & superauit, vt cogeret hoc facere. Vidisti quàm sit magnum certamen dilecti ferre separationem, quàm res sit molesta & acerba, quàm excelso opus habeat & iuuenili animo? Neque enim sufficit ijs qui diligunt, solùm esse vinctos animo, neque eo sunt contenti ad consolationem, sed etiam corporea opus habent præsentia: etsi hoc non adfuerit, non recisa est parua pars lætitiæ. Vis scire quàm pulchra sint arma ad attrahendos fratres, etiam si sint infideles? Esse mitem & mansuetum, & facilem moribus. Audi quid dicat Paulus ad Iudicem ingrediens infidelem, ab eo iudicandus: Beatum me existimo, qui sum à te iudicandus. Hæc autem dicebat, non ei adulans: absit, sed volens lucrifacere per mansuetudinem. Quamobrem eum etiam ex parte lucrifecit: & Iudicem cepit is qui existimabatur tunc esse condemnatus: & Pauli esse victoriam ipse qui erat victus, alta voce confitetur, præsentibus omnibus dicens: Propemodum mihi persuades, vt fiam Christianus. Quid ergo Paulus? Optarim ego non solùm te, sed etiam omnes qui adsunt, hoc esse, quod ego sum. Atque in multis quidem locis sunt multa signa Pauli miraculorum: sed non sunt tam desiderabilia, quàm stigmata: & non tam in scripturis quidem delectat faciens miracula, quàm malè patiens, flagellatus, tractus, lapidibus appetitus. Lapidantes enim eum, inquit, traxerunt extra ciuitatem. Et rursus: Cùm eum flagellassent, & multas ei plagas imposuissent, coniecerunt in carcerem. Quanta gloriatio, quanta voluptas, quantus honor, quantus splendor, scire se esse vinctum propter Christum? Sed vide rem admirabilem. Et commotus est, inquit, carcer, alligato Paulo,

& omnium vincula sunt relaxata. Vidisti vinculorũ naturam vincula resoluentem? Expergefactus autem custos carceris, cùm vidisset ianuas apertas carceris, stricto gladio se erat interfecturus. Quid ergo Paulus? Clamauit magna voce, dicens: Nihil tibi mali feceris, vniuersi enim hic sumus. Vides quàm hic sit à vana gloria & superbia alienus, & quàm beneuolus? Non dixit: Propter nos hæc facta sunt: sed tanquã vnus ex vinctis dicit: Omnes enim hic sumus. Si enim tacuisset, & non per magnam vocem manus illius continuisset, ensem per guttur transfegisset. Clamauit autem, quoniam in interiorem carcerem erat coniectus. Contra te ipsum, inquit, hoc fecisti: cùm interius conieceris eos qui te sunt liberaturi à periculo. Vidisti quàm sit benignus, & quantam hominum curam gerat Paulus? Maluit ipse esse vinctus, & periclitari, quàm illum despicere pereuntem. Quomodo autem miles aliquis habens vniuersum orbem terræ contra se bellantem, & se in medijs versans hostium ordinibus, & nihil graue patiens: ita etiam Paulus solus inter Barbaros & inter Græcos, vbiq; terrarũ & vbique in mari se ostendens, mansit inexpugnabilis. Et quomodo scintilla in stipulam & fœnum incidens, ea quę vruntur transmutat in suam naturã: ita hic quoque omnes inuadens traducebat omnes ad veritatẽ. Quem non obstupefecisset potentia vinculorum beato Paulo impositorum, quòd qui eum vinxerant, eos ad pedes vincti duxerit, & illos ei subiunxerit? Procidit enim, inquit, custos carceris ad Pauli pedes, & qui erat solutus, iacebat ad pedes vincti: & qui vinxerat, rogabat vinctũ, vt solueretur à metu. Dic mihi: non in interiorem coniecisti custodiam? non pedes ligno constrinxisti? Cur tremis? Cur tumultuaris? Cur lachrymaris? Cur ensem strinxisti? Nesciebam, inquit, Christi vinctorum tantam esse potentiam. Quid dicis? Accepit potestatem cœlos aperiendi, & non erat aperturus carcerem? Soluit eos qui vincti erant à dæmonibus, & erat ferrum eum superaturum? Qui ligatas itaque soluebat animas, corpus suum soluere non potuisset? Qui per suas vestes alios ab illis soluebat vinculis, & liberabat à dæmonibus, ipse per se non soluisset? Propterea primùm fuit vinctus, & tunc soluit vinctos, vt scias quòd Christi serui vincti maiorem habent vim quàm soluti. Sic enim præclariores ostenduntur sancti vires, quando vel vinctus vincit solutos. Quando ergo is qui est vinctus, non solùm seipsum soluit, sed etiam solutos, quisnam est vsus murorum? quidnam accepit commodi ex eo, quòd ad interiorem coniecerit custodiam, cùm aperuerit etiam exteriorem? Vis scire quanta res sit catena ferrea propter Christum corpori serui eius imposita? Audite beatum Paulum de hoc ipso gloriantem, & dicentem: Rogo ergo vos ego vinctus in Domino. Magna est & insignis dignitas regni & consulatus: est autem omnium maxima, esse vinctum propter Christum. Nihil enim est æquè præclarum, ac vinctus propter Christum, ac catenæ impositæ sanctis illis manibus. Hoc est longè præclarius & magnificentius, quàm esse Apostolum, quàm Doctorem, quàm Euangelistam. Si quis diligit Christum, nouit id quod dicitur. Si quis vehementi ardet amore Domini, & nouit vim vinculorum, maluerit esse vinctus propter Christum, quàm cœlos habitare. Fortè enim est hoc quoq; pręclarius, quàm sedere à dextris eius, & magnificẽtius iudicandũ & beatius, quàm sedere super duodecim sedes. Si quis mihi daret optionẽ aut vniuersi cœli, aut illius catenæ, qua Pauli vinctæ sunt manus, illam ego præponerem. Si quis me collocaret, aut supra cum Angelis, aut cum Paulo vincto, carcerem eligerem. Si quis me faceret aut confessorem illarum quæ sunt circa Thronum, Potestatum, aut eiusmodi vinctum, mallem esse talis vinctus. Nihil enim melius, quàm malè aliquid pati propter Christũ. Si quis mihi daret, vt mortuos suscitarem, non hoc elegissem, sed catenam. Etenim nihil est illa catena beatius. Vellẽ nunc esse in illis locis, in quibus manent illa vincula, & 1 videre catenas quas timent quidẽ & horrent dæmones, reuerentur autem Angeli. Si ab Ecclesiasticis curis essem remotus, & haberem corpus robustum ac validum, non recusarem tantam suscipere peregrinationem, vt viderem catenas & carcerem, in quo vinctus erat Paulus. Si quis mihi concederet, vt viderem Paulum è cœlo despicientem, & vocem emittentem, aut è carcere, mallem è carcere. Qui enim sunt in cœlo, ad eum veniunt quando est in carcere. O beata vincula, ó beatas manus quas ornauit illa catena, quæ Paulo est imposita. Non erant tam venerandæ eius manus, quæ Lystris claudum excitârunt, quàm quæ erant circundatæ vinculis. Si fuissem ego illis temporibus, tunc eas maximè essem complexus, & meis pupillis imposuissem. Non cessassem deosculari manus, quæ dignæ sunt habitæ quæ pro meo Domino vincirentur. Non tam beatum esse censeo, quòd raptus fuerit in tertium vsque cœlum, & in paradysum, quàm quòd coniectus sit in carcerem. Non tam eum beatum pronuncio, quòd verba audierit, quæ homini loqui non licet, quàm quòd vincula sustinuerit. Etenim sunt hæc illis quoque multò maiora. Est enim mihi magis expetendum, vt malè patiar pro Christo, quàm vt honorer à Christo. Hoc Paulus quoque cogitans dicebat, vt est verisimile: Si ipse, qui propter me factus est seruus, & gloriam exinanijt, non existimabat se vnquam tam esse in glo-

1 Vide quanti faciat magnus hic doctor Pauli catenas.

in gloria,quàm quando pro me fuit crucifixus,quid me non oportet pati? Audi enim eum dicetem: Glorifica me tu,pater.Quid dicis? Ad crucem duceris cum latronibus,& effossoribus, vt sceleratorum & execrandorum hominum mortem subeas: es conspuendus, & alapas subiturus,& hæc gloriam vocas? Certè,inquit:Nam pro his quos diligo,hęc patior, & hæc meritò esse gloriã existimo.Si ergo Dominus meus,qui miseros dilexit,& miserabiles,eam rem vocat gloriam,& eam præfert gloriæ,quæ est in sede paterna,multò magis ego hæc debeo putare gloriam.Sic Pauli anima nihil est beatius.In quibúsnam autem gloriatur? In vinculis,in afflictionibus,in catena,in stigmatibus. Vado enim,inquit,Hierosolyma alligatus spiritu,quę in ea euentura mihi sunt ignorans,nisi quòd spiritus sanctus per omnes ciuitates mihi protestatur, dicens, quòd vincula, & afflictiones Hierosolymis me manēt.Propter hoc ergo,vt vinciar propter Christũ,vt moriar propter ipsum.Non solùm enim alligari,sed etiam mori paratus sum propter nomē Domini mei Iesu.Quid hoc ergo est? Non erubescis, non vereris orbem terræ captiuus obiens, non times ne quis Deum tuum damnet imbecillitatis? ne quis propterea non accedat? Non talia sunt, inquit,mea vincula: sciunt,inquit,resplendere vel in regnis. Vt vincula mea, inquit, manifesta fierent in omni prætorio:& multi ex fratribus in Domino cõfisi meis vinculis multò magis sine metu auderent verbum Dei loqui.Vides vinculorum maiorem potentiam,quàm mortuorum resurrectionis? Vinctus fuit Romæ, & plures attraxit. Vinctus fuit Hierosolymis,& vinctus concionans Regem obstupefecit, & Præsidem metu affecit. Metu enim affectus eum dimisit. Vinctus nauigauit, & naufragium prohibuit, & sedauit tempestatem. Cùm esset ipse in vinculis,illud venenatum eum tetigit animal,& eo illæso cecidit.Vide autem hoc vbiq; fieri.Nam cùm multas ei plagas imposuissent,& esset vinctus,idq; rursus validè (eum enim in interiorem coniecerant custodiã) vel in his tunc valde securus,media nocte, quando valde remissi dormiunt, canebat, & Deum laudabat. Quid hac anima esse posset magis adamantinum?Cogitabat enim pueros quoque in igne cecinisse,& in fornace.Fortè enim ratiocinabatur: Ego nihil tale passus sum. Sed rectè faciens oratio me ad alia rursus eduxit vincula, & alium carcerem. Quid agam? Volo tacere,sed non possum. Inueni alterum carcerem illo multò mirabiliorem. Sed nunc arrectis mihi adeste animis, perinde ac si nunc incipiam orationem, mentemque adhibete alacrem & vegetam. Volo orationem abrumpere, ea autem non permittit. Non possum quiescere, non possum tacere, multa me circunfluunt. Nescio quid primum dicam, quid secundum. Quamobrem rogo, ne quis à me postulet ordinem.Magna est rerum cognatio.Longa fuit Pauli catena,& diu nos detinuit.Sed non propterea tacebo.Si enim ipse in carcere non tacuit,nec in flagellis: ego silebo sedens,cùm dies sit,& loquens in magna animi quiete & relaxatione? Et quomodo hoc fuerit consentaneum? Quis enim non stupeat, quis non admiretur, vel potius quis pro dignitate stupeat, & admiretur nobilem illam, magnitudine cœlo parem Pauli animam,quòd vinctus,& inclusus, & tanto interuallo disiunctus scripsit ad Philippenses? Scitis enim quãtum sit spatium inter Romam & Macedoniam.Sed neque vię longitudo, neque temporis diuturnitas,neque molestia,ac turba negotiorum,neq; periculum & mala frequentia,neque aliquid aliud charitatem & memoriam expulit discipulorum, sed de eis omnibus in animo cogitabat: & non tam catenis vinctæ erant eius manus, quàm desiderio discipulorũ alligata erat & fixa anima. Et quomodo Rex, qui thronum mane ascendit,& sedit in aula regia,protinus innumerabiles vndique accipit epistolas: Ita ille quoque sedens in carcere, tanquam in aula regia,longè plures frequenter accipiebat & emittebat literas ijs quæ vbique erant gentibus, ad illius sapientiam de suis rebus omnia referentibus. Et eò plura quàm Imperator administrabat negotia, quò maius ei creditum fuerat imperium.O Pauli potentiam.Implicatus erat catenis,& diademate redimitum Neronem feriebat. Sordidis erat indutus pannis,vt qui habitaret carcerem, & magis quàm purpura omnes conuertebat ad vincula sibi imposita Super terram stabat retentus,& deorsum intuens, & eo dimisso, qui erat in curru aureo, omnes illi attendebant, idque meritò: erat enim vsitatum spectaculum videre imperatorem in albo curru sedentem: hoc autem erat nouum & admirabile,videre captiuum æquè liberè alloquētem Imperatorem,atq; Imperator seruum vilem & miserabilem.Magna circunsistebat multitudo,& erant omnes serui Imperatoris: admirabantur autem eum,non suum dominum. Verùm enimuero non animaduertebant se leonem laudare ex vnguibus, cùm oporteret dicere ea quæ verè erant. Quænam verò ea sunt? Ea quæ sunt in cœlis. Quomodo veniet cum Rege cœlorum cum præclaro curru. Quomodo tunc Nero sedebit mœstus & tristis. Si enim nondum erat tempus coronarum, & athleta tantum est honorem consecutus: quando venerit athleta, quanto honore fruetur? Erat inter alienos hospes & peregrinus,& si in tãta tunc habetur admiratione,quando fuerit inter suos,quid non boni consequetur, quid non participabit, quid

quid non adipiſcetur? Nullus Romæ Imperator tantum eſt honorem aſſecutus, quantum Paulus. Sed Imperator quidem foris iacet alicubi, Paulus autem medium ciuitatis, tãquam regnans & viuens. Si autem hîc, vbi ſuſtinuit perſecutionem, & vbi fuit vexatus & agitatus, tantum eſt honorem conſecutus, quando venerit, quid erit? Si vbi erat tabernaculorum opifex, fuit adeo ſplendidus, quando venerit ſplendore contendens cum radijs ſolis, quid erit? Si cum tanta humilitate tantam ſuperauit magnificentiam, quando venerit, quid erit? Res non licet effugere. Quis non pudore afficitur, quòd tabernaculorum opifex in maiore fuerit honore, quàm is qui in maiori habitus eſt admiratione, quàm omnes Reges? Si autem hîc ea facta ſunt, quæ ſunt ſupra naturam, in futuro quantò magis? quid in mũdi gloria eſt Alexandro glorioſius, aut quid ſublimius? Non viuus multa magna geſsit, & præclara? Non & gentes & vrbes ſubegit, & bella multa vicit, & prælia, & erexit trophæa? Non exiſtimatus eſt eſſe Deus tertiuſdecimus à ſenatu Romanorũ? Sed quòd viuus quidem bella rectè gereret, & victorias obtineret, cùm & Rex eſſet, & exercitus haberet, nihil mirum. Poſt mortem autem & ſepulturam vbique, & in terra, & in mari quotidie tam multa facere, hoc eſt quod maximam adfert admirationem. Vbi eſt enim (dic mihi) corpus Alexandri? oſtende mihi, & dic diem in quo diſceſsit. Sed non potueris. Pauli autem & præclarum corpus viderit qui ad maximè regiam venerit ciuitatem, & illuſtrem eius mortis diem, 2 vniuerſus orbis terræ celebrat. Et res quidem illius etiam ſui ignorant: res autem huius ſciunt etiam Barbari. Et Chriſti ſerui ſepulchrum eſt Regijs atrijs ſplendidius. Nam ipſe quoque qui eſt indutus purpura, vadit corpus illius complexurus, 3 & faſtu depoſito conſiſtit orans mortuum, vt eius curam 4 gerat apud Deum: Et tabernaculorum effectoris, & piſcatoris, & mortui, tanquam defenſoris eget is qui eſt redimitus diademate. Idque videris non ſolùm Romæ fieri, ſed etiam Conſtantinopoli. Etenim hic quoq; magnum Conſtantinum ſe magno honore eſſe affecturum exiſtimauit filius, ſi eum deponeret in veſtibulis piſcatoris. Et quod ſunt ianitores in regia Imperatoribus, hoc ſunt in corpore Reges piſcatoribus. Et hi quidem, tanquam loci domini, tenent interiora: illi autem tanquam accolæ & vicini ſatis habuerunt, ſi ianua aulæ eis attribueretur. Et Reges quidem miniſtrorum & famulorum: qui ſunt autem ſubiecti, tenent locum Regum. Quis nunc mihi dederit, vt Pauli circunfundar corpori, & ſepulchro affigar, & videam 5 puluerem illius corporis, per quod peruaſit vniuerſum orbem terræ? quod, quæ deerant, Chriſto ſuppleuit? quod ſtigmata portauit? quod prædicationem vbique ſeminauit? Puluerem corporis per quod Chriſtus eſt locutus, & lux illuxit quouis fulgore lucidior? & vox illuxit quouis tonitru dæmonibus terribilior? Neque enim tonitru eſt tam nobis terribile, quàm illa vox fuit dæmonibus. Si enim horrebant eius veſtes, & vocem quoque multò magis. Huius oris vellem videre puluerem, per quod Chriſtus magna locutus eſt, & arcana & maiora, qui per ſeipſum, per quod beatum illud verbum eſt locutus: Vellem eſſe anathema pro meis fratribus: per quod locutus eſt coram Regibus, & non erubuit: per quod fugiebant dæmones, non ſolùm loquentem audientes, ſed etiam cùm procul eſſent: per quod compoſuit omnia quæ ſunt in terra: quinetiam ea quæ ſunt in cœlis, quomodo voluit adminiſtrauit, illic ligans & ſoluens quos volebat pro ſibi data poteſtate. Quis mihi oſtenderit puluerem Pauli cordis, quod in vnoquoque eorum qui peribant, inflammabatur, & infantes abortiuos iterum parturiebat? Hoc deſiderarem videre vel diſſolutum, quod eſt cœlis ſublimius, orbe terrarum latiùs, radio ſplendidius, igne calidius, adamante validius, quod nouam vixit hanc vitam, nempe noſtram. Viuo enim iam non ego, viuit autem in me Chriſtus, inquit. Fuit ergo cor illius cor Pauli, & tabula ſancti ſpiritus, & liber gratiæ: quod dignum fuit habitum, vt Chriſtum amaret, vt nemo alius: quod mortem deſpiciebat, & gehennam, & conterebatur à fraternis lachrymis. Quid enim facitis flentes, inquit, & conterentes cor meum? Vellem videre puluerem manuũ Pauli, quæ erat in catena: per quarum impoſitionem ſuppeditabatur ſpiritus: per quas diuinæ ſcribebãtur literę. Vidiſtis enim, inquit, quot literis ad vos ſcripſi manu mea: manus illas quas cùm vidiſſet vipera, cecidit in rogum. Vellem videre puluerem oculorum, qui pulchrè fuerunt obcœcati, qui rurſus aſpexerunt ad ſalutem orbis terrę: qui digni ſunt habiti Chriſtum videre in corpore. Vellem illorum quoque pedum videre puluerem, qui orbem terræ obierunt, & non fuêre defatigati: qui in ligno vincti erant, quando fuit terræmotus in carcere: qui tam habitabilem, quàm inhabitabilem orbis regionem peruaſerunt. Et quid opus eſt dicere ſingula? Vellem illum ipſum videre leonem ſpiritalem. Quomodo enim leo ignem ex oculis emittens in greges vulpium: ita in dæmonum & philoſophorum irruebat cateruam: & tanquam aliquod fulmen immiſſum irrumpebat in turmas diaboli. Neque enim diabolus aduerſus eum prodibat in aciẽ, ſed vſqueadeo timebat, & tremebat, vt ſi vel vmbram vidiſſet, & vocem audiuiſſet eminus, protinus aufugeret. Cogitate & ſtupete, quale ſit Roma

2 Dies Pauli illuſtris, quẽ celebrat vniuerſus orbis terræ.

3 Quid dicis hic hæretice, qui ſanctorum corpora deſpicis, & cõtemnis, nec eſſe colẽda nugaris? Vide quomodo cõtra te tantus hic doctor loquitur.

4 Locus optimus pro inuocatione ſanctorũ, & quod illi curam noſtri gerant.

5 O hæretice ſi tãtis encomijs clariſsimi doctoris dignatur Pauli corpus, quomodo audes tu oſſa emortua, & vile puluiſculũ appellare?

sit Roma visura spectaculum, Paulum repentè surgentem è capsa cum Petro, & se extol-
lentem, vt Christo fiat obuiam: quale donum sit Roma ad Christum missura: quibusnam
sit duabus coronis redimita, quibusnam sit aureis cincta catenis. Cœlum non est tam splen-
didum, quando sol emittit radios, quàm[e] ciuitas Romanorum has duas emittens lampadas
per vniuersum orbem terræ. Quænam ergo oratio sufficiet pulchris Pauli factis enarran-
dis? Aut quænam poterit lingua consequi huius encomia? Siue enim Prophetę præclarum
aliquid effecerunt, siue Patriarchæ, siue iusti, siue Apostoli, siue Martyres, hęc omnia Paulus
adeò summè habet comprehensa, vt nullus magis illorum possederit id quod habebat bo-
num. Quando ergo quæcunque sunt bona inter homines, vt sua comprehendit anima, &
omnia insigniter, non solùm autem quæ sunt hominum, sed etiam quæ Angelorum, quo-
modo assequemur laudũ magnitudinem? Qua non ergo fuerimus digni condemnatione, si
cùm vnus homo omnia in se bona sit complexus, nos ne minimã quidẽ eius partem imi-
tari studeamus? Nã ex multis quidẽ alijs rectè factis habetur Patriarcha in admirationem,
maximè autem ex eo quòd suum sacrificauit filiũ. Isaac verò propter patientiã, quòd cùm
à suis expelleretur finibus, non restitit, sed suis omnino cessit possessionibus, donec eorum
qui ei molestiam afferebant, iniustã satiauit cupiditatem. Porrò autem Iacob quoque pro-
pter fortitudinẽ, atq; patientiam. Et Dauid propter mansuetudinem. Et Elias, quòd fuerit
zelo percitus pro Domino. Sed quid cum Paulo fuerit conferendum, qui hæc omnia simul
insigniter est complexus? Neq; enim ipse sacrificauit filium, sed seipsum sacrificauit millies.
Nec ex proprijs solùm fuit expulsus finibus, sed & terram, & mare, & Græciam, & Barba-
riam, & vniuersam, vt semel dicam, terrã, quantam Sol aspicit, obijt, tanquã alatus, tractus,
verberatus, lapidibus appetitus, quotidie moriens. Neq; bis septem annos seruijt, æstu diei
adustus, & frigus noctis perpessus, sed totã vitã transigens in fame, & nuditate, catenisque,
carceribus, insidijs, & periculis. Lenitatem verò & mansuetudinem quis magis quidem, imò
verò quis æquè atque Pauli anima vtraque hæc factis rectè præstitit? Si autem eius zelum
aspexeris, tantum videbis eum superare Eliam, quantum ille fuit alijs Prophetis superior.
Sed Ioannes quidem comedebat locustas, & mel agreste: hic autem versabatur in medio
orbe terrarum, sicut ille in deserta solitudine, locustas quidẽ & mel agreste non comedens,
sed hac longè frugaliorem sibi mensam apponens, & nec necessariũ quidẽ habens alimen-
tum propter studium prædicationis. Restat de cætero vt eum exequemus Angelis. Nemo
aute id quod dicimus, nimiæ arguat audaciæ. Si enim Ioannẽ scriptura vocauit Angelum,
quid mirum, si eum qui est omnium præstantissimus, contulerimus cum illis Potestatibus?
Etenim quidnã sit homo, & quanta sit nostræ naturæ nobilitas, & quãta virtutis sit capax
hoc animal, maximè omniũ ostendit Paulus, & nunc stat, ex quo factus est, clara voce Do-
minum defendens aduersus eos qui nostram reprehendunt constitutionem, & ostendens
inter Angelos & homines non multum interesse, si nobis velimus attendere. Non aliam
enim sortitus naturam, neque aliam adeptus animam, nec alium mũdum habitans, sed in
eadem regione, legibusque, & moribus educatus, omnes homines superauit, qui fuerũt, ex
quo nati sunt homines. Et quomodo mortuus in mortuũ fuerit immobilis, ita naturę in-
sultus accuratè sapiens, in nulla re humani aliquid vnquã passus est. Si ergo Paulus, qui tot
rebus rectè gestis erat præclarus, & tanquã Angelus videbatur in terra, quotidie studebat
lucrifacere, & stare in acie aduersus pericula veritatis, & sibi merces colligere spirituales &
nunquã consistere, quænã fuerit relicta nobis excusatio, qui non solùm sumus vacui omni-
bus rectè factis, sed etiã tam multis subiecti delictis, quorum si vel vnum nobis adsit, sufficit
ad nos deducendos in barathrũ perditionis: & nihil studij ponimus vt ea saltè corrigamus,
tantum abest, vt virtutis opera attingamus? An non erat ille eiusdem cuius nos sumus na-
turæ? Incendor enim huius viri desiderio, & ideo non cesso circa idem assiduè versari, &
tanquam ad exemplar aliquod archetypum ad eius animam intuens, considero vitiorum
despiciẽtiam, insignem magni fortisq; animi virtutem, amoris in Deum ardorem: & valde
miror, quemadmodum in vniuerso quidem virtutũ cœtu vnus homo velles se rectè gesse-
rit: nostrûm autem vnusquisque in re quidem qualicunque se velit rectè gerere. Quis nos
liberabit à supplicio ineuitabili, cùm Paulus tantam ostenderit virtutem, qui est eiusdem
nobiscum naturæ particeps, qui est obnoxius eisdem animi perturbationibus, qui confli-
ctatus est cum tanta temporum difficultate, & quotidie, vt semel dicam, trahebatur, lace-
rabatur, & publicè conuellebatur ab ijs qui bellum gerebant aduersus prædicationem? Ne
autem ex nostra lingua audiat aliquis, quæ hic beatus rectè gessit, magnique, & excelsi
animi virtutem, quam quotidie ostendit pro prædicatione Euangelij, necesse est ipsum au-
dire dicentem: In eo autem quod audet aliquis, insipientia dico, audeo & ego. Considera
pium & religiosum animũ. Non solùm audaciam rem vocat, sed etiam insipientiam, nos
erudiens non temerè absque necessitate, nemine cogente, gloriose proferre quæ a nobis
facta

[e] Vides sanctorũ memoria & pignoribus ciuitates illustrari?

facta sunt, si aliqui ex nobis inuenti fuerint, qui aliquid boni fecerint. Hebræi sunt, & ego. Israëlitæ sunt, & ego. Semen Abrahæ sunt, & ego. Propter hæc, inquit, sibi placent, & se magnificè circumspiciũt. Ne existiment nos his deflci: Nam nos quoque sumus eorundem participes. Deinde subiunxit: Ministri Christi sunt? Decipiens loquor, plus ego. Hic mihi contemplare beatæ huius animæ virtutem. Quoniam enim & audatiam & insipientiam vocauit id quod ab eo factum est, etiam si esset ad tantam redactus necessitatem, ne sic quidem contentus fuit ijs quæ dicta sunt: sed quando erat ostensurus se eos longè superare, ne quis existimaret eum hæc loqui, inductum nimio sui amore, rursus vocat insipientiam id quod à se dicitur, propemodum dicens: An non scio me rem facere, quæ vulgo fit, & quæ me non decet? Sed me cogit multa, quæ eò me impulit necessitas. Quare mihi, inquit, ignoscite loquenti verba insipientiæ. Huius vel vmbram, saltem nos imitemur, qui tam multa peccatorũ onera habemus imposita. O sæpe, si paruum aliquid rectè geramus, ne hoc quidem sustinemus recondere intra cordis penetralia: sed propterea quòd hominum venemur gloriam, id gloriosè traducimus, & in medium proferimus, & propter intempestiuas has nugas nos Dei priuamus remuneratione. Sed non sic ille beatus: Sed cùm dixisset, Plus ego, enumerat deinceps ea quæ fortiter gesserat, & dicit: In laboribus abundantius: in plagis supra modum: in mortibus frequenter. Quid dicis? Nouum quid est, & admirabile id quod à te dicitur. Licétne mortem sæpe subire? Certè, inquit, si non experientia quidem, at voluntate: docens nos, quòd assiduè talia adibat pericula propter prædicationem, quæ mortem ei pariebant. Sed Dei gratia in ipsis medijs periculis conseruabat athletam, vt ad discipulos magna ex eo rediret vtilitas. Id autem rursus, quod deinceps subiungitur, vt semel dicã, obscurat omnia quæ dicta sunt. Quis enim, inquit, est infirmus, & ego non sum infirmus? Quis scandalizatur, & ego non vror? Papè quanta est huius viri benignitas & beneuolentia, quanta vigilantia, quanta solicitudo? Cuiúsnam matris sic dissecabantur viscera, eius filio febricitante, & in lecto iacente, vt hic sanctus pro his qui erat in vnoquoq; loco infirmi, magis erat infirmus: & pro ijs qui scandalizabãtur vrebatur? Considera enim mihi emphasim dictionis. Non dixit, quis scãdalizatur, & ego nõ crucior? Sed vror, inquit, nobis intensum dolorem significans, & mirum in modum ostendens se intrinsecus inflammari, & accendi pro ijs qui patiuntur scandala. Scio me extendisse orationem in magnam longitudinem. Sed nescio quomodo cùm incidissem in diuitias rectè factorum huius sancti, tanquam ad aquarum vehementissimo impetu lingua mihi trahebatur. Quamobrem in hoc loco sistens in orationem, rogo vestram charitatem, vt eum assiduè in mẽte circumferatis, & hoc assiduè cogitetis, quòd cùm eandem quam nos haberet naturam, & esset subiectus, ijsdem affectionibus, essetq; eius studium vile & abiectum, vt qui pelles consueret, & staret in officina, postquam se voluit dedere virtutis laboribus, & se dignum reddere, qui susciperet spiritum sanctum, largam munificentiam fuit consecutus à superis. Quam detur nobis consequi gratia & clemẽtia Domini nostri Iesu Christi, Cui gloria & potentia cum Patre & sancto spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum nunquam desinentium. AMEN.

Habetur in opere eius in gloriã plurimorũ martyrum edito cap. 28.

MIRACVLVM A D. PAVLO APOSTOLO FACTVM, per B. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scriptum.

PAulus Apostolus post [1] reuolutum anni circulum ipsa die, qua Petrus Apostolus passus apud vrbẽ Romam gladio percussus occubuit, ex cuius sacro corpore lac defluxit, & aqua. Nec mirum si lac eius manauit ex corpore, qui gentes incredulas & parturiuit, & peperit, ac lacte spiritali nutritas ad cibum solidũ scripturarum sanitatis opaca reserando perduxit. De cuius virtutibus multa quidem audiuimus. Sed de plurimis vnum tantum miraculũ studuimus declarare. Factũ est in quodam loco, vt homo laqueum sibi ad extorquendam vitam, instigante diabolo præpararet. Cumq; secretũ cellulæ in qua hæc ageret, reperisset funem, trabi transmissum laqueum cœpit innectere, nomen tamen semper Pauli Apostoli [2] inuocabat, dicens: Adiuua me sancte Paule. Et ecce vmbra squalida atque funesta, quæ nihil minus vultu quàm diabolum simulabat, apparuit ei, hortans ac dicens: Eya age ne moreris, exple celerius quod cœpisti. At ille cùm hoc opus vitæ extorquendæ pararet, semper aiebat: Beatissime Paule esto adiutor meus. Deinde expedito laqueo cùm vehemẽtissimè vrgeretur ad vmbra, vt collum immitteret, subitò adfuit alia huic similis, dicens ei qui cum homine erat: Fuge miserrime. En Paulum Apostolum huc venientem, [3] inuocatus enim ab hoc homine, ecce adest. Tunc euanescentibus vmbris hîc ad sensum suum reuersus, & crucem virtutis dominicæ pectori nutãti depingens, [4] pœnitentiam genis lachrymarũ imbre perfusis agebat cur ista tentasset: vnde manifestũ est, hunc eundem hominem per virtutem beati Apostoli ab hoc seuæ mortis præcipitio fuisse saluatum.

1 Quod anno reuoluto Paulus eadẽ tamẽ die qua Petrus occisus sit, à sacris alijs Doctoribus non tenetur, sed quod eodem prorsus & anno & die.

2 Habes sancti Apostoli inuocationẽ, habes & quod inuocatus adfuit.

3 Inuocatus ab hoc homine Paulus adest

4 Vides verã pœnitentiã non esse solum nouam vitam, sed cum ea dolorem de peccatis commissis.

VITA SANCTI IOANNIS APOSTOLI ET Euangelistæ ex diuersis autoribus collecta.

IOANNES Apostolus quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apostoli, quem Herodes post passionem Domini decollauerat, nouissimus omnium scripsit Euangeliũ, rogatus ab Asiæ Episcopis, aduersus Cerinthum, aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma consurgens, qui asserunt Christum ante Mariam non fuisse. Vnde & compulsus est diuinam eius natiuitatem edicere. Sed & aliam causam huius scripturæ ferunt: quod cùm legisset Matthæi, Marci & Lucæ volumina, probauerit quidem textum historiæ: & vera eos dixisse firmauerit: sed vnius tantum anni, in quo & passus est post carcerem Ioannis historiam texuisse. Prætermisso itaque anno, cuius acta à tribus exposita fuerant, superioris temporis antequam Ioannes clauderetur in carcerem gesta narrauit, sicut manifestum esse poterit his qui diligenter quatuor Euangeliorum volumina legerint. Quæ res etiam διαφωνίαν, quæ videtur Ioannis esse cum cæteris, tollit. Scripsit autem & vnam epistolam, cuius exordium est: Quod fuit ab initio, quod audiuimus, & vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectauerunt de verbo vitæ: quæ ab vniuersis ecclesiasticis & eruditis viris probatur. Reliquæ autem duæ, quarum principiũ est: Senior electæ dominæ & natis eius: & sequentis: Senior Caio charissimo, quẽ ego diligo in veritate: Ioannis presbyteri asseruntur, cuius & hodie alterum sepulchrum apud Ephesum ostenditur: & nonnulli putant duas memorias eiusdẽ Ioannis Euangelistę esse: super qua re cùm per ordinem ad Papiam auditorem eius ventum fuerit, disseremus. Quartodecimo igitur anno, secundam post Neronem persecutionem mouente Domitiano, in Pathmon insulã relegatus, scripsit Apocalypsim, quã interpretatur Iustinus martyr & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis eius ob nimiam crudelitatem à senatu rescissis, sub Nerua principe redit Ephesum, ibique vsque ad Traianum principem perseuerans, totas Asiæ fundauit rexitq; Ecclesias: & confectus senio, sexagesimo octauo post passionem Domini anno mortuus, iuxta eandem vrbem sepultus est. Nos virtutes non sexu, sed animo iudicamus: contemptæq; nobilitatis ac diuitiarum maiorem gloriam ducimus. Vnde & Iesus Ioannem Euangelistam amabat plurimum: qui propter generis nobilitatem erat notus Pontifici, & Iudæorũ insidias non timebat: in tantum vt Petrum introduceret in atrium, & staret solus Apostolorum ante crucem: matremq; Saluatoris in suam reciperet, vt hęreditatem virginis Domini, virginem matrem filius virgo susciperet. Ioannes vnus ex discipulis Domini, qui minimus traditur fuisse inter Apostolos, & quem fides Christi virginem repererat, virgo permansit, & ideo plus amatur à Domino, & recumbit super pectus Iesu. Et quod Petrus qui vxorem habuerat, interrogare non audet, illum rogat vt interroget. Et post resurrectionem, nunciante Maria Magdalenæ, quòd Dominus resurrexisset, vterque cucurrit ad sepulchrum, sed ille præuenit. Cumque essent in naui, & piscarẽtur in lacu Genezareth, Iesus stabat in littore, nec sciebãt Apostoli quem viderent: solus virgo virginem agnoscit, & dicit Petro: Dominus est. Rursum post auditam sententiam, quod ab alio cingendus esset Petrus, & ducendus quò nollet: & crucis fuisset illi passio prophetata, & ille diceret: Domine, quid iste? nolens deserere Ioannem, cum quo semper fuerat copulatus, dicit ei Dominus: Si eum sic volo esse, quid ad te? Vnde & sermo exiuit inter fratres, illum discipulũ non moriturum. Ex quo ostenditur [2] virginitatem non mori: nec sordes nuptiarum ablui crucem martyrij, sed manere cum Christo, & dormitionem eius transitum esse, non mortem. Si autem obnixè cõtenderit Ioannem virginem non fuisse, & nos amoris præcipui causam virginitatem diximus, exponat ille: si virgo non fuit, cur cæteris Apostolis plus amatus sit? Et paulò pòst. Sed dicis, super Petrum fundatur Ecclesia, cur non Ioannes electus est virgo? Respondeo. Ætati delatum est, quia Petrus senior erat, ne adhuc adolescens ac penè puer, progressæ ætatis hominibus præferretur: & magister bonus, qui occasionem iurgij debuerat auferre discipulis, & qui dixerat eis: Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis: Et, Qui voluerit inter vos maior esse, minimus omnium sit: in adolescentem quem dilexerat, causam præbere videretur inuidiæ. Vt autem sciamus Ioannem tunc fuisse puerum, manifestissime docent Ecclesiasticę historiæ, quòd vsq; ad Traiani vixerit imperium, id est, post passionem Domini sexagesimo octauo anno dormierit: quod & nos in libro de illustribus viris breuiter perstrinximus, Petrus Apostolus est, & Ioannes Apostolus, maritus, & virgo. Sed Petrus Apostolus tantum: Ioannes & Apostolus & Euangelista, & propheta. Apostolus, quia scripsit ad Ecclesias vt magister: Euangelista, quia librũ Euangelij condidit: quod excepto Matthæo, alij ex duodecim Apostoli non fecerũt. Propheta, vidit enim in Pathmos insula

Ex libro D. Hieronymi de viris illustribus.

1 Quæ hic refert Hieronymus de secunda & tertia Ioannis epistola, nõ secundùm suã opinionem refert, sed aliorum [illegible] [illegible] Papia [illegible]. Nam ipse eas quoq; Ioannis Apostoli esse tenet. [illegible] in epistola eius ad [illegible] [illegible] Ioannes Apostoli, [illegible] mysticas, quàm succinctas, &c. Quod nõ esset verum, si secũda illa & tertia Ioannis nõ essent. Sed & à tota Ecclesia pro epistolis Ioannis Apostoli receptæ sunt, vt patet ex multis Concilijs & dictis sanctorum. Verum vide eundem D. Hieronymũ apertè hoc dicentem in epist. ad Euagriũ.

Ex epistola eiusdem ad Principiam virginẽ in Epitaphio Marcella Tom primo folio 40.

Ex libro eiusdẽ primo cõtra Iouinianũ Tomo 2. folio 12.

2 Vide præstantiã virginitatis supra [illegible], quam multi carnales hodie nõ possunt intelligere. ibidem.

in qua fuerat à Domitiano principe ob Domini martyrium relegatus, Apocalypsin infinita futurorum mysteria continentem. Refert autem Tertullianus, quòd à Nerone missus in feruentis olei dolium, purior & vegetior exiuerit, quàm intrauerit. Sed & ipsum eius Euangelium multum distat à cæteris. Matthæus quasi de homine incipit scribere: Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: Lucas à sacerdotio Zachariæ: Marcus à prophetia Malachiæ prophetæ, & Esaiæ. Primus habet faciem hominis, propter genealogiam: secūdus faciem vituli, propter sacerdotium: tertius faciem leonis, propter vocem clamantis in deserto: Parate viam Domini, rectas facite semitas eius. Ioannes verò noster, quasi aquila ad superna volat, & ad ipsum patrē peruenit dicēs: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum &c. Exposuit virginitas, quod nuptiæ scire non poterāt: & vt breui sermone multa comprehendā, doceamq; cuius priuilegij sit Ioannes, imò in Ioanne virginitas: à Domino virgine, mater virgo virgini discipulo commendatur. Beatus autē Ioannes cùm Ephesi moraretur vsque ad vltimā senectutem, & vix inter discipulorū manus ad Ecclesiam deferretur, nec posset in plura vocem verba contexere: nihil aliud per singulas solebat proferre collectas, nisi hoc, Filioli diligite alterutrum. Tandem discipuli & fratres qui aderant, tædio affecti, quòd eadē semper audirent, dixerunt: Magister, quare semper hoc loqueris? Qui respondit dignam Ioanne sententiam: Quia præceptū Domini est, & si solū fiat, sufficit. Cùm verò apud Antiochiam post Euodium Ignatius, Hierosolymis quoque Simeon secundus post Iacobum fratrem Domini iisdem temporibus gubernarent Ecclesiam, superstes adhuc apud Asiam demorabatur ipse ille, quem amabat Dominus Iesus, Apostolus simul atq; Euangelista Ioannes, Ecclesiarū quæ inibi erant gubernacula regens, post Domitiani (vt diximus) obitum regressus ex Insula. Quod quia ita se habeat, duobus fidelibus testibus approbabo. Irenæus & Clemens Alexandrinus huic veritati astipulātur: in secundo aduersus hæreses libro Irenæus hoc modo scribēs: Et omnes, inquit, presbyteri testes sunt, qui in Asia Ioannem discipulū Domini viderunt, & sciunt hæc tradidisse Ioannem, qui & permansit apud eos vsq; ad tempora Traiani. Item in tertio eiusdem operis libro, idem scriptor de eisdem ita testatur: Ecclesia, inquit, quæ est apud Ephesum, à Paulo quidem fundata est, à Ioanne verò ædificata, qui permansit in ea vsque ad tempora Traiani. Habes hunc testem fidelem de Apostoli temporibus contestantem. Accipe quid etiam Clemens (cuius pariter promisimus testimonium) dicat, historiam quandam pernecessariam simul texens, quam nos quoq; si inseramus, vtilem fore legentibus credimus. Scribit ergo hæc: Audi, inquit, fabulam, 3 & non fabulam, sed rem gestam de Ioanne Apostolo, & memorijs omniū traditam. Cùm post tyranni obitum de Pathmos insula Ephesum rediret, rogabatur etiam vicinas lustrare prouincias, quo vel Ecclesias fundaret, in quibus non erāt locis: vel in quibus erāt, sacerdotibus ac ministris instrueret, secundùm quod ei de vnoquoq; spiritus sanctus indicasset. Cum igitur venisset ad quandam vrbē haud longè positam, omnibus Ecclesiasticis solenniter adimpletis, vidit iuuenem quendam validū corpore, & vultu elegantem, sed & animis acrem nimis, respiciensq; ad Episcopū qui nuper fuerat ordinatus, hunc, inquit, tibi summo studio commendo sub testimonio Christi & totius Ecclesiæ. Tum ille suscipiens omnem se adhibiturum sicut præcipiebat diligētiam pollicetur. Sed iterum atque iterum eadem sæpius repetens, iuuenem cōmendabat attētius, & post hæc Ephesum rediit. Tum verò presbyter in domū suam adolescentē suscepit commendatū, & cum omni diligentia enutrit, amplectitur, fouet, ad vltimum etiam baptismi gratiam tradit. Post hæc iam velut confidens gratiæ, qua fuerat cōmonitus, paulò indulgentius iuuenē habere cœpit: sed ille vbi ætate immatura libertate potitus est, continuò per æquæuos, quibus luxus & desidia cordi est, amare vitia, & corruptæ vitæ incedere tramitē perdocetur. Et primò quidē conuiuiorū illecebris decipitur, inde nocturnis eum furtis sociū sibi participemq; cōsciscunt: post hæc etiā ad maiora flagitia pertrahunt: cùm interea sensim iuuenis formabatur, & instruebatur ad scelera. Et quia esset acer ingenio, sicut equus infrenis & validus, diris morsibus obfirmatis, recti itineris lineam derelinquens, rectore cōtempto, rapido cursu totus fertur in præceps, ita succedentibus sibi malis, vt desperationem sibi quoq; à Deo præstitæ salutis acceperit. Dedignatur iam de paruis sceleribus cogitare, grandia quæq; molitur: & ex integro perditioni se tradens, nullo inferior esse in flagitijs patitur. Denique illos ipsos, qui prius magistri criminum fuerant, discipulos facit, & latronum ex his turmam, quibus ipse dux & princeps violentus præesset, instituit, & cum his omni crudelitate grassatur.

Verùm tempore elapso (cùm rei ita poposcisset vtilitas) inuitatur iterū ad illam vrbem Ioannes, & cùm cætera (quorū gratia venerat) ordinasset: Age, inquit, ô Episcope, depositum representa, quod tibi ego planè & Christus cōmendauimus, Ecclesia teste, quā regis. At ille obstupuit, primò pecuniam putans à se reposci, quam non acceperat. Sed rursum confide-

Ex lib. 2. commentariorū eius in epistolam ad Galat. cap. 6.

Ex Eusebio Cæsarien. lib 3. Historiæ Eccles. capite 22. & 23.

3 Nota hunc loquendi modū. Fabulam & non fabulam. Vult enim se docere quòd sit vera historia. Quomodo ergo fabula est, & non fabula? Fabula quidem est, quia historia continens veritatem, prout ipsemet immediatè præmittit, à fando dicta. quo loquendi modo vtitur etiam Hieronymus in epist. ad Philemonem. Non fabula autē, quia non est res mēdacio conficta, quod præcipuè significat hæc vox fabula. Vel dici potest ideo fabulam appellatā, quod ea talem vulgus esse putant, quam tamen hic pater rem gestam & veram esse asserit.

considerabat nec posse fallere Ioannē, nec quod non dedit, quærere. Hærebat ergo stupēs. Quem Ioannes hærentem videns, iuuenem illum, inquit, repeto abs te, & animam fratris. Tum grauiter suspirans senior, & in lachrymas resolutus: Ille, ait, mortuus est. Quomodo, inquit, vel quali morte? Deo, ait, mortuus est, quia pessimus & flagitiosus euasit, ad vltimū etiam latrocinia aggressus est. Deniq; nunc montē quendam cum multa latronum manu occupauit. Quibus auditis Apostolus vestem continuò, qua erat indutus, scidit, & cum ingenti gemitu feriens caput suum, bonū te, inquit, custodē fratris animæ dereliqui. Sed iam nunc mihi equus paretur, & dux itineris. Et cōfestim ab ipsa Ecclesia ascendens concitus properabat. Cumq; peruenisset ad locum, attinetur ab his latronibus, qui custodias obseruabant. At ille neque prorsus declinare vsquam nitens, ingenti tantùm voce proclamabat, quia ad hoc ipsum veni, adducite mihi principē vestrū. Qui cùm veniret armatus, eminus agnito Ioanne Apostolo, pudore actus, in fugam vertitur. Ille equo post eum admisso confestim insequitur fugientem, etiam ætatis oblitus, simul & clamans: Quid fugis ô fili patrem tuum? Quid fugis inermem senem? Miser hære, noli timere, habes adhuc spem vitæ. Ego Christo rationē reddam pro te. Certè & mortem libenter pro te excipiam, sicut & Dominus excepit pro nobis; & pro tua anima dabo animam meam. Sta tantùm, & crede mihi, quia Christus me misit. At ille audiens, restitit, ac vultū demisit in terram: post hoc arma proiecit, tum deinde tremefactus flebat amarissimè, & accedētis ad se senis genibus prouoluitur, gemitibus & vlulatibus quibus poterat fati faciens, & vberrimis lachrymarū suarum fontibus iterū baptizabatur, occultans solā dexteram suam. Apostolus verò iusiurandi sacramento se ei à Saluatore impetraturum veniam pollicens, simulq; genibus eius prouolutus, atq; ipsam dexteram, ex cuius cædis conscientia torquebatur, tanquā iam per pœnitentiam purgatā deosculans, ad Ecclesiam reuocat, & indesinenter pro eo orationes profundens, & cum ipso pariter ducens 4 crebra ieiunia, indulgētiam à Deo, quam ei pollicitus fuerat, expetebat. Sed & varijs sermonū consolationibus, velut quibusdam præcantationibus efferos & exterritos eius animos mitigabat. Nec prius abstitit, quàm eum in omnibus emendatū etiā Ecclesiæ præficeret: præbens per hoc magna exēpla veræ pœnitentiæ, & documentū ingens nouæ regenerationis, atq; insignia quædā & trophæa visibilis in eo resurrectionis ostendens. Hæc à Clemente dicta, non solùm ad scientiā rerum, sed & ad vtilitatem legentium profutura, hunc in nostris quoque libris teneant locum.

4 *Vides hic quod crebra ieiunia faciunt ad expetendam veniam ingentiū peccatorū. Quid ad hoc dicis hæretice?*

Age iam etiam huius Apostoli quæ sint scripta, quæ in autoritate habeantur, cum his pariter explicemus. Est igitur primo Euangelium nominis ipsius, quod in omni orbe personuit. Quod autem post cætera tria Euangelia quarto à veteribus statutum est loco, hæc erit ratio. Venerabiles & verè Deo digni Apostoli Christi, cùm essent in omnibus puritate vitæ & animi virtutibus clari, non magnipendebant sermonis ornatum: quippe in quibus anima erat diuinis ornata virtutibus, simul & signorum gratia quæ eis à Domino nostro Iesu Christo concessa fuerat: qua confidentes, non in suasorijs humanæ sapientiæ verbis summā prædicationis Dominicæ collocabant, sed in ostensione spiritus & in virtute, per quam mirabilibus consummatis, & verborū suorum fide facta, vniuerso orbi regni cœlorū scientiā tradiderunt, paruiducētes plures libros condere, quod huiuscemodi prędicationis assertio, non argumēto humani sermonis, sed adstipulatione diuinæ virtutis indigeat. Denique Paulus, qui inter omnes Apostolos eruditior etiam in verbis videtur, & in sensibus præpotens, non amplius quàm paruum epistolarum suarū corpus reliquit, qui vtique immensa contineret intra se atq; innumera sacramenta, vtpote qui etiā vsq; ad tertiū cœlum raptus quæ gererentur inspexerat, & in ipsum quoq; Deo dignum paradysum adductus, audierat ibi ineffabilia verba, & doctrinā (quęcunq; illa mihi est) siue corporeus, siue incorporeus, illius interim scholæ discipulus effectus, exceperat. Sed & reliqui Domini ac Saluatoris nostri discipuli, non solùm ex illis duodecim, sed & si qui extra hunc numerum de schola tamen Domini & Saluatoris nostri, sermonē aliquem diuinitus inspirari memoriæ reliquerunt, breuē hunc, & succinctum per omnia esse voluerunt. Igitur ex ipsis discipulis Domini, Matthęus tantummodò & Ioannes ad scribendū appulisse animū traduntur necessitate quadam in hoc ipsum prouocati. Matthæus enim primò Hebræis prædicauerat. Verùm cùm pararet transire ad gentes, patria lingua scripturā cōposuit, & ea quæ prædicauerat cōprehendens, dereliquit his ad memoriam à quibus proficiscebatur, vt gentibus prædicaret. Post hunc Lucæ & Marci scriptura Euangelica secundùm eas causas quas superius diximus, editur. Ioannē verò tradunt vsq; ad vltimū penè vitę suæ tempus, absque vllius scripturæ indicijs Euangeliū prędicasse. Sed cùm horū trium Euangeliorū etiam ad ipsum notitia peruenisset, probasse quidē dicitur fidē & veritatē dictorū, deesse tamē vidit aliqua, & ea maximè, quæ primo prædicationis suæ tēpore Dominus gesserat. Certū enim est, quòd in superioribus tribus Euāgelijs hæc videntur sola cōtineri, quæ in eo gesta sunt

Eiusdē cap. 14.

anno quo Ioannes Baptista vel inclusus est in carcerē, vel punitus. Deniq; si obserues, statim in initij narrationis, posteaquàm refert Matthæus de quadraginta dierum ieiunio, & de tētatione eius, cōtinuò subijcit, dicēs: Audiens autē quia Ioānes traditus est, discessit de Iudæa, & venit in Galilæā. Sed & Marcus similiter, posteaquàm (inquit) traditus est Ioannes, venit Iesus in Galilæā. Lucas verò etiā priusquam incipiat aliquid de actibus referre Iesu, dicit: Quia adiecit Herodes super omnia mala quæ gesserat, & conclusit Ioannem in carcerē. Quia (inquā) ab his hæc videbātur omissa, rogatus dicitur Ioānes Apostolus, vt ea quæ præterierāt priores ante traditionē Ioannis, Saluatoris gesta cōscriberet. Et ideo dicit in Euāgelio suo: Hoc fecit initiū signorū Iesus. Et iterū in alio loco indicat, dicens: Nondum enim Ioannes erat missus in carcerem. Ex quibus constat, quòd ea quæ, antequàm Ioannes traderetur, à Iesu fuerāt gesta describit. Et ideo si quis hoc diligentius cōsideret, euidēter inueniet, non sibi Euangelia dissonare, sed alterius tēporis gesta esse quæ scribit Ioannes, alterius verò quæ cæteri. Vnde quia natiuitatē secundùm carnem Saluatoris, vel Matthæus, vel Lucas descripserant, reticuit hoc Ioannes, & à Theologia, atq; ab ipsa eius diuinitate sumit exordiū. Quæ pars sine dubio ipsi velut eximio per spiritū sanctū reseruata est.

Ex venerabili Beda in homilia Euangelij: dixit Iesus Petro. Sequere me.

Hæc etiā de Ioannis Euangelio dicta sint: Notū esse noui vestræ fraternitati, quia sit ille discipulus quem diligebat Iesus, Ioannes videlicet ipse, qui hoc scripsit Euāgelium, atque ideo suam personam maluit indicijs rerum accidentium, quàm proprio designare vocabulo. Diligebat enim eum Iesus, non exceptis cæteris singulariter solum, sed præ cæteris quos diligebat, familiarius vnū: quem specialis prærogatiua castitatis ampliori dilectione fecerat dignum. Omnes quippe se diligere probat, quibus ante passionem loquitur: sicut dilexit me pater, & ego dilexi vos, Manete in dilectione mea. Sed hūc præ omnibus diligit, qui virgo electus ab ipso, virgo in æuum permansit. Tradunt namq; historiæ, quòd eum de nuptijs volentē nubere vocauerit, & propterea quem à carnali voluptate retraxerat, pectore sui amoris dulcedine donauit. Denique moriturus in cruce matrem suam ei commendauit, vt virginem virgo seruaret, & ipso post mortem ac resurrectionem cælos ascendente, non deesset eius genetrici filius, cuius casta vita castis eius tueretur obsequijs.

Ponit & aliud suæ personæ beatus Ioannes indiciū, subiungēs: Qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine quis est qui tradet te? Hoc quomodo gestum sit superiora huius Euangelij loca plenius ostendunt, quia videlicet in cœna quam vltimā ante passionem cum discipulis Saluator habuit, in qua eorum pedes lauit, eisq; corporis ac sanguinis sui tradidit mysteria celebranda, discipulus ille quē diligebat, super pectus eius recubuerit, & cùm dixisset eis: Amen amē dico vobis, quia vnus ex vobis me tradet, respōdit ille discipulus, innuente Petro, vt interrogaret, & diceret ei, Domine quis est? ait Dominus, Ille est, cui intinctū panem porrexero. Quod autē discipulus ille supra pectus magistri recubuit, non præsentis solummodo dilectionis, sed futuri erat signū mysterij. Figurabatur etenim iam tunc Euangeliū, quod idem discipulus erat scripturus, vberius atq; altius cæteris sacræ scripturæ paginis arcana diuinæ maiestatis esse comprehensurū. Quia enim in pectore Iesu sunt omnes thesauri sapiētiæ & scientiç absconditi, meritò supra pectus eius recubebat, quem maiore cæteris sapientiæ & scientiæ singularis munere donat. Cæteros quippe Euangelistas nouimus plura de miraculis Saluatoris nostri, pauciora de diuinitate loquutos: Ioannes autem perpauca scribens de humanis actibus, potius se exponendis diuinæ naturæ indidit arcanis, patenter insinuans, quanta de pectore Iesu fluenta doctrinæ cœlestis (quæ nobis eructaret) hauserit. Et paulò post: Et non dixit ei Iesus, quia non moritur: Sed, sic volo eum manere donec veniā, quid ad te? Non ergo putandū, quia discipulus ille nō sit mortuus in carne, quia nec Dominus hoc de illo futurum prçdixit. Et Psalmista ait, quis est homo qui viuit, & non videbit mortem? Sed potius ita intelligendū, quòd cæteris Christi discipulis per passionē consummatis, ipse in pace Ecclesiç aduentū suæ vocationis expectauerit. Et hoc est quod Dominus ait: Sic eum volo manere donec veniā, non quia & ipse multos antè labores pro Domino pressurasq; malorū nō tolerauerit, sed quia vltimū in pace seniū finierit, vtpote in Ecclesijs Christi per Asiam, quā regebat, iam longè lateq; fundatis. Nam & in actibus Apostolorū cum cçteris Apostolis flagellatus inuenitur, quando ibant gaudētes à conspectu Concilij, quoniam digni habiti sunt pro nomine Iesu contumeliā pati. Et à Domitiano Cæsare in feruentis olei dolium missus in Ecclesiastica narratur historia, ex quo tamē diuina se protegēte gratia, tā intactus exierat, quàm fuerat à corruptione cōcupiscentiæ carnalis extraneus. Nec multò pòst ab eodē principe propter insuperabilē euāgelizandi constantiā, in Pathmos Insulā exilio relegatur, vbi humano licet destitutus solatio, diuinç tamē visionis & allocutionis meruit crebra cōsolatione releuari. Deniq; ibidē Apocalypsim, quam ei Dominus de statu Ecclesiæ præsenti vel futuro reuelauit, sua manu cōscripsit. Vnde constat, promissionē sic manēdi donec veniret Dominus,

non

non eò pertinere, quòd fine labore certaminis victurus esset in mundo, sed illò potius, quòd sine dolore passionis transiturus esset e mundo. Sicut enim in Patrum literis inuenimus, cùm longo confectus senio, sciret imminere sibi diem recessus sui, conuocatis discipulis suis, post monita exhortationum, ac missarum celebrationẽ, vltimum eis vale fecit. Deinde descendens in defossum sepulturæ suæ locum, facta oratione, appositus ad patres suos, tam liber à dolore mortis, quàm à corruptione carnis inuenitur alienus. Atque ita completa est veridica Saluatoris sententia: quia sic eum voluerit manere, donec ipse veniret. Et in continentibus subditur: Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc, & scimus quia verum est testimonium eius. Iam manifestè beatus Ioannes suam personam designat ex officio, quam designare vitat ex vocabulo. Non autem prætereunter intuendum quod dicitur: Qui testimonium perhibet de his, & scripsit hæc. Perhibuit quippe testimonium verbo Dei prædicando, perhibuit scribendo, perhibuit denuò eadem quæ scripserat docendo, perhibuit etiam nunc Euangelium quod scripsit, Ecclesijs legendum pandendo. Siquidem à tempore Dominicæ passionis, resurrectionis, & ascensionis in cœlum, vsque ad vltima Domitiani principis tempora, per annos circiter, lxv. absque vllo scribendi adminiculo verbum Dei prædicabat. At vbi a Domitiano, qui secundus post Neronem Christianorum persecutor extitit, in exilium missus est, irrumpentes in Ecclesiam hæretici quasi in destituta pastore ouilia lupi, Marciō, & Cherinthus, & Hebion, cæteriq; Antichristi, qui Christum ante Mariam negabant, simplicitatem fidei Euangelicæ peruersa maculauère doctrina. Sed dum ipse post occisionem Domitiani permittente pio principe Nerua rediret Ephesum, compulsus est ab omnibus penè tunc Asiæ Episcopis, & multarum Ecclesiarum legationibus, de coæterna patri diuinitate Christi altius scribere sermonẽ, eò quòd in trium Euangelistarũ scriptis, videlicet Matthæi, Marci, & Lucæ, de eius humanitate, ac de his quæ per hominem gessit, sufficiens sibi viderentur habere testimonium. Quod ille non se aliter esse facturum respondit, nisi indicto ieiunio, 5 omnes in commune Dominum precarentur, vt illo digna scribere posset. Et hoc ita patrato instructus reuelatione, ac spiritus sancti gratia inebriatus, omnes hæreticorum tenebras potestate facta, subitò veritatis luce dispulit: In principio (inquiens) erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbũ. Similemque initijs totũ sermonis sui cursum faciens, Dominum nostrum Iesum Christum sicut verum hominem, verè ex homine temporaliter factum, ita etiam verum Deũ, verè ex Deo patre æternaliter natũ, & cum spiritu sancto semper assistentem, clarissima assertione perdocuit, imò omnia diuinæ veritatis & veræ diuinitatis, quantũ alteri mortaliũ nulli licuit, arcana reserauit. Et hoc virgini priuilegium rectè seruabatur, vt in scrutanda verbi incorruptibilis sacramenta, ipse incorrupto non solum corde, sed & corpore prodiret. De cuius dictorũ veritate quàm sit nemini ambigendũ, ipse quoq; curauit ostendere, qui cùm dixisset: Hic est discipulus qui testimoniũ perhibet de his, & scripsit hæc: cõtinuò subiecit, & ait: Et scimus quia verũ est testimoniũ eius. Quia ergo & nos cũ cæteris fidelibus scimus quia verũ est testimoniũ eius, curemus per omnia 6 recta fide intelligendo, recta operatione exercendo quæ docuit, ad dona sempiterna quæ promisit, peruenire per Dominum nostrum Iesum Christum, qui viuit & regnat cum Deo, &c.

5 Et hoc in loco generale indixit ieiunium Ioannes Apostolus pro impetranda à Deo gratia dignè scribendi Euangeliũ. Nõ ergo humana traditio ieiuniũ, non res superstitiosa non inutilis ad promerendum aliquid à Deo, vt somniãt modo aliquè qui malè sentientes.

6 Recta fide intelligendo, & recta operatione exercendo quæ docuit Ioãnes, perueniemus ad dona sempiterna quæ promisit. Non ergo sufficit tantum ea credere, vt docent Antichristi nostri.

ITEM VITA ADHVC ALIA BEATI Ioannis Apostoli & Euangelistæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

Habetur in OEcumenio post expositionem libri Apocalypsis.

QVAM parum absit homo ab Angelis, quodq́; ipsi possibile sit vnà cũ illis versari, viciniusq́; assistere, imò etiam Deũ imitari posset, quodque multò maius est, filius illius iuxta gratiam effici, ostẽdit præ omnibus magnus hic Euãgelista, & Apostolus, matre quidem virgine ditatus, dignus autẽ habitus, qui Christi frater vocaretur, ipsiq; factus socius & particeps arcanorũ. Verũ ipsamet diuina oracula voce maxima prædicãt Dei in seipso magnalia. Attamen id manifestius sermo nobis explicabit. Hic enim verbi vox, filius tonitrui, vniuersum prædicatione cõprehendens orbẽ: & quod omnisi maius est, solumq; in se sufficiens, dilectus ab ipso Christo meo, patriã quidem non habuit ciuitatẽ aliquam, sed ex vili quodã page, & abiecta regione natus est. Confirmant hunc sermonẽ Scribę dicentes: Prophetã ex Galilæa non surrexisse. Confirmat & ille verè Israëlita contẽdens, nullũ bonum esse posse a Nazareth. Ex hac igitur hic, & ex tali tantus sacerdos, velutì ramus quidã productus patre quoq; conformiter ad patriã abiectus, & obscurus, nẽpe piscatore ac paupere. Et hic quidẽ puerilem iam ætatem egressus erat: porrò pater filiũ ad idem opificium assumit, piscatoriæ artis hæredẽ ipsum efficiens. Artis itaq; socius erat filius patri, & familiaris ac do-

ac domestica erat vtriq; paupertas. Quid enim pauperius & abiectius dicere quispiam poterit, quàm sint piscatores? quorum hic vnus erat præco veritatis, ac præceptor. Quodque minus est ad abiectionis demonstrationē, non in mari piscabatur, sed in breui quodam lacu vnà cum patre & fratre Iacobo versabatur, rupta sarciens retia (quod & ipsum extremæ paupertatis erat) ac manuum artificio consolans necessariorum indigentiam. Itaque Græcanicæ disciplinę ne in modico quidem particeps erat, cuius rei testis est diuus Lucas, qui ipsum idiotam vocat, & alienum à literis. Vnum hoc solum habebat insigne quo agnosceretur, & bonum hoc vinculum à patribus trahebat, nempe pietatē. Vbi autem vmbraticæ nebulæ eleuarę sunt, & ea quæ figurarū erant, transire in veritatē cœperunt: & tu Domine qui singulatim finxisti corda nostra, non dispersisti testamētum tuum, quod nobiscum pactum erat, sed videns vidisti afflictionem Israël: & nō exutus diuinitate propter nos factus es id quod nos, sine peccato, & throno patris nō relicto, virginem inhabitasti propter me, vt ego cœlos inhabitarem, & ex veteri casu reuocatus, & liber à peccato ac primam adoptionem suscipieas: oportuit sanè esse & discipulos, qui mysterio dispensationis ministrarent. Tunc quidem vocatur Andreas & Petrus: aduocatur autem & hic, qui circa pisces, & retia, ac lacus versabatur: & iussus verbi voce vt hominum piscator constitueretur, protinus patre, scaphaque relictis, ei qui se vocabat adiungitur: & terreno homine exuitur propter cœlestem, ac piscationem animarum transmutatus addiscit, & præceptoris vestigia secutus inimicos diligit, persequētes benedicit. Vtque vno verbo absoluam, in huius lege exactè instruitur, talemque nactus præceptorem similem demōstrat disciplinam: & ascensiones in corde disponens, discipulus familiarissimus, ac præco maximè Theologus efficitur: omnes sensus moderatur, familiaris omnino virginitati efficitur, tali vtendo alimenti ratione, vt summa parsimonia 7 viuere duntaxat posset, sacrumque corpus vt subsisteret conseruare. Hinc etiam virginitatis appellatione ditatur, 8 & amicus eius qui imperium tenet, efficitur, magis autē & ipsum habet in seipso loquentem: & rursum ab eo audit, quæ ille à patre audierat: cumq; in montem ascenderet, ipse vnà conscendit, ac dignus habetur visione admiranda, & maiori quàm dici posset, ipsam verbi diuinitatem denudatā intuitus, & cœlestem audiuit vocem, qua dilectum filium declarat pater, ac veteri testamento præponit Euangelium. Decens ac honorifica cœna subsequitur, & ne tunc quidem Ioannes relinquitur. Deinde cùm Petro opus esset discere quisnam is esset, qui horrendam illā proditionē parturiret, nec ipse auderet interrogare, quāquam primas teneret 9 in choro discipulorum, Ioanni hoc cōmittit. Nouerat enim id quod Christus erat apud ipsum, hoc Ioannem esse apud Christum: & quod ipse quidem diligeret, ille autem dilectus esset. Et vide quanta accedat ipsi libertas loquendi. Neque enim vulgari modo interrogaret, neque primum excusans quòd metu accederet, sed sciens quanto ipsum amore prosequeretur, sedenti adhæret præceptori, & in huius pectus recumbens, ait: Domine quis est qui tradit te? Ille autem libenti etiā animo accipit quod ille fecerat, & quasi opportunè fuerit liberè locutus gratiam habet. Ex eo enim quòd protinus quæstionem soluat, ac pane designet proditorem, significat se nō ægrè ferre eam libertatem. Itaque hinc etiam manifestum est, quòd cathedram quam proximè Christū cum fratre petiuit, non gloriæ sed Christi amore petiuerit, & quod nollet hic alium esse sibi dilecto viciniorē. Condemnatur Iesus, & adest Ioannes, ac ad atrium Pontificis, cùm notus esset Pontifici, vnà congreditur, loquiturque ostiariæ, & Petrum pro foribus stantem introducit. Imminet tempus salutaris passionis, & verbum permanet vt procedat ad patrem, ac Ioannes cum matre adstat cruci, materque audit à filio ac suo conditore: Ecce filius tuus dilectus. & rursum hic: Ecce mater tua. Ab hoc igitur tempore virgo hic mente 10 & corpore, matrem ac virginem sibi vendicat: nec multò post Christum qui resurrexerat, videt, vidensque agnoscit, & cum Petro ad sepulchrum venit, ac prior pręcurrit, & postquàm sepulchralia vidit, spiritus inflationē suscipit, eiusque donis ditatur, ac diuinis manibus consecratur vniuersi orbis Apostolus. Quoniam autē præceptorē audiuerat alias quoq; oues habere, quæ licet ex hoc nō essent ouili, oportet tamen & illas congregari, & ab eodē regi pastore, fieriq; vnū ouile, & eas rectè ac liberè ipsum sequi, neq; aliena fistula rapi, & dispergi, ac corrūpi. Hæc quantū æquum est, anxiè curat, & in iter ad hoc mittitur, vt dispersas oues in vnum congregaret, & eā quæ errasset fistula veritatis reuocaret, ac sub vno vero pastore ouile repararet: si quis duram ac repugnantem haberet animam, hoc eodem igne succulētam redditurus ac tenerā. Vnde relicta Palæstina, in Asiam proficiscitur. Cumque ea, quæ ipsam concernebant, rectè disposuisset, Ioniam occupat, ac Ephesum aggreditur, vbi plures ac crudeliores feræ erant, & talis quæ periculo quouis longè periculosiora essent. Et primum quidem tēplum Amazonum ipsis idolis consecratum vna prece subuertit, ac veluti plateæ lutum diruit. Deinde sacrificorum, qui à sacrificiorum appellatione cognomen sortiti sunt, hos quidem sermonibus, illos autem

7 Parsimonia fauet virginitati.

8 Ioannes virginitatis appellatione ditatur, & amicus Dei efficitur.

9 Petrus primas tenebat in choro Apostolorum.

10 Ioannes virgo mēte & corpore.

autem signis, rationibus, ac necessitatibus transfert ab errore: & huiusmodi exuberantibus modis efficit vt transmutentur ad discendã pietatem, vt ipsi etiam alijs constituantur deinceps veritatis duces ac præceptores. Ac ita partim quidem alios obiurgando, partim verò quæ conueniunt etiam admonendo, omnibusque omnia factus in sortem eorum qui salui fiunt, omnes pellicit: vt hinc factum cognosceretur, quod a Paulo dictum est: Vbi abundauit iniquitas, ibi superabundauit & gratia. Verùm maligno illi non dabatur inter hęc requies. Certè oculis inuidis intuitus pietatẽ adeo succrescere, cognita huius rei causa, omnem aduersus illum mouet lapidem. Quid ergo sumit consilij? Domitianum Vespasiani filium ingressus, qui post Titum obtinuit imperium, cum illo aduersus pietatem decernit. Ante omnia autem Ioannem, qui robur vniuersorum erat, tollere conatur: statimq; ipsum ab Asia ducit ad Europam, & in exilium relegat, quemadmodum insequens sermo manifestare poterit. Vbi enim in conspectum Imperatoris venisset, & quis, & vnde ortus esset, quamque profiteretur religionem, & quémnam diceret esse venturum, interrogatus esset: Ioannem quidem se vocatum esse, & à Iudæorum genere prodijsse ac seductionẽ Christianorum esse respondet, se autem annunciare hunc esse venturum, cuius thronus veluti luna præparatus ac perfectus esset in seculum. Vbi autem dixisset Imperator: Et quibus modis hæc confirmare poteris? Neq; enim hæc sufficientia sunt ad faciendam fidem eorũ, de quibus non est in promptu demonstratio. Morbi protinus (ô ineffabilem Domine tuã potentiam) & dæmoniorũ legiones pelluntur: reuiuiscunt autem mortui, iussum sequendo velocius quàm viuẽtes. Quibus ô Rex (aiunt Ioannem dixisse) ne dubites, ab his quę apparent, coniecturam faciens eorum quę manifesta non sunt. Porrò quæ de Saturno, & Ioue, cæterisque dijs vestris feruntur, nisi sufficientes essent, qui ante nos demonstrassent, vtique & ego facilè ostenderem nihil esse, sed plena potius ingenti vituperio, risuque, ac dementia. Verùm enimuero deceptionis salsugine abiecta, satiare potius fonte potabili ac dulcissimo. Hunc autem stupore simul & ira correptum aiunt, hinc quidem ob portenta ab ipso peracta, illinc verò ob id quod Deos suos calumniaretur. Itaque ad sermonis splendorem non accessit ob tenebrarũ quę in eius corde erant crassitiem. Quod autem hunc non occiderit, dictus ad Petrum sermo prohibuit, puta: si eum velim manere donec veniam, quid ad te? Sed virum perpetuo exilio condẽnauit, in vnam Sporadum insularum relegans (Pathmus huic nomen erat) cùm olim apud Romanos æquaretur morti exilium. Ductus est igitur ad exilij terminũ magnus Apostolus, & insulam apprehendit. Non longo postmodum tempore insulares seruatorem ac patronum ducẽt tonitrui filium, & ad æquitatem transeunt, seseque ad pietatem componunt. Itaq; cùm hic esset Apostolus, & admirandus Dionysius fermè iam nonaginta esset annorum, ex Athenis scribit ei in hunc modum: Tuam saluto sacram animam dilecte, & erit mihi id peculiarius præ multis. Salue igitur verè Christo dilecte. Consequenter autem etiam hæc addidit: Quid admirãdum si Christus verum loquatur? & iniqui discipulos è ciuitatibus expellant? ipsi sibijpsis cõdigna distribuentes, & execrandi à sanctis se segregantes ac separantes? Deinde etiam ad ipsum finem Epistolæ hæc de futuris subscribit: Omnino enim fide dignus sum, inquit, vt qui à Deo didicerim quæ decreta sunt, vt tibi contingant, & dico etiam quòd liberandus sis è custodia, qua in Pathmo seruaris, & in Asiaticam terram reuersurus, ibique facturus boni Dei imitationes, & his qui te sequentur, u traditiones. Sed hæc quidem postmodum suo tempore cõtigerunt, ac terminum accepit vaticinium, (quemadmodum in sequentibus sermo manifestare poterit) cùm iam Dionysius sub Domitiano pro Christo vitam martyrio finisset. Quæ sunt autẽ facta post hæc Domitiano ex hominibus sublato, Nerua in Imperio succedit, & condemnatis in exilium tanquam benignus & humanus donat reuocationẽ. Nec multo post tempore Traianus sceptra Romana suscipit, & consecutiuè humanum cõfirmat edictum, reuocans eos qui in exilio erant. Venerunt ergo & in Pathmon Imperatoris edicta, venit & ad Ioannem reuocatio. Et ille quidem decreuit nauigare in Ephesum. Porrò qui in Insula erant, dicebãt ne se desereret, sed apud ipsos permaneret, nec alios quàm qui ferre non possunt, vt à pio patre derelinquantur. Hinc autem lamenta luctus, ac lachrymæ. Quis, inquiunt, nobis tuũ explebit ordinem? Cui verò tali patri ac pastori subiecti esse poterimus? Quid desiderij, quid flammæ ex ipso procedentis solatium efficiemus? Quum autem persuadere non possent, dum supplicarent, vt virum apud se retinerent, secundę fuit supplicationis initium, & secundas rursum faciunt petitiones, ne totum seipsum auferret, neque vniuersa tristitiæ mole eos offunderet, sed vel pro re vmbram, suos, inquam, sermones pro se apud ipsos relinqueret, ac mysterium, quod apud nos factum est, vniuersæ dispensationis Christi describeret. Cedit igitur illorum petitioni, imò cedit potius paternis visceribus, quibus hic erga ipsos vtebatur, præsertim cùm superna prouidentia ita disposuisset multorum salutem ac Euangelij prædicationem. Et primùm quidem ipse ieiunium

u *Ecce traditiones Ioannis Apostoli.*

12 Ioannes antequam Euangeliũ scriberet, generale indixit ieiunium, vt gratiam dignè scribendi à Deo obtineret.

sibi imperat [12] ieiunus ipse, ac propemodũ corpore exhaustus, alijsq; hoc ipsum constituit, ac abstinentiam à malis, & nos quidem in tali quiete relinquit. Cæterum vnum quendam è septem se sequi iubet (Prochorus hic erat) vt ipse quidem ea quę à Deo essent, iste autem quæ ab ipso, notaret. Porrò ipse montis verticem capessit, & more Samuelis quidẽ rectus erigitur, sicut Moyses autem manibus eleuatis effiguratur, & mentẽ à sensibus abstractam totam refert in id quod exoptat. Quid ergo hinc secutum est? Horrenda tonitrua, & terrores, ac fulgura continuè vehementi fragore elisa, & repentè effulgentia: quorum si quis imagines ac figuras dixerit ea, quæ multò antea sub Moyse contigerant, quando Deo aderat, & ab eo tabulas accipiebat, nequaquam à veritate aberrauerit. At Prochorus interim pronus quidem, & velut exanimis non ferebat inter huiusmodi versari spectacula, ipse verò stat imperterritus, cùm charitas procul abiecisset timorem. Ad extremum tonitru in vocem exprimitur, ac dilucidè resonat: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Prochorus, qui diuina institutione proximus erat, lumen quidem videbat, quanquam subtremulus, porrò neminem audiebat. quia neque hi, qui cum Paulo & Moyse quondam erant, eos audierunt, qui illos in sacris instituebant. Lingua tonitrui Theologus est. Et sacrarum rerum discipulus, represso paululũ timore, subtremula manu quæ inde sumpta sunt exarat, donec perfectum est Euangelium. Denique cedunt pauperes, ac terrenis reuelantur cœlestia. Tandem etiam à monte descendit Ioannes, nouam legem sibi creditam habens, quemadmodum olim tabulas Moyses Dei inspector, illamque ferens dat his qui petiuerant. Ita ergo vbi nouam legem quam acceperat, illis tradidisset, ipse vi sanè & inuitis quidẽ insularibus, nauigabat tamen Ephesum versus. Porro illi veluti qui oculorum cæcitate longo tempore detinentur, si quando possint morbum repellere, longè iucundius solem intuentur: ita & Ephesij recipientes Christi dilectum, quodam etiam modo desiderabilius quàm prius afficiuntur. Quid autem ille? Quanquam vehementer fuisset frequenter fatigatus, non dat oculis somnum, nec palpebris dormitationem, nec requiem temporibus, sed populum quidem exhortatur, aduersus autem incredulos zelum ostẽdit. Errore supplantatos reducit ad veritatem, feras arcet, quæ post suum discessum impudenter in ouile se ingesserant, ac gregem reuocat. Ita dispositis his quæ circa Ephesum erant, ad propinquas gentes discedit, hic quidem Episcopos constituturus, illic verò integras quoque docturus Ecclesias spiritu obsignari. Verùm me huc sermonis progressum, factum illud animæ generosæ ac humanæ occupat, quod etiam altius repetens (veluti narrat Clemens ille Alexandrinæ Ecclesiæ presbyter, vir & in alijs admirandus, & eloquentia sanè laudabilis in sermone: Quis diues saluus fiat) retexam. Quum enim peruenisset Ioannes post reditum ex Pathmo ad quandam vicinarum ciuitatum, cuius etiam appellationem nonnulli dicunt, & fratres qui in hac erant, opportunè recreasset, quendam ibi adolescẽtem repperit magnitudine mediocrem, aspectu ciuilem: cumq; perspicaci spiritus efficacia generositatem animæ illius, ac morum liberalitatem obseruasset, benedictiones dat adolescenti, & sufficiẽter ipsum inungit, ac excitat. Quoniã autem iam discessurus erat, & aliò accessurus, vt & terram prędicatione, & mare ac insulas accederet, ciuitatis Episcopo adolescentem in Ecclesia coram Christo teste commendat, vbi multa de illius disciplina & educatione præcepisset. Ille verò prompto suscepit animo, pollicitus multa quoque se adiecturum in cura circa adolescentem. Deinde ille quidem Ephesum discedit, hic autem assumptum in domum adolescentem alebat, instruebat, curam eius habebat, tandem etiam baptizauit. Porrò vbi Domini signaculũ, nempe firmum munimentum ipsi addidisset, deinceps custodia liberum esse dimisit. Ad hunc autem, qui ante tempus remissionem acceperat, subeunt nonnulli coætanei, effrenes ac indisciplinati in cupiditatibus. Et primum quidem adolescentem ad vitia persuasibilem pretiosis conuiuijs ac mensis sibi conciliant. Quæ autem hinc sequuta sunt? Facilis enim ac procliuis est via, quæ ducit ad vitia, & eum, qui primum eius attigit gradum, facilè admodum est per omnem æqualitatem detrahi protinus vsq; ad extremum. Hac via dum etiam nocte ad furta accederent, adolescentem vnà protrahunt. Ille verò iam amore latrocinij succensus, & ipse diuitiarum cupiditatem exacuens, nihil iam meditabatur quod esset exiguum, propter naturę ac indolis generositatem. Denique etiam latronũ sodalitatem his qui secum erant, demonstrauit, atque hic latronum princeps, primusque raptor erat vehementissimus. Post hæc verò vbi Ioannes rursum ad eam ciuitatem remeasset, cæteris, propter quæ eò venerat, dispositis, vt æquum erat: age sanè, inquit, ad Episcopum, depositum nobis redde, quod ego & Christus loco testis in Ecclesia apud te deposuimus. At ille cùm existimaret pecunias esse quæ repeterentur, primum quidem obstupuit, cùm sibi non esset conscius, se id quod repetebatur, accepisse, & neque crederet posse fieri repetitionem ab ea, quæ non haberet, neque Ioanni non credere. Vbi autem dixisset: Adolescentem repeto, & fratris

animam,

animam intimius suspirans senex ardentiori spiritu, ac sublachrymatione miseriam indicans: Ille, inquit, mortuus est. Porrò interrogatus quando, & quomodo, quaue morte: Deo, inquit, mortuus est, cùm latrocinium exercere elegerit, & montem loco Ecclesiæ inhabitare, perditorum conuersationem amplexus potius quàm nostram erga ipsum solicitudinem ac curam. At ille ob hoc dolore vehementi oppressus: Re vera, inquit, egregium te custodem animæ fratris reliqui: verum equus iam adsit, ac viæ ductor mihi detur. Statimque conscenso equo totas laxabat habenas, minorem esse existimans equi velocitatem pro sua festinatione. Iamque monte apprehenso, à latronum custodia, nihil deprecans, neque fugiens capitur. Et in hoc, inquit, veni: itaque ad principem vestrum me ducite. Porrò vbi ille hunc esse ipsum Ioannem cognouit: certè pudore suffusus fugit. At hic obliuioni tradita senectute, ac motione, quæ mundum consequi solet, persequitur. Deinde magna quadam grauique voce clamans: Quid, inquit, fili fugis me patrem tuum? meam reuerere caniciem, ac floris ætatis tuæ miserere: adhuc tibi spes vitæ relinquitur: ego pro te rationem reddam: Consiste in loco fili, Christus me misit ad te. Hæc cùm audisset adolescens, primùm quidem constitit, terræ pauimentũ intentis oculis intuens, præ pudore oculos non potens sursum erigere. Deinde proiectis in terram armis miserabili quodam modo cum magno dolore eiulatur, ac venientem amplexatur senem, propter gemitus quidem efficiens ne fletibus dignus esset: Propter lachrymas verò, ne vel lamentis solam occultat dexteram: verebatur enim & hanc ipsi porrigere, quam tot sceleribus ac latrocinijs fœdauerat. Porrò ille veluti pater vehemẽti amore visceribus sauciatus, spondet veniam, misericordem pollicetur iudicem, & apprehensa dextera, deosculatur, & ad Ecclesiam reducit adolescentem. Deinde abũdanti vtens oratione, perseuerat ieiunijs annitens, & adolescentis animam varijs sermonũ cantilenis velut vnguentis quibusdam deliniens non prius abscessit, quàm hunc priori sanitate donaret, magnum quoddam vitæ relinquẽs exemplum ad pœnitẽtiam. Et hoc quidem tale est, & adeo dignum quod non occultetur. Porrò illud longè maius est, longeq; magis admirandum, & ex eadem benigna illa anima compassionem simul & potentiam ostendens. Dicitur enim quidam fidelis eo tempore, qui prius vitæ necessaria sufficienter habuerat, nec aliqua pressus fuerat indigentia, ad extremam inopiam postmodum recidisse, vt & debitorum multitudine cumulaaretur, & innumeris fœnerationibus suspectus esset, ac velut fera quædam à tergo sagaciter inuestigaretur ab illis & inquireretur, ac in ipsarum rerum necessariarum inopiam vagaretur. At enim cum pudore, quem ob fœneratorum exactiones miserè sustinebat, tum etiam necessitatem ex indigentia non ferens homo, ad mortem decreuit confugere, idque conabatur, vt hæc quantocius ad se veniret, si fortè hinc & egestatem, & debitorum multitudinem dissolueret. Verùm quoniam hæc vltro non veniebat, compendiosam viam ad hanc inuenit, & quem tunc peritissimum esse sciebat conficiendis venenis, ac prestigiatorem, cultu Hebræum, hunc accessit, eiq; reuelat quid in animo haberet, ac orat eum vt qui possit sibi auxilio esse in eo quod mente cõceperat, & suæ mortis fieri particeps. Atq; hic confestim promptus inuenitur minister, ac venenum illi tradit, vitæque subuersionem consulit. Porrò miser ille, accepto veneno, domum redit. Cùm varijs autem luctãs cogitationibus, curisque duplicibus anxius, & nunc quidem præsentibus delectationibus, huiusque vitæ concupiscentia allectus; nunc verò fœneratorum multitudinem, aliasque ex indigentia procedentes molestias considerans medius stabat inter extremam consilij inopiam. Siquidem cùm ad dulcem hanc lucem respiciebat, venenum respuebat: quando verò ad circunstantem vndique egestatem, animoq; insidentem anxietatem, ausum sumebat aduersus mortem, victus tamen est à necessitate: & vt hinc liberaretur à molestijs, elegit ab ipsa vita liberari. Denique infuso veneno, sumptoque extremis digitis cratere, quando quidem animus ad id non accedebat, sed timidè admodum se habebat, intusque sibi cor continuè palpitabat. 13 Tandem crucis signaculo Christianis consueto venenum consignat, statimq; vbi clausis oculis bibisset, (ô magnam, ac admirandam Christi tuam potentiam) illæsus permansit, cruce veneno suam tollente vim. Cùm autem simili rursum necessitate opprimeretur, & ab ipsis creditoribus obsideretur, animamq; haberet priori oppressam inopia, & quæ omnimodo quæreret è præsentibus liberationem, labefactabatur tamen ad sumendum alterum venenum, & ad mortem accedere recusabat. Verùm cùm è præsentibus non liberaretur difficultatibus, grauius esse malum iudicans iterata etiam morte, accedit ad veneficum, rursumque ab illo poscit aliud pharmacum, vt malum malo mederetur, cùm id quod prius acceperat, nihil ad id quod necesse erat, tulisset auxilij, vtpote sua natura illud vincente. Nam id impedimento fuisse veneni efficaciæ demens dicebat, non intelligens crucem fuisse, quæ hic mortem abstulisset, quæ etiam antea serpentem longè hoc veneno potentiorem sustulerat. Itaque præstigiator ille ac veneficus, & ipse

13 Crucis signaculum Christianis consuetum veneni vim abstulit.

pharmaci

14 Rursus crucis signaculum in calice factum, eum qui venenũ biberat præseruauit.

pharmaci debilitatem damnans, aliud ipsi porrigit quod priore multò efficacius erat. 14 Cumque rursum domum venisset, ac illud bibiturus esset, cum priori timore & agonia, duplicibusque illis anxietatibus iactabatur, & sudore vndique circunfluebat, ac tremebat. Deinde vbi rursum consueto crucis signaculo calicem consignasset, ac bibisset, iterum illæsus permansit: ipseque obstupuit, sanè cùm causam coniectare non posset, ac mirum in modum desperationis stimulis iactabatur: nondum enim intelligere poterat, quòd crucis efficacia esset, quæ veneni vires extingueret. Cumque homo animi angustiæ ac calamitatum pelago immersus, nec vel paululum ad saniorem mentem redire, nec ea quæ (vt aiunt) ante pedes erant cognoscere posset, hinc iteratò abit ad Hebræum, & eadem quæ prius exponit. Cùm autem & ille consternatus esset, longoque tempore super ea re consilio destitueretur, deinde etiam causam aliquam deprehendere cuperet, propter quam in veneno falsus esset, (ipse enim veneficus erat, & huiusmodi rerum artifex) quo pacto, & in quem modum vbi domum redijsset, venenum acciperet, minutatim per singula interrogabat. Hic autem: Nihil, inquit, aliud ago domum veniens, quàm quòd infuso crateri veneno, deinde paululum etiam labefactatus, & anxietate in corde concussus, crucis signo, vt quod à Christianis ex consuetudine fieri solet, propter timorem calice obsignato, oculis clausis illud bibo. 15 Vbi primum crucis nomen hic audisset Hebræus, intellexit statim quod erat, nempe crucem esse, quæ vim tolleret veneni. Porrò ne res nudæ solùm hæreret suspicioni, quandam etiam requirit fidem: cuidam illius cani tradito veneno, hunc protinus interemit. Hebræus autem nullas amplius requirens demonstrationes, abiurata patria secta, ad veritatem accedit. Idque primum tollit errorem, & venenum ei, qui alio modo vsus fuerat, verè mortiferum ostensum est prioris veneficij ipsius signum mutationis idoneum. Accedit ad Christi discipulum ducem errantium. Tubæ variarum spiritus linguarum mentis conceptum indicat, arguit insipientiam. Publicat prauum illud mysterium, manifestat prioris erroris insensibilitatem. Porrò ille & accedentem suscipit, & laudat resipiscentiam, ipsumque adhortationibus munit ac consilijs. Deinde & baptismate regenerat, & vniuersorum Domino conciliat. Verùm neque communis salutis dispensator eum, qui Hebræo fuerat occasio mutationis, ita malè habentem neglexit: sed causa cognita, quæ ipsum ad id periculi duxerat, propter quam vltrò propria quoque vita miserè priuandus erat, & paternis ipsum refouet colloquijs, & illius animam, quæ iam conciderat, erigit, ac tristitiam & desperationem abijcit. Deinde opere etiam adfert consolationem, quandoquidem & hoc poterat efficere. Quoniam enim & debitorum repetitione, & rerum necessariarum inopia oppressum illum vidit, & ob id ipsam vitam miserè abijcientem, quid facit? Atque hinc mihi considerate, quibus donis ille dotatus fuerat. Quòd enim antea Petrus cum ipso templum ingressurus ad horam precationis nonam, qua (vt inquit Lucas) vsus est in claudo, qui ad speciosam templi portam sedebat, ac eleemosynam petebat dicens, Argentum & aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do, simul & pedes ipsi sanos reddens, hoc sanè & iste hîc facit. Sciens enim nihil sibi argenti esse vel auri, vt hinc illius indigentię necessitatem consolari posset, herbæ quæ in proximo erat, quantum ambabus manibus comprehendere posset, iussit homini accipere. Ille verò cùm ignoraret quænam esset causa, & quidnam hac re sibi vellet Apostolus, ac herbam quantum totis manibus assequebatur comprehendisset, ipse facta duntaxat 16 oratione, ac signo crucis, ipsam restituit, & protinus correptam herbam aurum esse ostendit, aurumque purissimum, atque hunc confestim tollere iussit, simulque & consilij inopiam ac desperationem ex præsenti egestate contractam dissoluere, & debita reddere, ac residuæ vitæ occasionibus prouidere, Deoque gratiarum actiones reddere. Quid igitur fieri posset, quod huic æquaretur miraculo? Si quidem in templi introitu forsan & hic quodammodo fuerat Petro auxilio, & abundantiorem ambo spiritus gratiam postulauerant. Hîc autem solam Ioannis vim ac fortitudinem est intueri, quantaque erga Deum spiritus familiaritate ditatus sit. Sed hæc quidem exhibebat dum adhuc in terra conuersaretur, errores abigens, & pietatis prædicationem disseminans, ac reuocans veritatem. Postquam autem omnes, quod suarum erat partium, Deo adduxerat, cœlum quidem efficiens proscenium, terræ autem orbem theatrum, ac Angelos spectatores, qui stupefacti erant ad decorem virtutis illius ac prudentiam, (Desiderabilia namq; super aurum & lapidem pretiosum multum, ac dulciora super mel & fauum, erant doctrinæ ipsius diuina eloquia) ciuitatem egressus est, discipulis præcipiens, vt ligonem ac sarculum secum conferrent, ac protinus in montem quendam ascendens, vbi nunc huius 17 templum extructum est eximiæ cùm pulchritudinis, tum magnitudinis, stansque in ipso: Hic, inquit, filij mihi fodite. Deinde vbi se totum consignasset, ac dixisset: Et tu mecum esto Domine Iesu Christe, astantibusque subiunxisset: Pax vobis fratres, in foueam demisit

15 Mira signi crucis virtus.

16 Oratione & crucis signo herbã Apostolus in purũ aurum conuertit.

17 Templũ in honorem D. Ioannis vbi iacere voluit, eximiæ pulchritudinis & magnitudinis extructũ.

pallium,

pallium, & ipse quoque in eam descendit, ac corpore mediam obtinuit Asiam, vbi olim qui è Græcanico cœtu erant, philosophabantur. Porrò discipuli comas euellebant, genas percutiebant, ac orbitatem miserabiliter deplorabant, pastorem, gubernatorem, seruatorem, denique eum qui omnibus omnia erat, inclamabant. Deinde etiam ciuitatem accedentes his qui in ciuitate erant manifestant id quod factum erat. Interim autem die illucescente concurrunt ad monumentum, videre cupientes, num præceptor adhuc superuiueret, & omne accessorum. Porrò pastor nusquam comparebat, solæ iacebant crepidæ, is autem qui has abiecerat disparuerat. Discurrunt huc & illuc, quemadmodum hi qui cum Elisæo erant, scrutantur, inuestigant, verum incassum efficitur ipsis labor. Deinde vix tandem illius vocis recordari: si eum volo manere donec veniam, quid ad te? ad mentem aladem illius vocis recordari: si eum volo manere donec veniam, quid ad te? ad mentem aladem redeunt. Et ille quidem Enoch, & Eliæ Thesbytæ coniungitur: hi autem à lætiorem redeunt, mentis discedentes, Deum vniuersorum laudabant, qui suum dilectum à Deo magnificauerat. Hoc itaque die quo hæc contigerunt, splendidus huic Theologo celebratur Ephesi conuentus ex omni genere ac vniuersa ætate, qui astrorum splendore intuetur. Præterea in hoc sacro loco, ad quem hic cum pallio declinauit, minutus quidam 18 puluis manat ac exoritur, cuius accedenti medelam ab omni morbo suppeditans. Cum igitur in nocturnis 19 laudibus festi ipsius, ab his qui in eo ministrant, tradatur cœtibus in hoc congregatis, non facile exhauritur, sed quo amplius hauriunt tanto magis manat, veluti perennis quidam thesaurus, qui simul & participantes reddit ditiores, ac ipse abundantior semper efficitur, gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi: cum quo patri simul ac spiritui sancto gloria, imperiũ, honor, & adoratio, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

18 Minutus puluis ex loco Apostoli vbi corpus eius iacuit, manat pro varijs morborum generibus depellendis. Quod signũ est habitantis in eo gratiæ spiritus sancti.

19 Nocturnæ laudes Ephesi in festo Ioannis Apostoli celebrantur.

VITA SANCTI IOANNIS APOSTOLI & Euangelistæ, per Diuum Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libro eiusdem de patribus noui testamenti.

IOannes, qui interpretatur gratia, Apostolus & Euangelista, filius Zebedæi, frater Iacobi, virgo electus 1 à Domino, atque inter cæteros magis dilectus. Qui etiam super pectus magistri recubans, Euangelii sui fluenta de ipso sacro Dominici pectoris fonte potauit, & quasi vnus de paradysi fluminibus, verbi Dei gratiam in toto terrarum orbe diffudit. Quique in loco Christi, Christo iubente, successit, dum suscipiens matrem magistri discipulus, etiam ipse pro Christo alter quodammodo derelictus est filius. Hic dum Euangelium Christi in Asia prædicaret, à Domitiano Cæsare in Insula Pathmos metallo relegatur. Vbi etiam positus Apocalypsim scripsit. Interfecto autem à senatu Domitiano, ab exilio resolutus rediit Ephesum, ibique ob hæreticorum refutandas versutias exigentibus ab Asiæ Episcopis, Euangelium nouissimus edidit. Cuius quidem inter alias virtutes magnitudo signorum hæc fuit. Mutauit in aurum syluestres frondium virgas, littoreaque saxa in gemmas. Item gemmarum fragmina in propriam reformauit naturam. Viduam quoque precatu populi suscitauit, & rediuiuum iuuenis corpus, reuersa anima, reparauit. Bibens letiferum haustum, non solùm euasit periculum, sed eodem prostratos poculo in vitæ reparauit statum. Hic autem anno septuagesimo septimo post passionem Domini Saluatoris, sub Traiano principe, longo iam vetustatis senio fessus, cùm diem transmigrationis suæ imminere sibi sentiret, iussisse fertur, effodi sibi sepulchrum, atque inde vale fratribus dicens, facta oratione, viuens tumulum introiuit, & ideo in eo tanquam in lectulo requieuit. Vnde accidit, vt quidam eum viuere asserant, nec mortuum in sepulchro, sed dormientem iacere contendant. Maximè pro eo quòd illic terra sensim ab imo scaturiens ad superficiem sepulchri conscendat, & quasi flatu quiescentis deorsum ad superiora puluis ebulliat. Quieuit autem apud Ephesum sexto Calendas Ianuarias.

1 Tu qui dicis Episcopos & sacerdotes debere esse cõiugatos, vidésne quemodo Ioannes virgo electus à Domino, & ob id inter cæteros magis dilectus [illegible] coniugati?

ITEM DE EODEM BEATO IOANNE Apostolo, ex Diuo Dionysio Areopagita.

IOANNI THEOLOGO ET APOSTOLO & Euangelistæ, in Pathmos Insula relegato Dionysius.

SAluto te sacram animam dilectissime, & est mihi illud ad te præ multis peculiarius. Exulta dilectissime, veraciter ei qui vere amabilis ac desiderabilis & diligibilis est, omnium dilecte. Quid mirum si Christus vera loquitur, & iniqui discipulos ciuitatibus pellunt? Illi ipsi sibi quæ merentur profectò tribuentes, dum à sanctis scelesti dirimuntur atque

Hæc epistola habetur in lib. Micropresbytic.

atque recedunt, visibiles veritatis inuisibilium manifestæ imagines sunt: Neque enim in seculis futuris autor erit Deus iustarum ab se separationum, sed ij qui prorsus se à Deo sequestrarunt, quemadmodum & in alios cernimus hic iam Dei consortio & familiaritate beatos, quia cum sint veritatis amatores, ab affectu omni materialium rerum longissime secedunt, & in omni libertate malorum omnium, & amore diuino bonorum vniuersorum pacem diligunt & sanctificationem, atque ex præsenti vita futuræ primitias sumunt, inter homines angelico more conuersati, cum omni tranquillitate animi ac denominatione Dei, & sanctitate, & virtutibus reliquis. Et te quidem, non adeo insanus sum, vt arbitrer aliquid pati, imò & passiones corporis hac tantum in parte sentire credo, vt eas suum dijudicet. Cæterùm qui te iniuriis impetunt, & exilio relegare se Euangelii solem putant non rectè, eos iure culpans, cupio his omissis quæ in se ipsos peragunt, ad bonum conuertantur, & te ad se attrahendo, fiant participes luminis. Nos autem nulla procella, nulla aduersitas priuabit Ioannis clarissimo radio, id quidem consecuturos memoriæ & renouatione tuæ verissimæ Theologiæ. Post paululum verò (dicam enim etsi audax dictu videatur) tibi charissima societate iungemur. Ero autem prorsus dignior cui fides habeatur, si (quæ tibi præcognita sunt) quæ ex Deo didici, hæc loquar, quòd scilicet & ex Pathmi custodia dimittendus es liber, & in Asiaticam terram reuersurus, illicque peragas boni Dei imitationes, easque posteris trades.

ITEM DE BEATO IOANNE APOSTOLO & Euangelista, per D. Ambrosium Episcopum.

Habetur in fine libri tertii eiusdē de virginibus.

VIuificet vos ô virgines Petrus, qui & pro vidua interuenit, quantò magis pro virgine? Qui diutius viduas flere non passus, motus earum lachrymis, suscitauit altricem. Viuificet vos Paulus, qui vos præcepit honorari, qui ait: Bonum est si sic maneant sicut & ego. Honore prouocat, magisterio docet, inuitat exemplo. Viuificet ille, qui relictis suis omnibus secutus est Dominum, secutus est Petrus, secutus est Ioannes. Vide quid piscator etiam iste profecerit, dum [a] in mari lucrum suum quærit, vitam inuenit omnium. Lembum deseruit, Deum repperit. Scalmum reliquit, verbum inuenit. Lina laxauit, fidem vinxit. Plicauit retia, homines eleuauit. Mare spreuit, cœlum acquisiuit. Hic ergo piscator, dum ipse turbato agitatur salo, mobili mentes statione nutantes fundauit in petra. Astruamus igitur piscatoris artem frequentius, vt plenius de virtute credamus. Fuerit minister ignobilis, vt sit Euangelista nobilior. Paupertate egens, vt virtute locupletior. Vilis ad honorem videtur, sed preciosus ad fidem. Quantò minus creditur piscatori, tantò amplius creditur, quia non sua, sed diuina sunt quæ locutus est. Obsequitur plebeia conditio, expectationem aufert sapientiæ secularis, opinionem auget sapientiæ spiritalis. Qui legem non didicit, & vltra legem loquitur, ab eo accipit, à quo ipsa lex venit. Quæ tam repentina dignitas? Piscatores duo in monte Domini vni latori legis, executori alteri conferuntur. Videte qualis iste piscator sit. Moyses quidem terrena omnia, & mundanæ sapientiæ altitudinem supergressus, vsque ad cœlum & sydera prælectis mentis ascendit. Piscatoris istius mens non nubibus caligatur, non temporibus includitur, non mysterijs naturæ cœlestis excluditur, sed omnem corporalem materiam supergressa, verbum apud Deum vidit, & quod verbum ipsum Deus esset aspexit. Nec obtutu carnis in Petro infirmata trepidauit, sed Dei filium etiam in homine deprehendit, vt assumptiò corporis ad ius diuinitatis assumentis ascita, in nomen transiret autoris. Et Moyses quidem cum dicit: Et dixit Deus, & fecit Deus, patrem filiumque signauit. Sed ille non ignorabat, ego adhuc ignorabam. Denique post legem populus errauit, post Euangelium credidit. Magna in diuersis virtutibus Dei gratia. In illo, quia mundum descripsit: in isto, quia mundum ignorauit.

a Ecce quomodo pœniteat [illegible] desertionē, quādo id apprehenditur magis Deo placere, sicut videmus Ioannem & alios Apostolos voluntariè [illegible] sariò fecisse.

ADHVC DE EODEM SANCTO APOSTOLO Ioanno, per eundem D. Ambrosium Episcopum.

Habetur in sermone eius de sanctis martyribus inter Pascha & Pentecosten.

SED forsitan quis dicet: Sepulchra clausa sunt, monumenta constricta, quemadmodum prodire exinde potuerunt? Vt taceamus, quia omnia possibilia sunt Deo, & clausis tumuli penetralibus possit spirituale corpus educere, vt hæc omnia prætermittā: Ioannis tamen Apostoli habemus exemplum: quem tumulus susceptum claudere potuit, custodire non potuit. Nam depositum corpus perdidit, non assumpsit. Hinc enim clausis tumuli foribus gratia resurrectionis sublatus est, vt cōstaret sepultura, & non inueniretur sepultus. Denique cùm sacerdotes adorandi causa corpus inquirerent, reserato aditu tumulus non potuit reddere quem suscepit.

VITA

VITA BEATI IOANNIS APOSTOLI, PER Diuum Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem ſcripta.

IOannes Apoſtolus & Euangeliſta Dei, poſt peractum tam agonis legitimi, quàm prædicationis ſaluberrimæ curſum, viuus deſcendens in tumulũ, operiri ſe humo præcipit: cuius ſepulchrum manna in modum farinæ hodie quoque eructat. Ex [1] qua beatæ reliquię per vniuerſum delatæ mundum ſalutem morbidis præſtant. Hic eſt Ioannes, quem Dominus plus quàm cæteros dilexit Apoſtolos: qui tantæ charitatis amore prælatus eſt, vt ſuper ipſum ſacri corporis pectus accumbens, myſteriorum cœleſtium hauriret arcana. Ipſi etiam Dominus noſter glorioſam genitricem, quaſi peculiari quodammodo diſcipulo, in ipſa paſsionis hora in cruce pro mundi ſalute poſitus commendauit. De hoc enim & poſt reſurrectionem dixit: Sic eum volo manere donec veniam. In Epheſo autem habetur locus, in quo hic Apoſtolus Euangelium, quod ex eius nomine in Eccleſia legitur, ſcripſit. Sunt autem in ſummitate montis illius proximi quatuor ſine tecto parietes. In his enim orationi inſiſtens, Dominum aſsiduè pro delictis populi deprecans morabatur, obtinuitq́; ne in loco imber vllus deſcenderet, donec Euangelium ille adimpleret. Sed & vſq; hodie ita præſtatur à Domino, vt nulla ibi deſcendat pluuia, neque imber violentius adueniat.

In ea vrbe Maria Magdalena quieſcit, nullum ſuper ſe tegmen habens. In ea & ſeptem dormientes habentur, de quibus aliqua, Domino fauente, in poſterum narraturi ſumus: In hac & idolum Dianæ fuit ab Apoſtolo Paulo deſtructum.

Habetur in lib. eiuſdē in gloriā plurimorū martyrum cap. 30.

[1] *Vide miraculum quod ex ſancti Apoſtoli ſepulchro prodit.*

VITA DIVI IOANNIS APOSTOLI ET EVANGELIſtæ, per Suidam ſcripta, Alberto Lino Veronenſe interprete.

IOannes Theologus & Euangeliſta, ab eo quod in Pathmo pertulit exilio, Epheſum reuerſus, Euangelium compoſuit annos centum natus, prouectuſq́; ætate vſque ad vigeſimum ſupra centum ibi degens Theologiam conſcripſit. [1] Recipit autem Chryſoſtomus & epiſtolas eius tres, & Apocalypſim.

[1] *Si tãtus doctor, imò tota Dei Eccleſia, tres Ioannis epiſtolas recipit & Apocalypſim, quare modò quidã reijcere audent?*

VITA D. IACOBI APOSTOLI FRATRIS Ioannis Euangeliſtæ, per Euſebium Cæſarienſem ſcripta.

TEMPORE Claudij Imperatoris quando fames erat, miſit (inquit Lucas in Actis Apoſtolorum) Herodes Rex manus ſuas affligere aliquos de Eccleſia, & interfecit Iacobum fratrem Ioannis gladio.

De hoc autem Iacobo Clemens Alexandrinus etiam hiſtoriã quandam dignam memoria, in ſeptimo Diſpoſitionũ ſuarum libro ſcribit, perlatam ad ſe vſque ex traditione maiorum: Quoniam quidem, inquit, & is qui obtulerat eum Iudici ad martyrium, Iacobum ſcilicet, motus etiam ipſe confeſſus eſt ſe eſſe Chriſtianum. Ducti ſunt, inquit, ambo pariter ad ſuppliciũ: & cùm ducerentur, in via rogauit Iacobum dare ſibi remiſsionem. At ille parumper deliberans: Pax tibi, inquit, & oſculatus eſt eum: & ita ambo ſimul capite plexi ſunt.

Habetur lib. 2. Eccleſiaſticę hiſtoriæ cap. 9.

VITA SANCTI IACOBI MAIORIS APOSTOLI, per D. Iſidorum Epiſcopum Iſpalenſem ſcripta.

IAcobus, qui interpretatur ſupplantator, filius Zebedęi, frater Ioannis, quartus in ordine duodecim: tribubus quæ ſunt in diſperſione gentium, atq; Hiſpaniæ, & Occidentalibus locis Euangelium prædicauit, & in occaſu mundi luce prædicationis effulſit. Hic in Marmarica Achaiæ ab Herode Tetrarcha gladio cæſus occubuit, ibidemque ſepultus.

Habetur in lib. eiuſdē de patribus noui teſtamenti.

VITA DIVI IACOBI APOSTOLI COGNOmento Iuſti, primi Hieroſolymorum Epiſcopi, per Euſebium Cæſarienſem ſcripta.

IVdæi poſteaquam Paulus ad Cæſarem quem appellauerat à Feſto tranſmiſſus eſt, & fruſtratas inſidias quas ei tetenderant, vident, in Iacobum fratrem Domini immanitatem nequitiæ ſuæ vertunt, cui Epiſcopalis in Hieroſolymis delata ab Apoſtolis fuerat

Ex lib. 2. hiſtoriæ Eccleſiaſticę capite 23.

ſedes. Quemq; hoc modo adorti ſunt. Productum in medium, abnegare eum fidem Chriſti coram omni populo expetūt. At ille contra omnium opinionē, voce ſatis libera & multò maiori quàm vellent, coram vniuerſo populo cum omni fiducia profitetur, filium eſſe Dei Saluatorem & Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. Tum illi non ferentes tam graue & tam liberum teſtimonium viri, pro eo maximè quòd iuſtiſsimus apud omnes habebatur ob religioſæ & continentiſsimæ vitæ meritum, in necem eius vertuntur, fauente ſibi occaſione temporis ex morte rectoris. Contigit enim Feſtum per idem tempus obire apud Iudæam, & ſine rectore ac principe eſſe prouinciam. Nam mortis Iacobi modus iam quidem & in ſuperioribus à nobis, Clementis ſermonibus indicatus eſt, cùm de pinna templi eum præcipitatum, & fullonis percuſſum fuſte deſcribit. Exploratius tamen de eo Egeſippus, qui poſt ipſas ſtatim primas Apoſtolorum ſucceſsiones fuit, in quinto commentariorum ſuorum libro, his verbis refert: Suſcepit, inquit, Eccleſiam cum Apoſtolis frater Domini Iacobus, qui ab omnibus cognominatus eſt Iuſtus, ab ipſis Domini temporibus perdurans, vſque ad nos. Et multi quidem Iacobi vocati ſunt, ſed hic ex vtero matris ſuæ ſanctus fuit. Vinum [1] & ſiceram non bibit, ſed neque animal manducauit: ferrum in caput eius non aſcendit, oleo non eſt perunctus, balneis non eſt vſus. Huic ſoli licebat introire in Sancta ſanctorum. Neque enim laneo [2] vtebatur indumento, ſed tantùm ſindone. Solus ingrediebatur templum, & iacebat ſuper genua ſua orans pro populi indulgentia: ita vt orando callos faceret in genibus ad modum cameli, ſemper genua flectendo, nec vnquam ab oratione ceſſando. Itaque pro incredibili continentia & ſumma iuſtitia, appellatus eſt iuſtus, & Oblias, quod eſt interpretatum. munimentum populi, & iuſtitia, ſicut & Prophetæ indicarunt de eo. Quidam ergo de ſeptem hæreſibus quæ erant in populo (de quibus ſuperius ſcripſimus) interrogabant eum, quod eſſet oſtium Ieſu. At ille dicebat, hunc eſſe Saluatorem. Ex quibus aliquanti crediderunt, quia Ieſus eſt Chriſtus. Illæ autem hæreſes (quas ſuprà diximus) non crediderunt neque ſurrexiſſe eum, neque venturum vt retribuat vnicuique ſecundùm opera ſua. Qui verò crediderunt, per Iacobum crediderunt. In quibus cùm multi etiam ex Principibus crediddiſſent, perturbatio erat Iudæorum, & Scribarum, & Phariſæorum, dicentium: Nihil iam ſupereſt, quin omnis populus credat in Ieſum quod ipſe ſit Chriſtus. Conuenietes igitur ad Iacobū, dicebant ei: Oramus te, vt reuoces populū qui ecce errat in Ieſu, putans quòd ipſe ſit Chriſtus. Deprecamur ergo te, vt ſuadeas omnibus conuenietibus in die Paſchę de Ieſu. Tibi enim omnes obtemperamus, & de te tam nos, quàm populus teſtimoniū ferimus, quia iuſtus es, & perſonam nullius accipis. Tu ergo ſuade populo de Ieſu ne erret, quia omnes tibi obedimus. Aſcende itaque in excelſum locum pinnæ templi, vt in edito poſitus appareas omnibus, & verba tua audiantur à cunctis, quia in diebus Paſchę cōuenit non ſolùm Iudæorum, ſed & Gentilium multitudo. Statuerunt igitur ſupradicti Scribæ & Phariſæi Iacobum ſupra pinnam templi, & voce magna clamantes ad eum dicunt: Virorum iuſtiſsime, cui omnes nos obtemperare debemus, quoniam populus errat poſt Ieſum qui crucifixus eſt, enuncia nobis quod ſit oſtium Ieſu. Tunc Iacobus ingenti voce ad eos reſpōdit: Quid me interrogatis de filio hominis? Et ecce ſedet in cœlo à dextris ſummę virtutis, & ipſe venturus eſt in nubibus cœli. Cumq; hac reſponſione & teſtimonio Iacobi multis ſatisfactum eſſet, & libenter audiſſent quę Iacobus conteſtatus eſt, cœperunt glorificare Deū, & dicere: Oſanna filio Dauid. Tunc rurſum ipſi Scribæ & Phariſæi cœperunt ad inuicem dicere: Malè fecimus tale teſtimonium præſtari de Ieſu. Sed aſcendamus, & præcipitemus hunc deorſum, vt cæteri terreantur, & non credant ei. Simul & voce magna exclamauerūt dicentes: Oo, & iuſtus errauit. Et compleuerunt ſcripturam, quæ in Eſaia ſcripta eſt, dicentem: Auferamus iuſtum, quoniam inutilis eſt nobis, propterea fructum operum ſuorum māducabunt, Aſcenderunt ergo & præcipitauerunt eum, & dicebant ad inuicem: Lapidemus Iacobum iuſtum. Et cœperunt eum vrgere lapidibus. Qui deiectus, non ſolùm mori non potuit, ſed conuerſus, & ſuper genua ſua recumbens, dicebat: Rogo Domine Deus pater remitte eis peccatū, non enim ſciunt quid faciunt. Cumq; eum talia orantem deſuper lapidibus perurgerent, vnus de ſacerdotibus de filijs Rechab filij Rechabin, de quibus proteſtatur Hieremias propheta, exclamauit, dicens: Parcite quæſo. Quid facitis? Pro vobis orat iuſtus hic quē lapidatis. Et vnus ex ipſis fullonis arrepta fuſte, in quo res exprimere ſolent, cerebro eius illiſit, & tali martyrio conſummatus eſt, ac ſepultus in eodem loco prope templum. Hic eſt qui extitit veritatis teſtis Iudæis & Gentibus, quia Ieſus eſt Chriſtus. Et non multò poſt oppugnatio conſecuta eſt Veſpaſiani. Hæc latius quidem, ſed conſonāter Clementi etiam Egeſippus retulit, quòd ita mirus quidē, & apud omnes homines opinatiſsimus in obſeruatione totius iuſtitiæ Iacobus habebatur, vt & Iudæorum prudentes, quique crederent hanc eſſe cauſam ſtatim conſequutæ oppugnationis Hieroſolymorum, quòd in illum

1 Vide Iacobi Apoſt. abſtinentiam & ciborum delectum, contra noſtros hæreticos.

2 Habes in Apoſtolo veſtimenti ſimplicitatem: Orationis aſsiduitatem: Genuflexionem in precatione: Continentiā in corpore. Quid ad hæc dicis Eccleſiæ turbator, & omniū bonarū inſtitutionum euerſor?

illum rursus sceleratas iniecerint manus. Et Ioseph ita sibi videri euidenter indicat per hæc verba: Quæ omnia, inquit, acciderunt Iudæis, pro vindicta Iacobi Iusti qui erat frater Iesu qui dicitur Christus, quem iustissimum & piissimum omnium confessione virum Iudæi interfecerunt. Idemque etiam mortem eius in vigesimo Antiquitatum libro his verbis designat: Mittit autem Cæsar Albinum Iudææ præfectum, Festi morte comperta. Ananias autem iunior (quem Pontificatum suscepisse supra diximus) protervus admodum, & insolens moribus, hæresim defendebat Sadducæorum, qui in iudiciis crudeliores Iudæis ceteris videntur, sicut iam suprà diximus. Hic insolentiæ suæ tempus datum credens ex morte Festi, consessum iudicum conuocat, & introducit in medium fratrem Iesu qui dicitur Christus, Iacobum nomine, & alios quàmplurimos, quos velut contra legem gerere incusans, tradidit lapidandos. Quod facinus, si quis ex ciuibus modestior fuit, & æqui ac legis obseruantior, grauissimè tulit. Qui etiam occultè legationem ad Cæsarem mittunt, orantes eum scribere Ananiæ, ne hæc agat: quia nec prius huiusmodi facinora rectè commiserit. Quidã autem ex ipsis etiam Albino occurrunt, de Alexandria ad ipsos iter agenti, atque edocent, quòd non licuerit Ananiæ se inconsulto consessum iudicum conuocare. At ille commotus ex his quæ dicta sunt, cum indignatione scribit ad Ananiam, comminatus ablaturum se ab eo iudicandi potestatem, qua non rectè vtebatur, quia & Agrippa Rex eum tribus solis mensibus functum hoc honore priuauerit, & Iesum Dammei filium in locum eius subrogauerit. Hactenus etiam de Iacobo, cuius illa habetur epistola, quæ prima scribitur 3 inter eas quæ Catholicæ appellantur.

3 Asserit Iacobi esse epistolã, quæ inter Catholicas appellatur prima: quod nota contra nostri temporis hæreticos.

VITA SANCTI IACOBI MINORIS APOSTOLI,
per Diuum Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

IAcobus Alphæi Episcopus Hierosolymorum primus, cognomento iustus, sororis matris Domini filius, vnde & Domini frater vocatus est, homo lucis, operarius veritatis, tantæque etiam sanctitatis, vt fimbriam vestimenti eius certatim cuperent attingere populi. Hic duodecim tribubus, quę sunt in dispersione gentium, epistolam scribit. Qui dum in Hierusalem Christũ Dei filium prædicaret, de templo à Iudæis præcipitatus, lapidibus opprimitur, ibique iuxta templum humatus est. Quem Iosephus tantæ sanctitatis perhibet, vt propter eius necem Hierosolyma credatur esse diruta.

Habetur in libr. eiusdẽ de patribus noui testamenti.

VITA BEATI IACOBI APOSTOLI FRATRIS
Domini, per Diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

IAcobus Apostolus, qui frater Domini vocitatus est, ab ipso Domino nostro Iesu Christo Episcopus dicitur ordinatus. Post cuius gloriosam ascensionem dum viam iustitiæ Iudæis errantibus aperire conatur, de pinna templi pręcipitatus alliditur, effusumq; fullonis fuste cerebrum eius fuit, & spiritum reddidit. Sepultus est in monte Oliueti, in memoria quam sibi ipse fabricauerat, & in qua Zachariam ac Simonem sepelierat.

Habetur in lib. eiusdem in gloriã plurimorũ martyrum Cap. 27.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM
sancti Iacobi Apostoli Fratris Domini.

Apud Simeonem Metaphrasten.

XXIII. Octobris.

NIHIL est viro bono, & virtutis amatori æquè iucundum, & quod nulla minus satietate offendatur, atque iusti memoria, & maximè si passus sit propter Christum. Ea enim illum magis excitat ad lætitiam, quàm aurum pecuniæ amatores, & quæcunq; sunt visu delectabilia, eos qui pulchrarum rerũ tenẽtur amore. Adde quòd ipsa iusti memoria non solum est iucunda, sed etiam valde vtilis, cùm aliquem zeli & æmulationis stimulũ immittat animis, & ad similia aggredienda excitet. Agedum ergo nos quoque magnum Iacobum in medium adducentes, qui verè est iustus, & nominatur, & vt Christi frater vocaretur, eximiè est assecutus, communẽ ex rebus illius vtilitatẽ capiamus, & voluptatẽ. Nam licet multi alij, qui in Ecclesiastica scribẽda historia studiũ posuerunt, de hoc iusto narrauerint, & ante omnes Hegesippus & Clemens, quorũ ille quidẽ in quinto suo libro, hic autẽ in sexta earũ, quę vocãtur Hypotyposes, nonnulla ex eis quæ ab ipso gesta sunt assumentes, posteris tradiderint: nemo tamen se extendit ad omnia, neq; contendit de eo dicere sigillatim. Causa autem est, quòd non fuit eorum institutũ de ipso scribere: sed erat quidem eis aliud

** Hæc opinio non solũ fuit in Metaphraste, sed quorundam etiã aliorum. Verum Hierony. & alij viri graues & docti, volunt eum fuisse filium Alphæi & Mariæ sororis matris Domini: quod expresse ostẽditur Mat. 10. Marci 3. & Luc. 6. Nisi quis cæcutientibus oculis sacra Euangelia legerit.*

1 Ecce S viri abstinẽtiam. Potum aquæ: alimẽtum panis: Ciborum delectũ: Lachrymarum effusionẽ: Genuum incuruationem ad orationem: Vestitus simplicitatem.

propositum argumentum: in parte autem, cùm ita accidisset, illius meminerunt. Iacobo ergo diuino patria fuit Iudæa, * pater Ioseph, qui propter insignem virtutem, & morum bonitatem, fuit sponsus virgini, quæ Dominum nostrum Iesum Christum peperit. Erant autem eius actiones nomini conuenientes. Aiunt enim eum fuisse vocatum Iobiam: quod quidem vult significare iustum. Oculus eius lenis, & placidus, & verè dignus, qui cõsequeretur à Deo misericordiam. Aures diuinis verbis omnino apertæ. Os, in quo tanquam aliquæ delitiæ, lex erat perpetuò. Manus quæ semper mouebantur ad bene faciendũ. Venter qui omnino suis resistebat appetitionibus. Nã ab animatis,[1] & à vino tota vita vsque adeo abstinuit, vt aquam quidem existimaret potum suauissimũ, quemadmodum & alimentum panem, lachrymarum guttas abundanter miscens cum potione. Genua eius precationis assiduæ causa penitus obduruerãt, & pellis erat in eis veluti mortua. Pãnus erat ei gratum indumentum, & sindon, quando erat ad sacra ascensurus. Inter noctẽ & diem nullum erat ei discrimen: sed noctu quoque lucis exercebat opera: & dies vitæ tranquillitate, & turbarum vacuitate imitabatur planè noctis silentium. Suis erat iucundus, alienis venerandus. Tantam enim laudem virtutis non solùm apud amicos, sed etiam apud eos qui non erant initiati mysterijs pietatis, is fuit assecutus, vt nonnulli quoque eorum eius conscripserint martyriũ, & dixerint, non eos solùm luisse pœnas, qui iustum interemerunt, sed ciuitatem quoque magnam accepisse calamitatẽ, in qua execrandum illud contigit facinus. Ei quod dico fert testimonium Iosephus, in vigesimo libro Antiquitatum id referens. Quomodo autem, & alia quæ ad Iustum pertinent, vobis virtutis amantibus pro dignitate recensebimus? Nuper quidem Dominus fuerat nobis particeps magni secundùm carnẽ mysterij: & magnus hic Iacobus tenebat clauum Ecclesiæ Hierosolymitanæ. Cùm duo autẽ sint quæ hominem ducunt ad perfectionẽ, contemplatio, inquam, & actio, ex quibus vim accipiunt virtutes, examinandum est quàm hic esset in vtroque eximius. Sed quoniam maximè per contemplationem ad Deum est ascensus, quoad eius fieri potest, prius narremus de illius contemplatione, deinde etiam actionẽ ponderemus pro viribus. Existimo enim oportere Episcopi oculum ante alia delectari vi contemplandi: etiam si actionem quidam putarunt esse ascensum ad contemplationem. Concedatur ergo quòd cõtemplatio præcedat actionem, quandoquidem Iusti actioni coniunctũ est etiam martyriũ. Sed quomodo Episcopus gregem cum scientia pascere debeat, is apertè potest intelligere, qui Catholicam eius legit epistolam. Et primùm quidẽ id quod est in scriptione egregiũ non est prætermittendum. Protinus enim, &, vt dicitur, à carceribus significatur sancti modestia. Sic autẽ habet: Iacobus Dei & Domini Iesu Christi seruus, duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione salutẽ: Nam cùm ei liceret seipsum vocare Apostolũ, aut Episcopũ, aut quod maius est, Fratrem Domini: quibus nominibus ipsum quoque Paulus significauit scribens ad Galatas: videtur delectari humilioribus, se esse seruum Christi Dei significat tribubus Israëlis, vel maximè propriũ magistri insigne, habens moderationẽ, & ea sibi magis placens, quàm Episcopatus dignitate, atque fraternitatis. Sed agè nonnulla quæ leguntur in epistola, quantũ conceditur, persequamur: per quæ erit manifesta illius mentis puritas, & accurata doctrina. Nam cùm fuisset in principio Epistolę, & contemplante animi oculo considerasset, vt est consequens, quòd quisquis ad Deum accedit, incidit in tentationes (Boni enim principiũ & radix est Deus, bonũ autem est virtus. Via autẽ quæ fert ad virtutem, est aspera & difficilis, & quę multa habet aduersa, & ideo euenit omnino, vt qui ad Deũ accedũt, in res incidant inæquales) exhortatur sanctos ad inuictã patientiã & nunquam cedentem, bonos imitans puerorum præceptores, & qui conuenienter legibus decertationis sciunt decertare. Dicit enim: Omne gaudium existimate, fratres mei, quando in tentationes varias incideritis, scientes quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Patiẽtia autem perfectum opus habeat, vt in nullo deficiatis. Si cui autem vestrũ deest sapiẽtia, petat à Deo, qui dat omnibus absolutè, & non exprobrat. Considera autẽ cum quãta hortatur sapientia. Non enim solummodo sustinere, sed etiã gaudere ingruentibus iubet tentationibus: nec solùm gaudere, sed id etiam omne gaudiũ ducere. Neque verò dicit quaslibet tẽtationes: Sed quando in varias incideritis tentationes. Causa autem est: Scientes, inquit, quòd probatio fidei vestræ patientiam operatur. Deinde subiungit, in fide debere esse firmitatem & constantiam, & nullam dubitationem, dicens: vir animo duplex, est instabilis in omnibus vijs suis. Quod autem postea dicit, quantam cum venustate habet etiam profunditatem? Glorietur enim, inquit, humilis quidem in sua altitudine: diues autem in sua humilitate. Nam cùm diuitiæ quidem alliciãt ad superbiam: paupertas autem ad humilitatem & animi deiectionem: ille contrà iubet facere diuitem quidem suam constituere altitudinem in modestis actionibus: Pauperem verò hoc ipsum existimare dignitatem non contemnendam, si magno & excelso animo ferat paupertatẽ; Ita paupertatem & diuitias, quæ sunt sæpe multis

materia

materia ad peccandum, vtraque materiam efficit ad Dei cultum. Deinde rursus cùm sciret, cuius gloriæ, & quàm multorum bonorum sint tentationes cõciliatrices ijs qui se fortiter gerunt, repetens dicit: Beatus homo qui sustinet tẽtationem, quoniã cùm fuerit probatus, accipiet coronam vitæ: beatitudine & spe coronarum efficiens, vt sint viris bonis acceptæ tentationes, & eas propemodum tanquam lucrũ existiment, & cum voluptate excipiant. Sed neque multorum morbum, qui suas defendentes cupiditates, peccatum dicunt esse à natura, & neque verentur existimare Deum esse causam malorum, reliquit incuratum: sed tanquã medicus præstantissimus, auxilijs vtẽs præseruantibus, huic morbo resistit, dicens: Nemo qui tentatur, dicat: A Deo tentor, Deus enim non tentatur à malis: ipse autẽ tentat neminẽ. Vnusquisq; verò tentatur à propria concupiscentia attractus, & inescatus. Deinde concupiscentia cùm concepit, parit peccatum: peccatũ autem perfectũ parit mortẽ. Sic vir iustus iustè iudicauit inter homines, & Deũ, illi quidem suo testimonio tribuẽs, quòd non esset autor malorum, & linguis loquacibus persuadens, vt tacerent: efficiens autem vt homines suam agnoscerent imbecillitatem, & sua peccata, & vt sibi, & non Deo adscriberent delicta, quę ex mala consuetudine proueniũt, & socordia: & sic discerent se humiliter gerere, & petere veniam. Præterea videbis iustum sapienter perimentem arrogantiam & superbiam, quæ sequitur bonum rectè gestum, & persuadentẽ Deo potius, quàm sibipsis adscribere, quod fuerit rectè factũ. Ne erretis igitur, inquit, fratres mei dilecti. Omne donũ bonum: & omne datum perfectũ desuper descendit à patre luminum, apud quem non est vicissitudo, nec mutationis obumbratio. Volẽs enim genuit nos verbo veritatis, vt simus nos primitiæ quædam eius creaturarum. Hæc & exinaniunt arrogantiam, & ostendunt Deum esse datorẽ bonorum, & esse immutabilem, nec in eum cadere alterationẽ: quodque is est eximius, si conferatur cum rebus creatis, & maximã videtur gerere curam hominis.

Post hæc accedit ad admonitiones, quæ ad mores magis pertinent: Sit, dicens, omnis homo velox ad audiẽdum, tardus ad loquendum, & tardus ad iram. Si enim velox sermo est cauendus, quantò magis adhibẽda est cautio ne citò irascaris? Vide autẽ quomodo figuram veri exprimit Christiani. Religio pura & immaculata patri & Deo hæc est: Visitare orphanos & viduas in afflictione eorũ, immaculatũ seipsum conseruare à mundo. Ex quo iubet & à mundo recedere, & ad propinquũ accedere. Tunc enim verè ac syncerè fratrum miserebimur, quando nos separabimus ab affectione in mundũ. Dicendo autem: Ne in personarum acceptionibus habeatis, fratres, fidem Domini nostri Iesu Christi glorię. Tollit id quod fit ad ostentationem, docens ne viuamus, vt placeamus hominibus, neq; quæramus gloriã ex hominibus, humilia & abiecta cogitantes: sed Deũ solum amemus, & eius quod fit, habeamus ipsum laudatorem, & remunerationẽ ab eo expectemus. Dicendo verò eum legem implere Regiam, qui diligit proximũ sicut seipsum, excitat ad fratrum dilectionem, ex eius qui legem tulerat dignitate, sciẽs huius pręcepti magnitudinẽ & pulchritudinem: & quòd planè legis adimpletio est dilectio in proximũ: & hoc ipsum est summa bonorũ. Deinde mouet ad misericordiam, terrens immisericordi & ineuitabili, quod illic est, iudicio. Iudicium enim, inquit, sine misericordia ei qui non fecit misericordiã: per hoc concedens, vt misericordia glorietur plus quàm iudiciũ, quatenus illi dat victoriã. Quinetiam ita dicit fidem opus habere actione, sicut corpus eget spiritu: absq; ea autẽ esse mortuã & inutilem, vt non confidamus in eo solùm quòd credamus, & inaniter gloriemur. Hoc autem probat, statim Abraham & Rhaab adducens in testimoniũ: illum quidẽ qui cum fide Isaac quoque obtulit: hanc autem, quæ speculatores per aliam viam transmisit. Et quid opus est, vt singula enumerem? Vix vllam prætermisit ex virtutibus moralibus, ad quam non incitauerit virum pium ac religiosum cum multa probabilitate, gratia ac iucũditate. Is linguæ legem dedit, vt qui & in tempore tacendum, & in tempore dicendũ accuratè doceret. Is patentè docet sequi quidem veritatem, à falso autem abstinere. Porrò autem linguam quoque maledicam & calumniatricem plurimum accusat. Et de propinquo clanculum detrahere aut etiam eum iudicare, ab animis hominum procul propulsat: Tuum opus est, ô iuste, diuites quoque rursus & pauperes admonere, illos quidem, ne cõfidant in diuitijs: hos autem, vt mala ferant patienter, vt qui sint tolerantiæ accepturi mercedem, quę non potest auferri: & illis quidem infidelitatis argumentũ diuitias obijcere, vt qui in eis confidant, & non in Dei sinu, qui nunquam exhauritur, his autem, tanquam Prophetam annunciare, quòd pro foribus stat is qui iudicat. Illud autem, non periurium solùm, sed vel ipsum omnino iusiurandum declinari debere, cuiusnam alterius quàm linguæ iustæ fuerit admonitio, dicẽtis: Ante omnia, fratres mei, nolite omnino iurare, neq; per cœlũ, neq; per terrã, neque vllum aliud iuramentum. Sit autem vestrum, Certè, certè, & non, non, ne sub iudicio decidatis. Eos qui sunt sereno & trãquillo animo docet, vt se muniant oratione: eos qui ægrotãt, vt oleo vtantur cum oratione Sacerdotis ad vnctionem, & id habeant pro morbi medicina,

vtpote quòd oratio, cui opera ferunt auxilium, maxima posſit efficere. Quid opus eſt omnia perſequi, quæ hæc continet epiſtola, cùm eam poſſit qui velit legere, & illinc haurire, tanquam ex fonte, & guſtando factis probare, & ita fide dignus eſſe teſtis eorum quæ pulchrè dicuntur à Iacobo? Porrò autē hinc quoque ſciri poteſt, quanta eſſet eius autoritas, & dicendi facultas. Fuit aliquando quæſtio Antiochiæ, an oporteret eos, qui ex gentibus ad verbum veritatis accedebāt, more Moſaico deinceps circumcidere. Fratres ergo qui erant Antiochiæ, Apoſtolis commorantibus Hieroſolymis permiſerunt iudicium, Paulo & Barnaba vſi miniſtris ad proponendum id de quo quærebatur. Cùm verò quæ Hieroſolymis erat Eccleſia ad hoc eſſet congregata, & Petrus primus Apoſtolorū præeſſet fidei, & deijceret ſemina pietatis: Viri fratres, inquit Iacobus, Simō expoſuit, quomodo primùm Deus viſitauit ſumere ex gentibus populū nomine ſuo. Et ei cōſentiunt Prophetę: Deinde cùm ſubiunxiſſet verba vnius Prophetæ, de ijs quę quærebantur, hanc tulit ſententiam: Iudico ego, dicens, non eſſe moleſtia afficiendos eos, qui ex gentibus ad Deum conuertuntur: ſed ſcribendum ad eos, vt ſe abſtineant à contaminationibus ſimulachrorum, fornicatione, & ſanguine, & ſuffocato. Sic dixit, & quod dixerat, deductū eſt ad effectum: & quod à Iacobo fuerat decretum, ſcriptum eſt ab Apoſtolis, & Eccleſiæ pro forma fuit traditū. Tanta apud Apoſtolos fuit eius reuerentia. Sed licet etiam audire quidnam Paulus de eo ſcribit ad Galatas: Aſcendi, inquit, Hieroſolyma ad videndum Petrum: alium autem Apoſtolum non vidi, niſi Iacobum fratrem Domini, vtpote quòd res eſſet magna, & digna quæ mādaretur memoriæ, videre Iacobum. Qualibus autem monitionibus ad Paulum vſus ſit Iacobus, apertè ſciet, qui legerit Actus Apoſtolorum. Cùm nos enim (inquit Lucas) veniſſemus Hieroſolyma, exceperunt nos omnes fratres. Sequenti autem die, ingreſſus eſt Paulus nobiſcum ad Iacobum. Et omnes acceſſerunt presbyteri. Quos cùm ſalutaſſet, expoſuit ſigillatim vnumquodque eorum, quę Deus fecit gentibus per miniſteriū ſuum. Illi autem cùm audijſſent, glorificauerunt Deum, dicētes Paulo: Vides, frater, quàm multa milia ſint inter Iudæos eorum qui crediderunt: & ſunt omnes legis æmulatores. De te autem audierunt, quòd tu doces à Moyſe defectionem Iudæos omnes qui ſunt in gētibus. Sed fac hoc, quod tibi dicimus. Sunt nobis viri quatuor, votum habentes ſuper ſe, his aſſumptis ſanctifica te cum illis, & impende in illis, vt radant capita, & cognoſcent omnes quòd quæ de te audierunt, nihil ſunt. Oportet autem omnino exiſtimare hæc verba eſſe Iacobi, vt qui eſſet princeps illius Eccleſię. Propterea enim hoc egregiè à Luca eſt additum: Paulus nobiſcum ingreſſus eſt ad Iacobum. Tātum inter Apoſtolos tribuebatur Iacobo, & adeò erat clarus, & habebatur in tanto honore, partim quidem hoc habens ex virtute, partim autem hoc nactus ex eo quòd eſſet frater Domini. Iudas autem, qui Catholicarum ſeptimam ſcripſit epiſtolam, quanam ex re ſeipſum ſignificat, & quomodo facit inſcriptionem? Iudas Ieſu Chriſti ſeruus, frater autem Iacobi, ijs qui ſunt dilecti in Deo patre. Non ex imperatorijs, & inanibus dignitatibus ſibi tantum claritatis tribuunt, qui ſunt in mundo ſplendidi, quantum ille ſciebat gloriari ex eo, quòd eſſet & diceretur frater Iacobi. Si autem eſt Iudæ gloria dici fratrem Iacobi, quanto eſt ipſi Iacobo maior, quòd Chriſti frater nominetur? Ipſe enim ſolus aſſecutus fuit hæc priuilegia, & dignus eſt habitus, qui ſolus vocaretur frater Domini. Hic ergo magnus, & diuinus Iacobus erat ſanctus (vt ſacra dicunt eloquia) ex vtero matris ſuæ. Quamobrem ſtatim poſt Deum primum Pontificem accipit clauum Eccleſiæ Hieroſolymitanæ, & ſolus in Sancta ſanctorum perpetuò ingreditur. Non enim ſemel, ſicut ijs qui legi & vmbræ cœleſtium ſeruiebant, concedebatur ingreſſus, ſed ſic ingrediebantur, vt qui ſolus poſſet ingredi propter puritatē. Ingrediens autem ſe inclinabat in genua, & populo melius conciliabat remiſsionē peccatorū, quàm quomodo fecit Moyſes, adeò vt inſtar camelorū ei genua obdureſcerēt, eò quòd is ea flecteret aſsiduè. Sic [2] enim nobis Deus, qui homo factus eſt, orādum tradit. Propter inſignē autem iuſtitiā vocabatur, vt dictum eſt, Ioblias, quod lingua noſtra ſignificat comprehēſionem populi, & iuſtitiam. Cæterū quomodo Prophetæ prius ſignificauerunt, quidā ſeptem ex hæreſibus, quorū dux erat Ananus (Erat autem Ananus tunc ſacerdos, quādo Paulus appellato Cæſare Romam à Feſto vinctus miſſus eſt ad Neronem) cùm eſſent fruſtrati ſpe inſidiarum, quas ſtuxerant aduerſus Paulum, cōuertuntur contra Iacobū fratrem Domini. Hæc autē in illū facere auſi ſunt. Cùm iuſtum intercepiſſent medium, petebant ab eo negationem fidei in Chriſtum coram toto populo, & ex ipſo ſunt ſciſcitati: Dic nobis: ô iuſte, dicētes, quid tibi videtur de Ieſu? Ille autem eis conuenienter reſpondens, & qualis dicebatur, nempe iuſtus, talis quoque volens videri, iuſtam ſimiliter vocē emittit: Is eſt, dicens, filius Dei Ieſus Chriſtus. Atque nonnulli quidem credebant ijs quę dicebantur à Iacobo, alij autem minimè credebant, & contradicebant, conuenienter non rectè traditioni & errori. Quædā enim hęreſes apud Iudæos (vt diuina dicunt eloquia) neque tenebant reſurrectionem, neque credebant

2 Aduerte quod genua flectere ad orationem eſt ex traditione Saluatoris noſtri.

Deum

Deum venturum, vt redderet vnicuique secundùm opera sua. Atque multi quidem propter Iacobum relati sunt in numerum credentium: magna autem murmuratio exorta est inter principes Iudæorum, vtpote quòd dicerent Pharisæi, & Scribæ, in periculum venire vniuersum populum expectantem Iesum Christum. Cùm ergo accessissent ad Iacobum, Te valde rogamus, ô iuste, dicebant, cohibe populum: in errorem enim inductus est de Iesu, quòd ipse sit Christus: & fac vt ijs qui die Paschæ conuenerint, de Iesu persuadeas, ne de ipso fallantur. Tibi enim nos credimus, & tibi ferimus testimonium, & vniuersus populus, quòd sis iustus, & personam non accipias: hoc testimonium, quòd esset iustus, & personam non acciperet, ideo illi tribuentes, vt ex hoc iusti nomine eum ad se allicerent, & persuaderent, vt illorum personas acciperet, corruptus assentatione. Ascende ergo templi pinnaculũ, vt cernaris à toto populo, & verba tua audiantur. Nam propter Paschen conuenerunt omnes tribus cum gentibus. Statuerunt ergo Scribæ, & Pharisæi Iacobum supra templi pinnaculum, & alta voce dixerunt: Iuste, debemus omnes tibi credere. Quoniam igitur populus errat post Iesum, quem omnes scimus passum esse mortem sub Pontio Pilato, nobis enuncia, quid tibi videatur de Iesu. Cùm ergo tempus vocaret, & vir fortis resisteret mendacio, non est cunctatus, neque metu prodidit veritatem: sed & animo & lingua liberrimus, & magnam protinus vocem emittens: Quid me rogatis, inquit, de Iesu? Ipse sedet in cœlo ad dexteram virtutis patris sui, venturus posthac in nubibus cœli, vt iudicet orbem terræ in iustitia. Cùm multi autem fuissent persuasi ab hoc Iacobi testimonio, clamarentque, & dicerent: O sanna filio Dauid: Scribas & Pharisæos subijt magna eius quod factum fuerat pœnitentia, & inter se dicebant: Malè fecimus, qui tale testimonium Iesu prębuerimus. Agedũ ergo Iacobum deijciamus, vt populus sic metu recordatus non credat Iesu. Cùm sic dixissent, magna voce clamârunt: O ô, Iustus quoque errauit. Cùm ergo ascendissent in templi pinnaculum, eum statim deijciunt. Et ne sic quidem desistentes ab insania, dicebant, iustum obruamus lapidibus. Et cœperunt in eum iaculari lapides, quoniam deiectus non erat mortuus. Sed conuersus (ô sanctam animam) figit 3 humi genua dicens: Domine Deus pater dimitte eis, nesciunt enim quid faciunt: eandem vocem quam Stephanus, diuinus quoque emittens Iacobus. Cùm sic ergo eum appeterent lapidibus, vnus ex Sacerdotibus, qui erant filij Recham, filij Rechabim, de quibus fert testimonium Hieremias propheta, clamauit, dicens: Cessate, quid facitis? Iustus pro nobis precatur. Quidam autem ex eis accepta fuste ex officina fullonis, qua comprimebat vestes, validè infligit eius capiti. Et sic iustus tradidit animam. Quem acceperunt, & sepelierunt prope templum Dei. Quicunque autem erât in ciuitate moderati & probi, & videbantur leges accuratè seruare, hoc tulerunt grauiter, & clam mittũt ad Agrippam (erat enim is successor Tetrarchæ Herodis) rogantes, vt scriberet ad Ananum, ne talia auderet: neque enim rectè fecisse dicebant, quod fecerat magno Iacobo. Quidam autem ex Albino quoque procedentes obuiam venienti Alexandria (Ipsum enim post Festum elegit Cæsar procuratorem Iudææ) eum docent, non licere Anano absque eius sententia sedere in concilio. Albinus igitur credens ijs qui dixerant, iratus scribit ad Ananum, minans eum daturum pœnas admissi facinoris. Rex verò Agrippa Anano deposito à Sacerdotio, cùm fuisset Pontifex non plures quàm tres annos, alterum eius loco constituit. Mala autem extrema inuaserunt Iudæos post mortem Iacobi. Horum testis est Iosephus Iudæus, qui nihil celauit veritatis. Hęc ita euenerunt, & sanctus additus est sanctis, martyr martyribus, iustis qui iustus erat & nominabatur, quique primus inter Episcopos fuit martyrica corona redimitus. Nam inter Diaconos quidẽ præcessit Stephanus, inter Apostolos Zebedęi Iacobus. Nunc autem Pontifex Christum primum Pontificem est secutus: Martyr, eum qui pro vniuerso mundo proprium præbuit sanguinem. Quàm multarum diuinarum dignitatum quàm multæ tibi debitæ sunt coronæ: Discipulo, Pontifici, Iusto, Dei fratri, martyri, qui quicquid boni dixerit quispiam, habet ex abundantia. Ad gloriam patris, filij, & spiritus sancti, quæ est vna, & inseparabilis diuinitas, & quam decet omnis honor, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

3 Orat diuus Iacobus pro interfectoribus, genua humi figens.

VITA SANCTI ANDREAE APOSTOLI, per presbyteros & Diaconos Ecclesiarum Achaiæ scripta.

PAssionem sancti Apostoli Andreæ, quam oculis nostris vidimus, omnes presbyteri & Diacones Ecclesiarum Achaiæ scribimus vniuersis Ecclesijs quæ sunt in Oriente, & Occidente, & Meridiano, & Septentrione, in Christi nomine constitutis. Pax vobis,

 & vniuer-

& vniuersis qui credunt vnum Deum in Trinitate perfectum, verum patrem, ingenitum, verum filiũ vnigenitum, verum spiritum sanctum procedentẽ ex patre, in filio permanentem, vt ostendatur vnus spiritus esse in patre & filio, & hoc esse vnigenitũ filium, quod est & ille qui genuit. Hãc fidẽ didicimus à sancto Andrea Apostolo Domini nostri Iesu Christi: cuius passionem, quam coram positi vidimus, prout possumus, explicamus. Proconsul itaq; Ægeas Patras ciuitatem ingressus cœpit cõpellere credẽtes Christo ad sacrificia idolorum. Cui occurrens sanctus Andreas, dixit: Oportebat vt tu, qui Iudex esse hominum comprobaris, Iudicem tuum qui est in cœlo, cognosceres, & agnitum coleres, & colendo eum, qui verus Deus est, ab his qui veri Dij non sunt animum reuocares. Cui Ægeas dixit: Tu es Andreas, qui destruis templa Deorum, & suades hominibus superstitiosam illam sectam, quam nuper detectam Romani Principes exterminari iusserunt? Andreas dixit: Romani Principes nondum cognouerunt hoc, quod pro salute hominum veniens Dei filius docuerit ista Idola non solùm non Deos esse, sed esse dæmonia pessima, & inimica humano generi, quæ hoc docent homines, vnde offendatur Deus, vt dum offensus fuerit, auertatur, non exaudiat: & cùm auersus fuerit, & non exaudierit, habeantur à diabolo ipsi captiui, & tam diu eos deludat, quamdiu de corpore exeant rei & nudi, nihil secum præter peccata portantes. Ægeas dixit: Ista superstitiosa & vana verba Iesus vester dum prædicaret, Iudæi illum crucis patibulo affixerunt. Andreas respondit: O si velles scire mysterium crucis, quàm rationabili charitate autor humani generis pro restauratione nostra hoc crucis patibulum non inuitus, sed sponte suscepit. Ægeas dixit: Cùm traditus asseratur à suo discipulo, & à Iudæis tentus, & præsidi adductus, & ad petitionem Iudæorum à militibus præsidis crucifixus, quomodo tu dicis eum spontaneum crucis subisse patibulum? Andreas respondit: Ideo ego dico spontaneum, quoniam simul cum ipso fui, cùm à suo discipulo traderetur: & antequam traderetur dixit nobis, quòd tradendus esset, & crucifigendus pro salute hominum: & die tertia resurrecturum se esse prædixit. Cui cùm frater meus Petrus diceret: Propitius esto tibi Domine, non fiat istud: Indignatus sic ait Petro: Vade retro Satana, quia nõ sapis ea quę sunt Dei. Et vt plenius nos instrueret, quomodo spõte passionem susciperet, dicebat nobis: Potestatem habeo ponendi animam meam, & potestatem habeo iterum sumendi eam. Ad vltimũ dum cœnaret nobiscum, & diceret: Vnus vestrum me traditurus est, & ad istam vocem omnes contristaremur: ne suspensos cogitatio trucidaret, ait: Cui dedero panis fragmentum de manu mea, ipse est. Et cùm dedisset vni ex condiscipulis nostris, & futura quasi iam præterita narraret, docuit se voluntate fuisse traditum, cùm nec traditorem fugiendo deseruit, & in loco quo illum sciebat venturum esse, permansit. Ægeas dixit: Miror te prudentem virum istum velle sectari, quem quoquo pacto, aut sponte, aut inuitum, cruci tamen confiteris affixum. Andreas respondit: Hoc est, quod me & iam dixisse iam retines. Magnũ est mysterium Crucis. Quod si forte volueris audire, retexam. Ægeas dixit: Mysteriũ non potest dici, sed suppliciũ. Andreas dixit: Ipsum supplicium, mysteriũ restaurationis humanæ, si patienter audias, cõprobabis. Ægeas dixit: Ego quidem patienter te audiam: sed tu si me obtemperanter non audieris, ipsum crucis mysterium in teipso excipies. Andreas respondit: Ego si crucis patibulum expauescerem, crucis gloriam non prædicarem. Ægeas dixit: Insanus sermo tuus prædicat gloriam supplicij, qui per audaciam pœnam non times mortis. Andreas respondit: Non per audaciam, sed per fidem pœnam nõ timeo mortis: Mors enim iustorum pretiosa est: mors verò peccatorum pessima. Et ideo audire te volo crucis mysterium, vt agnitum forsan credas, & credens ad restaurationem tuæ animæ quoque pertingas. Ægeas dixit: Restauratur hoc quod perijsse docetur. Nunquid anima mea perijt, vt ad eius me restaurationem venire per fidem nescio quam tu asseras? Andreas respondit: Hoc est quod te discere desiderabam, vt dum perditas animas hominum docuero, istam restaurationem earum per crucis mysterium pandam. Primus enim homo per lignum pręuaricationis mortẽ induxit, & necessarium hoc erat generi humano, vt per lignũ passionis mors quæ ingressa fuerat, pelleretur. Et quomodo de immaculata terra factus fuerit homo primus, qui per lignum præuaricationis mundo mortem intulerat, necessariũ fuit, vt de immaculata virgine natus Christus perfectus homo qui est Dei filius, qui primum hominem fecerat vitam æternã quam perdiderant omnes, repararet, ac de ligno crucis, lignũ concupiscentiæ excluderet, panderet in cruce immaculatas manus pro manibus incontinenter extensis, pro suaui cibo arboris vetitę escam fellis acciperet, & in se suscipiens mortalitatẽ nostrã, suam nobis immortalitatem offerret. Ægeas dixit: Ista verba illis narrare debes qui tibi credũt, mihi autem nisi hoc consentias, vt sacrificium dijs omnipotẽtibus offeras, in ipsa cruce quã laudas, te fustigatũ affigi præcipiã. Andreas respõdit: Omnipotenti Deo, qui vnus & verus est, ego omni die sacrifico, nõ thuris fumũ, nec taurorũ mugiẽtium carnes, nec hircorũ sanguinẽ: sed immacula-

maculatum agnum quotidie in altari crucis [1] sacrifico: cuius carnes, posteaquam omnis populus credentium manducauerit, & eius sanguinem biberit, agnus qui sacrificatus est, integer perseuerat & viuus: & cùm verè sacrificatus sit, & verè carnes eius manducatæ sint à populo, & verè sanguis eius sit haustus, tamen (vt dixi) integer permanet, & immaculatus, & viuus. Ægeas dixit: Quomodo potest hoc fieri? Andreas respondit: Si vis discere quomodo hoc potest fieri, assume formam discipuli, vt possis doceri quod quæris. Ægeas: Ego à te tormentis exigam huius rei notitiam. Andreas dixit: Miror te hominem prudentem tam stultè locutum. Ergo tu tormentis putas me diuina tibi pandere sacrificia? Audi mysterium crucis, audisti mysterium sacrificij. Si credideris Christum filium Dei, qui crucifixus est à Iudæis, verum Deum esse, pandam tibi quo ordine occisus viuat agnus: qui cùm sacrificatus fuerit, & comestus, integer tamen, & immaculatus in suo regno permanet. Ægeas dixit: Cùm sit occisus, & ab omni populo (vt asseris) deuoratus, quomodo integer perseuerat, & viuus? Andreas respondit: si credideris ex toto corde tuo, discere poteris: si nõ credideris, penitus nunquam tu ad indaginem huius veritatis attinges. Tunc iratus Ægeas iussit eum in carcerem retrudi. Vbi cùm esset clausus, venit ad eum multitudo pene totius prouinciæ, ita vt Ægeam vellent occidere, & Andream Apostolum fractis ianuis carceris liberare. Quos sanctus Andreas his verbis admonuit: Nolite quietem Domini nostri Iesu Christi in seditionem diabolicam excitare. Nam traditus Dominus omnem patientiam præbuit, non cõtendit, neque clamauit, nec in plateis aliquis eum clamantem audiuit. Habete ergo silentium, quietem, & pacem: & non solùm meum martyrium nolite impedire, verùm etiam vosipsos, quasi athletas Domini, preparate, vt vincatis minas intrepido animo, plagas autem per tolerantiam corporis superetis. Si enim terror timendus est, ille est vtique timendus, qui finem non habet. Nam humanus timor fumo similis est, & subitò cùm excitatus fuerit, euanescit. Et si dolores timẽdi sunt, illi sunt formidandi, qui sic incipiunt, vt nunquam finiantur. Isti enim dolores aut leues sunt, & tolerantur: aut graues sunt, & citò animã eijciunt. Illi autem dolores æterni sunt, vbi est quotidianus fletus & mugitus, & luctus, & sine fine cruciatus, ad quem proconsul Ægeas ire non timet. Estote ergo magis parati ad hoc, vt per tribulationes temporales ad æterna gaudia pertingatis: vbi semper lætemini, semper floreatis, semperq; cum Christo regnetis. Hæc & his similia sancto Andrea Apostolo per totam noctem populum admonente, dum lux diei in matutino prorũperet, misit Ægeas, & adduxit ad se sanctũ Andream, ac sedens pro tribunali, dixit: Existimaui te nocturna cogitatione reuocare animũ tuum à stultitia, & à Christi tui laude cessare, vt posses nobiscum non amittere gaudia vitæ. Stultum est enim vltrò velle ad passionẽ crucis ire, & ignibus ac flammis teipsum pessimis destinare. Andreas respondit: Gaudia tecum habere potero, si credẽs Christo dimittas culturas idolorum: Christus enim me misit ad istam prouinciam, in qua non paruum populum ei acquisiui. Ægeas dixit: Ideo te sacrificare cõpello, vt isti qui per te decepti sunt populi, relinquant vanitatem tuæ doctrinæ, & ipsi Dijs offerant grata libamina. Nulla enim remansit in Achaia ciuitas, in qua templa Deorum derelicta non sint, & deserta. Nunc ergo per te restauretur cultura Deorum, vt & Dij qui contra te irati sunt, placari possint, & in nostra possis amicitia permanere. Sin aliàs, diuersa pro defensione Deorum patieris supplicia, & post omnia crucis, quam laudasti, patibulo suspensus deficies. Andreas respondit: Audi fili mortis, & stipula æternis parata incendijs, audi me seruum Domini, & Apostolum Iesu Christi. Nunc vsque mitius tecum egi censura fidei, vt rationis capax, & veritatis defensor effectus, idola vana contemneres, & Deum qui in cœlis est, adorares. Sed quia in imprudentia tua perdurans, me putas minas tuas formidare, quicquid tibi videtur in supplicijs maius, excogita. Tantò enim ero meo Regi acceptior, quantò pro eius nomine fuero permanens in tormentis confessor. Tunc Ægeas iussit eum flagellis cædi extensum. Qui cùm septem terniones transisset, eleuatus est, atque adductus ante eum. Cui Ægeas dixit: Audi me Andrea, & ab effusione sanguinis consilium reuoca. Quod si non feceris, crucis te faciam interire patibulo. Andreas dixit: Ego crucis Christi seruus sum, & crucis tropheum optare potius debeo quàm timere. Tibi autem cruciatus æternus qui debetur, poteris euadere, si postquam probaueris perseuerantiam meam, vel sic credideris Christo. Ego enim de tuo interitu timeo: non de mea passione conturbor. Passio enim mea aut vnius diei spatium occupat, aut duorum, vt multum: Tuus autem cruciatus nec per milia annorum potest peruenire ad finem. Vnde desine iam miserias tuas augmentare, & ignem ipse tu tibi æternum accendere noli. Tunc indignatus Ægeas, cruci eum affigi præcepit, mandans hoc quæstionarijs, vt ligatis pedibus & manibus, quasi in eculeo tenderetur, ne clauis affixus citò deficeret, sed cruciaretur potius longo cruciatu. Cumque eum carnifices ducerent, vt crucifigeretur, concursus factus est populorum, clamantium ac dicentium:

Iustus

1 Quid hic dicis hæretice? Negare ne vlterius audeas in Eucharistia esse verum corpus & sanguinem Christi? Negabisne dici sacrificium? Nõne hæc Apostoli verba omnes tuas blasphemias confundunt & conculcant?

Iustus homo, & amicus Dei quid fecit, vt ducatur ad crucem? Andreas verò rogabat populum, vt non impedirent passionem eius. Gaudens enim & exultans ibat, & à doctrina non cessans. Cumque peruenisset ad locũ, vbi crux parata erat, videns eam à longè, exclamauit voce magna, dicens: Salue crux, quę in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius margaritis ornata. Antequam te ascenderet Dominus, timorem terrenum habuisti, modò verò amorem cœlestem obtinens pro voto susciperis. Scitis enim à credentibus, quanta intra te gaudia habeas, quanta munera præparata. Securus ergo & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te, qui amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. O bona crux quæ decorem & pulchritudinem de membris Domini suscepisti, diu desiderata, solicitè amata, sine intermissione quæsita, & aliquando iam concupiscenti animo præparata, accipe me ab hominibus, & redde me magistro meo, vt per te me recipiat, qui per te redemit me. Et hæc dicens expoliauit se, & vestimenta sua tradidit carnificibus. Qui accedentes leuauerunt eum in crucem, & extendentes funibus totum corpus eius (sicut eis iussum fuerat) suspenderunt. Adstantes verò erant turbæ ad viginti milia hominum, inter quos erat frater Ægeæ, nomine Stratocles, qui simul clamabat cum populo, iniusto iudicio sanctum virum hoc pati. Sanctus verò Andreas confortabat mentes credentium Christo, & hortabatur ad tolerantiam tẽporalem, docens nihil esse dignum passione ad æternam remunerationis compensationem. Interea vadit omnis populus cum clamore ad domum Ægeæ: & omnes pariter clamantes dicebant: Virum sanctum, pudicum, ornatum moribus, bonum doctorem, pium, modestum, rationabilẽ non hoc debere pati, sed debere deponi de cruce, quia iam secunda die in cruce positus veritatem prædicare non cessat. Tunc Ægeas pauescens populum, & promittens se eum deponere, simul cœpit ire. Quem videns sanctus Andreas dixit: Quid tu ad nos, Ægea, venisti? Si vis credere Christo, sicut promisi, aperietur tibi via indulgentiæ. Si autem venisti ad hoc tantum, vt me soluas, ego penitus hinc de ista cruce viuens in corpore deponi non potero. Iam enim Regem meum video, iam adoro, iam cõspectui eius consisto. Sed de tuis miserijs doleo: quia paratus te expectat æternus interitus. Curre pro te miser, dum adhuc potes, ne tunc incipias velle, cum non poteris. Mittentes autem manus ad crucem carnifices, non poterant penitus contingere eum. Et subinde alij & alij ingerentes se vt soluerent eum, & nullus poterat pertingere ad eum. Stupebant enim brachia eorum, quicunque se extendissent ad soluendum eum. Tunc voce magna sanctus Andreas dixit: Ne permittas me Domine Iesu Christe, me famulum tuum, qui propter nomen tuum pendeo in cruce, solui: nec permittas eum qui iam per crucem tuam cognouit magnitudinem tuam, ab Ægea homine corruptibili humari, sed suscipe me tu, magister meus Christe, quem dilexi, quem cognoui, quem confiteor, quem cernere desidero, in quo sum quod sum, suscipe Domine Iesu Christe spiritum meum in pace, quia iam tempus est vt veniam, desiderans te videre. Suscipe me Domine Iesu Christe magister bone, & iube me de ista cruce non deponi, nisi prius spiritum meum susceperis. Et cum hæc dixisset, videntibus cunctis splendor nimius, sicut fulgur de cœlo veniens, ita circundedit eum, vt penitus præ ipso splendore oculi eum humani non possent aspicere. Cumque permansisset splendor ferè dimidiæ horæ spacio, abscedente lumine, emisit spiritum, simul cum ipso lumine pergens ad Dominum, cui est honor, & gloria in secula seculorum. Amen.

Qvædam verò fœmina, nomine Maximilla, senatrix in specu posita, diligens pudicitiam & sanctitatem, statim vt cognouit Apostolum perrexisse ad Dominũ, accessit ad crucem, & suorum solatio cum omni reuerentia [2] deposuit corpus, & condiuit aromatibus, & in loco quo se constituerat sepeliendam, illic eum sepeliuit. Ægeas verò iratus contra populum disponebat contestationem publicam facere, & ad Cæsarem accusationem contra Maximillam & populum destinare. Sed dum ordinat, in conspectu officij sui à diabolo arreptus est & in medio foro ciuitatis volutatus expirauit. Nunciatum est fratri eius, cui nomen erat Stratocles, & misit seruos suos, dixitq; eis, vt inter homicidas sepelirent eum. Ipse autem de facultatibus eius nihil quęsiuit, dicens: Non mihi permittat Dominus meus Iesus Christus, cui credidi, vt ego de bonis fratris mei aliquid contingam, ne polluat me crimen eius, qui Apostolum Domini ausus fuit pro amore pecuniæ occidere. Hæc autem gesta sunt apud Achaiam prouinciam, ciuitate Patras, pridie Calend. Decem. vbi & iam præstãtur gloriosa eius beneficia vsq; ad præsentem diem. Tantus autem timor inuasit omnes, vt nullus remaneret, qui nõ crederet Saluatori nostro Deo, qui vult omnes saluos fieri, & ad cognitionẽ veritatis venire. Ipsi gloria in secula seculorum. Amen.

2 Cura hec Maximillæ in sepeliendo Apostoli corpore ostendit, non leuiter sed sanctorum reliquias venerabiles haberi, & sepelire mortuos, opus esse pietatis, ac Deo placere.

VITA S. ANDREAE APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Hispalensem scripta.

Andrea

Andreas, qui interpretatur virilis, vel decorus, frater Petri, secundùm Ioannem primus: iuxta Matthæum à primo secundus. Hic in sortem prædicationis Scythiam atque Achaiam suscepit. In qua etiam ciuitate crucis patibulo suspensus occubuit.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

ITEM VITA S. ANDREAE APOSTOLI, per Beatum Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Beatus Andreas meritò natus hodie creditur, quando non ad præsentem vitam materno est effusus ex vtero, sed conceptu [1] fidei, martyrij partu, cœlestem nascitur generatus ad gloriam. Quando non eum materna cunabula suscepére vagientem, sed superna triumphantem secreta receperunt: quando non infirmum lactis pastum genitricis trahit ex pectore, sed pro Rege suo deuotissimus miles virtutis sanguinem fudit. Viuit, quia mortem cœlestis militiæ bellator occidit. Sequitur hic moriẽdo Dominum æstuans, & auhelans, ac toto virtutis gradu Dominicis incumbit hærere vestigijs, nec eum cursus faciat disparem fratri, quem natura similem, vocatio socium, parem gratia ipsa perfecerat. Ad vnam vocem Domini, sicut ille, patrem, patriam, censum reliquit: laboribus, opprobrijs, itineribus, contumelijs, vigilijs Christi indefessè germani societate donauit: solum est quòd tempore Dominicæ passionis fugit, sed neque hoc impar, quia fugit: negare autem si aliqua putatur culpa, non est grauius effugere, quàm negare: sed tacenda sunt alia. Æquauit fratres venia, quos sic discreuerat culpa. Et sequutus vt deuotio perprobauit, quos metus improbauerat antecedens. Nam crucem quam refugerant, postea coniunctis viribus ardenter inuadunt, vt vnde reatum sumpserant, inde conscenderent [2] cœlum, inde præmium sumerent, & coronam. Petrus namque Crucem, arborem conscendit Andreas: vt qui Christo compati gestiebant, in semetipsis figuram formamque ipsius exprimerent passionis: & redempti ligno consummarentur ad palmam. Sic Andreas noster, etsi cedit ordini, præmio tamen non cedit & labori.

Est sermo 133. in opere hom. eius

1 Si D. Andreas die passionis suæ quo migrauit ad Dominum, natus esse dicitur, quomodo sancti ab hæreticis vocari possunt emortui?

2 Ex cruce Petrus & Andreas conscenderunt in cœlum. Ex cruce sumpserunt præmium & coronã: quid dicis tu qui negas sanctos habere merita apud Deum?

ITEM DE SANCTO ANDREA APOSTOLO, per Diuum Bernardum Abbatem Clareuallensem.

Sanctorum festa [3] præcipua patrum sanxit autoritas votiuis præuenienda ieiunijs. Vtiliter planè, & non ad insipientiam nobis, si adfuerit qui aduertat. Multa siquidem quotidie peccata contrahimus, & in multis offendimus omnes, nec tutum omnino est celebrandas suscipere festiuitates sacras, maximeque eas quæ maximæ sunt, nisi prius abstinentiæ purificatione præmissa, quò & digniores & capaciores inueniamur spiritualium gaudiorum. Sic enim iustus in principio sermonis accusator est sui, nec nisi à propria reprehensione laudes incipit alienas. Quod si etiã iustus trepidat solicitus præuenire eum qui ipsas quoque paratus est iustitias iudicare, quid agimus nos quorum interim iudicata non fuerint & tecta peccata? Timendum valde est, ne fortè manifesta inueniantur præcedentia ad iudicium. Si nec iustus sine molestia & verecundia quadam ad sanctorum præsumit accedere laudes, quantò magis peccator, in cuius ore non est laus speciosa, timeat semper necesse est vocem illam: Quare tu enarras iustitias meas? Siue illam: Amice, quomodo huc intrasti non habẽs vestem nuptialem? Beati proinde qui stolam suam, dico autem gloriam cõscientiæ suæ, soliciti sunt omni tempore conseruare immaculatam, semper splendidam exhibere. Sed quia pauci sunt, qui sic omni custodia seruẽt cor suum, pauciores autem (si tamen vel pauciores) qui in omni sanctimonia seruent illud, necesse est frequenti abstinentia maculas diluere subintrantes, præcipuè cùm præcipua quælibet solennitas aduenerit celebranda. Non modò tamen præparatio est ad proximã celebritatem obseruatio præmissa ieiunij, est & admonitio quædam eruditioque non parua. Discimus ex hoc ipso quænam vera sit via festiuitatis æternæ. Quid enim est quod ieiunijs solennia præuenimus, nisi quòd per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei? Indignus [4] quippe solenni lætitia est, qui statutam vigiliæ abstinentiam non obseruat. Planè, inquam, si renuis affligere animam tuam in vigilia, indignus iure censeris requie & exultatione festiua. Est autem vniuersum præsentis pœnitentiæ tempus, vigilia quædam solennitatis magni & æterni sabbati quod præstolamur. Nec causaberis vigiliam longiorem, si æternitatem festiuitatis attendas. Licet enim habere pręparationẽ soleant solennia diurna diurnam, illa cùm æterna sit, non exigit tamẽ æternã. Sed quò nos rapit iucundior illius

Est sermo habitus in vigilia S. Andreæ Apostoli.

3 Ecce ieiunia ante præcipua sanctorum festa.

4 Nota hæretice, qui derides ieiunare & abstinere iuxta præceptum Ecclesiæ in vigilijs sanctorum.

illius memoria fœlicitatis? Hoc enim nomine & sæpius,& fortè dignius, nominatur illa festiuitas.Redeundum nobis est ad id quod præ manibus est.Hodierni itaq; ieiunij,& eius quam præstolamur,solẽnitatis & lætitię causa est beata passio Andreæ Apostoli.Dignum est enim,vt si cum eo pendere non possumus,cum eo vel ieiunemus.Nam 5 & ipsum cùm biduo penderet in cruce,etiã ieiunasse quis dubitet? Inueniamur ergo vel in exiguo communicantes passione eius,& si non simul affixi patibulo,simul afflicti ieiunio,vt miserante Deo etiam coronæ participes simus,& in præsenti quoque spiritualium socij gaudiorum. Quomodo enim non exultemus in memoria triumphi eius , quem in ipsa sui præsentia supplicij tam vehementer nouimus exultasse? An non erit læta festiuitas,vbi & crux ipsa plena est gaudio? Siquidem & festiuum solemus nominare quod lætum est,& crux à cruciatu vtiq; dicitur,aut certè cruciatus à cruce. Quanta proinde exultatione vniuersę terræ celebrandum tantæ nouitatis miraculum,tam magnificum opus diuinæ virtutis?Andreas homo erat similis nobis,passibilis,& tam vehementi ardore spiritus crucem sitiebat,tam inaudito à seculis gaudio tripudiabat, cùm paratum sibi eminus patibulum conspexisset: O crux,inquit,diu desiderata,& iam concupiscenti animo præparata.Securus & gaudens venio ad te , ita vt & tu exultans suscipias me . Videtis quia non se capit præ magnitudine gaudij ? Ita,inquit, vt & tu exultans. Ergóne tanta est exultatio, vt exultet & ipsa crux,nec læti quicquam habeat,sed totum lætitia sit? Aut,quis dicat minus contra consuetudinem,supra rationem,vltra naturam,crucifixum exultare quàm crucem? Illi sensum lætitiæ natura negauit: huic si quid præualet,gaudium omne exterminat,ingeritque dolorem. Amator,ait, tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Fratres, ignis vibrans est, non lingua loquens,& si lingua,certè ignea est.Carbones sunt ignis illius,quem de excelso Christus miserat in ossibus eius.Atque vtinam desolatorij nobis sint,consumẽtes & exurentes quicquid in nobis est carnalis affectionis.Quales enim scintillæ sunt istæ: aut quãto interiori incendio micant? Planè beate Andrea granum sinapis est fides 6 tua , quæ tam insperatum vbi teri cœpit,cœpit ex se proferre feruorem.Quid si paulò amplius tereretur? Quis feruorem illum animus,quis verba illa sustinere posset auditus?Dum enim minus minaretur Ægeas,adhuc granum sinapis despicabile videbatur. Integrum erat,nesciebamus quid intus lateret,Dominus,inquit, me misit ad istam prouinciam,in qua non paruum ei populum acquisiui. Accedat comminationis pristillum, longè iam acrius sapiet,constantiusq; loquetur.Terrendum eum putat Ægeas,crucis supplicium minitans,sed non est ita. Accenditur magis in hoc verbo, & liberè clamat: Ego si patibulum crucis expauescerem, crucis gloriam non prædicarem.At vbi paratum sibi lignum intuitus est,ex hoc iam planè totus ignescens applaudebat, & blandiebatur illi amatæ suæ, officiosissimè salutabat, deuotissimè suscipiebat, magnificè attollebat eam,& in ipsius præconio gloriabatur,clamans magis affectione,quàm voce: Salue crux pretiosa quæ decorem & pulchritudinem de membris Dominicis accepisti . Salue crux quæ in corpore Christi dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. Meritò proinde crucis amatorem venerantur quicunque sunt serui crucis, sed ab his ampliorem iure deuotionem exigit,qui specialius proposuerunt tollere crucem suam. Vobis hoc,& de vobis dico fratres mei,qui non surda aure audistis illam Euangelicam tubam : Qui non baiulat crucem suam , & sequitur me, non potest meus esse discipulus : Parati estote , totam animi diligentiam huic adhibete solennitati, 7 & corde magno celebrate eam,quia magnus omnino consolationis pariter & exhortationis thesaurus vobis repositus est in ea,si fuerit qui fodiat & scrutetur.

5 Beatus Andreas biduo pendens in cruce ieiunauit.

6 Fides sancti Andreæ non fuit illa nuda hæreticorũ, sed viua illa Christianorũ, quæ per charitatẽ bonorũ operũ ferax erat.

7 Solẽnitas S. Andreæ, quã etiã supra inter præcipua festa recensuit.

ADHVC DE EODEM, PER DIVVM Bernardum Abbatem.

Est sermo primus in die festiuitatis eiusdem.

CElebrantes hodie gloriosum beati Andreæ triumphum,in verbis gratię quæ procedebant de ore eius exultauimus,& delectati sumus. Neque enim locus poterat esse tristitię,vbi tam vehementer lætabatur & ipse.Nemo ex nobis compassus est sic patienti, nemo ausus est plangere exultantem.Alioquin & nobis ipse non incongruè dicere poterat , quòd Saluator crucem baiulans sequentibus se & lugentibus ait : Filiæ Hierusalem nolite flere super me,sed super vos ipsas flete. Deniq; cùm duceretur ipse beatus Andreas ad crucem, populus qui sanctum & iustum dolebat iniustè damnari, prohibere voluit ne puniretur: sed magis ipse instantissima prece prohibuit eos, ne non coronaretur, imò ne non pateretur . Desiderabat siquidem dissolui , & cum Christo esse , sed in cruce quam semper amauerat . Desiderabat regnum intrare , sed per patibulum . Quid enim dicit illi amatæ suæ ? Per te , inquit , me recipiat , qui per te me redemit . Ergo si diligimus eum , congaudemus ei , non solùm quia coronatus , sed & quia crucifixus , quia desiderium animæ eius tribuit ei Dominus,& posuit in capite eius coronam de lapide pretioso.

Verun-

runtamen dum congratulamur ei, quòd diu desideratæ crucis frui mereamur amplexu, mirum valde est, si non ipsum eius miramur gaudium cui congratulamur. Dum enim noctis huius vigilias [8] celebrantes, in verbis tantæ exultationis cantando delectaremur, putas non fuit in nobis qui secum cogitaret & diceret, quid sibi vult hæc, aut vnde tam noua lætitia? Certè & crux preciosa est, & crux amari potest, & crux habet exultationem. Ita est fratres mei. Si fuerit qui colligat, semper lignum crucis vitam germinat, fructificatio iucunditatem, oleum lætitiæ stillat, balsamum sudat spiritualium charismatum. Non est syluestris arbor, lignum vitæ est apprehendentibus eam. Arbor fructifera, arbor salutifera est, alioquin quomodo Dominicam occuparat terram? Illam dicam preciosissimam glebam, cui clauorum est infixa radicibus. Si non esset hæc preciosior cunctis, fructuosior vniuersis, nunquã illo plantaretur in horto, nec illam permitteretur vineam occupare. Deinde quid mirum si cruci suauitatem dedit, qui dedit & igni? Aut quomodo crux iudicatur insipida, vbi dulce sapit & flamma? Quid enim sapiebat Laurentio ignis, cùm irrideret carnifices, Iudicem subsannaret? Quid nos ad ista dicemus fratres, quòd non sapit etiam nobis quæ pro Christo est tribulatio, nec gustamus & nos manna absconditum? Sic enim victus esset omnino diabolus, nec haberet penitus quid adferret. Sufficeret nobis hoc vnum aduersus duplicem malitiam inimici. Habet quippe nequissimus ille laqueos, habet & iacula, vtpote callidissimus venator hominum, solùm sitiens sanguinem animarum. Alios telis appetit malitiosæ cuiuslibet suggestionis, & in eis vulnerat multos, quorum tenuis est patientia: Alios voluptatibus irretire laborat, & in his multitudinem copiosam eorum quæ in terra repunt, aut volitant iuxta eum. Sit ergo gaudium in tribulatione, & iam non habet malignus vnde alliciat. Liberati sumus à laqueo venantium, pariter & à verbo aspero. Nihil enim proficit inimicus in eo quem crux Christi delectat, si carnalem suggesserit delectationem, & filius iniquitatis non apponet nocere ei, si ad exasperandum animum eius quamlibet immittere tentauerit amaritudinem. Non curat delitias qui ieiunio pascitur, multò minus murmurare pro eo potest, in quo etiam delectatur, planè altissimum posuit refugium suum, vbi nec muscipula inimici timenda sit, nec sagitta, imò verò mundus piscis est, squamas pariter & pennulas habens. Porrò sicut frustra iacitur rete ante oculos pennatorum, sic frustra iacitur telum in squamas loricarum.

8 *Celebrat D. Bernardus vigilias noctis S. Andreæ, & cũ monachis suis cantabat verba exultationis illius. Et vtramque horum contra hæreticorum insanias.*

Fortis quippe est vt mors, non patientia aut spes, sed dilectio. Non timor aut ratio, sed spiritus fortitudinis est. Dicit patientia: sic oportet fieri, quia timore vrgetur. Dicit voluntas bona: sic expedit, & sic agendum est, quia spei attrahitur ratione. Charitas verò quæ inflammatur à spiritu: neque sic oportet, dicit: neque sic expedit: sed sic volo, inquit, sic cupio, sic desidero vehementer. Videtis quanta sublimitas, videtis quanta securitas, quantaq; suauitas charitatis? Fœlix anima quæ ad hunc charitatis peruenerit statum, nec sanè desperandum nobis, quandoquidem eius qui ad hunc peruenerit gradum, ob hoc maximè memoria celebratur, vt [9] ipsius & inuocemus auxilium, & prouocemur exemplo. Plus dico, & ex nobis nonnullos videre mihi videor in hoc gradu. Si dicis beatum Andream Apostolum esse, nec posse te qui pusillus es, eius sequi vestigia: pudeat vel eos qui tecum sunt, non imitari. Nemo repentè fit summus, ascendendo non volando apprehenditur summitas scalæ. Ascendamus igitur velut duobus quibusdam pedibus, meditatione & [10] oratione. Meditatio siquidem docet, quid desit: oratio ne desit obtinet. Illa viam ostendit, ista deducit. Meditatione denique agnoscimus imminentia nobis pericula, oratione euadimus, præstante nobis Domino nostro Iesu Christo.

9 *Sanctorum in charitate decedẽtium, & inuocamus auxilium, & prouocamur exemplo.*

10 *Oratione & meditatione quasi duobus quibusdã pedibus ascendimus ad Dominũ.*

ADHVC DE EODEM SANCTO APOstolo, per D. Bernardum Abbatem.

Est sermo 2. in loco vbi supra.

BEati Andreæ Apostoli solennitas hodie celebratur, quam si pia solicitudine perscrutemur, multa inuenimus in ea quæ ædificent animas [11] nostras. In ipso siquidem conuersionis suæ initio magnum nobis perfectæ obedientiæ præstat exemplum. Quod quidem Christianis omnibus necessarium, nobis tamen est charius amplectendũ, qui nimirum specialius ex ipsa professione nostra tenemur obedientiæ debitores. Sapiens nummularius est, imò ipsa sapientia, cui necesse habemus reddere hunc obedientiæ nummũ, nec suscipiet eũ, nisi & integer inueniatur, & sine aliqua falsitate. Nam si discutimus, si diiudicamus, & in hoc quidem præcepto obedimus, sed non illo fractus est nummus, non suscipiet eum Christus, à quo nimirum tenemur nummi integri debitores. Omnes [12] enim obedientiam simpliciter & sine vlla exceptione promisimus. Quod si quis obediat quidem, sed simulatoriè, & ad oculum, murmuret autem in abscondito, falsus est nummus eius, plumbum habet non argentum, & iniquitas sedet super talentum plumbi. Dolosè agit, sed in cõspectu Dei, quoniam Deus non irridetur. Vis audire perfectæ obedientiæ formam? Vidit Dominus (ait

11 *Vide quod non sine causa celebrãtur in Ecclesia sanctorum solennitates.*

12 *Tẽpore etiam D. Bernardi, monachi præstabant suis superioribus obedientiam simpliciter et sine vlla exceptione.*

Euangelista) Petrum & Andream mittentes rete in mare, & ait illis: Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum: faciam, inquit, de piscatoribus piscatores, imo prædicatores. At illi continuò nihil diiudicantes aut hæsitantes, non soliciti vnde viuerent, non considerantes quónam modo rudes homines & sine literis, prædicatores fieri possent, nihil denique interrogantes, sine omni mora relictis retibus & naui, secuti sunt eum. Agnoscite fratres, quoniam propter vos scripta sunt hæc, propter vos singulis annis in Ecclesia recitantur, vt discentes veræ obedientiæ formam, castigetis corda vestra in obedientia charitatis. Hæc nimirum est, quæ sola commendat obedientiæ nummum, hoc illius argentum est probatum atque purgatum. Sola est charitas quæ obedientiam gratam facit, & acceptabilem Deo. Hilarem quippe datorem diligit Deus. & item: Si tradidero, inquit, corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habeam, nihil mihi prodest. Vultis vt de ipsa quoque beati huius Apostoli passione, quam nimirum hodie celebramus, loquamur aliquid ad laudem Christi, & ædificationem vestram? Audistis certè cùm peruenisset beatus Andreas ad locum vbi crux parata erat, quomodo confortatus sit in Domino, & per spiritum quem vna cum cæteris Apostolis in igneis linguis acceperat, verba verè ignea loqueretur. Videns ergo paratam eminus crucem, nequaquam (vt exigere videtur mortalis infirmitas) facies eius expalluit, nequaquam sanguis eius gelatus est, non stetêre comæ, aut vox faucibus hæsit, non contremuit corpus, nec mens turbata est, non recessit (vt assolet) intellectus. Ex abundantia cordis os locutum est, & charitas quæ feruebat in corde, quasi scintillas quasdam ardentissimas emittebat in voce. Quid enim beatus Andreas cùm sibi paratam, vt dixi, crucem eminus cerneret, loquebatur? O crux (inquit) diu desiderata, & iam concupiscenti animo præparata, securus & gaudens venio ad te, ita vt & tu exultans suscipias me discipulum eius qui pependit in te, quia amator tuus semper fui, & desideraui amplecti te. Obsecro fratres, homo est qui loquitur hæc, at non est homo sed angelus, aut noua aliqua creatura? Homo planè, similis nobis, passibilis: nam passibilem eum passio ipsa testatur, qua appropinquante tam lætabúdus exultat. Vnde ergo in homine noua hæc exultatio, & lætitia hactenus inaudita? Vnde in tanta fragilitate, tanta constantia? Vnde in homine tam spiritualis mens, tam feruens charitas, animus tam robustus? Absit vt à seipso tantam ei credamus inesse virtutem. Donum perfectum est, descendens à patre luminum, ab eo vtique qui facit mirabilia magna solus. Planè spiritus erat dilectissimi, qui adiuuabat infirmitatem eius per quem diffundebatur in corde ipsius fortis charitas vt mors, imò & fortior morte. Cuius ô si & nos participes inueniamur. Ecce enim molestus est nobis pœnitentiæ labor, corporis afflictio grauis, abstinentia onerosa, in vigiliis dormitat anima nostra præ tædio, non ob aliud sanè, quàm propter inopiam spiritus. Ipse enim si adesset, adiuuaret sine dubio infirmitatem nostram, & sicut beato Andreæ crucem & mortem ipsam, sic nobis quoque laborem & pœnitentiá nostram faceret non solùm non molestam, sed etiam desiderabilem, atque omnino delectabilem esse: spiritus enim meus (ait Dominus) super mel dulcis: ita vt ne ipsa quidem dulcedini eius præualere queat amarissima licet mortis amaritudo. Quid non temperabit illa dulcedo, quæ mortem quoque facit esse dulcissimam? Quæ resistere possit asperitas vnctioni illi, quæ mortem quoque facit suauissimam? Cùm dederit, ait, dilectis suis somnum, ecce hæreditas Domini. Quam molestiam non expellit gaudium illud, quod mortem quoque ipsam facit esse lætissimam? Quæramus hunc spiritum, fratres, tota solicitudine operam demus, vt mereamur habere hunc spiritum, imò vt qué iam habemus, abundantius habeamus. Quicunque enim spiritum Christi non habet, hic non est eius. Nos autem non accepimus spiritum huius mundi, sed spiritum qui ex Deo est, vt sciamus quæ à Deo donata sunt nobis. Testimonium præsentiæ eius præbent opera ipsa salutis & vitæ, quæ nullatenus agere possemus, nisi spiritus qui viuificat, spiritus Saluatoris adesset. Quæramus igitur vt dona sua multiplicet Deus in nobis, & spiritum suum augeat, qui iam primitias dedit. Nullú 13 enim omnino præsentiæ eius certius testimonium est, quàm desiderium gratiæ amplioris, quoniam ipse dicit: Qui edunt me, adhuc esurient, & qui bibunt me, adhuc sitient. Sed fortasse multorum nobis conscientiæ iam respondent. Desideramus hunc quidem spiritum, qui sic adiuuet infirmitatem nostram, sed inuenire non possumus. Et ego 14 dico: propterea non inuenitis, quia non quæritis: propterea non accipitis, quia non petitis. Petitis, & non accipitis, eò quod negligenter petatis. Nihil enim aliud expectat, nihil aliud quærit Deus, nisi vt sedulò & cum desiderio requiratur. Denique quando negabit petentibus, qui etiam non petentes prouocat, & hortatur vt petant? Si vos, inquit, cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris, quantò magis pater vester de cœlo dabit spiritum bonum petentibus se? Petite ergo charissimi, petite sine intermissione, petite sine hæsitatione, in omnibus operibus vestris dulcissimi semper huius, ac suauissimi spiritus præsentiam & auxilium inuocate.

13 Dat pro hoc probabilem coniecturam præsentiæ spiritus sancti, nō autem certitudinem fidei.

14 Vides quod spiritus sanctus non datur nisi quærentibus & petentibus. Quod intellige post primam spiritus sancti gratuitam nobis à Deo factam oblationem.

Et nos

Et nos enim fratres cum beato Andrea necesse habemus tollere crucem nostram, imo cum [15] eo, quē & ipse secutus est, Domino Saluatore. Inde enim sic lætabatur, indè sic exultabat, quòd non solùm pro eo, sed etiam cum eo, mori videretur, & complantari similitudini mortis eius, vt compatiens etiam conregnaret. Cum quo vt simul crucifigamur & nos, attentius auribus cordis audiamus vocem dicentis: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Ac si dicat: Qui me desiderat, se despiciat: qui vult facere voluntatem meam, discat frangere suam. Sed continuò bella insurgunt, armantur protinus aduersum nos inimici. Et nos armemur contrà, imitemur arma Regis nostri, vt tollamus & nos crucem nostram, in qua de inimicis omnibus triumphemus. Audi enim quid Psalmista promiserit, imò spiritussanctus per os eius. Scuto, inquit, circundabit te veritas eius, haud dubium quin Altissimi. De eo siquidem loquebatur, sicut manifestè indicant ipsius psalmi, præcedentia verba. Ad quid fratres scuto circundamur, nisi quia nos vndique bella circundant? Denique quid causæ sit vt te scuto circundet, attende. Scuto, inquit, circundabit te veritas eius. Ad quid enim? Non timebis, inquit, à timore nocturno. A sagitta volante in die, à negotio perambulante in tenebris, ab incursu & dæmonio meridiano. Vidésne quàm necesse sit vt scuto circundet te veritas, quem sic hostium tela circundant? Ab inferiori enim parte timor nocturnus insurgit, à sinistris sagitta volat in die, à dextris perambulat negotium tenebrosum, & vt nihil sit vacuum, à superiori parte dæmonium meridianum insurgit. Nos autem miseri & miserabiles, vicinis tot serpentibus, & ignis telis vndique volantibus, insurgentibus inimicis, nihilominus perniciosa securitate & negligentia dormitamus, torpemus ocio, [16] vanitatibus & scurrilitatibus indulgemus, tam pigri ad spiritualia exercitia, ac si iam pax sit & securitas, & non sit militia vita hominis super terram. Hoc est, dico vobis charissimi, quod me vehementius terret, quod omnino timoris acerbissimi gladio transuerberat animam, quod inter tanta pericula minus timorati, minus exercitati, minus quàm necesse sit, soliciti videamur. Siquidem vnum è duobus hæc ipsa negligentia nostra probat, aut omnino traditos nos hostibus, & nescire, aut si inter hæc conseruamur, ei qui tuetur nos ingratos nimirum inueniri. Quorum vtrunque quid periculi habeat satis manifestum est. Propterea [17] obsecro vos dilectissimi ipsa nos excitet hostium malitia peruigil, & instantia eorum maligna, qua tam seduli, tam soliciti sunt in nostram perditionem, nos quoque solicitos faciat & circunspectos, vt in timore & tremore nostram ipsorum salutem operemur. Ecce enim in cruce salus nostra, tantùm [18] vt ei viriliter inhæreamus. Verbum crucis (ait Apostolus) pereuntibus quidem stultitia, his qui salui fiunt, id est, nobis virtus Dei est. Ipsa est scutum quo circundamur, vt eius quatuor cornua quadrifaria hostium tela repellant. Sit ergo inferius cornu contra timorem nocturnum, id est, aduersus pusillanimitatem, quæ de carnis afflictione procedit, vt id quod sub nobis est, corpus castigare viriliter studeamus, ac subijcere seruituti. Si quis verò nobis in faciem maledicit, si quis apertè mala suadere conatur, in die volat sagitta, & à sinistris est, sinistro nihilominus cornu crucis excipienda. Quòd si adulatur, si quasi consulentis animo venenum propinat fraternæ detractionis, & odium seminare conatur: si denique iniquum aliquid tanquam iustum persuadere tentat, à dextris est mihi iste: sed Iudas est, osculo me prodit, & dextro cornu crucis negotium perambulans in tenebris necesse est propulsari. Sed ecce dæmonium meridianum, superbiæ scilicet spiritus, qui nimirum in splendore maiori virtutum acrius insurgere solet. Hæc autem quàm perniciosa sit, sæpius vobis intimare curamus: initium quippe omnis peccati, & causa totius perditionis superbia est. Propterea quisquis es qui salutem tuam operari studes, aduersus hanc super caput tuum cornu crucis habere memento, vt non eleueris in superbiam, non exaltetur cor tuum, non ambules in magnis, neque in mirabilibus super te, sed tela ea quæ de sublimi veniunt, supereminens capiti tuo cornu crucis excipiat. Sanè hoc solum est, cui salutis pariter & regni titulus inscribitur: quia solus qui se humiliat, saluari & exaltari meretur. Iam vt breuiter repetam, quatuor hæc cornua sunt, continentia, patientia, prudentia, & humilitas. Felix anima, quæ in hac cruce gloriatur & triumphat, tantum vt perseueret in ea, & nullis valeat tentationibus deijci. Oret igitur quisquis in hac Cruce est, oret cum Beato Andrea Dominum & magistrum suum, ne patiatur eum de cruce deponi. Quid enim malignus ille non audeat, quid non præsumat impius attentare? Quod Ægeæ manibus de discipulo, hoc Iudæorum linguis facere cogitauerat & de magistro. In vtroque tamen sera pœnitentia ductus, victus & confusus abscessit. Vtinam habeat similiter & à nobis, eo vincente, qui & in se, & in discipulo triumphauit. Faciat ipse vt mereamur & nos in hac nostra qualicunq; [19] cruce pœnitentiæ, quam pro ipsius nomine tulimus, fœliciter consummari, qui est super omnia Deus benedictus in secula.

15 Quid hic dicis hæretice, qui nihil pati vis cū Christo, & nullas huius mundi tribulationes sustinere cū illo, vt ei conregnes? An ne ita fecit B. Andreas?

16 I nunc hæretice, & gloriare te in Christū credere, & hoc sufficere tibi vt securus viuas de æterna beatitudine.

17 O sancte Dei quid nos tantum hortaris, vt simus soliciti & circunspecti, vt cum timore & tremore nostrā salutē operemur, cū sufficiat nobis credere firmiter, et certò statuere remissa esse nobis peccata per Christū, & consecuturos nos per illum regnū cœlorum, vt dicūt nostri temporis dogmatistæ? An sunt illi impostores & pseudoprophetæ, qui iuxta Domini sententiam in vestibus ouium ad nos veniunt?

18 Vide hæretice, quod non sufficit nobis ad salutem Dominum Iesum fuisse pro nobis crucifixum, nisi etiam nos cruci eius inhæreamus. Et vide etiā modum quo id fiat, per D. Bernardum hic expressum.

19 Ecce crucem pœnitentiæ, quæ vltra fidem requiritur pro consequenda salutè.

Habetur in eius Martyrolog sub pridie Calend. Decemb.

VITA BEATI ANDREAE APOSTOLI, PER Adonem Treuerensem Episcopum collecta.

IN ciuitate Patras prouinciæ Achaiæ, natale beati Andreæ Apostoli, qui etiam apud Scythiam prædicauit. Hic beatissimus Apostolus ab Ægea Proconsule Achaiæ comprehensus, cùm perseueranter in fide Christi & Euangelij ministerio duraret, insuperabilisque maneret, carcere primùm clausus, inde coram Proconsule grauissimè cæsus, ad vltimum cruce ligatis manibus & pedibus, funibusque toto corpore tensus, vt longius cruciaretur, biduo inibi superuixit, non cessans ea quæ Christi sunt populum docere. Cumque ij qui per eum Christo Domino crediderant, satis agerent vt deponeretur, Ægeamque, vt hoc perficeret, nolentem impellerent, Apostolus Domini circunstante populo, etiam Proconsule vt solueretur agente, post verba orationis, fulgore cœlesti ferè vna desuper circunfultus hora, cum ipso lumine ascendente emittens spiritum, perrexit ad Dominum. Cuius sanctissimum 1 corpus Maximilla potentissima matrona reuerenter depositum sepeliuit. Sed emergentibus annis 2 sacratissima eius ossa vicesimo Constantij Imperatoris anno, ab Achaia Constantinopolim translata sunt.

1 Huius sanctissimũ corpus Maximilla reuerẽter depositũ sepeliuit. 2 Vide hic dici sacratissima ossa, & non tempore consumpta, seu vilem puluisculum.

IOANNIS CHRYSOSTOMI ARCHIEPISCOPI Constantinopolitani laudatio in sanctum Apostolum Andream.

Apud Simeonem Metaphrasten.

VAlidũ est Apostolicæ piscationis rete, admirabilis Andreæ memoria, & eius retis commemoratio, quo ad capiendas, & ad Christianam fidem attrahendas gentes vsus est. Sagena enim, qua immortales illi 1 mortui vsi sunt, nulla temporis obliuione potest intercipi. Non veterascunt tempore illa venationis instrumenta, quæ non humana arte, sed diuina gratia effecta sunt. Quamuis enim piscatores ipsi à nobis excesserint, nullo tamen tẽpore instrumenta, quibus illi vsi sunt, aut sagena, qua mundum ipsum comprehenderunt, inueterata est. Qui cùm rete iaciunt, & extrahunt, non videntur, & tamen illorum retia plena cõspiciuntur. Non arundinem illam possederunt, quam tempus corrumpit. Non linum in aquam demiserunt, quod vetustate putrescit. Non hamum fabricarunt, quem rubigo consumit. Non escam in hamo posuerunt, qua pisces caperent. Non in petra consederũt, quæ vndis quatitur. Non in scapha nauigarunt, quam dissoluit tempestas. Non pisces, hoc est, naturam rationis expertem, expiscati sunt. Sed quemadmodum ars illa, qua vsi sunt, admirabilis, ita & illorum instrumenta noua atque inusitata extiterunt. Nam pro arundine, prædicatione vtuntur: pro funiculo, memoria: pro hamo, potentia: pro esca, miraculis: pro petra, cœlis, ex quibus huiusmodi piscationem exercent: pro scapha habent altare: pro piscibus, Reges etiam ipsos capiunt: pro sagena, Euangelium expandunt: pro arte, diuinam gratiam adhibent: pro mari, vitam humanam tractant: pro retibus, cruce, velut sagena quadam, vti solent.

1 Nota, quod si sancti Apostoli immortales mortui sunt, non verè dici possunt emortui, vt eos appellant moderni hæretici.

Quis vnquam vidit à mortuis piscatoribus viuentes homines, tanquã pisces, capi? O magnam Crucifixi potentiã. ô diuinæ dignitatis præstantiã, ô Apostolorũ summa beneficia. Nihil tale in vita esse potest, quale Apostolicæ gratiæ fastigium. Multa certè vidit humana vita valde admirabilia, & opinionẽ superantia. Vidit enim sanguinẽ effusum clamantem, & cædem sine lingua vociferantem, ac naturã propter inuidiam contra se diuisam, fratrẽ germano fratri mortem inferentem, ac propter inuidiæ liuorem mortis ianuã patefactam. Vidit illam Noë arcã in mundi naufragio positam, & naturæ humanæ interitum. Vidit senẽ contra propria viscera, hoc est, filium, fide armatũ, & tanquam victimam eũ offerri, qui cęsus non est. Vidit benedictiones furto conciliatas, & formatoris Dei ac serui palestram. Vidit inuidiam inter fratres exortam, & seruitutẽ regni conciliatricem. Vidit somniis paratũ solium, & fratris insidiatores fame attractos. Vidit virgam miraculorum effectricẽ, & rubum igne tanquã rore circunfusum. Vidit legumlatorẽ Moysen elementis imperantẽ. Vidit vndas ipsas, tanquã lapides, solitas factas, profundũ mare denudatum, viã repentè structam, & columnam nubis in die, ac ignis in nocte populorũ multitudini ducem ostensam. Vidit virgam sine terra germinantem. Vidit è cœlo panis loco manna fundi. Vidit hominis oratione solem, tanquã freno quodã sisti: & sterilis precibus impetratũ, vt ipsa Prophetã conciperet. Vidit farinæ pugillum frugibus copiosiorem, & lecythũ olei fontibus abundantiorem. Vidit currum in aëre agitari, & Prophetam assumi. Vidit deniq; mortui ossa vitæ remedium fieri. Multa talia magna & admirabilia vidit hominum vita. Sed illa tanquam fœnum præterierunt, & extincta sunt, vt lucerna, exorto sole. Nihil tale vnquam fuit, quale fuerunt Apostoli. Hi cùm Dei verbi essent ministri, attrectarunt incarnatum illum, qui vt Deus figuram non habet. Secuti sunt ambulantem eum, qui vbiq; præsens est. Discubuerunt vnà cum illo, qui nullo loco circunscribitur. Eius vocem audierunt, qui verbo fecit omnia. Mundum ipsum lingua, tanquam

sagena quadam, concluserant. Circumierunt suis cursibus fines orbis terrarum. Errores, vt zizania, eradicarunt. Aras, vt spinas quasdam amputarunt. Idola, tanquam feras interfecerunt. Dæmones, vt lupos profugarunt. Ecclesiam, vt gregem quendam collegerunt. Orthodoxos, tanquam frumētum congregarunt. Hæreses, vt paleas proiecerunt. Iudaismum, tanquam fœnum arefecerunt. Græcorum sectam, tanquam stipulas quasdam, igne combusserunt. Humanam naturam cruce ipsa, tanquam aratro quodam, excoluerunt: & verbum Dei, vt sementem quandam sparserunt. Ad summam omnia illorum facta, tanquam sydera quædam effulserunt. Quamobrem clara voce illis dicebat Dominus: Vos estis lux mundi. Siquidem Orientem habet Christianus homo illum qui è virgine natus est: diluculum habet eum, qui baptismatis parens fuit: splendorem habet, Christi crucifixi gratiam: radios admirabiles illas linguas: diem, futurum illud seculum: meridiem, tempus, quo in cruce ipsa mansit Dominus: Occidentem, sepulchri habitationem: vesperam, breuem illam mortem: Solis fulgorem, resurrectionem à mortuis. Vos estis lux mundi. Intuere astra hæc, & illorum splendorem obstupesce. Idcirco Andreas hodierno die cùm tanquam luminis thesaurum quendam, communem Dominum inuenisset, clamabat ad Petrum fratrem suum: Inuenimus Messiam. O fraternæ charitatis exuperantiam, ô inuersum ordinem. Posterior Petro in vitam ingressus est Andreas, & prior Petrum ad Euangelium allexit, & tanquam venatus est. Inuenimus (inquit) Messiam. Ex gaudio profecta est hæc oratio, lætum inuentæ rei Euangelium hoc fuit. Inuenimus (inquit) thesaurum illum. Fuge, Petre, circuncisionis paupertatem, exue te laceris pannis legis, abijce iugum literæ, hæc omnia contemne, vt parua quædam, vt somnia, despice præsentia, ac Bethsaidem, vt vilem & abiectum quendam locum aspernare: relinque rete, vt paupertatis instrumentum: scapham, vt naufragij thalamum: piscandi artem maritimæ fluctuationi expositam: pisces vt ventris negotiationem: gentem Iudaicam, vt rabiem contra Deum: Caipham, vt praui consessus parentem. Inuenimus Messiam, quem pronunciarunt Prophetæ, quem lex præconio suo, tanquam tuba quadam, nobis prædicauit. Inuenimus legis thesaurū. Fuge Petre famem literæ. Inuenimus Messiam, quem olim adumbrarunt signa, quem vidit Michæas in throno gloriæ, quem Esaias contemplatus est super Cherubin, quem Ezechiel vidit super Seraphin, quem Daniel spectauit super nubes, quem Nabuchodonosor vidit in fornace illa, quem Abraham accepit in tugurio, quem Iacob non dimisit, nisi prius ab illo benedictus esset, cuius posteriora vidit Moyses super petram. Hunc nos inuenimus sine principio genitum, & in vltimis diebus visum. O thesaurum ingentem, cuius copia exhauriri non potest. Diuitiæ enim sunt non materiei subiectæ, quarum essentia originis est expers, & inuentio ipsa recens. Inuenimus Messiam, qui interpretatur Christus.

Multi quidem fuerunt Christi, sed omnes morti subiecti. Abraham Christus fuit, sed in sepulchro corruptus est. Isaac quoque fuit ille quidem Christus, sed eius ossa in monumento iacent. Fuit & Iacob Christus, sed morti subiectus. Moyses etiam fuit Christus, sed quo loco sepultus sit nescimus. Dauid similiter fuit Christus, sed omnes mortis spolia, omnes fuêre mortis captiui. Vnus verè fuit Christus, natura quidem Deus, sed propter eius misericordiam homo: qui virginalem ventrem suo exitu, tanquam sigillo quodam signauit: & piscatores illos suos curationum fontes effecit: cuius est imperium, regnum, gloria, & adoratio cum immaculato, consubstantiali, & eiusdem potentiæ Patre & sanctissimo spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

MIRACVLA SANCTI ANDREAE APOSTOLI, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

ANdreas Apostolus magnum miraculum in die solennitatis suæ profert, hoc est, manna in modum farinæ, vel oleum cum odore nectaris, quod de tumulo eius exundat. Per id etiam quæ sit fertilitas anni sequentis ostenditur. Si exiguum profluxerit, exiguum terra profert fructum: si verò fuerit copiosum, magnum arua prouentum fructuum habere signat. Nam ferunt in aliquibus annis in tantum è tumulo oleum exundare, vt vsque medium basilicæ profluat riuus ille. Hæc autem aguntur apud prouinciam Achaiam in ciuitate Patras, in qua beatus Apostolus, siue martyr, pro redemptoris nomine crucifixus præsentem vitam gloriosa morte finiuit, tamen cùm oleum defluxerit, tantum odorem naribus præstat, vt putes ibi multorum aromatum sparsam esse congeriem, quod non sine miraculo ac beneficio habetur in populis. Nam ex hoc seu inunctiones factæ, seu potiones datæ, plerunque languentibus commodum præstant. Post cuius gloriosam assumptionem multæ 1 virtutes vel ad hoc sepulchrum, vel per loca diuersa, in quæ eius reliquiæ collocatæ sunt, feruntur ostensæ: de quibus pauca memorari non putaui absurdum, quia ædificatio est Ecclesiæ, gloria martyrum, virtusque sanctorum. Tempore quo inter-

Habetur in lib eiusdem in gloriā plurimorum martyrum. Cap. 30.

1 Virtutes aduertis multas fuisse ostensas ad sepulchrum B. Andreæ, vel ad eius reliquias.

fecto Clodomere rege Fràcorum, se exercitus reparans Burgundiam deuastabat, in quadam Basilica reliquiæ iam dicti Apostoli, cum Saturni martyris tenebantur, accensaque Basilica, cùm iam tignorum moles dirueret, pauperes ac senes quos barbaries reliquerat, flebant dicentes: Væ nobis qui tantorum pignorum hodie caremus auxilio, nec nobis vltra spes præsentis vitæ manebit, si hæc deperierint. His ita flentibus, nutu Dei aduenìens Turonicus homo, condolens iis lamentis, & discens virtutem martyrum non minus fide quàm per arma, profectus per medias ingreditur flammas, apprehensasque ab altari sancto reliquias, nihil ab igne læsus extulit foras, sed continuò ita constrictus est, vt gressum in antè agere non valeret: tunc indignum se iudicans qui ea ferret, vnam puellam paruulam impollutamq; elegit à præda, cui capsulam collo imposuit, & sic in patriam prosperè accessit. Tunc collocatis in altari Nouicensis Ecclesiæ, vbi nulla adhuc sanctorum pignora habebãtur, annis singulis deuotissimè eorum solennia celebrabat. Cuius filius cùm hæc post patris obitum non impleret, à febre quartana per integrum annum laborans 2 vouit vt nouam Basilicam in eorum honorem construeret. Quo facto amota febre sanatus est. Sed ne hoc sine diuinitatis prouidentia actum reor, quod eadem die qua beatæ reliquiæ in aliam sunt translatæ basilicam, errantes homines à via qui beati Vincentij reliquias deferebant, ad vicum ipsum delati sunt. Tunc rogante presbytero diuiserunt, & particulam pignorum quam in sancto altari vnde alias abstulerat collocarunt. Mummolus autem cum Theodeberti regis tempore ad Iustinianum Imperatorem pergens, Constantinopolitani itineris viam nauali euectu sulcaret, ad vrbem Patras in qua idem habetur Apostolus, est appulsus, ac dum ibi cum satellitibus moraretur, infirmata vesica calculosus efficitur. Dehinc diuersis doloribus arctatus febre consumitur, ablataque delectatione comedendi atque bibendi aduentum mortis solum præstolatur. Igitur dum se ita fessum, & sine spe vitæ decernit, testamentum suum petit scribi, munitumque subscriptionibus ac sigillis, inquiri præcepit, si forsitan aliquis reperiretur in ciuitate, qui peritus in arte medicinæ possit perituro succurrere. Sed cùm hoc Episcopo qui tunc præerat suggeritur, ait: Quousque vos dilectissimi casso fatigatis labore, & inter homines requiritis medicinam, cùm habeatur hic cœlestis medicus, qui sæpe infirmorum valitudines sine herbarum adminiculo, virtutis propriæ depellat effectu? Et quis, inquiunt, est ille? Andreas (ait) Apostolus Christi. Hæc nunciantes infirmo, rogat se portari ad beati sepulchrum. Cumque pauimento 3 prostratus, quæ necessitas exigebat fideliter precaretur, medium ferè noctis omnes qui aderant sopor obtinuit. Statimque infirmus conatur eijcere vrinam, vni innuit, tangensque vnum puerorum voce tenui vasculum postulat exhiberi, illatumque, dum vrinam nititur eijcere, lapidem magnum emisit, qui tam validus fuit, vt cadens sonum in ea quæ parata fuerat concha proferret. Tunc ablata febre cum omni dolore naui restauratur incolumis. Ecclesia quoque Agatensis, quæ sancti Andreæ Apostoli reliquiis plaudit, plerunque gloriosis illustratur miraculis, peruersores rerum suarum sæpius arguit. Dumque Comatharius comes agrum Ecclesiæ ipsius peruadit, tunc Leo Episcopus huius Ecclesiæ valde mœstus concurrit ad eum, dicens: Relinque ô fili res pauperum, quas ordinationi nostræ Dominus commendauit. Ne tibi sit noxium, & à lachrymis egentium, qui de fructibus eius ali consueuerant, eneceris. Ille verò qui erat hæreticus, paruipẽdens ea quæ ab Episcopo dicebantur, rem in sua dominatione retinuit. Interim procedente die arripitur à febre. Cumque non modò ardore corporeo, verùm etiam animæ vexaretur incommodo, misit ad Episcopum nuncios, dicens: Dignetur pro me sacerdos orationem fundere ad Dominum, & ego dimittam agrum eius: Quo orante, hic à valetudine qua grauabatur conualuit factusque sanus ait suis: Quid putatis quid isti nunc 4 Romani dicant? Ait enim me ob hoc fuisse febre grauatum, quia tulerim agrum eorũ. Quod mihi iuxta consuetudinem humani corporis accidit. Veruntamen non habebunt eum me viuente. Et dicto citius misit qui eum iterum auferret. Quod cùm Episcopus comperisset, venit ad eum dicens: Num pœnitet te prius fecisse bene, quòd hoc iterum conaris euertere? Ne facias quæso, ne vltioni diuinæ subiaceas. Qui ait ad Episcopum: Sile, sile decrepite. Nam infrenatum te loris circuire vrbem super asinum faciam, vt sis ridiculo omnibus qui te aspexerint. At ille silens ad nota recurrit præsidia. Prosternitur in 5 oratione, celebrat vigilias, ac noctem totam in lachrymis & psalterio ducit. Mane autem facto accedit ad lichnos qui de camera ad Ecclesiam dependebant, extendénsque virgam quam tenebat in manu, effregit cunctos, dicens: Non hic accendetur lumen donec vlciscatur Deus de inimicis, & restituat res domus suæ. Hæc eo dicente, protinus hæreticus ille in rediuiua febre corruit. Cumque in extremis ageret, misit ad Episcopum dicens: Oret pro me sacerdos ad Dominum vt viuam, & restituam agrum, ac simile eius conferam dominationi. Quibus pontifex respondit: Iam oraui ad Dominum, & exaudiuit me. Misit & alios ac tertios ad eum nuncios. Sed sacerdos in vno responso persistens, non mouebatur ad hæc, vt pro eo orationem daret ad Dominum.

2 Etiã apud antiquos patres votorum vsus fuit.

3 Orat ad sepulchrum Apostoli pauimento prostratus.

Cap. 78.

4 Vide Romanos distingui contra hæreticos, quoniã Romana Ecclesia Catholica est atque Apostolica.

5 Ecce sanctorũ virorũ noua præsidia. Orationes. Vigiliæ. Lachrymæ. Psalterium.

Hæc illa hæreticus cernens, iussit se in plaustro componi, atque ad eundem euehi, ac per se deprecatur Episcopum dicens, quia dupla satisfactione restituo agrum, quem iniquè persuasi, tantùm vt oret pro me sanctitas tua. Illo quoque recusante, compulit eum vi, vt abiret ad Ecclesiam, quo discedente, vt Ecclesiam est ingressus, & hic 6 spiritum exaltauit, recepitque confestim Ecclesia rem suam.

6 Notet hoc exemplum hæretici, qui bona temporalia Ecclesijs auferunt

VITA SANCTI THOMAE APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

THOMAS, qui interpretatur abyssus Christi, Dydimus græcè nominatus, & iuxta latinam linguam, Christi geminus, ac similis Saluatoris, audiendo incredulus, videndo fidelis. Hic Euangelium prædicauit Parthis, Medis, Persis, Hircanisque, ac Bactrianis, & Indis, tenens Orientalem plagam, & interna gentium penetrans. Ibique prædicationem suam vsque ad titulum suæ passionis perducens, lanceis transfixus occubuit. In Calamina Indiæ ciuitate sepultus est cum honore.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM SANCTI, & gloriosi Apostoli Thomæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

VI. Octob.

OLim quidem in terra versantes Apostoli, & terram quæ est sub cœlo obeuntes, ijs qui impietati inseruierunt, prædicârunt libertatem, miraculis ad salutem ab errore abstrahentes, & fidei malagmate medicantes animas, quæ laborabant infidelitate. Postquam autem migrârunt ad Dominum, piis reliquerunt corpora pignora 1 salutis, vt quod cùm aderant, faciebant, hoc etiam postquam migrassent, efficerent cœlestis illius publicæ celebritatis imagines, eorum memoriæ festa nobis largientes: vt tanquam cum præsentibus & differentibus rursus versantes, percipiamus gratiam Apostolicam. Vnde etiam nunc clarissimus Apostolorum Thomas per eius memoriam nobiscum rursum versatur. Thomas, qui est fidei nostræ pater ex incredulitate, & index perfectus veritatis, qui incredulitatis occasionem amputauit incredulis, & fidem Apostolorum per incredulitatem effecit firmiorem. Quando enim vnigenitus Dei filius, qui est in sinu patris, non ferens videre suum figmentum in peccati seruitutem redactum, suis hac in re inflexus visceribus, visus est sicut nos, si peccatum dempseris, tunc hic quoque magnus Apostolus, post aliorum discipulorum electionem qui Iesum sunt secuti, iussus est sequi Dominum. Nam cùm in Iudæa à matre esset in lucem editus, habens parentes, qui vitam tenuiter agebant, ab eis alebatur & educabatur, & ad vitam formabatur similem, veluti à quodam optimo pædagogo, paupertate eruditus, & ad Domini suscipiendum præceptum aptus redditus. Libros itaque legens Mosaicos, ij enim diligenter proponebantur filijs Iudæorum, componebat quidem suos mores ad honestatem: doctrina autem formabatur ad res diuiniores, & à puerilibus procul remotus ludibrijs instituebatur, & crescebat, donec peruenisset ad perfectam mensuram ætatis Christi: viuens enim, sicut prius diximus, in vita paupere, & artem exercens piscatoriam, in vtroque potens est cognitus: ex vno quidem formatus ad tenuitatem, quæ sunt superuacanea minimè admittentem, & doctus esse contentum solis necessarijs: ab altero autem institutus ad patientiam in laboribus, & ad hoc vt rebus molestis & asperis sua sponte prius exerceretur. Protinus itaque nulla dilatione vsus est nec cunctatione, nec tardauit ad vocationem: sed adeò celeriter fuit mutatus, & vinctus voce vocantis, vt dicto citius ostenderet obedientia. Atque sic quidem fit verbo familiaris, & refertur in numerum reliquorum qui vocati fuerant: fitque discipulus animi studio promptissimus, minister fidelissimus, Apostolusque, & œconomus probatissimus Apostolatus Gentium, qui fuit ei creditus. Statim autem & ad Apostolatum fuit corroboratus, & diuina impletus virtute, & miraculorum diues operatione, statuit cum Verbo versari perpetuò: Cum quo quidem degens toto tempore, quo vitam egit in carne, multas quidem cum eo subijt afflictiones, multas autem persecutiones & migrationes. Et aliquando quidem cùm ipse à Iudæis expelleretur, simul quoque cum eo expellebatur: & cùm lapidibus appeteretur, ipse quoque simul appetebatur: aliquando autem cùm ipsum vellent in suam redigere potestatem, & morte afficere, paratus erat alacriter cum ipso morte affici desiderio, plenam illam vocem emittens ad Dominum: Eamus, & moriamur cùm ipso. Quando enim amicum Lazarum à mortuis suscitaturus pergebat Saluator: quando per absentiam concessit morti superare naturam; quando voluit ostendere sepulchrum somnij locum; quando vinctum mortuum

1 Nota, sanctorum corpora, pignora salutis dici.

voluit efficere ad vocationem viuis celeriorem, tunc accedentes discipuli metum prædicabant Iudæorum, lapides reuocabant in memoriam, dehortabantur ne accederet: Magister, dicentes, nunc quærebant Iudæi te occidere, & rursus vadis illuc? Cùm autem illi non possent persuadere (Non enim oportebat infantiam, quæ tunc erat discipulorum, morti opem ferre aduersus Lazarum, neque impedimentum liberationis ex sepulchris illorum cerni timiditatem) metu & desiderio distractis eorum animis, conuertebantur ad animi ægritudinem. Sed Thomas promptè & alacriter soluens Apostolis molestiam: Eamus & nos, inquit, & moriamur cum ipso. Est enim quauis vita melior, quæ cum Domino accipitur, occisio. Atque hæc quidem sic se habebant: & Apostolorum animos detinebat admiratio, cogitantes condiscipuli audaciam ad mortem subeundam. Sed cùm crux fixa fuisset, & mors esset suspensa, & infernus traheretur captiuus, & mutata esset lex sepulchri, & mors Christi effecta esset mors mortis, surgens Saluator post erecta apud inferos aduersus mortem trophæa, apparet suis amicis lugentibus & flentibus, in hoc quoque fidem faciens victoriæ, qui rerum rectè gestarum illos faciens spectatores, certè nec ipsum quidem permisit esse expertem primorum miraculorum. In quadam domuncula discipulos in arctum tunc metus cogebat Iudæorum: quo quidem in loco periculum præuidentes manebant. In medium ergo eorum latentium accedit Iesus, non vocem emittens antequam aspiceretur, non pulsatione ostij territis eorum animis: sed pedes, qui per mare sunt ingressi, ostijs quoque non apertis intrarunt (Negabat enim suas leges natura iussa à Domino) & qui omnia fecerat, in suum templum ingreditur clausis ostijs: & qui per lignum mortem contriuit, nunc vim adfert ipsi ligni naturæ. Venit ergo Christus in medium eorum, miraculo ingressus confirmans miraculum resurrectionis, & sic quidem discipuli ipsis oculis eius quem desiderabant fructum percipientes, lætitia afficiebantur. Solus autem Thomas abfuit à spectaculo, qui diuino quodam, vt videtur, consilio non aderat, vt cùm miraculum magis examinasset, esset præclarior præco resurrectionis. Sed Saluator quidem cùm sui spectaculo impertijsset Apostolos, recessit protinus, perfectiorem contemplationis visionem Thomæ amico, vt videtur, reseruans. Cùm autem reuersus esset Thomas, & venisset in mentem discipulis ei dicere: vidimus Dominum: ille propter id quod audiebat, lætitia affectus, quod fieri desiderabat, hoc factum esse audiens, non credebat. Solent enim ingentis lætitiæ exuperationes, esse tardiores ad ea credenda quæ dicuntur. Discipulis igitur: Nisi, inquit, videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Ad hæc fortè Apostoli: Quid sibi vult ô Thoma, sermo incredulitatis: Si non credit discipulus, quomodo crediderint Iudæi? Si Apostolus, & amicus non admittit resurrectionem, quomodo eam admiserint ij qui cruci affixerũt? Qui Thomæ non persuaserunt, quomodo reputabantur digni, qui admittantur à Gentibus? Non te pudore afficiunt, & ad fidem attrahunt præcedentium ingentes turbæ miraculorum? Leprosus mundatus: Paralyticus integris membrorum compagibus restitutus: Cœcus videndi facultati redditus: Manus morte affecta, quæ rursus fuit ad vitam reuocata: Fluctus, per quos inceditur pedibus: & Lazarus sepulchrum exuens tanquam vestem? Quomodo, Cuius admiraris opera, eius suspectam habes resurrectionem? Non credat Caiphas: curiosè scrutetur Nicodemus: calumnietur Iudæus: Cur dubitat Thomas de resurrectione? sed contrà discipulus videtur dicere iustiora. Cur mea dubitatio est à vobis reprehendenda, ô Apostoli? Ad Iudæos emittor præco resurrectionis: sicut vos proficiscor Apostolus ad docendum Gentes resurrectionem. Quomodo ergo quibus non fui socius spectaculi, suscipiam æquè atque ipsi legationem? Quomodo quorum non habeo cognitionem, ea ego docebo alios? Quomodo lingua ea dicet confidenter, quorum testes non habet oculos? Verbis credam solis? Sed Iudæis ero in fide suspectus: meque facilitatis damnabunt, & leuitatis. Gentiles quoque verba non admittent: potius autem meum ridebunt testimonium, qui ex solo auditu prædico resurrectionem. Non multum intercessit temporis, & rursus adfuit Dominus, ingressus miraculum nunc quoque similiter ostendens. Vt quæ alijs simul discipulis, ea soli quoque Thomæ largiatur. Ostendit ergo ei signa crucis: ac vulneris quod accepit in latere, ostendit signaculum. Deinde: Quia vidisti me, inquit, credidisti: Beati qui non viderunt, & crediderunt: magnam nobis repositam ostendens beatitudinem, qui credidimus per sermonem discipulorum. Illud ergo diuinum, & admirabile spectaculum cùm consecutus esset Thomas, fuit etiam causa Apostolis, vt illa discerent, quæ prius non nouerant. Suum enim Deum, & Dominum confessus est eum quem aspexerat: Re vera enim Dei est pulchrum facinus resurrectionis. Cùm autem post hæc Christus à discipulis magna ex parte videri non posset, vt qui esset glorificatus incorruptione corporis, & non posset conspici mortalibus oculis, seipsum manifestum reddebat, quando volebat, & quando nouerat futurum vtile ijs qui aspiciebant. Itaque cùm Domini eis deesset con-

conspectus, curam gerebant veteris artis, in qua fuerant educati. Illa autem erat, scapham ascendere, & in profundum maris retia demittere. Quodam verò die dum ipsi intenti erant piscationi, apparuit eis desideratus Iesus stans in littore, & iubens ad dexteram partem nauis rete demittere. Capta est autem multitudo piscium innumerabilis: erat enim diuini iussus operatio. Tunc simul cum ijs aderat etiam Thomas, & simul nauigabat, & simul operabatur, & diligenter curabat retia, & se paratissimum ostendebat ab obediendum. Experientia enim didicerat ijs credere, quæ Deus fuerat operatus: & ideo vnà nauigabat, & simul operabatur cum discipulis. Cùm autem iam adesset tempus assumptionis, quo cum eo quod ex nobis assumpserat, oportebat Christum ascendere ad patrem, ipse educit mystas extra Bethaniam, vsque ad Oliuetum: & illic de se disserens, & ex scripturis coniūgens testimonia, cùm & coram eis comedisset, & confirmasset se non esse spiritum, vt ipsi existimauerant: & deinde sublata manu eis immisisset benedictionem, ille quidem ascendit in cœlos: ipsis autem cum magno gaudio fuit reditus in Hierusalem. Quid ni gauderet, & cum alijs lætaretur discipulus, sacrosanctus iste & magnus Apostolus, videns verba deducta esse ad effectum, & susceptæ carnis verum esse mysterium: neque frustra in eo versatam fuisse incredulitatem? Atque dies quidem ille à Domino præstitutus iam finem accipiebat conuenienter ijs quæ ille dixerat: & diuinus spiritus ad eos aduolans, tanquam sonus quidam flatus vehementis statim in linguas igneas diuidebatur. Qui cùm fuisset super vnumquemque, faciebat eos loqui linguis alienis, adeò vt qui audiebāt, afficerentur magna admiratione. Tunc ergo hic quoque magnus Apostolus cùm sederet vnà cum reliquis discipulis, ipse quoque in igneis linguis accepit gratiam: & cùm in suum habitaculum totum intromisisset spiritum, totus fuit illius instrumentum valde sapienter & opportunè pulsatum. Sic ergo Thomas ab alto confirmatus, fuit perpetuò accinctus, promptoque & alacri animo ad prædicationem, nihil timens eorum quæ sunt terribilia, nec stupens aliquid eorum quæ sunt clara & illustria. Cùm ergo res Apostolis se haberent ex animi sententia, oporteret autem Domini iussum finem accipere, qui quidem erat: *Euntes in mundum, docete omnes Gentes*, alius quidem ex Apostolis aliam orbis terræ partem sortitus est, sicut eis qui aduenerat, spiritus sortem definierat. Thomas igitur missus est in Indiam, quæ erat planè barbara, & in nefarijs versabatur actionibus: Ipsa autem sita est longissimè ab Ægypto, alluitur verò mari valdè nauigabili, & est quidem egena rerum necessariarum: abundat autem rebus pretiosis, & ad luxum accommodatis. Eam habitat id genus, quod dictum est, & quod est frequentissimum, & deditum mercaturæ, & magna ex parte nudum, & instar ferarum quæ degunt in montibus, vitam agens. Quam ob causam corporum superficiem radij solares inuadunt ardentius, valdeque incendunt, & denigrant, & efficiunt visu deformiores. Colebant autem isti simulachra facta ex omne genus materia: & quod in ea conferebatur studium, & cultura, longo tempore confirmata inducebat consuetudinem ratione quauis potentiorem. In hanc ergo regionem magnus ingrediens Apostolus, nullum præ se tulit fastum & arrogantiam: neque elatè aut gloriosè quippiam est locutus: neque aliud fecit superbè & insolenter ad ostentationem, sed ornatus Christi moderatione, & pro quouis alio ornamento, & lorica ea indutus, coma sordidus, vultu pallidus, totus aridus, & exanguis, & planè succo carens, & vt semel dicam, non tam corpus, quàm vmbram corporis circunferens, sordido & trito amictus pallio, moribus lenis, sermone vtilis, factis valde admirabilis, humilioribus se accommodabat, spiritus altiorum deprimens. Cùm talibus moribus, & vita præditus ad Indos venisset, volumque ei esset gentis ingredi interiora, postquàm vidit falsam dæmonum religionem eos comprehendisse, & imis eorum animis insedisse, non statim processit ad eos refellendos, non induxit reprehensiones, non tanquam medicamento vsus est austeritate. Sciebat enim quòd quæ longa consuetudine in nostris confirmata sunt animis, non possunt facilè deleri, & persuasione magis quàm vi mutantur. Propterea magis vtitur mansuetudine, & bonis moribus & blandis verbis, magnus & dignus qui in honore haberetur, non ex fastu, & tumore, & verbis magnificis, sed ex factis & signis eis apparens, insigni Christi, nempe humiliate, valde ornatus: quo quidem eos magis capiebat & attrahebat ad agnitionem, quòd esset operibus quidem admirabilis, spiritu autem mitis, & moderatus. Itaque moti admiratione Indi rogare cœperunt quisnam esset, & cuias genere, & quænam esset eius religio, & quod studium. Ille autem (habebat enim in se Christum magistrum) leniter & modestè respondit, quòd esset genere quidem iudæus, discipulus autem insignis illius Moysis: illius, inquam, Moysis, qui cum Deo est collocutus: Deinde etiam Christi filij Dei discipulus, qui venit ad mundi salutem, & quòd vitam æternam, & animarum salutem veniret annunciatum, quibus qui crediderint, erunt ineffabilium bonorum participes. Præterea narrat Christi Dei verbi demissionem, refertque miracula quæ fecit, dum in terris in carne ageret:

ipsamque

ipsamque passionem, quæ multis videtur probrosa: Virtutem resurrectionis: & ad cœlos ascensionem. Cuius discipulus, inquit, ego, & minister admirabilium, quæ ipse fecit, miraculorum, atque œconomiæ, qua fuit Deus & homo, creatus sum præco. Cuius annuncians in homines benignitatem, & immensam in ipsos misericordiam, ad vos vsque accessi, cuius factus sum mysta, & Apostolus. Et cùm ipsis oculis facta sit mihi fides eorum quæ dicuntur, non vi eos qui renuunt, sed omni charitate amplector eos qui persuadentur. His & pluribus alijs diuinitus prolatis verbis, Indorum populus ad mysterium introductus, suis animis suscepit verbi semen. Deinde (vt dicam cum diuino Euangelio) Domino adiuuante, & sermonem confirmante per signa consequentia, paulatim quidem abducti sunt ab idolorum libaminibus, & abominationibus, ad veram autem fidem accesserunt: & sic Apostolicis transformati doctrinis, Christo familiares euaserunt per baptismum: adeo vt etiam vsque ad ipsum Regem peruenerit prædicatio, etiamsi non penetrarit vsque ad profundum eius mentis. Itaque qui genere quidem ad Regem attinebant, cùm se totos dedidissent sermonibus Apostoli, ab eo auelli non poterant. Rex autem ipse detentus à profunda caligine ignorantiæ, & à quibus miraculis oportebat ad lucem traduci, ab eis voluntaria cæcitate ad maiorem accensus insaniam, consultabat de morte Apostoli. Quamobrem dicto citius in eum fert sententiam: & lanceis de medio tollitur magnus hic Apostolus, qui propter Christum mortem lubenter suscepit. Eum beatum quidem iudicauit chorus eorum qui per ipsum crediderunt: beatum autem censuit quoque chorus eorum, qui sunt in excelsis: plausitque iustorum multitudo cum Apostolis, videntes sacram illam, & diuinam animam in 2 cœlos ascendentem, & stipatam Angelorum ordinibus. Quid autem deinceps consequitur, & quid è superis prouidet & dispensat bonitas homines attrahens ad pietatem? Sacrum quidem illud corpus fidelium manibus decenter compositum sepelitur. Regis autem filius incidit in grauem morbum, & qui erat arte humana validior. Pater ergo (quidni enim, si pater?) inflectitur à natura, fletibusque & lachrymis irrigatur, lamentationibus laniatur. Sed nullam inueniens mali solutionem, miraculorum Apostoli recordatur: & quærebat paruam aliquam partem ex eius reliquijs ad medendum ei qui laborabat. Postquàm autem resciuit non comparêre corpus Apostolicum, saltem 3 puluerem, quem illud tetigit, iussit adferre. Quod quidem cùm factum esset, pater ægrotanti filio puluere imposito, sanum vidit eum quem putabat moriturum, etiamsi ille modicam lucem agnitionis quam acceperat sua sponte repulerat, & verè erat mortuus, vt qui acerbam mortem suscepisset impietatis. Et hæc quidem, quantum licuit non aberrando à veritate, composita fuerunt & conscripta, & Apostoli laudi sunt dedicata. Tantæ nobis lætitiæ causa est hodie Thomas. Per quem etiam Indorum Barbaræ gentes didicerunt eam viam quæ fert ad cœlos, & quorum corpora erant Solis radijs denigrata, euaserunt candidis, lætisque & alacribus animis, qui in intelligentiam cadit, Sole purè ac suauiter eis illucescente: Ad gloriam patris, & filij, & spiritus sancti, vnius & quæ diuidi non potest diuinitatis. Quam decet gloria, honor, & adoratio nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

2 Vides sacrā & diuinam Apostoli animam in cœlos ascendentem, & stipatam Angelorum ordinibus.

3 Puluere, qui Apostoli corpus tegit, filio regis imposito, sanatur ille à grauissimo, quo detinebatur, languore.

Habetur in opere eius in gloriā plurimorū martyrum edito. Cap. 31

MIRACVLA D. THOMAE APOSTOLI, PER B. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scripta.

THomas Apostolus secundùm passionis eius historiam in India passus declaratur. Cuius beatum corpus post multum tempus assumptum in ciuitate, quam Syri Edessam vocant, translatum est, ibique sepultum. Ergo in loco regionis Indiæ quo prius quieuit, 1 monasterium habetur, & templum miræ magnitudinis, diligenterque exornatum atque compositum. In hac igitur æde magnum miraculum Deus ostendit. Lichnus 2 etenim inibi positus atque illuminatus, ante locum sepulturæ ipsius perpetualiter die noctuque diuino nutu resplendet, à nullo fomentum olei scirpique accipiens, neque vento extinguitur, neque casu dilabitur, neque ardendo minuitur, habetque incrementum per 3 Apostoli virtutem, quæ nescitur ab homine. Cognitum tamen habetur diuinæ potentiæ. Hoc Theodorus qui ad ipsum locum accessit, nobis exposuit. In supradicta igitur vrbe, in qua beatos artus diximus tumulatos, adueniente festiuitate, 4 magnus aggregatur populorum cætus, à diuersis regionibus cum votis negociisque venientes, vendendi emendique per triginta dies sine vlla thelonei exactione licentia datur. In his verò diebus qui in mense habentur quinto, magna & insolita populis præbentur beneficia. Non scandalum surget in plebe, non musca insidet mortificatæ carni, non latex deest sitienti. Nam cùm iamiam reliquis diebus plusquàm centenum pedum altitudine aqua hauriatur à puteis, nunc paululum fodias, limphas exuberantes inuenies, quod non ambigitur virtute beati Apostoli impartiri. Decursis igitur festiuitatis diebus, theloneum publico redditur, musca quæ defuit

1 Ecce templū & monasteriū miræ magnitudinis, ac diligenter exornatum in honorem Apostoli. Cur ergo nostro tēpore hæc à quibusdam reprehenduntur?

2 Si accendere luminaria ante sanctorū corpora malū esset, Deus tantum miraculū non operaretur in hoc lichno.

3 Ecce quod quicquid miraculorū apud sanctos fit, diuina potētia in illis & per illos gerit, vt verā fidem in nobis cōfirmet.

4 Vides antiquū morē fuisse, in festiuitatibus sanctorum, solēnes apud illos conuentus facere, panagyres ducere, & vota plurima deferre.

defuit adest, propinquitas aquæ deficit, dehinc demissa diuinitus pluuia, ita omne atrium templi à sordibus & diuersis squaloribus, qui per ipsa solennia facti sunt, mundat, vt putes eum non fuisse calcatum.

VITA SANCTI PHILIPPI APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

PHILIPPVS, qui interpretatur os lampadis, à Betsaida ciuitate Andreæ & Petri, Gallis prædicat Christum, Barbaras gentes vicinasque tenebris, & tumenti Oceano coniunctas, ad scientiæ lucem fideique portum deducit. Deinde in Hierapoli vrbe Phrygiæ prouinciæ crucifixus, lapidatusque occubuit. Erectoque sepulchro sepultus est. Cadauer simul cum filiabus suis ibidem requiescit, cuius natalis est Calendis Maij.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM Sancti Apostoli Philippi.

Apud Simeonem Metaphrasten.

XIII. Nouembris

DEI verbum quod cum Patre est æternum, & caret tempore, voluit aliquando fieri sicut nos, & venire sub tempus, propter lapsum nostræ naturæ. Hinc factum est, vt & virginis carne circunscriberetur, & id quod assumpserat Deum redderet communicatione. Cùm autem eius cum corpore aduentu omnibus acquirente salutem, oporteret eum habere spectatores diuinæ illius & ineffabilis dispẽsationis, & participes mysteriorum, vt vniuerso generi per ipsos suppeditaret affatim reuocationem: postquàm per totam finitimam, & quæ circum Iordanem sita erat regionem peruasisset Ioannis prædicatio, data autem fuisset gratia spiritus, & multi ab illo baptismum accepissent, quo tempore meus quoque Christus fuit baptizatus, mittens versari in ciuitate idem Dei verbum quod comprehendi non potest, versabatur enim Hierosolymis, degit in Galilæa. In ea autem agebat Philippus ille admirabilis, qui erat quidem ex Betsaida ciuitate Andreæ & Petri, tunc verò aderat in Galilæa. Qui statim ab ineunte ætate traditus est à parentibus erudiendus 1 disciplinis. Cùm autem rectè fuisset educatus, & in omni laudabili disciplina iam institutus esset & eruditus, libros perlegit Mosaicos, & quæcunque fuerant prædicta de Christo mysteria imbuit, quemadmodum nouissimis temporibus sit venturus, & sit omnibus communiter salutem distributurus. Iis enim qui tunc erudiebant, non erat permissum, discipulos in alia erudire doctrina, nisi libros Moysis prius legissent. Cùm ergo venisset Iesus in Galilæam, & hunc magnum inuenisset Philippum, iussit ei vt ipsum sequeretur. Ille autem cùm audijsset, statim recordatus est eorum quæ ab ineunte ætate de Christo accepit & legit, & eum esse illum agnouit quem Moysis libri esse postea venturum declarabant. Exhinc ergo is cum eo qui vocauerat magistro versabatur, & habebat virtutem quæ cum tempore prouehebatur, & connumerabatur cum præcipuis discipulis. Cùm autem ita boni effectus fuisset particeps, assumit etiam alios socios participationis, nec eam celat: sed cùm primum incidisset in Nathanaëlem, qui longo antè tempore ei fuerat amicus & familiaris, venientis aduentum, non tanquam adhuc futurum, sed tanquam qui iam esset annunciauit. Non amplius dicens, in spe sita est salus Israëlis, sed quem linguæ spiritu præsignificantes seruatorem prædixerunt in vltimis diebus Israëli surrecturum, is adest. Eum cùm nos inuenissemus Iesum ex Nazareth, & eius admirabilibus, & quæ naturam superant miraculis non possemus non credere, omnes alios multum iubentes valere cum eo degere constituimus. His cum summopere cepisset Nathanaëlem, & si rem ægreferentem, & non ex Nazareth esse boni aliquid contendentem, à tuendis quidem rebus Israëlis eum abducit: Christo autem abducit obedientem. Cumque eum primum adiunxisset, liberius exclamauit: Rabbi, dicens, tu es Rex Israëlis. Quo quidem ipse quoque Christus delectatus, vt quod profectum esset à mente intus rectè affecta, id aperit quod erat ei conueniens, futurum eum mystam maiorum mysteriorum, & regni Dei spectatorem. Quid enim dicit? Amen dico vobis, cœlum apertum videbitis, & Angelos Dei ascendentes & descendentes super filium hominis. Ab illo ergo tempore sacratissimus Philippus aures præbens sacris mysteriorum institutionibus, tota mente in illis versabatur, nulla eum cura attrahente ad alia, & luce diuinioris cognitionis expurgabat cogitationem, priorem depellens ignorationem, & internum hominem renouans. Cùm itaque ad virilem ætatem peruenisset, in Christum quidem perfectiorem assumpsit charitatem, vt reputaretur perinde atque filius, & locum obtineret hæredis, & aduentu spiritus constitueretur princeps super omnem terram. Cùm autem aduenisset

1 Vides Apostolũ Philippum eruditum in omni laudabili disciplina? Cur ergo noui hæretici earum studium à Christianis scholis eliminare satagunt?

nisset tempus salutaris passionis, per quam patibili genere superior extitit impatibilitas, is inseparabiliter versabatur cum magistro. Oportebat verò illo tempore aliquos ex ijs qui tenebant falsam gentium religionem, proficisci Hierosolyma ad festum contemplandum. Ij ijs quæ de Iesu præter opinionem annuntiata fuerant obstupefacti (Nam ipsis quoque magna de eo nunciabantur & quæ fidem superabant, quòd Lazarum quidem suscitasset à mortuis: & vniuersus populus eum laudibus & bonis verbis esset prosecutus: & alia innumerabilia fecisset miracula) eum conueniendi magno capti sunt desiderio. A quo superati veniunt ad meũ Iesum, & cùm accessissent ad Philippum, annunciant cur venerant. Ille autem cùm Andreæ qui fuerat primus vocatus de eis communicasset, Iesu simul cum ipso eorum aduentum annunciat. Iesus verò de sua passione & gloria ei significat, dicens: Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet, mortuum autem adfert multum fructum. Atque hæc quidem Christus illis disseruit. Quando autem post passionem & resurrectionem se sæpe ostendit discipulis, & illos fecit eorum spectatores, quæ erant maiora quàm vt caderent in cogitationem, hic ipse quoque magnus Philippus, vt qui esset condiscipulus & socius arcanorum, aderat ijs quæ fiebant, & erat vnus ex eorum numero. Cùm verò Dominus & seruator noster Iesus Christus vniuersam quæ fiebat per carnem pro nobis peregisset dispensationem, & terrena vnijsset cœlestibus admirabiliter & præter opinionem, & cum gloria fuisset assumptus in cœlos: & ad maiestatis Patris consedisset dexteram, & spiritum paracletum ijs qui ipsi eum viderant suis mystis misisset, vt erat pollicitus, in specie ignearum linguarum, eo quoque repletus Philippus se parabat ad cursum Euangelij. Cùm autem ex ijs alij quidem partes Orientales, alij autem Occidentales, eas sortiti obirent, Borealesque & Australes peruaderent regiones, implentes præceptum quod eis datum fuerat, admirabili quoque huic Apostolo sorte obtigit Asia. Quam quidem in orbem obiens, & in omnibus quidem versans ciuitatibus & regionibus, innumerabilem multitudinem fecit veræ pietati consentire. Quos cùm etiam obsignasset luce regenerationis, obtulit patri cœlesti. Quinetiam eos quoque qui affectionibus aliquibus & morbis opprimebantur, & eos quoque quos inhabitans dæmonium malè afficiebat, verbo solo & impositione sacræ manus curabat: mente quidem & intelligentia eos qui insultabant & aduersabantur fundens ac fugans: sensibiliter autem eos qui ab illis fuerant decepti conseruans, quos & prædicationis sublimi oratione, & quæ opinionem superabant insignibus miraculorum effectionibus, tanquam retibus quibusdam capiens, paulatim deduxit ad agnitionem veritatis. Cùm autem Sacerdotes & altaria vbique in illis locis statuisset & construxisset, pro sacrificijs illis quæ fiebant in dæmonum altaribus, sacrosanctè fecit in eis peragi 2 sacram mysterij celebrationem, adeo vt in eis seruaretur ritus Euangelij. Atque sic quidem magna multitudo eorũ qui per ipsum crediderunt, ad Christum fuit adducta. Cùm autem oporteret eum quoque hinc excedere, & ad Dominum migrare, tale quid ei accidit circa finem huius vitæ. Est ciuitas in Phrygia insignis, quæ vocatur Hierapolis. Ea cùm aliarum omnium populo esset frequentissima, & appellata esset mater aliarum ciuitatum, sanctissimum accipit Philippum post innumerabiles pro Christo susceptos labores. Cùm ergo accessisset magnus hic Apostolus, vt in ea quoque prædicaret Euangelium, vidisset autem eam simulachris, & venenatis quibusdam serpentibus, vtpote prodigiosæ cuidam viperæ, proh dolor, cultum diuinum tribuere: zelo diuino eius animus accenditur, & intensius se dans precibus, Christi nomine inuocato, hanc perniciosam, & quæ multis fuit causa interitus, statim ostendit mortuã. Cùm autem aduersus tetram hanc beluam tam pulchrè ei cessisset Domini interpellatio, omnes deinde valde admonuit, & eis consuluit, vt eum qui est in cœlis viuum Deum existimarent: is enim est verè Deus, nec serpentibus in terra animalibus animum adhiberent. Qui cùm sit semper Deus perfectus, & qui nec possit comprehendi, postquam produxit hunc mundum, tam qui est aspectabilis, quàm qui non cadit sub aspectum, hominem formatum ad imaginem suæ maiestatis, & libero honoratum arbitrio, fecit esse participem bonorum quæ erant in paradyso, iubens ab hoc solo abstinere, quod erat lignum cognitionis. Cùm verò mandatum transgressum, & lapsum ab ea quæ cum ipso intercedebat coniunctione, Dei non esset despicere, cùm eum prius per legem, tanquam per pædagogum & per Prophetas erudisset, postremis temporibus ei placuit, vt verbum quod est eiusdem cum eo naturæ, à casta virgine nobis simile nasceretur. Ille autem cùm ad similitudinem hominum apparuisset, & cùm perpessionibus concertasset qui erat impatibilis, & tertio die resurrexisset à mortuis, sua benignitate & clementia se nobis manifestum reddidit, & in cœlos ascendit vnde descenderat. Eum autem rursus quoque venturum credimus, qui figmentum quidem suum suscitabit: reddet autem vnicuique factis suis conuenienter. Hæc verò vos quoque scietis diuina luce dignati regenerationis, & ab omni quidem execrando vitio vobis

2 Missam vocat hic sacram mysterij celebrationem. Vide ergo quàm antiqua sit eius institutio, cùm Apostolorum tempore perageretur.

vobis pura erit cogitatio:& ad satietatem, & iam finis nulla erit terminata satietas, gratiis eius replebimini:& eritis hæredes annorum promissorum. Hæc & his plura & priuatim & communiter verba faciens diuinus Apostolus, quos sciebat magis quàm alios verbum suscipere veritatis, eos adduxit ad lucem regenerationis:& in Pontificum & sacerdotum numerum retulit:& templa animata & sancta Christo excitauit. Sic directo procedentem veritatem videns eius inimicus, non ferendum esse ducebat, nisi eum labefactaret, & prohiberet ne pergeret vlterius. Hinc cùm eos qui eo tempore gerebant magistratus, subiisset, & eis tanquam ignem accendisset æmulationem, efficit vt Philippus quidem ab eis comprehenderetur, magnam manum in eis repentè commouens: ei autem infert quidquid est molestum & exitiosum. Nam qui eum quidem comprehenderant, acerbè deponunt in carcere: acerbius verò flagris cædunt & verberant. Deinde cum funibus eum à talis vinxissent, sublimè suspendunt præcipitem. Illud autem tacitè significabat directum eius mentis ascensum ad superiora, vt est consentaneum, etiam si non eum vsque ad vltimum reliquit Deus absque consolatione. Sed cùm illo tempore Bartholomæus quoque diuinus Apostolus simul cum eo versaretur Hierapoli, & simul prædicaret Euangelium, quomodo prædicationis, ita etiam perpessionis fit ei socius, & illo à talis suspenso, vt diximus, ipse cruce condemnatur. Porrò autem soror Mariamna, quæ non minus erat vna mente quàm natura: quæ erat virgo & corpore & animo, patienti quidem Philippo fratri aderat, perpessionem autem, quoad eius fieri poterat voluntate, & animi proposito simul attrahebat, & cum eo patiebatur. Interim verò dum hæc fierent, fit res quædam noua. Mouetur quidem repentè terra, & non solitam suscipit agitationem. Metus autem inuasit illorum animos qui ex iis quæ videbantur capiebant voluptatem. Circumagitur autem vniuersus ille locus, & in profundum quod minimè apparebat demittitur. Simul autem cum solo populus quoque attrahebatur: & in maximum veniebat periculum ne periret miserabiliter. Erant ergo omnes hoc malo perplexi, & incerti quid agerent, aut consilij caperent. Cùm autem vix tandem sensissent se luere pœnas Philippo illati supplicij & contumeliæ, eum circunsistentes inuocabant seruatorem, & petebant vt eis dexteram porrigeret ad salutem: neque proderet animas, quæ propter eum solum tantis agitabantur fluctibus. Dicitur autem cùm ij sic instarent precibus, & ad misericordiam mouendam multa dicerent, & non cessarent, Iesus eis desuper aures benignas inclinasse, & eius quod fiebat misertus, eis repentè apparuisse, & cùm apparuisset, mala illa illicò cessasse: & solum quod tunc mouebatur, stabile & firmum extitisse: & iis qui miserabiliter veniebant in mortis periculum, visam esse diuinam virtutem quę locum scalarum obtinebat, & ascensum præbebat facilem. Hoc fuit via fidei ad salutem infidelibus, & simul quidem magnum esse Philippum, maiorem autem illum quoque quem ipse annunciabat Dominum prædicarunt. Exhinc autem qui seruati quidem fuerant, vt discipuli liberarentur à vinculis magno studio contendebant: festinabant autem vt è ligno citò demitterentur. Et soluunt quidem Bartholomæum: Philippus autem eorum repressit conatum. Iam enim ad eum quem desiderabat erat mox migraturus. Vnde etiam in ligno sublime pendens, cum iis qui erant in ciuitate, de iis quæ erant ei futura vtilia toto die disserebat, & fiducia ad Dominum confirmans eorum animos, & pro eis supplicans, sacrosanctè cum sacris excessit eloquiis, & migrauit ad eum quem dilexit Dominum, cùm in manu eius suam deposuisset animam. Pretiosum 3 autem eius corpus à Bartholomæo & Mariamna sanctè eleuatum, & quæ in sepulchra de more fiunt præclarè assecutum, cum sacris hymnis & honoribus in loco insigni & sacro est depositum, quartodecimo Nouemb. Bartholomæus autem & Mariamna cùm breui tempore in eo loco mansissent, & pretiosis his reliquiis hymnos & honores tribuissent, & rursus præclarius & firmius eos qui aderant in fide confirmassent, in suam patriam redierunt prædicantes Christi Euangelium. Quoniam eum decet omnis gloria, honor & adoratio, cum patre principij experte, & sanctissimo eius spiritu, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

3 Ecce insignes exequias Apostoli cum hymnis & honoribus: & cũ depositione preciosi eius corporis in insigni loco.

VITA SANCTI BARTHOLOMAEI APOstoli, per Diuum Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Bartholomæus Apostolus, nomen ex Syra lingua suscepit. Interpretatur filius suspendentis aquas. Lychaoniam in sortem prædicationis accepit, atque Euangelium iuxta Matthæum apud Indos in eorum linguam conuertit. Ad vltimum in Albano maioris Armeniæ vrbe, viuens à Barbaris decoriatus est: Sicque terræ conditus. Cuius natalitium octauo Calendas Septembris creditur.

Habetur in libr. eiusdẽ de patribus noui testamenti.

IOSEPHI HVMILIS ET MINIMI LAVDAtio, in Sanctum Apostolum Bartholomæum.

Apud Simeonem Metaphrasten.

1 Dies festus sancti Bartholomæi Apostoli.

HVius concionis autor, & diei 1 festi iucunditatem spiritualem nobis adferentis hilaritas est beatus Apostolus Bartholomæus: qui cùm diuinus sit Apostolus, & luminis splendore, purisque sancti spiritus fulgoribus tantum illustretur, quantum verbis explicari non potest: nobis etiam lumen suggerit, qui sacram & gloriosam eius memoriam celebramus. Age igitur diuinis vocibus illum collaudantes quàm maximè possumus, diuina ipsius narratione delectemur: & laudationibus honoremus virum quouis honore superiorem. Laudemus Apostolum à Deo ipso laudatum. Beatum prædicemus eum qui semper beatus est. Eius gloriam celebremus, quem extulit diuina gloria. Videamus quisnam antè fuerit, & qualis postea euaserit: quemadmodum qui prius idiota erat, & pauperem vitam agebat, omni ex parte sapiens effectus, & omnium bonorum diuitiis ornatus fuerit: quemadmodum è terrestri cœlestis euaserit: è minimo maximus: & ex pisciũ piscatore hominum piscator factus sit. Itaque cùm Deus ipse homo factus propter misericordiæ suæ viscera nostrum corpus gestaret, & Discipulorum delectum haberet: is, inquam, qui prænouit omnia priusquam generentur: celeberrimum Apostolum Bartholomæum delegit, amicumque sibi verum & fidelem cooptauit. O diuinæ vocationis præstantiam. O magnam & singularem fœlicitatem. O qualem hic inuenit magistrum, qui maximis mysteriis eum initiauit, & sapientem effecit. O beatam illam animam, dignam habitam quæ cum Deo versaretur: cum Deo, & omnipotente Domino cibum sumeret: & sacra doctrina orationem & facultatem omnem superante instrueretur. Postea verò quàm magistrum suum in cruce suffixum, eundemque sepultum, & post resurrectionem ad cœlos ascendentem vidit: & sanctissimi spiritus dono æquè ac reliqui Apostoli donatus est: tanquam generosus aliquis miles validissimis armis vndique munitus aduersus hostile bellum prosiliit, & ipsos quidem hostes validissimè percussit: his verò qui ad vitam ipsam venire studebant, salutem conciliauit. Tetendit orationis suæ retia, & gentes ipsas è profundo ereptas, illas quidem captiuas, sed ad vitam tamen ductas conseruauit: euertit idolorum templa, & Dei Ecclesias erexit: humana corda in sterilitatem conuersa, cœlestis doctrinæ aratro renouauit: eaque ita excoluit, vt tanquam feraces campi fructum ferre possent. Accendit miraculorum facem: & effectuum humanorum caliginem profugauit: in quascunque partes permeabat, velut stella quædam iustitiæ solem prædicans, illustremque fulgorem emittens, fallaciæ tenebras destruebat: & oratione quidem dæmones ipsos fugabat: precibus autem morbos insanabiles curabat, leprosos mundos faciens, cæcis visum restituens, claudos ad currendum expeditos reddens: corda denique & animos imbecilliores confirmans. Erat vnà cum Bartholomæo & beatus ille Apostolus Philippus: quo cum multo tempore diuinum Euangelium prædicauit. Hi cùm in vrbem Hierapolim venissent, cui prius nomen erat Ophioryme, multas ærumnas, & cruciatus non mediocres sustinuerunt, cùm eius ciuitatis homines violenti essent, & valde inhumani, quippe qui viperam colere consueuerant, venenum pestiferum & lætale, tanquam fructum aliquem, percipientes: illi cùm diuinos Apostolos vidissent, dicebant nouum quendam Deum ab illis nuntiari, & à vetere cultu ipsos auerti, atque à paternis traditionibus abalienari. Quamobrem cùm manus in eos iniecissent, admirandæ sanctitatis virum Apostolum Philippum cruce condemnauerunt. Diuinus autem Bartholomæus, instar alicuius bouis aratoris, à suo compare separatus ingemiscebat, ac lamentabatur quidem: sed non desinebat tamen suauem illum sulcum ducere, qui animarum agricolæ Deo vberes fructus illaturus esset, quinimò ita vt consueuerat, huc atque illuc obibat, fidei sermonem disseminans, prauam zizaniam euellens, & quicquid salutare iis esset, qui eum suscipiebant, diligenter declarans. O beatos illos pedes Euangelicis gressibus speciosos factos, & ad infinitarum animarum adeptionem recta via progredientes. O linguam illam diuinam, ex qua salutaris potus effluxit: qui ab impietatis æstu multos liberauit. O manus, quæ violentos hostes expugnarunt, & animas ipsas è diaboli manibus eripuerunt. O diuinos & illustres oculos, per quos multorum oculi patefacti sunt, qui erant perfidiæ tenebris obscurati. Cùm igitur regiones illas ita peragraret, venit ad vrbem quandam, cuius ciues cùm idolorũ superstitione liberasset, ab eius loci præside crucis * supplicio & ipse condemnatus est. Ad quam dum beatus ille accederet, totus gaudio perfusus: Salue, inquit, Crux, per quã humanum genus gaudio affectum est. Salue eius Crucis imitatio, per quam mors mortem dissoluit: & mortales ipsos immortalitate donauit. Salue Crux, in quam cùm Christus ascendit, terrenos homines cœlestes effecit. Salue Crux, quæ mihi hinc migranti vehiculum effecta es, quo ad cœlos perduci

** Non te turbet, quod Bartholomæũ Apostolum cruce martyrium consummasse hic autor scribat, cum cõmuniter asseratur viuus fuisse excoriatus, deinde capite plexus. Potuit enim, postquã actus fuit in crucem, & excoriari & demum capite plecti. Quis enim nesciat, quot, & quanta barbari et infideles sanctis Dei semper parauerint supplicia?*

perduci possim: quæ denique mei præceptoris imitatorem me fecisti. Ad te ascendo, neq; moram duco: iam enim tempus meum completum est. Bonum certamen certaui, cursum consummaui: fidem seruaui: opus quod mihi Christus magister meus tradidit, perfeci. Hæc cùm dixisset, & Deum precatus esset: rogauit carnifices illos, vt verso in terram capite in cruce suffigeretur: nec rectus, quemadmodū eius magister, in crucem ageretur: ita & in ipsis cruciatibus suam in magistrum reuerentiam conseruabat. Quinetiam in cruce suffixus, cum fratribus loqui non destitit: quoad sanctissimam illam animam Deo tradidit. Cuius ascensum Angeli applausu exceperunt: aër purgatus est: & diuinorum Apostolorum chorus exultauit.

Cùm verò multum temporis præteriisset, eius regionis tyranni vitæ prauitatem exercentes, & multorum Deorum ebrietate debacchantes, cùm viderēt loculos illos, in quibus beati Apostoli Bartholomæi reliquiæ conditæ erant, splendida quædam, & illustria miracula edere, & eos à morbis liberare qui eò accedebant, prauum consilium, & suo proposito dignum inierunt. Venite, inquiunt, in profundū mare corpus hoc demergamus. Sed, ô miseri, eiusne corpus in mare demergetis, qui profundum illum draconem in altum demersit: qui salutaris aquæ fontem aperuit: & abundè cœlestia dogmata hominibus impertiuit? Venite, inquiunt, mari obruamus. Eúmne vos obruetis, qui veritatem antea obrutam detexit, & infidelitatis salsedinem exterminauit? Venite, inquiunt, & temerarium furorem effundentes in maritimas vndas hoc corpus proijciamus, ne ex eo, tanquam à rationali aliquo flumine, salus ad eos defluat, qui morborum angustiis comprimuntur. Hæc cùm dixissent, quod cogitarant aggressi sunt, & vnà cum quatuor aliorum martyrum loculis beati Bartholomæi reliquias in mare deiecerunt. Martyres autem illi gloriosi Apostolum Bartholomæum valde inclytum, duo à dextera, & duo à sinistra parte medium habentes, Pontum ipsum sine fluctuatione aliqua 2 transmittebant. Cumque ad Bosphorum Thracium in Propontidem venissent, Hellesponti angustias transierunt: deinde trāsmisso Ægeo & Ionio mari, ad Siciliam appulerunt, & Syracusas ad sinistram derelinquentes, atque Occidentem versus tendentes, ad Insulam Liparim peruenerunt. Itaque celeberrimus ille Apostolus ad eam insulam deductus est. Diuini autem illi martyres cùm id compleuissent, quod Deus voluerat, quàm celerrimè redierunt in eam viam, in quam vnumquemque diuina prouidentia direxit. Statim autem is qui Ecclesiam Liparis insulæ gubernabat, per diuinam reuelationem didicit, Christi Apostolum ad maris littus appulisse. Erat eius Ecclesiæ gubernator Agato ille, cuius gloria longè latéque apud omnes celebrabatur. Cùm ille igitur properasset, & loculos ad continentem appulsos vidisset, stupore & gaudio repletus, summa voce: Bene, inquit, quod huc venisti vt portus salutaris, ad eos qui pelagi fluctibus periculosis agitamus. Bene quòd venisti: diuinum spiritus paracleti flumen, ex quo veritatis aquæ scaturiunt, & pietas multa redundat: In mari viæ tuæ, & semitæ tuæ in aquis multis: & vestigia tua non cognoscentur. Veni & animas nostras irriga: affectuum nostrorum feruorem reprime: cordium ianuas patefactas gratiarum tuarum muneribus repleas. Hoc à te Liparis insula 3 supplex petit: quam habitare feliciter voluisti. Hæc, inquam, insula his verbis te alloquitur. Tu, qui multo lumine illustris es, & illius diuini Orientis verè amicus: quomodo factum est, vt talis, tantusque apud meæ paupertatis Occidentem diuersatus sis, ab Orientis partibus commotus, & per maritimos sinus nobis ostensus? Diues facta sum, quæ antea paupertate laborabam: thesaurum magnū hodie sum consecuta: neque vlla in re 4 Roma illa ipsa vrbe decantata, beatos Apostolos Petrum & Paulum habitatores tenente, inferior ego sum: Bartholomæum enim habitatorem possideo. Omnes insulæ mihi gratulemini: omnes vrbes quæ vbique estis, mecum vnà exultate. In vobis multorum sanctorum corpora posita sunt: mihi satis est vnus pro omnibus. Sed ô beatissime, & diuinis Angelis par factus Apostole: Quis tua præclara facta pro dignitate laudaret? Quis pericula pro Christo à te suscepta enumerare posset? Quæ cùm quotidie subires, à tristibus periculis mortales liberasti: Tu verè sal istud es, quod corda illa quæ euanuerant, atque insipida euaserant, condiuisti: & inscitiæ salsedine purgata, putredinem ex multorum deorum superstitione contractam expurgasti. Tu es rationale illud flumen ex diuina sede profectum, iuncorum plenum torrentem abluens: Ecclesiæ verò sulcos replens: prauitatis riuos exsiccans: ipsius denique terræ faciem irrigans. Tu es sagena illa solidissima, quæ rationales pisces in erroris profundo natantes comprehendisti, eosque supernæ illi mensæ oblonium obtulisti: Tu es aureum illud candelabrum, in quo paracleti Spiritus ignis, tanquam fax quædam adueniens multiplicis vitiis zizania combussit, & diuinæ cognitionis splendorem emisit. Tu es diuini solis lucidus radius, qui à summo cœlo vsque ad extremum percurrens, & erroris tenebras imminuens: & iis qui sedebant in vmbra mortis, hoc est, in malis lætalibus, effulgens per lauachrum regenerationis, Dei filios mortales homines effecisti. Tu es pretiosus ille lapis, ab angulari lapide illo missus, in quo

2 Si tantā gessit curā diuina prouidentia, vt Apostoli reliquiæ seruarētur illæsæ, & tot maria trāsmitterēt, quanta illæ nobis reuerentia, & veneratione esse debent?

3 Ecce quomodo sanctum Apostolum inuocat.

4 Nota, vrbem Romam sanctos Apost. Petrum et Paulum habitatores tenere.

Ecclesiam Christus ipse ædificauit, quæ nullo vnquam tempore quassari aut concuti poterit. Tu es purissimum illud aurum, & cœlestis Dei pretiosissimum munus, lucis columna, Ecclesiæ fundamentum, Spiritus sancti diuersorium, magniloquentiæ præco, aquila in altum volans, suaue canens luscinia, cœlestis cicada, Angelus denique in humano corpore versans, aurea columna, stella lucidissima, florens paradysus, Spiritus sancti myrothecium, ægrotantium medicus, diuinæ gratiæ tuba, vitis fœcũdissima, olea fructifera, fluctuãtium portus, peccantium patronus, defessorum recreatio, oppressorum refugium, miraculorum fons, dæmonum profugatio, Apostolorum gloria, Angelorum ciuis, qui Prophetis sublimior, & martyrum consors fuisti, eius denique gloriæ quæ reuelanda est particeps, sempiternorum bonorum hæres, mundi lumen, omnium (vt summatim dicam) bonorum thesaurus. Itaque salue Bartholomæe, illius magni tonitrui fulgur, quod in rota mũdi huius apparuisti, & idolorum insaniam ac noctem extinxisti. Salue Bartholomæe, ille spiritus sancti calamus celeriter scribens, qui legem in tabulis cordis pulcherrimè descripsisti: legem, inquam, illam non veterem, sed valde nouam. Salue Bartholomæe, potentis verbi sagitta acutissima, quæ hostium corda vulnerasti: dæmonum per aërem vagantium turmas percussisti: & mortalium animas vitio vulneratas sanas effecisti. Salue Bartholomæe, qui idolorum templa solo adæquasti: & homines ipsos viuentis Dei templa reddidisti. Salue spiritus sancti gladius, qui alienigenarum turmas sermonis acie, & omnes mentes ad Christi obedientiam captiuas duxisti. Salue concinna sancti spiritus paracleti cithara, rationalis tibia, Christi instrumentum, quod cœlestia dogmata nobis cecinisti, & prauæ impietatis modulationes confudisti. Salue cœlum perpulchrum, diuinis splendoribus illustre, in quo ille sol iustitiæ requiescit, & orationis dux, quo tu innixus fallaciam omnem euertisti. Te quidem laudationibus extollere vellem, sed rerum multitudine confundor, & dictionis infirmitate opprimor: nam vel hi qui oratoria facultate maximè præstãt, inferiores sunt, quàm vt te laudare possint: neq; quisquam est, qui pro dignitate laudes tuas narrare valeat. Tuis igitur 5 precibus Deum ipsum nobis propitium facias: & peccatorum perturbationem, qua vexamur, sedare velis: quique tuum diem festum recolimus, nobis omnibus delictorum veniam, & cœlestis gaudij participationem tuis orationibus impetres, in Christo Iesu Domino nostro: Cui gloria cum patre, & spiritu sancto, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

5 Orat sanctũ Apostolũ, vt pro supplicantibus intercedat, & diẽ eius festum celebrantibus omnium delictorum remißionem impetret.

Habetur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrum edito. cap. 33.

MIRACVLVM DE CORPORE D. BARTHOLOMÆI Apostoli, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scriptum.

Bartholomæum Apostolum apud Indiam passum agonis ipsius narrat historia. Post multorum verò annorum spatia à passione eius, cùm iterum Christiana persecutio aduenisset, & viderent gentiles omnem populum ad eius 1 sepulchrum concurrere, eiq; deprecationis assiduæ incensa deferre, inuidia illecti abstulerunt corpus eius, & ponentes in sarcophagum plumbeum proiecerunt illud in mare, dicentes: Quia non seduces amplius populum nostrum, sed 2 prouidentia Dei cooperante per secretum operis eius, sarcophagum plumbeum à loco illo aquis subuehẽtibus subleuatum, delatum est ad insulam vocabulo Liparis. Reuelatumq; est Christianis, vt eũ colligerent, collectumque est ac sepultum, 3 super quo etiam ædificauerunt templum magnum, in quo nunc inuocatus prodesse populis, multis virtutibus ac beneficiis manifestatur.

1 Vides quomodo etiam antiquitus populi ad sanctorũ sepulchra concurrebãt, sicut et modo fit, & deprecationes assiduas illis deferebant?

2 Si in sanctorum corporibus nil aliud esset nisi cinis emortuus, vilis fauilla, ossaque consumpta, neque in eis radiaret diuina virtus & gratia spiritus sancti, nõ ed'disset Deus tantũ miraculum circa corpus Apostoli.

3 Habes hic magni templi cõstructionẽ, habes quod Apostolus in eo inuocatus multas virtutes ac beneficia confert.

[a] VITA MATTHAEI APOSTOLI ET EVANGELIStæ, per Diuum Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Matthæus, qui interpretatur donatus, Apostolus & Euangelista, qui etiam ex tribu sua Leui sumpsit cognomen, ex Publicano à Christo electus est, & in Apostolatum translatus. Primùm quidem in Iudæa euangelizat, postmodum in Macedonia prædicans, requiescit in vno ex montibus Parthorum.

[a] Habetur in lib. eiusdem de patribus noui testamenti.

[b] VITA BEATI MATTHAEI APOSTOLI ET Euangelistæ, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

In Æthiopia natale beati Matthæi Apostoli & Euangelistæ, qui primùm in Iudæa Euangelium Christi Hebræo sermone conscripsit: pòst verò apud Æthiopiam prædicans martyrium passus est. Euangelium Hebræo stylo scriptum, ipso reuelante, tempore Zenonis Imperatoris inuentum est. Idem autem Matthæus in Euangelio, Leui appellatur.

[b] Posita est in ei[9] martyrolog sub xj. Calẽ. Octob.

COM-

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM Matthæi Apostoli & Euangelistæ.

XVI. Nouembris.

Apud Simeonem Metaphrasten.

IAM quidem nos quod ab eo qui nos finxerat datum fuerat præceptum seruantes, fruebamur beata illa in paradyso habitatione & conuersatione, quodlibet eorum quæ ad corpus pertinent despicientes, & in solis rebus diuinis mente occupati, & eas assiduè visione apprehendentes. Iam autem qui à priori quoque cum Deo familiaritate exciderat diabolus, simul quidem sciens & à quanta exciderat gloria, & humano generi inuidens, & ideo moliés eum secum attrahere in barathrum, ad obliuionem præcepti deduxit hominem: & qui primus fuerat formatus, miserè, proh dolor, priuatus est paradyso. Non erat auté eius qui nos creauerat, despicere ad tantum deductos interitum, & prima amissa dignitate dimittere vitam tam turpiter agere, sed ipsum verbum quod est cum patre principio carens & coæternum, cum se è sinu paterno exinaniisset, ad matrem virginem descendit propter me, & carnem gestat, & præter solum peccatum omnia humana suscipit. Vt peccatum quidem de medio tolleret, iis autem qui sunt in terra nouum quendam in cœlos ascensum ostenderet. Cùm autem ad hoc ministros habere oporteret, per quæ dispensationem aperiret & ministeria, & ad viam salutis homines deduceret, accersitur quidem Andreas & Petrus, post eos autem Iacobus & Ioannes, deinde Matthæus, de quo in præsentia dicere cõstituimus. Hic ergo Christi postea discipulus, erat prius publicanus, pecuniæque exactor & ratiocinator, vt qui in omni scientia & arte esset versatus: ingeniique acumine & rerum experientia primum obtineret locum inter publicanos. Cùm autem propter mundi salutem in terra versaretur Dominus, videte quàm repentina fuerit eius mutatio, quàm admirabilis, & planè præter opinionem. Nam transiens quidem Dominus inspexit profundum eius cordis sedentis ad teloneum: & cum insidere ei zelum virtutis, vt qui esset occultorum cognitor & cordium examinator, pulchrè cognouisset, & qualis ex quali futurus esset præsciuisset, eum quidem vocat iubens sequi. Transiens enim, inquit, Iesus, vidit Leui Matthæum sedentem ad teloneum, & dicit ei, sequere me. Ille autem non pecuniæ multitudinem, non turbam eorum qui circumsistebant, non hanc humi serpentem & fluentem gloriam, non quæcunque solent mentem in seruitutem & in suam potestatem redigere, quidquam apud se reputans, statim surgens neque verbis prolixis opus habuit, neque longo tempore, neque miraculorum inspectione, neque perfectiore & diuturniore sermone, sed solùm cùm primum ei optandam illam & iucundam vocem audiuit: Sequere me: statim quidem relinquit teloneum: relinquit autem socios, simul verò relinquit splendorem omnem & magnificentiam: & quouis argento & auro longè preciosiorem emit ipse margaritam. Sic Leui moribus mirabiliter mutatis, appellationem quoque mutauit in Matthæum, adeo vt etiam postea in domo accumbenti Iesu simul etiam cum eo accumberet Matthæus. Propter quod dubitant Pharisæi, & interrogant discipulos: Cur magister vester comedit cum publicanis? Ille autem cùm id audisset, dixit: Non opus habent qui rectè valent medico: sed qui se malè habent. Et euntes discite quid sit, misericordiam volo, & non sacrificium. Quid hoc significans: Quod non venit omnino vocatum iustos, sed peccatores ad pœnitentiam: Hinc crucifigitur quidem Matthæus vniuerso mundo, crucifigitur autem etiam vniuersis mundanis cupiditatibus, soli Deo viuens, & eius sequens vestigia: & omnium eius signorum & miraculorum inspector & particeps, vt qui toto tempore dispensationis cum eo sit versatus, & relatus in numerum summorum discipulorum, & simul procedentem tempore habens virtutem. Cùm autem aduenisset tempus salutaris passionis, & post crucem sepulturæ traditum fuisset corpus Domini: & nunc quidem discipulis apparet post resurrectionem: nunc autem eis diu non apparet amplius. Postremò assumptus est in cœlos: & illinc emittit paracletum in specie ignearum linguarum, vt eius inspiratione gratiam annuncient Gentibus: & alius ex Discipulis aliò est profectus in vniuersam gentem orbis terræ, prout sorte vnicuique obtigerat. Postquam ergo hæc sic facta sunt, & regiones acceperunt Discipuli, tunc etiam admirabilis hic Matthæus, & magnus Apostolus, non ipse solus cùm boni fuisset particeps, aliis cælauit participationem, sed etiam bonum aliis communicat: & cùm se totum veluti collegisset & coegisset, describit id quod est secundùm ipsum Euangelium, & literis mandat veram pietatem: vt quæ alij lingua docebant, ea scriptis traderet, ab alto etiam ab Abraham incipiens genealogiam, & sic deinceps progrediens, primum quidem annunciat Christi quæ est secundùm carnem generationem, ostensionem, deinde baptismum, Apostolorum electionem, tentationes, & ipsam sui exhortationem, & mysteriorum sacras institutiones, &

quæ Christus per parabolas, & quæ liberè Discipulis cum turbis est locutus, quæ naturam superant miraculorum effectiones, ægrotorum curationes, à dæmonibus qui vexabant liberationes, panum benedictionem, in mari ambulationem, & factam in monte Thabor trásformationem. Deinde etiam secundum eius aduentum pulchrè descripsit oratione: & quæ in eius proditione contigerunt disseruit, simulatum Pilati iudicium, & eius qui ad iustè iudicandum venit, condemnationem. Deinde sepulturam, resurrectionem, in Galilæa Apostolis eius apparitionem, quo tempore dixit omnem potestatem sibi esse datam in cœlo & in terra: & vniuersam, vt paucis absoluam, exposuit œconomiam. Sic apud Thebanos, qui imperio Persarum nondum accesserant, annunciauit salutem, & Palestinæ obiens regiones, & congrediens cum multitudine variarum linguarum, cum fame & siti & cum multis decertans afflictionibus & periculis, partim quidem illatis ab iis qui præerant impietate, partim autem à grauissimis populorum rectoribus, Seruatorem Christum audaci voce & mente prædicauit, eos qui errore capti erant ad Dei deduxit cognitionem, ab errore abduxit, veritati adiunxit, impietatem de medio sustulit: & ad verum & solum Deum omnes adduxit. Nolens autem eò vsque suam sistere doctrinam, ad ei sorte attributam Syriæ Hierapolim, sitam prope partem Euphratis, accedit: & postquam eos qui in ipsa erant ad veritatis reduxisset agnitionem, & fidei literarium ludum illic constituisset: & reti fidei cepisset omnes in quos inciderat: & miraculorum magnam fecisset multitudinem: & eos qui crediderant per aquam & spiritum ad Christum adduxisset, ibi sanctam ædificauit Ecclesiam.

Cùm autem Sacerdotes & Presbyteros ordinasset, & Diaconos in eum gradum cooptasset, & singulis diebus versans in Ecclesia: Et partim quidem incitans ad veritatem, partim autem tradens sacramenta, eos qui vitiis aut morbis opprimebantur, aut dæmonum improbitate veniebant in periculum, sermone & contactu manuum statim liberauit ab iis quæ adferebant molestiam. Porrò autem cùm ei qui vocauerat reddidisset iustam vocatione sua operationem, & fuisset plenus dierum, spiritus ad pacis Dominum in pace resoluitur, & nobis quidem qui sumus in terra relinquit corpus gloria & hymnis ornatum: vicissim autem præclarè ornans & sanctificans eos qui glorificant. Quod quidem cùm multi ex iis qui salutem ab eo erant assecuti, sacris [1] laudibus ornassent, & honorificè inuoluissent, ei iusta fecerunt. Ipse autem purè & citra vllum intermedium apparet ante [2] faciem Domini, & eius quæ illic est gloriæ corona ornatur, & cum eo versatur & exultat. Quem decet omnis gloria, honor, & adoratio, maiestas, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

1 Vide Christianam sancti Apostoli sepulturam.
2 Aduerte animas sanctorum esse in cælo.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPVS Veronensis syncero Lectori.

APostoli & Euangelistæ Matthæi vitam oratio quæ sequitur, breui sermone pertractat. Quod autem quasi cursum ex tot præclaris rebus, quas in AEthiopia sanctus gesserit, vel modicas attingat, & cur ibi per martyrij palmam migrauerit ad Dominum, silentio pertranseat, id tibi lector optime, mirum non videatur. In tanta enim temporis vetustate, quæ ad beatos Apostolos pertinent, non ea æquè omnes cognouêre. Nam cùm & soli, & egentes & angustiati, & afflicti terrarum orbem circuirent, corā Regibus & Principibus nomen Christi portantes, & catholicam fidem promulgantes, paucos admodum inuenerunt, qui eorum gesta conscriberent, adeò vt non paruam diuina nos misericordia rem consecutos arbitremur, quòd pauca quædam de hoc sancto Euangelista, cæterisq́; beatissimis Apostolis tibi exhibere potuerimus.

COMMEMORATIO SANCTI APOSTOLI & Euangelistæ Matthæi.

Apud Simeonem Metaphrasten.

SI pręceptū illud, quod ab eo qui nos formauit, iniunctū nobis fuit, seruare voluissemus, beata illa paradysi habitatione, & vita frui nobis licuisset, omniaq; corporea cōmoda negligētes, solis diuinis rebus mentē occupatam haberemus, ac eas assiduis cogitationibus semper meditaremur. Cū verò ille qui à diuina familiaritate, simulatq; à gloria excidit, in qua prius erat, generi humano inuideret, ob idq; ad suā ruinā secū vnà omnibus machinis illud præcipitare

cipitare studeret, autor fuit homini, vt primi illius præcepti obliuisceretur. Itaque homo ipse qui omnium primus à Deo formatus est, miserabili quodam modo (proh dolor) paradyso priuatus fuit. Non tamen ipsius qui nos formauit benignitas patiebatur, vt ad tantam ruinam prolapsi despiceremur, neque vt prima illa dignitate amissa, tam ignobili statu condemnati relinqueremur. Ille igitur ipse, qui ab initio cum Patre semper fuit, qui coæternus est, ex paterno sinu descendens seipsum exinaniuit, & propter humani generis salutem matrem Virginem subijt, carnem gestauit, & humana omnia sustinuit, præter peccatum: humana enim omnia suscepit, vt peccatum mundi tolleret, & his qui sunt in terra nouum quendam ad cœlos aditum præpararet. Quoniam verò eius rei ministros habere oportuit, per quos diuinæ dispensationis, & mysteriorum disciplinam Deus patefaceret, atque homines ipsos ad salutis viam perduceret, ob eam causam vocati sunt Andreas, Petrus, Iacobus, Ioannes, & Matthæus, de quo nobis hoc loco dicendum est. Hic, inquam, Christi Discipulus olim fuerat publicanus, pecuniarum exactor, & ratiocinator, quippe qui omnes quæstus faciendi vias & artes nouerat, mentis acrimonia, multoque rerum vsu: ita præstans vt inter publicanos principem locum teneret. Postea verò quàm pro salute mundi Christus Dominus in terra versari cœpit (Videte, quæso, repentinam, celerem, admirabilem, & planè diuinam hominis conuersionem) cùm præteriret aliquando, & intimas cordis partes inspiceret hominis in telonio sedentis, cumque virtutis studium atque ardorem in eius animo latentem, vt rerum occultarum cognitor, & cordis perscrutator bene cognosceret, & qualisnam ex eo qui tunc erat, postea futurus esset, optimè prospiceret, illum vocauit, ac sequi se iussit. Sic enim de illo scriptum legimus: Cùm transiret Iesus, vidit Publicanum, nomine Leui, in telonio sedentem, eique dixit: Sequere me. Ille vero non pecuniarum copia, non eorum qui circunstabant, multitudine, non terrena & fragili huius mundi gloria detentus est: nihil denique illorum omnium curauit, quæ in terris humanam mentem seruituti subijcere, & ad se attrahere solent: sed ita vt erat, statim surrexit, & secutus est Dominum. Non longa oratione illi opus fuit, neque multo tempore, non miraculorum spectatione, non denique diligentiore aut diuturniore consuetudine, sed cùm primùm optabilem illam & iucundam vocem audiuit, Sequere me, statim telonium dereliquit, & exigendæ pecuniæ socios, omnemque honoris pristini cupiditatem abiecit, ac toto illo argento & auro, quod antea possidebat, pretiosam margaritam mercatus est. Ita qui Leui antea dicebatur, cùm mores pristinos admirabiliter mutauisset, appellatione quoque superiore mutata, Matthæus dictus est, qui deinceps cum ipso Iesu versabatur, ita vt cùm postea Christus ipse in eius domo recumberet, vnà cum illo & Matthæus discubuerit. Qua de re cùm Pharisæi dubitarent, & ab eius discipulis quærerent, curnam eorum Magister cum Publicanis cibum sumeret? Ille his auditis, respondit: Non opus habent medico qui bene valent, sed qui male se habent. Item ilud: Euntes discite, quid sit: Misericordiam volo, & non sacrificium. Qua re declarauit se venisse non vt iustos omnino, sed vt peccatores ad pœnitentiam inuitaret. Ex illo tempore Matthæus ita mundum dereliquit, vt & ipsi mundo, & omnibus mundanis cupiditatibus, cruce suscepta, renunciauerit, soli Deo viuens, & eius vestigia sequens, omniumque signorum, ac miraculorum ipsius spectator & particeps factus, quippe qui per totum dispensationis diuinæ tempus vnà cum Iesu versatus fuit, cum summis eius discipulis connumeratus, & cum temporis progressu faciens virtutis progressionem. Cùm verò tempus illud salutare aduenisset, quo Iesus Crucem passus est, & Domini corpus post crucem ipsam sepulturæ traditum fuit, & ille post resurrectionem aliquando discipulis suis apparuisset, sæpius verò illorum oculos latuisset, postremò in cœlum assumptus est, & Spiritum Paracletum illinc sub ignea linguarum specie ad Apostolos suos misit, vt per eius ipsius Spiritus afflatum gentibus gratiam nunciaret: Tunc discipuli aliò alij profecti sunt ad totius orbis terrarum gentes, prout vnusquisque ab illo Spiritu ducebatur. Cùm igitur hæc se ita haberent, & discipuli regiones alias alij aggressi fuissent: tunc admirabilis, & magnus Apostolus Matthæus tantarũ bonarum rerum solus particeps esse noluit, sed alijs etiam beneficium impartiuit. Itaque cùm se totum collegisset, Euangelium suum, & religionis ac pietatis doctrinam literarum monumẽtis consignauit, vt videlicet quæ alij ore ac lingua docuissent, ea ipse scriptis mandaret. Altius igitur inde vsque ab ipso Abraham Christi originem exorsus, atque ita deinceps progressus, primum Christi originem secundùm carnem nobis nunciauit: deinde quemadmodum baptizatus fuit, discipulos elegit, tentationes superauit, & ipse à Iesu vocatus est, quemadmodum etiam sacra diuinarum rerum mysteria edocuit, partim parabolis, partim apertè discipulis & turbis ea pronuncians. Scripsit idem miracula supra humanæ naturæ captum ab eodem IESV facta: item ægrotantium curationes, eorum qui à dæmonibus vexabantur liberationes, panes illos quibus ipse benedixit,

& multos pauit, quemadmodum per mare pedibus ambularet, & in monte Tabor in aliam quandam formam se transtulerit. Deinde alterum eius aduentum diligenti oratione conscripsit: quæque de mystica eius cœna, & de ipsius proditione facta erant, perstrinxit. Ad hæc falsum illud Pilati iudicium, & eius qui venit vt iustè alios iudicaret, iniquam condemnationem, sepulturam, resurrectionemque, & quemadmodum apud Galilæam apparuit Apostolis: quo tempore datam sibi dixit omnem potestatem in cœlo & in terra. Cùm igitur (vt summatim dicam) totam Christi dispensationem explicuisset, Parthos adijt, qui nondum Persarum imperio adiuncti erant, ipsisque salute nunciata, Palestinæ regionis fines peragrauit, vbi cum ingenti multitudine varijs linguis prædita congressus est, cum fame, siti, & crebris ærumnis, ac periculis luctatus, quorum alia superstitiosæ impietatis Præsides, alia acerbissimi populorum Tribuni crudelissimè adferebant. At ille nihilominus tamen Saluatorem Christum & mente & voce libera prædicabat, & eos qui errore decepti fuerant, ad diuinam cognitionem perducebat, ab erroris fallacia remotos, & ad veritatis cognitionem translatos. Impia igitur Gentium superstitione de medio sublata, omnes homines vero & soli Deo adiunxit, neque suæ prædicationis doctrinam illis tantùm finibus contineri voluit, sed ad Æthiopiam, quam sortitus fuerat, peruenit: cuius regionis homines cùm ad veritatis notitiam perduxisset, Christianæque fidei gymnasium illic constituisset, & quoscunque potuit, prædicationis suæ retibus inclusisset, multaque miracula, Christi ope adiutus, effecisset, & eos qui ad Dei fidem conuersi erant per aquam, & spiritum Christo adiunxisset, Ecclesiam sanctam ipsi ædificandam curauit, presbyterosque ac diaconos constituit, singulis diebus concionem habens, partim ad veritatem retinendam illos adhortans, partim mysteria tradens: eos verò qui languoribus & morbis, vel dæmonum malitia oppressi de vita periclitabantur, verbo & manus attactu ab omnibus molestijs statim liberabat. Postea verò quàm opus exegit sua vocatione dignum, & debitum opus compleuit, ad quod vocatus fuerat, per martyrium in Domino quieuit, & nobis qui versamur in terris, corpus reliquit gloria & hymnis ornatum, eosque qui memoriam eius celebrant, vicissim multo splendore ornans, ac sanctos efficiens: id quod multi ex eorum numero, qui per Apostolum ipsum salute digni facti sunt, sacris orationibus consuetam, & sanctam eius celebritatem honorificè admodum prosequuti, memoriæ prodiderunt. Ipse verò sine interuallo aliquo puro 1 aspectu Domini Iesu Christi faciem contemplatur, & eius immensæ gloriæ corona decoratur, atque cum eo simul versans exultat perpetuò. Cui conuenit omnis gloria, honor, adoratio, & magnificentia, & nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

1 Vides sanctorũ animas post migrationem ex hoc mundo in cælum tendere, & diuino aspectu frui?

VITA SANCTI SIMEONIS CLEOPHAE FILII, secundi Hierosolymorum Episcopi, per Eusebium Cæsariensem Episcopum scripta.

Ex lib. 3. Ecclesiasticæ historiæ cap.1.

POST Martyrium Iacobi, & continuò consequutum ciuitatis excidium, traditur Apostolos, cæterosque Domini discipulos, qui ad illud tempus reliqui erant, in vnum è locis omnibus conuenisse, simul cum his qui propinqui secundùm carnem Domini dicebantur (plurimi namque & ex his per illud tempus supererant) & habuisse in commune consilium, quem oporteret dignum successione Iacobi iudicari, omnesque vno consilio atque vno consensu Symeonem Cleophæ filium decreuisse, (cuius mentio in Euangelijs facta est) vt episcopatus sedem susciperet. Consobrinus is secundùm carnem Saluatoris fuisse dicebatur: quia Cleopham fratrem fuisse Ioseph, Egesippus contestatus est. Post Neronem autem Domitianumque sub Traiano per singulas ciuitates ex insolétia populi persecutionem in nostros accepimus motam. Quo in tempore etiam Simeon, de quo loquimur, secundus Hierosolymis ordinatus Episcopus, per martyrium carnis vinculis resolutus est. Horum adstipulator ipse ille est Egesippus, quem in pluribus iam produximus testem. Is ergo refert, quòd à quibusdam hæreticis accusatus sit supradictus vir tanquam Christianus, & multis supplicijs afflictus per multos dies, ita vt etiam Iudex ipse cum amicis suis de eius patientia miraretur, & ad vltimum iuberet simili eum quam Dominus pertulit passione vitam finire. Sed ipsa verba, quibus hæc protestatur, audire gratius puto. Agit ergo cùm de hæreticis diceret: Ex his igitur ipsis accusauerunt quidam Simeonem Cleophæ filium, tanquam qui esset ex genere Dauid, & Christianus. Et ita martyr effectus est, cùm esset annorum centum viginti, sub Traiano Cæsare apud Atticum consularem. Addidit autem etiam hoc, quòd accusatores eius, cùm in illis temporibus perquireretur, si qui ex genere Dauid,

Ex capite 13 li.3 eiusdem histor.

David, & ex regia tribu descenderent, comprehensi sint inter ipsos. Quòd autem Symeon vnus fuerit ex ipsis auditoribus Domini, vel longæuitas eius indicio est, vel Euangeliorum fides, vbi etiam mater eius Maria, Cleophæ vxor refertur. Sed & alios quosdam idem scriptor refert, præter eos, de quibus suprà diximus, nepotes Iudæ, vnius ex fratribus Domini, per idem tempus superstites inuentos, & Domitiani temporibus martyres factos, hoc modo scribens: Veniunt igitur hi, & præsunt omni Ecclesiæ tanquam martyres & propinqui Domini, & reddita pace Ecclesiæ, permanserunt vsque ad tempora Traiani Cæsaris, vsque quo consobrinus Domini Simeon, de quo suprà diximus, filius Cleophæ, calumniam pateretur ab hæreticis Christianus consulari delatus. Cumque multo tempore supplicijs fuisset affectus, martyrio consummatus est, omnibus qui aderant, & ipso iudice, mirantibus, vt centum & viginti annorum senex crucis supplicium pertulisset. Post hæc idem scriptor addidit etiam hoc, quòd vsque ad illa tempora virgo munda & immaculata permansit Ecclesia, corruptoribus veritatis, & diuini verbi temeratoribus, aut nusquam omnino extantibus, aut etiam, si qui fortè fuerant, in occultis & abditis & hiatibus terræ delitescentibus. Vt verò & Apostolorum chorus, & omnis illa ætas, quæ à Domino susceperat viuæ vocis auditum, de hac luce discessit, tum velut in vacuam domum, falsæ doctrinæ impius se error immersit, & tanquam vbi nullus iam diuini census defensor existeret, nudato (vt aiunt) capite corripientes arma mendacij, oppugnare Apostolicam veritatem nituntur: sed istud bellum intrinsecus gerebatur. Persecutionum verò extrinsecus pondus vrgebat Ecclesiam, & tam immensæ cateruæ martyrum quotidie iugulabantur, vt Plinius Secundus qui tunc Prouinciam administrabat, multitudine interemptorum permotus referret ad Imperatorem, quòd innumera hominum milia quotidie obtruncarentur, in quibus nihil omnino sceleris deprehenderetur admissum, aut aliquid contrarium Romanis legibus gestum, nisi hoc solum, quòd antelucanos [1] hymnos Christo cuidam canerent Deo. Adulteria verò, vel cætera huiuscemodi crimina apud eos illicita haberi, & penitus arceri: cætera verò secundùm leges eos agere communes. Ad quæ tunc Traianus rescripti sui autoritate decernit, vt Christiani quidem non requirantur: si qui tamen inciderint, puniantur. Per quod ex parte aliqua persecutionis sedatum putatur incendium.

1 Tu qui canuit Ecclesiastico & nocturnis vigilijs detrahis, vide quã bona hæc à principio Ecclesiæ primitiuæ fuerunt.

VITA SANCTI SIMONIS APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdẽ de patribus noui testamenti.

SImon Zelotes, qui interpretatur Zelus, qui prius dictus est Chananæus, zelo Domini feruens, par Petro in cognomento, & similis in honore, accepit principatum Ægypti, & post Iacobum iustum cathedram tenuit Pontificalem in Hierusalem. Hic post annos centum viginti meruit sub Traiano per crucem sustinere martyrij passionem. Iacet in Bosphoro. Hi fuerunt discipuli Christi, prædicatores fidei, & doctores Gentium. Qui dum omnes vnum sunt, singuli tamen eorum proprijs, certisque locis in mundo ad prædicandum sortes acceperunt. Petrus namque Romam accepit, Andreas Achaiam, Iacobus Hispaniam, Thomas Indiam, Ioannes Asiam, Matthæus Macedoniam, Philippus Galilæam, Bartholomæus Lycaoniam, Simon Zelotes Ægyptum, Mathias Iudæam, Iacobus frater Domini Hierusalem, Iudas, qui & Thadæus, Mesopotamiam atque Pontum. Paulo autem cum cæteris Apostolis nulla sors propria traditur: quia in omnibus gentibus & magister & prædicator eligitur. Nam sicut Petro & reliquis circuncisionis Apostolatus est datus, ita & Paulo præputij in gentibus. Hic autem septem Ecclesijs & tribus euangelizat discipulis.

VITA SANCTI IVDAE APOSTOLI PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdẽ de patribus noui testamenti.

IVDAS Iacobi frater, qui interpretatur confessor, in Mesopotamia, atque in interioribus Ponti euangelizans, feras & indomitas gentes, quasi beluarum naturas, sancto dogmate mitigat, & fidei Dominicæ subiugat: sepultus est in Ericho vrbe Armeniæ, quinto Calendas Nouembris.

VITA BEATORVM APOSTOLORVM SIMONIS & Thadæi, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius Martyrolog. sub 5 Calend. Nou.

DIE XXVIII. Octobris natale beatorum Apostolorum Simonis Chananæi, qui & Zelotes scribitur, & Thadæi, qui etiam Iudas Iacobi legitur, & alibi appellatur Lebeus, quod interpretatur Corculus, id est, cordis cultor. E quibus Thadæus apud Meso-

Mesopotamiam, Simon verò apud Ægyptum traditur prædicasse. Inde simul Persidem ingressi, cum fidei Christi innumeram gentis ipsius multitudinem subdidissent, & Ecclesiam Domini latè iam fundatam viderent, martyrium ibi, cursum temporis explentes, beato certamine consummauerunt, [1] honorificè sepulti à populis Christianis, quos Domino ipsi genuerant. Quod quidam putant Simonem Apostolum vnum de duodecim ipsum esse, qui sub Traiano crucem passus sit, omnino falsum est. Nam & Beda sanctus presbyter, qui hoc super Acta Apostolorum sentit, Isidorum sequutus, in libro retractationum se hoc non bene sensisse reprehendit. Sed & historia Ecclesiastica non de Apostolo, sed de alio Simone gesta narrat.

1 Honorificè sepulti à populis Christianis.

VITA SANCTI MATHIAE APOSTOLI, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

MAthias de septuaginta duobus discipulis vnus, pro Iuda Scariotis duodecimus inter Apostolos subrogatur, electus sorte, & solus sine cognomine. Cui data prædicatio Euangelij in Iudæa fuit.

VITAE SANCTORVM, IOANNIS BAPTISTAE DOMIni Præcursoris, Andreæ, & Thomæ Apostolorum, Lucæ Euangelistæ, Geruasij, Prothasij, Nazarij, Sisinnij, Martirij, & Alexandri: Nec non & Quadraginta militum martyrum, per D. Gaudentium Brixiensem Episcopum descriptæ.

Est sermo eiusdem in die dedicationis Basilicę consilij sanctorum habitus. Habeturquè in operibus eius nondum excussis.

DIuinis muneribus, & cœlestibus beneficijs condignas referre gratias pusillitas nostra non præualet, fratres charissimi. Nam vt [1] venerandas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit. Deinde vt hanc honori eorum [2] fundere basilicam valeremus, ipse largitus est, & hodie vt adepti summorum sacerdotum præsentiam, dedicationem celebrare mereamur, ipse concessit. Conuenerunt enim sancti Antistites & Apostolici viri, ad persoluendum beatissimis patribus ac prædecessoribus suis debitæ deuotionis obsequium, vt vbertate plenissima benedictionum spiritalium ditaremur, licet importunitas Barbarorum maximam partem [3] celebritatis diei hodiernæ subtraxerit, ne cæteri sancti Antistites, quos inter futuros credidimus, aduenirent. Iam qui sint isti, quorum beatis reliquijs illustramur, hinc incipiam numerare. Primo in loco Ioannes Baptista est, vltimus quidem, sed maximus prophetarum, nouissimus tempore, quia omnis lex & prophetæ vsque ad Ioannem, sed merito prior, sed dignitate præstantior, quia ita de illo Christus loquitur ad Iudæos: Quid existis in desertum videre? Prophetam? Dico vobis & plus quàm Prophetam. Hic est enim, de quo scriptum est: Ecce mitto Angelum meum ante faciem tuam, qui præparabit viam tuam. Vno testimonio Saluatoris beatissimus Ioannes Baptista & Angelus, & Apostolus, & Propheta præcipuus declaratur. Verè enim Dei Angelus est, qui præcursor, & nuntius Christi est. Verè Apostolus est, qui missus à Deo est: destinatus enim nuncupatur Apostolus: Fuit, inquit, homo missus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Idcirco autem sanctus ipse propheta dicitur, & plusquam propheta, quia Christum & sua, & omnium Prophetarum voce prædictum, digito meruit demonstrare, dicens: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mundi. Post hunc habemus Andream beatissimum, primò Ioannis ipsius discipulum, deinde Saluatoris, quem [4] priorem Christus Apostolum scribitur elegisse. Erat, inquit, Andreas frater Simonis Petri vnus ex duobus, qui audierant à Ioanne, Ecce Agnus Dei, & secuti fuerant eum. Inuenit hic primum fratrem suum Simonem, & dixit ei: Inuenimus Messiam, quod est interpretatum Christus, & adduxit eum ad Iesum. Tertius beatus Thomas, qui post resurrectionem Christi solus desiderauit, solusque obtinuit, vt membra Christi curiosis quidem, sed vtique dignis manibus contrectaret. Ardentis siquidem desiderij fuit illud, non incredulitatis, quòd condiscipulis suis, qui ipso absente Dominum viderant, ait: Nisi videro, & contrectauero, non credam. Erat enim valde anxius ne non & oculis frueretur, quod corde credebat: ne priuaretur aspectu illius lucis, qua se cæteri Apostoli illuminatos gloriabantur. Satiauit esurientem Dominus, cuius manet illa promissio: Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam quoniam ipsi satiabuntur. Apparuit secundò Apostolis, vt Thomæ desiderium adimpleret. Profuit cupiditas eius & cæteris, nec ipse minus aliquid habet, quia posterior Christum vidit, nam detrimenta prioris aspectus, visu pariter & tactu compensat, qui vtique si iuxta opinionem quorundam infidelis

1 Nota, vt venerãdas sanctorum reliquias haberemus, Deus noster tribuit.

2 Nota secundò, quod etiam olim in nomine sanctorum Ecclesiæ ædificabantur, & dedicabantur. Ad quarum etiã dedicationem vicini Episcopi venire consueuerant.

3 Nota tertiò, quod festum dedicationis Ecclesiarum celebre erat in eo loco vbi dedicabantur.

4 Si B. Andreas primus vocat⁹ est ad Christi Apostolatũ, quod negare non possunt hæretici, cur primus Apostolorum dicitur Petrus, nisi dignitatis prærogatiua?

fidelis fuiſſet, Chriſtus illi poſt reſurrectionem ſuam non fuiſſet apparere dignatus. Scriptum eſt enim: Quoniam inuenitur ab his qui non tentant illum: apparet verò illis, qui fidem habent in ipſum. Quòd autem dixit illi Saluator: Noli eſſe incredulus, ſed fidelis: & quia vidiſti, credidiſti: Beati qui non viderunt, & crediderunt: Informare in eo voluit omnes poſtea credituros, vt populus noſter Thomæ ſimilis, qui abſens erat, quando apparuit Chriſtus Apoſtolis, relationi eorum indubitantem fidem commodet, nec exigat in carne conſpicere, quem teſtimonio Apoſtolorum poſt paſſionem crucis reſurrexiſſe, & viſum fuiſſe didicerit. Non enim poſtquam regreſſus ad cœlos ſolis in hoc mundo virtutibus præſens eſt, debet quotidie pro cuiuſque voluntate ſingulis vniuerſiſque credentibus corporeus apparere. Sufficiat nobis quòd ſancti Thomæ curioſitas ambiguitatis futuræ ſcrupulo ſatiſfecit. Quod abſens fuit, quòd auidus & videre, & attrectare Dominũ perquiſiuit, totum noſtræ procurabatur ſaluti, vt euidentius noſceremus reſurrectionis Dominicæ veritatem, quam beatus Thomas ob neceſſariam curioſitatem prouidenter reprehenſus affirmat, dicens ei: Dominus meus, & Deus meus. Quartus Lucas eſt Euangeliſta, qui beatos Apoſtolos pari merito ſubſecutus, & Euangelij librũ, & Actus Apoſtolorum miranda examinatione conſcripſit. Horum quatuor 5 beatas habemus in præſenti reliquias, qui regnum Dei & iuſtitiam prædicantes, ab incredulis & iniquis occiſi, Deo ſemper viuere operationum ſuarum virtutibus demonſtrantur: Ioannes in Sebaſtena vrbe prouinciæ Paleſtinæ: Thomas apud Indos, Andreas & Lucas apud Patras Achaiæ ciuitatem conſumpti referuntur. Habemus poſt iſtos Geruaſium, Prothaſium, atque Nazarium beatiſſimos martyres, qui ſe ante paucos annos apud vrbem Mediolanenſem ſancto ſacerdoti Ambroſio reuelare dignati ſunt, quorum ſanguinem tenemus gypſo collectum, nihil amplius requirentes: tenemus enim ſanguinem, qui teſtis eſt paſſionis. Recepimus etiam ſanctos 6 cineres Siſinnij, Martirij, & Alexandri, quos nuper in Anonia venerandæ religionis cultui attentius inhærentes, gens interfecit ſacrilega, flammiſque adhibitis concremauit, vt holocauſtum Deo ipſi fierent, qui Chriſtianos ſuos victimas dæmonijs miniſtrare increpatione iuſtiſſima vetuiſſent. Iam quid poſt iſtos, de quadraginta martyribus dignũ loquar? Qui ſe itinere meo, cùm per vrbes Cappadociæ Hieroſolymam pergerem, fidos comites præbere dignati ſunt. In ipſa enim maxima Cappadociæ ciuitate, quæ appellatur Cæſarea, vbi habẽt ijdem beatiſſimi inſigne monaſteriũ, reperimus quaſdam Dei famulas 7 monaſterij ſanctarum Virginũ digniſſimas matres, prorſus Mariæ & Marthæ conſimiles, quas merito diligat 8 Deus, natura, fide, ſtudio & caſtitatis & integritatis germanas, quibus ab auunculo ſuo ſummo ſacerdote, ac beato confeſſore Baſilio olim traditæ fuerant, horum martyrum 9 venerandæ reliquiæ, quas deſiderio noſtro incunctanter ac fideliter tribuerunt, idoneos veneratores tanti nos eſſe muneris approbantes, ſimulque ſub teſtificatione Domini confitentes, ſe ſemper oraſſe Deum noſtrum, vt hæc tam prætioſa poſſeſſio transfunderetur in hæredes, qui eam conſimili fide, diligentiaque percolerent, qui ſtudij ac venerationis 10 earum & ſucceſſores & augmentatores exiſterent, quoniam eſſent ipſæ in annis ſenilibus conſtitutæ, & transmigrationẽ de hoc mundo ſuam quotidie expectarent. Exaudita eſt ecce fidelis oratio, 11 venerabiles ipſas martyrum quadraginta reliquias populis credentibus hodie proponimus percolendas, licet eis ex illo iam tempore celebritas debita nunquam defuiſſe noſtri cognoſcatur officij, præclaris eorum beneficijs ſalutariter mancipata. Sed iam quo ordine ad martyrij gloriam peruenerint ipſi beatiſſimi, breuiter enarrabo, quamuis ad proſequendas eorum laudes imparem me eſſe confitear: planè habent idoneum ſuis meritis, digniſſimumque præconem beatæ recordationis virum confeſſorem Baſilium, Eccleſiæ Cæſarienſis Antiſtitem, cuius eloquentia ſingularis, & ſermo Apoſtolico ſale conditus, paupertatem mei retundent ingenij. Quid enim à me inferri nouum poteſt, quod non ille in eorum laudibus vbertate eloquij ſui opulenter effuderit, copioſè ornauerit? Sanè ingentis difficultatis eſt, eaſdem virtutes diuerſis ſermonibus prædicare: aggrediar tamen inſtruendæ dilectionis veſtræ cauſa, vel hiſtoriam replicare geſtorum. Milites erant iſti in partibus minoris Armeniæ conſtituti, florentes ætatibus, corporum proceritate ſublimes, experientia belligerandi laudabiles, ſtipendijs militaribus virtutum ſuarum merito honorati, & quod hæc omnia ſupergreditur, Chriſtiani, atque ad omnem probitatem morum bono venerandæ religionis ornati, & ſpiritalibus armis doctrinæ cœleſtis inſtructi. Statim denique vbi tuba perſecutionis increpuit, fortiſſimos Chriſti milites amor fidei præcinxit ad bellum. Nam cùm feralia edicta ſacrilegi Regis proponi à iudicante cœpiſſent, quibus præcipiebatur, ne quiſquam vel priuatus, vel miles Chriſtianum nomen præferre auderet, ſed vt omnis populus ſacrificare dæmonijs cogeretur, ſponte prorumpunt in medium, Chriſtianos ſe eſſe clariſſima voce teſtantur, ab hoc ſalutari cultu nullis terroribus diuelli poſſe pronunciant.

Intuitus

5 Horum quatuor beatas habem⁹ in præſenti reliquias

6 Recepimus ſanctos cineres Siſinnij, etc. Vides quod nõ vocat emortuos cineres aut fauillam extinctã, vel tenuẽ puluiſculũ, ſiue oſſa conſumpta, vt hæretici faciunt.

7 Vides quod etiam erant monaſteria Deo ſacratarum virginum?

8 Ecce quãta harum ſanctimonialium cõmendatio.

9 Nota, horum martyrum venerandæ reliquiæ.

10 Quid dicis hæretice, qui ſanctorum reliquias aſſeris non venerãdas? Nunquid hoc docuerunt priſci patres, an potius totum contrariũ?

11 Venerabiles ipſas martyrum reliquias hodie proponimus excolendas.

Intuitus constantiam iuuenum terribilis persequutor, seposita authoritate, blandis eos hortatur alloquijs, ne vellent hac pertinacia vti: ne erga Imperatorem suum contumeliosi existerent: ne eius præcepta contemnerent: ne aliàs deuotissimi in hoc facto offensam Regis maximam prouocarent, à quo magis beneficia & honores pro hac specialiter obedientia sperare deberent: indecorum certè viris bellatoribus esse, vt inter ignauos & noxios morte turpissima deperirent: Cogitandum esse iuuentutis suæ florem, & iucunditatem lucis huius, ac vitæ, quam sanè respectu illius rationis imprudentes amittere suaderent. Talibus auditis Christiani viri, meritoque mirabiles, venenatas perniciosi hortatoris blanditias non solùm constantibus animis respuerunt, verùm etiam responsione acerrima confutarunt. Quid tu, inquiunt, omnium nequissime, contra Deum rebellare ausus, famulos eius verbis fallacibus supplantare conaris? Quid nos à cultu Dei veri & viui ad mortua dæmonum simulachra inclinare contendis? Quid honorum terrestrium caducis promissionibus, & inanium rerum præstigijs animos nostros à vigore fidei cœlestis deprauare pertentas? Execramur munera, quæ detrimentum salutis important. Repudiamus honores, qui auferunt illam gloriam sempiternam. Reprobamus amicitias Regis, quæ nos à charitate Dei separare desiderant. Respuimus & hanc corporalem nostri corporis vitam, quæ cum periculo sibi reseruata, animæ acquirit interitum. Postremò non supplicijs præsentibus deterremur. Tradimus carnem pœnis, quascunque irrogare volueris, ne abnegantes Christum Deum, ad tormenta perpetua demergamur, quæ diabolo & vobis ministris eius sunt ab initio præparata. Tunc ille Iudex iniquitatis huiusmodi dictis accensus, furorem suum, quem paulò antè subtilius expellere voluerat, excogitata supplicij nouitate geminauit. Perspiciens enim regionis naturam nimijs rigentem frigoribus, tempus etiam, quo maxima hyemis asperitas Aquilone flante violentius incumbebat: montes niuibus, pruinis arua tegebantur: liquores agnoscere naturam suam solis ignibus cogebantur: stupebant ingenti glacie torrentium fluminū cursus: stagnum quoque vrbi in qua hæc gerebantur subiacens, lateque diffusum validissimo gelu durante iter solidum plaustris gementibus commodabat. Hanc (inquam) vel loci vel temporis immanitatem perspiciens sacrilegij gentilis exactor, istud supplicij genus sanctis adhibere imperat, vt nudatis corporibus religati, in aperti aëris pruinosa duritie pernoctarent, balneis longè sub conspectum eorum fumantibus, vbi velox remedium victis corporibus callidus persecutor, animas eorum magis interficere gestiens, promittebat. Sed beatissimi martyres spiritu sancto feruentes, vestibus suis procul abiectis, festini ad stadium properant, coronam tanto certamini propositam cœlitus intuentes: deinde hortatibus mutuis patientiæ vires accendunt, gloriam regni cœlestis pœnis præsentibus præferunt, & hoc inter cætera replicantes, quòd qui pro salute Regis terreni hostiles gladios formidare contempsimus, cur non pro fide Dei ac Domini nostri Iesu Christi Regis æterni, omnes irrogatos nostro corpori cruciatus æquo animo patiamur, ocius ad æternæ lucis beatitudinem vitamque perpetuam gloriosæ mortis compendio transituri? Inter pruinas ardebat fides, & cœlestes animi desiderio Christi feruebant. Terebrabantur penetralia viscerum gelu, ita vt medullas ossium grauissimis cruciatibus internus quidam glacialis torror vrgeret, & animorum immobilis virtus, cursus sui metas aspiciens, de proxima consummatione gaudebat, fideli tolerantia promissum Dei munus expectans. Sed vnus ex eorum numero breuissimi adhuc & iam supremi doloris impatiens, rogare miser cœpit, vt ad balneas duceretur. Miles interea cui solicitudo iniuncta fuerat, vt illud mortis lauacrum victis quibuscunque reseraret, dum curiosis oculis de loco sublimi agonem virorum expectat insignium, rei exitum captans, videt ducem cœlestis militiæ descendentem cum multitudine Angelorum, & fortissimis bellatoribus, claras vestes atque opima sigillatim præmia erogantem: quæ solus ille miserabilis, cuius fidem diabolus fregerat, non accepit. Ducitur infelix ad balneas, ibique confestim caloribus afflatu, quo se animandum crediderat, exanimatus & vitam perdidit, & coronam. Luctuosum facinus gratulatio inopinata subsequitur, repentè eius locum supradictæ visionis admirator inuadit, nudat membra optato supplicio, se esse Christianum ingeminat, quem spectaculi illius admirabilis virtus subitò ex Gentili verum fecerat Christianum. Tenetur continuò professionis suæ reus, ligatur volens, & secantibus vinculis crudeliter innodatur, perseuerat astrictus, gloriatur in pœna, spe * diuinæ remunerationis, & fortiter crescit inter supplicia fides. Christi augetur inter tormenta dilectio. Nam sensu Apostolico testabatur: Me nulla suppliciorum vis, nulla immanitas tormentorum poterit separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro. In medijs cruciatibus nouus martyr sancto spiritu instruente, eruditur & proficit, moritur & triumphat: Trinitas adoranda testem suum inter pœnas fideliter permanentem, martyrio ipso ad vicem baptismi gloriosus & abluit, & emundat, & ad cœlorum regna perducit. Commoritur denique

** Vides quod & illa certamina cōmendantur, quæ spe diuinæ retributionis tolerantur: quoniam ipsa retributio nihil aliud est, quàm ipse Deus.*

nique quadragesimus iste sanctus cum sanctis, vt sacer numerus, quem Saluator ieiuniis honorauerat, compleretur, sicut ipsi beatissimi martyres orasse memorantur. Post hæc iussit carnifices defunctorum corpora longius transportata ignibus concremare, relinquebant vnum, qui adhuc viuere putabatur, vt fortè mutaret in pœnis ipsa solitudine voluntatem. Ibi eius venerabilis mater, quæ talem filium bono sapientiæ cœlestis lacte nutriuerat, cucurrit ad cadauer spirantis filij, & propriis eum manibus vehiculo, quo corpora aliorum congesta ad pyram trahebantur, imposuit. Vade, inquit, nate, bona ista via saluus cum coætaneis, & gloriosus ad Dominum. O admirabilis, & verè digna martyris mater, quinimo & ipsa iam martyr, quæ propriis visceribus non pepercit, dum sua membra pro Christi nomine puniri lætatur in filio. Iam verò ne illud in postrema parte reticeamus, cùm cineres exustorum corporum mandato persecutoris in fluuium iacerentur, non defuerunt religiosæ manus, quæ partem reliquiarum vel furto eriperent, vel pretio compararent. Hinc & Ecclesia Cæsariensis exultat, & nostra fraternitas non immeritò gloriatur, reseruatum sibi prouidentia Dei istud salutare munus intelligens. Portionem reliquiarum sumpsimus, & nihil nos minus possidere confidimus, dum totos Quadraginta in suis fauillis [12] venerantes amplectimur, sicut illa in Euangelio fidelis mulier, quæ per fimbriam Christi saluata est, oram tenuit vestimenti, & virtutem diuinitatis exegit attractu fimbriæ, medelam credenti fides traxit, & salutem quam præsumpserat acquisiuit. Itaque pars ipsa, quam meruimus, plenitudo est: diuidi enim quadraginta isti martyres ab inuicem nullo modo possunt, quorum sunt inseparabiles & indiscretæ reliquiæ: nam sicut animas eorum igneus ille spiritus Dei salutaris fidei vnitate coniunxit, (erat enim omnium credentium cor vnum, & anima vna) ita etiam membra eorum concremans ignis in vnum fauillæ corpus redegit. Habemus ergo & hos quadraginta, & prædictos decem sanctos à diuersis terrarum partibus congregatos: Hanc verò ipsam basilicam eorum meritis [13] dedicatam, Concilium sanctorum nuncupari oportere decernimus. Dignum est enim, vt ad tantorum martyrum [14] venerandas reliquias processuri, ad Concilium sanctorum nos procedere fateamur. Tot igitur iustorũ patrocinio adiuuandi, tota fide, omniq; desiderio [15] supplices ad eorum vestigia concurramus: vt ipsis intercedentibus, vniuersa quæ poscimus, adipisci mereamur, magnificantes Christum Deum tanti muneris largitorem, cui diuinus honor, virtus & gloria, cum patre & cum sancto spiritu ante omnia, & nunc & semper, & in cuncta secula seculorum. Amen.

11 *Ecce quantam venerationē sanctis reliquiis habeat venerabilis Episcopus.*

13 *Nota basilicam sanctorum meritis dedicatam.*

14 *Ad tantorum martyrum venerandas reliquias processum.*

15 *Ecce sanctos inuocandos, & ipsis pro nobis intercedentibus, vniuersa quæ poscimus à Domino nostro Iesu Christo præstari.*

SANCTI PATRIS NOSTRI IOANNIS CHRYsostomi Archiepiscopi Constantinopolitani encomium sanctorum duodecim Apostolorum.

Apud Simeonem Metaphrasten.

XXX. *Iulij.*

MEritò hodie quoque aduentu sancti spiritus impleta est hæc sagena piscatorum, nobis rationis compotibus piscibus in eam nostra sponte insilientibus. Sermo enim verbi qui erudiit illiteratos, & eos qui erant tardæ & impeditæ linguæ, linguis acuit igneis, traduxit eorum artem ad id quod est diuinius, dicens: Venite post me, & faciam vos piscatores hominum. Dixit: Venite post me, & mutati statim sunt in id quod est melius. Duodecim electi sunt Athletæ, & nullus eorum mansit non coronatus. Vna enim gratia erat omnibus socia certaminis, & cum eis concurrebat, & vniuscuiusque victoriam reddebat magis probatam. Solus miser Iudas seipsum à tali chorea separauit, cùm osculo lupis ouem ostendisset, & triginta argenteis vendidisset Dominum, cuius sanguis emit mundum. Sed ô beatum & præclarum vestrum, ô Apostoli, cœtum, quòd omnia facti estis omnibus Dei gratia, non arundine, sed sermone greges hominum peritè capientes. Vos enim estis immobiles columnæ rectæ fidei, sceptra Ecclesiæ, & huius maximi pastoris vigiles defensores, morbi humanitatis gratuiti medici, & nostræ ad Deum pœnitentiæ susceptores misericordes. Cùm enim essetis veluti quædam animatæ incudes, dum verberaremini, eos qui verberabant fabricati estis ad agnitionem. Hinc Petrus [1] Romam accipit in disciplinam. Paulus illinc mũdo annunciat Euangeliũ. Andreas corrigit Græciæ sapiẽtes. Simon Barbaros Deum docet. Thomas baptismate dealbat Æthiopes. Iacobi cathedrã honorat Iudæa. Marci thronũ, quæ est ad Nilũ, cõplectitur Alexandria. Lucas & Matthæus scribũt Euangelia. Ioannes qui vel post finẽ adhuc tractat Theologiam, tanquã viuus curat Ephesum. Bartholomæus erudit Lycaonas ad temperantiã. Philippus faciẽs miracula, seruat Hieropolim. Non cessant omnes omnibus vbiq; bene facere. Puluerem immortalẽ reliquerunt in sepulchris: nunc quidẽ pij cultores: paulò pòst autẽ sedentes mundi iudices. Cùm huic appropinquasset claudus, reuersus est sanus & integris pedibus. Cùm in illum incidisset paralyticus, iussus est ferre grabatum.

1 *Nota quod Petrus Romam accipit in disciplinã contra quosdam nebulones qui illud nunc mendacissimè negant.*

Alius vocabat mortuos: illi verò ei statim obtemperarunt. Alterius autem vmbra sola fugabat morbos. Alterius inuocationem exhorrebant dæmones, & eorum sudaria distillabāt medicinam. Erant enim discipuli illius, cuius fimbria furto surrepta contactu eius, quæ sanguinis laborabat profluuio, exiccauit rubrum mare sanguinis. Sed ego reuertor ad principes Apostolorum, & memini vocis illius propheticæ: Ecce quàm bonum & quàm iucundum habitare fratres in vnum. Inchoet ergo Petrus orationem, quoniam is quoque fuit conductus prior in vinea Domini. Petrus gregis boni pastoris ouis primogenita. Petrus qui ex lacu transiit in cœlum: qui relictis nautis dignus fuit habitus, vt loqueretur cum Angelis: Qui relicta naue oneraria, gubernandam assumpsit Ecclesiam. Qui electus est clauiger cœlorum, & in terra accepit potestatem ligandi & soluendi. Qui est velox ad vocationem, & in fide minimè dubitans, & magistri feruidus defensor in omnibus: Qui dixit: Tu es Christus filius Dei viui. Qui vnà cum Domino mori proposuit, & vsque ad atrium Caiphæ vnà vadit cum redemptore: Qui etiam negans fuisti dignus venia, & pœnitentia ductus admirabilis. Neque enim tam fuisti reprehendendus propter negationem, quàm beatus censendus propter pœnitentiam. Nobis enim fuit errans quoque vtilis, quòd cùm cito fleuisset, obruit delictum, & parum labefactatus, inuentus est in æternum fundamentū fidelium. Si enim consideraueris, ô dilecte, id quod tunc erat tempus, non inueneris in Petrum magnam cadere reprehensionem. Quando enim sol fugiebat, cœlum abscondebatur, terra mouebatur, petræ frangebantur, vt quæ ferre non possent contumeliam eius qui creauerat, tūc primus cespitauit, tunc princeps negauit, & ratione vacuum diei nuncium, inuenit statim probationem eius quæ prædicta fuerat negationis. Priusquam gallus cantet, ter me negabis. Sed cùm primus negasset, primus cucurrit ad sepulchrum, primus vitæ datorē vidit resurrexisse à mortuis, cùm è Maria didicisset, & quod ei non erat ausus dicere Angelus, qui sedebat supra lapidem. Sed post eum in medium veniat Paulus sapientissimus orator orbis terræ, qui factus est ex lupo agnus, ex spinis botrus, ex zizaniis frumentum, ex inimico amicus, ex Hebræis manens firmus ac stabilis. Qui apud illos Saulus cædem spirans & minas, apud nos autem Paulus seruus Iesu Christi vocatus Apostolus: ex blasphemo Theologus, ex persecutore Euangelista, ex prædone gubernator, ex proditore miles. Qui cum [2] Petro Romam sortitus est ad sepulchrum, & cum eo hanc quoq; Sychem non despiciebat. Qui in Beniamin fuit frater Ioseph, & in Thecla & filiis pater & magister: Qui ante Damascum cœcus, & in vnaquaque ciuitate oculus prædicationis: Qui è cœlo est vocatus, & raptus fuit in cœlum: Qui aspexit paradysum, antequam hinc abiret, & victoriæ coronam accepit adhuc luctans, & rursus, vt dicit, ei debetur. Quid enim dicit? Quam reddet mihi Dominus in illo die. Paulus qui ex vltimis primus: Qui ex abortionibus vir perfectus: Qui etiam persequens est suauis: & dum patitur persecutionem, dulcis: Qui est Romanus, & Pharisæus, & omnia omnibus factus propter fidem. Christus enim qui dixit Petro: Oportet te pati, de Paulo etiam dixit: Quàm multa oporteat eum pati pro nomine eius: vt ille quidem crucifixus, hic autem truncatus capite, cùm vnam fidem prædicauerint, vnum cursum consummauerint, in vno sepulchro habitauerint, sint veri testes resurrectionis eius qui passus est & mortuus, & resurrexit eo modo, quo nouit, & venit in sinum patris, quem quidem nunquam reliquit. Quod ipse Dominus alloquitur propheticè: Circundate hanc nouam Sion, & comprehendite eam, hoc est: seruate, confirmate, & munite precibus, vt quando in tempore irascar, & mouebo vniuersam terram, aspiciens vestrum quod non desinet sepulchrum: & quæ vestra sponte simul propter me fertis stigmata, vincam iram clementia, & propter hanc vestram percipiam intercessionem. Sacerdotium enim, & regnum quando videro lachrymás, statim tanquam misericors inflector ad misericordiam: & memini illius meæ vocis: Protegam hanc ciuitatem, propter Dauid seruum meum, & Aaron sanctum meum. Qui quidem cùm sicut vos fide essent concordes, & voluntaria humilitate texissent autoritates, & vestitu ostendissent animi abiectionem, multas mihi obtulerunt myriadas discipulorum, me ferentes, & à me mundo petentes placationem. Dixi enim: Petite & dabitur vobis: quærite, & inuenietis. Domino sit gloria in secula seculorum. Amen.

[2] *Et hic habes Petrum Romam sortitum sepulchrum.*

VITA DIVI MARCI EVANGELISTAE, PER Eusebium Cæsariensem Episcopum scripta.

Ex lib. 2. histo. Ecclesiast. ca 13. & sequent.

CVM Simon Magus, quem in Iudæa Petrus Apostolus de his quæ gerebat sceleribus confutauerat, transmarinam aggressus fugam, vrbem Romam ingressus fuisset, vtens adminiculo assistētis sibi, & adhærentis dæmoniacæ virtutis, quam πάρεδρον vocant, breui tempore in tantum malorum venit profectum, vt etiam simulachra à ciuibus Romanis tanquam Deus honore potiretur. Sed non in longum permanet fraude quæsita diuini-

diuinitas. Continuò namque in ipsis Claudij temporibus, clementia diuinæ prouidentiæ, 1 probatissimum omnium Apostolorum & maximum fidei magnificentia & virtutis merito primorum principem Petrum, ad vrbem Romam, velut aduersum humani generis communem perniciem repugnaturum deducit, ducem quendam & magistrū militiæ suæ, scientem diuina prælia gerere, & virtutum castra ductare. Iste adueniens ex Orientis partibus, vt cœlestis quidam negociator, mercimonia diuini luminis, si quis sit comparare paratus, aduexit, & salutaris prædicationis verbo 2 primus in vrbe Roma Euangelij sui clauibus ianuam regni cœlestis aperuit. Igitur cùm Romanæ vrbi clarum verbi Dei lumen fuisset exortum, Simonis quidem tenebræ cum suo autore restinctæ sunt. Sermo autem veritatis & lucis, qui per Petrum prædicabatur, vniuersorum mentes placido illustrauit auditu, ita vt quotidie audientibus eum nulla vnquam satietas fieret. Vnde neque auditio eis sola suffecit, sed Marcum discipulum eius omnibus precibus exorāt, vti ea quæ ille verbo prædicabat ad perpetuam eorum commonitionem habendam, scripturæ traderet, quo domi forisq; in huiuscemodi verbi meditationibus permanerēt. Nec prius ab obsecrando desistunt, quàm quæ orauerant impetrarent. Et hæc fuit causa scribendi, quod secundùm Marcum dicitur Euangelium. Petrus verò vt per spiritum sanctum religioso se spoliatum comperit furto, delectatus est, fidem eorum per hæc, deuotionemque considerans: Factumque confirmauit, & in perpetuum legendam scripturam Ecclesiis tradidit. Clemens in sexto Dispositionum libro hæc ita gesta esse describit. Cuique simile dat testimonium etiam Hierapolites Episcopus nomine Papias, qui & hoc dicit: quòd Petrus in prima Epistola sua, quam de vrbe Roma scripsit, meminerit Marci: in qua tropicè Romam Babylona nominarit, cùm dicit: Salutat vos ea quæ in Babylone est electa Ecclesia, & Marcus filius meus. Hunc autem Marcum tradunt primum ad Ægyptum perrexisse, atque inibi Euangelium, quod ipse conscripserat prædicasse, & ipsum primum Ecclesiam apud Alexandriam constituisse. Tanta autem refertur multitudo credentium virorum ac mulierum, primo ingressu, exemplo sobrietatis eius & continentiæ congregata, vt etiam conuersatio eorum qui per ipsum crediderant, & vitæ totius abstinentia, ac frugi eorum sobriaque conuiuia, librorum memoriæ mandarentur à viro disertissimo Philone, quem sermo tenet temporibus Claudij Imperatoris Romam venisse, & Petrum Apostolum vidisse, atque eius adhæsisse colloquiis, verbum Dei prædicantis. Quod valde est verisimile, quia & scripturam istam, quam diximus, posterioribus ab eo temporibus constat esse compositam. In qua euidētissimè omnia Ecclesiæ instituta complectitur, quæ & tunc tradita sunt, 3 & in hodiernum seruantur à nobis. Sed & abstinentium vitas, eorum duntaxat, qui nunc in Ecclesiis vel monasteriis 4 degunt, describit ad liquidum. Vnde planè manifestissimè proditur, nō solùm sciens quæ nostra sunt, sed & amplectens: quippe qui diuinis laudibus extulit sui temporis Apostolicos viros, ex Hebræorum (quantum intelligi datur) præcipuè genere credentes: Quoniam quidem cōstat, quòd hi qui sub Apostolis ex Israëlitis credebant, Iudaicis adhuc institutionibus, & legis obseruationibus inhærebant: Hic igitur describens hæc in libello, quem de vita Theoretica supplicum adtitulauit, nihil omnino de proprio vel extrinsecus addit, sed primò omnium viros ipsos cultores, & fœminas cum ipsis, ait cultrices appellari. Causam verò huius vocabuli, vel ex eo ductam, quòd conuenientium ad se animas tanquam rudes & agrestes excolerēt, vel quòd erga Dei cultum pura & integra conscientia perdurarent. Quod nomen siue ipse imposuit primus illis ex ipsorum actibus colligens: siue verè in initiis ita appellabantur, qui secundùm Euangelium 5 viuebant, antequam Christianorum appellatio per omnem locum diffunderetur: nihil interest, dummodo ex ipsis rebus nomen ad quos pertineat comprebetur. Dicit ergo primò omnium, quòd renuncient cunctis facultatibus suis, qui se ad huiuscemodi philosophiam dederint, & bonis suis, quibus interest cedant. Tum deinde, quòd omnes etiam vitæ solicitudines procul abiiciant, & extra vrbem egressi, in hortulis, vel exiguis quibusque agellulis degant, refugientes imparis propositi consortia, & vitæ dissimilis contubernia, scientes hæc impedimento esse arduum volentibus iter virtutis incedere. Tali quippe ordine calore fidei incitati hi qui primitus credebant vitam duxisse memorantur, sicut euidenter in Actibus Apostolorum legimus scriptum, quia omnes qui credebant sub Apostolis, possessiones suas & prædia vendētes, precia ponebant ante pedes Apostolorū, & diuidebantur vnicuique prout opus erat, ita vt non esset quisquam in eis egens. Quia ergo & hæc similia scribit geri ab his, qui apud Alexandriam credebant, sicut illi, qui in Hierosolymis antè crediderant, certum est, quòd idem actus, eademque institutio, eandem fine dubio & religionis fidem designet.

Denique libro ipsi (de quo supra diximus) tale initium dedit: In multis, inquit, est orbis terræ partibus hoc genus hominum. Oportebat namq; perfecti huius boni participem fieri omnem Græciam, omnemque Barbariam. In Ægypto tamen maior est copia per singula

1 Petrus à diuina clemētia Romam deducitur. Quid dicis os impudēs, garriens Petrum nunquam Romæ fuisse?

2 Petrus primus Romæ Euangelicæ prædicationis verbo ianuā regni cœlestis aperuit.

3 In scriptura Philonis omnia Ecclesiæ instituta cōplectuntur, quæ & tunc tradita sunt, et in hodiernum seruantur à nobis. Vides ne hic, quod ea quæ seruanda suscepit Ecclesia, ab Apostolis sint tradita? Quod nota cōtra hæreticos.

4 Tu qui detrahis Monachatui, & dicis eum esse nouitiū, et totum ex hominum constitutionibus cōflatū, vide an substantialia ipsius in primitiua Ecclesia fuerint. Nam describit hic Philo tā vitas eorum qui in Ecclesiis, quam eorum qui in Monasteriis degebāt tunc temporis, vt paulo ante dicit Eusebius.

5 Heus qui dicis paupertatē Euangelicā non esse rerū & facultatum desertionem, vide quomodo ex hoc loco corruant omnes strophæ tuæ. Sed quo nō erumpat semel effrenata audacia?

quæque territoria, præcipuè autem circa Alexandriam. Nam optimus quiſque ex omnibus locis, velut ad vberis patriæ glebam feſtinus occurrit colonus. Regio quædam eſt philoſophiæ magis, quàm frugibus opportuna, ſupra lacum, cui Mariæ nomen eſt, ſita, colliculis quibuſdam molliter & clementer erecta, ad munimentum ſimul atque aëris temperiem commoda. Poſt hæc deſcriptis eorum habitaculis, vt ſe habeat ſingulorum qualitas & ſitus, etiam de Eccleſiis quæ apud eos ſunt, ita dicit: Eſt autem, inquit, in ſingulis locis conſecrata 6 orationi domus, quæ appellatur σεμνεῖον vel μοναστήριον. σεμνεῖον, aut in noſtra lingua ſignificare poteſt, honeſtorum conuenticulum, in quo ſecedentes, inquit, honeſtæ & caſtæ vitæ myſteria celebrant, nihil illuc prorſus quod ad cibum potúmque pertinet inferentes, vel ad reliqua humani corporis miniſteria, ſed legis tantùm libros, & volumina Prophetarum, hymnos quoque in Deum, cæteráque his ſimilia, in quorum diſciplinis atq; exercitiis inſtituti, ad perfectam beatámque vitam ſtudiis iugibus coaleſcunt. Et poſt aliquanta iterum dicit: Ab ortu autem diei vſque ad veſperam omne eis ſpacium ſtudiorum exercitiis ducitur, quibus ad diuinam philoſophiam per ſacras literas imbuuntur, patrum leges in allegoricam intelligentiam deducentes. Quoniam quidem formas eſſe & imagines, ea quæ in legis litera ſcripta ſunt, opinantur latentis intrinſecus profundi cuiuſdam diuinique myſterij. Habēt autem etiam diſputationes quaſdam & interpretationes virorum, qui & autores ipſius ἀιρέσεως extiterunt, quos eis allegoricæ ac figuralis intelligentiæ normam, quam plurimis ſcriptorum ſuorum conſtat tradidiſſe monimentis. Quorum illi velut itineris ſui ducum, & autorum inſtituta pariter ſequuntur, & morem. Hæc autem dixiſſe hunc virum certum eſt de Euangelicis atque Apoſtolicis libris, in quibus quomodo lex & prophetia ſpiritualiter intelligi debeat, edocetur. Poſt pauca rurſum etiã de eo quod pſalmos faciant nouos, ita ſcribit: Itaque non ſolùm ſubtilius intelligunt 7 hymnos veterum, ſed & ipſi faciunt nouos in Deum, omnibus eos & metris & ſonis, honeſta ſatis & ſuaui compage modulantes. Multa quidem & alia in eodem libro enumerat, quæ à noſtris vel in Eccleſia, 8 vel in monaſteriis exercentur.

Sed properandum nobis eſt illa ex omnibus dicere, quæ Eccleſiaſticam propriè cõtinent formam, ex quibus cuiuis manifeſtum eſſe debeat ad Eccleſiam pertinere, quæ ſcripta ſunt. Ait ergo. Continentiam verò velut fundamentum 9 quoddam primum in animo collocant, & ita demum reliquas ſuper hanc pergunt ædificare virtutes. Cibum potúmque nullus eorum capit ante ſolis occaſum: videlicet tempus lucis cum philoſophiæ ſtudiis, curã verò corporis cum nocte ſociantes. Nonnulli autem etiam poſt triduum in communionẽ veniunt cibi, quos ſcilicet edacior ſtudiorum fames perurget. Iam verò hi qui in eruditionibus ſapientiæ, & in profundiore intelligentia ſacrorum voluminum conuerſantur, tanquam copioſis dapibus inhiantes, expleri nequeunt, & contuendo acrius inflammantur, ita vt nec quarto iam, nec quinto, ſed ſexto demum die non tam deſideratum quàm neceſſariũ corpori indulgeant cibum. Hæc Philonem de noſtrorum inſtitutis referre, quis poteſt dubitare? Quod ſi cui videtur adhuc ambiguum, adhibebimus etiam alia eius dicta, quæ nulli omnino niſi noſtris tantummodo conuenire etiam infideliſſimus quiſque fatebitur. Ait ergo: Cum viris autem, quos dicimus, ſunt & fœminæ, 10 in quibus plures iam grandæuæ ſunt virgines, integritatem caſti corporis, non neceſſitate aliqua, ſed deuotione ſeruantes. Dum ſapientiæ ſtudiis ſemet geſtiunt non ſolùm animo, ſed & corpore conſecrare, indignum ducentes, libidini mancipare vas ad capiendam ſapientiam præparatum, & edere partum eas, à quibus diuini verbi concubitus ſacroſanctus & immortalis expetitur: ex quo poſteritas relinquatur, nequaquam corruptelæ mortalitatis obnoxia. Quod ſi adhuc parum videtur iſtud, audi quid poſt aliquanta ſcribat. Tractatus autem ſacrorum, inquit, voluminum huiuſmodi habent, vt magis allegoricis opinionibus vtantur. Quoniam quidem omnis lex viris iſtis videtur animali eſſe ſimilis, quod corpus quidem habeat ipſam literam, & ea quæ ſecundùm literam deſignantur: animam verò occultum in litera, ſpiritalem, & inuiſibilem ſenſum: quem illi ab autoribus ſuis edocti, ſublimius & nobilius velut inſpiciẽtes per ſpeculum contemplantur, ex ipſis etiam nominibus admirandas quaſdam ſpecies intelligentiæ proferentes. Quid autem addere his opus eſt, etiam de conuentibus eorũ quæ ſcribit: & vt ſeorſum quidẽ 11 viri, ſeorſum etiã in iiſdẽ locis fœminæ congregentur: & vt vigilias, ſicut apud nos fieri moris eſt, peragãt, & maximè diebus illis, cũ paſſionis Dominicæ ſolẽnitas celebratur, cũ ieiuniis pernoctare, & lectionibus ſanctis auditũ præbere cõſueuimus? Quæ omnia ſupradictus vir eo ordine, eademq; conſequẽtia, qua apud nos gerũtur expreſſit. Et vt

6 Et tu qui non vis Eccleſiam eſſe inſtitutam pro loco orationis, ſed tantum pro auditione verbi Dei, & ſacramẽtorum perceptione, cum Dominus in hortis orauerit & in agris, vide hic quõ à principio in ſingulis locis Eccleſiæ erant domus orationi conſecratæ.

7 Nota pro cantu Eccleſiaſtico, cui tantum detrahunt Eccleſiæ aduerſarij.

8 Si multa ex his in monaſteriis exercentur, quo vultu audet quis dicere monachatum noſtrum eſſe rem nouitiam?

9 Continẽtia habetur pro fundamento, Abſtinentia.

10 Ergo mulieres etiam grandæuæ poſſunt eſſe virgines, et ſeruare caſti corporis integritatem, quod noſtri hæretici ferè pro impoſſibili habẽt, & hoc facere fœminas abominantur. Et nota totũm hunc locum pro ſanctimonialibus virginib' quia miro modo aduerſariorum mendacia euertit.

Tu qui dicis inuenire te rem temporalem Deo deuotam, non autem cœlibatũ aut virginitatem, non legiſti locum hunc, vel ſi legiſti, noluiſti aduertere.

11 Chriſtiane lector plura ex hoc loco contra Eccleſiæ hoſtes collige. Quod in Eccleſia ſeorſum cõgregabantur viri, et ſeorſum fœminæ. Quod antiquitus [illegible] congregabãtur in Eccleſia. Quod paſſionis Dominicæ ſolennitas aliquot diebus celebrabatur. Quod in ieiuniis & lectionibus ſanctis pernoctabatur. Quod [illegible] honeſtis modulis alternatim concinebantur. Quod ipſis ſanctis diebus in terra recumbebatur. Quod erant ciborum & potuum miri delectus. Quod ſacerdotes & miniſtri exhibebant officia ſua. Quod Epiſcopalis apicis ſedes erat ſuper omnia. Et cuncta hæc dicuntur fuiſſe initia inſtitutionis Eccleſiaſticæ, & origo Apoſtolicæ atque Euangelicæ doctrinæ.

Et vt vnus ex omnibus consurgens in medio, Psalmum honestis modulis concinat, vtque præcinenti ei vnum versiculum omnis multitudo respondeat: atque in ipsis diebus in terra recumbentes (sicut antiqui moris fuisse dicitur) vinum quidem nemo omnino, vt ipse ait, ne gustu quidem contingat, sed nec quamlibet carnem: tantum autem aqua sit eis poculum, & panis cum sale vel hyssopo cibus. Addit autem adhuc his, quomodo sacerdotes, vel ministri exhibeant officia sua, vel quæ sit supra omnia Episcopalis apicis sedes. Quæ cuncta si quis plenius vult & exploratius discere, ostendimus ex quo ista fonte debeat haurire. In quibus supradictus vir Ecclesiasticæ institutionis initia & originem Apostolicæ atque etiam Euangelicæ traditionis intexuit. Amputasse autem sibi post fidem pollicem Marcus dicitur, vt sacerdotio reprobus haberetur. Sed tantum consentiens fidei prædestinata potuit electio, vt nec sic in opere verbi perderet, quod prius meruerat in genere. Nam Alexandriæ Episcopus fuit. Marcus discipulus, & interpres Petri, iuxta quod Petrum referentem audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cùm Petrus audisset, probauit, & Ecclesiæ legendum sua autoritate edidit, sicut Clemens in sexto ὑποτυπώσεων libro scribit. Et Papias Hierapolitanus Episcopus meminit huius Marci. Et Petrus in epistola prima, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans: salutat vos quæ in Babylone electa, & Marcus filius meus. Assumpto itaque Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam, tantæ doctrinæ & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ librum super eorum conuersatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat, Hierosolymæ credentes omnia habuisse communia: sic ille quod Alexandriæ sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedente sibi Aniano.

VITA DIVI MARCI EVANGELISTAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti

MArcus Euangelista, secundus Petri discipulus, eiusq; in baptismate filius. Cuius quidem Euangelium nonnulli dictatum à Petro Romæ ferunt. Hic ne ad sacerdotium promoueretur, abscidisse sibi pollicem fertur. Primus tamen Alexandriæ cathedram tenuit: primusque Ecclesiam Ægyptiorum fundauit. Tantisq; doctrinæ & continentiæ florens virtutibus claruit, vt omnes discipuli Christi, eius imitationem sequerentur. Mortuus est autem octauo Neronis anno, placida quoque quiete sepultus.

VITA CHRISTIANORVM IN ALEXANDRIA sub disciplina D. Marci agentium, per Philonem Iudæum descripta, Andræa Frusio Gallo interprete.

Est l. iiij. eiusdẽ de vita contemplatiua & supplicũ Dei cultorũ.

POstquam disserui de Essæis, qui studio & labore magno actiuam vitam coluerunt, iisque per omneis, aut plurimas certè pateis (vt tolerabilius quid dicam) inter se discrepantibus, continuò de illis etiam, qui contemplationem sunt amplexi, vt ordinem subsequar tractatus, quæ ad eos spectant relaturus sum, nihil de meo adijciã locupletandæ rei causa. (Quod poetis & oratoribus insignium factorum penuria laborantibus fieri consuetum est) Sed citra omnem artis fucum veritatem ipsam comprehendens, ad quam profectò pro dignitate exprimendam, quiuis alioqui disertissimus animum (satscio) planè desponderit. Luctandum nihilo minus & confictandum est. Non enim decet quantamcunque virorum talium virtutem silentium illis imponere, qui nihil boni honestiq; taceri æquum existimant.

Philosophorum itaq; horum [1] institutum ex ipsa protinus elucet nomenclatura. Namq; Therapeutæ & Therapeutides propriè vocantur: siue ob id, quia medicandi artem profitentur vulgari longè potiorem: cum hæc corpora duntaxat curet, illa animas potissimum grauibus & medelam ægrè admittentibus morbis oppressas, vt quos voluptates, concupiscentiæ, tristitiæ, cupiditates, vecordiæ, iniustitiæ, & reliqua perturbationum vitiorumque prope immedicabilium cohors suscitarunt. Siue quoniam à natura & sacris legibus edocti colunt supremum illud ens, quod bono melius, vno syncerius, & vnitate ipsa aniquius existit.

1 Pie lector ne credas quæ hoc in li. de suis Iudæis asserit Philo, illis & non potius veteribus nostris Christianis conuenire, qui in principio nascẽtis Ecclesiæ floruerunt primitias spiritus habentes. Vide pro nostra hac sententia D. Hier. de viris illustribus, nec nõ in pluribus Epistol. vbi de moribus Monachorum tractat. Vide Eusebiũ lib. ij. Ecclesiasticæ historiæ ca. xvi. & xvij. Vide etiã Epiphaniũ in fine sui Panarij. Item August. in lib. de Moribus Ecclesiæ cõtra Manichæos. Denique Caßianũ in lib de Institutis monachorum.

His igitur quosnam ex omnibus religionis titulo gloriantibus conferre par est? Non eos sanè qui elementa venerantur, terram, aquam, aërem, & ignem, aliter ab aliis cognominata. Vtputa ignem ἥφαιστον appellant, ab incendendo ni fallor: Aëré ἥραν, quòd alte leuetur ac feratur. Aquam ποσειδῶνα ob eius potũ. Terram deniq; δήμητραν, vt omnium matrem tam

plantarum quàm animalium. Atqui mera sunt commenta Sophistarum isthæc nomina, neq; elementa ipsa aliud sunt, quàm inanimata materies, omni ex se motione carens: & ad suscipiendas quaslibet formas, figuras, & qualitates artifici subiecta. An eos qui perfectiora colũt naturæ opera, Solem, Lunam, aut planetas cæteros, vel stellas fixas, vel cœlũ quoq; & mundum vniuersum? Verùm & hæc quoque non ex se ipsis, sed ab opifice quodam peritissimo sunt facta. Quid? Anne quos nonnulli vocant Semideos? nisi hoc potius sit cachinno dignum. Etenim quo pacto idem sit mortalis simul atque immortalis? Vt omittam quòd talium generatio vituperium fugere non possit, vtpote referta incontinentia iuuenili, quam absurdè nimis audent affingere beatis diuinisq; potestatibus: quasi cœlites ipsi fœminas mortales amore insano appetierint, cùm passionis sint expertes, ac fœlicissimi. Num postremò eos, qui statuas & imagines adorant, substantiam habentes de lapidibus & lignis planè antea informibus, donec nunc nuper fabrorum manibus à concreta mole dispescerẽtur? Quarum etiam fratres seu cognatæ partes in vasa cesserunt ferendis aquis balnearibus, aut pedibus lauandis apta: vel in alia ignobiliora quæuis ad vsus tenebris magis quàm luci proprios inseruientia. Porrò de ritibus Ægyptiorum ne meminisse quidem honestum est: quippe qui bruta quoque animantia euexerunt ad diuinos cultus, nec mansueta solum, sed etiam immitissima ex singulis fermè generibus quæ sub orbe lunæ continentur. Vtputa è terrestribus leonem, ex aquatilibus Crocodilum eiusdem plagæ indigenam. Ex aëreis Miluum, & Ægypticam quoque Ibin. Cùm interim ea cernerent gigni, nutrimento egere, insatiabilia & plena excrementis esse, euibrare virus, homines vorare: morbis præterea variis esse obnoxia, & morte corrumpi non naturali solum, sed etiam sæpe violenta. Adorant nihilominus homines natura mites animalia immitia & insaturabilia, rationales irrationalia, diuinæ affinitatis consortes, ne bestiis quidem nonnullis conferenda, principes ac Domini obedientiam & seruitutem sibi ex naturæ lege debentia. Sed isti cùm & gentẽ suam, & externos sibi consuescentes repleant tam pudenda superstitione, sinantur vt expertos cultus insanabilesque & visu priuati sensuum omnium maximè necessario: visu, inquam, non corporis, sed animæ ipsius, quo solo verum & falsum à se inuicem dignoscuntur.

Hoc autẽ eximium cultorum genus, quod studio videndi assiduè incũbit, supremi Entis gaudeat cõtẽplatione, ac solem sensibilem transcendat, nec deserat vnquã hunc ordinem, per quẽ ad fœlicitatis culmen deducitur. Qui ergo ad cultũ accedunt, nec patriæ consuetudine, nec cuiusquam suasu aut exhortatione impulsi, sed planè cœlico amore sursum rapti, in mystarum Bacchi, & Corybantum morem diuino quodam feruore & impetu aguntur, donec conspiciant quod optãt. Deinde præ ingenti vitæ immortalis ac beatæ desiderio, perinde vt si reputent se mortali vita iã defunctos: facultates [a] suas liberis vel aliis genere coniunctis ante successionis tẽpus: vel si illi desint, sociis & amicis vltro derelinquunt. Hos enim conuenit cùm plutũ ad manum habeant visu præditũ, cæcum illum alterum hominibus cedere intellectu adhoc cæcutientibus. Anaxagorã Græci & Democritũ celebrant, quòd philosophiæ impleti desiderio, in pascuis ouium suas opes cõstituerint. Laudo sanè & ego viros ita factos pecuniis superiores. Quantò verò præstantiores sunt hi, qui quæ possidebãt neutiquam pascendis pecoribus, sed hominum vel propinquorum vel amicorum leuandis necessitatibus, egenisq; ditandis liberaliter impenderunt? Inconsultum enim est illorũ, quos adeò Græcia miratur, ne dicã insanum factũ: horum verò sobriũ omnino, & exacta quadã prudentia excussum. Eia obsecro, quidnam aliud facere hostes solent, quàm incendiis immissis, sectisq; arboribus aduersariorum fines deuastare, vt rerũ necessariarum penuria oppressi victas porrigant manus? Idẽ profecto Democritus & eum sequentes agunt in suos ipsorũ consanguineos, non aliter quàm si manu sua egestatem pauperiemq; illis conficerẽt, licet nõ hostili animo fortasse, at certè quatenus alienæ vtilitati erogatis bonis non consulunt. Longè haud dubiè hi præeminent & virtute & laude, qui ad Philosophiæ studia non minus interim feruentes præposita insuper contemptui magnificentia facultates suas potius elargiũtur, quàm indignè consumant: vt eadem opera tum alios iuuent, tum seipsos: dum aliis quidem abũdantiã rerum parant, sibi verò studiorum cõmoditatem. Pecuniarũ enim ac possessionũ curæ tempus perdunt, cui parcere operæpretiũ est. Quoniam iuxta Hippocratis dictum, vita breuis est & ars longa. Id quod innuere mihi videtur & Homerus iu Iliade per hos versus:

Mysij vbi fortes celebresque habitant Equimulgi,
Lac inopes comedunt, nec iustior altera gens est.

Eò quòd studium parandæ rei auaritiam, iniustitiã, & inæqualitatem parit: oppositum verò iustitiam matrem æqualitatis, intra cuius terminos naturæ opulentia consistit, alteram longè antecellens (quod ad fœliciter viuendum spectat) in opinionibus vanis collocatam.

Postea quam igitur sese à facultatibus abstraxerunt, nulla inescandi deinceps illecebra fugam capessunt, ne oculo quidem post tergum reflexo: iussis valere fratribus, liberis, parentibus,

[a] *Vide si Euangelica paupertas est spontanea, & non necessaria rerum omnium abdicatio.*

tibus, vxoribus, cognatorum, amicorum & sodalium turbis, cum patria ipsa in qua geniti educatique sunt: quia violentius nihil est ad trahendum, ac decipiendum, quàm familiaris consuetudo. Non autem in aliam ciuitatem migrant, vt faciunt infœlices & mali serui, qui se à possidentibus vẽdi postulantes, mutatis subinde dominis, libertatem sibi nunquam parant. Siquidem nulla non ciuitas quantumuis bene instituta, tumultibus atque obturbationibus plena est tam multis, vt ferre nequeat vir semel sapientiæ addictus. Quamobrem suas illi habitationes procul à mœnibus deligunt, in hortis, vel in locis agrestioribus solitudinem sectantes, non quòd ferinam quandam vitam, vt hominum osores agere proponant: sed quia dissimilium morum conuersationes inutiles sibi & nociuas esse intelligunt. In multis itaque vniuersæ terræ partibus sparsum esse hoc religiosorum genus, cùm deceret tum Græciam, tum Barbaras quoque nationes perfecti boni consortes esse. Abundat nihilominus in Ægypto per loca singula quæ pascua vocantur, præcipuè circa Alexandriam. Et ab optimis quibusque ex omni plaga coloniæ deduci solent: velut in patriam cultorum ad secessum quendam commodissimum super mariæ paludem situm in colle leni admodum atque oportuno, tum propter habitationis securitatem, quam villæ & pagi circumiacentes præbent: tum propter aëris temperiem, quam saluberrimam efficiunt auræ, partim tenues ex palude mare influente, partim crassiores è pelago vicino assiduè surgentes, ac simul permixtæ: Domus eò conuenientium structura sane quàm leui ac vili constant pro gemina tecti necessitate, vt nimij æstus & frigoris iniuriam propulsent. Eædem præterea domus nec propinquæ sunt inter se, vt vrbanæ solent, quoniam vicina contubernia studiosis solitudinis turbulenta & molesta sunt. Nec rursus tam procul distant à se inuicem, quò minus iucundissimo optatæ societatis amplexu frui possint, & mutuam sibi opem ferre, si quis hostium contingeret incursus. Habet vnusquisque sacram ædiculam, Semnêiam & monasterium appellatam, in qua honestæ sanctæque vitæ mysteria peragunt: non cibum, non potum, aut aliud quicquam vsui corporis necessarium eò inferentes, sed leges tantùm & oracula prophetarum, & hymnos, & alia huiuscemodi, per quæ doctrina simul & pietas augescunt ac perficiuntur. Memoriam Dei tam iugem tenent, vt per somnia quoque sola diuinarum virtutum imaginatio ipsis obuersetur. Vnde & plerique inter dormiendum velut per insomnium accepta enunciant præclara dogmata sacræ philosophiæ. Bis orare 3 Deum solent per dies singulos mane & vesperi. Nam in ortu solis faustum diem petunt, ac verè faustum, vt menteis scilicet impleantur lumine cœlesti: In occasu verò vt sublata sensuum & sensilium rerum importunitate, anima intra concilij sui curiam recepta, veritatem rectè inuestiget. Porrò spatium illud temporis, quod à mane ad vesperam vsque intercedit, totum insumitur in piam exercitationem. Versantes enim sacras literas more à patribus accepto philosophantur per allegorias, cùm persuasum habeant literæ ipsius interpretationes signa esse rerum occultarum, quæ arcanis quibusdam sensis declarentur. Neque desunt apud eos antiquorum virorum scripta, qui primi fuerunt huius instituti duces, & monumenta pleraque formam allegoriarum hoc genus exhibentia reliquerunt, quibus tanquam exemplaribus vtentes posteri, eundem disciplinæ modum obseruant. Nec vacant solùm contemplationi, sed cantica 4 etiam & hymnos in Dei laudem varijs metrorum & modulationum generibus compositos, venustis insuper rythmis & notis quibusdam necessarijs describunt. Per sex hebdomadæ dies in dictis monasterijs seorsum morantur singuli, & solitarij secum philosophantur: nec limen exeunt, nec intus abditi per speculam vnam foras prospiciunt. Septimo autem die velut in collegium congressi, ordine consident pro sua quisque ætate, cum habitu decenti, intra quem manus tenent, dexteram inter pectus & mentum positam, sinistram reductam ad latus. Tunc prodiens vnus in medium, qui cæteris senior, & dogmatum peritior habetur, mira vultus & vocis grauitate, cum magna item mentis solertia differit: haud sanè vt Rhetores vel sophistæ nostræ tempestatis, dicendi acrimoniam ostentans: sed exactam potius vim sententiarum perscrutans atque enucleans, quæ non solùm insideat extremis auribus, verùm etiam per auditum in animum penetret, ac tenaciter inhæreat. Reliqui omnes cum silentio auscultant, & dictorum commendationem, oculorum vel capitis nutibus dicenti solùm significant. Porrò commune illud monasterium, in quod septimo quoque die concurrunt, duplicem habet ambitum distinctum, vnum ad virorum, alterum ad mulierum proprios consessus. Nam docentem audiunt vnà etiam mulieres, vtpote eiusdem zeli atque instituti consortes. At paries vtrunque dirimẽs habitaculum, tribus tantum vel quatuor cubitis supra pauimentũ instar propugnaculi erectus est. Reliquũ spatium ad tectũ vsq; apertum relinquitur, duabus forsitan de causis, tum vt conueniens naturæ muliebri pudor cõseruetur: tũ vt ex cõgrua loci dispositione, facilè illæ percipiant vocẽ disserentis, nulla media obstructione præpeditã. Temperantiam primum in anima collocant veluti fundamentũ, quo iacto

3 Ecce quã antiquus in Ecclesia orationis vsus.

4 Canticorum & hymnorum vsus etiam à principio nascentis Ecclesiæ fuit.

5 Vide sanctorum antiquorum patrũ temperantiã Nec non victus tenuitatem, ac delitiosorum ciborum abstinentiam.

virtutes cæteras superextruunt. 5 Cibum vel potum ante Solis occubitum offerre nefas est: quia luce dignam existimant philosophicam suam exercitationem, caligine verò potius omnem corporis necessitatem, quapropter totum illi diem, hinc modicam duntaxat noctis portionem assignant. Nonnulli, quibus altius infixum est discendi desiderium, triduum transigunt, alimenti prorsus immemores. Alij etiam tanquam à sapientia splendido & amplo doctrinæ conuiuio excepti, tantam sentiunt oblectationem, tantisque delitijs fruuntur, vt duplum sustineant ieiunij tempus, & vix semel intra sex dierum spatium necessarium gustent cibum, perinde ac si (quod de cicadis fertur) aëre vesci assueuerint, & cantus ipse (vt arbitror) facilem toleratu reddat inediam. Septimum * verò diem omnino sacrum festum ac celebrem censentes, singulari hoc honore dignantur, vt in eo post curam animæ impensam, corpora tandem vt iumenta curent, remissa aliquantisper laborũ continuitate. Nihil edunt magno sumptu vel studio paratum, sed frugalem panem, & obsonij loco sales: quos si qui sunt in victu delicatiores, vnà cum hyssopo conditos sumunt. Aquam bibunt haustam ex fluentis. Eo pacto esuriem & sitim, quas natura generi mortalium tanquam dominas imposuit, nihil blandientes, sed ea solùm citra quæ vita non subsistit, porrigentes, demulcent. Idcirco tantummodò edunt ac bibunt, vt famem & sitim sedent, satietatem vt insidiosum tam animi quàm corporis hostem auersantur. At hæc cùm duplex sit genus tegumenti, vestis scilicet & domus, diximus de domo, quòd sit ornamenti expers, nulloque fermè negotio ad solum vsum necessarium constructa. Vestis 6 similiter est simplicissima, quæ ab æstu & frigore tutari illos possit. Nimirum hyeme pallium villosum & crassum: Æstate tunica subtilis. Et (vt in summa dicam) student in omnibus à fastu esse immunes, vt qui probè sciant, superbiæ vitium à falso, humilitatis virtutem à vero sumere principium. Verum insuper & falsum tanquam fontes esse. Ex hoc enim species malorum tot diuersæ: ex illo bonorum humanorum diuinorumque omnium affluentiæ deriuantur. Libet hic celebriores quoque eorundem congressus, & morem cõuersandi in conuiuijs suis hilariorem recensere, atque opponere quæ alij agitare solent conuiuia. Quippe qui postquam mero se ingurgitârint, quasi non vinum bibant, sed potius turbulentum & furiosum quiddam, aut aliud grauius, naturalis rationis alienationem passi, vociferantur & rabiem ostendunt, vt solent immanes bestiæ, nec cominus insurgentes mutuis impetunt se morsibus: & nares, auriculas, digitos, aliasque corporis parteis mordicus præsectas deglutiunt, ita vt facere verum videantur id quod de Cyclope & socijs Vlyssis fabulosum narratur à Poëta, illum membra hominum, vt panis frusta deuorasse. Atqui vel Cyclope isti sunt crudeliores, cùm is suspectos sibi hostes vlcisci vellet: hi autem in socios & amicos sæuiant, nec rarò in cognatos, violatis communis mensæ & familiaris conuictus legibus atque inducijs. Qua in re gymnicorum certaminum specimen peruersum præbent, quorum honestam exercitationem, veluti legitimum numisma præcidentes, non athletæ, sed athlij rectius, id est, infelices appellandi sunt. Nam quæ illi sobrij in stadijs, spectantibus Græciæ populis & aduenis, interdiu victoriæ gratia & coronarum quæ victoribus Olympicis decernuntur, cum multa gerunt solertia: Isti adulterina imagine repræsentant in conuiuio per tenebras nocturnas ebrij, bacchantes, sine arte, & prauè cum ingenti dedecore, iniuria, & calamitate illorum qui talia sustinent. Quòd si non aliquis velut certaminis præfectus, interuentu suo compescuerit, in maiorem rapti licentiam, ad internecionem vsque pugnant, cædentes simul & cadentes. Neque enim leuiora auferunt quàm inferunt aut disponunt. In quod peccati periculique genus temerè incurrunt, quicunque hoc modo (vt ait Comicus) non in proximorum tantùm, sed in suam quoque ipsorum perniciem vinum bibere non dubitant. Hinc fit, vt qui paulò antè incolumes amicique inter se ad conuiuium accesserunt, haud multò pòst indè mutili atque inimici discedant, & aliqui aduocatorum ac iudicum, alij chirurgorum medicorumque ope indigeant. Cæterum ex compotoribus qui videntur moderatiores, non aliter quàm si mandragora intemperata essent poti, obiecto sinistro cubito, ceruicem obliquè inuersam fulcientes, & in calices crapulam eructantes ipsos profundo somno ita comprimuntur, vt nihil penitus vel animaduertant, vel audiant, qui vnicum habere sensum putandi sint maximè omnium seruilem, nempe gustum. Noui etiam nonnullos, qui vino ad summum iam pectus imbuti, antequam penitus demersi sepultique sint, futuram postridie compotationem largitis symbolis præconcinnant, quasi præsentis lætitiæ partem esse ducant speratã denuò ebrietatem. Qui viuere pergunt in hunc modum, ij domum & familiam suam perdunt: atque parentibus, vxoribus, patriæ, sibique ipsis inimici existunt. Luxu enim diffluens & perdita vita vniuersis parat nocumentum. Sed laudabit fortasse quispiam, eam quæ nunc eminentior apparet conuiuiorum rationem, desiderio adductus Italicæ illius magnificentiæ ac molliciei, quam Græci Barbarique passim æmulantes, magnos faciunt apparatus, ostentationis potius quàm epulatio-

** Vides obseruationem diei Dominicæ statim in initio Ecclesiæ.*

6 Vide etiam vestitus simplicitatẽ & vilitatem.

epulationis gratia. Vt puta triclinia & lectulos alios dispositos in orbem ex ebore, vel testudine, vel pretiosiore quoque materia constructos, additis plerumque gemmarum incrustamentis. Strata item alia purpurea cum auro intexto, alia tincta succo floris, & ad visus lenocinium, omni colorum genere variegata. Pocula fermè innumera iuxta singulas species inferiem expansa. Adde cyathos, phyalas, calices, & alia vasa diuersi generis miro tornì ac sculpturæ artificio ab industrijs viris elaborata, vt quæ ab autore Thericlea dicuntur. Serui adsunt tum forma, tum cultu venustissimi, nec tam ad ministerium (vt conijcere est) quàm ad oblectationem intuentium producti. Pueri ex ijs pincernarum munere funguntur: adulti satellitum, loti omnes atque expolliti. Facies etiam sculpturis & picturis quibusdam insignitas habent, capillos concinnè implexos & constrictos: nam vel promissos ferunt, vel non tonsos omnino. Vel eos solùm qui à fronte sunt, ita vt à suprema parte exæquati omnes, figuram lineæ circularis absolutam reddant. Tunicas induti sunt arachnæis telis tenuitate conferendas, & candidissimas: zonisque succinctas, vt pars anterior infra genu, posterior paululum infra poplites sit dimissa. Vtramque rursum partem crispis complicationum rugis collectam constrictamque iuxta tunicularum cõnexionem ex transuerso sinu suspensam tenentes, & concauis laterum partibus latius distensis custodiæ præsident, obseruantque si quid imperetur. Alij adolescentes sunt prima barbæ lanugine efflorescentes, qui paulò antè ab impudicis hominibus in delitijs habiti fuerant, & ad obsequia indigna nimio studio exercitati. Ex his opinio paratur opulentiæ, etiam inopibus, vt norunt, vtentes, cum reuera insignem boni honestique arguant inscitiam. Accedunt obsoniorum cupediarumque & condimentorum miræ varietates, quibus præparandis coci, aliique lautitiarum artifices miserè insudant: nec solum (quod ex vsu foret) gustum suauitate, sed visum etiam venustate delectandum curant. Septem eò vel plures importantur mensæ, omnibus refertæ epulis, quas terra, mare, fluuij, & aër producunt, nullum non electum, nullum non obesum ex animalibus, piscibus & volucribus esitandis, nullum non, quò magis gulam conciliet, opiparè conditum, quasi hoc studij debeant, ne qua omnino escarum, saporumque species in rerum natura remaneat immunis. Postremæ tandem mensæ adueniunt, omni fructuum genere onustæ, præter illas quæ inter ludos & post cœnam sicut commessationes, vt quæ epideiphnides appellantur. Auferuntur autem vacuæ paropsides, adeo inexplebiles sunt conuiuæ, se mergorum more ingurgitantes: vt qui carnium nonnullas ad intima vsque ossa vorant: alias detruncantes laniantesque relinquunt semesas. Vbi demum nausea cibi oborta est, ventribus ad fauces vsque oppletis, tanquam adhuc vacui ex gulæ desiderio, licet de esu iam desperent, ceruice nihilominus circumacta, copiam lautitiamque ferculorum oculis, nidorem verò naribus apprehensant. Postremò visu quoque & olfactu plenè satiatis, cæteros hortantur ad vescendum, tam conuiuij apparatũ, quàm exhibentis magnificentiam laudantes. Sed quorsum prolixa isthæc narratio? Vt nimirum hominibus vitam agentibus honestiorem, & quæ dicta sunt damnantibus, magis adhuc effringerem, si quid superest istiusmodi affectuum, quos minui quàm fieri potest maximè operæpretium est: cùm procliue sit nonnullis optare res neutiquam sane optabiles, famem & sitim cum luxu cibi ac potus in conuiuijs istis vsitato. Porrò ex priscis Græciæ conuiuiis, duo potissimum celebria & insignia memorantur, quibus & Socrates ipse interfuit. Vnum Galliæ, quando coronato Autolyco propter victoriam & epinicia factum est epulum solenne. Alterum fuit Agathonis. Quæ quidem duo memoriæ prodenda censuerunt, viri tum moribus, tum doctrina verè philosophi, Xenophon & Plato, vel ea de causa, quòd posteros crederent exemplum inde accepturos esse studiosæ conuersationis in conuiuijs præstandæ. Verùm si ea quoque cum his, quæ nostris istis vitæ contemplatiuæ amatoribus propria sunt, contulerimus, pro risu erunt. Vtrunque igitur voluptarium est: humanius tamen quod scribit Xenophon, vbi adsunt fœminæ tibicines, saltatores, histriones mirifici, veluti præstigiatores, & scurriles poëtæ, falsa gratiosaque dicteria magnæ sibi gloriæ ducentes, & alia quædam ad hilariorem animi remissionem spectantia. Platonicum verò fermè totum de amore est, nec eo solùm, quo viri fœminæque insaniunt inter se, quod genus concupiscentiæ naturæ legibus inseruit: sed quo etiam masculi in masculos sola ætate differentes fœdè exardescunt. Si quid autem in illo de amore & Venere cœleste occurrit dictum, id solùm ad honestæ cuiusdam ciuilitatis prætextum additum fuit. Nam maximam sermonis partem sibi vendicat amor ille communis & tritus, qui virilis fortitudinis virtutem humanæ vitæ & bello & pace imprimis conducibilem de medio tollens, muliebrem ingerit imbecillitatem, & effœminatos reddit viros ipsos, quos omnibus ad robur conferentibus exercitijs conflictari oportet. Pueritiam etiam corrumpit, quam in amasiæ conditionem subinduit: cuius itidem amatores afficit grauissimis damnis corporum, animorum atque facultatum. Necesse est enim impuri hominis istiusmodi

mentem

mentem quidem ad nequitias tales penitus intensam, in ijs solùm perspicacem esse, & ad reliqua omnia seu priuata, seu communia negotia cæcutire, vtpote à concupiscentia obcæcatam. Corpus verò curis laboribusque nimiis, si præsertim vota non succedant, tanquam liquefactum cõtabescere. Ipsas etiam facultates duplici ex causa imminui, ob incuriam scilicet, & impensam. Aliud præterea inde nascitur maius & publicum malum, quòd vrbium solitudinem, & optimi omnium generis humani sterilitatem moliuntur: & sicut imperiti agricolæ pro gleboso campo seminant arenosas vel saxosas terras, aut aspera quæuis loca, quæ non solùm nihil germinare valent, sed etiam semenē perdunt. Sileo interim fabularū figmenta, & homines illos bicorpores, qui primitus per amoris mutui efficaciam concreti, postea denuò dissoluta compage illa in pristinas partes seiuncti sunt. Persuaderi hæc multis non ægrè possunt, & ex ipsa commenti nouitate inescare aureis. Sed vt vanissima facilè reijciunt ij qui Moysen norunt, & ab ineunte ætate veritatis amore sunt imbuti: vnde ab omni fallacia immunes perpetuò existunt. Cùm ergo famosa illa conuiuia ineptiis scateant eiusmodi, vt sui redargutionem in seipsis habeant: Si quis ad opinionem vulgi & famam de illis cum falso honestatis prætextu traditam respicere non velit, opponat nunc altera ex parte conuiuia horum Philosophorum, qui iuxta Moysis prophetæ sacras enarrationes speculandis naturæ rebus vitam, seque ipsos prorsus dedicârunt. Hi primū 7 per septem hebdomadas congregari solent non simplicem solùm & vnicam venerantes, sed & septuplicem hebdomadam vt virtute plenam: castam enim ac perpetuò virginem esse intelligunt. Est autem hæc præuia quædam disputatio ad maximum illud festum Pentecostes, cui numerus cessit quinquagenarius omnium sanctissimus & naturæ intimus, ex trianguli virtute rectum angulum habentis, quod est principium generationis, & constitutio vniuersorum. Vbi conuenerunt albis vestibus induti cum alacritate mira & suprema quadam grauitate, signo per vnum ex eis, quos ab officij vicissitudine Ephemerétas vocant, dato, priusquam discumbant, ordinatè decoreque stantes, facies suas pariter & extensas manus ad cœlum sustollunt: illas quidem vt edoctas quæ sunt spectatu digna intueri: has verò vt puras à quæstu, nullaque parandæ rei ansa contaminatas. Dehinc precantur Deum, vt propitius adsit, & iuxta mentem fœlix contingat is conuictus. Post precationem discumbunt presbyteri, id est, seniores, iuxta diuinorum ordinem iudiciorum. Non enim seniores censent grandeis natu ac senio confectos, vt nec rursum iuuenes admodum seu pueros, si tardius illi hoc institutum amplexi sunt: sed eos demum, qui iam inde à pueritia initiati, pubertatis annos, atque adeo ipsum ætatis florem contemplationi, quæ philosophiæ pars est pulcherrima & diuinissima, impenderunt. Epulantur vnà etiam mulieres, virgines grandæue vt plurimum, quæ castitatem ipsam non necessitate vlla (vt pleræque apud Græciam sacerdotes) potius quàm sponte 8 ac deliberato animo conseruant, sed præ zelo studioque sapientiæ, cui vt suauius conuiuant, omnem corporalium voluptatum curam prorsus abiecerunt: neque mortalium fœtum, sed immortalium sobolem affectam, hanc autem parere solùm potest anima Dei amica, seminante in ea summo patre radios intellectuales, quibus deinceps sapientię dogmata speculari possit. Distributus est autem mēsæ accubitus viris ad dexteram, ad sinistram mulieribus seorsum. Hic sanè existimet qui lectulos & si non sumptuosos, molliusculos tamen ingenuis, ciuilibus & Philosophiæ studiosis viris concinnatos esse. At qui thori sunt dūtaxat materiæ cuiusdam leuissimæ, puta herbacei & ex papyro, quam regio producit, humi strata, paululum assurgunt fulcra quædam sanè quàm vilia ad cubitos vsque, vt inniti queant. Nam de Laconica illa nimia austeritate nonnihil remittunt, omni verò & tempore & loco 9 libertatem seruare student, eoque ferunt facilius, quoniam voluptatis philtra totis viribus auersantur. Mancipijs ad ministeria non vtuntur, cum seruorum possessionem ducant à natura esse alienam: hæc enim omneis ex æquo procreat liberos: sed iniustitia & cupiditas hominum quorundam, inæqualitatem omnis mali radicem affectantium, robur ab infirmioribus vi sublatum, potentioribus adiecerunt. In hoc itaque sacro conuiuio seruus est, vt dixi, nullus: sed liberi vicem ministrandi supplent, quoties opus est, neque id faciunt inuiti, vel mandatum vllum expectantes, verum vltrò cum multo studio & alacritate iussa præuertentes. Siquidem non liberi quicunque ad munia isthæc ordinantur, at iuuenes duntaxat: iique optimi ex sodalitio accuratissimè discussi ac electi, quales esse par est, ciuiles, ingenuosque ad supremum virtutis ascendentes. Quamobrem velut filij genuini libenter & cupidè patribus matribusque parent. Imò quos habent cum plurimis communes, eos sibi magis proprios parentes censent, quàm ipsosmet à natura datos: nec id sanè iniuria, nam homini bene sapienti nihil æquè proprium intimumque esse debet, vt ratio boni & honesti, quæ καλοκαγαθία dicta est. Ad ministrandum porrò illi soluti s cingulis ac vestibus demissis, ne quam in conuiuio præ se ferant seruilis habitus imaginem. Non me latet, aliquos hoc audito risuros esse, at ridebunt soli, qui flenda committunt.

Nihil

7 Quod hic dicit Philo de præparatione 7. hebdomadarum, & de festo Pētecostes, intellige de sancta quadragesima, & de festo Paschatis. Nam in primitiua Ecclesia in Quadragesima ieiunabāt, & præparabant se, nō autē in 50. diebus post resurrectionem Dñi, vt habes ex Beda & alijs patribus, ac cōmuni ecclesiæ vsu. Et Quadragesima ipsa cōstabat ex 50. diebus, hoc est, septem hebdomadibus, vtpote quæ à dominica in Quinquagesima, nō autē à feria 4. cinerum initiū habebat, vt patet ex decreto Telesphori, & vt etiam hodie seruāt oēs religiosi. Festum etiam Dominicæ resurrectionis, festum est maximū, & principium dicitur generationis spiritualis: Nā destructa morte, vita eo die nobis reparata est, & ideo etiā in eo in signum lætitiæ albis vestibus induebantur. Quod ideo hic appellatur Pentecoste, quia si incipias numerare quadragesimam à Dominica Quinquagesimæ, septē erūt hebdomadæ, & dies Paschæ quinquagenarius. Ex quo habes sanctam Quadragesimam etiā in primitiua Ecclesia fuisse in maxima obseruantia.

8 Vide virginitatem iam inde à principio nascētis Ecclesiæ seruari solitam, non ergo est res impossibilis vt quidā modo impie dogmatizant.

9 O hæretice, qui tantopere Christianam libertatē extollis, nota hic modū quo eā assequi possis, nēpe si volūtatis illecebras totis viribus auersaberis. Non ergo est Christiana libertas carnis, sed spiritus.

Nihil propinatur vini per illos dies, sed aqua 10 limpidissima, & frigida quidem pluribus, calefacta verò ijs tantum qui iam senio exhausti sunt, non item si qui eam suauioris potus gratia desiderent. Mensa apponitur munda penitus ab ijs quæ sanguinem habent. In ea 11 panis est pro nutrimento, pro cæteris autem cibarijs sales, quibus aliquid condimenti loco admiscere delicatorum est. Ipsis enim tanquam sacerdotibus recta dictat ratio sobrias victimas immolare & comedere. Vinum verò, pharmacum est quoddam vecordiam infundens. Et cibi opipari gulam irritant pecudum propriam & insatiabilem. Ea sunt conuiuij auspicia. Iam vbi accubuerunt conuiuæ ordinati, sicut prædiximus, adsistentibus ministris paratis multo cũ decoro. Sed tunc (inquiet aliquis) decoro locus nõ est. Imò adhuc magis quàm prius, adeo vt vel mutire, vel vehementius respirare audeat nemo. Quæritur discutiendum aliquid è sacris literis, vel propositum ab altero vnus dissoluit, citra curam ostentationis, cùm nullam doctrinæ aut eloquentiæ ambiat gloriam: quin potius alium exoptet solertius rem perpendere. At cæteri nihil inuident, etiam si non sint minus perspicaces. Simile est omnibus discendi desiderium. Et vnus quidem is qui docet, sermone vtitur quieto & lento, repetitionibus subinde factis immorans, atque animis auditorum sententias insculpens. Alioqui enim interpretationem lingua volubili, & spiritu irremisso factam cùm nequeat æquatis passibus insequi audientium intellectus, retro subsistit, & excidit ab eorum quæ dicuntur apprehensione. Reliqui verò erecto in illum vultu intuentes, & in eodem corporis situ permanentes, auscultant. Si capiant dicta, id nutibus & aspectibus significant vt docentem laudent, cum hilaritate vultum circumducunt: Si quid addubitent, hoc motu capitis segniore indicant, summique digiti dexteræ manus protensione. Nec attendunt minus iuuenes qui adstant, quàm ij qui discumbunt. Fiunt autem literarum sacrarum expositiones per subintellectos sensus in allegorijs. Nam hisce viris videtur vniuersa legis constitutio similis esse animali, cuius corpus quidem sit ipse verborum contextus: anima verò sensus quidam inuisibilis in verbis illis reconditus. In quo sanè iam cœpit anima rationalis, quæ sibi sunt peculiaria insigni modo contemplari, dum per voces tanquam per speculum expressa, redditaque inspicit genera quædam intelligibilium rerum longè pulcherrima. Vnde explicatis detectisque signis, nuda mysteria in lucem profert, ab ijs demum percipienda, qui vel leuiter moniti occulta per nota speculari valent. Vbi tandem satis disseruisse videtur præses, ac fœliciter cessisse tam docenti sermo conatibus certis ad scopum perductus, quàm audientibus dictorum intelligentia, plausus fit à cunctis ad vesperam vsque simul gaudentibus. Tum exurgens vnus hymnum 12 canit in Dei laudem vel recens à se factum, vel pridem ab aliquo priscorum vatum, qui carmina & cantica permulta ipsis reliquerunt trimetri generis. Prosodias item & hymnos varios, qui ad libamina, ad aram, in stationibus quoque & choris concinuntur, diuersis quæ in choro fiunt conuersionum vicibus eleganter commensurati. Post illum alij quoque sigillatim canunt, ordinem suum ac decorum optimè seruantes, cæteris interim magna cum quiete attendentibus, præterquam vbi ad extremas certas hymni parteis accinenda sunt quæ vocant Ephymnia. Tunc enim omnes simul viri & mulieres pariter exclamant. Decantatis hymnis per singulos, mensam 13 quam diximus iuuenes important, in qua sanctissimus omnino ille cibus apponitur, panis licet fermentatus: & pro eduliis sales cum hyssopo mixti. Idque ob reuerentiam sacræ illius mensæ, quæ in priore templi parte sita est. In ea enim azymi sunt panes, id est, absque fermento, & sales prorsus inconditi: eò quòd deceat simplicissima & synceríssima quæque in optimam sacerdotum partem velut ministerij præmium deputari. Homines verò cæteros, licet similem obseruent ritum, ab azymis tamen abstinere, vt hoc habeant prærogatiuæ, qui alijs dignitate præstant. Peracta cœna 14 subdunt vigilias in quibus pernoctare solent, & cantare hoc modo. Confertim surgunt omnes ex vtraque parte, conuiuium quoddam secundum celebraturi, & primum fiunt chori duo, virorum vnus, alter mulierum. In vtroque suus eligitur dux ac præsultor, qui simul & personæ dignitate, & arte Musicæ antecellit. Deinde hymnos canunt in Deum, metris & modulationibus multis compositos, nunc iunctis vocibus resonantes vnà, nunc sibi inuicem congruè respondentes, cum certis manuum gesticulationibus, tripudiisque, & diuini afflatus signis manifestis. Tripudiant autem iuxta genera carminum diuersa progressim, statim conuersim reuersimque prout conuenit se gerentes. Posteaquam ita duo chori diuisim suum tale agitauêre conuiuium in festi cuiusdam Bacchici similitudinem, diuini amoris studio vt mero æstuantes, vnicum ex ambobus chorum efficiunt, ad emulationem illius qui olim secus mare rubrum factus est, ob patratum illic miraculum: quando videlicet aliorum quidem salutis, aliorum verò exitij causa extitit ipsum pelagus interruptum, & violenta sectione ita subductum, vt aquis vtrinque tanquam muris consolidatis spatium intermedium in viam nobilem & siccam decisum ac dilatatum sit, per quam

10 Ecce quomodo in principio Ecclesiæ potus sanctorũ erat aqua vel frigida vel calida, vinum autem nequaquam

11 Ecce iterum victus tenuitas & parcitas.

12 Quomodo audeat quis cantus Ecclesiasticos & hymnorum in choro decantationem reprehendere, cùm eorũ vsus sit tam vetustus?

13 Habes quod orare ante & post cibum, Christianus mos est.

14 Ecce vigilias & pernoctationes: ecce cantũ & modum in communi orandi.

per quam iter pedestre fecit populus vsque ad oppositum latus continentis: inde ad ædi-tiora loca transmittendus. Hostes verò qui subsequebantur, vndis hinc inde in alueum, qui modo soli specimen & vsum præbuerat, denuo refusis, occurrentes demersi absumptique sunt. Hoc Dei opere conspecto, & beneficio accepto, quod sermonem, cogitationem, spemque omnem vinceret, permoti simul viri ac fœminæ, numineque afflati, & in vnum collecti chorum pro gratiarum actione hymnos seruatori Deo concinebant: Moyse quidem propheta inter viros, Maria verò prophetide inter mulieres chori præsidem agente. Illius itaque chori simulachrum refert hic cultorum & cultricum chorus, in quo editis redditisque vicissim vocibus & cantibus, sonus virorum grauior, & acutior mulierum contemperati, suauem efficiunt, ac verè musicam symphoniam. Pulcherrimæ ibi sententiæ, venustissimæ dictiones, & personæ chori honestissimæ. Horum porrò omnium vnicus est finis, pius Dei cultus. Eo igitur tam honesto temulentiæ genere ad diluculum vsque inebriati, non capite grauato, non oculis somno conniuentibus: sed magis etiam quàm in conuiuij accessu experrecti illi, vultuque & toto corpore recti ad auroram stantes, simulatque orientem solem conspexerint, extensis in cœlum manibus fœlicem sibi diem precantur, lucemque veritatis, & visum mentis perspicacem. Finitis precationibus, redeunt in sua singuli domicilia, quæ semnêia dicũtur, ad parandam atque extollendam grauiter, vt solent, philosophiam. Et hactenus quidem nobis dictum sit de præclaris illis Dei cultoribus, qui naturæ rerumque omnium speculationem amplexati, solius animæ vitam viuunt, cœli ac mundi vniuersi ciues: & omnium Patri opificique Deo peculiariter grati, coniuncti sunt ob virtutem, quæ amicitiam ipsis conciliauit, quod munus est homini maximè proprium, addita benè honesteque viuendi ratione, quæ καλοκαγαθία dicitur, fortunis omnibus longè potiore: quippe quæ ad summum ducit fastigium fœlicitatis.

VITA SANCTI MARCI EVANGELISTAE, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius Martyrolog. sub 7 Calend. Maij.

ALexandriæ natale sancti Marci Euangelistæ. Hic discipulus & interpres Apostoli Petri, rogatus Romæ à fratribus scripsit Euangelium. Quod quantò tardius cæteris inchoauit, tantò in longiora scribendo tempora porrexit. Ab initio namque Euangelicæ prædicationis quæ per Ioannem facta fuit, cœpit, & ad illud vsque tempus narrando peruenit, quo Apostoli idem Euangelij verbum totum prædicando disseminauêre per orbem. Quod cùm Petrus audisset, probauit, & Ecclesijs legendum sua 1 autoritate edidit. Quo assumpto idem Marcus perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiam tanta doctrina & vitæ continentia, vt omnes sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Meminit huius Marci & Petrus in prima epistola, sub nomine Babylonis figuraliter Romam significans. Salutat, inquit, vos quæ est in Babylone collecta Ecclesia, & Marcus filius meus. Qui constitutis & confirmatis Ecclesijs per Lybiam, Marmaricam, Ammoniacam, Pentapolim, Alexandriam, locaque quæ Bucolicæ dicebantur, vicina Alexandriæ, circa mare Ægyptium, plena ferocium barbarorum, atque AEgyptum vniuersam, ad vltimum tentus est à paganis, qui remanserunt Alexandriæ. Qui videntes eum die sancto Paschæ 2 missam facientem, miserunt funem in collo eius, & trahebant eum ad loca Bucolicæ, quæ erant iuxta mare sub rupibus, vbi erat Ecclesia constructa. Et defluebant carnes eius in terram, ac saxa inficiebantur sanguine. Vespere autem facto miserunt eum in carcerem, vbi circa mediam noctem primò Angelica visitatione confortatus est, deinde ipso Domino sibi apparente, ad cœlestia regna vocatus est. At mane dum traheretur ad loca Bucolicæ, gratias agens & dicens, Domine, in manus tuas commendo spiritum meum, defunctus est, & à viris religiosis sepultus in loco lapidis excisi cum 3 gloria. Ordinauerat autem pro se Episcopum Alexandriæ Anianum. Mortuus est autem octauo Neronis anno. Alijs quoque ecclesijs longè lateque Episcopos, Presbyteros, & Diaconos dederat.

1 Et hinc accipe vel ad solum pontificem Romanæ vrbis solummodo vt ad Ecclesiæ caput pertinere, canonicas scripturas iudicare, easque Christi fidelibus legendas proponere.
2 Si die sancto Paschæ B. Marcus Missam faciebat, liquet, velint nolint hæretici, Missam non esse nouitium inuentũ: & quod S. Apostoli Missas celebrauerunt.
3 Nota, & à viris religiosis sepultus cum gloria.

SANCTI MARCI APOSTOLI ET EVANGELISTÆ MARTYRIUM.

XXV. Aprilis.

Apud Simeonem Metaphrasten.

TEMPORE illo cùm Apostoli per omnem orbem terrarum dispersi essent, diuina voluntate factum est, vt vir sanctissimus Marcus AEgypti regionem adiret. Euangelistam hunc esse sancti Apostolicæ Ecclesiæ Canones constituerunt, eò quòd primus ipse in tota AEgypti regione, Lybia, Marmarica, Ammaniaca, & Pentapoli, Christi Euangelium quod scripserat, & eius ad nos aduentum prædicauit. Erat enim tota illa

regio hominibus referta, qui cùm essent corde incircunciso & durissimo, idolis seruiebant, pleni omni impuritate, & impurorũ spirituũ cultores. Per omnes enim vrbes ac prouincias, templa & lucos constituebant. Syderum etiam euenta, & magicæ artes, omnisque dæmonum facultas apud eos exercebatur, quam Dominus Iesus, cùm in eam regionem iuisset, dissoluendam atque euertendam præmonstrauit. Cùm igitur diuinus Euangelista Marcus in Cyrenem vrbem Pentapolis venisset, & cœleste Christi regnum prædicasset, & apud eos miracula ingentia fecisset: (ægrotos enim curauit, leprosos mundos reddidit, ac diuinæ gratiæ verbo impuros & feroces spiritus eiecit) multi per eum crediderunt in Dominum Iesum Christum, & fecerunt vt eorum simulachra in terram deijcerentur: qui & baptismate illuminati sunt in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti, Amen. Illic igitur per sanctum spiritum ei reuelatum fuit, vt ad Pharitem Alexandriam abiret, & bonam Dei sementem illic spargeret. Itaque beatus Euangelista Marcus ad stadium, tanquam generosus & fortis athleta, prompto animo gradiebatur. Cumque fratres ipsos salutasset: Dominus, inquit, meus mihi dixit, vt ad vrbem Alexandriam proficiscar. Fratres autem eò vsque illum deduxerunt, quoad in nauigium ingressus est. Cumque panis buccellam degustassent, benè illi precantes, eumque deducentes, sic dicebant: Dominus Iesus Christus prosperum faciat iter tuum. Beatus verò Marcus postridie Alexandriam venit. Cumque descendisset è naui, adiit locum quendam, qui vocabatur Mendion. Cùm autem eius vrbis portam ingressus esset, statim ipsius calceamentum dissolutum fuit. Quod beatus Apostolus intelligens: Verè, inquit, via hæc expedita & facilis est. Visoque veterum calceamentorum sutore, calceamentum reficiendum ei tradidit. Ille verò calceamentorum sutor subula sinistram manum suam percussit, & continuò clamauit: Vnus Deus est. Id cùm beatus Marcus audiuisset, secum cogitans, ac ridens dixit: Prosperum fecit Dominus iter meum. Cumque in humum despuisset, ex ipso sputo lutum confecit, & eius viri manum illinens: In nomine, inquit, Iesu Christi viuentis in secula esto sanus: ac statim eius viri manus sanata est. Sutor autem ille, cùm Apostoli Marci potentiam, & orationis efficacitatem, habitúmque virtutis exercitationi conuenientem animaduertisset: Precor, inquit, te homo Dei, vt venias hodie, & diuertas ad domum serui tui, vt simul pane vescamur, quoniam misericordia hodie me prosecutus fuisti. Beatus Apostolus Marcus ea re valde lætatus: Dominus, inquit, dabit tibi panem vitæ cœlestis. Homo igitur ille valde hilaris, coëgit Apostolum domum suam diuertere. Quam cùm beatus Marcus introiuisset: Benedictio, inquit, Domini hic sit. Precemur Deum fratres. Ac simul precati sunt: & post preces accubuerunt. Vt verò benignè se vicissim acceperunt, dixit homo ille: Pater obsecro te, quis es? Et vndénam oratio ista tam potens in te profecta est? Cui sanctus Marcus dixit: Ego seruus sum Domini Iesu Christi filij Dei. Vellem, inquit ille, Deum videre. Tum sanctus Marcus: Illum ipsum tibi ostendam. Cœpitque sanctus Apostolus exponere initium illius Euangelij, Liber generationis Iesu Christi filij Dauid, filij Abraham: eique ostendere, quæ Prophetæ ipsi de Christo prædixerunt. Vir autem ille: Istas, inquit, Domine scripturas, quas tu dicis, nunquam ego audiui, sed Iliadem, & Odysseam, & quæcunque Ægyptiorum filij doceri solent. Tunc cœpit sanctus Euangelista Marcus Christum nunciare, atque ostendere huius mundi sapientiam, stultitiam esse apud Deum. Credidit homo ille Deo, propter ea quæ à Marco dicta sunt, & propter signa & prodigia per eum facta, ipseque & tota eius domus, & magna eius regionis multitudo ab Euangelista ipso illuminata est. Erat autem hominis illius nomen, Anianus. Cùm verò creuisset numerus eorum qui in Domino crediderunt, audiuerunt ciuitatis illius optimates, Galilæum quendam illuc venisse, qui deorum sacrificia euerteret, & ipsorum cultum impediret. Quam ob rem eum interficere studebant, atque insidias multas ei faciebant. Quas cùm sanctus Marcus cognouisset, ordinauit Episcopum Anianum, & tres presbyteros, Malchum, Sabinum, & Gerdonem, ac septem Diaconos, & alios vndecim, qui Ecclesiasticum ministerium obirent. Quo facto, aufugiens rursus in Pentapolim venit Ibi cùm annos duos transegisset, & fratres qui illic erant confirmasset, Episcoposque & clericos per regionem illam ordinasset, rursum venit Alexandriam, & eius loci fratres multo numero, & gratia & scientia Dei auctos inuenit, qui & Ecclesiam sibi ipsis ædificauerant in iis locis, quæ Bubulci nomen habent, maritimaque sunt, infra præcipitia quædam posita. Quare iustus ille vir multùm gauisus est: cumque genua in terram posuisset, diuinam gloriam celebrauit. Cùm verò multum temporis transiisset, & Christiani aucti essent, idola ipsa irridebant, & Græcos qui ea colerent subsannabãt. At Græci, posteaquam audierunt sanctum Euangelistam Marcum illuc venisse, ardore quodam atque inuidia repleti sunt, eò quòd audirent admirabilia quædam per eum fieri. Ægrotos enim sanabat, leprosos mundabat, surdis auditum ita restituebat, vt Euangelij prædicationem ab eo percipere possent: multis denique cæcis visum præstabat. Quamobrem illum

insectabantur. Quem cùm non inuenirent, stridebant dentibus suis, & in sacrificiis, & idolorum suorum debacchationibus, aduersus sanctissimum virum vociferantes, dicebant: Multæ sunt huius Magi & venefici violentiæ. Factum autem fuit, vt beatus, & 1 festus dies noster, hoc est, sanctũ Pascha die Dominico celebraretur, octauo Calendas Maij, hoc est, vigesimo quarto die mensis Aprilis, qui ab Ægyptiis Pharmutius vocatur. Illo autem tempore & Serapidis illorum Dei debacchatio celebrabatur. Cùm igitur eam tẽporis oportunitatem nacti essent, homines quosdam subornatos miserunt, qui Apostolum sanctas 2 diuinæ oblationis preces, & ministerium facientem inuenerunt. Quem cùm comprehendissent, fune in eius collum iniecto trahebant, ita dicentes: Trahimus bubalum hunc ad bubulci stabulum. At sanctus Marcus cùm traheretur, Saluatori Christo gratias agens: Gratias, inquit, ago tibi Domine Iesu Christe, quòd dignus habitus sum, qui pro nomine tuo hæc paterer. Eius autem carnes decidebant, & sanguine ipso lapides inquinabantur. Erat eius diei vespera, cùm in carcerem eum coniecerunt, donec inter se decernerent, quali morte ipsum de medio tollerent. Media verò nocte, ianuis clausis, & custodibus ante ianuam excubantibus, ecce terræ motus magnus factus est. Angelus autem Domini cùm descendisset de cœlo, tetigit ipsum, dicens: Serue Dei Marce, summe omnium illorum sanctorum, qui sunt in Ægypti regione, en scriptum est nomen tuum in libro vitæ cœlestis, & connumeratus es cum sanctis Apostolis, & memoria tua non delebitur in æternum. Eiusdem chori consors eris, cuius cœlestes & supernæ potentiæ consortes sunt. Archangeli spiritum tuum in cœlos suscipient, & reliquiæ tuæ in terris non peribunt. Hanc visionem cùm beatus Marcus vidisset, manus suas in cœlum 3 extendit, ac dixit: Gratias ago tibi, Domine mi Iesu Christe, quòd non dereliquisti me, sed cum sanctis tuis me connumerasti. Precor te, Domine Iesu Christe, vt accipias in pace animam meam, neque me reprobes, aut excludas à gratia tua. Cumque hæc ille dixisset, Dominus Iesus Christus ad eum venit figura illa quam habebat, quo tempore versabatur cum Discipulis suis, & qua forma erat, antequam crucem passus, & sepultus fuisset. Qui & dixit ei: Pax tibi Marce Euãgelista meus. Beatus verò Marcus dixit: Pax tibi Domine Iesu Christe. Cùm verò dies illuxisset, venit illuc ciuitatis multitudo, quæ cùm illum eduxisset è carcere, rursus in eius collum funem iniecerunt, eumque pertrahentes, dicebant: Trahamus bubalũ in bubulci stabulum. At beatus Marcus eò maiores gratias omnipotenti Domino Iesu Christo agebat, dicens: In manus tuas Domine commendo spiritum meum. Cumq; hoc dixisset, tradidit Deo spiritum. Impiorum verò Græcorum multitudo, cùm ignem eo in loco, qui Angelorum nomine appellatur, accendisset, illius viri iusti reliquias comburebat. Tunc Domini & Saluatoris nostri Iesu Christi prouidentia factum est, vt turbo quidam erũperet, & tempestas magna fieret, & sol ipse radios suos contraheret, tonitruaque & eorum sonitus multus audiretur, plurimaquoq; pluuia cum grandine commissa vsque ad vesperam duraret, ita vt ædificia multa corruerent, & homines non pauci mortui caderent. Eius igitur rei timore percussi reliquias sancti Marci dereliquerunt, ac fugerunt. Alij verò irridentes dicebant, beatissimi illorum Serapidis prouidẽtia hæc in illo viro fuisse facta propter natalem ipsius diẽ. Tunc venerunt homines religiosi, & viri iusti reliquias à cinere secreuerunt, atq; in eum locum tulerunt, vbi preces & psalmos suos canebat: eiusque funus curarunt, vt ciuitatis mos erat. Reliquias autem deposuerunt in loco è lapidibus exciso, ipsius memoriam sobriè & piè cum precibus celebrantes, quo nihil preciosius Alexandria ciuitas possidebat, Illas autem reliquias Orientem versus collocarunt. Beatus igitur Marcus Euangelista, primus Christi martyr in Ægypti Alexandria, mense, qui apud Ægyptios Pharmutius, & apud Hebræos Nisan dicitur, septimo Calendas Maij, vt Romani numerant, hoc est, Aprilis vigesimoquinto obiit, Imperatore Claudio Nerone Cæsare, nobis autem Christianis imperante Domino nostro Iesu Christo: Cui gloria est & imperium cum Patre, & Spiritu sancto, in secula seculorum. Amen.

1 Beatus et festus dies sancti Paschæ die Dominico celebrabatur.

2 Vide ex hoc loco sanctos Apostolos Domini missas celebrasse, atque ritũ huiusmodi non esse nouitiũ inuẽtum, vt adstruunt hæretici.

3 Orat sanctus manibus in cœlũ extensis.

PROCOPII DIACONI, ET CHARTOPHYLACIS laudatio in sanctum Apostolum & Euangelistam Marcum.

Apud Simeonem Metaphrasten.

RVrsus Apostolica panegyris, ac celebritas effulget. Rursus ego vnà cũ iis qui eiusdẽ chori participes sunt, exulto. Rursus eius qui Christi discipulus fuit, memoria, instar facis cuiusdã, lumẽ nobis præfert. Et ego linguam ipsam ad hymnorũ choreas celebrãdas cõfero. Quç quidẽ lingua obscura quædã pronũciat: nullius enim vibratilis orationis particeps est, neq; pulchra & elegãti concinnitate verborũ probatur: quamuis neq; si his rebus bene munita esset, ad beati Marci laudes explicandas satis esse posset. Ea tamẽ nunc præclaris Euangelistæ factis exultat, & earũ rerum, quas ille bene gessit, facultatẽ quàm maximè potest admiratur.

Marcus

Marcus Petri filius, & eius qui claues cœlorum accepit, socius, mysteriorum nuncius, & arcanorum præco, qui Ægyptum illustrauit, & in illius regionis sacro throno primus sedit. (Neque enim hoc ad laudationis & gloriæ materiam parum est, cùm difficilius sit tellurem spinosiorem factam, quàm illam, quæ purgata est, laboris studio excolere) hic, inquam, nos hodie in conuiuium accipit, hic sua egregia & præclara facta, tanquam obsonia quædã, proponit. Simul enim cum vere ipso suauissimo, & omnium iucundissimo anni tempore huius viri sancti dies 4 festus exorsus est, & instar splendidissimi solis humanas animas illustrauit. Namque vt nunc terra ipsa floribus ornata est, ita & præsens dies præclaris Euangelistæ Marci factis decoratus, omnes ad se congregauit. Fidelium hominũ cateruæ, tanquam ex conuentione quadam, eodem in loco versantes, Apostolum ipsum beatum prædicant. Gentium cœtus atque conuentus mysteriorum autorem celebrant, & magnificè, vt Christi scribam, extollunt, eiusque diuini aduentus testem honorant. Vel dicam potiùs: Mundus ipse tanta huius viri rectè facta, vt diuina suscipit, & magno cum applausu veneratur. Cuncti enim eius doctrinam adiutricem senserunt. Sed neque oratio, neque lingua hunc pro dignitate laudare potest. Quid enim primum, aut quid postremum laudauerit? Nam & appellationes earum rerum quæ in illo effulserunt, multiplices sunt, & certamina ipsa horribilia. Hic enim & eum contemplatus est, quem humani oculi videre non potuerunt, in nostro hoc corporeo tegumento apparentem. Hic & terram quæ ipsum produxit dereliquit, diuinaque voce inuitatus, propinquorum hominum amoris illecebras propulsauit: proque nihilo fecit generis honores, ac splendorem. Fluxæ & caducæ mundi facultates somnium quoddam illi visæ sunt. Itaque Deum ipsum rerum omnium Dominum tantùm dilexit, vnamque & solam fœlicitatem ea esse arbitratus est, quæ Deus promisit. Idem & in discipulorum societatem aggregatus fuit. Nam in septuaginta duorum Apostolorum cœtu connumeratus est, tanquam splendidum quoddam lumen inter stellas apparẽs, ab illo qui eum vocauit delectus, cui nihil ex iis, quæ in inferiore hac mundi scæna & voluptate habentur, conferri potest. Verè Petri filius fuit Marcus, ita illi mente & animo fuit similis. Natura enim ipsa, quæ propria sunt alicui generi, ea sic distribuit: vt & his qui sunt eiusdem generis, communia sint: & egregias vniuscuiusque virtutes omnibus communes proponit. Hoc ex eo declaratur, quòd Marcus Deo ipsi obediuit, & eum à quo formatus est, sequi studuit, cæteraque bona his similia, diligentia & virtutis studio assecutus fuit. Vt enim est apud Prophetam Amos, ex persona diuitis, ac principalis Spiritus prænunciantem: Ecce ego firmans tonitru, & creans spiritum, & nuncians in homines Christum ipsius: ab extremis terræ partibus vsque ad extremas mundi partes perrexit, vt rerum omnium opificis Dei Euangelium prædicaret, variáque rectè factorum semina spargeret. Nam orbem terrarum illustrauit, erroris impietatem extinxit, & eos qui idolorum victimis atque cruoribus contaminati erant, abstersit atque purgauit. Deoque ipsi per baptismum purgatos (ne multa dicens longior sim) obtulit. Pro scuto enim & hasta, linguam habebat, qua prædicationem omnibus firmissimam annunciabat, turbasque multas ad veram vitam traducebat. Vnde enim scaturiebat miraculorum redundantia, illinc & turbæ ipsæ ad diuinam cognitionem percipiendam deriuabantur. Qui pedibus antea mutilatus erat, integer postea factus, magister iis proponebatur, qui ad currendum veloces erãt. Qui oculorum lumine antea carebat, pupillarum deinde aciem habens acutissimam, alios ad cognitionis lucem, tanquam manu protensa, deducebat. Tactus iis qui eo carebant, restitutus: illos, qui ad consueta libamina multo furore atque cupiditate ferebantur, ad veram religionis formam dirigebat. Itaque sacrificiorum, quæ idolis offerebantur, ignis in caliginem conuersus est, & erroris autores dæmones tanquam in cinerem redacti erant, veraq; & diuina pietas efflorescebat. Ita erant splendida tua, diuine Marce, facta: ita illustria & admirabilia victoriarum trophæa. His enim captiuos duxisti aduersantis exercitus Imperatores tu idiota ille, & olim rudis. His Gentium errorem expugnasti tu inermis, & vnica vtens veste. His armis vnà cum Petro ipso tu Petri filius Italorum gentem subiecisti, ab Oriente sole motus, & ad Occidentẽ aduolans, prædicationisq; orationem latè fundens, qua parte & sol ipse radios suos in extremos mundi fines spargit, non sophistica argumentorum vi & ratione, nõ comptis & concinnis argumentationibus, sed simplici oratione, & veritate sola vsus, quæ omnium victoriam inexpugnabilem reportat. Quod enim omnis oratio expugnari facilè possit, nisi ea quæ vera sunt, colat & prædicet, ex hoc ipso cognoscere poteris. Pythagoras ille cùm falsas opiniones fortiter defenderet, & multas fabulas disputaret, Italis persuadere non potuit, vt illas crederent: illud idem & Democritus cum ageret, Abderitarum suis dictis auscultantem habuit nemine. Orpheus etiam ille, qui sermone feras ipsas mulcere dicebatur, ciuibus suis Thracibus non persuasit. Atqui omnes isti multa orationis copia redundabant, & inani quadam sapientia elati, nimium sibi placebant, in qua & omnes perierunt, & ex alto ac sempiterno silentio obruti sunt. Talis

4 *Dies festus S. Marci.*

enim est falsa & imbecilla gloria. Marcus verò ea proponens quæ absunt ab omni iactatione, & à spiritu sancto edocentur, illos etiam ipsos, quos aduersarios habeat, ad sibi obediendum faciles reddidit: superno enim & cœlesti auxilio corroborabatur, puraque & syncera fides quam prædicabat portis inferorum robustior erat. Ille igitur vir celeberrimus, ac semper laudandus, vt veritatis præco, ad hanc vsq; diem à cunctis celebratur. Vt enim decebat diuinam erga nos prouidentiam, ac dispensationem ad salutarem finem perduci: ita & huius beati viri memoriam in vita ipsa cum laudibus immortalem perpetuò seruari conueniens est. Per ipsum enim rebus creatis Deus prædicatus est. Per ipsum iis qui aberrauerant, conuersio ipsa conciliata est. Per eundem prouisum fuit, quomodo homines ipsi ad formatorem suum Deum ducerentur. Postea verò quàm misericordis Dei misericordem aduētum prædicauit, & lingua de diuinis rebus disserente, plurimos cumq; his & Italos ad veritatis cognitionem attraxit, his ipsis, tanquam sapiens architectus, & Euangelij librum construxit, in quo nouas illas leges insculpsit, quas Hieremiæ Prophetæ prædictio antea innuit, hæc dicēs: Perficiam in domū Israël, & in domum Iudæ testamentum nouum, dans leges meas in cordibus ipsorum. Hoc, inquam, Marcus fecit, vt nō prædicatione solùm, sed Euangelica etiam scriptura, his qui postea futuri erant, Verbi Dei hominis facti conditionem enuclearet, eiusque diuina signa ac miracula ante oculos nostros poneret, quæq; pro nobis passus est, ac queādmodum è monumēto resurrexit, & ad cœlos, vnde descenderat, elatus est, cunctis seculis ostēderet. Magnum certè hoc, Marce, tuum fuit, & planè diuinum opus. Mundo enim vniuerso vtilitatem attulit, & idcirco vbiq; decantatur: Nam vox tua supra tonitrui sonitum fuit, & Euangelij tui lumen supra solis radios effulsit. Illi enim nube tegūtur, vel nubecula aliqua opposita adumbrantur: at Euangelij tui lumen ac splendor tui etiam animi formosam speciē detegit. Neq; enim hoc aggredi potuisses, nisi interior mentis tuæ virtus effulsisset, quæ semper fulget, & iis quos propè se habet, instar facis lumē præfert: eos verò qui longè sunt, ad se reuocat. Quæ cùm pulchritudine nō quæsita, sed naturali & vera decoretur, cōpendiosaq; & breui sapientia illustretur, admirabilia Dei facta in omnium aures infundit. Ita factum est, vt Christi fides effloresceret. Ita ipsa vicit veritas. Ita Trinitas in vna natura adoratur & nunciatur. Ita ab omni homine Pater sine principio, & Filius ipse quoq; sine principio cū eiusdem substantiæ, & vitam dante Spiritu diuinis sermonibus explicatur, atq; colitur in tribus videlicet personis vnus Deus, singularis illa & diuina natura, vna illa rerum omniū effectrix potentia, quæ mente non comprehenditur: error verò ipse amotus expulsusq; est: deorum multitudo, inanis & vana cultura esse deprehensa est: quiq; vniuersas res creatas, vt est in fabulis (ô amentiam) in tres partes, non suas, sibi diuiserunt, illi ipsi, vt in psalmo est, cū sonitu perierunt, & hominum euersores dæmones nunc euersi sunt: non enim Deum hominē factum videre potuerunt. Quamobrem cùm se ab humano corpore debellatos, nō à diuinitate aperta superatos vidissent, erubuerunt. Non enim se victos arbitrati fuissent, si à potēte Deo victi essent. Et nunc Dei laus in omnes fines terræ, vt à Prophetis prædictum fuit, diffusa est. Occidentis regiones Apostolus ad Christum conuertit, & rebus mysticis Gentes instruxit, quemadmodum videlicet Deus ipse propter suam in humanum genus beneuolentiā se ipse submisit, docuitq; solū & vnū Deum colendū esse atq; adorandū. Sed non post multos illos sudores Apostolus cessauit, neq; ad Apostolici muneris aratrū ducendū tardior factus fuit. Nam & Lybiæ regiones celeriter peragrauit: vnde & ad Orientis terram profectus est, vbi Euangelij sementē spargens, illis Gentibus persuasit, vt Deum, quem ipse prædicabat, agnoscerent. Ad hæc & aliis Ægypti vrbibus multorū hominum copia refertis, cùm cœlestia retia tetēdisset, omnes ciuitates illas prædicationibus & miraculis in Christi sagenā cōprehendit: Dæmonū simulachra quæ illic colebātur, exterminauit: & vt sanctus quidā lapis (quemadmodū prophetia dixit) illiusmodi erroris altaria euertit, queq; in illis inerāt inania & vana simulachra, solo adæquauit, non tubarū clangoribus, nō mœnia illa Hierici deijciēs, sed hominū interfectoris diaboli fallaciā reuellēs illis ipsis mœnibus ad expugnandū difficiliorem, templaq; omniū dominatori Deo iisdē in locis erigens, vbi & caliginosas eorū qui illic erāt, animas candidiores factas Deo reconciliauit, & baptismate illustratas, eidem familiares & amicas reddidit. Hic enim Ægyptiorū regioni præcipuè à diuino Spiritu magister assignatus: hic eiusdem terræ in primis Pontifex & Pastor à magno illo Petro propositus fuit: qui munus in manus sibi commissum Apostolicis laboribus exornauit, & variis modis laborans, ministerium illud sacrum excoluit, non delitiis vtens, non segniciei aut voluptati deditus, sed tentationibus tam à summis, quàm ab infimis hominibus circundatus, & infinitis malorum copiis vndique impugnatus, vt ea ratione, quemadmodum & Paulus, tumorē omnem comprimeret. O diuinum Discipulum, qui terrarum orbem lustrauit. O corpus tot tantisq; operibus non defatigatum. O salutaris prædicationis semper florentem & immortalm potentiam. Diuina enim opera, & quæ à Deo proficiscuntur, corruptionem non patiuntur.

Decet

Decet hoc loco & de diuinarum rerum ſpectatore Marco meritò illud dicere: In omnem terram exiuit ſonus eius, & in fines orbis terræ verborum ipſius vtilitas: quod Dauid diuinorum opificiorum magnificentiam admirans pronunciauit. Hæc vox ſola tibi, qui à Deo ſapiens effectus es, iure Marce conuenit. Hæc ſola, inquam, vox ſupra omnes alias Rhetoricæ facultatis voces tibi congruens eſt: nam & curſum tuum, & certamina hæc ipſa exprimit, tum res aſperas & difficiles, nec non incorruptam coronam, quæ non auro ac ex regione Ophir confecta eſt, non lapidibus Indicis & margaritis varia, ſed talis eſt, qualem immortalis Iudex ille, & certaminum præfectus Deus amanter componit, & propriis cultoribus retribuit. Tui enim pedes ſpecioſi ſunt, vt prophetica prædictione ſignificatum eſt, quippe qui terræ ambitum peragrarunt. Lingua tua ſpecioſa, quæ pacem illam omnium mentem exuperantem fœliciter nunciauit. Manus item ſpecioſæ, quæ Euangelium calamo miniſtrarunt.

Sed quidnam hæc ſola ſacratiſſima membra dico? Totus laboribus Apoſtolicis ſanctus, totus martyrij ſtigmatibus ita ornatus fuit Marcus, vt & martyrij præmiis, & brauiis omnibus nunc fruatur. Qui enim antea ſacrificium offerebat, is propter Chriſtum etiam ſacrificium factus eſt: & paſtor ea quæ ouium propria ſunt, vnà cum ouibus ſuſcepit. Nam & ipſe tanquam ouis, vnà cum alio Apoſtolico cœtu in medium luporum miſſus, & hoſtia viuens Deo oblata eſt. Vinculis enim comprehenſus fuit ab iniquis manibus ille, qui multos à dæmonum faucibus eripuit. Vinctus tamen, & huc atq; illuc ductus, iniuriiſq; ac maledictis laceſſitus, manſuetè & æquo animo omnia perferebat, Dominum ipſum imitatus. Multo carnis propriæ ſanguine perfuſus eſt, qui terram illam dæmonum ſordibus expurgauerat. Hæc enim ſunt quæ ingratorum hominum inſipientia iis retribuit, per quos beneficia conciliata eis ſunt. Poſtremò omnium generum cruciatibus, velut aurũ quoddam probatus, ad infinitam illam lucem euolauit, variorum certaminum, & fortium factorũ multiplices fructus percepturus. Talis fuit Apoſtoli curſus: tales Euangeliſtæ Marci conatus, miraculo pleni, & ſupernis plauſibus digni. An non magnus Marcus in omnibus ſummas laudes meretur? Quid enim Apoſtolo ſublimius? Quid Chriſti ſcriba honoratius? Quid cum martyrij gloria conferendum? Cùm verò & pontificius amictus eidem acceſſerit, athleticarum luctationum gloria decoratus, quidnã aliud ad gloriæ ſplendorem reliquum eſt? Non, inquam, aliud, niſi Angelorum cohortes, & diuina illa templa, in quibus vnà cum aliis lectiſſimis Dei miniſtris verſatur & exultat, magiſtri ſui vultum conſpiciens, & diuina ac principalis illius monarchiæ pulchritudinem ſpectans, eiuſque lumine decoratus. Cuius enim viri ſtudio Dei gloria aliis hominibus prædicata eſt, eum cœleſtis & infinita gloria conſecuta fuit.

Sed neque earum laudationum, quæ in hoc inferiore mundo ſunt, expers eſt, licet his non indigeat. Nunc enim Alexandria, imò verò tota Ægyptus Marcum ipſum in primo throno conſidentẽ ſortita, tanquam alterum quendam Nilum, non corporeum, ſed myſticũ habens, ita ſpiritales eorum agros irrigantem, quemadmodum frugiferos ille alter qui oculis corporeis cernitur, irrigare ſolitus eſt: illum, inquam, vt Apoſtolum, vt Euãgeliſtam, vt martyrem magno præconio extollit, & hymnos eius appellationibus congruentes concelebrat: Videt hunc in monumento poſitum, licet in ſupernis regionibus eius anima verſetur & exultet. Eius pulueris theſauro locupletata, funebres cantus ipſi Apoſtolo pronũciat: & tanquã cum viuente aliquo, & in ſpiritu verſante colloquitur: & gratiis per illum ipſum conceſſis oblectatur: & pro illis honoribus, quos Apoſtolo congruentes, velut dona quædam, offert, maiora beneficia viciſſim recipit. Cum enim tentationum flatus aduerſus ciuitatem ſpirant, Apoſtoli Marci 5 ſepulchrum vrbis incolæ circumeunt, & à malis ipſis liberantur. Barbarorum ſupercilium ac ſuperbia mala quædam acerbiſſima illis minãtur: at ipſi ad paſtorem ſupplices confluunt. Moleſtiarum & affectuum examen cùm eos perturbat, ad Apoſtolum ipſum, tanquam ad medici officinam, è qua ſcaturiunt curationes, homines confugiunt. Imò verò vniuerſa Ægyptus, Marcum ipſum Magiſtrum & adiutorem ſibi adſcribens, eius in omnibus iis quæ triſtia contingunt, auxilium implorat: & die 6 feſto, quem ſingulis annis honorat, laudes ipſas, velut debitum quoddam, illi offert: & multa cum 7 pompa, atq; applauſu, exultationeque, & panegyri laudationes ipſas celebrat: diuinumque ipſius Euangelium amplectitur, vt tabulas à Deo inſculptas: vel vt rectius dicam, tanquam ipſum Chriſti os veneratur, verbaque à Deo pronunciata, ab Apoſtoli ore ſe audire arbitratur.

Quem Deum & nobis, ſacratiſſime Doctor, & Euangeliſta, propitium reddere ne graueris, & iis ipſis quæ moleſta nobis accidunt, quibuſque perturbamur, nos ſubleues: quæque in vita difficilia & grauia nobis ſunt, ea facilia 8 reddas: rumpas & chyrographum illud, in quo noſtra crimina ſcripta ſunt, erratorum des veniam. Talem enim ab ipſius Domini lingua poteſtatem accepiſti. Si ligaueris, id quod ligatur, ſolui non poterit: Si ad commiſerationem ac veniam ſpectaueris, vinculum ipſum facilè diſſoluetur. Ne deſpicias nos propriorum peccatorum

5 Vides ad ſancti ſepulchrum confugere homines pro obtinendis ab eo gratiis.

6 Et die feſto, quẽ ſingulis annis honorat, velut debitum quoddam illi offert laudes.

7 Nota, in diebus martyrum etiam antiquitus eorum laudes cum multa pompa, applauſu, & panegyri celebrari ſolitas.

8 Vides hic ſanctos eſſe inuocandos, Sanctos peccatoribus veniam impetrare. Sãctorum poſt mortem magnam eſſe virtutem.

catorum catenis constrictos, sed impera vinculis ipsis, & illa effringentur. Denique Ecclesias ipsas pacatas & tranquillas reddas, quas tuis sermonibus in fundamento quodã firmo constituisti: pro illis quippe Domini nostri sanguis effusus est, à quo & liberatio profecta fuit: facq; vt & nos bonorum cœlestium participes efficiamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria est & imperium, nunc, & in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI LVCAE EVANGELISTAE, per Diuum Hieronymum scripta.

Habetur in libr. eiusdem de vitis illustribus.

LVcas Medicus Antiochensis, vt eius scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit Euangelium, de quo idem Paulus: Misimus, inquit, cũ illo fratrem, cuius laus est in Euangelio per omnes Ecclesias. Et ad Collossenses: Salutat vos Lucas Medicus charissimus. Et ad Timotheum: Lucas est mecum solus. Aliud quoque edidit volumen egregium, quod titulo πράξεις ἀποστόλων prænotatur: cuius historia vsque ad biennium Romæ commorantis Pauli peruenit, id est, vsque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus in eadem vrbe librum esse compositum.

Igitur περίοδον Pauli & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli, inter cæteras eius res hoc solùm ignorauerit. Sed & Tertullianus vicinus eorum temporum, refert presbyterum quendam in Asia σπουδαστὴν Apostoli Pauli, conuictum apud Ioannem, quòd autor esset libri, & confessum se hoc Pauli amore fecisse, & ob id excidisse quidam suspicantur, quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit, iuxta Euangelium meum, de Lucæ significare volumine: & Lucam non solùm ab Apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum Domino in carne non fuerat, sed & à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens: Sicut tradiderunt nobis, qui à principio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euangelium sicut audierat scripsit: Acta verò Apostolorum sicut viderat, composuit. Vixit octoginta & quatuor annos, vxorem [1] non habens. Sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem vicesimo Constantij anno, ossa eius cum reliquiis Andreæ Apostoli translata sunt de Achaia.

[1] Lucas vxorem non habuit.

ITEM VITA BEATI LVCAE EVANGELISTæ, per Simonem Metaphrasten scripta.

Habetur in Oecumenio post expositione Apocalypsis, & post B. Ioannis Apostoli vitam.

SI iusti memoriam cum encomiis celebrare, diuinus quidam vir ac sapiens diuina lege statuit, quantam sanè conuenit Apostolo Christi nos simul adferre laudem? Siquidem hunc iustitia mirum in modum fecit & Apostolatu dignum, & vt Paulo dilectus videretur. Verùm enimuerò quoniam hic in Euangelio laudem adeptus est, relictis omnino encomiorum legibus, quæcunque de eo narrare necesse est, per modum historiæ referemus. Quis Antiochenam ignorat ciuitatem, quem situm ac magnitudinem, quósve terminos habeat? Et quænam hæc sit, & quantam occupet terram, quoque irrigetur flumine? Oorentes hic est, vbi primùm homo Christiani appellatione ditatus est, ex qua diuus Lucas ortus est, & naturam quidem ac indolem habens, vt quæ generosa esset ac speciosa, veluti ex hoc manifestum est, quòd & vita apparuit studiosissimus, & sermonem tradidit vitæ maximè conformem. Cùm autem omni disciplinæ [2] generi vacasset à puero, Syriacam ac Hebraicam linguam exactissimè edoctus est, & velut arbor iuxta fontes floridus iam & augmentatus, diuinarum scripturarum studio mirum in modum profecit: Adolescentiam itaque attingens gymnasia frequentabat, quæ tum in Græcia erant, tum in Ægypto, ac pulcherrimam apud Græcos eruditionem collegit. Grammaticen quidem ac Poëticen perfectè assequutus: ad Rhetorices verò, artisque benè dicendi cacumen pertingens, neque in philosophiæ dignitatibus alicui cedens, sed Logica quidem ad Ethicen, Ethice verò ad Practicen tanquam gradu vtens, ita omnibus bonis incumbens, tandem pulcherrimam simul ac humanissimam Medicinam assequitur, idque in tantum, vt ab hac vt plurimum designaretur, ac appellaretur. Postquam autem ingenij dexteritate ac magnitudine omnem artem citius percurrit, quàm volucris aëra, satisque humanæ doctrinæ adeptus est, ad sublimiorem ac meliorem transit habitum. Quis autem fuit modus transitus? Habeat quidem interim de mundi salute disputationes ac congressus is qui liber à peccato venerat, vt peccatores vocaret ad pœnitentiam, idque post luctam contra aduersarium, & trophæa de illo relata, post auditum supernè patris testimonium, ac spiritus descensum. Percurrebat autẽ fama vniuersam Iudæam ac Galilæam, & alicubi etiam extra terminos, ea quæ Euangelicæ prædicationis erant, sequebantur. Tunc multi sanè ad veram hanc doctrinam cordis aures obturabant, ac mentis oculos

[2] Nota hæretice, qui liberales disciplinas Christianis dicis esse inutiles, quod B. Lucas omni disciplinæ generi vacauit à puero, & ideo in scripturarũ studio mirũ in modum profecit: quomodo ergo audes eas à scholis explodere, si tantùm Euãgelistæ omnes perdiderint?

oculos claudebant: neque vitæ suscipere sermonem, neque veram lucẽ intueri digni erant. Hi autem in quibus veritatis vestigium impressum erat, quique terræ bonæ rationem ac proportionem habebant, totis (quod aiunt) oculis intuebantur, & arrectas adhibebant animæ aures ad auscultationem, ac velocissimè ad veritatem transferebantur, nihilque quod facere decens erat, prætermittebant, vt ad id quod honestum erat, accederent, & ad ipsam nudam animam transmitterent certam veritatem. Horum vnus erat admirandus hic præco veritatis, ac præceptor, qui ad piam prædicationem mentis oculo illustratus, despicit cognationem omnem, despicit & naturæ viscera, abijcit pecunias, 3 possessiones, omnemque substantiam, ita vt nemo adeò facilè pedum puluerem, ac manuum sordes abijcerent, vt ne vel hoc ipso præ festinantia occupari certè potuerit, quò facultates indigentibus distribueret. Vtque breuiter dicam, despectis cunctis inferioribus superna velociter amplectitur, & ad Iudæam accedit, vaditque ad eum quem concupiscebat, ac statim ad conspectum ac sermones Iesu, efficitur splendidum receptaculum ad pretiosum gratiæ vnguentum. Neque tamen illi frequentibus fuit opus sermonibus ac miraculis ad illius cognitionem, sed quantò doctrina ac prudentia, animique dexteritate in alijs præpollebat, tantò velocius & ipsam purè veritatem & prædicatum sermonem cognoscit. Ab hoc tempore efficitur legitimus ac verus Christi Discipulus. Cumque frequenter præceptori adfuisset, & eius signa ac prodigia affectatus esset, ne in salutaribus quidem ipsius afflictionibus deest. Et quemadmodum omnibus adfuerat, ita sanè & resurrectionis conspector fuit. Cùm Cleopha enim ad agrum Emaus proficiscenti adstans post resurrectionem Dominus (ô horrore plenum illum accessum) tarditatem ac cordis eorum incredulitatem improperat, & scripturarum interpretationibus suam passionem, ac magnum resurrectionis mysterium confirmat. Veruntamen quæ fuit huius diuinæ collocutionis agricolatio? Ignis diuinus iam in horum animis relucet, iamque die declinante, manere secum Dominum quodammodò coëgerunt. Porrò ipse maiore Dei cognitione illos adflare volens, non solùm vulgari modo congressus est, verumetiam ad mensam vnà recumbit, panisque fractione exactius agnitus, hic idem qui triduo mortuus fuerat, tandem disparuit, nullo eorum sensu id percipiente, effecta hoc modo in eis firmiore resurrectione mortuorum. Præterea à Saluatoris in cœlum assumptione, ac sanctissimi spiritus inde descensione, hic xij. Apostolis associatus, & eadem gratia ac potestate repletus, Gentium præceptor designatur, diuino modo docens dispensationis mysterium, & multos ad creatoris cognitionem ex errore manu ducens, ac baptismate consecrans. Siquidem currebat diuinus hic Lucas prædicationem vbique disseminans, & sermonũ sagena plures ex profunda ignorantia ad Deum adducebat, afflictus pro Euãgelio, cùm ad pessimos Græcos ad disseminandos sermones accederet. Multa aspera sustinebat in terra, in mari, in singulis ciuitatibus. Desertum dicebatur ei amicum solum, dũmodo aliquos in eo inueniret, quos Deo adduceret ac transferret ad pietatem. Vbi autẽ & Paulus cœlestia conscẽdisset, vt intueretur veritatem, & apertè eam prædicaret, ac abiectis erroris tenebris veritati adhæsisset, & choro discipulorum annumeratus esset, Lucas ipsi socius itineris vbique constituitur, ac peregrinationis comes, certamina pro pietate exoptans, & ob id se huiusmodi coniungens militi: & vnà cum eo vsque ad vincula afflictus quasi maleficus, simulque cognitionis radios ad fines terræ emittens, adeo ipsi conformis ac domesticus, & per omnia gratus effectus, vt Paulus scribens fidelibus, Lucam frequenter nominaret dilectum: qui ab Hierosolymis & circumadiacentibus locis Illyricum vsque vnà cum ipso impleuit Euangelium, & à Iudæa Romam vsque vnà cum eo vinctus, eisdem laboribus, eisdem afflictionibus, eisdem communicauit naufragijs, volens omnino particeps declarari etiam coronarum propter hos labores recipiendarum. Ita ergo vbi varijs modis in talento prædicationis simul cum Paulo negociatus esset, atque tot Gentes adduxisset, ac irretijsset ad pietatem, totius dispensationis præceptoris & verè amator, & amatus discipulus, sacræ scriptor historiæ, simul & Euangelista ostenditur. vt qui prius assecutus esset, & ab his qui ab initio ministri fuerant, hæc cognouisset, aut etiam supernè in sacris edoctus esset. Siquidem hic Euangelista mysterium retexuit Gabrielis paranymphi delatu ad Virginem, qui communem mundo gratiam annunciauerat. Hic etiam Christi natiuitatem apertè exarauit, tanquam recẽs in præsepi iacentem manifestans, & fascias ac pastores, gaudijque præcones Angelos describens. Hic sententias, ac doctrinas omnem mentem excedentes veri simul ac honesti amore manifestauit, rerum veritati sermonum ingenuitatem commiscens, vt & mentis simul ac linguæ virtutem ob oculos poneret. In parabolis quoque doctrinas salutares retexuit, in hoc etiam copiosior cæteris. Vtque breuiter dicam, quemadmodum verbi descensum in terram dilucidè cognoscendum dedit, ita & ascensum in cœlos, & reditum ad thronum paternum, sicut quispiam è cœlo veniens manifestauit. Hoc autem inter cætera gratissimum est, quòd ipse quoque typum assumptæ humanitatis Christi mei, ac signum eius quæ illum pepererat, & assumptam huma-

3 Tu qui negas paupertatem euãgelicã esse actualẽ rerũ desertionem, vide an sanctus Euangelista mendacium tuum hic conuincat.

4 Quid hic dices tu qui imaginibus aduersaris, cũ sanctus Domini discipulus eius imaginem, & beatæ illius genitricis delineauerit, et Christi fidelibus gratiose donauerit?

manitatem dederat, primus hic cera ac lineamentis tingẽs, vt ad hæc vsque tempora in imagine honorarentur, 4 tradidit, tanquam non satis esse existimans, nisi etiam per imaginem ac typum versaretur cum his quos desiderabat, quod feruentissimi amoris signum est. Neque id solum, sed & fidelibus omnibus, Christique amatoribus hæc quæ maxima erant, gratiosè donauit. At non in his solis Lucas gratiam spiritus quæ in se erat coartauit, neque ad solum Euangelium hic ministrantem habuit linguam, sed post finem miraculorum Christi, etiam Apostolorum exponit actiones: Et primùm Saluatoris diuinam in cœlum assumptionem: deinde super ipsos in igneis linguis spiritus descensum, dehinc ita Stephani lapidationem, Pauli conuersionem, nempe per Christum factam de cœlis vocationem, & transitum à litera ad spiritum, huius in singulis locis vincula, carceres, plagas, flagellationes, varias Gentium insidias, quomodo à Hierosolymis Romam peruenerit, labores in mari, afflictiones, pericula, calamitates, naufragia, quorum non spectator tantum, sed & particeps fuerat. Atque ob id diligens est horum enarrator. Sed Paulo quidẽ Romæ relicto, rursum hic ad Orientem discedit, totamque Lybiam percurrẽs in Ægyptum peruenit. Et cùm superiorem Thebaida intra suam doctrinam recepisset, ac ad magistrum per Euangelium adduxisset, inferiorem Thebaida septem portarum ciuitatem accedit, in qua etiam Pontifex ac pastor à spiritu præponitur. Statuis, impurisque dæmonum delubris in terram deiectis (Id enim studio sibi erat, vt errorem totis, quod aiunt, pedibus fugiẽtem demonstraret) sacra templa 5 contrà soli Deo erigit, eisque qui in profundis ignorantiæ tenebris tenebantur, per Euangelium ad Dei cognitionem regeneratis, mites filios effici curat. Huiusmodi igitur fructibus magistro oblatis, impietate de medio sublata, erectis templis, altaribus stabilitis ac 6 consecratis, & sub credentibus, presbyteris ac diaconis inter hos creatis, rectæque fidei præfinitione ipsis tradita: & nunc quidem à veteris instrumenti scriptura adducẽs testimonia, nunc verò ab eo quod ipse contexuerat Euangelio, interpretans ipsis ea quæ de Christo erant, & ostendens vetus instrumentum omnino consonum esse nouo, vnumque & eundem esse Deum, qui & hoc & illud statuerat, plenus iam dierum effectus redit in pace ad Deum pacis, puluere quidem pulueri relicto, anima verò in manibus eius qui dederat, commendata, illuc transiens, vbi regio est viuentium, vbi sonus festa celebrantium, vbi inhabitatio est omniũ lætantium. Huiusmodi sunt certaminum Apostoli pro pietate narrationes: hic fuit ipsi finis laborum pro Christo perpessorum, quorum etiam manipulos nunc metit in lætitia, ita vt possit & ipse cum Paulo dicere: Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui, propter quæ reposita est mihi corona iustitiæ. Veruntamen his nunc consequens esse opinor mentionem facere vnde & quomodo, quibúsue sanè temporibus sacræ huius reliquiæ ex Achaia, veluti diuinus quidam thesaurus, reportatæ sint, & claræ ac regiæ ciuitati redditæ. Transibat quõdam à Sirmio ad Istrum Constantius Constantini magni filius, sed fratrum tertius: atque ad hanc Istri ripam non longo tempore castrametatus, audiuit Barbaros qui vltra Istrũ erant, conflicturos cum Romanorum principatu: & ipse formidans ne quid mali in suo principatu facerent, confestim ad Thraciam ac Byzantium equitauit. Cumque ad regionem Odrisiorum peruenisset, vbi Adrianus Romanorum Imperator extructa ciuitate, sui appellationẽ loco dedit, accedit ad eum quidam Episcopus, veluti donum quoddam ipsi gratissimum deferens, Andreæ ac Lucæ Christi Discipulorum corpora indicans in Achaia esse sepulta. Porro ille & nuncio gauisus est, & Artemium quo maximè vtebatur, & quem sciebat feruidum amatorem charitatis erga Christum, (Attestatur verò diuinum huius amorem certamen ac periculum temporibus Iuliani propter Christum susceptum) Hunc ergo tanto feruore pro pietate spirantem amicum Artemium ad prætiosorum corporum reductionem confestim emittit. Etenim erat hic Constantius & in cæteris moderatus, & moribus mitis ac modestus, & magno admodum circa Ecclesiarum ædificationem amore occupatus. Vnde etiam ad patris sui ciuitatem circa illius sepulchrum, veluti reddens patri honorem, templum ab ipsis fundamentis 7 maximum ædificat: in quo etiam, vbi Artemius sacrorum Apostolorum reliquias ex Achaia retulisset, in ipso diuino altari sacra mensa reposuit: Andreæ quidem è ciuitate Patreorum, Lucæ autem ex Thebis Bœotiæ translatis corporibus. Ac breui tempore intermedio etiam Timotheum, qui in choro discipulorum Christi velut perspicua quædam stella splenduerat, ex Epheso refert Ioniæ, ministro quoque rursum adhoc vsus Artemio. Sed habuit & ipsum sacræ mensæ ambitus, veluti reddentem debitum quoddam pietatis suis auxiliatoribus. Verùm Timotheus quidem huiusmodi habuit corporis reductionem. Porrò in diui Lucæ reductione tale editur miraculum sermone ac memoria dignum. Anatolius quidam Eunuchus, vnus eorum qui tunc è regio erat cubiculo, misero corporis morbo detentus erat. Vbi ergo maiorem nouit esse morbum, quàm qui medicorum posset arte curari, probè sciens ille, quòd quæ impossibilia sunt apud homines, Deo possibilia sint, omnibus alijs relictis ad Lucam 8 Christi Discipulum confu-

5 Semper post receptam ab aliqua gente Christi fidẽ, Deo templa erigebant Apostoli, eorũque successores.

6 Vide altarium consecrationẽ, quã modo deridẽt subuersores nostri.

7 Constantius Imperator templum maximum ab ipsis fundamentis Constantinopoli ædificat, & in altaris mensa pretiosorũ Andreæ, Lucæ, & Timothei corporũ reliquias reponit. Quid ad hæc dicẽt hæretici?

8 Vide pauper homo quod Anatolius non fecit iniuriã Domino Iesu Christo, recurrendo prius ad Apostolum suum, quod si fecisset, non fuisset ab eo sanatus. Vide etiam quod confugientes ad sanctorum sepulchra, eorũ meritis & orationibus adiuuantur, & quod multa possũt post mortem.

confugit & hoc auxiliatore vtitur aduersus morbum. Vbi enim vrna, quæ prætiosum continebat ipsius corpus, ad sacrum templum iam esset delata, quod à fundamentis Constantius erexerat, accedens hic dictus Anatolius, simulque baiulans cum his qui illam portabant, confestim deprimente morbo absoluitur: & viuens ex mortuo tale adeptus beneficium, tota sua vita non intermisit gratias agere Apostolo ac Deo, qui per ipsum huiusmodi edebat miracula. Ita igitur primum ex Thebis relatum diuinissimi Lucæ corpus, honorificè admodum ac magnificè vna cum Andrea ac Timotheo in templo 9 reponitur, quod à Constantio ædificatum erat: cùm circa sacrarū reliquiarum repositionem 10 fidei opera, ac feruidum Constantij desiderium plurimum demonstrata sunt. Quanquam hic postea maligni laqueis aliquantulum captus (ô casum miserum, heu turbulentam subuersionem) Arrianorum dogma ebibit. Multis autem postmodum temporibus, Iustinianus, assumptis imperij sceptris, multo adhuc amplificentius circa hæc sacra Apostolorum corpora afficitur, & theca argentea hæc concludens, circa ipsum altare vehementi Dei amore reponit, nempe pretiosa in pretioso conditorio. Et quidem sacri altaris mensam theca constituit: porrò communi Apostolorum 11 nomine templum appellatur. Ad quod sanè omnes qui conueniunt fideles laudant hunc tanquam discipulum, celebrant vt Euangelistam, beatificant tanquam eum qui in sacris sudoribus ac laboribus diuino Paulo semper fuit socius. Et inde sanctificationem participantes 12 spirituali implentur gaudio: idque gratia ac benignitate Domini nostri Iesu Christi, cui est gloria in secula seculorum. Amen.

9 Sacrarum reliquiarū repositio.

10 In hæreticorū nostri temporis cō futationē hæc ornamenta adhibuit Imperator sacris Apostolorum corporibus.

11 Templū appellatur cōmuni Apostolorū nomine.

12 Ex sanctorum Apostolorum Andreæ & Lucæ corporibus sanctificationem participāt adeuntes, & spirituali implentur gaudio.

VITA SANCTI LVCAE EVANGELISTAE, PER D. Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

LVcas Euangelista, & Apostolicæ conscriptor historiæ, natione Syrus, arte medicus, Græco eloquio eruditus, quem plerique tradunt fuisse proselytum, & Hebræas literas ignorasse. Hic fuit Pauli discipulus, & indiuiduus peregrinationis eius comes. Quique ab ineunte pueritia castissimus fuit, & discipulus Apostolorum effectus, Euangelicæ prædicationis opus exercuit. Obijt autem septuagesimo & quarto vitæ suæ anno: sepultusque est in Bithynia. Cuius quidem ossa, regnante Constantio, Constantinopolim sunt translata.

VITA SANCTI BARNABAE, PER D. ISIDOrum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

BARNABAS, qui Ioseph natione Cypriæ ciuitatis, à Cyro Rege Persarum conditæ, cum Paulo antè in Gentibus Apostolatum adeptus, deinde propter Ioannem discipulum, qui etiam cognomento Marcus appellatus est, seiunctus à Paulo nihilominus Euangelicæ prædicationis iniunctum sibi opus exercuit.

ALEXANDRI MONACHI LAVDATIO IN APOstolum Barnabam, quam habuit rogatus à magno sacerdote venerandi templi Præfecto, quod Beato Barnabæ consecratum fuerat.

Per Simeonem Metaphrasten.

XI. Iunij.

MAximum orationis argumentum nobis magna sermonis paupertate laborantibus patrio certè studio & affectu commotus proposuisti, pater optime, & eorum qui virtutis exercitatione præstantes sunt, probatissime. Nobis enim laudandum proposuisti diuinum & beatissimum virum, insignem Apostolum, consolationis filium, orbis terrarum facem: Barnabam, inquam, multarum laudum præconijs celebratum. Ego verò inscitia mea cum argumenti magnitudine conferens, tractationem hanc exhorrescens, iussis tuis parère diutius recusaui. Quæ enim oratio tā perfecti Apostoli rebus narrandis par esse poterit, cùm huiusmodi negotiū tale sit, vt non solum meas vires omnino superet, sed omnibus etiā alijs difficultatē adferre possit? Omnes igitur inferiores esse arbitror, quàm vt Barnabæ res gestas narrare valeant. Quòd si quis de illo aliquid dicere aggressus fuerit, sit quamuis sapiens, peritus, & orationis facultate præstantissimus, longo tamen interuallo à tergo relinquetur, longè inferior existens quàm Apostoli dignitas postulat, & in eius laudum pelago omnino demergetur. Alius quidem ex iustorum hominum numero, aliud quoddam à Spiritu sancto donum assecu-

aſſecutus eſt: Apoſtoli autem ipſi omnes diuinarum gratiarum theſauros acceperunt, & virtutes omnes ſe habere oſtenderunt. Qui potero igitur miſer ego infinitis perturbationibus oppreſſus, Apoſtolicæ virtutis pontum tranare? Namque tenui & tarda ſum lingua (vt quod eſt in literis diuinis ſcriptum, de me dicam) neque ita eloquens ſum, vt diuina ſadmirabilis Apoſtoli Barnabæ virtutes commodè narrare poſſim. Ita enim perfectè virtutem omnem vir hic exercuit, vt nemo alius in vna aliqua virtute profecit. Quamobrem prouinciam hanc mihi iniunctam ſuſcipere hactenus recuſaui, cùm meam imbecillitatem tanti viri glorioſis factis enarrandis imparem eſſe cognouerim. At cùm memoria repeterem, quod in literis diuinis ſcriptum legi, hominem qui obedientiam non ſeruat interitum ſubire: qui verò eſt obediens, eum ab interitu liberum eſſe, vix ad id quod præcepiſti, multū certè metuens aggreſſus ſum, ſatius eſſe ducens in eo ipſo accuſari, quòd oratio mea manca ſit, quàm in contumaciæ crimen incurrere. Illud igitur vnum à vobis peto, vt mecum vnà ſanctiſſimum Barnabam orationis 1 adiutorem mihi eſſe precemini. Ipſi autem viro quem laudabimus, non dubito id gratum fore quod à nobis, qui nihili ſumus, dicetur: Nam & eius Domino aliquando placuiſſe legimus duo illa minuta olim à vidua & paupere muliercula oblata. Non enim Deo ipſi tam grata & accepta eſt earum rerum quæ offeruntur magnitudo, quàm mens ipſa, & æquus animus, quem is oſtendit, à quo aliquid offertur, ſiue paruum, ſiue magnum illud ſit. Cùm verò Barnabam laudamus, tunc & omnium Apoſtolorum ſacrum collegium collaudamus: quorum enim vocatio vna fuit, eorum eadem eſt & gloria: & quorum ordo vnus, eorum eadem eſt & dignitas: quorum paria certamina, eorundem coronæ diuerſæ non ſunt: quorum denique inſtitutionis ratio communis, eorum præmia æquè honorata ſunt. Iam verò *B*arnabam ipſum oratione noſtra in medium producamus, & quàm maximè poſſumus, laudum præconia illi concinemus: ſum enim eius viri amator ardentiſſimus. Scio autem, & mihi perſuadeo, huius Apoſtoli vel nomen ipſum auribus veſtris iucundiſſimum accidere. Itaque illum honoremus, quatenus pro viribus de illo dicentes æqui animi ſignificationem demus: quod enim eius viri dignitas poſtulat, id tale eſt, vt omnem orationem ab eo ſuperari fateamur. Laudetur igitur à nobis infimis magnus ille Apoſtolus *B*arnabas. Celebretur conſolationis filius ab hominibus qui Chriſto crediderunt. Extollatur à quouis homine ille, qui à Patre ipſo honoratus, à Filio vocatus, & à Spiritu ſancto perfectus eſt, *B*arnabas, inquam, magnus Eccleſiæ orator, illi Euangelicæ prædicationis tuba, magna Chriſti vox, Spiritus ſancti cithara, diuinæ gratiæ plectrum. *B*arnabas in expediendis pro Chriſto bellis miles robuſtiſſimus: qui corpore incorporeum hoſtem, ſimul verſans cum Apoſtolorum exercitu validiſſimè profligauit: qui bonarum diſciplinarum religioſus præceptor extitit, & Chriſtiani ouilis dux certus, & rationalis quidam ſummi Dei paradyſus omnium virtutum germina fiorentia in ſe continens: qui egregium quoddam fidei germen fuit charitatis roſa ſuauiſſimum odorem emittens, ſpei flos incorruptus, diuinæ gratiæ fructus iucundiſſimus, illius vitis quæ vitam omnibus præbet, palmes feraciſſimus, immortalitatis racemus, mel diſtillans, patientiæ propugnaculum firmum atque immobile, continentiæ ſectator ita validus, vt crucem geſtauerit, & aduerſus Chriſti interfectores intrepidus militiæ dux fuerit. Chriſti crucifixi germen ad cœlum vſque protenſum. *B*arnabas conſolationis filius, pietatis magiſter, fidei columna ac faſtigium, turris firma & immobilis, fundamentum ſtabile, & crepida indiſſolubilis, ſaxum immotum, fluctuãtium portus valde tranquillus, fidelis & prudens diſpenſator, architectus nobiliſſimus: qui cœleſtem in terris ſemitam tenuit, & parem Angelis vitam duxit: qui fuit Eccleſiarum patronus, adiutor pauperum, inopes abundè nutriens, viduarum conſolator, & orphanorum diligẽtiſſimus procurator ac pater. *B*arnabas Chriſti myſteriorum theſaurus, orthodoxorum ſanctæ Dei Eccleſiæ dogmatum miniſter, ægrotantium medicus liberalis, ſanos & valentes homines firma certaque animi iucunditate afficiens, Chriſtiani gregis cuſtos vigilantiſſimus, in terris manens, & in cœlis vita atque inſtitutione verſans: qui in mundo pietatis dogmata clara & alta voce prædicauit, & in cœlis ſempiternam coronam recepit: qui fuit Gentium Dux, ad Deum eas perducens, & Eccleſiarum Dei beatiſſimus præco, campus quidam beneuolentibus Chriſti floribus refertiſſimus, virtutum cœleſtem odorem ſpirantium quoddam roſetum, Chriſti gratiarum ager fertiliſſimus, qui vitam valde ſynceram ac puram in terris tranſegit, tam rectè in terra viuens quàm Angeli ipſi in cœlis viuunt. Idem virtutum exercitatione inſignis, contemplationibus & miraculis præſtans, virginitatis margarita quædam prætioſa, & caſtitatis beryllus lectiſſimus, temperantiæ gemma puriſſima, Chriſtum in ſe loquentem habens, electum Dei vas, qui mundum dereliquit, & omnia quæ in illo ſunt quiſquilias quaſdam duxit, vt Chriſtum tantùm lucrifaceret ſeculorum Regem. Ille ſuam crucem ſine dubitatione aliqua portauit, & vt verus Diſcipulus prompto animo Chriſtum ſecutus eſt: qui dæmones pro-

1 *Nota Sanctos orandos, & ſcire ea quæ circa nos gerunt.*

fugauit

fugauit,& diabolo vulnera inflixit: qui quatuor orbis terrarum fines firmo & constanti gressu peragrauit, & vt sacer ac bonus, suique Domini minister amantissimus, omnes Gentes Euangelij prædicatione ad Christi fidem conuertit. Ille se domicilium paratum præbuit, in quo eiusdem essentiæ particeps Trinitas habitaret, quique summi Dei templum fieret. Barnabas, inquam, Cypriorum insigne ornamentum, & orbis terrarum propugnator inexpugnabilis, qui Christum ipsum mirum in modum dilexit, & pro ipso quotidie animam suam exposuit: qui nunc vna cum illo in [2] cœlis regnat, & omnibus seculis regnabit. Defessa est oratio nostra, dum admirabilem, diuinum, & optatissimum Apostolum Barnabam laudibus extollere cupit atque contendit: quodque mirum est, nondum ad exordium peruenit. Huius enim admirabilis viri laudes maiores sunt, quàm vt nostra oratio illas attingere possit. Earum igitur tractationem, vt orationibus nostris maiorem, omittentes, pauca quædam de eius vita & martyrio ab autore Stromatum Clemente, aliorumque veterum hominum scriptis, repetita vobis, venerandi auditores, exponam: & ita narrationi huius finem imponemus, diuinis literis concedentes, vt huius viri semper decantati, & celeberrimi caput magnifico illo præconio coronent. Erat Barnabas vir bonus, & plenus Spiritu sancto, & fide. Quid huic præconio par, aut vnquam fuit simile? Ortum duxit beatissimus hic vir de laudatissima illa tribu Leui, ex qua Moyses & Aaron magni illi Dei Prophetæ, & populi optimates ortum duxêre, cuius cognationis etiam Samuel propheta particeps fuit. Eius autem proaui bellorum causa cùm ad Cypriorum regionem migrauissent, æquo animo illic habitabant. Erant autem viri admodum religiosi, Dei legem reuerentes, & valde diuites: quamobrem & Hierosolymis facultates multas possidebant, & agrum prope vrbem illam pulcherrimum, non solùm omnium generum fructuosis arboribus elegantem, sed ædificiorum magnitudine valde illustrem. Ex quo enim tempore Esaias propheta ita reliquit scriptum: Beatus, qui habet semen in Syon, & domum in Hierusalem: hanc eius prophetiam Hebręorũ filij corporeo sensu interpretabantur, & ditissimus quisque dabat operam, vt aliquid in vrbe Hierosolyma possideret. Cùm verò in Cypriorum regionę natus esset hic de quo scribimus, & parentes elegantem puerum vidissent, statim Ioseph eum nominarunt, puerum suum patriarchæ illius appellatione honorantes. Factum verò est, vt cum nominis appellatione morum etiam nobilitas conueniret: si quis enim vocem hanc Ioseph interpretetur, inueniet idem valere, quod Dei additamentum: additus enim fuit à Deo iustus hic vir Apostolorum cœtui, & sacro Sanctorum consortio. Ad hæc eandem vocem Dei gloriam interpretari possumus. Neque quisquam putet verbum hoc exuperantiæ causa dictum, sed à diuinis literis sumptum sciat. Ait enim Paulus: Vir non debet caput tegere, cùm sit imago & gloria Dei. Quòd si virum quemcunque imaginem Dei & gloriam lectissimus ille Apostolus appellauit, quid dicemus de hoc viro in rebus diuinis perfectissimo? Cùm verò Barnabas ipse adoleuisset, illum in vrbem Hierosolymam parentes perduxerunt, & Gamalieli legem ac Prophetas diligenter edocendum tradiderunt, qui & Paulum, tunc Saulum appellatum, condiscipulum habebat. Quotidie verò Barnabas magis proficiebat, tum doctrina, tum omni virtute, nondum tamen ad Leuitarũ ordinem aggregatus fuerat, eò quòd non erat ætate illa, quam ea res postulabat, adhuc enim cum ephebis numerabatur. Non tamen à templo discedebat, cùm in [3] ieiunijs ac precibus die ac nocte versaretur. Ita verò leges & reliqua diuina scripta memoriter pronunciabat, vt literarum monimentis non indigeret: quietemque ipsam tam charam habebat, vt temperantiæ matrem illam esse duceret. Pernitiosas verò hominum consuetudines execrabatur, ac vehementer fugiebat, purum, & à vitijs intactum seipsum ita conseruans, vt virtutis esset specimen quoddam. Quamobrem apud omnes existimatione & gloria florebat. Accidit autem, vt tempore illo Dominus Iesus Christus Hierosolymam veniret, & paralyticum in probatica piscina sanaret, aliaque signa multa & prodigia in templo ederet. Illa omnia cùm Barnabas vidisset, obstupuit, & statim ad Christi pedes se abiecit, eumque præcatus est, vt illi benediceret. Christus autem qui cor hominum & animos inspicit, Barnabæ fidem gratam habens, beneuolè ipsum accepit, & diuini sui congressus eundem participem fecit: quare ad Christi charitatem magis accendebatur. Quamprimùm verò adijt domum Mariæ matris Ioannis, qui Marcus postea dictus est: quæ Maria eius matertera esse dicebatur, quamobrem & Marcum Barnabæ consobrinum appellabant. Illam cùm adijsset: Age, inquit, mulier veni, & vide, quæ patres nostri videre concupiuerunt: ecce enim Iesus quidam Propheta è Nazareth Galilææ in templo est, magnifica quædam edens miracula, qui multis videtur Messias esse, qui venturus erat. Cùm hæc audisset admirabilis illa mulier, relictis omnibus his quę habebat in manibus, templum Dei adijt, vbi cùm Iesum templi Dominum vidisset, ad eius pedes se abiecit, eumque sic precata est. Si gratiam inueni, ô Domine, in conspectu tuo, veni ad domum ancillæ tuæ, vt ingressione

2 Vides sanctorũ animas nunc esse in cœlo, & cum Christo regnare?

3 Cum in ieiunijs ac precibus die ac nocte versaretur.

sione tua famulis tuis benedicas. Eius petitioni Christus Dominus assensus est: quem mulier illa valde læta in cœnaculum suum accepit. Ex illo igitur die, quoties Dominus Hierosolymam venisset, illic vnà cum discipulis suis diuersabatur, quibuscum & Pascha illic fecit, vbi & mysteriorum sacramenta eosdem discipulos suos edocuit. Sermo enim quidam à patribus traditus ad nos peruenit, eum qui lagenam aquæ portabat, quem Dominus ipse Discipulis suis præcepit vt sequerentur, Marcum fuisse beatæ illius Mariæ filium. Quod autem illum Dominus non nominârit, sed dixerit: Ite ad quendam: prouidentia quadam factum est, sicut Patres sancti locum hunc interpretantes dixerunt: vt re obscurè dicta hoc nos doceret, Dominum Iesum apud eum diuersari, quicunque se paratū præbet. In illo igitur ipso cœnaculo Dominus Pascha fecit: in illo apparuit Thomæ Apostolo, cùm à mortuis surrexisset: Illuc, postquam Iesus in cœlum assumptus est, Discipuli cum reliquis fratribus centum viginti, in quibus erant Barnabas & Marcus, ex monte Oliuarum cōuenerunt: illuc Spiritus sanctus in linguis igneis ad Discipulos descendit in die Pentecostes: illic collocata nunc est magna & sanctissima Syon omnium Ecclesiarum maxima. Tunc verò Barnabas secutus est Dominum reuertentem ab Hierosolymis in Galilæam. Cùm autem multi vndique ad Dominum conuenirent, & eius fidem sequerentur, dixit discipulis suis: Messis quidem multa, operarij autem pauci. Itaque designauit septuaginta illos discipulos, quorum primus dux & summus erat magnus Barnabas. Sed nemo audiens Apostolos hanc appellationem illi viro imposuisse, temerè & sine diuino consilio id factum fuisse opinetur: nam Petrus ipse illi nomen hoc imposuit, ille, inquam, Petrus, qui per sancti Spiritus reuelationem filij Dei Theologiam edidicit. Et quemadmodum Iacobus & Ioannes propter virtutem filij tonitrui vocati sunt, ita & Barnabas virtutis suæ causa filius consolationis appellatus est, quippe qui propter sanctitatis præstantiam omnibus consolationi fuit. Idem cùm audisset Dominum docentem: Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam, & facite vobis sacculos qui non veterascunt, thesaurum nunquam deficientem in cœlis: nihil moratus, statim rem omnem pretiosam à parentibus mortuis sibi relictam vendidit, & egentibus distribuit, sibi verò solùm agrum vnum reseruauit, vnde ali posset. Postea verò quàm Dominus crucem perpessus est, & à mortuis resurrexit, ac Spiritum sanctum ad Discipulos suos misit, tunc diuinus Barnabas Christi charitate magis inflammatus, illum 4 etiam agrum vendidit: cumque multum pecuniæ ex eius pretio accepisset, omnem pecuniam illam ad Apostolorum pedes deposuit, neque quicquam omnino sibi reseruauit, suo exemplo omnes discipulos ad eandem virtutem alliciens. Ille & cum Saulo disputabat, quem ad Christi Domini fidem perducere cupiebat. Saulus autem cùm legis institutione diligenter atque accuratè niteretur, Barnabam ipsum vt deceptum irridebat, & in Christum maledicta iaciens, Fabri filium, idiotam, & agrestem hominem appellabat, quem vt & morte violenta sublatum deridebat. Cùm verò miracula quæ per Apostolos efficiebantur, & populi multitudinem indies maiorem ad fidei prædicationem confluentem videret, animo cruciabatur: cumque vnà cum Libertinis, Cyrenensibus, atque Alexandrinis magnum illum Ecclesiæ oratorem Stephanum adortus esset, neque sapientiæ & spiritui qui per Stephanum loquebantur, resistere posset, insania & furore multo correptus inordinatos populi homines contra Stephanum concitauit. Quo interfecto, persecutionem magnam commouit aduersus Ecclesiam, quæ erat Hierosolymis. Verùm cùm inordinatè Damascum proficisceretur ad vexandos atque affligendos fideles homines, Christus Dominus illum deiecit, & in terram supinum prostrauit: qui cùm prostratus esset, eum tandem cognouit quem persequebatur, & visu corporeo excæcatus, mentis aciem ad cœli celsitatem omnino erexit. Cùm verò Hierosolymam reuersus esset, dabat operam, vt Christi Discipulis adhæreret, quem tamen omnes illi, multam eius sæuitiam formidantes, fugiebant. At magnus Barnabas illi occurrens ait: Quousque tandem Saule, pergis esse Saul? Quare ita petulanter beneficiorum autorem Iesum persequeris? Desine horribile illud mysterium oppugnare, quod à Prophetis ipsis olim clara voce prænunciatum est, nostris autem temporibus pro nostra salute patefactum fuit. Hæc cùm audisset Saulus, ad pedes Barnabæ se deiecit, multisque lachrymis & clamoribus: Ignosce, inquit, mihi dux luminis, & veritatis magister Barnaba: expertus enim sum, & re ipsa cognoui vera esse quæ tu dixisti. Quem enim ego maledictis persequens, Fabri filium appellabam, illum nunc confiteor Dei viui filium vnigenitum, eiusdem essentiæ, gloriæ, & solij participem, coæternum, & principium coæuum. Qui cùm sit splendor gloriæ, & character substantiæ inuisibilis Dei, in nouissimis his diebus propter nos, & nostram salutem seipsum exinaniuit, formam serui accipiens, hoc est, perfectum hominem ex sancta Virgine, & Dei parente Maria sibi fecit, non confusionem, non conuersionem, nec diuisionem, aut separationem passus: & figura inuentus vt homo, humiliauit seipsum factus obediens vsque ad mortem, mortem autem

4 Hæc est vera illa Euāgelica paupertas, omnia vendere & dare pauperibus, & nudū sequi Christum.

autem crucis: qui & resurrexit à mortuis tertia die, & apparuit vobis Apostolis suis, & assumptus est in cœlum, & sedet ad dextram Patris, & rursus veniet cum gloria iudicare viuos & mortuos, & regni eius non erit finis. Hæc cùm audisset Diuinus Barnabas, à blasphemo & persecutore illo dicta, obstupuit, & præ gaudio eius vultus lachrymis, vt matutino rore flos aliquis, perfusus est: cumque illum amplexus & osculatus fuisset: Ecquisnam, inquit, Saule, te docuit talia diuinitus inspirata verba pronunciare? Ecquis tibi persuasit, vt Iesum Nazarenum Dei filium confitereris? Vndénam cœlestium dogmatum tam perfectam scientiam didicisti? Tum ille, demisso vultu, & lachrymas fundens, ac corde valde compunctus respondit: ille Ipse Dominus Iesus, quem ego peccator maledictis lacessiui, & persecutus sum, hæc omnia me docuit. Nam tanquam abortiuo & mihi apparuit, cuius diuina & iucunda voce aures ipsas adhuc personantes habeo: sua enim benignitate singulari & omnium maxima prosequutus me fuit, quippe qui mihi prostrato, & miserabiliter iacenti seipsum defendens potius, quàm mihi succensus: Saule, inquit, Saule, cur me persequeris? Ego verò horrens & metuens respondi: Quis es Domine? Tum ille multa mansuetudine & miseratione me prosequens: Ego, inquit, sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris. Ob id ego singularem eius patientiam obstupescens, ipsumque orans dixi: Quidnam ego faciam Domine? Tunc ille statim omnia hæc quæ dixi, & his plura me instruxit.

His auditis magnus Barnabas Saulum manu apprehensum duxit ad Apostolos, eisque dixit: Quare pastorem fugitis lupum existimantes? Quare gubernatorem, vt piratam propulsatis? Cur bellatorem optimum, vt proditorem execramini? Cur Christi sponsam deducentem, vt thalami direptorem reijcitis? (Spiritalis enim est thalamus Ecclesia Dei) Hunc pro pastore, gubernatore & propugnatore Dominus sibi delegit. Tunc narrauit eis Paulus, quæcunque ipsi acciderant in via, quodque vidisset Christum Dominum, & loquentem secum audiuisset, & quemadmodum in vrbe Damasco Christi nomen libera oratione prædicasset. Itaque vnà cum illis in vrbe Hierosolyma Christi prædicationem exercebat. Erat autem Iudæis ipsis valde molestus atque inuisus, quòd qui heri & nudiustertius Iesum persecutus fuerat, ipse ille mutato consilio, tunc eundem illum Iesum Dei filium esse prædicaret. Consilium itaque inierunt Iudæi de Paulo interficiendo. Quod cùm didicissent Apostoli, eum miserunt, vt in sua patria Euangelium prædicaret. Cùm verò de his qui propter Stephani cædem, atque angustias dispersi Antiochiam venerant, & Christi Euangelium prædicauerant, auditum fuisset ab iis qui erant Hierosolymis, Apostoli beatum Barnabam magnum, & potentem virum, ad sanctissimum Ecclesiæ quæ illic erat, & Christi gregem pascendum miserunt. Qui cùm illuc venisset, multo adiumento fuit hominibus Christi fidem sequentibus: eius enim diuina prædicatione ac doctrina factum est, vt multa populi accessio ad Christum fieret. Cùm verò diuino Spiritu ductus Barnabas ab vrbe Antiochia egressus esset, vrbes omnes ac regiones peragrauit, Christi Euangelium longè lateque diffundens, neque prius destitit, quàm ad vrbem Romam omnium maximá venerit. Ex vniuersis enim discipulis Christi primus Euangelium in vrbe Roma prædicauit. Cumque multi ad Christi fidem venissent, & Barnabam ipsum summè honorarent, humana gloria reiecta, clam fugiens, Roma exiit. Etenim beatus ille vir ita omnes homines, qui erant temporibus illis, animi submissione ac modestia superabat, vt ad huius virtutis culmen perueniret. Id quod declarat eius historia.

Cùm enim diuinæ literæ vbique virum hunc cumprimis nominent, ac laudent, ipse primas aliis concedens, secundas partes amplexus est, diligenter imitatus Dominum suum, qui dixit: Discite à me, quia mitis sum, & humilis corde. Postea cùm idem Barnabas ad Ægypti vrbem Alexandriam venisset, & Dei sermonem ibi prædicasset, illinc exiit, peragrans deinceps vrbes omnes, quoad venit Hierosolymam. Vnde etiam egressus, reuersus est Antiochiam: In qua cùm Dei gratia Ecclesiam copiosiorem factam vidisset, valde gauisus est. Inde autem discedens, Tharsum venit, Paulum quærens: quem inuentum Antiochiam perduxit. Ibi cùm totum annum transegissent, & multum populum ad Christi disciplinam transtulissent: cumque ibi primum Christi discipulos Christianos vocassent, atque illinc accepissent ab Ecclesia quæ pauperibus distribuerent, ascenderunt rursus Hierosolymá quartodecimo anno postquam Dominus Iesus crucem pertulit: Quemadmodum scribit Paulus, cùm dicit: Quatuordecim annis postea Hierosolymam ascendi cũ Barnaba. Cùm verò ministerium compleuissent, & fidē, ac dexteram ab Apostolis datam accepissent, vt ipsi ad Gentes profecti, ij verò qui cum Petro erant, circuncisis prædicarent, descenderũt Antiochiam, habentes Marcum ministrum. Missi autem à Spiritu sancto ex vrbe Antiochia venerunt in Cyprum, & totam insulam peragrarunt, Salamina Paphum vsq; Euangelium prædicãtes, & miracula facientes: quo tēpore Elymam excæcarunt, & Proconsulem Sergium Paulum fide illuminarunt. Postea verò quàm multos ad Christi disciplinam conuerterunt, è Cypro discedentes venerunt Pamphiliam. Cùm verò Marcus ipse Apostolos vidisset pro Euangelij

 prædica-

prædicatione pericula subeuntes, neq; honori studentes, sed breuem & caducam hanc gloriam derelinquentes, ad bellum contra infideles homines suscipiendum properare, ipse ad pericula subeunda claudicare cœpit, quippe qui adolescens erat formidolosus, & infirmior quàm vt mortem contenere posset. Derelictis igitur Apostolis, reuersus est Hierosolymam ad matrem suam. Cùm vero Apostoli, Barnabas & Paulus opus cõpleuissent, ad quod missi fuerant, & infinita pro Christo certamina sustinuissent, venerunt Antiochiam, vnde à diuina gratia missi sunt ad Gentes. Necesse autem fuit rursus proficisci Hierosolymam ad Petrum Apostolũ propter falsos illos Apostolos, qui docebant discipulos, vt se circuncidesent, & legem seruarent. Cùm autem Marcus illos ab omnibus honoratos videret, quodq; post multa illa verbera & pericula robustiores facti essent, & integris corporibus præditi, propriã imbecillitatẽ accusans doluit quod factum à se fuerat, & ad Paulum, quidẽ ipsum erubuit se conferre, Barnabam verò adiit lachrymans: cumq; ad eius pedes se abiecisset, eum rogabat, vt superioris errati veniam impetraret, & eius precibus firmior fieret in posterum, futurũ promittens, vt omnia mortis genera pro Domini nostri Iesu Christi nomine prompto animo sufferret. Multis his lachrymis magnus ille virtutibus ornatus Barnabas flectitur, eũq; hortatur vt à luctu desisteret: Fiat, inquit, quod Deus vult, modo tu paratus sis præstare quod promiseris. Cùm verò scripta accepissent, quæ ab Apostolis in vrbe Hierosolyma decreta fuerant, descenderunt Antiochiã, & vnà cũ fratribus exultabant. Marcus autem ipsos animo parum fidenti secutus est. Post hæc visum est Barnabæ & Paulo peragrare vrbes omnes, & fratres visere. Tunc Barnabas Paulum rogabat, vt Marcum secum vnà venire pateretur, quippe qui paratus esset vsque ad mortem pro Christi fide certamen sustinere. Paulus verò contrà rogabat Barnabam, vt secum vnà Marcũ non haberent. Hinc occasio quædã nata est, vt Apostoli à se vicissim separarentur, diuina prouidentia id vtiliter permittẽte. Deus enim ipse Marcum populorum & Gentium multarum pastorem, ac magistrum creaturus erat. Sed nemo impudenter proprio affectu metiatur quod est in sacra de Apostolorũ Actus historia, quo loco de Paulo & Barnaba narratur illud: Facta est dissensio ita vt discederent ab inuicem. Non enim ad hoc iracundiæ aut furoris affectu impulsi sunt Christi Apostoli, (minimè hoc nos cogitemus) nam qui carnem cum affectibus & cupiditatibus crucifixerunt, qui voce magna sic omnes Christo credẽtes admonebant: Omnis amaritudo, & ira, & indignatio, & clamor, & blasphemia tollatur à vobis cum omni malitia: quî fieri potest, vt illi ipsi in huiusmodi affectum inciderint? Scimus autem, & ex diuinis literis dissentionũ diuersitatem cognouimus, & vocem hanc παροξυσμὸς in bonam partem accipi solitam, vt cùm ait Apostolus: Consideremus nosmetipsos in prouocatione charitatis, & bonorum operum. Talis fuit & Apostolis dissidendi ratio, hoc est, Dei zelus. Paulus enim accuratam censuram requirebat, Apostolicæ professioni conuenientem. Barnabas verò ad humanitatem propensior erat: quamobrem & Marcum secum habens in Cyprum nauigauit.

Cumque eam Insulam totam peragrasset, populos multos ad Christi fidem conuertit, & Salaminam venit, vbi paulisper moratus est edens miracula, & prædicans regnum Dei: quo loco turbæ multæ ad Christi fidem accesserunt. Disputat autem cum Iudæis in Synagoga omnibus sabbatis, diuinarum literarum testimoniis Iesum Christum illũ esse probans, quem Deus promiserat. Omnes autem Barnabam reuerebantur propter diuinam quandam honestatem, quæ in illius aspectu vigebat. Erat enim oris specie valde grauis, habitu ac veste admodum tenui, cuiusmodi illorum est, qui delitias abijcientes, in virtutis exercitatione versantur. Erat superciliis contractis, & oculis hilaritatem præ se ferentibus, non toruum aliquid, sed graue quiddam in se habẽtibus, & reuerenter admodum deorsum spectantibus. Oris honestas, & labra decora mellis suauitatem distillantia in eodem illo inerant. Non enim aliquid vnquam pronunciabat, quod foret superuacaneum. Eius incessus compositus, & ab ostentatione alienus, totus denique omni ex parte Apostolus Barnabas erat tanquam recta quædam Dei columna, omnium virtutum splendore illustris. Hic cùm in vrbe Salamina Christi prædicationem doceret, venerunt è Syria Iudæi quidam, qui maledicta in eum conijcientes, quæque ab illo dicebantur oppugnantes, turbam contra ipsum excitauerunt, criminantes nihil veri ab eo dici, sed quẽ ipse Iesum Christum fuisse diceret, eum fallacẽ quendam hominem, & Deo ipsi contrarium fuisse, legem, Prophetas, & sabbati obseruantiam reprobantem. Iidem & Barnabæ interficiendi opportunitatem obseruabãt. Sanctus verò Christi Apostolus Barnabas cùm omnes fratres congregasset: Vos, inquit, scitis, quomodo vnà vobiscum omni tempore versatus fuerim, vnumquenq; admonens, & hortans, vt in gratia, & in Domini nostri Iesu Christi fide constanter permaneatis, & eius præcepta obseruetis, & ab omni prauo opere mentem & manus cohibeatis. Namque oportet omnes nos sisti ante tribunal Christi, vt recipiat vnusquisque propria corporis sui quæ fecerit, siue bona, siue mala: præterit enim figura mundi huius, & Dominus venturus est de cœlo iudicare viuos &

mortuos.

mortuos. Nolite igitur negligẽtes esse, scientes quòd qua hora non putatis, Dominus noster veniet. Ærumnas & labores libenter perferatis, corda vestra spe confirmantes, quòd aduentus Domini prope sit. Recordemini quæ vobis sæpe dixi, præsentis vitæ res, siue prosperæ, siue aduersæ illæ sint, breues & caducas esse, omniaque hæc celeriter præterire: futuri verò illius seculi bona semper in eodem statu permanere æterna, & finẽ nullum habentia. Neque enim regnum cœlorum aliquando præterire poterit: neq; iudicium illud finem habebit, sed semper erit, his qui peccando vitam transegerunt immortalem pœnam adferens, & finem nullum habituram. Date igitur operam, vt sine culpa & labe in die illo extremo inueniamini, ne in gehennam sempiternam decidatis. Memoria repetite, quod signa & prodigia per me seruum suum Deus ipse apud vos effecerit, & pro me Deum orate. Ego enim iam iam immolandus sum, & tempus illud propè est, quo ab hoc corpore dissoluendus sum, sicut Dominus noster Iesus Christus mihi significauit. *B*onum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: nunc reposita mihi est corona iustitiæ: non solùm autem mihi, sed & omnibus, qui propter Christi confessionem certamen sustinuerint.

Hæc cùm dixisset, vnà cum omnibus Deum orauit, multusque fletus hominum fuit, eò quòd Apostolus ille dixerat, tempus propè esse, quò à corpore dissoluendus foret. *B*arnabas verò cum 5 panem & calicem sumpsisset, & diuini ministerij ordinem totum compleuisset, vnà cum fratribus particeps factus est Eucharistiæ mysteriorum. Quo facto, Marcum secum habens secessit, & ipsi seorsum dixit: Hodie infidelium Iudæorum manibus me consummari oportet: tu verò extra ciuitatem Occidentem versus egredere, & corpus meum inuenies: quod cùm sepelieris, exi è Cypro, & ad Paulum proficiscere, & esto cum illo, quoad Dominus res tuas disposuerit: futurum enim est, vt nomen meum per totum orbem terrarum diuulgetur. Post hæc ingressus est Barnabas in Synagogam, & Iudæos ipsos docebat, illis persuadere studens Dominum Iesum esse Christum viuentis Dei filium. Illi verò Iudæi, qui à Syria illuc venerant, furore perciti è Synagoga surrexerunt, & manibus in eum coniectis, in obscuram quandam Synagogæ illius cellam vsque ad multam noctem custodierunt. Cumq; illum eduxissent, & multis cruciatibus affecissent, postremò nefarij homines eundem lapidauerunt: & accenso rogo quodam magno beatum Barnabæ corpus in eum coniecerunt, vt nullæ ipsius reliquiæ superessent. Diuina verò prouidentia factum est, vt Apostoli corpus integrum permaneret, neque ab igne ipso læderetur. Marcus igitur, vt Barnabas præceperat, extra vrbem egressus Occidentem versus cum quibusdam fratribus, reliquias sancti Barnabæ clam abstulit, & in spelunca quadam stadiis ferè quinque ab vrbe distante sepeliuit. Mox in vrbem reuersi, planctu & lachrymis eum prosecuti sunt.

5 Vide Apostolum Barnabã missam celebrasse, vt scias nostri tẽporis hæreticos perperam asserere, esse illam nouitiũ inuẽtum.

Illo autem tempore contra Salaminæ vrbis Ecclesiam persecutio magna commota est, omnesque alij aliò dispersi sunt. Itaque sancti Apostoli *B*arnabæ sepulchrum deinde ignotum erat. Proinde Marcus cùm è Cypro nauigasset, ad Paulum venit, qui erat Ephesi, eumque de *B*arnabæ martyrio certiorem fecit. Id cùm ille audiisset, lachrymauit, & Marcum secum tenuit. Postea verò cùm Petrus Apostolus diuina reuelatione iussus esset Romam proficisci, secum duxit & Marcum, quem quodammodo sibi filium genuerat. Illi cùm essent in vrbe Roma, Euangelium Marcus conscripsit, quod Petrus Apostolus legit, & diuino Spiritu scriptum cognouit, atque approbauit. Itaque Marcum ipsum per manuum impositionẽ ordinauit, & vt maximè idoneum in vrbem Ægypti Alexandriam, Lybiam, & Pentapolim misit. Quò cùm Marcus venisset, Domini Iesu Christi Euangelium illis regionibus prædicauit, ita vt multi ad Christi fidem conuersi fuerint. Cùm verò nouem annos Dei fidem Marcus in ea regione docuisset, martyrio in vrbe Alexandria functus est. Multo autem tempore postea, cùm Christiana fides latius fusa esset, & Imperatores Christiani Romanorum imperio potirentur, miracula quædam magna Deus ipse in eo loco edebat, vbi reliquiæ sancti Apostoli, & generosi martyris *B*arnabæ repositæ fuerant. Nam cùm multi homines impuros spiritus habentes per locum illum transirent, spiritus ipsi voce magna clamantes egrediebantur. Multi enim paralytici & claudi, variisq; morbis & cruciatibus vexati ad eum locum profecti pernoctabant, qui omnes curabantur: ob idq; Salamina ciuitas gaudio magno perfundebatur. Quòd verò diuina quædam potentia in eo loco miracula efficeret, id quidem omnes cognoscebant: quænam tamen esset causa gratiæ illius tam copiosæ, id nequaquam intelligere poterant. Regionem autem illam sanitatis locum indigenæ appellabant. Cùm verò beatus Martianus obiisset, sanctæ memoriæ Leo Imperio successit. Huic erat gener Zeno Isaurus genere, qui post Leonem & ipse Imperator fuit. Tempore autem illo in religioso Acœmetensium monasterio extitit monachus quidam, qui vt Iudas inter Apostolos, diaboli mores imitabatur. Illi nomen erat Petrus, qui fullonis artem exercebat, sanctam verò Synodum in vrbe Chalcedone celebratam auersabatur, & dogmatis Eutychiani erat propugnator. Eiusmodi hominem, vt corruptorem, & pestilentem, atque Apostolicorum

dogmatum hostem acerrimum, eius loci homines è monasterio expulerunt. Qui cùm illinc expulsus fuisset, Constantinopolim profectus est, & assentatorū vitam imitatus, modò hanc, modò illam domum obibat, ventri & gulæ seruiens: cumq; execrabilis suæ hæresis participes homines quosdam honore præditos inuenisset, illis adhærere cœpit, per quos etiam in eius notitiam venit, qui erat gener Imperatoris, patritius, & excubitorum comes: sic enim appellabatur, qui excubiis præsidebat. Itaque Petrus ille cùm religionis specie quadam se induisset, erat quidem assiduè cum Zenone Imperatoris genero, non audebat tamen propriam impietatem aperire. Eundem autem Zenonem ad orientis partes proficiscentem secutus est fullo ille vsque ad vrbem Antiochiam: vbi cùm multos Apollinaris sectatores inuenisset, vnà cū illis contra Patriarcham temeritatem exercuit, aduersus eū seditiosissimum quemq; hominem concitans, & Chalcedonensem synodum conuitians, ac Patriarcham ipsum Nestorianum appellans. Cùm igitur Antiochena ciuitas multa seditione & tumultu perturbaretur, Petrus ille Comitem Zenonem dolo aggressus: nisi, inquit, huius ciuitatis Episcopus permutetur, fieri non potest, vt populus quietè viuat. Quinetiam multam auri vim ei proposuit, si ab eo impetraret quod petebat: patefecit enim illi consilium suum quod antea occultauerat. Tunc infames quosdam & improbos homines, qui eadem, quæ ipse, sentiebant, persuasionibus suis secum duxit, & grauissima quædam scelera contra Patriarcham falsò confi-cta ad Imperatorem detulit. Sed eius malitia nihil profecit, cùm Imperator Apostolicorum dogmatum esset propugnator. Postea verò quàm Leo ipse terrestre Imperium dereliquit, & ad immortale illud regnum translatus est, Imperio successit Zeno. Antiocheni verò, quos suprà diximus, Imperatori supplicationem obtulerunt, petentes fullonem illum Petrum sibi Episcopum creari. Id quod factum est, auro ipso omnibus qui erant in aula regia persuadente, vt Petri fullonis patrocinium susciperent. Statim igitur vt Petrus ille ordinatus est Episcopus, sanctam Chalcedonensem synodum anathemate fuit detestatus. Cumque Apollinaris sectatoribus placere studeret, qui Theopaschiani appellabantur, eò quòd Deum ipsum passum fuisse dicebant, nouitatem quandam pessimam excogitauit, vt hymno illi qui Trisagion appellatur, hoc etiam in fine adderet: Qui crucifixus est propter nos. Hæc cùm sancti Episcopi & patres nostri audiuissent, ad prauam illius opinionem refrenandam alacri & prompto animo aggressi sunt: & primum quidem literis eum ab impietatis voragine reuocare conati sunt. Sed cùm eundem repugnantem maiore audacia & temeritate contra fidem orthodoxam efferri vidissent, omnes qui sunt in orbe terrarum Episcopi, sentētia pronunciata, sub anathemate illum expulerunt. In hac orationis parte libenter eos qui ex nostris hominibus non vitio, sed quadam mentis leuitate, nouitatem hanc temerè amplexati sunt, his verbis compellerem: Quænam causa vos, fratres, adduxit, vt rectè sentientem patrum nostrorum doctrinam relinqueretis, & nouitatem ab 6 hæreticis nuper excogitatam sequeremini? Animaduertendum vobis erat, quemadmodum sancti Patres nostri non fictas fabulas secuti, nobis hunc hymnum canendum tradiderunt, sed diuina quadam reuelatione docti, quæ non vni, aut alteri, neq; in aliquo terræ angulo, sed meridie ipso in luce clarissima vniuerso Constantinopolitanæ vrbis populo Christi amantissimo facta est, quo tempore beatissimus pater Episcopus, & magister cum primis probatus Proclus Constantinopolitanæ sedi præsidebat. Quicquid autem diuina gratia suggerente diuinitus nobis reuelatum est, illud nulla ex parte mācum, sed omnino perfectum est, & ad salutem idoneum, non indigens humanarum argumentationum inuentis, neque additamento, vel subtractione aliqua, vt diuinæ literæ docent, cùm dicunt: Verbum, quod ego præcipio tibi hodie, vide vt illud valde obserues, neque quicquam addas, neque ab eo aliquid imminuas, cùm re vera diuinis eloquiis aliquid addere, vel detrahere periculosum sit, & perniciem iis qui hæc faciūt magnam adferat: non enim ij sumus, qui Christum corrigere possimus, sed qui Christo subiici & obedire debeamus. Hæc & multa alia licet de hac re dicere nostris hominibus ita sentientibus: quos doceri cupimus, extremæ inscitiæ esse, hæretici hominis nouitatem admittere. Desinant igitur cum hæretico homine deinceps sentire. Itaque cùm Petrus ille ab omnibus Episcopis sub 7 anathemate (vt diximus) damnatus esset, & Zeno propter inuasionem Basilisci ab Imperio aufugisset, ipse quoque fugiēs ad ignota quædam loca se contulit. Postea verò quàm Zeno ad Imperium reuersus est, Petrum fullonē requisiuit, & Antiochenæ Ecclesiæ Episcopum restituit, cùm nondum anathemate liberatus esset: beatum verò Calendionem Patriarcham in Oaxim exulem relegauit, fullone illo Antiochenæ sedis Episcopatum vi capiente. Qui vt impius, & nullam spem reliquam habens, tyrannidem ipsam impunè, vel scelerate potius exercebat, interficiens, proscribens, & omnes eos fugās, qui nolebant cum eius impietate communicare. Sed hæc quidem missa faciam, cùm multa sint, & propriam historiam requirant. Confert autem se oratio nostra ad id quod magis vrget, vt sancti Apostoli Barnabæ gratiam omnibus notam faciamus, & quanta patriam suam cura & beni-

6 Semper hæretici nouitates excogitant, quibus simplices fallunt.

7 Ecce quomodo etiam antiquitus hæretici excommunicabantur.

& benignitate prosequatur declaremus. Cùm nõdum contentus esset Petrus fullo innumerabilibus illis malis, quibus Orientis partes affecit, in prouincias etiam illas, quæ nihil ad eum pertinebant, manus iniecit. Cùm enim Imperatoris, & eorum qui erant apud Imperatorem gratiosi, lenitatem auro sibi cõparasset, ipsius etiam Dei legem deinceps contempsit, & Cyprios homines Dei & fidei amatores, ac recta sentientes omnibus modis vexare cogitauit, quoniam eius Insulæ habitatores pietatem à patribus suis traditã seruantes, recusabant cũ eius impietate communicare. Itaq; Cypri sedẽ sanctissimam, & à principio inde vsque ab Apostolorum tempore liberã, ipse arripere, & sibi subijcere aggressus est: idq; ad Imperatorem retulit, falsum deferens ac dicens: Quoniam verbũ Dei ab vrbe Antiochia ad Cyprum Insulã manauit, ob id Cypri Ecclesiam sub Antiochenæ sedis Patriarcha esse oportet, quandoquidẽ Apostolica, & Patriarchica sedes est. Hæc ille rectæ fidei, & sentẽtiæ desertor contendebat, cùm tamen non ignoraret ea quæ in vrbe Epheso sancta illa Synodus, Cyrillo præsidente, definierat, à se violari atq; corrũpi. Sed pietatis præco, & sanctissimus Apostolus Barnabas patriæ suæ oportuno tempore subueniens, illius Petri stultitiam, vel malitiam potius redarguit. Cùm enim Episcopus Salaminæ iussus fuisset ad regiam vrbem se conferre, & aduersus Antiochenos coram Patriarcha causam dicere, præ timore torpescebat, Fullonis illius insidias suspectas habens. Erat tunc Salaminæ vrbis Episcopus Anthemius, vir cum primis admirabilis, quod ad rectam fidem, & vitæ innocentiam pertineret, sed ad disputationem cum aduersariis sustinendam parum valebat. Cùm igitur ancipiti cogitatione fluctuaret, neq; certum haberet quid ageret, num videlicet Constantinopolim proficisci deberet, nec ne: nocte in somnis adstitit illi quidam diuinam quandam speciẽ præ se ferens, & luminis splendore multo effulgens, lucidaque veste indutus, ac sacro habitu decorus, qui & hæc dixit: Cur ita tristis es nunc Episcope? Quomodo tantus iste torpor te corripuit? Cur vultus tuus ita concidit? Nihil mali ab aduersariis tuis patieris. Hæc cùm dixisset, ab Anthemio discessit: qui experrectus, & timore perterritus Episcopus in faciem se 8 prostrauit, & multis lachrymis Deum ita precatus est: Domine Iesu Christe, fili Dei viui, adiuua Ecclesiam hanc: Scio autem, quòd illam adiuuas. Si visio hæc à te profecta est, fac, quæso, vt eadem iterum ac terriò mihi ostendatur, vt te mecum esse certò scire possim.

8 Orat Deũ Episcopus in faciem prostratus.

Interea Episcopus ille diuinis precibus attentius vacabat, ab omnium hominum congressione remotus. Nocte autem quæ deinceps cõsecuta est, cùm adstitisset idem ille vir eadem forma, & habitu, quo antea visus fuerat: Iam, inquit, tibi dixi, nihil mali te passurum ex iis quæ tibi aduersarij minantur. Nihil igitur suspicans prõpto animo ad vrbem Constantinopolim venias. Hæc cùm dixisset, discessit. Episcopus verò rursus Domino gratias egit, neq; quicquam alicui dixit, sed expectabat tamen reuelationem tertiam. Nocte igitur consequente, idem vir apparuit, qui grauius eum increpans: Quousq;, inquit, non vis credere verbis meis, quæ diebus his complenda sunt? Proficiscere in vrbem regiam prompto & alacri animo: illinc enim cum gloria reuerteris, neque quicquam mali ab aduersariis passus fueris, cùm Deum ipsum propter me seruum suum tui propugnatorem habeas. Tunc Episcopus: Quæso, inquit, Domine mi, dic: Quis es tu, qui hæc mecum loqueris? Tum ille ait: Ego sum Barnabas discipulus Domini nostri Iesu Christi, segregatus à spiritu sancto, vt vnà cum Paulo Apostolo electionis vase munus Apostolicum inter Gentes exercerem. Huius rei signum hoc habeas. Egredere extra vrbem Occidentem versus, stadiis quinque, in eam regionem, quæ Sanitatis locus appellatur: (Per me 9 enim Deus ipse in loco illo miracula efficit) & sub arbore Siliqua efodias: speluncam enim atq; arcam inuenies, quoniam illic totum corpus meum conditũ est, & Euangelium manu propria scriptum, quòd à sancto Apostolo & Euangelista Matthæo excepi. Quoniam verò aduersarij tui sursum & deorsum miscentes omnia, & iura quædã obijcientes, tecum disceptant, Antiochiæ sedem Apostolicam esse contendentes, & tu contrà ius tuũ illis opponas: Et mea, inquiens, sedes Apostolica est: nam & Apostolum habeo in patria mea. His dictis, Barnabas discessit. Episcopus verò experrectus Deum adorauit, totoq; clero, & populo Christi amantissimo congregato, exiit in eum locũ, quem per reuelationẽ didicerat, multo apparatu, & 10 cruce ipsa prælata. Cumq; preces ad Deum misisset, iussit locum effodi, quem postquam paulùm fodissent, inuenerunt speluncam lapidibus obstructam. Illis autem sublatis apparuit arca illa: qua detecta, inuenerunt 11 venerãdas sancti & venerabilis Apostoli Barnabæ reliquias, suauem gratiæ spiritualis odorem spirantes: inuenerunt etiam Euangelium supra Barnabæ pectus impositum. Illam verò arcam plumbeo sigillo muniuerunt. Cumque Deum precati essent, & adorassent, discesserunt, viris religiosis in loco illo ab ipso Episcopo constitutis, qui vespertinis & matutinis hymnis Deum collaudarent. Ille igitur insigniores Episcopos secum habens venit in vrbem Regiam Constantinopolim, & ad Patriarchæ domũ deductus est. De cuius aduentu cum Imperator audiuisset, Patriarchæ ipsi mandauit, vt cum Synodo quæ illuc cõuenerat,

9 Nota Deum per sanctos aliquo in loco miracula efficere.

10 Vides clericos, quotiescũque cum apparatu, & processione incedunt, signum viuificæ crucis præferre.

11 Ecce venerandas sancti Apostoli Barnabæ reliquias.

 omnium

omnium partium controuersiam audiret, & quod illi videretur decerneret. Coacto igitur concilio, cùm causa illa tractaretur, aduersarij adferebant sua iura, vt sibi videbantur, quòd Antiochena sedes, Apostolica & Patriarchica sedes esset: ob idq; contendebant & alias prouincias sibi subiectas esse debere. Hæc cùm assererent, iis qui præsentes erant, rationi consentanea dicere videbantur. Beatus verò Anthemius paulùm moratus, contrà obijciens: Et mea, inquit, sedes Apostolica fuit inde vsque à principio, & libertate honorata, qui & Apostolum habeo in patria mea integro corpore constantem, beatissimum, inquam, illum Barnabam, sanctarum laudum præconiis celeberrimum. Hoc cùm Anthemius opposuisset, nihil loci aduersariis relictum est, cùm Episcopi qui præsentes erat, silentio Anthemij orationem confirmassent. Aduersarij verò ipsi rubore perfusi, muti remanserunt, responso illo tam iusto perculsi. Hæc cùm Imperator audiuisset, Episcopum Cypri ad se accersiri iussit, & de reuelatione sancti Apostoli Barnabæ diligenter ab eo quæsiuit. Ille nihil ex his quæ vera cognouerat occultauit, sed ordine rem omnem Imperatori narrauit. Ille hæc audiens valde gauisus est, diuinæ gratiæ diuitias admirans, quòd Imperij sui temporibus tantum miraculum à Deo factum cognosceret. Tunc Antiochenæ vrbis Episcopum illinc expulit, & iussit, vt in posterum Cypri Episcopo, quòd ad eam causam pertinebat, nihil omnino molestus esset. Beatum verò Anthemium Episcopum ita rogauit: Quoniam sancti Pontificatus tui temporibus Domino nostro Iesu Christo placuit, sanctum suum Apostolum Barnabam reuelare, iube quæso celeriter Euangelium illud quod inuentum est, nobis adferri. Id si feceris, mihi filio tuo gratissimum erit: habebis enim & meipsum posthac tibi, pater, in omnibus obtemperantem. Assensus est eius petitioni Episcopus, & quendam ex iis quos secum habebat, vnà cum fidelissimo Imperatoris ministro ad Episcopum misit, qui Euangelium illud in vrbem Constantinopolim attulerunt. Erant autem libri tabellæ thyinis lignis compositæ. Euangelium illud Imperator in manus sumpsit, & deosculatus est, auroque multo exornatum in palatio suo reposuit, vbi ad hodiernum vsque diem seruatur, & in magna quinta Paschæ feria quotannis in palatij oratorio Euangelium ex eo libro recitatur. Episcopum verò Anthemium magnis honoribus prosecutus, pecuniis multis donatum ad Insulam Cyprum remisit, eique mandauit, vt sancto Apostolo Barnabæ templum in eo loco erigeret, vbi venerandæ ipsius reliquiæ inuentæ fuerant. Multi autem ex optimatium numero pro illius templi ædificatione pecuniam contulerunt. Ille igitur in Cyprum reuersus, multos artifices atque operarios collegit, & ædificationi non mediocrè operá dedit, & Apostolo Barnabæ [12] templum valde magnum tum ædificio, tum multo & vario ornatu insigne construxit. Ad eam verò templi partem, quæ ad Lybiam spectat, aulam quandam composuit, quatuor porticus habentem, & cellas hinc atque illinc è regione sibi oppositas in aula construxit, vt qui diuina officia in templo illo Monachi celebrarent, in illis cellis habitare possent. Quinetiam è longinqua regione aquæductum deriuari fecit, & in medio atrio concham quandá pulcherrimam construxit, in quam aqua illa deflueret, vt tam qui eo in loco habitabant, quàm qui peregrè venissent, abundè aquis illis frui possent. Multa etiam alia hospitia illic ædificauit, in quibus peregrini & hospites recreari possent: ita vt qui locum illum vidisset, paruæ alicuius, & iucundæ vrbis figuram videre sibi visus esset. Dein arcam illam, in qua Barnabæ Apostoli reliquiæ conditæ erant, in dextera sacræ aræ parte collocauit: qui locus multo argento, & marmoreis columnis ornatus erat. Diem [13] verò festum, quo beati Apostoli & generosi martyris Barnabæ memoria celebraretur, Patres agi per singulos annos constituerunt 3. Idus Iunij, vt Romani numerant: vt verò Cyprij Constantienses, die 11. eius mensis, qui ab illis dicitur Mesores, & decimus numeratur: vt autem Asiani homines, vel Paphij numerant, decimo nono mensis, qui Phtipatus dicitur, & nonus numeratur. Hoc igitur anni tempore in eum locum, quem suprà diximus, gentes plurimæ conueniunt, & diuina officia concelebrant in gloriam Patris, Filij, & Spiritus sancti, cui debetur gloria in secula seculorum. Amen.

12 Vide hic magnificum, multoq; ac vario ornatu insigne sancto Apostolo construi templum.

13 Dies festus S. Barnabæ Apostoli xj. die mensis Iunij.

Reliquiarum sancti Apostoli Barnabæ reuelatio ita se habuit, vt diximus. Quæ verò miracula quotidie à sanctissimo ipsius sepulchro abundè proficiscuntur, ea si quis conscribere velit, ne multis quidem voluminibus (vt opinor) illa complecti poterunt. Nos igitur ad eorum, quæ suprà diximus, memoriam redeuntes, virum hunc pietatis causa omnibus certaminibus egregiè functum, ob idque cœlesti corona donatum, hymnis diuinis prosequamur, & eundem beatum prædicantes laudum præconiis celebremus. Hic enim tanquam oliua quædam fructifera, in domo Dei plantatus, quotidie fructus suauem odorem spirantes Deo ipsi offert. Hic Imperatorum gloria, sacerdotum iucunditas, populorum exultatio, eorum qui angustiis premuntur consolatio, afflictorum perfugium ac recreatio, desperatorum spes atque adiutor, peregrinorum requies, ægrotantium medicina, sanorum custos, spiritualium gratiarum fons, Ecclesiæ murus, Orthodoxorum firmamentum, fidelium

fidelium hominum propugnatio, totius orbis terrarum decus. Cæterum tot & tantæ sunt beatissime Apostole Iesu Christi Barnaba, laudes tuæ, vt omnium hominum mentem atque orationem superent. Nihilominus tamen nostri sermonis paupertatem exiguam illam quidem, sed promptam certè, acceptam habens pro nobis apud eum quem dilexisti Christum vnigenitum Dei filium, & verbum intercedere 14 non graueris, vt ille à præsenti, & laborioso hoc seculo nos eripiat, nobisque concedat, vt remissionem peccatorum, clementiam & misericordiam multam assequamur in illo die terribili, cùm venerit iudicare viuos & mortuos. Tuum verò successorem, qui sanctam sedem tuam gubernat firmam, atque immobilem, cuius & tu propugnator fuisti, fidem eodem sensu tuentem, Orthodoxæ veritatis legitimum, & verum doctorem, Saluatoris nostri imitatorem, pastorem & Patrem nostrum qui præsens est, & sanctam tui memoriam illustrem repræsentat, Deum 15 exora, vt multis annorum circulis in sanctissima tua sede conseruet valentem, & populum ipsius in pace & tranquillitate regentem, qui & veritatis doctrinam omni cum sanitate & iustitia dirigat. Te insuper oramus, vt qua cura patriam tuam semper prosecutus es, eadem & nunc illam prosequaris, eamque tuis sanctis apud Deum precibus custodias, & à scandalis operantium iniquitatem eripias, vt in pace, modestia, ac pietate vitam in hoc seculo ducamus, & misericordiam Domini nostri Iesu Christi expectantes ad æternam illam vitam peruenire possimus, cuius nos omnes participes fieri optamus, gratia, misericordia, & benignitate Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria sit, Patrique & sancto spiritui, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

14 Ecce quomodo sancti apud Dei filiũ pro nobis intercedunt, vt peccatorum remißionem, clementiã et misericordiã multã consequamur.

15 Innocat & hic sanctũ Apostolum cõtra neotericorũ hæreticorum blasphemias.

VITA SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS, Per D. Augustinum Episcopum Hipponensem scripta.

FRATRES Charissimi celebrauimus hesterna die natalem, quo rex martyrum natus est in mundo, hodie celebramus natalem, quo primicærius martyrum migrauit ex mundo. Oportebat enim vt primum immortalis pro mortalibus susciperet carnem, & sic mortalis pro immortali contemneret mortem. Et ideo natus est Dominus, vt moreretur pro seruo, ne seruus timeret mori pro Domino. Natus est Christus in terris, vt Stephanus nasceretur in cœlis. Ingressus est Dominus mundum, vt Stephanus ingrederetur in cœlum. Altus ad humilia descendit, & humilis ad alta ascendit. Filius Dei factus est hominis filius, vt filios hominum faceret filios Dei. Fecit Christus mirabilia, fecit & Stephanus. Sed Christus fecit sine Stephano: Nunquid Stephanus potuit facere sine Christo? Viuebat Stephanus de Christo, sicut sarmentum de vite. Miraris fructum de sarmento pendentem, vide sarmentum in vite manens. Eia sancte Stephane, dic aliquid Iudæis, vt incipias lapidari, & possis coronari. Iaculare verba, & excipe saxa. Dic aliquid de incircuncisis cordibus, & morieris lapidibus. Dic aliquid de eo cuius nomen nolunt audire: Erubescant & sæuiant, muta efficiantur labia dolosa. Dic eis, vbi vides viuum, quem irriserunt, crucifixum. Dic eis vbi eum vides, & hic nõ viuis, sed cum illo melius viuis. Dic eis, quia nihil est quod fecerunt: viuit quem occiderunt. Dic eis, quia vides ad dexteram patris stantem, & irriserunt in cruce pendentem. Et ille inquit: Ecce video cœlos apertos, & filiũ hominis stantem ad dexteram Dei. At illi clamantes continuerunt aures suas. Aures clauserunt, & ad lapides cucurrerunt, impetumque fecerunt omnes in eum, & lapidabant Stephanũ inuocantem, & dicentem: Adhæsit anima mea post te, quia lapidatur caro mea pro te. Accipe spiritum meum, & redde mihi promissum tuũ. Orauit Christus pro suis crucifixoribus, orauit & Stephanus pro suis lapidatoribus. Dominus Iesus Christus orauit affixus ligno, Stephanus 1 genu flexo. Qui stando suum spiritum commendauit Domino, pro illorum delicto fixo genu orauit. Orabat Dominũ pro inimicis, vt amicus, dicens: Certè ergo patior, ego lapidor: in me sæuiunt, & in me fremunt, sed ne statuas illis hoc peccatum, quia vt hoc dicam tibi, à te primo audiui: Ego seruus tuus patior: Sed multum interest inter me & te. Tu Dominus, ego seruus. Tu verbum, ego auditor verbi. Tu magister, ego discipulus. Tu creator, ego creatus. Tu Deus, ego homo. Multum interest inter peccatum istorum qui lapidant me, & illorum qui crucifixerunt te. Quando ergo dixisti, Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: pro magno peccato petijsti, & me pro minimo petere docuisti. Domine, inquit, ne statuas illis hoc peccatum: tanquam diceret: Ego patior in carne, isti non pereant in mente. Illi lapides mittebant, & sanctus Stephanus orationes fundebat. Magna pietas fratres, magna clementia: Prorsus qualia in mensa Domini sui comedit, talia & ipse in suo conuiuio præparauit. Scriptum est in lege: Ad magnam mensam sedisti, scito quoniam talia te opor-

Est sermo eius primus inter sermones de Sanctis.

1 Pro lapidatoribus suis fixo in terram genu orauit B. Stephanus.

 tet præ-

præparare. Talia ergo in oratione exhibuit, qualia in sui Domini mensa comedit. Dominus Christus dixit: Pater ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt: Sanctus Stephanus dixit: Ne statuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit 2 in Domino. O somnum pacis: Quid illo somno tranquillius? Quid illo somno quietius? Qualis ibat ad amicos, qui sic diligebat inimicos? Nam vt nouerit sanctitas vestra, quantum valuerit oratio sancti Stephani martyris, recurrite nobiscum ad illum adolescentem persecutorem nomine Saulum, sicut ex libro, dum legeretur, audiuimus. Qui cùm Stephanus lapidaretur, & ab ipso omnium lapidantium vestimenta seruarentur, vt tanquam in manibus omnium ipse lapidare videretur: hic cùm iret in via, subitò circunfulsit eum lumen de cœlo, & audiuit vocem dicentem sibi: Saule, Saule, quid me persequeris? Durum est tibi contra stimulum calcitrare. Et ille: Et tu quis es Domine? Et Dominus ad eum: Ego sum Iesus Nazarenus, quem tu persequeris: Quid mihi & tibi? Quare te erigis contra me ad tanta mala, quæ commisisti in me? Olim quidem debui perdere te, sed Stephanus meus orauit pro te. Saule, Saule, quid me persequeris? Sed quia insanis contra nomen meum, ego te faciam seruum meum. O Saule lupe rapax, comedisti: expecta paululum, & digeres. Dicā planè, elisus est filius perditionis. Nam si sanctus Stephanus sic non orasset, 3 Ecclesia Paulum non haberet. Sed ideo erectus est Paulus, quia in terra inclinatus exauditus est Stephanus. Ergo quod fecit Saulus, patitur Paulus. Quod fecit persecutor, patitur prædicator. Quod fecit lupus, patitur agnus, quia sic est in tali homine vindicandum, vt discat pati, quod faciebat. Sentiebat & ipse, quod alijs inferebat. Dicitur Ananiæ à Domino Iesu Christo, vade ad eum, & signa cū signo meo. Multa enim patitur pro nomine meo. Abiit Ananias, Baptizauit Saulum, & fecit ex lupo agnum. Cœpimus habere nos prædicatorē, quem sanctus Stephanus habuit lapidatorem. Sic ergo exauditus est sanctus Stephanus, vt eius orationibus deleretur peccatū, quod cōmiserat Saulus. Commendemus ergo 4 nos orationibus eius. Multò magis enim nunc exauditur pro bene oratoribus suis à regnante Domino nostro Iesu Christo, cui est honor, & gloria in secula seculorum: Amen. Post extremum festiuissimum 5 diem, quo salutaris nostri Christi nobis natiuitas illuxit, & iam hodiernus dies beati martyris 6 Stephani corona illustratur. Martyris illius merita nulla pars orbis ignorat: passus enim est ipso principio Ecclesiæ, id est, in ipsa vrbe Hierosolyma. Ibi enim diaconus ministrauit, & in ipso iuuētutis flore decorem ætatis suæ sanguine purpurauit. Passio eius insignis est, multúq; mirabilis. Hanc modò de libro Actuum Apostolorum cùm legeretur audiuimus non solùm, sed etiam oculis spectauimus. Christus ergo caput martyrum prior passus est pro nobis, relinquens vobis exemplum, vt sequamini vestigia eius. Cuius passionis vestigia prior sequutus beatus Stephanus, confitendo Christum, lapidatus à Iudæis coronam meruit, tanquam suo sibi nomine positam. Stephanus enim Græcè, Latinè corona appellatur. Iam corona nomen habebat, & ideo palmam martyrij suo nomine præferebat. Qui cùm lapidaretur, non solùm non expectabat de persecutoribus reportare vindictam, sed eis potius de Deo veniam postulabat. Meminerat enim dixisse Dominum: Mihi vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Et iterum: Ne dixeris, vlciscar me de inimicis meis, sed expecta Dominum, vt tibi auxilium sit. Expectare nos iubet Dominus Deus, vt in die futuræ retributionis cum sanctis martyribus vindicemur. Beati enim, qui expectant Dominum, quoniam ipsi hæreditate possidebūt terram: illam scilicet terram, quæ iustis est præparata. Tu autem ô Christiane, quæris vindicari de aduersario tuo, qui tibi forsitan iniuriam fecit, æstuas, furis, anhelas, festinas vindicari, attende Christum medicum ægritudinis tuæ, attende redemptorem animæ tuæ. Propter te pependit in ligno, & nondum est vindicatus, & tu vis vindicari, & non vis tantum & talem magistrum imitari? Ideo pati voluit, vt tibi patientiæ suæ demonstraret exemplū. Vide pendentem, & tibi languenti de suo sanguine medicamētum conficientem. Vide pendentē, & tibi de ligno tanquam de tribunali præcipientem. Audi precantem: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Sed potuit hoc Christus, dicis mihi, ego non possum. Ego enim homo sum, ille Deus homo, Deus ergo vt quid homo, si non corrigitur homo? Sed hæc tibi loquor ô homo. Multū est à te imitari Dominum tuum. Attende Stephanum conseruum tuum. Certè Stephanus homo erat, an Deus? Planè homo erat: hoc erat, quod tu. Sed quod fecit, non fecit nisi donante illo, quem rogas & tu. Vide tamen quid fecit. Loquebatur Iudæis, sæuiebat, & diligebat. Vtrumque debeo demonstrare, & sæuientem, & diligentem. Audi sæuientem: Duræ ceruices: Verba sunt sancti Stephani, quando loquebatur Iudæis, Duræ ceruices, & non circuncisi corde, & auribus: vos semper restitistis spiritui sancto. Quem prophetarum non occiderunt patres vestri? Audisti sæuientem, audi & diligentem. Irati illi facti, & grauius inardescentes, & mala pro bonis reddentes, ad lapides cucurrerunt, & Dei famulū lapidare cœperunt. Hic probemus sancti Stephani patientiam & dilectionē. Hic victorē diaboli, triumphatoremq; cernamus. Audiuimus sæuientem aduersus

2 *Tu qui appellas sanctos emortuos, vide quod obdormire eos scriptura dicit.*

3 *Vbi sunt qui orationes superfluas & inutiles asserere audent? An superflua & inutilis Stephani oratio: quæ si non fuisset, Paulum Ecclesia non haberet.*

4 *Quid hic dicis hæretice? Cōmendemus nos (ait Augustinus) orationibus Stephani, quia multo magis nunc exauditur pro bene oratoribus suis.*

Est sermo eius secūdus vt supra

5 *Festiuissimus dies Natalis Domini.*

6 *Dies S. Stephani, beati martyris corona illustratur*

aduersus tacentes, videamus, si diligat sæuientes. Sæuiebat aduersus tacentes, videamus si diligat lapidantes. Ecce Stephanus lapidatur, sic constitutus quasi ante oculos nostros. Ecce membrum Christi, ecce athleta Christi. Inspice illum, qui pependit in ligno. Crucifigebatur ille, iste lapidabatur. Ille dixit: Pater ignosce illis quia nesciunt quid faciunt. Iste quid dicit? Audiamus illum si fortè vel ipsum imitari valemus. Primò beatus Stephanus stans 7 orauit pro se, & ait: Domine Iesu accipe spiritum meũ. Deinde genu flexit, & flexo genu ait: Domine ne statuas illis hoc peccatum: & hoc dicto obdormiuit. Fœlix somnus, & requies vera: Ecce quid est requiescere, pro inimicis orare. Sed paululum quæso te sancte Stephane, expone nobis hoc nescio quid quare pro te stans orasti, & pro inimicis 8 genu flexisti? Responderet fortasse, quod intelligimus. Pro me stans oraui, quia pro me, qui rectè Deo seruiui, orando & impetrando non laboraui, quia qui pro iusto orat, non laborat, ideo pro se stans orauit. Ventum est, vt oraret pro Iudæis, pro interfectoribus Christi, pro interfectoribus sanctorum, pro lapidatoribus suis: attendit tam multam & magnam esse impietatem ipsorum, quæ difficile donari posset, genu flexit, & ait: Domine, ne statuas illis hoc peccatum. Ergo charissimi non potestis imitari Dominum, imitamini conseruum, imitamini sanctum Stephanum, imitamini omnes martyres sanctos. Homines erant, conserui tui erant: Sicut tu, nati erant: sicut tu, nati, sed à Christo sunt coronati. Omni ergo Ecclesiæ beatus Stephanus datus est ad profectum. Adhuc laicus diaconij meruit electionem, & leuita martyrij obtinuit principatum. In plebe adhuc positus erat, sed iam virtutibus eminebat, humilis erat, sed celsus fide. Discipulus erat ordine, sed factus est magister exemplo. Quo sequebatur deuotione fidei, præcessit velocitate martyrij. Scriptũ est enim de eo in Actibus Apostolorum, quòd ad ministerium viduarum sit ab Apostolis deputatus. In hac etiam re quòd præpositus est fœminis, testimonium meruit 8 syncerissimæ castitatis. Beatus ergo erit, fratres charissimi, qui hunc sectatus, qui hunc imitatus fuerit, & pudicitiæ palmam, & martyrij consequitur coronam. Lectio Actuum Apostolorum quæ nobis hodie lecta est, dilectissimi fratres, quum plurimum habeat in ipsa specie admirationis, non minus tamen continet in mysterio dignitatis. Ecce (inquit) beatus Stephanus dicit: Video cœlos apertos, & filium hominis stãtem à dextris virtutis Dei. Considerate attentius, fratres dilectissimi, quũ beatus martyr Dominũ nostrum Iesum Christum ad dexterã Dei patris stare vidisset, cur se filium hominis videre testatus est, & non potius filium Dei, quum vtique plus honoris Domino delaturus videtur, si se Dei potius quàm hominis filium videre dixisset. Sed certa ratio postulabat, vt hoc ita & ostenderetur in cœlo, & prædicaretur in mundo. Omne enim Iudæorum scandalum in hoc erat, cur Dominus noster Iesus Christus, qui secundùm carnem est filius hominis, esse etiam Dei filius diceretur. Ideo ergo pulchrè scriptura diuina filium hominis ad dexteram Dei patris stare memorauit, vt ad confundendam Iudæorum incredulitatem illi martyri ostenderetur in cœlo, qui à perfidis negabatur in mundo. Et illi testimonium cœlestis veritas daret, cui fidem terrena impietas derogârat. Vnde licet, iuxta Psalmum qui lectus est: Pretiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius sit: si quid tamen distare inter martyres potest, præcipuus videtur esse, qui primus est. Nam quum sanctus Stephanus ab Apostolis diaconus ordinatus sit, Apostolos ipsos beata ac triumphali morte præcessit, ac sic qui erat inferior ordine, prior factus est passione: qui erat discipulus gradu, magister cœpit esse martyrio: complens illud, quod beatus Propheta in Psalmo dixit: Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi? Retribuere enim primus voluit Stephanus martyr Domino, quod cum omni humano genere accepit à Domino. Mortem enim, quam Saluator dignatus est pro omnibus pati, hanc ille primus reddidit Saluatori. Post hæc subiecit scriptura sacra, & ait: Positis genibus clamauit dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatum. Videte dilectissimi fratres affectum beati viri. Videte magnam & admirabilem charitatem. In persecutione positus erat, & pro persequutoribus supplicabat, atque in illa lapidum ruina, quando alius obliuisci poterat etiam charissimos suos, ille Domino commendabat inimicos. Quid enim dicebat, cùm lapidaretur? Domine ne statuas illis hoc peccatum. Plus itaque tunc illorum dolebat peccata quàm sua vulnera: plus illorum impietatem, quàm suam mortem: Et rectè plus. In illorum quippe iniquitate erant multa, quæ plangi: in illius autem morte non erat, quod debuisset doleri. Illorum impietatem mors sequebatur æterna: huius mortem autem vita perpetua. Imitemur ergo in aliquo dilectissimi fratres tanti magistri fidem, tam præclari martyris charitatem. Diligamus nos hoc animo in Ecclesia fratres nostros, quo ille tunc dilexit inimicos suos. Sed, quod peius est, aliquotiens non solùm inimicos non diligimus, sed nec amicis quidem fidem integram custodimus. Sed dicit aliquis: Non possum diligere inimicum meum, quem quotidie velut hostem patior crudelissimum. O quicunque ille es, attendis quid tibi fecerit homo, & non consideras quid tu feceris Deo. Quum enim tu multùm grauiora in

Deum

7 Stephanus pro se orauit stans.

8 Pro aduersarijs flexo genu.

Ex sermone 5. vbi supra.

8 Castitas syncera Stephani commendatur.

Sermo S. Maximi episcopi Taurinensis.

Deum peccata commiseris, quare non dimittis homini parum, vt tibi Deus dignetur dimittere multum? Recole quid tibi in Euangelio veritas ipsa promiserit, & quam tibi quodammodo cautionem fecerit, vel quale tecum pactum inierit. Si enim (inquit) dimiseritis hominibus peccata eorum, dimittet & vobis pater vester cœlestis peccata vestra. Si autem non dimiseritis, nec pater vester dimittet debita vestra. Videtis fratres, quia cum Dei gratia in potestare nostra positum est, qualiter à Domino iudicemur. Si (inquit) dimiseritis, dimittetur vobis. Iam sæpe dixi fratres, & frequentius dicere debeo, nemo se circunueniat, nemo se seducat: qui vel vnum hominem in hoc mundo odio habet, quicquid Deo in operibus bonis obtulerit, totum perdit, quia non mentitur Paulus Apostolus, dicens: Si dedero omnes facultates meas in cibos pauperum, & si tradidero corpus meum vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil prodest. Quam rem etiam beatus Ioannes confirmat, dicens: Omnis qui non diligit fratrem suum manet in morte. Et iterum: Qui fratrem suum odit, homicida est. Hoc loco fratrem omnem hominem oportet intelligi, omnes enim in Christo fratres sumus. Nemo itaque sine charitate de virginitate præsumat, nemo de eleemosynis, nemo de orationibus confidat: quia quádiu inimicitiam in corde tenuerit, neque istis, neque alijs quibuslibet bonis operibus placare sibi Dominũ poterit. Sed si vult sibi habere propitium Deum, non dedignetur audire consilium bonum. Audiat non me, sed ipsum Dominum suum. Si, inquit, offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduersum te, relinque ibi munus tuum ante altare, & vade prius reconciliare fratri tuo, & tunc veniens offers munus tuum. At nos pugnas habentes intrinsecus, & dolos in corde versantes, quasi qui bonam conscientiam habeamus, præsumimus accedere ad altare, non timentes quod scriptum est: Qui manducat, & bibit indignè, iudicium sibi manducat, & bibit. Sed dicit aliquis: Grandis labor est inimicos diligere, pro persecutoribus supplicare. Nec nos negamus fratres. Non paruus quidem labor est in hoc seculo, sed grande erit præmium in futuro. Per amorem enim hominis inimici, efficeris amicus Dei, imò non solùm amicus, sed etiam filius, sicut ipse Dominus dicit: Diligite inimicos vestros, benefacite his qui vos oderunt, vt sitis filij patris vestri, qui in cœlis est. Si te aliquis homo diues in hoc seculo vellet adoptiuum filium facere, quomodo seruires, quas indignitates etiam seruorum eius, quæ seruitia durissima, & aliquotiens etiam turpissima sustineres, vt ad caducam, & fragilem hæreditatem illius peruenires? Quod ergo alius sustinet propter substantiam terrenam, tu sustine propter vitam æternam. Conuincimur enim certissima ratione, quia propter Deum possumus quidem, sed nolumus iniurias sustinere. Denique si nobis aliqua potens persona iniuriam faciat, si nobis etiam in facie maledicat, nec respondere aliquid asperum, non dicam vicem reddere audemus. Quare? Ne ab illa persona potente adhuc maiora quam pertulimus, patiamur. Quod à nobis extorquet hominis timor, debuerat à nobis exigere Christi amor. Si ergo potens persona sæuit contra nos, tacemus, & nihil dicere ausi sumus. Si verò aut æqualis, aut forte inferior vel leuem nobis contumeliam fecerit, quasi fera bestia sine vlla patientia, ac sine aliqua Dei cõtemplatione consurgimus, & aut in præsenti nostram iniuriam vindicamus, aut certè ad maiorem vicem reddendam nostrum animum præparamus. Quid est hoc, quòd quádo potens persona nobis iniuriam intulit, patienter accipimus: quando inferior, nimio furore succendimur? quòd ibi timuimus hominem, hic Deum timere nolumus. Vnde ergo nos fratres, quantum possumus cum Dei adiutorio cor nostrum ad patientiam præparemus, & in omnibus malis hominibus medicorum vicem agere studeamus, & non ipsos homines, sed illorum malitiam odio habeamus. Pro bonis oremus, vt semper ad meliora conscendant: pro malis, vt citò ad emendationem vitæ per pœnitentiæ lamenta confugiant. Quam rem orantibus nobis ipse præstare dignetur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus in secula seculorum. Amen.

Ex lib. 22. de ciuitate Dei ca. 8. 10 *Huc adeste quotquot sanctorũ aduersarios agitis. Qui dicitis Sãctos esse mortuos, & non posse opem ferre, eorum reliquias non venerãdas, ad eorum memorias non peregrinandum, sepulchra non inuisenda, peccare qui omisso Christo ad eos cõfugiunt, non*

RELATIO DIVI AVGVSTINI DE MIRAculis sancti Stephani.

AD aquas Tibilitanas Episcopo adferẽte Proiecto reliquias 10 martyris gloriosissimi Stephani, ad eius memoriã veniebat magnæ multitudinis cõcursus, & occursus, ibi cœca mulier, vt ad Episcopum portantem pignora sacra duceretur, orauit, flores quos ferebat, dedit, recepit, oculis admouit, protinus vidit. Stupẽtibus cunctis qui aderant præibat exultãs, viã carpens, & viæ ducem vlterius non requirens. Memorati memoriam martyris, quæ posita est in castello Synicensi, quod Hipponensi Coloniæ vicinum est, eiusdem loci Lucillus Episcopus populo præcedente atque sequente portabat: fistula, cuius molestia iam diu laborauerat, & familiarissimi sui medici qui eam secaret, operiebatur manus, illius piæ sarcinæ vectatione repentè sanata est: nam deinceps eam in suo corpore non inuenit. Eucharius presbyter ex Hispania,

Hispania, Calamæ habitans, vetere morbo calculi laborabat, per memoriam supradicti martyris, quam Possidius illò aduexit Episcopus, saluus est factus. Idem ipse postea morbo alio præualescente mortuus sic iacebat, vt ei iam pollices ligarētur, opitulatione memorati martyris cùm de memoria eius reportata fuisset, & superiacentis corpus missa ipsius presbyteri tunica, suscitatus est. Fuit ibi vir in ordine suo primarius nomine Martialis, æuo iam grauis, & multum adhorrens à religione Christiana. Habebat sanè fidelem filiam, & generum eodem anno baptizatum. Qui cùm eum ægrotantem multis & magnis precibus & lachrymis rogarent, vt fieret Christianus, prorsus abnuit, eosque à se turbida indignatione submouit. Visum est genero eius, vt iret ad memoriam sancti Stephani, & illic pro eo quantum posset, oraret, vt Deus illi daret mentem bonam, qua credere non differret in Christum. Fecit hoc ingenti gemitu, & fletu, & synceriter ardente pietatis affectu. Deinde ascendens de altari aliquid florum quod occurrit, tulit, eique cùm iam nox esset, ad caput posuit. Tunc dormitum est, & ecce ante diluculum clamat, vt ad Episcopū curreretur, qui mecum fortè tunc erat apud Hipponam. Cùm ergo eum audisset absentem, venire presbyteros postulauit. Venerunt, & statim credere se dixit. Admirantibus atque gaudentibus omnibus baptizatus est. Hoc quamdiu vixit in ore habebat, Christe accipe spiritum meum, cùm hæc verba beatissimi Stephani, quando lapidatus est à Iudæis, vltima fuisse nesciret. Quæ huic quoque vltima fuerunt: nam non multo pòst etiam ipse defunctus est. Sanati sunt illic per eundem martyrem etiam tres podagrici, duo ciues, peregrinus vnus, sed ciuis omnimodo: peregrinus autem per reuelationem quid adhiberet quando doleret, audiuit, & cùm hoc fecisset, dolor continuò conquieuit. Audurus est nomen fundi, vbi Ecclesia est, & in ea memoria martyris Stephani. Puerum quendam paruulum, cùm in area luderet, exorbitantes boues, qui vehiculum trahebant rota obtriuerūt, & confestim palpitauit expirans. Hunc mater arreptum ad eandem memoriam posuit, & non solum reuixit, verùm etiam illæsus apparuit. Sanctimonialis quædam, in vicina possessione, quæ Caspaliana dicitur, cùm ægritudine laboraret, ac desperaretur, ad eādem memoriā tunica eius allata est. Quæ antequā reuocaretur, illa defuncta est. Hac tamē tunica operuerūt cadauer eius parentes, & recepto spiritu salua facta est. Apud Hipponem Bassus quidam Syrus ad memoriam eiusdem martyris orabat pro ægrotante & periclitante filia, eoque secum vestem eius attulerat: cùm ecce pueri de domo cucurrerunt, qui ei mortuam nunciarent: Sed cùm orante illo ac amicis eius exciperentur, prohibuērunt eos illi dicere, ne per publicum plangeret. Qui cùm domum redisset iam suorum eiulatibus personantem, & vestem filiæ, quam ferebat, super eam proiecisset, reddita est vitæ. Rursum ibidem apud nos Irenæi cuiusdam collectarij filius ægritudine extinctus est. Cumque corpus iaceret exanime, atque à lugentibus, & lamentantibus exequiæ pararentur, amicorum eius quidam inter aliorum consolantium verba suggessit, vt eiusdem martyris oleo corpus perungeretur. Factum est, & reuixit. Itemque apud nos vir tribunitius Eleusinius super memoriam martyris, quę in suburbano eius est, ægritudine exanimatum posuit infantulum filium suum, & post orationem, quam multis cum lachrymis ibi fudit, viuentem leuauit. Vzali etiam, quæ colonia Vticæ vicina est, multa præclara per eundem martyrem facta cognouimus, cuius ibi memoria longè, priusquam apud nos, ab Episcopo Euodio constituta est. Sed libellorum dandorum ibi consuetudo non est, vel potius non fuit, nam fortasse nunc esse iam cœpit. Cùm enim nuper illic essemus, Petroniam clarissimam fœminam, quæ ibi mirabiliter ex magno atque diuturno, in quo medicorum adiutoria cuncta defecerāt, languore sanata est, hortati sumus volente supradicto loci Episcopo vt libellum daret, qui recitaretur in populo, & obedientissimè paruit. In quo posuit etiam, quod hic reticere non possum, à quodam Iudæo dixit sibi fuisse persuasum, vt annulum capillatiò vinculo insereret, quo sub omni veste ad nuda corporis cingeretur, qui annulus haberet sub gemma lapidem in renibus inuentum bouis. Hoc alligata quasi remedio, ad sancti martyris limina veniebat. Sed profecta à Carthagine, cum in confinio fluminis Bagradæ in sua possessione mansisset, surgens vt iter perageret, ante pedes suas illum iacentem annulum vidit, & capillatiam zonam, qua fuerat alligatus, mirata tentauit. Quam cùm omnino suis nodis firmissimis, sicut fuerat, comperisset astrictam, crepuisse, atque exiluisse annulum suspicata est. Qui etiam ipse, cùm integerrimus fuisset inuentus, futuræ salutis quodammodo pignus de tanto miraculo se accepisse præsumpsit, atque illud vinculum soluens, simul cum eodem annulo proiecit in flumen. Non credent hoc, qui etiā Dominum Iesum per integra virginalia matris enixū, & ad discipulos ostijs clausis ingressum fuisse non credūt. Sed hoc certe quærāt, & si verū inuenerint, credant: clarissima fœmina est, nobiliter nata, nobiliter nupta. Carthagine habitat, ampla ciuitas, ampla persona, rem quærētes latēre nō sinunt. Vnum est apud nos factū non maius, quàm illa quæ dixi: sed tam clarum atque illustre miraculum, vt nullum arbitrer esse Hipponensiū, qui hoc nō vel viderit, vel didicerit, nullum qui

obliuisci

innocandos, quoniā iniuria infertur domino nostro, & orationes ad eos factas esse superstitiosas & idololatricas, cū mille alijs huiusmodi insanijs. Legite miseri quæ hic sequūtur ex Augus. desumpta, & videbitis quoniā omnia vestra supradicta mera sunt mendacia, imposturæ & falsitates, cum miraculis euidētibus Deus mundo ostendere voluerit sanctæ Ecclesiæ dogma vestris figmētis contrarium verum esse, & à cunctis fidelibus amplectendum.

obliuisci vlla ratione potuerit. Decem quidem fratres fuerunt, quorum septē sunt mares, tres fœminæ, de Cæsarea Cappadociæ suorum ciuium non ignobiles, maledicto matris recenti patris eorum obitu destitutæ, quæ iniuriam sibi ab eis factam acerbissimè tulit, tali pœna sunt diuinitus coerciti, vt horribiliter quaterentur omnes tremore membrorum. In qua fœdissima specie oculos suorum ciuium non ferentes quaquauersum cuique ire visum est, toto penè vagabantur orbe Romano. Ex his etiam ad nos venerunt duo, frater & soror, Paulus & Palladia, multis alijs locis miseria diffamante iam cogniti. Venerunt autem ante Pascha ferme dies quindecim, Ecclesiam quotidie, & in ea memoriam gloriosissimi Stephani frequentabant, orantes vt iam sibi placaretur Deus, & salutem pristinam redderet. Venit Pascha, atque ipso die dominico mane, cùm iam frequens populus præsens esset, & loci sancti cancellos, vbi martyrium erat, idem iuuenis orans teneret, repente prostratus est, & dormienti simillimus iacuit, non tamen tremens, sicut etiam per somnum solebat: Stupentibus qui aderant, atque alijs pauentibus, alijs dolentibus, cùm eum quidam vellent erigere, nonnulli prohibuerunt, & potius exitum expectandum esse dixerunt. Et ecce surrexit, & non tremebat, quoniam sanatus erat, & stabat incolumis intuens. Quis ergo se tenuit à laudibus Dei? Clamantium gratulantiumque vocibus Ecclesia vsquequaque completa est. Inde ad me curritur, vbi sedebam iam processurus, irruit alter quisque post alterum, omnis posterior quasi nouum, quod alius prior dixerat nunciantes: meque gaudente, & apud me Deo gratias agente, ingreditur etiam ipse cum pluribus, inclinatur ad genua mea, erigitur ad osculum meum. Procedimus ad populum, plena erat Ecclesia, personabat vocibus gaudiorum, Deo gratias, Deo laudes, nemine tacente, hinc & inde clamantium. Salutaui populum, & rursus eadem feruentiori voce clamabant. Facto tandem silentio, scripturarum diuinarum sunt lecta solennia. Vbi autem ventum est ad mei sermonis locum, dixi pauca pro tempore, & pro illius iucunditate lætitiæ. Nobiscum homo prandet, & diligenter nobis omnem suæ fraternæque ac maternæ calamitatis indicauit historiā. Sequenti itaque die post sermonem redditum narrationis eius libellum in crastinū populo recitandum promisi. Quod cùm ex dominico paschæ die tertio fieret, in gradibus exedræ, in qua de superiore loquebar loco, feci stare ambos fratres. Cum eorum legeretur libellus, intuebatur populus vniuersus, sexus vtriusque vnum stantem sine deformi motu, alteram in membris omnibus contrementem, & qui ipsum non viderant, quid in eo diuinæ misericordiæ factum esset, in eius sorore cernebant. Videbant enim quid in illo gratulandum, quid pro illa esset orandū. Inter hæc recitato eorum libello, de conspectu populi eos abire præcepi, & de tota ipsa causa aliquantò diligentius cœperam disputare: cùm ecce me disputante, voces aliæ de memoria martyris nouæ gratulationis audiuntur. Conuersi sunt eò qui me audiebant, cœperuntque concurrere. Illa enim vbi de gradibus descendit, in quibus steterat, ad sanctum martyrem orare perrexerat. Quæ mox vt cancellos attigit, collapsa similiter velut in somnum sana surrexit. Dum ergo requireremus quid factum fuerit, vnde ille strepitus lætus extiterit, ingressi sunt cum illa in Basilicam vbi eramus, adducentes eam sanam de martyris loco. Tum verò tantus ab vtroque sexu admirationis clamor exortus est, vt vox continuata cū lachrymis non videretur posse finiri. Perducta est ad eum locum, vbi paulò antè steterat tremens, exultabant eam similem fratri, cui doluerant remansisse dissimilem, & nondum fusas preces suas pro illa, iam tamen præuiam voluntatem tam cito exauditam esse cernebant. Exultabant in Dei laudem voces sine verbis tanto sonitu, quantum nostræ aures ferre vix possent. Quid erat in cordibus exultandum, nisi fides Christi pro quo Stephani sanguis effusus est? Cui nisi huic fidei attestantur ista miracula, in qua prædicatur Christus resurrexisse in carne, & in cœlum ascendisse cum carne? Quia & ipsi martyres huius fidei martyres, id est, huius fidei testes fuerunt.

VITA SANCTI STEPHANI PROTOMARTYRIS, per D. Gregorium Nyssæ pontificem scripta, Petro Francisco Zyno Veronense interprete.

Habetur inter opera eius nunc primum in lucē edita.

QVàm præclara bonorū series, quàm dulcis lætitiæ successio. Ecce enim celebritatem ex celebritate, & gratiam pro gratia suscipimus. Heri nos excepit conuiuio rerum omnium Dominus: hodie excepit Domini imitator. Quomodo autem hic, & quomodo ille? Ille pro nobis hominem induens, hic pro illo hominem exuens. Ille propter nos vitæ speluncam ingrediens: hic è spelunca propter illum egrediens. Ille dum se pro nobis cruciatibus affici, hic autem pro illo lapidibus obrui sinit. Ille mortem è medio tollens, hic super iacentem mortem incedens. Ad hoc spectaculum, fratres, nos item animis concurramus, quò pugil egregius in stadio confessionis exutus aduersus improbum humanæ vitæ aduersarium certat. Stephanus enim verè, quemadmodum Paulus ait, spectaculum factus est mundo, & Angelis, & hominibus. Primus martyrij corona redimitus est.

Primus in martyrum choro iter arripuit. Primus aduersus peccatum vsque ad sanguinem restitit.

Tunc autem omnem supra cælestes incolentium sedes exercitum,& incredibilem omnium Angelorum tam ministrantium, quàm assistentium numerũ,& quicquid honesti præclariq; per supremam illam quietissimam regionem in principatibus,& virtutibus,& thronis,& potestatibus, & Dominationibus audimus, vniuersam denique cœlitum multitudinem spectasse pugilem hunc manus cum aduersario conserentem existimo: vita autem humana veluti stadium pugnantibus exposita est. Congressi sunt igitur, improbus quidem humanæ vitæ hostis, ex quo primi parentes ceciderunt, ad ea vsque tempora superandis hominibus exercitatus, magnus autem fidei propugnator impetus illius contemnens, & pro nihilo ducens. Arma verò fuerunt, mortis quidem inuentori mortem intentantes minæ: vitæ autem discipulo confessio fidei. Ecquis non esset nouum hoc certaminis genus admiratus? cùm vita & morte veritas diiudicaretur, mors autem foret veritatis indicium? Vitæ enim ad eam vsque diem absconditæ & incognitæ prædicator, re ipsa præconium hominibus denunciauit. Quid enim aliud tam promptè mortem oppetens significabat, nisi vitam hanc, quæ relinquitur, cum vita pretiosiore commutari? Sed operæpretium erit, vt certamen ipsum oratione tanquam in tabula diligenter depicta proponamus, vt recta ratione & via ex ipsa gestorum serie rerum admirabilium ordo nobis appareat. Nuper igitur vehemens spiritus desuper veniens, omni aërea & impostrice dæmonum potestate disiecta ac dissipata, Apostolorum domum impleuerat, & instar ignis in linguas pro numero eorũ qui gratiam accipiebant, dispertitus in singulis ipsorum inhæserat. Iamque propter incredibile vocis & linguæ miraculum eos,& qui ex omni natione Hierosolymis degebant, stupor inuaserat,& conturbatio. Nam licet variis diuersisque linguarum generibus distinguerentur, singuli tamen eadem planè lingua, vno atque eodem tempore discipulos loquentes audiebant, quum ea loquendi facultas nullo esset præcedente studio aut diligentia comparata. Oportebat enim, vt qui in terrena turri exædificanda similitudinem vocis amiserant, eã in cœlesti Ecclesiæ constructione recuperarent. Hinc igitur gratiæ Spiritus sancti dispensatio duxit initium, vt quod in omnes homines beneficium conferebatur, hac ratione ad omnium cognitionem perueniret, ne si religionis promulgatio vnicæ tantùm linguæ terminis concluderetur, hominibus eam linguam ignorantibus nihil prodesset. Quare cùm Pharisæi nec propriis auribus iam fidem haberent,& eos qui rei tam admirandæ stupore tenebantur, irriderent, quòd musto eiusmodi furorem Apostolis iniectum dicerent: Petrus autem vno orationis iactu tria animarum milia Christo piscatus esset, assiduaque deinceps eorum qui seruabantur accessione cresceret Ecclesiæ multitudo, cùm & ille qui iam inde ab ipso ortu claudus erat, speciosam templi portam ipsius aperiret. Tanquam enim ei præsideret, suæ curationis spectaculo homines animo claudicantes ad fidem ducebat. Quamobrem cùm ad fidei prædicationem confluerent, & Ecclesia plurium opera qui gratiæ ministrarent indigeret, Spiritus sanctus ad adiuuandos Apostolos Stephanum multa sapientia gratiaque præditum aduocauit. Nullus autem eum propter hoc ministrandi nomen Apostolica dignitate inferiorem existimet. Siquidem & Paulus mysteriorum Christi se ministrum nouit. Et omnium Dominus dum per carnem salutem humanam disponeret, ministri nomen non erubuit, dicens, se in medio nostrûm esse tanquam qui ministrat, qui diuisiones ministrationum facit, vt inquit Apostolus. Nam sicut ignis idoneam nactus materiam, sublimem flammam tollit, & splendidiorem lucem efficit: ita spiritus sanctus ex magno Stephani animo clariores gratiæ radios emittebat. Quapropter omnes qui alicuius erant cognitionis & disciplinæ participes, in eum spectabant, vt cum illis qui multitudine superiores videbantur, coniuratione facta, & tanquam in phalanges instructi & densi, vim & impetum Stephani sustinere conabantur. Ille verò & cum pluribus, & cum paucioribus eodem tempore congrediens, à nullis poterat expugnari. In hoc autem certamine quamuis specie ipsa Alexandrini, & Libertini, & Cyrenæi,& ex omni parte homines inter se coniuncti aduersus fidei propugnatorem viderentur irruere, occultè tamen ipse pater mendacij veritatem quæ in Stephano loquebatur, per homines oppugnabat. Sed omnibus fraudis defensoribus à viro strenuo profligatis, de mendacio victoriam & triumphum veritas reportabit. Hostis igitur veritatis criminabatur veritatis ministrum, quòd veritatem non quæ esset, iudicaret, sed quæ non esset, assereret. Quid istas insidias aduersus præconem hunc struis, ô diabole? dixissem ego. Si quid vales, si aliquid roboris est tibi, veritatem lædito, quæ in Stephano est. Sin dolis & machinis tuis illa sublimior est, cur in ipsius vas exerces odium & maleuolentiam tuam? Cur eo relicto quod continetur, id quod continet, è medio tollis? Sic faciunt & canes: lapides quibus petuntur, arripiunt & mordent: Eos qui iecerunt, ne attingunt quidem.

Cùm igitur rebus verissimis ac necessariis mendacium coargueretur,& omnibus veritatis lucem intuentibus,nullum amplius fraudis propugnatorem improbus inueniret,confugit ad artes suas,& malitiæ suæ vim accusatoribus, iudicibusque distribuens, atq; in vtrosq; ingressus,eos falsis criminibus Stephanum oppugnare,hos cum indignatione calumniã suscipere compellit: Iudæisq; sese variis modis insinuans,omnia ipse fit contra Stephanum,accusator,iudex,carnifex,& reliqua cædis instrumenta,nesciens quo ipse casu post eã Stephani condemnationem præceps abiturus esset. Vt enim periti luctatores subeuntes corpora colluctantium grauiorem ipsis lapsum machinantur: sic magnus Stephanus humi prostratus, grauem aduersario ruinam molitus est. Ex quo enim tempore totum orbẽ terrarum Apostoli peragrarunt, id Euangelij vbiq; Gentium disseminandi principium fuit. Nisi enim Stephani cæde populus Iudæorũ in Apostolos sæuisset,solis fortasse Hierosolymis Euãgelium inclusum permansisset. Nunc autẽ à Iudæis oppugnati,in alias orbis partes diuisi sunt,& mysteriorũ doctrina diabolum vndique detruserunt. Sic excepit Samaria verbũ Dei: Sic obiter per Philippũ Eunuchus salutem adeptus est: Sic vas illud magnum Ecclesiæ Paulus furore & minis armatus à diabolo in ipsum armigerum tela conuertit. Nam dum ipsos ex omnibus regionibus expellere & exterminare conatur, fecit vt nullus relinqueretur locus, ad quem Christi fides non perueniret. Hinc enim Ægyptios,Syros,Parthos,Mesopotamitas, Italos,Galatas,Illyrios,Macedonas,& omnes vndiq; Gentes ad fidẽ confluere persuasit verbum Dei. Cernis,quantum pugnandi scientia valeat Stephanus? & quàm multis casibus prostratum afflixerit aduersarium, qui calumniæ fraude superior videbatur? Sed ad ipsum stadium reuertamur. Quibus verbis commouent populum isti calumniatores? Homo iste non cessat,inquiunt,loqui verba impiè contumeliosa aduersus locum hunc sanctum, & legem. Audiuimus enim eum dicentem: Iesus Nazarenus ille destruet locum istum,& mutabit instituta quæ tradidit nobis Moyses. Hæc est oratorum diaboli criminatio. Quæ porrò audientium amentia? Quid indignantur aut succensent huic reo? Quid in ea accusatione criminis deprehenderunt? Quæ enim illi data sunt crimini, prænunciant ea quæ in posterum sunt euentura. Aiunt enim eum dixisse,locum destructum iri,& mutatum iri Moysis instituta. Quódnam in his,seu verum dicat,seu mentiatur,crimen exsistit? Si mentitur,quod triste denunciat,non eueniet: Sin vera loquitur, quam adfert iniuriam oratio, quæ futuros rerum exitus prædicit? Quæ futura sunt enim, siue taceantur, siue significentur, omnino contingent. Prædicentis autem cædes quam molestiarum alleuationem adfert?

Quid? quòd Iesus Nazarenus accusatur, in Stephanum autem fertur sententia? Atqui si iniuriam faciens mouet indignationem,iniuria autem est loci & institutorũ euersio & immutatio: hæc verò non per Stephanum,sed per Iesum,vt asserit accusator,efficienda sunt: eum qui accusatur,condemnari oportebat. O iniqua audientium sententia. Quoniam,inquiunt, Iesus mutabit leges,Stephanus lapidibus obruatur. Quo autem pacto legem abrogabit Iesus, qui legis adeo studiosus fuit? Qui instituta vetera tantopere confirmauit? Qui veni,inquit,non legem vt soluerem, sed adimplerem? Qui legem eam qua homicidium interdicitur,sic approbauit,vt discipulis initio ne irasci quidem permiserit? Qui pariter cum ipsa cupiditate adulterium conuulsit? Qui iubens, vt ne illos quidem vlcisceretur,à quibus essent iniuria lacessiti,inferendæ iniuriæ principium abstulit? Qui præcipiens,vt quæ possiderent, omnia pauperibus distribuerẽt,auaritiæ vitium exterminauit? Cur hæc illi in eo iudicio non commemorarunt,non perpenderunt? Illorum mihi nunc iudicum parricidarum consessum adesse velim,& de locis pro quibus indignantur discere,vbinam celebre templum illud,vbi incredibiles illæ lapidum magnitudines, vbi aurum illud,quod reliquam materiam propemodum exæquabat,vbi legitima sacrificia, hircus, vitulus, agnus, caprea, columba, turtur, hædus repudiatus. Si propterea morte Stephanum affecerunt, vt earum calamitatum nulla contingeret,ostendant quæso quàm multa sibi propter homicidium illud integra conseruarunt. Quòd si nihil horum est,quamobrem Stephanum condemnarunt,cur ea cædes patrata sit dicant. Sed in ipso certaminum ordine videamus, quomodo parricidas, à quibus densa lapidum,instar niuium,multitudine obrutum vlciscatur,quæ dicta reijciat in eos qui lapides in ipsum coniecerunt. Cognoscant Iudæorum filij Christianorum arma,quibus magnus Stephanus iniurias suas persecutus,legem vitæ re ipsa statuit. Nam illi quidem immani & ferina quadam rabie virum sanctum circumuenientes ad eum vnum scopum respiciebant, vt quicquid in manus veniret,pro telo corripientes,in ipsum contorquerent. At ille tanquam sacerdos quidam ex spiritali lege puram hostiam immolans,non alienũ,sed proprium corpus adducebat,& loco libaminis sanguinem effundebat,& pro iis qui se tam nefario scelere obstringebant, Deum quem aspiciebat in cœlestibus adytis, precabatur,& pro cæde sua beneficium rependebat, audientibus homicidis clamans,& dicens: Domine ne statuas illis hoc peccatũ. Ac ille quidem scelus quod parricidæ propriis impuris manibus exarabãt precatione

catione deleuit. Ipsi verò ea precatione magis etiam concitati non prius iaculari destiterunt, quàm magnus Stephanus tanquam mollibus floribus, & leui quodam rore circumfusus, dulcissimo ac beatissimo somno consopitus est. Sed nos victoria pugnam anteuertimus, & ante certaminis finem, virum aspicimus coronatum: prinsquam enim pugnandi labores videremus, ad certaminis exitum oratione prouecti sumus. Neque enim illa mea quidem sententia prætereunda erant, ex quibus maximè martyris virtus eluxit. Qualis videlicet interficientium consessus fuerit, & quomodo pariter vniuersos ad patrandam cædem furor incitarit. Quanta ad facinus congregatis conspiratio. Qui singulorum intuitus, quæ figura, quæ dentium affectio. Nam, vt scriptura testatur, dissecabantur cordibus, & stridebant dētibus in eum, qui tot taliumque corona circunceptus, & contra omnes aduersarias copias parricidis opitulantes sese obijciens, animi prudentiæque magnitudine omnibus excelluit. Opposuit enim furori patientiam, minis contemptionem, mortis terrori despicientiam vitæ, beneuolentiam odio, maleuolentiæ charitatem, calumniæ veritatis declarationem. Veritatis enim defensor non vno tantùm modo victor apparuit, sed omnibus malitiæ generibus, quæ exercebant Iudæi, variis ipse virtutibus occurrit. Cum omnibus congressus est, omnesque superauit. Sic in certaminum ludis victores accipio factitare, vt per totum sæpe stadiū nudi cunctis aduersariis victis præmia victoriæ ferant. Itidem in martyrum stadio se Stephanus gessit, qui omnem hostis vim atque impetum excipiens, illustrem in omnibus victoriam reportauit. Falsam enim Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum sapientiam, vera sapientia deuicit: metum dicendi libertate: comminationem despicientia: beneficētia crudelitatem: veritate mendacium. Illi quidem ad cædem spectabant, iamq; manus armabant lapidibus, & anhelitu, aspectu, dentium collisione sæuitiam præ se ferebant. Hic autem eos intuebatur vt fratres, vt patres demulcebat. Viri fratres, inquit, & patres, audite me: illi calumniam adornabant: huic consessus interficientium erat veritatis schola. Sermonem timore non intermisit, neque periculo territus despondit animum, sed morte rebusque præsentibus neglectis, & pro nihilo habitis, mētem in sublime tollens, eos tanquam puerulos temerè desipientes erudiebat, ex rebus quas ipsi certas & exploratas habebant, demonstrans quibus in erroribus versarentur. Adducit igitur Abrahæ testimonium, omnemq; illius historiam breuiter eis ante oculos ponit. Tum sanctos viros, qui deinceps successerunt: Deinde genitum Moysen, educatum, institutum, in monte percipientem mysteria, vexantem Ægyptum, Israëlem conseruantem, id quod Domini mysterium declarabat. Quare consessus etiam maximè commotus est, & morbus eius inflammatus, cùm Moysen, cuius sese studiosissimos fingebant, pro Stephano stare perspicerent. Itaque consurgentes, rei finem & crudelitati suæ, & Stephani desiderio dignum imponunt. Ipse enim naturam humanam egressus, etiam antequam migrasset è corpore, puris oculis cœli fores sibi patefactas aspicit, & quæ in cœlestibus adytis continentur, diuinamque gloriam, & gloriæ diuinæ splendorem contuetur. Ac paternæ quidem gloriæ nulla figura describitur, sed splendor in ea specie quam homines viderant, ab athleta, quatenus humana capiebat natura, perspicuus cernitur. Ex natura igitur hominis in Angelicam transmutatus, adeo vt ipsis etiam homicidis esset admirationi, quòd facies eius Angelorū dignitate insignis fulgeret, vidit ea quæ humanis oculis cerni non possunt, & gratiam à se perspectam declarauit. At illi occlusis auribus, quod narrabatur non acceperunt. Qua quidem vna in re ex tam multis se rectè gesserunt. Profanorum enim aures non erant dignæ quæ diuinæ rei perspectæ narrationem audirent. Ille quidem ea quæ sibi soli concessa fuerant, explicatione in commune proponens, gratiā præsentibus impertiuit. Ecce video, inquiens, cœlos apertos, & Iesum stantem à dexteris virtutis Dei. Ipsi verò clamātes voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Bene historia quæ de ipsis loquitur factis, clamorem adiunxit, vt eorum propositum Sodomitarum proposito simile significaret. Siquidem & flagitiū ipsorum clamor irritantis appellatus est. Clamor, inquit, Sodomorum & Gomorrhæorum venit ad me. Clamauerunt igitur & isti, vt eorum in Stephanum clamor audiretur. Sed athleta sibi parricidarum crudelitatem prodesse non ignorabat. Etenim cùm ab ipsis vndiq; lapidibus peteretur, id factum tanquā coronam victoriæ præmium, in aduersariorum manibus cōtextam suscepit. Proinde benedictionibus eos remunerauit, indignum existimans rem quæ gerebatur contrarios exitus ita partiri, vt sibi vitam, aduersariis autem exitium pareret: & ex illis bonis, quibus ipse dignus efficeretur, hostes qui eorum bonorum sibi autores essent, exciderent. Sic Christum respiciens eis à quibus oppugnabatur, prodesse didicit. Nam simulatque tolerantiæ legislatorem aspexit, meminit earum legum, quibus iubemur inimicos diligere, & benefacere iis qui oderūt nos, & precari pro iis qui nos persequuntur. Verùm hic athleta non capitur humanis laudibus. Neq; enim eum certaminis finem propositum habuit, vt ab hominibus gloriā assequeretur, sed animi virtutisq; magnitudine totū mundum supergressus, posthabita & neglecta omni

laudandi ratione, mensuram humanæ facultatis superauit. Quamobrem omnium hominum celebratione habeat victoriæ præmia, nobisq́; historia, quã de ipso conscriptam legimus, ad animorum salutem opituletur. Quemadmodum enim pugiles, qui donati rude artem deserunt, in palæstra erudiunt iuuenes, quo agilitatis artificio colluctantium prehensiones euadant: ita nos etiam censeo ad pietatem institui per magnum Stephanũ oportere, vt hostium aduersus spiritum pugnantiũ fallacias euitemus. Nam qui rabie inflammati, spiritus gloriam oppugnant, aiunt sure ipsorum absurditatis Stephanum esse fautorem atq; patronum: intentis enim in cœlum oculis vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dexteris Dei. Quapropter ad euertẽda religionis decreta sic argumentantur: Si cum patre & filio spiritus omnino connumerandus est, cur in eo spectaculo Stephanus simul cum filio non conspexit & spiritum? Quomodo igitur iis qui eiusmodi rationibus supplantantur, Stephanus manum præbebit, aut certandi artificio fractos eriget & confirmabit? An eodem ex loco feret auxilium, vt infidelitas oppugnantis infringatur? Quæris ergo tu, qui spiritum insectaris, cùm patris gloria filijq́; ad dexterã eius stantis conspecta sit, vbinam spiritus? Si in te spiritus esset, non quemadmodum qui oculis capti sunt, aurum quod ante pedes suos iacet, non cognoscentes prætereunt, de ipso spiritu sermonem propositum tu præterisses. Sed nunc falsè audis nisi fortè, vt Iudæi aures obturas. Quo pacto vidit supercœlestem gloriã Stephanus? Quis ei fores cœlorum patefecit? Nunquid ea virtus humanarum virium fuit, aut cuiuspiam Angelorum inferiorem naturam ad sublimitatem illam extollentis? Minimè verò: neque enim sic habet historia, quòd Stephanus multo robore præditus, aut Angelorũ fultus auxilio viderit ea quæ vidit. Quid igitur dicit? Stephanus autem plenus spiritu sancto vidit gloriam Dei, & vnigenitum filij Dei. Non enim, vt ait Propheta, licet lumen intueri, nisi in lumine conspiciatur. Ideo in lumine, inquit, tuo videbimus lumen. Non nisi in lumine lumen spectari potest. Quomodo enim solem aspiciat, qui extra radios ipsius positus sit? Cùm igitur in lumine patris, id est, in spiritu sancto ab eo procedente vnigenitũ videatur lumen, idcirco prius gloria spiritus illustratus, patris & filij gloriæ cognitionem assequitur. Alioquin quomodo sententiam illam Euangelij: Deum nemo vidit vnquam, esse veram: aut Apostolum clamantem: Quem nullus hominum vidit, neque videre potest: non iis quæ in historia scripta sunt, dicemus aduersari? Etenim si natura & vi humana patris & filij gloria percipi potest, ille mentitur omnino, qui Deum negat posse comprehendi: sed neque illum mentiri, & historiam esse veram necessarium est. Manifestè igitur malitia spiritum impugnantium est deprehensa. Quandoquidem simile simili conspicuum esse scriptura testatur. Stephanus enim non in natura vtique humana persistens Deum vidit, sed spiritus sancti gratia confirmatus, per eum ad intelligentiam Dei sublatus est. Quamobrem si, vt inquit Apostolus, sine spiritu Dominum Iesum intueri non licet, nec paternam gloriam perspicere, planissimè constat, vbi spiritus est, illic & filium conspici, & patris gloriam comprehendi.

Cæterùm ex iis quæ tacitè prætermissa sunt, alterum impietatis telũ ab iis qui Christum oppugnant, contorquetur. Aiunt enim vnigenitum inferiorem esse. Etenim cùm a dexteris patris dicatur stare, & ex his verbis asserunt demonstrari, eum obnoxium esse patris potestati. Quid igitur istis Paulus respondebit, aut ante Paulum Propheta Dauid? Vterque enim doctrina spiritus, gloriam vnigeniti declarat. Nam Dauid ait: Dixit Dominus Domino meo, sede à dexteris meis. Apostolus autem ad dexteram throni Dei sedere Dominum dicit. Quare si status inferiorem arguit, sessio prorsus æqualem esse significat, aut contradicit ipsi. In vnoquoque enim horum eadem magistra spiritus gratia. Siquidem & Stephanus plenus spiritu sancto vidit ea quæ vidit: & quæ vidit locutus est. Dauid autem in spiritu vocat ipsum Dominum, vt Euangelium testatur. Paulus verò, quemadmodum ipsemet dicit, in spiritu loquitur mysteria. Quare si magister vnus est, nulla re à se ipso discrepans, & magister hic est spiritus veritatis in omnibus qui diuinitus afflati sunt, quomodo quispiam in eius decretis discrepantiam suspicabitur? At aliud est, inquies, sedere, aliud stare, si trita verborum significatio consideretur. Ego quoque ad sententiam tuam accedo. Sed non est fas hæc verba sic accipere, vt eandem in natura corporis experte, quam in corporibus vim habeant. Nam in homine quidem sessio figuram corporis quiescentis describit, ne genua corpus ipsum sustinentia omnino defatigentur: è contrario autem statio rectum hominem super genua consistentem, non autem sedendo quiescentem indicat. At in illa suprema natura, & sessio, & status ab eiusmodi significatione remouentur, & apposite ad rem ipsam explicandam adhibentur. Neque enim illum omni corporea figura vacantem, aut super genua stare, aut vlla corporis parte sedere opinabimur. Sed per vtramque vocem perpetuam & immutabilem in omni bono stabilitatẽ & quietẽ piè cogitabimus. Etenim qui Deum stare, & qui eundem sedere dicit, verborum varietate discordes sunt illi quidem, sed tamẽ re ipsa cõsentiunt. Cùm & ille firmè progressum, & hic immobilem in omni bono insedisse Deum significet.

Quemad-

Quemadmodum autem Propheta Dauid,& Apostolus Paulus vnigeniti sessioné exponentes,non effecerunt, vt patre stante sedere filium cogitaremus, quamuis ipsius tantummodo filij sedentis mentionem fecerint, sic cùm ex Stephano filium stantem exaudis, haud rectè solius patris sessionem esse suspicaberis, sed vt ex Pauli & Dauidis oratione sedere patrem, quoniam filius ad dexteram eius sedeat,confitemur,licet nulla de patre fiat métio. Sic enim imaginis ratio seruatur, si quicquid in hoc intelligitur & videtur, idem & in exemplari creditur. Et quemadmodum in bono bonum,& in lumine lumen, & in omnibus ipsum pulchritudinis exemplar, per naturam propriam in imagine exprimitur, eodem pacto ex sede filij,quomodocunque ea intelligatur,& patris sedes comprehenditur, itidemque status ex statu,ne tollatur imaginis ratio,si in varietate proprietatum aliena sit ab exemplari. Hæc nobis obiter,fratres,ad quæstionem propositam dicta sint,quæ ex visione Stephani orta est. Faxit autem Deus,vt Stephani non certaminis solùm spectatores,sed etiam gratiæ participes simus,& sancto spiritu ad profligandos & delendos aduersarios impleamur,ad gloriam Domini nostri Iesu Christi,cui gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

ITEM PASSIO SANCTI STEPHANI PROTOmartyris,per Diuum Eusebium Emissenum Episcopum scripta.

Habetur in libr. Homiliarũ eius.

SAtis notum est beatos martyres,& amicos Dei,post emeritam militiæ præsentis administrationem,in illud 1 seculum cum fauore cœlesti,cum pompa & triumphali occursu,cum Angelica exultatione susceptos,vbi nunc remuneratoris benedictione satiantur,& ineffabilibus gaudiis perfruuntur.

1 *Vides sanctorũ animas statim post mortem recipi in cœlo.*

Inter hæc itaq; requiramus quid necessitatis,quidve rationis sit,cùm sancti martyres in illo paradysi lumine constituti, humanis laudibus non indigent,cur tantis hominũ studiis celebrentur,cur tantoperè mundo huic eorum reliquiæ Deo reuelante prodantur? sine dubio propter multiplices causas. Primùm ad hoc à sollicitis fidelibus excolantur, vt sedulis 2 cultoribus suffragentur: deinde vt dum in exemplum deuotionis & fidei posteris proponuntur,nouis 3 semper meritis augeantur:ac iam virtutibus suis clari,alienis etiam profectibus amplientur,vt dum stupendo Dei munere cum eis stare necesse sit vitæ cursum,nihilominus gloriæ adhuc currat augmentum:deinde vt antiquus ille religionis inimicus,etiam ante iudicium sentiat pœnam malitiæ suæ,per quam se sanctorum gloriæ intelligit militasse: vt quos hic iam perspicit honoratos,illic non dubitet vindicandos, vt cùm totus mundus celebret interempti coronam, necesse habeat interemptor propriam lugere victoriam: sicut etiam circa hunc beatum martyrem intelligere in promptu est.

2 *Sancti suis cultoribus suffragãtur.*

3 *Iidẽ nouis meritis augentur. Et gloriæ illis currit incrementum.*

Iudæi ergo illo adhuc spiritu ebrij quo dudum clamabant, crucifige, crucifige, in necem sacri testis incumbunt. Beatus qui cœlestis illius agonis proximo pedissequus interuallo,reliquias excipere furoris illius emeruit,quo paulò antè sæuiente mũdo Saluator occubuit. Beatus qui fumantem adhuc Dominici victimam sanguinis , primus honorauit recenti sacrificio passionis: ideo dignus apparuit de quo diceret sermo diuinus: Viderunt faciem eius tanquam faciem Angeli,quanquam non fuit hoc illis gratia meriti,sed pœna peccati. Nam dum morientis proditur gloria,persequentis torquetur inuidia. Aduerte concepta semel iniquitas in quantum captiuos possideat sensus:impietatem suam in illius decore perspiciunt,& tamen peragere triumphum eius in sua immanitate non desinunt. Aspectu Angeli facies impiorum cæduntur,& lapidantium conscientiæ, lapidati lumine repercussæ,agnitionis cereis lapidantur. Hoc genere vitare non possunt etiam oculorum fidem importunissimum criminis sui testem. Videmus itaque humanam mentem tanta præditam ratione, vt nullus sit etiam in medio facinoris tempore,cui facinus suum liceat ignorare.

Viderunt faciem eius. Beatus qui in ipsa colluctatione pugnantis iam profert speciem resurgentis. Splendore Angeli Deus sanctificatum circumfudit aspectum. Qui sic magnificat moriturum, putas quomodo decorabit æternum? Viderunt faciem eius :abundantia cordis transijt in decus corporis,in exterioris gloria candor interioris exundat: & abscõdita pectoris ornamenta,speculum frontis irradiant:habens intra se spiritum sanctum,os præ se gestat Angelicum. Nimirum tali eum vultu internus habitator induerat,qualem regni in templo, tẽpli indicat pulchritudo:& ideo ineffabili repletus exultatione testatur: Ecce video cœlos apertos. Iustè incunctanter offert sanguinem suum,qui 4 præ oculis habet Regem suum,simul & brauium suum , & filium hominis à dextris stantem Dei. Vides quòd expectantis intuitus armat cõstantiam triumphantis: dignè patentibus cœli portis comparatur cœlum, bella desudant:ac sic dum occupatur in stupore & amore cœlestium,meritò ingruentiũ non turbatur duro imbre saxorum. Ecce video, Tali miraculo Angeli decebat faciem honorari. Quid inter ista dicemus? quòd apertum martyri cœleste secretum, futuri præmij fuerit testimonium:

4 *Habet Regem suũ præ oculis, simul & brauium suum. Considera ergo quomodo & illa opera valent ad coronam, quæ & Dei & retributionis pariter intuitu peraguntur.*

stimonium: Sed Deum videre iam præmium est. Vide quantũ agat in pectoribus seruorum suorũ diuinæ charitatis ardor: quod sperabatur desideriis, oculis demonstratur: & spes in re spiritu adhuc intra carnem militante perficitur. Nec dum explet famulus ministerium suum, & iam Dominus aperit regnum suum. Aduertamus in quantum à sancto spiritu possidetur. Positis, inquit, genibus orabat, dicens: Domine ne statuas eis hoc peccatũ. Audierat Dominum pro Iudæis de patibulo supplicantem: Pater, inquit, ignosce illis, quia nesciunt quid faciunt. Non solùm per pietatis ac iustitiæ studium, per vitæ mortisq; contemptum, sed etiam per orationis affectum, Christi se probat esse discipulũ. Quid agit fidei magnitudo, quæ non vincitur à malo, sed vincit in bono malum? Dum pro impiis Deo plenus exorat, etiã de alieno peccato iustitiam suam cumulat, & coronam suam perfecta Christi humilitate multiplicat. Intelligamus quantum bonum sit dilectionis, quantæq; res illa virtutis, quæ commendare adhuc potest passionem. Notum per ista sit, quia partem & opera martyris suscipit, qui odium malis debitum generosi cordis benignitate calcauerit. Domine ne statuas illis hoc ad peccatum: In media intentione certaminis, sicut futura confessio atq; damnatio hos latuit, martyrem remuneratio futura non latuit. Nam qui pro inimicis sub ipso tempore cõsummatæ persecutionis orauit, beatitudinis suæ causa persecutorem dilexit. Nec mirum, si eis nescit irasci, per quos sibi vidit aulam regni cœlestis aperiri, per quos se æternis seculis intelligit consecrari. Domine ne statuas eis hoc ad peccatum. O admirabilem etiã circa impios charitatem. Excusat supplicatione synagogam, passione confirmat & honorat Ecclesiam, memor fratrum, immemor persecutorum, recordãs de qua radice processerit: sic oleastro nouus ramus cupit inseri, vt oleam veterem nolit abscondi. Domine ne statuas eis hoc ad peccatum. Dum pro Iudæis supplicat, spem nostram ac fiduciam nutrit: nam dum pro persecutoribus deprecatur, manifesta cultoribus suffragia pollicetur. De ipso beatissimo teste visionis, fide veridica reuelatio testatur, vt locum reliquiarum mira iucunditas anhelantibus rosis, & croco olenti, vel florulento rore gratiæ venalis infunderet, & tanquam de paradyso spirans aura respergeret. Ecce etiam nunc multò latius, multoque pretiosius, dum fidei suæ præconio magnanimitatis trophæa, passionis insignia feruentibus pietate studiis celebrantur ab Oriente vsque ad Occidentem, velut cœlestis fragrantiæ balsama commouentur: tunc vnus locus sepulchri odorum suauitatibus amœnus redditus, nunc à solis ortu aromatibus virtutum totus orbis impletur: tunc imbribus terra vnius regionis infunditur, nunc à solis ortu vsque ad occasum mansuris benedictionibus irrigatur.

VITA ALIA BEATI STEPHANI PROTOmartyris, per beatum Fulgentium Episcopum Carthaginensem scripta.

Habetur in antiquo homiliario, & in omnibus Romanæ Ecclesiæ breuiariis. Sed impressorũ cõmuni errore D. Augustino tributa. At in correctioribus, & manu scriptis, vero suo autori.

HEri celebrauimus temporalem sempiterni Regis nostri natalem: hodie celebramus triumphalem militis passionem. Heri enim Rex noster trabia carnis indutus, de aula vteri virginalis egrediens, visitare dignatus est mundum. Hodie miles de tabernaculo corporis exiens triumphator, migrauit ad cœlum. Ille sempiternæ diuinitatis maiestate seruata, seruile cinctorium carnis assumens, in huius seculi campum pugnaturus intrauit: iste depositis corruptibilibus corporis indumentis, ad cœli palatiũ perenniter regnaturus ascendit. Ille descendit carne velatus, iste ascendit sanguine laureatus. Ascendit iste lapidantibus Iudæis, quia ille descendit lætantibus Angelis. Gloria in excelsis Deo: heri exultantes sancti Angeli cantauerunt: hodie Stephanum lætantes in suum consortium susceperunt. Heri Dominus exiuit de vtero virginis: hodie miles egressus est de ergastulo carnis. Heri Christus pro nobis pannis est inuolutus: hodie Stephanus est stola ab eo immortalitatis indutus. Heri præsepis angustia Christum portauit infantem: hodie immensitas cœli suscepit Stephanum triumphalem. Solus descendit Dominus, vt multos eleuaret: humiliauit se Rex noster, vt suos milites exaltaret. Qui enim corpori suo virginis præparauit vterum, ipse martyri aperire dignatus est cœlum. Dominus Christus angustias intrare non dedignatus est vteri, vt animam Stephani latitudo susciperet cœli. Necessarium tamen nobis est fratres, cognoscere quibus armis præcinctus Stephanus sæuitiam Iudæorum potuit superare, vt ita meruisset fœliciter triumphare. Neque enim paruipendenda sunt talis virtus, talisque triumphus. Haud verò vilibus armis potuit præmuniri, qui à multis non potuit superari. Inuictæ namque in eo enituit insigne virtutis, quæ nec frementium sæuitiam formidauit, nec lapidantium ictibus deuicta succubuit. Vsque adeo enim inter frementes permansit interritus, & inter lapidum fuit cruciamenta securus, vt incredulitatem Iudæorum fidenter argueret, & benignus pro lapidantibus exoraret.

Quod est ergo tam magnum atque insuperabile genus armorum, quo munitus sæuientes argue-

argueret lapidantes, non repercutiens, sed patiens superaret, insuper & occisus 5 aulam cœlestis regni viuus & coronatus intraret? Proculdubiò munimine regio septus nullatenus est ab aduersariis superatus. Quoniam Rex noster cùm sit altissimus, pro nobis humilis venit, sed inanis venire non potuit. Magnum quippe donatiuũ suis militibus attulit, quo eos non solùm copiosè ditauit, sed etiam ad certandum inuictissimè confortauit. Attulit namque donum charitatis, quæ perduceret homines ad consortium deitatis. Quod ergo attulit, erogauit. Nec sibi aliquid minuit, sed mirabiliter & suorum fidelium pauperiem ditauit, & in deficientibus thesauris plenus ipse permansit. Charitas ergo quæ ad terram de cœlo deposuit Christum, ipsa Stephanum de terris eleuauit ad cœlum. Charitas quæ præcessit in Rege, ipsa subsequenter refulsit in milite. O admiranda vbique potentia Saluatoris, ô prædicanda indesinenter gratia redemptoris. Ostendit in matre virginitatis æternæ miraculum, demonstrauit in martyre inuictæ charitatis indicium. Integritas quippe intemerata permansit in virgine, dilectionis inuicta vestis perseuerauit in martyre. Et sicut in matre Domini nõ potuit virginitas violari, sic in martyris mente non potuit Christi charitas tanto sæuientium agmine superari. Stephanus ergo vt nominis sui coronam meruisset 6 accipere, charitatem pro armis habebat, & per ipsam vbique vincebat. Per charitatem Dei sæuientibus Iudæis non cessit, per charitatem proximi pro lapidantibus intercessit, per charitatem arguebat errantes vt corrigerentur, per charitatem pro lapidantibus orabat ne punirentur. Charitatis virtute subnixus vicit Saulum crudeliter sæuientem, & quem habebat in terra persecutorem, in cœlo meruit habere consortem. Ipsa sancta & indefessa charitas, desiderabat orando acquirere, quos nequiuit monendo conuertere. Neque enim, fratres, existimandus est Stephanus tunc inimicos dilexisse, cùm pro eis oraret, & non dilexisse, cùm eorum incredulitatem arguendo corriperet. Absit hoc ab anima martyris ad cœli palatium festinantis. Ipsa enim sancta charitas firmam seruauit in oratione patientiam, quæ rigidam tenuit in correptione censuram. Et ideo in oratione audiri meruit lenitas, quia sine charitate non fuit in correptione seueritas. Ac per hoc siue orando, siue corripiendo, charitatem beatus Stephanus reseruauit, quia vtrobique salutem errantium cogitauit, & indicio sanctæ orationis ostendit increpationem illam non fuisse odij, sed amoris. Hoc enim faciens, & præsentibus charitatem beatus martyr exhibuit, & vtile nimis exemplum posteris reliquit. Demonstrauit enim geminam Ecclesiastici dispensatoris industriam, vt ad corrigendum cuiuslibet peccantis errorem, & non desit in ore correptio, & ad Deum pro eo supplex effundatur oratio, vt qui malum facit, per increpationem de malis operibus confundatur, & per orationem apud Dominum adiuuetur. Ac sic ipsa charitas & in ore iustitiam sonet, vt errantem corrigat, & in corde patientiam seruet, vt pro orante orationem puro affectu dilectionis effundat. Qui etiam errantem non corripuerit, de negligentia iudicatur. Qui autem pro eo non orauerit, de pernicie condemnatur. Quocirca, fratres, si quando aliqui, pro animæ salute corripitur, non aspernetur. Accipiat monita charitatis, nec præsentem tristitiam suæ voluntatis attendat, sed consideret quæ lucra vtilitatis acquirat. Idcirco enim arguitur, vt à prauis operibus corrigatur. Nec cùm videt correptionem aliqua verborum austeritate feruere, existimet charitatem in corde frigescere. Sic enim vigilat in ore correptio, vt in corde non dormitet oratio. Ac per hoc in vtroque peccanti consultè prospicitur, vt dum homo correptus de peccato confunditur, & à malis omnibus operibus separetur, & 7 per orationem Deo miserante saluetur. Nam & sancta scriptura dicit: Quoniam quem diligit Dominus, corripit: flagellat autem omnem filium quem recipit. Christi ergo charitate compulsi, & bonos hortamur, vt in bono permaneant, & malos compellimus, vt à malo discedant, præsertim quoniam in istis duobus sanctis geminum nobis monstratur salutis indicium, vt si quis bonus est, imitetur perseuerantiam charitatis in Stephano: qui autem malus est, sectetur exemplum conuersionis in Paulo. Et qui bonus est, æquitatem vsque in finem teneat: qui autem malus est, quantocius à sua peruersitate discedat. Nec bonum hominem præsumptio iustitiæ faciat negligentem, nec malum iniquitas faciat desperantem: sed ille bonum fortiter teneat, iste malum celeriter deserat. Bonus timeat ne cadat, malus conetur vt surgat. Quisquis ergo malus est cum Paulo prosternatur in malo, vt cum eo erigatur in bono: quoniam & ille cecidit malus, & surrexit bonus. Prostratus est iniquus, & erectus est iustus. Cecidit sæuissimus persecutor, & surrexit veridicus prædicator. Cadens lumen corporis impius perdidit, surgens lumen cordis iustificatus accepit. Coniunctus est itaque Stephano, factus ouis ex lupo. Et ecce 8 nunc Paulus cum Stephano lætatur, cum Stephano Christi claritate perfruitur, cum Stephano exultat, cum Stephano regnat. Quo enim præcessit Stephanus trucidatus lapidibus Pauli, illuc secutus est Paulus, adiutus orationibus Stephani. Quam vera vita, fratres mei, vbi non Paulus de Stephani occisione confunditur, sed Stephanus de

5 Et hic habes sanctorũ animas statim in cœlo recipi: & quod sancti licet pro Christo occidãtur, viui tamẽ & coronati cœlum intrãt, contra eos qui sanctos emortuos vocare præsumunt.

6 Vide quomodo sancti merentur accipere coronã.

7 Per orationem pro se factam, peccator quandoque saluatur.

8 Sanctorum animæ etiã ante diẽ iudicij sunt in cœlo, & cum Christo regnant.

Pauli consortio gratuletur, quoniam charitas in vtroque lætatur. Charitas quippe in Stephano superauit sæuitiam Iudæorum. Charitas in Paulo cooperuit multitudinem peccatorum, charitas 9 in vtroque pariter regnum meruit possidere cœlorum. Charitas est igitur omnium fons & origo bonorum, munimen egregium, via quæ ducit ad cœlum. In charitate qui ambulat, nec errare poterit, nec timere. Ipsa dirigit, ipsa protegit, ipsa perducit. Quocirca fratres, quoniam scalam charitatis constituit Christus, per quam ad cœlum omnis possit conscendere Christianus, puram charitatem fortiter retinete, ipsam vobis inuicem exhibete, & in ea proficiendo conscendite, insistite operibus bonis, vt ad præmia æterna peruenire possitis, adiuti gratia Christi Domini Saluatoris.

9 Charitas in vtroq; meruit possidere regnũ cœlorum.

Est Sermo cliiij in opere homil. eius.

ITEM VITA SANCTI STEPHANI PROTOMARTYris, per Petrum Chrysologum Archiepiscop. Rauennatem scripta.

SIcut dominum prædiorum limitibus affixi tituli proloquuntur, ita nomina ipsa sæpè sanctorum 10 merita indicant, testantur insignia. Ita Abraham quod fide credidit, nominis adiectione monstrauit: quando ex Abram Abraham diuinitus nuncupatur: vt dilatandus genere, nomine antè dilataretur, dicente Domino: Et non vocabitur amplius nomen tuum Abram, sed Abraham erit nomen tuum: quia patrem multarum Gentium posui te: Sic coniunx sancta eius cùm de sterili fit fœcunda, ex Sarai vocitata est Sarach: vt & ipsa antè crescat nomine, quàm crescat pignore: & quia promittente Domino risum credidit, si vetula conciperet exarata iam rugis, si pareret desperata iam fœcunditas, si sterilitas iam penes senectutis extrema pregnans fieret, risum mox quod genuit nũcupauit: & aptauit in nomine, quod sensu passa est cùm rideret, & vocauit nomen eius Isaac: quod interpretatur risus. Sic Iacob, qui in vtero cœpit antè luctari, quàm viuere, antè viribus superare, quàm membris, etiam inter viscera materna ipsa supplantatoris est vocabulum consequutus, eò quòd antequam nasceretur, noscitur diuinitus reprobatum supplantasse germanum. Et quia longum est ire per singula, sicut Petrus à petra nomen adeptus est, quia primus meruit Ecclesiam fidei firmitate fundare: Ita Stephanus vocatus est à corona, quia primus meruit pro Christi nomine subire conflictum: primus meruit sanguine suo militum Christi martyrium dedicare. Petrus Apostolici chori vetustum teneat principatum, aperiat intrantibus regnum cœlorum, reos potestate vinciat, pœnitentes clementer absoluat. Stephanus est martyrum primus, Stephanus purpuratum ducit exercitum, qui pro Domini sui adhuc calente sanguine, sanguinem suum auidus bellator effudit. Et quia cruore proprio tinctam sibi ipse purpuram conquisiuit: meritò à Rege suo consequutus est pòst coronam, qui iam cùm nasceretur, nomen sortitus est à corona: verè quem præsciuit & prædestinauit, ipsum nunc martyrij primum vocauit ad gloriam.

10 Sancti habent merita.

ALOYSIVS PIO LECTORI.

ET hîc quoque si vir aliquis prudens & doctus statim in initio primæ huius festiuitatis Augusti mensis, quæ B. Protomartyris Stephani inuentioni dedicata est, sese nobis opponeret, & diceret: Quomodo tu Episcope, qui eas duntaxat Sanctorum vitas in tuis his voluminibus edere profiteris, quæ firmæ sunt autoritatis, & à grauibus viris conscriptæ, ponis hanc de inuentione corporis Protomartyris, quæ à sancta Ecclesia inter apocrypha recensetur, ex Gelasii Romani Pontificis decreto, de quo paulò superius mentio facta est? Huic ita responderemus: Vidisse etiam nos constitutionem, & ideo historiam illam latinam de qua mentionem facit constitutio, & quæ passim in Occidentali Ecclesia circunferebatur, quæ etiam hodie apud nos est, noluisse edere. At quia hæc, quam lecturus es, nondum à latina Ecclesia visa erat (nam opera nostra modò, & nunquam antea Latina emersit) non potuit à Sancto Pontifice reprobari, seu inter apocrypha numerari. Propterea cùm de hac ipsa Gelasius, quæ à docto pariterq; sancto Christi Philosopho Niceta est edita, Protomartyris historia non loquatur: Cuius quidem Inuentionis festum, & ab Ecclesia Græca non nuper, sed ab hinc annos centum supra mille, & amplius, secunda die mensis Augusti (vt in Mneis apparet) solenni more quotannis celebratur: & à Latina etiam (vt ex Romano martyrologio discimus) pari modo obseruari consueuit: non incongruum, imò visum est peropportunum, vt inter cæteras sanctorum vitas locum suum, & quidem egregium obtineret. Lege igitur securus, & beatissimum Protomartyrem exora, vt suis apud Deum intercessionibus nos reddat commendatos: vt qui eiusdem fidei sumus participes, eiusdem etiam præmij in cœlo consortes esse mereamur. Vale.

NICE-

NICETAE SERVI IESV CHRISTI PHILOSOPHI ORATIO narratoria de Martyrio, & inuentione, & allatione venerabilium reliquiarum sancti Protomartyris & Archidiaconi Stephani.

Per Simeonem Metaphrasten.

XI. Augusti.

DOMINVS noster Iesus Christus Saluator omnium qui sperant in ipsum, cùm sui ad nos aduentus vnum opus proposuisset, nempe nostram salutem, non per se solùm, sed per innumerabiles suos Sanctos, & varios modos, scopum suum deducit ad effectum. Nam cum ipse fuisset primum principium & radix eius, quæ in nos extitit bonitatis: verbisque & factis diuinis ipse re vera salutare Dei fuisset cognitus: deinde cruce mundi peccatum sustulisset: & morte quidem sua effecisset, vt mors despiceretur: resurrectione autem dedisset resurrectionem: & tandem ad Deũ ascensionẽ nobis per suum comparasset ascensum: non satis habuit hucusque sua deduxisse beneficia: sed cùm sanctum, qui cum eo considet, spiritum super Apostolos demisisset in specie ignearum linguarum, & eos repleuisset ea quæ est in ipso sapientia & gratia, misit in vniuersum mundum, qui verborum & operum eius * supplerent defectum, & pro ipso quidem fungerentur legatione, varijs modis sapientiæ & virtutis ipsum Deo conciliarent. Ex ijs vnus fuit etiam beatissimus Stephanus. Stephanus, inquam, qui plenus Spiritu sancto, & gratia, & virtute, declaratus est testimonio ipsius sancti spiritus. Qui fuit inter Apostolos Apostolus, & Propheta inter Prophetas, & Doctor inter Doctores: qui fuit primus inter Diaconos, tanquam Apostolicæ primitiæ electionis. Primus inter eos qui ferunt præmia certaminis, sicut primus descendit in stadium martyrij decertationis, & primus calicem bibit Christi passionis, & omnibus sanctis viam ostendit martyrij, & cœlum aperuit, & ijs qui eum sequuntur, fecit vt pateret aditus eius, quod erat inuium. Hic inclytus Ecclesiæ splendor Stephanus, id est, corona (melius est enim, vt cùm eius mortis prius meminerimus, & breuibus de eo narrationibus fuerimus illuminati: sic eadem via & ordine transferamus orationem ad manifestationem eius reliquiarum,) Hic, inquam, cùm diuinus ille & principalis spiritus, sicut ad omnes Apostolos, ita ad eum quoque supernè descendisset, & insito quodam zeli calore eius beatam impleßet animam, & diuina charitate arderet insigniter, magis 1 quàm omnes sancti sui temporis videbatur pro Iesu gloria zelo accendi. Quo factum est, vt cum Gentiles argueret, ac cum Iudæis concertaret, & omnibus hæresibus, quæ in eum irruebant, resisteret, præclarissimum aduersus omnes trophæum erexerit. Et quomodo vir fortis & inuictus quispiam ab hostili phalange circunsessus, non propter eorum qui ipsum circunsistunt expallescit multitudinem, neque ad ferendos labores ignauus euadit & mollis: sed quantum potest, ense vtens & hasta, non cessat eos qui in ipsum irruunt, tollere de medio, priusquam omnibus cedentibus hostibus ille victor ad suos reuertatur: Ita etiam hic longè fortissimus Stephanus, non solùm in Gentilium, sed etiã in Iudæorum, & vniuersæ diaboli cateruæ medio interceptus, alios quidem lingua, quæ mouebatur à spiritu, & quæ per ipsam emittebantur, diuinorum eloquiorum iaculis confodiebat: alios verò suasionibus propulsabat & precibus, non à malo victus, sed malum in bono vincens. Licebat ergo illic videre Alexandrinos, & Libertinos, Asianosque, & Cilicas, & Cyrenæos, proposito quidem cædem spirantes, sed impetu multò magis, & qui in veritatis quidem præconem irrumpebant audacissimè, & machinabantur aduersus fidem, quæ erat in Stephano. Omnes autem eius oratione perfringebantur & perturbabantur. Non poterant enim (inquit scriptura) resistere sapientiæ, & spiritui qui loquebatur. Cùm ergo sic vidisset seipsos summè esse victos, potestatis deinceps, quæ aduersus Deum pugnabat, inuocant auxilium. Cumque eum repentè arripuissent, adduxerunt ad concilium, nullam quidem afferentes accusationem, quæ vilius esset ponderis: sed quòd Iesum Nazarenum hunc locum, & Moysis mores prædixerit dissoluturum, asserebant eum esse morti obnoxium. Ille autem lenitate quidem, & mansuetudine auidum cædis retardans impetum, tranquillis verò & placidis moribus reprimens turbulentam eorum animæ rabiem, & Angelico quidem vultu furorem dæmoniacum pudore afficiens, & verbo diuino euertens inconsideratam eorum imprudentiam, in memoriam reducit historias Patriarcharum, & Prophetarum, quibus eos censebat aliquid tribuere, vitamque eorum adducit in medium, atque eorum testimonijs minime dubiam confirmat veritatem. Illi verò non secus atque aspis aures obturantes, nullum veritati aditum dederunt ad suam animam. Ac meritò quidem, neque enim digna erat profana anima, quæ cœlestes audiret orationes, neque mens corrupta omne genus vitijs, quæ Dei susciperet mysteria. Et iste quidem

* *Piè intellige, sicut & Paulus ad implet ea quæ desunt passionum Christi in carne sua pro corpore eius, quod est Ecclesia, Col. 1. Nam vbi Dominus personaliter non prædicauit, nec miracula fecit, ibi sancti Apostoli & prædicauerũt, & miracula operati sunt.*

1 *Hoc sobriè, videlicet post sanctos Apostolos, intellige.*

eos suos patres appellabat, & fratres: Illi verò suis in eum dissecabantur cordibus. Et iste quidem supernæ gloriæ, qua cœlis ei apertis dignus habebatur (quantum in ipso erat) eos faciens participes. Ecce, inquit, video cœlos apertos, & filium hominis stantem à dextris Dei. Illi autem eum corde rabido, & manu cædem spirante conficientes, lapidum procellis obruebant. Et sic magnus iste ac primus defensor veritatis, cùm agonothetam ac magistrum imitando, ijs qui in ipsum peccabant veniam petijsset, ad eum qui in ipso glorificabatur, & spiritu considerabatur, 2 euolauit. Tanquam autem ornatus re vera regius, tanquam diadema pulchritudinis, & fide quidem tanquam auro, tanquã margaritis verè Theologicis contemplationibus exornatus, & tanquam gemmis ijs qui in ipsum iaciebantur, lapidibus contextus, ac tanquam purpura proprio resplendens sanguine, è terra traditur in manus regis cœlestis. Omnibus autem qui ab illo in cœlum extolluntur per decertationem sic fit, ostenditur Stephanus, hoc est, corona gloriæ. Diabolus verò victus per omnia quæ aduersus ipsum mouit, poterat quin dictus Gamaliel, qui fidei operibus erat ornatus, fide etiam & ab ea quæ in ipso erat, fidei virtute repulsus abijt. Nos verò deinceps oratio vocat ad propositam historiam, & reliquiarum sacrarum inuentionem, & post plurimum temporis curriculum ex Hierosolymis ad regalem vrbem exportationem. Nam postquam admirabili illo casu per suum, qui existimabatur, casum, diuinus ille martyr prostrauit aduersarium, suauique & beato somno quieuit, efferunt quidem illud 3 sacrum & venerandum tabernaculum viri pij, piè ei factis exequijs. Ex malo verò Persico (est autem hoc genus ligni) cùm loculum essent fabricati, & in eo id imposuissent, tunc quidem ex transuerso collis id statim deposuerũt. Vir autem erat quidem gente insignis, genere non ignobilis, doctrina eruditus, & legis magister egregius, nomine Gamaliel: cuius etiam diuinus Lucas meminit in Actibus Apostolorum. Is cùm beato Stephano esset cognitus, & eius nosset virtutem, procidit ad pedes Apostolorum, petens vt sibi corpus liceret accipere, & ad suum vicum deferre, qui est prope Hierusalem, & in suo illic nouo deponere monumento. Petitioni nequaquam repugnauerunt Theologi. Illuc autem ipsum 4 Apostoli cum multitudine fidelium in psalmis & hymnis transferentes à Hierosolymis, & totis quadraginta diebus magnum planctum cientes sepelierunt. His sic factis, statim Nicodemus quoque, qui erat consobrinus Gamalielis, (Hic est ille, qui prius noctu venit ad Iesum, & Dei audiuit eloquia) tunc compunctus à gratia, procidit ad pedes Petri & Apostolorum, rogans vt baptizaretur. Postquàm autem is cœlesti gratia dignus est habitus, idque sciuisset diaboli synagoga, in animo quidem habebant ipsum, sicut Stephanum, tollere de medio. Reuerẽtes verò Gamalielem, tunc quidem impetũ represserunt. Cùm eum autem paulò pòst notassent anathemate, & eius omnes diripuissent facultates, & ei plagas grauissimas intulissent, damnârunt exilio. Quem ipsum quoque cùm vir ille bonus suscepisset, curam eius gerebat, & quæ erant ei necessaria, ex suis facultatibus impertiebat, donec eum consummatum deposuit prope beatum Stephanum. Quoniam autem fieri non poterat, quin dictus Gamaliel, qui fidei operibus erat ornatus, fide etiam consummaretur, haud ita multo interiecto temporis spatio, ipse quoque & filius Abibus (erat autem tunc viginti annos natus, vir qui & ingenij magnitudine, sapientiaque, & in legis doctrina par erat patri) in vno die accipiunt lauachrum immortalitatis ab excelsis Domini discipulis. Qui cùm postea somno qui iustis debetur, piè quieuissent, fuerunt ipsi quoque depositi proximè ad reliquias Stephani & Nicodemi. Cùm autem plurimum tempus præterijsset post eorum dormitioné, & athleticis quidem certaminibus multi iam essent consummati, cessassent etiam aduersus fidem persecutiones: quoniam tempestati successerat tranquillitas, verque suaue & iucundum graui illi hyemi: & omnes quidem custodiæ, omnes carceres, & omnia instrumenta suppliciorum essent dimissa, quo tempore Constantinus verè magnus, primus ex Imperatoribus, cùm agnouisset Regem vniuersorum, pacem & libertatem procurauit populo Christianorum: & Christiani Dominum suum per vniuersum orbem terræ liberè laudabant & celebrabant: tunc magnus ille Stephanus per corpus suum venerabile clariorem suam emittit gloriam: ipseque nõ secus atque aliquod præmium fidei, aut corona quæ non potest marcescere, vrbi regiæ & fidelibus imperatoribus donatus est à manu Christi. Modus autem quo eius apertæ fuerunt reliquiæ, fuit eiusmodi. Fuit homo quidam, qui habitabat in illo vico, in quo erat absconsus preciosissimus hic thesaurus, dignitate presbyter, forma venerabilis, & vita venerabilior & honestior, nomine Lucianus. Et cùm non semel, sed bis, & ter diuinus ille primus athleta apparuisset, seipsum indicat. Visus est ille vir pius, cùm hora tertia noctis (erat verò dies ille Parasceue) esset veluti in extasi, videre astantem quendam pulchrum iuuenem & procerum, cui coma quidem erat honestè promissa, erat autem indutus veste candida, in qua aureæ quidem formatæ ostendebantur literæ, inter quas apparebat prima S. Erant verò ei quoque purpurea

2 *Anima Stephani euolauit ad Christũ, qui in ipso glorificabatur.*

3 *Efferunt sacrũ & venerandũ viri pij tabernaculum, piè ei factis exequijs.*

4 *Vide sepulturã B. Stephani à sanctis Apostolis celebratam, cũ multitudine fidelium in psalmis et hymnis, ac 40 dierum luctu.*

purpurea in pedibus ſandalia, ipſaque eadem reuincta loris aureis, in manu quoque dextera vidit eum tenentem baculum. Hoc modo eum adſtantem, & virga ter annuentem, & ter eum vidit ſuo eum vocantem nomine. Quem quidem ipſe viſus eſt interrogare, & dicere: Quis es Domine? Is verò viſus eſt dicere: Ego ſum Stephanus, qui fuit primus martyrij corona redimitus. Sed aſcende quamprimùm Hieruſalem, & annuncia Epiſcopo ciuitatis, vt ad nos veniat, ſepulchrumque aperiat, & bonis repleat 5 odoribus, & noſtram prædicet decertationem, vt Deus rurſus glorificetur in nobis, motuſque miſericordia, ſit populi peccatis propitius. Inutilis enim (dicebat) effectus, & planè contemptui habitus eſt locus, vbi noſtra ſita ſunt corpora: Is autem rurſus ei in ſomnis reſpondit: Et quinam hi ſunt ô Domine, quorum reliquiæ ſunt cum veſtro corpore depoſitæ? Ex ipſo autem audijt protinus: Eſt, inquit, Gamalieli, qui educauit magnum Paulum: & Abibus eius filius, & Nicodemus conſobrinus. Cùm ille verò hæc dixiſſet, ſtatim euanuit ex oculis. Cùm ad ſe autem redijſſet presbyter, admiratus quidem eſt, vt par fuit, viſionem, & rem omnem animo apud ſe voluebat, ne ſibi viſio ipſa excideret: ſtatuit tamen deinceps attendere, ſi fortè ſecundam & tertiam aſſequeretur viſionem. Sequenti itaque Paraſceue, eadem hora noctis, ſimilique figura rurſus adſtans ſanctus: Cur, inquit, neglexiſti, & non iuiſti ad exponendum Epiſcopo ea quæ tibi mandaui? Is autem viſus eſt rurſus reſpondere ad interrogationem, & dicere: Ignoſce Domine. Non enim mihi viſum eſt conſultius ex vna viſione totam perturbare ciuitatem, & Eccleſiam: ſed expectare, vt in duobus aut tribus teſtibus ſtet omne verbum. Scripturam enim ita audio dicentem. Cùm autem putaret ſe hæc ei dicere, videt illum oſtio exeuntem, & eundem rurſus mox reuertentem: & viſus eſt eum audire hæc dicentem: Quid, quòd animo dubitaſti? Si quatuor ſimul iacentes inuenero, quomodo potero ab alijs diſcernere corpus Stephani? Non, vt exiſtimaſti, confuſæ iacent reliquiæ: Vnaquæque enim ex ijs habet thecam propriam deſignatam literis. Hæc dixit: deinde manum extendit, &, Pone, inquit, manum tuam ô presbyter, & vide. Statim autem videt quatuor vaſa calathis ſimilia, & ab illius manibus pendentia: ex quibus tria quidem erant aurea, vnum autem apparebat argenteum. Atque duo quidem calathi videbantur pleni roſis albis, quos tenebat manu ſiniſtra. Tertius autem videbatur plenus roſis rubris inſtar ſanguinis. Ab his quartus dependens argenteus videbatur, veluti geminus, qui ipſe quoque apparebat plenus croco odorifero. Eos autem tenens manu ſiniſtra ſuſpenſos: Vides? inquit, hæc ſunt tibi ſigna eorum quæ quæruntur. Qui rubris quidem roſis eſt plenus, meum tibi corpus indicat. Ego enim ſolus ex his tinxi veſtem ſanguine martyrico. Qui autem albis, ſignificat corpus Nicodemi & Gamalielis. Argenteus verò calathus indicat imaginem Abelbi, qui ideo oſtenditur argenteus, quòd cùm ille ſit carne mundus, & impollutus, in templo Dei ambulat. Cùm autem hæc quoque denuo receſſiſſet viſio, ſurgens homo, obſtupefactus quidem erat ob ea quæ viderat, & dubitabat, & tamen rurſus tacuit. Iterũ ergo ſequenti Paraſceue, eodem modo adſtans beatiſſimus Stephanus, & vehementioribus minans denuntiationibus, immiſit ei maiorem extaſim. Vidit enim ſenex ſe arripi, & ſublimem ferri Hieruſalem, & renunciare Epiſcopo apertas eſſe reliquias. A quo etiam viſus eſt tales audire voces: Si hæc ô dilecte, viſum eſt Deo noſtris aperire temporibus, oportet me illinc accipere bouem maſculum aratorem. Bos enim magnus, quem dicis apud te ali, currui noſtro deeſt. Æquum eſt autem, vt eum potius habeat noſtra ciuitas. Ipſe namque ſeruitur curribus. Reliqui verò duo boues, & iuuencus tibi ſufficient ad agrum tuum colendum. Hæc in illa extaſi Lucianus ſibi & dicere & audire eſt viſus, non ab re quidem, vt patet. Significabatur enim per hæc aliorum trium in ſuo agro dimiſſio: Sancti verò Stephani ad vrbem tranſportatio. Cùm autem hæc viſio ei adhuc immineret, videbatur ſe poſt illam ſuo loco reſtitui, rurſus autem audire ab illo qui reſtituit hæc verba: Si velis inuenire eum qui deſideratur, quære in eo loco, quem Syri quidem vocant Lalagabraam, Latinè autem Dei locus interpretatur. Cùm pius ille ſenex hanc tertiam accepiſſet viſionem, excitatus quidem interrogat de illo loco, qui ei fuerat oſtenſus. Cùm autem veniſſet, & locum tacitè conſideraſſet, aſcendit in ciuitatem, & ad Pontificem veniens (Ioannes verò tunc præerat Eccleſiæ Hieroſolymitanæ) ei & omnes ſermones, & omnes modos viſionum expoſuit. Is autẽ lætitia, quæ verbis exprimi nequit, repletus, & de mirabilibus Deo agens gratias, hortatur, vt fodiat in eo loco, qui ei fuerat oſtenſus. Poſtquam autem, inquit, inueneris, fac vt de eo quamprimùm audiamus. Ipſe verò cùm eos aſſumpſiſſet qui erant idonei ad fodiendum, magno cum ſtudio accedit ad locum. Cumque vidiſſet quendã illic excitatũ tumulum, exiſtimauit illic eſſe depoſitũ, qui quærebatur, theſaurum. Quamobrem ipſum ſtatim fodere conſtituit. Ei autem ſanctus rurſum noctu apparens: Noli, inquit, incaſſum laborare in tumulo: Is enim fuit poſitus in teſtimonium planctus, qui propter nos factus fuit. Fode verò circa ſeptuaginta quinque cubitos à tumulo verſus ſeptentrionẽ. Eadem autẽ per quendam

5 *Nota quomodò ſanctus mandat epiſcopo, vt ſepulchrũ eius aperiat, & bonis repleat odoribus.*

quoque alium ſignificans Monachum prohibebat, ne foderetur tumulus. Illi tamen non credentes (homo enim eſt eiuſmodi, qui non facilè credat, & vix acquieſcat ſupernis vocibus) cùm illic à mane ad tertiam vſque fodiſſent, columnam inueniunt lapideam, ſcriptam literis Hebraicis. Eorum autem quæ ſcripta fuerant ſenſus erat. Hic locus nominatus eſt planctus iuſtorum, & ſanctorum lamentatio. Illinc itaque deinceps diſcedentes veniunt ad locum qui oſtenſus fuerat. Vbi mediocri in terra foſſa facta, omnia inuenerunt congruenter ei quæ apparuerat, viſioni: & exortum eſt lumen, quod ſub terra latebat: & apparuit theſaurus, qui deſiderabatur. Viſi ſunt enim quatuor loculi, qui prope inter ſe inuicem directò erāt ſiti. Impoſitus autem erat vnicuique titulus literis Syriacis, qui ſignificabat appellationem eius qui intus erat repoſitus. Repentè verò magnus fit terræmotus. Motus eſt autem, & veluti pullulauit loculus Protomartyris. Quinetiam ſuauiſſimo quodam odore repletus, eos qui aderant propemodum ſopiuit. Diuinæ verò voces cœlitus erumpentes, Dei videlicet Angelorum clamantiū: gloria in altiſſimis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas: Audiebantur ad decimum vſque lapidem. Iam verò plurimæ quoque curationes, quæ fiebant ijs qui vexabantur à varijs ægritudinibus. Magnam Dei in nos curam, & Protomartyris gratiam prædicabant apertiſſimè. Cùm itaque protinus Pontifex Hieroſolymitanus, vnà cum duobus alijs quos illic eſſe contigerat, Epiſcopis, & toto clero acceſſiſſet, & omnis etiam multitudo fidelium concurrentes in lætitia, & gaudio ſpiritali, & 6 illud venerabile & ſanctum corpus adorantes, cū luminibus, hymniſq; & ſuffitibus, & cum ea, quam par eſt, glorificatione & lætitia in ſanctam deduxiſſent ciuitatem, tunc quidem ipſum deponunt in ſancta Sion. Poſtea autem venerandum templum ædificatur Sancto in ipſa ciuitate. Ædificauitque illud Alexander ille ordinis ſenatorij, qui multùm precatus Pontificem in id cum omni veneratione pretioſas tranſtulit reliquias. Non plures autem quàm quinque anni tranſierunt poſt illam tranſlationē, cùm ipſe lętali morbo affectus, ex ligno mali Perſici theca conſtructa, vbi in teſtamento iuſſiſſet, vt quàm proximè ad ipſum deponeretur, obdormiuit. His ſic geſtis, octo annis poſt mortem Alexandri, cùm eius vxor & propter diuitias, & propter formam corporis, vt ſe rurſus iungeret matrimonio, ſolicitaretur à multis, ne hoc cogeretur facere, init conſilium, vt mariti quidem ſui corpus aſſumat, reuertatur autem ad patrem, vt ad ciuitatem ſuam Conſtantinopolim. Cùm autem ſanctus Cyrillus tunc eādem regeret Hieroſolymitanam, accedens Iuliana (erat enim hoc nomen mulieri) petijt, vt mariti acciperet tabernaculum, & ad ſuos rediret. Cùm ipſe verò hoc minimè facere permitteret, illa quidem ſuum animum patri literis ſignificabat. Sacram autem poſtulat imperatoriam, vt ſine dilatione ei dentur mariti reliquiæ. Quod cùm factum eſſet, & Cyrillus iuſſui Domini non poſſet reſiſtere, placidè & leniter eam compellans Patriarcha ſic inquit: Quomodo ô mulier, vis accipere tui mariti reliquias? An neſcis eum eſſe depoſitum ſimul cum beato Stephano, ſimileque eſſe tabernaculum, adeo vt nos neſciamus quodnam ſit quod à te quæritur? At ego, inquit, ô Domine, rectè noui, quæ viri compoſui tabernaculum: Quod ſi modò permiſeris recedā meo accepto. Si, inquit ille, apertè noſti, ingredere, ac tolle tuum, & vade in pace. Ipſa ergo ſtatim, ei aperto depoſito, diuina quadam prouidentia decepta Iuliana, dimiſſo mariti loculo, ſanctum vehementer eſt amplexata: voceſque emiſit lachrymabiles, & fontes effudit lachrymarum, hoc eſſe id quod quæritur, hoc eſſe mariti ſui tabernaculum, clara voce affirmans: Ei ergo conceſſa poteſtate, hoc magna alacritate & animi promptitudine accepit. Cùm itaque parata eſſet protinus, & valere Pontificem iuſſiſſet, & omnes ſuos notos, iter valde læta eſt ingreſſa. At illa quidem ſuo equo inſidebat, & ſacris reliquijs in lectica depoſitis ſupra iumentum, cùm feciſſet vt ſui pueri antè & ponè ſequerentur, læto & alacri animo iter faciebat. Sed 7 quis Dei admirabilium ſingula celebrauerit? Quis autem laudauerit omnia magna opera quæ in via facta ſunt per Protomartyrem? Nam per totam noctem audiebatur hymnus Angelorum, & decora glorificatio: locus autem fragranti odore & veluti effuſi vnguenti replebatur. Quinetiam maligni ſpiritus infernè vociferantes, Væ nobis, crebrò clamabant: væ, væ, quoniam Stephanus tranſit per medium noſtri, nos grauiter flagellans. Has voces cùm audirent homines, obſtupeſcebant, metuque tenebantur, & ſoluebantur tremore. Iam enim ipſi quoque ſciebant interueniſſe errorem in aſſumendis reliquijs. Tacitè tamen deſcenderunt ea via quæ ducit ad mare, & feſtinabant perinde ac ſi aliquod eos ageret animal. Perueniunt itaque Aſcalonem, quæ eſt vrbs maritima: vbi cùm ſtatim inueniſſent nauigium, quod ibat Conſtantinopolim, idque mulier conduxiſſet quinquaginta aureis: & in eo primùm hunc diuinum repoſuiſſet theſaurum, deinde ipſa quoque aſcendiſſet cum omnibus ſuis domeſticis, ſecundo vento vtentes, læti & alacres curſum conficiebant. Cùm autem eſſent in medio mari, exoritur repentè fluctus maximus: marique in eos ferociter indignante, & ſe nauem cum ijs qui nauigabant deuoraturum minante, magno affecti timore,

6 Nota, illud venerabile & ſanctum corpus adorantes, cum luminibus, hymniſque, & ſuffitibus, ac glorificatione, & lætitia in ſanctā deducūt ciuitatē.

7 Vtinā hæc mirabilia conſiderarent noui hæretici: in maiori nāq; veneratione haberent ſanctorum reliquias.

timore, omnes ſimul cum multis lachrymis & clamoribus 8 ſupplices Sancto procubuerunt. Repentè autem odore emiſſo longè ſuauiſſimo, quod quidē fuit indicium præſentiæ eius cui ſupplicabatur, vocem ab eo profectam audiuêre: Nolite timere, ego ſum vobiſcum. Simul autem atque hoc dictum fuit, & ventus ceſſauit, & tempeſtas ad magnam redacta eſt tranquillitatem. Sæpè vero magnam videbant lucem, quæ noctu ſuper ſanctas apparebat reliquias, & audiebant Angelorum glorificationes, bonoq; odore repleti, ſimul implebantur fiducia, & admiratione. Cùm verò eſſent propè Abydum, oporteret autem præternauigare eas quæ dicuntur anguſtias, velum quidem laxant: conantur verò, ſi fieri poſſet, eū latere, qui eos ſcrutatur, qui illinc prætereunt. Fit igitur repentè magnus terræmotus, & mare conturbabatur, & terra quatiebatur, donec tranſiit nauigium. Quid ergo? Vocant Præſidē quidam homines, à dæmone inſpirati ſcilicet, & incitant, dicētes: Non hoc nauigium quamprimùm comprehendes, & exures? Ille itaque quinque ſtatim paratis dromonibus, iuſſit vt cùm eam celocem aſſecuti eſſent, eam exurerent. Cùm autem iam ſancti Stephani naui appropinquaſſent, Angelica virtute & manu, quæ minimè ſub aſpectum cadebat, ſunt diſſoluti, & ſic Dei prouidentia, quæ erat omni iniuria ſuperior, ſeruati qui erant circa ſanctum, appulerunt Calcedonem. Cùm autem quinque dies illic verſaretur ſanctus, omnes qui à malignis vexabantur ſpiritibus, accedentes 9 clamabant: O, ô, Stephanus, qui à Iudæis fuit obrutus lapidibus, ab Hieruſalem modò venit nos torquens. Sic clamantia dæmonia, & tanquam ab igne exacta fugiebant ab hominibus. Quoſcunque autem morbi omne genus inuaſerant, ſancto loculo appropinquantes, protinus ſani fiebant, Deum glorificantes. Hinc bona fama perueniens vſque ad vrbem regiam, gaudio quidem & animi alacritate impleuit Chriſtianos, dolore autem & indignatione eos qui adhærebant adhuc Gentilitati. Hinc cùm Imperator quoque magnus Conſtantinus per vrbis Regiæ Pontificem (is autem erat beatiſſimus Metrophanes) ſancti aduentum audiiſſet, hæſitabat, & dubitabat quemadmodum poſſet credere tantum bonum in ſuam veniſſe ciuitatem. Ad ipſum quoq; relatum eſt de Iuliana. Quæ cùm ſe ſtitiſſet apud Imperatorem, & interrogaretur de modo exportationis, narrauit totam quæ fuit conſecuta, veritatem. Et quemadmodum fuiſſet vxor Alexandri, qui erat ordinis Senatorij, & quòd cùm is aliquot antè annis vixiſſet, templum Protomartyri ſuis ædificauit impenſis, & iuſſit ſe quàm proximè ad eum ſepeliri in loculo ſimillimo. Et quòd cùm multi ei moleſtiam exhiberent, nec vellet nubere, ſtatuerit accipere mariti reliquias, & ad ſuum patrem in hanc reuerti ciuitatem. Redegit autem ei quoque in memoriam iuſſionem, quæ propter ipſam miſſa eſt ad Pontificem Hieroſolymitanum. Et quòd diuina prouidentia ita volente decepta, veniret nunc adferens ſancti reliquias pro reliquiis mariti. Quod ſi tua, inquit, Maieſtas vult hæc certius cognoſcere, accedat quamprimùm Hebræus, & legat titulum qui eſt ſuper loculum: & per ipſum ô Imperator planè ſcies rei veritatem. Cùm itaque Conſtantinus imperator hoc ſtatim curaſſet, veniens quidam Iudæus legit ſcripturam, & dixit: Verè hic eſt magnus ille Stephanus: & ego quoque credo Chriſto propter ipſum, quoniam viderunt oculi mei hodie, quæ ſunt admirabilia, & præter opinionem.

8 [illegible] ſancto [illegible] chrymis & [illegible] procumbentes, & exaudiuntur.

9 Mirū eſt valdè quod dæmonia ſanctorum virtutibus perhibent teſtimonium, hæretici autem illas negant.

Hæc cùm audiiſſet pius Imperator Conſtantinus, & exultatione plurima fuiſſet repletus: iuſſit ſancto Pontifici, vt cum clero, & populo ei iret obuiam, & cum omni honore, cultuque, & adoratione ſanctum in regiam adducerent. Præcedens ergo Iuliana, cùm eum tranſmiſiſſet, deduxit ad id quod dicitur Staurion. Vnde cùm mulas currui iunxiſſent, & ſanctum loculum ei impoſuiſſent, ſic loculum tulerunt in regiam. Ea ratione dixerunt etiam illum locum vocatum eſſe Zeugma. Atque ſancti quidem miracula quæ fecit in illo ingreſſu, & ſi fieri non poteſt vt ſigillatim recenſeamus, non æquū eſt tamen, vt omnia ſilentio præteream: ſed pauca quædam ad diuinæ virtutis oſtenſionem par eſt mādare literis: Nam dum ſe parabat populus ad ſancti deducendas reliquias, mulier quædam, cui contigerat vt in eo loco habitaret, habens ſpiritum Pythonis, exclamabat, dicens: O vis, ô vis: Vndénam ad nos aduenit hic Protomartyr Stephanus? Vndénam graue hoc flagellum ad noſtra loca acceſſit? Cùm autem multum clamaſſet, & diſcerpſiſſet, ſpiritus exiit, ea nihil læſa. Alia autem quæ in eodem loco habitabat, longo verò tempore laborabat fluxu ſanguinis, cùm audiiſſet turbam tanquam multas aquas ſonantes, & fuiſſet veluti in extaſi, viſa eſt audire vocem dicentem: Surge, & currui Stephani adhæreſce, qui nunc aduentat Hieroſolymis. Cùm ea autem celeriter ſurrexiſſet, & ſtatim prope currum fuiſſet, ſanguis quidem fuit exiccatus: ipſa verò perfectam ſentiens curationem, clamauit valde læta, & Deum glorificans. Vir autem quidam ex iis, qui relatus erat in numerum dignitatis militaris, & ipſe quoque habitabat in Zeugmate, habebatq; filium, qui ab ortu erat paralyticus, erat verò decem & octo annos natus. Is cùm vidiſſet, quæ per 10 ſanctum fiebant, miracula, cùm filium ſuſtuliſſet humeris, & ad ſanctum adduxiſſet, eum iacit ante currum. Eadem autem hora ſurgens paralyticus, cùm illud pretioſum apprehendiſſet tabernaculum, voce valida

10 Ecce quomodo Deus per ſanctos ſuos quandoque facit miracula.

exclamauit: O qui me à diuturnis vinculis,à molesto ac difficili erexisti accubitu per diuinum tuum Protomartyrem, ago tibi gratias, Domine Deus,quod me visitans mei sis misertus. Porrò autem videntes populi quæ erant præter opinionem, Deum gloriæ magna contentione afficiebant laudibus. Currum itaque trahebant mulæ, magno Pontifice & clero vniuerso, & toto populo, magistratibus & subiectis, adolescentibus & virginibus, senioribus & iunioribus,& tota denique ciuitate,aliis quidem præcedentibus, aliis verò sequentibus,omnesque vicos & omnia compita & vias in arctum comprimentibus,illamque admirabilem & numerosam hymnodiam concinentibus. Acriter autem currum traxerunt animalia,donec venerunt in locum,qui nominatur Constantianus. Cùm illic verò essent, perinde ac si violento retinerentur vinculo,transire non potuerunt. Instantibus autem aurigis, & flagellis ea asperè conscindentibus, manserunt nihilo secius immobilia. Hæc celerrimè significantur sanctissimo Imperatori Constantino. Is verò statim mittit alias duodecim mulas,vtpote quòd quæ primæ trahebant,defessæ non possent currum amplius ducere. Cùm autem ipsæ quoque iunctæ essent, & similiter atque aliæ diu essent vinctæ nutu diuino, nec vllo mouerentur modo, sed starent immobiles, vna ex ipsis ore repentè aperto, quomodo olim asina Balaam, humana voce exclamat præsentibus: Quousque frustra, ô homines laboratis,& cur nostros oculos verberatis? Oportet hic sanctum deponi. Has voces cùm audiisset Archiepiscopus, & totus populus, metu & stupore repleti, Deo laudes magna voce reddiderunt, qui solus reuelat mirabilia. Admiratus item cùm hæc cognouisset Imperator fidelissimus, statim magna manu, & studio venerandum excitat templum sancto Proeathlo, id est, qui primus decertauit. Vbi maximè venerandæ beatissimi & primi martyris Stephani reliquiæ, secundo Augusti honorificè depositæ,plurimas curationes in hodiernum vsque diem efficiunt his qui cum fide accedunt. Huius ergo gratia, sanctitate, & virtute spiritus nos quoque omnes digni habeamur, quoad eius fieri potest, Domine pater, Domine fili, Domine paraclete, Trinitas sancta, & consubstantialis, & supersubstantialis [11] intercessionibus castissimæ Dei matris, & omnium sanctorum, & ipsius quoque nostri post te seruatoris, patroni,& defensoris Stephani,ad gloriam, & honorem,& laudem sancti tui & adorandi nominis, nunc & semper,& in secula seculorum. Amen.

11 Sanctißima Dei genitrix & omnes sancti intercedunt pro nobis. Ipsi etiã sunt post Deũ seruatores, patroni, et defensores nostri: dicant quicquid velint hæretici.

MIRACVLA SANCTI STEPHANI PROTOmartyris, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrũ edito. Cap. 23.

STephanus primus vel diaconus Ecclesiæ sanctæ, vel martyr, apud Hierosolymam, sicut sacra Apostolorum narrat historia, pro fide Christi, quem à dextris virtutis spiritali contemplatione cernebat, lapidibus est obrutus, pro persecutoribus dum saxorum turbine quateretur, ipsam supplicans maiestatem. Erat igitur oratorium apud vrbem Turonicam, ab antiquis eius nomine dedicatum, quod nos parumper iussimus prolongari. Quod cùm factum fuisset,& altare vt erat integrum inantè promouimus. Requirentes verò in loculo, nihil de pignoribus sanctis quod fama ferebat reperimus. Tunc misi vnum ex Abbatibus ab oratorio domus Ecclesiasticæ, vt nobis eius reliquias exhiberet, oblitus tamen clauem capsæ porrigere, quæ cum cingulo dependebat. Veniens verò Abbas ablatum ab armario sigillum, capsam reperit obseratam. Quid faceret, quid ageret, in ambiguo dependebat. Si ad me veniret, longum erat redire & reuerti. Si ipsam capsam exhiberet, molestum mihi esse nouerat: quia multorum ibi sanctorum pignora tenebantur. Si non faceret, iussionem quam acceperat non implebat. Quid multa? dum capsam in manu dubitans retineret, resilientibus cum sonitu repagulis capsam aspicit reseratam. Tunc cum gratiarum actione assumptas reliquias non sine grandi admiratione nobis exhibuit, quas nos mihi Domino iubente plantauimus. Regressus autem post multos dies capsam reperi reducto pessulo, sicut reliqueram, obseratam. Pars autem beati sanguinis sacrosancti Leuitæ huius, sicut celebre fertur, in altari Biturigæ Ecclesiæ continetur. Quidam autem tempore Felicis Episcopi vicinos suos quodam pro crimine impetebat, quos cùm plerunque verbis procacibus lacesseret, ac iudicio publicè prouocaret, decretum est sententia primorum vrbis, vt se ab hac noxa, qui impetebantur, sacramento purgarent. ingressique in huius memoratæ ædis altare, cùm eleuatis manibus sacramenta proferrent, prosecutor causæ periurasse eos clara voce testatur, statimque [1] elatis in sublime pedibus in aëra excutitur, ac illiso capite in pauimento penè exanimis à circunstante turba conspicitur. Post duarum ferè horarum spatium, cùm ad liquidum putaretur spiritum exalare, apertis oculis crimen fatetur, se iniustè fatigasse homines vel proclamasse in ipsos declarauit, sicque laxatis insontibus manifesto nocente, virtus beati perpatuit.

1 Vides quantum malũ sit crimẽ per iurij alicui falsò imponere.

VITA

VITA BEATI LONGINI MARTYRIS, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyrolog. eius sub Calend. Septẽb.

APud Cæsaream Cappadociæ natale beati Longini & martyris & militis, quem tradunt illum esse, qui lancea latus Domini Iesu Christi pendentis in cruce aperuit. Hic postmodum ab Apostolis baptizatus, cùm apud Cappadociam sanctitate præcipuus degeret, tãdem ab Octauio præside comprehensus, post confessionem fidei, lingua abscissa, & dentibus excussis, capite truncatus est. Simul cum eo coronatus est Afrodisius Commentariensis, cui præses linguam abscindi iusserat: Quique post abscissionem expedite Christum clara voce loquebatur.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI martyris Longini Centurionis.

Apud Simeonem Metaphrasten.

XVI. Octobris.

CVM Deo verbo, propter eam quæ ex inobedientia nobis fuit importata à bonis prolaptionem, visum esset fieri, sicut nos, & voluntaria cruce, & morte propter nos fuisset condemnatus propter suam in nos misericordiam: & chorus quidem discipulorum, timore, amicitiæ Christi esset oblitus: qui autem in eum cædem spirabãt Iudæi, eum iam morte damnassent, vnus erat etiam Longinus è synagoga Iudæorum, & constitutus fuerat Centurio cuiusdam numeri militum. Cùm autem executioni esset mandata scelerata sententia, & ipse Christus in ligno esset affixus, medicans sumptum ex ligno gustum: admirandus hic Longinus habebat crucis custodiam sibi commissam cum suis militibus. Signis autem & prodigiis quæ circa crucem facta sunt ad veritatem deductus, omni excusso metu, liberè Christum ipsum, & Deum confessus est in medio synagogæ Iudæorum: Verè dicens, filius Dei est hic. Postquam sepulturæ mandatum fuit viuificum Christi corpus, vt nos à peccati sepulchris euocaret, & ad antiquam reuocaret beatitudinem, Longino rursus iussit Pilatus, vitæ sepulchrum tueri custodia militari. Et ille quidem fecit id quod erat imperatum, & si non esset eiusdem de Christo cum Pilato sententiæ, vt iam didicimus. Cùm autem peractum esset magnum mysterium resurrectionis, & milites miracula quæ erant maiora, quàm vt ea caperet humana cogitatio, principibus Sacerdotum, & presbyteris Iudaici cœtus annunciassent, hoc illi ignominiam & dedecus sibi afferre existimantes, & miraculum volentes extinguere, pecuniis persuaserunt militibus, vt calumniarentur Christi resurrectionem. Illi igitur ad Pilatum accedentes falsam dixerunt esse resurrectionem. Verùm non sic Longinus, sed mendacij quidem fuit præclarus confutator, verax autem testis veritatis, vt qui non sustinuerit calumniari Christum, tanquam furto surreptum: sed lingua & mente libera eum verum esse Deum prædicarit, & è mortuis esse excitatum affirmauerit. Quo factum est, vt & ipse Pilatus, & Iudæorum synagogæ principes inuidiam qua prius mouebantur in Christum, & quem in eum animo concipiebant furorem, eum in Longinum transferrent, ei adeò irascentes, vt quicquid pateretur Longinus, existimarent eum non satis daturum esse pœnarum. Hinc ea res venit ad aures Longini, & eorum ira fuit ei significata. Quapropter magis volens abiici cum Christo, quàm habitare in tabernaculis Iudæorum, cum veste & cingulo dignitatis ipsam quoque simul quamprimum exuit militiam. Et acceptis duobus militibus, qui habebant eundem zelum pro Christo & veritate, declinat cum populo congressionem, & cum Deo solo, & secum versatur. Non multum intercessit temporis, & relictis Hierosolymis, venit in Cappadociam præco simul & Apostolus Christi admirabilium operum, & quæ sunt præter opinionem, cum illis duobus militibus effectus. Cùm autem eorum nihil lateret Iudæos, vtpote quòd fama ad omnes Longinum transmitteret, & perinde ac alata perniciter omnem percurreret regionem, ij simul conuenientes persuadent Pilato, vt de Longino male dicat, & significet Cæsari, quòd aliena sentiret ab Imperio Romanorum, & quòd neglectis armis Christum prædicet quendam Regem Gentibus: & sic omnes in suam redigens potestatem, attrahat ad illius fidem. Eorum autem, aiebant, quæ dicuntur signum est, quòd vniuersam Cappadociam ea impleuit doctrina. Cum his literis simul etiam emittunt pecunias in aures Cæsaris volentes irrepere, vt Longini mortem facilè emerent. Quod quidem processit etiam, vt videbatur Iudæis. Et Roma statim in Iudæam ad Pilatum mittuntur literæ, quæ Longinum morte damnabant. Pilatus ergo acceptis literis, eas statim tradit Iudæis, & ad beati viri cædem alacris alacres emittit. Illi autem cùm totam, quæ intercedebat, regionem maxima

peruasissent celeritate, veniũt in Cappadocum regionem: & cùm audissent Longinum in quodam agro paterno agere vitam ab omni negotio remotam, statim veniunt in agrum, & cum Longino sermones conferunt, nescientes eum esse, propter quem tam magnos labores suscepissent, & iter confecissent. Vnde etiam illum ipsum rogabant, quinam esset Longinus, & quonam in prædio habitaret. Longinum enim studebant clam aggredi, timentes ne salutem sibi fuga quæreret. Ignorabant autem eum magis studere vt caperetur, quàm illi vt caperent. Imitabatur enim mortem illius voluntariam, quem cùm vidisset in cruce, Deum fuit confessus: & quomodo Christus propter nos, ita Longinus propter Christum cædem sitiebat. Cùm ergo spiritus sanctus illa hora ei omnia significasset, sensim ad ipsos conuersus, miti & leni voce dicit: sequimini, & ipse eum quem quæritis ostendam. Tunc ergo veluti apud se lætans ille beatus, & futuri gaudium percipiens, & ante martyrium mortem martyrij amplectens, hæc secum dicebat: Quàm speciosi pedes euangelizantium bona? Nunc videbo cœlos apertos. Nunc aspiciam gloriam patris. Nunc sicut primus Martyr Stephanus, ipse quoque dicam: Domine Iesu Christe, accipe spiritum meum: quem clarissima voce audiui mortem ad se vocantem. Nunc supernam Hierusalem, Angelorum quidem patriam, totius autem chori sanctorum metropolim, cum victoriæ plausibus, & canticis, & gloriosis trophæis ascendam. Nunc exuo è luto confectam tunicam, & lamentabilia depono carnis vincula. Nunc liberor ab interitu & corruptione, & lætus induo incorruptionem. Egredior è vita caduca & momentanea, & ex tempestate, cuius sunt magni fluctus, & grauia naufragia: & venio ad verum & solum portum, in quo vita est ab omni tristitia remota, & æterna. Lætare anima, quæ vadis ad tuum effectorem. Ostende lætam tempore id postulante faciem. Eos qui tibi tot bona conciliant, ô Longine, benignè excipe. Eos qui nos ad cœnam vocant regalem, lauto, magnifico excipiamus conuiuio. Hæc cùm apud se locutus esset Longinus, eos qui ad ipsum venerant, statim ducit in domum suam: & cùm hospitio præclarè accepisset, incipit deinde rogare post cœnam, cur venissent, & quænam esset tanta Longini inquisitio. Illi autem, cùm sacramentum, tanquam aliquod pignus, ab eo accepissent, non esse publicaturum quæ ei dicerent, neque secretum esse aperturum, dicunt quæ Pilato scripta fuerant à Cæsare, & quòd venissent, vt Longini cum duobus militibus capita amputarent. Cùm autem sciuisset, quinam essent cum ipso morituri, illi scilicet, qui Iudaicæ mercedi Christum proposuerant, significauit eis qui non diu ante ab eo discesserant, vt primorum bonorum essent sibi socij. Cumque semel atque iterum eos qui missi fuerant à Pilato hospitio magnificè accepisset, postridie eos ducens in agrum expectabat eos quos accersiuerat. Cùm autem accepisset eos iam appropinquare, statim annunciat iis qui missi fuerant à Pilato: Ego sum, qui à vobis quæror, Longinus. Illi autem primum quidem non credebant. Quomodo enim existimassent eum esse qui erat passurus, cùm eum viderent tam lætum ad periculum? Postquam autem rectè sciuerunt illum esse, & nulla eis fuit relicta dubitatio, ægrè ferebant, & à conscientia multas plagas accipiebant, quid non quidem dicentes, quid non autem facientes, cùm esset adhuc recens recordatio, vt qui pro bonis essent malas reddituri gratias. O infelicem dicebant, cœnam. O graue hospitium. Curnam, ô chare Longine, hoc tibi cœptum venit in mentem, vt eos qui venerant ad tui cædem, domus tua acciperet? O miserum habitaculum, ô acerbum conuiuium. Mors tibi euadit hospitium, & teipsum mensæ appones, eos præter opinionem inueniens latrones, qui hospitio à te fuerunt accepti. Quid faciens, sic molestia affecisti eos qui te sunt occisuri? Abi ergo, accepta mercede hospitij, nempe mortis remissione. Non sustinemus ensem tibi inferre: cædem molientem manum tuo capiti adferre formidamus: communem salem reueremur: nos pudore afficit mensa: ad cædem torpet manus: abhorret animus morte afficere benefactorem. Facilius est periculum, quod nobis est à Pilato paratum, quàm vulnera conscientiæ. Parati sumus omnia pati potius, quàm Longino tales referre gratias. Sic quidem milites dicebant Christi Martyri valde miserabiliter. Cæterùm non poterant Longino persuadere: sed eis fortiter respondet vir verè generosus: Cur magna mihi bona inuidetis, quibus vos inuiti me estis remuneraturi? Cur meam mortem defletis tam miserabiliter? Cur tristes estis propter meam perpessionem? Non est hoc mihi mors, sed vitæ primitiæ. Mihi re vera potius est mors, quæ hic est conuersatio: quoniam non assisto meo Domino, nec fruor ea, quæ est illic, beatitudine. Finis finem malorum, non etiam finem vitæ mihi conciliabit: sed ad veram transmittet beatitudinem, & efficiet, vt sim particeps illius æterni splendoris. Habetis, ô amici, habetis apud vos solatium, propè est vobis consolatio: Quem enim propter finem lugetis, eum vos post finem beatum reputabitis. Sufficit autem hoc ad afferendam animi tranquillitatem, scire amicum fore multorum bonorũ participem: quomodo est inuidorum, vel odio potius habentium hominum, studere eũ priuare splendore. Nolite deflere eũ qui deficit: sed gratias agite ei qui accipit. Non mihi illius gloriæ detrimen-

mentem adferatis, quam ego vidi elementa mouentem. Non negauerim eum quem Dei semel filium sum confessus. Timeo ne creatam naturam inueniam accusatricem, si in eum appaream infidelis, propter cuius passionem cœlum quoque ipsum est affectum tristitia, & sol contraxit radios, & lux diei miserabiliter deducta fuit ad noctem. Hæc adhuc dicente Longino, & eis qui missi fuerunt à Pilato persuadente, vt facerent quod eis fuerat imperatum, veniunt milites, qui cum eo morte damnati fuerant. Ille autem læto & alacri vultu eos intuens, & dexteram eis iniicit, & collum amplectitur, & oculos suauiter deosculatur, &, Saluete, inquit, ô Christi commilitones, & hæredes regni, saluete. Iam enim aperta est porta, quæ est in cœlis, & Angeli sunt nostras accepturi [1] animas, & oblaturi filio vnigenito. Ecce, & lampades video, & apparent mihi brauia, cum quibus sistendi sumus ad iudicis tribunal. Sedenim si quid vobis est imperatum, dicebat eis qui missi fuerant, id implete. Deinde etiam conuersus ad domus curatorem, iubet vestem mundam ad se deferri, vt qui iam esset vocatus ad nuptias, & thalamum, & eò festinaret. Porrò autem cum induisset vestem, & manu ostendisset tumulum, in quo volebat poni corpus, in genua cum iis duobus, qui erant cum ipso, inclinatus (ô beatum finem) peregit certamen: & amputatis eorum capitibus, illi adscribuntur in choros Martyrum & Apostolorum: illorum quidem fortitudinem, horum verò zelum pro Christo ostendêtes. Quid verò post hæc est consecutum? Martyricum illius Longini caput cùm statim accepissent ij qui eum interfecerant, ad fidem plenè faciendam, quòd Longinus esset mortuus, id portant ad Pilatum, vt qui scirent se nullo alio dono, quàm eo magis illi gratificaturos. Ipse autem statim conuocauit Iudæos magna secum voluptate afficiendos, vt qui Longini valde mortem sitirent, & eam emissent pecuniis. Quod quidem cùm factum fuisset, vt eis placebat, iubet rursus indigna Pilatus: & ante portam ciuitatis per ignominiam fuit proiectum pretiosum eius caput. Sed is cui visum fuerat pati pro nobis, eius qui propter ipsum fuerat passus, ne nunc quidem est oblitus: sed veluti perpetuò apparentem quandam facem iis qui aderât cernendam præbebat ante ciuitatem, & in sterquilinio iacentem, tanquam in domo regia conseruatam tutò protegebat, non solùm non permittens vt aliquid pateretur à fimo, sed etiam liberans alios, ne aliquid propter id paterentur. Quædam enim mulier vidua, quæ morte maritum amiserat, cum filio autem vnico conflictabatur, & præter viduitatem sustinuerat etiam oculorum orbitatem, malo fide superato, cum filio vadit Hierusalem, sanctorum quæ ibi erant locorum [2] contactu & adoratione, quos amiserat corporis duces, sperans se recuperaturam. Cùm autem à filio deducta terram caperet & puluerem, & imponeret oculis, adiicitur viduitati, & oculorum orbitati (Qualia sunt Dei iudicia?) alia quoque grauis calamitas. Morbus enim quidam inuadens puerum, qui pro amissis oculis fuerat ei alius oculus, repentè (proh dolor) abripit à sinu matris. Statim ergo duplices ad eum accedunt tenebræ, & vitæ lux simul extinguitur cum luce oculorum: eratque omnino infœlix illa immobilis, tanquam aliquo fulmine, percussa calamitate. Cùm autem paulò pòst à malo ad se rediisset, deflebat miserabiliter, & miserandas voces emittebat ad Dominum: ô Domine, dicens, cur sic grauata est manus tua super me: & supra dolorem vulnerum meorum addidisti? Et nunc lumen oculorum meorum & ipsum non est mecum. Num vires lapidum vires meæ? Ipsa quoque dicam quod Iob: Posuisti me parabolam, Domine, & motum capitis in omnibus: & pudore affecti sunt super me, qui sustinent te, Domine virtutum. Num sola sic peccaui ego? & sola sic punior, quod me luce, & vnigenito filio, qui erat instar lucis, priuasti? Quænam mihi est deinceps spes salutis? Quænam mihi vis consolationis? Hei mihi charissime, quando mihi malum consolaberis? Quando oculorum leuabis calamitatem, me deducens ad salutem? Nesciuisti, ô fili, quod maiori omni alio, tuo casu mihi damnum adferres maximum? Abis planta mihi iucundissima, me misera sola relicta? Sed sic quidem mater, & mater vnigeniti, qui sic fulciebat eam quæ se habebat tam miserabiliter. Interim autem dum fuisset in somnum resoluta, diuinus ei apparet Longinus, & omnia dicit quæ ad ipsum pertinebant, quæ in cruce Saluatoris nostri facta fuit confessionem, mortem qua à Cæsare & Pilato fuit condênatus, capitis amputationem, & alia quæ Martyr propter Christum sustinuit magnificè. Quinetiam dicit ei: Oportet te obseruare meum caput multo fimo tectum, ad tuorum oculorum curationem. Nam si illud attigeris, lux statim te sequetur. Porrò autem ego quoque tibi adducam puerum cum gloria, qui, quem propter eum accipis, dolorem consoletur. His verbis mulier animo recreata, & corpore satis corroborata, properabat ad opus. Cùm autem deducta iam peruenisset ad locum, in quo sciebat caput esse repositum, prompto & alacri animo fodiebat manibus. Et cùm veluti quendam thesaurum caput inuenisset, simul cum eius inuentione suam quoque lucem inuenit: & aspicit solem, aut etiam ipsum caput cernit, tanquam lucidam stellam, apparuisse. Deinde id ardenter complexa, cum à stercore expurgasset, & vnguentis vasculis honorifice, reuertitur ad eum, qui illam hospitio exceperat

[1] Vide num sanctorum animæ post emigrationē recipiantur in cœlo.

[2] Ecce peregrinationem ad loca sancta, contactus, & adorationis causa.

pretiosam illam adferens margaritam. Sequenti autem nocte diuinus rursus accedit Longinus, læto vultu subridentem, & quasi sponsalibus vestimentis nitentem filium suum inducens, suauiterq; & paternè eum amplectens, & dicit ei: Ecce quem lugebas filium, ô mulier quæ lugebas, ecce quantus sit nunc eius honor & gloria, & te ipsam consolare. Deus enim ipsum retulit in numerum militiæ sui regni, egoque nunc eum habeo acceptum à saluatore, nec à mea vnquam recedet dextera. Accipe ergo meum caput, & corpus tui filij, & sepeli in eadem arca, & ne amplius lugeas filium tuum vnigenitum, neq; te verberet cor tuum. Nam magna gloria & lætitia, & magnis laudibus celebrandæ choreæ, & festa celeberrima ei data sunt à Deo, qui eum accepit. Hæc cùm audisset mater filij, statim surgit: & acceptum Martyris caput reddit patriæ Martyris (pago autem nomen est Sandiale) & cùm corpus filij capiti Martyris lubenter apposuisset, & in loco insigni honestè composuisset, hæc apud se dicebat: Nunc scio, quòd iis qui Deum diligunt omnia ad bonum conferunt. Quærebam oculos carnis, ego autem accepi etiam oculos spiritus. Me afficiebat tristitia iactura filij, sed ecce eum habeo hæredem: Deo cum gloria Regia assistentem: & nunc noctu & interdiu mihi matri blandè arridet, conglorificatus honoribus Prophetarum, & Martyrum, & cum eis exultans, & cum Longino crucem ferens, & regni cœlorum præclarum ferens trophæum inter Angelos: adeò vt Longini factus discipulus, ipse quoque sacram emittat vocem, hymnicamque & mysticam & Ephinicij instar habentem: Verè Dei filius erat iste, & est, & erit. Regnum eius regnum omnium seculorum: & eius dominatio permanebit in æternum. Ei gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTI TIMOTHEI, PER DIVVM Isidorum Episcopum Ispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

TImotheus Ephesiorum Episcopus, de ciuitate Listrensium, patre Græco, id est, Atheniense, matre autem Iudæa, vt refert Apostolus, dicens: Recordationem accipiens eius fidei, quæ est in te non ficta, quæ & habitauit primum in auia tua Loide, & matre tua Eunice: certus sum autem quòd & in te. Hic autem fuit discipulus Pauli, eiusque spiritualis filius. Quem puerum propriè idem Paulus secum assumpsit: qui pudicus & virgo 1 permansit. Qui que apud Ephesum in monte, qui vocatur Pyon, cum magno honore sepultus quiescit.

1 *Timotheus virgo permansit.*

COMMENTARIVS RERVM GESTARVM sancti Apostoli Christi Timothei.

XXII. Ianuarij.

Per Simeonem Metaphrasten.

MAgnum Timotheum tulit quidem Licaonia, aluit autem & instituit quæ olim inter ciuitates fuit inclyta Lystra, non tantum sibi placens de vbertate & abundantia rerum necessariarum, quantum de hac planta longè suauissima, & de iis quæ in eo efflorent virtutis ornamentis, etsi ne puras quidem & synceras generis habuerit radices: sed ex spinis quoque infidelitatis plurimum habuerit admixtum. Nam erat quidem ei auia Lois, mulier pia, & quæ re vera curam gerebat virtutis: mater Eunica, quæ ex Iudæis quidem olim fuerat initiata in pietatem, & in integris virtutum hortis re vera floruerat. Pater autem Gentilis, & in Gentilium rebus maximè insignis, veluti quoddam in frumento lolium, nempe honesto & præclaro Timothei genere, & rosis spina adnatus, & vitio tantum insignis, quantum fuit illius filius pietate clarus, & virtute incomparabilis. Cùm esset autem adhuc infans Timotheus, & à matre Eunica instituer etur, Gentilium & Iudæorum errorem simul ex æquo declinauit, & tunc accedit ad Paulum præclaram Ecclesiæ tubam, simul cum Barnaba Christi discipulo & Apostolo, sicut diuinus Lucas dicit in Actis: cùm is venisset in Licaoniam, quæ est finitima quidem Iconio & Derbæ, ex Pauli verò aduentu magnum erat consecuta miraculum: & claudum ab ipso ortu (ô diuinam visitationem, ô admirabile spectaculum) sanum effectum illius præsentia, & pedibus suis absque molestia & securè vtentem. Qui quidem eos qui erant in ciuitate in tantam adduxit admirationem, vt esset eis id quod factum fuerat supra fidem, & suos Deos existimarent forma hominibus assimilatos obire ciuitatem, & eorum esse opus claudi curationem. Postquam autem quinam esset cognouerunt: & quòd Dei viui esset potius Apostolus, & horum qui falso dicuntur deorum aduersarius, ad hoc ipsum missus, vt ab eorum errore liberarentur homines, & quòd prædicat Deum, qui non solum possit corrigere tales corporum mutilationes, sed etiam suscitare mortuos, multi ab errore deficientes accesserunt ad pietatem. Opus illius miraculi fuerunt etiam huius admirabilis discipuli & Apostoli parentes, qui magno studio & liberalitate Paulum domi suæ acceperant, & pietatis quidem lucem ab eo habuerunt: pium autem & Dei amantem

Timotheum veluti vitis[illegible] reddiderunt, qui erat adhuc iuuenis & tener, & aptus ad suscipienda semina; Israelitæ. quod quidem licet apertius discere ex libro Actuum Apost. Nam cùm Paulus, inquit, obiret Lystram & Derbem, erat illic discipulus quidam nomine Timotheus, filius mulieris Iudææ fidelis, patris autē Gentilis. Huic testimonium bonum reddebant qui in Lystris erant & Iconio fratres. Cùm sic ergo Paulo traditus fuisset Timotheus, patri spirituali filius magis propinquus, quàm eius qui erat pater secundùm carnem, & ex ciuitate vna esset excessurus, ab eo circumciditur propter quosdam Iudæos, quibus plena erat ciuitas & omnia circuncirca, quoniam omnes sciebant illum esse natū patre Gentili. Atque ciuitates quidem obibat Paulus, seminans prædicationem, veritatemque annuncians, & omnes spiritu regenerans. Eum autem consequebatur sicut stella solem Timotheus, deductus quidem à parentibus: eorum autem cor non obscurè sauciens propter separationem. Quidni enim, cùm essent parentes talis filij, & qui scatebat tam suaui flore virtutis? Ipse verò ex eorum seiunctione nihil visus est affici, sed quodammodo Pauli desiderio contegere suam in parentes affectionem, & ostendere id naturali necessitate longè esse valētius. Hinc in literarum disciplina ab illo instituitur, fitque ei contubernalis, & omnino simul cum eo viuebat. Deinde eius quoque Diaconus constituitur, & ad Apostolatum confirmatur, periculorum atque laborum effectus socius, & nihil omnino impeditus ab ætatis teneritudine quò minus resisteret laboribus, sed generosam inducens voluntatē quæ ætate plus poterat, adeò vt boni eius animi & piorum operum testem ipsum habuerit magistrum sic dicentem: Videte ne quis ipsum contemnat. Opus enim Domini operatur sicut ego. Cùm autem ad tantam peruenisset virtutem, & tantum eius testē adhibuisset, non hic solum, sed etiā in multis alijs locis. Nam modò quidem, inquit scribens ad Corinthios Paulus, misi ad vos Timotheum fratrē meum, qui est filius meus dilectus, & fidelis in Domino, qui vobis in memoriam rediget vias meas in Christo. Et rursus: Si venerit Timotheus, videte vt sine metu sit apud vos. Modò autem ad Philippenses quoque scribens, adsciscit socium inscriptionis: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi. Et deinceps consequenter in epistola: Spero autem in Domino me Timotheum citò ad vos missurum, vt & ego bono animo sim cognitis quæ circa vos sunt. Neminem enim habeo tam vnanimem qui syncerè pro vobis sit sollicitus. His verò congruentia scribit etiam ad Thessalonicenses: Paulus & Timotheus serui Iesu Christi, eum hic quoque honorans sociatæ inscriptionis. Misi ad vos Timotheum fratrem nostrū & ministrum Dei & cooperatorem in Euangelio Iesu Christi, ad confirmandos vos & exhortandos pro fide vestra, vt nemo moueatur in istis afflictionibus. Et alibi: Probationem autem eius cognoscitis, quòd sicut filius patri, mecum seruijt in Euangelium, illos quoque assumens veluti testes virtutis Timothei. Deinde verò etiam ad Colossenses, Paulus Apostolus Iesu Christi per voluntatem Dei, & Timotheus frater. Porrò autem cùm à præceptore tantum ferret testimonium: & modò quidem filius in Domino fidelis & dilectus: modò autem etiam eius frater & Euangelij cooperator vocari dignus haberetur: & ipsique de quo tot & tam magna consequeretur encomia: tamen ne sic quidem sibiipsi confidere & non timere poterat, sed tam accuratè viuebat, & tam diligenter se exercebat, & tam acriter se affligebat, vt eum etiam exhortaretur præceptor, suadens discipulo ne aquam amplius biberet: sed vino modico vteretur. Propter stomachum tuum, inquit, & frequentes tuas infirmitates. Sed quamuis hic laboraret eius corpus continua infirmitate, & haberet deiectam stomachi facultatem, generosus resplendebat animus. Non poterat enim corporis infirmitas deprimere tam generosum animum, sed celeri zeli penna omnem in partem peruolabat, & modò quidem Ephesum, modò verò Corinthum illius linguæ Sirenes demulcebant. Macedoniam quoque sæpe & Italiam & vniuersam terram cum præceptore complectebatur prædicatione. Quid autem dixeris, quàm multos cupiditatibus à ratione maximè alienis & absurdis seruientes ab hoc graui liberauit ministerio? Rectè nouit quod dico, is qui eius qui Corinthi est fornicatus non ignorauit delictum. Erat enim diuinus Timotheus non ad intelligendum solùm acutissimus, sed ad dicendum etiam promptissimus, & ad facundia egregiè vtendum dexterrimus, & in diuinis exponendis iucundissimus: & ad Ecclesiam componendam, & custodiendam vel maximè idoneus. Nam & copiosiorem consecutus est gratiam: & doctrinæ fontibus vsus est duplicibus, non Pauli solummodò admirabili lyra spiritus se oblectans, sed etiam versans cum Ioanne eximiè dilecto discipulo, & ab eo præfectus administrationi sedis Ephesiorum, cùm ab eo audijsset & didicisset quæ ille rursus à bono spiritu. Nam cùm Nero, qui malè ad imperium, malè, ô iustitia & dei tolerantia, accesserat, fini martyrij Principes Apostolorum Petrum, inquam, & Paulum, subiecisset: & alij qui cum ipsis erant discipuli se alio conuertissent, accidit vt hic magnus Euangelista & Theologus Ephesi consisteret, à tempestate & naufragio eiectus, vt referunt quæ ab Irenæo Lugdunensi scripta sunt, & fama tradit. Ex discipulis autem ij qui secuti sunt alios Euangelistas & Apostolos, ea quæ ab illis diuersa lingua composita

fuerant (nondum enim vnius vocis sermone vsi fuerant) cùm ad Ephesiorum ciuitatem detulissent, ei tradunt. Illum verò, vt etiam videtur Eusebio, Pamphili hæc tractanti, aiunt ea quidem quæ scripta fuerant admisisse, de eorum veritate ferendo testimonium, animaduertisse autem in eis solam restare narrationem de iis quæ in primis, & in principio prædicationis à Christo facta fuerant. Et vera quidem est oratio. Inuenies enim, si diligenter consideraueris, tres Euangelistas ea solùm conscripsisse, quæ vno anno à Seruatore gesta sunt, postquàm Ioannes Baptista fuit coniectus in carcerem, idque eos rectè significare in principio suæ historiæ. Nam post Ieiunium Christi quadraginta dierum, & eam quæ in ipso fuit tentationem, Matthæus quidem significat tempus suæ scriptionis, dicens: Cùm autem audiisset quòd Ioannes erat traditus, à Iudæa recessit in Galilæam. Lucas quoque priusquàm inciperet narrare facta Iesu, similiter ostendit dicens, quòd adijciens Herodes ijs quæ fecerat, inclusit Ioannem in custodia. Propterea ergo dicunt Ioannem Apostolum rogatum, tempus quod fuit silentio præteritum à prioribus Euangelistis, & quæ in eo facta fuerant à Saluatore, ea autem sunt quæ facta sunt antequam Baptista in carcerem conijceretur, in suo tradidisse Euãgelio, etsi prius non scripta vsus esset prædicatione, & hoc ipsum significasse, partim quidem dicendo: Hoc principium fecit signorum Iesus: partim autem faciendo mentionem Baptistæ inter actiones Iesu, vt qui tunc adhuc baptizaret in Ænon prope Salim. Præterea verò hoc ostendit apertius, dicens: Nondum enim erat Ioannes coniectus in carcerem. Ex his ergo apertè ostenditur, Theologum ea in suo Euangelio tradere, quæ à Christo facta sunt, Ioanne nondum coniecto in carcerem: reliquos autem tres Euangelistas meminisse eorum, quæ facta sunt postquàm Ioannes fuisset coniectus in vincula. Quæ qui attenderit, non amplius ei videbuntur discrepare Euangelia, quòd id quidem quod est secundùm Ioannem primas Christi contineat actiones: reliqua autem historiã quæ facta est in ipso fine Christi. Meritò ergo carnis quidem Seruatoris nostri genealogiam, vt quæ à Matthæo & Luca prius scripta fuisset, Ioannes silentio præteriit, à Theologia autem incipit, vt quæ ei, vtpote præstantiori, fuisset à bono spiritu conseruata. Et sic quidem Eusebius de Ioanne & alijs narrat Euangelistis. Fieri ergo non poterat, vt ipsius veritatis, Christi, inquam, verba exciderent, qui Discipulis suis dixit: In mundo afflictionem habebitis. Neque ergo exciderunt, sed vterque multas subiit molestias. Cùm enim Domitianus per magnam vim sceleris tunc inuasisset imperium, condemnatur hic quoque habitare vnam ex Cycladibus. Domitianus, inquam, cui post Neronem & eos qui intercedunt, mandatum fuit imperium, ei autem improbitate nihilo fuit inferior, sed semper ad ipsum respiciebat, aut etiam sceleribus & flagitiis superabat, & structis in alios calumnijs tam lubenter aures accommodabat, quàm suis ipsius laudibus: siquidem tantum valuit assentatio, vt etiam Domitianum laude aliqua impertiret & celebraret. Illius ergo ad facilè audiendas calumnias propensio, Ioannem condemnat vt relegetur in Pathmon. Sic enim nominata est insula, in quam fuit relegatus. Quem quidem in locum cùm per ignominiam relegatus fuisset venerandus Ioannes, Timotheus eius loco suscepit Episcopatum Ephesiorum. Quanquam nec ipsum quoque in se longo tempore viuere permisit inimicus. Erat enim quidam dies festus apud Ephesios, qui ab eis vocabatur Catagogium. In eo ergo & clauus tollentes, & simulachra in manibus tenentes, & sibi quasdam imponentes personas: & insigniores partes ciuitatis impudenter obeuntes: & ijs quædam carmina decantantes: virosque & mulieres more prædonum inuadentes, magnam cædem eorum faciebant, ea ratione putantes execrandi se suum honorare dæmonem, vt eos viderentur homines honorare, quorũ maximus cultus est mors eorum qui honorant. Diuinus ergo Timotheus hoc ægrè ferens, & igne zeli visceribus inflammatus, & partim quidem consilijs vsus & admonitionibus, cùm minimè potuisset eis persuadere, vt à tali desisterent insania, accedit ad eos in media compita cùm iam festum ageretur, rursus admonens, increpans, docens, quid nõ faciens ex ijs quæ possent dimouere hominem à tali insania. Illi autem eius dicendi libertatem ægrè ferentes, quæcunque habebant in manibus, ijs aduersus eum vsi sunt, eum ferientes, & per terram trahentes, cum quàm maxima dici potest crudelitate & inhumanitate, & tandem humi iacentem, cùm omnis virtus vitalis & operatio eum deficeret, quidam Christiani eum tollentes parum adhuc & ægrè spirantẽ, & iam morti vicinum, vltra ciuitatis portum deposuerunt, vbi cum Deo commendatum emisisset spiritum, corpus rursus piè & sanctè in quodam loco condunt, qui apud eos Pion, id est, pinguis, dicitur. Longo autem tempore postea Cõstantij in eum amores, qui filius fuit Constantini magni, inquã, illius & primi Imperatoris Christianorum, illinc exportant reliquias desiderij administro vtentes Artemio, qui cùm egregiæ illius Timothei in dicendo libertatis fuisset imitator, ei quoque postea fuit conformis mortis similitudine, & fuit martyrii ornamento propter Christum decoratus. Reponitur autẽ in sacra ara eius quod cognominatur templum Apostolorum (fuit verò id Constantij manus opus & fidei) sub ipsa mensa mystica, suppedi-

tatos

tator miraculorum, dispensator gratiarum, thesaurus qui non potest exinaniri, diuitiæ quæ non consumuntur, & cum Luca & Andrea connumeratur, Deo fortasse hoc benignè prouidente, vt sicut eis omnia fuere communia, mores, disciplina, prædicatio: commune quoque esset sepulchrum, quoniam eis quoque est illic quies communis. Templum autem Iustinianus, cum manu postea magnificentiore quoque arte adhibita, splendidè ædificat, & transformat, & ei pulchritudinem & magnitudinem quæ nunc est & cernitur exhibet, præterquàm mysticam & diuinam mensam. Ab ea enim sola abstinuit, hoc pulchrè & sanctè faciens propter depositionem sacrarum 1 reliquiarum. Quocirca posita est in medio templo vsque in hodiernum diem, cùm mensam ex purissimo argento construxisset, & cùm magna sui in Christum amoris significatione sanctorum Christi Apostolorum sancta corpora recondidisset. Cùm autẽ impius Domitianus sceleratissimè quidem imperasset, miserrimè autem vitam finisset, Nerua suscipiens imperiũ, & statim post ipsum Traianus quoque, cùm se & quàm fieri posset clementissimos & æquissimos vellent ostendere, cum multis Euangelistæ quoque & Theologo dissoluunt exilium. Ille autem cùm Ephesum, ô cum quanto dixerit quis gaudio & honore rediisset: & diuinum iam Timotheum ad Iesum quem desiderabat excessisse didicisset: & finem martyrij cùm cursum Euangelij obsignasset, & esse Ecclesiam Præsule destitutam inuenisset, eam rursus suscipit, adeo vt idem & eadem Timotheo præbuerit, & ei successerit. Quæ quidem vtraque sunt eius zeli in Deum, magnique illius studij & ardoris in pietatem. Qui quidem longo postea tempore perpetuò curam gessit Ecclesiæ, & veritatis annunciauit prædicationem ad augmentum pietatis, ad salutem animarum, ad gloriam Domini nostri Iesu: Cum quo patri, vnà cum sancto spiritu: Nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

1 Sacras appellat reliquias, et infra sancta Apostolorũ corpora, propter inhabitantem eis spiritus sancti gratiam.

VITA SANCTI TITI, PER DIVVM ISIDOrum Episcopum Hispalensem scripta.

Habetur in libr. eiusdem de patribus noui testamenti.

TItus Pauli discipulus, & in Baptismate filius, natione Græcus, & ex Gentibus, solus à Paulo post Euangelium circumcisus. Quem ad instruendas Ecclesias reliquit Apostolus Cretæ: ibique in pace defunctus est atque sepultus.

VITA SANCTI PHILIPPI DIACONI, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyr. eius sub viij. Idus Iunij.

CÆsareæ natale sancti Philippi, qui fuit vnus ex diaconis septem, qui cum beato Stephano statim post passionem Christi ab Apostolis sunt ordinati. De quo beatus Lucas in Actibus Apostolorum refert, quòd signa & prodigia faciendo, prædicatione sua Samarias ad fidem Christi conuertit, & Candacis Reginæ Æthiopum studiosum in scripturis Eunuchum in fonte, qui est in vico Bethsoro, in tribu Iuda, euntibus ab Elia ad Ebron in vicesimo lapide baptizauit. Qui postea apud Cæsaream quieuit. Iuxta quem 1 tres virgines filiæ ipsius Prophetissæ tumulatæ iacent. Nam quarta filia illius plena spiritu sancto, in Epheso occubuit. Quidam tamen putant, apud Hierapolim eas tumulatas, vbi Apostolus Philippus vnus de duodecim quiescit. Cuius fuisse filiæ ab aliquibus scriptoribus putatæ sunt.

1 Quod diaconus filias quatuor habuerit, non te contristet, quia id fuit de more Orientalis ecclesiæ, in qua ordinati vxoribus ante promotionẽ habitis vtebãtur.

RES GESTAE, ET CONSVMMATIO Sancti Cornelij Centurionis.

Apud Simeonem Metaphrastem.

XIII. Sept.

POST salutarem verbi in terram aduentum, crucemque, & mortem pro nobis sua sponte ab eo susceptam, & in cœlos ascensionem, vnde descenderat ad ædificandum Dauidis tabernaculum (vt cum Prophetis dicam) quod ceciderat, vnus erat ex cohorte Italica Centurio Cornelius, ex ijs qui ipsum quærebant, & faciebant quæ illi placebant, & qui multa bona faciebat opera (etiam si nondum diuina Christi gratia, neque vocatione ad ipsum esset dignatus hic vir pius) vt qui Deum timeret ipse, & tota eius familia, & iis quæ habebat impertiret egentes, rursusque Deum precaretur assiduè. Ad eum agentẽ Cæsareæ (vt diuinus Lucas de ipso refert apertissimè) venit Angelus circa nonam horam diei, & dixit ei: Corneli, orationes & eleemosynæ tuæ ascenderunt ad monimentum in Dei conspectum, & nunc mitte viros Ioppen, & accerse Simonem, qui appellatur Petrus. Is cùm venerit, loquetur tibi verba vitæ. Hæc cùm ille quidem mandasset, non amplius apparebat. Cornelius autem statim duobus vocatis famulis, & forti quodam ac pio milite,

cis ape-

cia aperit quæ viderat, & eos mittit Ioppem. Illic enim versari Petrum dixit Angelus apud quendam Simonem Coriarium. Petrus autem, qui omnem terram & mare obibat prædicando, veritatem vbique annunciabat (Erat enim re vera positus in lucem Gentium, & salutem nostrorum) ingressus ad sanctos qui habitabant Lyddam, cùm quendam Æneam, qui octo annis iacebat paralyticus fecisset surgere, Ioppem autem venisset, & in Thabita, quæ vocatur Dorcas, fecisset magnum illud miraculum, hic degebat apud Coriarium. Sed nec eum quoque dimisit Deus ignarum mysterij, quo erat initiandus Cornelius: aut potius Cornelij iustitiam & preces non despexit. Sed quoniam ij qui erant ex circuncisione, dissidebant ab ijs qui habebant præputium: ne Petrus eos qui missi erant à Cornelio, vt qui haberent præputium, incassum rursus remitteret, propterea quòd nefas sibi putaret congredi cum alienigena, aut ad eum accedere, cùm illi Cæsarea profecti non procul essent ab Ioppe, ostendit ei Deus Cornelij virtutem & agnitionem. Cùm itaque ascendisset in domunculam, vt quæ hora sexta fiebant, preces redderet, se cibo reficere opus habuit, & esurijs sitiem autem dum Petro parabatur conuiuium, videt cœlum apertum, & vas quoddam, tanquam magnum linteum quatuor initiis in terram demitti, & ad ipsum venire. Vas autem continebat bestias tam omnes terræ quadrupedes, & reptiles, quàm volucres cœli. Voxque ex illo visa est ad eum existere, dicens: Surge Petre, macta, & comede. Deinde cùm is dixisset: Nequaquam Domine: & deinde etiam causam adiecisset, (Nunquam, enim, inquit, comedi omne commune aut immundum) vox ei rursus respondit, dicens: Quæ Deus mundauit, tu ne dixeris communia. Cumque hoc ter factum esset, vas rursus assumptum est in cœlum. Hoc autem significabat conuersionem Cornelij, & eorum qui erant cum ipso. Nam esuries quidem, qua laborabat Petrus, significabat illius in pietatem propensum & studium: & quod is nihil adeo esuriebat, & desiderabat, quam infidelium agnitionem, & eis omnino dare verum Dei cultum, & prædicationem Euangelij. Quadrupedes autem & volucres erant signum multitudinis eorum qui erant conuertendi cum Cornelio. Vas autem è cœlo ter demissum, significabat ternam in Baptismo demersionem. Mundatas autem esse à Deo, significabat Cornelij iustitiam & misericordiam cum vniuersa domo, & quòd ij quoque Deo accepti euaserunt. Cogitante autem Petro, & non valente visionem coniicere, qui missi fuerant à Cornelio, iam ad fores venerant. Et protinus aduolans spiritus & illorum aduentum significat, & iubet Petrum eos conuenire minimè hæsitantem. Atque ei quidem, cùm ad eos descendisset, quæ vidisset Cornelius, & quæ ab Angelo audiuisset, omnia renunciát. Itaque die sequenti simul veniunt Cæsaream. Cùm eis autem obuiam processisset Cornelius, & procidisset ad eius pedes, erigit eum Petrus, dicens: Ego quoque sum homo. Deinde cùm in eo seminasset verbum pietatis, & in animis eorum qui cõuenerant, postquàm vidit spiritus gratiam ad eos aduolantem, & baptismum percipientem, eos deducit ad veritatem, & baptismo initiat. Cum dispersis autem ab Hierosolymis Apostolis post dolorem acceptum propter Stephanum simul aderat etiam Cornelius: & venit vsque in Phœniciam, & Cyprum, & ipsam Antiochiam: & rursus profectus est vnà cum Petro, & Timotheo: Et nec Ephesi quidem ab eis abfuit. Cùm autem accepissent Scepsiæorum ciuitatem esse subiectam cultui simulachrorum, consultabant quisnam eo iret: & rem permiserunt sortibus. Cùm sors autem venisset ad Cornelium, ille quidem rectà vadit ad ciuitatem. Eius autem præfectus erat quidam Demetrius, qui erat Philosophus, & in Græcis disciplinis eruditus, horrendum spirans aduersus piam fidem Christianorum, & alios Gentium colens Deos, maximè autem Apollinem, & Iouem. Is cùm accepisset de aduentu Cornelii, eum statim accersiit: & cur venisset, & vnde, & quodnam esset eius studium interrogauit. Ille autem: Sum quidem, inquit, seruus Dei viui. Veni autem huc missus, vt te reuocem à profundissimis tenebris ignorantiæ, deducamque ad lucem veritatis: & purum radium agnitionis immittam in tuam animam. Horum ille ne pauca quidem intelligens, ira illicò fuit repletus, sæueque repentè loquitur & ferociter: Alia te rogaui, tu autem alia mihi respondes. Per Deos omnes, si non singula dicis ad propositum: Si non moderatè & diligenter respondes, non parcam tuæ senectuti, non ignoscam tuæ ætati, non reuerebor caniciem: Sed dic, & cui milites, & quanam de causa accesseris. Cornelius autem: Si velis, inquit, scire, quænam sit mea militia: Sum quidem Centurio: & rursus apertius euoluit & explicauit ea quæ prius dicta sunt. Nam cùm, inquit, acceperim, quòd ipse, & vxor tua, & quicquid est in tua ditione in magnum errorem incideritis, venio vos liberaturus à deceptione, & vos deducturus ad viam veritatis, & soli viuenti Deo reconciliaturus, qui fecit cœlum & terram, & à quo producta sunt quæcunque sunt in ipsis, & [illegible] ducuntur. Ad hæc Demetrius: Video te, inquit, iam senio esse confectum, & [illegible] propter ætatem. Prolixas ergo nugas iubens valere (paucis enim tecum [illegible], & diis sacrifica. Cùm ille autem rogasset, quibusnam diis: Quibusnam

alijs

alijs, inquit, præfectus, nisi Ioui & Apollini? Sin autem recusaueris, scias fore, vt grauibus suppliciis, & tormentis tradaris: neque vllus, præter eos, erit Deus adeò potens, qui te sit à meis erepturus manibus. Ille autem: Potest, inquit, Deus meus non me solum à malis conseruare illæsum, & efficere vt sim hominum iniuriis & insultibus superior: sed eos etiam destruere, quos tu Deos nominas, euertereque & confringere illorum simulachra, eaque in puluerem redigere, & in cinerem, & te vana, quam de illis concepisti, spe priuare, & per agnitionem ad se traducere. Hæc cùm respondisset Cornelius: Iam iuraui omnes Deos, inquit Demetrius, quòd nisi moderatè respondeas, & nisi diis obtuleris sacrificium, te grauia supplicia accipient & cruciatus: & nondum mihi credis? Rursus ergo dixit præclarè Cornelius: Me rectè dicentem audi, ô Iudex: Dæmonibus, & surdis, ac inanimis simulachris ego nunquam sacrificauerim. Scriptum est enim: Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant. Et rursus: Adorabis Dominum Deum tuum, & ei soli seruies. Ego igitur veni vt det vobis quoque Deus pœnitentiam ad agnitionem veritatis, & resipiscatis à diaboli laqueo ad illius voluntatem. Sin autem tibi videtur, eos quos dicis, deos ostende mihi. Hoc cùm ille audijsset, valde lætatus est cum ijs qui cum ipso erant, & bona spe sunt repleti, putantes stulti se mox esse visuros Cornelium sacrificantem. Eis itaque mox fuit apertum templum Iouis, vt qui putarent Cornelium statim esse Deo sacrificaturum. Cùm itaque venisset in templum Cornelius, omnes illic celeriter confluxerunt, non solùm Demetrius, & ij qui eum affectabantur, sed eius etiam coniunx Euanthia, & filius Demetrius. Nam ipse quoque sic vocabatur. Cùm itaque ad Orientem genu flexisset, dixit ex animo Cornelius: Deus qui conturbas terram, & montes transfers in corda maris, qui tempore Danielis famuli tui Belum euertisti, & draconem sustulisti, & ora obstruxisti leonibus vt tuum seruares famulum: tu quoque nunc euerte hæc simulachra, tam fusilia, quàm sculptilia: & agnitionem præbe tuo populo, & sciant tuum esse brachium cum potentia. Tu es nostræ potestatis gloriatio. Cùm hæc esset præcatus, egreditur è templo, simul autem cum eo egreditur etiam Demetrius, & quæcunque alia Gentium conuenerat multitudo. Euanthia autem & filius Demetrius adhuc manebant intus. Repentè verò maximo quidem terræmotu Deus concutit ciuitatem: templum autem mox deturbatum simulachra cõfringit, & in cinerem comminuit, & in puluerem: Demetriumque filium, & matrem Euanthiam intus intercipit. Cùm pater ergo Demetrius templi aspexisset euersionem, nondum autem accepisset, vxorem & filium fuisse intus interceptos, ducitur quidem in iudicium diuinus Cornelius, cogendus vtique dicere causam euersionis. Ille autem lætus ingreditur, Deum alloquens, qui ei dabat vires, & magis sibi placens propter hoc miraculum incredibile, quàm propter thronum Demetrius, & propter illud excelsum & sublime tribunal. Præueniens autem interrogationem: Vbi nunc sunt, inquit, ô Demetri, magni tui dij? Ille autem continuò: Quibusnam, inquit, magicis artibus & præstigiis templum euertisti, & statuas confregisti? Sed te grauissimis, sciant omnes dij, subijciam supplicijs. Et statim consultabat, quidnam agens eum acerbissimo afficeret supplicio. Cùm iam autem aduentasset vespera, iubet sanctum ligatis simul pedibus ac manibus suspendi in custodia, & ita totam noctem manere suspensum. Hæc dixit: & statim sanctus fuit coniectus in carcerem. Protinus autem venit properè quidam ex domesticis, nomine Telephon, dicens: Domine, Domina mea, & filius tuus vnigena perierunt, cùm terræmotu concussum fuit templum. Demetrius autem cùm primum hoc audiuisset, scidit vestem, & magno fuit luctu oppressus. Interim autem iussit suis puluerem quàm primum exportare: Donec meæ bonæ, inquit, & fidelis coniugis, & suauissimi vnigenæ filij ossa inuenta in meas manus portaueritis. Hæc simul eis dicebat, & cum voce affluebant lachrymæ, & grauissimè ingemiscebat & lugebat: & deos suos accusabat, quòd viuus ad hoc vsque tempus esset conseruatus, vt audiret tam acerbum nuncium. Cùm ei autem assedissent primates ciuitatis, & partim quidem simul lamentarentur, partim aũt etiam consolarentur, & quoad eius fieri posset, dolorem studerent extinguere, & iam ab eis esse mortuus putaretur Cornelius, essetque perfectum monumentum, in quo sepelienda erat coniux cum filio, Pontifex quidam Deorum Gentium, nomine Barbatus, cui commissa fuerat templi repurgatio, properè venit ad famulos Demetrij: non enim permittebatur ad eum accedere propter luctum, renuncians ex aggere fuisse auditam vocem Euanthiæ, & filij, vocem autem hæc significare: Magnus Deus Christianorum, qui nos eripuit ex hoc periculo per famulum suum Cornelium, & non nos dedit omnino exitio. Festina ergo tu quoque Demetri, & virum hunc sanctum educ è custodia: & adora eum cum omnibus, qui sunt in domo nostra, & ijs qui sunt nobis propinqui: & roga ipsum, veniens in hoc habitaculum nos seruet, & educat ex hoc aggere, & è profundo, ne pereamus penitus: magna enim Dei hic videmus miracula, & videmur audire Angelos clamantes: Gloria in

ria in excelsis Deo, & in terra pax, in hominibus bona voluntas. Cùm hæc audiissent ministri, currunt protinus cum Barbato Pontifice ad Demetrium, & ei singula diligenter renunciant. Ille autem cùm accepisset esse adhuc superstitem vxorem & filium, cor plenum habuit lætitia: & cursim veniens in custodiam, offendit diuinum Cornelium ambulantem, & librum in manu tenentem, & sic Deum laudantem, (Angelus enim ad eum accedens ipsum soluerat à vinculis) & cum multitudine quæ simul concurrerat, cadens ad eius pedes: Magnus est Deus, clamauit, Cornelij, qui meam coniugem Euanthiam, & filium Demetrium liberauit à templi euersione: & simul sanctum orauit, dicens: Serue Dei altissimi, credimus in Crucifixum, quem tu prædicas, & ego, & omnes qui sunt mecum, si veneris, & vxorem viuam, & filium illinc eduxeris. Ille autem: Accipe, inquit, prius, Christi signaculum, & tunc veniam vobiscum, & dabitur vobis cordis vestri desiderium. Protinus itaque Demetrius cum omnibus qui cum ipso erant, cùm: Magnus est Deus Christianorum, rursus dixissent, baptismum suscipiunt. Deinde cùm eos assumpsisset Cornelius, stetit super habitaculum: & ad orientem oculos tollens in cœlum, inquit: Domine Deus virtutum, qui respicis super terram, & facis eam tremere: qui aspectu tuo montes liquefacis, & visitatione tua exsiccas abyssos: ipse es Domine, ipse exaudi gemitum vinctorum: & educ è terra Euanthiam, & ne auertas faciem tuam à filio eius: sed attende animæ eorum, & libera eos propter nomen tuum. Hæc cùm precatus esset Cornelius, & qui circunstabant, dixissent: Amen: continuò terra diuisa incolumem matrem emittit cum filio. Et illicò clamarunt cum circunstantibus: Magnus es Deus Christianorum, qui nos à deceptione, & ab hac acerba morte liberasti per tuum famulum Cornelium, & tuam potentiam, & brachium nobis notum reddidisti. Simulque ducenti & septem Christo accesserunt.

Ex hinc autem ad Cornelium sedentem in quodam loco, qui vocatur Stadium, & docenté eos qui accedebant, Demetrius & Euanthia ventitabant cum filio: & neque reliqui Gentiles erant adhuc Gentiles. Sed & reliqui quoque Gentiles, spinis incredulitatis à corde suo expurgatis, susceperunt semen pietatis, & baptismo fuerunt obsignati. Atque ille quidem, postquàm Christo vniuersam obtulisset ciuitatem, & errorem expulisset, & verbum pietatis in ea seminasset, effectus plenus dierum feruentius vacabat orationi, & totus in ea versabatur, ad nihil ex ijs quibus in præsenti vita studetur, suos attollens oculos. Deinceps autem ei quoque suus reuelatur excessus, ad quem toto animæ oculo spectabat, & erat paratus, & è superis vocem audit dicentem: Corneli, veni ad me: Ecce enim est tibi parata corona iustitiæ. Quid deinde? Cùm omnes, quos obtulerat, Christianos conuocasset, & eos perfectius pietatem docuisset, & firmiter doctrinæ adhærere præcepisset, & se postremò totum ad precandum collegisset, 1 flectit genu, &, Domine Deus noster, inquit, qui me, vt fidem conseruarem es dignatus, & vt certamen peragerem, & vincerem aduersarium, ago tibi gratias: sed ad tuos seruos è cœlo aspice, & eos suscipe è sancta tua altitudine, & eos tua confessione & nomine stabili confirma, vt sine intermissione sanctissimum tuum nomen glorificent nunc & in secula seculorum. Et cùm omnes, Amen, continuò acclamassent, spiritum lubens ei qui vocabat tradidit. Atque Demetrius quidem, & Euanthia cum filio, & Christianis omnibus congregatis, & presbytero Eunomio, cùm magistri excessum, vt par erat, deplorassent, & deinde 2 cæreos accendissent, & hymnos, qui dici solent in excessu, cecinissent, quæcunque de more Christiani faciunt peregissent: apud ipsum euersum Iouis templũ eum in nouo loculo deposuerunt, qui prius à Demetrio fuerat constructus coniugi. Rubum autem maximum terra continuò edidit, & in orbem texit loculum, adeò vt nullus sciret de cætero, quod intus esset loculus, præter eos solos, qui cum Demetrio tunc inseruierunt ad sepulturam. Qui quidem ad rubum quotidie ventitantes, 3 sacra canebant cantica, suffitibusque & bono odore replebant, qui super ipsum erat aërem. Atque miracula quidem illinc frequenter scatebant, adeò vt multis videretur, qui nesciebant intus iacere Martyrem, nunc quoque diuinum aliquid rubus significare, sicut tempore Moysis prius factum fuerat. Non multò pòst auté è vita etiam excessit Demetrius, & multi ex ijs qui à Cornelio fuerant diuino initiati baptismo, ipsi quoque partim è viuis decesserunt, partim autem profecti sunt in alias regiones. Itaque cuidam Siluano viro pio, & qui virtuté amplectebatur, & erat Episcopus Troadis, cùm venissent aliquando in ciuitaté Sceplæorũ, diuinus in somnis apparens Cornelius: Longo, dixit, tépore hic habito, & nullus me visitauit, præter eos solos, qui à me fuerunt baptizati. Cùm itaque interdiu hæc mente consideraret Episcopus, & quid sibi vellet somnium, non posset conijcere, nocte sequenti ad eum rursus veniens sanctus, Ego sum, inquit, Cornelius Centurio: est auté mihi domus propè templũ Iouis in rubo. Sed tu ædifica altorũ oratorũ propè locũ Demetrij serui Dei. Vocatur auté locus Pandochiũ: quo in loco sita sunt multa corpora sanctorũ fratrũ iam consummatorũ. Mane ergo Episcopus quidem, propterea quod in Pandochio essent omni ex parte infossa multa sepulchra, in animo habuit

1 Ecce oratio cum genuflexione.

2 Vide quomodo in excessu Christianorum soleãt cærei accendi & hymni decantari.

3 Ecce quomodo antiquissima consuetudo est, sacra canere cantica, et ponere suffitus & bonos odores sanctis in ecclesia.

habuit templum alibi ædificare: sed sanctus non permisit. Cùm ergo clerum qui sub eo erat congregasset: Filij, inquit, mihi magnus reuelatus est thesaurus: sed adeste, eũ tollamus. Hoc cùm illi audissent, prompto & alacri animo omnes processerunt, & Episcopũ lubenter sunt secuti. Cùm autem peruenissent ad rubum, statim dixerunt clerici Episcopo: Gratia quędam, dixerunt, huc aduolat diuina, ô Domine, & multos scimus huc confluxisse, & fuisse liberatos à morbis, & malis dæmonibus, & ascripsisse rubo sanationem. Sed siue sit in rubo, seu sub rubo, thesaurus, qui eum, dixerunt, potuerunt excindere, & eum tollere, cùm fieri nõ possit, vt secetur propter magnitudinem, & alioqui nec sit attrectatũ facilis, vt qui sit multis terribilis propter miraculorum operationem? Cùm autem precatus esset Episcopus, & 4 crucem fixisset in terram, & manum rubo iniecisset, ipsas exciditradices. Animo itaque confirmati clerici, opus continuò sunt aggressi: & conuellebatur rubus tanquam herba quædam mollis: neque erat amplius rubus, sed & capsa continuò apparebat, & adhuc valde instabat Episcopus vrgens fossionem. Cùm autẽ iam aduentasset vespera, precatus Episcopus rursus iubet clero nocturnam 5 cantare psalmodiam, hymnisque, lampadibus, & suffitibus honorabant capsam. Cùm verò sumptuum quoq; inopia ad ædificandum templum sollicitum, & animo perplexum teneret Episcopum, eam quoq; soluit sanctus dubitationem: & cuidã ex diuitibus viro pio apparens, cui nomen erat Eugenius, 6 mandat ei templi ædificationẽ, & describit ei ædificij figuram & magnitudinem. Mane ergo Eugenius veniens ad Episcopum, ei renunciat visionem, & operi statim præficit ædificatores, cùm eis prius descripsisset, & significasset templi altitudinẽ & longitudinem, & aditum altaris eis iussisset latitudine fieri capsæ æqualem: ei enim visum fuerat deponere capsam intra aram. Postquam autem templum fuit citò perfectum, hoc quoq; Deo faciente miraculum, in locum, qui dicitur Trigoni, veniẽtes ædificatores, (Hic enim Syluanus Episcopus peragebat festum beati Andreæ Apostoli) ei significant perfectum esse ædificium: & iam tempus est, aiunt, transferri capsam, priusquam ingressui imponatur superliminare. Sic enim facilius introducetur. Cõtinuò ergo Episcopus cùm simul cum pio Eugenio sacrum sumpsisset Euangeliũ, fusis prius precibus, simul & ter sanctum hymnum cœpit canere, & cum eo omnes simul concinebant: & egressi sunt supplicantes. Deinde etiam capsa (ô magna tua Domine miracula) secuta est, tãquam animata, nemine omnino eam mouente nec tangente. Et omnes quidem primò propter summam admirationem, nec miraculo quidem quod cernebant volebant credere. Deinde quasi essent adducti in extasim, exclamarunt: Sanctus, sanctus Dominus Deus Sabaoth, qui per famulum tuum Cornelium miracula tua & virtutes nobis aperuisti. Hinc factum est, vt qui remanserãt ex Gentibus, crederent. Et rursus in templum processit supplicatio, & capsa sequebatur. Postquam autem venerunt in templum, illi quidem hinc & illinc constiterunt, videntes quónam esset capsa processura, & vbinam statura. Illa autem per ipsos medios, & obliquã portam veniens, quæ erat à dextera, stetit prope arã: cui omnibus adhibitis machinis, vt ea transferretur ad aram, illa manet immobilis vsq; in hodiernum diem, miraculorum thesaurus nõ deficiens, ex quo percipitur magna spiritalis vtilitas & gratia. Cùm autem Syluanus decessisset Episcopus, Troadensium quidem Episcopatui Athanasius, Philostorgius autẽ Scepsæorum, præficiuntur. Postquam verò pius quoq; ille Eugenius excessit è vita, quendam pictorẽ hortatur Philostorgius, vt & totum templum depingat, & Cornelij effigiem in eo diligẽter exprimat, & quàm fieri posset accuratissimè ornet, nempe vt is etiam senex pingeretur, & illi ipsi omnino similis. Rogabat ergo sanctum Eucratius (Hoc enim erat nomen pictori) vt ei suam reuelet speciem, quò eam aptè & accuratè depingeret: & simul ægrè ferebat mãdatum Episcopi: & quasdam non nimis honorificas voces emittebat in sanctum, animo ex omni parte perplexus, & valde tristis, & propterea quòd nesciret illius speciẽ, & quòd non posset consequi characteres & figuras vultus. Cùm itaque aliquando cecidisset è scalis quas ascenderat, iacebat non spirans: & vermes alij quidem per os proreptabant, alij autem rursus ingrediebantur. Visa sunt autem hæc esse fructus illorum verborum maledicorum, quæ dolore affectus dixerat. Sed ipse es omnino ô Corneli, qui Demetrio grauiter in te prius spiranti vxorem & filium donasti. Quapropter non sustinuisti, vt huic pictori amplius produceretur suppliciũ. Cùm enim die sequenti ei apparuisset, & manum eius dexteram apprehendisset, eum surgere fecit, velut dormientem: & hæc duo fecit maxima. Nam & interpretantem eius linguam castigauit: & curauit dolorem ac ægritudinem quam acceperat, propterea quòd nesciret quomodo pingeret: non in figura, imagine, & similitudine, sed verè cum eo congressus, & forma quali esset ostendens. Quinetiam ipse pictor visus est rursus sanus & saluus, & omnino liberatus à vermibus: & rursus artem suam est aggressus. Hinc factum est, vt eum talem 7 pingeret, qualem viderat, ipsam planè veritatem cum arte inijciens in picturam. Gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria, potentia, honor, & adoratio, in secula seculorum. Amen.

4 Nota, & crucẽ fixisset in terram.

5 Vides nocturna Psalmodia, hymnis, lãpadibus, & suffitibus honorari capsam sancti.

6 Si ædificare sanctis tẽpla res superstitiosa esset, vt mentiuntur hæretici, nõ mandaret sancta visio hoc fieri.

7 Ecce antiquum vsum imaginũ in Ecclesia, & hic miraculosè confectam sancti figuram.

MARTYRIVM SANCTI ET GLORIOSI Apoſtoli, & Martyris Ananiæ.

1. Octobr. CVM impius Lucianus in partes Orientis in Bethagabre Exeutheropolis miſſus fuiſſet ab iis qui non minus tunc ſuſceperant idolorum inſaniam, quàm ſceptra imperij, res Chriſtianorum indagabantur maximè. Hic ergo Lucianus ſedens pro tyrannico tribunali, vel ante facta verbis ſpirabat vehementer, mala Chriſtianis, vt ita dicam, fabricans. Literæque & edicta per totam peruadebant ditionem, vt qui nollent quidem ſacrificare dæmonibus, confiterentur autem Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum verum Deum, & eum colerent, non ſolùm acerbiſſimis ſubiicerentur ſuppliciis, & per ignem, beſtias, & mare, & vniuerſam aliam malorum ſpeciem, mortem ſubirent: ſed etiam in alienam regionem proiicerentur ſacra eorum corpora, canibus & beſtiis propoſita ad deuorandum: & nec in ſua quidem patria conſequerentur ſepulturam. Ananias ergo diuinus Domini Apoſtolus, qui erat ipſe quoque vnus ex ſeptuaginta Diſcipulis, diuina quadam virtute, & quæ ſub aſpectu non cadebat, viſione, ex Antiochia, vbi Chriſtiani prima donatus fuerat appellatione, venit Damaſcum, vt nec ipſa eſſet expers ſeminum veritatis, & fructus produceret pietatis. Interim autem Saulus aduerſus chorum Apoſtolorum magis magiſque parturiens, qui & minas in ipſos intolerabilis, & magna percitus erat inuidia, rogauit Pontificem, vt mitteret epiſtolas ad eas, quæ illic erant ſynagogas, vt qui Chriſtianorum opinionem tenere ſtatuerant, vincti, & ſub cuſtodia vel inuiti ducerentur Hieruſalem. Illud autem ſapienter adminiſtrantem habuit prouidentiam, quæ etiam ſolet eminus deiicere ſemina occaſionum, quando nouit id quod eſt euenturum, tendere ad aliquod bonum. Ibat itaque Saulus Damaſcum, & cùm iam appropinquaſſet ciuitati, videt lucem cœleſtem: & humi procidens audit: Saule, Saule, quid me perſequeris? &: Surge, inquit, & vade ad ciuitatem, & dicetur tibi, quid te oporteat facere. Et cùm ſurrexiſſet quidem, aperti erant eius oculi, neminem autem videre poterat. Sed ille quidem deductus ingreſſus eſt Damaſcum. Tunc dixit ad Ananiam in viſu Dominus: Vade ad vicum rectum, & Saulo Tarſenſi manibus impoſitis, aufer ei nubem ab oculis. Nam is quoque erit mihi vas electionis, & portabit nomen meum coram Gentibus, & Principibus, & filiis Iſrael. Venit ergo diuinus hic Ananias, ſicut ei dictum fuerat à Domino, & Saulo rurſus reddit videndi facultatem. Non ſunt autem ſingula perſequenda, cùm hæc liceat ſcire ex Actibus ei qui voluerit. Ille autem & traducitur ad pietatem, & nomen ſimul mutat cum moribus, ex Saulo Paulus appellatus: & aſcendit in tertium cœlum: & obit orbem terræ prædicans Euangelium, effectus tantus amore in Chriſtum, quantus prius exiſtimabatur rabie aduerſus Chriſtianos, robur corporis & animæ magnitudinem per vtrunque oſtendens. Si ergo Ananias cùm Paulum ad veram deduxiſſet vitam, & dupliciter illuminaſſet, & cum hac quæ videtur, luce, eam quoque quæ intelligentia percipitur, vt Chriſtum videret, præbuiſſet, ibat per Bethagabre prædicans Euangelium: & veluti quadam rationis participe ſagena, diuina ſcilicet doctrina, omnes in quos incidiſſet, trahebat ad Dei agnitionem. Cùm in his autem verſaretur, cõprehenditur ab iis, quorum erat munus venari Chriſtianos, & ad filium tenebrarum, nempe Lucianum præſidem deducitur. Ille verò ſtatim quidem præſidet in frequentiſſimo theatro: virum autem plurimum admiratur, vt qui videret pulchritudinem quandam ipſo aſpectu apparentem, & linguam multis ſcatentem gratiis. Hæc cùm vidiſſet, confugit ad perſonam benignitatis, & ſimulat manſuetudinem, intus multam occultans feritatem: & ſermonem conuertens ad hilaritatem: Crede mihi, inquit, ô Anania, conſule mei ea quæ ſunt tibi vtilia, & cum noſtris diis fœdus iniens, nega eum quem prædicas crucifixum: nec efficias, vt hæc pulchritudo, quæ eſt adeo digna vt ſpectetur, conſumatur à tormentis. Ille autem: Deum, inquit, verum adoro, eumque colo, & eum ſolum ſpecto, neque fuerit aliquid eo mihi iucundius, cuius ego ſum miniſter, qui etiam ad Pauli agnitionem, & ad ei reſtituendam videndi facultatem interuixi, qui Saulus quidem prius nominabatur: Paulus autem à Domino nunc eſt, mutato nomine, nominatus, vt qui e quieuerit a fluctu ignorantiæ, ad firmumque & ſolum portum, nempe Chriſti mei fidem, appropinquans per agnitionem. Præſes autem: Videris, inquit, mihi fretus magnitudine, & robore corporis etiam aduerſus ipſa ſupplicia tollere ſupercilium. Vnde etiam ſapientia redacta eſt ad inſipientiam, & abundantem prudentiam conſecuta eſt, vt video, leuitas. Hæc cùm audiſſet magiſter veritatis, oculis & manibus ſtatim in cœlum ſublatis: Domine Ieſu Chriſte, inquit, Deus virtutũ, nunquã me ſuis ritibus cõprehendat inimicus: ſed mihi & propter te pati liceat & tuis ornari coronis, & coniungi choro tuorum diſcipuloru. Atq; ille quidẽ ſic orabat aſsiduè, ſed preces exceperũt protinus plagæ in nudo dorſo. Præterea autẽ præcones

cones quoque acclamarunt: Parc Præsidi, & diis sacrifica præpotentibus. Ananiæ autem sensim mouebantur quidem membra: circa locutionem verò preces sursum mittebantur ad Deum. Cùm autem & tormentis & minis esset superior, & existimabatur fore vt prius deficerent percussores, quàm plagis defessus esset is qui percutiebatur, à tormentis quidem discipulus simul & martyr relaxatur: ad blanditias autem rursus vulpes, Præses inquam, conuertitur. Sed nunc saltem, dicebat discipulo, ad te redi, & tuæ parce animæ, & miserere tuæ pulchritudinis, quæ perit miserabiliter: nam te grauiora excipient supplicia, iuro ipsos Deos. Ille autem magno Christi amore corde inflammatus, fortiter & acriter respondit, se non solum dæmonibus non esse sacrificaturum: sed curaturum, vt quoscunque posset, ad fidem Christi conuerteret. Deinde linguæ quoque neruos intendit in præsidem, & eum verbis ferit acrioribus: Non erubescis, dicens, ô verè infœlix, & subis sollam pudoris, nunc quidem flagellans, nunc autem blanditiis irrepens, & tanquam quendam animo tenerum infantem verbis me mollibus demulcens? Propter hæc ira correptus fuit iudex, & iussit nudatum corpus Martyris discerpi ferreis vnguibus: præterea autem etiam aduri lampadibus, vt dum corpus paulatim eliquaretur, diuturniores ad cor dolores affluerent. Sed ferreos quidem vngues existimabat martyr, perinde acsi aliquis alius pateretur. Ignis autem illi quidem cessabat, & non tanquam ignis appropinquabat: in cor autem tyranni quodammodo procedebant, & magis irritabat ad insaniam. Qui ei dicebat: Quousque non cedes iussis Imperatorum, & quos ipsi colunt deos, ipse quoque honorabis? Ille autem: Cur me, inquit, eadem, & de iisdem sæpenumerò loqui cogis, tanquam eorum qui in chorea ludunt, sermonis cursum circumagentem? Scias ergo, scias, & credas non solùm fore vt nulla re vincar, non pœnis, non donis, non blanditiis, non minis, neque vllo alio: sed vt eos etiam qui iam sunt superati, & in errorem sua sponte inciderunt, acerbè defleam, & te præ cæteris lugeam, qui non solùm tibi es causa interitus, sed etiam multis aliis, nonnullos quidem inducens, multos verò etiam inuitos cogens suscipere impietatem. Nescis quòd quæ à vobis coluntur, sunt æs, & lapides, & ligna, quibus vtens, tanquam materia, homo qui est Dei figmentum, hæc fabricatur? Quemadmodum ergo non est absurdum, vt opus adoret opifex? aut quisnam homo sanæ mentis, operi suarum manuum cultum tribuerit, & bona ab eo petierit? His seruus interritus magis ad iram commotus, cùm desperasset se verbis posse decertare aduersus athletam, vt lapidibus ipsum obruerent extra ciuitatem, is qui erat verè lapis, iussit astantibus. Ille autem etsi erat passurus, pro lapidibus linguam misit in eos qui non sunt dij, dicens: Dij qui cœlum & terram non fecerunt, pereant. Cùm autem in loco fuisset præstituto, & lapidibus obrueretur, [1] manus in cœlum extendens: Rex regum, inquit, & Dominus dominantium tanquam acceptum hoc habe sacrificium, nempe hanc quæ fit per lapides consummationem. Has statim preces Dei coronæ, & ad regnum quod semper manet, vocatio est consecuta, primo mensis Octobris. Verè autem beatum corpus Martyris quidam ex iis, qui erant amantes Christianorum, postquam domum reuersi essent lictores, cùm pulchrè sustulissent, & splendidissimè composuissent, in regione Damascenorum deposuerunt in patria eius hæreditate: Ad gloriam patris, filij, & spiritus sancti, quæ est vna & inseparabilis Trinitas. Ipsi honor, potentia, maiestas, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

1 Orat sanctus cũ manuum extensione in cœlum.

VITA SANCTI ONESIMI EPISCOPI ET martyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

ROMÆ natale sancti Onesimi: de quo beatus Apostolus Philemoni familiares literas mittit. Obsecro te de meo filio, quem genui in vinculis, Onesimo, qui tibi aliquando inutilis fuit, nunc autem & mihi & tibi vtilis, quem remisi: Tu autem illum, id est, viscera mea suscipe. Quem beatus idem Apostolus Episcopum ordinans, prædicationisque verbum ei committens, apud Ephesiorum ciuitatem reliquit: cui Episcopus post beatum Timotheum & ipse sedit. De quo & beatus Ignatius Ephesiis scribens epistolam, ita dicit: Quoniam ego suscepi multitudinem vestram in nomine Domini, in Onesimo dilecto præceptore nostro, vestro autem Episcopo. Obsecro eum secundum Christum Iesum diligere vos, & vos omnes in concordia eius in ipso esse. Benedictus enim Deus, qui vos talibus talem Episcopum donauit habere in Christo. Hic Romam perductus, atque ibi pro fide Christi lapidatus, sepultus est Christi martyr, primum ibi, deinde ad loca vbi fuerat ordinatus Episcopus, corpus eius delatum.

Habetur in eius Martyrolog. sub xiiij. Calē. Mart.

CERTAMEN SANCTI APOSTOLI ONESIMI, Discipuli sancti Apostoli Pauli Principis Apostolorum.

Per Simeonem Metaphrasten.

XV. Febr.

LÆtatur seruile quoque genus agnitum propter pietatem, quando fide contritis diaboli stimulis, malum seruum qui à Domino defecit, falsa circundatum potentia arguerit. Qui enim liberalibus moribus seruitutis tristitiam submiserit, inuenitur Dominus exitiosi dæmonis qui tyrannis delectatur, conuenienter ei quod dicit diuinus Apostolus, succinctus lumbos in veritate, & indutus lorica iustitiæ. Tale quid enim Romæ factum est, quæ creditur esse prima & maxima omnium ciuitatum quæ sunt in orbe terrarum, cùm satanas quidem ampliorem suam rabiem in seruos Dei extendisset: Seruator autem noster Iesus Christus germanis suis famulis latenter suas explicasset gratias: multiplices enim dæmonum machinationes variè cœlestibus consumebat auxiliis: & mentem eorum qui ad ipsum accedebant, faciebat robustiorem insania minantium, nunc quidem per spiritale gratiæ Apostolicæ, coronis in quas non cadit interitus, redimens aduersus cultum simulachrorum, nunc autem efficiens vt principes Romani Senatus à delitiis discederent & diuitiis propter meliorũ desiderium. Sed cùm oporteret genus quoq; seruile superare tyrannidem exitialium dæmonum, ne aduersus seruum bonum videretur conseruus se extollere, in altum elata superbia, ducitur beatus Onesimus ad tribunal Romæ, Tertullo tunc præfecti vrbis obtinente potestatem, qui communem quidem quandam induerat potestatem aduersus Christianorum genus, illius tyranni ad pios persequendos excitatus: duplicatum verò suum odium in hunc virum iustum aperuit, quæ laude ei danda erant, trahens ad vituperationem. Quoniam enim diuinis & pudicis doctrinis, vxorem eius qui videbatur ei frater, docuerat continentiam: & veræ & viuificæ in Deum fidei memoriam eius animo impresserat, sanctum quidem vocabat præstigiatorem: adulterum autem eum qui decreta temperantiæ moderato animo prædicabat. Hic est enim Onesimus qui Apostolicis decoratur testimoniis. Hic est qui Theologicę & veræ Pauli linguę persuasi vt literis pro eo intercederet apud Philemoné dominum suum. Hic est qui seruilis necessitatis tristem humilitatem, piis moribus & bonis actionibus ad mẽtem excitauit liberam. Hic est qui inutilem quotidianam vitæ decepit deceptionem, & suis in Apostolos mysteriis, ad pietatis altitudinem totum seipsum extendit: quomodo eos qui legunt docent literæ ad Philemonem, quæ apertè sic habent: Rogo te pro meo filio quem ego genui in vinculis meis, Onesimum, aliquando tibi inutilem, nunc autem tibi & mihi vtilem, quem misi. Tu autem eum, hoc est, mea viscera accipe: quẽ ego volebam apud me retinere, vt pro me tibi seruiret in vinculis Euangelij. Sine tua autẽ sententia nihil volui facere, ne tuum bonum esset veluti ex necessitate, sed voluntarium. Fortasse enim propterea à te separatus est ad tempus, vt eum recipiens æternum, non amplius vt seruum, sed supra seruum, fratrem dilectum maximè mihi. Quantò autem magis tibi in carne & in Domino? & quæ deinceps sequuntur. Atq; sufficerent hæc quidem quæ per tot laudes procedunt, ad aperiendum thesaurum bonorum quæ aderât Onesimo. Non sunt enim adulatoris, nec falsa alicuius testimonia, sed Præconis veritatis, qui functus est munere Apostolico. Eundem ergo vocat & filium, & fratrem: filij quidem appellatione, sui in eum amoris ostendens magnitudinem: per fraternitatem autem, æqualem ei conseruans honorem in Deum fiduciæ. Qui præsentia enim sua leuauit vincula, & tristitiam exhilarauit consuetudine, & corporalibus ministeriis Apostolici corporis alleuauit labores, quomodo non viatico pietatis onustus erat peruenturus ad talem finem doni, in quod non cadit interitus? Atq; hunc quidem qui sic animam in Dei pietate præclarè exercuit, ieiunio 1 autem & orationi corpus assuefecit, vt in stadio pietatis incorruptionis corona aduersus malignum apertè redimeretur, tunc adductum ad tribunal Tertulli cum Romulo adiutore & Papia spiritali commilitone, interrogauit Tertullus, dicens: Quis es? Respondit Onesimus: Christianus. Dixit autem præfectus: Cuius conditionis? Respondit: Olim quidem famulus, vt est consentaneum, hominis: nunc verò gratus seruus boni Domini & Seruatoris nostri Iesu Christi. Dixit Præfectus: Et quænam est occasio tuæ tam facilis in alienum Dominum translationis? Dixit Onesimus: Cognitio veritatis & odium cultus simulachrorum. Dixit Præfectus: Quanto pretio fuisti translatus tam ad nouum dominium? Dixit Onesimus: Dei filius Iesus Christus pretioso suo sanguine empto meo interitu, me transtulit ad incorruptionem, quemadmodum scriptum est: Scientes quòd non corruptibilibus auro aut argento redempti estis a vana vestra conuersatione tradita à patribus, sed pretioso sanguine tanquam agni immaculati Christi. Dixit Præfectus: Quamnam hanc vanã conuersationem vestræ annũciant scripturæ? Ostende

1 *Ieiunio autem & oratione corpus assuefecit.*

Ostende rebus ipsis accommodans. Dixit Onesimus: Adulterium, quod propter paucas cupiditates ad infinitum supplicium alit suos operarios. Auaritiam, quæ propter nullum bonum armatur in proximum. Præstigias, quæ cohabitant cum dæmonibus, & sunt inuentrices spectrorum, & sunt radices vniuscuiusque insidiarum. Arrogantiam, quæ per nouam mentis agitationem in immensum elata est factum aduersus potentiores. Inuidiam, quæ Cain cum multis aliis docuit esse fratricidam: & in iis quæ ipsam possident, perniciosas seminauit cogitationes. Maledicentiam, linguam effrenatam, quæ tanquam nubem quandam in omnes extendit irrisionem. Simulationem, veritatis inimicam, & amicam diaboli: & quod est hæbes ad amicitiam, & velo prætenso est absconsum, pusillanimi vitium, inferens errantem mentis conceptionem, per quod Euam quoque, vt arbitror, supplantauit malignus. Iram, maledicti inuentricem, malarum autem plagarum effectricem, & vulnerum procreatricem, & matrem cædis. Ebrietatem, quæ cohabitat cum intemperantia, & est soror voluptatis, & inuentrix turpis sermonis, aliena à bona cogitatione: quæ est indecora & habitu & oratione, & dissoluit decorem eorum quæ sunt secundùm naturam.

Post hæc autem omnia quæ materialis & mundanæ constitutionis est cisterna, & eorum quæ dicta sunt mater, idololatriam: quæ quidem est fundamentum fornicationis, magistra veræ Dei ignorationis, inuentrix ægestatis rationis, animæ occæcatio, architectatrix suauis delitiarum titillationis, aliena ab honestate: quæ cum Domino pugnat vniuersorum, & aggreditur excindere terminos veri Dei cultus, quæ est dux mortis, & ministra draconis, esca malorum, virtuti contraria, fugiens incorruptionem, & prædicans interitum, & circa terram & tartarum proponens spem iis quæ ad ipsum intuentur, amica sanguinis, duxq; & princeps inuidiæ, quæ Dei ignoratione illaqueat eos qui sunt simplices moribus, quæ tenebrarũ quidem & vmbræ est germana conciliatrix: à lucida autem gratia est aliena, quæ laqueis inhonestæ actionis constringit eos qui ipsi seruiunt: quæ est argumentũ turpis & blasphemi sermonis: quæ ad vanam exercet gloriam eos qui sunt ei dediti: quæ est operatrix saltationis, cupiditatis carnalis conciliatrix, quæ canos senis probro afficit & ignominia, ad indecoram tibiam iubens saltare eum qui est consistentis ætatis: quæ honestatem excindit virginitatis per indecoram capillorum solutioné, quæ eas facit scenicas, quæ domi sunt honestæ pudori dedicatæ, quæ ferro & ense suos dies festos commiscuit: quæ animalium immunditiis & sanguinis effusionibus annunciat sordes suæ impudicitiæ: quæ eas quæ honestè cœlantur partes corporis, turpiter publicat in media ciuitate: quæ viri aperit pudenda, & quæ non fas est aperit mulieribus: quæ masculi excindit naturam ad cultum effœminati dæmonis: quæ sua effecit mysteria ex cædibus & adulterio & puerorum amoribus: quæ instar cymbæ in maximis fluctibus variis modis agitat mentes hominũ: nunc quidem venenatos serpentes gustare suos mystas adhortans: nunc autem docens ea quæ diuelluntur coli ab iis qui diuellunt: quæ aliis piscem renunciat: quæ alios adhortatur, vt aliorum Deos comedant: quæ bouem sacrificat, & bobus offert holocausta: quæ oui ouem sacrificat, & eundem efficit & Deum & bestiam: quæ homini mactat hominem, & cædem facit pro sanitate: quæ inanimis inanimata offert ad sacrificium, & sculpto lapidi mactat hominem, qui factus est ad Dei imaginem, quæ sordida animalia & malas escas rationis expertibus fraudibus in deos retulit: quæ est turpia efficiens dedecus, & muscam ex verme habet principium sui ortus. Quid enim opus est dicere, quòd vel cepi diuinum honorem tribuit idololatria, ab animalibus ad materiam inanimam variè transiens deceptionibus, vt summa cœcitate hominum ignorantiam deducat ad inferos. Ita etiam fecit lapidem vt Deum honorari, & lignum partim quidem colere iussit prophanis legibus, partim autem edixit, vt in ara vreretur ad manifestam probationem impiæ mentis eorum qui ipsi parent. Cùm hanc ergo per tot absurda procedentem impiam idololatriam effugissem, & eius malitiæ satellites forti animo conculcassem, veluti ex maris tempestate perueni ad portum pietatis, anchoris cymbam substantiæ mei corporis in tuto & stabili loco faciens quiescere, nempe · ita nulli culpæ affini, fide in Deum, & charitate in proximum: in his enim vtrisque simul coniunctis credimus contineri vniuersam mentem doctrinæ cœlestis. Quamobrem te quoque adhortor ô Tertulle, amoris in fratres legé volens extendere, vt dimittas quidem has omnes quæ sunt ad tempus visionis suauitates, & instar somnij sensum citò prætereunt: celeri autem mente de cætero accedens ad vniuersorum inspectorem & opificem Deum, & errorem quidem soluas: fide verò fias saluus, & vt scriptum est, venias ad agnitionem veritatis. Non enim delectatur Deus morte eius offendi, sed pœnitentia eorum qui accedunt abstergit præcedentia scelera. Dixit Præfectus: Videris non solùm metu tormentorum repressus, nolle venire ad sacrificandum, sed etiam nos ad tuam trahere deceptionem. Dixit Onesimus: Neque tua probabilis oratio ô aliene à veritate, etiamsi secum adferat persuasionem, neque tua tantum possunt tormenta, etiamsi ea efficias terribilia, vt in spe futurorum bonorũ non perseuerem per ea quæ à te mihi offerũtur.

His & quæ sunt huiusmodi hactenus agitatis, Præfectus quidem B. Onesimum cum iis qui cum ipso erant tenebrosæ iubet tradi custodiæ, & afflictionibus quæ producunt dolorem tormentorum, vt singulorum probrorum ac pœnarum illatio ad impietatem traduceret eius fidem. Ille autem iustus, vt qui iam esset amplexus delitias quæ sunt in paradyso, magis lætabatur iis quæ in ipsum facta fuerant: non secus ac aurum quod per ignem ac vstionem efficitur magis probatum ad sui purgationem. Cùm ergo afflictio in carcere producta fuisset ad totos decem & octo dies, extrinsecus quidem affluens populus, magis corroborabat beatum ad veram in Deum fidem. Tertullus autem studens quod fiebat reprimere, sub prætextu clementiæ, eos expellit è ciuitate. Onesimus verò cum Apitione strenuo in vero Dei cultu commilitone, cùm peruenisset Puteolos, non cessabat viuificam prædicare gratiam iis qui accedebant. Cùm complures ergo hoc modo venissent ad agnitionem veritatis, ægrè fert quidem Tertullus id quod factum fuerat: & ad immensam iræ speciem, vt est verisimile, armatur à dæmone. Huius autem satellites, quorum manibus impia fuerat cura commissa, sanctorum manus lignis affixerunt in dorso eos torquentes: & in hoc habitu Præfecto cædem spiranti sanctos ad tribunal adduxerunt. Tertullus autem venenatis diaboli furoribus agitatus, rursus interrogauit, toruo aspectu se putans territurũ beatum Onesimum. Quid te mouit, inquit, ô ferro & igne digne, vt meam clementiã in immensam tibi reconderes fiduciam: & malũ malo, vt videtur, addens, deinceps ad inexorabile in te intenderes suppliciũ? Dixit Onesimus: At ego existimabam te de cætero effectum amatorem meliorum, mihi quoque concessisse potestatem, vt docerem: vt per omnes absque vllo impedimento currens gratia nullum eorum qui crediderant reddere expertem doni Dei. Hæc lepida verba tanquam dicta per ludibrium accipiens Tertullus, iussit beati corpus vehementer extendi à quatuor, & virgis cædi per ignominiam strenuum Athletam pietatis. Cùm longum autem tempus dum hæc fierent prætercurreret: & ligna quidem sanguinem & carnem corporis simul attraherent: pia autem illa anima magis corroboraretur ex desiderio bonorum quæ expectantur in cœlis, minabatur Tertullus se corpus eius esse membratim dissecturum, nisi vellet sacrificare. Ille autem vir fortis, & propter pietatem planè inexpugnabilis, cùm suam mentem tanquam murum aliquem validum opposuisset tormentis, erat immutabili sententia, ne omnino quidem propter minas suam inclinans fiduciam & loquendi libertatem. Postremò ergo cùm totum corpus disruptum esset tormentis, & vidisset Tertullus eum iacentem supinum, iubet eius tibias & fœmora confringi, & sic coronam incorruptionis consummatus beatus Onesimus à Deo accepit ad bonorum remunerationem quintodecimo Kalendas Martias. Quædam autem mulier quæ erat ex genere Imperatoris, cùm thecam construxisset ex argento, in ea imposuit reliquias Martyris, 2 ex sua in sanctum memoria, æternorum bonorum sibi mercedem comparans. Quam detur nobis omnibus consequi, gratia & clementia Domini nostri Iesu Christi: Cum quo patri cum sancto spiritu gloria, potentia, & honor, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

2 Vide quã gratum Deo sit opus sanctos honorificè recondere, vt per illud hæc mulier æternorum bonorum mercedem sibi comparauerit.

VITA SANCTI LINI PAPAE ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Põtificali eiusdem.

LInus natione Italus de regione Tusciæ, patre Herculano, sedit annis vndecim, menses tres, dies duodecim. Fuit autem temporibus Neronis, à consulatu Saturnini & Scipionis, vsque ad Capitonẽ & Rufum Consules. Martyrio coronatur. Hic ex præcepto beati Petri constituit, vt mulier velato capite in Ecclesiam introiret. Hic fecit ordinationes duas, Episcopos quindecim, Presbyteros decem & octo. Qui sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, sub die nono Kalendas Octobris.

VITA SANCTI CLETI PAPAE ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Põtificali eiusdem.

CLetus natione Romanus, de regione vico Patricij, patre Æmyliano, sedit annis duodecim, mense vno, diebus vndecim. Fuit autem temporibus Vespasiani & Titi, à consolatu Vespasiani septimo, & Domitiani quinto, vsque ad Domitianum nono, & Rufum Consules. Hic ex præcepto beati Petri vigintiquinque Presbyteros ordinauit in vrbe Roma. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano sexto Kalendas Maias. Et cessauit Episcopatus dies viginti.

VITA

VITA SANCTI CLEMENTIS PAPAE ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pōtificali eiusdem.

CLemens natione Romanus de regione Celio monte, patre Faustino, sedit annis nouem. Fuit autem temporibus Galbæ & Vespasiani, à consulatu Traguli & Italici, vsque ad Vespasianum nono & Titum. Hic quum multos libros zelo fidei & Christianæ religionis adscriberet, martyrio coronatur. Hic fecit septem regiones diuidi notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum solicitè & curiosè vnusquisque per regionem suam perquirerent. Hic fecit duas Epistolas, quæ Canonicæ nominantur. Hic ex præcepto beati Petri suscepit Ecclesiæ Pontificatum gubernandum, sicut ei fuerat à Domino Iesu Christo cathedra tradita vel commissa. Tamen in epistola quæ ad Iacobum scripta est, qualiter ei commissa à beato Petro Ecclesia, reperies. Ideo Linus & Cletus ante eum conscribuntur, quia ab ipso Principe Apostolorum ad ministerium sacerdotale exhibendum sunt Episcopi ordinati. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros decem, Diaconos duos, Episcopos per diuersa loca quindecim, obijt martyr anno Traiani tertio. Qui etiam sepultus est in Græcia, nono Kal. Decembris, & cessauit Episcopatus dies xxi.

VITA SANCTI CLEMENTIS PAPAE ET MARTYRIS, per D. Bernardum Abbatem Clareuallensem scripta.

Habetur in sermone eiusdem.

PRetiosa in conspectu Domini mors sanctorum eius, audiat peccator & irascatur, dentibus suis fremat & tabescat. Deprehensus est in astutia sua: cecidit in foueam quam fecit, in laqueum incidit quem tetendit. Inuidia siquidem diaboli mors intrauit in orbem terrarum, sed ecce preciosa facta est mors sanctorum. Audi igitur hostis vitæ, mortis autor attende. Quid valet iam fraus tua, versutia tua quid nocet? Imò verò vt plus doleas, etiam omnia cooperantur in bonum his qui secundùm propositum vocati sunt sancti. Neque enim aliter quàm ipsa quæ tui est operis, de te hodie beatus Martyr, cuius solennia celebramus, 1 morte corporis triumphauit, fecit siquidem de necessitate virtutem, pœnam peccati in meritum gloriæ commutauit, fidelem se probauit in modico, vt dignus inueniretur supra multa constitui. Modicum namque erat, & omnino modicum, quicquid prius acceperat anima illa beata, quantum ad eam gloriam quam præsenti promeruit 2 passione. Omnis enim delectatio huius mundi, vniuersa eius gloria, quicquid denique in eo concupiscitur, prorsus modicum est in illius fœlicitatis, in illius gloriæ, in illius beatitudinis comparatione, si tamen vel modicum dici debet, & non potius nihilum, vapor ad modicum parens. Acceperat beatus Clemens nobile genus, amplas possessiones, hæreditatem multam, scientiam quoque quamplurimam, ita vt optimus quidem illius temporis philosophus haberetur. Acceperat hæc vniuersa à Domino: Dei enim dona sunt etiam hæc: fidelem ergo se probauit ei qui dederat, cùm pro eius amore vniuersa contempsit, omnia detrimentum faciens, & arbitratus vt stercora, vt lucrifaceret Christum. Sed fortè murmurat etiam nunc inimicus, pellem, inquiens, pro pelle, & omnia quæ habet homo dabit pro anima sua. Quid ergo? Putas quòd in ipsa corporis sui vita quam accepit à Domino, infidelis inueniatur, vt vel ipsam præferat illi? Ecce habes potestatem, irrue in eum per satellites tuos, vt coarctetur è duobus, aut à Domino necesse habens, aut à corpore separari. Varia & immania exquire genera tormentorum, sed noueris te martyri nostro fabricare coronas. Sicut enim ipsa vitæ huius ornamenta & adiumenta contempsit, sic contemnit & ipsam, corpus omne tibi exponit in mortem, & in faciem maledicit tibi, atque idola tua sacro ore blasphemat, Dominum Deum suum etiam inter tormenta tua liberè prædicat, in igne confitetur. Coronabitur ergo quia legitimè certauit, quia fideliter vicit, quia nec blandimentis vitæ huius, nec mortis horrore à charitate Christi potuit separari. Dic quæso nobis anima sancta, quæ sic corpus tuum supplicijs exponebas, obsecro diligebas illud, an non? Vtique diligebam, inquit: nemo enim odio habuit carnem suam. Diligebam ergo eam, sed parum diligebam, tanquam ancillam, & multò magis diligebam Dominum Deum. Vtque probatio esset dilectionis, operis exhibitio, libenter ipsam quoque pro eius gloria mortem corporis amplectebatur. Quid nos ad hæc dicimus fratres? Congratulamur martyri, sed iam gloria eius non sine nostra confusione est. Ecce enim beatus Clemens homo erat similis nobis, passibilis, eadem circundatus infirmitate, & carni suæ eodem vinculo naturalis affectionis inhærens. Si ergo ille sic glorificauit Christum in corpore suo, & calicem salutaris accepit, quid nos retribuemus Domino pro omnibus

1 Hodie celebramus solēnia sancti Clementis.

2 O tu qui negas posse nos gloriam æternæ vitæ mereri, vide si hic Clemens illā promeruit passione sua.

quæ retribuit nobis? Eadem certè insigniuit imagine, eodem sanguine nos redemit, & vocauit in eandem hæreditatem incorruptibilem & incontaminatam, æternam, conseruatam in cœlis. Vt quid ergo nō possumus & nos cum beato Clemente Christi bibere calicem? Sed fortè respondent aliqui: possumus, si oportunitas non deesset, sed persecutionis tempus cessauit. Et ego fateor, non satis crediderim ita dicentibus. Quid enim? Quotidie ceditis punctioni acus vnius, & mucroni vos arbitramini posse resistere? In minimis probate conflictibus quàm viriliter in maiori certamine stare possitis. Ecce enim vobis non dicitur: Sacrificate idolis & viuite: aut si hoc non vultis, oportet vos diuersis suppliciis interire. Nouit Dominus figmentum nostrum, nec dat nobis tam forte certamen. Beato Clementi certamen forte dedit vt vinceret & disceret, quoniam omnium potentior est sapientia. Vestrum certamen autē quale est fratres mei? Quotidie vobis suggeritur in cordibus vestris: Frange ordinem tuum, murmura, detrahe, age remissius, infirmitatem simula, responde ei qui fortè durius locutus est, vt satisfacias desiderio tuo, nec dicitur cuiquam: nisi hæc feceris, morieris, sed vt multum cum difficultate & labore resistes animo tuo. Et quis sustineret tanta? Hæc enim intus audire, hæc respondere consueuimus exhortantibus nos, aut foris homini, aut intus spiritui sancto. Si ergo in huiusmodi certamine periclitamur, si vix resistimus, si interdum etiam succumbimus, quid in illo tam graui certamine faceremus? Si iuncis fragilibus cedit infirmitas nostra, quomodo telis resisteretur? Videtis quomodo ad nihilum redacti sumus, & sicut solent mulieres aut paruuli pugnantes laudamus alios, pugnare ipsi non possumus. Quid tamen agimus? Omnes certè ad nuptias agni vocati sumus, & in conspectu eius vacuos apparere non licet. Diligenter ergo consideremus quæ apponuntur nobis, quoniam talia oportet nos præparare. Considerauit beatus Clemens vinum sibi appositum esse à Domino, & ipse quoque, quoniam diues fuit ad nuptias illas, vinum nihilominus proprij sanguinis effusione potauit. Sed nos pauperes sumus, & vinum, Domine, non habemus. At ille: Implete, inquit, hydrias aqua. Ergóne & ipsa suscipietur aqua, si attulerimus eam? Vtique suscipietur. Nam & ipsam cum vino nobis appositam inueniet, qui secundùm monita Sapientis diligenter considerauit quæ sibi apponuntur, ab eo nimirum qui venit, non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Testimonium enim perhibuit qui vidit, quòd aperto latere Domini dormientis in cruce exierit sanguis & aqua. Et nos ergo fratres, vt vel fideles nos probemus Deo nostro, si martyrium sanguinis non habemus (martyrium enim testimonium est) quæramus vel testimonium aquæ, & ne ipsum quidem despiciet Deus. Tres sunt enim qui testimonium dant in in terra, Spiritus, Aqua, & Sanguis. Beati quibus trinum suppetit testimonium, quoniam funiculus triplex difficilè rumpitur. Nos si sanguinis testimonium non habemus, habemus spiritum & aquam: quoniam sine spiritu nec sanguis, nec aqua sufficiet, imo verò si spiritus sine aqua aut sanguine inuenitur, sufficit testimonium eius, quoniam spiritus veritatis est, nec sanguis, nec aqua quicquam proderunt à seipsis, sed spiritus est qui testificatur in illis. Sanè tamen aut vix aut nunquam sine aqua aut sanguine spiritum arbitror inueniri. Propterea charissimi, quæramus vel aquam qui sanguinem non habemus. Et quoniam hydriarum suprà fecimus mentionem, quæramus mensuras binas vel ternas quas hydriæ capiebant. Nam & Christus triplicem nobis apponit aquam, & perfectus omnis qui fuerit in nobis sicut ipse, qui videlicet tres metretas habere potuerit. Propter hoc enim sub distinctione dicitur, binas vel ternas, vt duas ad minus constat necessarias esse, tertiam non ab omnibus exigendam. Accipe igitur triplicem aquam, quam tibi Saluator apponit. Plorat super Lazarum, & super ciuitatem Hierusalem, & hæc est aqua prima. Sudauit imminente iam passionis hora, & hæc est aqua secunda, non ab oculis tantum, sed à toto corpore manans. Hæc autem rubea est, sanguineique coloris, sicut scriptum est: Et factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Iam verò tertia est aqua, quam & prædiximus de latere eius vnà cum sanguine emanasse. Et tu ergo primam quidem habes, si rigas lachrymis tuis conscientiæ tuæ stratum, & dolore compunctionis præteritorum diluis maculas peccatorum. Secundam aquam habes, si in sudore vultus tui vesceris pane tuo, & labore pœnitentiæ corpus tuum castigas, ac restringis concupiscentiæ flammam. Est autem sanguinei coloris, siue propter laborem, seu etiam propter ipsum quem extinguit concupiscentiæ ignem. Iam verò si proficere potes vsque ad deuotionis gratiam, potaberis aqua sapientiæ salutaris, & spiritus Christi qui super mel dulcis est, fiet in te fons aquæ salientis in vitam æternam. Et memento hanc esse aquam, quæ procedit de latere dormientis, & sine omni molestia fluit. Oportet enim iam mortuum esse mundo, qui in hac voluerit gratia delectari. Ergo vt breuiter repetam, prima quidem à præteritis delictis abluit conscientiam: secunda, vt futura caueas, extinguit concupiscentiam: tertia, si ad eam peruenire merueris, potat animam sitientem.

VITA SANCTI CLEMENTIS PAPAE ET MARtyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Die vigesima tertia Nouembris natale sancti Clementis, de quo Apostolus Paulus ait: Cum Clemente & cæteris cooperatoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ. Hic quartus post Petrũ Romæ Episcopus (siquidẽ secũdus Linus fuit, tertius Cletus) sub persecutione Traiani trans Ponticum mare in eremo, quod adiacet ciuitati Chersone, relegatur exilio. Vbi cùm per doctrinam eius multi cõuerterentur ad Dominum, Paganis insistentibus, inuidiosa relatio cucurrit ad Imperatorem Traianum, quæ diceret, ibi per Clementem Christianum populum accreuisse. Qui misit ducem Aufidianum, qui multos Christianos occidens, cùm videret fixum in omnibus beatum Clementem, & penitus mutari non posse, iussit præcipitari eum in medio mari, ligata ad collum eius anchora. Talique martyrio discipulus Petri coronatur. Et nominis eius memoriam vsque hodie Romæ extructa [1] Ecclesia custodit. Hic septem regiones diuisit notarijs fidelibus Ecclesiæ, qui gesta martyrum solicitè & curiosè perquirerent.

Habetur in Martyro. eius sub ix. Calend. Decẽbr.

1 *Ecce quomodo etiam antiquitus in memoriam sanctorum Martyrũ ædificabantur ecclesiæ.*

VITA SANCTI CLEMENTIS MARTYRIS, EPIscopi Romani, Discipuli sancti Apostoli Petri.

Apud Simeonem Metaphrasten.

TRAIANI Imperatoris tempore Torcutianus comes officiorum cùm innumerabilem multitudinem Christo vidisset credere, accersijt Præfectos regionum, & datis pecunijs persuasit, vt turbam mouerent aduersus nomen Christianum. Vrbis autem præfecturam obtinente Mamertino, excitata est populi Romani seditio nomine Clementis, & exorta inter se inuicem confusione, alius aliud in ipsum dicebat. Aliqui autem contrà dicebát. Quid enim mali fecit: aut quid non boni rectè gessit? Nam quemcunque ægrotum visitauit, is sanitatem ab eo est consecutus. Quicunque ad eum abijt affectus tristitia, is lætus est reuersus. Nullum vnquam læsit: omnibus verò profuit. Alij autem diabolico spiritu accensi clamabant: Magicis artibus hæc faciens, Deorum nostrorum cultum euertit. Iouem dicit non esse Deum. Herculem autem nostrum custodem dicit esse immundum spiritum. Sanctam Venerem refert fuisse meretricem. Vestam autem magnam deam igne fuisse consumptam impiè asserit. Similiter sanctissimam quoque Mineruam, Dianamque & Mercurium, Saturnumque & Martem calumniatur. Omnia nostrorum deorum nomina & templa probris insectatur & contumelijs. Aut dijs nostris sacrificabit, aut ipse delebitur. Tunc Mamertinus Vrbis præfectus non ferens populi seditionem, beatissimum Clementem iussit ad se adduci. Quem cùm vidisset, cœpit dicere: Ex generosa quidem radice processisti, vt tibi testimonium fert Romanus populus, sed errorem suscepisti: & ideo non possunt in animum inducere vt taceant. Nam nescio quemnam Christum colis, & contra deos quos de more colimus. Tunc dixit beatus Clemens: Optarem excellentiæ tuæ prudentiam attendere meam defensionem: & non propter imperitorum seditionem, sed propter meam doctrinam me accusare. Nam etiamsi multi canes nos allatrauerint & conscinderint, non possunt nobis auferre, quin simus homines rationis participes, illi autem canes latrantes. Semper enim constat seditionem proficisci ab imperitis, vt nihil habeat tutum nec verum. Quamobrem quæratur ratio silentii: in quo pro sua salute homo particeps rationis, & per se incipiat consultare & differere, vt verũ Deum inueniat cui suam fidem honorificè commendet. Tunc Mamertinus vrbis præfectus mittens ad Traianum Imperatorem, detulit nomen beati Clementis, dicens: Hunc Clementem seditiosis clamoribus populus non cessat quærere, & non potest in eum inueniri fide digna probatio. Tunc rescripsit Traianus Imperator, oportere eum vel consentire sacrificantem: aut vltra mare & pontum in desertam ciuitatem sitam propè Chersonem relegari. Quando autem Traiani iussus fuit confirmatus, cogitabat apud se Mamertinus quonam modo Clemens voluntarium non peteret exilium: sed dijs potius offerret libamina. Sed beatus Clemens contendebat, ipsius quoque Iudicis animum ad fidem Christi traducere, & ostendere se potius eligere exilium quàm id timere. Dominus autem Clementi præbuit tantam gratiam, vt Mamertinus vrbis præfectus desleret & diceret: Deus quem tu syncerè colis, ipse tibi opem feret in hoc quo fuisti damnatus exilio, nauemque ei constituit: & cùm omnia in eã immisisset quæ erant ad vsum necessaria, dimisit. Porrò autẽ multi quoque ex populo viri pij, eũ sunt secuti. Cùm autem peruenit ad locum in quem erat relegatus, ad opus fodiendi & cædendi marmoris, illic

inuenit

inuenit plusquàm duo milia Christianorum, qui ad longissimum tempus erant condemnati. Qui quidem cùm vidissent sanctum & egregium Clementem, omnes vnanimes cum gemitibus & lachrymis accedentes, dicebant: Ora pro nobis sancte Pontifex, vt efficiamur digni Christi promissione. Quos cùm cognouisset sanctus Clemens propter Christum fuisse relegatos, dixit: Non abs re me huc misit Dominus: sed cùm fuissem particeps vestrarum perpessionum, vt præberem etiam exemplum consolationis & tolerantiæ. Ab eis autem accepit quòd à sex miliaribus portabant aquam suis humeris. Statim itaque Clemens rogauit eos dicens: Precemur Dominum nostrum Iesum Christum, vt fidei suæ confessoribus aquæ fontem aperiat: & qui percussit petram in terra deserta Sina, & abundè fluxerunt aquæ, ipse copiosum nobis præbeat fluentum, vt lætemur eius suppeditatione. Impleta autem precatione, in eo loco ad quem aspexerat, vidit agnum stantem, qui dexterum pedem leuauit, veluti sancto Clementi locum indicans. Tunc sanctus Clemens cogitans esse Dominum, quem ipse solus aspexit & nullus alius, profectus est ad locū, & dixit: In nomine patris & filij & spiritus sancti pulsate in hoc loco: & cùm omnes circumcirca fodissent ligonibus, & non ipsum locū in quo stetit agnus, paruo ligone accepto paruo ictu sanctus pulsauit locum qui erat sub pede agni: vnde repente emersit fons pulcherrimus aquis scaturientibus, qui magno impetu effusus fecit fluuium. Tunc sanctus Clemens dixit omnibus exultantibus: Fluminis impetus lætificat ciuitatem Dei. Propter hanc ergo famam accurrit omnis prouincia, & omnes qui venerant ad doctrinam sancti Clementis, conuersi sunt ad Dominum: adeo vt quotidie quingenti & plures baptizati recederent. Intra vnum autem annum factæ sunt illic à fidelibus septuaginta quinque [1] Ecclesiæ: & confracta sunt omnia simulachra, omnia templa regionis quæ erant circumcirca sunt diruta, omnes luci qui erant ad trecenta miliaria, omnino in orbem sunt concisi & contriti. Tunc ergo odiosa narratio venit ad Traianum imperatorem, quòd illic ad multitudinem innumerabilem auctus esset populus Christianorum, & ab eo missus fuit Præses Aufidianus, qui plurimos Christianos diuersis tormentis sustulit. Videns autem omnes ad martyrium cum gaudio accedentes, cessit multitudini: solum autem sanctum Clementem cogens sacrificare, & videns eum sic esse firmum & stabilem in Domino, & nolle omnino à sua dimoueri sententia, dicit lictoribus: Accipite eum, & ducite in medium maris, & proijcite eum in profundum, ne possint Christiani tollere eius corpus, & pro Deo eum colere. Cùm hoc ergo factum esset, vniuersa multitudo Christianorum adstans flebat in littore. Post hæc autem dixerunt Cornelius & Phœbus eius discipuli: Omnes oremus vnanimes, vt ostendat nobis Dominus Martyris sui reliquias. Orante ergo populo, retrocessit mare in suum sinum ad tria ferè milliaria, per siccum autem ingressi populi, inuenerunt in figura templi marmorei paratum à Deo habitaculum, & illic situm corpus sancti Clementis, & ancoram cum qua fuit proiectus prope istum iacentem: Reuelatum ergo fuit eius discipulis, ne reliquias è loco eijcerent: quibus etiam hoc fuit responsum, quòd singulis annis in die suæ decertationis cessurum sit mare venientibus septem dies, siccum iter eis præbens. Quod quidem Deo placuit fieri ad laudem sui nominis vsque in hodiernum diem: hoc autem facto quod erat præter opinionem miraculo, omnes Gentes circumcirca credidêre Christo. Quo in loco nullus inuenitur Gentilis, nullus Hebræus, nullus omnino hæreticus. Illic enim [2] plurima fiunt beneficia: In eius festo cæci illuminantur, dæmones expelluntur, febricitantes sani fiunt, nephretici & qui calculo laborant, solo contactu eius reliquiarum, & aquæ sanctificatæ aspersione & potu, à morbo liberantur, & qui quouis morbo sunt affecti, confugientes ad sacri martyris auxilium, fruuntur curatione: & permanet gloria eius & laus in æternum, per Dominum nostrum Iesum Christum: Per quem & cum quo patri gloria, cum sanctissimo & viuifico eius spiritu, nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

1 Primum Christianæ fidei acceptæ indicium semper fuit Ecclesiarum ædificatio.

2 Tot & tanta miracula quæ ad sancti reliquias fiunt, integritatē & innocentiā vitæ eius testificantur.

NARRATIO SANCTI MARTYRIS EPHRAIM Episcopi Chersonis, de miraculo facto in puerum à sancto martyre & Apostolo Clemente.

MIRABILIS Deus in sanctis suis, opportunum est hodie dicere cum Propheta. &: Quam admirabilia sunt opera tua Domine? &: Quis Deus magnus sicut Deus noster? &: Tu es Deus faciens mirabilia solus. Quod enim præsenti orationi aliud adferam procemium? Artificiosam enim dicendi artem præsens superat miraculum. Cùm miraculū multa excellat miracula, & ipsa etiam prophetica miracula exuperet, vt est ostensura oratio: Scio vos cupere scire, quodnam & cuiusnam sit miraculū, & vrgetis vt dicamus. Id autem est primum quidem

Dei, à

Dei, à quo omnis datio bona & omne donum perfectum. Præterea autem Clementis Romani, qui post Petrum fuit præco veritatis, & eius Romanæ sedis successor fidelis: illius, inquam, Clementis cuius vsque in hodiernum diem vniuersa terra vel tacens salutiferas clamat fuisse doctrinas. Clementis illius, qui fuit vera palmes vitis Christi, per quem nobis expressus botrus doctrinæ, pietatis & salutis mustum nobis effudit. Clementis, qui fuit veræ scalæ quæ nos non deducunt ad sublimem aliquam terræ altitudinem, sed virtutum ascensionibus tanquam aliquibus gradibus nos ad cœlum transmittunt & cœlestia. Scalæ, quæ ijs quæ à Iacob visæ sunt nihil sunt inferiores: non ostendentes nobis Angelos per eas ascendentes & descendẽtes, sed hominum animas diuinis admonitionibus, vt quæ à gradibus in gradus per virtutes ad Deum deducant. Cuius quidem miraculum cum non didiceritis ô pulcherrime & fidelissime cœtus, quale sit & quantum audite, vt viri pij, contendite, & ad audiendam exultate orationem: & aures inclinate: & nostram arguite tarditatem: de hoc enim gaudeo, solum vos rogo, vt vsque ad finem mihi attentum animum adhibeatis: & nulla cogitatio quæ ad huius vitæ curam pertinet, mentem vestram subeat, nec promptum vestrum animi studium sinatur retardare: sed hoc vigilanti animo & attento fideliter excipite. Res autem ita se habet. Cum præclarissimus & beatissimus Clemens perfecisset doctrinæ cursum & Apostolatus, & per consummationẽ martyrij hinc excessisset, vt gloriosi eius martyrij liber declarauit, quem vos non ignorare est mihi persuasum, non iustum iudicauit is qui eos qui ipsum glorificant, glorificat, non ipsum vicissim glorificare, qui pro amore in eum sic decertauit: sed eum valde glorificare & magnificè extollere: & vt in cœlo Angelis, ita etiam hic hominibus eum reddere clarissimum, & maximè venerandum per miracula, miracula, inquã, quorum magnitudinẽ mens non potest cõprehendere: nec oratio dicere multitudinem: neque manus exprimere infinitatem. Vt ergo ex fimbria, vt est in prouerbio, textum pannũ possitis cognoscere, id vobis narrabo quod prius sum pollicitus. Cum 3 venerandæ sanctissimi martyris Clementis reliquiæ in maris profundum fuissent proiectæ ab impijs illis cultoribus simulachrorum, & eas excepisset templum in profundo à Deo ædificatum, hic quoque maximum facit miraculum Deus admirabilium. Cùm enim hoc factum esset, & eius discipuli flerent cum ijs qui illic erant fidelibus, & vt 4 sacrosanctas gloriosi Martyris reliquias eis ostenderet, quòd etiam factum est, Deum supplices rogarent, protinus immensum illud pelagus desiliens & retrocedens, effecit vt profundum adiri posset à fidelibus vsque ad tria milliaria. Ingressi autem inuenerunt habitaculum instar templi marmorei, & illic in capsa lapidea 5 sanctissimas & gloriosissimas Martyris Christi repositas reliquias. Qui cùm statuissent sanctissimas ex profundo tollere reliquias, noctu accedens sanctus eos sic est alloquutus: Reliquias quidem nolite tollere, hanc autem vobis concedo gratiam, vt singulis annis die meæ decertationis septem dies mare retrocedens, præbeat iter per siccum ingrediendum huc usque. Quod autem dixerat, deductum est ad effectum. Ab eo enim tempore vsque in hodiernum diem singulis annis fit hoc miraculum. Quid est hoc minus faciendum quàm Moysis miraculum? Quid verò Elisei vilius, aut minus gloriosum? Imò verò est longè maius & gloriosius. Ille enim virga & viuus & semel mare scindens, maris profundum, vt iter esset, effecit. Hic verò similiter pelle ouilla secans Iordanum, semel quoque hoc fecit miraculũ, ambabus aquis post transitum redactis ad suam naturam, quibus hoc nunquam factũ est postea. Hic autem post mortem, & non semel, sed ab eo tẽpore vsque in hodiernum diẽ, ô miraculum & gloriam Martyris, quale donum est assecutus singulis annis die gloriosæ suæ decertationis? Septem enim dies, sicut prius diximus, recedens mare illud infinitum pijs præbet iter facile. Cùm hoc ergo sic factum, omnes pij, tam qui erãt in regione, quàm ciues Chersonis audiuissent, perrexerunt ad contemplandum miraculum. Cum quibus quidam quoque vir pius cum pia vxore & filio masculo, ad sacrosancti Martyris templum viam peregerunt prompto & alacri animo. Cùm autem ad locum peruenissent, & miraculum quod adhuc fiebat aspexissent, ingressi sunt illud templum quod à Deo ædificatum fuerat in profundo, & cùm ad capsam accessissent, supplices sanctum 6 rogabant, petentes vt per ipsum sibi daretur venia peccatorum: & precantes vt filio daretur vita longa, & nullis obnoxia calamitatibus, & opum copia, & consentaneum quæ est petere parentes filio vnico. Postquam ergo preces peregissent, & sancti osculati fuissent 7 reliquias, redierunt. Qui cùm egressi essent, aqua rursus in suum locum redijt. Illi autem conuersi, & quod prius erat iter pelagus aspicientes, huc & illuc circunspicientes, filium quærere aggrediebantur. Is autem in arca sancti remanserat, & hoc non obliuione parentum, sed Dei voluntate factum est, vt in hoc quoque Martyrem faceret magis admirabilem. Cùm ergo parentes non inuenirent filium, & cogitassent puerum fuisse à se obliuioni in profundo mandatum. Quid opus est dicere & patris lamentationes, & matris eiulatus? Præclarum enim illud festum conuerte-

3 Nota venerãdæ sanctissimi Martyris reliquiæ.

4 Adde & sacrosanctos.

5 Iunge sanctissimas & gloriosissimas.

6 Vides quomodo rogantur sancti vt per ipsos nobis detur venia peccatorum.

7 Ecce quomodo etiam tunc sanctorum reliquiæ exosculabantur.

8 Nota præclarũ festum Sancti Clementis.

uerterunt [8] in lamentationem. Quid enim non dicebant? Quid non faciebant ex iis quæ consentaneum est vel ipsum lapidem posse mouere ad lachrymas? Mater enim oculos ad mare extendens, & manus in altum extollens, sancto tales voces emittebat: Hæ sunt ô sancte tuæ remunerationes? Hancne reddis gratiam iis qui tanto tui desiderio ad te accurrerunt? Hanc ne reddidisti mercedem pro labore quẽ passa sum ex quo accessi? Vbi est mihi filius? Vbi nati mei viscera marina bellua lacerauit? Quisnam autem vehemens insurgens fluctus, eum viuum tanquam sepulchrum operuit? Quemnam modò aspiciam oculis? Pro quo vero orabo? Quis autem erit meæ senectutis baculus? Cur ô sancte, non fecisti me esse sociam mortis filii mei? Vt quomodo ad te accessi eum manu tenens, ita etiam eum vinis ferens infœlix ad inferos descenderem. O mare & profundum, quonam tuo sinu meum tenebis filium. Quomodo autem eum quoque ales (Hei mihi miserande fili) fili rapte ante tẽpus: fili quomodo à meis oculis recessisti? Quibus pedibus es conuersus? Quemnã autem tanquam agnum aspiciam exilientem? Pater verò rursus et manus & oculos feriens, sic conquerebatur: Cur, ò sancte, me repente orbum fecisti liberis? Cur permisisti vt meus filius moreretur morte tam miserabili? Cur mihi obtigerunt contraria ijs quæ speraui? Hac ne spe ad te accessimus? Taliáne sunt dona Martyrum in eos qui ad ipsos magno accedunt desiderio? Re vera non tu, sed procellæ meorum peccatorum mari tradiderunt filium. O fili mi quis tui mortui claudet oculos? Quis te autem componet ad sepulchrum? Quænam verò theca pulchrum tuum & iucundum teget tabernaculum? An omnino quidem tuos oculos texit mare: & sepelijt profundum: & tibi theca fuit venter piscium? Cùm sic autem plangerent & lamentarentur parentes, quidam ex iis qui illuc conuenerant, vix tandem eis persuaserunt vt cessarent à lamentatione. Cùm à luctu autem parum cessaissent, domum abierunt. Cùm ergo tempus processisset, & memoriæ sancti martyris dies venissent, hæc inter se dicebant, recordati sui filij: Agedum proficiscamur ad sanctum, vt si vllæ reliquiæ, quod fieri non potest, remanserint nostri filij, eas accipiamus: & cum sancto iudicio contendamus, vt fieri possit, illic moriamur, mortis societatem ineuntes cum filio. Cùm hæc ergo dixissent, nondum ijs quæ dicebantur finem imposuerant, & cœperunt iter ingredi. Cùm verò accessissent, & ad locum peruenissent, & mare retrocessisset, Deo hic quoque honorante martyrem, filij sui desiderio stimulati, primi profundum insilierunt: eosque sequens vadebat multitudo. Cùm autem peruenissent ad imprimis venerandum templum martyris, (ò miraculum) vident suum filium viuum, lætum, & exilientem. Cùm sic autem à miraculis in miraculum incidissent, reque insigni & admirabili essent obstupefacti, primum quidem Deum laudarunt. Deinde martyri quoque egerunt gratias. Deinceps verò adolescentem interrogârunt quomodo esset seruatus, quonam viuificante, quonam seruante, & quonam nutriente? Puer autem vna quidem manu tenens arcam: altera autem manu digito indicans eum qui intus iacebat, respondit interrogantibus: Hic post Deum meus custos, & vita, & alimentum fuit, & propulsator beluarum marinarum. Hic me quotidie alebat splendidissimè. Parentes autem admiratione & lætitia affecti, & martyris fide magis confirmati, per quem filium, quem putabant mortuum, viuentem acceperunt, priores luctus conuerterunt ad gratiarum actionem, sancto sic acclamantes: Verè ergo admirabilis est Deus in sanctis suis, & eorum qui ipsum timent faciens voluntatem, & audiens eorum precationem: Seruasti, ò sancte, nostrum filium: reddidisti nobis eum qui non sperabatur. O cœlum & terra, & tu profundum, quod nos prius execrabamur, admirare magnum hoc opus quod naturam superat. Esto autem tu quoque, ò sancte, nobis propitius, & ea nobis condona, quæ animo cruciati in te diximus & fecimus. Ne pro nostris in te maledictis parem referas gratiam. Filium recepimus, eum qui erat mortuus per te nunc in vitam reuocatum accepimus. Senectutis nostræ baculum rursus habemus tuo auxilio. Quid pluribus opus est? Non trium dierum, sed vnius anni mortuum, & non lapide, sed aqua conditum: & non à vermibus, quod est naturæ humanæ proprium, consumptum, sed à piscibus, vt existimabamus, deuoratum, saluum per te accepimus. O gratiam, ò gloriam, ò virtutem & beneficentiam, ò sancte. Cùm sic ergo sanctum cum lachrymis essent laudibus prosequuti, accipientes filium venêre domum, narrantes omnibus miraculum. Quidnam ergo cum his conferemus? Aiunt Eliam aliquando filium qui erat mortuus viuum matri reddidisse: quod quidem est magnum & valde admirabile. Quinetiam ad Elisæi aliquando, vt literis est proditum, monumentum, quendam à quibusdam homicidis interfectum, & in eo proiectum surrexisse & vixisse: quod quidem est magnum & valde admirandum. Porrò autem Petrus quoque in nostris libris, Petrus, inquam, princeps Apostolorum, illam quæ pauperes alebat viduam Tabitham mortuam eadem hora ad vitam suscitauit precibus. Et sunt hæc quidem admirabilia, & longè clarissima: præsens autem miraculum quantum ea exuperat? Attentius autem mihi considera mira-

miraculi excellentiam. Elias quidem, vt prius diximus, nuper mortuum puerum, & qui nondum refrixerat, sed adhuc seruabat naturæ calorem, suscitauit. Elisæi vero virtus duabus de causis fecit miraculum, vna quidem ostendens Prophetam qui ignorabatur, altera autẽ non concedens cædem etiam post mortem. Petrus verò sua virtute, & adiutus etiam eorum precibus qui à vidua fuerant affecti beneficio, ipse quoque excitauit eam modò mortuam. Sanctus autem Martyr Clemens, ô miraculum, non recens, sed iam anno vno mortuum, vel vt melius dicam, in vnoquoque puncto, & eius tenuissima parte morientem conseruauit. Scitis autem omnes qui eius fecistis periculum, quanto tempore verisimile erat conseruari puerum in profundo tam vasto. Sed mihi diligenter consideranti, non vnum mortuũ, sed quanto temporis spatio scimus puerum in aquam suffocari, id tempus repetentes & remetientes, inueniemus sanctum tot suscitasse mortuos. Quod autem est admirabilius, non ab aquarum solùm suffocatione, sed à bestiarum etiã læsione conseruauit puerum. O gratiam, ô virtutem, quæ vtrunque efficit, nempe & aquas alligat, & propulsat beluas. Ad hæc quid dicitis? Non alia superat miraculum? Nisi quis nos male reprehendat, quòd id extollamus supra miracula prophetica. Nulla ea de causa in nos cadet reprehensio. Apertè enim scitis sanctum Martyrem esse in eadem gloria & iisdem tabernaculis, in quibus sancti Martyres, & Apostoli, & Prophetæ, & ipsi Angeli. Sed ô Martyrum splendor, & decus sanctorum, primitiæ Antistitum, vide nunc quoque hunc præsentem cœtum pium & religiosum, qui a vitæ fluctibus quotidie obruitur. Eum tuis 9 precibus illæsum custodi & conserua, & tanquam feræ immanes insiliunt dæmones, & minantur se esse deuoraturos animæ nobilitatem, tuarum intercessionum iaculo repelle, ô sanctissime. Sed vos quoque, ô fidelissime cœtus, rogo vt per bona & Deo grata opera efficiamus nos dignos sancti gratiis & donis. Et primum quidem in Deum & inter nos ipsos synceram & non perturbatam conseruemus charitatem. Deinde ab omni maledicto & omni mendacio & omni periurio nos ipsos repurgemus. Ante hæc autem & post hæc faciamus eleemosynam, quæ fecit Deum magis placare & propitium reddere nostris peccatis. Quis enim eius oblitus regnum Dei possidebit? Nemo nostrum prætexat paupertatem: nemo viduitatem & liberorum nutricationem. Sunt hi frigidi & perniciosi prætextus. Nemo vestrûm est illa vidua pauperior, quæ nihil aliud habebat quàm pugillum farinæ: idque cùm alendi ei essent liberi, neque tamen suam aut filij vitam prætulit misericordiæ. Ne excusationes quæramus in peccatis. Deus non irridetur. Penaria nostra mente intueamur. Videamus an quotidiani alimenti nihil nobis redundet. Ne mensium circulos metiamur & annorum ambitus: est enim alius qui prouidet, & eorum curam gerit, etiamsi nos ignoremus. Nos ipsos constituamus nostrarũ rerum examinatores, etsi, vt prius quoque diximus, quotidiani alimenti nostri nihil superfit, scit Deus misereri eorum qui premuntur inopia. Sin autem viderimus nostra penaria non solùm cibo & potu repleta, sed etiam auro & argento, & aliis quæ eos consequuntur, qui diuitiis delectantur, & possessionibus, esurientibus aliis & frigore enectis, sciamus quòd æternum & qui nunquam desinit ignem nobis recondimus. Vt eum ergo effugiamus, in Dei mandatis pro viribus ambulemus, vt & sancti Martyris fruamur 10 intercessionibus: & ineffabilia & æterna Dei bona consequamur, gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

9 Vide sanctorum inuocationem & quomodo suis intercessionibus nos adiuuant.

10 Vt S. Martyris fruamur intercessionibus.

MIRACVLA DIVI CLEMENTIS PAPAE ET martyris, per beatum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrũ edito. Cap. 34.

CLemens martyr, vt in passione eius legitur, anchora in collo suspensa in mare præcipitatus est. Nunc autẽ in die 1 solennitatis eius recedit mare per tria miliaria, siccumq; ingredientibus iter præbens, vsq; ad sepulchrũ martyris peruenitur. Ibiq; vota reddentes orantes populi, regrediuntur ad littus. Factum est autem vt in vna solennitatum mulier cum filio paruulo in loco accederet. Epulante verò ea post acta solennia obdormiuit infans. Dum autẽ hæc agerentur, ecce sonus subito factus est accedentis pelagi, de hinc oblita mulier sobolis suæ cœpit velociter cum reliquo populo petere ripã. Igitur insequenti maris accessu postquam ad littus venerat, meminit se filium reliquisse. Tunc cum fletu magno deiecta terris, miseram se clamitans, littora vocibus replebat, atq; discurrebat per circulum riparum, si fortè enecatã prolem eiectamq; littori aliquis conspexisset. Sed cùm nihil inueniret indicij, tandem consolata a propinquis ad propria reducitur, totum annum in luctu ac lamentatione deducens. Recurrente autem anni circulo, venit iterum ad expectandum martyris beati solennitatẽ, si fortassis de infantulo aliqua inuenire possit indicia. Quid plura? Recedente mari anticipat omnes ad ingrediendum, & ipsa prima procedit ad tumulum. Cumque prostrata solo 2 orationem expleisset, erecta sursum, genis vbertim fletum imbribus madefactis, dum

1 Dies solennitatis sancti Clementis. Et in eo fit ad eius sepulchrũ populi cõcursus mari iter præbente. Cap. 35.

2 Vide orationem ad sepulchrũ martyris emissam cũ prostratione.

diuertit in parte altera vultum, aspexit filium in eodem loco vbi eum dormientem reliquerat, in ipso adhuc sopore teneri. Aestimans autem eum esse defunctum, accedit cominus quasi collectura cadauer exanime, sed cum eum dormire cognouisset, excitatum velociter expectantibus populis incolumem leuauit in vlnis, interrogansque inter oscula vbi per anni tulisset spacia, nescire se ait si annus integer praeterisset, tantumque dormisse se suaui sopore in vnius noctis spatio aestimabat. Fons erat irriguus ruri cuidam infra territorium vrbis Lemonicinae, cuius vnda tam hortorum sita quàm agrorum culta, vel fouebat accessu, vel impetu foecundabat. Deducebatur etiam factis decursibus per loca necessaria, vt vbi eum natura non dabat, studium prouocaret. Et erat tam dulcibus vena exuberante fluentis, vt gaudere cerneres olus siue virgultum, si fuisset ab eodem irrigatum. Opitulabatur etiam in eo gratia maiestatis diuinae, vt in quo fuisset fluentum emissum, velociter germina acciperent incrementum. Cumque eum incolae loci quasi ludum agentes, per singula quaeque loca deducerent, insidiatoriae (vt credo) inuidiae sub terra dehiscit, ac velut in stadiis duodecim in medium paludis, vbi nullum prorsus possit opus efficere, fluctibus sparsis exoritur. Extemplò omnium mentes timor obsedit, & nouum quendam aduenire regioni loci incolae praestolantur interitum, simulque & beneficium quod habere consueuerant, iugi fletu deplorant. Curriculum igitur vnius atque alterius anni in hac ariditate pertransiit, arescunt siti loci illius omnia quae irrigare consueuerat. *Cap. 36.* Tertio autem anno accidit, vt quidam iter agens beati Clementis martyris, cuius iam suprà meminimus, reliquias exhiberet, quas Aredio ipsius vrbis presbytero, viro in omni sanctitate religioso detulit, ad quem cùm die noctuq; vicini moesti penderent, consisi de eius oratione, quòd si peteret Dominum, fontem possit suo restituere loco, ait: Eamus dilectissimi, & si vera sunt quae portitor noster asseruit, haec esse Clementis martyris pignora, nunc apparebit, cùm eius fuerit virtus manifestata. Tunc cum psalterio ad locum fontis accedit, & dictis 3 psalmis in oratione prosternitur. Positisque sanctis reliquiis in ipso fontis aditu periit, vt qui quondam in deserto damnatis ad secanda marmora fluminis irriguum patefecit, in hunc locum aquas quas prius pia ipsa indulserat clementia, Clementis iterum intercessio reuocaret: illicò vena recurrit ad aditum magnas euomens aquas, illumque quem prius tenuerat, alueum decurrendo replens, admirantibus populis. Immensae gratiae Domino referuntur, qui & martyris 4 virtutem prodidit, & fidelis sui orationem implere dignatus est.

3 Ecce psalmodiã et orationem cum prostratione.

4 Miracula quae ad sanctorũ inuocationem fiunt quanta sit eorum virtus manifestant.

DE PERSECVTIONE TRAIANI, PER D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

TErtius post Neronem in Christianos persecutionem Traianus mouet. Sub quo beatus Clemens tertius Romanae Ecclesiae Episcopus passus est: & sanctus Symeon Hierosolymitanus Episcopus Cleophae filius, pro Christi nomine crucifixus asseritur, & Ignatius Antiochiensis Episcopus Romam ductus bestiis illic deputatur. Haec sub Traiani temporibus acta sunt. Post hunc Aelius Adrianus Imperator creatus est. Vnde & Hierosolyma, Aelia vocatur, ab Aelio Adriano successore Traiani, eò quòd eam repararit.

VITA SANCTI ANACLETI PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

ANacletus natione Graecus, ex patre Antiocho, sedit annis nouem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Domitiani, à consulatu Domitiani decimo, & Sabini decimoseptimo, vsque ad Domitianum & Clementem Consules. Hic memoriam beati Petri construxit, & composuit, dum presbyter factus fuisset à beato Petro, ceu alia loca, vbi Episcopi reconderentur sepulturae. Vbi autem & ipse sepultus est in pace, iuxta corpus beati Petri tertio Idus Iulij. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quinque, Diaconos tres, Episcopos per diuersa loca numero sex. Et cessauit Episcopatus dies tredecim.

VITA SANCTI DIONYSII AREOPAGITAE, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius Martyrolog. sub v. Nonas Oct.

NAtale Sancti Dionysij Areopagitae, qui ab Apostolo Paulo instructus credidit Christo: & primus apud Athenas ab eodẽ Apostolo Episcopus est ordinatus: & sub Traiano principe per clarissimã confessionem fidei, post grauissima tormentorum genera, glorioso martyrio coronatur, vt Aristides Atheniensis, vir fide, sapientiaq; mirabilis, testis est in eo opere, quod de Christiana religione composuit. Hoc opus apud Athenienses summo genere colitur, & inter antiquorũ monumenta clarissimũ tenetur, vt peritiores Graecorum affirmant,

MIRACVLA BEATI DIONYSII MARTYRIS, per Diuum Gregorium Turonensem Archiepiscopum scripta.

Habetur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrũ edito.

DIonysius Episcopus Parisiorum vrbi datus est martyr. Tempore verò quo Sigibertus rex cum exercitu ad vrbem illam venit, & maximam vicorum eius partem incendio concremauit, quidam de primoribus eius ad basilicam antedicti martyris properat, non orationis deuotione, sed tantùm vt aliquid fraudaret ab æde. Ilicò vbi reserata ostia ac vacuum templum à custodibus reperisset, pallam olosericam auroque exornatam ex gemmis quæ sanctum tegebat sepulchrum, temerario ausu diripuit, secumque sustulit. Veniens autem ad castra fuit ei necessitas nauigandi. Cúmque puer eius quem tunc creditum habebat, suspensis ad collum ducentis aureis, nauem cum eodem ascendisset, subitò à 1 nullo tactus, de naui ruit, oppressúsque aquis nunquam potuit inueniri. Ille quoque iudicium Dei in se cernens per pueri amissionem & auri, velociter ad littus de quo digressus fuerat remeauit, pallámque sepulchri summa velocitate restituit. Et licet hoc fecerit, tamen diem in quo hæc admiserat recurrente anni circulo non attigit. Alius autem super sepulchrum sanctum calcare non metuens, dum columbam auream lancea quærit elidere, elapsísque pedibus ab vtraque parte, quia turritus erat tumulus, compressis 2 testiculis, lancea in latera defixa exanimis est inuentus. Id non fortuitò contigisse, sed iudicio Dei gestum nullus ambigit.

1 Pallam olosericã auro gemmisq; exornatam quæ sanctũ tegebat sepulchrũ, temerario ausu diripuit. Credis si hæc ornamenta Deo displicerent, quod tã seuerus vltor fuisset in ablatorẽ? minimè quidem.
2 Disce sanctorũ sepulchra in veneratione habere.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS candido Lectori.

PRæter ea quæ & ad sacrarum literarum studia ardenter capessenda, & ad grauissima quæque pro Christi amore toleranda in hac Magni Dionysii Areopagitæ vita alacriorem reddent, hæc insuper cognita dignissima inuenies. Primum, quod ab antiquo tempore à patribus dici filiis solet, omnes videlicet sanctos Apostolos requiei sanctissimæ Genitricis Dei adfuisse, eiusq; nobilissimum funus propriis manibus curasse, hoc ipsum, quod vt frequentissimè, ita etiam veracissimè dicitur, in hac historia manifestissimè comprobari. Secundum illud, tria hæc præclarissima volumina, quibus sanctæ Ecclesiæ dogmata potissimum defenduntur, nempe de cœlesti, necnon Ecclesiastica Hierarchia, ac de diuinis nominibus, ab hoc sanctissimo doctissimoq; viro sanctorum Apostolorum contemporaneo, fuisse edita, quod à sceleratis quibusdam qui nunc cœlum terramq; mouere conantur, impudentissimè negatur. Sed perditi homines, & à Deo alieni quid non effutiant: Vitæ huius diuinissimi patris autor est Michael Syngelus presbyter Hierosolymitanus, peruetustus scriptor, vt Suidas Græcus author asserit in vita quã & ipse eiusdem sancti scribit, vt sic celeberrimus Antistes ter in hoc libro describatur, semel per Adonem, iterum per Syngelum, tertiò per Suidã, ne is alicubi suis laudibus defraudetur. Eloquium scriptoris est perobscurum, ceu quod ab ipsius Magni Dionysii stylo magnopere non recedat. Verùm translator vir pius & doctus, quantam potuit operam adhibuit, vt is clarior & cultior redderetur: Græcum exemplar Lutetiæ excusum, vbi sanctus pro Dei amore occubuit, Nicolaus Balserisius Presbyter Bononiensis, vir probus, olim bonæ memoriæ Ioannis Matthæi Episcopi, viri celeberrimi & sanctissimi, qui huic Ecclesiæ paulò ante me dignissimè præfuit, amanuensis, superioribus mensibus donauit mihi. Quod cùm nunquam translatum fuisse comperissem, illicò per Basilium Millanium meum dilectissimum fratrem in lucem edendum curaui. Vale, & hos nostros labores tuis apud Deum orationibus foue.

VITA BEATI DIONYSII AREOPAGITAE, PER Michaelem Syngelum presbyterum Hierosolymitanum scripta, & per Basilium Millanium Cassinatem monachum nunc primum Latinitate donata.

COElestem prorsus atq; diuinam linguam, eámq; ex illis, quæ igneæ ac cœlitus à Deo missæ fuêre, cuiusmodi filij Dei spectatoribus ac ministris dispertitæ sunt, & angelicam vocem suppetere illi oporteret, qui de D. præconis Dionysij laudibus sit dicturus: Qui omnia contuentis ac collustrantis, singularíque benignitate omnia continentis

diuinitatis, quæ in Trinitate, quæ ſumma diuinitas eſt, quæque ſubſtantiam omnẽ ac bonitatem antecellit, adoratur, & colitur, laudator fuit: Qui Dei appellationũ, & ineffabilium diuinorũ myſteriorum ſapientiſſimum egit interpretẽ: Qui de ſacro cœleſti principatu diſſeruit, ac diuinas cœleſtis militiæ mentes ſummis laudibus exornauit: Qui Eccleſiaſticorũ ordinum, ſacrique magiſtratus, & cùm diuini ſacrificij, tum cæremoniarum, ac omnis diuinæ Chriſtianorum ſapientiæ atq; decoris doctor, dux, & explanator fuit: Qui puritate vitæ, ac omnigenæ virtutis excellentia concreditum ſibi à diuo Paulo myſteriũ eorum quæ in tertiũ ipſe cœlum raptus viderat ac audiuerat, accepit: Qui Apoſtolorum cœtui tẽpore æqualis, familiaritate iunctus, atq; in ſacris certaminibus ſocius, & auxiliator fuit. Qui inter præſules ſacratiſſimus, inter martyres clariſſimus, diuinarum rerum inter theologos callentiſſimus, magiſtros omnes doctrinæ claritudine ſuperauit. Quocirca ſacer conſeſſus, gens ſancta, concio Deo dicata, vereor ne magni huiuſce luminis laudes dicere aggreſſus temeritatis crimen incurram: Neq; enim ſi omnis omniũ, quotquot vnquam fuêre, Rhetorum vis, ac dicendi facultas huc ſimul adeſſet, huius viri diuina eloquẽtia pręditi, cuius laudes nobis propoſuimus, ſummã laudum attingere, nedum ingenij mei ad eloquendum imbecillitas pro dignitate aſſequi poſſet. Veruntamen vobis morẽ gerens, qui me (quæ veſtra charitas eſt, & in Deum fides) ad hoc hortamini, Deo, viro ſancto, itemque vobis, quicquid potero, lubens præſtabo. Nam ſi me laudati iſtius viri laudum, quæ illi congruunt, vbertate, magnitudine, atq; præſtantia ſuperari contigerit, vinci me libenter patiar. Neq; enim vllum ei qui laudatur dãnum infertur, ſi qui hunc ipſum laudat, ornamentis & apparatu laudandi generis ſuperetur. Vnde igitur laudis principium ſumam? Rhetorum ne in ſcribendis laudibus præceptis vtar (quæ ab iis quæ humi repunt, labuntur, ac ſubinde aliter immutantur & intereunt, vt ſunt genus, patria, diuitiæ, mundi huius gloria, & ambitio, peti ſolent) dum illius qui his omnibus ſublimior eſt & qualibet fama ac humana gloria maior, laudes corrogo? An ab incorruptis potius ac verè beatis, ac per ſecula duraturis laudibus ordiemur? quas ille, ex quo à ſimulachrorum cultu deſiuit, ob inſignem erga Chriſtum verum proculdubiò Deum animi propenſionem, morumq; probitatem, ac Euangelicam inſtitutionem, necnon luctæ labores retulit? Quam enim terrenorum parentum, qui luteis rebus, cum primiſq; ſuperſtitionibus ſint inucluti, natales ad veram gloriam acceſſionem illi facient, qui ab omnium Rege Deo adoptione ſit dignus habitus, & in cœleſtes Angelorum ordines cooptatus? quiq; Dei præconibus additus comes, vnà cum Petro & Paulo ſacro imperio, & Apoſtolica pulchritudine ſit conueſtitus, ſimulq; beatiſſima illa natiuitate progenitus, ac martyrij corona circundatus? An patria equis ouibuſq; referta, campis, montibus, ſaltibus, vallibuſq; circummunita, pratis item, nemoribus, ac quolibet arborum, atq; plantarum genere conſtipata, fluminibus præterea, fontibus, ſtagnis circumfluens: magnitudine demum ac ædificiorum pulchritudine prædita: quæque ſepulchra eorum qui hanc conſtruxerunt, vti miraculum prætereuntibus obtendit, ſplendorem illi aliquem adfert, qui iam ſit cœleſtem Hieruſalem aſſecutus? Cuius muri manu Domini picti ſunt, vbi omnium lætantium eſt domicilium, celebres conuentus agentium ſonus, & vna vox eſt exultationis. Atqui licet hæc à nobis in exordio dicta ſint, nimirum beatiſſimum virum vnum aliquem ex cœlitibus qui ex hac vita migrarũt, eſſe ſtatuentibus, non idcirco tamen parentum eius aliquis obſcurus fuit, neq; patriam non illuſtrem habuit, ſed ne ignobili quidem ciuitate oriundus ciuis extitit. Quæ eſt enim orbis terræ pars, quæ nõ Græciæ claritatem audiuerit? Aut Athenas Græciæ gloriam, celebratam ac vbiq; decantatam ciuitatem, philoſophorum ſedem, literatorum domicilium ac diuerſorium, quis ignorat? Vnde iſte Dionyſius ortum accepit, & vbi præſes nobiliſſimus, ac inter Areopagi iudices primas obtinens, magiſtratum vt honorarius iudex agebat, quorum præſtantia generis, & inſignis gloria ab Androſione ac Philochoro Athenienſibus ſcriptoribus copioſè literis mãdata eſt. Hinc etiam eſt facile conijcere, parentes eius optimates, præſtabiles, ac virtute claros fuiſſe. Neque enim apud Athenienſes elatos homines in tam ſublimem principatum euectus eſſet, niſi ſapientiam, & animi ornamenta, prudentiam, iuſtitiam, fortitudinem illuſtri etiam generi coniunxiſſet. Cùm enim Lucas veritatis amantiſſimus, ſimúlque ſapientiſſimus in ſancta omníque ſapientia plena Actorum Apoſtolorum hiſtoria, de his qui Athenis beati Pauli diuino afflati numine, doctrina & prædicatione crediderant, loqueretur, atque huiuſmodi verba per excellentiam vſurpaſſet: In quibus erat & Dionyſius Areopagita: perſpicuè diuini iſtius luminis cùm generis excellentia, tum virtutis, cognitionis, ac eloquentiæ vbertate, præſtantiam indicauit. Neq; enim dixit: In quibus erat vir nomine Dionyſius, perinde ac ſi de ignoto aliquo loqueretur, ſed: In quibus erat & Dionyſius Areopagita. Hinc ſubindicans, virum clariſſimum per omnium ora celebrari. Neq; hanc diuini ſermonis breuitatem ad intentionẽ orationis propoſitam non magni referre quiſpiam arbitretur. Nam etiam ſi breuis ſit oratio, diuitiæ tamen quæ inde in huius qui celebratur viri laudem fluunt, ſunt

permul-

permultæ. Nec ſecus enim inſpector Dei Moyſes in ſcripto quodam creationis mundi breuiſſimo, cum Melchiſedech, qui diuinum iuxta ritum noſtrum præ ſe ſacerdotium ferebat, mentionem feciſſet, nec quibus parentibus ortus eſſet, nec vnde originem traheret, aperiẽs, eius memoriam, quæ per ſecula celebris foret, tanquam immortali monumento conſecratam, poſteris dereliquit. Agè (obſecro) igitur ipſe, ô gaudij, & fauſte præcioſæ ſalutis nuncie, ô ingens ineffabilis deſcenſus filij Dei præco, & diuinorum eius miraculorum, atque rerum magnificarum veraciſſime concionator, ô Euangeliſtarum ampliſſime, beatiſſime Luca. Age fare nobis, quinam & qualis ſit iſte Dionyſius, & ſacram tuã perquàm breuiſſimam ſcriptionem, qua hunc diuinum doctorem in lucem prouexiſti, nobis ediſſere. Hic enim, inquit, inter lectiſſimos, ac dignitate præſtantes Græciæ viros, pietatis cultor eximius, & Areopagitarum concilij Senator ampliſſimus: qui non tam inclytus ob dignitatem effectus fuiſſe, quantũ dignitatẽ ipſe clariorem effeciſſe eſt iudicandus. Hic eſt, qui non ſolùm omnia diſſerẽdi ſcientiæ ornamenta complexus eſt., Stoicorum, & Epicureorum, cæterorũmq; philoſophorũ doctiſſimus, & Atticè & literatè loquentium facundiſſimus, idemq; eruditiſſimus, Rhetorum eloquentiſſimus, Aſtronomiæ item incumbentium ſpeculator acerrimus, ac in cæteris liberalibus diſciplinis peritiſſimus, quin & quatuor præterea virtutibus ſummè ornatus fuit. Hic eſt, qui rectiſſima in iudicando trutina vius, eorum qui Athenis ius dicebant, iuſtiſſimus fuit: idq; cùm adhuc Gentilium religione obſtrictus, Iouiſq; abominationibus inquinatus, & execrando Palladis Athenienſis cultui nefariè eſſet addictus, fabuloſis item deorum narrationibus, vt de Orpheo legitur, qui omnia ad ſe Muſicis concentibus attrahebat, fidem habens, & anili Heſiodi Theogonia libenter detineretur illectus. At vbi gratia ſalutaris cunctis hominibus illuxit, Gentilium ebrietatis, & amentiæ tenebras eliminauit, vniuerſorumq; ſimulachrorum errorem de terra ſuſtulit, ac vbiq; terrarum Dei & ſeruatoris noſtri Chriſti diſcipuli, tanquam aquilæ quædam panſis alis euolantes, ac percurrentes, diuinæ cognitionis lumine mundum illuſtrarunt. Quando etiam Paulus Theologorum ſupremus, & diuiniſſimus Gentium Apoſtolus, tuba cœlum vſq; pertingens, organum electum Athenas conceſſit, vbi præconium, à quo ſalutẽ & vitam mundus acciperet, annuncians, diuinum Domini nomen circunferebat. Cúmq; cerneret ciuitatem, quæ cæteris Græcorum omnibus anteſtaret, ſimulachrorum cultui deditam, amore diuino ſuccenſus, ardore quodam ciuitatẽ ingreſſus eſt, & cùm Iudæos, tum Græcos, ſapientes, & indoctos, quoſcunq; obuios habuit, argumẽtis impetere cœpit, Ieſumq; qui nos ab impoſtoris, homicidæ, draconiſq; tyrannide, morte, ac interitu vindicarat, & mortuorum reſurrectionem lætis auſpiciis nũciauit. At Epicureos & Stoicos varias in ſectas diuiſos philoſophos noua, inaudita, & cœleſti ſapientia in ingentem admirationem attraxit: Cúmq; Areopagi forum petiiſſet, omnes cœleſti huic philoſophiæ animum intendere perſuaſit. Tum Dionyſius confeſtim à luteo & inſano quaſi ſimulachrorum ſtagno deſciſſens, Paulo diuinũ odorem exerenti adiunctus eſt. Ab interpretũ & ſcriptorũ auulſus errore, præconi veritatis adhæſit. A profundo internecionis emerſit, & ad ſalutis celſitudinem euolauit. A tenebris impietatis abſceſſit, & ad diuinæ cognitionis lumen conceſſit. A vera ſtultitia ad veram beatitudinẽ properauit. Belial mortis valere iuſſit, & vitæ autori & principi Chriſto ſe coniunxit. Impuritatẽ dæmonum abominatus, Angelorũ ſanctitatẽ complexus eſt. Luteam mundi materiã excuſſit, & cœleſte viuendi inſtitutum appetiit. Cùm enim ſpeculũ factus eſſet, radiis primæ diuinæq; lucis illuceſſentibus plenum, idq; per Paulum, qui cum Angelis ſplendore ſedis certabat, quippe qui Chriſtũ qui ſedet ſuper Cherubin ſe regentem, ac intimo implentẽ lumine, haberet. Cui etiã ipſe totus toto animo, cogitatione, ac corde præceptori agglutinatus eſt. Hui, quàm ingens præclari huiuſce viri animi propenſio fuit Apoſtolicæ illi, ac diuinum lumen largienti prædicationi ſuſcipiendæ? O obedientẽ & illuminatiſſimum animum illũ, qui facillimè doctrinæ ac præceptionis Euangelicæ notas ac ſigna prima retinuit. O cor facile, & ab omni carnis affectu vndiq; auulſum, quod corporea omni demonſtratione reiecta, ſalutis præconio celeriter credidit, & Paulo diuina prædicanti, cœliq; curſori, ad cœleſtes ſedes prouehenti ſe coniunxit. O fertilem & pinguem terram, rationis capacem, quæ ſementem vitæ ſinu ſuſcepit ſuo, fœcundámque ac nobiliſſimam ariſtam produxit. Non illum cùm principatus gloria, tum amplitudo iudiciorum impediuit. Non amicorum & coæuorum conſuetudinis deſiderĩu illum retraxit. Non violentus parentum, àgnatorum, domeſticorumque amor retardauit. Non inſanus diuitiarum ac poſſeſſionum variis modis implicantium furor ligauit. Non illum corporum voluptas emolliit. Non delicatæ vitæ, delitiarumque deſiderium illum effœminauit, ſed cùm præconis vocem diuina loquentis audiſſet, omnia quæ oblectare mortales conſueuerunt, nihili ducens, non ſecus ac magneti ferrum, illi confeſtim adhæreſcere ſtuduit.

Abraham quidem Patriarcham admirari ſolemus, cùm Deo, vt è cognatione ac patria exiret ſua, extraneámq; ac ignotam peteret, præcipienti obtemperantem audimus, & valde

iustè. Elisæũ diuinis præconijs efferimus, cùm boum iuga dereliquit, ac domesticos lares lætus dimisit, & Heliam afflatum numine per amantè sui, qui se vocârat, procul omni mora sequutus est, & sanè iure. Philippũ rursus ad Iesum salutis autorem vocantè, celeriter nihil cunctantè accurrisse, eumq; promptè sequutum laudibus extollimus, & quidem decentissimè. Quo igitur plausu, quóve genere laudum hic honestandus, ac præconiis à nobis coronandus videtur, qui non legi Mosaicæ subditus, nec oracula Prophetarũ edoctus, nõ historicis diuinorum prodigiorũ narrationibus exercitatus, necdũ vlla intuitus præter naturã edita signa, simplicem tamen Pauli prædicationẽ suscepit, imperiti cuiusdam hominis, pauperis ac peregrini, qui nec oratoriæ artis ornamentis excelleret, nec vllis sophisticis propositionibus niteretur? Verùm vti sementẽ quandam in terram iactam cùm primùm suscepit, eámq; in nihilũ redactam intimis sensibus reposuit, & virales fœcundæ fidei fructus demũ vberrimè tulit, vt cũ Esaia Propheta prouidentissimo clamante ferè hilariter canat: Ob timorem tuum Domine concepimus & parturiuimus, ac peperimus spiritũ salutis tuæ, quem super terrã fecisti. Hæc sanè Lucas eximius præco, dũ spiritu nobis assisteret, simulq; hanc sacram diuini martyris memoriã coleret, percensuit, eorum multitudini, qui illam celebrant ac dilaudant præses ac laudũ dux adhibitus. Quæcunq; verò ex scriptis aut non scriptis monumentis collegimus, hæc eadẽ contextis laudibus, vti quædã ornamenta florum affluentes, ac conuiuium quibusdã quasi diuinis saporibus condientes, adsumus corã vobis conuiuis, qui diuina libenter auditis, apposituri. Talis igitur historia longa temporũ serie, quasi à patre filiis tradita, ad nos vsq; peruenit. Cùm magnus ille Dionysius tẽpore quo Seruator supplicio est affectus, quando terra concussa est, atq; sol non ferens opificem vniuersorũ, eúmq; qui ob diuinã substantiam cuiuslibet perturbationis ac interitus expers erat, ligno carne suffigi, suos ipsius radios in meridie occultasset, præ tam admirabili facto vehementer stupefactus, humanamq; cognitionẽ supergressus, factũ illud perpendens: Deus, inquit, ignotus carne patitur, cuius causa orbis vniuersus tenebris offusus, & turbatione cõcussus est. Protinusq; eo ipso tẽpore quo tam insigne prodigiũ vbiq; terrarũ contigit, secum ipse coniectans obseruabat, quid hinc significari daretur. Atqui horrendissimi illius solis defectus ipse quoq; in Epistola ad Policarpum mentionem fecit. Cæterùm prælibabat orationẽ elegantissimis eius verbis, qui eloquentia ac diuina quadã dicendi facultate omnes excelluit, tanquã regiam coronã pretiosis ac lucidissimis lapidibus cõdecorare. Cùm enim Apollophanes vir Philosophus religione gẽtilis esset, atq; hunc beatissimũ, magnanimum, & admirandum virũ, quicum necessitudine ac genere coniunctus erat, odio prosequeretur, ac conuiciis iactaret, vt qui ritus patrios detestaretur, & Christianorũ fidẽ illis præferret, coleret, amplecteretur, ac pro ipsa tanquam propugnaculum validissime staret, rebusq; Gentiliũ cõtra Gẽtiles vteretur: Hoc conuiciũ & accusationẽ cùm Dionysius euertere decreuisset, Policarpo, qui multis cùm pietatis, tũ virtutis fructibus florebat, apud quẽ & sophista ille conuicia iactauerat, hæc scribit. Tu verò Apollophanẽ sophistam maledicta in me congerere, meq; parricidam appellare dicis, vt qui Gentiliũ dictis haud piè cõtra Gentiles ipsos vtar. Atqui nos hoc ipsum verius intorquere in illũ possemus, quòd Gentiles aduersus diuina diuinis non piè vtuntur, conantes per sapientiam cultũ Dei diuinum exterminare. Neq; ego sanè nunc de multitudinis opinione loquor, quæ poetarũ scriptis grauissimè humanis affectibus intenta cohæret: Quin & ipse Apollophanes aduersus diuina nefarie diuinis vtitur. Erat enim consentaneũ eos qui veri Philosophi sunt, per hanc rerum cognitionem, quæ ritè ab ipso Philosophia dicitur, quæq; à D. Paulo sapientia Dei appellata est, ad autorem cùm ipsarum rerum, tum cognitionis illorum adduci. Ac ne aliorum quàm ipsius opinionem contra institutum meum confutem, oportebat Apollophanem cùm sit sapiens, intelligere, nihil vnquam cœlestis ordinis & motus immutari aliter potuisse, nisi ab eo hæc rerum mutatio fieret, qui naturæ ipsius conseruator est & autor, quiq; omnia (vt sermo diuinus habet) facit atq; transmutat. Cur ergo eum, quem rerum omnium Deum esse cognouimus, non veneratur, & ob ineffabilem eius potentiam, qua cuncta creata sunt, non admiratur? quando quidem sol & luna vnà cum omni cœli conuersione per vim ab ipso immobili statu incredibiliter consistere iussa sunt, atq; ad mensurã totius diei in iisdem signis omnia constiterũt. Et paulò pòst. Cæterùm dic ei: Quid de illo solis defectu, qui quo tempore Dominus in Crucem actus est, contigit, ais? Ambo enim cùm apud Heliopolim præsentes simul essemus, tũ lunam soli obuiam mirabiliter factam (neq; enim concursus tempus erat) & eandem rursus ab hora nona vsq; ad vesperam è regione solis per diametrum incredibiliter oppositam persistere cernebamus. Cæterùm & aliud quiddam huius generis in memoriam illius reuoca. Nos enim (quod ipsum ille quoq; nouit) & occursum ipsum ab Oriente cœpisse, & ad solaris corporis finem peruenisse, ac demum repedasse vidimus. Rursusq; non eadem ex parte, sed è regione per diametrum & occursus & ablati luminis restitutio facta est. Hæc tam ingentia & incredibilia tum temporis acciderunt, quæ Christus omnium autor, qui

magna

magna & admiranda facit, quæ dinumerari nequeunt, præstare solus potest: Hæc, inquam (id si tibi licuerit illi dicito) si fieri potest, Apollophanes, mecũ ipse reprehende, qui tum tecum aderam, simulque omnia magna cum admiratione tecum spectaui, atque perpendi. Et quæ sequuntur. Cùm igitur Paulus in medium Areopagi prodiisset, ac omni cum fiducia loquens diceret: Viri Athenienses, in omnibus tanquam superstitiosiores vos video: prætericns enim, & cultus vestros cõtemplans, aram quoq; reperi, in qua inscriptum erat, Ignoto Deo: Quem igitur ignorantes colitis, hunc ego vobis annuncio. Cumq; omnem diuinam concionẽ percurrisset vir iste maximè suspiciendus, hunc sermonem tanquã cœlitus annunciatũ suscepit, indiuiduusque eius assectator confestim effectus est. Ac omnibus quidem mysteriis simulq; ritibus profanis nunciũ remittens, multiplicem dæmonum errorem detestatur, & cœlestem disciplinam capessit. Veræ item religionis institutis, Euangelicæque doctrinæ quasi elemẽtis imbuitur & informatur, inculpatam fidem edocetur, & ad lauacrũ baptismatis, quo innouamur, vitamque recipimus, accedit, & veterem corruptum hominem exuit, ipsumq; Christum vitæ autorem induens instauratur, & pro seruo corrupto, & corruptæ carnis filio, increatæ ac incorruptæ Trinitatis, eiusdemque substantiæ, cuius potẽtia cuncta edita sunt & creata, filius efficitur, atque ad immortalitatem, præcepta debitorum suorum remissione, transcendit: libertatis, adoptionis, herilisque potestatis symbolis clarissimis contrariis depositis, cõuestitur, & dignus qui inter perfectos censeatur, armis lucis munitur, & perfectissimis celsissimæ sapientiæ arcanis initiatur. Hinc ad pulcherrimam vitis culturam procedit, disciplinam Euangelicam factis exequitur, viuendi institutũ par Angelis aggreditur, & in Hierothei diuino numine afflati præceptoris sui, de quo ipse quoque in Theologicis scriptis summa cũ laude mentionem facit, disciplinam se tradit, & eiusdẽ diuinis institutionibus eruditur. Porrò in exercenda continentia plurimum desudat, omnemque curam in eo ipse dono conseruando impẽdit, & fructus bonitate præcipua dignos adferre gratioso donorum largitori conatur. Contra vitæ ac salutis nostræ aduersarium decertat. Sacris enim ferè initiatus est, simul atque per baptismi lauacrum in Iordane flumine Adæ peccatum ac mortalem purgasset natura, quod muneris ipse qui lauacris non indigebat, innocens & purgatus nobis impertiuit rerum omniũ autor, futurorum præscius vnigenitus Dei filius, verbum Dei, quod cum patre principio caret, sempiternum, eiusdemq; substantiæ, splẽdor gloriæ, & forma quæ nihil à patris substantia differt. Qui cùm hominem iuxta propriam imaginẽ & similitudinem condidisset, isque inuidi hostis insidiis, qui peccatum in orbem primus inuexit, ac mulieris hortatu Domini præceptum propulisset, & peccato pollutus ad interitum prolapsus esset, non illum præteriit, sed propensa patris affectione, simulque in hoc spiritu sancto adnitente, ineffabili humanitatis vbertate ex paternis finibus descendit: vnde tamen is nõ discessit, qui omnia implet à nemine circumscriptus, cùm descensus diuinus nõ ex loci mutatione intelligatur. Apagè. Qua enim ratione descendere is posset, qui & corpore caret, & nullo definiri aut intelligi pacto potest? sed ea ratione, quæ cõueniat Deo. Exinanitur enim ad breue tempus diuina gloria ex certo consilio, vt me sua impleret diuinitate, ac dono illius Deus efficerer. Cæterùm Dauidicæ puellæ virginis ventrem, quæ nuptiarum expers, ac propemodum innocens virgo semper permansit, vti sementis, subiit, carnemque ex illius sanguine assumens, cũ anima rationis intellectusque participe se cõiunxit, eamque sibi copulauit: & ab ipsa editus Deus carne cõpactus apparuit, duplex qui simplex erat, in duabus perfectis naturalibus voluntatibus, ac operationibus, in omnibus extra peccatũ, similiter ac nos mortalis, procul omni mutatione ac confusione appellatus, & post susceptam carnẽ vnus & ipse filius & vna substantia esse perrexit. Sub tẽpore factus est, qui omnẽ temporis motũ trãscendit, & natura seculorũ omniũ est effector. Corporis itẽ incrementũ suscepit, & ad virilẽ ætatẽ, qui perfectus & integer erat, peruenit. Et simul ac ex lauacro baptizatus emersit, contra homicidã, apostatã & planũ in desertũ proficiscitur, ac tricipitẽ eius impugnationũ machinã euertit, insolescentem, & magnificè se iactantẽ Tyrannũ prosternit. Variũ ac multiplex certaminum illius genus irritũ facit, ipsum captu admodum facilem reddit, rationem nobis ostendens, qua illi acri pugna resisteremus, & fortitudinis occasiones, quibus contra illũ vteremur, impertit. Ad exemplum ergo vitę optimè cõstitutæ suã ipsius cõposuit atq; formauit: fontẽ luminis, ex quo vitã primũ peteremus, produxit. Indeq; armatus gratia, & vnctione diuina perunctus, nõ aliter ac luctatores contra hostilem aciem in palæstris insurgunt, aduersus infensissimum latronem, viaque qua itur ad cœlos obsessorem, & insidiosum bellatorem, confestim opponitur, ac omnem vitę solicitudinem abiicit. Totus diuinæ resurrectionis amator & pugil efficitur. Assiduis 1 precibus die noctuq; intentus totã noctẽ ducit insomnem. Carnẽ ieiuniis domat, & deteriorem partem præstantiori subiicit, nempe puluerem menti, et terrenam crassitudinem, quæ sensibus perinde ac nebula quædam tenebrosa solaribus sese radiis opponere consueuit, comminuit. Hinc ad speculationis celsitudinem tollitur, libenterq; effigies animi di-

1 Ecce sanctissimi viri Orationes, Vigilias, & Ieiunia.

uina, ac interior ipsius oculus, terrena omni cogitatione relicta, ad claritatem illam, quæ illinc effulget, contemplandam totus euolat, & in Apostolicis doctrinis præsenti animo deliciatur. Nouam item omnem atque veterem diuinæ legis scriptionem, idque virtutis illius abundantia, quæ in actione & contemplatione versatur, vt respirationem sibi ac cibum constituit. Hic cùm beati Pauli clarissimis oculis ostensus esset, & diuini sacerdotij gradu dignus iudicatus, Athenarũ Episcopus ab ipso primus eligitur, & suæ ipsius pater patriæ declaratur, rerúmque primitiæ, quæ sunt compotes rationis, illius prudentiæ concreduntur. Oportebat enim vt ciuitas, quæ hunc ediderat, aluerat, & erudiuerat, proprio alumno, quasi germine, & eruditionis insigni prima omnium lætaretur, Christóque exultaret, qui eis qui spiritu ex illa nati sunt, autor salutis est factus, quique omnibus, qui vita & ratione primas obtinent, magnificè præest: Nec secus ac optimus filius vitam instar pastoris commonstrat, docétque quemadmodum ex Dei præscripto suos ipsa gressus dirigat, dum illam in loca pascuæ, planæ nempe ac synceræ doctrinæ, collocat: & super aquam refectionis, nimirum verę hæreditatis, educat. O ingentem metropolis Atheniensium ciuitatis fœlicitatem, nullo suffragiorum beneficio illi delatam. Quàm verè felix, multipliciterque beata est, quæ tantum ducem atque magistrum (vt Israëliticus olim populus Moysen) talemque enixa est, atque sortita pastorem. Etenim alter quidam Moyses denuò visus est, qui Ægyptum, caliginosum dico in colendis simulachris errorem, non decem plagis, sed innumeris lætalibus ardentissimisque sacræ illius doctrinæ ac diuinæ disciplinæ sagittis transfixit, & figuratum Pharaonem cum omni eius perniciosa potestate, nugisque hæreticis ac zizaniis plenis, quæ à cacodæmonis ipsius fraude oriuntur, ornatissimis admirabilis eius ac omni diuinæ cognitionis, & eloquentiæ profunditatibus demersit. Porrò electum Christi populum à Beliar tyrannide, & à superstitiosa cultura profugum, hostibus vndique contra illum insurgentibus, solitudinis mari traiecto, & charitate instar columnæ ignis illuscere deduxit, & nebula nimirum sanctissimi spiritus protectione custodiuit, ac ad tranquillum vsque inculpatæ fidei portum conseruauit. Humana prorsus omnia supergressus in suprema montis virtutum specula speciosus pacem annunciantes pedes fixit, diuinamque caliginem ingressus cum Deo familiariter est locutus, ac diuinæ manifestationis & legislationis tabulas accepit. Manibus in crucis speciem sublatis, Amalech Deo infensum in triumphum duxit. Vipereos morsus, ac insidijs dæmonum supplantatos, sagittisque nefariè captos curat, idque carne verbi, quod in ligno pependit, mortémque subiit, & oppositas vires peremit, quódque ab ipso probè veneratum & spiritu prædicatum, & adoratum fuit. Et vt alter Iosue Iordanẽ secat, ac peculiarem populum peditem siccis vestigijs ambulantem, portantémque venerabilem ac sacrosanctam arcam, quæ instar illius veteris Deum continet, traijcit. Detestanda Ierichondiorum argumenta, qui alieni intelliguntur, ac præsidia conspirantium hæreticorum vario atque multiplici pro pietate certamine prosternit, & pro diuinarum tubarum sonitu, ijs quę ex aduerso percussa euertenda erant, prędicationem instar solis illuminantem, obtendit suum: prudentémque gubernationem quę lucem adferret, & quę cœlitus illi exhibebatur, contra incursum luporũ rapacium, hoc est, falsorum doctorum greges rationis participes deglubentium opponit. Et immortalem hæreditatem, quæ est in cœlesti Hierusalem, ijs qui seruandi sunt administrat. Ac sicut ille Solem & Lunam in auxilium seruati diuini populi iam aggrediẽtis terrenæ promissionis hostes expellere sistit, festinátque possessionẽ sibi promissam diuidere: & alter Dauid hostem inaniter se iactantem contra diuinum exercitum, & eius propugnatori conuicia facientem funda cùm percussisset, & facinorosum illum terræ illisisset, celeberrimam victoriam ex hostibus reportauit, innumeris plausibus ob partá victoriam exceptus ac decantatus. Hic enim cùm fortiter se gereret, fide, spe, & fiducia erga Christum innixus, petentem illum perditorem sæuos inter tyrannos præualidum fortitudine, lapide duriore prostrauit: coronam victoriæ referens, infinitis propè laudibus & cantibus pro labore assiduè cumulatur. Et alter Ezechiel diuinarum ac mysticarum visionum spectator & interpres varietatis diuinarum manifestationum, & figurarum significationem continentium describens, mentem nostram per ea quæ sensu percipiuntur, tenuissimis diuinis institutionibus ad speculationem eorum quæ animo & cogitatione cernuntur, euehit. At verò quid opus est hunc sacrum & admirandum præconem ijs qui lucem adumbrant comparare? Præstat hunc ipsum his conferre, quos lux ipsa Christus per se splendere, secumque versari, & commercium habere dignatus est. Nimirum magno illi & omnium sommo Petro hic comparandus est, cui æternam ac sempiternam filij generationem, quę tota mente ac ratione comprehendi ac definiri nequit, (Siquidẽ is cùm Patre sempiternus est, ac sine principio) Pater ingenitus & principio carens reuelauit. Super quem tanquam petram, & inconcussum fidei fundamentum, Christus veræ vitæ petra, qui omnia fecit & continet, propriam Ecclesiam fabricauit: quemque cœlestis habitationis ac hæreditatis clauigerum, & hæredem declarauit, ac potestatem illi diuinam ligandi

gandi

gandi atque soluẽdi funes peccatorum præbuit. Qui & Regiam Romam ijs miraculis editis, quę à Christo vbertimè etiam manauerunt, illustrauit, & occiduam obscuritatem in splendorem clarissimum commutauit. Aut etiam comparandus tonitru filio, qui diuina & sublimia, & omnibus humanis auribus ac mentibus inaccessa, quæ nec ipsis etiam cœlestibus substantijs comprehenduntur, mundo intonuit, vt qui toto pectore in veram & perfectam sapientiam incubuerat, & ex beatis semperq; fluentibus mysticæ ac diuinæ ipsius cognitionis thesauris fluenta purissima hauserat. Vel Paulo eius illuminatori, & sacrificiorum præsidi conuenientius esset illum comparare, qui conuexa cœlorum supergressus est, & ea quæ à mortalibus nunquam visa sunt, inspexit, & quæ non licet audire, audiuit secretissima verba. Qui in paradyso nostra veteri patria ambulauit, & beatitudinem, quæ illic est, vitæque institutum perscripsit: à qua ob propriam petulantiam, & præcepti diuini transgressionem extorres facti sunt primi parentes nostri. Qui instar auis vniuersum orbem terræ peragrauit, & ex infidelitate ad fidem agrestes gentiles conuertit. Horum enim ardorẽ diuini zeli, ac dilectionis synceritatem, animi mansuetudinem, in propinquos commiserationem, modestiæ celebritatem, fortitudinis & libertatis loquendi splendorem imitatus, & ad diuinum cuiuslibet illorum vitæ institutum suam ipsius effingẽs Apostolicam gratiam, miraculorumq; potestatem, propheticum splẽdorem, & abditiora Theologiæ mysteria dignè à Domino retulit. Sapientiã enim, quæ ab illo ex Græcorũ eruditione collecta est disciplinæ * cœlestis anciliam cõstituit, & vti prudẽs lapis profanæ disciplinæ ornamẽta diuinæ & cœlesti Theologiæ cõsecrauit, ac à supremo diuinæ lucis fonte spiritu plenus loquutus est, & de rebus diuinis disseruit, eaque composuit, quæ omnem mentem in admirationẽ pertraherẽt. A consideratione enim eorum quæ videntur, ad eorum quæ non videntur contemplationem cogitatione suspensus, tresque clarissimorum cœlestiũ ordinũ Ecclesias, ac tres sanctissimos Angelicos apparatus sigillatim speculatus, non aliter ac si diuinus quidã atque cœlestis esset Angelus, & in eorũ, qui corpore carent, classem cooptatus, ordinemque inter ipsos & sacram præfecturam sortitus, splendorem animi ad sedẽ celsissimæ diuinitatis religiosè attollit, labijsque diuino & purissimo carbone purgatis, vnam indiuiduã in Trinitate, & increatam diuinitatem, vnam Dominationem, quæ omnia creauit, præuidit, & continet vnam substãtiam, vnã potestatem, & regnum, & potentiã, vnam voluntatem & operationẽ, & tres in vnitate hypostases eiusdẽ substantiæ, coæternas, ac omnes sine principio, numero quidẽ, & proprietatibus immutabilibus & immobilibus diuisas, cùm alioqui sint inuicẽ sine confusione vnitæ, singulæq; cũ proprietate sua considerentur, non loco, nõ confinio, neque qualibet circunscriptione (incorporeæ enim sunt, nec circũscribi possunt) separatas, Apagè, sed solis relationib⁹ distinctas diuinitus eloquitur, quatenus triplicẽ illorũ enumerationem absq; inquinatione ac collisione cogitare licet, vno cultu & adoratione veneratur. Vnũ Deum, vnum Dominum sibi colẽdum proponit, qui in tribus hypostasibus adoratur & colitur, dum ad vnum principiũ & causam filius & Spiritus sanctus referuntur. Et vt filius quidem ante omnia secula à solo Patre, siue ab illius substantia, & solo, & vnicè, sine corpore, sine affectu, sine tempore natus sit. Rursus verò Spiritus sanctus ab ipso solo Patre descenderit, & per Filium processerit, & hominibus se ostenderit, vnius principatum edocens, non quẽ vna persona circunscribit (fieri enim non potest vt aliquid secum dissidens diu perduret.) Sed quem naturæ par honoris conditio, & eadem consilii concordia, & idem motus, & ad vnum ex seipso conspiratio constituit.

** Vides hæretice etiam prophanæ Græcorum disciplinæ ornamenta, diuinæ & cœlesti theologiæ consecrata fuisse ab hoc sanctißimo viro, collectamque ex Græcorum eruditione sapientiam disciplinæ cœlesti ancillam constitutam fuisse.*

Vide pro hac doctrina processionis spiritus sancti D. Thomam in 1. parte, qu. 37. art. 3 ad secundum.

Sed ego dum magni huiusce Theologi 1 excelsissimam sapientiam humilibus tenuitatis nostræ loquutionibus ostendere pertento, similis ei videri possim qui cotula velit abyssum exhaurire. Extat enim liber diuino splendore plenus, qui radios verborum cœlestium luce solari clariores emittit, quibus tum falsi nominis scientiæ qua necatur anima, caliginem expellit, tum recta & diuina dogmata tutò manifestat & explanat. Non solum enim nugamenta & prodigiosa mẽdacia, quæ à semente zizaniorum Apostolorum temporibus superseta sunt, hæresi plena radicitus auulsit, verùm etiam impias blasphemias atque deliria omnia quæ in posterum contra sanctam parisque potentiæ Trinitatem, contráque verbum Dei hominẽ factum, nempe Christum seruatorem nostrum, & quę contra Christiani nominis plenitudinem, & contra 2 dedicationem & adorationem sanctarũ & venerabilium imaginum in sacris Ecclesiis & sedibus Apostolorũ per vniuersum terrarũ orbem irrepserant, funditus abstulit. Siquidem Deus palã huius ipsius lingua ancipiti quouis ense acutiore eminus euulsit & incidit quodlibet venenum, germẽnque seminum hæreticorum corrupit. Cęterùm Euangelicarũ & Apostolicarum prædicationum, & traditionum veritatem cõfirmauit, ac stabiliuit. Proinde vt fulgẽtissimæ diuinæ prædicationis illustris ac insuperabilis eius elocutio demonstretur, illius verba recitanda sunt, quibus dum de diuinitate, quæ tribus personis, nempe vna trinitate continetur, déque vnigenito filio Dei loqueretur, per manifestationem, quæ hominibus ob natiuitatem eius ex virgine contigit, vsus est. In explicatione enim diuinorum nomi-

1 Tu qui dicis Cœlestis, ac ecclesiasticæ Hierarchiæ, nec non & de diuinis nominibus libros nõ esse Dionysii Areopagitæ, vide ex hoc loco in quanto errore verseris.

2 Vides D. Dionysiũ sustulisse funditus impias blasphemias cõtra dedicationẽ & adorationem sanctarum & venerabilium imaginum, quæ in sacris Ecclesiis & sedibus Apostolorum per vniuersum terrarum orbem traditæ sunt. Quid hic dicere possunt hæretici?

nominum hæc dicit: In omni ferè diuini sermonis tractatione summam diuinitatem sanctè celebrari videmus, vt monadem quidem & vnitatem ob simplicitatem, vnitatemque eximiæ eius naturæ partitione carentis, ex qua tanquam vniente potestate in vnum redigimur, nostrisque quę mutationi, partitioniqué sunt subiectæ, naturis (quod humanũ excedit vsum) complicatis, in monadem diuinam effigiẽ referentem, vnitatemque Deum imitantem, colligimur. Vt Trinitatem verò ob demonstrationem in tribus personis fœcunditatis eius, quæ est supra humanum modum, ex qua omnis à patre cognatio in cœlo & in terra est, & nominatur. Vt causam præterea rerum omnium, siquidem omnia per bonitatem eius, quæ vt sint omnibus elargitur, in lucem sunt edita. Sapientẽ item atque pulchram esse perspicimus, quoniam ex his qui sunt quæcunque naturæ suæ propria seruãt incorrupta, diuinę omnis harmoniæ, sacrique decoris sunt plena. Cæterùm mirum in modum ab humanitate cõmendamus, quoniam in vna ex eius personis naturam nostram verè penitusque coniunxit, reuocás ad se, sibique adiungens humanam imbecillitatẽ, ex qua simplex Iesus ineffabiliter est compositus, & qui sempiternus est, temporis assumpsit incrementum, atque intra naturam nostram factus est, qui omnem cuiuslibet ordinis naturam (quod humanũ morem supergreditur) antecellit, nulla tamen propriæ naturæ mutatione facta aut confusione. Affinia præterea sunt hisce, quæ de Domini ad homines descensu ad Gaiũ scribit: Qua ratione (inquis) Iesus, qui omnia transcendit, omnibus hominibus naturæ communione copulatur? Non enim vt autor hominum hoc in loco homo dicitur, sed quòd tota ipse substãtia homo verè existat. Nos verò Iesum nõ humano more definimus: neque enim homo tantùm est: nam si esset tantum homo, naturam hominum non excederet. Sed verè homo est, qui cùm præcipuè humanitate sit insignis, homines cæteros antecellit, ac iuxta homines ex hominum substantia, qui substantiam omnem egreditur, humanam carnem assumpsit. Porrò nihilo propterea minus hac ipsa, quæ substantiæ vim omnem superat, natura perquàm plenus est, qui nimirum substantiam omnem huiusmodi naturæ celsitudine semper excellit. Cumq; verè ad substantiam descendisset, qui qualibet substantia maior est, substantiam nostram accepit, & supra hominem, quæ hominis propria sunt, euexit. Id virgo admirabili nouitate pariens manifestat, & aqua instabilis, dum materialium ac terrenorum pedum sustinet pondus, nec cedit, sed admiranda potentia instar solidæ materiæ subsistit. At reliqua, quæ sanè permulta sunt, quis recensendo percurrat? quibus qui accuratè & vltra humanum modum speculatus fuerit, ea quoque quæ in humanitate Iesu affirmant, protinus agnoscet vim præstantissimæ negationis habere. Et vt breuiter dicamus, neque homo erat, non tanquam humanitatis expers, sed tanquam ex hominibus ortus homines excellebat, homo super homines factus. Ac deinceps neque diuina vt Deus, neque humana rursus vt homo faciens, sed Deus homo factus, nouam quandam summamque agendi potestatem nobis impertiuit. In tractatu verò de sacro Ecclesiæ principatu speculationẽ de diuina vnguenti consecratione explicans, ait: Non igitur sacratissimus diuinarum substantiarum ordo ignorauit, Iesum Deum maximum è cœlis vt sanctificaretur descendisse, verùm ad humanã naturam sese ob diuinam ac ineffabilem eius benignitatẽ sanctè deiecisse, ipsum intelligit, & à patre, seque ipso, ac sancto Spiritu, humano more sanctificatum cernés, proprium nouit principium in his quæ summa potestate per substantiã, quæ nullo pacto immutari potest, efficit. Quare sacrorum signorum traditio sancto ac diuino seraphin circunstat vnguento, dum Christum in nostra verè penitusque humanitate immutabilem agnoscit atque describit. O sanctissima labia talia proloquuta. Quàm verè in ipsis effusa est gratia donorum Spiritus sancti, à quo dona in eos qui cùm animo, tũ corpore diuinè perpurgati sunt, proficiscuntur, quæ pontifex hic sanctissimus est consequutus. O linguã rebus diuinis explicandis, sacrisque pandendis maximè necessariam, quæ recondita hæc & arcana mysteria planissima nobis effecit. Verè (vt diuinum habet eloquium) calamus scribæ velociter scribẽtis appellata est. O clarissimam mentem, quę huiusmodi cogitationes, quæ omnium sensum atque sermonem antecellunt, edocta est & diuinitus illustrata. Quæ enim mẽs acutissimè & diuinè perspiciens, non omnem hæreticorum infensissimam contemnet aciẽ in breuissimis diuinorum horum verborum præsidijs prostratam atque consumptam, tanquam multitudinẽ inter molestissimas quasdam vulneratorum voces sanguine puluereque fœdatã? Hæc sanè & quidem admodum exigua in illius pulcherrimis diuinæ doctrinæ hortis, quasi flores à nobis excerpta sunt, vt excellẽtiam cœlestissimæ ipsius Theologiæ, & incõparabilis ac clarissimæ diuinæ illius assertionis de vera & incomprehẽsibili fide laudarem. Porrò sapientiã atq; scientiam, qua cùm in gubernando, tum in pascendo grege sibi concredito vsus est, quibus pro dignitate ornare laudibus possem? ex quo enim puppi gubernator insedit, apprehẽso temone, vndique ventorum incursus vigilanter explorat, procellásq; procul quidẽ ac sæpe etiã proximè irruentes pręcauet, vectorésq; tutos reddit, turbinis incursiones anteuertit, rudentibus vela subducit, atque remittit. Cæterùm ad secundos ventos attollit, rursúsque velut oportunè ape-

nè aperiens nauim clauo subigit, nauigationemque carina vndas personante, secundoque in puppim vento exsultante, lętus perficit. Quod si alicubi procellosa tempestas ingruit, nauim arte quadam singulari superiorem vndis constituit, & incolumem seruat. At si quando venti reflare desierint, atque tranquillitas vniuersam sedauerit tempestatem, neque ita quieti se aut sopori dedit, sed remigibus nauim remis subigere imperat, hortaturque omnino vigilare, vt cum pericula nauigantes effugerint, peracta nauigatione cum mercibus portū intrare feliciter possint. Non secus etiā ac capitarius aliquis feras perniciosas & grassantes, cuspide, funda, virgaq; pastorali arcēs, si medijs noctibus incursiones facere tentēt, facibus relisisque ignibus territat, custodit autem oues vbique oberrando, illas à noxijs pascuis submouens, & vbertibus atque amenissimis adducens, quod firmum est atque sanum, conseruat incolume, collapsum vero & ęgrotans, aut fractum aut vulneratum dirigit, cōstringit, vngit, & reparat: Plerunque enim ab vnguibus & ore ferarum rapacium, quod raptum est neque penitus est peremptum, sed adhuc spirat & palpitat, auellit, recreat, & tanquam de morte ad vitā reuocat: Hoc modo sapientissimus ille gubernator Ecclesiā vt nauigium nuper cōpactum in medio maris fluctibus vndiq; ingruentibus regere aggressus est, & gregis nuper nati, qui cōpos est rationis, præfecturam gessit. Simulachrorum item insania vehementer ingrauescente cum tyranni, tum stultorum mundi sapientum, ac rhetorum, qui contra eos qui ex Iudaica & vmbratili legis obseruatione, Gentiliumque impietate ad sanctam Christi fidem transplantati sunt, crudelius quam tetre debacchati sunt. Præfectus laudatissimus, & generosissimus Christi pastor, ex apostolica præfectura sanè quam dignus declaratus est, & electum Dei populū perspicaci, vigili, ac intrepido animo rexit, & feritatem eorum qui prophani & alieni a fide prædicationi aduersantur, purissimarum precum crebritate, ac loquendi libertate, sanctarumque manuum extensione, nec non assiduis erga Deum qui ipsam frangere feritatem potest supplicationibus commutauit. Porrò eorum qui amicitiam prætexunt, cùm nihilo sese pessimis hostibus melius habeant, ouium quidem pellem exterius, lupi verò habitū interius circūcincti insidias animo struunt, perspicuum omnibus dolū & fraudē fecit. Propositiones verò, intentiones ac oppositiones sophisticas rhetorūque cōtra saluatoris doctrinā differentiū, ac dialecticis dicēdi rationibus sophisticis, ac rhetoricis argumētis vtentiū vanas solū, quæ dissolui ac frāgi facilè possit, existimabat, & eorū noxias cauillationes atque problemata singula dilacerabat, & facillime dissoluebat. Quin etiam aduersus visibiles hostes, Dei & Regis nostri Christi potentia, quæ omnia potest, vigilans perdurabat, siremitum illorum comprimens, & falsi nominis scientiam reiiciens. Atque maximi quidem faciendum existimabat, si eicit eas impietatis & abominationes, quæ perperam antea multæ fuerant, à discipulorū animis aboleret, & diuinæ pietatis, tremendique sapientiæ præcepta illarum loco imprimeret. Neque verò eorum quæ tradiderat atque docuerat, fructus (vt aliquis existimare posset) repetere negligebat: minimè verò ipsa diuinorum sermonum mysteria, quæ non rectè factis niterentur, arboribus foliorum quidem vbertate ornatis, cæterùm sterilitate laborantibus similia esse asseuerabat, & fidem sine operibus mortuam esse docebat, illudque in primis doctrina illius spectabat, vti fideles mandatorum sese obseruationibus decorarent, neque vllum aliud certius argumentum syncerę & stabilis in Christū fidei & dilectionis existere dicebat, admonens vt horrendum futurum iudicium pertimescerent, in quo quisque prout vixerit, aut egerit, rationem est redditurus, [3] & eum qui rectam fidem custodiens, vitā Christiano viro consentaneam egerit, incorrupto iudici rectè factis placuerit, perpetuam bonorum verè beatorum voluptatē percepturum. Qui verò optima vitæ institutaа, & opera fidei non adiunxerit, sed hanc vitæ turpitudine contaminarit, illa demum propriæ amentiæ pœnas daturum, & seuerissimo ac perpetuo cruciatu torquendum aiebat. Omnes docens, instituensque iuxta Euangelicā viam & Apostolorum traditionem ambulare atque viuere, oportunè prædicationis mensuram in iudicio disponens. Nam infantes habitu recénsque natos lacte, hoc est, simplicioribus, & primis elementorū rudimentis, ætate verò perfectos, qui viriles sibi capaces essent, vtpote qui corpore simul & animo probè antè essent purgati, perfecta & arcana sapientia nutriebat plus [4] moribus quos in seipso præmonstrabat, quam sermone ducens, optima virtutis forma gregi factus. Commune enim Ecclesiæ corpus, quod multis varijsque cum gentibus & moribus, tum institutis & legibus constat, ipse simplex, multiplex, & varius gubernabat. Simplex quidem rectitudine & veritate, ab omni versutia & fraude alienus existens: Varius autem, omni rectæ administrationis & præfecturæ artificio aptam singulis curationem, & viuendi rationem adferens: & vni quidem ægrotantiam vnam, alteri vero alteram salubrem medicinam sapienter necessarioque admouebat. Nam & currentes hortabatur, vt eorum quæ retrò sunt obliti, ad anteriora extenderentur: rursus torpentes ignauosque ad imitationem probè currentium impellebat. Quod si ouis ab ouili aliqua exiluisset, longeque aberrasset, in solitudinibus circumeundo inuestigabat, fistula & pastoralibus cantionibus reuocabat, omniaque pera-

3 *Vides hæretice, quod hæc est sana Sanctorū omnium ac totius Ecclesiæ doctrina, nō sufficere solā fidem ad salutē, sed requiri etiam bona opera, & vitā Christiano viro consentaneam?*

4 *Hoc est optimū ducendi genus plus operibus instruere quā voce.*

peragebat & patiebatur, vt quæ errauerat, seruaretur. Manum verò iis qui à recta via deflexissent, porrigebat, & humi iacentes erigebat. Cęterum quàm iustè delinquentes, insolentesque & auersos à disciplina reprehenderet, quomodoque eos qui à proximis iniuria afficerentur, opprimerenturque vindicaret, quantaque in delinquentes clementia vteretur, cunctis pœnitentiæ portas pandendo, dum eos qui conuerterētur, libenter hilariterque tanquam Christi imitator admitteret, & Nouati duritiem ac superbam elationem, vbi primùm verbum Dei prædicare aggressus est, à sacris mœnibus ablegaret: oratio narrationem eorum quæ à Demophilo audacter dicta sunt, leuiter attingens auditoribus declarabit, permittens vt ex lectione eorum quæ pastor admirandus ad illum scripsit, plenius instruantur. Demophilus ille vnus ex ministris illis, qui à Dionysio diuino institutore sacris initiati erant, ex prouincia Athenis subiecta oriundus, per sacram eius sanctamque manuum impositionem minister ordinatus fuit. Cæterum qui censentur hoc ordine monachi appellantur, hoc cognomine illo maximè tempore nuncupati, qui ad portas templi iubebantur assistere. Igitur cùm proprium hic presbyterum tyrannicè oppressisset, in adytaque quo procedere illi non licebat, insiliisset, ab altari quoque ac hominum consecratorum loco illum submouit, nec sine conuitiis ac contumeliis expulit, quasi ægrè ac molestè ferens sacerdotem imitatorem Christi, post peccata quędam pœnitentiam agentem admisisse, quem vti impium aliquem ac scelerosum Demophilus arbitratus, calce expulerat, vtcunque ille rubore perfusus fateretur ad medicinam se malorum accessisse, sibique ignosci rogaret. Cumque Demophilus prorsus illum repulisset, magnum quiddam sibi visus est præstitisse. Itaque magnificè glorians maximo pastori quæ peracta essent communicat, ad quem epistolam illam maximè vtilem ac sapientissimam, omni virtute ac disciplina refertam vir diuinissimus scripsit, qua inenarrabilem benignissimi Domini nostri Iesu Christi circa nos præsertim pœnitentiam agentes misericordiam, & suam ipsius Deo similem commiserationem declarauit, horrēda historia in medium allata, quam vobis, qui ingenti animi ardore gesta laudatissimi patris gloriosa libenter audire consueuistis, proponam. Si libet (inquit) diuinam sancti cuiusdam viri visionem memorabo, neque irriseris: vera enim dicam. Cùm aliquando Cretam appulissem, sanctus Carpus hospitio me suscepit, vir si quisquam alius, ob ingentem animi puritatem diuinis speculationibus aptissimus: qui nec sanè prius 5 sancta mysteriorum sacrificia aggrediebatur, quàm inter primas preces, quæ ante sacrificium peraguntur, sacra illi ac propitia visio apparuisset. Ipsum igitur (vt idem aiebat) infidelis quidam aliquando tristitia affecerat. Tristitia autem hæc erat, quòd quendam ille ab Ecclesia ad impietatem abduxerat. Cumque Hilaria omnia ab ipso festi dies agerentur, & pro vtrisque (vt virum bonum decebat) preces effundere, Deumque seruatorem in auxilium accipere debuisset, vt alterum quidem ab errore conuerteret, alterum verò benignitate superaret, nec omni vitæ tempore ab admonendo desistere, vt eos hac ratione ad Dei cognitionem adduceret, & quæ in controuersiam venerant, tandem aliquando iudicarentur, vt quæ temerè per audaciam patrata essent, iure legitimo emendare cogerentur: is (cùm id non prius sibi contigisset) nescio quo pacto tum magno quodā odio ac amaritudine animi intabuit, itaque male affectus (erat enim vespera) obdormijt. Cęterùm media nocte (ipse namque consueuerat hoc tempore ad diuinas laudes apud se vigilare) surrexit, cùm neque somnos ipsos, nam & multi, & crebrò interrupti fuerant, absque perturbatione cepisset, nihilo secius ad diuinam colloquutionem stans, indignè tristabatur, & molestè ferebat, non esse iustum asserens, si viri impij, quique peruerterēt vias Domini rectas, viuerent. Et cùm hæc diceret, Deum obsecrabat, vt fulmine aliquo amborū vitas sine vlla misericordia prorsus abrumperet. Quæ cùm dixisset, confestim sibi visum esse videre referebat, domum, in qua erat, primùm quidem à summo culmine permotam, in duas partes mediam diuidi, ac rogum ante se magni luminis, & hūc (locus enim deinceps sub dio esse videbatur) è cœlo ad se vsque deferri, cœlum verò ipsum apertum, & super dorso cœli Iesum, cui innumerabilis Angelorum multitudo humanam effigiem præ se ferentium assistebat, & hæc quidem supernè vidisse, admiratúque esse Carpus aiebat. Cùm verò in terram oculos deflexisset, solum ipsum instar immensi ac profundi cuiusdam hiatus discissum se vidisse dixit, & homines quidem illos, quibus malè imprecatus fuerat, ante se iuxta os hiatus illius consistere trementes ac miserabiles, vt parū abesset, quin præ pedum suorum inconstantia iam iam deijciendi viderentur: verùm sub hiatu serpentes sursum repere, & circa pedes illorum sese mouētes, interdum quidem in spiram contractos, simul ingrauare atque pertrahere: interdum verò dentibus caudisque adurentes, irritantesque, vt qui in voraginem illos præcipitare omnino molirentur. Fuisse etiā viros quosdam, qui in medio pro serpentibus contra viros simul irruerent, perturbarent, impetum simul facerent ac ferirent. Porrò illi iam iam casuri videbantur, alij quidem inuiti, alij verò voluntarij, cùm à malo sensim cogerentur, simulque inducerentur. Hic Carpus dum inferiora aspiceret, plurimum se læta-

5 Quid hic appellat Dionysius sancta mysteriorum sacrificia, nisi Missæ celebrationē? Vt eos confundat qui nostro tempore negant missam esse sacrificium.

se lætatum, ac superiora neglexisse dicebat, molestè verò grauitérque tulisse, quòd necdum cecidissent, sæpeque cùm in hoc negotium incumberet, nihil profecisse, ac propterea indignatione affectum illis imprecatum esse. Moxq; cùm sursum oculos eleuasset, vidisse rursus dicebat cœlum, vt prius viderat, Iesumque factum illud miseratum de excelsa illa sede surrexisse, ac ad eos vsque benignâ illis manum porrigentem descendisse. Angelos item cum ipso simul alium aliunde assumentes, pro viris illis restitisse. Iesumque Carpo, manu adhuc extenta, dixisse: Deinceps me hostiliter percute, paratus enim sum denuò pro hominibus iterum seruandis mortem oppetere. Hoc mihi perantiquum fuerit, dum ne cæteri homines peccent. Intuere præterea num vsui tibi futurum sit hoc in hac voragine, & cum serpentibus domicilium, cum Dei, ac bonorum, & humani generis peramantium Angelorum consortio permutare. Hæc sunt quæ ego audiui, veráque esse credo. Omnino sanè in admiranda vna illa visione, amplissimi sacerdotis clementiam circa genus humanum non minus admirati estis, quàm clementissimi erga nos summi ac maximi sacerdotis Christi benignitatem. Hac audita vehementer etiam admirabimini, si Apostolica certamina cursúsque atque dona cœlestia audieritis, quibus illustris factus per totum orbem terrarũ emicuit. Non enim Atheniensium solùm pastor & magister fuit, sed magister magistrorum, pastor pastorũ, causarum cognitor, & legum lator fuit. Neque in Græciæ finibus cursus illi terminatus est, sed vsque Illyricum Paulum ducem suum & sacrorum institutorem proximè sequutus est. Cùm enim Apostolicam gratiam & signorum potestatem accepisset, instar Apostoli vbiq; terrarum iuis percurrebat: Euangeliũ veræ vitæ prædicabat, sagenis Apostolicis retibusq; quibus viui homines caperentur, ex ignorationis profundo erroris caligine oppressos ad veritatis lucem prouehebat. Nam quòd iis quibus per varias regiones atq; infinitas Ecclesiarum præfectura officiumque concreditum erat, tanquam doctor & alius quidam summus Apostolus, exemplaria doctrinæ, & monita recondita proponeret, apertè declarant decreta illa diuina & mystica præcepta quæ ab ipso tradita leguntur sanctissimis Ephesiorum, Smyrnensium, atque Cretensium præsulibus, Timotheo, Polycarpo, & Tito, quos ipsa sacrosanctæ Ecclesiæ fundamenta, Apostolos loquor, in Episcopos antea designarant. Quod verò cursum etiã Apostolicũ perfecerit, & admirandis editis miraculis diuinitus gloriosus apparuerit, multa quidem & alia fidem faciunt, quibus sequens oratio, quasi in transcursu manifestando percurret grauia certamina, quæ ille fortissimè dimicauit. Sed in primis nubes illa quæ ab Occidentis partibus abreptum sublimem ipsum abstulit, pérq; aërem ambulantem & elatum abduxit, vti etiam summos Dei inspectores, & Theologos Apostolos, alium aliunde repente e finibus terræ in celeberrimam communem omnium Christianorum matrem Hierusalem asportauit, & in excelsa diuinorum mysteriorum arce Sion Ecclesiarum matre, cæteris Christi discipulis copulauit, cùm Dei matris innocentissimæ corpori iusta persoluerentur, quod ob editum filij Dei partum, qui ex ipsa natus est, & ortum carnis ineffabiliter accepit: cum eáque familiariter vixit, magnis honoribus auctum à cœlestibus Angelorum ordinibus plurima cum pompa elatum est. Et ipsius delubrum mirandum in modum extructum sanctissimis 6 diuinisque Apostolorum capitibus & manibus ex Sion in Gethsemani translatum, linguis diuino spiritu percitis, igneis ac diuinissimis laudatum, & gloria cumulatum est. Hinc Virgo integerrima, quæ omnibus cœlestibus potestatibus sublimior est, & omni creaturæ dominatur, post celebratam eius memoriam ad sublimiorem cœli requiem est assumpta. At diuini ipsius præconis verba audienda sunt: Neque enim de Angelico ac decentissimo choreæ illius per aërem euolantis aduentu testis alius fide dignior inueniri potest. Et sanè hoc ipsum quoque perquàm accuratè à nobis obseruatum est, vt quæ præceptor ipse diuinus manifesta demonstratione tradidit, nos non attingamus, ne idipsum tractaremus, eloquia quæ ab ipso proposita sunt, repetentes. Siquidem apud Præsides nostros numine afflatos, & nos (vt ipse nosti) & plerique ex sanctis fratribus nostris ad visendum corpus illud, quod vitæ nobis principium attulit, Deumque suscepit, conuenimus. Aderant præterea Iacobus frater Domini, & Petrus, summa & maximè veneranda Theologorum maiestas. Deinde visum est, vt omnes sacri præsules post visionem illam, præpotentem diuinæ imbecillitatis benignitatem pro viribus quisque suis celebraret. Porrò post Theologos, omnes (vt nosti) sacros doctores superauit totus admiratione plenus, & præ stupore extra se positus, & eorum quæ laudabat, communione affectus. Idcirco ob ea omnia, quæ audita sunt, & oculis perspecta, siue intellecta, seu non intellecta, numine afflatus esse, & diuinus laudandi magister est iudicatus. Quid si ea tibi quæ illic diuina ratione tractata sunt, eloquar? Etenim nisi mei penitus sim oblitus, scio me partes quasdam diuinarum illarum laudationum abs te sæpius audisse. Quamobrem nullus, dilectissimi, orationi fidem habere detrectet, cùm eos qui circa Cornelium fuere, animo reputauerit: nam & illi non aliter ac qui cum Petro, Ioanne, & Iacobo fuerunt, gratia sancti Spiritus sub forma linguarum impleti, linguis loquuti

6 Ecce verè quod Virgo diuinis, Apostolos omnes sanctissimæ Dei genitricis exequiis interfuisse, diuinisque illorum capitibus & manibus eius funus fuisse elatum.

Hierotheum institutorem suum intelligit.

sunt, & edendorum miraculorum potestatem acceperunt. Quomodo enim qui quoquouersum erant dispersi, atq; alius aliò hospitium dirigere, & munus Apostolicum exequi mandatum habuerant, sic breuissimo tempore iuncti simul conuenissent, nisi vehiculo diuino nubi simili quisque dignus habitus esset? Et quidem omnibus, qui in initio salutaris prædicationis in vera fide ambulantes ab ipsa diuina luce illuminati sunt, genera linguarum, sanitatum dona, diuersarum virtutum operationes abundè à spiritu cœlestium donorum largitore, & boni totius fonte, nedum magno illi Dionysio Apostolorum coæuo sunt impertita. At fama inclyti ipsius martyrij tuba, opportunè sonans, diuina ipsius certamina ingredi ac intueri hortatur, orationemque ad gloriosa ipsius facinora celebranda transferre. Veruntamen antequam de martyrij ipsius propugnationibus dicere incipiamus, illud benignos auditores scire oportet, quod scripta Deo plena diuini præconis, sacrique martyris, cuius laudes nobis proposuimus, sequentes, beatum eius agonem in postremis Traiani regni diebus fuisse accepimus. Nam in quarto narrationis de diuinis nominibus capite, vbi amoris appellationem laudat, dicit: Iam verò quibusdam ex nostris sacrorum tractatoribus visum est, amoris nomen, quàm dilectionis esse diuinius. Scribit enim & diuinus Egnatius: Amor meus cruci suffixus est. Hoc enim verbũ diuinus Egnatius extremo supplicio Romæ dimicaturus, ac leonibus imperio Traiani regis cibus proijciendus, circa nonum Regni ipsius annũ, desæuientis contra Christianos pietatis amantissimos, Romanis per epistolam scripsit. Vt hinc liqueat, sub finem tyrannicæ sæuitiæ (vt pridem diximus) Dionysium sacrorum interpretem mortem occubuisse. Verùm cùm ad beatissimum Ioannem scriberet tonitrui filium, ac omnibus cùm terrenis, tum cœlestibus sublimiorem, qui de rebus diuinis instar tonitrui loquutus est, quiq; in Pathmo, edicto Domitiani post Titum fratrẽ eius Regnum adepti, (ambo enim Vespasiani filij fuêre) exulauit, cùm circa vltimum regni eius annum contra fideles desæuiret, propheticè hoc (cum futurorum prædicendorum gratia insignitus esset) prænunciando dixit: Nos certè nullum infortunium priuabit Ioannis radio omnia collustrante, nũc quidem memoria & innouatione tuæ veræ Theologiæ consequentes, paulò verò pòst (dicam enim, etsi hoc temerarium videatur) vobis ipsis coniungendos. Sum autem omnino fide dignior, si ea quæ à Deo edidici, quæque tibi præcognita sunt, etiam dixero, quod ex Pathmi carcere liber dimitteris, & in Asiæ regionem reuerteris, ibi imitãda rectitudinis exempla peracturus, & ea posteris traditurus. Domitiano igitur non multò pòst vita functo, iuxta oraculũ summi Patris Apostolicis & Propheticis donis insigniti, Nerua regnum adeptus, eos qui in exilio erant reuocauit. Tum verò Euangelista quoque maximus in Ephesiorum metropolim ciuitatem reuersus est, & oraculum rei euentus comprobauit. Porro cùm iam Nerua ipse quoque decessisset, qui habenas Romani principatus moderabatur, imperium ad Traianum Regem deuolutum est, qui contra Scytas, Thracésque, ac quamplurimas alias gentes parta victoria elatus, existimauit neminì imperare posse, nisi etiam venerandam ac piam Christianorum congregationem cultui & adorationi dæmonum, qui sunt detestanda simulachra, subderet. Proinde atrox illis bellum indixit, & vniuersam eius ditionem cruore martyrum, quoquouersum sæuissimis quæsitoribus dimissis, inebriauit, mandans, vt ipsi omnes Christianos simulachris sacrificia facere improbè cogerent, non obtemperantes autem, omni suppliciorum genere interimerent. Beatus igitur, terque, sæpiusque beatus Dionysius septuagesimum ætatis annum agens, per multa opprobria, tormenta, bella, & pericula mortis, cùm à suæ gentis hominibus, tum interdum à fide & religione coniunctis domesticisque philosophis, præsertim incipientibus, transiuit, & tam ingenti barbarorum ac gentilium in colendis simulachris insanientium multitudini, nec nõ ferocissimæ impiorum ac crudelium Hebræorum dispersioni expositus, cursum cursum peregit eius, quem Paulus, qui multum decertauit, quique cœlis illatus est, fecerat, quatenus præsertim ad temporis longitudinem spectat, & varios populos, quos signis & prodigiis ab ipso virtute sancti spiritus editis, fidei, quæ in Christum est, conciliauit: dum primæ persecutionis lõgissimos ac molestissimos cursus perageret, quos persecutorum primus, & omniũ quotquot vnquam regnauerunt, pessimus atque impurissimus Nero contra Christianum populum excitauit, qui & summos Christi discipulos de medio tulit. Reliquas verò tempestates, quæ subsecutæ sunt, quas insania Domitiani contra fideles adduxit, cùm fortiter pertulisset, in omnibusque probatus apparuisset, celeberrimam gloriam retulit. Quare fama velox quocunque permeans clarissimum eius nomen asperrimis Traiani auribus insonuit, Apostolicum eius cultum, quem vbique velocem ambierat, instar tonitrui annuncians, multum item sudorem, laborem, potestatem, cùm in verbis, tum in factis, quibus diuinissima & salutaris fides prædicata signis atque miraculis ab ipso admirabiliter editis confirmaretur, atque dilataretur, gentilium verò superstitionem & cultum simulachrorum infamari atque dissolui. Quas ob res Tyrannus furens turbatus, quosdam animo, vt feræ crudeles,

qui

qui Phalarim, Echetumq; sæuitia, immanitate ac crudelitate superare dicerentur, ad partes Occidentis destinauit, iniuncto illis onere vestigandi ac persequendi diuini præconis: & sicubi illum decretis regiis cedere, dæmonibus inseruire ac sacrificare reperissent, honoribus decorarent, ipsumq; hominum corona stipatum ad se deducerent: sin minus parêret, ibidem capitis obtruncatione puniretur. Igitur ministri diaboli sæuissima Tyranni præcepta implentes, tanquam equi quidam stimulis agitati, vel famelicæ feræ ad venationem excitatæ, in Galliam regionē cucurrerunt, ibíq; gregarios quosdam simulque plebeios solicitabant, vt celeberrimū diuinum præconem inquirerēt. Qui sanè cùm in Parelia paruo oppidulo, quod sic appellatur, eum inquirentibus esset ostensus, eò celeriter properarunt, ipsumq; caliginem, ac in colendis simulachris errorem & insaniam, tum veritatis præconio, tum diuinæ doctrinæ splendore, ac miraculorum prodigiis propellentem offenderunt. Oculis enim cæcorum lux restituebatur, surdorum aures aperiebantur, linguæ mutorum soluebantur, incessus claudorū constringebantur, variis morbis obstricti, implorato Seruatoris omnipotentis auxilio, per admirandæ sanctitatis eius ministrum mira facientem, ac in tenebris ignorantiæ positos ad cognitionis & salutis lucem adducentem, liberabantur. Interim enim fidelium multitudo augebatur, Deóq; per Galliam, ac magnam Germaniæ prouinciam delubra ponebantur: numerus verò superstitiosorum decrescebat, & simulachrorum templa diruebantur, Beliárque hostis potestas & fraus cōculcabatur, isq; in triumphum ducebatur. Quamobrem non ferens cernere suam ipsius potentiam dissolui, obedientes & ministros contra virū sanctum potentiæ illius inuasorem, & dedecoris indicem impulit: qui furibundi cùm ipsum comprehendissent cum Rustico & Eleutherio sanctissimis eius discipulis, filiisq; spiritu sibi coniunctis, quorum illum quidem sacrificum, hunc verò sacrorum ministrum consecrarat, ad Tyranni tribunal sistunt. Simul enim ambo decertabant, ac ductoris & præceptoris sui, quēadmodum etiam Pauli orbis terræ luminis Syluanus & Timotheus, certaminis & cursus socij erant. Hos toruo ac draconis aspectu intuentes, leonis rugitu interrogabant, dicentes: O despicate senex, túne es ille, qui cultum deorum nostrorum vetas, populósq; arte magica, & dicendi artificio, ac præstigiis confisus, illos venerari, & inuictis parêre Regibus resistis, vimq; mandatorum illorum reiicis? Cui nam temet addixisti? aut qua religione obstrictus es, & quem Deum prædicas? Ille verò audacissimam illorum contumaciam nihil veritus, animosè valde respondit: Vestræ ego impietatis vastator sum, impuritatis simulachrorum euersor, ac omnis gentilium erroris diffamator, potentiæ Christi vnigeniti Dei filij addictus, cui meipsum seruum commitui, cui etiam seruio in spiritu meo, qui ante quidem omnia secula sine affectione, & extra tempus à patre genitus fuit, in fine autem seculorum ex Maria virgine, sine semine ac corruptione carnem assumpsit, & in lucem editus, in omnibus, præter peccatum, mortali homini (vt nos sumus) similis factus, & cruce sua ac morte diaboli imperium, perempta morte, irritum fecit, ad inferósque sacer os descendit, & ibi tenebras dissoluit, ac eius resurrectione, quo tertio die à mortuis facta est, lux mundo illuxit, vitámque & incorruptionem attulit: qui vnum Deum in tribus personis inconfusè diuisis, nempe in Patre, & Filio, & Spiritu sancto, docuit venerari, cùm ipse alioqui vnus increatæ Trinitatis existens, simul cum patre sanctóque spiritu sempiternus, sine principio, eiusdémq; substantiæ sit. Hunc verum Deum prædicamus, hanc puram & irreprehensibilem fidem annunciamus, pro hac omnia pati parati sumus, non ignem, non gladium, non immanem ferarum agrestium feritatem, neq; hanc nunc à vobis tormentorum faciem excogitatam pertimescimus. Hanc igitur rtissimi ac sapientissimi Senis animi fortitudinem Tyranni admirati, eidem rursus eiusque certaminis sociis discipulis minas spirantes & insanientes dixerunt: Itane Regum nostrorum & principum iussa, decretaque à vobis contemnuntur, & honor deorum nostrorum insuperabilium & potestas despicitur? At diuus sacerdos martyrum aciei, cùm ob verborum, tum operum excellentiam antesignanus, audentius rursus respondit: Facessat Regis ac principum omnis impietas, & edictum Deo contrarium, & vestri dij qui nec cœlum nec terram fecerunt, vt imbecilles, vt vani, vt verè abominabiles pereant, indigni de quibus verba fiant: dæmonia enim sunt, & figuræ cacodæmonis consilio effictæ, & artificiosa manuum hominum opera. Similes igitur illis fiant surdi, cæci, sensus expertes, qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis. Nos enim verum rerum omnium Deum opificem, curatorem, & vitæ principem agnoscimus, & ipsum solum veneramur ac prædicamus, spemque in ipsum ponimus, & pro ipso mori libenter parati sumus, nosq; tanquam sacras victimas & hostias reputamus, & properantes ad hanc iugulationem valde gloriamur, vt qui nos denuò resurrecturos, melioremque ac beatiorem, perpetuoque duraturam hæreditatem consecuturos certo credimus, atq; adeo incorruptis coronis decoratum iri. Vos verò rursus, quotquot in ipsum non creditis, sed diuinitatem eius, regnumque verum, sempiternum, & fine carens propellentes, ministros eius interficitis, sempiterno igni,

 & im-

& immedicabilibus perpetuísque suppliciis traditos intuebimur. Ad hæc flagitiosissimi, & ab omni pietate alienissimi persecutores perturbati, ira pleni ac indignatione, frendentésq; dentibus, ensibus eductis, sanctissimo Dei præconi iugulum promptè præbenti diuinum sacratissimúmque caput, ac deinde capita duorum viæ, cursus, ac certaminum, non minus quàm prædicationis sociorum, amputauerunt: dũ ipsi ad cursum martyrij ac postremi finis certamen ceruices promptè proijcientes, ensisq; ictui alacriter protendentes anteuertere alter alteri festinarent, vt non à doctore & sacro institutore suo in hac mortali & spinas producente vita omnino relinquerentur, sed, vt dux ac præceptor eorum, ad muneratorem Deum breuiter cum eo simul commigrarent: Vt quemadmodum vnà in certaminibus laborabãt, easdem etiam coronas & præmia laboris participes simul acciperent. Quo enim pacto qui probè à pueris instructi, multisque ac variis exercitati laboriosis certaminibus, diuino Christi ipsius amore flagrabant, quibus omnibus, nec corpori nec animo parcere didicerant, vt ipso solo vero ligno vitæ fruerentur, non doctoris & præceptoris sui promptitudinem ad martyrij certamen imitarentur? Sicut enim fortissimus exercitus Imperator, qui sese prælio primus exponat, commilitonibus animos addit, dum bellicum canere præcipit, & hostium exercitibus obuius primus efficitur: Sic diuinorum peritissimus senex, grauitate ac maturitate senectutem assequutus, ad beatissimam pro Christo cædem primus exiliens, coronas victoriæ prætulit, & dulcissimos filios ad subsequendum, ac eandem beatissimam mortem libenter eligendam præparauit. Quis igitur eum, qui septuaginta annos natus Apostolicum cursum confecerit, seruatorem Christum prædicauerit, verbi salutaris nobilem & incorruptam sementem in terris rationis participibus seminarit, copiosam spicam messuerit, & fructus apprimè nobiles & honoratos in horreis sacris reposuerit, dignè admirari posset? Quis eum qui hucusque temporis Euangelico ritu strenuè se gesserit, ac inter tyrannos Christum oppugnantes, ac populum leonibus ac lupis oppositis ferociorem, victoriam retulerit, satis pro dignitate laudaret? Quæ lingua ad eius virtutes, rectè facta, & certamina celebranda sufficeret? Quæ quidem tribus terræ admiratæ sunt, cœlorum ordines beata prædicauerunt, Christus Rex omnium, & præmiorum distributor approbauit, & præconiis quibus victores ornari solent, coronisque illustribus, tam rectè munus Christianum exequutum, ac decertantem coronauit.

O sanctum & diuinum caput, pro vero Christi amore præcisum. O plenum plurimis ac maximis rebus diuinis & ineffabilibus caput sacratissimum, quarum mundus non fuit capax, innumeros longósque pro diuino præconio labores perpessum. O virum cũ cœlestibus ordinibus incedentem, & ea locutum quæ quemlibet sermonem & sensum excellunt. O diuinissimam animam illam, quæ corona stipata Angelorum ad 7 cœlestia culmina euolauit, quam dum magnificè ad gloriæ Dominum & coronatorem Iesum ascenderet, pro gloriosis laboribus præmiis auctam singuli Angelorum ordines laudarunt, ac certamẽ ipsius præmiis ac laudatione, quæ Angelos decet, munerati sunt: quam communis ipsorum laudator diuinè ac aptissimè concinnauit: quam cœlestis Hierusalem suas ipsius portas aperiens, sinu suscepit suo: quam Ecclesia primogenitorum, qui in cœlis ascripti sunt, amplexata est: quam spiritus & animæ iustorum, piorum & humilium corde in iustitia & sanctitate, moderata ac diuina animi æqualitate in mundo versatam, & fidem ad sanguinem vsque animosè professam, & pro ipsa martyrio functam, in sinum suscepit. Ob quam Apostolorum chorus decenter gloriatus est. In qua vatum sacrorum cœtus gestiens exultauit, & celebres conuentus agit, atq; lætatur: & eam effuso propriis in certaminibus sanguine florescentem, ac quasi regia purpura tinctam læti martyres præmiis cumulati ambiunt & exornant. Beata igitur prædicanda ciuitas est, quæ tuum maximè venerandum caput à Deo coronatum, & pretiosas reliquias asseruauit, atque duorum etiam condiscipulorum, quos tanquam victimas immaculatas, & suauissimi odoris incensum Deo obtulisti. O diuinorum præconum ac summorum præsulum & martyrum amplissime * Et sacro vestro cruore tinctam, ex quo medicina quædam ac fontes ad fidem confugientibus, & curationem contra molestas ægritudines exposcentibus perenniter profluunt. Quàm verè beata Paresia est, quæ magnitudine quidem Galliæ ciuitatibus cedit, dum verò te, ô Doctorum præstantissime, thesaurum omnibus mundi diuitiis pretiosiorem, in hæreditatem accepit, patronúmque & excubatorem acquisiuit, splendidior cunctis & beatior appellata est. Ei enim vt sanctitudo cœlitus datus es, qui cœtum ciuium & aduenarum Christi 8 colentem sanctum efficeres: Datus es ei etiam vt cœlestes diuitiæ, quæ delitias præberent, non eas quæ supercilium corporis attollunt, dulcémque ad breue tempus gustum exhibent, & celeriter labuntur atque deficiunt, quas terra & mare producunt, & sinus Ierius ac fluuius piscosus, profundúsque cum stagnantibus Nili fluentis certás circumambit, atque circumsonat. Murus munitissimus es oppositus, non labentibus & politis electis lapidibus erectus atque extructus, propugnaculis, turribus, & mu-

7 Anima Dionysij corona stipata Angelorũ, ad cœlestia culmina euolauit.

** Desunt nõnulla.*

8 Ecce quomodo ex sanctorum memoria, illorumque venerabilibus sepulchris ciuitates sanctificantur.

& murorum fastigiis vt ferreum septum innixus, sed tua tuorumq; commilitonum consecratione fundatus, vestrisque erga Deum benignis precibus ignem è cœlo deducentibus fundatus, quæ quinquagenarios, & centuriones, ac millenarios impios cum Barbaricis illorum exercitibus absumant. Salutaris portus propositus es, suscipiens eos qui ex vitæ huius tempestate secedunt: & pratum particeps sensus ac rationis, quod omnigenam circumuentantem temeritatem, tanquam hortus ille qui erat in Eden, arceat. In hac tuum sanctissimum templum erectum est, quod omne singulari benignitate fidelibus refrigerium præstat, ac quibuslibet spiritus alimentis oppositam mensam implet, quæ animas satiat, florere compellit, atq; incorruptam vitam elargitur. Es igitur Paresiæ diuino & sublimi altari impositus, inter eos qui tecum coronati sunt medius assistens, benignum Iesum verum Deum, summumq; sacerdotem, coronatorem, & omnis benignitatis autorem, vniuerso mundo propitium reddens, quem dilexisti, quem prædicasti, per quem capite truncatus coronam digne retulisti, nunc eos qui in sacram ac venerandam hanc tuam 9 celebritatem & optatissimam memoriã celebres conuentus agunt, laudantes, ac martyrium præmio dignissimum honorantes, aspicere, amplexari, atque iis bene precari, ac benignum Deum propitium reddere, & precibus compellare velis, te maxime ac diuinissime Præsul, martyrum illustrissime, obsecramus, vt à molestia vitæ, quæ nos circumstat, liberare: tyrannidem, quæ in nos grassatur, tollare: mœrorem, quo obsiti sumus, repellere: tranquillitatem ac profundam requietem, & statum perturbatione vacuum Ecclesiis impertiri digneris: vt pace constituta, & vna diuinæ religionis concordia, & paritate consilij dominante, verus & summus ille pastor, & princeps pacis Christus ab omnibus vnanimiter glorificetur. Quem decet omnis gloria, & honor, & imperium cum eius patre, qui principio caret, eiusdem substantiæ, & spiritu sancto benigno, vitæque datore, nunc, & semper, & in perpetuas seculorum æternitates. Amen.

9 Vide num antiquus Ecclesiæ mos fuerit in sanctorũ festiuitatibus solennes conuentus apud eorũ Ecclesias agere. Vide nũ sancti in cœlo pro nobis orent. Vide nũ antiqui patres sanctos inuocarent, nec ob id timebãt obtenebrari necessariam Dei inuocationem.

VITA DIONYSII AREOPAGITAE, PER Suidam scripta, & per Albertum Linum Clericum Veronensem interpretata.

Dionysius Areopagita, Athenarum Episcopus fuit, vir excellentissimus, externisque 1 disciplinis eruditissimus, à Paulo ad Christianam religionem initiatus. Quod verò ad externarum disciplinarum studia attinet, quæ Athenis vigebant, doctrina omnes antecellebat. Nam singularum propemodum quæ ab eis coluntur, sectarum, magnam habuit cognitionem. Hic Paulum Apostolum Athenis concionantem, Christumque & resurrectionem Græcis audacter libereque euangelizantem audiuit, quumque Pauli prædicatione persuasus Christianam fidem amplexus fuisset, ab ipso etiam Episcopus vrbi præficitur. Initio itaque Imperij Tyberij Cæsaris, quo quidem tempore & ipse florente erat ætate, in Ægyptum nauigauit, cum sapientibus eius regionis congrediendi cupidus. Erat autem vnà cum eo & Apollophanes ille sophista, quem Polemon Laodicensis Aristidis præceptor Smyrnæ perpetuò audiuit. Quum igitur Christus Dominus supplicio crucis afficeretur, erant ambo Heliopoli, quæ est in Ægypto. Ac sanè eclypsi Solis non secundum naturam facta, (neque enim coniunctionis tempus erat) Apollophanem sophistam hæc ad beatum Dionysiũ dixisse ferunt: O bone Dionysi, Diuinarum vicissitudines rerum sunt. Commemorat autem hæc omnia ipse Dionysius in epistola quam ad Polycarpum magnum Smyrnæ Episcopum scripsit (conuitiis enim Dionysium ob Christianam ab eo religionem susceptã Apollophanes consectabatur) & ait: Tu autem affirmas Apollophanem sophistã in me maledicta conijcere, parricidámq; appellare, quippe qui Græcorum doctrinis contra Græcos vtar non piè. At nos verius aduersus illum possemus dicere, Græcos diuinis contra diuina nefariè vti, diuinum cultum per Dei sapientiam conantes exterminare. & paulò pòst: Verùm & ipse Apollophanes diuinis contra diuina vtitur non piè. Nam rerum cognitione, quæ ab ipso dicitur philosophia, atque à diuino Paulo Dei sapientia nuncupatur, veros philosophos ad autorem tum ipsarum rerum, tum earum cognitionis oportuit adductos. Et post pauca: Debebat Apollophanes quum sit sapiens, considerare, nullum ex corporibus cœlestibus ordinem & motum proprium variare, & mutare vnquam aliter potuisse, nisi eum qui & autor fuit vt esset, quique ipsum continet, ad hoc momentum habuisset, qui, vt sacræ testantur literæ, omnia facit & transfert. Et rursus post pauca: Dic autem illi, Quid de eclypsi, quæ dum Saluator noster ageretur in crucem, facta est, dicis? Nam cùm ambo Heliopoli tunc vnà essemus, admirabiliter Lunam cum Sole congredientẽ spectabamus (neq; enim congressionis tempus erat) Rursumque ipsam Lunam ab hora nona vsque ad vesperam supernaturaliter ad diametrum Solis in aduersa cœli parte oppositam. Insuper autem & hoc illi reduc in memoriam. Non enim eum latet, quòd ipsam Lunæ cum Sole congressionem ab Oriente

1 Ecce quomodo etiã excellentissimus hic vir externis disciplinis eruditissimus fuit, nec obstiterunt, quin Dei seruitio totum se manciparet.

incipientem vidimus, atque vsque ad finem corporis solaris, quoad scilicet illud nobis totum obstruxisset, progressam, deinde regressam. Ac rursus non ex eadem parte & congressionem & repurgationem fieri conspeximus, sed ex contraria per diametrum. Adeo multa eo tempore supra naturam facta sunt, solique Christo omnium autori possibilia, qui facit magna & mirabilia, quorum non est numerus. Hæc illi dicito, si tibi fas est, & si potest Apollophanes redargue, præsertim aduersum me qui tecum vnà tunc aderam, & simul vidi, atque expendi omnia, simúlque supra modum sum admiratus. Cæterùm & Apollophanes nescio quo spiritu tunc cœpit vaticinari, hæcque ad me, velut qui ea quæ tunc fierent coniectaret, dixit: Diuinarum vicissitudines rerum sunt. Hæc magnus Dionysius (vt epistolæ hæ vitas ferebat) ad diuinum Polycarpum scripsit. Porrò eius sapientiam & eloquentiam stylus præstantissimus librorum ab ipso conscriptorum planè demonstrat. Siquidem & externarum quæ vocantur disciplinarum, & diuinarum, nostrarúmque peritissimus fuit. Nam si ad suorum verborum splendorem, sententiarúmque profunditatem respicias, non humanæ naturæ, sed cuiusdam immortalis, diuinæque virtutis hæc esse fœtum existimaueris. Opera autem ab eo conscripta hæc sunt: Ad Timotheum Ephesi Episcopum, ad ipsum Pauli discipulum de diuinis nominibus libri duodecim. De vnita & discreta Theologia. Quæ sit orationis virtus, & de beato Hierotheo. De reuerentia, & conscriptione theologica. De bono, Luce, Pulchro, Amore, Ecstasi, Zelo. Et quòd malum neque est aliquid, neque ex iis quæ sunt, neque inter substantias est. De ente, in quo & de exemplaribus, de vita, de sapientia, sensu, ratione, veritate, fide. De virtute, iustitia, salute, redemptione. De magno & paruo, eodem, altero, simili, & dissimili, statu, motu, & æqualitate. De omnipotente, antiquo dierum, in quo & de seculo, & temporibus. Et quid sibi vult ipsum esse. De sancto sanctorum, Rege regum, & Domino dominorum, & Deo deorum. Alius liber ad eundem Timotheum de Ecclesiastica Hierarchia quindecim continens capita. Alius item ad eundem de cœlesti Hierarchia, continens & ipse capita quindecim. Necnon alius de mystica Theologia quinque distinctus capitibus. Feruntur autem & eius epistolæ ad Gaium cultorem quatuor, ad Dorotheum ministrum vna: ad Sosipatrum sacerdotem vna: ad Policarpum Smyrnæ Episcopum vna: ad Demophilum Cultorem vna: ad Ioannem Theologum Apostolum & Euangelistam vna. Sciendum est autem quosdam ex philosophis externis, & Proclum imprimis, beati Dionysij speculationibus sæpius vsos fuisse, imò etiam iisdemmet ipsis verbis. Ex quo suspicari licet, veteres philosophos Athenis florentes, quum eius opera, de quibus ipse ad Timotheum scribens mentionem facit, pro suis vsurpassent, ea occultasse, quò diuinæ eius doctrinæ autores ipsi viderentur. Prouecta igitur iam & decrepita ætate Dionysius spiritus martyrio pro Christo consummatur, Traiano Cæsare imperante, quo etiam tempore diuinus Ignatius immortalitatem strenuè vsque ad finem pro Christi fide certando est adeptus. Laudationem in magnum Dionysium scripsit Michael Syngelius Hierosolymitanus, in qua dicit: Quæcunque autem per traditionem [2] non scriptam, aut ex scripto accepimus, venimus vobis audiendi cupidis expositum. Talis igitur ab antiquo tempore à patre filio traditus sermone ad nos peruenit, magnum hunc Dionysium salutiferæ passionis tempore, quando sol in meridie obscuratus est, rei nouitate magnopere obstupescentem, atque vltra humanæ cognitionis fines progressum, quum id quod acciderat perpendisset, dixisse: Ignotus patitur Deus, per quem hoc vniuersum oppletum est tenebris & commotum. Et confestim notato tempore, in quo prodigium hoc longe lateque per vniuersum patens orbem factum fuerat, apud se ipsum seruabat, quid inde portenderetur expectans.

Vides quod huiusmodi libri sunt Dionysii Areopagitæ, contra sciolorum nonnullorum delyramenta.

2 Ecce quomodo in sancta Dei Ecclesia sunt duplices traditiones, scriptæ videlicet, & non scriptæ, & vtraque sancti patres veteres diligentissimè obseruarunt.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPIscopus Veronensis Lectori optimo.

MEmini sæpe inter grauissimos viros me præsente motam fuisse quæstionem, num Dionysius Areopagita, qui a beato Paulo Apostolo ad Christi fidē conuersus est, Athenarum postea præsul, etiā Parisiensis Ecclesiæ Episcopus fuerit: & nū sub Domitiano, an sub Traiano Imperatore passionis suæ agonem consummauerit. Nec quærendi ratio deesse videbatur. Metaphrastes enim hic noster, & Michael Syngelius, qui profusius eius gesta describunt, Athenarum primum, deinde Parisiorum Episcopum eum faciunt: Sed Ado Treuerensis Episcopus, & Suidas Græcus autor nullam de secundo Episcopatu mentionem habent. Præterea idem Syngelius, Ado & Suidas eum sub Traiano: Metaphrastes vero sub Domitiano consummatum asserunt: Qua de re cum ego quandoque (vt fieri solet) meā rogarer dicere sententiā, eundem prioris & se-

& secundæ quoque Ecclesiæ Præsulem fuisse, me credere liberè professus sum. Quid enim si hoc Ado & Suidas non dicant, cùm duo alij præclari viri id constanter affirment? Studuerunt illi breuitati, nec omnia quæ hi recensuerunt, illi commemorarunt, vt per te ipse videre potes. Potuit ergo esse Parisinus quoque Episcopus: etsi illi hoc omnino tacuerunt. Multa et celebria miracula, tot insignes picturas, quas nos Lutetiæ proprijs oculis inspeximus, quæ hac de re manifestam nobis fidem conciliant, vt contrarium asserere in partibus illis piaculum esset maximum. Sub Traiano autem principe eum Christo hostiam factum non dubitamus: praualet enim vni trium singularium virorum testimonium. Verùm hæc Imperatorum variatio, vt paulo antè dicebamus, non multum permouere debet Lectoris animum. Cum enim Domitianus & Traianus non plus fortè quàm xx. annos inter se distent, & sanctus ipse etiam sub Domitiano multa pro Christi nomine pertulerit, non dubitauit Metaphrastes Domitianum suæ persecutionis autorem nominare. Habes ergo meam de præstantissimo Christi martyre sententiam. Vtinam autem tu, ego, & qui unque Christo nomina dedimus, Dionysij fidem, pietatem, doctrinam, zelumque imitari possimus, qui tam ei quæ in oriente, quam ei quæ in occidente sita est, ecclesiæ datus est in speculum, & exemplum præclarissimum. Propterea etiam quatuor in locis illum hucusque apud nostras has lucubrationes descriptum inuenies. Vale, & conatus hos nostros precibus tuis foue.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS
Dionysij Areopagitæ.

Per Simeonem Metaphrasten.

IIII. Octob.

OLIM quidem fides sita erat in figuris, & ænigmatibus, & nube vmbræ tecta erat lux veritatis. Postquam autem nostræ salutis magnum peractum fuit mysterium, & qui finxit sigillatim corda nostra suæ benignitatis in nos misericordia, citra peccatum natus est sicut nos: & alia subiit, quæ sunt humanæ imbecillitatis, vt ego primam reciperem nobilitatem: & postremò condemnatus fuit morte crucis: & ne dicam singula, sunt enim multa intermedia œconomiæ carnis salutiferæ mysteria: finem accepit corporeus aduentus: incipit clara manifestatio veritatis: & in cœlum ascendit meus Christus, & ad sedem paternam reuertitur: & qui ex ipso [2] procedit, spiritum dimittit Discipulis, vt essent duces Gētium infidelium. Per quem beatus quoque Paulus ex vmbra deductus fuit ad veritatem. Tunc, tunc is zelo Christi percitus, quemadmodum ipse captus fuit ad pietatem, ita etiam orbem terræ ad se studebat attrahere: & Christo per fidem cōiungere. Et vt ea omittam, quæ ab ipso Amphipoli facta sunt, & in Thessalia, & in omnibus locis in quibus eius sermo, perinde ac quædam sagena, multos venatus est ad pietatem, eorum solùm meminero, quæ Athenis facta sunt, per quæ ab Apostolo ipso magnus quoque captus fuit Dionysius: qui patriam quidem claram, & parentes claros consecutus, ad magnam peruenit gloriam. Nam iusti quidem erant, si vlli ex Atheniensibus, ne dicam soli: ita vt iustitia insigne illis esset, æqui amicis, mansueti hospitibus, benigni in familiares, & vera bonitas erat eis bonitas, non ostentatio, quæ habet improbitatem magna ex parte insidiantem: imò quidam apertus animæ fœtus, & character internæ affectionis. Postquam autem fuit diuus Paulus Athenis, & congressus cum Epicureis, & Stoicis, qui Pythagoræ dogmata sectabantur, instabat operi, nempe vt eos abduceret à dogmatibus impietatis, & traduceret ad pietatem, & euerteret templa simulachrorum, & persuaderet Atheniensibus fore vt resurgerent in vltimo die iudicij, & darent pœnas eorum quæ fecissent, ij vt qui essent alijs affecti superstitiosius, & in multas diuisi essent opiniones, aggrediebantur eum subsannare, vocantes eum annunciatorem nouorum quorundam dæmoniorum. Ne autem ab eis appeteretur sola subsannatione, sed molestum etiam aliquid sustineret, dans rationem eorum quæ ab ipso prædicabantur, apprehendentes eum duxerunt in Areopagum, qui tunc quidem erat locus congregationis, & Athenarum erat adhuc iudicium. Nam etsi tunc Romani in omnes obtinuerant imperium, Athenienses tamen & Lacedæmonios sui iuris dimiserant. Cùm eum ergo adduxissent in illorum conspectum, qui & propter sedium altitudinem, & quæ erat eorum sapientiam, se magnificè circumspiciebant: & simul eorum quæ fiebant auditores & iudices præsidebant, quorum vnus etiam erat Dionysius, cuius & in dicendo, & in iudicando præcipuæ erant partes: Quænam est hæc noua, quæ à te dicitur doctrina, Paulo dixerunt, sapientissimi, & ingeniosa decreta: & quis est Iesus Deus & homo:

2 Ecce locus, bone lector, de quo tibi supra in Epistola quinti Tomi mentionem fecimus, etiam per Synodū œcumenicam Florentinā adductus, à quo manifestè ostenditur Patres quosdam Græcos & præcipuè veteres tenuisse cū Latina Ecclesia, spiritū sanctum etiā à filio procedere.

& in ligno vitæ dator: & iudex à quo in ius vocatur quilibet redditurus rationem? Quædam enim noua, & aliena defers ad aures nostras. Volumus ergo scire, quid hæc sibi volunt, & quò tendunt. Ille autem res eorum primùm extollens, & laudans: ne insueris & alienis verbis irritarentur (iram enim, ait ille, auertit se submittens responsio) Viri, inquit, Athenienses, per omnia quasi superstitiosiores vos video. Transiens enim, & aspiciens ea quæ colitis, inueni etiam aram, in qua inscriptum erat, Ignoto Deo. Quem ergo ignorantes colitis, eum annuncio vobis: si eum fortè contrectaueritis, & inueneritis: etsi non sit longè ab vnoquoque vestrum. In ipso enim viuimus, & mouemur, & sumus. Hæc cùm audissent, quoniam grauibus sententijs plena erat oratio, tanquam sono tonitru essent obstupefacti, elingues, & muti euaserant. Cùm autem vix tandem dixissent: Audiemus te postridie, eum dimiserunt è iudicio. Egreditur ergo Paulus, non inanibus, vt vulgò dicitur, manibus, sed secum accepto, qui eum sequebatur, præside, & classis sophistarum principe, hoc magno, inquam, Dionysio. De quo tanquam quispiam victor Olympicus, aut dux exercitus, suæ linguæ erexit trophæum, & hunc fructum collegit ex oratione, quam habuit ad Athenienses. Iis enim, quæ de Iesu dicebantur à præcone veritatis, cùm à se prius visam in tempore passionis, innouationem sibiipsi explicuisset luminarium, & hanc humanam despexisset sapientiam, sectatur verbum veritatis, & adiungitur Apostolo: & regenerationis lauacro consummatus, fit simul discipulus, & præco Christi, qui est primus doctor veritatis. Et cùm primas fidei exercitationes & disciplinas à beato percepisset Hierotheo, & in verbo, & in vita ab eo docetur, & Spiritus sancti communionem ab eo consequitur. Deinde ascensiones in corde suo disponens, philosophatur veritatem: quærit cum veritate, de anima, de corpore, ac de substantia rerum gerendarum: mortificat omnia membra sua, quæ sunt super terram, carni multas leges constituens ad obediendum spiritui: docet aures auscultare quæ diuina, & quæ sunt de Deo audienda: iis autem quæ sunt extra ea, diuinum metum inexorabilem adhibet ianitorem, & totum oculum traducit ad veritatem contemplandam. Quod autem ad linguam pertinet, etsi non in ijs in quibus oportebat, olim edocta fuerat, philosophicè tamen, & Atticè, multaque cum diligentia erudita erat. Itaque breui Dionysius (ô miraculum) superat omnes qui præcesserant: & cùm potestatem non suffuratus esset, nec rapuisset, sed per gradus transijsset inferiores, & pulchrè pasci didicisset, ad superiora mox peruenit, & pascit postea cum experientia: & cùm modestè parere didicisset, imperat modestius: & cùm docuisset cum veritate, obijssetque omnes boni ordinis partes, tandem ei mandato Athenarum pontificatu, clauis præsidet Ecclesiæ, ostenditque suum generosum animum, & pugnat pro grege: expellitque bestias, & eius quod morbo laborat curam gerit, & quod longè est remotum, reducit: & vt semel dicam, sicut eius magister, omnibus fit omnia. Cùm sic autem docuisset, & de Trinitatis diuinitate disseruisset, tractat de supernis virtutibus. Cùm verò ad tantam peruenisset gratiam, vt quando Deiparæ, quod Deum suscepit, corporis 2 emigrauit spiritus, simul adesset cum Apostolis, qui per spiritum, & nubem ad hanc sacram accesserant sepulturam, non amplius existimauit oportere vna ciuitate, nempe Athenis, circunscribere tales opes gratiæ: sed volens multiplicare talentum, & sequi sui magistri vestigia, relictis Athenis, & terra, & mari multa passus grauia, nec tamen ab eis retardatus, sed supernarum rerum contemplatione; inferis omnibus superatis, ad regiam vrbem peruenit Romam, & accedit quidem ad Clementem, qui tunc sedem tenebat Apostolicam, quique à magno Petro fuerat edoctus, & cui ab illo fuerat credita sedes. Ad eum ergo accedit Dionysius, & cùm ei suum exposuisset Euangelium, & opus sacri ministerij, ei, vt qui esset ijsdem moribus & sententia, communicasset, ipse eum adhortatur, vt transeat ad partes Occidentales. Cùm ex ijs ergo qui eum sequebantur ministris per vicos & ciuitates alios alibi distribuisset, & salutare Dei Euangelium iussisset prædicare, ipseque Rusticum & Eleutherium, illum quidem charismate sacerdotij: hunc autem, nempe Eleutherium, honestatum diaconatu, accepisset adiutores, non secus ac magnus Apostolus Syluanum & Timotheum, & ad Gallos venisset Occidentales, non solùm verbis doctrinæ, sed etiam signorum operibus fungebatur munere Apostolatus, medius apparens iis qui in vnaquaque ciuitate conueniebant, & de pietate verba faciens sine intermissione, & inducens auditores ad agnitionē eius qui ipsos creauit. Cùm sic ergo veritatis verbum prædicaretur, & diuina quidem fides confirmaretur, amoueretur autem omnis fraus dæmonum, cùm quendam ex ijs qui cum eo versabantur, inclytum, inquam, Lucianum, qui etiam presbyterij dignitate erat ornatus (eum enim sequebantur multi ex ijs qui virtutem amplectebantur: simile enim, vt dicitur, simili delectatur) misit ad ciuitatem insulæ Belbecansis prædicaturum pietatem: ipse verò simul cum Rustico & Eleutherio ingressus interiorem Galliam, cùm hoc responsum habuisset ab Angelo, venit in ciuitatem, quæ dicitur Parisij, vt cùm in ea verbum seminasset pietatis, & redi-

2 Ecce verū esse quod ex patrum traditione accepimus, omnes Apostolos per spiritum & nubē adductos interfuisse sepulturæ sanctæ Dei genitricis.

mitus

mitus esset corona martyrij, cum fiducia sisteretur coram Deo agonotheta, quod quidem est summum eorum quæ desiderantur. Cùm ergo venisset ad hanc Parisiorum ciuitatem, & eam inuenisset plenam incredulitate: quæ eorum quidem quæ in ipsa erant pulchritudine, & excellentia ciuitatibis magnis erat longè inferior, impietate autem adeo erat omnibus superior, vt ne posset quidem cum ea conferri, vndique ab immanibus occupata habitatoribus, & tanquam vallo aliquo valde munita illorum crudelitate, & eam opponens, tanquam aliquod aliud præsidium. Adde quòd cum omnium fructuum esset fertilissima, & abundaret maxima rerum omnium copia, ciues suos magis incitabat ad vitia. Cùm in hanc ergo sic affectam venisset ciuitatem, obibat perscrutans, si quem locum aptum inueniret ad quietem. Quod autem quærebat consecutus, pro viribus statim templũ habuit: & vt qui in regione aliena esset hospes & aduena, & multos haberet aduersarios propter diuersitatem opinionis, excitat oratorium & templum, quod planè erat salus animarum. Nam cùm maximam piorum multitudinem in eo congregasset, & puros sacrificatores Deo exhibuisset, sanctum gregem, vt semel dicam, templum effecit: cuius ipse erat pastor non mercenarius, quemlibet qui errabat incredulitate, veritatis fistula ad fidem reuocans, & eos qui errore ægrotabant, curans salutaribus medicamentis scripturarum: eos autem qui iam erant contriti, doctrina alligans, & ad veram ducens sanitatem. Sed vt certa nobis via procedat oratio, hoc quoque eius admirabile, vt ex illius epistolis sciri potest, narrabo. Dionysio erant quidem alij quoque ministri, vnus autem ex iis erat etiam Demophilus, qui ciuis erat Atheniensis, habitu; & vita monachus. Monachatum 3 autem ei imposuerant puræ & sacris initiantes manus Dionysij: apud quem hoc ipse prius ministerio functus erat, vt præesset ianuis templi. Is cùm aliquando vidisset suum presbyterum, quendam impium atque peccatorẽ ad pœnitentiam conuersum, illique procidentẽ misericorditer excepisse, calcibus quidem reuerenter accedentem, peccatorumque remedia verecundè quærentem adstans exturbauit, ac contra disciplinæ ordinem reiecit: Sacerdotem autem optimum non veritus est lacerare conuiciis, miserabilem eum dicens, qui impium iustificasset. Ac tandem: Exi, inquiens Sacerdoti, cum similibus tuis contra fas omne irrupit in adytum, & sancta sanctorum prophanare ausus est. Cæterùm Pontifici Dionysio, tanquàm magnum quid effecisset ad virtutem, describit quod factũ fuerat, susq; deq; iactans, in illa audaci epistola, quod Deũ vltus esset, quodq; sancta, cùm violanda essent, summa cura ac diligẽtia seruauit, atq; illibata custodiuit. Quid ergo ille? Nũ, vt vulgus solet, fuit animo perturbatus: aut reputatus est vel parum quid omnino mutauisse de ea bonitate, quæ ei coaluerat? Hoc minimè dici potest. Neq; enim facto vltus est eum qui peccauerat: sed facto, & sermone salutari erudiit, quæ simul ad virtutem, & omnem moderationẽ informat & componit, illam scribens epistolam, & exemplum mansuetudinis Aaron, Dauid, & alios adducens. Cuius, vt omittam aliam ad bonũ exhortationem, meminero certè visionis, quam ei narrat, vt quæ sancto Carpo apparuit. Sic autem se habet ad verbũ. Cùm aliquando in Cretam venissem, me sanctus hospitio excepit Carpus, vir, si vllus alius, propter maximam mentis puritatem ad Dei contemplationem aptissimus. Is nunquam aggrediebatur sanctam mysteriorum 2 celebrationem, nisi in precibus, quæ illam præcedunt, ei prius appareret sacra & beneuola visio. Ipsum igitur (vt referebat) infidelis quispiam aliquando molestia affecit: Molestia autẽ erat, quòd ille quendam ex Ecclesia traduxisset ad impietatem. Cumque eius celebritatis, quam vulgus Hilarias vocat, dies agerentur, qui debuerat benignè, vt virũ bonum decet, pro vtroq; precari: & Dei Saluatoris accepto auxilio, alterũ quidem conuertere, alterũ autem bonitate vincere, & non cessare eos admonere per totam vitam donec pœnitentię tẽpus superesset: & sic ipsos ad diuinam deducere cognitionẽ, vt iam tandem & illis erant ambigua & obscura patescerent, & ab eis quæ præter rationem audacter admiserant, resipiscere legitima seueritate cogerentur: is nescio quo pacto (cùm intra semetipsum id antea passus non esset) tunc vehementem indignationem, atque amaritudinem imbiberat animo. Et sic quidem affectus obdormiuit: erat enim vespera. Circa verò mediam noctem, quo tempore consueuerat ipse semper apud se ad diuinos hymnos 3 vigilare: expergiscitur quidem, & surgit, cùm somnos parum quietos, & crebrò interruptos, nec absque perturbatione cepisset: stans igitur ad diuinam precem, & collocutionem non satis intentè, irreligiosè angebatur animo, & ægrè ferebat, dicens, non esse iustum si viuãt impij homines, qui vias Domini rectas peruertunt: & propterea Deum rogabat, vt aliquo fulgure amborum omnino vitam eriperet citra vllam misericordiam. Hæc autem cum dixisset, visum est sibi, aiebat, repentè videre domum, in qua stabat, prius motam, tum domũ è tecto mediam in duas partes diuisam, & quendã ante se ingentis luminis rogum, eumq; (videbatur enim deinceps sub dio esse locus) è cœlo ad se vsque deferri. Cœlum autẽ ipsum patere apertũ conspiciebat, eiusque cardini Iesum insidere innumerabilibus humanæ speciei ei assistentibus Angelis. Et hæc quidem vidisse, cum supernè aspiceret, & se esse admiratũ memorabat. Vbi vero ad inferiora defle-

3 Nota ex hoc loco monachatũ non esse nouitiũ institutum, sed antiquissimũ: nam erat etiam Dionysii tempore, qui fuit Apostolorum synchronos.

2 Nota & Missã non esse nouitium inuentum, vt garriunt hæretici (nã nihil aliud hic intelligit sanctã mysteriorum celebrationem) cum Carpus Dionysii contemporaneus illã perageret.

3 Ecce nocturnos hymnos, & vigilias in ecclesia antiquissimos.

deflexit obtutus, ipſum quoque ſolum inſtar vaſti ac tenebroſi cuiuſdam profundi, diſciſſum
ſe vidiſſe aiebat: atq; illos viros, quibus malè erat precatus, ante ſe ad os illius profundæ vo-
raginis ſtare trementes & miſerabiles, vt qui mox à pedum ſuorum inſtabilitate mergendi
viderentur. Infernè autem ſerpentes è voragine prorepere cernebat, & circa illorum infœli-
cium pedes ita inſtabiles ac nutantes, aliquando quidem in globum colligi, & ingrauari vnà
atque pertrahere: aliquando verò dentibus, & caudis, ore, gutture, linguis, ac toto corporis
motu vim immenſi pauoris incutere, vt qui modis omnibus deorſum illos præcipitare mo-
lirentur. Fuiſſe autem & viros quoſdam in medio, qui miſeros ſimul aggrediebantur, vnà
exagitantes, trudentes, atque pulſantes. Videbantur autem illi iam eſſe caſuri, partim qui-
dem inuiti, partim autem ſua ſponte, cùm à malo ſenſim & cogerentur ſimul & induceren-
tur. Dicebat verò Carpus, ſe, dum deorſum aſpiceret, fuiſſe lætatum, atque ſuperiora neg le-
xiſſe, grauiter & indignè ferentem, quòd nondũ illi cecidiſſent. Et cùm ſæpius eo deſiderij
ferretur impetu, illoſque & ipſe niteretur impellere, ſemperque fruſtra moliretur, ægerrimè
tuliſſe, & eos eſſe execratum. Cùm ecce vix tandem reuocatis ad ſuperna luminibus vidit
cœlum, ſicuti & prius aſpexerat: Ieſum autem eius quod fiebat, miſertum è ſupercœleſti ſuo
throno ſurrexiſſe: & cùm ad eos vſque deſcendiſſet, clementiſſimam eis manum porrexiſſe:
Angeloſque ſimul opem ferentes aliunde alium tenuiſſe viros. Tandem verò Ieſum ipſum
ſibi dicentem audiuit: Iam ne deinceps percute: ſum enim paratus ſæpe rurſum pati pro ſal-
uandis hominibus. Et hoc eſt mihi gratum, modò homines in futurum peccata abominẽtur.
Sed vide, an tibi vtile ſit, hanc iſtius profundi & cum ſerpentibus manſionem, Dei ac bono-
rum clementiumque Angelorũ præferre conſortio. Hæc ſunt quæ ego audita, vera eſſe cre-
do. Dionyſius itaque in rebus omnibus erat adeò mitis, miſericors, & ab ira alienus, vt quò
altior euadebat factis, eò ſe magis modeſtia demitteret, regula factus omnibus ad virtutem,
& lucerna ad deducendum ad id quod eſt melius. Quocirca nec eam abſcondi ſub modio
ſiuit is qui eſt ſolus autor omnium, ſed in alto ponit per virtutem: & fama protinus perua-
dens cernebatur in ore omnium, in omnibus omnes vincere Dionyſium. Porrò autem om-
nes ad eum confluebant, non ſolum populares & forenſes, ſed qui erant eruditi, & inſi-
gnes: & qui prius laborabant inſania, & feris crudelius lacerabant Eccleſiam, ad illum vi-
rum venientes, & admirabilem illam & diuinam linguam audientes, cordis ſui molliebant
duritiem, & ad veram & primam lucem accedebant per baptiſma, quò magis erant inflam-
mati ad vitium, eò feruentiorem oſtendentes Chriſtianiſmum: & ad ſummum, nihil tám erat
in ore omnium, quàm Dionyſius. Cùm ergo hæc fama ſic peruaderet, doctrina autem dila-
taretur, & fides confirmaretur euidentius, res ad ſæuiſſimum delata eſt Domitianum, vel
vt magis propriè dicam, Dæmonianum, qui contra Deum locutus fuit iniquitatem in ſu-
perbia, & contemptione, & manum Deo inimicam extulit aduerſus fidem Chriſtianorum.
Hic ergo quid machinatur? vel potius quid docetur à patre ſuo Satana? Omnes quidem qui
quæ Chriſtiani ſentiunt, deſpicere, Dionyſium autẽ ſolum de medio tollere, hoc ſciens, quod
ſi eum ſolum vicerit, omnibus fuerit ſuperior: ſin minus, omnes fore Domitiano fortiores.
Poſtquàm autem hæc mente agitaſſet, eum excitat ira aduerſus Martyrẽ, & furoris quærens
medicamentũ, nullum aliud inuenit præter eius mortẽ. Cùm itaque omnes, qui eius Impe-
rio parebant, congregaſſet, eoſque aſſumpſiſſet qui erant ei amentia ſimiles, mittit ad quæ-
rendum Martyrem: Etſi ei quidem, inquit, perſuaſeritis, vt ad noſtram traducatur religio-
nem, hoc eſt quod deſidero: cúmque eum acceperitis vobiſcum, reuertimini. Sin autem
adhuc permanſerit in impia religione, eum morte condemnate. Illi autem cùm hæc audiiſ-
ſent ab Imperatore, & furore accenderentur, qui in eis habitabat, & ad res gerendas acres
videri vellent ei qui miſerat, poſtquam venerunt in Galliam, tanquam feræ quædam irruũt:
& cùm omnem quæ circumcirca ſita erat, conturbaſſent regionem, corrumpunt ſimplicio-
res, vt docerent vbinam beatus Dionyſius verſaretur. Poſtquam autem audiuerũt eum ver-
ſari in ciuitate Pariſiorum, illuc veniunt. Deinde percontantes de rebus Chriſtianorum, in-
ueniunt fidei doctrinam eſſe diſperſam per totam ciuitatem, de miraculis Martyris ſunt
certiores, quòd omnes ſcilicet qui malè ſe haberent, curaſſet, & ideo incredulorum ad eum
confluxiſſe cateruam, & ſeadiunxiſſe vero Dei cultui: & quòd omnis Gallia, quæ multis
prius grauibus vitijs ſeruierat, & factis, quinetiam ſubiecta erat cultui ſimulachrorum,
collum ſuum ex his ſubtractum doctrina Dionyſij ſubiunxit iugo Chriſti. Cùm ergo hæc
& multa alia facta eſſe, ad eorum veniſſet cognitionem, & Chriſti gregem augeri, & ſuos
deos vidiſſent habitos deſpectui, & ſua myſteria contemni, & inclinatam eſſe impietatem,
magis accenduntur, & rogant vbinam habitaret, qui eorum erat autor: & repentè in bea-
tum irruentes Dionyſium, eum ſimul ligant cum ijs qui cum ipſo erant in ore diuinam ad-
huc habentem doctrinam, & præſident, rabiem & furorem ſpirantes ad examinationem. In-
greditur ergo vir generoſus ſimul cum Ruſtico, & Eleutherio, mente firma ac ſtabili, & li-

bero

bero animo, perinde ac si vocaretur ad festum, non ad certamen. Arroganter igitur & asperè, vt eum perterrefacerent statim in principio, ei dicunt: Tu es, ô execrandum caput, qui nostros deos nihili facis, & contendis de medio nostram tollere religionem? Responde ergo quod sit tuum genus, quæ te tulerit patria, & quod tuum studium. Ille autem amore in Christum addente animum, & faciente eum confidentiorem: Ego quidem, inquit, ô vos, vt & genus, & patriam omittam in præsentia, me Christi seruum esse confiteor, & eum solum, & patrem qui caret principio, & coæternum eius colo spiritum. Aufugi autem à vestro errore, validissimus (in meo enim Christo habeo fiduciam) vestrorum deorum oppugnator, Christianorumque ad virtutem exhortator promptissimus. Ad hæc facite, si quid est vobis imperatum. Videntes autem maleuoli sancti constantiam cum prudentia coniunctam, iram mutant in adulationem, &: Ne tuam, ô Dionysi, dicunt, caniciem affeceris contumelia, neque charos sodales morti acerbæ tradideris: pare recte consulentibus, & Imperatoris potentiam per nos te rogantem reuerere persuadearis. O chare, & bene Dionysi, dijs nostris sacrificare persuadearis, & eris cum tuis primus eorum qui sunt sub imperio. Ille autem: Vester, inquit, hic error est peior priore, si putetis fore, vt me aut meorum aliquem seducatis. Hoc enim sciatis, quòd nos non honores, non contumeliæ, non blanditiæ, non tormenta, neque aliquid aliud omnino separabit à Christo. Deinceps ergo cùm non possent persuadere nequitia personæ, & simulatione, cum ira magis efferbuissent, è cathedra furiose, & mente quodammodo emota surrexissent: A vobis, ô amentes (Dionysio dicunt & ijs qui cum ipso erant) dij contemnuntur: & Imperator irridetur: & artibus magicis, perinde ac miraculis, eos qui ei parent Imperio, ab eo abducitis, & ad vestras partes traducitis? Sancti autem (similes eis fiant qui ipsos colunt) eis vna voce dixerunt: Nos autem non magicis artibus, vt dicitis, sed Dei nostri, & viuifici eius spiritus inuocatione & operatione, cæcis visum, mutis sermonem, claudis ingressum, & dæmoniacis præbemus curationem. Quorum ne sibi quidem possunt vestri dij quicquam præbere, vt qui sint ligna & lapides. Os enim habent & non loquuntur: oculos & non vident: aures & non audiunt. Vnum hoc solum vobis efficiunt: accendunt ignem qui nunquam desinet. Aduersus hæc cùm non possent Tyranni contradicere, toruè & insanè eos aspicientes, strictis gladijs se parant ad cædem: & cùm tanquam signo dato, eos eduxissent extra ciuitatem vinctos, ducunt ad quoddam cacumen, & tradunt lictoribus, vt eos interficiant. Interea autem petunt sancti tempus precandi, & 4 flectunt genua. Tum sacrosanctus Christi Martyr Dionysius, sublatis in cœlum oculis: Domine Deus omnipotens, fili, inquit, vnigenite, & Sancte Spiritus, sancta Trinitas principio carens, & in quam non cadit omnino, suscipe seruorum tuorum in pace animas, quoniam propter te morte afficimur. Et cùm sancti Amen, acclamassent, conuersus ad lictores: Facite, inquit, quod fuit vobis imperatum. Illi autem primum quidem beati Dionysij: deinde Rustici & Eleutherij caput amputant. Sed nec in hoc quidem ô Dionysi, is qui propter nos passus est, fuit oblitus eius qui propter ipsum moritur: sed miraculum etiam ostendit in amputatione. Etenim cùm suum caput, tanquam aliquod præmium Martyr suis accepisset manibus, transit ad locum idoneum. Ferebat ergo ipse caput in manibus, tanquam aliquod trophæum, à diuina omnino potestate gratia: neque prius dimisit, quàm mulier diuina quadam omnino occurrens prouidentia, in illius manibus deposuit, veluti quendam thesaurum. Iacebant autem neglecta sanctorum Martyrum veneranda corpora feris & auibus ad edendum exposita, & nec iusta quidem sepulturæ consecuta. Lictores autem ne hactenus quidem irasci desierunt: sed etiam in ipsas furiunt reliquias, statuentes eas in maris profundum proijcere, ne vel inanimatæ efficerent miracula, & ideo attraherent multos ad religionem. Quod etiam vt eis visum erat factum esset, nisi hoc malum consilium ad effectum deduci Deus prohibuisset. Nam cùm sensisset eorum consilium ea quæ preciosum Martyris caput acceperat, cui nomen erat Catulla, mentem suam communicat fidelibus, vt Deo gratam & acceptam. Et cum splendidam & lautam apparasset mensam, lictores accipit conuiuio. Interim verò dum ij conuiuium inibant apud mulierem, quidam ex fidelibus accipiunt Martyrum reliquias, & eas abscondunt. Deinde finito conuiuio, cum eam rem deprehendissent lictores, ira valde erant perciti: sed feruorem iræ sedarunt munera: & vehementem furorem dissoluit mulier pecunia. Cùm illi autem recessissent, in quadam domo deponit Catulla Martyrum reliquias tertio mensis Octobris, 5 miraculis affatim profluentibus, perinde ac aliquo fonte pulchrè & suauiter manante. Non multum temporis intercessit, & conuenientes Christiani templum gloriosis excitant victoribus, & in ipso eorum 6 preciosas deponunt reliquias. Ad gloriam Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi. Quem decet honor & adoratio, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

4 Oratur à sanctis cum genuflexione & eleuatione oculorum in cœlum.

5 Vide miracula facta ad reliquias sanctorum.

6 Nota constitui templum in honorem martyrum, in quo preciosæ eorum deponuntur reliquiæ.

Finis Partis Primæ.

HISTORIÆ
ALOYSII LIPOMANI
EPISCOPI VERONENSIS
De vitis Sanctorum,

PARS SECVNDA.

SYNCERO LECTORI.

EN tibi, Candide Lector, altera pars hiſtoriæ R. P. D. Aloyſij Lipomani de vitis Sanctorum, in cuius collectione, rectaque diſpoſitione non minus quàm in priori parte, à nobis deſudatum eſt. Ordinem verò quem in ſuperiori, & hîc obſeruamus. Vitarum enim omnium, quas poſuimus, loca, & capita librorum vnde depromptæ ſunt, in principio earum ex latere marginali tranſuerſo aſsignauimus, vt tibi volenti locum originalem inuenire, facilè occurrere poſsit. Scholia quoque inſtar locorum communium contra præſentis temporis hæreticos margini adſcripſimus, ex quibus dignoſcere poteris, eadem fidei dogmata, eaſdemque patrum traditiones & conſuetudines ſemper in Dei Eccleſia à ſua primæua origine vſque in hanc diem viguiſſe. Et qui hoc calamitoſo ſeculo his contraria docent, eos ab eius gremio recedere, & inter contumaces & rebelles Eccleſiæ filios annumerandos eſſe meritò & certò iudicabis.

Vale, & boni conſule.



LOVANII,
Apud Martinum Verhaſſelt Bibliop. Iurat.
In Pingui Gallina. M. D. LXXI.

SANCTISSIMO AC BEATISSIMO DOMINO NOSTRO D. IVLIO PAPAE III.

Aloysius Lippomanus Episcopus Veronensis indignus æternam fœlicitatem D.

CVM aliàs mecum ipse considerarem Pater beatissime, Ecclesiam Dei per vniuersum terrarum orbem innumerabilium penè sanctorũ Martyrum, Confessorum atque Virginum solennia colere, & eorum orationibus sese obnixè commendare, desiderare mq́ eorũ vitas & gesta perlegere, vt ad eorum imitationem memetipsum erudirem, & per quas semitas ipsi ad regnum Cœlorum peruenerunt, per easdem & ego incedere possem, paucas ex multis certè reperi, quibus plena & indubitata fides adhiberi posset. Id an ex tot persecutionibus quas retrò passa est Ecclesia, an ex scriptorum incuria, vel temporis antiquitate prouenerit, definire difficile admodum est, sed si ex his omnibus simul iunctis id euenisse dixerimus, haud profectò errabimus. Et licet plerique vitas sanctorum nostro etiam tempore describere aggressi sint, & libris eorum plena sint omnia, ac vera plurima, & fortasse omnia illos dixisse crediderim (de sanctis enim Domini, de amicis Dei, de seruis Iesu Christi omnia facilè credi possunt, cùm mirabilis Deus in sanctis suis legatur, & timentium se voluntatem facere) attamen quando id quod legitur nullum certum habet autorem, præcipuè cùm de re antiqua agitur: vel si habet, de recentiorum numero est, non ita pleno, iucundoq́ animo suscipitur (nostra præsertim hac ætate, qua à sciolis quibusdam, etiam quæ diuinitus conscripta sunt, temerariè in controuersiam vocantur) ac si ab aliquo antiquo patre virtutibus & doctrina conspicuo describeretur: Maximæ enim autoritatis in huiusmodi est vetustas, & vinum vetus iucundius ac libentius bibitur quàm nouum. Propterea volens ego meipsum nonnullosq́ amicos meos super hos solatos, & in conscientia tutos reddere: Tomum primum vitarum Sanctorum anno superiori edidi, quæ non à nobis, sed ab aliquo ex antiquis patribus, & magni in Ecclesia nominis viro essent descripta, vt hoc in genere adesset nobis liber, qui hilari facie, & secura mente, vel ipsis Ecclesiæ inimicis testibus legi posset. Adieci deinde scholia quædam in paginarum marginibus contra nostri temporis hæreticos, quibus praua eorum dogmata, sanctorum dictis vel gestis confodiuntur, vt quilibet facilè videre posset, eadem semper fidei dogmata, semper easdem patrum Traditiones in Dei Ecclesia viguisse. Post cuius libri editionem substiti parumper, vt viderem quo is animo à viris doctis acciperetur, & scire possem, an vlterius in hoc negotio mihi esset progrediendum, an verò quiescendum, & pes sensim retrahendus. Sed cùm postea intellexerim, & Parisiensem, & Louaniensem, ac Salamantinam Facultates, necnon viros omnes doctos laborem hunc meum & industriam commendasse, necnon in Concilio Tridentino nuperrimè celebrato, cui tuo munere Pater sanctissime, vnà cum alijs duobus reuerendissimis Dominis meis collegis indignus præeram, librum hunc pro assertione eorum quæ dicebantur in medium afferri, ipse ego frequentissimè proprijs auribus hauserim, amicorum etiam literis sæpius interpellatus fuerim, ne à suscepto semel negotio desisterem, facilè adduci potui, vt crederem conatum hunc nostrum probis ac literatis viris non displicere. Ac propterea his omnibus animatus, vela iterum laxaui, & ingenioli mei debilem cymbam rursus in vastissimum pelagus duxi: alterumq́ Tomum vitarum Sanctorum in lucem nunc protuli, quem ex pluribus quàm primum illum, sanctorum patrum voluminibus, quæ varijs in locis humiliter delitescebant, hausimus, multis in eo etiam appositis sanctorum vitis à nobilissimis pariterq́ doctissimis Græcis patribus descriptis, varijsq́ bibliothecis, etiam ex insigni Vaticana Sanctitatis tuæ desumptis, qua partim ab amicis in nostri gratiam, partim nostra industria in Latinam linguam nunc primum versæ sunt. Cùm autem in terris neminem habeam, cui plus quàm sanctitati tuæ debeam, Pater beatissime, quem magis obseruem, & admirer, etiam antequam illuc eueherer is quò Dei benignitas, quæ profunda cordis tui, & secretiora illa eximiæ charitatis & pietatis tuæ viscera scrutans, te tanquam alterum Dauid ex multis Isai filijs euexit, vt in Petri throno sede-

no sederes, & labantem penè Dei Ecclesiam tuis humeris quasi fulcires, & firmam ac solidam redderes, librum hunc, (Tomum, inquam, secundum vitarum Sanctorum) benedictioni tuæ humiliter dico ac nuncupo, animi mei, & singularis erga sanctitatem tuam deuotionis æternum pignus & monumentum: Quem pro tua in omnes mansuetudine & clementia, rogo ea charitate suscipere digneris, qua tibi Christi Vicario, & summo Apostolico per seruum tuum licet inutilem offertur.

DIVI EPHRAEM EDISSENÆ ECCLESIÆ Diaconi in secundum librum vitarum Sanctorum PROOEMIVM.

Est sermo eiusdē secundus in volumine sermonum eius.

LEGENTES non agnoscimus, & audientes, nec quicquam auribus nostris percipimus. Si aliquis conficiens iter, homicidium perpetratum repentè agnouerit, vultus eius illicò immutatur, & cor eius pauore concutitur. Nos autem Prophetas & Apostolos legimus interfectos & lapidatos, & risus proferimus. Et quid dico Prophetas & Apostolos? ipsum Dominum verbum carnem factum pependisse in ligno, & propter peccata nostra peremptum esse audimus & legimus, & clara ceruice contemnimus & ridemus. Sol non potuit ferre Domini nostri contumeliam, sed claritatem luminis sui conuerrit in tenebras: nos autem à tenebris malitiæ nostræ conuerti nolumus. Velum templi quod nihil deliquerat, à semetipso scissum est: nos autem propter peccata nostra vt cor nostrum compungatur, studere nolumus. Terra tremiscens à facie Domini, sub pedibus nostris commouetur, vt nobis metum incutiat, & nec sic ob nostram duritiam formidamus. Vrbes absorptæ sunt, & loca ab ira Domini desolata sunt, & nec sic trepidamus. Sol semel & iterum meridianis horis super nos obscuratus est, & nec sic corde pauemus. Bella Persarum ac diuersarum gētium Barbarorum commota sunt, & regiones nostræ desolauerunt, vt nos metuentes Deum, pœnitentiam ageremus: cùm indigeamus vtique pœnitentia, non dierum aut mensium, sed temporum plurimorum, & nec sic conuerti volumus. Pœnitentiam itaque agamus fratres, vt peccatorum nostrorum propitiatorem Deum habere possimus. 1 Deprecemur eum, quia exacerbauimus eum. Humiliemus nos, vt nos exaltet. Defleamus, vt lætificet & consoletur nos. Proijciamus à nobis consuetudinem malam, & quasi vestimentum virtutem animi induamus. Quod si vnusquisque se non emendauerit ab omni re iniqua, & à sordidis quoque cordis cogitationibus concupiscentiarum quoque malarum, necnon & ab ira furoris atque inuidia, à superbia quoque ac vana gloria, odio & detractione, contradictione ac verbositate & inordinatis actibus: Et quid cuncta nunc per partes enumero? nisi ab omnibus quæ odit Dominus, auertat semetipsum, ac procul faciat, nequaquam in eo habitat Deus. Dicito mihi: Si quis te in lacum cœni proijceret, & ibi semper te esse cuperet, libenter hoc faceres? Si tu cùm sis cinis & vermis, hoc sustinere non potes, quomodo vis impollutum Deum, qui cùm sit sanctus, & in sanctis requiescat, vt in te, cum sis totus fœtidus, & cœnoso horrore repletus, inhabitet? Vnde dilectissimi, mundemus nosmetipsos ab omni delicto, vt in nobis habitet Deus, & promissa eius 2 consequi mereamur. Nec eius nomini sancto, quod inuocatum est super nos, inferamus iniuriam, ne propter nos nomen Domini nostri à perfidis blasphemetur. Parcamus nobismetipsis, & intelligamus, quia in nomine eius nostrum quoque consonat nomen, eò quòd ipse CHRISTVS vocetur, & nos nihilominus Christiani. Deus noster spiritus est: efficiamur & nos ergo spirituales. Vbi enim est spiritus Domini, ibi libertas. Festinemus ergo libertatis huius consequi bonitatem.

1 Vide si pœnitentia quam sanctus Pater requirit, est tātummodo noua vita, vt nostri hæretici garriunt.

2 Et promissa eius cœlestia consequi mereamur.

VITA

VITA SANCTI IGNATII MARTYRIS, PER EVSEBIVM EPISCOPVM CAESARIENSEM SCRIPTA.

SED & in nostra quoque tempora famæ celebritate vulgatus Ignatius apud Antiochiam post Petrum secunda successione Episcopatum sortitus est. Quem sermo tradidit, de Syriæ partibus ad vrbem Romam trāsmissum, & pro martyrio Christi ad bestias datum. Quique cùm per Asiam sub custodia nauigaret, singulas quasque digrediens ciuitates, Ecclesiæ populos Euangelicis cohortationibus edocebat in fide persistere, & obseruare se ab hæreticorum contagiis, qui tunc primum copiosius cœperant pullulare: & vt diligentius ac tenacius Apostolorum 1 traditionibus inhærerent, quas traditiones cautelæ gratia, & ne quid apud posteros remaneret incerti, etiam scriptas se asserit reliquisse. Denique cùm Smyrnam venisset, vbi Polycarpus erat, scribit inde vnam epistolam ad Ephesios, eorúmque pastorem, in qua meminit & Onesimi: & aliam, Magnesiæ ciuitati, quæ supra Mæandrum iacet, in qua & Episcopi Damæ mentionem facit. Sed & Ecclesiæ, quæ est Trallis scribit, cuius principem tunc esse Polybium designauit. In ea verò quam ad Romanam Ecclesiam scribit, deprecatur eos, ne se tanquam suppliciis suis parcentes, velint spe priuare martyrij: & his post aliquanta vtitur verbis: A Syria inquit, Romam vsque cum bestiis terra marique depugno, die ac nocte connexus & colligatus decem leopardis, militibus dico, ad custodiam datis, qui ex beneficiis nostris sæuiores fiunt. Sed ego nequitiis eorum magis erudior. Nec tamen in hoc iustificatus sum. O salutares bestias, quæ præparantur mihi. Quando venient? quando emittentur? quando eis frui licebit carnibus meis? quas & ego opto acriores parari, & inuitabo ad deuorationem mei, & deprecabor, ne fortè (vt in nonnullis fecerunt) timeant contingere corpus meum. Quinimò & si cunctabuntur, ego vim faciam, ego me ingeram. Date quæso veniam, ego noui quid expediat mihi. Nunc incipio esse discipulus Christi. Facessat inuidia vel humani affectus, vel nequitiæ spiritalis, vt Iesum Christum merear adipisci. Ignes, cruces, bestiæ, dispersiones ossiū, discerptionesque membrorum, ac totius corporis pœnæ, & omnia in me vnum supplicia diaboli arte quæsita cumulentur, dummodo Iesum Christum merear adipisci. Hæc & multa alia his similia ad diuersas Ecclesias scribit. Sed & ad Polycarpum, velut Apostolicum virum, datis literis, Antiochenam ei Ecclesiam præcipuè commendat. Ad Smyrnæos sanè scribens, vtitur verbis quibusdam, vnde assumptis nescimus, quibus hæc de Saluatore proloquitur. Ego autem post resurrectionem quoque in carne eum scio fuisse, & credo. Nam & cùm venisset ad Petrum, cæterosque, ait eis: Accedite & videte, quia non sum 2 Dæmonium incorporeum. Qui & contingentes eum, crediderunt. Scit autem & Irenæus martyrium eius, & mentionem facit scriptorū eius per hæc verba: Sicut dixit (inquit) quidam ex nostris, pro martyrio Christi damnatus ad bestias: Frumentum, inquit, ego sum Dei: bestiarum dentibus molar & subigar, vt panis mundus efficiar Christo. Sed & Polycarpus horum memoriam facit in epistola quam ad Philippenses scribit per hæc verba: Deprecor, inquit, omnes vos obedientiæ operam date, & meditari patientiam, quam vidistis in Ignatio & Rufo, & Sosimo beatis viris, præcipuè autem in Paulo, & in cæteris Apostolis, qui fuerunt apud vos: Scientes quòd hi omnes non in vacuum, sed per fidem & iustitiam cucurrerunt, vsquequo peruenirent ad locum sibi à Domino præparatum: quoniam quidem passionum eius participes extiterunt, nec dilexerunt præsens seculum, sed eum solum, qui pro ipsis, & pro nobis mortuus est, & resurrexit. Et post pauca subiungit: Scripsistis mihi & vos, & Ignatius, vt si quis vadit ad partes Syriæ, deferat literas ad vos. Quod faciam, cùm tempus inuenero. Mittam vobis & Ignatij epistolas, & alias, si quæ sunt, quæ ad nos transmissæ sunt, ex quibus vtilitatem maximam capiatis. Continent enim de fide & patientia instructionem perfectam secundùm Domini præceptum. Ab hoc autem Ignatio Antiochiæ Syriæ tertio post Apostolum Petrum Episcopo, qui etiam cum ipsis vixerat Apostolis, sumpsit initium, vt in Ecclesia Antiphonæ 3 decantentur. Vidit enim Angelorum visionem, quomodo per Antiphonas sanctæ Trinitati dicerent hymnos. Isque modum visionis Antiochenæ tradidisse probatur Ecclesiæ: & ex hoc ad cunctas transiuit Ecclesias. Cùm igitur iam damnatus esset ad bestias Ignatius, ardore patiendi, cùm rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Passus est anno vndecimo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiæ iacent, extra portam Daphnicam in cœmiterio.

Ex li. 3. histo. Ecclesiastic. ca. 36.

1 Quid dicent hic q[illegible] tradi- [illegible] constitutione. [illegible] cant, nec aliquid seruari debere assiduis clamoribus perstrepunt, quod nō sit in scriptura expressum? Habes hic Apostolorū traditiones, quibus sancti martyr tenacius inhærere debere fideles edocet. Et ne cauilleris loqui de traditionibus in scriptura expressis, dicit se ne quid apud posteros maneret incerti eas scriptas reliquisse. Quibus verò cōuinceris illas Apostolorū traditiōes fuisse vsq; ad horā illam sine scriptis. Adde quod de iisdem traditionibus non scriptis Clemens Alexandrinus librum [illegible], vt autor est Hieron. lib. de viris illustribus.

2 Testimoniū hoc sumptū est ex Euangelio Nazaræorū, quod à se trāslatum asserit Hieron. in lib. de viris illustribus. Et in Matth. cap. 22.

Ex li. 10. Historiæ Tripartitæ c. 9.

3 Ecce decātatio Antiphonarum in Ecclesia vnde ortum habuerit. I tu ergo [illegible] omnia [illegible], & si potes, [illegible] de Ecclesia, et cātum tolle. Ex D. Hier. in libro de viris illustribus.

Est epistola eius xv. ad Romanos missa.

VITA D. IGNATII EPISCOPI ANTIOCHENI, per D. Bernardum Abbatem Clareuallensem scripta.

DEprecans Deũ obtinui, vt videre merear dignos vultus vestros, sicut plurimũ optabã promereri, vinctus enim in Christo Iesu. Spero vos salutare, siquidẽ fuerit voluntas illius, qui dignum me faciat, vsque in finem propositum meam consummare. Illa verò principia bonæ cõuersationis sunt, siquidem per gratiam 1 meruero sortem meam vsq; in finem sine impedimento percipere. Timeo enim dilectionem vestram, ne ipsa me lædat: vobis enim facile est quod vultis facere, mihi autem difficile Deum promereri, tamen potero: si vos peperceritis mihi occasione amicitiæ carnalis. Nolo igitur vos homini placere, sed Deo, sicuti & complacuistis. Nec enim ego habui aliquando tale tempus, vt Deum promeruissem. Ergo si vos tacueritis de me, ego efficior Dei. Si enim dilexeritis carnem meam, iterum forsitan absoluar. Multum enim mihi præstatis, si me offeratis Deo, cùm iam altare paratum est, vt in dilectione chorus effecti, cantetis Deo patri in Christo Iesu. Quoniam Episcopum Syriæ dignum me fecit Deus inueniri in Occidente, ab Oriente præmittens suam passionem, martyrem bonum, proficiscentem de mundo ad Deum, vt in ipso oriar. Nunquam læsistis aliquem, alios docuistis. Ego autem rogo, vt secundùm illa firma quæ docti estis, ex omni virtute optetis mihi, vt non solùm dicar, sed etiam inueniar Christianus. Si autem inuentus fuero, & dici possim, & tunc esse fidelis, quando mundo non comparuero, nihil enim de iis quæ videntur æternum est. Quæ enim videntur, inquit, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna sunt, non solùm in opere, sed etiam in magnitudine. Christianitas enim est, quæ oditur à mundo, amatur à Christo, quia non est ab hominibus, sed à Deo. Si enim essetis, inquit, de mundo, mundus quod suum erat diligeret. Nunc autem quia non estis de mundo, propterea odit vos mundus, sed ego elegi vos, manete in me. Ego scribo omnibus Ecclesiis, & omnibus mando, quia voluntariè pro Deo morior, si vos non præpedieritis. Rogo itaque vos, vt non frustra sit in me dilectio vestra. Sinite me vt bestiarum esca sim, per quam possum Deum promereri. Triticum enim Dei sum, dentibus bestiarum molar, vt possim panis Dei mundus inueniri. Magis autem blandiamini bestiis vt mihi sepulchrum sint, & nihil de meo corpore relinquant, vt non obdormiens grauis alicui inueniar. Non sicut Petrus & Paulus præcipio vobis, illi enim Apostoli sunt Iesu Christi: ego autem minimus, illi verò liberi sunt serui Dei, ego autem vsque nunc seruus, sed si passus fuero, libertus ero Iesu Christi, & resurgam in eo liber. Nunc disco vinctus nihil mundi concupiscere, aut aliquod vanum. A Syria Romam vsque cum bestiis depugno per terram & mare, die ac nocte vinctus cum decem Leopardis (hoc est, cum militari custodia) qui ex beneficiis peiores fiunt, in iniustitiis autem eorum magis edoceor, sed nec in hoc quidem iustificor: vtinam fruar bestiis quæ mihi paratæ sunt, quas & opto mihi veloces esse ad meum interitum, & allici vt celerius me comedant, ne sicut in aliis territæ sint, & eos non tetigerunt. Et si ipsæ noluerint, ego ipsis vim ingeram, ego vrgebo. Ignoscite mihi, ego scio quid mihi expediat. Nunc incipio esse discipulus, nulli æmulor visibilium & inuisibilium, vt Iesum Christum merear adipisci: Ignis, crux, bestiarumque constantia, abscissio, separatio, confractio, dissipatioque membrorum, interitus totius corporis, & flagella diaboli omnia in me veniant, vt Iesum Christum merear 2 adipisci. Nihil me iuuant quæ sunt mundi huius, neque regnum temporale: bonum est mihi mori in Christo Iesu, quàm regnare in finibus terræ. Quid enim prodest homini si vniuersum mundum lucretur, animam verò suam perdat? Dominum namque desidero filium veri Dei, & patrem Iesu Christi, ipsum vtique quæro, & illum qui pro nobis mortuus est, & resurrexit. Ignoscite mihi fratres, ne mihi impedimẽta imponatis ad vitam: Iesus enim vita fideliũ, vt ne velitis me mori: quia vita mors est sine Christo. Dei volens esse, mũdo non placeã. Sinite me puram lucem percipere, illuc perueniẽs, homo Dei ero. Concedite mihi vt sim imitator passionum Dei mei. Qui enim vult in seipso habere, intelligat quod volo, & compatiatur, sciens quid sit in me. Princeps enim mundi huius diripere me vult, & in iudicio Dei mei dirumpere. Nemo ergo de præsentibus vobis auxilietur ei, magis autem mei adiutores estote, hoc est Dei. Nolite dicere Iesum Christum, mundum honorantes. Facinus in nobis non habitet, neque si vos præsens rogauero, consentiatis mihi: his autem contentite, quæ scribo vobis. Viuus enim vobis scribo, desiderans mori pro Christo. Meus enim amor crucifixus est, & non est in me: aqua autem illa viua manet in me, intrinsecus mihi dicens, veni ad patrem: nõ comedam escam corruptionis. Neq; voluptates huius mundi desidero, panẽ Dei volo, panẽ cœlestem, panẽ vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei viui, qui natus in nouissimo ex semine Dauid & Abrahæ: & potum volo sanguinẽ eius, qui est dilectio incorruptionis & vita æterna. Iã nolo secundũ homines viuere, hoc aũt erit, si vos volueritis: Christo crucifigor, quia iam ego non viuo, viuit verò in me Christus.

1. Si per gratiam meruero. Ecce tota ratio omnium meritorum nostrorum cum Deo, gratia eius. Alioqui merita nostra non essent merita, [redacted].

2 Vt merear adipisci Iesum Christum.

Per modica scripta rogo vos, ne mihi obsistatis. Credite mihi, quia Iesum diligo, quoniam & ipse dilexit me, & seipsum tradidit pro me. Quid retribuam ei pro omnibus quæ mihi retribuit? Ipse autem Deus & pater Domini Iesu Christi, & ipse Dominus Iesus Christus manifestauit nobis hæc omnia, quia verum dico, & vos simul eum deprecemini mecum, vt laborem consequar in spiritu sancto. Non secundùm carnem vobis scripsi, sed secundùm dispositionem Dei. Si autem passus fuero, dilexistis me. Sed si reprobatus fuero, odio me habuistis. Mementote in orationibus vestris illius qui pro me recturus est Ecclesiam, quæ est in Syria. Credite Domino dicenti: Ego sum pastor bonus, qui visitauit eam, & sit vestra in eo dilectio. Ego autem & erubesco ex ipsis dici. Non ego sum dignus esse vltimus aut purgamentum, sed miserabilis sum nunc, donec Deum merear adipisci. Salutat vos spiritus meus & dilectio Ecclesiarum 3 quæ me susceperunt sicut nomen Christi. Habentes enim me non quasi transeuntem, viam meam aspiciebant, & per ciuitatem me ducebant. Hæc igitur scribo vobis de Smyrna per Ephesios beatitudine dignos. Est autem mecum simul cum aliis Crocus, desiderabile mihi nomen ex iis qui aduenerunt de Syria ad Romam in gloria Dei. Credo vos agnoscere quæ mihi mandastis adhuc proximè constituto. Omnes enim digni sunt Deo, & apud vos me oportet requiescere. Scripsi vobis hæc nono Calendas Septembris, incolumes estote vsque in finem in patientia Iesu Christi.

3 Vides quod Ecclesiæ quæ Ignatium susceperunt, visibiles sunt, et non, sicut hæretici dicunt, inuisibiles.

VITA SANCTI IGNATII EPISCOPI ET Martyris, per Diuum Hieronymum Presbyterum Stridonensem scripta.

IGnatius Antiochenæ Ecclesiæ tertius post Petrum Apostolum Episcopus, commouente persecutionem Traiano, damnatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Cumque nauigans Smyrnam venisset, vbi Polycarpus auditor Ioannes Episcopus erat, scripsit vnam epistolam ad Ephesios, alteram ad Magnesianos, tertiam ad Trallenses, quartam ad Romanos, & inde egrediens scripsit ad Philadelphæos, & ad Smyrnæos, & propriè ad Polycarpum, commendans illi Antiochensem Ecclesiam, in qua & de Euangelio quod nuper à me translatum est, persona Christi ponit testimonium dicens: Ego verò & post resurrectionem carne eum super vidi, & credo quia sit: Et quando venit ad Petrum, & ad eos qui cum Petro erant, dixit eis: Ecce palpate me, & videte, quia non sum dæmonium corporale. Et statim tetigerunt eum, & crediderunt. Dignum autem videtur, quia tanti viri fecimus mentionem, & de Epistola eius quam ad Romanos scribit pauca ponere. De Syria vsque ad Romam pugno ad bestias, in mari & in terra, nocte dieque ligatus cum decem leopardis, hoc est, militibus, qui me custodiunt, quibus & cùm benefeceris, peiores fiunt. Iniquitas autem eorum, mea doctrina est, sed non idcirco iustificatus sum. Vtinam fruar bestiis, quæ mihi sunt præparatæ, quas & oro mihi veloces esse ad interitum & ad supplicia, & allici ad comedendum me, ne sicut & aliorum martyrum non audeant corpus attingere. Quòd si venire noluerint, ego vim faciam vt deuorer. Ignoscite mihi filioli, quid mihi prosit ego scio. Nunc incipio Christi esse discipulus, nihil de his quæ videntur desiderans, vt Iesum Christum inueniam. Ignis, crux, bestiæ, confractio ossium, membrorum diuisio, & totius corporis contritio, & tota tormenta diaboli in me veniunt, tantùm vt Christo fruar.

Habetur in libro eiusdem de viris illustribus.

Cumque iam damnatus esset ad bestias, ardore patiendi, cùm rugientes audiret leones, ait: Frumentum Christi sum, dentibus bestiarum molar, vt panis mundus inueniar. Passus est anno vndecimo Traiani. Reliquiæ corporis eius Antiochiæ iacent extra portam Daphnicam in 1 cœmiterio.

1 Vide cœmiteriorum vsum antiquissimum.

VITA SANCTI IGNATII EPISCOPI ET MARtyris, per Adonem Treuerensem Episcopum collecta.

ROmæ natale sancti Ignatij Episcopi & martyris, qui tertius post Petrum Apostolum Antiochenam rexit Ecclesiam. Qui persecutione Traiani dānatus ad bestias, Romam vinctus mittitur. Vbi præsente Traiano, circūsedente Senatu, pilis plumbeis scapulæ eius primū contusæ, deinde vngulis latera eius dilaniata, & lapidibus asperis confricata. Qui post expansas manus eius, & igni repletas, post papyro oleo infuso & incenso latera eius adusta, post carbones pauimento aspersos, vbi sanctæ plantæ illius steterunt, post lectum flammantem, post dorsum eius vngulis discissum & dilaceratum, post aceto & sale plagas eius perfusas, post vinculis ferreis beata membra illius astricta, & pedes eius in ima carceris ligno conclusos, vbi tribus diebus ac noctibus panem non comedens, & aquam non bibens

Habetur in Martyrologio eiusdem sub xvj. Calend. Ianuar.

manſit, ſedente pro tribunali Traiano in ampitheatro, concurrente omni turba Romanorum ligatus duobus obijcitur leonibus. Cumque iam proiectus beſtias rugientes audiret, ardore patiendi, ait: Viri Romani, qui hoc certamen ſpectatis, non ſine cauſa laboraui: Non propter prauitatem hæc patior, ſed propter pietatem: Frumentum Chriſti ſum, dentibus beſtiarum molar, vt panis mundus inueniar. Hæc illo dicente, accurrerunt leones, & ex vtraque parte ſuper eum incidentes, præfocauerunt eum tantummodo, & non tetigerunt carnes eius, vt 1 reliquiæ eius tuitio eſſent Romanorum, & magnæ vrbis, in qua 2 Petrus crucifixus eſt, Paulus decollatus, Oneſimus lapidatus. Paſſus eſt in decimo Traiani anno. Conſulatu Attici & Marcelli, Calendis Februarij. Reliquiæ corporis eius à fratribus qui eum vſque ad martyrium deduxerant Antiochiam relatæ, iacent extra portam Daphnicam, in 3 cœmiterio Eccleſiæ, xvj. Calendas Ianuarij delatæ.

1 Ecce quomodo ſanctorum reliquiis populi præſeruantur, & ciuitates ſanctificãtur atq; illuſtrãtur.

2 Si Petrus in magna Vrbe crucifixus eſt, ergo fuit Romæ cõtra ſciolos noſtros.

3 Vides quod etiã ſanctorũ martyrũ reliquiæ à viris Chriſtianis quandoque in Eccleſiæ cœmiteriis deponebantur, vt noſcas cœmiteria placere Deo, et vſum eorum antiquiſsimum eſſe.

XX. Decembris.

MARTYRIVM SACROSANCTI MARTYris Deiferi Ignatij Epiſcopi.

Per Simeonem Metaphraſten.

CVM Traianus ſumpſiſſet ſceptra Romanorum imperij, erat Antiochenæ Eccleſiæ Epiſcopus, & nomine & re Deifer Ignatius. Nam magno quidem Petro ſuccedit Euodus: Euodo autem Ignatius, fitque & morũ eius & virtutis æmulator. Huic diuino Ignatio, cùm eſſet adhuc planè puer, aiunt Chriſtum adhuc verſantem in mundo, ei intemeratas manus impoſuiſſe: & ad populum intuentem dixiſſe: Niſi quis ſeipſum humiliauerit vt hic puellus, non intrabit in regnum cœlorum: & qui vnum ex talibus pueris ſuſceperit in nomine meo, me ſuſcipit, qualiſnam futurus eſſet ætate proficiens Ignatius hinc oſtendens: & Apoſtolicam illius doctrinam apertè indicans. Hic ergo diuinus Ignatius, ſimul cum Polycarpo qui Smyrnenſi præerat Eccleſiæ, fuit diſcipulus Ioannis Euãgeliſtæ, & cum ad eum ſolum venitaſſet, & omnem virtutis ſpeciem, & eam maximè quæ decet Sacerdotem, diligenter exercuiſſet, Sacerdos deinde eligitur communi ſententia omnium ſimul Apoſtolorum: & Antiochenus creatur Epiſcopus. Cùm autem aſſumpſiſſet Eccleſiam, & multo ſudore & labore in ea ſeminaſſet præconium pietatis, & zelum per omnia Apoſtolicum & doctrinam oſtendiſſet, & extitiſſet perfectus miniſter Chriſti myſteriorum, fit quoque poſtea Martyr, beſtiis propter illum traditus, vt paulò altius repetens declarabit oratio.

Traiano enim Romanorum Imperatori, quam de Scythis habuerat elato victoria, & non ſuſtinenti ſuam hucuſque ſiſtere felicitatem, ſed volenti eam vlterius producere, & Romanorum imperio multos alios ſubiungere, aduerſus Chriſtianos, ſeu aduerſus pietatem bellum ei viſum eſt optimum eſſe & expedire. Nam illo quidem modo putabat ſe ſoli prodeſſe reipublicæ: ſic autem etiam deos ſuos colere, & eos inducere vt opem ferant aduerſus hoſtes. Grauem itaque ac difficilem perſecutionem infert aduerſus piam fidem: & proponit edicta per vniuerſam terram quæ eius parebat imperio, vt vel eſſent cum eo omnes impietatis participes, vel adhuc manentes Chriſtiani, afficerẽtur variis ſuppliciis & acerbis mortibus. Contigerat vt tunc Traianus verſaretur Antiochiæ, vt qui eſſet expeditionem ſuſcepturus contra Perſas: & bellum ibi pararet. Hic ergo ei de diuino ſignificatur Ignatio, quòd & religionem teneret Chriſtianam, & hominibus perſuaderet, vt Chriſtum tanquam Deum honorarent: idque cùm fuiſſet à Pilato cruce condemnatus & morte, vt docent eius acta, & fert legem de ſeruanda 1 virginitate, & de contemnendis diuitiis, & delitiis, & aliis quæ ſunt in vita iucunda, & quod eſt omnium grauiſſimum, quòd non oporteat putare eſſe deos, & nullam Imperatorum ducere rationem. Hæc poſtquam audiuit Traianus, ſancto ſtatim accerſito, cùm vnà etiam adeſſet Senatus: Tu ne es, inquit, qui diceris Deifer, qui noſtra iuſſa ludificaris: & omnem euertis Antiochiam, & omnes ducis poſt Chriſtum qui à te prædicatur, & nec ſolo quidem deos dignaris nomine? Diuinus autem Ignatius: Ego ſum, inquit. Ille verò: Et quid ſibi vult, inquit, illud, Deifer? Cui Martyr: Qui Chriſtum, inquit, circunfert in anima. Imperator autem: Tu ergo, inquit, Chriſtum in teipſo circunfers? Certè, inquit, Scriptum eſt enim: Habitabo in eis & inambulabo. Quid verò nos, non videmur tibi deorum aſſiduè meminiſſe, & eos ſemper in anima circunferre? eóſque inducere ad opem ferendam contra hoſtes: & per eos omnia facere quæ ſunt ex animi ſententia? Reſpondens autem diuinus Ignatius: Hei mihi, inquit, ſimulachra Gentium deos nominas. Vnus enim Deus, inquit, verus, qui cœli & terræ & maris & omnium qui ſunt in ipſis, eſt creator. Vnus Chriſtus Ieſus Dei filius vnigenitus, cuius regni non eſt finis. Quem ſi tu agnoſceres ô Imperator, & purpura ipſa & diadema & thronus regius, firmiora eſſent & ſtabiliora.

1 Vides ſanctũ virum Apoſtolicum accuſari, quod legẽ ferret de virginitate ſeruãda, & contemnendis diuitiis & delitiis? Ergo etiam tunc ſeruabantur virginitas, & voluntaria paupertas. θεοφόρος, Deum ferens.

Impera-

Imperator verò: Hæc, inquit, mittamus. Tu autem si velis, inquit, ô Ignati, meæ potentiæ rem facere gratissimam, & de cætero referri in numerum meorum amicorum, hac mente mutata, diis nobiscum sacrifica: & statim, sciant ipsi omnes, te magni Iouis constituam Pontificem, & patrem nominabo Senatus. Ad hæc diuinus Ignatius: Gratias quidem præbere ô Imperator, omnibus quidem est pulchrum, maximè autem Imperatoribus, quòd possint ipsi amplius gratificari: sed eas quæ sunt omnino vtrisque vtiles & conducibiles: eas verò quæ possunt lædere, & maximè animam, & vehementiorem ignis gehẽnam ei accẽdere, non is qui dat solùm, sed etiam qui petit, & ipse miserrimus. Admirabilis autem ô Imperator, & munifica est tua promissio. Quid enim mea refert à te maximi Iouis constitui Pontificem, & vocari patrem Senatus, qui sum Christi sacerdos, & ei quotidie sacrifico sacrificium laudis, & iam totum meipsum propero immolare, & efficere complantatum eius mortis similitudini? Imperator verò: Cuinam, inquit, festinas te ipsum immolare, ei ne qui à Pontio Pilato in crucem fuit actus? Maximè, inquit magnus Ignatius, ei qui peccatum crucifixit, & eius inuentorem destruxit diabolum, & omnem eius potentiam per crucem aboleuit. Rursus autem Imperator: Videris, inquit, mihi ô Ignati, omnino recto carere iudicio & sana mente. Non enim tam apertè fuisses deceptus scripturis Christianorum, sed cognouisses omnino quantum sit bonum edictis parere Imperatoriis, & diis sacrificia offerre cum omnibus. Ad hæc sanctus vtens rursus maiore dicendi libertate: Etiam si me bestiis, inquit, consumpseris: etiam si me cruce condemnaueris: etiam si gladio & igni tradideris, quæ sunt in tua potestate, nunquam ego patiar dæmonibus offerre sacrificium: neque enim metuo mortem, neque desidero præsentia, quæ est in potestate vestra præbẽre fruenda: sed sola desidero futura: & à me omne adhibere studium, vt transeam ad Christum qui pro me est mortuus. Propter quæ volens Senatus martyrem arguere ignorantiæ, Quid autem tu quoque, dixerunt, confiteris Deum esse mortuum? Quomodo verò qui subiit mortem, eámq; execrandam, poterit prodesse aliis? Dij autẽ & sunt immortales, & dicuntur à nobis. Cùm ex hoc occasionem diuinus accepisset Ignatius simul & irridendi illorum deos, & eis aperiendi ianuam mysterij susceptæ carnis dispensationis, & sic deducendi ad fidem Christi cognitionis, sic verba habuit: Meus Dominus & Deus Iesus Christus primùm quidẽ propter nos homo factus est, & propter nostram salutem: crucemq; & mortem & sepulturam sua sponte accepit. Cæterùm rursus tertio die resurrexit, inimici deiecta & prostrata potentia, & ascendit in cœlos vnde venerat, nos simul à lapsu peccati faciens resurgere: & rursus introducens in paradysum, ex quo malè fueramus eiecti, & nos donauit bonis maioribus, quàm erant ea quæ præcesserãt. Quòd autẽ ex iis qui à vobis censentur dij, vllus tale quid fecerit, nullus omnino asseruerit. Nam cùm isti fuissent homines malefici & exitiosi, & multa fecissent ad damnũ & exitium nostræ vitæ & status, paruam autem deorum opinionem & speciem hominibus qui sunt à ratione paulò alieniores, circa vllam rationem præbuissent, contractis postea velis deceptionis, & scena ablata, deprehensi sunt id quod erant: vt qui turpiter è vita excesserint, & morti immortali traditi sunt propter multorum interitum. Iupiter quidem certè qui est vobis primus & maximus deorum, in Creta est sepultus: Æsculapius verò fulmine est percussus: Sepulchrum Veneris ostenditur in Papho: Et Hercules fuit ab igne consumptus. Nam cùm tales sint, imò verò longè deteriores, ea eis obtigerunt quæ merentur.

Cùm hæc dicta fuissent ab Ignatio, Imperator simul cum Senatu, timens ne si esset eius sermo prolixior, res quidem Gentilium labefactarentur, & vel non crederentur, vel haberentur ludibrio: & vera quidem floreret religio: & tolleretur nubes erroris quæ ei offundit tenebras, eum quidem conijcit in vincula, & in tutissima collocat custodia. Ipse autem cùm tota nocte apud se cogitasset quonam modo eum vlcisceretur pro meritis: & quonam modo è præsenti eum vita subduceret, statuit eum feris tradere deuorandum, vt dilaniatus ab eis sanctus interiret. Visus est enim Imperatori hic mortis modus longè grauissimus. Cùm hanc rem ergo Senatui mane communicasset, ipsi quoq; eius laudarunt sententiam: sed consuluerunt, ne hæc bestiis obiectio fieret Antiochiæ: ne, aiebant, sic magis desideratum gloriosum apud suos ciues reddamus Ignatium, martyrico fine à vita excedentem. Quamobrem dicebant, oportere eum Romam abduci vinctum, & illic tradi bestiis. Sic enim & prolixitate itineris grauius subibit supplicium: & simul Romanis quisnam sit ignorantibus, videbitur esse peremptus tanquã vnus ex maleficis: & nec minima quidẽ erit eius apud illos memoria. Cùm hoc ergo placuisset, & in ipsum lata fuisset protinus sentẽtia, Imperator eũ rursus producit è custodia, hoc est, eius postremum faciens periculum. Et primum quidem multis bonorum promissis crebrò sanctum deliniebat ac demulcebat: Deinde etiam rursus minis magis territans. Postquam autem eum vidit nec credere promissis, neque minas formidare, desperans omnino fore vt mutaretur, ad effectũ deduxit ea quæ decreta fuerant: & cùm iussisset prioribus grauiora ei imponi vincula, tradit eum cohorti militari: & mittit Romam,

iubens, cùm aduenisset ciuibus dies festus quo totus congregatur populus, eũ tradi bestiis ad communẽ theatri delectationem, vt conuenienter ei quod dicit D. Paulus, ipse quoq; fieret spectaculum mundo, Angelis & hominibus. Martyr ergo cùm vltimam illam accepisset sententiam, & Deo magno clamore, vt consentaneum erat, egisset gratias, cũ magna voluptate & lætitia sibi imponit vincula. Et Imperator quidem egreditur contra Persas cum suo exercitu. Diuinus autem Ignatius cùm Ecclesiæ prius bene esset precatus, & gregem suum Deo cõmendasset cum lachrymis, vinctus sequebatur milites. Deinde cũ Seleuciam, non cũctans, non flens, non se aliquid graue omnino pati præ se ferẽs, sed alacribus venisset pedibus, à militibus in nauem immittitur: & cum eis appellit Smyrnam. Hic salutat Polycarpum diuinum Apostolum, quem Smyrnensi præfuisse Ecclesiæ, cùm Ignatij fuisset condiscipulus, superius diximus. Eũ ergo salutat, glorians & magnificè sibi placens, lætúsq; de vinculis. Quid enim ei poterat esse maiori ornamẽto, quàm aspici pati pro Domino, qui eum sic dilexerat? Deinde cùm etiam reliquis Episcopis & Presbyteris & Diaconis reddidisset eas quas par erat salutationes, quoniam multi concurrebant ex Ecclesiis Asiæ & ciuitatibus ad videndum illud spectaculum, & vt pulchro fruerentur fluento quod fluebat ex illius lingua, ipse ea quæ par erat suadens, rogabat omnes, vt pro ipso orarent, vt per feras cito resolueretur ad eum quem desiderabat, & appareret ante illius faciẽ. Cùm videret autẽ eos valde perturbatos, & quodammodo pendentes ab illius anima, & non ferendum damnum existimãtes separationem eius ad mortẽ, de iis qui sunt Romæ timens ne ipsi quoq; similiter affecti non sustinerẽt eum videre tradi bestiis, sed manus eis adferrent quibus mandatum erat vt eum traderent, & ei clauderent apertam ianuam martyrij, statuit ad eos mittere, vt ij quoque pro eo orarent, ne cursus suæ exercitationis ei impediretur: sed per feras, sicut dictum est, cito resolueretur ad dilectum Dominum. Operæpretium est autem illius quoq; meminisse epistolæ, quæ sic habet ad verbum: Ignatius qui & Deifer, Episcopus sanctæ Dei Ecclesiæ quæ est Antiochiæ, Ecclesiæ quæ misericordia est consecuta in maiestate patris altissimi, & Iesu Christi solius eius filij, dilectæ & illuminatæ, in voluntate eius qui voluit omnia, quæ sunt secundùm charitatem Iesu Christi Dei nostri, quæ etiam præsidet in loco regionis Romanorum, quam saluto in nomine Iesu Christi secundùm carnem & spiritum vnitam omni eius mandato: impletam gratia Dei ad lætandum in Christo Iesu Deo. Cùm Deum precatus, obtinuerim vt viderem spectabiles vestros vultus, vinctus in Christo Iesu, spero me vos salutaturum, si Dei fuerit voluntas, vt dignus habear qui sic sim vsque ad finem. Meum enim ritè succedit votum, si gratiam fuero consecutus, vt sortem meam accipiam sine impedimento. Timeo enim vestram charitatem, ne ea me afficiat iniuria. Vobis enim facile est facere quod vultis. Mihi autem difficile est Deum assequi, si vos mihi peperceritis. Non enim volo vos hominibus placere, sed Deo, sicut etiam placetis. Non enim ego vnquam habebo aliud tempus Deum assequendi, neq; vos. Si silueritis à me, ego Dei efficiar. Sin verò carnem meam amaueritis, rursus ero currens. Potius autem mihi præbete vt Deo immoler: est enim ara parata, vt effecti chorus in charitate, canatis patri in Christo Iesu, quòd Episcopum Syriæ dignatus sit Dominus vt inueniretur in occidente, eum accersens ab Oriente. Pulchrum est à mundo occidere ad Deum, vt ad ipsum exoriamur. Nulli vnquam inuidistis, alios docuistis. Ego autem volo illa quoque esse firma ac stabilia quæ vobis mandata didicistis: Solum rogate, vt detur mihi vires à Domino, vt non solùm dicar Christianus, sed etiam inueniar & dici possim, & tunc videbor esse fidelis, quando mundo non apparebo. Nihil enim quod apparet est æternum. Quæ enim cernuntur, sunt ad tempus: quæ autem non videntur, æterna. Ego scribo Ecclesiis, & mando omnibus, quòd ego lubens pro Christo morior, si vos non prohibueritis. Rogo vos ne sit intẽpestiua vestra in me beneuolentia, sinite me deuorari à feris, per quas licet Deum consequi. Sum Dei frumentum: & molor per dentes ferarum, vt Christi inueniar mundus panis. Feris potius blandimini, vt fiant mihi sepulchrum, & nihil relinquant mei corporis, ne sopitus fiam grauis. Tunc ero verus Christi discipulus, quando nec corpus quidem meum adhuc videbit mundus. Pro me Christo supplicate, vt per hæc instrumenta munda inueniar hostia. Non sicut Petrus & Paulus vobis præcipio. Illi Apostoli, ego condemnatus: illi liberi, ego autem seruus vsque in hodiernum diem: sed si volueritis, ero libertus Iesu Christi, & exurgam in ipso liber. Nunc disco vinctus nihil mundanum cupere aut inane, à Syria vsque ad Romam ipsam pugnans cum bestiis, à terra & mari noctu & diu vinctus decem leopardis, qui sunt cohors militaris, qui etiam si beneficio afficiantur, fiunt deteriores. In eorum verò iniuriis magis disco. Profuerint feræ mihi paratæ: & opto vt eæ mihi paratæ inueniantur, quibus etiam blandiar, vt me protinus deuorent, non sicut quosdam timore affectæ non tetigerunt. Quòd si eæ etiam inuitæ noluerint, at ego transibo, ignoscite mihi, scio quid mea intersit. Nunc incipio esse discipulus, vt Iesum Christum assequar. Ignis & crux, bestiarum irruptiones, dissectiones, diuisiones, ossium disper-

dispersiones, amputatio membrorum, trituræ totius corporis, & diabolo tormenta super me veniant, dummodo Iesum Christum assequar. Nihil mihi proderunt mundi iucunditates, neque regna huius seculi. Melius est mihi mori in Christo Iesu, quàm regnum obtinere vsque ad fines terræ. Quid enim prodest homini, si totum mundum lucretur, & suæ animæ patiatur detrimentum? Illum quæro qui pro nobis est mortuus.

Ignoscite mihi fratres, ne sitis mihi impedimento, quò minus viuã: neque me velitis mori. Sinite me puram lucem accipere. Cùm illuc enim venero, ero homo Dei. Permitte mihi vt sim imitator passionis Christi. Si quis ipsum in seipso habet, intelligat quod volo, & mei moueatur commiseratione, cùm sciat quæ me constringant. Princeps huius seculi me vult diripere, & corrumpere meam in Deum sententiam. Nemo ergo ex ijs qui adsunt ei opem ferat: Estote mei potius, hoc est, Dei. Ne loquamini Christum Iesum: mundum verò desideratis. Ne habitet inter vos inuidia. Nec sic ego quidem præsens vos rogem, parete mihi: iis autem parete potius quæ ego ad vos scribo. Ex ijs enim quæ scribo ad vos, mori cupio. Meus amor est cruci affixus, & non est in me ignis amans mundanæ materiæ, aqua autem potius viua & in me loquens, quæ intus mihi dicit, Veni ad patrem. Non delector nutrimento corruptionis, neque voluptatibus huius vitæ. Panem Dei volo, panem cœlestem, panẽ vitæ, qui est caro Iesu Christi filij Dei, qui postea natus est ex semine Dauid & Abraham: & potum Dei volo, eius sanguinem, qui est charitas, in quam non cadit interitus, & vita perennis. Non amplius volo viuere sicut homines, hoc autem erit si vos volueritis. Velitis ergo, vt vos quoque Deus velit. Breuibus literis peto à vobis: mihi credite, Iesus verò Christus vobis aperiet qui est os non mendax, quòd vera dico petendo vt consequar. Non secundùm carnem ad vos scribo, sed secundùm Dei sententiam. Si passus fuero, mementote in oratione vestra Ecclesiæ Syriæ, quæ pro me pastore Deo vtitur. Solus ipsam Iesus Christus visitabit, eiusque curam geret, & vestra charitas. Salutat vos meus spiritus, & charitas Ecclesiarum, quæ me susceperunt in nomine Iesu Christi, non tanquam transeuntem. Etenim quæ ad me non attinebant in via quæ est secundùm carnem, me deduxerunt in ciuitatem. Scribo autem hæc ad vos è Smyrna per Ephesios qui digni sunt qui beati iudicentur. Est verò mecum cum multis alijs Crocus quoque nomen desiderabile eorum qui mecum conuenerunt è Syria ad gloriam Dei. Hæc ad vos scripsi nono Calend. Septemb. Valete perpetuò fratres in tolerantia Iesu Christi. Amen.

Sed est hæc quidem epistola. Ipse autem paulò pòst è Smyrna deductus à militibus, & cùm appulisset Troadem & Neapolim, transit pedes per Philippos & Macedoniam, eas quæ sunt in via inuisens Ecclesias: & in eis docens, exhortans, disserens: fratres qui erant paulò simpliciores & imbecilliores confirmans, & efficiens vt omnes vigilarent & essent sobrii. Cùm verò transisset Epyrum, & mare transmisisset Adriaticum & Tyrrhenum, appellit Puteolos. Hospitio autem exceptus simul cum militibus ab iis qui illic erant fidelibus, cùm eos quoque valere iussisset in Domino, venit Romam, & sistitur ante præfectum vrbis. Cùm is ergo deiferum vidisset Ignatium, & literas accepisset imperatorias: dies autem aduenisset oportunus, quando erat dies festus & celebris Romanorum, ducit eum in medium theatrum, sicut iubebat improbum edictum Imperatoris. Cùm ergo vniuersa ciuitas sederet in theatro, cum ardenti spiritu & oculis iam spectaculum amantibus, vtpote quòd iam fama vbique annunciasset, Syriæ Episcopum cum feris esse pugnaturum, conuersus ille ad populum cum quodam generoso & inflexibili animo, vt qui gloriaretur, & sibi placeret propter eam quæ pro Christo suscipi cernebatur ignominiam: Viri, inquit, Romani, & præsentis huis certaminis spectatores, non hæc mihi fiunt vt luam pœnas alicuius maleficij, aut sceleratæ alicuius actionis, sed vt Deum assequar: cuius quidem teneor desiderio, & quem cupio insatiabiliter. Sum enim eius frumentum, & molor per dentes bestiarum, vt fiam ei purus panis. Hæc dixit, & dimissi leones eum statim dilacerarunt & deuorarunt, à solis asperioribus illius ossibus abstinentes, ei reuera impletis votis, vt bestiæ essent eius sepulchrum, & nihil reliquum esset eius corporis, vtpote quòd Deus pluris faceret famuli preces, & amorem ferre vsque ad finem, quàm efficere vt non tangeretur à leonibus, vt suo nomini tribueret gloriam.

Postquàm autem hæc euenerunt & finem acceperunt, qui Romæ erant fideles, ad quos adhuc viuens diuinus scripserat Ignatius, postquàm dimissum fuerat theatrum, conuenientes, cùm ossa, id cupientibus manibus sustulissent, & ea honorificè ac reuerenter composuissent, ea deposuerunt in loco insigni extra vrbem, vicesimo mensis Decembris. Hæc postea deportata sunt in patriam martyris Antiochiam: & quæ intercedunt ciuitates duplicem accepère 2 benedictionem, & prius quando Martyr vinctus ducebatur Romam ex Antiochia, & nunc quando cum præclaris trophæis illinc referebatur, tanquam apes fauum illum circumuolantes. Atque dicitur quidem quòd post martyricam eius consumma-

2 Ecce quomodo ex ossibus sancti martyris ciuitates benedictionem accipiunt.

tionem, lugentibus illius priuationem iis qui Romæ erant fideles, & nullam accipientibus doloris consolationem, & vacantibus sepulchralibus 3 hymnis & vigiliis, ipse in somnis apparens, & eos quasi amplectens, qui scilicet seipsos præbuerunt dignos illius consuetudine, luctum eis effecit facilem & leniorem, & doloris sedauit vehementiam. Alij rursus dixerunt, se vidisse eum sudore diffluentem, tanquam qui nuper respirasset à laboribus decertationis: & precantem salutem ciuitati & omnibus fidelibus. Hic quidem fuit exitus Deiferi Ignatij, hæc sunt certamina, hi sunt insani eius amores in Christum. Ei fert testimonium Irenæus Lugdunensis Episcopus vir magni faciendus, qui diuini Ignatij crebro meminit. Quin etiam Polycarpus, qui Smyrnensi præerat Ecclesiæ, qui cum eo ventitabat ad Ioannem Euangelistam & Theologũ: & cùm captiuus Romam duceretur Antiochia, eum, sicut diximus, salutauit, hæc alicubi scribẽs in suis epistolis: Rogo vos fratres, vt obediatis, & omnem exerceatis tolerantiam, quam vidistis oculis, non solùm in beatis Ignatio, Ruffino, & Zosimo, sed etiam in multis aliis ex vobis, & in ipso Paulo, & iis qui cum ipso crediderunt: quòd ij omnes non in vanum cucurrerunt, neque in vanum laborauerunt: sed in fide & iustitia quæ est in Christo Iesu. Quamobrem sunt etiam in loco qui eis debetur à Domino, cum quo passi sunt. Non enim præsens seculum dilexerunt, sed Christum qui pro nobis mortuus est & resurrexit. Sic ergo situs erat diuus Ignatius in sacris illorum animis, & cùm desiderasset bestiarum ventres sibi sepulchrum efficere, in piorum virorum magis habitat animis. Imperator autem Traianus cùm de diuino hoc Ignatio postea didicisset, & quàm fortiter peregisset hoc certamen martyrij, & quòd, vt ipse tulerat sententiam, à bestiis fuisset deuoratus, & multa etiam audiuisset de Christianis qui erant in regione, quòd scilicet nihil præter leges facerent, neque rem vllam agerent impiam: sed diluculo surgentes & Christum adorarent tanquam Dei filium, & 4 omnem exercerent abstinentiam in cibo & potu: & nihil tangerent ex ijs quæ lex prohiberet: Cùm ille, inquam, hæc audiuisset, ductus est pœnitentia eorum quæ facta fuerant, & dicitur tale decretum proposuisse, vt gens quidem Christianorum exquireretur, & omnibus esset cognita: inuenti autem non interficerentur: sed neque magistratus gererent, neque susciperent vllam reipublicæ administrationem. Sic non vita solùm Ignatij, sed iam mors etiam fuit multorum bonorum conciliatrix, gloriatio fidei quæ est in Christo: augmentum pietatis: adhortatio ad eos qui sunt ex Deo labores, & contemptio eius vitæ quæ est tẽpus: & continentia ab iis quæ sunt noxia, & studium vitæ puritatis: Gratia & benignitate Domini nostri Iesu Christi. Cum quo patri gloria, & sancto & viuifico spiritui, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

3 Nota, vacantibus sepulchralibus hymnis et vigilijs

4 Christiani vsq; à principio omnẽ abstinentiam exercebant in cibo & potu.

VITA SANCTI EVARISTI PAPAE ET MARTYRIS, PER DAMASUM PAPAM SCRIPTA.

Habetur in Pontificali eiusdem.

EVARISTVS natione Græcus, ex patre Iudæo nomine Iuda, de ciuitate Bethleem, sedit annos nouem, menses decem, dies duos. Fuit autem temporibus Domitiani & Neruæ Traiani, à consulatu Valentis & Veteris, vsque ad Gallum & Braduam consules. Martyrio coronatur. Hic titulos in vrbe Roma diuisit presbyteris. Et septem Diaconos ordinauit, qui custodirent Episcopum prædicantem propter stylum veritatis. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, Diaconos duos, Episcopos per diuersa loca quinque. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, sexto Calend. Nouembris: Et cessauit Episcopatus dies decem & octo.

VITA SANCTI ALEXANDRI PAPAE ET MARTYRIS, PER DAMASUM PAPAM SCRIPTA.

Ibidem.

ALEXANDER natione Romanus, ex patre Alexandro, de regione Caput tauri, sedit annos decem, menses septem, dies duos. Fuit autem temporibus Traiani, vsque ad Helianum & Veterem Consules.
Hic passionem Domini miscuit in precatione sacerdotum, quando Missæ celebrantur. Martyrio coronatur. 1 Et cum eo Euenthius presbyter, & Theodorus diaconus. Hic constituit 2 aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros sex, diaconos duos, Episcopos per diuersa loca quinque. Qui & sepultus est via Numentana, vbi decollatus est, ab vrbe Roma non longè, miliario septimo, quinto Nonas Maias. Et cessauit Episcopatus dies vigintiquinque.

1 Ecce missæ celebrationem etiam huius antiquissimi & sanctissimi pontificis.

2 Vides benedictionẽ & aspersionem aquæ à tanto põtifice institutã: quæ si superstitiosa esset, nequaquã vir sanctus eam ordinasset.

VITA SANCTORVM MARTYRVM ALEXANDRI Papæ, & Euentij ac Theodoli presbyterorum, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

ROmæ via Numentana miliario octauo natale Alexandri Papæ, & Euentij, & Theodoli presbyterorum, sub Traiano principe, iudice Aureliano. Qui Alexander Romanæ Ecclesiæ Episcopatum quintus post Petrum tenuit annos decem, menses duos, dies decem, & sanctitate incomparabilis, fide clarissimus, maximam partem senatorum vrbis conuertit ad Dominum. Hic constituit [1] aquam aspersionis cum sale benedici in habitaculis hominum, & passionem Domini miscuit in prædicatione sacerdotum, quando missæ celebrantur. Qui postmodum iubente Traiano principe ab Aureliano comite vtriusque militiæ carceri mancipatus, post stupenda & diuina miracula, vbi per puerum, qui facularn ferebat ardentem, è carcere nocturno silentio per fenestram eductus ad domum Quirini Tribuni, vbi beatus Hermes præfectus sub custodia tenebatur, perducitur: & postquàm sanata est filia ipsius Quirini, Balbina nomine, & ipse Quirinus conuersus Baptismi gratiam desiderauit: postque liberationem & baptisationem eorum, quos vinculis arctatos in carcere Quirinus ipse tenuerat, inter quos duos quoque sanctissimos presbyteros constrinxerat Euentium & Theodolum, qui de Oriente venerant: post ista omnia, & siqua sunt alia venerabiliter ab eo gesta, Aureliano comiti, Principe adhuc Traiano (siquidem Adrianus nondum imperabat) exhibitus est simul cum ipsis beatis duobus presbyteris. Primoque in eculeum leuatus, & tortus vngulis, atque lampadibus attractus grauissimè fuit. Cumque nullas daret voces, dixit ei Aurelianus: Quare taces? Sanctus Alexander respondit: Quia tempore orationis Christianus homo cum Deo loquitur. Deposito autem Alexandro, iussit impius iudex applicari Euentium & Theodolum, & interrogauit beatum Alexandrum: Qui sunt isti? Beatus Alexander dixit: Ambo viri sancti, ambo presbyteri. Tunc conuersus ad beatum Euentium Iudex interrogauit eum: Quando factus es Christianus? Cui beatus Euentius: Ante annos lxx. & annorum viginti [2] presbyter ordinatus fui, & nunc ago lxxx. & vnum annum ætatis, quem in carcere & vinculis compleui.

Et postquàm interrogauit etiam Theodolum, & in confessione manentem inuenit, iussit furnum incendi fortiter, & beatum Alexandrum, atque Euentium ligatos in medium præcipitari. Cum eis & beatus Theodolus sponte in flammas prosiliuit, decantans cum ipsis, & pariter gratias agens: Igne me examinasti, & non est inuenta in me iniquitas.

Quod cùm nunciatum impio Aureliano esset, fecit Alexandrũ punctis creberrimis per tota pungi membra, donec deficeret. Huiusmodi fine vir sanctus martyrium suum compleuit. Sancti autem duo presbyteri gladio consummati sunt. [3] Quorum corpora Seuera fœmina religiosa collegit, & beatum Alexandrum atque Euentium in vno sepulchro, sanctum verò Theodolum separatim in alio posuit via Numentana, in prædio suo. v. Nonas Maij.

Habetur in Martyrologio eius, sub 5. Non. Mai.

1 Hic duo habes contra nostri temporis nouatores: primũ quod aquæ et salis benedictio antiquissima est in Ecclesia, & à sanctissimo Pontifice introducta. Alterũ, quod missæ celebratio non est nouitiũ inuentum, vtpote quæ tẽpore etiã quinti à Petro Romani Pontificis fiebat.

2 Si annorũ viginti ordinatus fuit presbyter, non est verum omnes fideles ex æquo esse sacerdotes.

3 Vides quod vbique cõmendantur qui Sanctorũ corpora colligũt. Nempe quia sepelire mortuos opus est pietatis, & Deo valde gratum.

VITA SANCTI SIXTI PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

SIXTVS natione Romanus, ex patre Pastore, de regione via lata, sedit annos decem, menses tres, dies viginti vnum. Fuit autem temporibus Hadriani vsque ad Verum, & Anniculum. Martyrio coronatur. Hic constituit, [1] vt ministeria sacrata non tangerentur, nisi à ministris sacratis. Hic constituit, vt quicunque Episcopus euocatus fuerit ad sedem [2] Romanam Apostolicam, rediens ad parochiam suam, non susciperetur, nisi cum formatis salutationibus, ad plebem à sede Apostolica. Et constituit vt missarum actionem sacerdote incipiente populus hymnum decantaret, [3] Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus sabaoth, &c.

Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros vndecim, Diaconos tres, Episcopos per diuersa loca quatuor. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, octauo Idus Aprilis. Et cessauit Episcopatus dies duos.

Habetur in Pontificali eiusdem.

1 Quando audis hunc & alios Romanos Pontifices aliquid cõstituisse, oportet fatearis Ecclesiam posse facere constitutiones obligatorias in cõscientia etiã extra casum scandali. Nec enim verisimile est sanctissimos patres martyrio coronatos statuta cõdidisse, si cõdendi potestatem non habuissent.

2 Ecce quomodo Romana sedes est Apostolica Ecclesia.

3 Licet hæc & his similia quæ ad decentiam & ornatum pertinent, ab Apostolorum successoribus addita fuerint, Missa tamen quantum ad tria substantialia instituta est à Domino nostro Iesu Christo.

VITA

Habetur in Pontificali eiusdem.

VITA SANCTI THELESPHORI PAPAE ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

THELESPHORVS natione Græcus ex Anachorita, sedit annos vndecim, menses tres, dies viginti vnum. Fuit autem temporibus Antonini & Marci. Martyrio coronatur. Hic constituit, vt septem [1] hebdomadas ante Pascha ieiunium celebraretur. Hic fecit vt in natali Domini nostri Iesu Christi noctu missæ celebrarentur, cùm omni alio tempore ante horæ tertiæ cursum nullus præsumeret missas celebrare, quia ea hora Dominus noster ascendit in crucem, & vt ante [2] sacrificium hymnus diceretur Angelicus, hoc est, Gloria in excelsis Deo. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros duodecim, diaconos octo, Episcopos per diuersa loca tredecim. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, Nonis Ianuarij. Et cessauit Episcopatus dies septem.

1 Ne credas quadragesimale ieiunium celebre & solenne, quod teste D Hieronymo & alijs sanctis patribus ex Apostolica traditione venit, ab hoc pontifice institutum fuisse, sed voluit, quod ipsum ieiunium per septem hebdomadas protraheretur, id est, à Dominica Quinquagesimæ v, que ad Pascha. Lege eius decretum.

2 Vides missā dici sacrificium, & hoc vocabulū non esse nouitium inuentū vt aliqui somniāt

VITA SANCTI IGINI PAPAE ET MARTYris, per Damasum Papam scripta.

IGINVS natione Græcus, ex philosopho de Athenis, cuius genealogiam non inueni, sedit annos quatuor, menses tres, dies quatuor. Fuit autem temporibus Veri & Marci, à Consulatu Magni & Camerini, vsque ad Orphitum & Priscum. Hic clerum composuit, & distribuit gradus. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros quindecim, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca sex. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, tertio Idus Ianuarij. Et cessauit Episcopatus dies tres.

VITA SANCTI EPISCOPI ET MARTYRIS Polycarpi, per Eusebium Cæsariensem Episcopum scripta.

Habetur in 4. li. historiæ Ecclesiasticæ, cap. 14.

ANICETO Romanæ Ecclesiæ Præsidente, Polycarpum Romam venisse, atque habuisse sermonem cum ipso Aniceto de Paschæ die Irenæus refert. Sed & alia quædam de eodem Polycarpo scribit, quæ mihi dignum videtur corpori huic nostræ narrationis inserere.

Tertio igitur libro aduersus hæreses hæc de eo commemorat Irenæus: Polycarpus, inquit, qui non solùm ab Apostolis eruditus est, neque solùm conuersatus est cum his qui Dominum viderant, sed & ab ipsis Apostolis ordinatus est Smyrnæorum Ecclesiæ Episcopus, quem nos quoque in prima ætate nostra vidimus. Diu etenim permansit in vita, & longæua ætate perdurans, nobilis viuendo, sed & moriendo nobilior extitit, quippe qui vitam martyrio consummauit. Docebat autem semper ea quæ ab Apostolis ipsis didicerat, & hæc Ecclesiæ tradebat, quæ sola vera ducenda sunt. Quorum testes sunt omnes Ecclesiæ quæ in Asia constitutæ sunt, & hi qui per tempus etiam nunc in Polycarpi successione perdurant. Multò autem verior & fide dignior hic autor Ecclesiæ est, & veritatis testis, quàm Valentinus & Marcion, & cæteri peruersæ mentis homines. Qui etiam sub Aniceto Romam perrexit, & multos ex supradictis hæreticis ad Ecclesiam Dei conuertit, hanc solam prædicans tenendam esse veritatem, quam ipse sciret se ab Apostolis suscepisse, quam & tradebat Ecclesiæ. Et sunt adhuc etiam nunc, qui audierunt ab ipso, quòd Ioannes Apostolus discipulus Domini apud Ephesum cùm balneas lauandi gratia fuisset ingressus, & vidisset ibi Cherinthum, exiliens continuò, & discesserit non lotus, dicens: [1] Fugiamus hinc ne & balneæ ipsæ corruant, in quibus Cherinthus tur, veritatis inimicus. Idem etiam ipse Polycarpus, Marcioni aliquando cùm occurrisset, dicenti sibi: Agnosce nos, respondit: Agnosco, agnosco primogenitum Satanæ. Tanta tunc Apostoli atque eorum discipuli in religione cautela vtebantur, vt ne verbi quidem communionem cum aliquo eorum qui à veritate deuiauerant, habere paterentur. Sicut & Paulus dicit: Hæreticum hominem post vnam & alteram correptionem deuita, sciens quia peruersus est huiusmodi, & peccat, cùm sit à semetipso damnatus. Extat & Epistola Polycarpi ad Philippenses scripta perualida, ex qua formam fidei eius ac prædicationis (si quis fortè salutis suæ solicitudinem gerit) capere potest. Hactenus Irenæus.

1 Heus tu qui cōtinuè conuersaris cū hæreticis, & nihilominus dicis te esse bonū Christianum. Hæc enim aduersa sibi esse videntur, nec vnquam fecerūt sancti viri.

Polycar-

Polycarpus verò in ipsa epistola quam ad Philippenses scripserat, vtitur testimoniis de prima Petri epistola. Sed enim Antonino, qui prius cognominatus est, vicesimo & secundo anno principatus exacto, Marcus Aurelius Verus, & Antoninus filius eius cum Lucio fratre succedunt. Quo in tempore Polycarpus maximis persecutionibus Asiam quatientibus vitam martyrio finiuit. De quo planè necessarium duximus memoriæ tradere, maximè cùm scripta extet epistola ex persona Ecclesiæ Smyrneorum ad Ponti Ecclesias data, quæ de martyrij eius beato fine designat. Cuius exemplum infra scriptum est.

Ecclesia Dei, quæ est apud Smyrnam, Ecclesiæ Dei cōstitutæ apud Philomeliū, & omnibus quæ vbiq; sunt, sanctis Ecclesiis Catholicis misericordia, & pax, & charitas Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi multiplicetur. Scripsimus vobis fratres de martyribus, & de beato Polycarpo, qui velut signaculo quodā martyrij sui, finem persecutionibus posuit. Et paulò pòst describentes etiā cæterorum martyrum agones, talia quædam scribūt. Deterrere etenim volentes inspectantem populum, nunc flagris vsq; ad interiora viscerum martyres laniabant, ita vt abdita corporis, & quæ natura in arcanis locauerat, nudarētur. Nunc autem marinas cochleas, quos murices vocant, & acuta quæq; fragmenta in dorsum supinatis martyribus substernebant, in quibus omne tormenti genus & pœnæ speciē consumentes, ad vltimum deuorandos eos bestiis exponebant. Sed in his præcipuè designatur vir fortissimus effloruisse Germanicus nomine, qui per gratiam diuinæ virtutis metū corporeæ fragilitatis exclusit. Volente namq; proconsule persuasionibus aggredi virū, & obijcere ei primæ ætatis florem, debere eum suimetipsius miserationem capere: ille nihil moratus, spōte dicitur præparatam sibi bestiam prouocasse, veluti tardantes increpans pœnas, & iniquæ huius vitæ vltrò velocem expetisse discessum. Verùm cùm ex huius tam insigni morte stuporem cepisset astantis populi multitudo, & totius Christianorum gentis mirari virtutem de contemnēda morte cœpissent, conclamant omnes: Tolle impios, Polycarpus requiratur. Sed cùm ex acclamatione grauis perturbatio fieret, Corinthum quendam natione Phrygem nuper de suis regionibus aduentantem, accidit primò quidem bestias, cæteraq; tormenta sponte lacessere, dehinc fractis animis cedere, ad vltimum etiam salutem segnitia perdere. Quæ res eum ad martyrium procacia potius & temeritate, quàm deuotione prosiluisse declarat. Ipse namq; se iudiciis ingesserat. Victus itaq; exemplum euidens omnibus dedit, cautius in rebus talibus & circunspectius agendum: quia non temeritas, sed fides & modestia coronatur. Sed de his quidem talia gesta sunt. Insignis autem vir Polycarpus, primo quidem cùm audiret vulgus in se acclamationibus excitatum, in nullo penitus motus est, sed mansit impauidus. Tranquillus namq; erat moribus, & serenus aspectu. Qui cùm in eadem ciuitate vellet interritus permanere, acquiescens tamen deprecantibus se familiaribus suis, ad agrum quendā ciuitati proximum secedit, atq; ibi cum paucis die noctuq; nihil aliud quàm in 2 orationibus permanet, pro pace Ecclesiarum, quæ vbiq; sunt, supplicans Deo: quod ei facere in omni vita sua moris perpetui fuit. Sed hic in oratione positus, ante triduum quàm cōprehenderetur, visionem videt per noctem, ceruical capitis sui flammis esse consumptum. Cumq; euigilasset, post visum interpretatus est astantibus somnium suum, dixitque pro certo se ob Christum per ignem vitæ exitum sortiturum. Imminente igitur quæstione, rursus fratrum charitate compulsus, commigrauit in alium locum. Quò non multò pòst inquisitores eius ingressi correptis duobus pueris, & altero ex his verberato, per indicium eius ad Polycarpum perueniūt, cùm iam declinaret dies. Et ingressi ipsum quidem ostendunt in superioribus quiescētem. Vnde cùm posset facilis ei transitus esse ad alteram domum, noluit, dicens: Voluntas Domini fiat. Quinimò & cùm comperisset adesse comprehensores suos, in occursum eis progressus, læto admodum vultu ac placido compellare viros cœpit cum ingenti oris gratia, ita vt illi mirarentur & stuperent, quid tantum studij fuerit, vt vir illius grauitatis & honestatis, in tam longæua ætate, & tanta vitæ autoritate positus, perquiri & comprehendi iussus sit. Sed ille nihil moratus, continuò apponi mensam hostibus quasi hospitibus iubet, atque eis epulas largius ministrari, vnius horæ ab eis spatio orationis gratia impetrato. Orabat igitur 3 tanta Dei gratia repletus, vt admirarentur omnes qui aderant, & ipsi qui ad comprehendendum eum venerant, pœniterent, quòd tam honestum virum ac Deo dignum, & ipsa ætate venerabilem, rapere iuberentur ad pœnam. Et post aliquanta eadem scriptura verbis ipsis talia coniungit ex ordine. Postea verò quam finiuit orationem, memoriam faciens omnium quoscunque nosse potuit: maiorum minorumque, nobilium & ignobilium, & totius Catholicæ Ecclesiæ, quæ per orbem terræ est, instante iam hora, progreditur, & asino sedens ad ciuitatem ducebatur, cùm esset dies magni sabbati. Pergenti occurrit ei præfectus pacis Herodes nomine, & pater eius Nicetas, qui leuantes eum secum in vehiculum, persuadere sedulò conabantur, dicentes: Quid enim mali est dicere deum Cæsarem, & immolare, & de cætero viuere securum? Hæc ille primò tacitus audiuit. Sed vbi persiste-

2 Ergo vigiliæ cū nocturnis orationibus laudabiles contra nouatores nostros.

3 Heus tu qui tantopere aduersaris orationibus, eas afferēs superfluas & frustratorias cum mille similibus ineptiis; quid dicis ad orationes sanctissimi Polycarpi?

perſiſtebant, ait ad eos: Quid multis opus eſt? Facturus non ſum quod dicitis. At illi poſteaquam nihil ſe profeciſſe ſenſerunt, indignatione commoti, cum contumelia eum vehiculo deturbabant, ita vt pedem læderet præceps actus. Sed quaſi nihil fuiſſet iniuriæ, tota alacritate contentus, pergebat ad ſtadium quo duci fuerat imperatus. Cùm verò tumultus ingens in ſtadio ex ingreſſu eius fuiſſet exortus, vox de cœlo delapſa eſt: Fortis eſto ô Polycarpe, & viriliter age. Sed autorem quidem vocis videre potuit nemo, auditus tamen ad plurimos venit. Interea animatur ad furorem tumultus populi videntis, quòd Polycarpus introducitur. Cumque eminus à Proconſule interrogaretur, ſi ipſe eſſet Polycarpus, ſe eſſe confitetur. Ergo, inquit, habeto ætatis tuæ reuerentiam, & parce vltimæ ſenectuti tuæ: Iura fortunam Cæſaris, gerens de prioribus pœnitudinē, & conclama etiam tu. Tolle ſacrilegos. Tum Polycarpus toruo vultu ad populum, qui in ſtadio reſidebat, aſpiciens, eleuata ad cœlum dextera, cum gemitu proclamauit, & dixit: Tolle ſacrilegos. Sed inſiſtente Proconſule, & dicente: Iura fortunam Cæſaris, & dic in Chriſtum conuitia, & dimitto te. Polycarpus ad hæc: Octoginta, inquit, & ſex annis ſeruio ei, & nihil me læſit vnquam, quomodo poſſum maledicere & blaſphemare Regem meum, qui ſalutem mihi dedit? Cumque rurſum vehementius vrgeretur, vt fortunam Cæſaris iuraret: Si hanc, inquit, iactantiam quæris, vt ego fortunā Cæſaris iurē, & quis ſim ignorare te ſimulas, cum omni libertate audi à me quia Chriſtianus ſum. Si verò etiam rationē vis Chriſtianæ religionis accipere, ſtatue diem, & audi. Procōſul dixit: Suade hoc populo. Polycarpus ait: Tibi quidem reſpōdi. Docemur enim principibus & poteſtatibus ijs quæ à Deo ſunt, honorem deferre, eum ſcilicet, qui religioni non ſit contrarius, Populo autem furenti ſatisfacere non eſt meum. Proconſul dixit: Beſtias habeo paratas, quibus obijcieris, niſi citò pœnitueris. At ille reſpondit: Adhibeantur, nobis enim immobilis ſtat ſententia. Nec poſſumus de bono ad malum per pœnitudinem commutari. Melius autem erat, ſi hi mutarentur ad bona, qui perſeuerant in malis. Tunc proconſul: Igni te, inquit, faciam conſumi, ſi tibi beſtiæ contemnendæ videntur, nec propoſiti recipis pœnitudinem. At ille: Ignem minaris, inquit, hunc qui ad momentum incenditur, & paulò pòſt extinguitur, quia ignoras futuri iudicij ignem æternum, qui ad perpetuas pœnas præparatus eſt impiorum. Sed quid moraris? Adhibe vtrum voles. Hæc & multa alia his ſimilia dicens Polycarpus, confidentia ſimul & lætitia replebatur, ita vt alacritatem vultus eius, reſponſionumque conſtantiam Proconſul maximo ſtupore miraretur: Miſſo igitur Curione ad populum, iubet voce maxima proteſtari, Polycarpum tertiò confeſſum Chriſtianum ſe eſſe. Quo audito vniuerſa multitudo tam Gentilium quàm Iudæorum Smyrnenſium ciuitatis cum ingenti furore acclamabant: Hic eſt totius Aſiæ Doctor & pater Chriſtianorum, noſtrorum autem ſubuerſor deorum. Ipſe eſt qui multos docet, ne immolent, neue adorent Deos. Et poſt hęc verba acclamabant Philippo munerario, vt leonem Polycarpo dimitteret. Qui reſpondit, non ſibi licere, quia iam æditionis ſuæ munus expleſſet. Tunc illi omnes pariter conclamarunt, vt Polycarpus viuus arderet. Oportebat enim viſionem eius, quam de ardente ceruicali vidit, impleri. Quæ cùm dicto citius gererentur, ipſis populis ligna, vel de balneis, vel de publicis quibuſque locis ſarmenta congregantibus, præcipuè Iudæis ardentius ad hæc ex more feruentibus, cum omni velocitate extructus eſt rogus. Tum depoſitis ſenior indumentis, ac zona reſoluta, calceamenta quoque pedibus tentabat educere, quæ nunquam niſi a religioſis quibuſque fide & deuotione ſemetipſos inuicem præuenientibus reſolui conſueuerant. Ita namque in omni etiam reliqua vita ſua venerabiliter ab omnibus colebatur. Vt ergo expedita ſunt quæ ad ignem pertinebant, cùm eum vellent rogo impoſitum etiam clauis affigere, ait: Sinite me. Qui enim dedit mihi ignis ferre ſupplicium, dabit & vt ſine clauorum affixione flammas immobiliter perferam. Tum illi omiſſis clauis, vinculis vſi ſunt ſolis. Quibus poſt tergum manibus reuinctis, velut electus aries, & ex magno grege aſſumptus, acceptabile holocauſtum omnipotenti oblatus eſt Deo, has preces etiam in ipſa paſſione profundens: Deus dilecti & benedicti filij tui Ieſu Chriſti pater, per quē tui agnitionem ſuſcepimus, Deus Angelorum, & virtutum, & vniuerſæ creaturæ, ac totius iuſtorum generis, qui omnes coram te viuūt, benedico te, qui me in hanc diem, atque in hanc horam perducere dignatus es, vt particeps exiſterem martyrum, & calicis Chriſti tui, in reſurrectionem vitæ æternæ animæ ac ſpiritus mei per incorruptionē ſpiritus ſancti, in quibus ſuſcipiar in conſpectu tuo hodie tanquam ſacrificium pingue & acceptabile: ſicut præparaſti & præſignaſti, ita & feciſti. Verus es tu, & ſine mendacio Deus, propterea & in omnibus laudo te, & benedico te, & glorifico te per æternum Deum & Pontificem Ieſum Chriſtū dilectum filium tuum, per quem, & cum quo tibi cum ſpiritu ſancto gloria, & nunc, & in futura ſecula. Amen. Et cùm Amen inſonuiſſet, oratione completa ſubijciunt ignē homines ignis æterni ignari. Cumq; flamma ingens reluxiſſet, vidimus miracula omnes nos, quibus ea Deus videre conceſſit. Ex quibus & quàmplurimi à Domino ad hoc reſeruati ſunt, vt annunciarent

cæte-

cæteris quæ viderunt. Flamma etenim in modum cameræ curuata specie, quasi velum nauis vento sinuante, supra corpus martyris stetit, quod corpus in medio positum non erat, vt caro ardens, sed tanquam si aurum & argentum in fornace candesceret. Tunc præterea odorem naribus hausimus, tanquam thuris incensi, vel preciosissimi flagrantis vnguenti. Ad vltimum videntes scelerum ministri, igne corpus non posse consumi, iusserunt propius accedere confectorem, & corpus, cui ignis cesserat, mucrone transfodere. Quo facto tam largus profusus est sanguis, vt restingueret rogum. Populus autem miraculi stupore discessit attonitus, erga electos Dei tam insigni eius fauore perspecto.

Hic ergo est admirabilis & electus temporibus nostris magister Apostolicus, & propheticus Smyrnæorum Ecclesiæ sacerdos, qui omne verbum quod locutus est, & impletum est, & implebitur in futuro. Sed ille æmulus totius boni, & aduersarius omnium iustorum, postquam vidit quòd & pro martyrij gloria, & pro vitæ egregiæ virtutibus coronatus est, & per mortem præmia immortalitatis indeptus, satisagere cœpit, 4 vt reliquias eius ad sepulturam nostris desiderantibus nemo concederet. Instigabatur ergo Nicetas Herodis pater, frater autem Dalcæ, adire iudicem, & petere ab eo, ne humandum concederet corpus, ne fortè, inquit, relinquentes illum qui crucifixus est Christiani, hunc colere incipiant: Iudæis maximè ista machinantibus, qui & nostros intentis oculis obseruabant, ne eum è flammis adhuc ardentibus raperent: ignorantes miserrimi, quia neque Christum aliquando possumus derelinquere, qui mortem pro totius mundi salute sustinuit: neque alium quenquam colere, quoniam verum Deum, & qui solus colendus sit, 5 nouerimus. Martyres verò tanquam discipulos Domini diligamus & veneremur, quasi integrè fidem magistro seruantes & Domino, quorum nos quoque in fide & perseuerantia charitatis optamus esse participes. Vbi autem vidit Centurio tam obstinatam Iudæorum contemptionem, positum in medio ipsum corpus exussit, & ita nos postmodū ambusta ossa preciosissimis gēmis chariora, & omni auro probabiliora per ignē facta collegimus, ac (sicut conueniebat) ex more condidimus. Quo in loco etiam nunc, præstante Domino, solennes agimus celebresque conuentus, maximè quidem in die passionis eius: sed & cùm eorum memorias, qui prius passi fuerant, celebramus, vt sequentium animi ad præcessorum viam exemplis insignibus fulciantur. Hactenus de beato Polycarpo, cum quo etiam alij duodecim ex Philadelphia venientes, apud Smyrnam martyrio consummati sunt. Verùm in his literis, quas ad Florinum scripsit Irenæus Lugdunensis Episcopus, facit Polycarpi mentionem, cum quo etiam se conuersatum esse designat, per hæc verba: Hæc, inquit, dogmata Florine, 6 quæ asseris, confidenter dico, quia non sunt sanæ sententiæ. Hæc dogmata non sunt consona ecclesiasticæ fidei. Hæc dogmata ne illi quidem qui de Ecclesia pulsi sunt hæretici, potuerunt aliquando commentari. Hæc dogmata impietatem docent. Hæc dogmata sancti illi presbyteri, qui ante nos fuerunt, nunquam protulêre, illi qui & Apostolos viderant, quos & tu nosti. Vidi enim te, dum adhuc puer essem in Asia apud Polycarpum, tunc quidem præclarè agentem, dum adhuc esses intra palatium, & studentem placere Polycarpo. Multò enim magis mihi illius temporis rerum gestarum inhæret memoria, quàm præsentis: quia hæc quæ à pueris discimus, cum anima ipsa coalescunt, & adhærent ei. Vnde etiam locum ipsum tibi dicere possum, in quo sedens disputabat beatus Polycarpus, & incessum illius, & vultum, ac totius vitæ modum, & ipsius quoque corporis habitum. Sed & disputationes, quas habebat ad populum, & conuersationē quę fuerat ei cum Ioanne, quomodo narrare solitus erat, vel cæterorum, qui ipsum Dominum viderant: & quomodo recordabatur omnia, ac recensebat verba quæ dicta à Domino ab illis audierat: & de virtutibus eius ac doctrina. Et tamen omnia hæc cum scripturis consona proferebat: quæ tunc ergo pro misericordia Dei, quam mihi donare dignatus est, attentius & studiosius audiens describebam, non in chartis, sed in corde meo: quæque per gratiam Dei fideliter custodio, & mecum ipse sine intermissione quodammodo rumino. Deum ergo testor, & in conspectu ipsius tibi affirmo, quia si quid tale audisset beatus & Apostolicus vir Polycarpus, exclamasset statim, & aures suas obturasset, ac sicut moris erat ei, dixisset: Deus bone, in quæ tempora me reseruasti, vt hæc audiam? Nónne etiam ipsum continuò locum fugisset, in quo sedens vel stans huiuscemodi verba audisset? Sed ex epistolis eius, quas scripsit vel ad vicinas Ecclesias, vel ad aliquos ex fratribus, commonens & confirmans eos & cohortans ad fidem, potest sententia eius euidenter agnosci.

Hæc Irenæus.

4 Si sepultura curanda non est, nec cadauer aliqua indiget cæremonia, vt somniant nouatores isti, ad quid diabolus tātopere impediebat, vt reliquias sanctissimi martyris nemo ad sepulturā cōcederet?

5 Hic habes quō solum Deum colimus, martyres aūt vt veros seruos Dei & amicos veneramur & diligimus, quodq́ eorū ossa venerari, peregrinari ad eorum sepulchra, & solennes cōuentus in die passiōis eorum apud illos agere, nō sit vanum nec superstitiosum recensue inuētum, cuius contrarium asserunt moderni hæretici.

Ex eiusdem historiæ Ecclesiast. lib. 5. cap 20.

6 Lege, lege ô hæretice hæc Irenæi verba, & cōfundere: mira sanè res & stupenda, quō sanctus vir de spiritu afflatus tam à longinquo nostri tēporis subuersores alloquatur, et quasi in eorum auribus verba faciat.

VITA DIVI POLYCARPI EPISCOPI PER Suidam ſcripta, Alberto Lino Interprete.

POlycarpus Ioannis Euangeliſtæ & Theologi auditor fuit, ſucceſſor autem Bucoli, qui primus Smyrnenſium Eccleſiæ præfuit. Poſt quem ipſe ſecundus Epiſcopatum obtinuit, martyrioque pro Chriſto, Marco Antonino imperante, conſummatus eſt. Scripſit epiſtolam ad Philippenſes, atque ad magnum Dionyſium Areopagitam, ad aliaſque Eccleſias. Hic Antonino Pio imperante, Anicetoque Romanæ Eccleſiæ epiſcopatum gerente, Romam ob quaſdam de Paſchate controuerſias acceſſit, vbi multos, qui Marcionis & Valentini dogmati adhæſerant, ab errore reuocauit. Cæterùm quum Marcion caſu obuiam illi factus fuiſſet, dixiſſetque: Agnoſce nos Polycarpe, reſpondit: Agnoſco 1 te primogenitum diaboli filium.

1 Ecce qua nuncupatione Hæreſiarcham appellat Sancti enim viri ſemper huiuſce farinæ homines auerſati ſunt.

DE HAERESVM ET SCHISMATVM ORTV, per B. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem.

Habetur lib. 1. hiſtoriarum eius.

POſt has verò paſſiones Sanctorum, non fuit ſatis parti aduerſæ Gentes incredulas in Chriſticolas excitaſſe, niſi commoueret & in ipſis Chriſtianis ſchiſmata. Concitat igitur hæreſes, & diuiſa fides catholica aliter aliterque diſſeritur. Nam ſub Antonini Imperio Marcionitana & Valentiniana hæreſis inſana ſurrexit. Et Iuſtinus philoſophus poſt ſcriptos catholicæ Eccleſiæ libros martyrio pro Chriſti nomine coronatur. In Aſia autem orta perſecutione, beatiſſimus Polycarpus Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ diſcipulus, octogeſimo ætatis ſuæ anno, velut holocauſtum puriſſimum, per ignem Domino conſecratur. Sed & in Galliis multi pro Chriſti nomine ſunt per martyrium gemmis cœleſtibus coronati, quorum paſſionum hiſtoriæ apud nos fideliter vſque hodie retinentur.

DE PHOTINO ET IRENAEO MARTYRIBVS, per eundem Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem.

Ibidem.

EX quibus & ille primus Lugdunenſis Eccleſiæ Photinus Epiſcopus fuit, qui plenus dierum diuerſis affectus ſuppliciis pro Chriſti nomine paſſus eſt. Beatiſſimus verò Irenæus huius ſucceſſor martyris, qui à beato Polycarpo ad hanc vrbem directus eſt, admirabili virtute enituit: nam in modici temporis ſpatio prædicatione ſua maximè in integro ciuitatem reddidit Chriſtianam. Sed veniente perſecutione, talia ibidem diabolus bella per tyrannum exercuit, & tanta ibi multitudo Chriſtianorum ob confeſſionem Dominici nominis eſt iugulata, vt per plateas flumina currerent de ſanguine Chriſtiano. Quorum nec numerum, nec nomina colligere potuimus. Dominus verò eos in libro vitæ conſcripſit. Beatum verò Irenæum diuerſis carnifex pœnis affectum Chriſto Domino per martyrium dedicauit. Poſt hunc & quadraginta octo martyres paſſi ſunt, ex quibus primum fuiſſe legimus Vectium Pagatum.

VITA EGESIPPI VIRI SANCTISSIMI, PER B. Hieronymum presbyterum deſcripta.

Habetur in lib. eiuſdem de viris illuſtribus.

EGeſippus vicinus Apoſtolicorũ temporum, & omnes à paſſione Domini vſque ad ſuam ætatem Eccleſiaſticorum actuum texens hiſtorias, multaque ad vtilitatem legentium pertinentia hinc inde congregans, quinque libros compoſuit, ſermone ſimplici, vt quorum vitam ſectabatur, dicendi quoque exprimeret characterem. Aſſerit ſe veniſſe ſub Aniceto Romam, qui decimus poſt Petrum Epiſcopus fuit, & perſeueraſſe vſque ad Eleutherium eiuſdem vrbis Epiſcopum, qui Aniceti quondam diaconus fuerat. Præterea aduerſum idola diſputans, ex quo primum errore creuiſſent ſubtexit hiſtoriam, ex qua oſtendit, qua floruerit ætate. Ait enim: Tumulos mortuis templaque fecerunt, ſicut vſque hodie videmus: è quibus eſt & Antinous ſeruus Hadriani Cæſaris, cui & gymnicus agon exercetur apud Antinoum ciuitatem, quam ex eius nomine condidit, & ſtatuit Prophetas in templo. Antinoum autem in delitiis habuiſſe Cæſar Hadrianus ſcribitur.

VITA SANCTI PII PAPAE ET MARTYris, per Damasum Papam scripra.

PIVS natione Italus ex patre Rufino, frater Pastoris, de ciuitate Aquileia, sedit annos nouendecim, mẽses quatuor, dies tres. Fuit autẽ tẽporibus Antonini Pij à cõsulatu Clari & Seueri. Sub huius Episcopatu frater ipsius Hermes librum scripsit, in quo mandatum continetur, quod ei præcepit Angelus Domini, cùm veniret ad eum in habitu pastoris, vt 1 sanctum Pascha die Dominica celebraretur. Hic cõstituit hæreticum venientem ex Iudæorum hæresi suscipi, & baptizari. Et constitutum de Ecclesia fecit. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros octodecim, diaconos viginti vnum, Episcopos per diuersa loca duodecim. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano quinto Idus Iulij. Et cessauit Episcopatus dies quatuordecim.

Habetur in Põtificali eiusdem.

1 *Ecce sancti Paschæ antiquißima solennitas.*

VITA IVSTINI PHILOSOPHI ET MARTYris, per Eusebium Episcopum Cæsariensem scripta.

IVstinus fidelissimus nostræ philosophiæ sectator, & in Græcorum disciplinis eruditissimus, scribens ad Antoninum Apologeticum pro nostra religione librum, ita inter cætera ait: Non mihi videtur absurdũ, meminisse in his etiam de Antonino, quod nuper gestũ est, quẽ omnes timore principis, quasi Deum colere cœperunt: cùm bene nouerint, quis, qualísve paulò antè fuerit, & vnde duxerit genus. Idem quoque ipse etiam Iudaici belli, quod tunc gerebatur, memoriã faciens, talia quædam refert: Etenim in hoc, quod nunc geritur, bello Iudaico, Barchochabas princeps Iudaicæ factionis, Christianos solos, nisi negarent Christũ, tanquã blasphemos ad supplicia rapi iubebat. In quibus libris etiã de conuersione sua, quã habuit à gentili philosophia ad veræ religionis fidem, quod non absq; probabili ratione, & examinato iudicio ad hæc conuersus sit, hoc modo scribit: Nam & ego ipse, inquit, sectis Platonicis institutus, audiens infamari Christianos, & videns eos impauidos ad suscipiendam mortẽ, atq; omne supplicium tolerandum, considerabam quòd impossibile esset in malitia eos & in libidine conuersari. Quis enim aliquando voluptuosus & luxuriis deditus, & qui humanis carnibus vesci delicias putet, mortem libenter amplectitur, quo scilicet ipsa confestim careat, pro qua infamari maluit, voluptate? Quinimò viuere perpetuò (si liceret) & latere iudicia, in hoc magis operam daret, nedum semetipsum statutæ ac professæ morti studeret offerre Sed & idem ipse vir scribit Adrianum principem, susceptis à Serenio Graniano clarissimo viro præside literis, in quibus de Christianis percontabatur, rescripsisse, quòd non esset iustum, Christianos nullius criminis reos absq; iudicio legibusq; puniri. Simul & exemplum epistolæ ipsius subijcit continentis hunc modum: Accepi literas ad me scriptas à decessore tuo Serenio Graniano clarissimo viro, & non placet mihi relationem silentio præterire, ne & innoxij perturbentur, & calũniatoribus latrocinandi tribuatur occasio. Itaq; si euidenter prouinciales huic petitioni suæ adesse valent aduersum Christianos, vt pro tribunali eos in aliquo arguant, hoc eis exequi non prohibeo. Precibus autem in hoc solis & acclamationibus vti, eis non permitto. Etenim multò æquius est, si quis volet accusare, te cognoscere de obiectis. Si quis igitur accusat, & probat aduersum leges quicquam agere memoratos homines, pro merito peccatorum etiam supplicia statues. Illud mehercule magnoperè curabis, vt si quis calumniæ gratia quenquam horum postulauerit reum, in hunc pro sui nequitia suppliciis sæuioribus vindices. Verùm Adrianus post hæc vicesimo & primo sui principatus anno diem obiit, & Antoninus cognomento Pius Romanum suscepit imperium. Refert autem Egesippus semetipsum Romam venisse, & permansisse inibi vsque ad Eleutherium, qui post Anicetum subrogatus est in Episcopatum. Quibus temporibus simul florebat Iustinus in habitu philosophi, diuinum prædicans verbũ, & fidei nostræ rationẽ tam scriptis voluminibus, quàm viuæ vocis assertione defendens. Qui & aduersum Marcionem scribens, cõmemorat de eo quòd adhuc superesset eo tempore quo scribebat. Deniq; ita dicit: Marcio verò quidam Ponticus, qui & hodie superest, docet homines alium credere esse Deum maiorẽ conditore Deo. Hæc ille hominibus ingerẽs, & dæmonibus adiutoribus vtens, multis blasphemare persuasit, vt negarent creatorẽ omnium Deum ipsum esse patrẽ Christi, sed aliũ quendam, qui quasi maior hoc esset. Et tamen omnes sectatores eius Christiani appellantur, ita nimirum, sicut omnes communi vocabulo, cùm diuersæ sint sectæ, philosophi nũcupantur. Sed & post pauca nihilominus dicit: Est autem & nobilis liber aduersus omnes hæreses cõpositus, quem si vultis decurrere, dabimus. Hic autem ipse Iustinus scribit etiam contra Paganos volumẽ insigne: sed & alios libros pro nostra religione, in quibus ad Antoninũ principem,

Habetur lib 4. histor. Ecclesiast. eiusdem cap. 8.

Ibidem Cap. 10.

Cap. 11.

Ibidem cap. 91.

qui cognominatur Pius sermonem dirigit, scribens & ad Senatum. In vrbe etenim Romæ maximè cōsistebat. Deniq; in vno ex iis libris, etiam de semetipso, volens quis vel vnde esset ostendere, hoc modo scribit. Imperatori Ælio Adriano, Antonino Pio, Cæsari Augusto, & verissimo philosopho, & Lucio philosopho Cæsaris proprio filio, ac Pij adoptiuo, amatori sapientiæ, & sacro Senatui, atque omni populo Romano, pro viris ex omni genere hominum congregatis, & iniusto odio laborantibus, ac non digna patientibus, Iustinus Prisci filius Bacchiadis ex vrbe Neapoli Palestinæ, vnus pro omnibus hoc defero postulatum.

Ibidem cap. 12. Sed interpellatus idem Imperator in Asia ab his qui vario iniuriarum genere affligebãtur, tale rescriptum ad vniuersos Asiæ populos promulgauit. Imp. Cæs. Marcus Aurelius Antoninus Aug. Armenicus, Pont. Max. Trib. Pot. xv. Cos. iij. Vniuersis simul plebibus Asiæ salutem: Ego quidem non ambigo, etiam diis ipsis curæ esse, ne quis noxius lateat. Multò enim magis illis conuenit punire eos, qui ipsis immolare nolunt, quàm vobis. Sed vos confirmatis eorum, quos persequimini, sententiam, quam de vobis habent, dicentes, vos impios & sine Deo esse. Vnde & optabilius habent animam ponere pro Deo suo, & mortem libenter amplecti, quàm vobis talibus acquiescere, & in vestræ religionis iura concedere. De motibus autem terræ, qui vel facti sunt, vel etiam non fiunt, absurdum non erit mœrorem vestrum iusta commotione solari. Quoniam quidem comperi, quòd in huiuscemodi rebus, ad illorum inuidiam communes casus transfertis. In quo illi quidem maiorem fiduciam accipiunt apud Deum. Vos autem in omni tempore, quo de talibus ignoratis, cæteros quidem deos negligitis, cultum verò immortalis Dei, quem Christiani colunt, expellitis & deturbatis, vsque ad mortem cultores illius obseruantiæ persequentes. Super quibus plurimi ex prouinciis iudices etiam venerabili patri nostro scripserant. Quibus rescriptum est ab eo, vt nihil omnino molestiæ huiuscemodi hominibus generarent, nisi fortè arguerentur aliquid aduersum Romani regni statum moliri. Sed & mihi ipsi de his quàmplurimi retulerunt. Quibus ego paternam secutus sententiam, pari moderatione rescripsi. Quòd si quis persistit huiuscemodi hominibus absque vllo crimine mouere negotia, ille quidem qui delatus pro hoc nomine fuerit, absoluatur, etiamsi probetur id esse, quod ei obijcitur, Christianus. Is autem qui crimen obtendit, reus pœnæ ipsius, quam obiecit, existat.

Cap. 16. Cum sanctis igitur martyribus, qui eo tempore pro beatis confessionibus coronati sunt, & vir mirabilis Iustinus, cùm secundò iam librum pro religionis nostræ defensione cōscriptum temporis illius iudicibus obtulisset, remunerationem linguæ fidelis & eruditæ, martyrij munus accepit, quodam philosopho, Crescente nomine, cane tam professione quàm moribus, dolos viro insidiasque tendente. Quoniam quidem sæpe cum eo disputans, auditoribus mediis, non solùm obtinuerat eum, verùm & vehemētius veritate sibi suffragante confuderat, vnde & victoriæ suæ palmam, martyrium percepit à Domino.

Hoc autem ita futurum, etiam beatus ipse verus philosophus veritatis in ea defensione, quam ab eo conscriptam suprà diximus, apertè, sicut erat futurum, prophetica mente prædixit, his verbis: Nam & ego, inquit, spero me ab aliquo horum, quibus pro veritate obsisto, insidias esse passurum: spero baculo aut claua feriendum: certè vel à Crescente hoc, non philosopho, sed φιλοκόμπῳ, id est, non amatore sapientiæ, sed amatore iactantiæ. Neq; enim dignum est, philosophum nominari eum, qui de his quæ nescit, publicè protestatur: & Christianos sine Deo esse, & impios dicit, ad gratiam & libidinem eorum, quos in errore positos ipse maioribus laqueis erroris inuoluit. Si enim ignoratur ab eo Christi doctrina, & ea arguit quæ ignorat, nequissimus est, & imperitis multò nequior: quia & imperiti vel idiotæ obseruant, ne disputare audeant de his quæ ignorant, & de illis testimonium perhibere quæ nesciunt. Si verò legit quæ apud nos scripta sunt, & aut non intellexit eorum virtutem, aut intellexit quidem, sed dissimulat, ne & ipse suspectus habeatur in talibus, multò nequior & detestabilior iudicandus est, qui imperiti vulgi captans fauorem, veritatis ac pietatis, quam probat, hostis existit & proditor. Nam & proposuisse me ei sciatis quædam, ex quorum responsionibus nihil scire conuictus est. Et intantum vera sunt quæ dico, vt putem vobis etiam quæstionis habitæ inter nos disputationes allatas, ex quibus apertissimè dignoscitur, quæ nostra sunt penitus ignorare. Si verò necdum venerunt hæc ad notitiam vestram, paratus sum rursum vobis audientibus disputare. Hæc sunt beati Iustini verba, in quibus secundùm ea quæ prædixerat, per Crescentis insidias martyrio consummatus est.

Ibidem Cap. 16. Tatianus quoq; vir eruditissimus, in prima ætate sua cum magna admiratione oratoriam docens, ex qua non parum gloriæ quæsierat, postmodum ad nostra se studia conuertens, libros etiam ipse aduersus Gentes dignos memoria dereliquit, in quibus Iustini meminit, his verbis: Sed admirabilis, inquit, vir Iustinus satis rectè prosecutus est, similes istos dicens esse latronibus. Et post aliquanta, cùm de philosophis quædam dixisset, addit etiam hæc: Crescens denique ille, qui obsedit vrbem magnam, in puerorum quidem stupris omnes præibat,

in pecu-

in pecuniæ autem cupiditate nullo inferior erat. Mortem verò cum cæteris contemnendam suaderet, ipse tam pessimam de eo opinionem gerebat, vt Iustinum tanquam vltimo malo traderet morti, pro eo quòd veritatem prædicans, voluptuosos & deceptores philosophos arguebat. Plurima autem nobis hic vir studiorum monimenta dereliquit, quibus eruditæ eius animæ, ac diuinis deditæ disciplinis, indicia colligamus: in quibus emolumenti plurimum inuenire possunt ij qui amorem doctrinæ & scientiæ gerunt. Extat igitur eius liber hic (de quo superius memorauimus) ad Antoninum qui dicebatur Pius, & filium eius, ac Senatum, pro nostra religione conscriptus. Sed & secundus nihilominus defensionem nostræ fidei continens, quem scribit ad successorem supradicti principis Antoninum Verum, cuius tempora nunc cœpimus explicare. Sed & alius liber est aduersum Paganos, in quo de singulis, vel nostris, vel Græcorum philosophis conferens, disputationem latissimam conscripsit. Ibi etiam de natura dæmonum disserit quædam, quæ his inserere longum est: Sed & alius liber est aduersus Paganos, qui superscribitur Confutatio. Est & alius eiusdem monarchia, quem non solùm de nostris libris, sed & de Græcorum voluminibus texuit. Est & alius, qui superscribitur Psaltes: Et alius velut in subnotationum modo de anima, in quo diuersas quæstiones inseruit ex his quæ apud Græcorum philosophos agitantur, quibus contradicturum se repromittit, & suam de his sententiam in illius responsionis volumine prolaturum. Composuit etiam dialogum quasi cum Iudæis, quem apud Ephesum cum Tryphone Hebræorum nobilissimo doctore habuit, in quo exponit, quomodo ipse per diuinam gratiam ad credulitatem veræ fidei perductus sit, cùm prius immensum studium erga philosophorum gesserit disciplinas, perquirendæ veritatis amore detentus. Simulque refert de Iudæis, quòd aduersum Ecclesiam Christi insidiis feralibus agant. Et pro his insimulat Tryphonem, dicens: Quia non solùm non penituistis pro his quæ à vobis malè gesta sunt, sed & viros aptos ad hoc elegistis de Hierosolymis, & misistis per omnem terram, qui circumirét, & dicerent impiam hæresim surrexisse Christianorum, simul & criminosa quædam diffamarent: aduersum nos, quo scilicet per hæc ignorantes quique deterriti, consortia nostra vitarent: in quo non solùm nobis ipsis, sed & aliis opprobria fingendo causa mortis extitistis. Cap.18.

Scribit autem, quòd vsque ad sua tempora prophetiæ gratia in Ecclesiis floruerit. Sed & Apocalypsim, 1 Ioannis Apostoli esse dicit. Propheticis etiam quibusdam vtitur testimoniis ad Tryphonem, conuincens eum de his, quòd Iudæi absciderint hæc de scripturis, & abstulerint: Sed & multa eius alia apud quamplurimos fratrũ feruntur, quæ ita probabilia ac digna à veteribus iudicata sunt, vt Irenæus ex ipsis inueniatur assumere, & in quarto aduersum hæreses libro, de his hoc modo scribere: Et bene, inquit, Iustinus in eo volumine quod aduersum Marcionem scribit, prosecutus est, dicens: quia ipsi Domino nunquam acquiescerem, si alium Deum diceret præter omnium creatorem. Et iterum in quinto eiusdem operis libro dicit: Et optimè, inquit, Iustinus affirmat, quia ante aduentum Domini nũquam ausus est satanas blasphemare Deum, quippe qui nondum agnouisset damnationem suam. Hæc autem nobis necessariò de opusculis Iustini dicta sint, ad inquisitionem librorum eius studiosos quosque fideles prouocantibus.

1 Iustinus martyr Apocalypsim, Ioannis Apostoli esse dicit.

VITA IVSTINI PHILOSOPHI ET MARtyris, per Suidam scripta, Alberto Lino Clerico Veronense Interprete.

IVstinus Philosophus, & habitu philosophorum vtens, ex Neapolitanorum præfectura, quæ est in Palæstina, Prisco patre Bichij filio ortus est. Hic pro Christiana religione valde laborauit, adeo vt & Antonino cognomento Pio, atque eius liberis, Senatuiq; Romano librum contra Gentiles conscriptum legendum tradiderit, opprobrium crucis minimè erubescens. Scripsit & alium librum, quem Antonini successoribus, hoc est, Marco Antonino, & Lucio Aurelio commodato dedit. Alius quoque eius extat liber contra Gentiles, in quo de fuga dæmonum disserit. Et quartus liber similiter aduersus Gentiles, quem Confutatiouem inscripsit. Alius insuper de Dei monarchia: & alius quem Psaltem nominauit: & de anima alius. Nec non dialogus aduersus Iudæos, quem quidem aduersus Tryphonem Iudæorum Ephesi commorantium principem ex tempore composuit. Quinetiam insignia aduersus Marcionem opera edidit. Et alium librum contra omnes hæreses, cuius in Apologetico, quem Antonino Pio tradidit, mentionem fecit. Cæterùm quum hic Romæ commoraretur, Crescentem fatuum illum Cynicum maledictis Christianos vexantem valde confudit, helluonem, luxuriosumque, & proteruum illum appellans, mortemque extimescentem demonstrans. Ad extremum huius Crescentis oppugnatione atque insidiis, vt Christianus pro Christo martyrio est affectus.

MARTYRIVM SANCTORVM IVSTINI Philosophi, Charitonis, & sociorum, qui Romæ passi sunt.

Per Simeonem Metaphrasten.

QVO tempore nefarij superstitionis idolorum propugnatores impia contra pietatem religionem seruantes Christianos per singulas vrbes ac regiones edicta proposuerũt, vt quicunque Christiani deprehensi essent, idolis sacrificare cogerentur: comprehensi Iustinus & qui cum illo erant, adducti sunt ad Romæ præsidem, Rusticum nomine. Quibus ante tribunal constitutis, Rusticus præses dixit Iustino: Age, esto dijs obediẽs & Imperatoriis edictis. Illi autem Iustinus respondit: Nemo vnquam reprehendi aut condemnari poterit, qui Saluatoris nostri Iesu Christi præceptis obedierit. Tunc Rusticus præfectus: In cuiusnam, inquit, eruditionis ac disciplinarum genere versaris? Cui Iustinus: omnium [1] disciplinarum genus discere conatus sum, omnemque eruditionem expertus, postremò veræ Christianorum disciplinæ adhæsi, quamuis illa non placeat his qui falsę opinionis errore ducuntur. Tunc Rusticus dixit: Illáne miserrime eruditione delectaris? Maximè, inquit Iustinus, quoniam recto [2] cum dogmate Christianos ipsos sequor. At præfectus: Qualénam est istud dogma? Respondit Iustinus: Rectum dogma quod Christiani homines cum pietate seruamus, hoc est, vt Deum vnum existimemus factorem atque creatorem omnium quæ videntur, quæque corporeis oculis non cernuntur, & Dominum Iesum Christum Dei filium confiteamur olim à Prophetis prænunciatum, qui & humani generis Iudex venturus est, salutis præco, & magisteriis qui ab illo bene didicerint. Ego quidem, vt homo, imbecillis sum, & longè minor, quàm vt de infinita illius Deitate aliquid magnum dicere possim: Prophetarum munus hoc esse fateor. Illi enim huius ipsius, quem Dei filium esse dixi, in orbem terrarum aduentum multis antea seculis diuinitus prædixerunt. Quæsiuit Præfectus, quem in locum Christiani conuenirent. Cui respondit Iustinus, eò vnumquemque conuenire, quò vellet, ac posset. An, inquit, existimas, omnes nos in eundem locum conuenire solitos? Minimè res ita se habet, quoniam Christianorum Deus loco non circunscribitur: sed cùm inuisibilis sit, cœlum & terram implet, atque vbique à fidelibus adoratur, & eius gloria collaudatur. Tunc Præfectus: Age, inquit, dicas quem in locum conueniatis, & discipulos tuos congreges. Respondit Iustinus: Ego prope domum Martini cuiusdam ad balneum, cognomento Timiotinum, hactenus mansi. Veni autem in vrbem Romam secundò, neque alium quempiam locum, nisi quem dixi, cognosco. At si quis ad me venire voluit, communicaui cum illo veritatis doctrinam. Ergo Christianus es tu, inquit Rusticus. At Iustinus: Maximè, Christianus ego sum. Tunc Præfectus dixit Charitoni: An & tu Christianus es? Cui Chariton: Christianus ego sum, Deo ipso adiuuante. Quæsiuit Rusticus à Charitina muliere, num & ipsa Christi fidem sequeretur: Cui respondet illa, se quoque, Deo dante, Christianam esse. Tunc Rusticus dixit Euelpisto: Tu verò quisnam es? Cui respondit: Seruus quidem Cæsaris sum, sed Christianus, à Christo ipso libertate donatus, & illius beneficio atque gratia, eiusdem spei, cuius & isti sunt, quos vides, particeps factus. Post hæc præfectus quæsiuit ab Hierace, num & ipse Christianus esset. Cui Hierax dixit: Certè Christianus & ego sum: eundem enim Deum colo atque adoro. An, inquit Præfectus, Christianos vos fecit Iustinus? Ego, inquit Hierax, & fui, & ero Christianus. Stans autem & Pæon dixit: Ego quoque sum Christianus. Et quisnam, inquit Præfectus, te docuit? Respondit ille: A parentibus bonam hanc confessionem accepi. Post hunc Euelpistus dixit: Et ego Iustini quidem sermones magna cum voluptate audiebam, sed à parentibus tamen & ipse Christianus esse didici. Tum præfectus: Et vbinam parentes tui sunt? In Cappadocia, inquit Euelpistus. Quæsiuit Præfectus ab Hierace, vbinam gentium essent eius parentes. Cui respondit Hierax: verus Pater noster Christus est, & mater fides, qua in ipsum credimus: terreni verò parentes mei mortui sunt: Cæterùm ego ab Iconio Phrygiæ abstractus huc veni. Quæsiuit Præfectus à Liberiano, quidnam & ipse diceret, num Christianus esset, atque in deos impius. Cui Liberianus: Et ego, inquit, Christianus sum: colo enim & adoro solum verum Deum.

[1] *Vides disciplinarũ omniũ studium nõ esse Christianis inutile, nec à scholis explodendũ, vt hæretici autumãt.*

[2] *Nota quod non sufficit Christianè viuere, nisi etiam recta fidei dogmata sequaris.*

Tunc Præfectus conuersus ad Iustinum, dixit: Audi tu, qui eloquens esse diceris, & putas te veram disciplinam tenere: Si à capite per totum corpus flagello cæsus fueris, persuasum ne habes fore vt in cœlum ascendas? Cui Iustinus: Spero, inquit, me habiturum quod habent qui Christi dogmata seruauerint, si hæc ipsa quæ dicis, perpessus fuero. Scio enim omnibus qui sic vixerint, diuinam gratiam conseruari, quoad totus mundus consummetur.

summetur. Ad hæc præfectus Rusticus: Ergo futurum opinaris vt in cœlos ascendas, mercedem aliquam recepturus? Non opinor, inquit Iustinus, sed 3 scio, & hoc tam certum habeo vt nihil dubitem. Rusticus dixit: Veniamus deinceps ad id quod propositum est & nos vrget. Conuenite simul, & vno eodemque animo dijs sacrificate. Ad hæc Iustinus: Nemo, inquit, qui rectè sentiat, pietatem deserit, vt in errorem atque impietatem dilabatur. Præfectus Rusticus dixit: Nisi iussis nostris parêre volueritis, cruciatus sine vlla misericordia patiemini. Iustinus autem: Maximè nos in votis habemus propter Dominum nostrum Iesum Christum cruciatus perpeti, ac saluari: hoc enim nobis salutem & fiduciam conciliabit ante eiusdem Domini & Saluatoris nostri terribile illud tribunal, cui totus mundus diuino iussu assistet. Idem & reliqui omnes martyres dixerunt, hoc addentes: Fac cito quod vis: nos enim Christiani sumus, & idolis non sacrificamus. Hæc audiens Præfectus talem sententiam pronunciauit: Qui diis sacrificare, & Imperatoris edicto parêre noluerunt, flagello cæsi ad capitalem pœnam abducantur, quemadmodum leges præcipiunt. Itaque sancti martyres Deum collaudantes, ad consuetum locum producti, post verbera securi percussi sunt, & in Saluatoris confessione martyriū consummarunt. Posthæc quidam fideles clam illorum corpora sustulerunt, & in loco idoneo illa condiderunt, cooperante gratia Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria in secula seculorum. Amen.

3 Sapienter hanc responsionē intellige, non enim hæreticæ positioni fauet. Quoniam vel non de fide hic loquitur qua quis firmiter credit, & certo statuit cœlorum regnū se consecuturum, sed de firma, & certa spe, qua illud expectare debet, si diuina mandata seruauerit. Hanc enim spē quilibet habere debet, fidem illā nullus. Quinimo ex scripturis ea improbatur. Vel si de fide loquitur, de ea intelligit, quæ ex diuina reuelatione habetur.

VITA SANCTAE FELICITATIS MARTYRIS, per D. Gregorium Papam scripta.

SAncti Euangelij fratres charissimi, breuis est lectio recitata, sed magnis mysteriorum ponderibus grauida. Iesus etenim conditor & redemptor noster matrem se nosse dissimulat, & quæ ei mater sit, qui propinqui, non per cognitionem carnis, sed per coniunctionem spiritus, designat, dicens: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Quicunque fecerit voluntatem patris mei qui in cœlis est, ipse meus frater, & soror, & mater est. Quibus nobis verbis quid aliud innuit, nisi quòd obsequentes iussionibus suis multos ex gentilitate collegit, & Iudæam, ex cuius carne genitus est, non agnoscit? Vnde & mater eius cùm quasi non agnoscitur, foris stare perhibetur, quia videlicet synagoga idcirco ab autore suo non cognoscitur, quia legis obseruationem tenens, spiritualem intellectum perdidit, & sese ob custodiam literæ foris fixit. Sed dum is qui voluntatem patris fecerit, soror & mater Domini dicitur, propter vtrunque sexum qui ad fidem colligitur, mirum non est: mirandum verò valde est quomodo etiam mater dicatur. Fidelis enim discipulos fratres vocare dignatus est, dicens: Ite, nunciate fratribus meis. Qui ergo frater Domini fieri ad fidem veniendo poterit, quærendum est, quomodo esse etiam mater possit. Sed sciendum nobis est, quia qui Christi frater, & soror est credendo, mater eius efficitur prædicando. Quasi enim parit Dominum, qui eum cordi audientis infundit: & mater eius efficitur prædicando, si per eius vocem amor Domini in proximi mente generatur. Ad quam rem nobis idoneè confirmandum, adest beata Felicitas, cuius hodie festa natalitia celebramus, quæ credendo extitit ancilla Christi, & prædicando facta est mater Christi. Septem quippe filios, sicut in gestis eius emendatioribus legitur, sic post se timuit viuos in carne relinquere, sicut carnales parentes solent metuere ne mortuos præmittant. In persecutionis enim labore deprehensa filiorum corda in amore supernæ patriæ prædicando roborauit, & parturiuit spiritum, quos carne pepererat: vt prædicatione pareret Deo, quos carne pepererat mundo. Considerate fratres charissimi in fœmineo corpore virile pectus, ad mortem stetit imperterrita, amittere se in filiis lumen veritatis timuit, si non fuisset orbata. Nunquid ergo hanc fœminam martyrem dixerim? Certè Dominus cùm de Ioanne loqueretur, dixit: Quid existis in desertum videre? prophetam? Vtique dico vobis, & plusquàm prophetam. Et Ioannes ipse requisitus respondit, dicens: Non sum propheta. Quia enim se plus quàm prophetam nouerat esse, se prophetam negabat. Qui idcirco plusquàm propheta dicitur, quia prophetæ est officium, ventura prænunciare, non etiā ostendere. Ioannes verò plus quàm propheta est, quia quem verbo prædixit, digito ostendit. Non ergo hanc fœminam martyrem dixerim, sed plus quam martyrem, quæ septem pignoribus ad regnum præmissis, toties ante se mortua ad pœnas prima venit, sed peruenit octaua. Aspexit mater & cruciata & imperterrita filiorum mortem, spei gaudium tribuit, adhibuit dolorem naturæ. Timuit viuentibus, gauisa est morientibus. Optauit nullum post se relinquere: ne si quem haberet superstitem, non posset habere consortē. Nemo ergo ex vobis fratres charissimi existimet, quòd eius cor morientibus filijs etiā carnalis affectus minimè pulsauerit. Neq; enim filios, quos carnē suam esse nouerat, sine dolore poterat morientes videre: sed erat vis amo-

ris interior quæ dolorem vinceret carnis, vnde & passuro Petro dicitur: Cùm senueris, extendes manus tuas, & alius te cinget, & ducet quò non vis. Neque enim si plenissimè Petrus nollet pro Christo pati, potuisset, sed martyrium quod per infirmitatem carnis noluit, per virtutem spiritus amauit. Qui dum per carnem ad pœnas trepidat, per spiritum ad gloriam exultat: Actum est, vt cruciatum martyrij nolendo voluisset, sicut nos quoque cùm gaudium quærimus salutis, amarum poculum sumimus purgationis. Amaritudo quidem in poculo displicet, sed restituenda per amaritudinem salus placet. Amauit ergo iuxta carnem Felicitas filios, sed pro amore cœlestis patriæ mori etiam voluit quos amauit. Ipsa eorum vulnera accepit, sed in eisdem ipsa ad regnum præuenientibus excreuit. Rectè ergo hanc fœminam vltra martyrem dixerim, quæ & toties in filiis est desiderabiliter extincta, & dum multiplex martyrium obtinuit, ipsa quoque martyrij palmam vicit. Fertur apud veteres mos fuisse, vt quisquis consul existeret, iuxta ordinem temporum honoris sui locum teneret. At si quis posterior ad consulatum veniens, consul non semel, sed bis fortasse aut tertiò fieret, etiam illos laude & honore transcenderet, qui non plus quàm semel consules extitissent. Vicit ergo beata Felicitas martyres, quæ tot ante se morientibus filijs pro Christo occubuit, quia ad amorem illius sola sua mors minimè suffecit. Consideremus fratres hanc fœminam, consideremus & nos qui membris corporis viri sumus, in eius comparatione quid æstimabimur? Sæpè namque agenda aliqua bona proponimus, sed si vnus contra nos leuissimus sermo ab ore irridentis eruperit, ab intentione actionis nostræ fracti protinus & confusi resilimus. Ecce nos plerunque à bono opere sola verba reuocant. Felicitatem verò à sancta intentione frangere nec tormenta potuerunt. Nos in aura maledictionis impingimus, hæc ad regnum etiam per ferrum exiit, nihilque quod obsisteret æstimauit: Nos ad præcepta Dominica largiri nostra saltem superflua nolumus, hæc non solùm Deo suam substantiam contulit, sed pro illo etiam propriam carnem dedit. Nos cùm ex diuina iussione filios amittimus, sine consolatione lugemus: hæc eos mortuos plangeret, si non obtulisset. Cùm ergo ad illud terribile examen districtus iudex venerit, quid nos viri dicemus, cùm huius fœminæ gloriam viderimus, de debilitate mentis nostræ? Quæ tunc viris erit excusatio, quando hæc ostendetur, quæ cum seculo & sexum vicit? Sequamur ergo, fratres charissimi, districtam & asperam redemptoris viam. Vsu quippe virtutum ita iam plana facta est, vt per eam fœminis libeat ambulare. Despiciamus cuncta præsentia: nulla sunt etenim in hoc mundo, quæ transire non possint. Turpe sit diligere, quod constat citius perire. Non nos terrenarum rerum amor superet, non superbia inflet, non ira delaniet, non luxuria polluat, non inuidia consumat. Amore nostro fratres charissimi redemptor noster occubuit, & nos amore eius discamus vincere nosipsos. Quod si perfectè agimus, non solùm imminentes pœnas euademus, sed communi cum martyribus gloria remunerabimur. Nam quamuis occasio persecutionis desit, habet tamen pax nostra martyrium suum, quia & si carnis colla ferro non subdimus, spirituali tamen gladio carnalia nostra desideria in mente trucidamus, ipso adiuuante, qui viuit & regnat, &c.

VITA DIVAE FELICITATIS MARTYRIS, PER BEATUM Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Est sermo 134. in opere homiliarum eius.

QVoniam varios martyrum multiplicésue triumphos, quos persequutoris crudelitas toties illusa cumulauit, tempus nos dinumerare non patitur, ad illam tota nostri sermonis confugit oratio, quæ meruit filios tot habere, quot dies mundus accepit. Verè mater luminum, fons dierum, quæ septenario corusco germinis sui toto orbe splendet. Beata quæ non solùm pro lege patitur, sed ipsius legis heptalismum meruit mater sancta generare: heptalismum fratres, qui non vnius & temporalis tabernaculi illustraret arcanum, sed Ecclesiam sempiternam sacro illuminaret incenso. Felix quæ meruit portare tot virtutum pignora, quot illa arca præceptorum volumina sacrata gestauit: & vt illa verbo, ita hæc doceret exemplo. Iam tunc eos fratres martyres genuit, quando eos partus sui septenario numero consecrauit, & mystico. Huc, huc sanctus Paulus veniat, qui adhuc parturit, donec Christus formetur in homine. Ecce mulier iterum atque iterum parturit, donec in virtutem mutetur infirmitas, caro transcendat in spiritum, terra transferatur in cœlum. Ardebat, anhelabat, vt eos vno die sacros Martyres pareret, qui vix paruulos per annorũ curricula generabat. Ecce mulier, ecce mater quam vita filiorum fecit anxiam, mors securam. Beata, cui in futura gloria tot astant candelabra quot germina. Beata, quæ tot præmisit ad regnum: beatior, quæ suum in seculo nil amisit. Discurrebat lætior inter confossa cadauera, quàm inter cunabula chara filiorum: quia internis oculis tot cernebat brauia, [1] quot vulnera: quot tormenta, tot præmia: quot victimas, tot coronas. Et quid plura, fratres? Non est, non est vera mater, quæ nescit filios sic amare.

1 Vide & considera diligẽter has voces, merita, brauia, præmia, & coronas, tu qui dicis nos nihil mereri apud Deum.

VITA

VITA SANCTAE FELICITATIS MARTYRIS, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

EOdem die Natale sanctæ Felicitatis matris septem filiorum martyrum, quæ iubente Antonino, decollata est pro Christo. Idem enim Imperator iniunxerat Præfecto vrbis Publio, vt eam compelleret cum filiis suis deorum sacrificiis inclinari. Qui blando alloquio ad sacrificium eam prouocans, minatur pœnarum interitum. Cui beata Felicitas: Nec blandimentis tuis resolui potero, nec terroribus frangi: habeo enim spiritum sanctum, qui me non permittet vinci à diabolo, & ideo secura sum: quia viua te superabo, & si interfecta fuero, melius te vincam occisa. Deinde alia die sedit Præfectus in foro Martis, iussitque eam adduci cum filiis suis, cui & dixit: Miserere filiis tuis iuuenibus bonis, & flore primæ iuuentutis florentibus. Beata Felicitas respondit: Misericordia tua impietas est, & exhortatio tua crudelitas est. Et conuersa ad filios suos dixit: Videte filij cœlum, & aspicite vbi vos expectat Christus cum sanctis suis. Pugnate pro animabus vestris, & fideles vos in amorem Christi exhibete. Audiens hoc Publius, iussit eam alapis cædi. Tunc conuocans filios eius, cœpit cum eis agere, vt sacrificarent. Ianuarius respondit: Stulta suades, nam sapientia Domini me confortat, & faciet me omnia tormenta superare. Statim Iudex iussit eum virgis cædi, & in carcerem recipi. Felix dixit: Vnus est Deus, quem colimus, cui sacrificium piæ deuotionis offerimus. Vnde tu ne credas, aut me, aut aliquem fratrum meorum à Domini Iesu Christi amore recedere, etsi immineant verbera, fides nostra nec vinci potest, nec [1] mutari. Philippus dixit: Isti de quibus dicis, nec dii sunt, nec omnipotentes, sed sunt simulachra vana & misera, & insensibilia, & qui eis sacrificare voluerit, in æternum peribit. Syllanus dixit: Nos si transitorium timuerimus interitum, æternum incurremns supplicium: & quoniam verè nouimus quæ præmia sunt parata iustis, & quæ pœna sit constituta peccatoribus: idcirco Romanas leges contemnimus, vt iussa diuina seruemus. Alexander dixit: Ego seruus Christi sum, ore confiteor illum, corde teneo, incessanter adoro: infirma ætas quam vides, canam habet prudentiam. Vitalis dixit: Melius viuit, qui verum Deum colit, quàm qui dæmonia optat habere propitia. Martialis dixit: Omnes qui non confitentur verum Deum esse, in æternum incendium eunt. Iudex gesta omnia scriptis Antonino innotuit. Quos ille iussit diuersis suppliciis interire, matre nouissimè consummata.

Habetur in Martyr. eiusdem sub 11. Ca. Decemb.

1 *Si fides nostra nec vinci potest, nec mutari, consequens est eam fidē tenendam, quæ à seculo prædicatur & quam sancti præcedentes professi sunt, omnesq; in toto mundo constitutæ seruāt Ecclesiæ, & non quæ à paucis tenetur in angulis.*

VITA SANCTORVM MARTYRVM GERVASII, ET Prothasij, per diuum Ambrosium Episcopum scripta.

AMbrosius seruus Christi fratribus per omnem Italiam in Domino æternam salutem. In diuinis voluminibus reus scribitur, qui non studuerit dare gratis, quod ipse gratis accepit. Quicquid enim Ecclesiæ Domini profuturum erat, subtraxisse videtur: cùm noluerit tradere omnibus quod ipse non cælandum acceperit. Vnde Psalmographus canit: Iustitiam tuam non abscondi in corde meo: Veritatem tuam, & salutare tuum dixi: Non cælaui misericordiam tuam in concilio multorum. Et pro hoc opere quasi vicissitudinem à Deo postulans adiecit: Tu autem Domine ne elonges misericordiam tuam à me. Quasi diceret Deo: Sicut ego fe alios misericordiam inuenire: ita ipse non patiaris longè fieri misericordias tuas à me. Aperiamus ergo, cur ista præmisimus: & vestros animos qui piè de Domino sentitis, & creditis de inuentione sanctorum corporum, ad lætitiam inuitemus. In diebus itaque transactæ nuper quadragesimæ [1] cùm Dominus donasset mihi, vt ieiunantium me faceret esse participem in oratione positum, ita me somnus oppressit, vt vigilans apertè, nec dormiens integrè, viderem apertis oculis duos iuuenes ephebos vestibus candidissimis, id est, collobio & pallio indutos, caligulis calceatos, manibus extensis orantes. Nullam quidem grauedinem patiens, loqui cum eis non poteram. Sed quia, vt dixi, pars in me somni incumbebat, qui me ad eorum interrogationem verbum proferre non sineret. Planè autem mihi euigilanti visio eorum elapsa est. Factum est proinde vt rogarem Domini misericordiam, vt si ludificatio dæmonum esset, absconderet: si verò esset veritas, plenius appareret. Ad impetrandum verò quod poscebam à Domino, [2] augmentaui ieiunium. Similique modo canente gallo orantes mecum iuuenes apparuerunt. Tertia verò nocte, defecto ieiuniis corpore non dormienti, sed stupenti, cum quadam mihi tertia apparuerunt persona, quæ similis esse beato Paulo Apostolo videbatur, cuius me vultum [3] pictura docuerat, in tantum vt ipse mecum illis tacentibus loqueretur, dicens: Isti sunt qui monita mea secuti, respuentes prædia & diuitias,

1 *Vide ieiunium Quadragesimale.*

2 *Valet ieiuniū ad impetrandum quod poposceris à Deo.*

3 *Cuius me vultum pictura docuerat. Ergo tempore Ambr. pingebantur Apostolorum imagines.*

diuitias,ſecuti ſunt Domini noſtri Ieſu Chriſti veſtigia,nihil terrenum,nihilq́ue carnale concupiſcentes,in media hac Mediolanenſi vrbe per decem annos in Dei ſeruitio pedurantes ad hoc pertingere meruêre,vt Chriſti martyres fierent. Quorum corpora in eo loco inuenies, in quo ſtas & oras. Duodecim pedum altitudine terræ coopertam archam inuenies, quam archam ſuperius exaltabis,& in nomine eorum Eccleſiam 4 fabricabis. Cumq́ue eorum nomina requirerem dixit mihi: Ad caput eorum libellum ſcriptum inuenies, in quo & ortus eorum, & finis ſcriptus eſt. Conuocans itaque omnes per circuitum fratres,& coepiſcopos vrbium vicinarum,& referens vniuerſa quæ videram ipſis coram poſitis, primus ego terræ foſſor acceſſi:cæteri verò Epiſcopi proſecuti ſunt:& fodientes peruenimus ad archam,quam ſanctus promiſerat Paulus. Quam aperientes inuenimus quaſi in ipſa hora poſitos ſanctos, miro 5 odore fragrantes. Ad quorum caput libellum inuenimus, in quo erant hæc per ordinem conſcripta.Ego ſeruus Chriſti Philippus intra domum meam ſanctorum corpora cum filio meo rapui & ſepeliui. Quorum mater Valeria, & pater Vitalis ſunt dicti: quos vno ortu geminos genuêre: & vnum Prothaſium, alium Geruaſium vocauerunt. Cumq́ue ab inteſtato Geruaſius & Prothaſius, hoc eſt, patre ſancto Vitale martyre, & matre ſanctæ memoriæ Valeria defunctis vtriſque patrimonio ſucceſſiſſent domum propriam, in qua nati fuerant, & res vniuerſas parentum, & caſellulas vænundantes,omne precium 6 pauperibus erogauerunt & familiolæ ſuæ, quam ingenuam fecerant. Poſt hæc autem Geruaſius & Prothaſius in vno ſe cœnaculo concluſerunt, & per decem annos lectioni & orationi adhærentes, anno vndecimo conuerſationis ſuæ ad palmam martyrij idola reſpuentes, ſub Aſtaſio principe in Mediolanenſi ciuitate die Calendarum Iuniarum feliciter peruenerunt. Eodem tempore ſuperueniente comite Aſtaſio, qui proficiſcebatur ad bellum, quod à Marchomannis fuerat excitatum, occurrerunt ei cultores idolorum cum ſacerdotibus ſuis, dicentes: Si vis lætus ad Auguſtos noſtros reuerti,& victor,Geruaſium & Prothaſium diis noſtris compelle ſacrificare. Vehementer enim dij noſtri de eorum contemptu commoti, reſponſa nobis dare contemnunt. Audiens hæc Aſtaſius comes, iuſſit eos teneri, & ad ſe perduci. Cumq́ue perducti fuiſſent ad illum, ait comes Aſtaſius: Hortor vos, & moneo,vt à deorum noſtrorum iniuriis commorantes ad immolandum eis deuoti ſtudeatis inſiſtere, vt expeditio mea vnanimiter celebretur.Beatus Geruaſius dixit: Victoriam de cœlo debes ab omnipotenti Deo requirere, non de ſimulachris mutis & vanis, quæ oculos habent ſine lumine, aures ſine auditu, nares ſine odoratu, os ſine ſermone, manus ſine tactu, pedes ſine greſſu, & ventrem abſque interioribus probantur habere, & ſine flatu eſſe noſcuntur. Tunc indignatus Aſtaſius comes iuſſit beatum Geruaſium tamdiu plumbatis tundi, quàm diu exhalaret ſpiritum. Quo remoto, iuſſit ſibi aſtare Prothaſium. Cui & dixit: Miſer vel tu viuere ſtude, & noli biothanatus fieri, ſicut & frater tuus Geruaſius. Cui beatus Prothaſius reſpondens, ait: Quis eſt miſer? Ego qui te non timeo: an tu, qui me timere probaris? Aſtaſius dixit: Ego te, miſer homo, quomodo timeo? Beatus Prothaſius dixit: In hoc probaris timere me,& lædi,ſi non ſacrificauero diis tuis. Si enim nõ timeres te lædi à me,ad ſacrificium idolorum non me compelleres.Ego autem te non timens,contemno minas tuas,& omnia idola tua vt ſtercora reputans,Deum ſolum qui regnat in cœlis adoro. Audiens hæc Aſtaſius comes iuſſit eum fuſtibus cædi,& dum diu torqueretur,iuſſit eum erigi, dixitq́ue ei: Prothaſi,vt quid tam ſuperbus,& tam rebellis exiſtis? Vis perire, ſicut tuum probaſti perire germanum Geruaſium? Beatus Prothaſius reſpondit: Non tibi iraſcor Aſtaſi comes: nec ego,nec ipſa iuſtitia,quoniam cœcos tui cordis oculos attendo. Incredulitas enim quæ in tuis ſenſibus regnat,nõ te permittit videre,quæ Dei ſunt.Nam & Dominus meus Ieſus Chriſtus crucifigentibus ſe non maledixit,ſed potius vt eis indulgeretur orauit, addens & hoc, quia neſcirent quid facerent. Vnde & ego tui, comes Aſtaſi, miſereor, quia neſcis quid facias: age ergo quod cœpiſti: vt mihi poſſit occurrere cum meo fratre Geruaſio hodie benignitas Saluatoris noſtri. Tunc comes Aſtaſius iuſſit eum capite cædi. Cumq́ue decollatus eſſet beatus Prothaſius: Ego ſeruus Chriſti Philippus abſtuli cum filio meo furtim nocte ſancta corpora, 7 & in domo mea, Deo ſolo teſte, in iſta archa ſaxea ſepeliui, credens me orationibus eorum conſequi miſericordiam Domini noſtri Ieſu Chriſti: Qui cum patre & ſancto ſpiritu viuit, & regnat in ſecula ſeculorum.

4 Et in nomine eorũ Eccleſiam fabricabis. Licet igitur Eccleſias in honorẽ Dei fabricare ſub inuocatione ſanctorum, contra nouos hæreticos.

5 Si ſanctorũ corpora non fuiſſent tẽpla ſpiritus ſancti, quomodo in eorum effoßis ſepulchris tantus odor fragraret?

6 Ecce quomodo ſancti Euangelicã paupertatẽ intellexerunt, realẽ ſcilicet, & cũ effectu bonorum omnium temporalium abdicationem, non animo duntaxat, ſicut perperam interpretantur hæretici noſtri.

7 Vide corpora iuſtorũ defunctorum ſancta dici, & quod orationibus eorũ, viuẽtes miſericordiam domini noſtri Ieſu Chriſti cõſequuntur. Reſpondeant hæretici ad hæc ſi poſſunt.

Ex lib. 22 D. Aurelij Auguſt de ciuit. Dei, cap. 1.

MIraculum quod Mediolani factum eſt, cum illic eſſemus, quando illuminatus eſt cœcus,ad multorum notitiam potuit peruenire,quia & grandis eſt ciuitas,& ibi erat tunc Imperator, & immenſo populo teſte res geſta eſt, concurrente ad corpora martyrum Prothaſij & Geruaſi. Quæ cùm laterent, & penitus neſcirentur, Epiſcopo Ambroſio per ſomnium reuelata,reperta ſunt, vbi cæcus ille depulſis veteribus tenebris diem vidit.

INVEN-

INVENTIO CORPORVM SANCTORVM GERVASII & Prothasij, per diuum Ambrosium Episcopum ad sororem suam scripta.

Est epistola eius 85. in lib. x. epis. ad sororem suã.

DOminæ sorori, vitæ atque oculis præferendæ, frater. Quia nihil sanctitatem tuam soleo, eorum præterire quæ hic te gerantur absente, scias etiam sanctos martyres à nobis repertos. Nam cùm basilicam dedicassem, 1 multi tanquam vno ore interpellare cœperant, dicentes, Sic in Romana Basilica dedices. Respondi: faciam, si martyrum reliquias inuenero: statimque subiit veluti cuiusdam ardor præsagij. Quid multa? Dominus gratiam dedit, formidantibus etiam clericis iussi eruderari terram eo loci qui est ante cancellos 2 sanctorum Felicis atque Naboris. Inueni signa conuenientia, adhibitis etiam quibus per nos manus imponenda foret: sic sancti martyres imminere cœperunt, vt adhuc nobis silentibus arriperetur vrna, & sterneretur prona ad locum sancti 3 sepulchri. Inuenimus miræ magnitudinis viros duos, vt prisca ætas ferebat. Ossa omnia integra, sanguinis plurimum. Ingens concursus populi per totum illud biduum. Quid multa? Condiuimus integra, ac ordine, transtulimus vespere iam incumbente ad basilicam Faustæ, ibi vigiliæ 4 tota nocte, manus impositio. Sequenti die transtulimus ea in basilicam, quam appellant Ambrosianam. Dum transferimus, cœcus sanatus est. Talis mihi ad populum fuit sermo.

1. *Vide antiquum esse morẽ dedicãdi Ecclesias cũ reliquiis Sanctorum.*
2 *Vide etiã quod erãt olim ecclesiæ seu aræ in nomine sanctorũ ædificatæ*
3 *Ecce quomodo sanctũ vocat beatorum martyrum sepulchrum.*
4 *Ibi vigiliæ tota noctæ celebratæ,*

Cùm tam effusam, tamq; inauditam cõsiderarem conuentus vestri celebritatem, & diuinæ gratiæ munera quæ in sanctis martyribus refulserunt, imparem me, fateor, huic muneri, iudicabam, nec fieri posse, vt sermone absoluerem, quod vix possumus animo intendere, oculis comprehendere. Sed vbi sanctarum legi cœpit series scripturarum, largitus est spiritus sanctus qui locutus est in prophetis, quo dignum aliquid tanto 5 cœtu, & expectatione vestra martyrumque sanctorum meritis proferamus. Cœli enarrant (inquit) gloriam Dei. Cùm legitur in Psalmis, occurrit quod non tam elementa materialia, quàm cœlestia merita dignum Deo præconium deferre videantur. Hodierna tamen fortuita lectione patuit, qui cœli enarrant gloriã Dei. Aspicite ad dexteram meam, aspicite ad sinistram reliquias 6 sacrosanctas, videtis cœlestis conuersationis viros, spectantes animi sublimis trophæa. Isti sunt cœli qui enarrant gloriam Dei. Hæc opera manuum eius annunciat firmamentum. Non enim eos secularis illecebra, sed diuini gratia operis ad firmamentum sacratissimæ passionis euexit. Multoque antè morum virtutumque documentis annunciauit in his martyrium, quòd aduersus lubricum seculi huius stabiles permanserunt. Cœlum erat Paulus, qui ait: Nostra conuersatio in cœlis est. Cœli erant Iacobus & Ioannes, denique filij tonitrui nuncupantur, & ideo quasi cœlum Ioannes verbum apud Deum vidit. Ipse Dominus Iesus perpetui luminis erat cœlum, cùm enarraret Dei gloriam, sed eam quam nemo antè conspexerat. Et ideo dixit: Deum nemo vidit vnquam, nisi vnigenitus filius qui est in sinu patris enarrauit. Opera quoque manuum Dei si quæris, audi Iob dicentem: Spiritus diuinus qui fecit me. Et ideo aduersus diaboli tentamenta firmatus, inoffensæ vestigium constantiæ reseruauit. Sed veniamus ad reliqua. Dies (inquit) diei eructat verbum. Ecce veri dies, quos nulla caligo noctis interpolat. Ecce veri dies, pleni luminis, & fulgoris æterni, qui non perfunctorio sermone verbum Dei, sed intimo corde eructarunt, in confessione constantes, in martyrio perseuerantes. Alius psalmus lectus dicit: Quis sicut Dominus Deus noster, qui in altis habitat, & humilia respicit in cœlo & in terra? Respexit sanè humilia Dominus, qui latentes sub ignobili cespite reliquias sanctorum suæ Ecclesiæ reuelauit, quorum anima 7 in cœlo, corpus in terra. Suscitans à terra inopem, & de stercore erigens pauperem. Quos videtis, vt eos cum principibus populi sui collocarit. Principes populi quos alios nisi sanctos martyres æstimare debemus? quorum iam in numerum diu antè ignorati, Prothasius, Geruasiusq; proferuntur, qui sterilẽ martyribus Ecclesiam Mediolanẽsem, iam plurimorũ matrẽ filiorum, lætari passionis propriæ fecerint & titulis & exemplis? Nec hoc adhorreat à vera fide. Dies diei eructat verbum, anima animæ, vita vitæ, resurrectio resurrectioni. Et nox nocti indicat scientiã, hoc est, caro carni, quorum passio veram fidei scientiam omnibus indicauit. Bonæ noctes, noctes lucidæ, quæ habent stellas. Sicut enim stella à stella differt in claritate, ita & resurrectio mortuorũ. Non immeritò autẽ pleriq; hanc martyrũ resurrectionẽ appellant. Videro tamen vtrum sibi an nobis certi martyres resurrexerũt. Cognouistis, imò vidistis ipsi multos à dæmoniis 8 purgatos. Plurimos etiã vbi vestẽ sanctorum manibus contigerunt, his quibus laborabant debilitatibus absolutos. Reparata vetusti corporis miracula, quo se per aduentum Domini Iesu Christi gratia terris maior infuderat, vmbra quadam sanctorũ corporum plerosque sanatos cernitis. Quanta oraria iactitantur? Quanta indumenta super reliquias sacratissimas, vt tactu ipso medicabilia reposcantur? Gaudent omnes extrema

5 *Considera concursum ad sanctos martyres, eorũq; merita.*
6 *Reliquias sacrosãctas vocat, quas noui dogmatistæ emortua ossa nũcupant.*
7 *Anima sanctorum in cœlo, corpus in terra.*
8 *Vide si non omnia obseruabantur tempore diui Ambrosij, quæ & modò obseruantur in veneratione sanctorũ.*

Nam et eorum vestes tangebantur, oraria iactabātur, indumēta super eorū reliquias proijciebantur, ad quorū etiam præsentiā dæmones expellebātur, ad vmbras eorū infirmi sanabantur, & ad contactum vel extremæ lineæ eorū homines salui fiebant. Quid dicis hæretice:

9 Sancti propugnatores nostri sunt.

trema linea contingere, & qui contigerit, saluus erit. Gratias tibi Domine Iesu, quòd hoc tempore tales nobis sanctorum martyrum spiritus excitasti, quo Ecclesia tua præsidia maiora desiderat. Cognoscant omnes quales ego propugnatores requiram, qui [9] propugnare possint, impugnare non soleant. Hos ego acquisiui tibi plebs sancta, qui prosint omnibus, nemini noceant. Tales ego ambio defensores, tales milites habeo. Quorum quò maiora, eò tutiora patrocinia sunt. Horum etiam illis ipsis qui mihi inuident, opto præsidia. Veniant ergo & videant stipatores meos, talibus me armis ambiri non nego. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei nostri magnificabimur. Helisæum scripturæ diuinæ series refert, cum ab exercitu Syrorum esset obsessus, dixisse timenti seruulo, ne timeret, quia plures (inquit) pro nobis sunt, quàm contra nos. Et vt hoc probaret, petisse vt oculi Giezi aperirentur, quibus innumeros adesse vidit prophetæ exercitus Angelorum. Nos & si eos videre nos possumus, sentimus tamen. Erant clausi isti oculi, quamdiu obruta sanctorum corpora delitescebant: aperuit oculos nostros Dominus, videmus auxilia, quibus sumus sæpe defensi: non videbamus hæc, sed habebamus tamen, idque trepidantibus nobis, quasi dixerit Dominus: Aspicite quantos vobis martyres dederim. Ita reseratis oculis gloriam Domini speculamur, quæ est martyrum passione præterita, & operatione præsens. Euasimus fratres in mediocrem pudoris sarcinam, patronos habebamus & nesciebamus. Inuenimus vnum hoc quo videamur præstare maioribus. Sanctorum martyrum cognitionem quam illi amiserunt, nos adepti sumus. Eruuntur nobiles [10] reliquiæ sepulchro ignobili, ostenduntur cœlo trophæa. Sanguine tumulus madet, apparent cruores triumphales, notæ inuiolatæ, reliquiæ loco suo & ordinatè repertæ, auulsum humeris caput. Nunc senes repetunt audiisse se aliquando horum martyrum nomina, titulumque legisse, perdiderat ciuitas suos martyres, quæ rapuit alienos. Etsi hoc Dei munus est, tamē gratiam quam temporibus sacerdotij mei Dominus Iesus tribuit, negare non possum, quia ipse martyr esse nequeo, hos vobis martyres acquisiui. Succedant victimæ triumphales in locum vbi Christus hostia est. Sed ille super altare qui pro omnibus passus est: isti sub altari, qui illius redempti sunt passione. Hunc ego locum prædestinaueram mihi. Dignum est enim vt ibi requiescat sacerdos, vbi offerre consueuit. Sed cedo sacris victimis dexteram portionem, locus iste martyribus debebatur. Condamus ergo reliquias sacrosanctas, [11] & dignis ædibus inuehamus, totumque diem fida deuotione celebremus. Acclamauit populus, vt in Dominicum [12] differretur diem martyrum depositio, sed tandem obtentum vt sequenti fieret die. Sequenti die talis mihi ad populum iterum sermo fuit.

10 Ecce nobiles reliquiæ, & triūphales cruores.

11 Vide iterū sacrosanctas martyrum reliquias.

12 Dies dominicus.

ITEM DE EORVNDEM INVENTIONE CORPORUM, per eundem D. Ambrosium scripta.

Est sermo 91. in lib. sermonū eiusdem.

13 Cōtinuata populi celebritas diebus ac noctibus ad tumulos sanctorum.

14 Hoc idem faciunt per omnia hæretici nostri tēporis. Sed audi quæ subiungit sanctus doctor.

15 Dicunt & modo aduersarij Ecclesiæ martyres torquere diabolū nō possunt, nec aliquē liberare. Sed vide quō illis respondeas, & impudentiæ ac mendacij conuincas.

16 Ad tactū fimbriæ vestis qua sacræ reliquiæ teguntur, cæcus lumen accepit.

Hesterno tractaui versiculum, Dies diei eructat verbum; prout nostri tulit captus ingenii: hodie mihi non solùm superiore tempore, sed præsenti quoque prophetasse videtur scriptura diuina. Nam cùm diebus ac noctibus continuatam [13] videam sanctitatis vestræ celebritatem, istos esse dies prophetici carminis, oracula declarare hesternum atque hodiernū, de quibus opportunissimè dicitur: Dies diei eructat verbum: & istas noctes, de quibus aptissimè disputatur, quia nox nocti indicat scientiam. Quid enim aliud hoc biduo, nisi verbum Dei intimo eructastis affectu, & scientiam vos habere fidei probauistis? Cui tamen celebritati vestræ qui solent, inuident. Et quia celebritatem vestram inuidis animis ferre non possunt, causam celebritatis [14] odore, atque amentiæ in tantum prodeunt, vt negent martyrum merita, quorum opera etiam dæmones confitentur. Sed hoc non mirum. Siquidem tanta est incredulorum perfidia, vt tolerabilior sit diaboli confessio. Dicebat enim diabolus: Iesu fili Dei viui, quid venisti ante tempus torquere nos? Et cùm hæc audirent Iudæi, ipsi tamen Dei filium denegabant. Et tunc audistis clamantes dæmones, & confitentes martyribus quòd pœnas ferre non possint, & dicentes: Quid venistis vt ante tempus nos tam grauiter torqueatis? Et Arriani dicunt: Non sunt isti martyres, [15] nec torquere diabolum possunt, nec aliquem liberare, cùm tormenta dæmonum ipsorum voce probentur, & beneficia martyrum, remediis cœcorum, & absolutorum indiciis declarentur. Negant cœcum illuminatum, sed ille non negat se sanatum. Ille dicit: Video qui non videbā. Ille dicit: Cœcus esse desiui, & probat facto. Isti beneficiū negant, qui factum negare non possunt. Notus homo est, publicis cùm valeret mancipatus obsequiis, Seuerus nomine, lanius ministerio. Deposuerat officium postquam inciderat impedimentum. Vocat ad testimonium homines, quorum ante sustentabatur obsequiis. Eos iudices suę visitationis accersit, quos habebat testes & arbitros cœcitatis. Clamat, quia vt cōtigit [16] fimbriam de veste martyrum, qua sacræ reliquiæ vestiuntur, redditum sibi lumen sit.

Nonne

Nónne simile illud est, atq; illud quod in Euangelio legimus? Vnius enim potentiam laudamus autoris, nec interest vtrum opus sit, an munus, cùm & muneret in opere, & operetur in munere. Quòd enim 17 aliis faciendum donauerit, hoc in aliorum opere nomen eius operatur. Legimus ergo in Euangelio, Iudæos cùm viderent in illo cœco sanitatis remedium, requisisse parentum testimonium. Interrogabant, quomodo videt filius vester? cùm ille diceret, Cœcus cùm essem, modò video. Hoc & iste dicit: Cœcus fui, & modò video. Interrogate alios si mihi non creditis, interrogate extraneos, ne astipulari mihi parentes putetis. Detestabilior istorum quàm Iudæorum pertinacia. Illi cùm dubitarent, vel parentes interrogabant. Isti occultè interrogant, palam negant, iam non operi increduli, sed autori. Sed quæro qui non credant, vtrum à martyribus possint aliqui visitari, hoc est, Christo non credere. Ipse enim dixit: Et maiora his facietis: an ab istis martyribus, quorum merita iamdudum vigent, corpora dudum reperta sunt?

Ioan. 9.

17 Quod sanctis donat Deus vt faciāt, hoc in eorum opere nomen eius operatur.

Ioan. 14.

Quæro hic, vtrum mihi, an sanctis martyribus inuideant? Si mihi, nunquid à me aliquæ virtutes fiunt? Nunquid meo opere, meo nomine? Cur igitur mihi inuident quod meum non est? Si martyribus (restat enim, vt si mihi non inuident, martyribus inuidere videantur) ostendunt alterius fidei fuisse martyres, quàm ipsi credunt. Neque enim aliter eorum operibus inuiderent, nisi fidem in his fuisse eam, quam isti non habent, iudicarent. Fidem 18 illam maiorum traditione firmatam, quam dæmones ipsi negare non possunt, sed Arriani negant.

18 Fidem illā habuerūt sancti martyres maiorū traditione firmatam, quā dæmones ipsi negare nō possunt. Hanc nec Arriani habuerūt, nec habēt modò Lutherani, sed quā ipsi adinuenerunt.

Audiuimus hodie dicentes eos quibus manus imponebatur, neminē posse esse saluum qui patrem & filium & spiritum sanctum negaret, qui trinitatis omnipotentem virtutem non crederet. Confitetur hoc diabolus, sed Arriani nolunt fateri. Dicit enim diabolus, si torqueatur, quemadmodum ipse à martyribus torquebatur, qui spiritus sancti deitatem negarit. Non accipio à diabolo testimonium, sed confessionem. Inuitus dixit diabolus, sed exactus & tortus. Quod nequitia supprimit, extorquet iniuria. Cedit diabolus plagis, & adhuc cedere nesciunt Arriani. Quanta perpessi sunt? & quemadmodum Pharao, malis suis indurantur. Dicebat diabolus, vt scriptum legimus, scio te quis sis: Tu es filius Dei viui. Dicebant Iudæi: Nescimus quis sit. Dicebant hodie, & superiore die vel nocte dæmones, Scimus quia martyres estis. Et Arriani dicunt: Nescimus. Nolumus intelligere, nolumus credere. Dicunt dæmones martyribus: Venistis perdere nos? Arriani: Non sunt dæmonum vera 19 tormenta, sed ficta & composita ludibria. Audiui multa componi, hoc nemo vnquam fingere potuit, vt dæmoniacum se esse simularet. Quid illud quod ita exagitari eos videmus quibus manus imponitur? vbi hic locus fraudi est? vbi suspitio simulandi? sed non ego ad suffragium martyrum vsurpo vocem dæmoniorum. Beneficiis sacra passio suis comprobetur. Habet iudices, sed purgatos: habet testes, sed absolutos. Melior vox est, quam sanitas loquitur eorum, qui debiles aduenerunt. Melior vox est quam sanguis emittit. Habet enim sanguis vocem canoram, quæ de terris ad cœlum peruenit. Legistis dicente Domino, sanguis fratris tui clamat ad me. Et hic sanguis clamat coloris iudicio: sanguis clamat operationis præconio: sanguis clamat passionis triumpho. Satisfactum est petitioni vestræ, vt condendas hesterno in hodiernum diem differremus reliquias.

19 Vide impias et nunc hæreticorum voces: Non sunt vera miracula, sed ficta & composita.

MIRACVLVM BEATORVM MARTYRVM GERuasij & Prothasij, per D. Gregorium Turonensem Archiepiscopum scriptum.

IN vrbe Mediolanensi beatorum martyrum Geruasij Prothasijque victricia corpora retinentur, quæ diu, sicut ipsa passionis narrat historia, sub fossa latuerunt, quæ beato Ambrosio reuelata atque ab eodē reperta, in basilicam quam ipse proprio ædificauit studio, ostensis miraculis sunt sepulta, de quorum reliquiis, quia maximè Turonica vrbs seniores 1 Ecclesias continet illustratas, ædes per totum Galliarum ambitum dilatatæ sunt. Sermo quadam vice de iis quibusdam religiosis est habitus, qua de causa antedictæ reliquiæ tam condensæ fuerint per loca singula distributæ. Et quæ super iis quodam referente audiui, absurdum non putaui inserere lectioni, quia non continetur in historia passionis eorum. Aiebat enim, quòd quando gloriosa corpora translata in Ecclesiam fuerunt, dum in honore ipsorum martyrum missarum solennia celebrarentur, cecidisse è camera tabulam vnā, quæ illisa capitibus martyrum, riuum sanguinis elicuerit, de quo infecta sunt linteamina vel pallulæ, siue vela Ecclesiastica, beatusque cruor in illis collectus est, qui vsque adeo confluxisse fertur, quoadusque linteamina quæ susciperent sunt repleta. Ex hoc enim eorum reliquiæ affatim collectæ, per vniuersam Italiam vel Galliam sunt delatæ. Ex quibus & sanctus Martinus multa suscepit, sicut Paulini beatissimi narrat epistola.

Habetur in opere eiusdem in gloriam plurimorum martyrum edito. Cap. 46.

1 Vides quod sanctorum reliquiis ciuitates & Ecclesiæ illustrantur.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERON. LECTORI.

DVO in hac vita quæ sequitur videbis, quæ primo statim occursu animum tuum facilè percellere poterũt: Primum, quòd sancti martyres Nazarius, Geruasius, Prothasius, & Celsus, siue Celsius puer, simul gladio consummati sunt in ciuitate Mediolanensi. Secundum, quòd sub Anulino, siue Anolino Præside ad Neronis Cæsaris iussionẽ. Nam in primo Tomo vitarũ Sanctorum, quem edidimus, vitã Sanctorum Geruasii & Prothasii per D. patrem Ambrosium scriptam posuimus, in qua de sanctis Nazario & Celso nulla fit mentio: quod vtique subticendum non videbatur, si hi in martyrio illis consortes fuissent. Sed & ibi priores sub Astasio comite ad bellum contra Marchomannos (quos hodie vulgari sermone Morauos vocant) proficiscente, non autem ab Anolino Præside peremptos fuisse legimus. Verùm hæc tanti esse non videntur, vt à legenda hac sanctorum vita te deterrere debeant, cùm diaboli ministri in sanctorũ martyrijs satellites plurimos habere consueuerint, quorum aliqui dum aliis forsan occuparentur negotiis, aut in sanctorũ laniandis corporibus iam fessi essent, aut fortè quòd alium magis idoneum esse ad sanctos torquendos arbitrarentur, sibi inuicem successores & vicarios dabant, vel assessores suis tribunalibus adhibebãt. Cuius rei sexcenta per te ipsum inuenire poteris. Potuit ergo Anulinus præses autor esse Sanctorum agonis, deinde Astasius comes ad finem illum deducere, aut aliquid occurrere, quòd sub vtroque illorum sancti hi omnes gladio feriri iussi sint. Quòd autem D. Ambrosius, non solùm in vita sanctorum Geruasii & Prothasii non meminerit beatorum Nazarij, & Celsi, sed neque in vita horum in secundo nostro Tomo posita, quam idem scripsit Dei sacerdos Ambrosius, de prioribus illis vllam prorsus mentionem faciat, non te contristet: nam in huiusmodi rebus locus ab autoritate negatiuè sumptus infirmam partem habet. Potuerunt namq; socij simul esse in passionis certamine, licet sanctus vir hoc non dixerit. Nam & D. Cyprianus Carthaginensis, & sanctus Petrus Alexandrinus Episcopus plures coronæ socios habuisse leguntur, & tamen eorum duntaxat singulorum martyrium celebratur, aliorum nominibus suppressis. Quòd si adhuc te taciturnitas ista solicitat, lege Adonem Treuerensem Episcopum in vita sanctorũ Nazarij & Celsi, in Tomo nostro quarto posita, vbi in fine hæc verba habentur: Inuenti autem sunt (nempe Nazarius, & Celsus, de quibus loquitur) pridie Idus Iunij. Festiuitas verò agitur de martyrio, quinto Calend. Augusti. Commemoratio autem eorum publica, & celebris in die sanctorum martyrum Geruasii & Prothasii à fidelibus frequentatur, & venerabiliter excolitur. Quod profectò non fieret, si aliqua inter sanctos ipsos non intercessisset communio. Vale, & Dei gratia sit semper tecum.

VLTA ET DECERTATO SANCTORVM ET GLOriosorum Christi Martyrum Nazarij, Geruasij, Prothasij, & Celsi.

Per Simeonem Metaphrasten.

XIIII. Octobris.

NEronetenente sceptra imperij Romanorum, Nazarius admirabilis, tãquam stella quædam lucida, fulgebat in sua patria. Eum enim habebat Roma, veluti imaginem virtutis aliquam, illius glorians moribus. Nam hæc quidem erat patria Nazario. Parentes autem, alter quidem Lybicus, altera verò ipsa quoque erat Romana genere: ambo quidem diuites, & facultatibus, & virtute. Petro autem institutore, chori discipulorum Principe, Deo redditi magis familiares, aquaque & spiritu consummati. Eorum pietatẽ Deus veluti remunerans, quomodo olim Abrahæ hospitalitatem, eis dedit filium, hæredem simul virtutis & bonorum Nazarium. Ille autem tanquã à Deo datus, se rursus totum tradit Deo. Et ipse quidẽ in diuino adoptatur baptismate à Lino, qui erat ipsius Petri sedis & virtutis successor. Cùm autẽ ad perfectiorem peruenisset ætatem, perfectiorem quoq; gratiam consequitur. Ipse enim simul augebatur, & sui accipiebat incrementum, & magnus eius amor in Christũ reddebatur maior & feruentior. Cùm verò pietatis, quæ erat in ipso, fax valde esset in altum sublata, & multos ad eum vocaret, & tumultus, & continuum eorum, qui ad ipsum accedebant, aduentum declinans, statuit patriam & suos relinquere necessarios, & versari in aliena, vt & cum eo, quem desiderabat, seorsum colloqueretur, & multis prædicaret pietatem. Cùm ergo hæreditatem, quæ ad eum pertinebat, accepisset à parentibus, egreditur è patria: & ex vna ciuitate transiens in aliam, ad quoscunque accessisset, iis opem ferebat ex suis facultatibus. Deinde

Deinde etiam eis maiora ſuppeditabat, vt qui eos deduceret ad veram Trinitatis cognitionem. Et cùm veniſſet Placentiam, & acceſſiſſet Mediolanum, conuenit Geruaſium & Protaſium viros admirabiles, qui ab Italiæ quidem Præſide Anulino iam fuerant in carcerem incluſi propter ſuam in Chriſtum confeſſionem: iis autem quæ fiebāt præter omnium opinionem, & miraculis, extendebatur fama ad finitimas etiam regiones. Cùm eos ergo diuinus conueniſſet Nazarius, fidei & virtutis communione eis effectus familiaris (Ingeneratur enim quidam amor in iis qui earundem rerū amore tenentur, non minus quàm in conſanguineis) eos incitat, & eis animum addit ad martyrium, & reddit acriorem eorum in Chriſtum amorem: Hinc Nazarij fama in omnem partem diſperſa, peruenit etiam vſque ad Præſidem Anulinum. Ille autem cùm ſiſti curaſſet Nazarium, fit ei tanquam conſiliarius, & ſuadet ne ſit impius, & illius deos probris inſectetur, & contumeliis. Deinde poſtquam cognouit ſanctum ne dignum quidem quod audiretur, putare conſilium (Quid enim eſt ad probris appetēdum aptius, quàm mutæ quæ coluntur ſimulachra?) eius maxillis multos impingit colaphos: & tanquam aliquod piaculum vir execrandus eum cum probro & dedecore expellit è ciuitate. Hoc autem quantum iudici videbatur magnum ad ſupplicium, tantum Nazario exiſtimatum eſt maius ad beneficium: quòd dignus habitus ſit plagas accipere propter Chriſtum, qui pro ipſo paſſus eſt. Egreſſus eſt ergo non ſilens, neque elinguis, ac mutus, & metu victus, ſed pergens docere, vt conſueuerat, & multos infideles inducens intra Chriſti ſagenam. Porrò autem illa nocte viſa eſt mater Nazario adeſſe, & eum hortari, vt obiret Galliæ ciuitates, & in eis deijceret ſemina veritatis. Ille autem, vt ei à matre dictum fuerat, venit Meliam (eſt autem ea vna Galliæ ciuitas) & omnes quos conueniſſet, deducit ad Dei cognitionem, & apertè prædicat pietatem. Interim autem ad eum accedit fœmina quædam illuſtris, & ex primis ciuitatis, adducens quem habebat filium nomine Celſium, iam tres annos natum, & deponit ipſum in eius manibus: Sequetur te hic puer, dicens, in omni via, donec ipſe quoque dignus euaſerit, qui ſiſtatur ante thronum Domini Chriſti. Et illa quidem diſcedit. Nazarius autem infantem lubenter accipit, quem propemodum in vlnis circumferebat. Cumque preces dixiſſet conſuetas, eum per baptiſmum efficit Deo familiarem, quoniam nec alium nouerat verum honorem, niſi cum Deo coniunctionem & familiaritatem. Sic ergo ſe habens Nazarius, & Galliarum ciuitates ſic doctrina complectens, ne illarum quidem Præſidem latuit Dinobaum. Itaque accerſitus ad eum venit cum puero Celſio: & è quo quidem genere eſſet natus, quibuſnam autem parentibus, & cuiuſnam ſit religionis percontāti Dinobao: Ego quidem, inquit, genere ſum Romanus: Chriſtianam autem ſequor religionem: & Deum confiteor eum qui fuit crucifixus. Tunc fertur Dinobaus ad iram motus dixiſſe: Habes dæmonium. Quid aliud ſibi volunt hæ tantæ nugæ? Non eſt tibi pater? non eſt tibi mater? Ille verò: Si dæmonium haberem, non quos tu colis dæmones inſectarer probris & contumeliis. Dinobaus autem furorem non valens continere, cùm puerum quidem Celſium abſtraxiſſet ex illius manibus, intolerandis eum plagis afficit, ingenio puer eum qui erat canus prudentia. Deinde eum conijcit in carcerem, in ſequentem diem eum reſeruans. Magna enim crudelitas, & inhumanitas ne tantulæ quidem ætatis mouebatur miſericordia. Quod eidem etiam in bruta animantia, & nouas plantas clementi & benignæ euenerit animæ: ea namque digna, quibus parcatur cenſuerit. Atque intolerabiles quidem plagas propter Chriſtum puer lubenter accipiebat Celſius, balbutiente lingua hoc ſolùm dicens: Deus, cui ego ſeruio, ipſe te iudicabit, O Iudex, irritans ipſe quoque Dinobaum propter ſuum in Chriſtum deſiderium, ſicut diu ante Iudæos æqualium puerorum chorus, meum Ieſum hymnis celebrantes, & laudem ei perficientes.

Quædam autem inſignis fœmina, nomine Dinomeda, conſulit coniugi Dinobai, vt ſuadeat marito, vt moueatur miſericordia pueri ætatis, & ſimul etiam abſoluat Nazarium. Illa autem hæc marito communicat, quomodo olim vxor Pilato. Poſtridie itaque cùm ſedem iudiciariam aſcendiſſet Dinobaus, & adduxiſſet Nazarium, ſuadebat pro viribus, vt aſſentiretur impietati. Ne eum enim tunc puniret prohibebant vxoris ſuaſiones. Poſtquā autem non potuit perſuadere, eum expellit è ciuitate, ſic eum placidè allocutus: Vxoris meæ conſilia te liberum dimittunt ab omni cruciatu. Illinc ergo abit Nazarius in vicinam Temerum cum puero Celſio. Eſt autem hæc vrbs Temerus propinqua Meliæ. In ea ergo vitam agebat, diuinis ſuis doctrinis augens gregem Chriſti, & multos inducens ad agnitionem. Non ferebat autem omnino, qui inuidiam parturiebat diabolus, res ita ſe habentes. Quomodo enim, ſi ille erat diabolus, & qui ab initio bonis aduerſabatur? Blandis itaq; verbis aggrediens Præſidē ciuitatis perſuadet, vt Neroni Imperatori ſignificet de Nazario. Cùm ergo de Nazario ei eſſet ſignificatum, miſſæ ſunt literę per vniuerſam illam regionem, iubentes ſummo ſtudio quæri Nazarium, & eum qui inueniſſet, ad ipſum ducere.

Cùm autem is latêre non poſſet, vt qui in illuſtri ſtaret loco virtutis, & magno ore ab ipſa

prædicaretur, citò inuenitur ab iis qui scrutabantur. Illi autem, cùm is iam eis euasisset manifestus, læti lætum sistunt ante Neronem. Quid ergo ille? Propositis ei tormẽtis, assentationibus aggressus est Nazarium, vt cùm illis quidem ei terrorem attulisset, his autem eũ emolliisset, persuaderet ei, vt transiret ad suam voluntatem. Nazarius verò erat omnino immobilis, vt qui ab his ad martyrium magis acueretur, non autem emoliretur. Et ideo maiori vtebatur constantia. Cùm nesciret ergo Nero quid ageret, tunc eum cum puero tradit in custodiam. Parum intercessit temporis, & Neronem quidem rursus sedes habuit iudiciaria. Introductus autem fuit Nazarius cum puero. Et rursus similiter nunc quidẽ minis vehemens erat Nero, nunc autem suauis blanditiis, & promissis. Postquam autem vidit eum tanta esse constantia, desperans sic posse induci Nazarium, iubet eum inijci in profundum maris cum puero Celsio, vt nec eos quidem posset videre, quos ne volebat quidem viuere sic affectos. Sed erant omnino vera quæ dixit diuinus Esaias, tanquam de eis prænunciata: Si transieris per aquam, tecum sum: & non te concludent fluuij. Et si transieris per ignem, non comburêris. Nam cùm iam essent in profundo: & qui eos iecerant, crederent fore, vt à multis piscibus deuorarentur, magna contentione Angelica quædam virtus desuper aduolauit, & è profundo seruauit, & illæsos eos terræ reddidit, puero Celsio, propter ætatem adhuc imperfectã, nausea & fastidio pleno, vt est consentaneũ. Sed precibus, & 1 signo crucis, & diuino osculo eum sanum reddidit Nazarius. Capit tanquam pisces hoc miraculo Neronis quoque seruos, qui ipsos in mare demiserant. Sanctum enim deinceps sunt secuti, & ita se ei adiunxerunt, vt prioris vitæ magna ducerentur pœnitentia, & ægrè ferrent quòd non diu ante relicto Nerone animum illi adhibuissent. Terræ ergo cum puero redditus Nazarius, transit cum eo ad ciuitatem, quæ dicitur Tenusa, & illinc profectus venit Mediolanum, rursus quoq; priorem pergens dare doctrinam, & dulci potare nectare eos qui erant verè filij regni. Sed ciues rursus ei non permittebant liberè prædicare veram religionem. Sed eum comprehenderunt, & eum Præsidi Anulino, qui ei prius multas impegerat alapas, tradiderunt, vel per illos, vt verius dicam, is qui fuit ab initio inuidus, & odio habuit homines. Ille autem iubet eum rursus includi in priori custodia. Nazario autem ipsa custodia erat multis regiis pretiosior, pratum floridum, nouus paradysus. In eam enim ingressus, versabatur cum Geruasio & Prothasio, sociis certaminis: à quibus assiduè ille, tanquam ab aliquibus fluminibus irrigatus, carpebat suauissimos flores illorum consuetudinis, vt propemodum gratias haberet Anulino, quòd eum rursus coniunxisset cum iis quos desiderabat. Cum eis ergo congressus, & magnam accepit vtilitatẽ, & ipse etiam vicissim intulit ea quæ erant vtilia: & eos satis ad certamina & puerum incitauit Celsium: quem puerum quidem sermo, perfectum autem ostendit actio. Anulinus autem cùm de Nazario singula exactè didicisset, mirabatur quemadmodum potuisset effugere Neronem (sciebat enim quàm esset furiosus, & quàm ferus Nero) lupum agnus, vt aiunt. Hinc etiam de sancto Nazario, & eius sociis eum facit literis certiorem, rogans quidnam iuberet, vt faceret sanctis. Ille autem cùm audiuisset Nazarium adhuc esse superstitem, cædem spirabat aduersus lictores, quibus iusserat vt eum in maris profundum inijcerent, & præ ira è sede exiliens, cum vociferatione currebat per regiam, clamans insidiatores, ingratos aduersus deos, impios: & cupiebat eos inuenire, vt ipsos etiam interimeret simul cum martyribus, ignorans stolidus, quòd Deus potest non solùm è mari seruare eum qui in ipso habuerit fiduciam, sed etiam ipsum mare exiccare. Testatur autem diuinus Dauid dicens, eum posuisse fluuios in desertum: contrà autem deserta in lacus aquarum. Cùm eos ergo multum quæsiuisset & non inuenisset, sic literis exponit suam aduersus sanctos sententiam. Quoniam ij qui ante nos ascenderunt in hanc excelsam imperij sedem, non solùm eos qui in maximos deos erant impij, morte sua damnabant sententia: sed etiam, si inuenirentur aliqui, qui maleficiis & præstigiis multos corrumperẽt, par quoq; in eos statuebant supplicium: nostra quoq; decernit potentia, quòd isti quàmprimùm vita priuentur, gladio capitibus eorum amputatis: deinde eorum corpora obijciantur feris ad deuorandum, vt ne omnium quidem communem consequantur sepulturam. Sit ergo tibi curæ id quod in præsentia iussi exequi. Est enim mihi maior curæ honorare deos, quàm curam gerere reipublicæ.

Postquam hæ literæ venerunt ad Anulinum, iubet statim ad mortem duci Martyres. Illi autẽ muniti 2 figura crucis admodum læti exierunt, vt qui non ad mortẽ, sed ad vitam potius (quod verum erat) æternam vocarentur: & contendebant alius alium præuenire, & pulchro decertabant certamine, timentes ne Neronem suæ pœniteret sententiæ, & beatũ finem non assequerentur. Postquam autem Domino confitentes, peruenerunt ad locum consummationis, inuidens Christianis malignus beneficium, persuadet lictoribus, vt prius abigerẽt pios, qui illic aderant, ne omnino fruerentur sanctificatione sanguinis sanctorum, qui effundebatur, & sic martyrum capita amputarent. Sed sic quoque à spe decidit execrandus, & parum cõmodi accepit ex improbitate. 3 Pretiosæ enim sanctorũ reliquiæ, Nazarij, inquam, & Ger-

1 Nazarius Celsium puerũ precibus, signo crucis et diuino osculo sanum reddit.

2 Illi autẽ muniti figura crucis. Vide quàm antiquũ sit in Ecclesia hoc signaculum.

3 Nota pretiosæ Sanctorum reliquiæ.

& Geruasij cum socijs à Christianis quibusdam non sine Dei numine mortis clam ablatę, depositæ sunt honorificè apud portam ciuitatis, quæ etiam vocatur Romana, quartodecimo mensis Octobris. Paulò pòst autem diuini martyres in somnis apparent cuidam ex ijs, qui erant amici martyrum, iubentes vt eorum corpora assumeret. Proprium est hoc sanctarum, & benignarum animarum, non vt ipsi glorificentur (quomodo enim, qui propter eam, quæ illic est, beatitudinem, cõtempserunt omnem quæ est hic gloriam?) sed 4 vt pijs ac religiosis prodessent inuentione. Ille autem visione valde lætatus, statim surgens, & cum veneratione illinc sanctas assumit reliquias, & domi suæ deponit. Nouit quod factum fuerat eius filia, quæ erat paralytica: nam aduentu martyrum priorem recuperauit valetudinem. Atque latuit quidem martyricarum reliquiarum thesaurus abscõsus in ædibus, donec ad magnum Theodosium, qui ex Iberia, quæ nunc Hispania dicitur, duxit genus, peruenerunt sceptra Romani imperij. Cùm autẽ is post Dei hostem Valentẽ à Barbaris in Thracia interfectum, esset constitutus Imperator, & in Deum erat pius, si vllus alius, & martyrum lætabatur honoribus. Tunc quoque sacræ eorum reliquiæ, tanquam thesaurus, reconduntur in Ecclesia Mediolanensi, Nazarij, inquam, & Geruasij, Prothasij, & Celsij, inclytorum Christi martyrum. Quinam autem fuerunt administri in transferendis, & deponendis his reliquijs? Ambrosius 5 ille virtute clarus, & qui tunc decorabat sedem Ecclesiæ Mediolanensis. Is primus est executus ministerium translationis, vt cui non illotis (quod dicitur) manibus, sed valde mundis munda fuerint credita. Præterea autem vniuersus clerus, & omnes magistratus, linguis hymnos canentes, & quas manibus gestabant lampadibus ea illustrantes, quæ tamen magis miraculis resplendebant, quàm lampadibus. Nam cœci quidem manu deducti ad eas vsque reliquias, lucem statim aspexerunt, nec opus amplius habebant aliquo, qui eos manu deduceret: sed suos habebant duces oculos. Claudi, qui vix fuerant portati ab alijs, proprijs suis reuertebantur pedibus, pernicibus ad currendum, & aptis ad saltandũ. Leprosos, qui in templum venerant, domus aspexit mundos. Et quicunque à malignis detinebantur spiritibus, eos quoque licebat videre liberatos ab iis qui ipsos vexabant: furiosaque & amentia eorum verba conuersa in gratiarum actionem: & communiter Christi Martyres laudibus celebrari, & glorificari ab omnibus. In eos cùm magnus incidisset Theodosius, tunc enim agebat Mediolani, aduersus Tyrannum, Maximum inquam, decertans, cùm accepisset partes sacrarum harum reliquiarum, pro quibuslibet spoliis, aut manubiis, aut potius pro quibuslibet armis, & munimentis, in vrbem detulit regiam, iis quæ ipse vidit 6 miraculis confirmatus, & aduersus Scythas socios inexpugnabiles assecutus Martyres. Ante hanc magnam itaque ciuitatem eis excitat pulchrum & elegans 7 templum, & in eo sacras Martyrum reliquias deponit, tanquam thesaurum. Super millia, diuinus dicit Dauid, auri, & argenti. Eæ præter alia, vnguentorum quoque fontes emittunt abundantes, non solùm corporibus salutares, sed eorum etiam qui hauriunt animas expurgantes: vt non solùm habeant apud se martyres ea quæ acceperunt, sed aliis quoque sua bona communicent. Sic Christus hic quoque eos glorificat, qui illum amauerunt. Talium certaminum tales dat remunerationes, quædam omnino procemia illius supernæ beatitudinis. Cuius nobis quoque liceat esse participes gratia sanctissimi, & viuifici spiritus, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

4 *Cur sanctorum reliquias honorari velit Deus.*

5 *Vide celeberrimam reliquiarum sanctarũ translationem, manu D. Ambrosij ministrante, vniuerso Clero et Magistratibus canentibus, & lampades gestantibus, innumeris etiam subsecutis miraculis.*

6 *Miraculis sanctorum fuit cõfirmatus Magnus Theodosius, & eos inexpugnabiles socios habuit: Hæretici autem nostri sanctorum miracula impudentissimè negant.*

7 *Sanctis Imperator templũ excitat, & in eo sacras martyrũ reliquias deponit tanquam thesaurum, vnguẽtorum fontes emittens, corporibus et animabus salutares.*

VITA SANCTI ANICETI PAPAE ET martyris, per Damasum Papam scripta.

Anicetus natione Syrus, ex patre Ioanne de vico Humicia, sedit annis vndecim, menses quatuor, dies tres. Fuit autem temporibus Veri & Marci, & consulatu Gallicani, & Veteris, vsque ad Præsentem, & Rufinum. Hic constituit, vt clericus comam non nutriret, secundùm præceptum Apostoli. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros decem & septem, diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca nouem. Qui etiam obiit martyr, & sepultus est in cœmiterio 1 Calixti via Appia, decimoquinto Calendas Maias. Et cessauit Episcopatus dies decem & septem.

Habetur in põtifical. eiusdem.

1 *Vide quomodo etiã sancti Pontifices tumulabãtur in cœmiterio, vbi martyrum corpora sepeliebantur.*

VITA SANCTI SOTHERIS PAPAE ET martyris, per Damasum Papam scripta.

Sother natione Campanus, ex patre Concordio, de ciuitate Fundis, sedit annis nouem, menses septem, dies viginti vnum. Fuit autem temporibus Veri & Marci, à consulatu Rustici, & Aquilini, vsque ad Cethegum, & Clarum. Hic constituit, vt nulla monacha pallam sacratam contingeret, nec incensum 1 poneret in sancta Ecclesia. Hic fecit ordinationes

Ibidem.

1 *Ponere incensum in Ecclesia, antiquissima consuetudo est.*

tiones tres per mensem Decembrem, presbyteros decem & octo, diaconos nouem, episcopos per diuersa loca vndecim. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, decimo Calendas Maias. Et cessauit Episcopatus dies vndecim.

VITA SANCTI ELEVTHERII PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

1 *Ex hoc loco apertè cognoscis, Ro. Ecclesiã propter B. Petri sedẽ curam habere super omnes mundi Ecclesias. Et ob id iste rex non misit ad alium Episcopũ pro suscipienda fide, nisi ad R. Pontificem, & ab eo mandatum accepit.*

ELeutherius natione Græcus, ex patre Abundio, de oppido Nicopoli, sedit annos quindecim, menses tres, dies duos. Fuit autem temporibus Antonini Commodi, vsque ad Paternum & Braduam. Hic 1 accepit epistolam à Lucio Britannico rege, vt Christianus efficeretur per eius mandatũ. Et hic constituit, vt nulla esca vsualis, quæ tamen rationabilis & humana est, quã Deus creauit, à Christianis maximè fidelibus 2 repudiaretur. Hic fecit ordinationes tres per mensem Decembrem, presbyteros duodecim, Diaconos octo, Episcopos per diuersa loca quindecim. Qui etiam sepultus est iuxta corpus beati Petri, septimo Calendas Iunij. Et cessauit Episcopatus dies quinque.

2 *Non dicat propter hoc hæreticus, quod S Pontifex delectum ciborum sustulerit à fidelibus, cùm etiam antiquißimi patres in certis diebus & temporibus illum seruauerint, sed hoc fecit in illius hæresis detestationem, quæ alios cibos mundos, alios immundos esse asseuerabat.*

VITA SANCTI VICTORIS PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

1 *Ecce iterum Paschalis solennitatis celebratio.*

VIctor natione Afer, ex patre Felice, sedit annos decem, menses duos, dies decem. Fuit autem temporibus Helij Pertinacis & Seueri, à consulatu Commodi quinti & Glabrionis, vsque ad Lateranum & Rufinum. Hic constituit, vt sanctum 1 Pascha die dominico celebraretur, sicut Pius. Hic fecit sequentes cleros. Martyrio coronatur. Et constituit, vt necessitate faciente, vbicunque iuuentus fuisset, quicunque hominum ex gentibus veniens, siue in flumine, siue in mari, siue in fonte, siue in stagno baptizaretur, tantùm Christianæ credulitatis confessione declarata, integer efficeretur Christianus.

Et fecit concilium. Et collatione facta cum presbyteris, ac Diaconis, accercitoque Theophilo Alexandriæ Episcopo, constituit vt à decimatertia luna primi mensis vsque ad vigesimam primam, die dominica custodiatur sanctum Pascha. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, Diaconos septem, Episcopos per diuersa loca numero duodecim. Qui sepultus est iuxta corpus beati Petri in Vaticano, quinto Calendas Augusti. Et cessauit Episcopatus dies vndecim.

VITA SANCTI ZEPHERINI PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

1 *Hæc præsentia clericorum & laicorum in ordinibus conferẽdis, de antiquo Ecclesiæ more & instituto requiritur ad hoc, vt super promouẽdis dignũ habeatur testimoniũ, ne indigni ordinẽtur.*

ZEpherinus natione Romanus, ex patre Habundio, sedit annis octo, menses septem, dies decem. Fuit autem temporibus Antonini & Seueri, à consulatu Saturnini & Gallicani, vsque ad Præsentem & Strigatum Consules. Hic constituit, vt præsentibus clericis, & laicis fidelibus siue clericus, siue leuita, siue sacerdos ordinetur. Et fecit constitutum de Ecclesia, vt patinas vitreas ministri ante sacerdotes portarent, dum Episcopus missam celebraret: & vt sacerdotes omnes astarent, dum sic missæ celebrarentur. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros tredecim, diaconos septem, Episcopos per diuersa loca tredecim. Qui sepultus est in cœmiterio suo, non longè à cœmiterio Calixti via Appia, septimo Calendas Septembris. Et cessauit Episcopatus dies sex.

VITA SANCTI CALIXTI PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

1 *Hic habes institutionem ieiunij, quod dicitur, quatuor temporum. Et appositè dicitur ter in anno: quia ieiuniũ post Pentecosten iam erat in Ecclesia ex traditione Apostolica, vt habes ex D. Leone.*

2 *Audis tot cœmi-*

CAlixtus natione Romanus, ex patre Domitio, de regione vrbis Rauennatum, sedit annos sex, menses duos, dies decem. Fuit temporibus Macrini & Heliogabali, à consulatu Antonini & Alexandri. Hic martyrio coronatur. Hic constituit 1 ieiunium ter in anno fieri frumenti, vini, & olei, secundùm prophetiã. Qui sepultus est in cœmiterio Calepodij via Aurelia, milliario tertio, pridie idus mẽsis Octobris. Hic fecit Ecclesiam sanctæ Mariæ trans Tyberim. Et fecit illud 2 cœmiterium via Appia, vbi multi sacerdotes & mar-

& martyres requiescunt, quod appellatur vsque in hodiernum diem Cœmiterium Calixti. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros sexdecim, diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca octo. Quieuit Episcopatus dies sex.

teria? Non ergo sepeliebantur in agris sicut bestiæ, vt modò faciunt aliqui.

VITA SANCTORVM HIRENÆI, EPIPODII, ET ALEXANDRI Martyrum, per D. Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in opere eiusdē in gloriam plurimorū martyrū edito. cap. 51.

MArtyrio consummatus gloriosus Photinus Episcopus, qui Lugdunensi præfuit vrbi sacerdos, per certaminis nobilis 1 meritum inuectus est cœlo. Cui & merito & sanctitate condignus Hirenæus successit Episcopus, per martyrium & ipse finitus. Hic in cripta Basilicæ beati Ioannis sub altari est sepultus. Et ab vno quidem latere Epipodius, ab alio verò Alexander martyr est tumulatus. De quorum 2 monumentis si puluis cum fide colligitur, extemplò medetur infirmus. Magna enim claritas in cripta continetur, quæ, vt credo, meritum martyrum signat.

1 Vides sanctos per martyriū mereri cœlum? quid ergo lateras cōtra sanctorū merita?
2 Virtutes hæ quæ è sanctorū monumentis proueniūt indicio sunt, eos cū Deo habitare, & vitas eorū splēdidas extitisse.

VITA SANCTI HIRENÆI EPISCOPI ET MARTYRIS, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius Martyrol. sub 4. Kalend. Iulij.

APud Lugdunum Galliæ natale sancti Hirenæi Episcopi, qui beato Photino propè nonagenario ob Christi fidem martyrio coronato, in locum eius successit. Quem etiam constat beatissimi Polycarpi sacerdotis & martyris fuisse discipulum, & Apostolicis temporibus vicinum. Postea verò persecutione Seueri cum omni ferè ciuitatis suæ populo gloriosè coronatur martyrio. Sepultus est à Zacharia presbytero in cripta Basilicæ beati Ioannis Baptistæ sub altari. Cui ab vno latere Epipodius, ab altero Alexander martyr est tumulatus. Huius criptæ tam reuerenda 1 est claritas, vt meritum martyrum signare credatur.

1 Mirabilia quæ ad sanctorū sepulchra contingunt splendorem vitæ illorum apertè confitentur.

VITA SANCTI VRBANI PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

VRbanus natione Romanus, ex patre Pontiano, sedit annos quatuor, menses decem, dies duodecim. Hic fecit ministeria sacrata 1 omnia argentea, & patinas argenteas vigintiquinque apposuit. Hic sua traditione multos conuertit ad baptismum, & credulitatem: Tiburtium etiam & Valerianum nobilissimum virum sponsum sanctæ Ceciliæ, quos etiam vsque ad martyrij palmam perduxit. Et per eius monita & doctrinam multi martyrio coronati sunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros nouem, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca octo. Qui & sepultus est in cœmiterio Prætextati, via Appia, octauo Kalendas Iunias. Et cessauit Episcopatus dies triginta.

1 Si argentea in sacris vasa Deo displicerēt, vt quidam nūc mentiuntur, non hæc fecisset sanctißimus et fideliß. Pontifex.

VITA SANCTI PONTIANI PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

POntianus natione Romanus, ex patre Calphurnio, sedit annos nouem, menses quinque, dies duos, Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Alexandri, à consulatu Pompeiani & Pelignani. Eodem tempore Pontianus Episcopus, & Philippus presbyter, in exilio ab Alexandro sunt deportati in Sardiniam, in insulam Bucinam, Seuero & Quintiano Consulibus. In eadem insula afflictus, defunctus est tertiodecimo Kalend. Decemb. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros sex, Diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca sex. Quem beatus Fabianus adduxit cum clero nauigio, & sepeliuit in cœmiterio Calixti via Appia. Et cessauit Episcopatus à die depositionis vndecimo Kalendas Decembris, dies tredecim.

VITA SANCTI ANTHERI PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

Ibidem.

ANtherus natione Græcus, ex patre Romulo, sedit annos duodecim, mensem vnum, dies duodecim, Martyrio coronatur, temporibus Maximini & Aphricani Consulum. Hic gesta martyrum diligenter à notariis exquisiuit, & in Ecclesia recondidit. Pro-

Propterea à quodam maximo Præfecto martyr effectus est. Hic fecit ordinationẽ vnam per mensem Decembrem, & vnum Episcopum ordinauit in ciuitate Fundis Campaniæ. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, tertio Nonas Ianuarij. Et cessauit Episcopatus dies tredecim.

VITA SANCTAE CECILIAE VIRGINIS ET MARtyris, per Adonem Archiepiscopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrologio sub x Kalẽd. Decem.

ROMÆ natale sanctæ Ceciliæ virginis. Quę sponsum suum Valerianum, & fratrem eius Tiburtiũ ad credendum Christo perdocuit, ac deinde ad martyrium incitauit. Hanc Almachius post martyrium eorum teneri fecit, & vt thura dæmonibus poneret impellit. Apparitores verò attendentes nimium decorem & prudentiam eius, rogabant eam, ne tale decus amitteret, & tantam pulchritudinem in mortem daret. At illa consilium pietatis eis sufficienter insinuãs, & de gratia omnipotentis Dei eos informans, cùm ad credendũ Christo permotos cerneret, dixit eis: Ite, dicite infelici Almachio, quòd inducias peto, vt hic intra domum meam faciam venire, qui vos omnes faciat vitæ æternæ participes. Veniens igitur sanctus Papa Vrbanus, baptizauit plus minus quàm quadringentos promiscui sexus homines. Inter quos vnus clarissimus vir erat nomine Gordianus. Iterum Almachius beatam Ceciliam sibi præsentari iussit, & cùm inseparabilem eam in confessione fidei permanere videret, iubet vt ad domum suam duceretur, & ibi flammis balnearibus concremaretur. Vbi inclusa die integro & nocte, quasi in loco frigido integra perstitit sanitate, cùm semper incendia lignis congestis ministrarentur. Quod audiens Almachius misit qui eam ibi decollaret: Quam spiculator tertio ictu percutit, sed caput eius amputare non potuit. Superuixit autem triduo. Tunc sanctus Vrbanus corpus eius auferens nocte, [1] sepeliuit inter collegas suos Episcopos. Passa est autem beata virgo Marci Aurelij & Commodi temporibus.

1 Non potuit beata virgo honorabiliori loco sepeliri, quàm inter sanctos Rom. Pontifices.

VITA ET MARTYRIVM SANCTAE ET GLORIOSAE Christi martyris Ceciliæ, & qui cum ipsa erant sanctorum Valeriani, Tiburtij, & Maximi.

XXII. Nouẽbris.

Per Simeonem Metaphrasten.

SEruatoris nostri & Dei è cœlis descensus concilauit magna bona generi hominum. Nam cùm esset Deus ex Deo, & esset in forma Dei qui ipsum genuit impatibiliter, non rapinam arbitratus est se esse Deo æqualem: sed ipsum exinaniuit serui formam accipiens, in similitudine hominum factus, & habitu inuentus vt homo, humiliauit seipsum, factus obediens vsque ad mortem, mortem autem crucis: vt eum deleret qui mortis habebat imperium, hoc est, diabolum: & omnem manu ducens humanitatem eueheret ad cœlos per pretiosam & diuinam suam doctrinam. Primi itaque omnium eum secuti sunt sancti Apostoli: post Apostolos, Martyres: post Martyres, Confessores: post Confessores, Sacerdotes: post Sacerdotes, Virgines: post Virgines, Viduæ: post Viduas, misericordes: &, vt semel dicam, omnibus accedentibus aperta fuit Christi medicinæ officina. Propterea quotidie clamat per sanctos suos Euangelistas: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati estis, & ego reficiam vos. Huius venerandam & suauissimam vocem cùm audisset etiam Cecilia clarissima virgo & gloriosa, & in eum credidisset, absconsum Christi Euangelium semper circumferebat in pectore, & nec noctu nec interdiu intermittebat diuina legere eloquia, & Deum orare. Hæc ergo beata Cecilia Valerianum quendam habebat iuuenem sponsum, qui quidem iuuenis accensus amore virginis, diem statuerat nuptiarum. Cecilia autem in carne induta cilicio, extrinsecus aureis induta erat vestibus. Nam cùm parentes & sponsus eius hæc vellent, ipso corpore adeo erat eliquata, vt non posset celare cordis sui desiderium: & quòd solius Christi seruatoris capta erat amore, significabat propriè ænigmatibus. Non multò pòst autem venit dies in quo paratus erat thalamus: & cùm esset symphonia instrumentorũ, illa in corde suo soli Deo psallebat, dicens: Fiat Domine cor meum, & corpus meum immaculatum in tuis iustificationibus, vt non pudore afficiar. Manens autem ieiuna [1] duos aut tres dies à cibo abstinuit, ieiunans autem & orans, seipsam cõmendabat Domino, precibus Angelos Domini [2] inuocabat, lachrymis precabatur Apostolos: & orabat omnes sanctas Christi ancillas

1 Ecce biduana & triduana ieiunia.

2 Ecce & sanctorum inuocatio cũ lachrymis.

ancillas, vt eam confirmarent suis supplicationibus, castitatem suam commẽdans Domino.

Postquam autem hæc facta sunt, nox venit, in qua cum suo sponso, in separato cubiculo quietem nacta & silentium, sic eum est allocuta: Dulcissime & charissime adolescens, est mihi arcanum quod tibi aperiam, si tu iureiurando mihi affirmaueris te omnia celaturum. Ei autem iurauit eius sponsus Valerianus, se id quod dicebatur nullis omnino insidijs proditurum, neque id esse aperturum quacunque cogeretur necessitate. Tunc illa respondit, dicens: Volo te scire me Angelum Dei habere amicum, qui summo zelo corpus meum custodit. Is si vel minimum fuerit suspicatus, quòd tu incesto me amore polluas, iram suam protinus in te accendet, & elegantis tuæ iuuentutis florem perdet. Sin autẽ cognouerit, quòd tu simplici & immaculato mei amore tenearis, & virginitatem meã integram & impollutam custodias, te sicut me diliget, & ostendet tibi suam gloriã. Tunc Valerianus Dei nutu timore affectus, dicit: Si vis ò charissima, vt credam ijs quæ dicis, ostẽde mihi ipsum Angelum: & si intellexero eum esse verè Angelum, faciam quæ hortaris. Si autem alium virum amas, & te, & illum ense occidam. Tunc dicit ei B. Cecilia: Si vis meis parere consilijs, ô charissime adolescẽs, & polliceris te esse expiaturum æterno lauacro regenerationis, & credis in vnum verum Deũ qui viuit in cœlis, potes eum contemplari. Dicit ei Valerianus: Et quis est qui me expiabit, vt ego videam Angelum? Respondit Cecilia, & dixit: Est senex in quodam loco qui pulchrè scit purgare homines, vt efficiantur digni qui intueãtur Angelos. Dixit ei Valerianus: & vbi quæram ego eum senem? Respondit Cecilia: Vade ad tertium lapidem à ciuitate via Appia: ibi inuenies pauperes qui victum petunt à transeuntibus: ab eis enim sum curata, qui quidem sunt huius mei arcani participes. Eos tu quando videris, dabis eis meam benedictionem, dicens: Cecilia me misit ad vos, vt ostendatis mihi senem Vrbanum, quoniam ad ipsum habeo secreta ab eo responsa, quæ ei reddam. Eum quando videris, narra quæcunque tibi dixi: & quando te lustrauerit, induet te indumentis nouis & splendidis, cum quibus illico veniens in hoc cubiculum, videbis sanctum Angelum, qui tuus euadet amicus, & quæcunque petes ab ipso, inuenies.

Tunc profectus est Valerianus, & conuenienter signis, quæ accepit ab ipsa sancta Cecilia, inuenit Sanctum Vrbanum Episcopum: qui cùm secundò fuisset confessor, latebat occultus in sanctorum martyrum monumentis. Cui quidem postquam dixit omnia quæ dixerat Cecilia, magno gaudio est affectus: & 3 genibus humi flexis, & manibus in cœlum extensis, dixit cum lachrymis: Domine Iesu Christe, pastor sancte & bone, Cecilia tua ancilla, tanquam multis laboribus exercita agna tibi est dedicata: quandoquidem sponsum suum, qui perinde ac leo cohiberi non poterat, accepit: & ergo te tanquam agnum reddidit mansuetissimum. Is enim nisi credidisset, ad nos non venisset. Aperi Domine ostium cordis eius verbis tuis, vt cum te agnouerit esse eius effectorem & Dominum, renũciet diabolo, & operibus eius, & dolis eius. Hæc & his similia orante sancto Vrbano Episcopo, senex ante eum repente apparuit, indutus candidis vestimentis sicut nix, tenens in manibus tabellam aureis inscriptam literis. Quem cùm vidisset Valerianus, stupefactus & cadens in terram, factus est tanquam mortuus. Tunc senex eum erexit dicens: Lege ô fili, contextum huius libri, vt dignus habearis qui purgeris, & videas Angelum, cuius conspectum tibi virgo Cecilia cum prompto animi studio est pollicita. Tunc Valerianus defixis oculis, cœpit in eo legere. Erat autem hæc scriptura quæ erat in tabella: Vnus Deus, vna fides, vnum baptisma. Vnus Deus & pater omniũ, qui est super omnia, & in omnibus, Amen. Postquam ergo hæc apud se legit, dixit ei sacerdos: Credis fili hæc ita esse, an adhuc dubitas? Tunc Valerianus clamauit magna voce: Non est re vera aliud sub cœlo, cui credi possit. Postquã ergo hæc dixit Valerianus, ille senex ex oculis eius euanuit. Tunc sanctus Vrbanus cùm eum admonuisset, & 4 catechismo instituisset, baptizauit eum in nomine patris, & filij, & spiritus sancti: & cùm eum docuisset omnem regulam fidei, demisit ad Ceciliam ei iactis optimè fundamentis. Cùm autem venisset Valerianus in indumentis candidis, inuenit Ceciliam orantem in cubiculo, & Angelum Domini stantem prope eam, fulgentem pennis flammeis, & scintillanti specie duas coronas habentem in manibus refulgentes, rosisque & lilijs splendentes. Quarum vnam quidem dedit Ceciliæ, alteram verò Valeriano, dicens: Has coronas corde immaculato & puro corpore custodite: eas enim ex paradyso Dei ad vos attuli. Hoc autem erit vobis signum: Nunquam marcessent à vobis, neque vnquam amittent suauitatem odoris, neque vnquam poterunt ab alijs aspici, nisi ab illis quibus sic placebit castitas, quomodo probatum est eam vobis placere. Et quoniam tu, ò Valeriane, assensus es concilio castitatis, me ad te misit Dominus Iesus Christus, vt eã accipias quam voles petitionẽ. Ille autem cùm audisset, adorauit, & dixit: Nihil mihi est in hac vita dulcius, quàm charissimi & vnici fratris præsentia. Quamobrem meritò arguar impietatis, si me liberato ab errore simulachrorũ, fratrem meum maiorem despexero in periculo interitus. Hãc vnam ex omnibus propono petitionem,

3 *Orat sanctus genibus humi flexis, & manibus in cœlum extensis.*

4 *Habes hic catechismum ante baptismum, & quomodo recenter baptizati noua veste induebantur.*

petitionem,& supplex contendo,vt fratrem meum Tiburtium, sicut me, dignetur liberare: & faciat nos ambos perfectos in confessione eius nominis. Cùm hæc autem audijsset Angelus,læto vultu ei dixit: Quandoquidem à Christo petijsti,quod est honestius,is Deum sicut tu, colet. Quomodo enim te per ancillam Ceciliam lucrifecit Dominus, ita per te fratrem quoque tuum lucrifaciet: & cum ipso venies ad certamen martyrij.

His ergo finitis sermonibus, forma visionis angelicæ assumpta est in cœlos: illisq; in Christo lætantibus, vt in ædificatione sancta loquentibus, accessit Tiburtius frater Valeriani,& ingressus tanquam suam sponsam, osculatus est caput sanctæ Ceciliæ, & dixit: Valde miror, hoc tempore hic rosas & lilia olfaciens. Nam si ipsas rosas & lilia tenerem in manibus, ne sic quidem mihi possent præbere tam suauem odorem. Fateor vobis, ô charissimi, ita ego ad me redij, vt putem me totum repente esse renouatum. Dicit ei Valerianus: Bonum odorem accepisti, ô frater,cùm ego rogarim eum vt acciperes. Te autem iam credente,accipies etiam amarantinam coronam incorruptionis, & lætari in ipsa rosea specie: & mente eum percipere, cuius in rosis sanguis floret, & in lilijs cuius corpus dealbat & anima. Habemus enim coronas, quas tui oculi non possunt percipere, igne rosæ rubore & niuis candore refulgentes. Dicit ei Tiburtius: In somnis ne hæc audio, an veritate hæc dicis, ô frater Valeriane? Respondit Valerianus: In somnis huc vsque viximus, ô frater charissime. Nam iam Dei gratia & voluntate, sumus in omni veritate, & non est in nobis mendacium. Dij enim quos huc vsque coluimus, re vera sunt mali dæmones & immundi. Dicit ei Tiburtius: Quomodo hoc cognouisti, ô frater? Respondit Valerianus: Angelus Dei me docuit,quem tu quoque poteris intueri, si fueris mundus ab omnibus sordibus idolorum. Dicit ei Tiburtius: si fieri potest, vt ego quoque Angelum Dei intuear, quænam est mora purificationis? Respondit Valerianus: Nulla, hoc autem mihi solùm pollicere, quòd omnia execranda,& abominanda simulachra abnegans,credis vnum Deum esse in cœlis. Dicit Tiburtius: Non intelligo quonam scopo hæc mihi proponis. Dicit S. Cecilia: Vt intelligas esse formas testaceas, & gypseas, & ligneas, & æneas, & cuiusuis metalli, & non dicas eos esse deos, in quibus viuunt araneæ, & volucres stercora egerunt: in quorum capitibus solent nidificare ciconiæ: quos faciunt condemnati, quando damnati propter maleficia mittuntur in metallum. Cùm ergo initium accipiant ex condemnatis, quomodo existimari possunt, aut credi dij? Inter mortuos enim & simulachra nulla est differētia. Quomodo enim mortuus habet quidem omnia membra, spiritum autē & vocem non potest habere nec sensum: ita etiam hæc vana simulachra deorum quidem habent nomina, cognoscuntur autem esse infœlicia, malaque & terrestria. Quæ quidem ostenduntur esse homines mortui, quoniam sunt eis etiam membra sicut hominum. Quamdiu enim vixerunt, oculis aspexerūt, & auribus audiuerunt, & pedibus ambularunt, & ore locuti sunt, & manibus palpauerunt, & naribus olfecerunt, cœperunt tamen à morte: & in mortem æternam permanent, quod ostendatur nunquam vixisse vel potuisse viuere. Tunc dixit Tiburtius cum omni compunctione: Qui sic non credit, est brutum, & non venit in iudicium. Quamobrem ego quoque dico cum omni veritate, non esse alium Deum nisi Deum Christianorum: & me deinceps eum solum colere & adorare. Hæc cùm diceret Tiburtius, sancta Cecilia deosculata est eius pectus, & dixit: Re vera hodie confiteor, te esse planè meum fratrem. Quomodo enim Dei amor tuum fratrem fecit meum coniugem, ita etiam simulachrorum contemptio fecit te meum esse fratrem. Quamobrem quoniam es paratus credere in Dominum nostrum Iesum Christum, vide citò cum tuo fratre, vt ipsam accipias purificationem per sanctum baptismum, per quem etiam dignus habeberis Angelicas personas intueri, & omnium delictorū tuorum veniam inuenire. Tunc dicit fratri suo Tiburtius: Rogo te frater, vt mihi dicas ad quem me es deducturus. Valerianus respondit. Ad virum perfectum nomine Vrbanum, in quo est species Angelica ornata canicie, verus sermo, & insignis prudentia. Dicit ei Tiburtius: Tu illum dicis Vrbanū, quem Christiani dicunt esse suum Papam? Eum audio bis fuisse condemnatum, & rursus propter eam actionem propter quam fuit condemnatus, suam religionem cum metu latenter prædicare. Eum si contigerit inueniri, citra dubitationem vllam igni mandabitur: & nos quoque cum eo puniemur, si inuenti fuerimus ad eum ambulantes: & dum diuinitatem quærimus quæ latet in cœlis, incidemus in iram quæ accenditur in terra. Dicit ei sancta Cecilia: Si hæc vita esset sola, & non esset alia, iure quæ hic sunt, timeremus perdere. Cùm autem sit alia vita, quæ est hac multò melior & sublimior, & nunquam potest finiri, cur timemus hanc perdere, quando per huius amissionem ad illam accedimus? Respondit Tiburtius: Nunquā antea audiui esse aliā vitam præter hanc. Dicit ei Cecilia: Nunc hoc certò scias ô charissime, quòd quàm diu in hoc mūdo viuimus, vitā laboriosam & dolore plenam agimus in angustiis & afflictionibus: quandoquidem inflammant humores, minuunt labores, valde exiccant febres, reuma assiduè inducit aër, cibi inflant, molesta sunt ieiunia,

ludi diſſoluunt, curæ contrahunt, perdit negligentia, diuitiæ abijciunt, expellit paupertas, elatos reddit iuuentus, incuruat ſenectus, deprimit imbecillitas, perturbat ira: & inter hæc omnia mors excindit cum minis: & ſic imponit finem omnibus corporeis lætitijs, vt ab eo quod eſt eſſe recedens, ne fuiſſe quidem putetur. Pro nihilo enim de cætero habetur quicquid non eſt. Illa autem via æterna hanc vitam caducam miſeramque & breuem excipiens, cum æternis afflictionibus & tormentis datur malis & iniuſtis: lætitia verò æterna & exultatio præbetur iuſtis. Ad hæc reſpondit Tiburtius, & dixit: Et quis eſt ille qui illic fuit, & illinc huc veniens, hæc potuit nobis annũciare, vt hæc poſſimus vera eſſe credere? Tunc ſurgens beata Cecilia cõſtitit, & cũ magna ſic dixit audacia: Cœli, & terræ, & maris, & omnium volucrum quæ volant in aëre, quadrupedumque & reptilium creator, ex ſe priuſquam omnia faceret, genuit filium: & produxit ex ſua potentia Spiritum ſanctum. Filium, vt faceret omnia. Spiritum ſanctum, vt viuificaret vniuerſa. Omnia autem quę facta ſunt, conſtruxit filius ex patre genitus: & omnia quæ fuerant constructa, ex patre procedens Spiritus ſanctus animauit. Dicit ei Tiburtius: Huc vſque dictum eſt, credi oportere vnum Deũ eſſe in cœlis. Quomodo autem nunc tres teſtaris eſſe Deos? Reſpondit ſancta Cecilia, & dixit: Vnus eſt Deus in ſua virtute, quem ſic in ſancta trinitate partimur, quomodo in vno homine ineſſe dicimus artem, memoriam, & intelligentiam, quoniam arte inuenimus id quod non didicimus, memoria tenemus quod docemur, intelligentia cõprehendimus, ſi quid nos vnquam contemplari contigerit aut audire. Quidnam ergo faciemus? Num hæc tria in homine vna poſſidet intelligentia? Si ergo homo in vna intelligentia poſſidet nomen trium ſignificatorum: quomodo non Deus omnipotens in vna & eadem diuinitate vim obtinet trinitatis? Tunc Tiburtius cùm in terram cecidiſſet, cœpit clamare, & dicere: Re vera, ô chariſſima, non mihi videtur lingua humana dare reſponſum: ſed conijcio Dei Angelum per os tuum eſſe locutum, & magnas egit gratias, quòd citò vnum eſſe Deum in tribus perſonis ei apertè probauerit. Conuerſus itaque ad fratrem ſuum, dixit: De vno Deo mihi fuiſſe ſatisfactum confiteor. Sed meam quæſtionem ſicut prius inceperam, vellem ſcire. Dixit ſancta Cecilia: De ea mecum loquere, quoniam breuitas temporis eſt fratri tuo impedimento, quominus reddat reſponſum. Me autem quem Chriſti ſapientia docuit à teneris vnguiculis, de quacunque re me volueris interrogare, non poteris inuenire imparatam. Dicit ei Tiburtius: Hoc nuper quæſiui, & nunc quoque quæro: Quiſnam ex iis qui illic ſunt huc veniens, oſtendit nobis aliam vitam quam vos prædicatis? Sancta dixit Cecilia: Vnigenitũ ſuũ filiũ Pater per ſanctam virginẽ Mariam miſit in terram, qui ſtans in ſancto monte, magna voce clamauit, dicẽs: Venite ad me omnes populi, & ego dabo vobis vitam æternam. Concurrit autẽ ad eũ omnis caro, omnis ætas, omne genus hominum. Tunc dixit omnibus: Pœnitentiam agite propter veſtram ignorantiam: quoniam appropinquauit regnũ Dei, quod tollet regnũ hominũ. Suum autem regnũ vult Deus diuidere iis qui credũt, in quo ille exiſtit ſublimior. Illic ergo peccatores quidem cõſummabuntur æternis doloribus, & igne qui nunquã terminabitur. Iuſti autem accipient lucẽ æternæ glorię, & gaudij quę nullum vnquã finẽ accipit. De cætero nolite ô filij hominum, huius vitæ fugientẽ quærere lætitiã: vt lætitiã illius vitę æternã poſſideatis, quæ hanc vitam excipit. In hac enim vita breue tempus viuitis: in illa verò in omne æuum.

Loquiur de ſpiritu ſancto Græcorũ more, à patre procedente. Sed id nõ repugnat quin etiã à filio procedat, ſicut ſaluator ait: ille de meo accipiet, & annunciabit vobis.

Cùm hæc autem audiiſſent omnes populi infideles, vna voce dixerunt: Et quis illic fuit, & cùm illinc huc veniſſet, potuit docere vera eſſe quæ dicis? Tunc Dei filius dixit eis: Si oſtendero vobis ſurrexiſſe mortuos, non creditis veritati? Vt autem dubitationis & ſuſpicionis nullum remaneret veſtigium, cum populis profectus eſt ad ſepulchra: & triduanis & quatriduanis & iam fœtentibus mortuis, quam amiſerant vitam vt Deus reddidit. Tranſmiſit mare ſuper fluctus ambulans non madefactis pedibus. Imperabat ventis, caſtigabat fluctus, & quæ excitabantur tempeſtates & tumultus ſedabat. Cæcis viſum reddebat, aridas manus reddebat ſanas, claudis ingreſſum, mutis vocem reddebat, & ſurdis auditum. Paralyticos verbo curabat: Leproſos dicto mundabat: Infirmis medebatur: Lunaticos reſtituebat, & dæmones fugabat. Sed cùm mente capti & impij Phariſæi & Pontifices ei inuidiſſent, propterea quòd populi eis relictis eius ſequebantur veſtigia, ſternentes veſtes ſuas ante pedes eius, & clamãtes: Benedictus qui venit in nomine Domini, in eum ira perciti Phariſæi, cuidam Pilato Præſidi eum tradiderunt, vocantes eum Magũ & impium, & ſeditionem excitarunt in populo, vt eum cruci affigerent. Hoc autem ille præſciens, pro mundi ſalute permiſit ſe apprehendi, & illudi, iniurijs affici, flagris cædi, & occidi: Sciebat enim vt Deus quòd non aliter niſi per precioſam intemeratã ſuam paſſionem eſſet captiuũ redditurus diabolum: maliſque & immundis ſpiritibus malas inferret pœnas. Propterea ergo ille fuit cõprehenſus qui peccatum non fecit, vt liberaretur genus humanum, quod detinebatur vinctum vinculo peccati. Qui eſt benedictus, fuit ſub maledicto, vt nos à maledicto eximeret: ſuſtinuit illuſiones, vt nos liberaret ab illuſione dæmonum qui verſantur in hoc mũdo. Spineã coronã accepit

in capite, vt capitalem tolleret sententiam, quæ ex spinis peccatorum in nos lata fuerat. Fel in cibo accepit, vt dulcem primi hominis gustum, vnde mors in mundum fuit ingressa, commutaret. Potatus est aceto, vt acrimoniam, qua noster sanguis ebulliit, in se susciperet: & hunc bibit calicem passionis, qui nostris debebatur vitiis. Nudatus est, vt nostrorum parentum nuditatem quam passi sunt consilio serpentis, niueis tegeret indumentis. In ligno fuit suspensus, vt ligni transgressioné, per passionem ligni crucis suæ aboleret. Mortem ad se venire admisit, vt secum luctantem sauciaret: & regnum quod inuenit per serpentem amitteret: & cum ipso serpente sauciata, per Christum fieret captiua. Quamobrem omnia elementa cùm vidissent suum effectorem sublime actum in crucem, magno metu cōtremuerunt. Nam ex vna parte mota est terra, & ex altera fracta sunt templa & petræ: fugit dies, Sol fuit conterritus, & obscuratus texit tenebris vniuersum mundum. Luna suæ lucis splendorem nube cruenta operuit. Astra cœli luce resplendentia omnia simul sunt mutata. Stridet terra, & veluti pariens, cœpit multos sanctos reddere ex sepulchris, qui quidem hoc dabunt testimonium, quòd Seruatoris descensus ad inferos dissoluit regnum diaboli: & mortuus mortem affecit ignominia, & percussam vinxit, & subiecit pedibus seruorum suorum. Illinc clarum est, quòd pro nomine eius puniti gaudemus, & gloriamur in persecutionibus: quòd hanc nostram vitam quæ ad tempus, & in quam cadit interitus, æterna, & quæ nunquam desinit vita excipit: quam Dei filius cùm surrexisset à mortuis, suis ostendit Apostolis. Quibus aspicientibus assumptus fuit in cœlos. Hoc ergo si in trium conuentu ostendisset, intelligentium cogitationes non possent dubitare. Quantò autem magis, quòd nō solum duodecim discipulis, sed plus quàm quingētis simul seipsum dignatus est ostēdere, ne vestigium quidem relinquens vllius dubitationis. Illi autem qui in his rebus erant initiati, & in omnem mundum missi ad prædicandum, signis & magnis prodigiis confirmabant suam prædicationem. Nam & omnes infirmitates curarunt in eius nomine: fugarunt dæmones, & vitam reddiderunt mortuis. Nullam tibi arbitror remanere quæstionem, nisi vt hanc vitam animo & corpore despicias: & illam vehementer & constanter inquiras: Nam qui credit in Dei filium, & eius adhæret præceptis, quando morietur, eius corpus à morte nulla afficietur iniuria, sed à sanctis Angelis in vlnis excipietur, & in locum paradysi abducetur. Hinc mors cum diabolo efficit, vt diuersis prauitatibus mentes hominum colliget: & in variis non animaduersis necessitatibus occupet, & nunc quidem damni terrore afficit, nunc autem ad gulam excitat: & ex diuersis abstrahens studiis, de hac sola vita facit miseros homines esse solicitos, vt ex corpore egredientes inueniat miseros & nudos, & nihil secum portantes præter peccata. Hæc tibi paucis exposui, ô charissime. Si quid autem tibi deesse existimas, rursus quære. Tunc Tiburtius ad eius pedes prouolutus, dixit cum gemitibus, fletuque & lachrymis: De hac vita de cætero si vel cogitatione exquisiero, vel animo agitauero, in illa vita nunquam inueniar. Habeant ergo insipientes lucrum præsentis temporis. Ego autem qui in hodiernum vsque diem vixi sine ratione, absit, vt sine ratione de cætero vitam agam. Et hæc cùm dixisset, ad suum fratrem conuersus, dixit: Miserere mei frater dilecte, & abrumpe tarditatem quam transegi in ignorantia. Quocirca vereor moras. Pondus ferre non possum, rogo te duc me ad hominem Dei, vt me perfectè purificatum, illius vitæ faciat participem. Tunc Valerianus deduxit fratrem suum ad sanctissimū Papam Vrbanum. Cui postquàm narrauit omnia quæ dicta & facta fuerant, benigno Deo agit gratias. Acceptum autem cum omni gaudio & exultatione Tiburtium cùm admonuisset, catechismo instituisset, baptizasset in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti: iussit secum esse, donec ea deponeret quæ retentis sunt illuminationis. Quæ quidem cùm perfecta fuissent eius doctrina, post septem dies Christi militem restituit. Tantam autem gratiam à Christo est consecutus, vt etiam Dei Angelos videret quotidie: & quæcunque à Deo petebat, facilè impetrabat. Sed quoniam longum esset omnia ordine exponere, qualia & quàm multa fecit Dominus per eos admirabilia, conuertamur ad gloriosas eorum perpessiones. Turtius, qui etiam Almachius, cùm esset præfectus vrbis, & sanctos Dei martyres occideret quotidie, iubebat eorum corpora relinqui insepulta. Tyburtius autem & Valerianus ad hoc operam quotidie adhibebant, vt sanctorum corpora ad sepeliendum componerent, & humi 5 mandarent, eleemosynis vacātes & diuino cultui. Cùm ij ergo in eis versarentur, quomodo solét boni odio haberi ab improbis, eos malè criminantur apud Almachium Præfectū vrbis, omnia referentes quę per ipsos Dominus faciebat in egenos: & quòd improbè ac malitiosè quos ille iubebat occidi, isti mādabant sepulturæ. Itaque à militari cohorte cōprehensi, adducuntur ad Almachium Præfectum. Quos quidem Almachius his verbis est allocutus: Cùm vos character nobilitatis gloria insignes reddiderit, cur propter nescio quā religionē vos ignobiles redditis & infelices? Nā vestras facultates, in nescio quas abiectas personas audio vos erogātes consumpsisse, & eos qui castigati fuerunt propter sua scelera, cum omni gloria mandare sepulturæ.

5 Vides mortuos sepelire, fuisse opus sanctorum martyrum: Ergo res bona est, & Deo placens.

Quocirca licet ſuſpicari vos eſſe initiatos iiſdem myſteriis quibus ij, quos propter cõiuratio-
nem mandatis ſepulturæ. Reſpondit Tiburtius, & dicit Præfecto: Vtinam nos dignentur re-
ferre in numerum ſuorum ſeruorum, quorum tu nos conijcis eſſe ſocios: qui quidem reſpue-
runt id eſſe quod videtur, & non eſt: & inuenerunt illud quod videtur non eſſe, & eſt. Alma-
chius Præfectus dixit: Et quid eſt quod videtur eſſe, & nõ eſt? Dixit Tiburtius: Omnia quæ
ſunt in mundo, quæ animas vocant ad mortem æternam per breuis temporis lætitiam. Di-
xit Almachius Pręfectus: Et quid eſt quod non videtur eſſe, & eſt? Tiburtius dixit: Vita quæ
futura eſt iuſtis, & ſupplicium quod dabitur iniuſtis: ex vtraque enim parte cognouimus, ve-
rum eſſe ea ventura, & infauſta diſtributione, quod oculis cordis noſtri cognoſcimus, id cor-
poris noſtri oculis ſpectandum referimus: vt in noſtra conſcientia quæ ſunt bona malis ob-
ruemus rationibus. Dixit Præfectus Almachius: Non puto te mẽte loqui. Dixit Tiburtius:
Non loquor mente mea, ſed illius quem accepi in viſceribus mentis meæ. Dixit Almachius
Præfectus: Nunquid noſti quod dicis? Dixit Tiburtius: Et noui, & didici, & credo, quòd o-
mnia quæ à me dicta ſunt, permanent. Almachius Præfectus dixit: Et ego cur non intelligo
quod ago à quo hæc ſunt condita? Tiburtius dixit: Quoniam homo beluinus nõ ſentit quæ
ſunt ſpiritus: Spiritalis autem diiudicat omnia, ipſe verò à nullo diiudicatur. Tunc ridens
Præfectus iuſſit auferri quidem Tiburtium, coram eo autem ſiſti Valerianum, cui etiam di-
xit: Quoniam non eſt frater tuus ſani cerebri, tu poteris reſpondere ſapientius. Dicit ei Vale-
rianus: Falluntur aures tuæ, quoniam ſcopum noſtræ orationis non potes intelligere. Dixit
Præfectus: Nemo ita erat vt vos eratis, qui relictis neceſſariis numeris & reſponſis malos ſe-
quimini, quæ ſunt iucunda reſpuentes, lætitiam nihili facientes, & ea deſpicientes quæ data
ſunt ad vitæ alimentum, maxima beneuolentia illud complectimini, quod ſaluti inuenitis
contrarium, & iis quæ ſunt iucunda inimicum. Ad hæc reſpondit Valerianus: Ludentes &
ridentes, & in variis delitiis luxurioſè vitam agentes, vidi hyemis tempore per cãpos tranſ-
euntes, in quibus campis ſtabant agricolæ plantantes, palmites infigentes, & ſpinoſos roſa-
rum ramos ingenioſè toto animo componentes. Alij autem oliueta inſerentes, alij verò ra-
dicitus imbecilla excindentes, & quæ ſunt opera conuenientia magno labore peragentes.
Tunc illi qui delitiis fruebantur & lætabantur, cœperunt eos qui laborabant ludificari, & di-
cere: Miſeri & miſerabiles, hunc qui vos affligit laborem deponite: & nobiſcum lætantes
vos delitiis explete & libidinibus: & cur tanquam inſipientes duro labore diſſoluimini: &
veſtræ vitæ tempora negotiis quæ vos affligunt conſumitis? Hæc dicentes, ſoluebantur in
riſum, & dabant plauſum manibus, magnoque ſono eos cachinnantes irridebant. Hæc au-
tem illis facientibus, pluuios hyemis menſes tranquilliſſima tempora exceperunt: & ecce
pulchrorum & variorum florum fragrantibus omne genus odoribus prata exornabantur, &
molles botrorum ſeries producebant palmites, & è vario genere arborũ rami ſtillantes mille
fructus producebant: in quibus animaduertimus vſque in hodiernum diem abundare ſimul
& gratiam, & fructum, & decorem. Tunc cùm lætarentur illi qui exiſtimabantur eſſe inſi-
pientes, cœperunt lugere ij qui exiſtimabantur eſſe ciues, & qui erant glorioſi in ſua intelli-
gentia, perierunt in acri ratiocinatione: & tandem ducti pœnitentia, inter ſe murmurantes &
gementes dicebant: Hi ſunt quos habuimus ludibrio, eorum laborem probrum exiſtima-
bamus, eorum vitam nihili faciebamus tanquam miſerabilem, eorum figuram iudicabamus
eſſe indignam, & intelligentiam eorum ſine honore. Ij autem inuenti ſunt intelligentes, &
nos quidem probamur tunc fuiſſe miſerabiles, inſipientes & ſtulti, quando neque nobiſipſis
operabamur: neque iis qui operabantur, dedimus in opere auxilium: qui quidem cùm eſſe-
mus in delitiis, eos valde irriſimus, & ipſos credidimus eſſe inſipientes, quos quidem nunc
reſplendentes animaduertimus & florentes. Ad hæc dixit Præfectus: Te quidem video eſſe
ſapienter hæc perſecutum: ſed ad meum reſponſum non videris reſpondere. Valerianus di-
xit: Dixiſti nos eſſe ſtultos & inſipientes, quòd facultates noſtras demus egentibus, proſe-
lytos excipimus, viduis ſuppeditamus quæ ſunt neceſſaria, orphanis ſubuenimus, corpora
inſepulta tegimus, & cum maximo honore celebramus martyrũ depoſitiones. Nos autem
inſipientes iudicaſti & delirantes, quòd cum iis qui lætantur non lætamur, nec in delitiis
viuimus, nec noſtras explemus libidines, nec illiberaliter ſumus laſciuis & impudicis oculis,
oſtendentes nos eſſe liberos & ingenuos. Veniet tempus quo excipiemus millecuplos fru-
ctus noſtræ afflictionis: & nobis lætantibus flebunt illi qui nunc efferuntur lætitiis: eſt enim
nunc tempus ſeminandi. Qui ergo in hac vita ſeminant quæ ſunt ad tempus lachrymas, in
illa beata & æterna vita metent gaudium ſempiternum. Dixit Præfectus: Ergo & nos, & in-
uicti Imperatores luctum æternum habebimus: vos autem æternum gaudium poſſidebitis?
Reſpõdit Valerianus: Quid enim eſtis vos aut veſtri imperatores? Impleto enim veſtro tem-
pore morientes eò maiorem Deo eſtis reddituri rationem, quò vobis ab eo maior data fuit
poteſtas. Dixit Præfectus Almachius: Quid in verbis voluendis immoramur? Aut diis thus

offerte,& illæsi recedite, aut malè estis & acerbè morituri: ambo responderunt & dixerunt: Nos non diis, sed Deo quotidie offerimus sacrificia. Dixit Præfectus: Quis est Deus, cui diciris vos vestrum offerre sacrificium? Sancti responderunt & dixerunt: Et quis est alius Deus præter ipsum? Cur de Deo nos interrogas? Est enim alius Deus præter vnum? Dixit Præfectus: Quem vnum esse dicitis, eius nomen requiro. Dixit Valerianus: Dei nomen non inuerneris, etiam si posses volare pennis. Dixit Præfectus: Iouis ergo nomen, non est Deus? Dixit Valerianus: est nomen corruptoris & adulteri, quem etiamsi fuisse occisorem vestri autores memorant, & accusatorem nostræ ostendunt scripturæ: Hunc tu Deum, miror quánam impudentia nominasti, cùm Deus dici non possit, nisi qui ab omni peccato alienus, qui est etiam plenus omni potẽtia. Dixit Præfectus: Ergo errat omnis mundus, & tu cũ tuo fratre Deum verum cognouisti? Dixit Valerianus: Innumerabilis multitudo Christianismi accepit sanctitatem. Imò verò vos pauci estis qui remansistis tanquam scissæ ex naufragio tabulæ, ad nihil aliud proficientes, nisi vt in ignem iaciamini.

Tunc iratus Præfectus iussit cædi virgis. Ille autẽ confestim dum verberaretur, lætus cœpit dicere: Ecce hora quam valde desiderabam, & ecce dies omni festo mihi iucundior. Dum beatus verberaretur, præco magna voce clamabat: Deos & deas noli maledictis incessere. Ille autem ad populum clamabat, dicens: Viri ciues Romanorum, videte ne hæc plaga vos à veritate auertat, sed state fortiter, & deos lapideos & ligneos quos colit Almachius Præfectus in calcem conuertite. Nam omnes qui eos colunt erũt in afflictione & supplicio æterno. Tunc qui cum Præfecto considebat Tarquinius, qui etiam dictus est Laccas, Præfecto dicit in secreto: Inuenisti occasionem domine mi, tolle eos quàm primùm è terra. Nam si tardaueris, & de die in diem traxeris, omnes suas facultates distribuent pauperibus, & eis supplicio affectis tu nihil inuenies. Tunc Præfectus cùm ei placuisset illius consilium, iussit lictoribus, vt eos abducerent vbi erat Iouis statua: & iussit vt nisi ambo vellent imagini Iouis sacrificare, simul subirent supplicium capitis. Tunc venerandi & gloriosi Christi martyres Valerianus & Tiburtius abducti sunt à Maximo Præfecti cubiculario in locum qui dicitur Pagus. Qui quidem Maximus cœpit eos deflere & dicere: O pretiosa & florens iuuentus. O vinculum magnæ fraternitatis. O par pulcherrimum & generosum. Cur vos in malum & impium finem volentes vos ipsos proijcere, & ad maximum tendere exitium, ita festinatis, tanquam qui ad lætitiã, & magnificam & lautam cœnam vocemini? Tunc dicit Tiburtius: Nos si non verè didicissemus aliam esse vitam æternam quæ vitam præsentẽ sequitur, non gauderemus eam amittere. Dicit eis Maximus: Et quænam potest esse alia vita? Respondit Tiburtius, & dixit: Quomodo corpus induitur indumentis, ita etiam anima induitur corpore. Et corpus quidem, tanquam semen terrestre, per libidinem in terrenam matricem immittitur, genitum autem & nutritum, & lapsum in mortis interitum, & in puluerem conuersum, tanquam phœnix futuræ lucis specie excitabimur. Anima verò sic sancta feretur in paradysi delitias, vt florens in delitiis expectet tempus suæ resurrectionis. Dicit eis Maximus: Vellem ego quoque hanc vitam respuere, si de iis quæ dicis possem fieri certior. Dicit ei Valerianus: Quoniam dicis tibi nihil superesse nisi vt probes vera esse quæ diximus: ea hora qua faciet Dominus nos corporis tunicam exuere, in gloriosa nominis eius confessione, aperiet Dominus oculos tuos, & faciet te aspicere cum quanta gloria illa vita redditur, si omnino promittas nobis, quòd ex toto animo venies ad tui erroris pœnitentiam. Tunc Maximus anathemate seipsum deuouit, dicens: Flammis ignis consumar, nisi ab hac hora illum solum Deum confitebor, qui facit vt post hanc vitam alia vita sequatur, hoc mihi solùm vos ostendite quod estis polliciti. Ei dicunt sancti martyres Tiburtius & Valerianus: Iube lictoribus vt nos in domum tuam abducant, & faciemus vt illuc ad te veniat purificator, qui hac nocte postquam fueris purificatus, faciet vt videas id quod tibi promisimus. Cùm autem Maximus iussisset lictoribus, abduxerunt eos in domum eius. Quorum prædicatione ipse Maximus cum tota sua familia & ipsis lictoribus crediderunt in Dominum nostrũ Iesum Christum. Tunc sancta Cecilia venit ad ipsos noctu cum Sacerdotibus, & fuerunt omnes baptizati in nomine patris & filij & spiritus sancti. Cùm autem exoriens matutinum nocti finem dedisset, magno silentio facto dixit sancta Cecilia: Estote forti & magno animo ô Dei milites, abijcite opera tenebrarum, & induimini arma lucis. Pulchrum certamen certauistis, cursum peregistis, fidem conseruastis: de cætero proficiscimini ad coronam iustitiæ, quã reddet vobis iustus Iudex: non solùm autẽ vobis, sed etiam omnibus qui diligunt aduentũ eius. Locus autẽ qui dicitur Pagus, erat situs quarto lapide ab vrbe Roma, ad quem erat transeundum prope portã templi, vt quicunq; illac transibat, nisi Iouis simulachro thus offerret, puniretur. Cùm in eũ autem locum venissent sancti Tiburtius & Valerianus, pretiosum thus obtulerũt Deo adferentes suos accusatores, & sic flexis genibus fuere cæsi gladio, & amisso hoc caduco & mortali corpore, æternam, & quæ non potest marcescere, martyrij coronam accepêre.

Tunc

Tunc Maximus iurans dicebat: Vidi Angelos Dei tanquam solem resplendentes, ea hora qua gladio sunt percussi: & exeuntes eorum animas è corporibus, tanquam virgines è thalamo. Quas cùm vlnis excepissent Angeli, strepentibus alis 6 ferebantur in cœlum. Hæc Maximo narrante cum lachrymis, multi crediderunt in Dominum nostrum Iesum Christum, & conuersi ab errore simulachrorum, seipsos tradiderunt sancto Vrbano suo magistro. Cùm autem ad Almacium vrbis præfectum venisset fama, quòd Maximus cubicularius cum omnibus suis factus esset Christianus, iussit eum tam diu verberare globis plumbeis, donec spiritum emitteret. Quem sancta Christi martyr Cecilia cùm posuisset proximè sanctos Dei martyres Tyburtium & Valerianum, deposuit in arca, & iussit vt in arca eius insculperetur phœnix ad ostendendam eius fidem, qui se inuenturum esse resurrectionem phœnicis exemplo admiserat. Facta est autem post hæc inquisitio. Cœpit enim Almacius præfectus amborum fratrum quærere facultates, propter quas volebat etiam quærere sanctam Ceciliam, & Valeriani coniugem, & iussit eam apud se sisti. Quæ quidem postquam omnia quæ superfuerant ex eorum facultatibus fideliter distribuisset pauperibus, cœpit ille vrgere, vt ea thus offerret. Tunc dixit ministris qui eam vrgebant vt hoc faceret: Audite me ciues & fratres: Vos estis ministri vestri Præsidis: & videtur vobis quòd desideratis esse alieni ab eius impietate. Mihi auté est gloriosum & valde desiderandum, omnia pati grauia pro Christi confessione. Nam cum hac vita nunquam statui vllam habere amicitiam. Sed ne sitis de nostra soliciti iuuentute, quam omnis curæ estis expertem reddituri. Facite ergo quod ab iniquo Præside est vobis imperatum. Tunc illi cœperunt lamentari & conqueri, quòd tam electa puella, & tam intelligens & nobilis cuperet interfici: & eam rogabant, dicentes, ne talem decorem amitteret, neque talem speciem conuerteret ad mortem. Quibus flentibus & dolore vexatis, sic sancta respondit Cecilia: Hoc ô fratres, non est perdere iuuentuté, sed commutare. Dare lutum, & aurum accipere: dare tabernaculum breue & miserabile, & magnam spatiosamque & amplam domum accipere, ex lapidibus pretiosis & auro ædificatam: dare angulum tenebrosum, & locum accipere lucidum margaritis resplendentem cœlestibus: dare possessionem quæ perit, & accipere possessionem quæ non cognoscit finem, & ignorat mortem: dare lapidem miserabilem quem pedibus conculcatis, & accipere lapidem pretiosum, qui forma resplendet in regio diademate. Hodie si quis sic offerat aureos, vt minimam nummorum quantitatem ex iis alacri animo prouentum accipiat: num vos quoque lubenter curreretis ad talem negotiationem, omnes parentes, & notos, & cognatos, dilectosque, & agnatos, & amicos vobiscum faceretis currere? Si quis autem vos currentes auerteret, dicendo vos inutiliter omnes vestros nummos esse daturos: num eos essetis irrisuri vt ignorantes, & qui nihil cognoscerent: vos autem læti curreretis, quòd cum pretioso auro essetis permutaturi æs miserabile, & non magni pretij? Et vos quidem pondus pro pondere gaudetis accipere. Deus autem non dat pondus pro pondere, sed accipit simplum, & reddit centuplum, præterea verò vitam quoque æternam.

6 Vidit Maximus sanctorũ animas ab Angelis ferri in cœlum.

Cùm hæc autem dicta essent à beata Cecilia, ascendit supra petram quæ erat prope pedes eius, & dicit omnibus: Creditis ea quæ ego dixi vobis? Illi autem vna voce dixerunt omnes: Certè credimus in Christum filium Dei, eum esse verum Deum, qui te talem habet ancillam. Dicit eis sancta Cecilia: Ite de cætero, & dicite infœlicissimo Almacio, quòd ego vnum donum peto, ne nimis acceleretis meam decertationem. Ego autem faciam, vt in domũ meam veniat sanctissimus Papa Vrbanus: vt faciat vos omnes vitæ æternæ participes: & sic Dei prouidentia ego quoque consummabor. Tunc cùm in eius domum venisset sanctissimus Papa Vrbanus, baptizauit plusquam quadringentos, diuersi sexus, fortunæ & ætatis. Inter quos erat vir clarissimus nomine Gordianus. Is cùm Papæ precibus domum sanctæ Ceciliæ vocauit ex suo nomine, vt in occulto ex illo die ex quo illic Christi peractum est baptisma, fieret Ecclesia Dominica: adeo vt sanctissimus quoque Papa Vrbanus illic occultè habitaret: indies autem Christi redemptionis lucra illic crescerent: & diaboli essent damna innumerabilia. Dum hæc autem fierent, Almacius vrbis Præfectus iubet coram se sisti Ceciliam, quam interrogans ei dicit: Quod est nomen tuum ô puella? Respondit sancta: Cecilia. Dixit Pręfectus Almacius: Cuius es conditionis? Dixit Cecilia: Ingenua ex clarissimis. Dixit Præfectus: Ego te rogo de religione, non autem de genere. Sancta dixit Cecilia: Interrogatio tua stultum cœpit principium, quæ duo responsa videtur elicere ex vna quæstione. Dixit Præfectus: Vndénam est tibi hæc fiducia? Respondit sancta: ex bona conscientia, & fide non simulata. Dixit Præfectus: Ignoras quænam sit mihi potestas? Dixit sancta Cecilia: Ignoras tu quænam sit tibi potestas. Nam si tu me rogaueris de tua potestate, veris verbis eam tibi aperiam. Dicit ei Præfectus: Dic si quid nosti. Sancta dixit Cecilia: Omnis hominis potestas est perinde ac vter vento plenus, quem si vna acu pupugeris, omnis tumor eius colli flaccescit. Quinetiam si inuenitur in ipso aliquid portare, inflectitur. Dixit Præfectus: Cœpisti à con-

tumelia, & perseueras in contumelijs. Dixit sancta Cecilia: Non dicitur contumelia, nisi in eos qui pauca peccant non teneatur moderatio. Quamobrem vel doce contumeliam, si falsum sum locuta: vel teipsum castiga subeuntem iudicium. Dixit Almacius Præfectus: Ignoras quòd domini inuicti Imperatores iusserunt, vt qui nō negauerint se esse Christianos, puniantur: qui autem negauerint, dimittantur? Dixit sancta Cecilia: Sic vestri semper erant imperatores, sicut etiam vestra celsitudo. Nam quæ ab ipsis processit sententia, vos quidem testata est esse impios: nos autem esse ostendit innocentes. Si enim malum esset hoc nomen, nos quidem negauissemus. Vos autem vt nos confiteremur omnino coēgissetis. Dixit Præfectus: Pro pietate sua hoc voluerunt statuere, vt sua benignitate, vitam donando vobis gratificentur. Dixit sancta Cecilia: Nihil est æquè impium, nihil verò tam innocentiæ inimicum, quàm reis omnia inferri supplicia, ad hoc vt suam iniquam testentur qualitatem, & de eorum in mysterio sociis grauissimam habere quæstionem. Vos autem quos innocentes cognoscitis, nominis solùm accusatis. Sed nos qui sanctum nomen Christi cognoscimus, id omnino negare non possumus. Est enim melius mori feliciter, quàm viuere infeliciter. Nos enim vera dicentes vos punimus, quibus est persuasum vt falsum audiatis. Dixit Almacius Præfectus: Elige tu vnum ex duobus: aut sacrifica, aut nega te esse Christianam, vt delicti tibi detur venia. Tunc dixit ridens sancta Cecilia: O Iudicem pudore necessario affectum. Vult me negare, & esse me innocentem, vt ipse me faciat crimini obnoxiam. Si vis accusare, cur me adhortaris vt negem? Sin autem vis absoluere, cur non vis inquirere? Dixit Præfectus Almacius: Adsunt accusatores, qui testantur te esse Christianam. Si ergo quamprimum negaueris, impones finem eorum accusationibus. Sin autem nolueris negare, hoc tuæ imputabis amentiæ, quando in te lata fuerit sententia. Dixit sancta Cecilia: Eorum accusatio est mihi desideranda, & punitio tua est victoria. Noli me ergo corrigere tanquam errantem: sed teipsum increpa, qui existimas fore vt Christum negem. Dixit Præfectus: Misera, nescis vitæ & necis potestatem mihi datam esse ab Imperatoribus? Cur loqueris cum tanta superbia? Dixit sancta: Alio modo licet dicere superbum, & alio confidentem. Ego confidenter, non autem superbè sum locuta. Nam nos quoque valde reijcimus superbiam. Tu autem si non times audire veritatem, rursus docebo te nunc falsa esse locutum. Dixit Almacius Præfectus: Quidnam falsi es in nobis assecuta? Dixit sancta Cecilia: Hoc quod affirmas tuos imperatores tibi dedisse vitæ & necis potestatem. Dixit Præfectus: Ergo sum mentitus? Sancta dixit Cecilia: Re vera si iubeas, falsum te dixisse ostendam. Dixit Præfectus: Dic. Sancta dixit Cecilia: Dixisti tuos Imperatores tibi dedisse potestatem vitæ & necis. Cognosce itaque tibi solùm esse datam mortis potestatem. Nam vitam quidem potes à viuis tollere, mortuis autem non potes dare vitam. Dic ergo quòd Imperatores te voluerunt esse ministrum mortis. Nam si tu amplius dixeris, deprehenderis falsa dicere, & quæ non possunt consistere. Dixit Præfectus Almacius: Ne sis verbosa ô mulier, sed de cætero tuam depone audaciam: & veni, & diis sacrifica. Dixit sancta Cecilia: Nescio vbinam tuos oculos amiseris. Nam quos tu dicis deos, ego & omnes qui sunt sanis oculis, videmus esse lapides, & æs, & plumbum. Dixit Præfectus: Contumelia afficies religionem despectis philosophis? Non possum autem ferre deorum contumelias. Dixit sancta Cecilia: Ex quo os aperuisti, nullum verbum fecisti quod non te ostenderet iniustum, insipientem, & stultum. Sed enim quidnam hoc est quod externis oculis te esse cœcum ostendis, quando quod omnes lapidem esse aspicimus, & lapidem inutilem, tui Deum esse testaris? Do tibi, si iubes, consilium, & eum tangens disce esse lapidem, si non nosti id aspiciens: est enim dedecus à toto te rideri populo. Omnes enim sciunt Deum esse in cœlis: hæc autem, vt quæ sint formæ lapideæ, per ignem posse melius mutari in calcem: quoniam iam suo otio pereunt: & neque si simul pereant, neque si in ignem coniecti fuerint, sibi poterunt subuenire. Tunc valde iratus Almacius iussit eam reduci in domum suam, & illic balnei flamma torreri. Cùm autem esset in aëre balnei sui inclusa, & subtus toto die & nocte magna vis ardentis ligni adhiberetur, tanquam in loco refrigerato illæsa permansit, & salua Domini gratia, adeo vt nulla pars omnino ex eius membris vel minimo sudoris signo fuerit humectata. Quod cùm audiuisset Almacius Præfectus, illuc misit ad ipsam, vt in ipsis balneis ei caput amputaretur. Quam spiculator tribus percussit ictibus, & non potuit ei caput amputare. Sic autem eā semiputato capite ferus & crudelis ille lictor reliquit, adeo vt omnes turbæ quæ per illam crediderant, sanguinē linteis tanquam spongiis hauserint. Tribus autem quibus superuixit diebus, non cessauit omnes quos aluit, & quos docuit confirmare, & corroborare in fide Domini. Quibus etiam distribuit omnia quæ habebat, & sanctissimo Papæ Vrbano commendauit. Cui etiam dixit: Trium dierum mihi iam petiui terminum, vt tradam tuæ sanctitati, & hanc domum meam in seculum Ecclesiæ nomine consecres. Impletis autem tribus diebus, & Deum precante beata Cecilia, cùm essent adhuc preces in ore eius, tradidit pretiosam & sanctam suam animam

in manus

in manus Dei viuentis mensis Nouembris xxij. Tunc sanctissimus Papa Vrbanus cùm gloriosum eius corpus sustulisset noctu cum Diaconis, sepeliit ipsum inter alios suos Episcopos, vbi sunt omnes Confessores & Martyres depositi. Eius autem domum in æternum
7 consecrauit nomine sanctæ Ecclesiæ: & illic perpetuò peraguntur sancta Domini mysteria, vsque in hodiernum diem. In memoriam quidem Martyris: gloriam autem & laudem magni Dei & seruatoris nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

7 Pontifex dedicat domū sanctæ Ceciliæ in Ecclesiam.

VITA SANCTI FABIANI PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

FAbianus natione Romanus, ex patre Fabio, sedit annos quatuordecim, mensem vnum, dies vndecim, martyrio coronatur, decimo quarto Kalendas Februarias. Fuit autem temporibus Maximini & Aphricani, vsque ad Decium Secundo & Gratum. Hic regiones diuisit Diaconis. Et fecit septem subdiaconos, qui septem notariis imminerent, vt gesta martyrum in integrnm colligerent. Et multas fabricas per cœmiteria fieri præcepit. Post passionem verò eius, Moyses & Maximus presbyteri, & Nicostratus diaconus comprehensi sunt, & in carcerem missi. Eodem tempore superuenit Nouatus ex Aphrica, & separauit Nouatianum de Ecclesia, & quosdam Confessores, postquam Moyses in carcere defunctus est, qui fuit ibi menses vndecim. Et sic multi Christiani fugerunt. Hic fecit ordinationes quinque per mensem Decembrem, presbyteros viginti duos, diaconos septem, Episcopos per diuersa loca vndecim. Qui sepultus est in cœmiterio Calixti, via Appia, decimo tertio Kalendas Februarij. Et cessauit Episcopatus dies sex.

Habetur in Pōtifical. eiusdem.

ITEM DE EODEM, PER EVSEBIVM Episcopum Cæsariensem.

TRadunt autem Fabianum, Anthero defuncto, cùm de agro reuerteretur, vnà cum amicis suis, & vniuersus Ecclesiæ populus pro Episcopo deligendo in vnum coisset, atque alius de alio (vt fieri solet in talibus) conclamaret, nec tamen vulgi sententia certi aliquid obtineret, astitisse etiam ipsum inter cæteros, scire cupientem, qui rei exitus foret. Et subito per Dei prouidentiam columbam cœlitus lapsam, figuram ferentem illius, quæ in sancti spiritus imagine super Iesum descenderat apud Iordanem, super caput astitisse Fabiani. Ad quod spectaculum cunctorum ora, oculosque conuersos, & omnes velut vno spiritu commotos, hunc esse Episcopatu dignum per Dei iudicium decreuisse, eumque continuò cathedræ impositum, & legitimo sacerdotio confirmatum. Quod alij super huius, alij super Zepherini nomine gestum tradunt.

Habetur Histo. Eccles. cap. 11.

VITA SANCTORVM SEPTEM GERMANOrum dormientium, per Diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

SEptem verò germanorum, qui apud vrbem Ephesum requiescunt, hæc est historia. Tempore Decij Imperatoris, cùm persecutio in Christianos ageretur, septem viri apprehensi sunt, ductique coram principe. Horum nomina hæc sunt: Maximianus, Malcus, Martinianus, Constantinus, Dionysius, Ioannes, Serapion. Qui diuersis verbis tentati vt cederent, nequaquam acquieuerunt. Imperator verò pro elegantia eorum, ne in momento perirent, spatium tractandi indulget. At illi in vnam se speluncam condunt, ibique per multos dies habitauerunt. Egrediebatur tamen vnus ex eis, & comparabat victum, & quæ necessaria erant, exhibebat. Reuertente autem Imperatore in eandem ciuitatem, isti petierunt à Domino, vt eos ab hoc periculo dignaretur eruere. Factaque oratione, prostrati solo obdormierunt. Cumque Imperator didicisset eos in hoc antro morari, nutu Dei iussit os speluncæ magnis lapidibus oppilari, dicens: Ibi intereant qui diis nostris immolare noluerunt. Quod dum ageretur, quidam Christianus in tabula plumbea nomina & martyrium eorum scribens, clam in aditu cauernæ, priusquam oppilaretur, inclusit. Post multorum verò annorum curricula, cùm, data Ecclesiis pace, Theodosius Christianus obtinuisset imperium, surrexit hæresis immunda Sadducæorum, qui negant resurrectionem futuram. Tunc quidam

Habetur in opere eiusdē in gloriā plurimorum martyrū edito. cap. 95.

ciuis Ephesius dum caulas ouibus secus montem ipsum facere destinat, ac lapides deuoluit ad coaptanda earum septa, ignarus quæ celarentur introrsum, patefecit ingressum speluncæ, non tamen nouit arcanum, quod habebatur intrinsecus. Dominus autem immisit septem viris spiritum vitæ, & surrexerunt, putantésq; quòd vna tantùm nocte dormissent, miserunt puerum vnum, qui cibos emeret. Cúmque veniens, supra portam a ciuitatis vidisset crucis gloriosæ signaculum, audiitérque per Christi nomen iurare populum, obstupuit, prolatísque nummis quos à tempore Decij habebat, à mercatore comprehenditur, dicente sibi: Quia absconditos antiquitus thesauros reperisti. At ille negans, deducitur ad Episcopum ac Iudicem ciuitatis. Cúmque ab his argueretur, compellente necessitate, absconditum mysterium reuelauit, deduxítque eos ad speluncam in qua viri erant. Cúmque ingrederetur Episcopus, inuenit tabulam plumbeam, in qua omnia quæ pertulerant, habebantur scripta, locutúsque est cum eis. Nunciauerunt autem hæc cursu rapido Imperatori Theodosio. At ille veniens adorauit eos pronus in terra. Qui tali colloquio cum eodem vsi sunt principe.

a *Vide salutiferæ crucis imaginem supra ciuitatum portas insculpi solitam.*

Surrexit quædam pessima hæresis, quæ populum Christianum à Dei promissionibus conaretur auertere, vt dicat, non fieri resurrectionem mortuorum. Ergo vt scias, quia omnes, iuxta Apostolum Paulum, repræsentandi erimus ante tribunal Dei, ideo iussit nos Dominus suscitari, & tibi ista loqui. Vide ergo ne seducaris, & excludaris à regno Dei. Hæc audiens Theodosius Imperator glorificauit Dominum, qui non permisit perire populum suum.

Viri autem iterum prostrati in terram obdormierunt. Quibus cùm Theodosius Imperator sepulchra ex auro fabricare vellet, per visum prohibitus est, ne faceret. Viri autem vsq; hodie palliolis sericis, aut carpasinis cooperti, in ipso loco requiescunt. Quod passio eorum, quam Syro quodam interpretante, in Latinum transtulimus, plenius pandit.

VITA SANCTAE AGATHAE VIRGINIS ET martyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyrolog. sub Nonis Febuarij.

IN Sicilia ciuitate Cathanensi natale sanctæ Agathæ virginis & martyris sub Quintiano Proconsule, Imperatore Decio. Qui consularis vir Quintianus cupiens multifaria intentione ad eam pertingere, quòd esset nobilissimis orta natalibus, fecit eam arctari, & cuidam matronæ tradi nomine Aphrodisię, quæ habebat nouem filias turpissimas, vt mutaret animum eius. Quæ videns mentem eius immobilem, post triginta dies abiit ad Quintianum, & dixit ei: Facilius possunt saxa molliri, & ferrum in plumbi molliciem verti, quàm ab intentione Christiana mens istius puellæ reuocetur. Iussit igitur eam Quintianus ad secretarium suũ adduci, & sedens pro tribunali beatissimam Agatham interrogat: Cuius conditionis es? Respondit: Non solũ ingenua, sed ex spectabili genere, vt omnis parẽtela mea testatur. Cui dixit Quintianus: Si ingenua probaris, & nobilis, cur moribus seruilem personã te habere ostendis? Cui beata Agatha: Quia, inquit, ancilla Christi sum, ideo me seruilem habere ostendo personam. Cumq; in confessione Christi fortissimè quæ fidei sunt prosequeretur, iussit eam Quintianus alapis cædi, deinde constantius Christũ prædicantem iussit ad carcerẽ trahi. Agatha autẽ lætissimè & glorianter ibat ad carcerẽ, & quasi ad epulas inuitata, ita gaudens agonẽ suum Domino precibus commendabat. Sequenti die iterũ aspectibus Iudicis præsentatur. Quã iussit in eculeo ingenti suspendi, & torqueri. Tunc post talia Agatha Iudici respondit: Sicut qui videt quẽ diu desiderabat, aut sicut qui inuenit thesauros multos, ita & ego delector in his pœnis temporalibus posita. Non enim potest triticum in horreo reponi, nisi theca eius fortiter fuerit conculcata, & redacta in paleas: ita anima mea non potest in paradysum Dei intrare cũ palma martyrij, nisi diligenter perfeceris corpus meũ à carnificibus attrectari. Iussa est deinde beata Agatha in mamilla torqueri, quam diu tortã fecit impius Iudex abscindi. Recipitur beata virgo iterũ in carcerem, vbi neq; panis, neq; aqua ministraretur ei. Et ecce circa noctem mediã venit quidam senex, qui se medicum esse commemorabat, ferens diuersa medicamenta, quem antecedebat puer luminis portitor. Qui inter alia virgini dixit: Consideraui, inquit, & vidi, quia potest salutẽ tua mamilla suscipere. Cumq; illa verbis senis non præberet assensum, putans quòd carnalem vellet ei adhibere medicinam, dixissetque seni inter alia: Habeo Saluatorem Dominum Iesum Christum, qui verbo curat omnia, & sermone solo restaurat vniuersa: Subridens senior, & me, inquit, ipse misit ad te. Nam & ego Apostolus eius sum, & in nomine eius scias te esse saluandam. Et sic ab oculis eius sublatus est. Post quatuor dies iterum reducta ad Quintianum est. Qui testas acutas & carbones iussit spargi, & illam nudo corpore supra eos volutari. Et ecce subitò totus ille locus commotus est, & pars parietis cecidit, & oppressit duos, Consiliarium iudicis, & amicum eius. Quintianus igitur fugiens, quia ex vno latere terræmotum, & ex altero latere seditionem populi formi-

formidabat, iterum iuſſit eam in carcerem recipi. Quæ ingreſſa expandit manus ſuas ad Deũ,& dixit: Domine qui me creaſti,& cuſtodiſti ab infantia mea,& feciſti me in iuuentute viriliter agere, qui tuliſti à me amorem ſeculi, qui corpus 1 meum à pollutione ſeparaſti, qui me feciſti vincere tormenta carnificis, ferrum, ignem, & vincula, qui mihi inter tormenta virtutem patientiæ contuliſti, te deprecor vt accipias ſpiritum meum modò, quia tempus eſt vt me iubeas iſtud ſeculum derelinquere, & ad tuam miſericordiam peruenire. Hæc dicens beatum cœlo miſit ſpiritum. Cuius ſacrum 2 corpus auferẽtes populi Chriſtiani, poſuerunt conditum 3 aromatibus in ſepulchro nouo. Cùm autem collocaretur, venit quidam iuuenis ſericis veſtibus indutus, quem ſequebantur amplius quàm centũ pueri albati & pulchri, & introiuit ad locum vbi condebatur corpus ſanctæ Virginis, & poſuit tabulam breuem marmoream, vbi ſcriptum eſt: Mentem ſanctam, ſpontaneam, honorem Deo, & patriæ liberationem. Et tam diu ibi ſtetit idem iuuenis, donec ſepulchrum cum diligentia clauderetur. Et aſcendens non eſt vlterius viſus in tota prouincia Siculorum. Vnde non dubitandum, quin Angelus Dei fuerit. Quintianus poſt hæc iter arripuit, vt facultates B. Agathæ inueſtigaret, & vt teneret omnes de parentela eius, ſed Dei iudicio in medio flumine interijt.

1 Ex his verbis habes quod ſeruare virginitatem, ex Dei gratia præcipuè prouenit, non autem ex nobis ſolum, quæ tamẽ volẽti nunquã deeſt.
2 Ecce ſanctæ martyris ſacrũ corpus, Nec dicit cineres emortuos.
3 Vide antiquum Eccleſiæ morẽ ſepeliendi ſanctorũ corpora cum odoramentorum ſuauitate.

MARTYRIVM SANCTAE ET GLORIOSAE Martyris Chriſti Agathæ.

Per Simeonem Metaphraſten.

5. Februarij

IMperante illo tempore Decio iniquo Cæſare: Quintiano autem præſide inſulæ Siciliæ Italorum prouinciæ, exijt ab eis iniquum & iniuſtum edictum, vt omnes Chriſtiani, qui colebant veram & piam religionem, morti acerbæ traderentur. Sancta ergo, magnique & excelſi animi Agatha, quæ nata quidem erat ex ciuitate Panormitana (erat autem inſigni & claro genere orta) cùm audiuiſſet hoc impium ſermone iactatum eſſe decretum, illicò patria, genere, gloria, & vniuerſa quæ ad tempus ſpecie ac viſione, atque adeò ipſa quoque vita contempta, armata fuit ad certamina pro Chriſto ſuſcipienda.

Quintianus autem Præſes cùm audiuiſſet de ſancta generoſa Chriſti athleta Agatha, quòd formæ pulchritudine ſuperaret omnes ſui temporis adoleſcentulas, quærebat quonam modo Dei virginem Agatham comprehenderet, & ad ſe attraheret. Non ceſſabat itaque quotidie improbam ſuam agitare cogitationem, donec ei liceret œſtrum ſuæ libidinis ad effectum deducere. Quare venerandam & inſignem Dei ancillam Agatham eo prætextu, quòd eſſet Chriſtiana, iubet comprehendi & ad ſe adduci. Erat autem beata Agatha vita & oratione ornata, & inſigni pulchritudine, quæ poterat eximia ſpecie eos qui ipſam videbant ſubijcere. Quintianus verò Præſes cùm eſſet vafer & malitioſus, captus amore virginis, oculum ſuum perturbabat. Similiter autem eius quoque pecunias concupiſcens, non ceſſabat aſſiduè cogitare quomodo eam apprehenderet. His ergo modis, quos diximus, furore percitus Quintianus, iuſſit ſanctam Agatham comprehendi à militibus. Milites autem Catana egreſſi, cùm ſanctam inueniſſent Agatham, dicunt ei: Exiit aduerſus te decretum à Cæſare & Præſide, quoniam neque Dijs ſacrificas qui honorantur ab Imperatore, neque eos colis ritu patrio. Nunc ergo ſaltem pollicere te dijs eſſe ſacrificaturam, vt cum omni honore & gloria te adducamus ad præſidem Quintianum. Sancta autem Agatha ſuperno auxilio & fide circundata, aduerſus Tyrannum præclarè armabatur. Lictoribus verò feſtinantibus eam ſiſtere Tyranno, ingreſſa in domum ſuam cùm 1 manus in cœlum extendiſſet, dixit: Domine Ieſu Chriſte, tu ſolus ſcis affectionem mei cordis. Tu ſcis animi mei alacritatem & promptum ſtudium, & meam in te fidem & beneuolentiam. Tu ſis mihi dux aduerſus Tyrannum. Iam enim ô Domine morte eſt à me affectus & conculcatus. Et nunc oro te Domine, ne glorietur his vir exitioſus & malitioſus, quòd polluent meum corpus, in quo vixi huc vſque honeſtam & glorioſam vitam, ſed feſtina, & vince diabolum, & eius miniſtrum Præſidem. Ne dicat, vbi eſt Deus eius, tanquam ſacrificium & oblationem meas accipiens lachrymas in odorem ſuauitatis. Quoniam tu es Deus ſolus, & te decet gloria in ſecula. Amen.

1 Vide orationem cum manuum ad cœlum extenſione

Et cùm ipſa hæc eſſet precata, egreſſa eſt è ciuitate Panormitana, tanquam murus infractus & vallo circundatus, promptoque & alacri animo iuit cum lictoribus, mente autem apud ſe cogitans pulchritudinem virtutis, hæc dicebat: Primum quidem, per gratiam Chriſti decertaui vt conſeruarem corporis caſtitatem, malumque, & mali autorem diabolum, qui in genere hominum ſeminauit voluptates, vici & conculcaui. Deinde etiam animam meam poſui pro Chriſto: & ſpero quòd eum perpetuo pudore afficiã & perdam. Sed ô male diabole & inimice veritatis, non vides meũ ſtadium, quod cùm ſit immortale, exultant iuſti ſimul & Ange-

Angeli, huius verò ſpectatorem immortalem, Dominum meum Ieſum Chriſtum filium Dei, qui ſtipatur innumerabilibus ordinibus Angelorum? Et hæc apud ſe dicens flebat. Ea autem proficiſcente cum militibus, ſoluta eſt corrigia huius calceamenti, & cùm poſuiſſet pedem ſuum ſupra lapidem, id ligauit. Deinde retro conuerſa, cùm neminem vidiſſet eam ſequentem ex ciuibus qui eam deducebant, ſed omnes eam reliquiſſe & receſſiſſe, magno dolore affecta orauit Dominum, dicens: Domine omnipotens, propter meos ciues qui non crediderunt ancillæ tuæ, quæ eſt decertatura pro ſancto tuo nomine, & me non ſunt perfectè ſecuti, oſtende magnum miraculum hoc loco: & ſtatim exorta eſt olea infertilis, quæ publica notabat ignominia mentes Panormitanorum. Ea autem ingreſſa Catanam, iuſſit Præſes eam tradi cuidã matronæ nomine Aphrodiſiæ, quæ habebat quinque iuuenes filias, vt eam inducerent morum & verborum blanditiis, & mentem eius mutarent, vt perſuaſa dijs ſacrificaret, & cœperunt, aliquando quidem eam laudando & honorando, incitare, magna ei pollicentes: aliquando vltrò minas intentantes, ſperantes his eſcis attrahere ſanctam Agatham ad cultum ſimulachrorum. Cùm autem his fallacibus rationibus eius fortem & conſtantem mẽtem conarentur ei auferre, ei reſpondens ſancta Martyr Agatha, dicebat: Notum ſit vobis, quòd mens mea & cogitatio eſt fundata ſupra petram, quæ nunquam poteſt ſeparari à Chriſti charitate: veſtra verò verba ventis ſimilia difflantur, ſermones veſtri ſunt pluuiæ, minæ veſtræ ſunt fluuij: & licet cum ijs in meam domũ irruperitis, eam nequaquam labefactaſtis: eſt enim fundata ſupra petram, quæ eſt Chriſtus filius Dei viui. Dum ipſa autẽ hæc diceret, non intermittebat ſuum pectus irrigare lachrymarum inundatione. Nam quemadmodum deſiderat ceruus ad fontes aquarum: ita etiam deſiderauit eius anima venire ad ſtadium decertationis, omne genus tormentorum prompto & alacri animo deſiderans & ſtudens ferre pro fide in Chriſtum. Aphrodiſia ergo videns immobilem & inuictam ſanctæ Agathæ mentem, ad Quintianum accedens, dixit ei: Eſt facilius lapides molles & teneros facere, aut ferrum in plumbum conuertere, quàm mentem huius puellæ à Chriſti amore traducere. Ego enim & filiæ meæ noctu & diu nihil aliud fecimus, aliquando quidem monentes, aliquando autem etiam minas intentantes. Ego quidem ei obtuli margaritas, mundumque, & veſtem pretioſam, aurumque & argentum, domoſque & ſuburbia, & mancipia: ea verò hæc omnia non pluris facit quàm terram calcat pedibus. Tunc iratus Quintianus, iuſſit eam duci in ſecretum, & ſedens in tribunali dicit ei: Cuius es generis? Reſpondit ſancta Agatha, non ſolùm ſum ex nobili & illuſtri genere, ſed ſunt etiã mihi cognati inſignes diuitijs. Dixit Quintianus: Si es genere nobilis & illuſtris, cur moribus ancillæ perſonam ſuſcipis? Sancta dixit Agatha, Rectè dixiſti. Nam quoniam ſum Chriſti ancilla, propterea me oſtendo eſſe ſeruã. Quintianus dixit: Verè es libera. Quomodo ergo te affirmas eſſe ſeruam? Dixit ſancta Agatha: Noſtra nobilitas & gloria eſt in eo, quòd Chriſti annũciatur ſeruitus. Dixit Quintianus: Quid ergo nos non habemus libertatem, qui Chriſti ſeruitutem deſpuimus? Dixit ſancta Agatha: Ad tantam deueniſtis ſeruitutem & captiuitatem, vt vos non ſolùm ſerui peccati efficiamini, ſed etiam cultores abominandorum, & nullo ſenſu præditorum ſimulachrorum, honorem qui Deo conuenit, tribuentes lignis & lapidibus. Dixit Quintianus: Si quid inſanè blaſphemabis, de te poterunt ſumi pœnæ. Sed priuſquam in mea tormenta incidas, dic quanam de cauſa recuſas deos colere. Dixit ſancta Agatha: Ne dicas deos, ſed, dæmones: quorum faciem in æs conuertitis, quorum marmoreos & è gypſo effictos vultus inauratis. Dixit Quintianus: Elige tibi bonam mentẽ, & perſuaſa ſacrifica. Sin minus, diuerſa tormenta ſubibis cum damnatis: & cùm ignominia affeceris dignitatem tuæ cognationis, tandem perſuaſa ſacrificabis dijs omnipotentibus. Dixit ſancta Agatha: Sit ſicut Venus dea tua, vxor tua, & ſis tu ſicut Iuppiter Deus tuus. Hæc cùm audiiſſet Quintianus, iuſſit ei impingi colaphum, dicens: Ne ore arroganti Præſidem afficias contumelia. Sancta dixit Agatha: Quos dixiſti deos tuos, non vis referri in eorum numerum? Dixit Quintianus: Hoc planum eſt te plurimorum tormentorum teneri cupiditate, cùm per tuas contumelias vt ad ea deſcendã me horteris. Dixit Agatha: Miror te cùm ſis homo prudens, ad tantam veniſſe inſipientiam, vt nolis euadere dijs tuis ſimilis, & eſſe particeps eorum vitæ. Si ſunt ergo dij tui, & eos colis, ecce tibi bene ſum precata: quomodo ergo dicis te fuiſſe à me affectam contumelia, quæ optaui vt tua vita eſſet ſicut vita illorum? Sin autem abijcis hæreditatem, ipſos mecum vocabis execrandos. Dixit Quintianus: Superba verba loqueris. Aut dijs ſacrifica, aut varia tormenta expecta. Dixit Agatha: Etiamſi in me feras immittas, cùm Chriſti nomen audierint, manſuefient. Sin autem ignem inferas, Angeli mihi è cœlis rorem ſuppeditabunt. Quòd ſi plagas & flagella, habeo ſpiritum veritatis, qui me liberabit ex tuis manibus. Tunc Quintianus caput mouens, iuſſit eam duci in tenebroſam cuſtodiam, dicens: Apud te conſiderans ô Agatha, ducere pœnitentia, vt effugere poſſis mea tormenta. Dicit Sancta: Tu ipſe ducere pœnitentia, vt poſſis effugere æternũ ſuppliciũ.

Tunc

Tunc iratus Quintianus iussit eam trahi vsque ad custodiam. Sancta verò Agatha cum plurima lætitia ingressa est in custodiam, tanquam ad gaudium & exultationem, certamen suum Domino commendans cum precibus. Sequenti autem die impius Quintianus iussit eam sisti tribunali, dicēs ei: Considerasti ne de tua salute? Sancta dixit Agatha: Salus mea est Christus. Dixit Quintianus: Quousque ô misera, miseram producis cogitationem? Nega Christum, & incipe deos colere, ne vita & ætate priuata immaturam mortem subeas. Dixit Agatha: Tu nega deos tuos, qui sunt lapides & ligna, & accede ad verum Deum qui te fecit, ne in æterna incidas tormenta, & quæ nunquam cessant supplicia. Tunc iratus Quintianus iussit eam suspensam verberari, & dicebat ei: Agatha corrige tuam cogitationem, vt vita tibi condonetur. Dixit Agatha: Tormenta tua gaudii thesaurum mihi recondunt, & exulto vt qui bonum audit nuncium: & qui vidit eum quem desiderabat, & vt qui inuenit multos thesauros. Ita ego quoque delector ijs quæ sunt ad tempus tormentis, quæ minaris te mihi intentaturum. Fieri enim non potest, vt frumentum tutò in horreo conseruetur, priusquàm fuerit nudatum palea. Similiter etiam anima mea non potest venire intra Paradysum, priusquàm corpus meum varijs tormentis affectum fuerit à tuis ministris. Iratus itaque Quintianus iussit eius mamillam torqueri, & deinde eam amputari. Dixit autem sancta Agatha: Impie & crudelis Tyranne, non erubuisti hæc facere fœminæ, & mamillam quam in matre tua suxisti, amputare. Sed tamen etiamsi externam mamillam abscidisti, habeo aliam in anima mea, quam non poteris excindere: est enim oblata Christo Deo meo à tenera ætate. Iratus autem rursus Quintianus iussit eam abduci in carcerem, iubens nulli ex medicis permitti ad eam ingredi, & nec panem ei dare nec aquam.

Ea autem ingressa custodiam circa mediam noctem, in senis similitudine apparuit ei Apostolus Petrus, quem præcedebat puer ferens lampadem in manibus, plurima habens medicamenta, & se dicens esse medicum, & talibus verbis eam alloquens: Impius quidem Tyrannus flagellis in te 2 vsus, nihil profecit, tua autem fortitudine & constantia eum magis tabefecisti. Quamobrem mamillam tuam non solùm iussit torqueri, sed etiam fecit abscindi. Quare anima eius afficietur dolore in æternum. Cùm autem adessem in illa hora in qua hæc passa est, & animaduertens vidissem fieri posse vt tua mamilla sanaretur, ea de causa huc veni. Dicit ei sancta Agatha: Meo corpori nullam vnquam adhibui medicinam, & nunc turpe esse existimo, mori bonum, qui ab ineunte ætate est confirmatus interire. Senex verò respondens ei: Ego quoque sum Christianus, & confidens te posse à me curari, ea de causa veni ad te. Sed ne me reuerearis. Sancta autē respondens dixit ei: Et quomodo fieri potest, cùm tu sis senex & longeuus: ego autem sim puella, & ostendam tibi corpus perditum tormentis? Sed sinam potius hæc vulnera mentem meam pungere, quàm quòd mihi probro futurum esset, impudenter mea aperiam vlcera. Quamobrem ago tibi gratias venerande pater, quòd sis dignatus ad me venire propter hanc corporis curationem. Scias verò quòd medicamenta ab hominibus composita, corpori meo nunquam admouebuntur. Respondens autem senex dicit ei: Cur non sinis me te curare? Dicit ei Sancta: Quoniam habeo Dominum meum Iesum Christum qui solo nutu curat omnia, & verbo suo facit prostratos surgere. Ipse, si velit, potest me quoque conseruare, quæ sum indigna eius ancilla. Tunc senex subridens dixit ei: Ipse quoque me misit ad te, & ego sum eius Apostolus. Vide autem teipsam quemadmodum sis curata. Hæc verò cùm dixisset, euanuit ab oculis. Tunc precans dixit sancta Agatha: Ago tibi gratias Domine mi Iesu Christe, quòd sis mei recordatus, & ad me miseris tuum Apostolum, qui me corroborauit, & renouauit membra mea. Dum ipsa autē implesset preces, aspiciens suum corpus inuenit curata sua vulnera, & mamillam sanam redditam sicut prius. Tota verò nocte lux circumdedit custodiam, adeò vt præ illuminatione custodes fugerint, & apertū carcerem reliquerint. Qui autem illic erant condemnati, cùm vidissent quod factū fuerat, dicunt sanctæ Agathæ: Ecce portæ sunt apertæ, & nemo est qui eas custodiat: egredere & fuge. Respondens autē Sancta dixit eis: Absit vt ego priuer corona meorum certaminum, & custodes carceris conijciam in periculum. Habens enim adiutorem Dominum nostrum Christum filium Dei viui, ad finem vsque permanebo in eius confessione qui me curauit, & est consolatus. Post quartum verò diem iubet Quintianus eam duci in iudicium, & dicit ei: Quousque pergis aduersari edictis Imperatorum? Aut dijs sacrifica, aut te grauioribus puniam supplicijs. Dicit ei Sancta: Omnia verba tua sunt vana, edicta autem tua & Imperatorum tuorum sunt iniqua, quæ quidem ipsum quoque aërem polluunt. Quamobrem dic mihi ô miser, & nullo sensu prædite. Quis vult ad auxilium inuocare lapides & ligna, quibus nullus adest sensus? Non vides quod pro mamilla mea à te abscissa, aliam mihi fecit exoriri Dominus meus Iesus Christus? Furore autem percitus Quintianus, dixit ei: Quis te curauit? Dicit ei Sancta: Iesus Christus filius Dei viui. Dicit ei Quintianus: Rursus tu Christum nominas, quē ego nec volo quidem audire.

2 *Ecce quomodò sancti in Dei lumine sciunt quæ circa nos agūtur, & ex diuina virtute intersunt agonibus quandoque nostris.*

audire. Dixit sancta: Nō cessabo eum inuocare labris meis, & corde glorificare. Dixit Quintianus: Ego iam cognoscam an te seruet Christus tuus, & iussit sterni testas acutas: carbones verò ijci: & proijci in carbones. Cùm hoc autem factum esset, eo in loco fuit repentè terræ motus, & paries repentè humi cadens, comprehendit socium Præsidis nomine Vulteium, & amicum eius nomine Theophilum, quorum consilio faciebat hæc iniusta. Non hoc autē solùm, sed etiam vniuersa Catanæ ciuitas è terræ motu valde fuit agitata, adeo vt omnes ciues concurrerint in Prætorium, & Præsidem valde conturbauerint. Tunc Quintianus primùm quidem timens terræ motum, secundò autem conturbatus populi insurrectione, iussit sanctam Agatham abduci in carcerem. Ingressa verò custodiam, extensis in cœlum manibus, dixit: Ago tibi gratias Domine, quòd me dignam censueris quæ decertarem pro sancto tuo nomine, ablato à me præsentis vitæ desiderio, & similiter meo corpori donata tolerantia. Tu ergo Domine, exaudi me in hac hora, & dignare ancillam tuam relinquere hunc mundum, & peruenire ad diuitem & magnam misericordiam. Peractis autem precibus, protinus tradidit Domino spiritum, adeo vt populus cùm audijsset, venerit cum omni studio, & reliquias sanctæ Martyris cum omni 3 reuerentia & honore deposuerit. Quidam verò adolescens habens secum pueros numero centum pulcherrimè vestitos: & qui erat similiter ignotus ijs qui habitabant ciuitatem Catanensium, cùm venisset in locum in quo situm erat sanctum eius corpus, tabulam quam apportauerat marmoream, capsæ imposuit, sic inscribens: Mens sancta, honor in Deum voluntarius, & patriæ redemptio. Quam cùm tutò intus deposuisset ad caput sanctæ, recessit, & non amplius apparuit in ciuitate, adeo vt nonnulli suspicarentur eum esse Angelum Dei. Cùm autem audijsset Quintianus hinc excessisse Martyrem, ad inuadenda eius bona contendebat. Accepta verò secum vniuersa cohorte, properabat ire Panormum. Cùm iter autem inijsset, iusto Dei iudicio accidit, vt ipse periret in quodam fluuio sito propè ciuitatem Catanam, nomine Psemito. Nam cùm ipse vellet eum transmittere, ingressus est pontonem cum equis suis. Duo autem equi in eum fecêre impetum. Et vnus quidem irruens in eius faciem, eam deleuit: alter verò non cessauit calcibus eum impetere, donec eum iecit in fluuium Psemitum. Et cùm multi quæsissent eius corpus, non fuit inuentum vsque in hodiernum diem. His autem sic peractis, creuit cultus & honor sanctæ Martyris Agathæ, nec ausus est quispiam vexare eius genus. Quo autem in loco apparuit immutabilis ille Angelus, qui tabulam imposuit in capsa Martyris, impleto anno eius consummationis, mons Ætna ignem eructauit, & tanquam fluuius valde mugiens sic descendit, lapides dissoluens tanquam ceram è vertice montis, combusturus & perditurus vniuersam ciuitatem Catanensium. Qui verò circa montem habitabant, etsi essent Gentiles, ignem fugientes properarunt ad templum virginis, & auferentes 4 amictum qui erat arcæ impositus, ex aduerso ignis eum posuerunt, Dei autem prouidentia ignis ille protinus est repressus. Factum est verò miraculum quinto Februarij, in quo etiam decertauit. In quo etiam 5 festum quoque celebrantes, glorificamus Dominum nostrum Iesum Christum Deum, vt nos quoque sanctis eius 6 intercessionibus, accipiamus remissionem peccatorum & magnam misericordiam: Nunc & semper & in secula seculorum. Amen.

3 Deponit populus reliquias sanctæ martyris cum omni reuerentia & honore.

4 Vide rem mirabilem, amictus sanctæ ignem montis Ætnæ repreßit ex aduerso à gentilibus positus.

5 Festū B Agathæ martyris.

6 Vides quod sanctorū intercessionibus apud Deū accipimus remißionem peccatorum, & magnam misericordiam.

VITA MENAE MONACHI, ET MARTYRIVM QVAdraginta rusticorum, qui carnes immolatiticas comedere, ac multitudinis captiuorum qui caput capræ adorare noluerunt, à Longobardis interfectorum: deque Arriano Episcopo cæcato, & consecratione Ecclesiæ sanctæ Agathæ vrbis Romæ, per D. Gregorium Papam scripta.

GREGORIVS.

Habentur lib. 3. Dialog. eiusdē, cap. 26. cum sequentibus.

Nuper in Samnij prouincia quidam venerabilis vir Menas nomine solitariam vitam ducebat, qui nostrorum multis cognitus, ante hoc fermè est decennium defunctus. De cuius operis narratione vnum autorem non infero, quia penè tot mihi in eius vita testes sunt, quot Samnij prouinciam nouerunt. Hic itaque nihil ad vsum suum aliud, nisi pauca apium vascula, possidebat. Huic cùm Longobardus quidam in eisdem apibus rapinam voluisset ingerere, prius ab eodem viro verbo correptus est, & mox per malignum spiritum ante eius vestigia vexatus. Qua ex re factum est, vt sicut apud omnes incolas, ita etiam apud eandem barbaram Gentem, eius celebre nomen haberetur, nullusque vltra præsumeret eius cellulam, nisi humilis intrare. Sæpe verò ex vicina sylua venientes vrsi, apes eius comedere

dere conabantur. Quos ille deprehensos, ferula quam portare manu consueuerat cædebat. Ante cuius verbera immanissimæ bestiæ rugiebant & fugiebant. Et quæ gladios formidare vix poterant, ex eius manu ictus ferulæ pertimescebant. Huius studium fuit, nihil in hoc mundo habere, nihil quærere, omnes qui ad se charitatis causa veniebant, ad æternæ vitæ desideria accendere. Si quando autem quorumlibet culpas agnosceret, nunquam ab increpatione parceret, sed amoris igne succensus, studebat in eis vehementer per linguam sæuire. Consuetudinem verò vicini vel longè positi eiusdem loci accolæ fecerant, vt diebus certis per hebdomadam vnusquisque ei oblationes suas transmitteret, vt esset quod ipse ad se venientibus offerre potuisset. Quodam verò tempore possessor quidam Caterius nomine, immundo desiderio deuictus, 1 quandam sanctimonialem fœminam rapuit, sibique illicito matrimonio coniunxit. Quod mox vt vir Domini cognouit, ei per quos potuit, quæ fuerat dignus audire mandauit. Cumque ille sceleris sui conscius timeret, atque ad virum Dei nequaquam accedere præsumeret, ne fortè hunc asperè, vt delinquentes solebat, increparet, fecit oblationes suas, easque inter oblationes aliorum misit, vt eius munera saltem nesciendo susciperet. Sed cùm coram eo fuissent oblationes omnium deportatæ, vir Dei tacitus sedit, sigillatim omnes considerare studuit, & omnes alias eligens, atque seorsum ponens, oblationes quas idem Caterius transmiserat, cognouit per spiritum, spreuit atque abiecit, dicens: Ite & dicite ei: Oblationem suam omnipotenti Deo abstulisti, & mihi tuas oblationes transmittis? Ego oblationem tuam non accipio, quia suam abstulisti Deo. Qua ex re factum est, vt præsentes quosque magnus timor inuaderet, cùm vir Domini tam scienter de absentibus iudicaret.

1 Huc huc adeste quotquot nostro tempore sanctimoniales fœminas matrimonio iungi suadetis & cōpellitis. Videte num copula hæc à sanctissimis viris Ecclesiæ columnis approbetur & laudetur, an potius pro illicita, criminosa & Deo odibili habeatur?

PET. Multos horum suspicor martyrium subire potuisse, si eos tempus persecutionis inuenisset. GREG. Duo sunt Petre, martyrij genera. Vnum in occulto, alterum quoque in publico. Nam si persecutio deest exterius, martyrij meritum in occulto est, cùm virtus ad passionem prompta flagrat in animo. Quia enim esse potuit & sine aperta passione martyrium, testatur in Euangelio Dominus, qui Zebedæi filiis adhuc per infirmitatem mentis maiora sessionis loca quærentibus dicit: Potestis bibere calicē quem ego bibiturus sum? Cui videlicet cùm responderent, Possumus: Ait vtrisque: Calicem quidem meum bibetis, sedere autem ad dextram vel sinistram, non est meum dare vobis. Quid autem calicis nomen nisi passionis poculum significat? & cùm nimirum constet, quia Iacobus in passione occubuit, Ioannes verò in pace Ecclesiæ quieuit: incunctanter colligitur, esse & sine aperta passione martyrium, quando & ille calicem Domini bibere dictus est, qui ex persecutione mortuus non est. De his autem talibus, tantisque viris, quorum superius memoriam feci, cur dicamus quia si persecutionis tēpus extitisset, martyres esse potuissent, qui occultè antiqui hostis insidias tolerantes, suosque in hoc mundo aduersarios diligentes, cunctis carnalibus desideriis resistentes, per hoc quod se omnipotenti Deo in corde mactauerūt, etiā pacis tempore martyres fuerunt: dum nostris modò temporibus viles quoque & secularis vitę personas, de quibus nihil cœlestis gloriæ præsumi posse videbatur, oborta occasione contigit ad martyrii coronas peruenisse? Nā ante hos fermè annos quindecim sicut hi testantur qui interesse potuerunt, xl. rustici à Longobardis capti, carnes immolatitias comedere cōpellebantur. Qui cùm valde resisterent, & cōtingere cibum sacrilegum nollent, cœpêre Longobardi qui eos tenuerant, nisi immolata comederent, mortem eis minari. At illi æternam potius vitam quàm præsentem ac transitoriam diligentes, firmiter perstiterunt, atque in sua constantia simul omnes occisi sunt. Quid ita que isti nisi veritatis martyres fuerunt, qui ne vetitum comedendo, conditorem suum offenderent, elegerunt gladiis vitam finire? Eodem quoque tempore dum ferè quadraginta captiuos alios Longobardi tenuissent, more suo immolauerunt caput capræ diabolo: hoc ei per circuitum currentes, & carmine nefando dedicantes. Cumque illud ipsi prius submissis ceruicibus adorarent: eos quoque quos ceperant, hoc adorare pariter compellebant. Sed ex eisdem captiuis maxima multitudo magis eligens moriendo ad vitam immortalem tendere, quàm adorando vitam mortalem tenere, obtemperare iussis sacrilegis noluit, & ceruicem quam semper creatori flexerat, creaturæ inclinare contempsit. Vnde factum est, vt hostes qui eos ceperant, graui iracundia accensi, cunctos gladijs interficerent, quos in errore suo participes non haberent. Quid ergo mirum, si irrumpente persecutionis tempore illi martyres esse potuissent, qui in ipsa quoque pace Ecclesiæ semetipsos semper affligentes, angustam martyrii tenuerunt viam, quando ingruente persecutionis articulo hi etiam meruerunt martyrij palmas accipere, qui in pace Ecclesiæ latas huius seculi vias sequi videbantur? Ne tamen hoc quod de eisdem electis dicimus viris, de cunctis iam quasi in regula teneamus. Nam cùm persecutionis apertè tempus irruit, sicut plerique martyrium subire possunt, qui esse in pace Ecclesiæ despicabiles videntur: ita nonnunquam in debilitatis formidinem corruunt, qui in pace Ecclesiæ prius

fortiter

fortiter stare videbantur. Sed eos de quibus prædiximus, fieri martyres potuisse fideliter fatemur, quia hoc iam ex eorum fine colligimus. Cadere enim nec in aperta persecutione poterant hi, de quibus constat, quia & vsq; ad finem vitæ in occulta animi virtute persliterunt. PET. Vt asseris ita est: sed super indignos nos diuinæ misericordiæ dispensationem miror, quia Longobardorum sæuitiam ita moderatur, vt eorum sacerdotes sacrilegos, qui esse se fidelium quasi victores vident, orthodoxorum fidem persequi minimè permittat. GREG. Hoc Petre facere plerunque conati sunt: sed eorum sæuitiæ miracula superna restiterunt. Vnde vnum narro, quod per Bonifacium monasterij mei monachum, qui vsque ante quadriennium cùm Longobardis fuit, adhuc ante triduum agnoui.

Cùm ad Spoletanam vrbem Longobardorum Episcopus scilicet Arrianus venisset, & locum illic vbi solennia sua ageret non haberet, cœpit ab eius ciuitatis Episcopo Ecclesiam petere, quam suo errori dedicaret. Quod dum valde Episcopus negaret, idem quo venerat Arrianus, beati Pauli Apostoli Ecclesiam illic cominus sitam, se die altero violenter intraturum professus est. Quod eiusdem Ecclesiæ custos audiens, festinus cucurrit, Ecclesiam clausit, seris muniuit. Facto autem vespere 2 lampades omnes extinxit, seque in interioribus abscondit. In ipso autem subsequentis lucis crepusculo Arrianus Episcopus collecta multitudine aduenit, clausas Ecclesiæ ianuas effringere paratus. Sed repentè cunctæ simul portæ diuinitus concussæ abiectis longius seris apertæ sunt, atque cum magno sonitu omnia Ecclesiæ claustra patuerunt. Effuso desuper lumine omnes quæ extinctæ fuerant lampades accensæ sunt. Arrianus verò Episcopus qui vim facturus aduenerat, subita cæcitate percussus est, atque alienis iam manibus ad suum habitaculum reductus. Quod dum Longobardi in eadem regione positi omnes agnoscerent, nequaquam vlterius præsumpserunt catholica loca temerare. Miro enim modo res gesta est, vt quia eiusdem Arriani causa lampades in Ecclesia beati Pauli fuerant extinctæ, vno eodemque tempore & ipse lumen perderet, & in Ecclesiam lumen rediret. Sed neque hoc sileam, quod ad eiusdem Arrianæ hæreseos damnationem in hac quoque vrbe ante biennium pietas superna monstrauit: Ex iis quippe quæ narro aliud populus agnouit, aliud autem sacerdos & custos Ecclesiæ se audisse & vidisse testantur. Arrianorum Ecclesia in regione vrbis illius quæ Subura dicitur, cùm clausa vsque ante biennium remãsisset, placuit vt in fide catholica 3 introductis illic beati Stephani, & sanctæ Marthæ martyrum reliquiis dedicari debuisset, quod factum est. Nam cum magna populi multitudine venientes, atq; omnipotenti Domino laudes canentes, eandem Ecclesiam ingressi sumus. Cumque in ea iam missarum solennia celebrarentur, & præ eiusdem loci angustia populi se turba comprimeret, quidam ex his qui extra sacrarium stabant, porcum subitò intra suos pedes huc illucque discurrere senserunt. Quem dum vnusquisque sentiret, & iuxta se stantibus indicaret, idem porcus Ecclesiæ ianuas petijt, & omnes per quos transiit in admirationem commouit. Sed videri à nullo potuit, quamuis sentiri potuisset. Quod idcirco diuina pietas ostendit, vt cunctis patesceret, quia de loco eodem immundus habitator exiret. Peracta igitur celebratione missarum recessimus, sed adhuc nocte eadem magnus in eiusdem Ecclesiæ tectis strepitus factus est, ac si in eis aliquis errando discurreret. Sequenti autem nocte grauior sonitus excreuit, ac subitò tanto terrore intonuit, ac si omnis illa Ecclesia à fundamentis fuisset euersa, & protinus recessit, & nulla vlterius illic inquietudo antiqui hostis apparuit, sed per terroris sonitum quem fecit innotuit quòd à loco quem diu tenuerat, coactus exibat. Post paucos verò dies in magna serenitate aëris super altare eiusdem Ecclesiæ nubes cœlitus descendit, suoque illud velamine operuit: omnemque Ecclesiam tanto terrore ac suauitatis odore repleuit, vt patentibus ianuis nullus illic præsumeret intrare. Sacerdos quoque & custodes, & hi qui ad celebranda missarum solennia venerant, rem videbant, ingredi minimè poterant, & suauitatem mirifici odoris trahebant. Die verò alio cùm in ea lampades sine lumine dependerent, emisso diuinitus lumine sunt accensæ. Post paucos iterum dies expletis missarum solennijs, extinctis lampadibus custos ex eadem Ecclesia egressus, post paululum intrauit, & lampades quas extinctas reliquerat, lucentes reperit. Quos negligenter extinxisse se credens, eas iam sollicitus extinxit, & exiens Ecclesiam clausit. Sed post horarum trium spatium regressus, lucentes lampades quas extinxerat, iterum accensas inuenit, vt videlicet ex ipso lumine apertè claresceret, quia locus ille à tenebris ad lucem venisset. PETR. Et si in magnis sumus tribulationibus positi: quia tamen à conditore nostro non sumus omnino despecti; testantur ea quæ audio eius stupenda miracula.

2 Habes hic lampadum vsum in Ecclesia antiquũ esse, & tẽpla Deo dicata sancta esse, quæ non impunè quis temerare præsumat.

3 Tu qui derides Ecclesiarũ consecrationes cum missarum solẽnijs ac sanctorũ reliquiis nec non lampadũ accensionem in templis, vide quot & quanta miracula hic contigere, vt saltem pudore victus linguã tem peres in futurum.

VITA

VITAE ET AGONES METRANI, COINTHAE, Appolloniæ, Serapionis, & aliorum plurimorum ſanctorum, virginum, & martyrum, ſub Deciana perſecutione apud Alexandriam pro Chriſti nomine paſſorum, per Euſebium Epiſcopum Cæſarienſem ſcripti.

Dionyſius Alexandrinus Epiſcopus per Decianæ perſecutionis tempus, ſicut ex ipſius epiſtolis veriſſimè comperimus, in multis ſæpe confeſſionibus ſatis clarus efficitur, & pro paſſionum tormentorumque diuerſitate magnificus. Denique refertur, inſectantibus ſe quibuſdam reſpondiſſe: Quid inſectando laboratis? Caput meum, pro quo magnopere fatigamini, auulſum ceruicibus ſumite, & donum magnū ad tyrannum referte. Sed & idem ipſe ad Fabianum Antiochenum Epiſcopum ſcribens, de his qui ſub Decio apud Alexandriam agones martyrij deſudauerant, hoc modo refert: Non ex præcepto (inquit) imperatoris apud nos perſecutio ſumpſit exordium, ſed anno integro principalia præuenit edicta miniſter dæmonum, qui dicebatur in ciuitate noſtra diuinus, ſuperſtitioſum contra nos exagitans vulgus. A quo multitudo ſuccenſa, nihil aliud quàm piorum ſanguinem ſitiebat. Primò ergo religioſum quendam ſenem Metranum nomine corripientes, iubent impia verba proferre. Quod ille facere cùm recuſaret, omne corpus eius membratim fuſtibus colliſerunt, vultumque & oculos acutis calamis terebrantes extra vrbem cum cruciatibus eiecerunt, ibique quod in eo ſupererat ſpiritus, lapidibus eiecerunt. Poſt hæc mulierē quandam nobilem Cointham nomine, ad idola perducentes adorare cogebāt recuſantem, imò potius execrantem, vincula pedibus innectentes, & per plateas totius ciuitatis trahentes, fœdo horrendoque ſupplicij genere diſcerpunt. Dehinc omnes ſimul irruerunt per domos ſeruorum Dei, diripientes & euertentes, atque hoſtili crudelitate cuncta fœdantes, ita vt precioſioribus quibuſque direptis, ſi qua alia viliora repererant, in vnum congregata igni in plateis cremarent. Noſtri tamen direptionem hanc bonorum ſuorum (ſicut Apoſtolus de illis dixit antiquis) cum gaudio ſuſceperunt. Sed & admirandam virginem longæuæ ætatis Appolloniam nomine cùm corripuiſſent, dentes primo ei omnes effoderunt, congeſtis deinde lignis extruxerunt rogum, comminantes viuam ſe eam incenſuros, niſi cum ipſis pariter impia verba proferret. At illa vt rogum vidit eſſe ſuccenſum, paululum quid in ſemetipſa molitur, repētè verò ſe è manibus proripuit impiorum, atque in ignem quem minabantur, ſpontè proſiliit, ita vt perterrerentur etiam ipſi crudelitatis autores, quòd promptior inuenta eſt ad mortem fœmina, quàm perſecutor ad pœnam. Serapionem quoque domi ſuæ repertum crudeliſſimis affecêre ſuppliciis, ita vt omnes ei iuncturas membrorū prius ſoluentes, de ſuperioribus eum præcipitarent. Nullum noſtris iter erat per viam, nullius plateæ tranſitus indulgebatur, neq; die neque noctu procedendi vſquam libera erat facultas. Vt enim quis noſtrorum apparuiſſet in publico, ſtatim clamor vulgi & ſeditio naſcebatur, vt vel pedibus traheretur qui viſus eſſet, vel igni ſuccenderetur. Verùm cùm hæc mala per dies ſingulos augerentur, ſubitò inter ipſos perſequutores rabies quædam belli ciuilis exarſit: & dum inter ſe ſeditionibus, præliiſq; decertant, interim nobis paululum licuit reſpirare. Sed non in longum venia fuit. Continuò namque crudeliſſima principum mittuntur edicta, quibus tanta aduerſum nos ferebatur immanitas, vt ſecundùm quod prædictum eſt à Domino, ſi fieri poſſet, ſcandalizarentur etiam electi. Ex quo perterritis penè omnibus, quidam ex ipſis nobilibus ſe ſpontè impiis actibus ingeſſerunt. Alij conuenti tantummodo, nonnulli à domeſticis proditi, ad ſacrificia execranda, & ad immundas hoſtias properabant. Aliqui ex his pallentes & trementes, vt magis immolari ipſi, quàm immolare idolis viderentur, ita vt etiā ab inſpectante vulgo irriderētur, eò quòd & ad moriendum, & ad ſacrificandum iuxtà meticuloſi viderentur. Alij autem impudenter ad aras proſiliebant, vt & affirmare niterentur, ſe nunquam Chriſtianos fuiſſe. Hi erant de quibus prædixerat Dominus: Quoniam pecunias habentes difficile ſaluabuntur. Cæteri verò aut iſtos ſequebātur in preces, aut certè vertebantur in fugam. Ex quibus nonnulli comprehenſi, & in carcerem miſſi, alij ad primam ſtatim iudicis faciem negauerunt fidem, aliquanti paululum ſuppliciis toleratis ad vltimum deciderunt. Hi verò qui beati affecti ſunt, tanquam columnæ fortiſſimæ, Domini ipſius ſpiritu confirmati, pro fidei ſuæ merito virtute à Domino percepta, admiranda Deo & Angelis martyrij ſui ſpectula præbuerunt. Quorum primus venerabilis Iulianus podagra conſtrictus, ita vt neque incedere, neque ſtare poſſet, cum his qui eum in ſellula portabant offertur. Quorum vnus quidem ſtatim negauit. Alius verò nomine Eunus, cū Iuliano ſene in Domini Ieſu Chriſti confeſſione perdurat. Qui iubentur, camelis impoſiti, per omnem circunduci ciuitatem, & flagris hinc inde verberantibus, populo inſpectante laniari, vſquequo finem vitæ in ipſis verberibus ponerent.

Ex li. 6. hiſt. Eccleſiaſt. cap. 30. & 31.

e Sed vir

Sed vir quidam militaris cùm assisteret,& quosdam volentes etiam mortuis illudere cadaueribus prohiberet, clamor repentè aduersum eũ totius vulgi extollitur. Offertur iudici fortissimus miles iam Domini, & nusquã se inferior factus, in confessione persistens, capite pro pietate damnatur. Alius quidã vir nominis sui Macarius, gente Lybicus, cũ multis verbis à Iudice ad negandũ suaderetur,& eò maiore constantia fidẽ suam profiteretur, viuus ad vltimum iubetur exuri. Epimachus quoq; atq; Alexander cùm multo tempore & in vinculis,& in cruciatibus carceris toti, etiam frequenter diuersis suppliciis confecti, perdurassent in fide, ignibus ad postremũ consumi iubentur. Sed & mulieres cum ipsis quatuor: In quibus Amonaria sancta virgo: aduersum quã iudex summa contentione vtebatur,& immensis eam atq; exquisitis cruciatibus affligebat, eò maximè, quòd eius sententiã vincere cupiebat, quia laudabili voce decreuerat, nihil se prorsus eorũ, quæ sibi cõtra fas imperabantur acturam, quæq; statuti sui tenax, ad vltimum capite punitur. Secunda verò fuit virgo, Mercuria nomine. Anus venerabilis,& fœcundissima in filiis, sed quos nõ prætulit Christo, Dionysia,& alia Ammonaria. Quæ dum nimia vtuntur constantia apud iudicem,& ille vinci erubesceret à fœminis, inauditis tormentorum generibus toleratis, finem omnium ferro cædente suscipiunt. Heron quoq;,& Arsinus,& Isidorus Ægyptij, cum puerulo annorum quindecim Dioscoro, iudici offeruntur. Et primò omnium puerulum Dioscorum tanquam pro ætate facilẽ flecti, antè verbis, post etiam verberibus agit. Quem cùm in nullo sibi cedere videret, ferocius eum cruciare contendit. Tum deinde cæteros variis tormentis dilanians, cùm pari modo constantia fidei videret armatos, tradi ignibus iubet. Dioscorum verò puerum, quòd sibi cõstanter & sapienter in omnibus respondisset, admiratus differri præcepit, sperans eum pro ætate pœnitudinem gesturum. Quod nõ tam tyranni miseratione, quàm Domini prouidentia ita gestum est. Nunc enim nobiscum est Dioscorus, à Deo nobis concessus ad consolationem, & firmamentum populi sui. Nemesius quoque etiam ipse Ægyptius, primò per calumniam quasi latro delatus est. Quo crimine abluto, post hæc quòd Christianus esset defertur. In hoc verò nulla à iudice moderatio reseruatur, sed geminatis suppliciis excruciatum cum latronibus iussit incendi, ignorans quòd crudelitate sua optimo martyri Saluatoris similitudinem detulit, qui pro salute humani generis vnà cum latronibus pertulit crucem. Turma autem quædam militum in vnum conuenerat, inter quos Ammon,& Zenon,& Ptolemæus,& ingenuus & grandæuus Theophilus. Qui tribunalibus astantes, cùm quidã Christianus à Iudice torqueretur, & iam penè ad negandum declinaret, dirumpebantur intra semetipsos,& vultu, oculis, ac nutibus, velut erigere conabantur illum, qui in suppliciis positus trepidabat. Interdum etiam manus protendere, ac totius reliqui corporis motibus ac habitu diuersè inclinati, tanquã subleuare lapsantis animos gestiebant. Conuersi verò ad eos omnes,& quid de semetipsis profiterentur, ex eorum motibus agnoscentes, prius penè quàm in eos vulgus clamoribus insiliret, ipsi in medium prorumpunt, ac sese Christianos esse testantur. Tunc verò versa vice ex eorum confidentia persecutoribus terror, nostris constantia animi accrescit: dum hi qui per tormenta vinci putabantur, spontè se cruciatibus offerunt,& ab his quod illi pro terroribus inferebant, velut pro quadam specie voluptatis expetitur, Deo ita triumphante per sanctos suos. Sed nec Scirionis opus memorabile fas est silẽtio præterire. Is namq; cùm rem cuiusdam potentis sub mercede procuraret, iubetur ab eo idolis immolare. Recusans, cogebatur iniuriis: persistens, rursum blãditiis mulcebatur. Cùm verò vtrunq; contemneret, præacuta sude validissimè transuerberatus per media viscera, neci traditur. Quid verò memorẽ, quantæ multitudines in desertis & in montibus oberrantes, fame, siti, frigore, languore, latronibus, bestiisq; consumptæ sint? qui omnes imitati electos Dei prophetas, gloria martyrij coronati sunt. Deniq; & venerandus senex Chæremon (Episcopus hic erat vrbis Ægyptij, quæ dicitur Nilopolis) cùm ad Arabicum montem [a] vnà cum grandæua coniuge discessisset, nulli vltrà apparuit. Et cùm ad perquirendum eum plurimi fratrum frequentissimè processissent, perscrutatis omnibus locis, nec ipsos vltra quisquam, neq; corpora eorum potuit inuenire. Hæc autem non frustra commemoraui frater charissime, sed vt scias quanta apud nos à sanctis martyribus ad Dei gloriam gesta sint. Et post pauca addit etiã hæc, dicẽs: Isti igitur diuini martyres qui cum Christo in cœlestibus sedent,& regni eius participes sunt atq; iudices, qui cum ipso de lapsis fratribus iudicant, isti (inquam) ipsi susceperunt lapsos, & pœnitentiam conuersionemq; eorum non respuerunt, scientes quòd Deus noster, cuius ipsi erant martyres, non vult omnino mortem morientis, sed conuersionẽ eius,& pœnitentiam quærit. Si ergo isti receperunt quosdã,& in Ecclesia statuerunt, in oratione quoq; eis & in cibo communicauerunt, quid nos facere vultis fratres? Quid nobis agendum putatis? Nonne sequi nos eorum sententias & iudicium conuenit, atq; erga eos quos illi miserati sunt non existere crudeles & truces? Non puto quòd expediat nobis sententias eorum in irritum reuocare, miserationes infringere, benefacta turbare,& rectè religioseque instituta violare.

[a] *Quod hic Episcopus haberet coniugem grãdæuam nõ te moueat, quia erat sub Ecclesia Orientali, cui non fuit impositũ iugum continentiæ ab vxoribus quæ ante sacerdotium fuerant ductæ, sed in volũtate nõ in necessitate vniuscuiusque positum vellet ne abstinere ab eis vel non. Vide hist Tri. ca. 14. Vel in promotione sua de consensu vxoris promiserat continẽtiam, alioqui non fuisset ordinatus Episcopus. Lege synodũ Arelatensem 4. c. 2. & Tertiam can. 1.*

Hæc Dionysius de lapsis faciens sermonem. Quo tempore Nouatus Romanæ Ecclesiæ presbyter, elatione quadam tumidus, spem penitus eis salutis ademerat, etiamsi dignè pœnituissent. Ex quo & princeps hæreseos extitit Nouatianorũ, qui ab Ecclesia separati, superbo nomine semetipsos καθαρὸς, id est, mundos appellarunt. Ob quam rem concilium sacerdotale celeberrimum in vrbe Roma congregatum est, Episcoporum quidem sexaginta numero, presbyterorum quoque totidem, cum diaconis plurimis. Præterea etiam per singulas quasque prouincias de hac re magna deliberatione habita, decretis significatur, quid facto opus esset. Statuitur ergo, Nouatum quidem cum his qui eum mentis elatione tumidum sequerentur, quiq; ad inhumanam istam, & nihil fraternæ charitatis seruantem sententiam declinarent, alienum esse ab Ecclesia: eos verò, qui lapsi in certamine fuerant, fraterna miseratione curandos, & fomentis pœnitentiæ medicandos.

VITA SANCTI CORNELII PAPAE ET martyris, per Damasum Papam scripta.

Cornelius natione Romanus ex patre Castino, sedit annos duos, mẽses duos, dies tres. Martyrio coronatur. Sub huius Episcopatu Nouatus Nouatianum extra Ecclesiam ordinauit, & in Aphrica Nicostratum. Hoc facto confessores, qui se separauerant à Cornelio, cum Maximo presbytero qui cum Moyse fuit, ad Ecclesiam sunt reuersi, & facti sunt confessores fideles. Post hoc Cornelius Episcopus Centumcellis pulsus est, & ibi scriptam epistolam de sua confirmatione, missam à Cypriano (quam Cyprianus in carcere subscripsit, & dedit Celerino lectori) suscepit. Hic temporibus suis rogatus à quadam matrona Lucina, corpora Apostolorum beatorum Petri & Pauli è Catacumbis leuauit noctu. Primùm quidem corpus beati Pauli Lucina posuit in prædio suo, via Ostiensi ad latus, aliâs iuxta locum vbi decollatus est. Beati verò Petri corpus accepit beatus Cornelius Episcopus, & posuit iuxta locum vbi crucifixus est, inter corpora sanctorum Episcoporum in templo Apollinis, in Vaticano palatij Neroniani in monte aureo, tertio Kalendas Iulij. Pòst Cornelius ambulauit Centumcellis. Eodem tempore audiuit Decius, quòd epistolam accepisset à beato Cypriano Carthaginensi Episcopo. Qui misit Centumcellas, & adduxit beatum Cornelium. Quem iussit sibi cum præfecto vrbis in Tellude noctu præsentari. Cui ita dixit: Sic definisti, vt nec deos consideres, nec præcepta principum ac maiorum, nec nostras minas timeas, vt contra Rempublicam literas accipias & dirigas? Cornelius Episcopus respondit dicens: Ego de corona Domini mei literas accepi non contra rempublicam, sed magis spirituale consilium ad animas redimendas. Tunc Decius iracundia plenus, iussit os beati Cornelij cum plumbatis cædi, & præcepit eum duci ante templum Martis, vt adoraret. Quod si non fecerit, dicens, capite truncetur. Post hoc, id est, tertio nonas Martij, antequam passus est, omnia bona Ecclesiæ tradidit Stephano Archidiacono. Hoc factum est. Qui cùm adorare non vellet, decollatus est in loco supradicto. Cuius corpus nocte collegit beata Lucina cum clericis, & 1 sepeliuit in Crypta, iuxta cœmiterium Calixti, in prædio suo, via Appia, decimooctauo Kalendas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

Habetur in pōtifical. eiusdem.

1 Cùm tot sanctos martyres sepelierit hæc beata mulier, sequitur quod sepelire mortuos, pietatis opus est, & Deo placens.

ITEM DE EODEM, PER EVSEBIVM Episcopum Cæsariensem.

IN vrbe Roma Cornelio Episcopatum gerente, & apud Carthaginem Cypriano, ambobus fide, virtute, pietate præstantibus, quæstio exorta est in Aphricæ magis partibus, si oporteret hæreticos rebaptizari. Cumque id à Cypriano & cæteris penè omnibus per Aphricam sacerdotibus oportere fieri decerneretur, Cornelius & cæteri omnes per Italiam sacerdotes huiusmodi decretum, manente sacerdotali concordia 2 refutarunt, statuentes antiquis à patribus super hoc 3 traditam regulam debere seruari, continebat: Post abiectionem praui in confessionem recti dogmatis sola eos manus impositione purgandos.

Habetur Histo. Eccles. lib. 7. c. 2.

2 Ecce quomodo ritè baptizatus, etiãsi sit hæreticus, non debet iterum baptizari.

3 Vides patrum antiquorum traditiones seruandas esse.

VITA SANCTI CORNELII PAPAE ET MARtyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyro. sub 18. Calend. Octob.

ROmæ via Appia in cœmiterio Calixti, natale sancti Cornelij Papæ. Qui sub persecutione Decij cum presbyteris & diaconis Centumcellis exilio deputatur. Ad quem confortandum multi Christianorum veniebant. Quo tempore beatus Cyprianus scripsit ei de Celerino 1 lectore, quanta pro fide & confessione Christi sustinuerit.

1 Vnus ex Ordinibus in Dei Ecclesia est Lectoratus.

Decius Cæsar audito, quòd multi ei ſcriberent, & de beato Cypriano, iuſſit eum ſibi exhiberi. Exhibitus Decio interroganti, cur à Cypriano contra Rempublicam literas accepiſſet, reſpondit: Ego de corona Domini literas accepi, non contra Rempublicam. Iratus Decius iuſſit vt os eius cum plumbatis cæderetur, deinde ad templum Martis, vt ſacrificaret duceretur. Quod ſi contempſiſſet, illic capite puniretur. Cumque duceretur, vnus ex militibus nomine Cerealis, rogare cœpit beatum Papam, vt viſitaret vxorem eius, quæ annis quinque paralytica iacebat. Ingreſſus antè domum eius tenuit manum Saluſtiæ, & erexit eam, dicens: In nomine Ieſu Chriſti Nazareni ſurge, & ſta ſuper pedes tuos. Quæ protinus erexit ſe clamãs, & dicens: Verè Chriſtus eſt Dei filius. Et dixit beato Cornelio: Baptiza me per Chriſtum te coniuro. Et currens impleuit vas aqua, & attulit ei. Tunc miſerunt ſe omnes milites ad pedes eius, orantes ſe baptizari. Quos vt baptizauit, obtulit pro eis 2 ſacrificium laudis: & participati ſunt omnes corpore & ſanguine Domini noſtri Ieſu Chriſti. Audiens hæc Decius, mittens tenuit omnes eos, & iuſſit vt cum beato Cornelio ducerentur ad ſacrificandum, & ſi nollent parêre, capite plecterentur. Ducti autem extra muros portæ Appiæ, expuentes in templum decollati ſunt vnà cum beatiſſimo Papa, numero vigintiunus. Sed & Cerealis cum vxore ſua Saluſtia xviij. Kalendas Octobris. Eadem verò nocte venit beata Lucina cũ 3 clericis & familia ſua, & rapuit martyrũ corpora, & ſepeliuit ea in agro ſuo, in cripta, in cœmiterio Calixti. Huius beatæ Lucinæ rogatu idem beatus Cornelius corpora Apoſtolorũ de Catacumba leuauit noctu, & poſuit, Pauli quidem via Hoſtienſi, vbi decollatus eſt: Petri autem, iuxta locum vbi crucifixus eſt, inter corpora ſanctorum Epiſcoporum in templo Apollinis, in monte aureo, in Vaticano Palatij Neroniani iij. Kalendas Iulias.

2 Vides miſſam dici ſacrificiũ? Vides & in Euchariſtia ritè cõſecrata verum Chriſti corpus & ſanguinem contineri?

3 Sancta mulier venit noctu cũ clericis & familia ſua, & rapiens corpora Martyrũ ſepeliuit ea in cœmiterio Calixti.

VITA DIVI CYPRIANI EPISCOPI ET Martyris, per Diuum Gregorium Nazianzenum ſcripta.

Eſt oratio 15. in operũ eius volumine.

PArum defuit, quin Cyprianus nos effugiſſet (ô iacturam grauem) idque vos tolerare oportuiſſet, quibus tamen vir hic præ cunctis aliis admodum mirabilis exiſtit, quẽ & annuis feſtiuitatibus & laudibus honoratis. Cyprianum, inquam, cuius etiam ab obliuioſis in aliis meminiſſe neceſſarium foret: ſi ſaltem optimorum præcipuè memoria eſt habenda, & quorum recordatio ſancta pariter eſt & vtilis. Verùm cum vſura debitum reddemus, dummodo adeo abundantes videamur, & non penitus indigentes ſimus, & pauperes: tametſi valde pauperes exiſtamus. Sed ſcio, quòd nobis ob procraſtinationem & inopiam parcetis. Cumq; vir ille in omnibus magnanimis fuerit, & philoſophus, vel ſolùm ideo gratias agemus, quòd haudquaquam nos fugerit: gratias autem agemus, quoniam id dignum eſt.

Exordiendum autem, tanquam ad bonum veſtrum reuertamur, ac pulchras Dei menſuras, qui omnia pondere & menſura definit, & dirigit, ex quiete ad ſermonem, ex martyris amore ad Martyres, ex remiſſione corporali ad conuiuium ſpiritale. Proinde deſiderauimus vos ô filij, à vobiſq; deſiderabamur, id enim credo. Videte patris beneuolentiam, quod mihi accidit dico, quod verò vobis teſtor, tantiſperque inter nos ſeiuncti fuimus, donec abſentia deſiderium cognoſceremus, & illius ſumeremus experimentum. Quemadmodum pictores ad tabulas iterum ſumus regreſſi. Quàm magnum memoriæ incentiuum eſt conſuetudo, etiam perbreuis, iis qui moribus prædiri ſunt gratioſis, ac Dei clementiam imitantur. Et cur cùm Chriſti ſimus diſcipuli, qui ſe propter nos ad ſerui vſque formam exinaniuit, ac cùm peregrini rerum eſſemus cœleſtium, ad ſeipſum congregauit, inuicem amplecti haud deberemus & fouere? Spiritúſq; vnitatem in vitæ cuſtodire vinculo? quæ legis ac Prophetarum caput exiſtit. Proinde vnicum beneficentiæ ac primnm hoc eſt, vt ocyſſimè in mutuos ruamus amplexus: nequaquam enim dilationem fert zelus: nę iis qui deſiderio laborãt, tota vita dies eſt vnicus. Secundum autem, quod & maximum eſt, ne poſt feſtum demum curramus, aut martyrum priuemur 1 celebritate, nec non delitiis, & refrigeriis, quæ inde nobis proueniunt. Ego autem inter alia planè me ſegniorem eſſe fateor, & omne deſiderium depoſui, poſtquam me addixi Chriſto. Nec quicquam eorum me attollit, quæ aliis iucunda ſunt, & appetuntur. Non diuitiæ deorſum trahentes, & rotantes, non voluptates ventris, ac ſatietas iniuriæ parens: non veſtitus mollis circumfluens, non gemmarum gratia ſplendens, non auditus præſtigians, non olfactus effœminans, non populi, & theatri plauſus inſaniens, quos iampridem appetentibus reliquimus: non quæcunque guſtus noſtri primi, ob quem periimus, ſunt fœtus: ſed & magnam eorum ignauiam eſſe ſcio, qui his ſe vincere, ac animæ generoſitatem vilibus his corrumpi ſinunt, rebúſq; fugitiuis non ſecus ac ſtabilibus adhibent mentẽ. At ego in re hac admodum inſatiabili ſum, illámq; amplector, & affectũ hunc meum magnifa-

1 Gregorius vir ſapiẽtiſſimus martyrum oblectatur honoribus: at hæretici noſtri eorũ gaudent ignominiis. Vide diſparitatem fidelis & infidelis hominis.

magnifacio, vt martyrum oblecter honoribus, ac certantium exultem sanguine. Aliorum sint certamina,& victoriæ, mihi autem curæ sunt coronæ: Adeo gloriam illam præripio,adeoque recta facta mihi domestica facio. Proinde omnibus martyribus 2 festiuitates sunt peragendæ,omnibúsque promptè & lingua, & auditus,& intellectus aperiendus, tam illis qui aliquid de istis dicunt,quàm qui audiunt,omniáque minora,quàm illorum putanda sunt certamina.Ita enim res se habet,quòd cùm multa sint,quæ nos ad meliora producūt,ac multa,quæ ad virtutem erudiunt,verbum,lex,Prophetæ,Apostoli,Christi passiones ipsæ,martyris primi qui in crucem ascendit,ac me secum deduxit,vt peccatum meum illic affigeret, de serpente triumpharet,lignum sanctificaret,voluptatem superaret,Adam rursus saluaret, imaginem ruinam minantem reuocaret: inter tanta tamen & talia non minus nos martyres instruunt,cùm holocausta sint rationalia sacrificia perfecta,oblationes acceptæ,veritatis præconia,mendacij infamatio,legis spiritaliter intellectæ adimpletio,erroris dissolutio,malitiæ persecutio,peccati submersio,mundi expurgatio. Tuum autem Cypriane nomen,& opera plus mihi,quàm martyrum aliorum sunt venerabilia.Siquidem nulla inuidia erga martyres instigat,mirabilitérque à virtute tua superor,ac memoria releuor, & tanquam numine afflatus,voluptate corripior,ac modo quodam martyrij particeps fio, certaminiq; communico, & totus ad te transmigro. Fortè propter sermonum domesticitatem, quibus tantum alios superas,quantum ea,quæ naturæ sunt rationalis bruta.Cooperatur autem haud scio quonam modo,amor inter conuenientes,non minus in rebus aliis,quàm inter sanguine iunctos,fortè etiam propter mutationem ingentem & admirandam,quæ sermone etiam & exemplo melior existit.Quoniam sol diu nubibus obtectus lætius splendet. Sed & ver post hyemis tristitiam est acceptius,iucundior,& tranquillitas blanda, ac mare quietū post seditiones ventorum,& perturbationem aquarum,littoribus allidens. Hic Cyprianus,ô viri,quo vos, qui nostis,iucundiores reddamini ob memoriam, qui verò ignoratis id quod pulcherrimum est, ex nostris discatis narrationibus, necnon communē gloriam Christianorū: Hic,inquam,ingens olim Carthaginis nomen,nunc autē orbis vniuersi,diuitiis clarus,potentia conspicuus, genere cognitus (magnum enim nobilitatis indicium, quòd in Senatu clarissimus erat, & præcipuus) flos iuuentutis,naturæ statua, eloquentiæ princeps, tam illius quæ ad philosophiam,quàm quæ ad aliam spectat doctrinam,idq; in quamcunq; volueris partem,ita vt non minus in vnoquoque varietas quàm subtilitas admirationi existeret : seu potius in singulis doctrinæ vniuersæ excellentia summa: vel vt manifestius distinguam,alios quidem varietate,nonnullos verò sublimitate, quosdam etiam vtroq;: omnes autem omnibus superabat. Sermonum equidem sermones sunt testes, quos multos ille & præclaros nobis suppeditauit,postquam Dei clementia,qui omnia facit,& in melius disponit studia,ad meliora transtulit,rationéque rationis defectum effugit. Ad ea verò quæ sequuntur, haud scio quo pacto sermone vti,aut qualis fieri debeam.Quomodo enim non longum extenderem sermonem, illúmque penitus intempestiuum,si omnia Cypriani gesta recensere vellem? Quomodo autem non magnopere præsentes offenderem,si de his reticerem? Vt igitur per viam mediam inter tempus, & audientium desiderium incedam, ita mihi faciendum esse videtur, vt alia quidem scientibus relinquam,quo ignorantes doceant,si saltem sunt quidam, vt vtrinq; pariter,tam ij qui gesta illius docent,quàm qui discunt,emolumenti quid capiant.Quandoquidem viri illius solùm 3 meminisse,sanctificatio est,maximumq́; ad virtutis exhortationem incitamentum est sermo. Breuiter igitur vnius aut alterius ex gestis eius mentionē faciemus, præcipuè illarum,quæ nec lata opera possibile esset vt omitterentur. Prioris itaque vitæ eius meminero,& quæ salutis ei via,ac quæ vocatio mutatio præterea fuerit ad melius. Cæterum admodum ingenerosum foret,& pusillanimum,si censeretur,quòd pugil ob memoriam iniuria afficeretur rudiorem. Nam hoc pacto nec Paulus ille magnus nobis esset laudandus,& Matthæus publicanus inter pessimos habēdus esset: quemadmodum & Cyprianus ipse. Hic enim priorum persecutionum suarum meminit,zelique immutationis, quo ex prioris vitæ comparatione magis benefactorem glorificaret. Ille autem in discipulorum numero publicani sibi nomen imposuit,tanquam aliquid,quod inter honoranda esset insigne. Cyprianus verò longo sermone sui ipsius malitiam infamia notauit,quò & Deo confessionem sacrificaret,ac multis qui se à prauitate conuertunt,via ad spem fieret meliorem. Quæ igitur prauitas? Et considerate,qualis ac quàm magna. Dæmonū cultor erat,qui postea discipulus Christi: necnon persecutor amarulentissimus,qui magnus veritatis pugil euasit: sed & verbo & opere nostram perturbabat viam: quoniā ambobus excellebat,qui & ambobus postea 4 optimus fuit Christianus. Quantum verò malum fuit magia his omnibus coniuncta? quæ inter reliqua eius opera notissima erat : necnon corporis insatiabilitas, quæ & eos qui inter alios sapientes sunt insanos reddere potest,ac deterius sapere cogit,non secus ac pullus indomitus rationē eripiens. Cæterùm sermo nobis ad caput ipsum venit, verùm non ideo quispiam ad prio-

2 *Omnibus martyribus peragēdæ sunt festiuitates. At nostri seculi pseudosapientes vellent eas omnino tollere.*

3 *Nota maximum verbum, solū meminisse Cypriani, sanctificationem esse. Quid hic dicis hæretice?*

4 *Verbo & operè fuit optimus Christianus,quia verbo esse tantum,vt docent nostri nouatores, non sufficit.*

ad priora Cypriani respiciens voluptatibus capiatur, sed posterioribus potius continens esse discat. Virgo quædam erat nobilis & decora, ob corporis elegantiam, amore: propter morum verò præstantiam æmulatione digna. Nam & forma erat conspicua, animi autem virtute longè præstantior. Huius pulchritudo fama diuulgata iuuenem confestim amore sauciauit. Audite virgines, & vnà exultate: imò quæ sub matrimonij iugo estis castæ, ac castitatis amatrices. Siquidem narratio hæc vtrisq; ornamento erit. Virgo igitur illa adeo forma erat speciosa, vt diuini Dauid carmen illi congrueret, dum ait: Omnis gloria filiæ regis ab intra. Erat enim sponsa Christi electa. Pulchritudo singularis, 5 statua animata, asylum oblationis, templum inaccessum, hortus conclusus, fons signatus: at aliquid illi à Salomone quoque accinatur. Solo enim Christo erat reseruata. Huius amore magnus captus est Cyprianus, vnde, & quomodo, ignoro: nam illa penitus tutam se & decorè obseruabat. Tangunt enim oculorum faces intangibilia etiam. Instrumentum enim sunt expeditissimum, & nulla satietate implendum. Ac non solùm captus est, sed & sollicitauit. Proh stoliditatis, quòd illam prædari sperabat, seu potius imprudentiæ. Proinde is qui tale quid audebat, & audendum persuadebat, ille idem erat, qui sub initium contra primam creaturam in paradysum proserpit, & medius inter Angelos stetit Iob exquirens, tandémque propter eandem audaciam à Domino destructus est, & interfectus, quòd eum tentare auderet, qui tentationi nequaquam subiacet. Siquidem Dei apparentia, secundus illi Adam visa est. Ac ideo illum est adortus. Ignorabat enim, cùm hominem aggrederetur, quòd incideret in Deum. Quid mirum igitur, si per Cyprianum etiam animam sanctam, & corpus non tangendum tentaret? Ille igitur tentabat, sed nullo vtebatur internuncio. Non muliercula aliqua iampridem ad negotium tale apta, sed dæmone quodam & corporis & voluptatum amatore. Quoniam virtutes defectrices, & inuidæ, admodum celeres ad ministerium sunt tale, ac multos ruinæ suæ socios quærunt. Erat autem conciliationis merces sacrificia, libationes, & per sanguinem ac nidorem placatio. Talis enim merces debetur iis qui talia largiuntur. At illa postquam malum sensit, ac insidias cognouit. Puræ enim animæ, ac Deo forma similes, celeriores sunt ad tentationem euitandum, quàm dæmon ad persequendum, licet valde sit versutus, conatuque versipellis. Quid igitur facit? & quid contra prauitatis molitur opificem? Omnibus aliis omissis, ad Deum 6 confugit, ac sponsum suum contra cupidinem execrandam protectorem facit: qui & Susannam liberauit, & Teclam saluauit: hanc quidem à senibus amarulentis, illam autem à proco Tyranno, & patre magis etiam tyranno. Et quisnam ille erat? Christus, qui & spiritus increpat, & eos qui in submersionis periculo erãt, subleuat, & pedester per mare ambulat, & dæmonum legiones in profundum præcipitat, & liberat iustum ex lacu, leonibus pro cibo expositum, & manuum extensione feras superantem liberat, & Prophetam profugum à ceto deuoratum, qui in visceribus etiam fidem seruabat, saluat etiam in flammam pueros Assyrios, cùm rogum Angelus refrigeraret, ac tribus se quartum adiungeret. Hæc & plura alia cùm commemorasset, virginem Mariam rogauit, vt periclitanti virgini 7 opem ferret, ieiunijque & humi cubationis pharmacum obiecit, ac interim pulchritudinem tanquam insidiatricem tabefecit, quo subtractione materiæ passionum flammas consumeret, simulque Deum humilitate placauit: Siquidem ex cunctis rebus nulla magis, quàm aduersitate colitur, ac lachrymis clementiam retribuit. Cæterùm noui, quòd reliqua narrationis desideratis, pro virgine enim anxij estis, nec minus pro amatore, ne desiderium amborum in malum desinat. Sed confidite. Cupido enim fidei hospes efficitur, ac virginem sibiipsi desponsat amator. A Christo desponsatur, & cupidinum flamma est extincta, veritatis autem accensa. Qualiter, & quonam modo? Atqui narratio mihi dehinc suauissima erit. Vincit virgo, vincitur dæmon: tentator ad amatorem accedit, victum se prædicat, contemnitur: contemptus indignatur, ac contemptorem vlciscitur. Vltio autem quænam fuit? In cultorem ipsum immigrat, quò malum malo pelleretur, & rabie rabiei medicamen fieret. A virgine enim repellitur, non secus ac machina à muro firmo & generoso, ob verba, & orationes profugus, ac cum eo, qui illum miserat, luctam iniit. Proh miraculi, rursus ad mittentem reuertitur, & tanquam Saul alterum suffocare nititur. Quid igitur amator insipiens, & obsessus moderatus? mali solutionem quærit: inuenit. Omnis enim qui angitur, ingeniosus existit. Et quænam fuit solutio? Ad virginis Deum confugit, quemadmodum Saul ad cytharam, & pulsationem Dauid, ad pastorem illius accedit: purgatur quemadmodum à cupiditate propter plagam, ita & à spiritu maligno propter fidem in Christum, transfertque desiderium. Diu tamen ei creditum non est, sed repulsam tulit. Res enim incredibilis videbatur, & admiranda, Cyprianum aliquando Christianis annumerari, etiam si omnes homines Christi sequerentur fidem. Immutatur igitur: Argumentum verò conuersionis manifestum, quòd publicè libros proposuit magicos, ac de malo thesauro, necnon infirmitate sua triumphum agit, prædicat stultitiam, splendidam ex illis concitat flammam, igni longam deceptio-

5 Vide quantis præconiis effert hanc virginẽ. Est ergo virginitas res Deo gratissima.

6 Ecce hæretice quõ sancta virgo recurrit ad Deum, & facit sponsum suum Dominum Iesum Christum protectorẽ suum. Et cũ hoc recurrit ad sanctissimam eius genitricẽ Mariam, rogãs vt sibi periclitanti opem ferret. Nec ob id iniuriã fecit Christo, aut minus de eo confisa est, nec blasphemauit, nec idololatrauit, vt tu miser garris. Vis videre quod vtrunque gratum fuerit Deo? Ecce recursus istius effectũ. Ipsa virgo liberata est, & præter id Ecclesiæ columnã Cyprianum fecit.

7 Quid hic dicit Gregorius? Ergo Sãcti inuocati opẽ ferre possunt eos implorantibus? Et ieiunium et humi cubatio prosunt ad obtinendũ aliquid à Deo? Qua igitur fronte possunt hæc ab hæreticis denegari?

deceptionem consumendam exponit, quæ vnicæ carnis flammæ nullam opem ferre potuerat. A dæmonibus deficit, Deo redditur domesticus. O gratia quanta est? Deum malo amore & spiritu inuenit. Quis sacra fit caulæ sacræ: &, vt ego à quodã audiui, minister etiam multis rogatus, vt in humilitate ob arrogantiam philosopharetur priorem. Inde pastor factus est, & fere ex pastoribus optimus & probatissimus. Non enim Carthaginensium Ecclesię præfedit soli, seu Aphricæ, quæ ex illo, & per illum celebris in præsentem vsque diem est facta: sed & Hesperiæ vniuersæ, imò Orienti ferè ipsi ad finem vsque meridiei & septentrionis, quocunque ille admiratione sua peruenit. Sic Cyprianus factus est noster. Hæc signorum & portentorum Deus peregit. Hæc ille fecit, qui Ioseph per fratrum insidias in Ægyptum perduxit, ac illum per mulierem probauit, & frumenti distributione glorificauit, ac in somnijs instruxit, quò illi in terra aliena fides adhiberetur & à Pharaone honoraretur, paterque multorum fieret millium. Propter quos Ægyptus affligitur, mare scinditur, pane pluitur, sol sistitur, promissionis terra sorte diuiditur. Nouit enim sapientia diuina à longè etiam magnarum rerum iacere fundamenta, contrariaque contrarijs dispensare, quo plus miranda existat. Proinde ex Cypriani rebus pulcherrimis ad perfectæ laudis mensuram hæc sufficerent. Núc autẽ omissa tot sunt & talia, vt si nihil ex prædictis ad laudẽ superesset, reliquis tamen omnes vincere posset. Nam vt media omittam, veluti pecuniarum contemptum, superbiæ dissolutionem, corporis castigationem, & puritatem pristinis moribus contrariam, vestitus moderationem, sublimitatem in colloquijs, pariter & humanitatem, ita vt ex æquo tenuitas abesset & contumacia, humi 8 cubationes, vigilias. Nam licet tardius hæc didicisset, longè tamen præuenientes superauit. In sermonibus disceptationem, quibus virtutes omnes docuit, & dogmatum ignorantiam purgauit, ac hominum vitas ornauit, & principalis ac regiæ Trinitatis Deitatem detruncatam, à quibusdam verò coarctatam, in pristinam dignitatem reduxit, in pietatis terminis, vnitatis, & connumerationis permanens. Hæc igitur propter multitudinem contraham, ac per vitæ illius dissolutionem orationem etiam dissoluam. Insaniebat contra nos Decius, ac omnes pœnarum formas excogitabat. Quædam igitur ex grauibus præsentia erant, alia verò in futurum expectabantur. Æquè autem decertabat, vt & Christianos tolleret, & priores persecutores sæuitia superaret: seu potius, vt Christianos omnes, aut Cyprianum solum tolleret, & coram tribunali sisteret. Quantum enim pietate & gloria virum præcellere nouerat, tantum etiam sibi victoriam splendidiorem & clariorem fore putabat, si illum superasset. Solum enim hunc ex Christianis superesse, quem si vicisset, eadem etiam opera eos philosophia ipsa, ac sermonibus, necnon lingua priuare posse. Inde ipses qui illis essent muniti, mutos & ratione cassos seducere pulcherrimum stratagema fore censebat: Nequaquam rectè seu piè ita cogitans, seu potius contra rationem omnem, necnon consilia sua & conatus proprios. Quod quidem & res ipsa ostendit. Postquàm enim Cyprianus aggressionem omnem ac tentationem viriliter ac generosè repulisset, non secus ac petra marina incursiones aquarum, tandem in exilium à Decio est pulsus. Verùm nequaquam illi curæ erat generositas sua, nec ideo oblectabatur quòd esset saluatus, neque corporis securitatem ignominiæ, aut animæ periculum quieti præferebat: sed potissima eius cura erat, ne despiceret illos qui eo tempore periclitabantur, cùm non esset, qui eos ad certamina instrueret, & hortaretur. Siquidem non paruas sermo vires habet ad confirmandum animos eorum, qui iam virtutis stadio vestes deponunt. Ac ideo corpore quidem aberat, spiritu verò aderat, certantesque certando adiuuabat. Verùm cùm lingua opem ferre nequiret, scriptis tamen succurrebat. Et quomodo? Aliptes factus est, licet exul esset, adhortationesque conscripsit, & quæ pietati conuenirent, literis mandauit: ac ita solus ipse plures ferè per epistolas martyres fecit, quàm omnes alij, qui laborantibus assistebant. Persuadebat enim non patriam, non genus, non opes, non potentiam, non aliud quid terrenum veritati præferendum esse, nec non virtutis præmiis quæ recondita essent iis qui pro bono decertarent, illamque negociationem optimam esse, vt pauco sanguine regnum emeretur cœlorum, ac gloria sempiterna pro rebus acciperetur temporariis: vnicam enim patriam sublimibus esse, Hierusalem nempe, quæ mente percipitur, & non eas quæ paruis terminis circunscribuntur, ac multos incolas permutant. Vnicum præterea generis esse splendorem, vt imago conseruaretur, & primo exemplari assimilaretur, quantum illac pertingere conceditur iis qui carne sunt ligati, & qui paruum boni diffluxum suscipere possunt. Sed & vnicam esse potentiam contra malignam fortitudinem, & animæ in certaminibus pro pietate vim inexpugnabilem & inuictam, quãdo malitia aduersus virtutem decertat, mundusque contra mundum, solubilis nempe contra permanentem, & amarus agonothetes contra pugiles generosos, necnon Belial contra Christum instruitur. Propter hæc itaque gladium contemnẽdum esse persuadebat, ignemque frigidum esse censendum, ac feras truculentissimas ciues esse putandũ, famem verò superinas existimãdas esse delitias, lachrymas autẽ domesticorum,

8 *Vigiliæ & humi cubationes.*

nec non luctus, & vlulationes negligendas esse tanquàm maligni illecebras, ac diuini itineris impedimenta. Hæc enim virilium generosorum, & prudentiũ intellectu animarum esse propria. Sed & exemplum propè erat, ille idem qui hæc dicebat ac scribebat, omniaque contemnebat, vt solum Christum lucrari posset. Cyprianus igitur cùm ita sentiret, talibusque cogitationibus armatus esset, pugiles quàmplurimos ad certamina instruebat. At quam mercedem inde retulit? Largissimam & gloriosissimam. Martyr post omnes quos præmiserat, est factus, caputque illi ense est detruncatum, ita vt multis experimentis hanc tandem apponeret coronidem. Sic ad Christum deducitur, sic ad Christum transfertur: qui autem impietate abundauerat, longè tamen pietate iam maior. Cyprianus magnus persecutor, & coronæ susceptor, non minus mutatione, quàm virtute admirabilis. Siquidem non tam magnum est typum seruare boni, quàm pietatem induere nouã. Hoc enim consuetudinis est, illud verò consilij sani: & huius quidẽ exẽpla sunt multa, illius verò pauca. Proinde in enarrandis illius miraculis parumper adhuc sermoni indulgebimus, quò tanto gratificemur pugili: Tales igitur viri fuere actiones, talisque certaminis modus. Postquam verò vitam finiuit, si ita loqui fas est, & non potius rẽ illam, ad Deum profectionem, aut desiderij impletionem, seu vinculorum dissolutionem nominare oportet: miraculis etiam hic claruit, priori vita admodum dignis. Erat nomen Cypriani apud omnes celebre, & non solùm apud Christianos, sed illos etiam, qui aduersæ partis erant. Probitas enim apud cunctos pariter venerabilis extitit. Corpus verò latebat, eratque thesaurus ille apud mulierculam quandam pietate feruidam, idque tempore longo: siue quia Deus deuotam illam honorare voluerit, ac ideo illi martyrem concesserit: siue quia desiderium nostrum exercere destinauerit, num a grè laturi essemus si martyrum priuaremur reliquiis? Cùm verò martyrum Deus nequaquã ferret, vt omnium bonorum vnius solùm priuatum esset, neque commune in illius gratiam damno afficere vellet, per reuelationem 9 corpus publicauit, idque fœminæ cuidam tali honore dignæ manifestauit, quò & mulieres sanctificarentur: ac quemadmodum Christum antea pepererunt, discipulisque ex mortuis resurrectionem annunciarunt: ita nunc quoque vna Cyprianum ostendit, altera verò ob communem vtilitatem exhibuit. Hoc ex illius bonis vltimum fuit: Ita igitur ille in medium processit admodum dignus ne vltra lateret. Quomodo autem corpus furto subtractum sit, nequaquam explicare refert, quoniam sermo noster longè corporis honoribus melior est & sublimior. Et hæc apud vos dicta sufficiant. Haud enim scio, num plura restent dicenda. Nam si longum etiam sermonem extenderemus, nequaquam tamen dignè illius virtutes enumerare possemus, neque ea quæ vnusquisque de viro illo præsumit. Hæc igitur breuiter percurrimus, vt debitum illius honorem vel parumper delibaremus: reliqua verò à nobis ipsis adijciantur, quòd & vos aliquid martyri offeratis, veluti dæmonum purgationem, membrorum dissolutionem, futurorum cognitionem: omnia potest Cyprianus, 10 & puluis cum fide, quemadmodum norunt ij qui sunt experti, ac miraculum ad vos vsque transmiserunt, temporique tradiderunt futuro. Quin potius maiora his offeratis, & qualia eos decent, qui illum ritè venerãtur, corporis nempe exinanitionem, animæ eleuationem, prauitatis declinationem, virtutis incrementum: virgines carnis contemptum, mulieres ornatum virtutis magis quàm corporis: Iuuenes contra animi passiones virilitatem, senes consilia sana, magistratus legum æquitatem. Qui in exercitu sunt mansuetudinem, eloquentes quod rationi conuenit. Quin & ex nostris quid dicam, sacerdotes religionis cultum, qui ex populo sunt obedientiam, qui in luctu consolationem, qui prosperè agunt timorem, diuites distributionem, pauperes gratiarum actionem. Omnes contra malignum & amarulentum persecutorem aciem instruunt, ne apparens feriat, ne delitescens sagittet, ne sicut tenebræ impugnet, ne sicut Angelus lucis illudat, & ad perditionis suffuretur baratrum. Graue & oculis capi, ac lingua vulnerari, nec non auditu inescari, iraque feruidum succendi, ac gustu seduci, & tactu emoliri, armisque salutis pro mortis vti armis. Opus est vt fidei muniamur scuto, & maligni insidiis resistamus, vt cum Christo vincamus, & vnà cum martyribus decertemus, quo magnam illã vocem audiamus: Venite benedicti patris mei, hæredes estote regni vobis parati, vbi lætantium cunctorum est habitatio, necnon eorum qui choream saltant indesinentem, vbi sonus est festiuitatem peragentium, voxque exultationis, ac Deitatis illustratio perfectior & purior, quàm ea qua nunc in ænigmatis & vmbris fruimur. His si Cyprianus veneratus fuerit, magis gaudebit quàm omnibus rebus aliis. Hæc in vita adhuc præsens docebat: ac nũc absens omnibus nostra annunciat voce. Quam nequaquam despicietis, si saltem tolerantia illius, necnõ pro veritate certamina, ac legatio hæc mea vobis curæ fuerint. Proinde hę tibi diuinum [11] & sanctum caput, à me sint primitiæ, hic tibi sermonum & certaminis honor, non oleaster Olympicus, non laurus ludicrum Delphicum, non pinus Isthmica, non aprum Nemæum, quibus ephebi remunerabãtur infœlices: sed sermo qui admodũ peculiaris est cultoribus sermonis.

9 Vide quid dicat de corpore B. Cypriani, & quomodo per reuelationẽ Deus illud publicauerit, ne Ecclesia illius reliquijs priuaretur: quod facit contra inhonorantes sanctorũ ossa & reliquias.

10 O mirabile sanctissimi pariterque doctissimi viri dictum, cũcta aduersantiũ hæreticorũ molimina destruens. Omnia potest Cyprianus & puluis, cum fide. Confundere qui negas sanctos aliquid posse, & eorũ ossa cineres emortuos ignominiose vocare non erubescis.

11 Heus tu qui negas antiquos patres sanctos inuocasse, quid facit hic Gregorius? Et tu qui dicis esse idololatriã, omisso Christo, ad sanctos recurrere, & auxilium ab eis quærere, nõne hoc totũ facit hic sanctissimus Theologus?

Quòd si certaminibus & sermonibus tuis est dignus, hoc mihi sermonis erit præmium. Tu verò nos ab alto propitius respice, nostrumque sermonem ac vitam dirige, & sanctum ouile hoc pasce, aut vnà rege, ac reliqua, quantum possibile est, ad meliora dispone, molestosque lupos syllabarum, & verborum, venatores illos adige, ac sanctæ Trinitatis, cui nunc astas, splendorem nobis perfectiorem & clariorem gratificare: quam adoramus, quam glorificamus, de cuius nos republica sumus adorantes patrem in filio, filium verò in spiritu sancto, cui & paulò pòst assistemus sinceriores & illæsi in ipso Christo Domino nostro: Cui omnis gloria, honor, & imperium in secula. Amen.

Præterea si Cyprianus rogatur, vt ab alto respiciat, gregē Domini pascat, & ad meliora disponat, nonne cōuinceris, sanctos posse post mortem opem ferre implorātibus, & cognoscere quæ circa nos sunt?

ITEM DE EODEM, EX DIVO AVGVstino Episcopo.

Est sermo eiusdē in ordine xij. inter eos qui nuper impressi sunt ex Cartusia ad muros Parisienses.

SERMONEM à nobis debitum auribus & cordibus vestris exigit tam grata & religiosa solennitas, 12 qua passionem beati martyris celebramus: Tristis proculdubiò tunc Ecclesia fuit, non damno cadentis, sed desiderio recedentis, semper cupiens videre præsentem tam bonum rectorem atque doctorem. Sed quos afflixerat solicitudo certaminis, consolata est corona victoris. Et nunc non solùm sine vlla tristitia, verùm etiam cum ingenti lætitia cuncta quæ tunc gesta sunt, legendo recolimus, dieque isto gaudere nobis concessum est, non timere. Neque enim formidamus terribiliter venientem, sed expectamus hilariter redeuntem. Placet itaque vniuersam illam fidelissimi & fortissimi & gloriosissimi martyris passionem cum exultatione recordari præteritam, quam tunc fratres cum solicitudine sustinuêre futuram.

12 *Grata & religiosa solennitas, qua pasionem B. martyris celebramus.*

Primò igitur, quòd pro fide confessionis Christi in exilium Curubin missus est, non sancto Cypriano aliquid nocitum, sed multum illi præstitum ciuitati. Quo enim ipse mitteretur, vbi ille non esset, propter cuius testimonium mittebatur? Christus ergo, qui ait: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi, in omni loco membrum suum excipiebat, quocunque furor inimici pellebat. O stulta infidelitas persequentis, si quæris exilium, quo Christianus iubeatur ire, prius si potes inueni, vnde Christus cogatur exire. De patria sua in alienam te arbitraris excludere hominem Dei, in Christo nusquam exulem, in carne vbique peregrinum. Sed iam considerare & commemorare delectat post illud quod Cyprianus non senserat, sed inimicus putabat exilium, quid ex hoc ordine passionis ipsius consecutum sit. Cùm enim Cyprianus sanctus martyr electus à Deo de ciuitate Curubitana, in quam exilio præcepto Aspasij Paterni proconsulis missus fuerat, regressus esset, in hortis suis manebat. Et inde quotidie sperabat veniri ad se, sicut ostensum erat illi. Quid iam fremeret persecutoris impetus aduersus cor semper paratum, accedente etiam Domini reuelatione firmatum? Quando enim desereret patientem, quem non est passus præoccupari nescientem? Iam ergo, quòd ad eum passioni exhibendum duo missi sunt, qui eum etiam secum in curriculum leuauerunt, in medioque posuerunt, & hoc diuinæ admonitionis fuit, vt gaudens recoleret ad eius se corpus pertinere, qui inter iniquos deputatus est. Christus namque inter duos latrones ligno suspensus, ad exemplum patientiæ præbebatur. Cyprianus autē inter duos apparitores, ad passionem curru portatus Christi vestigia sequebatur. Quid illud, quòd quum in alium diem dilatus apud custodes esset, atque illuc se multitudo fratrum ac sororum congregans, pro sororibus pernoctaret, custodiri puellas præcepit, quanta intentione considerandum? quanta laude prædicandum? quanto præconio commendandum est? Vicina corporis morte non moriebatur in animo pastoris vigilantia pastoralis, & cura tuendi Dominici gregis vsque ad extremum vitæ huius diem mente sobria tenebatur. Nec excutiebat ab animo diligentiā fidelissimi dispensatoris manus tam proxima cruenti carnificis. Ita se martyrem cogitabat futurum, vt esse non obliuisceretur Episcopum: magis curans quam rationem pastorū principi de commissis sibi ouibus redderet, quàm quid infideli proconsuli de fide propria responderet. Amabat quippe eum qui Petro dixerat: Amas me? Pasce oues meas. Et pascebat oues eius, pro quibus sanguinem fundere illum imitans præparabat. Custodiri puellas præcepit, sciens non solum se habere simplicem Dominum, sed etiam versipellem aduersarium. Itaq; aduersus leonem apertè frementem in confessione virile pectus armabat, aduersus lupū insidiantem gregi sexū fœmineum muniebat. Ita verè sibi consulit, qui Deū iudicē cogitat, apud quem causam gestæ huius vitæ atq; ab illo sibi muneris iniuncti quisque dicturus est: Vbi omnis homo recipit, sicut testatur Apostolus, quæ per corpus gessit, siue in bonum, siue in malum: ita sibi consulit, qui ex fide viuens, & satagens ne ab extremo præoccupetur die, extremū computat omnē diem, & sic Deo placitos mores perducit vsque ad extremū diē. Ita sibi beatus Cyprianus Episcopus misericor-

misericordissimus, & martyr fidelissimus consulebat, non sicut eum lingua subdola diaboli per os possessi à se impij iudicis monere videbatur, dicens, Consule tibi: quum enim eius immobilem mentem videret, quando ei dixit: Iusserunt te Principes cæremoniari: Respondit que ille: non facio: adiecit, & ait: Consule tibi. Ipsa est lingua subdola diaboli: etsi non huius qui nesciebat quid loqueretur, illius tamen qui per eum loquebatur. Loquebatur enim Proconsul non tam secundùm principes homines, quorum iussa sibimet iniuncta iactabat, quàm secundùm principem potestatis aëris, de quo Apostolus dicit: Qui operatur in filiis diffidentiæ, quem per huius quoque linguam operari Cyprianus nouerat, quod ipse non nouerat. Nouerat, inquam, Cyprianus quum à procōsule audiret: Consule tibi, quòd caro & sanguis diceret stolidè, hoc diabolum dicere subdolè: atque intuebatur in vno opere duos, istum oculis, illum fide: nolebat eum iste mori, nolebat ille coronari: proinde circa istum placidus, circa illum cautus. Huic apertè respondebat, illum occultè vincebat: Fac, inquit, quod tibi præceptum est. In re tam iusta nulla est consultatio. Dixerat quippe ille: Consule tibi. Ad hoc responsum est: In re tam iusta nulla est consultatio. Consulit enim, qui consilium vel impertit, vel quærit: sed proconsul non à Cypriano consilium accipere volebat, sed eum potius vt à se acciperet monebat. At ille: In re, inquit, tam iusta nulla est consultatio. Non adhuc consulo, quia non adhuc dubito: abstulit enim mihi dubitationem ipsa iustitia. Iustus autem vt securus moriatur in carne, certus viuit in fide. Præcesserant Cyprianum multi martyres, quos flagrantissimis exhortationibus suis ad vincendum diabolum accenderat, & erat vtique iustum, vt veridicus loquendo præmiserat, patiendo intrepidus sequeretur. Ergo in re tam iusta nulla est consultatio. Quid ad hæc dicamus? Quid ad hæc exultemus tanta conceptione gaudiorum? In quid erumpat cor nostrum, & os nostrum, nisi in ipsam venerabilis martyris vltimam vocem? Quum enim Galerius Maximus decretum ex libello recitasset, Tacitum Cyprianum gladio animaduerti placet: Respondit ille: Deo gratias. Habentes igitur de re tanta memoriam præsentis loci, festiuitatem 13 solennissimi diei, propositionem saluberrimi exempli omnibus medullis nostris, dicamus & nos Deo gratias.

13 Festiuitas solēnissimi diei sancti Cypriani.

PONTIVS DIACONVS CYPRIANI VSQVE AD diem passionis eius cum ipso exilium sustinens, egregium volumen vitæ & passionis Cypriani reliquit.

PONTII MARTYRIS DE VITA PONTII Cypriani martyris liber.

Ex D. Hieronymo in libro de viris illustrib.

CYPRIANVS religiosus antistes, ac testis Dei gloriosus, tametsi multa conscripsit, per quæ memoria digni nominis superuiuat, & si eloquentiæ eius ac Dei gratiæ larga fœcunditas ita se copia & vbertate sermonis extendit, vt vsque in finem mundi fortasse non taceat: tamen quia operibus eius meritis etiam hæc prærogatiua debetur, vt exemplum suum in literas dirigatur, placuit summatim pauca conscribere, non quò aliquem Gentilium lateat tanti viri vita, sed vt ad posteros quoque nostros incomparabile & grande documentum in immortalem memoriam porrigatur. Certè durum erat, vt cùm maiores nostri plebeis & catechumenis martyrium consecutis, tantum honoris pro martyrii ipsius veneratione debuerint, vt de passionibus eorum multa, aut (vt propè dixerim) penè cuncta conscripserint, vt ad nostram quoque notitiam, qui nondum nati fuimus, peruenirent: Cypriani tanti sacerdotis ac martyris passio præteriretur. Qui & sine martyrio habuit quæ doceret: quæ quidem tanta atque tā magna & mira sunt, vt magnitudinis contemplatione deterreant. Imparem me esse confiteor ad proferendum dignè pro meritorum honore sermonem, nec posse sic prosequi facta tam grandia, vt quanta sunt, tanta videantur: nisi quòd numerositas gloriarum sibimetipsa sufficiens, alieno præconio non eget. Accedit ad cumulum, quòd & vos de eo multum, aut si fieri potest, totum desideratis audire, concupiscentes ardore flagranti vel facta eius, & si interim viua verba tacuerunt. In qua parte si dixero nos opibus facundiæ defici, minus dico: facundia enim ipsa deficit digna facultate, quæ desiderium vestrum pleno spiritu faciet, ita in vtrūque grauiter vrgemur: Ille nos virtutibus suis onerat, vos auribus fatigatis. Vnde igitur incipiam? Vnde exordiū bonorum eius aggrediar, nisi à principio fidei, & natiuitate cœlesti? Siquidem hominis Dei facta non debent aliūde numerari, nisi ex quo Deo natus est: Fuerint licet studia, & bonæ artes deuotū pectus imbuerint, tamen illa prætereo: nondum enim ad vtilitatem nisi seculi pertinebant. Postquàm & sacras literas didicit, & mundi nube discussa, in lucem sapientiæ spiritualis emersit: quibus ego

ego interfui, siqua de antiquioribus comperi, dicam: Hanc tamen petens veniam, vt quicquid minus dixero (minus enim dicam necesse est) ignorantiæ meæ potius, quàm illius gloriæ derogetur. Inter igitur 1 fidei suæ prima rudimenta, nihil aliud credidit Deo dignum, quàm si continentiam tueretur: Tunc enim posse idoneum fieri & pectus & sensum ad plenam veri capacitatem, si concupiscētiam carnis robusto atque integro sanctimoniæ rigore calcaret. Quis vnquam tanti miraculi meminit? Nondum secunda natiuitas nouum hominem splendore toto diuinæ lucis oculauerat, & iam veteres ac pristinas tenebras sola lucis paratura vincebat. Deinde quod maius est, cùm de dilectione diuina quædam iam, non pro conditione natiuitatis, sed pro fidei festinatione didicisset, statim rapuit quod inuenit promerendo Domino profuturum, distractis 2 rebus suis ad indigentiam multorum pauperū sustentandam, tota prædia prætio dispensans, duo bona simul iunxit, vt & ambitionem seculi sperneret, qua perniciosius nihil est: & misericordiam, quam Deus etiam sacrificiis suis prætulit, quam nec ille qui legis omnia mandata seruasse se dixerat, fecit, impleret: & præpropera velocitate pietatis, penè ante cœpit perfectus esse, quàm disceret. Quis, oro, de veteribus hoc fecit? Quis de antiquissimis in fide senibus, quorum mentes & aures per plurimos annos diuina verba pulsauerant, tale aliquid impendit, quale adhuc rudis fidei, & cui nondum forsitan crederetur, supergressus vetustatis ætatem gloriosus & admirandus operibus perpetrauit? Nemo metit statim, vt seuit: nemo vindemiam de nouellis scrobibus expressit: nemo adhuc vnquā de plantatis arbusculis matura poma quæsiuit. In illo omnia incredibilia incurrerunt. Præuenit (si dici potest) sensum, (res fidem non capit) præuenit, inquam, tritura semen, vindemia palmitem, poma radicem. Aiūt Apostoli literæ, debere neophytos præteriri, ne stupore gentilitatis nondum fundatis sensibus adhærente, aliquid in Deum nouitas inerudita peccaret. Ille fuit primus & solus (puto) exemplo, plus fide posse, quàm tempore promoueri. Sed & si in Apostolorum Actibus Eunuchus ille describitur, quia toto corde crediderat, à Philippo statim tinctus, non consimilis comparatio. Illic enim & Iudæus fuerat, & de tēplo Domini veniens, prophetam legebat, & sperabat in Christo, etsi nondum eum venisse crediderat: Hic de imperitis Gentibus veniens tam matura cœpit fide, quanta pauci fortasse perfecerint. Mora denique circa gratiam Dei nulla, nulla dilatio. Parum dixi. Presbyterium 3 & sacerdotium statim accepit. Quis enim non omnes honoris gradus crederet tali mēte credenti? Multa sunt quæ adhuc plebeius, multa quæ iam presbyter fecerit, multa quæ ad veterum exempla iustorum, imitatione consimili prosecutus promerēdo Dominum totius religionis obsequia præstiterit. Nam & sermo ille de hoc fuerat vsitatus, vt si quem prædicatum Dei laudatione legisset, suaderet inquiri, propter quæ facta placuisset. Si Iob Dei testimonio gloriosus, dictus est verus Dei cultor, & cui in terris nemo compararetur, faciendū docebat quicquid Iob antè fecisset, vt dum nos paria facimus, simile in nos Dei testimonium prouocemus. Contemptis ille dispendijs rei familiaris, tantum exercitata virtute profecit, vt nec temporalia damna sentiret. Non illum penuria, non dolor fregit, non vxoris suadela deflexit, non proprij corporis dura pœna concussit: permansit in suis sedibus fixa virtus, & altis radicibus fundata deuotio, nullo diaboli tentantis impetu cessit, quo minus Dominum suum fide grata etiā inter aduersa benediceret. Domus eius patuit cuicunque venienti: nulla vidua reuersa est sinu vacuo: nullus indigens lumine non illo comite directus est: nullus debilis gressu, non illo baiulo vectus est: nullus nudus auxilio, de potentioris manu non illo tutore protectus est. Hæc debent facere, dicebat, qui Deo placere desiderant. Et sic bonorum omnium documenta decurrens, dum meliores semper imitatur, etiam se fecit imitandum. Erat sanè illi contubernium viri iusti & laudabilis memoriæ Ceciliani, & ætate tunc & honore presbyteri, qui eum ad agnitionem veræ diuinitatis à seculari errore correxerat. Hunc toto honore, atque omni obseruantia diligebat, obsequenti veneratione suscipiens, non tanquam amicum animæ, coæqualem, sed tanquam nouæ vitæ parentem. Denique ille demulsus obsequiis, in tantum dilectionis immensæ merito prouocatus est, vt de seculo excedens, arcessitione iam proxima commendaret 4 illi coniugem ac liberos suos, & quem fecerat de sectæ communione participem, postmodum faceret pietatis hæredem. Longum est iter per singula, cuncta eius facta onerosum est enumerare. Ad probationem bonorum operum solum hoc arbitror satis esse, quòd iudicio Dei & plebis fauore ad officium sacerdotij & Episcopatus gradum adhuc neophytus, & vt putabatur, nouellus electus est: quāuis in primis fidei suæ adhuc diebus, & rudi vitæ spiritualis ætate, sic generosa indoles reluceret, vt etsi nondum officij, spei tamen fulgore resplendens, imminentis sacerdotij totam fiduciam polliceretur. Non prætereo etiā illud eximium, quemadmodum cùm in dilectionem eius & honorē totus populus, aspirāte Domino, prosiliret, humiliter ille secessit, antiquioribus cedens, & indignum se titulo tanti hominis existimans, vt dignus magis fieret: magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, recusat. Quo 5 tunc ardore plebs

aestuans

1 Quid hic dicis hæretice, qui totus carni deditus muliercularū amplexibus semper inhæres? An ita te docuit S. Martyr Cyprianus?

2 Vide quomodò paupertas euangelica pro perfectione acquirenda, sit actualis rerum distractio, & pretij illarum ad pauperum indigentiam sustentandam conuersio.

3 Si Cyprianus statim post Baptismū presbyteriū & sacerdotium accepit: non ergo in baptismo factus est externus sacerdos. Non etiam omnes fideles ex æquo sunt sacerdotes, vt quidam nunc mentiuntur.

4 Quod Cecilianus presbyter habuerit vxorem & liberos, quos in testamento Cypriano cōmendaret, nō faciat tibi argumētū, sacerdotes debere esse coniugatos. Nā cū iste esset de Ecclesia occidētali, in qua teste Hierō. nullus promouetur, nisi virgo: aut si est coniugatus, nisi de cōsensu vxoris promittat cōtinentiā, necessario cogimur dicere, hūc ante susceptum sacerdotium vxorem & filios habuisse, à qua tamen post presbyteratum abstinuerit.

5 Quod hic dicitur de flagitatione po

puli, vt illi Cyprianus daretur episcopus, & quod in honorem eius tota plebs prosiliret, ideo est quia antiquus Ecclesiæ mos fuit in ordinandis sacerdotibus populum conuocare, vt super eorũ moribus & meritis prius ferrent testimonium. Sed nõ propter hoc eligendi, aut ordinandi sacerdotes, ius vllum vnquã fuit apud populũ.

æstuans fluctuabat, spirituali desiderio concupiscens (vt exitus docuit) non tantummodo Episcopum habere, sed in eo quem tunc latente diuinitatis præsagio taliter flagitabat, futurum etiam martyrem requirebat: obsederat fores domus copiosa fraternitas, & per omnes aditus solicita charitas circumibat. Potuisset fortasse tunc illi Apostolicum illud euenire, quod voluit vt per fenestram deponererur, si iam Apostolo etiam ordinationis honore similaret: Erat videre cæteros omnes suspensos anxio spiritu expectare venturum, cum gaudio nimio excipere venientem. Inuitus dico, sed dicam necesse est: Quidam illi restiterunt, vt & vinceret, quibus tamen quanta lenitate, quàm patienter, quàm beneuolenter indulsit, quàm clementer ignouit, amicissimos eos postmodum, & inter veteres necessarios computans, mirantibus multis. Cui enim non posset esse miraculo tam memoriosæ mentis obliuio? Exinde quemadmodum se gesserit, quis referre sufficiat, quæ illi pietas, qui vigor misericordiæ, quanta censura? Tantũ sanctitatis & gratiæ ex ore lucebat, vt confunderet mentes intuentium. Grauis vultus & lætus, nec seueritas tristis, nec comitas nimia, sed admixta vtrinque temperies: vt esset ambigere, vereri an diligi mereretur, nisi quòd & vereri & diligi merebatur. Sed nec cultus fuit dispar à vultu temperatus & ipse de medio: non illum superbia secularis inflauerat, nec tamen prorsus affectata penuria sordiderat, quia & hoc vestitus genus à iactantia minus non est, quàm ostẽtata taliter ambitiosa frugalitas. Quid autem circa pauperes Episcopus faceret, quos catechumenus diligebat? Viderint pietatis antistites, seu quos ad officium boni operis instruxit ipsius ordinis disciplina, seu quos sacramenti religio communis ad obsequium exhibendæ dilectionis arctauit. Cyprianum de suo talem accepit cathedra, non fecit, statim denique pro talibus meritis etiam proscriptionis gloriam consecutus est. Nec enim aliud oportebat, quàm vt eum, qui intra secretam conscientiæ latebram religionis & fidei toto honore florebat, etiam publicè celebrata gentilium fama titillaret. Potuisset quidem tunc pro velocitate qua semper omnia consecutus est, etiam martyrij circa eum debita corona properare, maximè cùm & suffragiis sæpè repetitis ad leonem postularetur, nisi per omnes ordines gloriarum transeundum illi esset, & sic ad summa veniendum, & nisi imminens ruina ope tam fœcundi pectoris indigeret. Finge enim tunc illum martyrij dignatione translatum: quis emolumentum gratiæ per fidem proficientis ostenderet? Quis virgines ad congruentem pudicitiæ disciplinam, & 6 habitum sanctimonia dignum, velut frenis quibusdam lectionis Dominicæ coerceret? Quis doceret pœnitentiam lapsos? veritatem hæreticos? schismaticos vnitatem? Filios Dei pacem, & Euangelicæ precis legem? Per quem Gentiles blasphemi, repercussis in se iis quæ nobis ingerunt, vincerentur? A quo Christiani mollioris affectus circa amissionem suorum, aut quod magis est, fidei prauioris consolarentur spe futurorũ? Vnde sic misericordiam, vnde patientiam disceremus? Quis liuorem de venenata inuidiæ malignitate venientem, dulcedine remedij salutaris inhiberet? Quis martyres tantos exhortatione diuini sermonis exigeret? Quis denique tot confessores frontium notatarum secunda inscriptione signatos, & ad exemplum martyrij superstites reseruatos, incentiuo tubæ cœlestis animaret? Bene tunc & verè spiritualiter contigit, quòd vir necessarius tam multis & tam bonis rebus, à martyrij consummatione dilatus est. Vultis scire secessum illum nõ fuisse formidinem? Vt nihil aliud excusem, ipse postmodum passus est, quam passionẽ vtique ex more vitaret, si & antè vitasset. Fuit verè formido illa, sed iusta formido, quæ Dominum timeret offendere: Formido, quæ præceptis Dei mallet obsequi, quàm sic coronari. Dicata enim in omnibus Deo mens, & fides diuinis admonitionibus mancipata credidit se, nisi Domino latebram tunc iubenti paruisset, etiam in ipsa passione peccare. Puto denique etiam nunc aliqua de dilationis vtilitate disserenda, tametsi iamdudum pauca perstrinximus. Dum enim quæ videntur, postmodum subsecuta sciamus, sequitur, vt probemus secessum illũ non hominis pusillanimitate cõceptum, sed (sicut est) verè fuisse diuinum. Vastauerat Dei populum persecutionis infestæ insolens atque acerba grassatio, & quia omnes decipere vna fraude non poterat artifex hostis, quacunque miles incautus prodiderat latus nudum, dispari genere sæuiendi singulos diuersa strage deiecerat, debebat esse qui posset saucios homines, & varia expugnantis inimici arte iaculatos adhibita medicinæ cœlestis medela pro qualitate vulneris, vel secare interim, vel fouere. Seruatus est vir ingenij præter cætera etiam spiritualiter temperantis, qui inter resultantes collidentium schismatum fluctus, Ecclesię iter mediũ librato limine gubernaret. Non hæc, oro, diuina consilia sunt? Hoc fieri sine Deo potuit? Viderint qui putant posse fortuitu ista contingere. Ecclesia illis clara voce respondet, dicens: Ego sine Dei nutu necessarios reseruari non admitto. Percurramus tamen cætera, si videtur. Erupit postmodum lues dira, & detestabilis morbi vastitas nimia, innumeros per diem populos ad suam quenque sedem obrupto impetu rapiens, continuatas per ordinem domos vulgi trementis inuasit. Horrere omnes, fugere, vitare contagium, exponere suos impiè, quasi cum illo peste morituro, etiam

6 Vides quod virgines olim habitũ quendã sanctimonia dignum gestabãt? cur ergo huiusmodi habitus nunc in nostris à quibusdam reprehenditur?

mortem ipſam aliquis poſſet excludere. Iacebant interim tota ciuitate non iam corpora, ſed cadauera plurimorum, & miſericordiam in ſe tranſeuntium, contemplatione ſortis mutuæ flagitabant. Nemo reſpexit aliud præterquam lucra crudelia. Nemo ſimilis euentus recordatione trepidauit. Nemo fecit alteri quod pati noluit. Quid inter hæc egerit Chriſti & Dei Pontifex, qui pontifices mundi huius tantò plus pietate, quantò religionis veritate præceſſerat, ſcelus eſt præterire. Aggregatam primo in loco plebem de miſericordiæ bonis inſtruit, docens diuinæ lectionis exemplis, quantum ad promerendum Deum proſint officia pietatis. Tunc deinde ſubiungit, non eſſe mirabile, ſi noſtros tantùm debito charitatis obſequio foueremus: Eum perfectum poſſe fieri, qui plus aliquid Publicano vel Ethnico fecerit, qui malum bono iungens, & diuinæ clementiæ inſtar exercens, inimicos quoque dilexerit, qui pro perſequentium ſe ſalute (ſicuti Dominus monet & hortatur) orauerit. Oriri facit Deus iugiter ſuum ſolem, & pluuias ſubinde nutriendis ſeminibus impertit, exhibens cuncta iſta non ſuis tantùm, ſed etiam alienis. Et qui ſe Dei filium profitetur, cur etiam non exemplum patris imitatur? Reſpondere nos decet natalibus noſtris, & quos renatos per Deum conſtat, degeneres eſſe non congruit, ſed probare potius in ſobole traducem ſummi patris, æmulatione bonitatis. Multa alia & quidem magna prætereo, quæ temperandi voluminis ratio non patitur prolixiore ſermone replicari. De quibus hoc tantùm dixiſſe ſatis eſt, quòd ſi illa Gentiles pro roſtris audire potuiſſent, forſitan ſtatim credidiſſent. Quid Chriſtiana plebs faceret, cui de fide nomen eſt? Diſtributa ſunt ergo continuò pro qualitate hominum atque ordinum miniſteria. Multi qui paupertatis beneficio exhibere ſumptus non poterant, plus ſumptibus exhibebant, compenſantes proprio labore mercedem, diuitiis omnibus chariorem. Et quis non ſub tanto doctore properaret inuenire partem aliquam talis militiæ, per quam placeret & Deo patri, & Iudici Chriſto, & interim ſacerdoti?

Fiebat itaque exuberantium operum largitate, quod bonum eſt ad omnes, non ad ſolos domeſticos fidei. Fiebat plus aliquid, quàm Tobiæ incõparabili pietate ſignatum eſt. Ignoſcat ille, & ignoſcat iterum, & frequenter ignoſcat, & vt verius dixerim, meritò concedat: tametſi ante Chriſtum plurimum licuit, plus aliquid licuiſſe poſt Chriſtum, cuius temporibus plenitudo debetur, necatos ille à rege & proiectos tãtùm ſui generis colligebat. Iis tam bonis, & tam piis actibus ſuperuenit exilium. Hanc enim vicem ſemper repræſentat impietas, vt melioribus peiora reſtituat. Et (vt quid ſacerdos Dei, Proconſule interrogante, reſponderit taceam) ſunt acta quæ referam. Excluditur interim è ciuitate ille qui fecerat boni aliquid pro ciuitatis ſalute. Ille qui laborauerat, ne viuentium oculi paterentur infernæ ſedis horrorem: Ille, inquam, qui excubiis pietatis inuigilans (proh nefas) ingrata bonitate prouiderat, ne omnibus tetram ciuitatis faciem relinquentibus, multos exules deſerta Reſpublica ac deſtituta patria ſentiret. Sed viderit ſeculum, cui inter pœnas etiam exilium computatur. Illis patria chara nimis, & commune nomen eſt cum parentibus, nos & parentes ipſos ſi contra Dominum ſuaſerint, abhorremus. Illis extra ciuitatem ſuam viuere grauis pœna: Chriſtiano totus hic mundus eſt vna domus. Vnde licet in abditum & abſtruſum locum fuerit relegatus, admixtus Dei ſui rebus, exilium non poteſt computare. Adde quòd Deo integrè ſeruiens, etiam propria in ciuitate peregrinus eſt. Dum enim ſe à carnalibus deſideriis continentia ſancti ſpiritus abſtinet, conuerſationem prioris hominis, exponens inter ciues ſuos, aut propè dixerim inter parẽtes ipſos vitæ terreſtris, alienus eſt. Accedit quòd etſi hæc talia pœna poſſent videri, in huiuſmodi tamen cauſis atque ſententiis, quas ob approbãdæ virtutis experimenta perpetimur, non eſt pœna, quia gloria eſt. Sed eſto ſanè nobis pœna exilium, illis vltimum crimen & peſſimum nefas, etiam ipſorum conſcientia teſtis adſcribat, qui poſſunt ignoſcentibus irrogare, quod putant pœnam. Nolo nunc deſcribere loci gratiam, & delitiarum omnium paraturam interim tranſeo. Fingamus locum illum ſitu ſordidum, ſqualidum viſu, non ſalubres aquas habentem, non amœnitatem viroris, non viciniam littoris, ſed rupes vaſtas, & ſyluarum inter inhoſpitas fauces deſertæ admodum ſolitudinis, auia mundi parte ſummotum: Poſſet licet talis locus habere nomen exilij, quo Cyprianus ſacerdos Dei venerat, nónne (ſi hominum miniſteria deficerent) vel alites vt Heliæ, vel vt Danieli Angeli miniſtrarent? Abſit vt credat aliquis cuilibet minimo, dũmodo in confeſſione nominis Chriſti conſtituto aliquid defuturũ. Tantũ abeſt, vt Dei Pontifex ille qui miſericordiæ ſemper rebus inſtiterat, horum omnium opibus indigeret. Iam nunc, quod ſecundo poſuerat loco, cũ gratiarum actione repetamus, prouiſum eſſe diuinitus, etiã pro animo tanti viri aptum & competentem locum hoſpitium pro voluptate ſecretũ, & quicquid apponi eis antè promiſſum eſt, qui regnum & iuſtitiã Dei quærũt. Atq; vt omittam frequentiã viſitantiũ fratrum, & ipſorum inde ciuium charitatem, quæ repræſentabat omnia, quibus videbatur eſſe fraudatus, admirabilem viſitationem Dei non præteribo, qua antiſtitẽ ſuum ſic in exilio eſſe voluit de ſecuta paſſione ſecurum, vt imminentis martyrij pleniore fiducia non exulem

tantummodo, sed & martyrem possideret. Eo enim die quo in exilij loco mansimus (nam & me inter domesticos comites dignatione charitatis eius delegerat exulem voluntarium, quod vtinam in passione licuisset) Apparuit mihi, inquit, nondum somni quiete sopito iuuenis vltra modum enormis, qui cùm me quasi ad prætorium duceret, videbar mihi tribunali sedentis tum Procõsulis admoueri. Is vt in me respexit, annotare statim cœpit in tabula sententiam, quam non sciebam: nihil enim de me solita interrogatione quæsierat. Sed enim iuuenis, qui à tergo eius stabat, admodum curiosus, legit quicquid fuerat annotatum: & quia inde verbis referre non poterat, nutu declarante mõstrauit, quid in literis tabulæ illius haberetur. Manu enim expansa & cõplanata ad spatæ modũ, ictus solitæ animaduersionis imitatus, quod volebat intelligi, ad instar liquidi sermonis expressit. Intellexi sententiã passionis futuram. Rogare cœpi & petere continuò, vt dilatio mihi vel vnius diei prorogaretur, donec res meas legitima ordinatione disponerem. Et cùm preces frequenter iterassem, rursus in tabula nescio quid cœperat annotare. Sensi tamen de vultus serenitate, iudicis mentem quasi iusta petitione cõmotam. Sed & ille iuuenis, qui iamdudũ de passionis iudicio gestu potius quàm sermone prodiderat, clandestino identidem nutu concessam dilationem, quæ in crastinum petebatur, contortis post inuicem digitis, significare properauit. Ego quamuis non esset lecta sententia, etsi de gaudio dilationis acceptæ, læto admodum corde resipisco, metu tamen impetrationis incertæ sic tremebam, vt reliquiæ formidinis cor exultans adhuc toto pectore pulsarent. Quid hac reuelatione manifestius? quid hac dignatione felicius? Antè illi prædicta sunt omnia, quæcunque postmodum subsecuta sunt. Nihil de Dei verbis imminutum, nihil de tam sancta promissione mutilatũ. Singula deniq; secundùm quod ostensa sunt, recognoscite. Dilationem petit crastini, cùm de passionis sententia cogitaretur, postulans vt res suas die illo quem impetrauerat, ordinaret. Hic dies vnus significabat annum, quo ille post visionem acturus in seculo fuerat. Nam, vt manifestius dicam, eo die post exactum annum coronatus est, quo hoc illi ante annum fuerat ostensum. Diem autem Domini, etsi non annum in diuinis literis legimus: promissioni tamen futurorum debitum illud tempus accepimus. Vnde nihil interest, si sub diei significatione solus annus ostensus est: quia illud plenius debet esse quod maius est. Quòd verò nutu potius & non sermone prolatũ est, repræsentationi tẽporis seruatur sermonis expressio. Solet enim tunc verbis quodcunq; proferri, quoties quicquid profertur, impletur. Nam & verè nemo cognouit, quare hoc ostensum fuisset, nisi postquam eodem die quo viderat, coronatus est. Medio nihilominus tempore imminẽs passio pro certo ab omnibus sciebatur, passionis tamẽ dies certus ab eisdem omnibus quasi ignorantibus tacebatur. Sanè & in scripturis tale quid inuenio. Nam Zacharias sacerdos, promisso sibi per Angelum filio, quia non crediderat, obmutuit, ita vt filij nomen scripturus potius quàm relaturus, nutu tabulas postularet. Meritò & hic, vbi Dei nuncius passionem Antistitis imminentem nutu potius expressit, & fidem admonuit & sacerdotem. Dilationis autem petendę ratio de ordinatione rerũ, & de voluntatis dispositione veniebat. Quæ verò res illi, aut quæ voluntas ordinanda, nisi Ecclesiastici status summa accepta dilatio est? Vt quicquid circa pauperum fouendorum curam supremo iudicio disponendum fuerat, ordinaretur. Et puto propter nihil aliud, imò verò propter hoc tantùm etiam indulgentia ab ipsis qui eiecerant, & qui occisuri erant, admissa est, quàm vt præsens præsentes pauperes nouissimæ dispensationis extremis, &, vt plenius dixerim, totis sumptibus ministraret. Ordinatis ergo iam piè rebus, & sic voluntate disposita, proximabat dies crastinus. Iam de Xisto bono & pacifico sacerdote, ac propterea beatissimo martyre ab vrbe nuncius venerat. Sperabatur iamq; carnifex veniens, qui deuota sanctissimæ victimæ colla percuteret: Et sic erant omnes dies illi quotidiana expectatione moriendi, vt corona singulis posset adscribi. Conueniebant interim plures egregij & charissimi ordinis & sanguinis, sed & seculi nobilitate generosi, qui propter amicitiam eius antiquam secessum subinde suaderent, & ne parum esset nuda suadela, etiam loca in quæ secederet offerebant. Ille iam mundum, suspensa ad Deum mente, neglexerat, nec suadelis blandientibus annuebat. Fecisset fortasse tunc etiam, quod à plurimis & fidelibus petebatur, si diuino imperio iuberetur. Sed non illa sublimis tanti viri gloria sine præconio transeunda est, qua iam seculo tumescente, & de fiducia principum, infestatione nominis anhelante, ille seruos Dei, prout dabatur occasio, exhortationibus Dominicis instruebat, & ad calcandas 7 passiones huius temporis, contemplatione superuenturæ claritatis animabat. Videlicet tanta illi fuit cupido sermonis, vt optaret sic sibi passionis vota contingere, vt dum de Deo loquitur, in ipso sermonis opere necaretur. Et hi erant quotidiani actus destinati ad placentem Deo hostiam. Ecce Proconsulis iussu ad hortos eius, ad hortos, inquam, quos inter initia fidei suæ venditos, & Dei indulgentia restitutos, pro certo iterum iussus pauperum vendidisset, nisi inuidiam de persecutione vitaret, cum militibus suis Princeps reperire subitauit, imò (vt verius dixerim) subitasse se credidit. Vnde

7 Si bona agere æternæ felicitatis respectu, peccatũ, vel aliàs vitium esset, non ad hoc suos animaret S. Cyprianus.

Vnde enim posset tanquam prouiso impetu mens semper parata subitari? Processit ergo iam certus expungi, quod diu fuerat retardatum. Processit animo sublimi & erecto, hilaritatem pręferens vultu, & corde virtutem. Sed dilatus in crastinum, ad domum principis à prætorio reuertebatur, cùm subitò per Carthaginem totam sparsus rumor increpuit, productum esse iam Tascium, quem præter celebrem gloriosa opinione notitiam, etiam de commemoratione præclarissimi operis nemo non nouerat. Concurrebant vndique versum omnes ad spectaculum, nobis pro deuotione fidei gloriosum, Gentilibus & dolendum. Receptum eum tamen, & in domo principis constitutum vna nocte continuit custodia delicata, ita vt conuiuæ eius & chari in contubernio ex more fuerimus. Plebs interim tota solicita, ne per noctem aliquid sine conscientia sui fieret, ante fores principis excubabat. Concessit enim diuina tunc bonitas verè digno, vt Dei populus etiam in sacerdotis passione vigilaret. Forsitan tamen quærat aliquis, quæ causa fuerit à prætorio reuertendi ad principem, & voluit hoc scilicet quidam de suo, tunc Proconsulem noluisse. Absit vt in rebus diuinitus gestis segniciem siue fastidium Proconsulis conquerar. Absit vt malum hoc intra conscientiam religiosæ mentis admittam, vt de tam beatissimo martyre ructus hominis iudicaret: sed crastinus dies ille, quem ante annum monitio diuina prædixerat, verè crastinus esse debebat. Illuxit denique dies alius, ille signatus, ille promissus, ille diuinus (quem si Tyrannus ipse differre voluisset, nunquam prorsus valeret) dies de conscientia futuri martyris lætus, & discussis per totum mundi ambitum nubibus, claro sole radiatus. Egressus est domū principis, sed Christi & Dei princeps, & agminibus multitudinis mixtæ ex omni parte vallatus est. Sic autem comitatui eius infinitus exercitus adhærebat, quasi ad expugnādam mortem manu facta veniretur. Eundi autem interfuit transitus stadij. Bene verè & quasi de industria factum, vt & locum congruentis certaminis præteriret, qui ad coronam iustitiæ consummato agone currebat. Sed vbi ad prætorium ventum est, nondum procedente Proconsule, secretior locus datus est. Illic cùm post iter lōgum, nimio sudore madidatus sederet, (sedile autem erat fortuitò linteo tectum, vt & sub ictu passionis episcopatus honore frueretur) quidam ex necessariis, quondam Christianus res suas obtulit, quasi vellet ille vestimentis suis humidisficciora mutare, qui videlicet nihil aliud in rebus oblatis ambiebat, quàm vt proficiscētis ad Deum martyris sudores iam sanguineos possideret. Cui ille respondit, & dixit: Medelas adhibemus quærelis, quæ hodie forsitan non erunt. Mirum si contempsit laborem corpore, qui mortem mente contempserat? Quid plura? Salutatio Proconsuli nunciata est. Producitur, admouetur, interrogatus de suo nomine, se esse respondit. Et hactenus verba. Legit itaque de tabula iam sententiam iudex, quam nuper in visione non legerat, sententiam spiritualem non temerè dicendam, sententiam Episcopo tali, & tali esse condignam, sententiam gloriosam, in qua dictus est sectæ suæ signifer, & inimicus deorum, & qui suis futurus esset documento, & quòd sanguine eius inciperet disciplina sanciri. Nihil hac sententia plenius, nihil verius. Omnia quippe quæ dicta sunt, licet à Gentile dicta, diuina sunt. Nec mirum vtique, cùm soleant de passione pontifices prophetare. Signifer fuerat, qui de ferendo signo Christi docebat: inimicus deorum, qui idola destruenda mandabat: documento autem suis fuit, qui multis pari genere secuturis prior in prouincia martyrij primitias dedicauit. Sanciri etiam cœpit eius sanguine disciplina, sed martyrum, qui doctorem suum imitatione gloriæ consimilis æmulati, ipsi quoque disciplinam exempli sui proprio cruore sanxerunt. Et cùm exiret prætorij fores, ibat comes militum turba: & ne quid in passione deesset, Centuriones & Tribunilatus texerant. Ipse autem locus in æquali est, vbi pati contingit, vt arboribus ex omni parte densatis sublime spectaculum præbeat, sed per enormitatem spatij longioris visu denegato, & per confusam nimis turbam pressuram personæ facientes, in ramos arborum repserant, ne vel hoc illi negaretur, vt ad Zachæi similitudinem de arboribus videretur. Sed iam ligatis per manus suas oculis, moram carnificis vrgere tentabat, cuius munus est ferrum: & labente dextera gladium vix trementibus digitis circuibat, donec ad perpetrandam pretiosi viri mortem clarificationis hora matura, Centurionis manum, concesso desuper vigore firmatam, permissis tandem viribus expediret. O beatum Ecclesiæ populum, qui Episcopo suo tali, & oculis pariter & sensibus, & quod est amplius, publicata voce compassus est: & sicut ipso tractante semper audierat, Deo iudice, coronatus est. Quamuis enim non potuerit euenire, quod optabant vota communia, vt consortio paris gloriæ plebs tota pateretur, quicunque sub Christi spectantis oculis, & sub auribus sacerdotis ex animo pati noluit, per idoneum voti sui testem leuationis quodammodo literas ad Deum misit. Sic consummata passione perfectum est, vt Cyprianus, qui bonorum omnium fuerat exemplum, etiam sacerdotales coronas in Aphrica primus imbueret, quia & talis esse post Apostolos prior cœperat. Ex quo enim Carthagini Episcopatus ordo numeratur, nunquam aliquis, quamuis ex bonis sacerdotibus ad passionem venisse memoratur, licet

ſemper Deo mancipata deuotio, dicatis hominibus pro martyrio deputetur. Cyprianus tamen etiam perfectam coronam Domino conſummante, profecit, vt in ciuitate ipſa in qua taliter vixerat, & in qua prior fecerat multa præclara, prior etiam ſacerdotis cœleſtis inſignia glorioſo cruore decoraret. Quid hoc loco faciam? Inter gaudium paſſionis, & remanendi dolorem, in parte diuiſus animus, & anguſtum nimis pectus, affectus duplices onerant. Dolebo, quòd non comes fuerim? ſed illius victoria triumphanda eſt. De victoria triumphabo, ſed doleo quòd comes non ſim. Verùm vobis tamen & ſimpliciter confitendum eſt, quòd & vos ſcitis, in hac me fuiſſe ſententia: multum, ac nimis multum de gloria eius exulto, plus tamen doleo, quòd remanſi.

ITEM VITA SANCTI CYPRIANI EPISCOpi & Martyris, per Aurelium Prudentium virum Conſularem deſcripta.

Habetur in periſtephano eiuſdem.

PVnica terra tulit, quo ſplendeat omne quicquid vſquam eſt,
Inde domum Cyprianum. Sed decus orbis, magiſtrum.
Eſt proprius patriæ martyr: ſed amore & ore noſter.
Incubat in Lybia ſanguis: ſed vbique lingua pollet.
Sola ſuperſtes agit de corpore: ſola obire neſcit:
Dum genus eſſe homini Chriſtus ſinet, & vigere mundum:
Dum liber vllus erit: dum ſcrinia ſacra literarum:
Te leget omnis amans Chriſtum: tua Cypriane diſcet.
Spiritus ille Dei, qui fluxerat autor in Prophetas,
Fontibus eloquij te cœlitus actus irrigauit.
O niue candidius linguæ genus. O nouum ſaporem.
Vt liquor Ambroſius cor mitigat, imbuit palatum,
Sedem animæ penetrat, mentem fouet, & pererrat artus.
Sic Deus interius ſentitur, & inditur medullis.
Vnde bonum ſubitum terris dederis pater reuela.
Deerat Apoſtolicis ſcriptis opulentus executor:
Eligitur locuples facundia, quæ doceret orbem:
Quæque voluminibus Pauli famulata diſputaret.
Quò mage cruda homini præcordia perpolita noſſent,
Siue timoris opus, ſeu myſtica, vel profunda Chriſti.
Vnus erat iuuenum doctiſſimus artibus ſiniſtris,
Fraude pudicitiam perfringere, nil ſacrum putare,
Sæpe etiam magicum cantamen, inire per ſepulchra:
Quo geniale tori ius ſolueret æſtuante nupta.
Luxuriæ rabiem tantæ cohibet repentè Chriſtus,
Diſcutit & tenebras de pectore, pellit & furorem.
Implet amore ſui, dat credere, dat pudere facti.
Iamque figura alia eſt: quàm quæ fuit oris & nitoris.
Exuitur tenui vultus cute, tranſit in ſeueram.
Deflua cæſaries compeſcitur ad breues capillos.
Ipſe modeſta loqui, ſpem quærere, regulam tenere,
Viuere iuſtitia Chriſti, & penetrare dogma noſtrum.
His igitur meritis digniſſimus vſque epiſcopale
Prouehitur ſolium doctor, capit & ſedile ſummum.
Valerianus opum princeps erat, atque Gallienus,
Conſtituêre ſimul pœna capitis Deum fatenti.
Millia terrigenûm ſpurciſſima iuſſerant ſacrari.
Contrà, animos populi doctor Cyprianus incitabat.
Ne qui ab egregiæ virtutis honore diſcreparet,
Neu fidei pretium quis ſumere degener timeret,
Eſſe leuem cruciatum, 8 ſi modò conferat futura:
Quæ Deus ipſe viris intermina fortibus ſpopondit,
Merce 9 doloris emi ſpem luminis, & diem perennem.
Omne malum volucri nam tempore tranſuolare curſim,
Nil graue quod peragi finis facit, & quiete donat.
Se fore principium pulchræ necis, & ducem cruoris,
Seque caput gladio ſubmittere, ſanguinem dicare,

8 Aduerte quomodo ſanctus vir ad martyriũ hortetur ſpe futurorũ bonorum, & facili tranſitu terrenorum ſuppliciorum.

9 Si merce doloris emitur ſpes cœleſtis luminis & dies perennis, ergo ſancti habent meritũ apud Deum.

Qui

Qui sociare animam Christo velit: vt comes sequatur.
His verbis corda virum Christo calefacta præparauit:
Ducitur ante alios Proconsule perfurente vinctus.
Antra latent Tyriæ Carthaginis abditis reposta,
Conscia tartareæ caliginis abdicata soli.
Clausus in his specubus sanctus Cyprianus, & catena
Nexus vtramque manum, nomen patris inuocat supremi.
Omnipotens genitor Christi decus & creator orbis,
Christe parens hominis, quem diligis, & vetas perire:
Ille ego vipereis quem tu bonus oblitum venenis,
Criminibus variis tinctum miseratus abluisti:
Iamque tuum fieri mandas: sic Cyprianus alter.
At nouus ex veteri, nec iam reus aut nocens vt ante:
Si luteum facili charismate pectus expiasti:
Vise lubens tenebris ergastula cœca dissipatis:
Eripe corporeo de carcere, vinculisque mundi
Hanc animam, liceat fuso tibi sanguine immolari:
Ne qua ferum reprimat clementia iudicem tyranni,
Da quoque ne quis iners sit de grege, quem tuum regebam:
Neu sciat inuidia mitescere, gloriam negare.
Ne cadat impatiens pœnæ, si iubetque quis tuorum,
Incolumem vt numerum reddam tibi: debitumque soluam.
Vocibus his Dominum permouerat, influebat inde
Spiritus in populum Carthaginis: autor acrioris
Ingenij, stimulis vt pectora subditis calerent
Ad decus egregium discrimine sanguinis petendum,
Non trepidare decens, nec cedere, nec dolore vinci.
Laudis amore rapi: Christum sapere, & fidem tueri.
Fama refert foueam campi in medio patêre iussam,
Calce vaporifera summos prope margines refertam,
Saxa recocta vomunt ignem: niueusque puluis ardet.
Vrere tacta potens, & mortifer ex odore flatus,
Appositam memorant aram fouea stetisse summa
Lege sub hac: salis aut amicam, iecur & suis litarent
Christicolæ, aut mediæ spontè ruerent in ima fossæ.
Prosiluere alacres cursu rapido simul trecenti,
Gurgite puluereo mersos liquor aridus vorauit:
Præcipitemque globum fundo tenus implicauit imo.
Corpora candor habet, candor vehit ad superna mentes.
Candida massa dehinc dici meruit per omne seclum.
Lætior interea iam Thascius ob diem suorum
Sistitur indomiti Proconsulis eminus furori.
Dogmatis atque loci iussus genus edere: Christianus, inquit,
Trado salutiferi mysteria consecrata Christi.
Ille sub hæc satis est iam criminis, ipse confitetur
Thascius, ipse Iouis fulmen negat, expedite ferrum
Carnifices, gladio pœnam luat hostis idolorum.
Ille Deo meritas grates agit, & canit triumphans.
Fleuit abire virum mœsta Africa: quo docente facta est
Cultior eloquio, cuius sibi docta gloriatur.
Mox tumulum lachrymans struxit, cineresque consecrauit.
Desine flere bonum tantum, 10 tenet ille regna cœli:
Nec minus inuolitat terris, nec ab hoc recedit orbe,
Disserit, eloquitur, tractat, docet, instruit, prophetat.
Nec Lybiæ populos tantùm regit, exit vsque in ortum
Solis & vsque obitum: Gallos fouet, imbuit Britannos,
Præsidet Hesperiæ, Christum serit vltimis Iberis,
Denique doctor humi est, idem quoque martyr in supernis.
Instruit hic homines: illic pia dona dat patronus.

10 Quàm multa habes hic lector contra nouatores nostri temporis.
Sanctorũ animas esse in cœlo.
Sanctos scire & curare quæ circa nos aguntur.
Sanctos non posse dici emortuos sed viuentes
Sanctos magnam habere potestatem post mortem.
Sãctos suis cultoribus prodesse & beneficia conferre.

ITEM VITA SANCTI CYPRIANI EPISCOPI & martyris, per beatum Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Est serm. in opere homil. eius.

11 *Vides verũ esse quod dicunt sancti patres, quòd qui honorant sanctos, honorant Deum, & Dominum nostrum Iesum Christum*

12 *Ecce quomodo in die natali sanctorũ martyrum olim exultabant & lætabantur, sicut & modò fit conuenientes ad eorum solennitates.*

13 *Si in die natalĩ suorum melius & sublimius nascuntur martyres quã prius, nõ debent ab aliquibus vocari emortui.*

14 *Cur festa annua sanctorum martyrum cum lætitia celebrentur.*

QVoniam hodie 11 Deo in natali sancti Cypriani martyris conuenimus, in quo miro certamine de diabolo triumphauit: & quia nobis virtutum suarum gloriosum reliquit exemplum, ideo exultare 12 nos conuenit, & lætari.

Natalem ergo 13 sanctorum cùm auditis charissimi, nolite putare illum dici, quo nascuntur in terram de carne, sed de terra in cœlum, de labore ad requiem, de tẽtationibus ad quietem, de cruciatibus ad delitias, non fluxas, sed fortes, & stabiles, & æternas: de mundanis risibus ad coronam & gloriam. Tales natales dignè martyrum celebrantur.

Cùm ergo huiusmodi festiuitas agitur, noli æstimare charissime, quòd in solis prandiis, & profusioribus epulis natales martyrum celebrentur: sed imitandum tibi proponitur, quod in memoria martyris celebras. Aspice ergo charissime alacritatem populi circunstantis. In hac enim die aliquando turba assitit impiorum, cùm sanctus Cyprianus iussu tyranni feriretur, turbæ erant, malorum expectantium chori, nunc multitudo fidelium ad colla tandum deuota confluxit: tunc turba sæuientium, nunc exultantium: tunc desperatorum, nunc sperantium. Idcirco ergo natales martyrum annua 14 lætitia celebrantur, vt quod semel actum est, per omne æuum in memoria maneat deuotorum. Gesta res est charissime, ne te diceres ignorare: celebrantur annua, ne dicas oblitus sum. Ad hæc ergo imitanda vos animate charissimi, hanc magnanimitatis gratiam concupiscite: hoc petite dari vobis, quod ille meruit adipisci. Omnes enim cœlestia cupientes terrenorum bonorum laqueis irretiri non possunt, quia conuersationem suam in cœlestibus statuerunt. Sicut ait sanctus Apostolus: Nostra autem conuersatio in cœlis. Dirigatur ergo nostri cordis desiderium ad habitationem cœlestem, vbi quum dispersus fuerit pauperibus thesaurus vester, illic erit & cor vestrum. Thesaurus autem bonorum omnium Christus est: qui vos cum patre, & filio, & spiritu sancto donis cœlestibus, & nunc, & in æternum cumulare & replere dignetur.

ITEM DE BEATO CYPRIANO, EX DIVO Maximo Episcopo Taurinensi.

Est homil. 1. in natali eius habita, positaq; in li. homiliarum de sanctis.

IN martyrio beatissimi Cypriani fratres charissimi, vniuersa nobiscum Christi exultat Ecclesia, quam in omne gaudiũ & cœlestis eruditione sermonis instruxit, & munere triumphalis sanguinis decorauit. Fuit enim in eo, sicut compertum habemus, & contra errores diaboli spiritalis sapientiæ plenitudo, & aduersum persecutiones mundi Christiani pectoris infatigata constantia. Quis non huiusmodi virum quantis valet præconiis prosequatur, cuius eloquentia inspirata diuinitus & Ecclesias docuit, & seculum confutauit? Verè hic mirabilis, atque omnium vbique studiis celebrandus, quem sanctitas sacerdotem, peritia doctorem, fides martyrem consecrauit. Pretiosa, inquit Dauid, in conspectu Domini mors sanctorum eius. Videte charissimi, in quantum venerabilis Cyprianus etiam propheticam supergressus est laudem, cuius in conspectu Domini non solùm mors, sed & vita extitit pretiosa. Moriendo namque proprium Christo sanguinem dedit, viuendo nihilominus cohortatione fortissima, innumeros cœlo martyres acquisiuit. Quid hoc clarius sacerdote, qui inter hominum turbas gloria cœlestis conuersationis emicuit, atque inter Angelicos cœtus, & sua factus est & aliorum morte conspicuus.

Iustissimè hic cum Patriarcha Dauid cantauit Domino Deo suo, dicens: Cor meum & caro mea exultauerunt in Deo viuo. Exultauit itaque cor eius in Deo viuo: Cùm morientis ac morituri seculi vanitate despecta, totum se diuinis mancipauit obsequiis. Exultauit & cor eius in Deo, quæ de hoc mundo non miseri corruptione languoris, sed piis pro religione suppliciis consecrata migrauit. Hic est ille Euangelicus paterfamilias, proferens de thesauro suo noua & vetera, qui veteris nouique testamenti vnum atque idipsum mysterium prædicans, Ecclesias Christi locupletissima disputatione ditauit. Incorruptibilis atque indefessus illius est hodie thesaurus, qui pecuniam Domini sui numulariis fœnerans, quotidie in corda fidelium cœlestium diuitiarum sanctam conquirit vsuram. Quid igitur fratres, tanto speciosius viro, cuius hæc est regula & mensura sermonis, vt inter varias hominum causas, motusque diuersos, nunc affectione patris, nunc autoritate doctoris consoletur humiles, superbos comprimat, negligentes arguat, increpet infideles? Tantoque denique decore sacerdotium, vitamque suam vir fidelissimus adornauit, vt doctrinam suam subsequentibus confirmaret operibus, Dominicam illam sententiam tenens: Qui docuerit & fece-

& fecerit, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Quàm magnus hic, quamque præcipuus in regno cœlorum est, quem in omnem gloriam sermo propheticus, vita mirabilis, & mors Deo deuota sublimat? Nec immeritò fratres tanto cum honore nominis eius memoria, per amplissima mundi spatia celebratur, quia per vniuersum orbem ad firmamentum fidei nostræ & passio eius, & doctrina profecit.

VITA BEATI CYPRIANI EPISCOPI ET MARTYris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

APud Africam natale beati Cypriani Episcopi, Valeriano & Galieno Imperatoribus, Galerio Maximo Proconsule. Quibus agentibus & elaborantibus, cõprehensus est ex præcepto Aspasij Paterni Consulis, & in exilium in ciuitate Cordubitana missus est. Habitauitque ibi suspensa ad cœlum mente, tantùm ad calcandas passiones huius temporis, amore Christi animatus. Quò conueniebant ad eum plures egregij clarissimi ordinis & sanguinis, sed & seculari nobilitate gloriosi, qui propter amicitiam eius antiquam secessum subinde suaderent, & ne parum esset nuda suadela, etiam loca in quæ secederet, ei offerebant. Post dies autem multos regressus de exilio habitabat in hortis suis. Et cùm illic moraretur, venerunt ad eum principes duo ex officio Proconsulis Galerij Maximi, qui Aspasio Paterno successerat, & leuantes eum in curriculo, duxerunt ad Proconsulem in locum, vbi pro reparanda sanitate degebat, collectusque ab Aslitore officij, successit in hospitium eius in Vnicum Saturni. Conuenit autem ad eum omnis populus fratrum. Quod cùm comperisset beatissimus martyr, præcepit custodiri puellas, quæ aduenerant audire verbum Dei, quoniam ante ostium manebant principis, ob amorem martyris gloriosi. Altera die xviij. Kalendas Octobris manè Galerius Maximus sanctum Cyprianum Episcopum offerri sibi præcepit, in atrio secutiolo. Cui inter alia cùm dixisset Proconsul: Iusserunt te sacratissimi principes cæremoniari: Sanctus Cyprianus dixit: Non faciam. Maximus Proconsul dixit: Consule tibi. Sanctus Cyprianus dixit: Fac quod tibi præceptum est: nam in re tam iniusta nulla est consultatio. Maximus proconsul dixit: Diu sacrilega mente vixisti, & nefarios tuæ conspirationis homines aggregasti, & inimicum te dijs Romanis, & sacris religionibus constituisti, nec te pij Imperatores ad sectam cæremoniarum suarum reuocare potuerunt: cùm sis nequissimi criminis author, & signifer deprehensus, eris ipse documento his, quos scelere tuo tecum aggregasti, vt sanguinis tui satientur disciplina. Et his dictis decretum ex tabella recitauit. Tacitum Cyprianum gladio animaduerti placet. Sanctus Cyprianus hoc audiens dixit, Deo gratias ago. Et cùm duceretur, populus fratrum plangens dicebat: Et nos cum eo decollemur. Et ita perductus gloriosus martyr post Prætorium in agrum Sixti exuit se lacerna & birrho, & complicans posuit ad genua sua, dehinc 1 dalmaticam tulit, & diaconis tradidit, & stans in linea, sustinebat spiculatorem, cui xxv. aureos dari præcepit. Fratres verò flentes lintea-mina & oraria ante eum ponebant, ne sanctus cruor defluens absorberetur à terra. Qui cùm lacinias manuales sibi ligare non potuisset, Iulianus presbyter, & Iulianus subdiaconus ipsi ligauerunt. Ipsi autem sibi manu propria oculos texit, & genua in terra posuit, orationemque ad Dominum fudit, & sic gladio percussus migrauit. Corpus eius propter Gentilium curiositatem in proximo collocatum est: Sed ne à gentibus tolleretur, nocte adueniente ex eodem loco, vbi positum fuerat, sublatum est. Et inde 2 cum cereis & scholaribus, in ara cuiusdam candidi procuratoris, in via Mapaliensi, iuxta piscinas, cum magno triumpho sepultum est.

Habetur in eius martyrolog. sub Calend. Octob.

1 Habes hic dalmaticam & lineã vestes sacerdotales.

2 Corpus sancti martyris cũ cereis & scholaribus ac magno triumpho sepultum est.

Post multa verò curricula annorum, gloriosissimo Carolo Francis imperante, contigit, legationem Francorum ferentes illustres ac sapientia circumspectos legatos, transitum per Aphricam fecisse. Hi cum Carthaginem dirutam, & loca venerabilia sanctorum martyrum reuertentes, à Rege Persarum Aaron, qui excepta India totum penè tenebat Orientem, vidissent, facilè sibi conciliato Principe, ac fauorem in re tali præstante, pro magno munere rogauerunt, vt ossa beati Cypriani eis ferenda permitteret. Quod ille non magni ducens, postulata concessit, vtque pio Imperatori, cuius gratiam omnium, qui in toto terrarum orbe erant Regum amicitiæ præponeret, ipsi ea ferrent, libenter assensit. Cumque venerabiles legati ingentia dona, martyrum scilicet reliquias ferentes (Nam & beati Sperati martyris membra qui vnus fuit ex illis duodecim præclarissimis martyribus Scilitanis, caput etiam martyris gloriosi Pantaleonis secum cum 3 beatis ossibus Cypriani habebant) reuerterentur, prosperis vsi velis, tandem peruenerunt Arelaten. Vbi sacra martyrum membra signata interim relinquentes, legationem suam Imperatori renunciare festinauerunt: & inter alia de sanctorum reliquijs ab Aphrica deportatis eius animum attollunt. Vnde ille plurimum lætus, eos tamdiu apud Arelaten digna veneratione seruare

3 Vide cũ quanta lætitia Christianis reges legatis preciosa debitũ, martyrũ simul reliquias, quas & beata ossa, & sacra mẽbra nuncupãt.

 iussit,

4 Volebat optimus ex magno opere templum condere, in quo sanctorum reliquias ingenti cultu & ornatu reponeret, 5 Et beata Martyrū ossa cum honore deportata, et decētissima sepultura in maiori Ecclesia ad defensionem ciuium posterisque profutura recondita.

iussit, donec ipse magno aliquo opere in regno suo templum conderet, vbi tam preciosum pignus ingenti cultu, & 4 ornatu reponeret. Sed emergentibus causis, dum opus tardius construitur, occasionem nactus Leidradus venerabilis Lugdunensis Episcopus, Imperatorem rogauit, ad ciuitatem suam deferre 5 beata ossa martyrum ei licere. Annuit Imperator. Et is dum ocius votum suum prius perficit, cum honore infra ciuitatem Lugduni deportata sunt: ibique in maiori Ecclesia beati Ioannis Baptistæ ad defensionem ciuium, Deo id misericorditer operante, sanctus Episcopus reliquias gloriosorum martyrum in prædicta Ecclesia post venerabile altare decentissima sepultura recondidit, ac posteris ciuibus suis profuturas honorabiliter commendauit. Referuntur autem cum beato Cypriano passi, Crescentianus, Victor, Rosula, & Generalis.

VITA SANCTI QVIRINI TRIBVNI MARTYRIS, per Adonem supradictum collecta.

Habetur in eius martyrolog sub 4. Calēd. April.

ROMÆ natale sancti Quirini Tribuni & martyris sub Traiano Imperatore, qui cùm ex præcepto eius beatum Alexādrum Papam & Hermen præfectum in vincula coniecisset, haberetque filiam, cuius collum circundederat, auditis exhortationibus beati Hermis in fide Christi, & visis signis, quæ Dominus in martyribus suis Alexandro & Herme operabatur, ipsam eandem filiam suam obtulit ad sanandum. Cui dixit beatus Alexander: Tolle boiam de collo meo, & impone ei. Quòd cùm obedienter pater eius exequeretur, diuino nutu subito sanata est. Vocabatur autem ipsa Balbina. Atque ita pater eius Quirinus, & ipsa, cum vniuersis qui custodia tenebantur omnique domo sua baptizatus est. Quod vt nunciauit Commentariensis Aureliano iudici, iratus iussit adduci Quirinum ad se, & dixit ei: Ego te quasi filium dilexi, tu autem irrisisti me deceptus ab Alexandro. Dixit ei Quirinus: Ego Christianus sum factus, vis occidere, vis fustigare, vis incendere, aliud non ero. Nam omnes qui erant in carcere feci fieri Christianos, & dimisi eos, & noluerunt vsquam ire. Iratus Aurelianus fecit ei linguam abscindi, deinde in eculeo suspendi. Qui dum Aureliani non cederet iniurijs, iussit ei manus ac pedes abscindi, & sic eum decollari & canibus proijci. Sed Christiani corpus eius raptum, in via Appia sepelierunt, in 1 cœmiterio Prætextati.

1 Nota, corpus martyris raptum sepelierunt in via Appia in cœmiterio Prætextati.

VITA SANCTI LVCII PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

LVCIVS natione Romanus, ex patre Porphyrio, sedit annos tres, menses tres, dies tres. Martyrio coronatur. Fuit autem temporibus Galli & Volusiani vsque ad Valerianum secundo, & Gallienum.

Hic in exilio fuit relegatus, postea nutu Dei incolumis ad Ecclesiam reuersus est. Hic præcepit vt duo presbyteri & tres diaconi in omni loco Episcopum non desererent, propter testimoniū Ecclesiasticum. Qui etiam à Valeriano capite truncatus est, quarto Nonas Martij. Hic omnem potestatem Ecclesiæ dedit Archidiacono suo Stephano, dum ad passionem pergeret. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, diaconos quatuor, Episcopos per diuersa loca septem. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, & cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

VITA SANCTI STEPHANI PAPAE ET MARTYris, per Damasum Papam scripta.

Habetur in Pontificali eiusdem.

STephanus natione Romanus, ex patre Iulio, sedit annos septem, menses quinque, dies duos: Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Gallicani & Maximi, vsque ad Valerianum quarto, & Gallicanum tertio. Hic constituit Sacerdotes & Leuitas 1 vestibus sacratis in vsu quotidiano non vti, & nisi in Ecclesia tantùm. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros sex, diaconos quinque, Episcopos per diuersa loca tres. Sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, quarto Nonas Augusti, & cessauit episcopatus dies viginti.

1 Ecce quomodo antiquitus etiam sacerdotes & Leuitæ sacratas vestes habebant, quibus in Ecclesiastico ministerio vtebantur.

VITA

VITA SANCTI SIXTI PAPAE SECVNDI ET MARtyris, per Damasum Papam scripta.

Sixtus natione Græcus, ex philosopho de Athenis, sedit annum vnum, menses decem, dies viginti quatuor. Martyrio coronatur. Fuit temporibus Valeriani & Decij. Eodem tempore hic comprehensus est à Valeriano, & ductus vt sacrificaret dæmoniis. Qui, quia contempsit præcepta Valeriani, capite truncatus est, & cum eo sex Diaconi, Felicissimus, Agapitus, Ianuarius, Magnus, Vincentius, & Stephanus, octauo Idus Augusti. Ibidem.

Et presbyteri præfuerunt à consulatu Maximi, & Glabrionis vsque ad consulatum Tusci & Bassi 14. Calend. Augusti. Quo tempore fuit magna persecutio sub Decio. Et post passionem beati Sixti die tertio passi sunt Laurentius eius [1] Archidiaconus, & Subdiaconus Claudius, Seuerus presbyter, & Romanus ostiarius, & Crescentius Lector. Hic fecit ordinationes duas per mensem Decembrem, presbyteros quatuor, Diaconos septem, Episcopos per diuersa loca duos. Sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, & sex diaconi eius in cœmiterio Prætextati, via Appia, octauo Idus Augusti. Beatus verò Laurentius sepultus est via Tyburtina in crypta in agro Verano, quarto Idus Augusti. Et cessauit Episcopatus dies triginta quinque.

1 Habes hic in ordine Ecclesiastico diuersos gradus: nempe, Episcopos, Presbyteros, Subdiaconos, Ostiarios, Lectores.

DE PERSECVTIONE SVB DECIO, PER B. GREgorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

SVB Decio verò imperatore multa bella aduersus nomen Christianum exoriuntur, & tanta strages de credentibus fuit, vt nec numerari queant. Babilas Episcopus Antiochenus cum tribus paruulis, id est, Vrbano, Prilidano, & Epolono, & Sixtus Episcopus Romanæ Ecclesiæ, & Laurentius Archidiaconus, & Hippolytus, ob Dominici nominis confessionem per martyrium consummati sunt. Valentianus & Nouatianus maximi tunc hæreticorum principes, contra fidem nostram inimico impellente grassabantur. Huius tempore septem presbyteri Episcopi ordinati ad prædicandum in Gallias missi [1] sunt, sicut historia passionis sancti martyris Saturnini enarrat. Ait enim: Sub Decio & Grato consulibus, sicut fideli recordatione retinetur, primum ac summum Tholosana ciuitas sanctum Saturninum habere cœperat sacerdotem. Hi ergo missi sunt: Turonicis Gratianus Episcopus, Arelatensibus Trophimus Episcopus, Narbonæ Paulus Episcopus, Tholosæ Saturninus Episcopus, Parisianis Dionysius Episcopus, Auernis Astremonius Episcopus, Lemouicinis Martialis est destinatus Episcopus. De his verò beatus Dionysius Parisiorum Episcopus, diuersis pro Christi nomine affectus pœnis præsentem vitam gladio imminente finiuit. Saturninus verò iam securus de martyrio, dixit duobus presbyteris suis: Ecce ego iam immolor, & tempus meæ resolutionis instat. Rogo, vt vsque dum debitum finem impleam, à vobis penitus non relinquar. Cumque comprehensus ad Capitolium duceretur, relictus ab his solus attrahitur. Igitur cùm se ab illis cerneret derelictum, orasse fertur: Domine Iesu Christe, exaudi me de cœlo sancto tuo, vt nunquam Ecclesia de his ciuibus dignetur habere Pontificem in sempiternum: Quod vsque nunc in ipsa ciuitate ita euenisse cognouimus. Ipse verò taurinis vestigijs alligatus, ac de Capitolio præcipitatus vitam finiuit. Gratianus verò, Trophimus, Astremoniusque & Paulus, atque Martialis, in summa sanctitate viuentes, post acquisitos Ecclesiæ populos, ac fidem Christi per omnia dilatatam, felici confessione migrarunt. Et sic tam illi per martyrium, quàm isti per confessionem relinquentes terras, in cœlestibus pariter sunt coniuncti.

1 Vides ad Romanam Ecclesiã pertinere solicitudinem omnium Ecclesiarum. Nã ideo hos misit in Gallias, quia ipsa omnium regnorũ mater est, et magistra

VITA SANCTI SIXTI PAPAE ET MARTYRIS, AC sanctorum Felicissimi & Agapiti martyrum, per eundem Adonem collecta.

ROMÆ via Appia in cœmiterio Calixti natale sancti Sixti Papæ & martyris, & in cœmiterio Prætextati sanctorum Felicissimi, & Agapiti diaconorum eiusdem, sub Decio Imperatore, Valeriano Præfecto. Qui tenuit beatissimum senem Sixtum, Episcopum Romanum cum omni clero suo, & reclusit eos in custodia publica, & fuerunt ibi clausi multis diebus. Factum est autem, vt Decius Cæsar & Valerianus præfectus iuberent sibi beatum Sixtum Episcopum cum clero suo præsentari noctu intra ciuitatem in Tellude.

Habetur in eius martyrolog. sub viij. Id. Aprilis.

Tellude. Cui Decius Cæsar dixit, scis cur tentus, & conuentione publica nobis præsentatus es? Respondit Sixtus: Scio, & bene scio. Decius dixit: Ergo si scis, fac vt vniuersi sciant, & tu viuas, & clerus tuus augeatur. Beatus Sixtus respondit: Verè feci & facio, vt clerus meus augeatur. Cui Decius: Ergo sacrifica dijs immortalibus, & esto princeps sacerdotum. Ad hoc sanctus Episcopus: Ego semper sacrificaui, & sacrificabo Deo patri omnipotenti, & Domino Iesu Christo filio eius, & spiritui sancto hostiam puram & immaculatam. Túc ex præcepto Decij duxerunt eum milites ad templū Martis, vt sacrificijs coinquinaretur. Sed contemnentem sacrificare recluserunt eum in custodia priuata cum duobus diaconis, Felicissimo & Agapito. Cumque duceretur, his verbis beatus eum Laurentius Archidiaconus cœpit compellare. Quo progrederis sine filio Pater? Quò sacerdos sancte sine diacono properas? Tu nunquam sine ministerio sacrificium offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit tibi pater? Num degenerem probasti? Experire certè vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici 1 sanguinis dispensationem, cui consummandorum consortium sacramentorum credidisti, huic sanguinis tui consortium negas? Vide ne periclitetur iudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimentum magistri est. Quid, quòd illustrius præstantes viri discipulorum certaminibus, quàm suis vincunt? Denique Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit. Et tu pater ostende in filio virtutem tuam, offer quem erudisti, vt securus iudicij tui comitatu nobili peruenias ad coronam. Tunc beatus Sixtus ait: Non ego te derelinquo fili, nec desero, sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus, te quasi iuuenem gloriosior de tyranno triumphus expectat. Mox venies: Flere desiste. Post triduum me sequêris. Inter sacerdotem & leuitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres, qui consortium passionis meæ expetis. Totam tibi hæreditatem dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Helias Heliseum reliquit, & virtutem non abstulit. Et dixit beatus Sixtus ad beatum Laurentium: Accipe facultates Ecclesiæ, vel thesauros, & diuide pauperibus quibus tibi videbitur. Accepta potestate beatus Laurentius, cœpit peregrinos studiosè quærere, & vbicunque sancti clerici, vel pauperes essent absconsi, & portans thesauros, prout cuique opus erat, ministrabat. Igitur post hoc beatus Sixtus reducitur in Telludem, vt audiretur, & cum eo diaconi Felicissimus & Agapitus. Et sedente Decio ac Valeriano, præsentatus est beatus Sixtus. Ad quem Decius iracundia plenus: Nos, inquit, consulimus senectuti tuæ, audi præcepta nostra, & sacrifica. Respondit beatus Sixtus: Miser tu tibi consule, & noli blasphemare, sed age pœnitentiam de sanguine sanctorum, quem effudisti. Tunc monente Valeriano, iussit Decius, vt ducerentur ad templum Martis, & si nollent sacrificare, in eodem loco capite truncarentur. Educti ergo foras murum portæ Appiæ, dixit beatus Sixtus ad templum Martis: Destruat te Christus filius Dei viui. Cumque respondissent omnes Christiani: Amen: subitò cecidit aliqua pars templi, & comminuta est. Tunc beatus Laurentius cœpit clamare: Non me derelinquas pater sancte, quia thesauros tuos iam expendi, quos tradidisti mihi. Milites autem audientes de thesauris, tenuerunt beatum Laurentium Archidiaconum. Sanctos verò Sixtum, Felicissimum, & Agapitum duxerunt in cliuum Martis ante templum, & ibi decollati sunt viij. Idus Augusti: noctu autem venerunt 2 clerici, & maxima pars Christianorum, & collegerunt corpora sanctorum, & sepelierunt beatum Sixtum in cripta, in cœmiterio Calixti in eadem via. Sanctos verò Felicissimum, & Agapitum martyres sepelierunt in cœmiterio Prætextati. Decollati autem sunt cum eis & alij quatuor, vt in gestis Pontificalibus legitur, Ianuarius, Magnus, Vincentius, Stephanus subdiaconi. Passus est & cum eis beatus Quartus, vt scribit beatus Cyprianus. Hic beatus Sixtus apud Athenas natus & doctus, prius quidem philosophus, postea Christi discipulus fuit. Sedit in Episcopatu anno vno, mensibus decem, diebus vigintitribus.

1 Ex his verbis clarißimis patet, quod in calice rite consecrato verus Christi sanguis cōtinetur.

2 Clerici cum maxima parte Christianorum collegerunt sanctorū corpora, & sepelierūt ea in cœmiterijs Calixti & Prætextati.

VITA SANCTI LAVRENTII MARTYRIS, PER diuersos authores scripta.

Est sermo. 1. D. Augustini in festo eiusdem.

BEatissimi Laurentij martyris, cuius natalem hodie celebramus, passionem nosse vos credo: & quanta in persecutione pertulerit, dilectionem vestram scire posse non dubito. Tanta enim eius martyrij gloria extitit, vt passione sua mundū illuminauerit vniuersum: Illuminauit mundum plane Laurētius eo lumine, quo ipse accēsus est, & flammis quas ipse pertulit, omnium Christianorum corda calefecit. Quis nolit ad horam vri Laurentij igne, vt æternum gehennæ non patiatur incendium? beati igitur Laurentij exemplo prouocamur ad martyrium, & accēdimur ad fidem, incalescimus ad deuotionem: & si in nobis persecutoris flamma deest

ma deest, fidei tamen flamma non deest. Non ardemus quidem corpore pro Christo, sed ardemus affectu. Non subijcit mihi persecutor ignem, sed subijcit desiderium Saluatoris. Esse autem Saluatoris ignem legimus in Euangelio, dicente eodem Domino: Nescitis quia veni ignem mittere in terram, & quid volo nisi vt accendatur? Quo igne succensi illi duo discipuli dixerunt: Nónne cor nostrum ardens erat in nobis, dum loqueretur in via, & aperiret nobis scripturas? Hoc igitur igne beatus Laurentius accensus flammarum non sentit incendium: & dum Christi ardet desiderio, persecutoris pœnam non sentit. In quantum enim in illo fidei ardor fuerit, in tantum supplicij flamma frigescit. Corporali enim beatus Laurentius laborat incendio: sed diuinus Saluatoris ardor materialem tyranni restrinxit ardorem. Quamuis enim in fauilla membra soluantur, fidei tamen fortitudo non soluitur. Corporis quidem detrimentum sustinet, sed lucrum salutis acquirit. Non enim fratres beatus Laurentius breui vel simplici passione perimitur. Nam qui gladio percutitur, semel moritur: qui in flammarum camino mergitur, vno impetu liberatur: hic autem longa & multiplici pœna cruciatur, vt mors ei adsit ad supplicium, & desit ad finem. Dicitur enim ab illo sæuissimo persecutote hæc beata Laurentio consticuta pœna, vt ardentium exposita massa carbonum, insuper eum ferrea crate distentum lenta flamma consumeret, vt non tam inflammando citò interimeret hominem, quàm diu exurendo torqueret: ita vt cùm vnum latus exustum persecutor cerneret, aliud latus ignibus obijceret exurendum. Legimus Ananiam, Azariam, & Misaëlem beatissimos pueros à rege in camino ignis inclusos, in pœnarum suarum deambulasse flammis, & igneos globos pedibus conculcasse. Vnde & beatus Laurentius non minori est gloria præferendus. Siquidem illi in pœnarum suarum flammis ambulabant, hic & in ipso supplicij sui igne discumbit. Illi vestigijs pedum conculcârunt incendia: iste laterum suorum diffusione extinguit. Illi, inquam, stantes in pœna eleuatis manibus orabant ad Dominum: hic autem prostratus in sua pœna toto corpore Dominum deprecatur. Iterum ergo beatus Laurentius in dorsum supinus vertitur, & renes eius ignibus exuruntur, vt impleretur Psalmi Prophetia, quæ dicit ex persona Laurentij: Proba me Domine, & tenta me: vre renes meos, vt cor meum. Vre, inquit, renes meos, & cor meum. Duplici se postulat igne comburi. Nam si de solo mundi igne loqueretur, sufficeret renes tantùm exurendos incendijs obtulisse: Cor autem nisi flamma Christi non vrit. Atque ideo ad comprobandam deuotionem suam geminum sibi ignem postulat, vt luctamine habito ostendat in se plus posse amorem Christi, quàm pœnam tyranni. Oremus igitur fratres beatum Laurentium, qui dum fide sua persecutoris flammas vicit, ostendit nobis per ignem fidei gehennæ incendia superari, & amore Christi diem iudicij non timeri. Nos verò, fratres dilectissimi, si ad consortium sanctorum martyrum peruenire volumus, de imitatione martyrum cogitemus. Debent enim in nobis aliquid de suis virtutibus recognoscere, vt pro nobis dignentur Domino 1 supplicare. Si enim tormenta, quæ sancti martyres pertulerût, sufferre non possumus, vel contra malas concupiscentias ipsis intercedentibus repugnemus. Et quia non desunt quotidiana peccata, non desint etiam quotidiana remedia. Nemo se credat aliquam felicitatem, aut aliquod verum gaudium in hoc seculo possidere. Beatitudinem hic præparare potest, possidere non potest. Duo sibi tempora ordine suo succendunt, tempus flendi, & tempus ridendi. Nemo se circûueniat, fratres, non est in hoc mundo tempus ridendi. Scimus, fratres, quod omnis homo gaudere desiderat: sed non toti ibi quærunt gaudium, vbi oportet inquiri. Verùm in hoc mundo gaudium nec fuit, nec est, nec esse poterit. Sic enim ipse Dominus in Euangelio suos discipulos admonet, dicens: In hoc mundo pressuram habebitis. Et iterum: Mundus gaudebit, vos autem contristabimini: sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Ac si in hac vita cum 2 labore & dolore quod bonum est, auxiliante Domino faciamus, vt in futuro seculo bonorum fructus colligere cum gaudio & exultatione possimus. Dicit Dominus in Euangelio: Cui simile est regnum Dei? Et cui simile illud æstimabo? Simile est grano sinapis, quod acceptum homo misit in hortum suum, & creuit, & facta est arbor, & volucres cœli requieuerunt in ramis eius. Mouet fortasse sensus vestros, quare regnum Dei tam præclarum atque magnificum grano sinapis exiguo comparetur, & spei nostræ in se tam grande solatium rei vilissimæ simile esse dicamus, præsertim cum alibi idem Dominus discipulis suis dicat: Si habueritis fidem sicut granum sinapis, dicetis huic monti: Tollere, & iactare in mare, & fiet. Igitur si fides tanta est, quæ potest ab ipsis sedibus montium fundamenta transferre, necessariò & granum sinapis magnum est, ad cuius similitudinem fidem habere compellimur. Magnum autem dixerimus, non specie, sed virtute, & fidei non æqualitate oleris comparandum, sed vigore acrimoniæ coæquandum. Nam si diligenter intendamus, inueniemus à Domino rectè hanc similitudinem comparatam. Sicut enim granum sinapis prima fronte speciei suæ est paruû, vile, despectum, non saporem

1 Vt pro nobis dignentur Domino supplicare. Ergo sancti martyres Deum pro nobis orant: quod est contra nostri temporis Nouatores.

2 Nota hæretice, quod oportet hic cum labore & dolore quod bonû est facere, si vis in futuro seculo horum fructus colligere. Non ergo sufficit inanis illa fides tua.

Est ser. 2. eiusdê in eodem festo.

ſaporem præſtans, non odorem circumferens, non indicans ſuauitatem: at vbi teri cœperit, ſtatim odorem ſuum fundit, acrimoniam exhibet, cibum flammei ſaporis exhalat, & tanto caloris feruore ſuccenditur, vt mirum ſit in tam friuolis tãtum ignem fuiſſe concluſum. Cuius etiam ſemen in cibum homines hyemis præcipuè tempore magna pro ſuauitate percipiunt, quatenus repellant frigora, humores egerãt, viſcerum interna calefaciant. Sæpè etiam ex hoc capiti adhibent medicinam, vt ſi quid inualidum, ſi quid ægrotum fuerit, ſinapis igne curetur. Ita ergo & fides Chriſtiana prima fronte videtur eſſe parua, vilis, & tenuis, non potentiam ſuam oſtendens, non ſuperbiam præferens, nõ gratiam ſubminiſtrans. At vbi diuerſis tentationibus teri cœperit, ſtatim vigorem ſuum prodit, acrimoniam indicat, calorem dominicæ credulitatis aſpirat, & tanto diuini ignis ardore iactatur, vt & ipſa ferueat, & participantes ſibi ardere compellat. Sicut in ſancto Euangelio duo ex diſcipulis dixerunt, dum cum ipſis poſt paſſionem ſuam Dominus loqueretur: Nónne cor noſtrum erat ardens in nobis in via, dum aperiret nobis ſcripturas Dominus Ieſus? Ergo granum ſinapis, membrorum viſcera calefecit: fidei 3 autem vigor cordium peccata comburit. Et illud quidem aſperum algorem frigoris remouet: hæc autem delictorum diabolicum frigus expellit. Sinapis, inquam, granum humores decoquit corporum: fides autem libidinum fluenta conſumit, & per illud medicina capitis procuratur: per fidem autẽ ſpiritale caput noſtrum, quod eſt Chriſtus Dominus, ſæpius refouetur. Sed & fidei, iuxta comparationem ſinapis, ſancto odore perfruimur, ſicut ait beatus Apoſtolus: Quoniam Chriſti bonus odor ſumus Deo. Igitur ſanctum martyrem Laurentium grano ſinapis poſſumus comparare, qui diuerſis attritus paſſionibus, per totum orbem gratia meruit ſui fragrare martyrij. Qui antè conſtitutus in corpore erat humilis, ignotus, & vilis: poſteaquã vexatus, laceratus, exuſtus eſt, vniuerſis per totum mundum Eccleſiis odorem ſuæ nobilitatis infudit. Rectè igitur huic comparatio copulatur. Siquidem granum ſinapis cùm teritur, accenditur: Laurentius cùm patitur inflammatur. Illud feruor attritionis ſuæ mouet: hic ignem plurima vexatione ſuſpirat. Sinapis, inquam, in vaſculo calido decoquitur: Laurentius in craticula flammarum igne torretur. Ardebat itaque extrinſecus beatus Laurentius martyr tyranni ſæuientis incendiis: ſed maior illum intrinſecus Chriſti amoris flamma torrebat. Et quamuis Rex improbus ligna ſubijceret, incendia maiora ſupponeret, tamen ſanctus Laurentius has flammas fidei calore non ſentit: & dum Chriſti præcepta cogitat, frigidum eſt illi omne quod patitur. Nec enim poteſt in viſceribus ignium tormenta ſentire, qui ſenſibus paradyſi refrigeria poſſidebat. Licet iaceat ante pedes tyranni exuſta caro, corpus exanime: nihil tamen detrimenti patitur in terris, cuius animus demoratur in cœlis. Extenditur ergo ſuper flammarum ignitos globos, & verſatur in latera: ſed quantum plus pœnarum tormenta patitur, tantò amplius Chriſtum Dominũ pertimeſcit. Nouo admirationis genere alius illum torquet, & alij ſæuientis tormenta proficiunt. Deuotiorem Laurentium ſaluatori ſupplicia atrociora fecerunt. 4 Sanctum eſt, fratres, ac Deo placitum, vt natalem beati Laurentij præcipua deuotione veneremur, cuius radiantibus flammis victrix in húc quoque diem toto orbe Chriſti corruſcat Eccleſia. Qui cùm in ſede glorioſiſſimi patriarchæ diaconatus fungeretur officio, puritate innocentis vitæ, fortiſſimæque mortis triumpho, Apoſtolico ſe conſortio copulauit. Nec immeritò eum Apoſtolorũ ſupparem prædicamus, cui & caſtitas animi Leuiticum miniſterium dedit, & plenitudo fidei martyrij contulit dignitatem. Quem venerabilis Xiſtus Romanæ vrbis antiſtes, cùm impietatem ſæuientis mundi per tormenta ſuperaret, & regnis eſſet cœleſtibus iam vicinus, videretque eum paterna de morte triſtiſſimum, ita ſpiritu præſcientiæ compellaſſe narratur: Noli fili, mœſtus eſſe, poſt triduum me ſequeris. Vnde apparet, chariſſimi, beatum Laurentium non de ſacerdotis ſui victoria habuiſſe triſtitiã, ſed doluiſſe, quia non etiã ipſe mundũ cum ſuo pariter ſacerdote vincebat. Noli (inquit) fili mœſtus eſſe, poſt triduũ me ſequeris, hoc eſt, noli triſtis eſſe, velut apud ſeculum derelictus. Nam nec te fides, vitaq; tua tali morte priuabit. Nulla te de meo tranſitu, quo ego gaudeo, perturbet anxietas, quia mox & tu habiturus es de tua paſſione lætitiam. Verè beati Laurentij gloria ſingularis, qui tantum de Deo ſuo conſecutus eſt gratiæ, vt ei martyr de Martyrio prophetaret, quem pro ſuorum 5 prærogatiua meritorũ antè victoria lætificauit, quàm pugna terreret. Ergo vt comperit ore ſacerdotis & martyris, ſe quoque omnimodo aſſumendum, congregatis inopum turbis Eccleſiaſticum ſenſum religioſa liberalitate diuiſit. Quàm profundum ſpiritalis viri, & quàm cœleſte conſilium, vt & egenis conſuleret, & multitudine conſumente quæ dederat, inueniri non poſſit quod raperet perſecutor: illam nimirum ſecutus ſententiam: Diſperſit, dedit pauperibus: iuſtitia eius manet in æternum. Miſericordiæ fuit, quòd alimoniam pauperibus dedit: iuſtitiæ autem, quòd vt vir prudentiſſimus procurauit, ne ſanctorum ſubſtantiam auaris manibus ſacrilegus occuparet. Iuſtitia, inquit, eius manet in æternum. Quomodo non hæc ei in æternum manebit iuſtitia, quod & ſancto im-

3 Quæ hic dicũtur de fide, intellige de fœcunda & feraci quæ per dilectione operatur, non autem de inani illa Luteranorum quæ ſine operibus mortua eſt.

Eſt ſer. 1. D. Maximi Epiſcopi in feſto S. Laurentij.

4 Sanctum eſt & Deo placitum, Natalem B. Laurẽtij præcipua deuotione venerari.

5 Prærogatiua meritorum Laurentij: ergo ſancti habent merita, & merita ſtant cum gratia Dei, vt hic aperte vides, contra prophanũ dogma hæreticorum noſtri temporis.

impleuit opere, & gloriosissimo martyrio consecrauit? Hoc itaque dolore furor gentilis accensus, craticulam continuò parat ignitam, super quam cremandum Laurentium per membra discinderet, vt indignationis suæ flammas impiis ignibus vindicaret. Ardet profectò totis visceribus fortissimus martyr, & vritur: sed regnum cœli, promissaque Dei fideli mente pertractans, refrigerio conscientiæ victricis exultat. Nec pœnali flexus incendio est, cuius in pectore insuperabili sancti spiritus flamma feruebat. Aut nunquid cedere poterat momentaneæ corporis vstioni, cuius fides æternum gehennæ extinguebat ardorem? Superatis itaque flammarum ministris, omne mundanæ insaniæ refrixit incendium, & ad hoc vsque diabolica profecit intentio, vt & vir fidelis ad Deum suum gloriosus ascenderet, & crudelitas prosequentium cum suis ignibus confusa torpesceret.

Sicut patrum nostrorum, fratres charissimi, non incerta relatione didicimus, cùm venerabilis Xistus Apostolicæ sedis sacerdotio fungeretur, & sanctissimo Laurentij Archidiaconi ministerio Romana floreret Ecclesia, inuidia ardente diaboli aduersus nomen & fidem Christi, flamma durissimæ persecutionis incanduit, atque vt perniciosius Dominicum gregem feralis bestiæ rabies insatiata laniaret, nocendi artifex inimicus, peruigilis prius molitur custodiam pastoris eripere. Et ideo Xistum ante omnes summum Domini sacerdotē furor gentilis aggreditur, vt Ecclesiastica membra tam valido truncata capite, velut munimine præsidij cœlestis amoto, cruentus persecutor inuaderet. Sed magnus ille Xistus, qui commissis sibi à Deo ouibus assuerat pastor in terris, aderat patronus è cœlo. Denique sanctum Laurentium, quasi iam pontificis sui solatio destitutum, ad subeunda supplicia manus pagana perquirit, quem mirabilis Xistus aduersus omnia sæuientis mūdi mala vaticinio prophetici sermonis armauit. Nam cùm idem Laurentius passionem paternam, vt piissimus filius inconsolabili mœrore defleret, Xistus 6 præscientia sancti spiritus edocente, futura dinoscens, ait illi: Depone omnē, fili, de mea morte tristitiam. Nec enim diu mea te contristabit absentia, post triduum me sequeris. Quo responso mens deuota percepto, indubitatam suscipiens optimo ab antistite Christi martyre veritatē, nihil magis præ omnibus curat, quàm vt auaritia persequentis, quod de morte sanctorum contristabat Ecclesiam, de præda Ecclesiæ gaudium non haberet, inuenit vir prudētissimus, vnde acrius suum possit torquere tortorem. Omnē igitur Ecclesiæ censum, cunctaq; sacri vasa ministerij, ne ea sacrilegus macularet aspectus, conuocatis inopum turbis, pia erogatione distribuit, vt futurus martyr in retributione cœlesti pariter & mercede sui sanguinis, & tantæ liberalitatis præmio ditaretur. Non dubitans & in semetipso se fidem Christo suo, & Ecclesiasticas opes in pauperibus seruaturum. Propter quod protinus ad tribunal rapitur impiorum, vir simplicitate innocens, virtute fortissimus, nihil sanè aliud deferens iudicanti, quàm viuæ mentis constantiā, & illæsæ consciētiæ puritatem, deuotam Deo offerens animam, & castissimum tradens persequenti corpus ad pœnam, illud Euangelicum seruans: Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Excogitatur itaque in Laurentium ferale tormentum, vt qui metu mortis nō mouebatur, acerbitate supplicij frangeretur: sed quem suarum confortabat multitudo virtutum, non poterat vincere magnitudo pœnarum. Paratur ergo craticula igne succensa, quæ triumphalis martyris & animum fatigaret, & corpus exureret. Sed ignara verbi turba persequentium, & diabolicis obcœcata tenebris non videbat, quòd adustio illa membrorum fidelis animi esset æterna purgatio: & corpus, quod corrumpentibus flammis præsens vita desereret, ad incorruptionem viuendi damnata morte transiret. Verè incomparabile salutaris fidei huius sacramentum, quo per tormenta beatitudo quæritur, & flammis refrigerium præparatur, vt ait patriarcha Dauid, verbis martyrum dicens: Transiuimus per ignem & aquam, & induxisti nos in refrigerium. Transibat per ignem & aquam beatus Laurentius, cùm hinc eum mortifera mundi flamma torreret, hinc cœlestis regni irrigui vitalis vnda perfunderet. Transibat per ignem & aquam, cùm vim furentis incendij, diuini fontis clementia temperaret. Ardebat ergo Laurentius, sed vincebat ignis ille, de quo ait Saluator: Ignem veni mittere in terram, & quàm volo vt ardeat? ô nouum mirandumque certamen vnius eiusdemq; viri: & flammis corpus vrebatur, & ardentis fidei calore mens ignita feruebat: sicut loquebantur ad inuicem Euangelici illi viri dicentes: Nónne cor nostrum erat ardens in nobis in via? Vbi ergo cor ardet, flammam membra non sentiunt: vbi Christi ignis operatur, diaboli necesse est vincatur incendium: & vbi Dei spiritus feruet, frigida fit flamma mortalium. Et hinc est, charissimi, quòd 7 triumphum beati Laurentij totus vbique mundus consona hodie deuotione concelebrat: hinc quòd insuperabilem fidem eius lætior Roma miratur, quia radiis æterni solis accensus, ignem seculi patienter sustinuit, & confidenter euasit. Beatissimi Laurentij, fratres charissimi, annua semperque noua festiuitas Ecclesiam Dei iugiter in gaudia lætitiæ spiritualis accendit, admonens vniuersitatem credentium, vt sicut ille perfectæ deuotionis ardore furentibus non cessit incendiis, ita nos diuersarum tribulationum

Est sermo secūdus, vbi supra.

6 Beatus Xistus martyr aderat Laurentio patronus è cœlo.

7 Triumphū Laurentij totus vbiq; mundus consona hodie deuotione concelebrat.

Est sermo 3. ibi.

8 Annua semperque noua beatiss. Laurentij festiuitas, Ecclesiam Dei iugiter in gaudia lætitiæ spiritualis accendit. Celebrabatur ergo etiam tunc D. Laurentij festum.

ignis, & malorum secularium flamma à Christi societate non moueat: vt ait ille mysteriorum cœlestium doctor, ac totius virtutis exemplum gloriosissimus Paulus: Quis nos separabit à charitate Christi, tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculum, an gladius? Et verè nullis præsentium persecutionum potest inclinari periculis, qui semel promissa omnipotentis Dei æterna largissimi Redemptoris præmia fide stabili, & inconcussa mente concepit. Neque enim potest arduum illud præcelsumque bonorum immortalium iter debilis animus & fides clausa conscendere. Ideo & fortissimum martyrem incumbentium tormenta pœnarum, & sæuissimi persecutoris superare flamma non potuit, quia longè ardentius veritatis radiis mens eius accensa feruebat. Vnde nec potuit de infatigabili eius pectore calorem diuinitus infusum corpore, vt ille, & mortalium ministratus manibus ignis excludere. De hoc validissimo Christi milite illud credendum est dictum, quod ante multa annorum millia prænunciatum est per Prophetam dicentem: Et si transeas per ignem, flamma te non comburet. Ecce enim beatus Laurentius transiuit per ignem, quo non adustus inhorruit, sed illuminatus effulsit: transiuit per ignem momentaneum atque terrenum, sed flammam gehennæ perpetuò exurentis euasit. Quid hoc beatius viro, qui miserantis Dei dispensante gratia arsit, ne arderet, vt ne vreretur, exustus est? Qui si nullis esset ignibus ac suppliciis traditus, fuerat quidem securitas libertatis, sed nulla extiterat gloria dimicantis. Ad hoc enim nos exemplis atque doctrinis in Ecclesia sua Christus erudit, non vt nihil mali patiamur in hoc mundo, sed vt mundum multimoda passione vincamus.

Cecinit quondam variis tribulationibus coartatus ille clarissimus Prophetarum patriarcha Dauid, dicens: Concaluit cor meum intra me, & in meditatione mea exardescet ignis. Quæ sententia etiam venerabili Laurentio conuenire manifestum est, cuius cor tanta in fide Christi magnanimitate concaluit, vt despectis proprij corporis cruciatibus, insanissimo tortori suo, triũphatis eius ignibus lætus illuderet. Verè in meditatione eius insuperabilis exarsit ignis, qui odio perfidiæ, & amore veritatis accensus, appositam sibi extrinsecus flammam aut non sensit, aut vicit. Propter quod, charissimi, exultemus, & lætemur in Domino, non dubitantes & persecutorem martyris pro ignibus, quos accendit, præparata impiis incendia sustinere, & ipsum beatissimum martyrem pro flamma, quam pertulit, apud omnipotentem Deum incorruptæ lucis illuminatione fulgere.

VITA SANCTI LAVRENTII MARTYRIS, PER D. Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

Habetur libro 1. officiorum eius cap. 41.

NON prætereamus sanctum Laurentium, qui cùm videret Sixtum Episcopum suum ad martyrium duci, flere cœpit, non passionem illius, sed suam remansionem. Itaq; his verbis appellare cœpit: Quo progrederis sine filio pater? Quo sacerdos sancte sine diacono properas? Nunquam sacrificium sine ministro offerre consueueras. Quid in me ergo displicuit pater? Num degenerem probasti? Experire certè, vtrum idoneum ministrum elegeris, cui commisisti Dominici sanguinis consecrationem, cui consummandorum consortium sacramentorum, huic consortium tui sanguinis negas? Vide ne pericliteturiudicium tuum, dum fortitudo laudatur. Abiectio discipuli, detrimentum est magistri. Quid, quòd illustres, & præstantes viri discipulorum certaminibus magis quàm suis vincunt? Deniq; Abraham filium obtulit, Petrus Stephanum præmisit: Et tu pater ostende in filio virtutem tuam: offer quem erudisti, vt securus iudicij tui comitatu nobili præuenias ad coronam. Tunc Sixtus: Non ego te fili relinquo, ac desero, sed maiora tibi debentur certamina. Nos quasi senes leuioris pugnæ cursum recipimus, te quasi iuuenem manet gloriosior de tyranno triumphus. Mox venies, flere desiste, post triduum me sequêris. Inter sacerdotem & Leuitam hic medius numerus decet. Non erat tuum sub magistro vincere, quasi adiutorem quæreres. Quid consortium passionis meæ expetis? Totam tibi hæreditatē eius dimitto. Quid præsentiam meam requiris? Infirmi discipuli magistrum præcedant, fortes sequantur: vt vincant sine magistro, qui iam non indigent magisterio. Sic & Helias Helisæum reliquit. Tibi ergo commendo nostræ virtutis successionem. Talis erat contentio, digna sanè de qua certarent sacerdos & minister, quis prius pateretur pro Christi nomine. In fabulis ferunt tragicis, excitatos theatri magnos esse plausus, cùm se Pylades Orestem diceret: Orestes, vt erat, Orestem se esse asseueraret: ille vt pro Oreste necaretur, Orestes ne Pyladem pro se pateretur necari: sed illis non licebat viuere, quòd vterque esset parricidij reus: alter qui fecisset, alter qui adiuuisset. Hic Laurentium sanctum ad hoc nullus vrgebat nisi amor deuotionis, tamen & ipse post triduum, cùm illuso tyranno impositus super craticulam exureretur: Assum est, inquit, versa & manduca. Ita animi virtute vincebat ignis naturam.

ADHVC

ADHVC DE EODEM, PER EVNdem Ambrosium.

HOc maximum incentiuum misericordiæ, vt compatiamur alienis calamitatibus, necessitates aliorum quantum possumus iuuemus, & plus interdum quàm possumus. Melius est enim pro misericordia causas præstare, vel inuidiam perpeti, quàm prætendere inclementiam: vt nos aliquando in inuidiam incidimus, qui confregerimus vasa mystica, vt 1 captiuos redimeremus, quod Arrianis displicere poterat, nec tam factum displicere, quàm vt esset quod in nobis reprehenderent. Quis autem est tam durus, immitis, ferreus, cui displiceat quòd homo redimitur à morte: fœmina ab impuritatibus Barbarorum, quæ grauiores morte sunt: adolescentulæ, vel pueruli, vel infantes ab idolorum contagiis, quibus mortis metu inquinabantur? Quam causam nos etsi non sine ratione aliqua gessimus, tamen ita in populo prosecuti sumus, vt confiteremur, multosque fuisse commodius astruemus, vt animas Domino, quàm aurum seruaremus. Qui enim sine auro misit Apostolos, & Ecclesias sine auro congregauit. Aurum Ecclesia habet non vt seruet, sed vt eroget, & subueniat in necessitatibus. Quid opus custodire quod nihil adiuuat? An ignoramus quantum auri atque argenti de templo Domini Assyrij sustulerint? Nónne melius conflat sacerdos propter alimoniam pauperum, si alia subsidia desint, quàm sacrilegus contaminata asportet hostis? Nónne dicturus est Dominus: Cur passus es tot inopes fame emori? Et certè habebas aurum, vt ministrasses alimoniam, cur tot captiui deducti in commercium sunt, nec redempti? Cur tot ab hoste occisi sunt? Melius fuerat, vt vasa viuentium seruares, quàm metallorum? His non posset responsum referri. Quid enim diceres? Timui ne templo Dei ornatus deesset. Responderet: Aurum 2 sacramenta non quærunt, neque auro placent, quæ auro non emuntur. Ornatus sacramentorum, redemptio captiuorum est. Et verè illa sunt vasa pretiosa, quæ redimunt animas à morte. Ille verè thesaurus est Domini, qui operatur quod sanguis eius operatus est. Tunc vas Dominici sanguinis agnosco, cùm in vtroque video redemptionem, vt calix ab hoste redimat, quos sanguis a peccato redimit. Quàm pulchrum, vt cùm agmina captiuorum ab Ecclesia redimuntur, dicatur: Hos Christus redemit: Ecce aurum quod probari potest: Ecce aurum vtile: Ecce aurum Christi, quod à morte liberat: Ecce aurum quod redimitur pudicitia, seruatur castitas. Hos ergo malui vobis liberos tradere, quàm aurū reseruare. Hic numerus captiuorum, hic ordo præstantior est, quàm species poculorum. Huic muneri proficere debuit aurum redemptoris, vt redimeret periclitantes. Agnosco infuso auro sanguinem Christi, non solùm irrutilasse, verumetiam diuinæ operationis impressisse virtutem redemptionis munere. Tale aurum sanctus martyr Laurentius Domino reseruauit, à quo cùm quærerentur thesauri Ecclesiæ, promisit demonstraturum se, sequenti die pauperes duxit. Interrogatus vbi essent thesauri quos promiserat, ostendit pauperes, dicens: Hi sunt thesauri Ecclesiæ. Et verè thesauri, in quibus Christus est: in quibus Christi fides est. Denique Apostolus ait: Habemus thesaurum in vasis fictilibus. Quos meliores thesauros habet Christus, quàm eos in quibus se esse dixit? Sic enim scriptum est: Esuriui, & dedistis mihi manducare: sitiui, & dedistis mihi bibere: hospes eram, & collegistis me. Et infrà: Quod enim vni horum fecistis, mihi fecistis. Quos meliores Iesus habet thesauros, quàm eos in quibus amat videri? Hos thesauros demonstrauit Laurentius, & vicit, quòd eos nec persecutor potuit auferre. Itaque Ioachim qui aurum in obsidione seruabat, nec dispensabat alimoniæ comparandæ, & aurum vidit diripi, & se in captiuitatem deduci. Laurentius qui aurum 3 Ecclesiæ maluit erogare pauperibus, quàm persecutori recusare, pro singulari interpretationis viuacitate sacram martyrij accepit coronam. Nunquid dictum est sancto Laurentio: Non debuisti erogare thesauros Ecclesiæ, vasa sacramentorum vendere? Opus est, vt si quis fide syncera & perspicaci prouidentia munus hoc impleat, sanè si in sua aliquis deriuat emolumenta, crimen est. Sin verò pauperibus erogat, captiuum redimit, misericordia est. Nemo enim potest dicere, cur pauper viuit. Nemo potest queri, quia captiui redempti sunt. Nemo potest accusare, quia templum Dei ædificatum est. Nemo potest indignari, quia humandis fidelium reliquiis spatia laxata sunt. Nemo potest dolere, quia in sepulturis Christianorum, requies defunctorum est. In his tribus generibus vasa Ecclesiæ etiam initiata confringere, conflare, vendere licet. Opus est vt de Ecclesia mystici poculi forma non exeat, ne ad vsus nefarios sacri calicis ministerium transferatur. Ideo intra Ecclesiam primum quæsita sunt vasa quæ initiata non essent, deinde comminuta, postremò conflata per minutas erogationes dispensata egentibus, captiuorum quoque pretiis profecerunt. Quod si desunt noua, & quæ nequaquam initiata videantur, in huiusmodi vsus, quos supra diximus, arbitror, omnia piè posse conuerti.

Habetur libro 2. officiorū ca. 28.

1 *Vides quòd pro redēptione captiuorū Ecclesiæ vasa eroganda sunt? Quod tamē sobriè intellige, nēpe cùm non aliunde redimi possunt, hoc te docet paulò infra Ambrosius ipse.*

2 *Non credas hæretice sanctū virum hic detestari Ecclesiæ vasa aurea vel argentea, cū plurimi sancti viri huiusmodi Ecclesiis donauerint, quod non fecissent si Deo minimè placere credidissent. Sed loquitur sanctus in casu proposito, videlicet in necessitatibus pauperū, & cùm alia subsidia desunt.*

3 *Vide fortè & alium casum erogandi sacra vasa, cùm videlicet est probabilis cōiectura quod perueniāt in manus sacrilegorū tyrannorum, persequentium Ecclesiæ. Quod tangere infra etiā videtur Ambrosius.*

ITEM VITA SANCTI LAVRENTII MARTYris, per diuum Leonem Papam scripta.

Est sermo habitus per eundē in die natiuitatis eius.

CVM omnium, dilectissimi, summa virtutum, & totius plenitudo iustitiæ, de illo amore nascatur, quo Deus proximusque diligitur, in nullis profectò hic amor sublimius excellere, clariusque fulgere, quàm in beatissimis martyribus inuenitur, qui Domino nostro Iesu Christo pro omnibus hominibus mortuo, tam propinqui sunt imitatione charitatis, quàm similitudine passionis. Quāuis illi dilectioni, qua Dominus nos redemit, nulla cuiusquam benignitas possit æquari, quia aliud est pro iusto mori hominem sua necessitate moriturum, aliud pro impiis occumbere à debito mortis alienum, multum tamen vniuersis hominibus etiam martyres contulerunt, quorum fortitudine ita eius largitor vsus est Dominus, vt pœnam mortis, & atrocitatem crucis, nulli suorum vellet esse terribilem, sed multis faceret imitabilem. Si ergo nullus bonus, sibi soli est bonus, nec cuiusquam sapientis, sibi tantùm sapientia est amica, & hæc verarum natura virtutum est, vt multos à tenebroso abducat errore, qui earum clarus est lumine, ad erudiendum Dei populum, nullorum est vtilior forma quàm martyrum eloquentia. Facilis ad exhortandum sit ratio, efficax ad suadendum, validiora 4 tamen sunt exempla quàm verba, & plenius est opere docere, quàm voce. In quo excellentissimo genere doctrinæ beatus martyr Laurentius, cuius passione dies 5 hodiernus illustris est, quàm gloriosa polleat dignitate, etiam persecutores eius sentire potuerunt, quum illa mirabilis animi fortitudo, de Christi principaliter amore concepta, non solùm ipsa non cederet, sed etiam alios exemplo suæ tolerantiæ roboraret.

4 Vides quod rebus plenius prædicatur quā verbis? Et instruere populū factis excellentissimum est genus doctrinæ.

5 Dies hodiernus illustris passione Laurentij.

Quum enim furor Gentilium potestatum in electissima quæque Christi membra sæuiret, ac præcipuè eos qui ordinis erant sacerdotalis, impeteret in Leuitam Laurentium, qui non solùm ministerio sacramentorum, sed etiam dispensatione Ecclesiasticæ substantiæ præeminebat, impius persecutor efferbuit, duplicem sibi prædam de vnius viri comprehēsione promittens, quem si fecisset sacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus: auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Christum. Postulat sibi ab immaculato sacrarij præsule opes Ecclesiasticas, quibus auidissimus inhiabat inferri. Cui Leuita castissimus, vbi eas repositas haberet ostendens, numerosissimos sanctorum pauperum obtulit greges: in quorum victu atque vestitu inamissibiles condiderat facultates: quæ tantò integrius erant saluæ, quantò sanctius probabantur expensæ. Fremit ergo prædo frustatus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vsum instituisset, ardescens, direptionem thesauri potioris aggreditur, vt apud quem nullam denariorum substantiam reperisset, illud depositum, eo quo sacratius erat diues, auferret. Renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam Leuitici animi fortitudinem, diris parat vrgere suppliciis. Quorum vbi prima nil obtinent, vehementiora succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione concisos, subiecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo vim in se haberet vrendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior & pœna productior. Nil obtines, nil proficis sæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio 6 in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitatis Christi flamma non potuit, & segnior fuit ignis qui foris vssit, quàm qui intus accendit. Sæuisti persecutor, in martyrem sæuisti, & auxisti palmam dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij? Gaudeamus igitur dilectissimi gaudio spiritali, & de fœlicissimo inclyti viri fine gloriemus in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus 7 nobis & præsidium constituit, & exemplum, atque ita per vniuersum mundum clarificauit gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum Leuiticorum luminum coruscante fulgore, quàm clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio. Cuius oratione 8 & patrocinio adiuuari sine cessatione confidimus, vt quia omnes, sicut Apostolus ait, quicunque volunt in Christo piè viuere, persecutionem patiuntur, corroboremur spiritu charitatis, & ad superandas omnes tentationes, constantis fidei perseuerantia muniamur: Per Dominum nostrum Iesum Christum viuentem & regnantem cum patre & spiritu sancto in secula seculorum. Amen.

6 Nota Laurentio in cœlos abeunte.

7 In sanctis suis Deus & præsidiū nobis constituit et exemplum.

8 Oratione & patrocinio Laurentij adiuuari nos sine cessatione cōfidimus.

PASSIO

PASSIO SANCTI LAVRENTII MARTYRIS, per Aurelium Prudentium Consularem scripta.

Habetur in peristephano eiusdē.

A Ntiqua fanorum parens
Iam Roma Christo dedita,
Laurentio victrix duce
Ritum triumphans barbarum,
Reges superbos viceras,
Populosque frænis presseras.
Nunc monstruosis idolis
Imponis imperij iugum.
Hæc sola deerat gloria
Vrbis togatæ insignibus,
Feritate capta Gentium
Donaret vt spurcum Iouem,
Non turbulentis viribus
Cossi, Camilli, aut Cæsaris:
Sed martyris Laurentij
Non incruento prælio.
Armata pugnabat fides,
Proprij cruoris prodiga:
Nam morte mortem diruit,
At semel impendit sibi.
Fortè hoc sacerdos dixerat,
Iam Xistus, adfixus cruci:
Laurentium flentem videns
Crucis sub ipso stipite:
Desiste discessu meo
Fletum dolenter fundere,
Præcedo frater: Tu quoque
Post hoc sequeris triduum.
Extrema vox Episcopi
Prænunciatrix gloriæ
Nihil fefellit, nam dies
Prædicta palmam præstitit.
Qua voce, quantis laudibus
Celebrabo mortis ordinem,
Quo passionem carmine
Dignè retexens concinam?
Hic primus è septem viris,
Qui stant ad aram proximi,
Leuita sublimis gradu,
Et cæteris præstantior,
Claustris sacrorum præerat,
Cœlestis arcanum domus
Fidis gubernans clauibus,
Votasque dispensans opes.
Versat famem pecuniæ
Præfectus vrbis regiæ,
Minister insani ducis,
Exactor auri & sanguinis.
Qua vi latentes eruat
Numos, operta existimans
Talenta sub sacrariis,
Cumulosque congestos tegi.
Laurentium sisti iubet:
Exquirit arcam ditibus
Massis refertam: & fulgidæ
Montes monetæ conditos.
Soletis (inquit) conqueri,
Sæuire nos iusto amplius:
Cùm Christiana corpora
Plusquam cruentè scindimus.
Abest atrocioribus
Censura feruens motibus,
Blandè & quietè efflagito:
Quod spontè obire debeas.
Hunc esse vestris orgiis
Moremque & artem proditum est:
Hanc disciplinam fœderis,
Libent vt auro antistites.
Argenteis scyphis ferunt,
Fumare sacrum sanguinem,
Auroque nocturnis sacris
Adstate fixos cæreos.
Tunc cura summa est fratribus?
(Vt sermo testatur loquax)
Offerre fundis venditis
Sestertiorum millia.
Addicta auorum prædia
Fœdis sub auctionibus
Successor exhæres gemit
Sanctis egens parentibus:
Hæc occuluntur abditis
Ecclesiarum in angulis:
Et summa pietas creditur
Nudare dulces liberos.
Deprome thesauros malis
Suadendo quos præstigiis
Exaggeratos obtines,
Nigrante quos claudis specu.
Hos poscit vsus publicus,
Hoc fiscus, hoc ærarinm,
Vt dedita stipendiis
Ducem iuuet pecunia.
Sic dogma 9 vestrum est audio,
Suum quibusque reddito,
En Cæsar agnoscit suum
Numisma numis inditum.
Quod Cæsaris scis, Cæsari
Da: nempe iustum postulo.
(Ni fallor) haud vllam tuus
Signat Deus pecuniam.
Nec cùm veniret, aureos
Secum Philippos detulit,
Præcepta sed verbis dedit
Inanis à marsupio.
Implete dictorum fidem,
Quæ vos per orbem venditis
Numos libenter reddite,
Estote verbis diuites.
Nil asperum Laurentius
Refert ad ista, aut turpidum,
Sed vt paratus obsequi,
Obtemperanter annuit.
Est diues, inquit, non nego:
Habetque nostra Ecclesia
Opumque & auri plurimum:
Nec quisquam in orbe ditior.

9 Vide quo et istā pro sua assertione sententiæ seu sacris vti scripturis, quo & hæretici faciūt, sed male tamē intellectu & interpretatu.

 Is ipse

Is ipſe tantum non habet
Argenteorum ænigmatum
Auguſtus, arcem poſſidens:
Cui numus omnis ſcribitur.
Sed nec recuſo prodere
Locupletis arcam numinis,
Vulgabo cuncta, & proferam
Pretioſa quæ Chriſtus tenet.
Vnum ſed orans flagito,
Induciarum paululum,
Quo fungar efficacius
Promiſſionis munere:
Dum tota digeſtim mihi
Chriſti ſupellex ſcribitur.
Nam calculanda primitus,
Tunc ſubnotanda eſt ſummula.
Lætus tumeſcit gaudio
Præfectus, ac ſpem deuorat:
Aurum velut iam conditum
Domi maneret geſtiens.
Pepigere tempus tridui.
Laudatus inde abſoluitur
Laurentius, ſponſor ſui,
Et ſponſor ingentis lucri.
Tribus per vrbem curſitat
Diebus, infirma agmina,
Omneſque qui poſcunt ſtipem
Cogens in vnum, & congregans.
Illic vtriſque obtutibus
Orbes cauatos præferens
Baculo regebat præuio
Errore nutantem gradum.
Et claudus infracto genu,
Vel crure trunco ſemipes,
Breuiórve planta ex altera,
Greſſum trahebat imparem.
Eſt vleeroſis artubus,
Qui tabe corrupta fluat:
Eſt cuius arens dextera
Neruos in vlnam contrahat.
Tales plateis omnibus
Exquirit, aſſuetos ali
Eccleſiæ matris penu:
Quos ipſe primus nouerat.
Recenſet exin ſingulos,
Scribens viritim nomina,
Longo & locatos ordine
Adſtare pro templo iubet.
Præſcriptus & iam fluxerat
Dies, furebat feruido
Iudex auarus ſpiritu,
Promiſſa ſolui efflagitans.
Tunc Martyr: aſſiſtas velim,
Coramque diſpoſtas opes
Mirêre: quas noſter Deus
Prædiues in ſanctis habet.
Videbis ingens atrium
Fulgere vaſis aureis:
Et per patentes porticus
Structos talentis ordines.
It ille, nec pudet ſequi:
Ventum ad ſacratam ianuam:
Stabant cateruæ pauperum,
Inculta viſu exanima.
Fragor rogantum tollitur,
Præfectus horreſcit ſtupens,
Conuerſus in Laurentium,
Oculiſque turbatis minax.
Contrà ille, quid frendens (ait)
Minitaris? aut quid diſplicet?
Num ſordida hæc aut vilia?
Num deſpuenda exiſtimas?
Aurum quod ardenter ſitis
Effoſſa gignunt rudera,
Et de metallis ſquallidis
Pœnalis excudit labor.
Torrens vel amnis turbidis
Voluens arenis implicat:
Quod terrulentum ac ſordidum,
Flammis neceſſe eſt decoqui.
Pudor per aurum ſoluitur,
Violatur auro integritas,
Pax occidit, fides perit,
Leges & ipſæ intercidunt.
Quid tu venenum gloriæ
Extollis, & magni putas?
Si quæris aurum verius,
Lux eſt, & humanum genus.
Hi ſunt alumni luminis,
Quos corpus arctat debile,
Ne per ſalutem viſcerum
Mens inſoleſcat turgida.
Cùm membra morbus diſſecat,
Animus viget robuſtior,
Membris viciſſim fortibus
Vis ſauciatur ſenſuum.
Nam ſanguis in culpam calens
Minus miniſtrat virium,
Si feruor effœtus malis
Elumbe virus contrahat.
Si fortè detur optio,
Malim dolore aſperrimo
Fragmenta membrorum pati,
Et pulcher intus viuere.
Committe formas peſtium,
Et confer alternas lues:
Carnis ne morbus fœdior,
An mentis & morum vlcera?
Noſtri per artus debiles
Intus decoris integri,
Senſum venuſti innoxium
Languoris expertes gerunt.
Veſtros valentes corpore
Interna corrumpit lepra,
Errorque mancum claudicat,
Et cœca fraus mihi videt.
Quemuis tuorum principum,
Qui veſte & ore prænitet,
Magis probabo debilem,
Quàm quis meorum eſt pauperum.

Hunc

Hunc qui ſuperbit ſerico,
Quem currus inflatum vehit,
Hydrops aquoſus lucido
Tendit veneno intrinſecus.
Aſt hic auarus contrahit,
Manus recuruas, & volam
Plicans aduncis vnguibus
Laxare neruos non valet.
Iſtum libido fœtida
Per ſcorta tactum publica
Luto & cloacis inquinat,
Dum ſpurca mendicat ſtupra.
Quid ille feruens ambitu
Sitique honoris æſtuans,
Merſis ne anhelat febribus,
Atque igne venarum furit?
Quiſquis tacendi intemperans
Silenda prurit prodere,
Vexatur & ſcalpit iecur,
Scabiemque cordis ſuſtinet.
Quid inuidorum pectorum
Strumas retexam turgidas?
Quid purulenta & liuida
Malignitatum vulnera?
Tute ipſe qui Romam regis,
Contemptor æterni Dei,
Dum dæmonum ſordes colis,
Morbo laboras regio.
Hi quos ſuperbus deſpicis,
Quos execrandos iudicas,
Breui vlceroſos exuent
Artus, & incolumes erunt.
Cùm carne corruptiſſima
Tandem ſoluti ac liberi,
Pulcherrimo vitæ ſtatu
In arce lucebunt patris.
Non ſordidati aut debiles,
Sicut videntur interim:
Sed purpurantibus ſtolis
Clari, & coronis aureis.
Tum ſi facultas ſuppetat,
Coram tuis obtutibus
Iſtos potentes ſeculi
Velim recenſendos dari.
Pannis videres obſitos,
Et mucculentis naribus,
Mentum ſaliuis vuidum,
Lippoſque palpebra putri.
Peccante nil eſt tetrius,
Nil tam leproſum, aut putridum,
Cruda eſt cicatrix criminum:
Oletque, vt antrum tartari.
Animabus inuerſa vice
Corrupta forma infligitur:
Quas pulcher aſpectus prius
In corpore oblectauerat.
En ergo numos aureos,
Quos proximè ſpoponderam,
Quos nec fauillis obruat
Ruina, nec fur ſubtrahat.
Nunc addo gemmas nobiles,
Ne pauperem Chriſtum putes,
Gemmas coruſci numinis,
Ornatur hoc templum quibus.
Cernis ſacratas 10 virgines,
Mireris intactas anus,
Primique poſt damnum thori
Ignis ſecundi neſcias.
Hoc eſt monile Eccleſiæ,
His illa gemmis comitur,
Dotata ſic Chriſto placet,
Sic ornat altum verticem.
Eccum talenta ſuſcipe,
Ornabis vrbem Romulam,
Ditabis & rem principis,
Fies & ipſe ditior.
Ridemur, exclamat furens
Præfectus, ac miris modis
Per tot figuras ludimur:
Et viuit inſanum caput?
Impune tantas furcifer,
Strophas cauillo mimico
Te nexuiſſe exiſtimas,
Dum ſcurra ſaltas fabulam?
Concinna viſa vrbanitas
Tractare nosmet ludicris?
Egon cachinnis venditus
Acroma feſtiuum fui?
Adeóne nulla eſt auſteritas?
Cenſura nulla eſt faſcibus?
Adeon ſecurim publicam
Mollis retundit lenitas?
Dicis, libenter oppetam,
Votiua mors eſt martyri:
Eſt iſta vobs (nouimus)
Perſuaſionis vanitas.
Sed non volenti impertiam,
Præſter ut vt mortis citæ
Compendioſus exitus,
Perire raptim non dabo.
Vitam tenebo, & differam
Pœnis morarum iugibus,
Et mors inextricabilis
Longos dolores protrahet.
Prunas tepentes ſternite,
Ne feruor ignitus nimis
Os contumacis occupet,
Et cordis intret abdita.
Vapor ſeneſcens langueat,
Qui fuſus efflatu leui
Tormenta ſenſim temperet,
Semuſtulati corporis.
Bene eſt quòd ipſe ex omnibus
Myſteriarches incidit,
Hic ſolus exemplum dabit
Quid mox timere debeant.
Conſcende conſtratum rogum.
Decumbe digno lectulo:
Tunc, ſi libebit, diſputa
Nil eſſe Vulcanum meum.

10 *Monile Eccleſiæ ſacratæ virgines & continëtes viduæ.*

Hæc fante Præfecto truces
 Hinc inde tortores parant
 Nudare amictu martyrem,
 Vincire membra, & tendere.
Illi os decore splenduit,
 Fulgorque circunfusus est,
 Talem reuertens legifer
 De monte vultum detulit:
Iudæa quem plebs aureo
 Boue inquinata & decolor
 Expauit, & faciem retro
 Detorsit impatiens Dei.
Talemque & ille prætulit
 Oris corusci gloriam
 Stephanus, per imbrem saxeum
 Cœlos apertos intuens.
Illuminatum hoc eminus
 Recens piatis fratribus,
 Baptisma quos nuper datum
 Christi capaces fecerat.
Ast impiorum cœcitas
 Os oblitum noctis situ
 Nigrante sub velamine
 Obducta clarum non videt,
Ægyptiæ plagæ in modum,
 Quæ cùm tenebris Barbaros
 Damnaret, Hebræis diem
 Sudo exhibebat lumine.
Quin ipsa odoris qualitas,
 Adusta quam reddit cutis:
 Diuersa vtrosque permouet,
 His nidor, illis nectar est.
Idemque sensus dispari
 Variatus aura, aut adficit
 Horrore nares vindice,
 Aut mulcet oblectamine.
Sic ignis æternus Deus.
 Nam Christus ignis verus est,
 Is ipse complet lumine
 Iustos, & vrit noxios.
Postquam vapor diutinus
 Decoxit exustum latus,
 Vltro è catasta Iudicem
 Compellat affatu breui.
Conuerte partem corporis
 Satis crematam iugiter:
 Et fac periclum, quid tuus
 Vulcanus ardens egerit.
Præfectus inuerti iubet.
 Tunc ille: Coctum est, deuora,
 Et experimentum cape,
 Sit crudum, an assum suauius.
Hæc ludibundus dixerat:
 Cœlum deinde suspicit,
 Et congemiscens obsecrat,
 Miseratus vrbem Romulam.
O Christi numen vnicum,
 O splendor, ô virtus patris,
 O factor orbis, & poli,
 Atque autor horum mœnium:
Qui sceptra Romæ in vertice
 Rerum locasti, sanciens
 Mundum Quirinali togæ
 Seruire, & armis cedere:
Vt discrepantum Gentium
 Mores & obseruantiam
 Linguasque & ingenia & sacra,
 Vnis domares legibus:
En omne sub regnum Remi
 Mortale concessit genus,
 Idem loquuntur dissoni
 Ritus, id ipsum sentiunt.
Hoc destinatum, quò magis
 Ius Christiani nominis
 Quodcunque terrarum iacet,
 Vno illigaret vinculo
Da Christe Romanis tuis,
 Sit Christiana vt ciuitas:
 Per quam dedisti vt cæteris
 Mens vna sacrorum foret.
Confœderentur omnia
 Hinc deinde membra & symbolum.
 Mansuescat orbis subditus:
 Mansuescat & summum caput.
Aduertat abiunctas plagas
 Coire in vnam gratiam,
 Fiat fidelis Romulus,
 Et ipse iam credat Numa.
Confundit error Troicus,
 Adhuc Catonum curiam
 Venerantur occultis focis
 Phrygum penates exules.
Ianum bifrontem, & Sterculum
 Colit senatus, horreo
 Tot monstra patrum dicere,
 Et festa Saturni senis.
Absterge Christe hoc dedecus,
 Emitte Gabriel tuum:
 Agnoscat vt verum Deum
 Errans Iulica cæcitas.
Et iam tenemus obsides
 Fidissimos huius spei,
 Hic nempe iam regnant duo
 Apostolorum principes.
Alter vocatur Gentium,
 Alter cathedram possidens
 Primam, recludit creditas
 Æternitatis ianuas.
Discede adulter Iuppiter
 Stupro sororis oblite,
 Relinque Romam liberam,
 Plebemque iam Christi fuge.
Te Paulus hinc exterminat,
 Te sanguis exturbat Petri,
 Tibi id, quod ipse armaueras,
 Factum Neronis officit.
Video futurum principem
 Quandoque, qui seruus Dei
 Tetris sacrorum sordibus
 Seruire Romam non sinat.

Qui

Qui templa claudat vectibus,
Valuas eburnas obstruat,
Nefanda damnet limina,
Obdens ahænos pessulos.

Tunc pura ab omni sanguine
Tandem nitebunt marmora,
Stabunt & æra innoxia,
Quæ nunc habentur idola.

Hic finis orandi fuit,
Et finis idem vinculi
Carnalis, erupit volens
Vocem secutus spiritus.

Vexêre corpus subditis
Ceruicibus quidam patres,
Quos mira libertas viri
Ambire Christum suaserat.

Repens medullas indoles
Afflarat, & coegerat
Amore sublimis Dei
Odisse nugas pristinas.

Refrixit ex illo die
Cultus Deorum turpium,
Christi ad tribunal curritur,
Plebs in sacellis rarior.

Sic dimicans Laurentius,
Non ense præcinxit latus
Hostile, sed ferrum retro
Torquens, in autorem tulit.

Dum dæmon inuictum Dei
Testem lacessit prælio:
Perfossus ipse concidit,
Et stratus æternum iacet.

Mors illa sancti martyris,
Mors vera templorum fuit:
Tunc Vesta Palladios lares
Impunè sensit deseri.

Quicquid Quiritum sueuerat
Ornare nænias Numæ,
Christi frequentans [11] atria
Hymnis resultat martyrem.

Ipsa & senatus lumina,
Quondam Luperci, aut Flamines,
Apostolorum [12] & martyrum
Exosculantur limina.

Videmus illustres domos,
Sexu ex vtroque nobiles
Offerre votis [14] pignora
Clarissimorum liberum,

Vittatus olim Pontifex
Accitur in signum crucis:
Ædemque Laurenti tuam
Vestalis intrat Claudia.

O ter quaterque & septies
Beatus Vrbis incola,
Qui te ac tuorum [14] comminus
Sedem celebrat ossium.

Cui propter aduolui licet
Qui fletibus spargit locum,
Qui pectus in terram premit,
Qui vota fundit murmure.

Nos vasco Hiberus diuidit
Binis remotos alpibus
Trans Cotianorum iuga,
Trans & Pyrenas ninguidos.

Vix fama nota est, abditis
Quàm plena sanctis Roma sit:
Quàm [15] diues vrbanum solum
Sacris sepulchris floreat.

Sed qui caremus his bonis,
Nec sanguinis vestigia
Videre coram possumus,
Cœlum intuemur eminus.

Sic sancte Laurenti tuam
Nos passionem quærimus,
Est aula nam duplex tibi,
Hic corporis, mentis polo.

Illic inenarrabili
Allectus vrbi municeps
Æternæ [16] in arce curiæ
Gestas coronam ciuicam.

Videor videre illustribus
Gemmis coruscantem virum:
Quem Roma cœlestis sibi
Legit perennem consulem.

Quæ sit potestas [17] credita,
Et muneris quantùm datum,
Probant Quiritum gaudia,
Quibus rogatus annuis.

Quod quisque supplex postulat,
Fert impetratum prosperè,
Poscunt, litantur, indicant,
Et tristis haud vllus redit.

Ceu præsto semper adsies,
Tuosque alumnos vrbicos
Lactante complexus sinu
Paterno amore nutrias.

Hos inter, ô Christi decus,
Audi & Poëtam [18] rusticum
Cordis fatentem crimina,
Et facta prodentem sua.

Indignus agnosco & scio,
Quem Christus ipse exaudiat,
Sed per patronos martyres
Potest medelam consequi.

Audi benignus supplicem
Christi reum Prudentium:
Et seruitutem corpori
Ablue vinclis seculi.

11 Ecce quomodo populi cantabant hymnos in honorē martyrum.

12 Senatus Rom. exosculatur limina sanctorum & martyrum.

13 Ecce vota ad tumulos sanctorū.

14 Vide celebrationem sepulchri sedis ossiū B Laurētij, inuocationē etiā vide cum fletibus & protestatione, necnō votorū nuncupationē. obmutesce ergo hæretice.

15 Sepulchra sanctorum sacra ciuitates illustrant.

16 Anima Laurentij in cœlo coronata.

17 Magna sancti Laurētij potestas. Inuocatur, et quicquid petitur, concedit.

18 Vides quomodo non audens recurrere immediatè ad Christum, inuocat intercessorē, & quasi mediatorem Laurentium, & per eius patrociniū sperat consequi medelā cupitam.

ITEM ALIA VITA SANCTI LAVRENTII MARtyris, per beatum Petrum Chrysologum Archiepiscopum Rauennatem scripta.

Est sermo 235. in opere Homil. eius.

19 *Hodiernus dies illustratur corona baptismi Laurentij.*
20 *Cuius merita nulla pars Romani orbis ignorat.*

HOdiernus 19 dies beatissimi martyris Laurentij corona illustratur: cuius egregij martyris merita 20 nulla pars Romani orbis ignorat. Passus est in ipso capite gentium, id est, in ipsa vrbe Romana. Ibi enim diaconus ministrauit, & in ipso iuuentutis flore decorem iuuentutis suæ sanguine purpurauit. Passio eius insignis est, multumque mirabilis: hanc breuiter, Domino adiuuante, narrabo. Illo tunc archidiacono, beatus Sixtus erat Episcopus: Cuius triumphus martyrij ante triduum fuit. Cùm ergo sanctus Laurentius Episcopum suum Sixtum pergentem ad martyrium sequeretur, fide fultus, tristis affectu, non quia ab illo patiebatur, sed quia ab illo ipse deserebatur: respexit venerabilis senex venerabilem iuuenem, & ait illi: Noli esse tristis fili, post triduum me sequeris. Tunc ille ebibita prophetia, iam corde paratissimus, ex spiritu ebrius, certum sperauit futurum, quod prædixerat ille qui nouerat. Deinde apprehensus, est adductus: & quoniam erat archidiaconus, apud illum esse vtique credebantur opes Ecclesiæ, quas desiderabat persecutor, non tam auarus, quàm furiosus oderat qué occidebat: sed amabat apud eum quod ille contemnebat. Erat autem sanctus Laurentius pauper opibus, diues moribus: non se negauit Ecclesiæ habere diuitias, sed vt eas ostenderet, tridui dilationem petiit: deinde mandauit congregari agmina pauperum. Tunc deinde ipso die coronæ suæ præsentatus examini, tanquàm demonstraturus quod ille quærebat, demonstrauit quod habebat. Tunc ait persecutor: Vbi sunt Ecclesiæ facultates? At ille manum extendens in pauperes, Hæ sunt, inquit, Ecclesiæ facultates. Verum dixit, sed amarum. Quid autem mirum, si veritas auxit odium. Irrisum se dolens crudelis tyrannus, & auarus inimicus, qui fortè mitiorem pœnam cogitauerat, ferro interficere venerabilem iuuenem, parari flammas præcepit. Plus ardebat quàm vrebat, vrebat in carne, ardebat in corde. Supplicium eius tantò erat grauius, quantò interius. Tunc oblata est torrenda, &, vt verius dicam, assanda martyrio nobilis illa Laurentij craticula: astrictus est ferro, sed ille craticulam supplicij lectum quietis putabat: Supplicium dixi, secundum animum punientis, non secundùm conscientiam patientis. Nullum est enim supplicium damnati, vbi non est pœna peccati. Itaque beatissimus martyr ostendens quàm quietè iaceret in illo ignito ferro, ait circunstantibus: Iam me versate, & si vna pars cocta est, vorate. Miramur patientiam, donum Dei miremur. Ibi fides non solùm non arsit, sed & consolabatur ardentem. Quare fides consolabatur ardentem? Quia fidelem tenebat promittentem, vt fides non deficeret, vt 21 spes non auerteretur, vt charitas inter pœnas igneas corporales plus accenderetur, Dei dona erant. Fratres mei, nemo arroget potentiæ suæ, quod non dat nisi Deus. Meritò Apostolus alloquens martyres, vt in Epistola eius hodie cùm legeretur, audistis: Vobis (inquit) donatum est pro Christo, non solùm vt credatis in eum, sed etiam vt patiamini pro eo. Ergo martyrum merita 22 velut Dei dona laudemus, amemus, 23 subinferamus voluntatem nostram: voluntas 24 enim sequitur, non præuenit. Sed tamen non deest charitas, si non desit voluntas: ipsa enim ardens voluntas vocatur charitas. Quis est qui timeat volens? quis est qui amet nolens? Ferueat oratio, & festum martyris celebretur: Sed vt non sit inanis, qui celebrat, imitetur.

21 *Vides in Laurentio non fuisse solam fidē, sed & spem, et charitatē.*
22 *Vide quare habeamus merita apud Deū, nempe quia opera nostra bona sunt dona eius*
23 *Amemus, cremus, subinferamus voluntatē nostrā. Non ergo sufficit eligētis gratia, nisi inuigilet collaborātis industria.*
24 *Voluntas nostra sequitur, non præuenit gratiam Dei.*

VITA SANCTI LAVRENTII MARTYRIS, PER Adonem Archiepiscopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyrol. sub iiij. Idus August.

ROmæ natale sancti Laurentij Archidiaconi & martyris sub Decio. Cui beatus Sixtus omnes facultates Ecclesiæ, & thesauros pergens ad coronam martyrij tradidit. Hic veniens in Celium montem, vbi erat quædam vidua, in viduitate triginta-duos annos habens, in cuius domo multi Christiani, & presbyteri, & clerici absconsi manebant, tulit vestes & thesauros Ecclesiæ, & cœpit erogare, & pedes omnium Christianorum lauare. Ad cuius pedes Ciriaca vidua cadens, per Christum, inquit, te coniuro, vt manus tuas ponas super caput meum, quia multas infirmitates capitis patior. Beatus Laurentius facto 1 signo crucis, posuit manus super caput viduæ, & linteum de quo extergebat pedes sanctorum. Transiens autem in vicum, qui dicitur Canarius, inuenit multos Christianos in domo Narisci congregatos, & lauit pedes omnium, & dedit eis de thesauris. Erat in eadem domo homo cæcus nomine Crescentio, qui cœpit rogare beatum diaconum, vt poneret manum suā super oculos eius. Tunc beatus Laurentius lachrymans dixit: Dominus noster Iesus Christus,

1 *Laurentius signo crucis signauit super caput viduæ.*

Christus, qui aperuit oculos cœci nati, ipse te illuminet. Et facto signo 2 crucis aperti sunt oculi eius. Cùm iam ergo duceretur beatus Sixtus cum duobus diaconis, vt martyrium suum consummaret, & beatus Laurentius clamaret adueniens: Non me derelinquas pater sancte, quia thesauros tuos iam expendi quos tradidisti mihi, tentus est à militibus, & traditus Parthemio tribuno, qui nunciauit Decio, quòd Laurentius, qui haberet thesauros reconditos, Archidiaconus Sixti in custodia teneretur. Qui gauisus fecit eum sibi præsentari, & auditum tradidit Valeriano præfecto. Qui & ipse dedit eum in custodia cuidam Hippolito. Et Hippolitus reclusit eum cum multis. Erat autem ibi homo Lucillus nomine cœcus, ad quem sanctus Laurentius: Crede, inquit, in filium Dei Dominum nostrum Iesum Christum, & baptizare, & illuminabit te. Respondit Lucillus: Ego semper desideraui baptizari in nomine Domini Iesu Christi. Tunc beatus Laurentius 3 catechisauit eum, & accepta aqua baptizauit, & illuminati sunt oculi eius. Hoc factum audiētes multi cœci, veniebāt ad beatum Laurentium, & ponebat manum suam super oculos eorum, & illuminabantur. Videns hoc Hippolitus, credidit, & catechizatus atque baptizatus est. Itaque ex mādato adductus est beatus Laurentius ante conspectum Valeriani. Qui dixit beato Laurentio: Iam depone pertinaciam, & da thesauros, quos apud te cognouimus esse reconditos. Cui sanctus Laurētius: Da mihi inducias bidui, aut tridui, & proferam tibi thesauros. Ab eadem die cœpit colligere cœcos, & claudos, debiles, & pauperes, & abscondit eos in domo Hippoliti. Valerianus autem nunciauerat Decio, quia promisisset, datis sibi induciis, Laurētius thesauros. Completis igitur tribus diebus, præsentauit se in palatio Salustiano. Et dixit ei Decius: Vbi sunt thesauri, quos pollicitus es prę̨sentare? Beatus Laurentius collectam multitudinem pauperum introduxit in palatium, & voce magna dixit: Ecce isti sunt thesauri æterni, qui nunquam diminuuntur, nec decrescunt, qui in singulis disperguntur, & in omnibus inueniuntur. Valerianus præfectus dixit: Quid variaris per multa? Sacrifica diis, & obliuiscere artes magicas, in quibus confidis. Cui cùm dixisset beatus Laurentius: Quare vos coarctat diabolus, vt Christianis dicatis, sacrificate dæmoniis? Decius iratus iussit eum expoliari, & cædi cum scorpionibus. Qui cùm cæderetur, dicebat: Ego quidem gratias ago Deo meo, qui me dignatus est coniungere seruis suis: Tu miser torqueris insania tua, & furore tuo. Tunc Decius: Leuate, inquit, eum, & date ante conspectum eius omne genus tormentorum. Et allatæ sunt laminæ ferreæ, & lecti, & plumbatæ, & cardi. Pòst vinctus catenis, ductus est beatus Laurentius in palatium Tyberij, vt ibi audiretur de gestis. Et sedit Decius pro tribunali in basilica Iouis. Et præsentato Laurentio cùm dixisset, sacrifica dijs, & noli confidere in thesauris quos habes absconditos. Beatus Laurentius liberè respondit: Verè & confido, & securus sum de thesauris meis. Vnde iracundia plenus Decius iussit eum nudum fustibus cædi. Qui cùm cæderetur, clamabat ad Cæsarem: Ecce miser vel modò cognosce quia triumpho de thesauris Christi, & non sentio tormenta tua. Adhuc Decius fustes augere, & dare ad latera eius laminas ferreas ardentes iubet. Beatus verò Laurentius dixit: Domine Iesu Christe Deus de Deo, miserere mihi seruo tuo, quia accusatus, non negaui: Interrogatus, te Dominum Iesum Christum confessus sum. Et cùm diutissimè cum plumbatis cæderetur, dixit: Domine Iesu Christe, qui pro nostra salute dignatus es formam serui accipere, vt nos à seruitio dæmonum liberares, accipe spiritum meum. Et audita est vox: Adhuc multa certamina tibi debentur. Porrò extensus in catasta, & scorpionibus grauissimè cæsus est. Qui subridens, & gratias agens, dicebat: Benedictus es Domine Deus pater Domini nostri Iesu Christi, qui nobis donasti misericordiam, quam meriti non sumus. Sed tu Domine propter tuam pietatem da nobis gratiam, vt cognoscant omnes circunstantes, quia tu consolaris seruos tuos. Tunc vnus ex militibus nomine Romanus credidit Domino Iesu Christo, & dixit beato Laurentio: Video ante te hominem pulcherrimum stantem cum linteo, & extergentem membra tua. Adiuro te per Christum, qui tibi misit Angelum suum, ne me derelinquas. Leuatus igitur beatus martyr de catasta, & solutus, redditus est Hippolito in Palatio. Veniens autem Romanus, & afferens vrceum cum aqua, misit se ad pedes beati Laurētij, vt baptizaretur. Qui 4 benedicta aqua baptizauit eum. Quod factum audiens Decius, iussit eum sibi exhiberi cum fustibus. Ipse verò interrogatus cœpit clamare: Christianus sum. Et iubente Decio, eductus foras muros portæ Salariæ, decollatus est quinto Idus Augusti. Cuius 5 corpus noctu collegit Iustinus presbyter, & sepeliuit in cripta in agro Verano. Decius autem Cæsar perrexit noctu ad thermas iuxta palatiū Salustij, & exhibitus est ei iterum sanctus Laurentius, & allata sunt omnia genera tormentorum, plumbatæ, fustes, laminæ, vngues, lecti, batili. Et dixit beato martyri: Iam depone perfidiam artis magicæ, & dic nobis generositatem tuam. Cui beatus Laurentius: Quantum ad genus, Hispanus sum, nutritus Romæ, & à cunabilis Christianus, eruditus omnem legem sanctam & diuinam. Et Decius illi: Sacrifica dijs, nam nox ista in te expendetur

cum

2 Ecce signo crucis aperuit oculos cœci.

3 Vides quod semper catechismus baptismum præcedit? Cur ergo aliqui modò eū præteriri volunt?

4 Qui benedicta aqua baptizauit eum.

5 Corpus martyris noctu collegit Iustinus presbyter & sepeliuit in cripta.

cum supplicijs. Ad hoc beatus Laurentius: Mea, inquit, nox obscurum non habet, sed omnia in luce clarescunt. Et cùm cæderetur lapide os eius, ridebat, & confortabatur, ac dicebat: Gratias ago tibi Christe, quia tu es Deus omnium rerum. Allatus est autem lectus ferreus cum tribus costis, & expoliatus beatus Laurentius vestimentis suis, extensus est in cratem ferream, & allati sunt batili cum prunis, & miserunt sub cratem ferream. Et cùm furcis ferreis coarctaretur desuper, Decio dixit: Ego me obtuli sacrificium Deo in odorem suauitatis: quia sacrificium Deo est spiritus contribulatus. Carnifices tamen vrgentes ministrabant carbones, mittentes sub cratem, & desuper comprimentes cum furcis ferreis. Dixitque sanctus Laurentius: Disce miser, quanta est virtus Domini Dei mei: nam carbones tui mihi refrigerium præstant, tibi verò æternum præparant supplicium: quia ipse Dominus nouit, quia accusatus non negaui, interrogatus Christum confessus sum, assatus gratias ago. Et vultu pulcherrimo dicebat: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, qui me confortare dignatus es. Et eleuans oculos suos iu Decium, dixit: Ecce miser assasti vnam partem, regira aliam, & manduca. Gratias igitur agens, & glorificans Deum dixit: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quia ianuas tuas ingredi merui. Et emisit spiritum. Manè autem, primo adhuc crepusculo, rapit corpus eius Hippolytus, & 6 condiuit eum linteis, & aromatibus: & hoc factum mandauit Iustino presbytero. Tunc beatus Iustinus & Hyppolitus plorantes, & multum tristes, tulerunt corpus beati martyris, & venerunt in via Tyburtina in prædium matronæ viduæ Ciriacæ in agro Verano, ad quam ipse beatus martyr fuerat noctu, cui & linteum dedit, vnde pedes sanctorum extersérat, & illud ibi iam hora vespertina sepelierunt quarto Idus Augusti. 7 Etieiunauerunt agentes vigilias noctis triduo cum multitudine Christianorum. Beatus autem Iustinus presbyter 8 obtulit sacrificium laudis, & participati sunt omnes.

6 Conditur corpus beati martyris linteis & aromatib⁹, deinde sepelitur.

7 Ieiunauerunt agẽtes vigilias noctis triduo cũ multitudine Christianorum.

8 Vide missam dici sacrificiũ. Nam de alio non potest hic rectè & commodè intelligi, vt omnes de eo participarentur.

X. Augusti.

MARTYRIVM SANCTORVM XISTI PONTIFICIS Romani, Laurentij Archidiaconi, Hippolyti, & aliorum.

Per Simeonem Metaphrasten.

CVM egregias atque illustres martyrum virtutes elaborata oratio extenuare magis soleat, quàm augere, nihil enim adferre potest, quod illorum facta exaggeret, non est quòd ipsorum martyrum opera per se decora atque illustria, orationis artificio amplificare studeamus. Relicto igitur Rhetoricæ facultatis ornatu, ad eorum certamina simpliciter narranda veniamus. Xistus Romanæ vrbis Episcopus, Athenis genitus & eruditus, olim philosophus, postea Christi discipulus perfectissimus, cùm Decium Cæsarem Romam aduentare cognouisset, hæc secum dicebat: Omnes qui ante nos Christi fidem secuti sunt, multa & varia tormenta pertulerunt, vt Ecclesiarum status integer atque incolumis ad nos vsque perueniret. Quin etiam Dominus noster Iesus Christus propterea crucem sustinuit, vt æternam nobis salutem conciliaret. Eodem modo & sancti Apostoli patientiam in certaminibus perferendis seruantes, salutem illam quam Dominus nobis conciliauit, tam ad suam, quàm ad nostram vtilitatem conseruarunt. Nihil igitur cogitandum, neque quicquam aliud agendum est, nisi vt piè & iustè viuamus: vel quod gloriosius est, pro pietate ipsa mortem oppetamus. Cùm hæc & his similia prudenter sanctèque secum dixisset, vocauit ad se Laurentium Archidiaconum ciuem Romanum, tum moribus, tum habitu, & vitæ forma apud omnes celebrem, & Deo ipso dignum: cui cùm Ecclesiæ vasa omnia commisisset: Sint hæc, inquit, apud te, & diligentissimè custodiantur, ita vt Imperatoris auarissimi cupiditas ea inuenire non possit. Tunc beatus Laurentius vasa illa omnia quæ accepit, Christianis quibusdam aurificibus vendidit, & pretium, quod ex illis percepit, egentibus distribuit. Cùm igitur nefarius ille Imperator, & valde impius Decius in vrbem Romam ingressus fuisset, Abdiam, & Xenium ciues Romanos Christianæ fidei obseruantissimos, propter Christi nomen vinctos, diuersisque cruciatibus affectos, ab Orientis partibus in vrbem secũ duxit, ac statim venatores ad se accersiri iussit, quibus præcepit, vt eos viros, quos diximus, feris deuorandos proijcerent. Cùm verò ad palos alligati essent, statim omnia vincula, quibus ligati fuerant, ex pedibus & manibus soluta sunt, agrestesque illæ feræ, quibus viri sanctissimi laniandi expositi fuerant, cùm prope illos accessissent, tanquam oues mitisimæ, non feræ agrestes, sic ad illorum pedes se volutabant, vt omnes eam rem admirarentur, & gloriã Deo redderent. His rebus exarsit impius Cæsar, & gladiatoribus iussit viros illos interficere. Qui à gladiatoribus interfecti ex hac vita decesserũt. Illorum autem corpora Imperator longè ab amphitheatro proijci iussit, & insepulta exponi, vt possent à canibus dilaniari. At Christiani homines nocte accedentes corpora illa

illa sustulerunt, eaq; in cœmiterio Pontiani condiderunt. Post hæc impietatis fautor Decius Cæsar iussit sanctissimum virum Xistum Romanæ vrbis Episcopum ad se duci: quem præsentem his verbis affatus est Imperator: Habeas Xiste senilis ætatis tuæ rationem, & diis sacrifices. Cui beatus Xistus leni & sedata voce respondit: Isti quos tu dicis deos esse, non sunt dij, sed effigies hominum sine voce, sine auditu, sine visu & incessu: non, inquam, sunt dij, sed lapides ad humanum vsum à Deo concessi, vt marmore ipso parietes ornentur, viæ & plateæ sternantur, quiduis denique ex lapidibus ipsis fiat potius, quàm dij creentur. His verbis in iram concitatus Imperator, iussit Xistum Episcopum securi percuti. Abscissum itaque fuit eius caput extra vrbis mœnia, in loco illo quem forum Martis appellant. Eius autem corpus Christiani sustulerunt, & pridie Idus Augusti in cœmiterio condiderunt. Deinceps Decius & Valerianus Christianæ religionis hostes atrocissimi pecunias Ecclesiæ diligenter inquirebant: quas sanctissimus vir Laurentius in pauperum vitam sustentandam consecrauerat. Illi verò cùm cognouissent Laurentium Archidiaconum thesauros Ecclesiæ custodire, iusserunt illum comprehensum duci ad locum quendam qui vocatur Burtina. Qui verò ad capiendum Laurentium ab Imperatore missi fuerant, cùm eum virum non cognoscerent, ab illo ipso quærebant, vbinam Laurentium inuenire possent. Quibus ipse: Ego, inquit, vobis Laurentium monstrabo. His dictis, cùm esset illic lauacrum quoddam, in eum locum vir sanctissimus ingressus est, & flexis i genibus supplex ac plorans Deum precabatur, vt sibi opem ferret. Ad cuius rei significationem apertissimam, sacellum quoddam in eo loco erectum est, quod vsque ad hodiernum diem extat. Completis igitur precibus, illinc egressus: En, inquit, ego ipse sum Laurentius. Quid est, quòd me quæritis? Tunc illi comprehensum Laurentium ad Decium & Valerianum adduxerunt. Cui statim illi dixerunt: Vbinam sunt thesauri, & vasa Ecclesiæ, quæ apud te seruari cognouimus? Ad hæc sanctissimus Laurentius respondit: Ecclesiæ thesauri multi sunt, quos vt ferre valeam, date mihi vehicula & camelos, quibus tam multæ pecuniæ vehi possint. Ea re Decius & Valerianus multum gaudentes, confestim iusserunt vehicula & iumenta parari, quibus thesauri portarentur. Laurentius igitur in plaustra, camelos, & reliqua iumenta pauperes & mutilatos homines imposuit, illos nimirum, quibus cibaria suppeditare solitus fuerat. Quos cùm obtulisset: En, inquit, hi sunt Ecclesiæ thesauri à me custoditi.

i Flexis genibus supplex ac plorãs Deũ precabatur, vt sibi opẽ ferret.

Tunc Decius & Valerianus, furore accensi pro tribunali sedentes, Laurentium nudũ virgis cædi iusserunt, & post plagas in carcerem detrudi. Hippolyto autem Tribuno præceperunt, vt ab illo Ecclesiæ thesauros exigeret. Cùm verò in carcere conclusus esset Laurentius, multi ægrotantes, & variis morbis vexati, ad ipsum veniebant, multiq; ab eo curabãtur. Quo loco templum constructum fuit, & sacerdotes Deo consecrati, sanctum Laurentium pauperum & ægrotantium nutritorem appellabant. Hæc omnia Hippolytus admirans, ad Imperatores suos referebat. Qui ob id iracũdia pleni, iusserunt ipsum etiam Hippolytum vnà cum sancto Laurentio in carcerem conijci. Cùm igitur ambo essent in carcere, rogabat beatum Laurentium Hippolytus, vt eum faceret Christianum. Cui sanctus Laurentius: Quánam, inquit, fide adductus, Deo meo vis credere? Respondit Hippolytus: Vidi ego virtutes quasdam & miraculorum potentiam à te proficisci, quam ob rem Deo tuo seruire volo. Fac igitur, vt sim Christianus. Tunc illum baptizauit sanctus Laurentius in veram Christianorũ fidem. Quod cùm Decius & Valerianus audiuissent, statim iusserunt beatum Laurentium ad se duci, & ab eo quæsiuerunt: Cuiúsnã hominis patrocinio confisus, neq; deos, neq; Cæsares sibi propitios habere vellet. Tunc sanctus Laurentius: Quisquis, inquit, idolis sacrificat, cum illis ipsis erit sempiterno igni obnoxius. Tunc iussit Valerianus ferream craticulam eius corpori parem componi, vt igne subter eam strato combureretur. Composita itaque craticula, & igne vehementer inflammata, in eam Laurentium imposuerunt. Ille verò Deum laudabat, ita vt eius patientiam omnes admirarentur. Tunc Valerianus: Vbinam, inquit, est thesaurus, quem te ostensurum promisisti? Cùm hæc fierent, Laurentij mater prope illum stabat, & ad Apostolicæ palæstræ gloriam filium adhortabatur. Beatus verò Laurentius ad eos orationem dirigens, à quibus comburebatur: Vna, inquit, corporis mei pars (vt opinor) iam combusta est, si vultis me comedere, en ego paratus sum. Discite miseri, quanta sit Domini Iesu Christi virtus & potentia: præsentes enim carbones non adferunt mihi dolorem, sed recreationem. Lætor autem valde, quòd dignus effectus sim, qui Christi victima fieri possim. Delatus, fidem non negaui: interrogatus, Christum confessus sum: combustus, gratias ago. Hæc cùm dixisset, fide munitus, præsenti animo iussit ignem & ligna milites addere. Multo igitur igne accenso, & ipsius corpori subiecto, beatus martyr Laurentius emisit spiritum. Cuius corpus surripuit Hippolytus egressus è carcere illo ipse die: cumq; multis aromaticis vnguẽtis martyris reliquias perfudisset, in occulto quodam loco illas repesuit.

Cùm verò Decius & Valerianus cognouissent beatum Laurentium ab Hippolyto viro sanctissimo diligenter honoratum ac repositum, iracundia perciti, iusserũt illum in carcerem conijci, vbi duos dies in ieiuniis & precibus consumpsit. Tertio autem die post martyrium beati Laurentij, Hippolytus aufugit à carcere, & in cuiusdam mulieris domum clam se coniecit. Cui dixit: Quæso mulier, domi tuæ me occultes, neque cuiquam dicas, me apud te delitescere. Iurauit mulier, illum se nemini prodituram. Cùm verò milites ipsi ad inquirendum Hippolytum venissent: Num, inquit mulier illa, Hippolytum vos quæritis? En apud me latet. Eumque statim illis tradidit. Ducto igitur Hippolyto, Decius & Valerianus in tribunali sedentes, sic eum affati sunt: Num & tu magus factus es, qui Laurentij corpus surripuisti? Maximè, inquit Hippolytus, feci quod dicitis, non vt magus, sed vt Christianus. His auditis, iusserunt ferreis virgis hominem verberari: Cui dicebant: Quidnam tibi aliquando per nos defuit, vt teipsum Laurentij traderes religioni? V binam ille est, cui salutem tuam credidisti? Veniat nunc, & liberet te ab istis cruciatibus. Quódnam malum, inquit Hippolytus, à vobis patior, vt, sicut dicitis, debeam à beato Laurentio liberari? Tunc Valerianus respondit: Virgis ferreis verberaris, & nihil mali te pati dicis? Ad hæc Hippolytus: Vobis, inquit, ita videtur, me graui supplicio subiectum esse, mortisque periculo expositum: at ego credo daturum mihi Deum, vt beati Laurentij martyris intercessionibus, qui me Christi seruũ effecit, perpetua fruar vita. His verbis statim exarserunt Imperatores, & veste exui (Christiano enim habitu indutus erat) atque in terra prostratum multis ferreis virgis cædi iusserunt, deinde extra vrbem ad mortis supplicium duci, duosque ferocissimos equos parari, & eius viri pedes in equorum pedibus ligari, equosque ipsos dimitti per aspera & spinosa loca. Cùm igitur sanctum illum martyrem ferocissimi equi multo impetu abreptum distraxissent, acutissimis quibusque lapidibus eius viri carnes lacerabantur, & terram sanguine multo aspergebant. Sanctus verò martyr, erectis 2 in cœlum oculis, ait: Domine Deus meus, suscipe spiritum meum. His dictis statim Domino Deo animam tradidit. Sequebantur Christiani quidam homines, qui dilaniatas illas carnes, & à sancti martyris corpore decidentes in vasis quibusdam diligenter collegerunt, easque, vt 3 mos erat, exequiis honorantes, in agro, qui vocatur Prætorianus, deposuerunt: cúmque Deo ipsi gratias egissent, in sua quique loca reuersi sunt. Ita die tertio post obitum sancti martyris Laurentij, sanctus etiam Hippolytus dignus effectus est, qui beatorum martyrum corona donaretur: in Christo Iesu Domino nostro, cui gloria sit & imperium simul cum Patre, & sanctissimo ac vitam largiente Spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

2 Orat sanctus erectis in cœlum oculis.

3 Nota. Easque, vt mos erat, exequiis honorantes, &c.

MIRACVLA BEATI LAVRENTII MARTYris, per Diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Templum erat in quodam loco beati 1 Laurentij, & nomine, & reliquiis consecratum, quod per iniuriam longinqui temporis valde detectũ erat, quod cùm renouare loci incolę vellent, syluas adeunt, incisa leuigataque ligna trabes efficiunt, impositisque plaustris ad locum exhibent. Quibus per humum ad oriendum extensis, vna breuior est reperta. Statimq; sacerdotis animum qui his insistebat dolor maximus attigit, & flens valde quid ageret, quò se verteret ignorabat. Tunc intuens robur breuius, ait: O Laurenti 2 beatissime, appositus igni glorifica te, semper pauperes fouens, ac reficiens, cogita paupertatẽ meam, quia non est exiguitati nostræ facultas qualiter hic alia exhibeatur. Illicò cunctis attonitis trabes creuit, ita vt necesse esset partem magnam incidi. De qua industria plebs beneficia perdere nephas putans, credens eam manu martyris tactam ac prolongatam, partem quæ superfuerat frustatim discerpens, diuersas infirmitates sæpe submouit. Quod Fortunatus presbyter his versibus prosecutus est.

Habetur in opere eiusdẽ in gloriã plurimorum martyrum edito. Cap. 14.

1 Vide templum in honorẽ S. Laurentij dicatũ: vide etiã eius reliquiis consecratum

2 Ecce quã clarè et aperte sanctum inuocat sacerdos, & quã citò inuocatus miraculo adfuit: quid ergo iactas hæretice sanctos non esse inuocandos?

Laurentij merito flammis vitulibus vste
 Qui feruente fide victor ab igne redis:
Cùm tibi templa nouant breuiori robore plebes,
 Creueruntque trabes, creuit & alma fides.
Stipite contracto sese mercede tetendit,
 Quantum parua prius postea cæsa fuit.
Crescere plus meruit succisa securibus arbor,
 Et didicit sicca longior esse coma.
Vnde recisa fuit, populis fert inde salutem,
 Si venit intrepidus, lumina cæcus habet.

Multò

Multò plures exinde ſcripſit verſiculos, quos ego prætermiſi, hos tantùm pro teſtimonio virtutis ſcribens. Acta ſunt autem hæc apud Briones Italiæ caſtrum. Nam vidi ego Ioannem, qui grauiter dentium dolore laborans, acceptam de hoc ligno à ſacerdote particulam fauci immittens, dentem attigit, doloreque protinus caruit. Sed nec illum ſilendum putaui, quòd reliquiæ eius ab incendio hoſtilitatis ereptæ, à quodam homine in lenocinio delatæ ſunt. Qui cùm ſæpius admoneretur per viſum vt eaſdem Aredio abbati deferret, nec iuſſionem impleret, ipſe cum coniuge & omni familia ægrotare cœpit. Tunc neceſſitate compulſus, & eas viro ſancto detulit, mox ſanitati reſtitutus abſceſſit. Eſt etiam apud Mediolanenſem vrbem baſilica Sancti Laurentij *Leuitæ*, vbi admirabili pulchritudine calix criſtallinus habebatur. Acta verò quadam ſolennitate, dum per diaconum ad ſanctum altare offerretur, elapſus manu in terram ruit, & in fruſta comminutus eſt. At diaconus pallidus & exanguis, collecta fragmenta vaſculi ſuper altare poſuit, non diffiſus quòd eum poſſet virtus martyris ſolidare. Denique in 3 vigiliis, lachrymis atque oratione deducta nocte, requiſitum calicem reperit ſuper altare ſolidatum: quæ virtus cùm populis nunciata fuiſſet, tanta animos deuotione ſuccendit, vt à ſacerdote peterent nouam in eius honore ſolennia celebrari. Tunc Pontifex loci ſuſpendit ſuper altare calicem, & tunc agens, & in poſterum per ſingulos annos deuotiſſimè feſta inſtituit celebrari.

> 3 *In vigiliis, lachrymis & oratione deducta nocte.*

VITA SANCTI DIONYSII PAPAE, PER Damaſum Papam ſcripta.

DIonyſius ex monacho, cuius generationem reperire non potuimus, ſedit annos ſex, menſes duos, dies quatuor. Fuit temporibus Galieni, ex die vndecimo Kalendarum Auguſti, Æmiliano & Baſſo conſulibus, vſque in diem ſeptimum Kalendarum Ianuarij, conſulatus Claudij & Paterni. Hic presbyteris Eccleſias diuiſit, & cœmiteria parochiaſque, & diœceſes conſtituit. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros duodecim, diaconos ſex, Epiſcopos per diuerſa loca numero ſeptem. Qui etiam ſepultus eſt in cœmiterio Calixti via Appia, ſexto Kalendas Ianuarij. Et ceſſauit Epiſcopatus dies quinque.

> Habetur in Pōtificali eiuſdem.

VITA SANCTI FELICIS PAPAE, ET MARtyris, per Damaſum Papam ſcripta.

FElix natione Romanus, ex patre Conſtantio, ſedit annos quatuor, menſes tres, dies vigintiquinque. Martyrio coronatur. Fuit autem tēporibus Claudij & Aureliani, à conſulatu Claudij & Paterni, vſque ad conſulatum Aureliani & Capitolini. Hic cōſtituit ſupra 1 ſepulchra aut memorias martyrum, miſſas celebrari. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros nouē, diaconos quinque, Epiſcopos per diuerſa loca quinque. Sepultus eſt in cœmiterio ſuo, vbi & baſilicam fecit, via Aurelia, milliario ab vrbe Roma ſecundo, tertio Kalendas Iunias. Et ceſſauit Epiſcopatus dies quinque.

> Habetur in pōtificali eiuſdem.
>
> 1 *Aduerte antiquum morem eſſe ſuper ſepulchra et memorias martyrum miſſas celebrari.*

VITA ET PASSIO SANCTI VINCENTII MARtyris, per D. Auguſtinum Hipponenſem Epiſcopum ſcripta.

IN paſſione quæ nobis hodie recitata eſt, fratres chariſſimi, euidenter oſtenditur iudex ferox, tortor cruentus, martyr inuictus. In cuius corpore pœnis variis exarato, iam tormenta defecerāt, & adhuc membra durabant. Tot conuicta miraculis perſiſtebat impietas, tot vexata ſuppliciis non cedebat infirmitas. Agnoſcatur ergo operata diuinitas. Quando enim corruptibilis puluis contra tam immania tormenta duraret, niſi in eo Chriſtus habitaret? In his enim omnibus ille agnoſcendus, ille glorificandus, ille laudandus eſt, qui & in prima vocatione dedit fidem, & in ſuprema paſſione virtutem. Vultis noſſe quia vtrunque donatū eſt? Audite Apoſtolum Paulum: Vobis, inquit, datum eſt pro Chriſto, non ſolùm vt credatis in eum, verùm etiam vt patiamini pro eo. Acceperat vtraq; hæc Beatus Vincentius Leuita: acceperat & habebat. Si enim non accepiſſet, quid haberet? Habebat in ſermone fiduciam, habebat in paſſione tolerantiam. Nemo ergo de ſuo corde præſumat, quando profert ſermonem: nemo de ſuis viribus confidat, quando ſuffert tentationē: quia vt & bona prudenter loquamur, ab illo eſt, non noſtra ſapientia: & vt mala fortiter perferamus, ab illo eſt, non noſtra

> Habetur in ſermonibus eius de Sāctis, Tom. 10. ſerm. 1.

est patientia. Recolite Dominum Christum suos in Euangelio discipulos admonentem: recolite martyrum regem cohortes suas armis spiritalibus instruentem, bella monstrantem, adiutoria ministrantem, præmia pollicentem: quia cùm dixisset discipulis suis: In hoc mundo pressuram habebitis: mox vnde territos consolaretur, adiunxit dicens: Sed confidite, quia vici mundum. Quid ergo miramur charissimi, si in illo Vincentius vicit, à quo victus est mundus? In hoc, inquit, mundo pressuram habebitis, vt si premit, non opprimat: si oppugnat, non expugnet. Duplicem mundus aciem producit contra milites Christi. Blanditur vt decipiat, terret vt frangat. Non nos teneat voluntas propria, non nos terreat crudelitas aliena, & victus est mundus. Ad vtrolq; aditus occurrit Christus, & non vincitur Christianus. Si consideretur in ista passione humana patientia, incipit esse incredibilis: si agnoscatur diuina potẽtia, desinit esse mirabilis. Tanta grassabatur crudelitas in martyris corpore, & tanta tranquillitas proferebatur in voce, tantaque pœnarum asperitas sæuiebat in membris, vt miro modo putaremus Vincentio patiente alium loquentẽ non torqueri. Et verè fratres charissimi, prorsus ita erat. Alius loquebatur. Promisit enim & hoc testibus suis Christus in Euangelio, quos ad huiusmodi certamina præparabat. Sic enim ait: Nolite præmeditari, quomodo aut quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus patris vestri qui loquitur in vobis. Caro ergo patiebatur, & spiritus loquebatur. Et loquente spiritu, non solùm conuincebatur impietas, sed etiam confortabatur infirmitas. Clariorem nobis martyrem tot tormenta faciebant. Multiplici enim vulnerum varietate confossus non deserebat pugnam, sed acrius iterabat. Putares quòd eum duraret flamma, non vreret, & tanquam figuli fornax lutũ molle suscipiens, duram redderet testam. Poterat martyr noster dicere Daciano: Iam non vret ignis tuus carnem meam, quia exaruit sicut testa virtus mea: & quomodo scriptum est veraciter: Vasa figuli probat fornax, & homines iustos tentatio tribulationis. Probatus atque decoctus illo igne Vincentius: Dacianus verò arsit & crepuit. Si enim nõ ardebat, vnde cremabat? Quid enim erant verba irascentis, nisi fumus ardentis? Ergo martyri nostro refrigerium in corde habenti flammas extrinsecus admouebat: sed ipse facibus furoris accensus, tãquam clibanus intus ardebat, & habitatorem suum diabolum concremabat. Per furiosas enim Daciani voces, per truces oculos, & minaces vultus, & totius corporis motus ille habitator eius interior mouebatur, & per hæc signa visibilia, tanquam per signa sui vasculi, quod impleuerat crepantis rimula prouidebatur. Non tantum martyrem cruciabant plurima tormenta, quantum illum vastabat insania.

Sed iam fratres illa omnia transierunt, & ira Daciani, & pœna Vincentij. Nunc autem pœna Daciano, corona verò manet Vincentio. Denique his præmissis futuræ videlicet retributionis finibus, etiam in hoc mundo martyrum gloriam demonstremus. Quæ hodie regio, quæue prouincia vlla, quousque vel Romanum imperium, vel Christianum nomen extenditur, natalem non gaudet celebrare Vincentij diaconi? Quis autem hodie vel nomen Daciani audisset, nisi Vincentij passionem legisset? Quòd verò tanta cura 1 seruauit Dominus martyris corpus, quid aliud demonstrauit, nisi gubernasse se viuentem, quem non reliquit exanimem? Vicit ergo Dacianum viuens Vincentius, vicit & mortuus. Viuens tormenta calcauit, mortuus maria transnatauit. Sed ipse inter vndas gubernauit cadauer extinctum, qui inter vngulas animum donauit inuictum. Non flexit flamma tortoris cor eius, non mersit aqua maris corpus eius. Sed in his & huiusmodi nihil est aliud, nisi pretiosa in conspectu Domini semper mors sanctorum eius. Cunctorum licet, dilectissimi, gloriosas martyrum passiones, quos distincta regionibus loca meruerunt, vna fides faciat omnibus indiscreto honore venerabiles: propriam tamen sibi in hoc venerationis obsequio vendicant dignitatem, qui Ecclesiam Dei & documentis præ cæteris erexerunt, & patrociniis adiuuerunt. Inter quos iustè beatum Leuitam Vincentium, cuius confessione & morte Christum incredulis prædicatum incunctanter agnoscimus, catholicis studiis celebramus. Qui vt fidelium deuotionem Deo studiosius commendaret, altiori charitatis flamma lcens affectu, morti sese tandem fideliter obtulit, quo videlicet robur fidei in solidissima petra Christo fundatum sequacibus imitandum daretur: nec non & semen Apostolicæ prædicationis per eum pluribus disseminatum ope suæ intercessionis tutum, ac perfectæ consummationis fruge refertum, in cœlestibus demum horreis conderetur. Hunc ergo amplius propria venerentur, quem etiam peregrina mirantur, quatenus eis se largiorem 2 exhibeat in beneficiis, quibus se amabiliorem cognoscet in gaudiis, fiatque in eius solennitate vberior lætitiæ ambitus, de quo fidei creuit effectus. Huius denique spiritus tanto virtutum munere claruit, vt sacri ministerij fultus officio, qui filium Dei Dominum nostrum secuturus esset in passione, eiusdẽ Christi calicẽ credentibus prius ministraret in salutem. Cuius haustu feliciter mente ebriatus, rabidi hostis atque in Christum sæuientis insaniam interritus adiit, modestus sustinuit, securus irrisit, sciens paratus esse vt resisteret, nesciẽs elatus esse quò vinceret: quia cuius amore spiritualibus armis præmu-

1 Si Christianorũ mortuorũ corpora à superstitibus negligenda sunt, & cadauera exanima nullis egẽt sepulturæ cæremoniis, vt dementes quidam dixerunt: cur omnipotens Deus tanta cura seruauit martyris corpus, vt vel inuito Daciano, qui illud à feris deuorandum proijci mandauerat, conuenienti postea traderetur sepulturæ?

Habetur eodem loco serm. 2.

2 Habes & hic sanctos exhibere beneficia, quod negant noui hæretici: Habes et in eorum solennitatibus gaudendum esse, non ergo hoc est superstitio.

præmunitus resistebat, eius adiutorio quicquid pœnarum in illum ferientis ira excogitabat, insuperabilis fortiter patiendo vincebat. Ideo non hunc laminæ ignitæ sartaginis, non eculei, non vngulæ, ferreæq; manus, non vires pauendæ cædentium, nec dolor scissorum membrorum, non foci fragor, & strepentis in patientis visceribus salis iniectio, Daciani quiuerunt aliquatenus subdere iussioni, sed dum in tantum eius vecordiæ tumor excresceret, vt tantis passionis subactum doloribus aut vicisse, aut interemisse se lætabundus extolleret, suscepta spe frustratus, vnde victor visus est apparere, inde victus compulsus est erubescere: quoniam quò Dei martyr duriori vrgebatur pœna, eò ampliori confessionis exultabat constantia. Vnde ipsius passionis vel vltima præuidere, seu morari fratres euidentius placet, quatenus animaduertat sanctitas vestra, quò diabolus suum perduxerit dolis ministrum, vel quomodo Christus suum in finem vsquequaque seruauerit famulũ. Ex quo illud sanè erat mirabile, quia quantum iste extrinsecus multiplici pœnarum genere contritus arctabatur, tantum intrinsecus exultante interiori homine dilatabatur: quantumq; ille exterius iactantia temporalis potentiæ inflabatur, tantum interius despici se perpendens, interiori vexatus homine præfocabatur. Contemni igitur se videns sæuiebat, nec in quem iam vindictam inferret inueniebat. Videbat namque desæuientium manus carnificum plus in eo inuenire vulneris, quàm corporis, solumque ingentem spiritum ei stultitiam exprobrare suam, quod prouocabat veritatis normam. Quapropter credens quòd causam confusionis auerteret, si personam quæ se spreuerat, absentaret, minusque Dacianus erubesceret, si Vincentium populus non videret, iussit eum à publico remoueri. Sed nec sic quidem caret supplicio. Contusa quo iacebat testa substernitur, vt vis acuminis concisam molem superiecti corporis plus discinderet, atq; reddita tormentis membra quæ secarent, obuia susciperent fragmenta. Fallitur tamen vincendi opinione cæca crudelitas. Nam diuina bonitas dilectum suum amplius in confessione comitata, infert nouam tenebris lucem, & tabernaculum splendidum obscurum reddit ergastulum. Fouebat laceros artus medica Dei manus, & venustiori pristinæ sanitatis augmento, fossi lateris damna supplebat. Insolita igitur huius luminis claritate perculsi, obstupuêre custodes, quin & vocem Angelis hymnum Deo concinentibus, mens pallidi ianitoris expauit. Currit exanimis minister ad præsidem, quem grauius relatio nuntij, quàm ictus percussit gladij. Et cùm non posset ex magnitudine rei tacere quod viderat, tremor iudicem occupat, dolor lacerat, furor inflammat: & ne in pœnis Vincentius vincẽs gloriam martyrij obtineret: Citius, inquit Dacianus, producatur è carcere, ne dum insistimus rebellem punire, videamur eum potius victoria coronare. Profertur itaque ex illo tetri carceris baratro, cœlesti quidem gratia pulchrior, & si adhuc esset passurus, robustior. Sed vbi desiderium ad regni vocationem tendentis nullo pœnarum vel mortis genere frangendum intelligit, iubet inuida mens lenioris strati fulcra substitui, ac blandiori eum requie confoueri, scilicet vt si amoto paululum carnifice animam quietus exalaret, diceretur non esse occisus, sed mortuus: quasi non eum pœna peremerit, cum quo & pœna simul perierit.

Interea beatum Vincentium cœlestis aula suscepit, ac beatæ fœlicitatis munere donat. Ad cuius ingressum Angelici lætantur spiritus, omnesque simul conciues gratulantur sancti. Nósque tibi gratias agimus Domine Iesu, quòd anima tuo digna consortio, quæ pertinax tulit supplicium, mendax fugit obsequium: & quæ fuit cõtenta persecutor quò fureret, sit dedignata quod parceret. Cognito igitur sancto eius abscessu, iudex insanus, & quia Christus vicisset in Vincentio, nescius Dacianus illius sibi promittit cadaueris expositione vindictam, cuius gemit ex virtute victoriam. Feris namque & canibus decepta furoris superbia absumendum proijci mandat lictoribus, vt tali pastu eorum impleret vẽtrem, quorum ipse gerebat mentem. Sed vt diuinis excrescentibus beneficiis maioris victoriæ Vincentio gratia conferatur, mittitur coruus, auis inimica cadaueribus, expositas corporis dapes seruatura ieiuna. Hinc, fratres dilectissimi, hinc aduertite distincta meritorum obsequia. Helias quondam impias Achab vel Iezabeli manus cautè declinans, in deserto coruis ministrantibus pascitur: assertor autem veritatis Vincentius Daciani rabie peremptus, feris exponitur consumendus, sed coruo famulante seruatur illæsus. Obtinuit ergo Helias diuino nutu coruis præstantibus quo aleretur: præstitum est Vincentio, obsequente quoque coruo, ne comederetur. Qui vt cœlitus se custodem designatũ ostenderet, aduentantes reliquas aues eminus non segni impetu perturbabat, inter quas immanem quoque lupum propius accedentem, veluti qui commissum thesaurum sacrilega audacia attaminare præsumeret, pennis & alis diuerberans procul abegit. Sed ille quòd non tam ad inferendum venisset iniuriã, quàm ad augendam miraculi pompam, quadam sui habitudine stupidus indicabat. O impudens furor, & stulta vesania, coruus obsequitur, lupus veneratur: Dacianus persequitur, nec erubescit velle se adhuc ferox perdere, quem mansuetacta bestialis feritas satagebat protegere. Vnde ad occulendam martyris laudem non iam secretum, sed profundũ elegit, credens

ſibi ad deliteſcendam eius gloriam non clauſtra fidem ſeruatura, ſed maria, quaſi non idem elementi dominus eſſet, per quem dudum ei carceris abdita cœleſti fulgore radiata micuiſſent. Datur nautis mergendum corpus in fluctibus, vt ad auxilium ſaltem æquora proficerent, cui ad vincendum Chriſti militem terra defeciſſet. Enauigatis itaque magna ex parte freti gurgitibus, proiectum inter ſorbentes vndas præpotens eſt Dei dextera 3 conſecuta, & quæ ſpiritum intulerat in cœlum, corpus mox retulit ad ſepulchrum. Sic prædicator veritatis, chariſſimi, nec tormẽtorum vincitur pœnis, nec tenebroſi carceris ſuperatur anguſtiis. Non beſtiis dilaniatur, non profundo cælatur, ſed littori redditur, præconio diffamatur, vt qui verè confeſſus fuerat nomen Deitatis, veritate ſibi adeſſe experiretur diuinæ ſuffragia bonitatis. Cuius glorioſam virtute vitam ita pretioſæ mortis gratia decorauit, vt quod viuendo docuit, moriendo conſtanter aſtrueret: eratque conſequens quatenus ad eius viſionem per mortem attingeret, quem probabilis vitæ conuerſione ſemper atteſtatus fuiſſet, ſciens quòd de contemptu præſentis vitæ gloria ſurgit beatitudinis æternæ, præſtante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat, &c.

3 Mira à Deo cura exhibita, vt ſancti martyris corpus intactum ad ſepulchrũ ſeruaretur, nobis indicat non negligendas Chriſti fidelium ſepulturas, & ſanctorum reliquias eſſe venerandas, quicquid dicant noſtri pſeudoprophetæ.

VITA ET PASSIO SANCTI VINCENTII Martyris, per Aurelium Prudentium virum conſularem ſcripta.

Habetur in eius periſtephano.

1 Vincenti martyr, proſpera diẽ triumphalẽ tuum.

2 Anima Vincẽtij hoc die euecta eſt in cœlum.

Beate Martyr proſpera
Diem 1 triumphalem tuum,
Quo ſanguinis merces tibi
Corona vincenti datur.
Hic te ex tenebris ſeculi
Tortore victo & Iudice
Euexit ad cœlum 2 dies,
Chriſtoque ouantem reddidit.
Nunc Angelorum particeps,
Colluces inſigni ſtola,
Quam teſtis indomabilis
Riuis cruoris laueras.
Quum te ſatelles idoli
Præcinctus artis legibus,
Litare diuis Gentium
Ferro & catenis cogeret.
Ac verba primum mollia
Suadendo blandè effuderat
Captator, vt vitulum lupus
Rapturus, alludit prius:
Rex, inquit, orbis maximus,
Qui ſceptra geſtat Romula,
Seruire ſanxit omnia
Priſcis deorum cultibus.
Vos Nazareni aſſiſtite,
Rudemque ritum ſpernite,
Hæc ſacra, quæ princeps colit,
Placate fumo, & victima.
Exclamat hic Vincentius,
Leuita de tribu ſacra,
Miniſter altaris Dei,
Septem ex columnis lacteis.
Tibi iſta præſint numina,
Tu ſaxa, tu lignum colas,
Tu mortuorum mortuus
Fias deorum Pontifex.
Nos lucis auctorem patrem,
Eiuſque Chriſtum filium,
Qui ſolus ac verus Deus,
Daciane, confitebimur.
Hic ille iam commotior,
Audéſne non felix, ait,
Ius hoc deorum & principum
Violare verbis aſperis?
Ius & ſacratum, & publicum,
Cui cedit humanum genus?
Nec te inuentæ feruidæ
Inſtans periculum permouet?
Hoc namque decretum cape,
Aut ara thure, & ceſpite
Precanda iam nunc eſt tibi,
Aut mors luenda eſt ſanguine.
Reſpondit ille altrinſecus,
Age ergo, quicquid virium
Quicquid poteſtatis tibi eſt,
Palam reluctor, exere.
Vox noſtra quæ ſit, accipe,
Eſt Chriſtus, & pater Deus,
Serui huius & teſtes ſumus,
Extorque ſi potes fidem.
Tormenta, carcer, vngulæ,
Stridenſque flammis lamina,
Atque ipſa pœnarum vltima.
Mors Chriſtianis ludus eſt.
O veſtra inanis vanitas,
Scitumque brutum Cæſaris,
Condigna veſtris ſenſibus
Colii ubentis numina.
Exciſa fabrili manu,
Cauis recocta & follibus,
Quæ voce, quæ greſſu carent,
Immota, cæca, elinguia.
His ſumptuoſa ſplendido
Delubra creſcunt marmore,
His colla mugientium
Percuſſa taurorum cadunt.
Adſunt & illic ſpiritus,
Sunt ſed magiſtri criminum,
Veſtræ & ſalutis aucupes
Vagi, impotentes, ſordidi,

Qui

Qui vos latenter incitos
In omne compellunt nefas,
Vastare iustos cædibus,
Plebem piorum carpere.
Norunt & ipsi, ac sentiunt
Pollere Christum & viuere,
Eiusque iam iamque affore
Regnum tremendum perfidis.
Clamant fatentes denique
Pulsi è latebris corporum,
Virtute Christi & nomine,
Diuique & ijdem dæmones.
His intonantem martyrem
Iudex profanus non tulit:
Conclamat, os obtrudite,
Ne plura iactet improbus.
Vocem loquentis claudite,
Raptimque lictores date
Illos reorum carnibus
Pastos, manuque exercitos.
Iam faxo ius prætorium
Conuitiator sentiat,
Impunè ne nostris sibi
Dijs destruendis luserit.
Tibi ergo soli contumax
Tarpeia calcentur sacra?
Tu porrò solus obteras
Romam, Senatum, Cæsarem?
Vinctum retortis brachijs
Sursum ac deorsum extendite,
Compago donec ossium
Diuulsa membratim crepet.
Post hinc hiulcis ictibus
Nudate costarum abdita,
Vt per lacunas vulnerum
Iecur retectum palpitet.
Ridebat hæc miles Dei,
Manus cruentas increpans,
Quod fixa non profundius
Intraret artus vngula.
Ac iam omne robur fortium
Euiscerando cesserat,
Nisusque anhelus soluerat
Fessos lacertorum toros.
Ast ille tanto lætior
Omni vacantem nubilo,
Frontem serenam luminat,
Te Christe præsentem videns.
Quis vultus iste proh pudor?
Dacianus aiebat furens.
Gaudet, renidet, prouocat,
Tortore tortus acrior.
Nil illa vis exercita
Tot noxiorum mortibus
Agone in isto proficit,
Ars & dolorum vincitur.
Sed vos alumni carceris,
Par semper inuictum mihi
Cohibete paulùm dexteras,
Respiret vt lassus vigor.
Præsicca rursus vlcera
Dum se cicatrix colligit,
Refrigerati sanguinis
Manus resulcans diruat.
His contra Leuites refert,
Si iam tuorum perspicis
Languere virtutem canum:
Age ipse maior carnifex.
Ostende quo pacto queant
Imos recessus scindere,
Manus & ipse interfere,
Riuosque feruentes bibe.
Erras, cruente, si meam
Te rere pœnam sumere,
Cùm membra morti obnoxia
Dilancinata interficis.
Est alter hic intrinsecus,
Violare quem nullus potest,
Liber, quietus, integer,
Exors dolorum tristium.
Hoc quod laboras perdere
Tantis furoris viribus,
Vas est solutum ac fictile,
Quocunque frangendum modo.
Quinimo nunc enitere
Illum secare, ac plectere
Qui perstat intus, qui tuam
Calcat tyranne insaniam:
Hunc hunc lacesse, hunc discute
Inuictum & insuperabilem,
Nullis procellis subditum,
Solique subiectum Deo.
Hæc fatur, & stridentibus
Laniatur vncis denuo.
Cui præter ore subdolo
Anguina verba exsibilat.
Si tanta callum pectoris
Prædurat obstinatio,
Puluinar vt nostrum manu
Abomineris tangere:
Saltem latentes paginas,
Librosque opertos detege,
Quo secta prauum seminans
Iustis cremetur ignibus.
His martyr auditis, ait:
Quem tu maligne mysticis
Minitaris ignem literis,
Flagrabis ipse hoc iustius.
Rhomphæa nam cœlestium
Vindex erit voluminum,
Tanti veneni interpretem,
Linguam perurens fulmine.
Vides fauillas indices
Gomorrhæorum criminum,
Sodomita nec latet cinis,
Testis perennis funeris.
Exemplar hoc serpens tuum est,
Fuligo quem mox sulphuris,
Bitumen & mistum pice
Imo implicabunt tartaro.

His persecutor saucius
Pallet, rubescit, æstuat,
Insana torquens lumina,
Spumasque frendens egerit.
Tum deinde cunctatus diu,
Decernit, extrema omnium
Igni grabato & laminis
Exerceatur quæstio.
Hæc ille sese ad munera
Gradu citato proripit,
Ipsosque pernix gaudio
Pœnæ ministros præuenit.
Ventum ad palæstram gloriæ,
Spes certat & crudelitas,
Luctamen anceps conserunt,
Hinc martyr, illinc carnifex.
Serrata lectum tegula
Dente in frequenti exasperat,
Cui multa carbonum strues
Vinum vaporat halitum,
Hunc sponte conscendit rogum
Vir sanctus ore interrito:
Ceu iam coronæ conscius,
Celsum tribunal scanderet.
Subter crepante aspergine
Scintillat excussus salis,
Punctisque feruens stridulis
Sparsim per artus figitur.
Aruina posthinc igneum
Impressa cauterem lauit,
Vis vnde roris fumidi
In membra sensim liquitur.
Hæc inter immotus manet
Tanquam dolorum nescius,
Tenditque in altum lumina,
Nam vincla palmas presserant.
Sublatus inde fortior,
Lugubre in antrum truditur:
Ne liber vsus luminis
Animaret altum spiritum.
Est intus imo ergastulo
Locus tenebris nigrior,
Quem saxa mersi fornicis
Angusta clausum strangulant.
Æterna nox illic latet,
Expers diurni syderis.
Hic carcer horrendus suos
Habere fertur inferos.
In hoc barathrum conijcit
Truculentus hostis martyrem,
Lignoque plantas inserit,
Diuaricatis cruribus.
Quin addit & pœnam nouam
Crucis peritus artifex,
Nulli tyranno cognitam,
Nec fando compertam retro.
Fragmenta testarum iubet
Hirta impolitis angulis
Acuminata, informia,
Tergo iacentis sternerent.
Totum cubile spiculis
Armant dolores anxij
Insomne qui subter latus
Mucrone pulsent obuio.
Hæc ille versutus, vafra
Meditatus arte struxerat,
Sed Belzebulis callida
Commenta Christus destruit.
Nam carceralis cœcitas
Splendore lucis fulgurat,
Duplexque morsus stipitis
Ruptis cauernis dissilit.
Agnoscit hic Vincentius
Adesse quod sperauerat,
Tanti laboris præmium,
Christum datorem luminis.
Cernit deinde fragmina
Iam testularum mollibus
Vestire semet floribus,
Redolente nectat carcere.
Quin & frequentes angeli
Stant, ac loquuntur cominus,
Quorum vnus ore augustior
Compellat his dictis virum.
Exurge martyr inclyte,
Exurge securus tui,
Exurge, & almis cœtibus
Noster sodalis addere.
Decursa iam satis tibi
Pœnæ minacis munia,
Pulchroque mortis exitu
Omnis peracta est passio.
O miles inuictissime,
Fortissimisque fortior:
Iam te ipsa sæua & aspera
Tormenta victorem tremunt.
Spectator hæc Christus Deus
Compensat æuo intermino,
Propriæque collegam crucis
Larga coronat dextera.
Pone hoc caducum vasculum
Compage textum terrea,
Quod dissipatum soluitur,
Et liber in cœlum veni.
Hæc ille, sed clausas fores
Interna rumpunt lumina,
Tenuisque per rimas nitor
Lucis latentis proditur.
Hæc cùm stuperet territus
Obsessor atri liminis,
Quem cura pernox manserat
Seruare feralem domum:
Pallentis audit insuper
Prædulce carmen martyris,
Cui vocis instar æmulæ
Conclaue reddit concauum.
Pauens deinde introspicit,
Admota quantum postibus
Acies per arctas cardinum
Intrare iuncturas potest.

Vernare

Vernare multis floribus
Stramenta testarum videt,
Ipsumque vulsis nexibus
Obambulantem pangere.
Implentur aures turbidi
Prætoris hoc miraculo,
Flet victus, & voluit gemens
Iram, dolorem, dedecus.
Exemptus, inquit, carcere,
Paulum benignis fotibus
Recreetur, vt pastum nouum
Pœnis refectis præbeat.
Coire toto ex oppido
Turbam fidelem cerneres,
Mollire præsultum torum,
Siccare cruda vulnera.
Ille vngularum duplices
Sulcos pererrat osculis,
Hic purpurantem corporis
Gaudet cruorem lambere.
Plerique vestem lineam
Stillante tingunt sanguine,
Tutamen vt sacrum suis
Domi reseruent posteris.
Tunc ipse manceps carceris,
Et vinculorum ianitor,
Vt fert vetustas conscia,
Repente Christum credidit.
Hic obseratis vectibus,
Densæ specum caliginis
Splendore lucis aduenæ
Micuisse clausum viderat.
At verò postquàm lectuli
Martyr quietem contigit,
Æger morarum tædio,
Est mortis incensus siti.
(Si mors habenda huiusmodi est,
Quæ corporali ergastulo
Mentem resoluit liberam,
Et reddit autori Deo:
Mentem piatam sanguine,
Mortis lauacris inclytam,
Quæ semet ac vitam suam
Christo immolandam præbuit)
Ergo vt recline mollibus
Reiecit aulæis caput,
Victor 3 relictis artubus
Cœlum capessit spiritus,
Cui recta cella tramite
Reseratur ad patrem via,
Quam fratre cæsus impio
Abel beatus scanderat.
Stipant euntem candidi
Hinc inde sanctorum chori,
Parique missus carcere
Baptista Ioannes vocat.
At Christiani nominis
Hostem coquebant irrita
Fellis venena, & liuidum
Cor efferata exusserant.
Sæuire inermem crederes
Fractis draconem dentibus.
Euasit exultans, ait,
Rebellis, & palmam tulit.
Sed restat illud vltimum
Inferre pœnam mortuo,
Feris cadauer tradere,
Canibúsue carpendum dare.
Iam nunc & ossa extinxero,
Ne sit sepulchrum funeris,
Quod plebs gregalis excolat,
Titulumque figat martyris.
Sic frendit, & corpus sacrum 4
Profanus, ah dirum nefas,
Nudum negato tegmine
Exponit inter carices.
Sed nulla dirarum fames,
Aut bestiarum, aut alitum,
Audet trophæum gloriæ
Fœdare tactu squalido.
Quin si qua clangens improbè
Circumuolaret eminus,
Trucis volucris impetu
Depulsa vertebat fugam.
Nam coruus Heliæ datus
Olim, ciborum portitor,
Hoc munus implet sedulò
Et irremotus excubat.
Hic ex frutetis proximis
Infestus alarum sono,
Oculosque pennis verberans
Exegit immanem lupum.
Quis perfidorum credere
Ausit, rapacem belluam
Tauris paratam congredi,
Cessisse plumis mollibus?
Ibat malignum murmurans
Leui volatu exterritus,
Prædamque visam fugerat
Custodis imbellis minis.
Quis audienti talia,
Daciane, tunc sensus tibi?
Quantis gementem spiculis
Figebat occultus dolor?
Quum te perempti corporis
Virtute victum cerneres,
Ipsis & impar ossibus,
Vacuisque iam membris minor?
Sed quis, tyranne pertinax,
Hunc impotentem spiritum
Determinabit exitus,
Nullus ne te franget modus?
Nullus: ne vnquam desinam,
Nam si ferina immanitas
Mansuescit, & clementia
Coruos voraces mitigat:
Mergam cadauer fluctibus,
Insana nunquam naufragiis
Ignoscit vnda, & spumeum
Nescit profundum parcere:

4 *Ecce quomodo impietas est defunctorum corpora nō sepelire.*

3 *Spiritus Vincētij victor cœlum capessit.*

Aut

Aut ſemper illic mobilis
Incerta per ludibria
Auſtris feretur flantibus,
Squamoſa paſcens agmina:
Aut ſub fragoſis rupibus
Scabri petrarum murices
Inter receſſus ſcupeos
Diſciſſa rumpent viſcera.
Et quis virorum ſtrenuè
Cymbam peritus pellere,
Remo, rudente, & carbaſo,
Secare qui pontum queas?
Rapias paluſtri è ceſpite
Corpus quod intactum iacet,
Leuique vectum lembulo,
Amplum per æquor auferas.
Sed complicatum ſparteus
Claudat cadauer culleus,
Quem fune connexus lapis
Præceps in altum deprimat.
At tu per vndas emices
Rorante præceps palmula,
Donec relictum longior
Abſcondat aſpectus ſolum.
Hæc iuſſa quidam militum,
(Eumorpio nomen fuit)
Violentus, audax, Barbarus,
Furore feruens arripit.
Funale textum conſerit
Suto, quod implet corpore,
Emenſus & multum freti,
Inter procellas excutit.
O præpotens virtus Dei,
Virtus creatrix omnium,
Quæ turgidum quondam mare
Gradiente Chriſto ſtrauerat.
Vt terga calcans æquoris
Siccis mearet paſſibus,
Plantas nec vndis tingeret
Vaſti viator gurgitis.
Hæc ipſa virtus iuſſerat
Rubrum ſalum dehiſcere,
Patente dum fundo aridum
Secura plebs iter legit.
Necnon & ipſa nunc iubet
Seruire ſancto corpori
5 Sācti pro noſtris peccatis orant ad thronum Dei. Pontum quietis lapſibus
Ad curua pronum littora.
Saxum molaris ponderis,
Vt ſpuma candens innatat,
Tantique cuſtos pignoris
Fiſcella fertur fluctibus.
Cernunt ſtupentes nauitæ
Vectam remenſo marmore,
Labi retrorſum leniter
Æſtu ſecundo, & flamine.
Certant & ipſi concito
Pontum phaſelo ſcindere,
Longè ſed artus præuolant
Telluris ad mollem ſinum.
Prius relatos denique
Humus quieta ſuſcipit,
Quàm pulſa ſummis niſibus,
Carina portum tangeret.
Fœlix amœni littoris
Receſſus ille, qui ſacra
Fouens harenis viſcera
Vicem ſepulchri præbuit.
Dum cura ſanctorum pia
Deflens adornat aggerem,
Tumuloque corpus creditum
Vitæ reſeruat poſteræ.
Sed mox ſubactis hoſtibus,
Iam pace iuſtis reddita,
Altar quietem debitam
Præſtat beatis oſſibus.
Subiecta nam ſacrarijs,
Imamque ad aram condita
Cœleſtis auram muneris
Perfuſa ſubter hauriunt.
Sic corpus. Aſt ipſum Dei
Sedes receptum continet,
Cum Machabæis fratribus,
Secto Iſaiæ proximum.
Simplex ſed illis contigit
Corona pœnarum, quibus
Finem malorum præſtitit
Mortis ſupremus exitus.
Quid tale ſector auſus eſt?
Truncata nunquid corporis
Segmenta poſt ferram feris
Obiecit, aut vndis dedit?
Num Machabæi martyris
Linguam tyrannus erutam,
Raptámue pellem verticis
Auibus cruentis obtulit?
Tu ſolus ô bis inclyte,
Solus brauij duplicis
Palmam tuliſti, tu duas
Simul paraſti laureas.
In morte victor aſpera,
Tum deinde poſt mortem pari
Victor triumpho proteris
Solo latronem corpore.
Adeſto nunc, & percipe
Voces precantum ſupplices,
Noſtri reatus 5 efficax
Orator ad thronum patris,
Per te, per illum carcerem
Honoris augmentum tui,
Per vincla, flammas, vngulas,
Per carceralem ſtipitem:
Per fragmen illud teſteum,
Quo parta creuit gloria,
Per quem trementes poſteri
Exoſculamur lectulum:
Miſerere noſtrarum precum,
Placatus vt Chriſtus ſuis
Inclinet aurem proſperam,
Noxas nec omnes imputet.

Si ritè ſolennem 6 diem
Veneramur ore & pectore,
Si ſub tuorum gaudio
Veſtigiorum ſternimur.
Pauliſper huc illabere
Chriſti fauorem deferens,
Senſus grauati vt ſentiant
Leuamen indulgentiæ.
Sic nulla iam reſtet mora,
Quin excitatum nobilis
Carnem reſumat ſpiritus,
Virtute perfunctam pari.
Et quæ laborum particeps,
Commune diſcrimen tulit,
Sit & cohæres gloriæ
Cunctis in æuum ſeculis.

6 Si ritè veneramur ſolennem diē Vincentij.

VITA SANCTI VINCENTII ET ANASTASII martyrum, per eundem Adonem collecta.

IN Hiſpanijs natale ſancti Vincentij Leuitæ & martyris. Qui cum ſancto Valerio Epiſcopo ſuo à Cæſarauguſta ciuitate Valentiam vſque grauibus nexus catenis, iubente Daciano, perductus eſt. Ibique fame & ſqualore carceris diu maceratus, tormentis eculei & vngularum horrenda laceratione vexatus, à grabato etiam ferreo diutiſſimè vſtulatus, aruinæ guttis, & crepitanti ſale reſperſus eſt. Poſt hoc in teterrimo carcere miſſus eſt, diuaricatiſque in neruo cruribus, ſuper acutiſſima teſtarum fragmenta proiectus eſt. Vbi nocte lux ingens apparuit, & virtute Dei ſolutus martyr, inter Angelos, à quibus viſitari meruit, hymnū canebat, ita vt ipſe cuſtos carceris crederet Chriſto. Mane autem facto cùm iuſſiſſet eum Dacianus in lecto molliſſimo reclinari, vt aliquantulū recreatus acrius denuo torqueretur, infatigabilem ſpiritum Chriſto reddidit. Tunc Dacianus corpus eius in campum proijci, & feris atque auibus iuſſit exponi. Sed mox 1 coruus diuinitus ad cuſtodiam eius datus, non ſolùm alias aues arcebat, ſed mox & immanem lupum à ſancto corpore repulit. Quod cùm Daciano nunciatum eſſet, iuſſit eum inſutum culeo, in profundum maris cum grauiſſimo ſaxi pondere immergi. Sed prius virtute Dei ſuper vndas innatans ad littus delatus, & arenis conditus eſt, quàm remiges portum tangere potuiſſent. Inde autem cùm ſe ſanctus martyr cuidam fideli anui reuelaſſet, ceſſante perſecutionis rabie, à Chriſtianis reuerenter ſublatus, & in Eccleſia conditus eſt, ad aquas Saluias. Natale ſancti Anaſtaſij martyris, & monachi de Perſide. Qui poſt plurima tormenta carceris, verberum & vinculorum, quæ in Cæſarea Paleſtinæ perpeſſus fuerat, à Perſis poſtremò in Perſide multa pœna affectus, atque ad vltimum decollatus eſt à rege eorum Coſrohe cum alijs lxx. Reliquiæ corporis eius primò Hieroſolymis ad monaſterium ſuum, deinde Romam delatæ, 2 venerantur in monaſterio ad aquas Saluias.

Habetur in eius martyrol. ſub 11 Cal. Februarij.

1 Si ſepultura negligenda eſſet, non fuiſſet coruꝰ à Deo miſſus ad tutandū martyris corpus.

2 Vides quod ſancti martyris reliquiæ in monaſterio apud aquas Saluias venerantur.

MARTYRIVM SANCTI VINCENTII.

Per Simeonem Metaphraſten.

VIctoriam, quam ſanctiſſimus martyr Vincentius de hoſte reportauit, maximè probatam fuiſſe ex hoc ipſo intelligi poteſt, quòd bonarum rerum inimicus diabolus eorum certaminum, quæ martyr ille ſuſtinuit, ac perpeſſus eſt, venerandam memoriā ſilentio interim obruendam curauerit. Sed nos ordine ſingulas res, vt geſtæ ſunt, in apertum proferemus, certiſſimamque earum rerum fidem ſequentes, inuiolatam martyris confeſſionem, & tolerantem conſtātiam vſque ad extremum ſpiritum ſeruatam, ſimulque incredibilem Iudicis immanitatem narrabimus.

Is cùm Chriſtianorum vaſtationem, vt quiuis alius, ſitiret, in Hiſpaniam profectus eſt, vt illius prouinciæ adminiſtrationem gereret, quæ à Romanis Imperatoribus commiſſa ei fuerat. Erat Iudex ille Græcus, ſcelere, furore, & diaboli peruerſitate, arteque compoſitus, & malitiæ illius miniſter valde idoneus: vocabatur autem Dacianus. Cùm igitur ad eius regionis vrbem omnium primam veniſſet, cui nomen erat Auguſta, tanquam lupus quidam vorandi ſanguinis multū appetens, ſimpliciſſimas Chriſti oues adortus eſt. Nam etſi earum ſynceritas, conſtantia, & firmitas Chriſtianæ fidei teſtimonium præberet, ab illis tamen furorem ſuum non temperabat, ſed cùm eſſet ſacrilegus, & Græcæ ſuperſtitionis amantiſſimus, ſummam in Chriſtianos acerbitatem exercebat. Itaque cùm magiſtratum iniſſet, ſe omnia ex animi ſententia conſecuturum arbitrabatur, ſi furoris, & inſaniæ, quæ illum exagitabat, manifeſta indicia oſtenderet: nefariæ enim crudelitatis, & noui furoris rabie accendebatur.

Quamobrem ſui ſpiritus fœditatem ac vehementiam, quàmprimum potuit, effundere cœpit, Epiſcopos

Episcopos, & omnes clericos, ac viros sanctos iniqua diaboli tentatione inuadens: quanquam potius factum id fuit, vt qui probati essent, manifesti fierent. Hæc cùm ita se haberent, Vincentius in Leuitarum ordine constitutus sub Valerio Episcopo magnæ existimationis & modestiæ viro, animi alacritate multa erectus, ad celeberrima illa & salutaria certamina properabat. Eiusmodi autem tentatio multis quidem videbatur perniciosa, sed non viris Deum verè amãtibus: quippe qui futurũ sperabant, vt tali certamine proposito beati efficerentur, siquidẽ rectè factis consecrati fidei coronam assequerentur. Itaque artificiosus ille, & animo ac sententia multiplex Dacianus, existimans fieri posse, vt Christiani homines quos non poterat cruciatibus ad sententiam suam perducere, itineris longitudine, & corporeis ærumnis defatigati, afflictique eius voluntati se subijcerent, mandauit sanctos viros, Valerium Episcopum & Vincentium Diaconum multis cum iniurijs duci in vnam quandam illius prouinciæ vrbem, Valentiam nomine, quos statim iussit in carcere quodam obscuro & malè olenti concludi, maximisque cruciatibus affligi, fame, inedia, & catenarum angustijs, & ferreis quibusdam ponderibus à collo ad manus vsque protensis, toto (vt summatim dicam) eorum corpore mortiferis calamitatibus afflicto. Sed quamuis tot tantæque calamitates illorum corporibus adhiberentur, omnia tamen viri sanctissimi tormenta, vt res leuissimas perferebant, ad futura illa bona, quibus compensandi essent, animos erectos, intentosque habentes. Cùm verò peruersus ille, & deprauatæ mentis homo Dacianus existimaret, eos viros defatigatione atque ærumnarum iugo nimium grauatos esse, ac vereretur, ne fortè si eorum res obliuisceretur, antea mortem illi obirent, quàm ipse propriam illorum sanguine fundendo, & membris lacerandis sæuitiam exerceret, iussit illos educi è carcere. Opinabatur enim, eò quòd diuturno carcere vexati, & à lumine, communique hominum consuetudine remoti fuissent, nihil virium amplius reliquum habere. Nolebat autem illos mori, priusquam cruciatibus afflicti essent, quandoquidem futurum sperabat, vt multiplici ac diuturno cruciatu eos flecteret. Cùm igitur viri illi sancti educti è carcere ante tribunal Iudicis stetissent, corporibus & viribus integriores, aspectuque ipso multò hilariores, quàm antea fuerant, Dacianus Præses amens factus, & stupore perculsus, atque insania excœcatus fuit, eorum videlicet, qui à Deo seruati fuerant, robur & vires obstupescens. Cùm verò ab illis se vinci non pateretur, & ab impuri spiritus peruersitate agitaretur, ad carceris custodem conuersus: Curnam, inquit, cibo & potu homines istos recreasti? Cur ita pingues fieri curasti? Mox feroci quadam voce fremens, & orationem suam ad sanctissimum Episcopum conuertens, ait: Quidnam tu de te ipso dicis, Valeri, qui per religionis speciem ac simulationem Imperatoribus aduersaris? Opinabatur enim impius ille, facile fieri posse, vt si caput ipsum, hoc est, Episcopum abscinderet, reliqua etiam membra, clerum videlicet & populum, facillimè demoliretur. Sed benignissimus Deus, qui superbos homines ex alto & sublimi gradu in imum præcipites detrudit, & humiles infimo in loco iacentes in altum extollit, voluit superbum & nefarium illum hominem non ab Episcopo, sed ab inferioris gradus illius cleri viro superari, vt se imbecillẽ esse cognosceret, neque quicquã se contra Episcopum facere posse, quippe qui à Leuita longè inferiore, tum ordine, tum dignitate victus, prostratusque fuisset. Etenim beatus martyr Vincẽtius sancto spiritu plenus, excitatusque, & victoriæ coronam iamiam comprehensam habens, dum Episcopus Valerius quieto & sedato animo responderet, Vincentius sic eum allocutus est: Curnam, ô pater, ita susurras, vt qui metu detenti sunt, & contra canem istum sic mussitas? Clama voce magna, & Christi potentiam adiutricem implora, vt huius Tyranni rabies voce libera, & cum autoritate prolata refrenetur, & eius contra sancta Christi mysteria ferocitas comprimatur. Hic enim ille est, ô pater, pestifer serpens, qui aduersus hominis primò formati gloriam, quæ in omnes homines transitura erat, inuidia excitatus se armauit. Nam cùm ea gloria ipse frui non posset, statim insatiabili quadam perdendorum hominum cupiditate accensus est, & contra illos maximè inuidiam exercuit, quos benignus Deus mori sempiterna morte prohibuit. Hic ille est, quem diuini nominis inuocatione sæpè ab humanis corporibus nos expulimus. Itaque si viribus suis confidit, omnes pugnę machinas in me commoueat: videbit enim me tormentis cruciatum plus quàm se cruciantem valere, & quo magis putabit me afflictum iri, eò grauius ipse affligetur. Quamobrem omnino gaudeo exultoque, quòd diabolus maximis de rebus conuincendus sit. Ad hæc ille diaboli minister Dacianus aduersus Christi fidem magis magisque inflammatus est, quippe quòd seipsum valde contemni animaduerteret. Itaque diaboli ministros sic affatus est: Abducite hinc Episcopum: at istum, qui ad iudicij & imperatorum contumeliam huc venit, ante nos sistite, & ad ipsius durum ac pertinacẽ animũ reprimendum tormẽta & cruciatus adhibete. Hæc cùm diceret, maxima quæque supplicia contra martyrem excogitabat quidem, sed illud tamen secum animo reuoluebat, quòd quicquid, quamuis asperum & acerbum, inferret, fortis ille martyr pro

pro nihilo facere videretur: Fortasse, inquiens, futuræ gloriæ causa omnia sibi perfereda proposuit. Excogitauit igitur tormentorũ machinas diabolus: sed quas in viros illos iustos pœnas se illaturum cogitabat, eas ipse, vt nolebat, passurus erat. Sed quidnam ait iniquus ille? Agite, inquit, suspendite hominem istum in ligno, eiusque membra discerpite, ac totum corpus contundite, vt priusquam aliis cruciatibus affligatur, se laceratum & cõsumptum videat. Cùm igitur Martyr ipse multis horis dilaniaretur, sic eum Dacianus alloquebatur: Quid ais, Vincenti? An non vides, quàm miseris modis corpus tuum miserabile dilaniatum sit? Tum illi subridens Vincentius: Hoc, inquit, est, quod ipse toto animo expetebam: itaq; nemo mihi vnquam, credas velim, optabilior te ipso fuit, neq; animæ meæ beneficium maius cõtulit: nam licet hostili animo id facias, tamen summum beneficium in me confers. En vt ad sublimiora ascendo. En vt cœlestes res attingo. En vt Imperatores tuos magis contemno. Tu igitur ab ista tua crudelitate ne desistas: mihi enim eò cumulatiorem victoriam adferes, quò maiora tormenta perferendo, teipsum superabo. Esto, quæso, in me magis, magisque concitatus, & nefarij tui spiritus peruersitate quantum vis debacchare, ne quo modo gloriam meam imminuas, & nostris laudibus damnum adferas. En ego Christi seruus paratus sum omnia sustinere pro nomine eiusdem Domini mei Iesu Christi. Quibus autem minis & cruciatibus me vexandum esse opinaris, illis tu ipse acerbius vexaberis. His verbis auditis Dacianus furore quodam & rabie inflammatus, & clamores præ insania tollens, lignis ac virgis carnifices verberabat, quòd segnes essent in martyre cruciando, magisque contra carnifices, quàm contra virum illum sanctum excandescebat, domesticos & familiares suos plusquam martyrem verberans. Cùm autem Iudex ipse in suos magis fureret, tunc athleta Vincentius (Eius autem nomen si quis Græcè interpretetur, inueniet idem valere, ac si Nicetem, hoc est, victorem, dicat) in ligno pendens, sceleratum iudicem sic affatus est: Quid ais Daciane? En pœnas recipio ab his qui me cruciant, & tu contra tuos homines vltorem te mihi præbes. Hæc cùm martyr diceret, Iudicem ipsum magis magisque cruciabat. Quamobrem cœpit plus furere, & clamare, & dentibus fremere, vltra modum se magis quàm martyrem crucians. Ad hæc carnifices ipsi, cùm in eo lacerando essent defatigati, tanquam exanimati iam torpuerant, eorumque manus tanquam mortuæ, circa martyris latera obriguerant: cumque expalluissent, sudore multo totum eorum corpus irrigabatur: omnibus denique membris dissoluti erant. Itaque eos videre licebat cruciatibus magis affectos, quàm martyrem, ac propemodum mortuos: quinetiam Dacianum ipsum ore pallido exanimem, trementem, oculis caligantem, & tanquam morte correptum, atque immobilem factum, rursus incompositum, insanientem, & contra carnifices vociferantem: Quidnam vos agitis? An non mihi notæ sunt manus vestræ? Sæpè homicidarum sæuitiam à vobis prostratam cognoui. Frequenter latronum, & parricidarum ferocitatem manibus vestris expugnastis, & veneficorum arcana in intimo eorum corde latentia sæpenumerò extraxistis: quique nefariè intemperantiam suam effuderunt, eorum intestina dilaniastis: atq; (vt summatim dicam) quisnam ita inexpugnabilis fuit, qui cùm in manus vestras inciderit, non facilè interfectus fuerit? Quid igitur est milites mei, quòd hominem istum scelestum magna cum temeritate Imperatores nostros contemnentem, reprimere non possumus? Saltem nos moueat dedecus, & turpitudo, ne quid grauius dicam. Alios negantes crimina, & mortem ipsam irridentes, nondum morte illata perterrefecimus: & istius debacchantis, atque imperatores ipsos, leges, & deorum iura reprobantis linguam procacem continere non possumus? Ad hæc hil ri vultu beatus Vincentius subridens respondit: Hac in re diuinum illud oraculum impletur: Videntes non vident, & audientes non audiunt. Túne omnium hominum crudelissime Tyranne cogis me illum Deum negare, quem vniuersarum rerum opificem, at Saluatorem esse testor? Hunc ego verum Deum esse confiteor. Atqui meritò cruciatibus afficiendus essem, si vanum aliquid aut falsum dixissem, si Imperatores deos esse affirmassem. Tu verò diutius me crucies in huiusmodi confessione permanentem: neque crudelitatem istam exercere contra me desinas: ita enim probatissimam Christianorum veritatem magis cognoscere poteris, si tamen parumper impurus spiritus à te discesserit. Hæc cùm sanctus martyr Vincentius diceret, & Iudex se irrideri putaret, magis magisque insaniebat, toto pectore anhelans, & collo intumescens, totoque vultu immutatus, & ab oculis radios instar scintillarum emittens: qui turbato aspectu sanguinis colorem præ se ferente tunc æstuabat, cùm carnifices ipsos non solùm martyris latera, sed totum corpus & intestina, compages quoque corporis & iuncturas ita dilacerare videret, vt non amplius posset carnifices accusare, quod negligentes forent. Itaque stupore afficiebatur, quòd illius athletæ animum ita magnum & excellum videret. Cùm verò acerbus, atque immitis ille Tyrannus à martyre se victum cognosceret, pestifer homo alia quadam via Vincentium aggressus est, credens fieri posse, vt misericordia & lenitate viri

iusti mentem ac voluntatem alliceret. Aiebat igitur: Miserere, Vincenti, iuuentutis tuæ, neque ætatis florem in primis annis decerpi patiaris, atque longioris vitæ spatium ne tibi præcidas. Parce tibi. Ne committas, vt cruciatu maiore lacereris. Saltem serò sapias, & resipiscas tandem, ne reliqua tormenta patiaris. Cùm hæc iudex dixisset, beatissimus Martyr Vincentius à spiritu sancto edoctus, dolos præsensit. Itaque his verbis vsus est: Non displicent mihi cruciatus quos adferre studes, sed illud me perterrefacit, quòd misericordiæ verba te simulantem audio. Exerceantur igitur contra me tormenta omnia, & multiplices cruciatus quantumuis graues adferantur, ac si quid prodigiosis & maleficis viribus tuis confisus inuenire contra me poteris, ne desistas pestiferam illam immanitatem tuam in me inferre. Experire Christianorum vires, neque abstineas à verberibus & tormentis, non à ferro, igne atque incendio: sic enim in omnibus his te victum fatebere, magisque erubesces. Cùm hæc audiens Dacianus valde cruciaretur, & athletæ illius constantiam sibi dedecori esse non pateretur, cohorti hæc iussit: Ducatur iste ad iudicium, & legum examen, & his pœnis ac suppliciis subijciatur, quibus parricidæ, scelerati & nefarij homines sunt obnoxij, vt cùm eius animus cruciatus graues diutius ferre paratus sit, membra ipsa omnium generum tormentis consumantur. Quamdiu enim iste superest, fieri non potest, vt ego victoriæ compos fiam. Hæc ait Dacianus. Athleta verò ille fortissimus aduersarium his verbis alta voce insequebatur: O me beatum, & verè fœlicem atque hilarem factum, quandoquidem istæ tuæ calumniæ & minæ, meæ sunt perfectissimæ laudes. His verbis Dacianus ad insaniam concitatus, statim iussit crucem componi, & in illa Vincentium suffigi, ac membratim cædi. Cùm igitur crux ipsa in terra defixa esset, Martyrem in ligno suspenderunt nefarij homines, & satellites diaboli, Daciani iussa exequentes. Postea verò eundem multa cum celeritate è ligno detraxerunt. Qui cùm à vinculis solutus esset, & in terra vir sanctissimus constitisset, Spiritus sancti ope adiutus, seipsum à carnificibus abstraxit, & ad crucem illam cucurrit: in quam cùm insiliret, hostem ipsum perterrefecit. Itaque eos, à quibus cruciabatur, & tormenta cumulabantur, increpans: Cùrnam, inquit, tardiores, & in meipso ad tormenta ducendo facti estis imbecilliores? Agite, quàm celerrimè vestri principis crudelitatem exequamini, vt in omni re quamprimùm se ridiculum faciat. His verbis nefarium iudicem ferociorem factum tanquam iaculis quibusdam confodiebat. Quamobrem magis magisque in Martyrem exardescens, grauiora in eum tormenta excogitabat. Statim igitur beatus Vincentius torquebatur, diuersisque flagellis, & ferreis vnguibus assiduè lacerabatur, atque eius latera continuis flammis comburebantur. Denique membra ipsa ita distenta distractaq; sunt, vt totus eneruatus esset. Deinde cùm ferreas virgas carnifices in igne diu tenentes ignitas effecissent, mox in eiusdem Martyris pectus eas coniecerunt, quoad candentibus illis virgis combureretur. Corporis enim superficies ac pellis flamma illa comburebatur, vulneraque vulneribus addita renouabantur, & lacerationes lacerationibus nouis augebantur. Alij carbones accensos in eius corpus inijcientes, diuturnis flammis ipsius membra comburebant, in quo cùm nullæ amplius superessent carnes, flammæ ipsæ deinceps intestinas vsque partes penetrabant, & cùm superioribus vulneribus additæ essent, nouo cruciatu Martyris corpus affligebant: cuius etsi nulla pars sana relicta esset, nihilominus tamen mens ipsa cruciatus illos fortiter perferens robustior efficiebatur, idque non immeritò: diuino enim præsidio, quod humana cogitatione comprehendi non potest, vndique communiebatur. Dacianus verò insania multa & furore agitatus, pergebat illam tormentorum copiam inferre, nimirum expectans contrariam Martyris confessionem audire. Interea cohors militaris constantia Martyris perculsa, retulit Daciano carnifices ipsos defatigatos esse, & in tormentis infligendis ad extremum spiritum redactos: athletam verò illum, multiplicem tormentorum copiam ac certamen egregiè superasse. Tunc Dacianus spe deceptus, & tenebris mentis oppressus: Heu, inquit, victi sumus: sed quamuis tam multis cruciatibus eius mens victa non sit, cùm fortiter corpus ipsius flammas pertulerit, nihilominus tamen demus operam, vt eius animus talibus crucietur pœnis, quibus nullum remedium adhiberi possit. Exquirite igitur locum omni ex parte obscurum, ac tenebricosum, vt sempiterna quadam nocte puniatur. Locum verò illum, in quo eius corpus constituendum est, testis fractis sternite ex vtraque parte acutissimis, & aculeatos angulos habentibus, vt compungatur, & in quamcunque partem latera sua cõuerterit, dilaceretur. Post hæc vt membrum nullum remissionem habeat aut recreationem, sed totum eius corpus assidua tormentorum renouatione affligatur, super huiusmodi testas hominem istum prosternentes pertrahite, vt membratim variè laceretur, & animum ac spiritum emittat is, qui contra nostros Imperatores certamen suscepit. Denique concludite ipsum in loco illo tenebricoso, & illic derelinquite, vt ne minimam quidem lucis partem oculis suis aspiciat, neque quisquam illuc accedat, omnisque consolationis ratio ac spes ab eo remoueatur. Ianuas ipsas vndique

claudite,

claudite,& vestibus eas communite,hocque diligenter curate,vt quamprimum animam efflauerit,mihi referatis. His ita factis,vt nefario impij Daciani edicto præscriptum fuerat, & eo in loco Martyre incluso,aduentante nocte,statim custodes ipsi alto sopore oppressi sunt. Itaque quod Dacianus contra sanctum Martyrem excogitauerat, id ipsum in sanctissimi viri iucunditatem ac gloriam conuersum fuit. Terribilis enim & illustris Angelorũ cohors accessit athletam curans,& à languoribus eripiens ac recreans,ita vt locus ille obscurus,& nocturnæ tenebræ nouo quodam & admirando lumine illustratæ sint. Repentè igitur custodes experrecti, existimabant Martyrem ipsum è carcere aufugisse. Itaque illis valde perturbatis ac metuentibus,dixit vir sanctissimus: Nolite, quæso,milites turbari,neque clamare,aut metu aliquo affici:nunquam enim ego aufugerem,ne repositas mihi coronas amitterem. Sed quàm celerrimè potestis,huc introite,& videte seruum Dei per angelicum ministerium admirabili quadam consolatione recreatum,vt quo loco vos obscurissimas tenebras reliquistis, illic cœleste lumen aspicientes gaudeatis. His verbis athleta ille vsus est. Postea verò quàm Daciani satellites ingressi sunt,eos exhortatus: Abite, inquit, & domino vestro renunciate, quali & quanta luce ego hic perfruar: itaq; si quid potest acerbius excogitet,& ad meas laudes illud accumulet. Cùm igitur custodes omnia quæ in carcere viderant, Daciano retulissent, repentè ille exanimatus expalluit,& secum pessimè agi animaduertit, quandoquidem Martyris lacerationes & vulnera in eius ipsius ignominiam ac dedecus conuertebantur. Quamobrem acerbitate quidem magna contra Christi athletam Vincentium commouebatur,sed mitius tamen se gerere simulabat. Itaque dicebat: Quid est quòd amplius pugnemus, cùm maximè ab hoc homine victi simus? Gestetur igitur in lecto aliquo,& stragulis delicatissimis: non enim patiar, vt in cruciatibus moriatur. Tollant ipsum in lecto positum homines aliquot hilares, & exultantes. Sint & alij, qui eius vestigia, & dilaniatum corpus totum exosculentur: quinetiam sanguinem ex vulneribus defluentem colligentes, ad suæ valetudinis recuperationem illum adhibeant. Talium virorum satellitio vtatur probatissimus Christi minister Vincentius, dignus certè qui ab inimicis etiam colatur, non solùm ab inimicis & Christianis obseruetur. Hæc versutæ mentis homo Dacianus faciebat,multùm animo perplexus, quippe qui modò infirmitatem suam confitebatur,modò gloriosi martyris Vincentij tolerantiam ac fortitudinem laudibus extollebat. Quamdiu verò doloso animo talia machinabatur,prouidit Deus,cuius bonitas omni ex parte perfecta est,vt Tyrannus ille omni spe deceptus superaretur. Ipsius enim Martyris animam victricem ex caduco & fragili corporis tabernaculo ad cœlestem regionem traduxit. Quare diabolus valde confusus fuit. Equidem non temerè factum arbitror, vt sanctissimus vir eo tempore mortem obiret, quo Dacianus ipse curatione illa, vel insidiis potius Martyrem aggredi volebat. Dicturus enim fuisset, eius cura & studio athletam Vincentium seruatum esse. Cùm igitur victricem Martyrem obiisse Dacianus accepisset, cœpit vltra modum insanire, & ait: Si viuum hominem istum superare non potui, saltem mortuum superabo. Non amplius superest in eo spiritus, qui mihi aduersetur, neque hominis mortui membra mecum amplius pugnare poterunt. Proijciatur igitur in campum eius cadauer,neque arborum foliis,aut alia re contegatur: sed feris & volucribus in escam propositum sit. Quicquid enim contra mortuum istum efficere potero, non omittam,vt careat funere ac sepultura. Itaque pretiosissimæ 1 Martyris reliquiæ nefario tyranni edicto proiectæ sunt, illis assidente easq; custodiente carnifice,pessimique illius Daciani amicis quibusdam. Nemo autem Christianorum religiosi martyris corpus à Tyranno petere audebat, vt scilicet optabilem illũ martyrem secum habere posset. Coruus autem quidam, ales,inquam,ille ignauissimus,& maximè segnis è propinquo loco aduolauit, & sanctum illud corpus custodire cœpit, qui nigris pennis, & colore atro,tanquam pulla quadam veste indutus, quodammodo 2 luctum præferebat,aliasque volucres grandiores volatu magno illuc irruentes impigrè persequens,è loco facilè abigebat. Quinimo lupum quendam repentino cursu eò venientem ita repulit, vt ille terga vertens, non corui quidem impetum, sed iacentis illius sancti corporis aspectum extimescere præ se tulerit, ac stupore perculsus repentè subterfugerit. Equidem feram illam Angelica præsentia perterrefactam illinc aufugisse arbitror. Vetere historia nobis traditum est, beatum Eliam Israelitarum impietatem fugientem,eum desertis locis & speluncis prauam eorum hominum, qui tunc erant,consuetudinem permutasse, eoque tempore quotidie manè ac vesperi Prophetam illum à coruo sibi oblatum cibum accepisse. Et nunc igitur diuino iussu,quemadmodum & olim,coruus excitatus Vincentio martyri congruentem operam curamque adhibebat.

1 Nota,pretiosissimæ martyris reliquiæ.

2 Mira res, irrationalis auis sancti martyris reliquias veneratur, & defendit: noui autem hæretici illas dehonestant et aspernantur.

Quo miraculo perculsus Dacianus clamare cœpit: Heu quidnam hoc est? Ne mortuum quidem hominem istum superare possumus? Quinimò quò maiore acerbitate in eum vtimur, eò efficitur gloriosior? Quoniam igitur fieri non potuit, vt in terris consumeretur, in

altum mare demergatur, vt huius victoriæ magnificentiam mare ipsum obruat, ne quotidie omnibus ridiculus fiam. Deijciatur autem quemadmodum parricidæ solent, in vtre ex bouis pelle confecto inclusum, saxisque magnis illigatum eius cadauer in altum mare demergatur: cumq; nautæ ipsi multum maris spatium tranarint, in vndas profundissimas istius hominis cadauer deijciant, vt si quod Vincentij membrum reliquum est, illud pisces consumant & deuorent. Itaque pretiosæ Martyris reliquiæ, sicut Dacianus iusserat, conclusæ sunt. Cùm verò athletæ & martyris corpus ita conclusum fuisset, mox venit cum nautis homo quidam, Eumorphius nomine, pessimis moribus, & animo sacrilego, qui promiserat tyranno illi nautas se adhibiturum, qui ad execrabile scelus committendum idonei, eius voluntati facilè obtemperaturi essent. Itaque nautæ illi pretiosissimas Vincentij martyris reliquias in scapham coniecerunt, & eo vsque altum mare nauigarunt, vt littora & montes oculorum aciem fugerent, cumque id facere vellent quod iussi fuerant, sanctas reliquias in mare proiecerunt, & hilari vultu ad Dacianum reuertebantur, quasi læti illius nuncij præmium relaturi essent, impiis & incompositis vocibus, atque irrisionibus vtentes, exultantesque eò quòd Vincentij corpus perditum fuisset. Sed priusquam in aridam terram reuersi essent, qui Martyris corpus in mare proiecerant, illud ipsum quod proiectum fuerat, Christi manu ad terram appulsum fuit, quodque arbitrabatur in altum & immensum pelagus demersum fuisse, illud cùm ante oculos suos expositum vidissent, quasi debitum sepulchri honorem postularet, stupore & metu correpti, illis ipsis reliquiis derelictis, abierunt. Iam verò sanctus martyr Vincentius viro cuidam in somnis reliquias suas ex alto mari in terram expositas esse significauit: quin etiam locum, in quo reliquiæ ipsæ positæ erant, eidem patefacit. Quoniam verò Præsidem timens vir ille ad martyris reliquias inquirendas segnem & parum alacrem se præbuit, ille ipse martyr in somnis apparuit fœminæ cuidã viduæ, quæ vt ætate prouecta, ita & morum sanctitate prædita erat. Illam cùm similiter admonuisset, eidem signa quædam eius loci patefecit, in 3 quo sanctum illud corpus iaceret, quòd videlicet lateret sub arena, quam lenis & tranquilla vnda in reliquias illas sanctas sic infuderat, quasi arena ipsa Martyris sepulturæ deseruiret. Sepultus igitur fuit generosus Christi athleta primùm in littore sub arena. Mox anus illa, fœmina valde religiosa, & vidua, quam suprà diximus, perlustrata littora, inquirens signa illa, quæ in somnis ei patefacta fuerant: cumque inuenisset quod quærebat, & martyris reliquias in ædem illis dignam tulisset, eas 4 sanctè ac religiosè condidit. Itaque sumptuosis exequiis adhibitis, sacræ illæ reliquiæ Deo ipsi dedicatæ sunt in illius templi ara, quod sancti martyris Vincentij nomine appellandum fuit. Hæc est sanctissima martyris confessio, hæc illius certamina, qui martyrium suum compleuit in gloriam Christi Dei nostri, nunc, & in secula. Amen.

3 Tanta cura circa martyris corpus sepeliendum diuina prouidentia exhibita, sepulturam non negligendam, sed curandam esse, fideles admonet.

4 Nota B. Martyris reliquias sanctè et religiosè conditas. Nota etiam sumptuosas exequias illis adhibitas. Nota demum templũ sancti Vincentij nomine appellatum. Habetur in martyrolo. eius sub xj. Calend. Decemb.

VITA SANCTI GRISOGONI MARTYRIS, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

ROmæ natale sancti Grisogoni martyris. Qui per biennium iussu Diocletiani coniectus est in vehicula, vbi multa perpessus sanctæ Anastasiæ alimoniis fouebatur. Cùm igitur beatam Anastasiam zelans vir eius Publius custodibus adhibitis clausisset, vt nec per cuiuscunq; fenestræ aditum aspectaret, ad hunc confessorem Christi Grisogonum, qui eam in Christo erudierat, talia scripta dirigit. Sancto Confessori Christi Grisogono Anastasia: Licet pater meus cultor fuerit idolorum, mater tamen Fausta Christianissima semper vixisse probatur & casta. Hæc me inter ipsa cunabula fecit fieri Christianam. Post cuius excessum sacrilegi iugum mariti suscepi: Cuius, Deo miserante, thorum, mentita infirmitate, declinans, die noctuque Domini nostri Iesu Christi amplector vestigia. Cùm iste patrimonium meum, ex quo illustratur, cum indignis & turpibus idololatris exhauriat, me quoque velut magam, atque sacrilegam custodiæ tam grauissimæ mancipauit, vt vitam me corporalem amittere suspicer. Nihil enim superest, nisi vt emisso spiritu, morti succumbam, in qua morte licet glorier de confessione Domini nostri Iesu Christi, tamen in eo mens mea valde conteritur, quòd opes meæ, quas ego ex asse Deo 1 voueram, alienis à Deo & turpibus inseruiunt. Et idcirco deprecor te homo Dei, vt instanter Dominum depreceris, vt aut ad fidem suam venturum si præuidet Publium, sinat viuere: aut si præuidet eum in hac incredulitatis peruersitate mansurum, iubeat eum dare locum suis cultoribus. Melius est enim ei exhalare spiritum, quàm Dei filium degenerare, & eum confitentes impedire. Etenim Omnipotens testis est Christus, quoniam si liberata fuero, sanctorum vestigiis adhærebo, & curas omnium solicitè exercebo, vt cœperam. Vale vir Dei, & memento mei. Cùm hanc Epistolam legisset Grisogonus, oratione facta cum multis confessoribus, ita rescripsit: Fluctuanti tibi inter

1 Vides vota etiã antiquis patribus fuisse in vsu.

procellas & turbines mundi, citò ſuper vndas deambulans Chriſtus aduenier, & diaboli aduerſum te ſtantem ſpiritum, vno iuſſionis ſuæ ſermone compeſcet: Patienter, & quaſi in medio mari poſita, crede ad te Chriſtum eſſe venturum, & ad temetipſam conuerſa exclama cum Propheta dicens: Quare triſtis es anima mea, & quare conturbas me? Spera in Deo, quoniam adhuc confitebor illi, ſalutare vultus mei, & Deus meus. Geminū diuini muneris probatur indicium, cùm tibi & terrena reddentur, & donabuntur cœleſtia. Deus enim beneficium ſuum ad hoc extremitatibus protrahit, vt non ſit nobis vile quod præſtat. Vide ne turberis in hoc, quod piè viuenti tibi inferantur aduerſa. Non enim deciperis, ſed probaris. Non eſt tuta defenſio, quem per hominem putas poſſe conſtare. Audi ſcripturam dicentem: Maledictus homo, qui ſpem ſuam ponit in homine: Et benedictus homo, qui ſpem ſuam ponit in Deo. Caue fortiter, vigilanter, ſtrenuè vniuerſa peccata, & à Deo ſolo quære ſolatium, cuius iuſſa conſeruas: citò enim ad te placidum tempus conuertetur, & quaſi poſt noctis tenebras, floridum diei lumen aſpicies, atque poſt glaciale frigus hyemis tranſeuntis, aurea tibi tempora & ſerena ſuccedent, vt omnibus, qui pro Chriſti amore affliguntur, præbeas temporalem lætitiam, per 2 quam ſine dubio conſequeris æternam. Vale in Domino, & ora pro me. Hanc epiſtolam legens Anaſtaſia, fortiores fidei vires accepit, tantum de virtute patientiæ gloriari incipiens, quantum prius de oppreſſione infideliſſimi viri ſe cauſabatur affligi. Igitur beata Anaſtaſia cùm ita in cuſtodia ſtringeretur, vt vix ei panis quadra daretur, æſtimans ſe in ipſa tribulatione deficere, ſcripſit epiſtolam. Beato martyri & confeſſori Chriſti Griſogono Anaſtaſia. Finis venit corporis, memento mei, vt egredientem animam meam ille ſuſcipiat, pro cuius amore iſta ſuſtineo, quæ ex ore huius vetulæ recognoueris. Ad hæc ſanctus Griſogonus talia remiſit ſcripta. Griſogonus Anaſtaſiæ. Semper eſt vt lumen tenebræ antecedant. Sic etiam poſt infirmitatem ſalus reuertitur, & vita poſt mortem promittitur. Vno fine concluduntur & aduerſa huius mundi, & proſpera, ne vel triſtibus deſperatio, vel lætis elatio dominetur. Vnum mare eſt, in quo nauiculæ corporis noſtri veliſicant: & ſub vno corporis gubernatore animæ noſtræ nautico funguntur officio. Quorūdam igitur naues fortiſsimis carinarum nexibus ſolidatæ, tenebroſi æquoris concitatos fluctus illæſæ prætereunt. Quorundam verò fragilis iunctura lignorum etiam in tranquillo vicinum morti conficiunt curſum. Propè eſt enim vt pereant, qui non cogitant qualiter ad ſalutis portum pertingant. Tu autem ô Chriſti irreprehenſibilis famula, Crucis Chriſti trophæum tota mente conſtringe, & te ipſam ad opus Dei præpara. In quo eius deſideriis dum parueris, cum martyrij palma ad Chriſtum pertinges. Igitur Diocletianus Aquileiæ partibus poſitus, interficiens Chriſtianos, iuſſit ſibi adduci Griſogonum. Cui cùm diceret: Accipe præfecturæ dignitatem, ſume etiam conſulatum generis tui, tantùm vt adores deos. Beatus Griſogonus reſpondit: Vnum Deum mente adoro, corde colo, ſynceris actibus veneror: iſtorum autem deorum veſtrorum ſimulachra, quia omnino dæmoniorum thecas noui eſſe, execror, atque abijcio. Tunc iuſſu Diocletiani ductus eſt ad aquas gradatas, & ibidem decollatus. Corpus eius in mare proiectum, poſt modicum in poſſeſſione, quæ dicitur, Ad ſaltus, inuentum eſt. Quod ſanctus Zoilus 3 ſenex presbyter collegit, & in locello ſubterraneo in cubiculo ſuo poſuit. Cui etiam caput eius reuelatum eſt, ita recens, quaſi eadem die fuiſſet abſciſſum, quod corpori eius compaginauit. Paſſus eſt autē beatus Griſogonus viij. Calendas Decembris: v. Calendas eiuſdem menſis cōditus. Sanctus verò Zoilus triceſimo die paſsionis eius apparente ſibi ſancto Griſogono, perrexit ad Dominum. *

2 Ecce quomodo pro temporalium bonorum elargitione, æternæ vitæ præmia conſequimur.

3 Commendatur ſanctus vir de ſepultura martyris, quia ſepelire mortuos, opus eſt charitatis.

VITA SANCTAE ANASTASIAE MARTYris, per eundem Adonem collecta.

DIE xxv. Decembris Natale ſanctæ Anaſtaſiæ, quæ tempore Diocletiani primò diram & immitem cuſtodiam à viro ſuo Publio perpeſſa eſt. In qua tamen à Griſogono confeſſore Chriſti multum conſolata, & confortata eſt. Deinde à Præfecto Illyrici in grauiſſima æquè ac diutina cuſtodia macerata. In qua duobus menſibus refecta eſt cœleſtibus eſcis per ſanctam Theodoten, quæ martyrium prius paſſa eſt. Deinde naui impoſita cum ducentis viris & ſeptingentis fœminis, vt demergeretur in mare, perlata eſt ad Inſulas Palmarias, vbi per manus & pedes extenſa, & ligata ad palos fixos, circa media eius ignis accenſus eſt, in quo martyrium conſummauit. Et omnes qui cum illa venerant, variis interfectionibus martyrium celebrarunt. Inter quos omnes vnus erat Euthicianus nomine, innocentiſſimæ naturæ. Qui ſublatis ſibi, cùm diues eſſet, omnibus facultatibus tacuit, nihil cogitans, nihilque metuens, niſi hoc, ne diuitias fidei perderet. Quotieſcunque denique fuiſſet auditus, quotieſcunque interrogatus, nihil aliud dicebat, Chriſtum mihi non tollet, etiam qui

Habetur in loco vbi ſupra, ſub viij. Calē. Ianua.

caput abstulerit. Tunc Appolonia Christiana [1] matrona tollens corpus beatæ Anastasiæ, exosculatur, & aromatibus condiens, dignisque linteaminibus obuoluens, intra viridarium domus suæ fabricata basilica, vt decuit, martyrem sepeliuit.

1 Vide sanctæ martyris honorificam sepulturam. Vide aromatum odoramentis conditum eius corpus. Vide demũ in honorem Sanctæ Ecclesiam fabricatam, omniaque hæc ab Apollonia matrona Christiana.

XXVIII. Octob.

VITA ET MARTYRIVM SANCTAE MARtyris Anastasiæ Romanæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

Literis mandatum est, duas fuisse Anastasias, ambas quidem genere claras, longè autem clariores confessione fidei, & eis patriam fuisse Romam veterem. Quarum altera quidem viro pietate non bono breui tempore coniũcta matrimonio, cùm nullam cum eo tori habuisset consuetudinem, sed adhuc conseruaret pulchrum florem virginitatis: marito interea morte amisso, vixit deinceps in casta viduitate, & virtutum exercitatione, totis manibus paternas opes essundẽs in egenos: & lubenter ventitans ad eos, qui propter Christum patiebantur, & carceres propter eos diligenter perscrutans, & omnibus modis eorum curam gerens, & saniẽ abstergens, & facilè faciens ferre dolores, & adhuc quidem viuentes, doctrinis, consilijs, monitis confirmans, mortuorum autem corpora splendidè componens, & mandans sepulturæ, pulcherrimum & funebrem ornatum illis præbuit, donec seipsam quoque eis præbuit, vt quæ per ignem fuerit oblata in holocaustum, & sursum ad Deum lata sit in odorem suauitatis. Altera autem vitam elegit monasticam, & quietam, omnino expers nuptiarum, & quæ ex eis oriuntur tumultuum, sed cum pulchrum iugum Domini subiisset, & leue eius onus portasset: deinde etiã forti & excelso animo suscepit certamina pro pietate: & duplici ornata fuit corona, virginitatis, inquam, & decertationis. Cuius ab ineunte ætate educationem, & exercitationem, & maxima illa propter Christum certamina vult ab initio persequi oratio. Ipsa ergo relictis parentibus & necessarijs, & ijs omnibus quæ pertinent ad hæreditatem, in quodam monasterio vicesimo anno ætatis seipsam collocat: in quo docta, & instituta à sacrosancta Sophia (Sic enim vocabatur magistra) dignos etiam fructus, talibusque seminibus, ac tali doctrinæ conuenientes & producebat, & erat productura. Inuidus autem & malignus hæc sine inuidia ferre non poterat. Sed primum quidem ipsius domesticis eam aggreditur copijs, & ex carne eius in eam hostem excitat, contendens vehemẽtem illam & intensam soluere exercitationem. Cùm autem illa inimici machinas facilè repulisset, nec ea ratione ab eo capi & expugnari posset, is se rursus ad alias contulit insidias: & ipsam quidem defert ad suos, & impietatis ministros, quibus valde erat curæ perscrutari eos qui Christi sectabantur religionem. Illi verò statim currentes ad Præsidem (Is autem erat Probus, Diocletiano tunc administrante imperium) ipsi indicant eam neque deos, neque Imperatorem colere: sed quendam Christum prædicare Deum verum, vitamque solitariã, & coniugij expertem ei quæ versatur in societate & coniunctione præferre, insolitam quandam viuendi formam ostendentem virginibus. Cùm ergo statim Probus theatrum coëgisset frequentissimum, iubet beatam adduci Anastasiam. Cumque venissent ministri ad sacrum illud [1] monasterium, cum ipsis vectibus, & clauibus, fractis ianuis, maximo impetu ingressi, nominatim quærebant Anastasiam. Eius autem magistra Sophia cùm repentinam illam aspexisset irruptionem, & causam non ignorasset, sed rem statim, vt erat, coniecisset: à militibus postulauit hanc gratiam, vt parum expectarent. Quæ cùm lachrymans accepisset Anastasiam, & eã statuisset ex aduerso aræ, secretò & Deum testem adhibens eorum quæ dicebat: Ego quidem, inquit, ô iucundissima filia, cùm te puellam accepissem, nihil à primo die hoc vsque tempus prætermisi pro viribus, quod pertineret ad te instituendam in iis quæ ad Deum pertinent. Nunc autem cùm iam perueneris ad ætatem plenitudinis Christi, vade ad ipsum exultans. Te enim ei hodie despondeo, & offero, & trado. Ecce iam est paratus thalamus, & qui te vocat, est verax: & adsunt nuntij gaudij, vt te accipiant Christi sponsam, & deducant ad Regem in superna tabernacula. Vade ergo per arctam & angustam viam, donec per martyrium pro ipso susceptum, in latitudine statuat pedes tuos. Nam iustum est, ô filia, non solùm pro Christo pati, sed etiam sæpe, si hoc fieri posset, mori propter illum. Si enim cùm esset Dominus, mortuus est propter nos, quomodo non oportet nos, cùm simus serui, prompto & alacri animo imitari illius mortem? Verùm nec mors quidẽ est, ô filia, propter Christũ decessus, sed lætitia, gaudium, voluptas, splendor, pulchritudo, lux longè hac luce dulcior & pulchrior. Omnia illic ab interitu libera: omnia firma ac stabilia: omnia perpetua, & nunquã desinentia. Ne aspexeris, ô filia mea, ad acerbitatẽ Tyrannorum, & grauitatẽ suppliciorum. Ipse enim Christus sponsus tuus tibi aderit, dolores alleuans, & eripiens à necessitatibus. Quòd si etiã concesserit, vt tu malorum aliquid perpetiaris, quo tuã tolerantiã efficiat tuæ fidei probationem.

1 Vide hic confutatum quorũdam apertum mendaciũ, ante tempora Hieronymi non fuisse monasteria virginum.

at non

atnon in finem deseret & despiciet: sed, te adhuc laborante, extinguetur quidem dolorum acerbitas: exorietur auté tibi consolatio & lux: & vita te amiciet, & gloria circumdabit. Ad hæc virgo: Optandum quidem est, inquit, ô mater, & orandum, vt quod à diuino proficiscatur auxilio, ne ad tantam tyrannorum crudelitatem & insaniam deficiam. Nam spiritus quidē est promptus, caro autē infirma: sed roga communē Dominū, & ei supplica, vt mittat ad me virtutem ex alto, per quam potero resistere tam grauibus quæ infliguntur malis: & studebo mater mea, illius confirmata virtute, tua monita perpetuò conseruare, neque vllum eorum negligam, aut eius obliuiscar. Cùm hæc virgo diceret, & magistræ tam dulcia & iucunda faceret promissa, irruerunt repente milites, & eam tanquam agnam, à matre auellētes, imponunt ei ferreum collare, & lætam adducūt ad Præsidem. Illa autem ei stans ex aduerso, mente multò magis Christo astabat suo spōso: & toto animi intuitu ad eum aspiciebat: & in eius speciem & pulchritudinem defigebat oculos intelligentiæ. Atque stupebant quidem quotquot aderāt, & corporis eius pulchritudinē, eiusque moderationem, & vultus dignitatem. Probus autem eam primum rogauit, quod esset ei nomen. Martyr autem: Vocor, inquit, Anastasia. Deus enim me fecit surgere, vt te & patrē tuum hodie pudore afficiam. Probus verò videns virginem in principio tam asperè respondisse, statuit eam aggredi blāditijs, & sic mollire asperitatem illius & duritiem, nesciēs qualem frangere animum, & qualem circa fidem adamantem putaret se posse conterere. Dicebat itaque: Tibi consulo, ô filia, vt ea eligas quæ sunt tibi vtilia, & magnis diis te adiungas, & eis vnà nobiscum sacrifices. Sic enim viro quidem iungeris matrimonio, cuius erit in ciuitate maxima authoritas: addentur autem tibi quoque pecuniæ, aurum, argentum, vestes, multitudo mancipiorum: erisque splēdida & insignis. Apud te ergo considera, id consilii capiens, quod & tuę conueniat pulchritudini, & animi nobilitati, neque velis iræ nostræ facere periculum, nec discere quantum sit malum impietas. Ego enim tuę pulchritudinis tanquam eodem ortus sanguine, & tuus pater secundùm carnem (deos testor) curam gerens, suggero quæ sunt profutura. Quòd si tu his non parueris, neque meis cessens suasionibus, necesse erit vt meam deinceps tantā experiaris sæuitiā, quanta nunc benignitate frueris & mansuetudine: quo tēpore etsi ducaris pœnitentia, nihil fortasse tibi proderit. His verbis auditis Martyr, statim est recordata maternarum, sapiētis suæ magistræ, admonitionū. Et statim respondens: Mihi quidem, inquit, ô Iudex, & spōsus, & diuitiæ, & vita est Christus. Mors autē propter ipsa subeūda est mihi vita longè pretiosior, propter quē non aurū, non argentū, non aliquid aliud ex ijs quæ sunt in terra iucunda, mihi iucundum fuit existimatum: illum enim solum, illiusque consuetudinem magnifacio, qua sum fruitura. Ignis autem, & ensis, & ferrum, & membrorum abscissiones, & plagæ, & flagella, & si quid aliud à vobis excogitatum fuit ad cruciatum, ea sunt mihi voluptates potius, quàm tormenta, in illum solum defigenti oculos, & non ea solùm pati pro illo cupienti, sed etiam, si fieri posset, mori millies. Ne simules ergo te misereri speciei mei corporis, quæ flaccescit non minus quam flores agri, sed fac potius id quod est in tua potestate, aut situm est in morum tuorum crudelitate. Nam ego quidem ligneos, aut lapideos Deos nunquam coluerim. His ad iram martyr incitat Præsidem. Et primùm quidem plagas eius genis infligit. Deinde etiam dirumpit tunicam, illam pulchritudinem, quæ vel ipsis erat Angelis reuerenda, totam nudam ostensurus, absque vllo velo aut operculo, vt vel maiori pudore afficeret virginem, quæ turbæ & hominum oculis non erat assueta, vt quæ præter thalamum & quietem nihil nouerat. Sic, inquit, oportet te tanta affici turpitudine & dedecore ante omnium oculos. Sed resipiscens ab ea, quæ te tenet, amentia, ad deorum accede benignitatem: nec velis videre tantam pulchritudinem miserè ante tempus efflorescentem & marcescentem. Nemo enim te, si nō pareas, potuerit à meis manibus eripere: sed te minutatim dissectam feris agrestibus apponam exedēdam. Hoc velim sit tibi persuasum. Martyr autem: Mihi, inquit, ô Præses, non est turpitudo, aut dedecus esse nudatam vestibus: sed maximus potius ornatus, & elegantissimus. Nam veteri homine exuta, nouum induam in iustitia & veritate. Non me ergo, sed te potius oportet propter hæc erubescere, quòd, tanquàm vestem, indueris impietatem, & ingressa sit tanquam aqua tua viscera, & sit tanquam oleum in tuis ossibus. Interea autem capta vehementiori amore decertationis, & timens ne Præses emollitus, iam in medio certamine eam excluderet à stadio, hæc quoque adiecit: Crudelissime Iudicum, minaris te mortem mihi esse allaturum, ad hoc sum tibi præsto: hoc enim est mihi planè optandum. Quòd si etiam me in membra dissecueris, & linguam amputaueris, & dentes, manus, & vngues, tunc me afficies maiore beneficio. Me enim totam, quantacunque sum, debeo Creatori, & hoc mihi semper est in votis, vt ipse glorificetur in omnibus meis membris, & sistam ante eius tribunal omnia mea membra nitentia ornatu confessionis. His Anastasia obstupefacit cum theatro iudicem. Qui missis adhortationibus, processit ad supplicia.

Et primùm quidem eam pronam à quatuor viris extensam, & quibusdam palis humi fixis alligatam iubet tolli sublimem: & infernè quidem ignem oleo, & pice, & sulfure, & sarmentis vehementer accensum eius substerni visceribus, à tribus autem rursus desuper hominibus simul vno impetu eius dorsum virgis cædi. Hæc quidem sic se habebant, & executioni mandatum fuit, quod iussit Præses. Cùm ea ergo diu sic pateretur, & dorsum quidem flagellis desuper laceraretur, viscera autem infernè conflagrarent, & venæ minuerentur in cinerem, & concresceret ac consumeretur sanguis, supplicio vel ipsis auribus grauem afferente dolorem, Martyr (ô verè generosum propter Christum animum, & superiorem naturæ necessitatibus) solis precibus & Deo erat intenta: & quæ sunt à seculo admirabilia in memoriam & os rediges, (erat enim valde exercitata etiam in intelligentia diuinarum scripturarum) oratione, veluti quodam rore, extinguebat illum ignem dolorum. Quamobrem defessa illa belua in hoc genere supplicij, eam iubet extendi super rotam. Et fuit quidem iussus statim mandatus executioni, & rota accepit virginem, insignis cruciatus & malorum successio, quæ secundis contendebat obscurare priora. Deinde cùm illa per quandam verteretur machinam, ossa quidem confringebantur, nerui autem & musculi extendebantur. Et tota (proh dolor) forma corporis excedebat à compage naturali. Illa autem eum rursus inuocabat, qui eius exaudiebat orationem, & poterat eam defendere in tempore afflictionis, & eripere à manu inimicorum, dicens: Deus deorum, Deus virtutum, Deus salutis meæ, à quo est patientia mea, in quo confidit anima mea, turris fortitudinis meæ, & refugium meum, ipse da nunc quoque auxilium ex afflictione. Deus qui accingis me virtute, Deus, Deus meus, ne elongeris à me, quoniam defecit in dolore vita mea. Quoniam terræ adhæsit venter meus, & ossa mea tanquam cremium aruerunt. Hæc precata (ô celerem visitationem, ô velocissimum euentum) statim quidem relaxatur à graui illa machina, ne plagæ quidem, nec ignis vestigium ostendens in corpore. Quod quidem cùm deberet obstupefacere Iudicem, & discutere nubem impietatis quæ eum detinebat, ille ne minimum quidem potuit intueri ad eam, quæ illa fecerat miracula, virtutem, neque cor ad eam conuerteret: sed erat adhuc crassus & stultus, & adhuc implicatus illa ebrietate incredulitatis, & insania, ac caligine. Cùm eam igitur rursus in lignum sustulisset, ferreis ipsam vngulis laniat crudelissimè. Illa autem rursus ad Deum tollit oculos: & statim fuit tantũ adepta auxilium, vt cùm defessi essent satellites à cõtinuo labore, ea effecta fuerit perinde, ac quæ nullum dolorem sentiret penitus. Propter quæ Præses in summam adductus dubitationem, cùm nesciret quid ageret, & gestum & habitum subinde mutabat, è sede frequenter exiliebat, nec ipse se poterat amplius cõtinere, nec manere in eo, quo par est, ordine, & moderatione. Cùm autem propter dubitationem à se adeo discessisset, & fureret, ei etiam tale quid suggerit, qui cum eo seorsum loquebatur diabolus: & iubet Martyri vbera amputari nouacula. Res est autem grauissima mamillarum amputatio, & quæ potest afferre acerbissimos dolores, maximè cùm cor sit situm in ea parte. Sed martyr, quæ vehementiori affectione amoris in Christum tenebatur, id quod est minus cõtemnebat. Tyrannus autem rursus insignem fortitudinem contendens superare immodicis supplicijs, ei euellit ipsos vngues. Sed illa tanquam nullum doloris habens sensum, adhuc vehementius Deo agebat gratias, quòd digna esset habita, quæ fieret ei conformis, & socius perpessionum. Porrò autem deos quoque Tyranni afficiebat contumelia, eos tenebras, errorem, & dæmones, & si quid aliud fert ad animæ interitum, nominans. Quæ quidem ille audire nõ sustinens (Quæ enim est omnibus iucunda lux, est inimica oculo ægrotanti) iubet mediam ei linguam excindi extractam à gutture, cũ ea autem vnà quoque dentes excuti, & pro ore libero tales stultus reddit remunerationes. Ipsa verò nihil de sua remittens cõstantia, neq; se molliter aut delicatè gerens, tamdiu distulit amputationẽ, quãdiu cum vocis instrumẽto posset vltimas preces Deo fundere. Cùm ei ergo, vt par erat, egisset gratias, & deinde rogasset vt bono fine terminaret martyrium: deinceps autẽ pro iis quoque qui ægrotantibus ad eam accessuris intercessisset, & vocem è cœlo audiuisset, quæ cõfirmabat data fuisse quæ petebat: Agedũ, inquit carnifici, fac quæ sunt imperata: & linguam porrigit Martyr, quæ diuina semper meditabatur & loquebatur: & ferrum eam (proh dolor) mediam excindit protinus. Deinde autem dentes quoque excutit, fitque ei os fons sanguinis, qui sponsæ Christi totam vestem effecit purpuream, atque adeo quauis regia purpura pretiosiorẽ. Quo tempore dicitur cùm parũ defecisset, aquam petiisse, & accepisse. Qui autem præbuit, fuit vir quidã, Cyrillus nomine, cuius adeo nõ erat pietas manifesta, vt talis quidẽ putaretur ab impijs, alioqui autẽ, quod ad animæ attinet affectionem, fidelissimus, & in primis pius. Atque ille quidẽ magnã accipit mercedem pro poculo aquæ frigidæ, & re adeo vili emit coronam martyrij. Nã cùm accepisset Probus quòd is non solùm fractus naturæ misericordia, & quòd misereretur membrorum illorũ amputationis: sed potius propter fidei societatem, & quòd non sustineret videre sic aqua indigẽtem cõmunis Domini ancillã maximè germanã, martyri potum præbuisset, Dominicum in

hoc im-

hoc implens mandatum, mortis eum aufert supplicium. Deinde verò fert etiam vltimam in martyrem sententiam, & eam condemnat, vt vitam gladio finiat. Quod quidem cùm factum esset, & ante ciuitatem sacrum illius caput fuisset amputatum, corpus quidem aliquamdiu iacuit humi neglectum, intactum tamen, atque adeo à cœli & terræ auibus ac bestiis custoditum: vt quæ quodammodo reuererentur quæ pro illorum creatore acceperat stigmata & iniurias. Deinde Sophiæ, quæ eam erudierat & educarat, Dei nutu admirabiliter redditur eius planè effectus orationis & requies maternorum viscerum. Cùm enim virgo comprehensa duceretur ad martyrium, pro ea quidem animo angebatur eius magistra Sophia, timebatque & contremiscebat, tanquàm non illi deinceps, sed ipsa in suis membris esset subitura martyrium: ne fortè emollita acciperet miserabile illud damnum coronarum. Ideoque 2 prona humi iacens, in igne orationis, & calidis lachrymarum fluxibus Deum rogabat, supplicabat, obsecrabat, ne superaretur martyr à supplicijs. Postquàm autem Anastasia iam pulcherrimum finem imposuit martyrio, & transit ad supernos thalamos, & ad firma illa ac stabilia, quæ desiderantur, bona: tunc accedens Angelus Domini magistram Sophiam à metu liberat, & à curis: & quod maximè optabat, & erat ei auditu longè iucundissimum, eius auribus instillans renunciat, nempe virginis consummationem. Præterea autem eam quoque deducit ad reliquias: & quod desiderabat consequi, & quemadmodum optabat videre, ei tradit reliquias tali ornamento confessionis, & tali amictu ornatas martyrij. Atque illa quidem statim circumfusa reliquijs, easque totas complectens, & vnumquodque membrum valde exosculans, & præ gaudio ac desiderio calidas in eas effundens lachrymas, dicebat: Filia iucundissima, filia mihi charissima, filia quam ego in exercitatione, in silentio & in laboribus pulchrè educaui, ago tibi gratias, quòd materna præcepta non contempsisti, quòd quæ pollicita fueras obseruasti, & stetisti promissis, nec es oblita monitorum: sed astitisti Christo sponso tuo, vestimento virginitatis induta, variata stigmatibus martyrij, circundata corona ex lapidibus pretiosis: & nunc habitas in loco tabernaculi admirabilis, in domo gloriæ Domini, vbi est habitatio lætantium. Propterea rogo te chara filia & mater spiritualis (Sic enim te 3 inuocare est mihi cõuenietius) sis mihi in hac breui & caduca vita bona nutrix senectutis, & pro me ad æternã vitam transmigrante intercedas, communem mihi placans Dominum. Hæc illa filiorum amans piaque ac religiosa anus, quæ sciebat ita vt oportet filias parere, & educare, cùm dixisset martyri, & eam senilibus amplexa esset & composuisset manibus: egeret autem manu quæ ei inseruiret in transferendis reliquijs, vt quæ esset, sicut diximus, vetula, & ipsi potius esset opus manu & baculo: nullaque ipsi earum transportandarum suppeteret ratio, & ideo staret apud se ægrè ferens, & animo anxia, repentè duo 4 quidam viri aduenientes, & forma & moribus reuerendi, sanctis manibus subiectis reliquiis, eisque cum ipsa sublatis, prope vrbem Romam splendidè & honorificè deposuerunt. Ad gloriam Dei patris, & Domini nostri Iesu Christi, cum quo, & cum sancto spiritu illi sit honor, & potentia in secula seculorum, Amen.

2 Ecce oratio cum prostratione & lachrymis.

3. Inuocat sanctã martyrem Sophia.

4 Vide miraculum in translatiõe sanctarũ reliquiarum, necnõ sanctæ splendidam & honorificã sepulturam.

VITA SANCTI VALENTINI EPISCOPI ET Martyris, per Adonem Treuerensem collecta.

ROmæ natale sancti Valentini Interamnensis Episcopi, qui tentus à paganis, ac virgis cæsus, & post diutinam cædem custodiæ mancipatus, cùm superari non posset, medio noctis silentio eiectus de carcere, decollatus est iussu furiosi Placidi vrbis Præfecti. Tunc Proculus, Ephibus, & Appollonius discipuli eius, transferentes corpus eius ad suam Ecclesiam Interamnæ vrbis, noctu sepelierunt. Vbi cùm quotidianis 1 vigiliis incubarent, tenti à Gentilibus, custodiæ sunt traditi Consulari Leontio, quos ille iussit noctis medio suis tribunalibus præsentari. Et cum à fide reuocari nec blandimentis nec minis possent, iussit capite cædi. Qui non longè sunt à corpore sancti Valentini sepulti.

Habetur in Martyrol. eiusdẽ sub xvi. Calẽ. Marti

1 Vide quod etiã antiquitus apud sanctorum sepulchra vigiliæ ducebantur.

VITA SANCTI EVTICHIANI PAPAE ET Martyris, per Damasum Papam scripta.

EVtichianus natione Thuscus, ex patre Martino, de ciuitate Lunensi, sedit anno vno, mense vno, die vno. Fuit temporibus Aureliani, à consulatu Aureliani tertio & Marcellini, vsque in diem Iduum Decembris, Caro secundo, & Carino Consulibus. Hic constituit fruges fabæ vuæ super altario 1 benedici. Hic temporibus suis per loca diuersa 2 trecentum quadraginta duos martyres manibus suis sepeliuit. Qui hoc constituit vt qui-

Habetur in pontifical. eiusdem.

1 Si benedictiones rerũ nõ essent licitæ, tãtus Põtifex vtique nõ eas instituisset.

2 Itidem nec tot martyres, proprijs manibus sepelisset, si sepelire mortuos nõ esset opus Deo placens.

3 Quia hic pontifex quinque ordinationes fecit per mensem Decembrem, quod anno vno minime facere potuit, ideo alij qui errorē esse dixerunt, quādo dicitur supra, edisse vno anno, voluntque eū annis plurimis vixisse.
Habetur in Pontificali eiusdem.

vt quicunque fidelium martyrem sepeliret, sine dalmatica, aut collobio purpurato, nullatenus sepeliret, dum tamen huius constitutionis ad illum peruenisset notitia.

Hic fecit ordinationes 3 quinque per mensem Decembrem, presbyteros quatuordecim, diaconos quinque, Episcopos per loca nouem. Et martyrio coronatur. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, octauo Kalend. Augusti. Et cessauit Episcopatus dies nouem.

VITA SANCTI CAII PAPAE ET MARTYRIS, per Damasum Papam scripta.

1 Habes hic oēs ordines ecclesiasticos singulatim nominatos.

CAius natione Dalmata, ex genere Diocletiani Imperatoris, ex patre Caio, sedit annis vndecim, menses quatuor, dies duodecim. Fuit autem temporibus Cari secundo, & Carini, ex die decimosexto Kalendarum Ianuarij, vsque in diem decimum Kalendarum Maij sub Diocletiano sexto, & Constantio secundo. Hic constituit vt 1 omnes ordines in Ecclesia sic ascenderent. Si quis Episcopus fieri mereretur, vt esset ostiarius, lector, exorcista, acolythus, sequens subdiaconus, diaconus, presbyter, & exinde Episcopus ordinaretur. Hic fugiens persecutionem Diocletiani, in cryptis habitans confessor quieuit, martyrio coronatus post annos octo. Hic fecit ordinationes quatuor per mensem Decembrem, presbyteros vigintiquinque, diaconos octo, Episcopos per loca quinque. Qui post annos vndecim cum Gabino fratre suo, propter filiam Gabini presbyteri, nomine Susannam, martyrio coronatur. Sepultus est in cœmiterio Calixti via Appia, decimo Kalendas Maij. Et vacauit Episcopatus dies vndecim.

VITA SANCTAE BARBARAE VIRGINIS ET MARTYRIS, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius martyrolog. sub 17. Calend. Ian.

IN Thuscia natale sanctæ Barbaræ virginis & martyris sub Maximiano Imperatore. Hæc primùm à patre suo Dioscoro diu afflicta sub dira custodia, deinde tradita præsidi Martiano expoliata, & neruis taureis valde cæsa discerpta est, & cilicio plagæ eius defricatæ. Inde reclusa in carcere, vbi luce diuina consolata est, mox circa latera eius lampades ardentes applicatæ, & caput eius malleis cæsum, & mamillæ eius præcisæ. Deinde nuda per plateas ducta, & flagellis diutissimè afflicta est. Ad extremum gladio data martyrium consummauit xvij. Kalendas Ianuarij.

CERTAMEN SANCTAE ET GLORIOSAE MARTYRIS Christi Barbaræ.

Per Simeonem Metaphrasten.

IIII. Decēb.

MAximiano impio imperatori, qui studij plurimum conferebat in errorem idolorum, hoc maximè perpetuò erat curæ, vt dæmones quidem coleret, & impietatem omnibus opibus & viribus cōfirmaret: ij autem qui Christi diuinum nomen colebant, aut piam fidem adiuuarent, aut varijs traditi suppliciis, cum bonis omnibus quæ aderant, vita quoque violenter priuarentur. Quædam autem regio, quæ vocatur Heliopolis, virum habebat insignem, religione quidem Gentilem, valde verò diuitem, & huius mundi splendore clarissimum. Is vocabatur quidem Dioscorus, vnius autem puellæ erat pater, cui nomen erat Barbara. Eius verò in illam is erat amor, qui debebat esse eius qui in illam solam omnem suam opem defixerat. Eam cùm, vt quæ esset vultu admodum formosa, & pulchritudine eximia, vellet conseruare integram & nulla labe pollutam, & ideo nec sineret quidem aspici ab iis qui foris erant, excelsa turre constructa, & domo in ea artificiosè ædificata, illic beatam ita collocauit habitandum, vt nec vlli ad eam pateret aditus, nec vir vllus eam attingeret oculis. Erat autem hoc opus diuinæ prouidentiæ, quæ futurum diu antè considerabat. In ea enim, paracleti gratia latentes eius oculos latenter attingens, & illuminauit luce diuinæ cognitionis, & verum Deum ei notum fecit admirabiliter. Habebat ergo turris virginem, quæ ædificata erat super fundamentum fidei, & conseruabatur ad hoc vt esset salus multorum. Cùm autem iam esset nubilis, pater erat valde sollicitus, quisnam esset eam accepturus in vxorem: & multi quidem & genere & opibus præstantes, de eius coniugio cum eo sermones contulerunt. Eius enim pulchritudo, etsi non conspecta, auditione tamen accepta, faciebat vt eius nuptiæ magna contentione peterentur. Verùm enimuerò patri videbatur esse indecorum & planè illiberale, si quod ipse magno

magno agebat studio filiæ nō notum existeret: & eius scopo minimè assentiretur. Ad eam quidem certè veniens, & de matrimonio cum ea communicat, & quanto studio, & quanta cura ei prouidere cuperet, significabat. Illa autē cùm non modò corde, sed ne summis quidem auribus eam rem vellet admittere, sed tanquam absonum & absurdum aliquid id reiecisset, & ipsum patrem iratè repulit: & ne de ea re, dixit, mecum iterum verba feceris. Nam tu pater deinceps non vocaberis: & efficies vt ego mihi manus inferam. Pater autē statuens longè esse honestius persuadere quàm cogere, ratusque eius constantiam non esse pertinaciam, nec inobedientiā, sed vehemens desiderium castitatis: & alioqui ei præbens tempus deliberandi, sperans fore vt fortasse mutaretur, & ei morem gereret, cùm nihil dixisset amplius: ex turre quidem descendit protinus: veniens verò ad lauacrum quod tunc ædificabat, totus ei vacabat: cuius vrgens ædificationem, & magnam artificum adducit multitudinem: & cùm quam primum effectum redderent ædificium mandasset, & eis integram mercedem præbuisset, ipse in longinquam profectus est regionem. Cùm diu autem esset moratus in ea peregrinatione, Dei ancilla Barbara descēdit ex turre, visura quemadmodum fieret lauacrum. Deinde cùm illic fuisset, & contemplata esset partem quæ vergit ad meridiem, duas habere fenestras quæ lucem præbeant, reprehendit artifices, dicens: Cur duabus fenestris tertiam non adiecistis, cùm hic & magis lumen posset accipi, & id simul esset futurum elegantius, & magis decorum? Cùm ij autem dixissent: Pater tuus sic iussit, instabat Barbara vt aliam adijcerent. Cùm ij verò alteram vererentur addere, patris metum adducētes, tanquam honestam excusationem, beata Barbara tres simul ostendens cum digitis: vobis, inquit, tres sunt constituendæ fenestræ. Si pater autem ægrè ferat, ipse reddam rationem. Cedunt artifices, & implent id quod eis imperatum fuerat. Postquam verò fuit effectum totum lauacri ornamentum, sæpius accedens sancta ad id contemplandum, quoniam cor eius possidebat diuini spiritus gratia, & per fidem impletum erat fiducia in Christum, stans ad piscinam, & aspiciens ad Orientem, iis quæ erant in ipsa marmoribus, digito impressit figuram diuinæ 1 crucis: & vt posteris quoque notum esset id quod factum fuerat, & Christi virtus prędicaretur, crucis figura quæ digito erat signata, tanquam ferro insculpta, in hodiernum vsque diem signata ostenditur in marmore, non ad tactus solum admirationem, sed etiam ad maiorem fidem adducens spectatores. Verùm enimuerò in hodiernū vsque diem hoc quoque lauacrum conseruatur, quod iis qui sunt Christi amantes curat omnem dolorem. Quod quidem si quis velit comparare cum fluentis Iordanis, aut cum fonte Siloe, aut etiam cum piscina probatica, à veritate minimè aberrauerit. Etenim per illud similiter Christi virtus ostenditur multa efficere admirabilia. Per hoc ergo lauacrum Martyr aliquando transiens, cùm in simulacra iniecisset oculos, quæ ab eius patre colebantur, & dij malè existimabantur, eorum quidem aspectum ægrè tulit: grauia autem edens suspiria propter eius qui ea colebat animam planè nullo sensu præditam, deinde illorum quoque vultus conspuit, dicens: Similes vobis fiant qui vos adorant, & omnes qui vestro indigent auxilio. Sic dixit, & cum in turrem rursus rediisset, 2 orationibus vacabat, & ieiuniis, & tota dependebat à bonis cœlestibus. Non multum temporis intercessit, & iam pater ad eam reuersus, & quæcunque erant domi considerans, postquam in lauacrum iniecit oculos, visa tertia quæ duabus adiecta erat fenestra, rogauit quonam modo hoc factum fuisset præter eius iussum. Cùm autem illi ei exposuissent quæ innouasset filia, eam accersit & rogauit: illa verò nullo modo negauit, sed dixit oportere sic fieri, & rectè factum esse asseuerauit. Ille verò statim motus ad iram: Dic mihi, inquit, quomodo & quanam ratione ita se habet melius? Illa autem: Quatenus, inquit, tres multum differunt à duobus. Nam tres, inquit, fenestræ illuminant omnem hominem venientem in hunc mundum. Hoc verò dixit, omnino sanctæ Trinitatis significans maiestatem. Deinde pater conturbatus nouitate sermonis planè admirabilis, cùm eam seorsum assumpsisset, & venisset ad ipsam lauacri piscinam: Quonam modo, inquit, lumen trium fenestrarum illuminat omnem hominem? Illa autem: Attende, inquit, pater, & intelliges id quod dictum est: & simul ei ostendit signum crucis. Deinde etiam ostendens digitis: Vide, inquit, Pater, Filius, & Spiritus sanctus. Ab hac luce omnis creata natura illuminatur intelligenter. Hunc itaque verum sermonem cùm malè & ad mendacium exercitatæ aures minimè tulissent, ira fuêre repletæ: & pater oblitus se esse patrem, tyrannus properauit esse, & parricida, & qui pendebat ab humeris stricto ense, pater aggressus est sua manu occidere Barbaram. Illa autem cùm manus simul & oculos & mentem in cœlum sustulisset, eum qui potest dare salutem, vocabat ad auxilium. Ille verò non neglexit ea facere quæ consueuerat, sed quomodo Theclam Protomartyrem cōseruauit ab ijs qui persequebantur, petræ quæ occurrerat iubens vt disrumperetur, & eā sinu exciperet: ita hanc quoque gloriosam simili conseruat miraculo. Nam cùm ille carnifex, neque enim parricidam fas est vocare patrem, ense sublato pro-

cederet

1 Nota signum crucis & in eo factū diuinitus miraculum.

2 Orationibus vacabat & ieiuniis, & tota à bonis dependebat cœlestibus.

cederet in filiam petra scissa in duas partes, eam excepit diuino & omnipotente nutu: & ne à manibus cædem spirantibus caperetur conseruauit, transmittens ad loca magis montana. Sed nec sic quidem poterat intelligere qui ipsis lapidibus erat magis impatibilis, & minus sensu præditus. Adhuc enim eodem incitabatur impetu, & desiderabat accipere filiam: non vt qui esset pater, sed potius filius eius qui fuit homicida ab initio, vt dicam cum diuina scriptura, vt cùm inuenerit, simul mactet & perdat. Cùm verò in duos incidisset pastores, rogauit an de ea scirent aliquid. Ex his autem, alter quidem qui erat animo misericors, & cui displicebat eam quam pater persequebatur prodere, statim negauit, & se simulabat ignorare, mendacium salutare pro veritate quæ læderet eligens. Cæterùm hic apertè erubescat Herodes, qui non rectè seruabat iusiurandum, vt etiam aliquid inseram narrationi, & qui vt malam defenderet voluptatem, stabat iuriiurando. Alter verò nequaquam quidem lingua, sed digito, quod est sceleratius, indicans, ostendebat viam quæ ad ipsam ducebat. Quod factum est itaque non tulit iustitia, sed statim sceleris intulit supplicium, & cùm eius oues execrata esset Martyr, non amplius erant oues, sed mutatæ fuerant in scarabæos, qui ad perpetuam sceleris accusationem sanctæ Barbaræ sepulchrum perpetuò circumuolant. Hæc ergo dolosi pastoris vestigia secutus amens Dioscorus, cùm sanctam in monte comprehendisset, primum quidem ita vt erat ira percitus, conscindit verberibus. Deinde eam coma apprehendens & vi trahens, tunc quidem includit in parua domuncula, imponens custodes, & ostium obserans & obsignans. Deinde etiam magna celeritate veniens ad præsidem Marcianum, qui tunc illic gerebat magistratum, refert ei rem omnem. Summa autem erat, quòd Deos quidem negasset filia: res verò Christianorum elegisset præter spem honorare. Hæc dixit, & adductam tradit in manus illius, cùm eum prius adegisset sacramento, non parsurum esse filiæ, ô paterna viscera, pater, sed violentissimè eam esse tractaturum, & esse grauissimis consumpturum suppliciis. Martianus ergo cùm sedere protinus fecisset iudicium, & sanctam curasset sistendam, tunc morum contemplatus honestatem, & formæ pulchritudinem, patris sacramenti oblitus, eam paratus erat magis mirari quàm castigare. Sic ergo & verbis benignioribus: miserere tui, dicebat ô Barbara, promptoque & alacri animo nobiscum diis sacrifica. Nam ego quidem curam tui gero, & parco tormentis talem subijcere pulchritudinem. Sin autem non parueris, me deinceps coges te vti vt volo. Martyr autem: Ego sacrificium, inquit, laudis Deo meo offero, qui creauit cœlum & terram, & omnia quæ in eis sunt. De tuis verò, inquit, vanis diis prædictum quidem est, inquit, à Dauide in diuino spiritu: Simulachra Gentium argentum & aurum, opera manuum hominum: & omnes dij Gentium dæmonia. Dominus autem cælos fecit. Ei verò ego quoque assentior, esse vanam quæ est in eis spem, & inanem apertè confiteor. Hæc cùm dixisset Martyr, Iudex ira accensus, iubet eam exui, & crudelibus boum neruis crudeliter cædi. Deinde cùm vellet ei affIcere sensum acerbiorem, iubet plagas cilicio atteri. Cùm puniretur ergo tam inhumanè, aperiebantur graues fontes corporis, adeò vt totum solum irrigaretur sanguine virginis. Deinde post verbera eam carcer excipit, dum occupatus esset præses in deliberando cuinam supplicio eam postea traderet. Cùm autem iam esset nox media, lux ipsam circumcirca illuminat à superis: & Christus apparet, qui & ei addebat animum, & iubebat vt nullo modo timeret mala hominum. Ego enim, inquit, sum tecum, & seruaberis sub vmbra alarum mearum. Nondum finem acceperant verba quæ fiebant martyri, & quod ab Esaia dictum est, in ea est consummatum. Nam cùm citò ei exortæ essent curationes, & plagæ, tanquam non fuissent ab initio, à corpore expulsæ essent, gaudium tenuit sanctam & exultatio, & lætitia æterna super caput eius, vt rursus dicam, quod dicit Esaias: Mulier autem quædam pia, & timens Dominum, nomine Iuliana tunc conuersans cum martyre, postquam admirabilia quæ in ea facta sunt, est intuita, & quemadmodum continuò plagæ euanuerunt, Deo dans gloriam, & instar sororis cum Martyre consentiens, seipsam præparabat ad plagas & flagella. Deinde cùm Præses sedisset ad secundam examinationem, adducta ad eum sancta, & viso admirabili omnibus spectaculo, quòd nec leuis quidem in eius corpore laceratio, neque vllus vibex apparebat, Iudex ad veritatem apertè cœcutiens, mittens magnæ Dei potentiæ adscribere id quod factum fuerat, & prioris vitæ & erroris duci pœnitentia: ille potius omnem exuit pudorem, & diis suis impudenter eam attribuens sanationem. Vides, dixit, ô Barbara, quemadmodum te Dij tuentur, & tui curā gerunt, qui tuas plagas curarūt. Cui martyr Christi: Qui similiter, inquit, atque tu cœcutiūt, & humana manu indigent ad hoc vt perducātur ad essentiam, quemadmodum tale quid poterūt facere? Si vis scire quisnam sit qui me sanauit, est Iesus Christus filius Dei viui, quem fieri non potest vt contuearis, cùm profundis tenebris impietatis orbatus sis oculis animæ. His verbis præses ad maiorem accensus iracundiam, & non valens se continere, iubet ijs qui aderant ferreis pectinibus latera virginis scindere, & tædis igneis membra iam lacerata vrere. Deinde etiam malleo percutere venerandum eius caput.

Quæ

Quæ quidem cum celerrimè fierēt, ea videns pia Iuliana, & animo ægrè ferens, cùm non posset opem ferre, faciebat quod poterat, & suum in eam amorem ostendebat, nihil curans eos qui aderant, nec præsidem: sed vberes lachrymas effundens ex oculis. Cùm eā ergo aspexisset Marcianus, & quænam esset didicisset, postquam eam quoque audiuit esse Christianam, & Barbaræ misericordia motam animo perturbari, iubet eam quoque cōprehendi, & ligno suspendi, & similiter atque Martyri pectinibus ferreis latera discerpi. Atque varijs quidem certaminibus exercita Barbara cùm acerbè laniaretur, oculis in cœlum sublatis: Tu nosti, inquit, Deus cognitor cordium, quòd te desiderans, & tuas amans leges, me totam tibi obtuli, & à tua pendeo dextera. Tu ergo Domine, ne me derelinquas, sed me per tuam suscipias misericordiam: & nos ambas confirma & corrobora, vt cursum præsentem peragamus. Sed sic quidem martyr Christi Dominum, propter quem hæc sustinebat, rogabat, vt eius auxilio roboraretur naturæ imbecillitas. Sciebat enim eum esse veracē qui dixerat: Spiritus quidem promptus, caro verò infirma. Tyrannus autem, vt qui ei se omnino opposuisset aduersarium, vt animi superaret fortitudinem malorum copia, conuertitur ad aliud supplicium: & iubet eorum vbera scalpello effodi. Scio vos ad solum perpessionis auditum caligasse. Quid ergo effecturum erat vt hoc paterentur, idque fœminæ, nisi amor quo tenebātur, Christi, inquam, amor inexpugnabilis? Sed enim Christi ancillam Barbaram minimè latebat, quodnam esset eis medicamentum aduersus dolorem tam vehementem. Propterea rursus inuocabat supernum auxilium. Ne auertas à nobis, dicens, faciem tuam Christe: & Spiritum sanctum tuum ne auferas à nobis. Redde nobis Domine exultationē tui salutaris: & Spiritu principali confirma nos in tuo timore. Cùm verò ad hoc supplicium ambabus esset vnus animus, & vna & eadem constantia ac tolerantia, Præses aliquid callidius vel potius malignius excogitans, eas disiungit à se inuicem: & Iulianam quidem tradi in custodiam, Barbaram autem iubet nudam traduci per regionem, & præterea flagris cædi. Martyr ergo tam turpiter & tam indecorè circumacta, rursus faciebat ea quæ cōsueuerat, & in cœlum defixis oculis: Qui cœlum, aiebat, circundas nubibus, & terram tanquā fascijs cōtegis caligine, ipse quoque, ô Rex, meam operi nuditatem: & effice vt mea membra non cernantur ab oculis infidelium: ne tua ancilla subsanner & irridear ab ijs qui nos circunsistunt. Audiuit ex templo sancto suo velox Deus ad defensionem, & statim apparens, cor quidem eius implet gaudio: quæ sub visum autem non cadebat eam stola induit: & cùm sic peregisset transuectionem, rursus eam ad sceleratum adducunt Marcianum. Postquā ergo cognouit eam, & quæ idem sentiebat pulcherrimam Iulianam, neque bonorum promissis, nec malis intentatis vel tantillum persuaderi, cauens ne maiori afficeretur dedecore, vt quòd esset apertè stultum ea tentare quæ fieri non possent, fert in ambas sententiam, vtrique iubens caput amputari. Præsens autem filiæ occisor pater, cùm esset spectator eorū quæ fiebant, nō hoc satis habuit, neq; contentus fuit tam magna calamitate, quòd paternis scilicet videret oculis filiam, eamque tam pulchram manibus perimi lictorum: sed nisi ipse sua manu ictum inferret, hoc iudicabat esse imbecillitatem, & animi molliciem, perinde ac nisi ille quoq; cerneretur malus, arbitraretur esse manifestum dedecus. Propterea ergo iam prolata sententia, assumit martyrem, facturus cædem propriis manibus. Cùm ergo abduceretur in montem, & ipsam consequeretur Iuliana, Barbara iam vitæ exitum acceptura curam gessit sibi charæ orationis, & genubus 3 flexis: Principij expers, inquit, Deus, qui cœlum extendisti tanquam fornacem, terram autem fundasti super aquas: Qui nubibus iubes vt pluant: & produxisti solem vt lucem præberet omnibus: & communiter hæc & iustis, & iniustis, & bonis, & malis simul suppeditas: tu quoque nunc me precantem exaudi, ô Rex, vt qui tui nominis & meæ meminerit decertationis, ne pestilens morbus in eius domum ingruat: neque vllum aliud ex iis quæ possunt corporibus adferre damnum & molestiam. Scis enim Domine, nos esse carnes & sanguinem, opera intemeratarum tuarū manuum, & honorata tua imagine & similitudine. Dixit: & vox de cœlis audita est admirabiliter, ad cœlum vocans ipsam & Iulianam sociam certaminis: & simul pollicens implenda ea quæ petierat. Hanc iucundam vocem cùm audiisset Barbara, iter ingredi perrexit: & deducta est ad locum sui decessus.

3 Ecce oratio cū genuflexione.

Cùm eò autem peruenisset, inclinato capite, paternis manibus, paterno ense accipit consummationem: bonus fructus ex mala arbore apparens manifestè. Iuliana quoq; simul cum ea ibidem consummata à quodam ex iis qui illic erant militibus. In eo autem loco vbi hæc facta sunt, impium quoque patrem diuina persequitur iustitia, cùm nec modicum quidē hic expectasset bonitas, propter insigne vitium, & quòd nulla esset spes curationis. E monte enim reuertens feritur fulmine: & vita omnino priuatur, non hac solùm fluxa, sed ea etiam quæ manet: ille verè miser & vtrisque indignus. Transiit autem ad Præsidem quoq; Martianum huius diuinitus immissi ignis impetus, planè indicium & certum signum illius ignis immaterialis, qui ipsum æternum est puniturus. Valentianus vir quidam pius & religiosus,

4 Vide honorificam sanctorũ corporũ sepulturam, atq; eam quidem cum canticis.

cùm Martyrum 4 sacra sustulisset corpora: & sacris, vt oportebat, honorasset canticis, ea piè & honorificè deponit in loco qui dicitur Gelassus, qui abest duodecim miliaribus ab Euchaitis: morborum medelam, animarum exultationem, piorum virorum amabilem delectationem. Ad gloriam Christi veri Dei nostri. Quem decet honor, potentia, maiestas, & magnificentia, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTAE VIRGINIS ET MARTYRIS Agnetis, per D. Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

Est sermo xc. in ordine sermonũ eius. Tom iij.

1 Qui sanctorum festis detrahunt, videant si tẽpore D. Ambrosij celebrabatur festum S. Agnetis martyris.

SEruus Christi Ambrosius Virginibus sacris. Diem festum 1 sacratissimæ virginis celebremus. Hinc psalmi resonent, inde concrepent lectiones. Hinc populorum turbæ lætentur, inde sustententur pauperes Christi. Omnes ergo gratulemur in Domino: & ad ædificationem virginum, qualiter passa sit Agnes beatissima, ad memoriam reuocemus. Tertiodecimo ætatis suæ anno mortem perdidit, & vitam inuenit, quia solum vitæ dilexit autorem. Infantia quidem computabatur in annis: sed erat senectus mentis immensa: corpore quidem iuuencula, sed animo cana: pulchra facie, sed pulchrior fide. Dum à scholis reuertitur, à Præfecti vrbis filio adamatur. Cuius parentes dum requisisset, & inuenisset, cœpit offerre plurima, & plura promittere. Denique detulerat secum pretiosissima ornamenta, quæ à beata Agne veluti quædam stercora sunt recusata. Vnde factum est, vt iuuenis maiori perurgeretur amoris stimulo. Et putans eam maiora velle accipere ornamenta, omnium lapidum pretiosorum secum detulit gloriam: & per seipsum & amicos, & notos, & affines cœpit aures virginis appellare, diuitias, domus, possessiones, familias, atque omnes mundi huius diuitias repromittere, si consensum suum eius coniugio non negaret. Ad hæc B. Agnes tale fertur iuueni dedisse responsum: Discede à me fomes peccati, nutrimentum facinoris, pabulum mortis: discede à me, quia iam ab alio amatore præuenta sum, qui mihi satis meliora te obtulit ornamenta, & annulo fidei suæ subarrauit me, longè te nobilior & genere, & dignitate. Ornauit me inæstimabili dextrocherio. Dextrã meam, & collum meum cinxit lapidibus pretiosis. Tradidit auribus meis inæstimabiles margaritas, & circundedit me vernantibus atque coruscantibus gemmis. Posuit signum in facie mea, vt nullum præter ipsum amatorem admittam. Induit me ciclade auro texta, & immensis monilibus ornauit me. Ostendit mihi thesauros incomparabiles, quos mihi se daturum, si ei perseuerauero, repromisit. Non ergo potero ad contumeliam prioris amatoris vel aspicere alium, & illum derelinquere, cũ quo sum charitate deuincta. Cuius generositas celsior, possibilitas fortior, aspectus pulchrior, amor suauior, & omni gratia elegantior. A quo mihi iam thalamus collocatus est: cuius mihi organa modulatis vocibus cantant. Iam mel, & lac ex ore eius suscepi: Iam amplexibus eius castis astricta sum: iam corpus eius corpori meo sociatum est, & sanguis eius ornauit genas meas. Cuius mater virgo est: cuius pater fœminam nescit: cui Angeli seruiunt: cuius pulchritudinem sol & luna mirantur: cuius odore reuiuiscunt mortui: cuius tactu fouentur infirmi: cuius opes nunquam deficiunt, cuiusque diuitiæ non decrescunt. Ipsi soli seruo fidem: ipsi me tota deuotione committo. Quem cùm amauero, casta sum: cùm tetigero, munda sum: cùm accepero, virgo sum. Nec deerunt post nuptias filij: vbi partus sine dolore succedit, & fœcunditas quotidiana cumulatur. Audiens hæc insanus iuuenis, amore carpitur cœco, & inter angustias animi anhelo cruciabatur spiritu. Inter hæc lecto prosternitur, & per alta suspiria amor medicis aperitur. Fiunt nota patri, quæ fuerunt inuenta à medicis: & eadem paterna voce, quæ fuerant iam dicta à filio, ad petitionem virginis reuoluuntur. Abnegat Agnes beatissima, & se nullo pacto prioris asserit sponsi fœdera violare. Cumque pater diceret in fascibus præfecturæ se agere, & idcirco non sibi quemuis illustrissimum virum etiam posse præferri: cœpit tamen vehementissimè inquirere quis esset spõsus, de cuius se Agnes potestate iactaret. Tunc extitit quidam ex parasitis eius, qui diceret hanc Christianam esse ab infantia, & magicis artibus ita occupatam, vt dicat Christum suum sponsum. Audiẽs hæc Præfectus, lætus efficitur, & missa apparitione cũ ingenti strepitu suis eam tribunalibus præcepit sisti. Et primò quidem blandis eam sermonibus secretius prouocat, deinde terroribus pulsat. Sed virgo Christi nec blandimentis seducitur, nec terrore concutitur: sed eodem vultu, eodem animo perseuerat: & terrentem similiter, sicut blandientem animo deridebat. Videns itaque Simphronius præfectus tantam in puella constantiam, parentes eius alloquitur. Et quia erant nobiles, & vim eis inferre non poterat, titulum eis Christianitatis opposuit. Sequente namq; die Agnem præsentari iubet: & iterum iterumque repetens, replicare cœpit de iuuenis amore sermonem. Cumque omnis sermo eius casso labore deficeret, sisti eam iterum suis tribulibus iussit. Cui & dixit: Superstitio Christianorum, de quorum

te magi-

te magicis artibus iactas,niſi à te fuerit ſegregata,non poteris inſanias abijcere pectoris,neq; æquiſſimis conſilijs præbere conſenſum. Vnde te ad venerandam deam Veſtam properare neceſſe eſt: vt ſi perſeuerantia virginitatis placet, eius die noctuque ſacrificijs reuerendis inſiſtas. Ad hæc B. Agnes dixit: Si filium tuum,quamuis iniquo amore vexatum,tamen viuentem hominem recuſaui: hominem vtique, qui eſt rationis capax, qui & audire, & videre, & palpare,& ambulare poteſt, & flore huius lucis cum bonis frui: Si ergo hunc cauſa amoris Chriſti nulla poſſum ratione reſpicere, quomodo poſſum idola muta, & ſurda, & ſine ſenſu, & ſine anima colere, & ad iniuriam ſummi Dei, ceruicem meam vanis lapidibus inclinare? Audiens hæc Præfectus Simphronius dixit: Cupio conſultum infantiæ tuæ:& adhuc te deos blaſphemantem idcirco differo , quia annos tuos infra ſenſum aſpicio. Noli ergo temetipſam ita deſpicere, vt motus deorum incurras. B. Agnes dixit: Noli infantiam corporalẽ ita in me deſpicere, vt putes me te velle habere propitium. Fides enim non in annis, ſed in ſenſibus inuenitur. Et Deus omnipotens mentes magis comprobat, quàm ætates. Deos autem tuos, quorum motus me incurrere non vis, ipſos iraſci permitte : ipſi loquantur: ipſi hoc mihi præcipiant: ipſi iubeant ſe coli: ipſi iubeant ſe adorari. Verùm quoniam ad hoc video te tendere, quod impetrare non poteris: quicquid tibi videtur exerce. Simphronius Præfectus dixit: Vnum tibi è duobus elige: aut cum virginibus deæ Veſtæ ſacrifica: aut cum meretricibus ſcortaberis in contubernio lupanari. Et longè erunt à te Chriſtiani, qui te ita magicis artibus imbuerunt, vt hanc calamitatem intrepido animo te poſſe perferre confidas. Vnde, vt dixi, aut ſacrifica deæ Veſtæ ad laudem generis tui: aut ad ignominiam natalium tuorum eris publicæ abiectionis ſcortum. Tunc beata Agnes cum ingenti conſtantia dixit: Si ſcires quis eſt Deus meus, non iſta ex ore tuo proferres. Vnde ego, quia noui virtutem Domini mei Ieſu Chriſti, ſecura contemno minas tuas, credens quòd neque ſacrificem idolis tuis, neque polluar ſordibus alienis: Mecum enim habeo cuſtodem corporis mei Angelum Domini. Nam vnigenitus Dei filius, quem ignoras, murus eſt mihi impenetrabilis, & cuſtos mihi eſt nunquam dormiens: & defenſor mihi eſt nunquam deficiens. Dij autem tui, aut ærei ſunt, ex quibus cucumæ melius fiunt ad vſus hominum: aut lapidei, ex quibus ſternuntur plateæ. Diuinitas ergo non in lapidibus vanis habitat, ſed in cœlis: non in ære aut aliquo metallo, ſed in regno ſuperno conſiſtit. Tu autem & ſimiles tui niſi ab iſtorum cultu receſſeritis, ſimul vos pœnæ concludent. Sicut enim illi igne conflati ſunt, vt funderentur: ſic colentes eos, perpetuo incendio conflabuntur: non vt fundãtur, ſed vt confundantur in æternum, & pereant. Ad hæc inſanus iudex iuſſit eam expoliari, & nudam ad lupanar duci ſub voce præconis dicentis: Agnem ſacrilegam virginem diis blaſphemiam inferẽtem, ſcortum lupanaribus datam. Statim autem vt expoliata eſt, crine reſoluto, tantam denſitatem capillis eius diuina gratia conceſſit, vt melius videretur fimbriis eorum quàm veſtibus tecta. Ingreſſa autem turpitudinis locum, Angelum Domini ita præparatum inuenit, vt circundaret eam immenſo lumine, ita vt nullus poſſet eam præ ſplendore reſpicere. Fulgebat enim tota cellula illa, quaſi radians ſol in virtute ſua. Et quantò quis curioſior oculis eſſe voluiſſet, tantò ſibi viſus aciem obtundebat. Cumque ſe in orationem Domino proſtrauiſſet, apparuit ante oculos eius ſtola cãdidiſſima. Et apprehendens eam induit ſe, & dixit: Gratias tibi ago Domine Ieſu Chriſte, qui me in numero ancillarum tuarum computans, veſtẽ hanc mihi largiri præcepiſti. Ita namque ad menſuram corpuſculi eius aptum erat indumentum, & ita nimio candore conſpicuum, vt nullus dubitaret, hoc angelicis manibus præparatum. Interea lupanar efficitur locus orationis . in quo omnis qui fuiſſet ingreſſus , adoraret & veneraretur , dans honorem immenſo lumini : mundior egrederetur foras , quàm fuerat intus ingreſſus. Cumque hæc agerentur , Præfecti filius, qui autor erat huius ſceleris, venit ad locum cum ſodalibus ſuis iuuenculis , inſultaturus puellæ: cum quibus libidinis ſuæ ſe poſſe credebat ludibrium exercere. Et ingreſſos ante ſe furentes pueros , & turpiter ſæuientes , cum omni veneratione , & ingenti admiratione egreſſos cœpit impotentes arguere , atque vanos & molles, ac miſeros iudicare. Et irridens locum in quo virgo orabat , audacter ingreſſus eſt. Et videns tantum lumen circa eam, non dedit honorem Deo: ſed irruens in ipſum lumen, priuſquam vel manu eam contingeret, cecidit in faciem ſuam, & præfocatus à diabolo expirauit. Videntes autem ſocij eius, quòd moras intus faceret, putabant obſcœnis eum operibus occupari. Et ingreſſus eſt vnus ex iuuenibus , qui ei familiarior erat , vt congratularetur inſultationi eius : & mortuum eum inueniens exclamauit voce magna, dicens: Piiſſimi Romani ſuccurrite: Magicis artibus iſta meretrix Præfecti filium interfecit . Fit repentè concurſus populorum ad theatrum : & varia furentis populi acclamatio . Alij dicebant magam , alij innocentem , alij ſacrilegam conclamabant. Præfectus autem audiens filium ſuum interiiſſe, cum ingenti tumultu venit ad theatrum . Et ingreſſus locum , in quo corpus filij eius iacebat exanime, cum ingenti clamore

dicebat: Crudeliſſima omnium fœminarum, ad filium meum voluiſti apodixem tuæ artis demonſtrare? Et cùm talia atque alia huiuſcemodi verba repeteret: & cauſas mortis eius ab ea vehementer inquireret, ait ad eum beatiſſima Agnes: Ille cuius voluntatem volebat perficere, ipſe in eum poteſtatem accepit. Quare autem omnes qui ad me ingreſſi ſunt, ſani ſunt? Quia vniuerſi dederunt honorem Deo, qui miſit Angelum ſuum, & induit me hoc indumento miſericordiæ, & cuſtodiuit corpus meum, quod ab ipſis cunabulis Chriſto conſecratum eſt, & oblatum. Videntes ergo ſplendorem Angelicum, adorabant omnes, & abſcedebant illæſi. Hic autem impudens, ſtatim vt ingreſſus eſt, ſæuire cœpit ac fremere: cumque manum ſuam ad me contingendum aptaret, dedit eum Angelus Domini in reprobā quam conſpicis mortē. Dicit ei Præfectus: In hoc apparebit, quia non magicis artibus iſta geſſiſti, ſi deprecata fueris ipſum Angelum, vt reſtituat mihi filium meum ſanum. Cui beata Agnes dixit: Licet fides veſtra hoc impetrare non mereatur à Domino, tamen quia tempus eſt, vt virtus Domini mei Ieſu Chriſti manifeſtetur: egredimini omnes, vt ſolitam ei orationem offeram. Cumq; vniuerſi fuiſſent egreſſi, proſternens ſe in faciem planam, rogare cœpit Dominum, vt iuuenem ſuſcitaret. Orante autem illa, apparuit Angelus Domini, qui eleuauit eam flentem, & confortans animum eius, iuuenem 2 ſuſcitauit. Qui egreſſus foras, cœpit voce publica clamare & dicere: Vnus Deus in cœlo & in terra, & in mari, qui eſt Deus Chriſtianorum. Nam omnia templa vana ſunt: Dij qui coluntur, omnes vani ſunt, & penitus nec ſibi poſſunt, nec aliis aliquod auxilium exhibere. Ad hanc vocem omnes aruſpices, & templorum pontifices conturbabantur: & fit per eos vehementior, quàm fuerat, ſeditio populorum. Atque omnes vna voce clamabant: Tolle magam, tolle maleficā, quæ & mentes mutat, & animos alienat. Præfectus autem videns tanta mirabilia obſtupuit. Sed veritus proſcriptionem, ſi contra tēplorum pontifices ageret, & Agnem contra ſuā ſententiam defenſaret, vicarium ad ſeditionē populi iudicē dereliquit. Ipſe autem triſtis abſceſſit, quòd eā non potuit poſt reſurrectionem filij ſui liberare. Tunc vicarius Aſpaſius nomine, iuſſit in conſpectu omnium ignem copioſum accendi, & in medio eam præcepit iactari flammarum. Quod cùm fuiſſet impletum, ſtatim in duas partes diuiſæ ſunt flammæ: & hinc atque illinc ſeditioſos populos exurebant: ipſam autem penitus in nullo contingebat incendium. Eò magis non hoc virtutibus diuinis, ſed maleficiis reputantes, dabant fremitus inter ſe populi, & infinitos clamores ad cœlos. Tunc beata Agnes expandens manus ſuas in medio ignis, his verbis orationem fudit ad Dominum: Omnipotens, adorande, colende, tremende, pater Domini noſtri Ieſu Chriſti, benedico te, quia per filium tuum vnigenitum euaſi manus impiorum hominum: & ſpurcitias diaboli impolluto calle tranſiui. Ecce & nunc rore cœleſti perfuſus per ſpiritum ſanctum focus iuxta me moritur, flamma diuiditur, & ardor incendij huius ad eos, à quibus in me miniſtratur, effunditur. Benedico te pater prædicande, qui etiam inter flammas intrepidam me ad te peruenire permittis. Ecce iam quod credidi video: quod ſperaui, iam teneo: quod concupiui, cōplector. Te confiteor labiis & corde: te totis viſceribus concupiſco. Ecce ad te venio viuum & verum Deum, qui cum Domino noſtro Ieſu Chriſto filio tuo, & cum ſpiritu ſancto viuis & regnas in cuncta ſecula ſeculorum, Amen: Cumque compleſſet orationem, ita omnis ignis extinctus eſt, vt nec tepor quidem incendij remaneret. Tunc Aſpaſius vrbis Romæ vicarius, populi ſeditionem non ferens, in guttur eius gladium mergi præcepit. Atque hoc exitu, roſeo ſui ſanguinis rubore perfuſam, Chriſtus ſibi ſpōſam & martyrem conſecrauit. Parentes verò eius nullam penitus triſtitiam habentes, cum omni gaudio abſtulerunt corpus eius, & poſuerunt illud in prædiolo ſuo non longè ab vrbe, in via quæ dicitur Numentana. Vbi cùm omnis turba Chriſtianorum concurreret, inſidias à paganis perpeſſi ſunt: & videntes populum infidelium ſuper ſe venientem armatum, omnes fugerunt. Aliquanti tamen lapidum ictibus læſi euaſerunt. Emerentiana autem, quæ fuerat collactanea eius, virgo ſanctiſſima, licet cathecumena, conſtanter intrepida ſtabat immobilis: & his verbis exprobrabat eos: Superflui, miſeri, caduci, atque atrociſſimi, Deum omnipotentem colentem occidiſtis, & percuſſione lapidum homines innocentes iugulaſtis. Hæc & his ſimilia dum turbis furentibus diceret, lapidata eſt ab eis: & orans iuxta ſepulchrum Agnes beatiſſimæ, emiſit ſpiritum.

2 Vides hæretice, quod ſanctiſſima Agnes ſuis precibus obtinuit à Deo iuuenis reſuſcitationem. Quid ergo garris orationes eſſe rem ſuperfluam & inutilem?

3 Vide morē catholicæ Eccleſiæ, vt cum ſacerdotibus tumulentur Chriſtianorum corpora.

Non dubium eſt, quòd in ſuo ſanguine ſit baptizata, quæ pro defenſione iuſtitiæ dum confiteretur Dominum, mortem conſtanter excepit. Eadem denique hora fit terræ motus vehementiſſimus: & cùm nimia eſſet cœli ſerenitas, tantæ coruſcationes, tantaque fulgura & tonitrua extiterunt, vt pars maxima inſani populi expiraret. Vnde factum eſt, vt nullus penitus ex eo aduenientibus ad ſepulchrā ſanctorum aliquas moleſtias excitaret. Venientes autem parentes beatæ Agnes 3 cum ſacerdotibus nocte, abſtulerunt corpus ſanctæ Emerentianæ virginis, & ſepelierunt illud in confinio agelli beatiſſimæ virginis Agnes. Igitur dum parentes beatiſſimæ Agnes aſſiduis pernoctationibus 4 vigilarent ad tumu-

4 Antiquitus fideles ad tumulos ſanctorum pernoctationibus aſſiduis vigilabant. Quod hodie noui hæretici ſuperſtitionem eſſe dicūt, quaſi ipſi primis patribus noſtris ſint ſapientiores.

ad tumulum eius, vidêt in medio noctis silentio exercitum virginum, quę omnes auro textis cicladibus indutæ, cum ingenti lumine præteribant. Inter quas vident beatissimam Agnem simili veste fulgentem, & ad dexteram eius agnum niue candidiorem. Hæc itaque dum viderent parentes eius, & qui simul erant, stuporem mentis incurrunt. Sed beata Agnes rogat sanctas virgines parumper gradum figere. Et stans parentibus suis dixit: Videte ne me quasi mortuam lugeatis, sed congaudete mihi & congratulamini, quia cum his omnibus lucidas sedes accepi. Et illi sum iuncta in cœlis, quem in terris posita, tota animi intentione dilexi. Et his dictis perrransiit. Hæc visio publicè ab omnibus qui viderant, quotidie vulgabatur. Vnde factum est, vt post aliquantos annos ad Constantiam Constantini filiam hoc factum ab his qui viderant narraretur. Erat enim ipsa Constantia regina virgo prudentissima: sed ita obsessa vulneribus, vt à capite vsque ad pedes nulla membrorum pars libera remansisset. Accepto autem consilio spe recuperandæ salutis, venit ad tumulum martyris nocte: & licet pagana, tamen credula animi intentione, preces 5 fideliter fundebat. Quod dum faceret, repentina somni suauitate corripitur. Et vidit per visum beatissimam Agnem talia sibi monita præferentem: Constanter age Constantia, & crede Dominum Iesum Christum filium Dei esse saluatorem tuum: per quem modò consequeris omnium vulnerum, quæ in corpore tuo pateris, sanitatem. Ad hanc vocem Constantia euigilat sana, & sic sana, vt nec signum in eius membris alicuius vulneris remaneret. Reuersa igitur ad palatium sanissima, facit gaudium, & patri suo Augusto, & fratribus suis Imperatoribus. Coronatur ciuitas tota. Fit lætitia militantibus, atque priuatis, & vniuersis audientibus hæc, infidelitas Gentium confundebatur, & fides dominica lætabatur. Interea patrem & fratres Augustos rogat, vt basilica beatæ Agnes construeretur, & sibi illic mausoleum collocari præcepit. Currit hæc opinio ad omnes: & quotquot credentes ad eius tumulum 6 aduenissent, sanabantur quacunque fuissent infirmitate detenti. Quod facere Christum nullus dubitat vsque in hodiernum diem. Perseuerauit autem Constantia Augusti filia in virginitate: per quam multæ virgines, & mediocres, & nobiles, & illustres, sacra velamina susceperunt. Et quia fides mortis damna non patitur, vsque in hodiernum diem multæ virgines Romanæ Agnem beatissimam quasi in corpore manentem attendunt. Et eius exemplo agentes viriliter, integrè perseuerant, credentes sine dubio quòd perseuerantes perpetuæ victoriæ palmam acquirant. Hæc ego Ambrosius seruus Christi dum in voluminibus diuinis inuenissem scripta, non sum passus infructuoso silentio tegi. Ad honorem igitur tantæ martyris, sicut gesta eius agnoui, conscripsi, & ad ædificationem vestram ò virgines Christi, textum passionis eius credidi destinandum, obsecrans charitatem Spiritus sancti, vt labor noster in vestra imitatione fructum in conspectu Domini valeat inuenire. Amen.

ITEM ALIA BEATAE AGNETIS VITA CONtractior, Per diuum Maximum Episcopum Taurinensem scripta.

CVM in toto mundo virgineus flos Mariæ immarcessibiles coronas innectat, & sceptrigeram pudoris aulā immaculato 7 conseruet affectu, eousq; integritas perseuerauit ad palmam, vt in puellis trophæum sanctitatis arriperet, & per vestigia matris virginis ad cœlestem thalamum perueniret. Hinc est quod annulo fidei Agnes se asserit subarratam, & clamat se amore sponsi constrictā. O quàm imitabile virginibus, virgo, tui amoris tradidisti exemplum, ô quàm sanctum pectoribus dandum virgineis tribuisti responsum, contēnendo mūdi diuitias, execrando mundi cōcupiscentias, & solā Christi pulchritudinem adamando. Accedite ad puellam puellæ, & discite in annis infantiæ, quales in pectore suo circa amorem Christi flammas accendit. Dicit se amatori suo seruare fidem, & eius corpus concupiscere solum, qui pro amore hominum mortis non recusauit interitum. Discite virgines Christi amorem in puella feruentem, & omnes mundi diuitias, velut stercora recusantem. Ideo enim sanctorum per literas traduntur exempla, vt vnusquisq; pro qualitate sexus, & pro ætate annorum modum sui propositi teneat, & sicut per virginem virgines, ita per coniugem coniuges vincere seculum pro Christi amore studeât, ac repugnatione animi mundi dulcia recusantes, & eius non recusantes austera, ad delectationes perpetuas, & ad gaudia æterna pertingant.

Hæc dicentes, non vituperamus coniugum casta commercia, sed virginum perseuerantiam adornamus. Non enim virginitas malis rebus superponēda est, sed & optimis 8 rebus præferenda. Quæ enim mundis mundior, & sanctis est sanctior, non indiget malarū rerum vituperatione laudari. Sequantur itaque sancta coniugia patriarcharum coniuges in religione posita, ac diuinis literis informatæ, Sarā, Rebeccam, Rachaelem, Annam, Susannā, ac

5 O hæretice, si peccauit Constantia à sancta petere auxiliū, si idololatria fuit eam inuocare, si superstitiosa ad eius tumulum fuit peregrinatio, vt tu falsò asseris, quomodo potuit Deus harū impietatum testis esse, sanando ipsam in momēto? Sed vt Deus verax est, & omnia hæc quæ in honorem sanctorum exhibentur licita, honesta, ac pergrata Deo existūt, ita tu & tui similes mendax, & omnium Ecclesiasticorum rituum subuersores.

6 Si sanabantur quotquot credētes ad sanctißimæ Agneis tumulū aduenirēt, cur audēt dicere nouatores nostri, peregrinationes ad conditoria sanctorum esse superstitiosas & inutiles?

Habetur in eius homiliis de Sāctis, sermone secundo.

7 Virginitatis institutū ex sanctissima Dei genitrice processit: cur ergo tantopere ei aduersantur hæretici, nisi quia carnis libidines et impudicitias amant, et quod ipsi habere nolunt, alios habentes odio prosequuntur.

8 Tu qui matrimoniū virginitati comparare audes, & virginitatem seruare dicis impoßibile, disce miser vtrumq; falsum esse: nam & virginitas coniugio est sublimior, & cum Dei adiutorio potest quilibet virginitatem custodire, & matrem Domini subsequi præcedentem.

Sephoram imitentur vxores. Christi verò virgines solam virginem matrem luminis subsequantur. Huius pedissequa Agnes beatissima magnum de se pudicitiæ excitauit exemplum, quū virginitatem prætulit vitæ, omnemq; à se amorem terrenum per amorem cœlestem expellens, trophæum crucis Christi arripuit, & tam contra libidinem, quàm etiam contra supplicia vniuersa, fide potius armata, quàm ferro, fortiter dimicauit & vicit. Despicit denique blandientem, & renuit minantem, incendium intendit, & videt. Nescit amare aliquid quod transit, & dum nimis virginitatem diligit, nec ludibria, nec flammas, nec supplicia, nec carnifices metuit: postremò nec gladium furentis percussoris expauit. Compellitur virgo ornamenta suscipere corporis, sed renuit, quoniam iam susceperat mentis. Et quia non de elegantia corporis humani placere studebat, quia timebat de fœditate animæ Domino displicere, dabat intus per fidem suæ menti candorem, pulchritudinem excolebat animæ, & quantum sciebat, vt animam suam pulchram faceret, tãtam in corpore erubescebat se esse formosam, tantoq; studens displicere carnalibus in carnis aspectu, quantò instituit Christo & eius Angelis complacere. Turbatur iuuenis à puella contemptus, & se muneribus complacere posse existimans, aurum, gemmas, congeminans vestes, prædia pretiosa conuectat. Sed quia Christi charitas pecuniarum non habet pretium, virginitas sacratissima in suo gradu vsque in sanguinis effusionem permansit, quoniam suo illam sanguine subarrauerat Christus. Ad concupiscentem igitur reuertitur census, & inconcussa virginitas Christo semel oblata perdurat. Discite virgines Christi normam puellaris exempli, & oblata sub specie pietatis virorum munuscula tota intentione respuite, & quasi rabidi canis morsus omni cum gaudio recusate. A quo non receperis quo timeas Deum, non accipias quo diligas mundum. Accipe virgo, sed quod amori æterno proficiat. Quotiescunque hominem sequuta fueris, censum sic accipe, vt te sponsam Christi cognoscas. Videt ille intus in mente quid facias, & quàm expetenter eius virgines comiteris attendit. Videte ergo quomodo Agnes sequitur Mariam per opprobria. Nullum potuit penitus formidare supplicium, cui etiam lupanar turpitudini, locus orationis efficitur: & vbi ei diabolus corruptionis præparauerat ignominiam, illic eam percipere fecit Dominus coronam suæ virginitatis & palmam: hoc est in suis sedibus hostes vincere, captiuam ductam virginem ad penetralia regis libidinum, ipsum regem à virgine, quam captiuauerat victum, & victum cum virginis triumpho exire. Nam qui tenuerat, tétus est: qui traxerat, tractus est: qui occidere se putabat, occisus est. Denique vt probemus diabolum à virgine ista tunc fuisse victum, illius iuuenis factum ad animum reuocemus, quem contra Agnetis infantiam sic armauerat inimicus, vt nudam faceret trahi per vulgus ad lupanar, sub voce præconantis ducis populum ad libidinem inuitantis. Hunc ergo ducē fuisse diaboli nemo qui dubitet, & victo duce populum superatum esse, omnibus notum est: superatis autem cum duce suo populis, tyrannum teneri captiuum, omnibus patet. Constat ergo diabolum superatum, quotiens contra virginem arma arripuit. Nam expoliata virgo tegitur crinibus, & nudata ab hominibus malis, vestitur ab Angelis bonis, & damnata in prostibulo turpitudinis, in gremio apparuit castitatis. Efficitur oratorium Angelorum, locus qui perditarum fuerat animarum: & vbi semper naufragrauerat castitas, illic est coronata virginitas. Denique populos quos præco ad libidinem inuitauerat, virgo ad castitatem obtinuit: & quos ad eam diabolus inquinatos induxit, illa à se mundos eiecit. Omnes namque sigillatim ingressi, vnus alterius sustinebat ingressum. Quem egressum dum non crederet mundum, se exhibebat immundum. Sed ingressus ad libidinem, ad adorandum Dominū meritis virginis tenebatur, & exibat inde Dei seruus, qui seruus diaboli intus fuerat ingressus, & tot facti sunt Christi cultores, quot diabolus virginis se putauerat inuenisse corruptores. Remansit igitur iuuenis, qui autor huius extiterat probationis, qui se putabat defensorem virginis superare. Hic dum splendori cœlesti non cessit dans honorem, vitam, quam habere videbatur, amisit: & mortem quam quærebat, inuenit. Ridentibus lachrymæ succedunt, & insultantibus finem gaudiorum imponunt. Attendit virgo lugentem iudicem, & quem minantem antè contempserat, nunc deprecantem exaudit. Illicò igitur vt cœpit orare pro mortuo, & à mortuis excitat saluum, qui morti fuerat deputatus: & ad gaudium euocat, qui fuerat præcipitatus ad luctum. Nam qui incœstus fuerat mortuus, exurgit castus: & fit prædicator castimoniæ, qui persequutor extiterat castitatis. Ad hæc sacrilegi conturbantur in templis, & Christum hæc mirabilia facientem contremiscunt. Excitant seditiones ignobilis vulgi, vt ratio quæ suadebat fidem, seditionum clamoribus pulsa, locum in mentibus hominum inuenire non posset. Pater verò suscitato filio tristis abscessit, & (vt legitur) turbis furentibus, vicarium dereliquit. Virgineo itaque corpori præparantur stridentes flammæ: sed corpus quod incendia libidinum superauerat, refrigerium in mediis flammis inuenit. Et quæ ad hoc focos ingressa fuerat vt arderet, cœpit per sanctam virginitatem algere, vt disceret virginitas sibi flammas & incendia penitus dominari non posse. Nec illos

perisse æstimes, quos pro nomine Christi consumpsit incendium. Nam quum legis Heliam ignibus raptum, & tres pueros in medijs flammis nulla ratione consumptos: aut dum Laurentium in craticula assatum recolis, atque Agnem, sicut Teclam flammarum globos euasisse cognoscis, nullam in his suspiceris varietatem fidei tunc fuisse. Vna etenim fides sanctos Dei in passione execrauit, & diuerso genere gloriarum reddidit vtrosque victores. Nam qui consumptus est martyr exultat, & qui euasit victor exultat. Et Esaias sectus martyrem se fecit, & Daniel leonum rabiem morsusque contemnens, probatissimum Dei confessorem expressit. Quo facto vtrosque Christus diaboli ostendit esse victores. Vnus enim moritur & triumphat: alius euadit & regnat.

Veni iam virgo ad thalamum quem quæsisti, & pro amore sponsi gladium percussoris admitte, vt sponsam te virginitas immaculata comprobet Christi, & martyrem confessio probata consignet. Felix caterua virginum, 9 quibus studium est tuæ sequi confessionis vestigia. Habebunt enim tecum coronam in cœlo, quæ tecum superauerunt inimicum in mundo. Nam sicut tibi vestigia Mariæ prosequenti participatio æternæ remunerationis apparuit, ita eis te imitantibus æterna credimus gaudia non neganda. Itaque 10 ô splendida Christo, pulchra Dei filio, & omnibus Angelis, & Archangelis grata, vt nostri meminisse digneris, quibus possumus precibus exoramus, & nobis ille tribuat peccatorum indulgentiam, qui tibi tuorum omnium laborum tradidit palmam, qui regnat cum patre & spiritu sancto, quia ipsi est honor, laus, & gloria, & potestas in secula seculorum. Amen.

9 Vide quantopere commendet virgines.

10 Inuocat sanct' episcopus beatißimam Agnē, rogat vt eius meminisse dignetur, & peccatorū indulgētiam à Deo omnipotēte impetrare. Quid hic dicēt haeretici?

VITA SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET MARTYris, per diuum Ambrosium Episcopum Mediolanensem scripta.

Habetur in lib. 1 eiusdē de virg.

BEne procedit, vt quoniam hodie natalis est virginis, de virginibus sit loquendum, & ex prædicatione liber sumat exordium. Natalis est virginis, integritatem 1 sequamur. Natalis est martyris, hostias immolemus. Natalis est sanctæ Agnes, mirentur viri, non desperent paruuli, stupeant nuptæ, imitentur innuptæ. Sed quid dignum ea loqui possumus, cuius ne nomen quidem est vacuum luce laudis? Fuit deuotio supra ætatem, virtus supra naturam, vt mihi videatur non hominis habuisse nomen, sed oraculum martyris, quæ indicauit quid esset futura. Habeo tamen vnde mihi subsidium comparetur. Nomen virginis titulus est pudoris. Appellabo martyrem. Prædicaui satis. Prolixa laudatio est quæ non quæritur, sed tenetur. Facessant igitur ingenia, eloquentia conticescat. Vox vna præconium est: Hanc senes, hanc iuuenes, hanc pueri canant. Nemo est laudabilior, quàm qui ab omnibus laudari potest. Quot homines, tot præcones, qui martyrem prædicant dum loquuntur. Hæc duodecim annorum martyrium fecisse traditur. Quò detestabilior crudelitas, quæ nunc minusculæ peperit ætati: Imò magna vis fidei, quæ etiam ab illa testimonium inuenit ætate. Fuitne in illo corpusculo vulneri locus? Et quæ non habuit quo ferrū reciperet, habuit quo ferrum vinceret. At istius ætatis puellæ, toruos etiam vultus parentum ferre non possunt, & acu districta solent puncta flere quasi vulnera. Hæc inter cruentas carnificum impauida manus: Hæc stridentium grauibus immobilis tactibus catenarum, nūc furentis mucroni militis totū offerre corpus, mori adhuc nescia, sed parata, vel si ad aras in vita raperetur, tendere Christo inter ignes manus, atque in ipsis sacrilegis focis trophæum Domini signare victoris: nunc feratis colla manusq; ambas inserere nexibus. Sed nullus tam tenuia membra poterat nexus includere. Nouum martyrij genus: Nondum idonea pœnæ, & iam matura victoriæ: certare difficilis, facilis coronari: magisterium virtutis impleuit, quæ præiudicium vehebat ætatis. Non sic ad thalamū nupta properaret, vt ad supplicij locum, læta successu, gradu festina virgo processit, non in torto crine caput compta, sed Christo: non flosculis redimita, sed moribus. Flere omnes, ipsa sine fletu. Mirari plerique quòd tam facilè vitæ suæ prodiga, quam nondum hauserat, iam quasi perfuncta donaret. Stupere vniuersi, quòd iam diuinitatis testis existeret, quæ adhuc arbitra sui per ætatem esse non posset. Effecit deniq;, vt ei de Deo crederetur, cui de homine adhuc non credebatur: quia quòd vltra naturam est, de autore naturæ est. Quanto terrore egit carnifex vt timeretur, quantis blanditijs vt suaderet, quantorum vota, vt sibi ad nuptias proueniret? At illa: Et hęc sponsi iniuria est, inquit, expectare placituram. Qui me sibi elegit, accipiet. Quid percussor moraris? Pereat corpus quod amari potest oculis quibus nolo: Stetit, orauit, ceruicem inflexit. Cerneres trepidare carnificem, quasi ipse addictus fuisset, tremere percussoris dexteram, pallere ora alieno timentis periculo, cùm puella non timeret suo. Habetis igitur in vna hostia duplex martyrium, pudoris & religionis. Et virgo 2 permansit, & martyriū obtinuit.

1 O sanctißime Ambrosi, si est impoßibile seruare virginitatē, vt noui dogmatistæ garriūt, quomodo fuit Agnes virgo? Et quod plus est, quare nos ad virginitatē seruandā hortaris? Suadere potius deberes, vt vxores acciperemus.

2 Si Agnes virgo permansit, nō fuit impoßibile seruare virginitatem.

VITA ADHVC SANCTAE AGNETIS VIRGINIS ET Martyris, per Aurelium Prudentium virum consularem descripta.

Habetur in eius peristephano.

Agnes sepulchrum est Romulea in domo
Fortis puellæ, martyris inclytæ.
Conspectum in ipso condita turrium
Seruat 3 salutem virgo Quiritium:
Nec non & ipsos 4 protegit aduenas,
Puro ac fideli pectore supplices.
Duplex corona est præstita martyri.
Intactum ab omni crimine virginal,
Mortis deinde gloria liberæ.
Aiunt iugali vix habilem toro,
Primis in annis fortè puellulam
Christo calentem, fortiter impijs
Iussis renisam, quo minus idolis
Addicta, sacram desereret fidem.
Tentata multis nam prius artibus,
Nunc ore blandi iudicis illice,
Nunc sæuientis carnificis minis.
Stabat feroci robore pertinax,
Corpusque duris excruciatibus
Vltro offerebat, non renuens mori.
Tum trux tyrannus, si facile est, ait,
Pœnam subactis ferre doloribus,
Et vita vilis spernitur, at pudor
Charus dicatæ virginitatis est.
Hanc in lupanar trudere publicum
Certum est, ad aram ni caput adplicet,
Ac de Minerua iam veniam roget.
Quam virgo pergit temnere virginem,
Omnis iuuentus irruat, & nouum
Ludibriorum mancipium petat.
Haud, inquit Agnes, immemor est ita
Christus suorum, perdat vt aureum
Nobis pudorem, nos quoque deserat,
Præsto est pudicis, nec patitur sacræ
Integritatis munera pollui.
Ferrum impiabis sanguine, si voles,
Non inquinabis membra libidine.
Sic elocutam, publicitus iubet
Flexu in plateæ sistere virginem,
Stantem refugit mœsta frequentia,
Auersa vultus, ne petulantius
Quisquam verendum conspiceret locum.
Intendit vnus fortè procaciter
Os in puellam, nec trepidat sacram
Spectare formam lumine lubrico,
En ales ignis fulminis in modum
Vibratur ardens, atque oculos ferit,
Cœcus corusco lumine corruit,
Atque in plateæ puluere palpitat.
Tollunt sodales seminecem solo,
Verbísque deflent exequialibus.
Ibat triumphans virgo, Deum patrem
Christumque sacro carmine concinens,
Quòd sub profani labe periculi
Castum lupanar nec violabile
Experta victrix virginitas foret.
Sunt qui rogatam retulerint 5 preces
Fudisse Christo, redderet vt reo
Lucem iacenti: tum iuueni halitum
Vitæ innouatum visibus integris.
Primum sed Agnes hunc habuit gradum
Cœlestis aulæ, mox alius datur.
Accensus iram nam furor incitat,
Hostis cruenti, vincor, ait gemens,
Astringe ferrum miles, & exere
Præcepta summi regia principis.
Vt vidit Agnes stare trucem virum,
Mucrone nudo, lætior hæc ait:
Exulto, talis quòd potius venit
Vesanus, atrox, turbidus, armiger,
Quàm si veniret languidus ac tener,
Mollisque ephebus tinctus aromate,
Qui me pudoris funere perderet.
Hic hic amator (iam fateor) placet.
Ibo irruentis gressibus obuiam,
Nec demorabor vota calentia,
Ferrum in papillas omne recepero,
Pectusque ad imum vim gladij traham.
Sic nupta Christo transiliam poli
Omnes tenebras, æthere celsior.
Æternæ rector diuide ianuas
Cœli obseratas terrigenis prius,
Ac te sequentem Christe animam voca,
Tum virginalem, tum patris hostiam.
Sic fata, Christum vertice cernuo
Supplex adorat, vulnus vt imminens
Ceruix subiret prona paratius.
At ille tantam spem peragit manu,
Vno sub ictu nam caput amputat.
Sensum doloris mors cita præuenit.
Exutus inde spiritus emicat,
Liberque in auras exilit, Angeli
Sepsêre euntem tramite candido.
Miratur orbem sub pedibus situm.
Spectat tenebras ardua subditas,
Ridetque solis quod rota circuit,
Quod mundus omnis voluit, & implicat,
Rerum quod atro turbine viuitur.
Quod vana secli mobilitas rapit,
Reges, tyrannos, imperia & gradus,
Pompasque honorum stulta tumentium,
Argenti & auri vim rabida siti
Cunctis petitam per varium nefas,
Splendore multo structa habitacula.
Illusa pictæ vestis inania,
Iram, timorem, vota, pericula,
Nunc triste longum, nunc breue gaudium,
Liuoris atri fumificas faces,
Nigressit vnde spes hominum, & decus.
Et quod malorum tetrius omnium est,

3 Si Agnes seruat salutem Romanorum, ergo non debet dici emortua, ergo magnam potestatẽ habet post mortem.

4 Vide etiam sanctos adiuuare supplices confugientes ad eorũ sepulchra. Cõtra nugas nostrorum hæreticorum.

5 Ecce quomodo potens est oratio omnia impetrare à Deo.

Gen-

Gentilitatis sordida nubila.
Hæc calcat Agnes, ac pede proterit
Stans, & Draconis calce premens caput.
Terrena mundi qui ferus omnia
Spargit veniens: mergit & inferis.
Nunc virginali perdomitus solo
Cristas Cerberi deprimit ignei:
Nec victus audet tollere verticem.
Cingit coronis interea Deus
Frontem duabus martyris innubæ:
Vnam decemplex ædita sexies
Merces perenni lumine conficit,
Centenus extat fructus in altera.
O virgo felix, ô noua gloria,
Cœlestis arcis nobilis incola:
Intende 6 nostris colluuionibus
Vultum gemello cum diademate,
Cui posse soli cuncti parens dedit,
Castum, vel ipsum reddere fornicem.
Purgabor oris propitiabilis
Fulgore, nostrum si iecur impleas,
Nil non pudicum est, quod pia visere
Dignaris almo, vel pede tangere.

6 Inuocat sanctam, nec ob hoc credit obtenebrari necessariã Dei inuocationem.

SANCTI GEORGII MAGNI MARTYRIS vita, & Martyrium.

Per Simeonem Metaphrasten.

XXIIII. Aprilis.

DIocletianus Romanorum Imperator sceptris indignè potitus, & primus eorum qui sibi cum illo Romanum imperium vindicabant (tres enim erant) cùm Augustus declaratus esset Cæsar, omniaque sibi tum aduersus hostes, tum in subiectis populis è sententia cedere videret, magno studio, vt sibi quidem videbatur, in eam curam incubuit, vt diuinam beneuolentiam compararet. Summam enim pietatem, & bonorum omnium finem in eorum qui dij vocantur cultu sitam existimabat. Quamobrem assidua illis, & magnifica sacrificia faciebat, imprimisque Apollinem, vt rerum futurarum peritissimum, venerabatur: quem cùm aliquando de quodam negotio consuluisset, ita respondisse ferunt, vt eos qui in terris iusti essent, sibi impedimento esse diceret, quò minus vera prænunciaret, eorumque causa fieri, vt tripodium vaticinia falsa deprehenderentur. Opinionis igitur errore deceptus miser, scire vehementer cupiebat, quinam illi essent in terris homines iusti. Respondens autem è sacerdotibus quidam: Christiani sunt, inquit, Imperator. Hanc ille responsionem, tanquam escam deuorans, bellum aduersus Christianos, quod iam quieuerat, rursum excitauit. Statim igitur arma, quæ aduersus scelera comparata sunt, in homines innocentes exerceri, & in omnes prouincias edicta cædis plena mitti cœperunt. Videre licebat carceres adulteris, & sicarijs, & flagitiosis hominibus vacuos: eorum autem qui Christum Deum ac Saluatorem faterentur, plenos. Videre licebat, veteribus & vsitatis cruciatuum generibus, tanquam leuioribus, repudiatis, grauiora quædam excogitari, quibus plurimi quotidie Christiani passim afficiebantur. Cùm autem ad tyrannum variæ criminum delationes aduersus Christianos vndique, imprimisque ab Orientis procuratoribus venissent, quòd edicta ipsius contemnerét, qui se Christianos profitebantur, quorum numerus iniri non posset, adeo vt vel in propria religione viuere ipsis permittendum esset, aut bello repentè nihil huiusmodi opinantes opprimi deberent. Ille his omnibus auditis, animi celans indignationem, & præferens humanitatem, Præfectos omnes ad se, præcipueque totius Orientis procuratores accersiuit. Qui cùm celeriter omnes conuenissent, Senatu conuocato, suam aduersus Christianos sæuitiam patefaciens, Imperator iussit, vt quid quisque de re proposita sentiret, in medium proferret. Cumque alij aliud dicerent, ad extremum ipse virus euomuit, deorum religione nihil esse præstantius asserens. Cuius sententiam cùm alij comprobassent: rursum, Si meam, inquit, beneuolentiam magni facitis, quando ita sentitis, studiosè operam date, vt Christianorum religionem ex vniuerso imperio meo prorsus expellatis. Quod vt facilius perficere valeatis, ego vobis totis viribus fauebo. Omnibus autem approbantibus & collaudantibus, Senatui & ipsi Diocletiano visum est ea de re iterum & tertiò ad populum referre. Tunc in exercitu aderat etiam admirabilis Christi miles Georgius, qui in Cappadocia non obscuro loco è Christianis parentibus natus, in vera pietate iam inde ab ipsa pueritia fuerat institutus. Hic cùm ad pubertatem nondum peruenisset, patrem in certamine pietatis egregiè pugnantem amisit, è Cappadociáque cum matre in Palæstinam, vnde erat oriunda, se contulit, vbi multæ illi possessiones, & ingens erat hæreditas. Ob generis igitur nobilitatem, cùm iam & corporis pulchritudine, & ætate ad militiam aptus esset, Tribunus militum est constitutus: quo quidem in munere cùm virtutem suam in bellicis certaminibus, seque strenuum militem ostendisset, Comes à Diocletiano constitutus est, antequàm Christianus esse cognosceretur. Cùm autem eo tempore mater è vita discessisset, maioris

cupidus dignitatis, maximam è diuitijs sibi relictis partem accepit, & ad Imperatorem profectus est. Tunc autem vigesimum ætatis annum impleuerat. Cùm igitur primo statim die tantam in Christianos crudelitatem animaduertisset, & Senatusconsultum mutari non posset, oportunum ad salutem tempus illud existimans, omnem pecuniam & vestem celeriter pauperibus distribuit, seruosque prȩsentes libertate donauit, deque absentibus, quod sibi videbatur, constituit: & tertio concilij die, quo Senatus decretum confirmandum erat, & Principum crudelitatis autorũ sententiæ cõprobandæ, aut refellendæ, ipse omni formidine humana reiecta, & solum Dei timorem in animo conseruans, hilari facie, & mente tranquilla, in medio consessu stetit, & ad hunc locutus est modum: Quousque tandem, ô Imperator, & Patres conscripti, & Quirites, bonis vti legibus soliti, furorem vestrum in Christianos augebitis, legesque aduersum illos iniquas sancietis, & homines innocentes persequemini? Et ad eam quæ vos, an vera sit, ignoratis religioné, eos qui veram didicêre compelletis? Hæc idola non sunt Dei: non sunt, inquam, Dei. Nolite per errorem falli. Christus solus est Deus, idemque solus Dominus in gloria Dei patris. Per ipsum facta sunt omnia, & spiritu sancto eius omnia reguntur, & conseruantur. Aut igitur vos item veram agnoscite religionem, aut certè illos qui illam colunt, nolite dementia vestra perturbare. His verbis attoniti, & inopinata dicendi libertate perculsi, oculos ad imperatorem omnes conuerterunt, audituri quidnam is ad ea responderet. Imperator autem, tanquàm perstrictis tonitru auribus, iracundiæ impetum in se cohibens, Magnentio cuidam ex confidentibus amico, qui tunc erat Consul, annuit, vt Georgio responderet. Hic propius ad se illum accersens: Ecquis, inquit, tibi istius audaciæ, & magnæ in loquendo libertatis est autor? Veritas, inquit Georgius. Tunc Consul subiecit: Quid est veritas? Respõdit Georgius. Christus ipse, qué vos persequimini. Ergo tu quoque, Magnentius inquit, Christianus es? Ego seruus sum Christi mei, respondit Georgius, eoque confisus in medio vestrum vltrò cõstiti, vt veritati testimonium exhiberem. His verbis populo concitato, & aliis alia dicentibus, incertus quidam rumor exaudiebatur, vt fieri in tanta multitudine consueuit. Tunc Diocletianus, silentio per præcones indicto, cùm, defixis in sanctum iuuenem oculis, eum agnouisset, sic illum est allocutus: Et olim nobilitatem tuam admiratus, ætatemq; honore dignam existimans, te ad maiores prouexi dignitatis gradus, & nunc, quamuis ad perniciem abutaris dicendi facultate, tamen quia prudentiam & fortitudinem tuam diligo, tibi quæ vtilia sunt consulo tanquam pater, hortorque te, ne rei militaris commoda deleras, néue ætatis florem contumacia tua cruciatibus subijcias, sed diis sacrificans maiora à nobis expectes præmia, qui pietatem tuam remunerabimus. Sanctus autem Georgius respondit: Vtinam potius tu ipse, Imperator, per me verum Deum agnoscens ei sacrificium laudis ab ipso quæsitum offerres, præstantiori enim atque immortali te regno donaret: Siquidem illud, quo nunc potiris, cùm sit caducum, & fragile, celeriter corruit, atque dilabitur. Quamobrem & ea quæ ex ipso proueniunt, cùm sint fugacia, nihil possidentibus prosunt. Itaque nullũ ex iis meam in Deum meum pietatem labefactare, nullum cruciatuũ genus timorem illius ab animo meo excutere poterit, aut mortis formidinem inijcere. Hæc vir sanctus dum loquitur, Imperator totus ira percitus, nec permittens vt faceret dicendi finem, satellitibus iubet, vt eum è Concilio hastis expulsum in carcerem conijciant. Celeriter illi faciunt imperata, sed cuspis, quȩ viri sancti corpus attingit, instar plumbi, reflectitur, & os Martyris laudibus personat. In carcerem igitur deductum humi prosternunt, compedibusque vinciunt, & eius pectori lapidem ingentem imponunt. Vtrunque enim Tyrannus imperauerat. At vir sanctus id patienter ferens, Deo non destitit vsque ad sequentem diem gratias agere. Cùm enim dies illuxisset rursus, eum Imperator ad quæstionem vocauit. Et cùm videret illum lapidis pondere defatigatũ: Resipuistine, inquit, Georgi, an adhuc in errore permanes obstinatus? Cui grauiter vir sanctus respondens: Adeóne, inquit, Imperator, ignauum me putas esse, vt tam paruo ac puerili supplicio à religione deficerem, & pietaté abnegarem? Prius ipse torquendo defatigaberis, quàm ego tortus. Ego te, inquit Diocletianus, supplicijs ita puerilibus afficiá, vt tibi celeriter vitam eripiant. Iubet igitur rotam prægrandem afferri mucronibus vndique præfixam, ad eamque virum sanctũ alligari, paratisq; in ea gladijs dilacerari. Pédebat in aere rota, inferiùs aũt aderant tabulæ, in quibus densissima erát spicula prȩfixa gladiis similia, partim rectas habentia cuspides, partim aduncas ad hamorum similitudinem, partim cultros coriarios imitãtia. Cùm igitur rota per gyrum tabulis appropinquaret, & vir sanctus, tãquam agnus, tenuioribus loris & funiculis ita constrictis, vt intra carné absconditi inhærerent, vinctus esset, & per gladios, voluente rota, transire cogeretur, acutissima eorum acie corpus exceptũ dilaniabatur, & scorpij more contortũ dissecabatur. Hoc ille supplicij genus strenuè perferés, primùm quidé magna voce precabatur, deinde secũ ipse tacite gratias agebat Deo, nec suspirium quidem vllum ædebat. Mox bonum temporis spatium, tanquam dormiens

conquieuit,

conquieuit. Diocletianus igitur eum mortuum existimans, lætus, deosque collaudans, Vbi est, inquit, Deus tuus Georgi? Cur te hoc ludicro supplicio non liberauit? Cùm autem iussisset eum ab illa machina solui, ipse ad sacrificandum Apollini profectus est. Cæterùm magna nube statim exorta, & maximo tonitru erumpente, vox desuper emissa est, quam multi exaudierunt ita disserentem: Ne timeas, Georgi, tecum enim sum. Paulò post autem, qualis nunquam antea, serenitas successit, & vir candidis vestimentis indutus rotæ assistere visus est, qui facie coruscâti manum Martyri porrexit, & ipsum complexus saluere iussit. Nemo autem audebat ad eum propiùs accedere, neque ex illis qui illum asseruabant, neque ex iis qui missi fuerant vt ipsum à rota soluerent, quoad is qui apparuerat, ex eorum conspectu discessit. Tunc à machina solutus visus est sanctus martyr, & præter omnium expectationem incolumis constitit, & Deo gratias agebat, ac Dominum inuocabat. His perspectis, milites ingenti stupore correpti, rem Imperatori adhuc in templo sacrificanti denunciant, sancto etiam Georgio coram constituto. Quem cùm aspiceret Imperator, primùm quidem ita se rem habere non credebat, & illum Georgium negabat esse, sed alium ei similem esse dicebat, aut eius certè simulachrum, quod spectatores deluderet. Verùm cùm accuratius illum contemplantes, qui assistebant, agnouissent, & Martyr ipse se Georgium esse diceret, obmutuerunt. Porrò ex astantibus duo dignitate prætoria decorati, quorum vnus Anatolius, alter Protoleo vocabatur, cùm antea in Christi religione essent initiati, re admirabili conspecta, plenam fidem conceperunt, & sublata voce dixerunt: Vnus est Deus magnus, & verus Christianorum. Hos igitur cōfestim Imperator extra ciuitatem duci, atque indicta causa iubet obtruncari. Multi præterea ad Dominū se conuerterunt in se ipsis fidem continentes, qui liberè loqui non audebant Sed & Imperatrix Alexandria veritatem agnouit, quam liberè loqui incipientem Consul abduxit, ac priusquàm de illa rem intelligeret Imperator, domum dimisit. Hæc Diocletianus indignè ferens, cùm ratione nihil agere posset, iussit sanctum virum statim in foueam calcis recens extinctæ coniectum, in tertium vsque diem asseruari, ne qua ex parte excogitari auxiliū posset. Cùm igitur vinctus ad eiusmodi supplicium duceretur, magna voce sic precabatur: O conseruator afflictorum, ô præsidium eorum qui persecutione vexantur, ô spes illorum, de quibus nulla est spes, Domine Deus meus, exaudi preces serui tui, & aspice me, ac miserere mei. Libera me, Domine, ab insidiis aduersarij, & concede mihi, vt ad finem vsque nominis tui confessionē immutabilem conseruē. Ne derelinquas me, Domine, propter iniquitates meas, nequando dicant inimici mei: Vbi est Deus eius? Ostende potentiam tuā, & nomen tuū illustra in me inutili seruo tuo. Mitte Angelum tuum indignitatis meæ custodem, qui Babylone fornacē in rorē commutasti, & sanctos pueros tuos incolumes cōseruasti, quoniā benedictus es in secula. Amen.

His dictis, ac toto corpore [1] signo crucis munito, in foueam gaudens & laudans Deū ingressus est. Ministri autem, qui missi fuerant, omnibus, vt iussi fuerant, peractis, reuersi sunt. Diocletianus verò cùm tertius adesset dies, accersitis quibusdam è militibus dixit: Infelicis illius Georgij, quem propter eius peruersitatem, & contumaciam in calcis foueam coniecistis, ne monumentum quidem volo sectatoribus eius extare, ne dum ab illis colitur, gloriosæ insaniæ capti cupiditate in perniciem ruant. Ite igitur, & si quid ex miseris illius ossibus adhuc reliquum est, defodite, atque in perpetuum abolete. Hæc milites mandata cùm accepissent, quanta potuerunt celeritate profecti sunt, sequente magna populi multitudine, vt quid factum, futurúmue esset, perspicerent. Expurgata igitur calce, intus repertus est vir sanctus, habitu splendido, tanquam è conuiuio veniret, qui, manibus [2] in cœlum sublatis, Deo pro vniuersis eius beneficijs gratias agebat. Egresso autem illo, & nullum læsi corporis signum circunferente, tam admirabili spectaculo, qui conuenerant, obstupentes, vno omnes ore Georgij Deum collaudabant, & magnum esse dicebant. Interea dum morantur milites, ac tempus terunt, rumor ad Diocletianū peruenit. Qui cùm sanctum Georgium statim accersisset, stupore attonitus, sic eum est alloquutus: Aperi nobis, Georgi, vnde tibi hæc adsint, & quibus abs te artibus fiant. Arbitror enim te ad magicæ artis ostentationem Crucifixi religionem simulare, vt præstigijs ad stuporem omnes adducas, & te magnū ostēdas, ac Deum tuum quisquis est, deorum omnium præstantissimum prædices. Ego quidem, respondit vir sanctus, existimabam, Imperator, ne os quidem posse vos aperire in eius Dei contemptum, qui nulla in re non potens est, & ex huiusmodi angustijs in se sperantes liberat. Verùm quando in tam profundum erroris baratrum, vrgente diabolo, decidistis, vt ne illa quidem, quæ vestris oculis cernitis, miracula credatis, sed præstigias appellatis, vestram equidem cœcitatem deploro, ac miseros censeo, sed indignos tamen, quibus respondeam, puto. Nunc, inquit Diocletianus, cognoscam, an, nobis cernentibus, res facias admirabiles, & nos, quibus respondeas, indignos putes. Sed vel inuitus habebis, qui medeátur tibi. Tunc iubet ferreas crepidas afferri oblongis clauis præfixas, easq; in cōspectu accēsas, ardentesq; in

1 Nota, Toto corpore signo crucis munito, in foueā ingressus est.

2 Sanctus, manibus in cœlum sublatis, Deo gratias agebat.

vtrunque

vtrunque ipsius pedem induci, ipsumque vapulantem vsque ad carcerem trahi. Irridensque dicebat: Quàm velox cursor es Georgi? At martyr, cùm tam acerbè traheretur, & vapularet, secum ipse exultabat: Curre, inquiens, Georgi, vt apprehendas: Sic enim curris, vt non in cassum. Deinde Deum suum inuocans dicebat: Respice de cœlo Domine, & vide laborem meum, & audi gemitum compediti serui tui: quoniam multiplicati sunt inimici mei, & odio iniquo oderunt me propter nomen tuum. Sed tuipse sana me Domine, quoniam conturbata sunt ossa mea: & da mihi patientiam vsque in finem, ne quando dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum. Ita precabatur, dũ ad custodiam, in quam coniectus fuit, perueniret, afflictus ex vulneribus, quæ ardentes crepidarum claui pedibus eius intulerant. Cùm autem totum illum diem ac noctem quæ subsecuta est, Deo gratias agẽs transegisset, postridie accitus in conspectu astitit Imperatoris, qui iuxta publicũ theatrum sedebat. Aderat & Senatus vniuersus. Sanctum igitur virum Imperator conspicatus ita rectè incedentem, vt si ex crepidarũ molestia nihil acciperet impedimenti, magna cum admiratione: Quid est, inquit, Georgi? Num ad voluptatem, & gratiam crepidæ tibi repertæ sunt? Sanè quidem, sanctus Georgius respondit. Imperator tunc ait Diocletianus: Audacia deposita, modestè obtempera: & magicis artibus reiectis accede, ac diis propitiis sacrifica: alioquin multis aliis cruciatibus affectus, hac dulci vita tandẽ spoliaberis. Quàm stulti, Georgius inquit, videmini, qui Dei mei potentiæ præstigiarũ nomen imponatis, eiusque præsidia magicis artibus comparantes, ludicras dæmonum, qui à vobis coluntur, fallacias tam impudenter iactetis. Acri voce, trucique aspectu Diocletianus Martyris orationem interpellans, astantibus imperauit, vt os eius cæderent: Sic, inquiens, doceatur, Imperatores non esse contumeliis afficiendos. Deinde iussit, vt neruis bubulis tamdiu vapularet, dum caro eius cum sanguine terræ agglutinaretur. Cùm autem sanctus martyr ita crudeliter excruciatus, nihil hilaritatẽ vultus immutaret, Imperator admiratione plenus, ad eos qui proximè aderant conuersus: Equidem, inquit, hæc non virtutis, & fortitudinis: sed magicæ artis opera dixerim. Magnentius autem ad eum ait: Est hoc in loco, Imperator, vir quidam magicæ artis peritissimus, quem si iusseris accersiri, Georgius celeriter victus oraculis tuis succumbet. Statim igitur accersitus Magus astitit coram Imperatore. Ad quem Diocletianus: Quæ, inquit, homo iste nefarius egerit, pręsentes omnes sciunt: quomodo autem illa perfecerit, vestrûm tantum est intelligere. Aut igitur præstigijs eius dissolutis, modestum & temperantem hunc nobis redde, aut magicis medicamentis ex hac vita celeriter extrude, vt proprijs tandem artibus captus debitam mortem experiatur. Id enim cùm iam statuissem, viuere tamen adhuc permisi. Athanasio autem (hoc enim illi Mago nomen erat) omnia se facturum postridie promittente, Imperator virum sanctum in vinculis custodiri iubens, è tribunali descendit. Ipse verò custodiam rursus ingressus, Deum vocabat, dicens: Admirabilis sit misericordia tua Domine super me: & dirige gressus meos ad confessionem tui: & perfice cursum meum in fide tua, vt in omnibus laudetur nomen tuum. Postera autem die, cùm Diocletianus in altiori loco pro tribunali sederet, Magum adesse iussit. Ille autem pręsto fuit, prudentium grauitatem præ se ferens: & medicamenta quædam in testaceis vasculis ostendens, ait Imperatori: Adducatur nunc reus, & sentiet omnino, diis coadiuuantibus, medicamentorum meorum vires. Si enim insanum hunc vis in omnibus quæ iubes dicto audientem efficere, hanc sorbeat potionem. Et pariter proferebat vnum medicamenti vasculum. Sin apud tribunal tuum amaram huius mortẽ mauis videre, hoc bibat. Et paruulum alterum vasculum demonstrabat. E vestigio sanctum Georgium adduci iubet Imperator, & astanti ipsi: Iam iam, inquit, Georgi, magicæ artes tuæ aut omnino dissoluentur, aut desinent. Ac iubet ipsum per vim sumere paratum pharmacum. Ille autem hauriens ipsum intrepidè, nihil ex illo sensit incommodi. Denique nulla rei nouitate secuta, gaudens astabat, dæmonum fraude illusa. At Imperator insaniens alteram quoque ipsi potionem iussit dari, atque vt biberet cogi. Diuus autem Georgius, vi non expectata, ac sorbens, eodem modo incolumis auxilio diuino & gratia seruatus est. Obstupuit autẽ Imperator pariter cum toto Senatu, sed & ipse Athanasius spectaculo rei. Ac non multò pòst dixit martyr: Quousque tandem nos factis tuis ad stuporem adducis? Quamdiu nobis verum non fateris, qua scilicet ratione, quæ tibi ad mota sunt tormenta, contempseris: & medicamentorum, quæ in manibus sunt, iniuriam effugeris? Agedum pande nobis omnia clementer audituris. Tunc beatus Georgius respõdebat: Ne nos existimes Imperator, humanis seruari consilijs, sed Christi inuocatione, eiusq; potentia: quibus etiam freti, cruciatus nihili facimus, iuxta arcanam illius disciplinam. Diocletianus autem: Quænam est, inquit, isthæc Christi tui disciplina? Diuus Georgius respondit: Cùm prouideret vestram in peius diligentiam, suos ille domesticos cõfirmans instituit, ne timerẽt eos qui corpus occidũt, & superuacanea ne curarent: Capillus, inquiẽs, de capite vestro nõ peribit, & quãuis mortiferũ quid biberitis, vobis nõ nocebit. Deniq; ausculta,

ô Imperator

ô Imperator: hæc eſt vera eius promiſſio, vt breuiter declarem: Qui in me crediderit, opera quæ ego facio, & ipſe faciet. Diocletianus: Quæ autem, inquit, vos opera eius eſſe dicitis? Diuus Georgius reſpondit: Cœcos illuminare, leproſos curare, claudos dirigere, ſurdis aures aperire, ſpiritus eijcere, mortuos in vitam reuocare, atque his ſimilia. Conuerſus ad Athanaſium Imperatori: Tu, inquit, quid dicis ad hæc? Reſpondit Athanaſius: Miror quomodo hic manſuetudinem tuam mendaciis refellens, fallere imperium tuum ſibi poſſe perſuadeat. Nam multa quidem beneficia à diis immortalibus quotidie conſequimur, & ipſorum bonitate multis bonis fruimur: ſed mortuos ad vitam reuocari hoc tempore nequaquam vidimus. Hic autem mortali fidens homini, & crucifixum Deum colẽs, maximorum ſignorum impudenter ipſi teſtis eſt. Verùm quando coram nobis omnibus fatetur Deum ſuum talia feciſſe, & veram eius promiſſionem experiri ſperantes in eum, ac quæcunque ipſe fecerit, eos quoque facturos, mortuum ipſe excitet coram te, & tunc nos quoque illius Deum, vt magnipotentem, venerabimur. Ecce igitur mortuus in arca ex aduerſo poſita, quem ego noueram, paulò ante ſepultus eſt. Hunc ſi Georgius excitauerit, reuera vicerit. Admiratus Imperator conſilium Athanaſij, vt id tentaret, annuit. Erat autem arca magna è regione ſtans tribunalis, dimidij ſtadij interuallo. Tunc Magnentius aſſiſtens Imperatori petiit, diuum Georgium, quibus aſtringebatur, vinculis relaxari, & ad ipſum: Nunc, inquit, Dei tui mirabilia opera oſtende, & nos cunctos ipſi per fidem conciliabis. Sanctus Georgius: Conſul mi, inquit, Deus qui de nihilo creauit omnia, nec impotens eſt per me mortuum hunc ſuſcitare. Sed mentibus veſtris per errorem deceptis, quid verum ſit, intelligere non poteſtis. Tamen propter aſtantem populum, id quod tentandi gratia petitis, per me Deus efficiet, ne hoc quoque magicæ adſcribatis. Ecce enim in veſtro omnium conſpectu Magus quem adduxiſtis, nec incantatione vlla, nec cuiuſquam deorum veſtrorum potentia hoc fieri poſſe, verè confeſſus eſt. Sub oculis igitur, & auribus omnium veſtrum circunſtãtium Deum meum inuoco. Cùm hoc dixiſſet, genubus 5 flexis, propemodum lachrymans Deum rogabat, & ſurgens voce magna ſic precatus eſt: O æterne Deus, Deus miſericordiæ, Deus omnium virium, atque omnia potens, qui ſpes in te ſperantium non confundis, Domine IESV Chriſte, exaudi me miſerum ſeruum tuum in hora hac, qui ſanctos Apoſtolos tuos in omni loco, & in omnibus prodigiis & ſignis exaudiſti: Et da huic generationi malæ ſignum ab ea petitum: & ſuſcita mortuum in vrna poſitum, in confuſionem non colentium te, in gloriam tuam, & Patris, & Spiritusſancti. Obſecro Domine, demonſtra iis qui circumſiſtunt, te eſſe Deum ſolum altiſſimum ſuper vniuerſam terram, & ipſi cognoſcant te eſſe Dominum potentem, & tuo nutui omnia ſubiacere, & tuam eſſe gloriam in æternum. AMEN. Et Amen ab eo prolato, ſonus factus eſt magnus, adeo vt contremuerint omnes. Tum retecto loculo, atque humi tegumento lapſo, reſurgens mortuus, cunctis videntibus, de vrna exiliuit.

5 Orat ſanctus flexis genubus.

Statim igitur exorto populi tumultu, pleriſque plaudentibus, & Chriſtum ſummũ Deum extollentibus, Imperator, eiuſque familiares obſtupeſcentes, & incredulitatis pleni, primùm quidem adhuc Magum eſſe Georgium dicebant, & ſpiritum introducere in fraudem ſpectatorum. Vt verò eum qui à mortuis reſurrexerat, hominem verè agnouerunt Chriſtum inuocantem, accurrentemque ad diuum Georgium, atque ipſi adhærentem, prorſus conſilij inopes obmutuêre. Athanaſius autem accurrens ad ſancti pedes procidit, Chriſtum clara voce vocans Deum omnipotentem, ac martyrem obſecrans pro ſe ipſo, vt ſibi eorum quæ per ignorantiam commiſiſſet, veniam deprecaretur. At longo pòſt temporis ſpatio Diocletianus ſilentium populo indicens, ita locutus eſt: Videtis fraudem viri? Cernitis horum malitiam præſtigiatorum? Peſſimus hic Athanaſius ſui ſimillimo, & eiuſdem artis ſtudioſo occultè fauens, pharmaca quæ nobis pollicitus eſt, non propinauit, ſed potius incantamentorum vim habentia, ad noſipſos decipiendos. Quocirca Georgius illis offenſus minimè eſt: quin potius impudentior factus, mortuum ſe ſuſcitaturum pollicitus eſt: quem ipſi fictæ mortis ſpecie defunctum, ad praui conſilij ſui exitum excitare finxerunt.

His dictis, Tyrannus ilico Athanaſium iubet vnà cum eo qui reuixerat, indicta cauſa, ſecuribus cædi, vt qui clara voce Chriſtum Deum ſolum prædicaſſent: ſanctum verò martyrem Georgium carceri incluſum in vinculis eſſe, donec à muneribus publicis vacans, quid de illo faciendum ſit, deliberet. Hiſque conſtitutis, in regiam ſe recepit. Sanctus autem Georgius carcerem ingreſſus ſpiritu exultabat, & gratiarum actione Deum proſequebatur: Gloria, inquiens, tibi Domine, qui non confundis ſperantes in te. Gratias tibi ago, quòd mihi adiutor vbique extitiſti, quòd maioribus me quotidie beneficiis afficis, & indignitatem meam exornas. Dignum me fac, Deus, Deus meus, qui celeriter videam gloriam tuam, diabolo tandem confuſo. Dum autem ipſe eſſet in carcere, quicunque Chriſti fidem imbiberant, propter ea quæ peracta erant, ad ipſum profecti, & tradita cuſtodibus pecunia,

ad eius procidebant pedes, & apud eum manebant, ex quibus multi etiam ægrotantes per Christi signum & nomen ab eo curati sunt. Inter quos etiam vir quidam, Glycerius nomine, priuata fortuna, arans, altero ex bobus (vt sæpe contingit) humi collapso & abiecto, & tantùm non expirante: posteaquam de sancti viri fama à quibusdam didicit, currens in carcerem, bouis iacturam deplorabat. Tandem arridens huic sanctus Georgius: Abi, inquit, lætus: Christus enim meus bouem tuum ad vitam reuocauit. Ille autem verbis credens, & currens inuenit, sicut dixerat ei vir sanctus. Mox verò ne paululum quidem moratus, reuersus est, & ad Martyrem accurrens, per ciuitatem voce magna clamat: Magnus est certè Deus Christianorum. Comprehendentes igitur ipsum milites quidam, qui ipsi fortè occurrerant, per satellites rem Imperatori nunciauêre. Is autem furore plenus, & ne ipsum quidem aspiciens, nec dignum quem interrogaret existimans, gladio obtruncari extra vrbem iussit. Hic ergo Glycerius gaudens, & tanquam ad conuiuium aliquod vocatus, currebat ante milites, à quibus ducebatur, & magna voce Dominum inuocabat, orans vt martyrium sibi Baptismatis loco poneretur: atque ita vitam finiuit. Tunc quidam è Senatoribus apud Imperatorem sanctum Georgium accusabant, quòd in carcere sedens fama populum commoueret, multosque à diis abducens ostentis magicis Deo adiungeret crucifixo. Itaque ad quæstionem rursus ducendum videri: & si resipisceret, absoluendum: sin in eadem permaneret insania, è vita tollendum. Imperator igitur adhibito in consilium Magnentio, iussit in diem posterum iuxta Apollinis templum tribunal sibi parari, vt publicè de Sancto quæstionem haberet. Nocte autem illa orans martyr in carcere, ac paulùm obdormiscens, vidit in somnis Dominum propria manu se subleuantem, & amplectentem: &, corona capiti suo imposita, dicentem: Ne time, sed bono animo esto. Ecce enim iam dignus factus es, qui mecum regnes. Ne igitur tardaueris, sed properè ad me veniens paratis fruere. Experrectus autem, & gratias Deo alacrius agens, carceris custodem ad se vocauit, ipsumque rogabat: Hoc, inquiens, vnum abs te frater peto concede, vt puer meus ad me ingrediatur: habeo enim ipsi quod dicam. Annuente autem custode, ingressus est puer, qui extra carcerem expectabat: & dominum suum in vinculis veneratus, flens humi iacebat. Sed Sanctus illum erigens lachrymantem, vt bono animo esset hortatus est, visaque nuntiauit: Celeriter, inquiens, mi fili, Dominus meus vocabit. Postquam igitur ex hac vita migrauero, accepto hoc meo misero corpore, quemadmodum ante discessum meum statui, itineris tui duce Domino domum, quam habitare soliti sumus, prope Palæstinam, contende: omnibusque peractis, quæ ibi præscripta sunt, Dei timorem habeto, à Christi fide non deficiens. Illo verò promittente non sine magna vi lachrymarum, se, Deo adiuuante, studiosè omnia curaturum, vir sanctus illum amplexatus dimisit.

Atque postero die sedens Diocletianus in tribunali sibi parato, in ipso Solis ortu martyrem ad se venire iussit, iramque compescens, cœpit omni cum mansuetudine sic eum alloqui: Nónne tibi videor, Georgi, maxima humanitate & amore plenus esse, qui erga te tam mitis sim? Nam mihi dij omnes testes sint, vt me valde tuæ tædet adolescentiæ, tum propter florem pulchritudinis tuæ, tum propter prudentiæ grauitatem, animique constantiam. Ac volebam quidem, si resipuisses, vt mecum pariter habitares, & secundas à nobis obtineres. Dic igitur nobis ad hæc tu quoque quid sentias. Sanctus Georgius: Oportebat, inquit, Imperator, hoc tu erga nos studio declarato, non tam multa in nos per iracundiam mala facere. Hæc ille verba libenter audiens, subiecit: Si velles mihi, vt patri, amanter obsequi, omnes istos quos pertulisti cruciatus maximis honoribus compensarem. Sanctus Georgius: Si vis, inquit, posthac in templum ingrediamur, deos qui à vobis coluntur, aspecturi. Illicò igitur Imperator exurgens magna cum lætitia, Senatui, & omni populo per præconem edicit, vt in templum eant. Simul verò extollebat populus Imperatorem, & diis suis victoriam, dum iter in tēplum faceret, asscribebat. Vbi verò omnes ingressi sunt, indicto silentio, & sacrificio iam parato, intuebantur omnes Martyrem, sperantes proculdubiò ipsum sacrificaturum. Ipse autem ad Apollinis statuam accedens, extensa manu: Ecquid, inquit, à me sacrificium vis suscipere, vt Deus? Atque eodem tempore 4 signum crucis expressit, Dæmon verò statuam inhabitans, huiusmodi vocem emisit: Non sum Deus, non sum, sed neque mei similium quisquam. Vnus est Deus solus, quem prædicas. Nos autem ex Angelis ipsi ministrantibus Apostatæ facti, ob inuidiam homines decipimus. Tum sanctus respondit: Quo pacto igitur hic manere audetis, me cultore veri Dei præsente? Atque hoc dicto, sonus quidam, ac fremitus luctui similis ex statuis emittebatur. Omnes autem simul ad terram lapsæ contritæ sunt. Tunc conuersi quidam de populo, tanquam furore concitati, sacerdotibus incitantibus, correptum sanctum virum vinculis constrinxerunt, atq; inter verberandum clamabant dicentes: Tolle Magum hunc Imperator, tolle, antequam nostra nobis ingrata sit vita.

4 Martyr signum crucis expressit, et dæmon statuā inhabitans veritatem confessus est, non esse se Deum.

Hoc

Hoc igitur tumultu concitato, & fama per vrbem breui discurrente, Imperatrix Alexandra, cùm fidem Christi occultè apud se habere amplius non posset, celeriter prodiit: & cùm populi tumultum, & sanctum Georgium procul vinctum cerneret, nec ad eum prae turba posset accedere, clamans dicebat: Deus Georgij, adiuua me, quoniam tu es Deus solus omnipotens. Sedato autem populi tumultu, Diocletianus sisti coram se virum sanctum iussit: & insanienti similis ad ipsum: Tales, inquit, benignitati meæ gratias rependis, fœdissimum caput? Sic diis sacrificare solitus es? Cui sanctus Georgius: Ita planè sacrificare didici, Imperator insane, & sic deos tuos colere noui. Erubesce in futurum diis talibus acceptam referre salutem tuam, qui ne sibi ipsis quidem adferre opem possunt, neque seruorum Christi præsentiam valent sustinere. Dum verò hæc diceret sanctus, ecce Imperatrix quoque in medium procedens, eundem, quem antea, coram Imperatore sermonem habebat: & ad pedes viri sancti procumbens, Tyranni dementiam conspuebat, maledictis deos lacerans, eorumque cultores detestans. Imperator autem ad eam: Quid tibi, inquit, Alexandra, quòd huic Mago & incantatori adhærens, impudenter à diis recessisti? Illa verò acriter eum repellens, ne dignum quidem censuit responsione. Impius igitur Diocletianus furore repletus de Sancto nihil amplius quæsiuit, sed ab eo irritatus: & dum sacrificium sperat, subuersos ab eo deos suos videns: ad hæc imperatricis mutationem animaduertens, atque illius causa iracundior factus, huiusmodi sententiam contra Martyrem, & nobilissimam tulit Imperatricem: Pessimum Georgium Galilæum sese dicentem, & qui tum deos, tum meipsum conuitiis multis affecit: deinde qui contra illos arte sua magica vsus est, cum Alexandra Imperatrice veneficiis eius corrupta, & pari dementia in deos ipsa quoque maledicta conijciente, gladio obtruncari iubeo. Statim igitur ij quibus hoc demandatum erat, Sanctum corripientes, vinctum extra ciuitatem ducebant. Tracta pariter cum eo nobilissima est Imperatrix: quæ, dum adduceretur, alacri animo orabat, labra mouens, & oculos in cœlum frequentissimè intendens. At vbi ad locum quendam venit, vt consisteret petiuit. Iisque qui trahebant concedentibus, super vestem sedens, & caput in genua reclinans, spiritum Deo reddidit. Huius rei causa martyr Christi Georgius Deum extollens, ipsique gratias agens, multa cum alacritate incedebat, orans, vt suus quoque cursus rectè perficeretur: & postquam ad præfinitum locum appropinquauit, clara sic voce precatus est: Benedictus es Domine Deus meus, quoniam dentibus quærentium me lacerandum non permisisti, nec inimicos meos super me lætos esse passus es: & quoniam liberasti animam meam, vt passerem de laqueo venantium: Nunc item exaudi me Domine, & mihi assiste seruo tuo in hac vltima hora mea: & libera animam meam ab iniquitate aërei hostis maximi, & spirituum eius: & ea quæ isti in me per ignorantiam peccauerunt, ne vertas crimini, sed veniam tuam & amorem tuum illis concede, vt & ipsis contingat pars in regno tuo cum electis tuis. Suscipe etiam animam meam cum iis qui à seculo placiti sunt tibi, obliuiscens omnium, quæ tam scienter quàm inscienter commisi. Recordare Domine, inuocantium magnificum nomen tuum, quoniam benedictus es, & gloriosus in secula. Amen. Hæc deprecatus, & cum gaudio collum proferens, beato capite truncatus est vigesimo tertio die Aprilis, egregiam confessionem perficiens, cursum consummans, fidem seruans impollutam. Vnde etiam coronam iustitiæ repositam habet. Hæc sunt maximorum certaminum strenui victoris trophæa. Hæc sunt contra inimicos eius præclara facinora, & prælia gloriosa. Qui sic certauerit, incorrupta atque æterna corona donabitur. Cuius 5 precibus vtinam nos quoque partem iustorum assequamur, collocemurque ad dexteram Domini nostri IESV Christi. Cui gloria, honor, & adoratio in secula seculorum. AMEN.

5 Petit, vt sancti precibus partem iustorum assequamur, collocemurq; ad dexteram Domini nostri Iesu Christi.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOpus Veronensis Pio Lectori.

NE mireris, amantissime Lector, si alteram tibi magni martyris Georgij vitam paulò post primam legendam offerimus. Illam enim ex Veneta à Metaphraste, hanc verò ex Cryptæ Ferratæ bibliotheca à Pasicrate eiusdē beati martyris seruo scriptā habuimus. Quæ licet in paucis quibusdam dissimiles videantur, ea tamen dissimilitudo non in re, sed in ordine potius consistere videtur. Ea verò quæ vnus tacuit, alter suppleuit. Vtraque igitur cum sequente encomio legenti, iucunda erit, cùm in sancti huius martyris gestis enarrandis plurimum conueniat. Fecimus hoc eò libentius, quò apud Latinos nostros de gloriosissimo & celeberrimo martyre

 nihil,

nihil, quod fide dignum esset, legebatur, cùm constet inter apocryphas scripturas connumerari passionem sancti Georgij martyris, quæ olim à sanctißimo Gelasio Papa reprobata est. Ne quis autem putet hanc historiam, quam nos in lucem proferimus à duobus iam dictis autoribus contextam, eandem esse quam ipse beatißimus Gelasius reprobauit, sciat ipsam Orientalis Ecclesiæ testimonio confirmari, in qua singulis annis recitatur in compendium redacta. Itaque posthac habebis, quò in martyris inuicti solenniis animum tuum abundè oblectare poßis. Vale, & sancti huius patrociniis te summoperè commenda. Mira enim sibi ex intimo corde addictis beneficia præstitit, & in posterum præstabit.

MARTYRIVM SANCTI ET MAGNI MARtyris Georgij, à Pasicrate eius seruo scriptum.

Apud Simeonem Metaphrasten.

XXIII. April.

NOstri quidem Saluatoris Iesu Christi regnum cùm æternum sit, neque aliquod temporis principium habuit, neq; vllum vnquam finem habebit. Eius verò omni ex parte laudandus & celebrandus aduentus, quo tempore Dei filius ex Maria virgine carnem sumpsit, & homo factus præsens in terris fuit, per totum orbem terrarum effulsit, Apostolorum doctrina & prædicatione his nunciatus, qui meruerunt vt in sanctorum hominum sorte numerarētur. Quæ res & mirabilis fuit, & naturam omnem ac sapientiam superauit. Multis autem incredibilis visa est propter admirabilem, & quæ hominū opinionem superabat, eius rei magnitudinem. Incredibile, inquam, id visum est illis, qui errori seruiebant. Quamobrem omnes qui terrena & falsa huius mundi gloria detenti erant, diuinæ prouidentiæ mysterium, ignominiam, & nugas quasdam existimabant: sanctaq; illa Dei hominis facti, & salutaris eius regni prædicatio, à Iudæis quidem scandalum, à gentibus verò stultitia putabatur. Et tamen nihilominus Deo ipsi placuit, per multam & admirabilem seruorum suorum tolerantiam humanum genus ad veram ac salutarem religionem conuertere. Accidit autem, vt tempore illo, quo Satanæ ipsius superstitio, & idolorum seruitus in hominibus dominabatur, Diocletianus Romanorum imperio potiretur, qui pestis profectò quædam fuit, & contra Christi gregem fera valde agrestis, inanium idolorum errori nimium addictus. Erat illi amicus quidam, qui sentiebat idem quod ille, & impietate mirum in modum excellebat: huic nomen erat Magnentius, qui secundas in imperio tenebat, & aduersus Christianos insania quadam efferuescebat, colendorumque idolorum impietate nimia efferebatur. Vnà igitur consultarunt, quidnam fieri oporteret ad Christianorum culturam omnino de medio tollendam, & ad omnes homines deorum suorum cultui subijciendos. Erant enim idolorum errori, quo animæ ipsæ perdebantur, valde inhiantes, Apollini præsertim perdendorum hominum duci. Cùm igitur simul consultassent, edicta scripserunt Diocletiani Imperatoris nomine ad omnium Prouinciarum ac regionum Præsides, Tribunos, & qui magistratu aliquo fungebantur. Literarum autem forma hæc erat: Diocletianus Maximus, semper Augustus, æternus Imperator, omnibus per omnem prouinciam, ac Romanorū ditionem Ducibus, Præsidibus, ac magistratu aliquo fungentibus salutem. Quoniam ad diuinas nostras aures fama quædam peruenit, quæ non mediocriter nos perturbauit, hæresim quandam valde impiam eorum qui Christiani dicuntur, vigere cœpisse, quippe qui Iesum, quem Maria quædam Iudaica fœmina peperit, vt Deum colunt: Apollinem verò magnum illum Deum, Mercurium, Dionysium, Herculem, ac Iouem ipsum, per quos nostræ Reipublicæ pax data est, cōtumeliosis maledictis insectantur, venerantes, vt Deum, Christum illum, quem Iudæi, tanquam maleficum, in cruce suffixerunt: hac de causa edicimus, vt omnes Christiani, tam viri quàm mulieres, per omnes vrbes ac regiones suppliciis acerbissimis subijciantur: nisi diis nostris immolare, & errorem illum suum abijcere voluerint. Et si quidem paruerint, veniam illis dari volumus: sin minus, gladio percuti, & morte pessima puniri. Illud autem scitote, si hæc diuina nostra edicta neglexeritis, easdem, quas & illi dabunt, pœnas vos daturos. His literis per omnem vrbem ac regionem propositis, & persecutione magna contra Christi gregem erumpente, ita vt multi ex iis qui valde insignes erant, post plurimos cruciatus animo remissiore facti sint: Diocletianus ipse magis magisque insaniens, omnem Senatum ad se conuocauit, omnesque magistratus, & militares tribunos: qui cùm eòdem conuenissent, rursus consultabat, quomodo ex imperio suo Christianorum genus omnino delere posset. Cùm verò tam ij qui vnà sederunt, quàm qui assisterent Imperatori, metu detenti se id prompto animo facturos dixissent, quod in mentem illi veniret, Diocletianus hanc habuit orationem.

Mihi

Mihi quidem, chariſſimi auditores, nihil noſtra in deos pietate videtur præſtabilius. Nam & imperium ipſum nobis, & hominibus omnibus ſalus ab illis data eſt. Iuſtum igitur cenſemus deos ipſos perpetuis ſacrificiis compenſandos: eos verò Chriſtianos, qui adhuc extant, & deos noſtros contemnunt, omnium generum cruciatibus, tamdiu ſubijciendos, quoad iſtorum impia ſuperſtitio diſſoluatur, & mortis genere turpiſſimo extinguatur. Itaq; ad hæc ipſa omnes vna voce reſponderunt: Nos maxime, inuictiſſimeque Imperator, veſtræ diuinitatis in omnibus prouidentiam amplectimur, & immortales deos honorari volumus, quemadmodum & veſtrum imperium iubet. Si quis verò poſthac extiterit, qui vel cogitatione ipſa Chriſtum nominet, omnium generum morti ſubijciatur. Cùm impius ille Tyrannorum Senatus ad hunc nefarium & peruerſum modum decreuiſſet, & eiuſmodi edicta propoſuiſſet, omniumque generum tormenta contra Chriſtianos homines cogitaſſet, & multi Chriſtianorum inimici diligenter inquirerent (quippe quod aptiſſimum tempus ſibi oblatum viderent) ſi quem Chriſtianum inuenire poſſent: eo tempore, vt in obſcura nocte ſtella quædam clara, & ſplendida effulſit pretioſa illa Chriſti margarita, Georgius, qui fuit meus dominus, & Chriſti miles. Ille multorum deorum errorem, & idolorum ſuperſtitionem, velut nubem quandam, exterminauit: & perfecta, cœleſtique mente ſalutaris prædicationis diem proprio certamine omnibus ea re dignis illuſtrem oſtendit. Qui fœdiſſimi Imperatoris Diocletiani minas nihil metuens, non tam multorum Principum, qui cum illo erant, furorem, non exercitum, non denique propoſita tormenta aliquo modo cogitans: ſed in ea omnia quæ verè terribilia ſunt, intentum animum habens, religioſo cordis ſenſu hæc ſecum dicebat: Quid ceſſas Georgi, cùm Deus ipſe eos inuitet, qui ad eius nuptias ire volunt? Patefactus eſt thalamus nuptialis, cœna parata eſt, quid ceſſas intrare priuſquam ianua claudatur? Præſto eſt nunc Ieſus, qui crucem propter nos ſuſtinuit. Clamat ille: Nolite timere eos qui corpus occidunt, animam verò non poſſunt occidere. Recordare Georgi, Euangelica illa documenta, & verum illud Domini promiſſum: Qui confeſſus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego illum coram patre meo, qui in cœlis eſt. Vitæ huius breuem vmbram, ac citò prætereuntem æternæ illi vitæ ne præferas, neque vanam mundi gloriam cœleſti ſpei anteponas: quoniam omnis gloria hominis eſt tanquam flos agri. Pauliſper ſuſtine, & cum Angelis perpetuò exultabis. Hæc cùm ſecum ipſe voce non elata, ſed tam clara quæ audiri poterat, collocutus eſſet, & conſilio valde bono cogitationem ſuam confirmaſſet, non ſolùm Tyrannorum minas non extimuit, ſed etiam veritatem ipſam verbis ac factis prædicauit, & propoſitam tormentorum multitudiné irridens, ſuis certaminibus maximam ſanctiſſimæ Chriſti Eccleſiæ doctrinam, & pulcherrima reliquit monumenta. Erat ſanctus hic Chriſti martyr Georgius genere Cappadox, nobilis moribus, ac facultatibus valde illuſtris, diuina quadam prudentia ornatus, atq; tribunalibus plurimis functus. Aderat autem tunc ille vnà cum exercitu Imperatori. Cùm igitur tantam inſaniam ab idolorum ſeruis aduerſus Chriſtum exerceri vidiſſet, celeriter pecunias & facultatem omnem ſuam pauperibus diſtribuit. Cumque ſe athletarum more, ad ſtadium ſubeundum exuiſſet, & in medio regij tribunalis, Senatuſque, & omnium militum illic ſedentium, eorumque qui magiſtratu aliquo prædit aſſiſtebant, præſenti animo ſtetiſſet, alta voce: Chriſtianus, inquit, o Imperator, ego ſum, qui fretus vero & cœleſti Deo, ac Rege Chriſto, in medio veſtrûm ſtare non ſum veritus. Miror autem tanto in iſtis idolis colendis errore vos detineri, & æternum ac viuentem Deum ignorare, qui omnium opifex eſt, & tibi regnum iſtud dedit. Quamobrem, Imperator, & omnes qui hic vnà ſedetis, nolite dæmonum errore ac fallacia decipi. Dij enim qui cœlum & terram non fecerunt, diſpereât. Nos verò Chriſtiani vnum Deum Patrem adoramus, & vnum Dominum IESVM Chriſtum filium Dei, per quem facta ſunt omnia, & vnum Spiritum ſanctum Dei, Trinitatem perfectam in vna diuinitate & regno. Quapropter & hic piè viuimus, & poſt mortem vitam æternam expectamus. Veſtra autem ſimulachra quæ colitis, re vera nugæ ſunt, & riſu digna, cum & fabulæ ſint, & nihil veri in ſe habeant. Nam diaboli inuentum hoc fuit, quòd perniciem atque interitum iis adfert, qui mentem illis adhibent. Hæc cùm ille dixiſſet, Magnentius, qui ſecundas poſt Imperatorem tenebat, & illi erat valde charus, intuens in Georgium: Quódnam, inquit, eſt nomen tuum: & quiſnam es tu, qui tantum audaciæ præ te fers? Reſpondit Georgius: Ego primo & præcipuo nomine Chriſtianus appellor: vt verò apud homines vocor, Georgius ſum, cùm ita Deo meo placuerit: oportet enim me copioſum & vberrimum cœleſti Deo meo pietatis fructum offerre. Tunc in eum intuens Diocletianus Imperator, velut ſæuus aliquis draco: Audio, inquit, Georgi, prudentia & fortitudine ſemper te probatum, & honoribus à regali noſtra prudentia dignum fuiſſe habitum. Age igitur, diis noſtris immola, ne peſſimè moriaris, ſed noſtra humanitate magis frui poſſis, & honorem, ac diuitias copioſiores, fiduciamque maiorem apud

nos ipsos assequaris. Ista nunc vana fiducia tua nihil tibi proderit. Ad hæc Georgius: Vtinam, ô Imperator, me ferres, & verum atque vnicum Deum agnosceres, vt & cœleste regnum mereri posses. Ista enim potestas tua ad breue tempus est, tuaque promissa, atque illecebræ nunquam meæ in Deum pietatis stabilitatem commouere poterunt. Tui honores tecum sint, & promissa tua illi habeant, qui tibi obtemperant. Ego enim Christum habeo cœlestem Imperatorem, qui contra satanam & eius ministros victoriam & gloriam mihi præbet. His commotus Imperator, & furore accensus, iussit vecte illum ita verberari, vt eius viscera in terram funderentur. Quo pacto, eius corpus sanguine circunfusum erat: vectis verò, vt plumbum, in posteriorem partem reflectebatur. Tunc dixit sanctus Georgius: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe, quoniam gladium à ministro diaboli sustulisti, & eius contra nos fremitum deiecisti. His commotus Diocletianus, & ira multa repletus, iussit eum de ligno deponi, & in carcerem duci, eiusque pedes in ligno grauiter extendi, & in ipsius pectore lapidem magnum imponi. Lapide autem imposito, qui vix baiulari potuit, alta voce sanctus Georgius dixit: Gratias ago tibi Deus, quòd dignus sim factus, qui onus acciperem, quod pectori & cordi meo imponeretur, quodque meæ in te confessionis stabilitatem firmare debeat. Crastino autem die suggessit satanas Diocletiano, & iis qui cum ipso erant, vt iuberent rotam quandam valde magnam multo & vario artificio componi. Facta igitur fuit rota gladiis vndique armata, in quam iniquus ille Tyrannus iussit sanctum virum inijci. At ille vt in eum locum ductus fuit, & tristem illam machinam diaboli arte compositam vidit, in eam intuens, dixit: Domine Iesu Christe, gratias tibi ago, quòd in hanc sortem me vocasti. Tu igitur qui fuisti fixus in cruce inter duos latrones, & ipse immortalis mortem gustasti, vt à morte hominem eriperes: da mihi, quæso, stabilem & immobilem tuæ fidei confessionem in hac hora, & serua animam meam ab hac diaboli machina. Hæc cùm dixisset, in eam machinam iniectus est, grauiterque depressum eius corpus in multas partes discissum fuit. Quo facto, Diocletianus Imperator, & eius amicus Magnentius elata voce, dixerunt: Vidistis omnes qui hic præsentes estis, quòd non sit alius Deus, nisi Apollo, & Neptunus, Hercules, Iupiter, & magna Diana? Vbi nunc est Georgij Deus? Quare non venit ille, & eum è manibus nostris liberauit? Cùm igitur in rotæ illius torméto eum manere iussisset, ad prandium se contulit. Hora autem decima sonitus magnus è cœlo factus est, & vox hæc: Esto fortis Georgi, & sententiam firmam tene, multi enim per te ad fidem meam conuertentur. Qui verò erant illic carnifices, & eum custodiebant, sonitu illo perculsi, dicebant: Magnus est Deus Christianorum. Angelus autem Domini venit, & è tormento illo martyrem dissoluit: cuius corpus cùm sanum restituisset, illum salutans: Gaude, inquit, Georgi, & crede in eum, qui te corroborat, Christum, & cursum tuum perfice. Ecce enim nos expectamus perfectæ confessionis coronam tibi dari. Surrexit autem Georgius lætus, & proprio Domino gratias agens, inambulansque psalmos illos canebat: Exaltabo te Deus meus Rex, & benedicam nomini tuo in seculum & in seculum seculi. Dirige gressus meos Domine, & non dominetur mei omnis iniustitia. Cumque in eum locum venisset, vbi Apollinis statua erecta erat, inuenit illic Imperatorem, ac Magnentium, & omnes Imperatoris amicos, sacrificia & debacchationes idolis suis offerentes. Cùm igitur propius accessisset, alta voce: Agnoscisne, inquit, me ô Imperator, & eum Deum, qui à me tibi nunciatur: quique me de manibus tuis, & à lætali machina, quam ipse opinabaris morti me tradituram esse, omnino eripuit? Erratis igitur vos idolis sacrificia offerentes. Tunc Imperator in eum intuens: Tu, inquit, quis es? Tunc ille: Georgius ego sum, tuo iussu in rotam coniectus, quem & dereliquisti in multas partes à rota dissectum: me enim mortuũ existimabas: qui & veni vt tibi ostenderem Deum illum, quem tu vt imbecillem contemnebas, posse nos à morte eripere. Tunc Imperator iussit eum detineri: secum tamen cogitabat, eúmque valde inspiciebat, num non ipse re vera, sed eius imago esset, qui morte violenta sublatus fuerat, & eos illuderet. Magnentius autem dicebat similem illi esse. At sanctus Georgius: Ego, inquit, Georgius sum Christi seruus. Ne erretis in istis idolis: sed scitote Christum posse illos etiam à mortuis excitare, qui spem suam in eo collocarunt, eosque à vestris manibus liberare. Cùm verò martyrem ipsum vidissent, & hæc ab illo audiuissent, Anatolius, & Protoleo Tribuni militum crediderunt in Deum cum famulis suis. Itaque alta voce dicebant: Vnus Deus est qui à Christianis colitur: ipse Deus solus. Hæc autem cùm Imperator audiuisset, iussit omnes illos extra vrbem in locis desertis obtruncari. Cùm igitur illi ad martyrium proficiscerentur, vna voce clamabant: Domine Iesu Christe, accipe animas nostras, & in regnum illud tuum, quod nulla successione mutatur, nos perducas, neque tarditatem nostram, quam in tui nominis confessione & fide ostendimus, pro peccato nobis imputes, sed fac vt nihil nos impediat, quo minus redemptionem peccatorum consequamur. Hæc omnia cùm Imperatrix Alexandra de sancto martyre Georgio audiuisset, ipsa etiam Domino credidit: & ad

Imperatorem accedens, liberè clamauit: Christiana ego sum, ego serua sum illius Dei, quem Georgius colit. Hæc cùm illa diceret, Magnentius: Dic, inquit, Imperatrix Alexandra, quare Christum laudans deos ipsos contemnis? Illa verò: Quod melius est ego appetens, id quod ignobilius & peius est, contempsi. Hæc cùm dixisset, domũ rediјt, interea Christi timorem in corde seruans, & fidem immobilem. Imperator autem furore percitus, iussit sanctũ Georgium in lacum conijci ardentem ex materia illa, quæ dicitur asbestos, quæque non nisi post tres dies extingui solet: iussitque custodes ipsos diligenter obseruare, ne insidiæ aliquæ fierent. Post tres autẽ dies Imperator præcepit militibus, vt illuc profecti ossa illius, quem morte violenta interfectum existimabat, tollerent, & cautè in terra occultarent, ne aliquid ex ipsis inueniretur. Cùm igitur milites ipsi ad lacum illum venissent, vnà cum illis & multitudo magna ad spectaculum venit, & materia, quæ asbestos dicitur, sublata, sanctus martyr Georgius inuentus est nulla omnino corporis parte læsus. Angelus enim Domini vnà cum illo erat, Christi curam in eum exercens.

Cùm igitur illum vidissent, omnes clamauerunt: Magnus est Deus Christianorum. Hæc cùm audisset Imperatrix Alexandra, ipsa etiam venit ad eum locum clamans: Vnus Deus est quem Christiani colunt, neque alius est præter ipsum, qui ex omnibus angustijs seruos suos eripit. Crediderunt autem & milites qui missi fuerant, vt eum è lacu illo educerent. His auditis, Imperator iussit magnam militum manum illuc proficisci, & sanctum eum virum comprehendere & ad se ducere, Adducto igitur Martyre, sedens Imperator in tribunali cum Senatu suo: Quis, inquit, est, qui te viuum reddidit? Tum sanctus Christi martyr Georgius ait: Si audiueritis rursus, minimè credetis, illud tamẽ scio Imperator, Christum Dei filium ab omnibus tormentis tuis me seruare: & omnes qui eum inuocant, è laqueis diaboli eripere. Tunc Imperator iussit ferreos calceos componi, clauos rectos habentes, & ignitos, quibus eius pedes induti huc atque illuc agitarentur. At sanctus martyr cùm sic agitatus ambulare non posset, secum dicebat: Propera Georgi ad sortem illam quæ te apprehendit. Et lachrymans ita Deum precabatur: Domine Deus meus, Saluator eorum qui affliguntur: refugium illorum qui persecutiones patiuntur: patientia eorũ qui nominis tui causa ærumnas perferunt, ne me derelinquas: sed da mihi patientiam vsque ad finem, ne dicat inimicus meus: Præualui aduersus eum. Cùm primum autem preces compleuit, venit vox è cœlo dicens: Esto bono animo Georgi: tecum enim sum. Statim autem eius corpus sanatum fuit. Cumq; martyr in carcerem coniectus fuisset eo die, qui deinceps consecutus est, ante tribunal stetit. Imperator verò ille dixit: Quousque temeritatem tuam ostẽdens, tormenta feres, & magicis artibus indies magis vtens, nos à te deceptum iri putas? Ausculta igitur mihi, & dijs immola. Tum Georgius Imperatori, & his qui cum illo erãt: Ego, inquit, Dei mei auxilia expectans, & omnia vestra tormenta sustinens sanus ante vos consisto. Solius igitur Dei potentiã testimonio meo cõfirmo, qui & paratus sum omnes vestros cruciatus perferre propter spem, quam in Christo meo collocaui. Vos autẽ, quæso, quam spem habetis in istis idolis, quæ cùm vitæ sint expertia, & nihil sint, à vobis tamen frustra coluntur? Ne igitur amplius vestræ ruinæ commune ludibrium alijs proponatis, pudeatque vos tandem Deos nominare illos ipsos, qui luxurijs, nugis, fabulis, & cædibus studẽtes in hoc mundo paulùm vixerunt: & nunc igne illo qui nunquam extinguetur, puniuntur, qui & vos omnes expectat, à quibus dij coluntur. Hæc cùm Imperator & senatus audiuissent, iusserunt neruis quibusdam ingentibus mirum in modum martyrem verberari. Cumque id diutius fieret, Imperator & Magnentius ei dixerunt: Quousque miser, non nobis obtemperans diis ipsis immolabis, vt honoribus magnis doneris? Ego, inquit sanctus Georgius, viuenti Deo quotidie sacrificium laudis offero, qui me liberabit de manibus vestris, & cœlesti honore atque gloria donabit. Vtinam vos potius mihi obtemperaretis, & mecum vnà verum Deum coleretis. Tunc Magnentius ab Imperatore petiuit, vt eum solui iuberet. Cùm igitur ille stetisset, Magnentius dixit: Si vis nos Deo tuo credere, ostende nobis signum aliquod, quod ab illo fiat, & vnum aliquem ex his mortuis qui iacent, fac è tumulo coram nobis exurgere. Cui sanctus Georgius: Manifestum, inquit, iis qui rectè sentiunt hoc est, Deũ ipsum qui è nihilo omnia creauit, posse mortuos etiam homines in vitam restituere. Quamuis autem vos diaboli errori detenti, neq; hoc facto in Deum viuentem credituri sitis, tamen eius multitudinis causa, quæ hic præsens est, Dei mei benignitate cõfisus, ante omnium vestrum oculos Deum ipsum inuocabo, & orabo vt signum hoc ostendat. Cumque genua 3 flexisset, 3 *Orat sanctus primum cum genuflexione, deinde cum manuũ in cœlum extẽsione.* & diutius Deum orasset, surgens & manus in cœlum extendens, dixit: Æterne Deus, qui vis omnes homines saluos fieri, qui per sanctos Apostolos tuos, vnigeniti filij tui omnium generum signa & prodigia effecisti, vt gentes conuerterentur, & te cognoscerent: tu ipse & nunc exaudi preces meas humilis serui tui, & exsuscita vnum è mortuis iacentium in hoc tumulo, de quo Magnẽtius dixit, in gloriam & fidem nominis tui, & vnigeniti Iesu Christi.

Repentè verò terræmotus magnus eo in loco factus est: & tumuli, vbi mortui iacebant, tegumentum in terram cecidit, & vnus è mortuis iacentibus exijt. Qui cùm venisset, ante pedes sancti Georgij decubuit, eumque precatus dixit: Serue Dei altissimi, quæso dignum me facias Christi sigillo & salute. Cui sanctus Georgius: Si credis, inquit, in Deum, qui mortuos viuos reddit, saluus fies. Credo, inquit ille, in Deum viuentem, & vnigenitũ eius filium Iesum Christum, qui nunc per orationem tuam me à mortuis suscitauit. Imperator verò stupore & perfidia repletus, eum interrogabat: Quando tu mortuus es? Et quisnam antea fuisti? Cui mortuus ille respondit: Ego antequam Christus in terram veniret, vnus fui ex his, qui errore idolorum detinebantur: quamobrem in locis obscuris tam multis temporibus cum ijs qui mecum vnà senserunt, hucusque mansi. His igitur visis & auditis, plurimi ex eo populo, qui præsentes erant, ac milites, in Deum crediderunt, & Christi gloriam collaudârunt. Id autẽ cùm Imperator vidisset, amentia & furore magis repletus, dicebat Georgium magum esse, & à spiritu illuc adductum, vt eos in errorem impelleret. At beatus Georgius: Quousque, inquit, erratis, & viuenti Deo blasphemias dicitis? Scito Imperator, neque dæmones ipsos tales esse, qui Christi nomen audire patiantur. Quomodo igitur, quæ vidisti, & audisti, dæmonis nomine fieri potuissent? Tunc rursus iussit Imperator sanctum martyrem Georgium in carcerem duci: & ipse in palatium reuersus est. Cùm verò ille esset in carcere, omnes qui ad Christi fidem conuersi fuerant, nocte ad eum veniebãt, à carceris custode muneribus aditum impetrantes. Et cùm ad Georgium ingressi essent, ab illo in Christi fide cathecumeni efficiebantur. Sed & quicunque homines diuersis morbis laborabant, ad eum ferebantur: & qui aliquos cæcos habebant, ad eum illos deducebant. Ille autem precibus eos curabat. Glycerius verò quidam homo rusticus cùm araret, bos, quem vnum habebat, cecidit, & mortuus est. Ille cùm ad carcerem venisset, ad pedes sancti Georgij se abiecit, dicens: Domine, bouem vnum vtilem habebam, quo terram colebam, & ita nutriebar: nunc autem ille cùm sub aratro ceciderit, mortuus est. Precor igitur te, vt Deum ores, & bos meus viuus restituatur: futurum enim scio, vt Deus tuus te audiat. Sanctus autem martyr Georgius respondit: Si credis Deum meum, bos tuus viuus exurget. Credo, inquit Glycerius, non esse alium Deum, nisi eum solum, qui Christianorum est. Tum Georgius: Vade, inquit, nam bouem viuentem inuenies. His verbis ille credens, abijt: cumque bouem viuum inuenisset, rediit clamans: Magnus est Deus Christianorum. Illum autem hæc dicentem carnifices & milites comprehensum ad Imperatorem duxerunt. Quare Imperator turbatus, neque appellationem ipsius audire passus, eum iussit minutatim secari. At ille, cùm in Christi confessione cruciaretur, clamauit: Deus verax, qui omnia effecisti, ne me reprobes vas inutile, quoniam credidi tibi Patri, & Filio, & spiritui sancto. Metuo autem quoniam sine sancto baptismate tuo sum. Volebam quidem baptismate lauari, sed id antea facere non potui. Verùm si volueris tu Domine, saluus fiam. Precor igitur te Domine, vt sanguis meus pro baptismate mihi reputetur, quoniam Deus es, qui corda hominum, & propositum cognoscis, & animum inquiris. Venit autem vox ex alto hæc dicens: Veni Glyceri lætus ad me: perfectus enim eris apud me. Itaque Glycerius martyrio consummatus est. Delatum autem fuit Imperatori Diocletiano, multos esse qui venirent in carcerem, & à sancto Georgio docerentur, quos omnes ille ad se traheret plurimos ægrotos curando. Tunc iussit Imperator sanctum Georgium ad se duci. Magnentius verò dixit Imperatori, Christianorum genus morte non domari, cùm valdè sit contentiosum. Itaque virum istum, inquit, comitate potius & blanditijs aggredere, si vis ei persuadere, vt dijs immolet. Sanctus autem Georgius, cùm ad Imperatorem veniret, psalmum hunc canebat: Deus in adiutorium meum intende: Domine ad adiuuandum me festina. Ductus igitur ad Imperatorem, præsto illi fuit. Tunc Imperator hortari eum ita cœpit: Per solẽ illum, & deos omnes, si me audieris, Georgi, & dijs nostris immolaueris, facultates multas tibi largiar, & in palatio apud me secundas habebis. Indulgeo enim tibi: & malo te mihi obtẽperantem viuere, quàm repugnantem mori. Bene, inquit sanctus martyr, nunc loqueris. Vtinã & antea ijsdẽ verbis vsus fuisses. Nunc autẽ post tot cruciatus vbinã iniuriam qua me affecisti, compensatã inueniã? Cui Imperator: Cõdona mihi, ô Georgi, tanquã parenti crimẽ istud, & dijs immola, ac mecũ in palatio viue. Tũc sanctus Georgius: Quoniã, inquit, omnino teipsum mihi purgasti, hac in re tibi ego inseruiã. Vbinã sunt dij tui? Eamus ad illos.

Hoc Georgij dicto Imperator exhilaratus, iussit omnem Senatum, & exercitum vnà cum populo ad templum conuenire, præconesque omnes per totam vrbem clamare, Georgium illum Galilæorum mysterijs eruditum, ad magnum Apollinem adire. Hac re audita, Græci omnes epulantes clamabant: Apollo vicit: Imperator Diocletiane, in æternũ regnes: magni sunt Imperatoris dij. Cùm verò in templum omnes introiuissent, & silentium factum fuisset, stans sanctus Dei homo Georgius, & in statuam Apollinis intuens, ait: Túne Deus es? Num

Num ab hominibus te coli oportet? Hæc cùm dixiſſet ſpiritus ille impurus, qui propè ſtatuam illam permanebat, clamauit: Non ſum ego Deus, neque qui mecũ ſunt, ſed vnus eſt Deus verus qui fecit omnia, & eius filius Chriſtus, per quem fecit omnia. Nos angeli ipſius eramus, cumq́ue ab eo defecerimus, dæmones nominamur, à quibus & homines ipſi decipiuntur. Cui Georgius: Si dij vos non eſtis, quare homines ipſos decipitis? Quomodo autem & nunc audetis hic manere, cùm ego Dei ſeruus hic ſtem, ſuper quem inuocatus fuit & nunc inuocatur Chriſtus verus Deus? Statim autem tumultus magnus factus eſt & clamores, tanquam lamentantium dæmonũ, omniaq́ue templa & idola vnà ceciderunt, & comminuta ſunt, cùm ſanctus ille vir vnà cum verbis, quæ ſuprà retulimus, Crucis quoque 2 ſignum feciſſet. Id cùm Græcorũ ſacerdotes vidiſſent, aduerſus ſanctum Georgium irruerunt. Quo detento, clamârunt: Tolle hunc, imperator, tolle hunc veneficum, qui magicis artibus omnes decepit, & deos ipſos euertit. Imperator autem tum dæmonum fallacia, tum plurimo illo ſacerdotum clamore in iram cõcitatus, dixit ſancto Georgio: Homo peſſime, atque omni errore & veneficio referte, nónne mecum conueniſti, te Apollini ſacra facturum? Cui martyr Chriſti Georgius: Inſipiens, inquit, & impudẽs Imperator, ego meum ſacrificium Chriſto meo vero Deo obtuli: propterea omnes dij veſtri euerſi ſunt. Scito igitur ſaltem nunc, eos neque ſibi opitulari poſſe: idola enim ſunt ſenſu carentia, & dæmones, qui ſtolidos homines decipiunt, ſed à Chriſti ſeruis euertuntur. Tunc imperatrix Alexandra cùm hæc audiuiſſet, ad Imperatorem accurrit, & coram ipſo clamans hæc dicebat: Tu Deus Georgij inuicti militis tui, propitius eſto mihi ſceleſtæ mulieri, neque recorderis, Domine, eorum quæ per inſcitiam commiſi: ſed reſpice hanc meam extremam mutationem, & da mihi, vt partem habeam cum Chriſtianis, & cum ſeruo tuo Georgio. Hæc cùm illa ſummis clamoribus & lachrymis diceret, multitudo magna in Dominum Ieſum credidit, præſertim propter miraculum illud idolorum, quæ comminuta ſunt. Iratus igitur Imperator, aduerſus Alexandram & Georgium ſententiam tulit, & ſancto illi martyri dixit: En, peſſime Georgi, etiam Imperatricem à te deceptam morti ſubieciſti. Vade igitur & tu vnà cum illa, & digna tuis in deos blaſphemijs pœnam ſuſtine. Legit autem ſententiam quæ ſic habebat: Georgium Galilæorũ diſcipulum, qui decretum noſtri imperij violauit, neque deos ipſos coluit, quin etiam Imperatricẽ ipſam corrupit, iubemus gladio percuti, eiuſq́; & Alexandræ ab eo deceptæ capita truncari. Statim igitur eos comprehenſos extra vrbem milites duxerunt. Cùm autem Alexandra prompto animo ad brauium ſibi optatiſſimum vnà cum martyre illo adiret, & animo & mente Deum precaretur, vt labiorum motus, & oculi ad cœlum erecti ſignificabãt, aſſedit in quodam loco, & animam ſuam Domino in pace reddidit. Cùm ergo ſanctum Georgium ad martyrij locum milites duxiſſent, ad ipſos conuerſus: Expectate, inquit, pauliſper fratres, vt Deum precer. Quod cùm illi conceſſiſſent, in cœlum 3 oculos & manus erexit, ac gemitu emiſſo, dixit: Deus meus, qui es ante ſecula, ad quem ego à iuuentute mea confugi, tu qui bona & vera es Chriſtianorum expectatio, & certa ſeruorum tuorum promiſſio, ac perennis theſaurus, qui antequam à te aliquid petatur, dona præbes his qui te diligunt, exaudi me Domine. Tu qui dediſti mihi martyrij confeſſionem, & ad finem vſque patientiam: Tu, inquam, & nunc accipe animam meam, eamq́ue ab aëreis & inimicis ſpiritibus libera, ac me vnà cum ijs qui tibi grati fuerunt, collocare digneris. Dimitte & gentibus quæcunque contra me fecerunt & contra ſeruos tuos, qui inuocant ſanctum nomen tuum. Illumina ipſos, vt veritatem tuam agnoſcant, quoniam omnes vis ſaluo fieri. Emitte auxilium inuocantibus nomen tuum Chriſte. Da ipſis timorem tuum, & charitatis in ſanctos tuos deſiderium, vt eorum memoriam retinentes, ipſorum etiam fidem imitentur, vt digni efficiantur vnà cum ipſis vita cœleſti, & regno ſempiterno: quoniam tuum eſt regnum & gloria Patris, & Filij, & Spiritus ſancti in ſecula. Amen.

2 *Nota virtutem ſigni Crucis.*

3 *Et hic orat ſanctus oculis & manibus in cœlum erectis.*

Has preces cùm ſanctus Chriſti martyr Georgius compleuiſſet, genua ipſa inclinauit, & collum ſuũ extendit, & à carnifice percuſſus dormiuit in Domino, vigeſimo tertio menſis Aprilis, diei qui Paraſceue dicitur, hora ſeptima. Ego verò ſancti Georgij ſeruus, nomine Paſicrates, ſecutus dominum meum, omnia hæc vera in commentarios collegi. Beatus certè eſt, qui in Chriſtum verum noſtrum, & Saluatorem crediderit. Cui gloria eſt & imperium in ſecula ſeculorum.

AMEN.

ENCO-

ENCOMIVM IN SANCTVM MARTYREM GHRISTI Georgium, quod habitum fuit in die, quo eius martyrium celebratur.

Per eundem Simeonem Metaphrasten.

Semper quidem splendida, & omnium ore laudata sunt sanctorum martyrum monumenta, cum primis verò laudabile & gloriosum est, quod hodierno die celebratur. Præsens enim memoria Martyris non solùm eorum quæ Dominus passus est, imitationem continet athletico certamine decorata, & verni temporis splendore (hoc enim tẽpore eius dies 4 festus agitur) pulchrior facta, verùm etiam hilaritatem, quæ ex sublimioribus Domini Iesu Christi diebus festis proficiscitur, abundè participat. Hic enim inter hos dies, tanquam inter duos soles proprio motu se vertentes, velut luna quædam, interiectus, vtriusque splendoribus illustratur, & radijs Christum imitantibus orbem terrarũ illustrat. Ante illum quidem effulsit, & cum lucidissima splendentis auroræ hora exortus est, vel statim consequentem, aut cõtinuam potius eam horã habuit dies ille 5 festus à toto mundo celebratus, omniumque splendidissimus ac præcipuus. Saluatoris, inquam, Christi veri Dei, & nostri Domini, & martyrum principis, crucem passi ac resurgentis, qui propter nos homo factus est, & propter nostram salutem martyrium sustinuit sub Pontio Pilato, vt est in sacris literis: quique ijs quæ ipse passus est, victoriam contra mortem nobis largitus fuit: Idem quoque beati martyris Georgij dies festus meritò consequentem habet eiusdem Christi ad cœlos assumptionem, quo die humanam nostram naturam in seipso vnà cum Patre collocauit. Quæ res non casu euenit, sed horum dierum concursu veræ charitatis œconomiam, & manifestam rerum diuinarum cognationem significauit, ita Christo ipso, cuius causa martyrium susceptum fuit, summam in eum qui illud suscepit, charitatem suam nobis ostendente, vt non solum his qui passus est, eius similitudinem exprimeret, sed in ipso etiam die quo passus est, se similem ostenderet. Hæc eadẽ celebritas, & alias omnes quæ martyribus in toto anno dicatæ sunt, antecedit, cùm sola hæc post sanctam Christi resurrectionem verno tempori ac splendori pręsideat. Quoniam igitur hæc athletica panegyris, ac celebritas his finibus circumscribitur, operæpretium est deinceps & eiusdem decus per partem explicare. Celebritatis autem decus est tum salutaris oratio, tum diuinum aliquod opus, Græcis quidem & Barbaris, omnibusque alijs, in quibus idolorum error dominabatur, diei festi honestas & iucunditas erat, omni turpitudine & intemperantia dæmones colere. Nobis verò quibus Crucis trophæum contra mortem datum est, diuersum proponitur, hoc est omnibus certaminibus illos ipsos dæmones expugnare ac redarguere. Quamobrem voluptatum dissolutio, vt turpissima res nobis inuisa est: labor autem, qui pro virtute, & mors quæ pro pietate suscipitur, vt suauissima quædam res, à viris fidelibus prætercætera exoptatur. His rebus factum est, vt idolorum error deletus sit, & Martyrum multitudines effulserint, atque terrestria loca cœlum sint effecta, sanctis viris, velut stellis quibusdam exornata. Nam huiusmodi quotidianæ celebritates terrarum orbem continent Martyrum tropheæ, eorumque reliquias honorantem & certamina illa quæ martyres obierunt, pleno cœtu celebrantem: certamina, inquam, illa, quæ communis hostis malitiosè tulit, Dei cultum, & nomen illud quod alijs commune non est, per idola ipsa sibi vendicare contendens. At Deus omnium & Saluator, & stadij Princeps, pro sua in homines charitate concessit, humanam naturam aduersus illum victricem euadere, vt à quibus studebat tanquam Deus adorari, ab ijsdem, vt mortuus, & pedibus conculcatus, irrideretur. Quoniam igitur idolorum insania, & caligo eo tempore per omnem terrarum orbem effusa, propemodum in eas partes quæ non habitantur, repleuerat, omnibus ferè ad impietatem sponte se conferentibus, & eum qui verè Deus est, summæ obliuioni tradentibus, tenebris, & longæ noctis compedibus irretitis hominibus illis, qui dæmonum culturam plurimi faciebant, & vanis spectris, tanquam miraculis quibusdam, perterrefactis, indies superstitiosiores efficiebantur impietatis duces, & amatores studiosissimi: Diocletianus, inquam, & Magnentius, eorumque per omnem vrbem satellites, instar suum, ad impietatem irruentes, studiosè in pessimis rebus versabantur, & non erat respectus morti eorum: ambulantes enim ambulabant in lumine ignis sui, neque firmamentum erat in plaga eorum, cùm Deus ipse diuturna patientia illos prosequeretur, vt qui iusti essent, manifesti fierent, ne hominum natura imperfecta penitus perderetur, frumento vnà cum zizanijs exciso. Tunc, velut stella quædam in die apparens, lætum pietatis fulgorem emittens illustris hic, & omnium voce decantatus Georgius apparuit, qui & nomine & re fructuosus extitit: Georgius, inquam, qui & nomine ipso diuinum factum, & facto gratiam nomini congruentem in seipso ostendit, qui Issachar imitatus est, & diuinæ agriculturæ bonitatem amore prosequutus fuit: qui laboriosam culturam ama-

4 *Dies festus sancti Georgij.*

5 *Dies festus Dominicæ resurrectionis à toto mundo celebratur.*

amauit: & vt scriptum legimus, ipse ab altissimo Deo agricultura effectus est, qui vt bonus agricola, à teneris vnguiculis laborauit, & fructum centuplo copiosiorem suo tempore Domino reddidit: qui aratro virtutis suauem pietatis sulcum recta via duxit, ob idque aptus regno cœlorum probatus est, qui cum lachrymis sementem iecit, & cum exultatione messem collegit: qui cum luctu semina ipsa sparsit, & gaudens manipulos reportauit: qui fuit terra bene culta, quæ sæpe in se venientem Spiritus sancti pluuiam ebibit, & salutarem herbam his peperit, qui eam decerpunt cum fide. Hic fuit campus ille ordinatissimus, in quo pietatis flores abundè floruerunt, ex quibus faui mellis sponte producuntur, quorum dulcedo curatio quædam est animæ. Hic fuit arbor illa fœcundissima iuxta fluuios Spiritus sancti sata, & perpetuò florens, semperq; maturos virtutis fructus ferés ad illorum animos excolendos qui talium fructuum cum fide participes fiunt. Hic fuit feracissimus veræ illius vitis palmes, cuius agricola est pater cœlestis, qui spiritualem iucunditatem per ipsum nobis excolit ad nostros effectus curandos, & animam & corpus renouandum. Idem fuit & diuinarum aquarum fons, ex quo animæ steriles irrigatæ & excultæ, fidem, spem, charitatem, virtutum trinitatem diuinæ Trinitati amabilem produxit. Hic fuit diuinarum cogitationum cultor, & ipsius Dei ager, in quo pietatis gratia exculta fuit, & miraculorum copia, quæ omnibus vsui sit, excolitur. Solet enim appellatio ipsa Dei gratiam & hominum virtutem indicare. Id quod in Abraham, in Sara, Isaac, Iacob, Moyse, & in alijs multis factum didicimus. Talis fuit & nomine & re Georgius. Hic vt rosa quædam in medijs spinis tunc exortus, & tanquam lilium ex fœtida herba suauem pietatis odorem emittens, in medio idololatriæ cœno extitit: vt cupressus in ea regione, in qua rubi sunt: tanquam oliua fructifera in solitudine: & vt palma dulces reddens fructus olim amaros: vt luna plenum lumen emittens in nocte valde tristi: denique vt fax quædam in obscura caligine: & vt matutina stella in medijs nubibus ac tenebris, ijs qui errabant in pelago impietatis, lucem præferens: vtque sol in densa aliqua caligine lætum splendorem emittens. Quòd si vndénam bonam generis sui originem sortitus ille fuerit, scire cupis: res ipsæ, tanquam voce missa, testantur, Dei filium hunc esse, & Hierosolymæ illius ciuem, quæ superna ac libera est. Quotquot enim receperunt eum (vt ait ille qui fuit & Christi Discipulus & virgo) dedit eis potestatem filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius: eiusmodi fuit Georgius, qui generis sui nobilitatem factis comprobauit.

Quoniam verò & terrenam eius nobilitatem scire cupis, patria ipsius fuit Cappadocum regio, altrix verò Palæstina, Christianus inde vsque à proauis, ætate iuuenis, sapientia canus, corde rectus, & vtraque re aduersus impietatem exultans: qui in armorũ certaminibus bene ab ipsa pueritia excelluerat, ac fortitudinem bellis gerendis conuenientem ita exercuerat, vt militaris ordinis Tribunatus eius fidei commissus fuerit. Cumque illud munus administrare ipsi opus fuisset, ac multis in rebus sæpe viriliter se gessisset, multámque rei bellicæ scientiam sibi comparasset, & maiorem gradum appeteret, maiorem nimirum assecutus fuit. Nam cùm eas opes, quæ à patribus ad eum peruenerant, accepisset, ad eum qui tunc erat Imperatorem cucurrit: idemque ferè illi euenit, quod Saul olim euenerat. Ille enim cùm asinas inquireret, regnum terrestre inuenit: hic mundani honoris gradum exquirens, regnum cœlorum sortitus est: quodque præter opinionem accepit, maius eo fuit cuius causa illuc venerat. Cùm enim illuc venisset, & Deum ipsum contemni, dæmones verò coli vidisset, non tulit eam rem homo ille pietatis studio flagrantissimus: sed cùm cogitaret illud Dauidis dictum: Vidi præuaricantes, & tabescebam. Item illud: Tabescere me fecit zelus tuus, quoniam obliti sunt verba tua inimici mei. recordatus etiam id quod Dominus ait: Quicunque confessus fuerit me coram hominibus, confitebor & ego eum coram Patre meo, qui in cœlis est; diuino zelo inflammatus, suamque cogitationem tanquam telum quoddam, exacuens, festinauit diuina promissa præripere, ac Deum ipsum per suam in eum confessionem vicissim sui confessorem acquirere. At ne illi per angustam portam introire aggredienti terrenarum facultatum cumulus impedimento foret, sed martyrium ipsum validius ac nobilius illis sibi parare posset, necessariò faciendum iudicauit, vt diuino præcepto ritè vteretur: quod præceptũ Dominus ille, qui eiusmodi certaminibus præsidet, dedit adolescẽti, qui diues erat, cùm sic ait: Si vis perfectus esse, vẽde quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis: & veni, & sequere me. Id quidem prior ille adolescens animo non prompto, sed segni accepit: at posterior hic iuuenis libenter executus est: nã pecuniarum 6 onus deposuit, & in manus pauperum pecunijs traditis pretiosam regni cœlestis margaritam emit, thesaurumque illum, qui sic in eo regno conditus est, vt rapi nõ possit, sibi comparauit. Cùm igitur ex ea re suum animum perfectè confirmasset, eumque diuino amori affixisset, auaritiæ, quæ animorum corruptela est, impulsorem diabolum euertit, & primam hanc coronam aduersus illũ arripuit, eamq; ad sublimioris victoriæ adiumentum, ac signum mente

6 Vide veram Euangelicam paupertatem.

mente & animo comprehendit: ipsorum denique pauperum precibus seipsum cōmuniuit, & ex ijs ipsis victoriæ spem bonam certa fide collegit. Ita fidenti animo, tanquam leo cùm suam crucem sustulisset, ad bellum contra impietatem gerendum prosilijt. Bene enim norat sapiens ille vir, eleemosynis & multa fide peccata expurgari, quæ sunt victoriæ impedimenta. Eleemosyna enim à morte præter cætera liberat. Super scutum potentis, & super lanceam aduersus inimicum tuū pugnabit pro te: inquit filius Sirac. Hac igitur re prius communitus, & athletico more, ac fidenti animo ad pugnam egressus, non aliqua corporea, sed illa Spiritus sancti armatura se induit, quam Paulus Apost. docuit. Lumbos enim in veritate præcinxit, & iustitiæ thorace se induit, pedesque calciauit in præparatione Euangelij pacis, assumitque galeam salutis, in omnibus suscipiēs scutū fidei, quod extinguit omnia tela ignita diaboli: & gladiū spiritus, quod est verbum Dei. Hac igitur armatura, quæ corporeis oculis non cernitur, sed spiritu & mente comprehenditur, seipsum communiuit, quoniam non aduersus carnem & sanguinem bellum susceperat, sed aduersus principatus & potestates, aduersus rectorem mūdi tenebrarum, contra spiritales res spiritali more armatus, ac ferè Apostolicum illud eulogium clara voce pronuncians: Arma nostra non sunt carnalia, sed potentia Deo ad euersionem munitionū. Statim igitur cùm è cœlo adiutorem sibi euocasset illum ipsum, cuius causa certamen proponebatur: cumque animos in sua natura insitos concitasset, & Eliæ prophetæ zelum suscepisset, iustaque ira vsus fuisset, per arma iustitiæ dextra & sinistra iustitiam adortus, inuenit quodam in loco Imperatores illos nomine imperantes, re autem vera impietati deditos: quippe in imperio ipso aduersus eū, qui illis imperium largitus fuerat, abutebantur. Vidit & infinita tormentorum genera, non aduersus illos proposita, qui aliquid iniustè fecerant, sed contra eos, qui pietatem seruabant, variis tribubus, gentibus & linguis circa eos Imperatores armatis consistentibus. Cùm verò & illos Georgius audiuisset nefaria quædam pronunciantes, ac futurum minantes, vt si quis Christū nominârit, ijs tormentis sine misericordia aliqua cōsumptus moriatur, diuino spiritu feruescēs, Machabæorum exemplo, renes præcinxit, & furorem iudicio adhibito exercuit, & velut leo fremens, validum & toruum aspectum præ se ferens, & minas ipsas non curans, in medium aduolauit, clara voce se Christianum pronuncians, & manifestè, quanta esset pietatis nobilitas, ostendens. O animum verè diuinum & Dei charitate comprehensum, totumque ipsi Deo inhiantem. O beatam vocem, quam edidit Christi nomen ferens Georgius, qui & à Deo ipso accepit pietatis semina, eaque multo pòst tempore bene in suo animo exculta oportunè ipsi Deo perfecta reddidit. Eam, inquam, vocem, cùm aër ipse accepisset, sanctitatis cuiusdam particeps factus est, Angeli verò è cœlo intonuerunt, Archangeli acclamauerunt, omnesque cœlorum virtutes mirum in modum exultarunt: sed & omnium Dominus & Deus iustum & consentaneū esse censuit, vt illius animi studio atque alacritati auxilium adferret, & incorruptam victoriæ coronam ei pararet. Impiorum autem caterua obstupuit, eorumque imperator diabolus audita voce illa, lætalem plagam accepit. Et ille quidem generosus Christi athleta pergebat clara voce Christum Deum confiteri. Eos verò, qui ab ipsis colebantur, dæmones esse, eosque errare ac delirare affirmabat, qui fallacijs & calumnijs vtuntur, vt eos probent deos esse, qui non sunt: demonstrabatque turpia quædam esse, non deos, aut diuinas res quas loquerentur. Denique illis blasphemias proferentibus ora obstruens, admonebat homines illos, vt ab errore in quo erant, tandem resipiscerent, & vnum ac solum, verumque Deum cognoscerent. Postremò illud diuinarum literarum eulogium crebrò repetebat: Qui non fecerunt cœlum & terram, pereant. At illi omni fraudum genere vtentes, omnibus modis Athletam tentabant, nihil non dicentes, nihilque non facientes, ac modò sermones blandos, & oleo ipso leniores proferentes, modò nudis atque apertis minarum iaculis eum ferientes. Interdum autem simulabant se illius prudentiam & generis splendorem, atque in bellis gerendis fortitudinem admirari, & ipsius iuuentutem misericordia prosequi. Itaque illum adhortabantur, ne immaturam mortem suaui huic vitæ temerè præferre vellet: simul etiam honorum & pecuniarum munera non vulgaria illi proponebant: Postea tormentorum genera, & plurimas mortis vias minabantur, mortemque non breuem, sed longam & tristem eum passurum, si eorum monitis acquiescere noluisset. At firmus ille, & fortis Christi miles, qui Deo ipsi magis quàm hominibus parêre, & obedientia illa quæ Deo præstatur, nihil valentius esse didicerat, nullo pacto mutatus, aut illorum minis succumbens, sed subdolas eorum adulationes redarguens, responsorum austeritate eas à se repellebat: fraudulenta verò promissa, vt vilia quædam pro nihilo faciens, respuebat: impiaque consilia, tanquam pestifera quædam venena, propulsabat: & minas ipsas animi, qui omnia perpeti paratus erat, alacritate irridebat: eosque vrgens admonebat, ne quod facturi essent, diutiùs morarentur, sed statim periculum facerent, ac certiores fierent, an verè ita esset paratus vt aiebat: illud denique clara voce

dicebat:

dicebat: Meus amor crucifixus est. Vndique igitur (vt summatim dicam) inexpugnabilis erat vir ille, neque ab inimicis aliqua ex parte capi poterat. Quis me, inquiebat, separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an persecutio, an fames, an nuditas, an periculũ, an gladius? Certus enim sum, quòd neque mors, neque vita, neque Angeli, neque principatus, neq; potestates, neq; virtutes, neq; præsentia, neq; futura, neque creatura aliqua alia poterit me separare à charitate Christi: nam mihi viuere Christus est, & mori lucrum. Atqui non sermone tantùm cum aduersariis congrediebatur, sed re etiam ipsa prudenter & efficaciter se aduersus illos instruebat, tanquam fortis aliquis bellator, robur & fortitudinem suam non solùm in feriendis aduersariis exercens, sed in iis etiam plagis, quæ ab ipsis illatæ sunt, fortiter perferendis, corpore & spiritu se validum præbens: illo tormenta patiens, hoc autem eos vicissim feriens. Illi enim eius corpus flagellis verberabant: hic verbera ipsa patienti & generoso animo ita superabat, vt ipsi magis cruciarentur, cùm non possent id assequi quod volebant, quàm ipse qui flagellis verberabatur. Nimirum illi sanctum Georgium vecte quodam verberari iusserunt. Cumque vectis ipse, instar plumbi, retusus fuisset ad eorum propositum inane redarguendum, spe decepti ad alia tormenta conuersi sunt: & tormentis grauioribus eum subijcere conabantur, lapide quodam ingentis magnitudinis, cùm ille in carcere seruaretur, per totam noctem supra ventrem imposito, præterquã quòd eius pedes ligneo compede astricti erant, aliis quàmplurimis & grauioribus tormentis adhibitis. Quibus cùm athleta ille nimium laborasset, & ferè defecisset, postremò vehementissimum quoddã tormentum intulerunt. In rotam enim eum efferentes, generosi hominis constantiam se fracturos arbitrabantur. Circa quam rotam cùm, instar scorpionis alicuius, ille magnæ mentis vir lumbos deflexos teneret, & protenderetur, & opposita reuolutione eius spiritus coarctaretur, omnia ipsius membra, & artus è suo loco dimoti sunt, carnesque confractæ, ac languidæ effectæ: simúlque acutis accommodatorum instrumentorum cuspidibus in multas partes ipsius corpus dissectum, multo sanguine fluente tormenta illa cruentauit. Itaque ab hominibus illis cæcis, ita vt erat, derelictus fuit tanquam mortuus, multisque hymnis ob eam rem deos ac dæmones illos suos ipsi celebrarunt. Sed iidem etiam magis erubuerunt, cùm sanum eum vidissent, quem vt mortuum dereliquerant. Cùm enim Christus ipse omnium vita, verus Deus ac Saluator, simul & à vulneribus & à tormentis eum liberasset, custodésque ipsos perterrefactos illinc abegisset, iterum victor ille validiora certamina subire cupiens, concitato gradu ad impios illos homines prodiit, ac stetit, tam verbis quàm factis inuictam Christi potentiam ostendens. Erat enim re vera visu admirabile spectaculum illud, formidolosum, atque horribile, quod pariter & fideles homines confirmabat, & infidelibus ora obstruebat. Illi autem & re inopinata perculsi, & perscrutando certiores facti, non inane, aut falsum aliquid, sed verum esse quod viderant, pro eo quòd resipiscere debebant, deteriora quædam tormenta, & magis violenta generoso illi viro intulerunt. Materia enim eum obruerunt, quæ asbestos dicitur, hoc est, quæ non extinguitur: sed tunc certè fuit extincta. Quæ res cùm contra opinionem hominum acciderit, multis videtur incredibilis quærentibus, quonam pacto corpusculum, quod natura tale est vt facilè corrumpi possit, vehementi, & ad comburendum idoneo materiæ illius feruori vel paulùm resistere potuerit, (quod tamen ita restitit, vt etiam crines ipsi ab igne læsi non fuerint, sed omnino intacti permanserint) vel quomodo animal illud, quod ex tenui aëre spiritum ducendo, naturalem vitam continet, ea materia quæ ad obstruendum aliquid idonea est, obrutum, & respiratione priuatum, vita etiam ipsa priuatum non fuerit. At si quis talibus ad contradicendum rationibus vsus fuerit, dicat is, quomodo Ionas in ventre ceti tribus diebus vixit: eumque intactum fera illa euomuit: quomodo & Hieremias in cœni lacum demersus, intactus illinc eductus fuit: item quomodo tres illi pueri in fornacis flamma tenuem aërem respirabant, & combustis vinculis, eorum capillus combustus non est, neque ignis odor in illis vllus remansit. Qui hæc, & alia admirabilia facta, & prodigia, quæ singulis ætatibus immensæ gloriæ Dominus Deus seruorum suorum causa effecit, bene considerauerit, facilius adducetur, vt hoc etiam nobiscum vnà confiteatur, & credens dicat: Verè mirabilis est Deus in sanctis suis. Vniuersarum enim rerum natura talis est, qualem vult is qui eam creauit: & hæc (vt in psalmo dictum fuit) mutatio est dextera excelsi. Sed deficiet tempus, & multò magis oratio ipsa propter sermonum inopiam, quæ in me est, si velim sigillatim, & per partem scribere omnium tormentorum, quæ publicè, & in carceribus aduersus Christi militem illata sunt, figuram & speciem, & dolorum intolerabilem magnitudinem, quæ orationem omnem exuperat, eorumque, qui illum cruciabant, sæuitiam atque immanitatem: ipsius denique athletæ in omnibus tormentis perferendis tolerantiam, & constantem animum: qui per singulos cruciatus, quantum in eo fuit, illud præstitit, quod est apud Paulum: Tanquam morientes sumus, & ecce viuimus. Quid dicam preces illas, quas per totam noctem & diem, subeundo

certamina, ad Deum fundebat, partim ei supplicans, qui salutem afferre potest: partim gratias agens, quòd illi opem tulerat? Ad hæc & eorum qui dij habebantur, repentinam per Crucis 7 signum euersionem, ipsorumque dæmonum lamentabilem consensionem, quippe qui manifestè confessi sunt se deos non esse, vt eos puderet, qui temerè illos adorabant? Quid propositas interea quæstiones atque oppositiones, quæ multam in se continent tragœdiam? Quid mores, & eorum quæ ab vtraque parte dicebantur sententiam, velut in tabula exponam? Quid diuinas visiones, & collocutiones nocte & die, ad eius patientiam remunerandam, sancto martyri à Deo concessas? Quid auxilia, consolationes & curationes, ex quibus recreationem percipiens præteritorum laborum libenter obliuiscebatur, & iis quæ denuò in illű inferebantur, forti & constanti animo resistebat, quasi & corpus ipsum vnà cum animo adamantinum haberet? Sed si quis cupit omnia Georgij beatissimi viri facta cognoscere, historiam de ipsius martyrio conscriptam legat, & ex illa ediscat certaminum magnitudinem, & illius optimi bellatoris altum animum, & iustissimam victoriam, diuinorumque præmiorum dignam mercedem. Ex eadem historia manifestè cognoscere poterit, & admiratione affici, quomodo ij qui summa impietatis voragine obscurati erant, dolos adhibentes, & amara dulcioribus verbis commiscentes, beatum martyrem adorti sunt. Ille verò simplici veritatis sermone graues & subdolas verborum machinas facilè dissoluebat, ac demoliebatur: eorumque insidias & occultos laqueos solidæ & altæ mentis suæ alis transuolabat. Dein tormenta illa varia, & difficilia patientiæ suæ robore fortiter superans, cursum confecit per clauos crepidis affixos propositum. Idem securi percussus est, corporis morte animæ ipsius mortem extinguens. Demum sanguine suo victoriam adeptus fuit, & victoriæ corona cinctus, victricia carmina hilari animo ei cecinit, qui victoriæ autor fuerat. Hymnus autem talis erat: Benedictus Dominus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum. Ad hæc qui studiosè ac diligenter eius historiam leget, discet quemadmodum non sibi soli martyr ille, verùm & plurimis aliis suo labore salutem conciliauit. De his loquor, quibus persuasit, vt & ipsi parem cursum transigerent, proprium sanguinem Deo libantes. Anatolio enim, & Protoleoni, vt hoc facerent, persuasit: duobus illis militibus, qui, cùm ea quæ in certamine illo effulsere, miracula obstupuissent, & ipsi martyris Georgij fortitudinem æmulati sunt. Necnon & Glycerium ex bouis illius rediuiui prodigio celebrem, nouimus à stulta idolorum superstitione liberatum. Quos omnes ex ipsis (vt ita dicam) draconis faucibus extractos, sacrificia perfecta, & proprio Domino accepta obtulit. Quid quòd & miracula maxima & ingentia, partim iis qui fideliter ea petebant, abundè per illius operam Deus largitus est: partim ab aduersariis non fideliter petita, re ipsa per martyris preces ita ipse perfecit, vt & mortuum hominem è tumulo exuscitauerit, ad eorum qui illud petierant, amentiam redarguendam, & veritatis cognitionem manifestius aperiendam? quam assecuti fuissent, qui eam rem postularant, si æquiores oculos habere voluissent. Illi enim ipsi partim miraculorum euentis fidem non adhibentes, partim spectra quædam, & inania visa illa esse credentes, rursus in eundem errorem reuoluti sunt. Cùm enim ipsi omnes tormentorum machinas consumpsissent, & martyris patientia victi fuissent, ad eorum signorum, quæ fieri nunquam posse illis videbantur, petitionem, Iudaico more confugerunt. Postea verò & ex eadem illa re conuicti, & in ruborem conuersi sunt. Multis enim miracula illa salutem conciliarunt, ex illis ipsis Georgij Deum agnoscentibus. Cùm autem non possent amplius immensis illis, quæ per martyrem facta erant, miraculis repugnare, neque tamen ab ea in qua erant superstitione se abduci paterentur: cumque excœcati essent, & obtusi corde, auribus, atque oculis (vt est ab Esaia dictum) ad patrios errores necessariò reuoluebantur: & machinis quibusdam veritatem ipsam se euersuros putabant. Athanasium enim quendam in medium produxerunt, qui in magicis artibus multum existimationis habebat: cuius fama longè magis celebrabatur, quàm eorum qui olim apud Ægyptum aduersus Moysen ipsum se aliquid effecturos opinabantur. Sed non diutius & hoc loco omnis illa magicæ artis fallacia vim habuit: mendacium enim ipsum à veritate superatum fuit, & illius magi præsentia vtilior tunc apparuit, quàm quo tempore Ægyptij magi Mosi restiterunt. Illi enim cùm Dei digitum esse cognoscerent, qui eorum artem euertebat, verbis tantùm id confitebantur. At hic fidem ipsam per Georgij opera sibi patefactam amplexatus, gladio percussus pro veritate mortem sustinuit, vitæque nomini suo congruentis hæreditatem percepit. Missos facio singulos, quos Christi miles ad eiusdem certaminis rationem adduxit, cum quibus & Reginam Alexandram eò adduxit, vt Mosis virtutem & ipsa in se ostenderet, cùm melius ac præstantius regiis thesauris opprobrium Christi esse duxisset. Quæ prompto animo mortem gladio illatam, quantum ad eius propositum pertinuit, Christi causa suscepit, & cœleste ac sempiternum regnum cum terrestri & caduco permutauit. O insatiabiles diaboli fauces. O inexhaustam Christi Dei gratiam. Vbinam sunt qui impudenter nugan-

7 *Georgius per signum crucis falsos deos repentè euertit.*

iugantes aiunt, nostrum hostem diabolum res futuras prænoscere? En vt manuum suarum operibus comprehensus est: & non cognouit, ex quibus rebus se victorem futurum opinabatur, illis ipsis imprudenter se captum iri. Nam à quibus adorari gestiebat, ab illis eum irrisum fuisse apparet, ac quærens alios interficere, ipse tanquam mortuus factus est, idque cùm ipse in eos homines, qui nudi atque inermes erant, Reges ipsos, & omnem exercitum, omnemque tormentorum violentiam hostili animo intulisset. Et Regum quidem ipsorum, cùm multa & magna trophæa quondam statuissent, & postea in imperio esse desiuissent, victoriæ sunt extinctæ: at dexter Christi miles Georgius cùm semel omnium hostem deuicerit, semper eam victoriam quam de illo reportauit, recentem habet, omnes simul dæmonum turmas Crucis telo ab humano cœtu expellens, & eos qui sub illorum manu fuerant, ad libertatem reuocans. Quid victoria hac admirabilius? quid his triumphis sublimius? quid his coronis gloriosius? Hæc fuit sapientis ducis se aduersus hostem struentis ratio ac via. Tam magnum fuit eleemosynæ illius, quam, venditis his quæ possidebat, pauperibus distribuit, munimen atque præsidium. Hæc magni bellatoris victoriæ præmia: hæc nostri triumphantis militis trophæa, talia fuerunt & spolia. Hic in corpore ipso vitam degens, eum qui corporis expers est, interfecit, illum, cùm in corpore suo vexando occupatum haberet, spiritu iugulans: cumque circa suam ipsius prædam illum suspensum teneret, eos quos in sinu suo ille antea captos detinebat, abripuit. Eius enim imitator erat, qui carnis specie obiecta hostem diabolum allexit: & dum eius pugnam recusare videbatur, eum decepit: & ita captiuos homines è manu ipsius eripuit. Hæc, inquam, ille faciebat, Christum magistrum totum in se habens, vel (vt verius dicam) totus magistro suo inhians, neque amplius sibi viuens, sed ei qui pro ipso mortem passus fuit, & resurrexit, & suo exemplo docuit, non eos timendos esse qui corpus occidunt. Non enim erat amplius suo corpori, sed diuinæ voluntati obnoxius. Quid dixi corpori? Neque suæ animæ obnoxius erat. Cùm enim Christi esset discipulus, animam etiam ipsam voluntariè abnegauit, & tollens crucem suam ab omni cura liber magistro suo adhæsit. Meritò igitur præterita tormenta obliuiscebatur, & ad ea quæ ante illum proponebantur, virili animo se intendebat. Itaque non ea que antecesserant, metiebatur, sed quæ supererant, requirebat. Defecerunt tormenta, sed non defecerunt coronæ: non enim defecerat promptus martyris animus. Malorum inuentor semper aliquid amplius machinabatur, & Christi athleta Georgius maiores appetens coronas, maiorum certaminum occasiones à machinatore diabolo exigebat. Ita erat vtrisque victoriæ certamen: illi quidem (quamuis æquè superare Georgium non posset) vt secum vnà sanctum virum perderet: huic studium erat, vt non solus seruaretur, sed & omnibus validissimum suum certamen, salutare quoddam exemplum relinqueret. Itaque iustus ille certaminis præfectus Iesus Christus, viro iustè certanti auxilium attulit. Vicit igitur martyr: & periit qui perdere alios studebat. Tunc cœlestes mentes, & iustorum hominum chori hymnos cecinerunt, & victricibus certamen illud vocibus atque applausu laudantes, certaminis autorem Deum celebrarunt. At Christus solus omnium Rex, & certaminum spectator, ac perfector, singulari gloria suum athletam coronauit, cùm totum illi regnum aperuerit. Vidit hostis diabolus, magisque iratus est, inuidiæ stimulis atque æstu efferuescens, & (vt ait Dauid) dentibus frendens, & perpetuò contabescens, dolensque, quòd voti sui compos fieri non posset. Licebat igitur videre astutissimum draconem aduersus carnem & sanguinem gloriari solitum, elatumque, & se efferentem, ac magnifica illa verba iactantem: Robore meo hoc faciam: & manuum mearum potentia auferam terminos Gentium: & orbem totum terrarum comprehendam, velut nidum quempiam, & tanquam oua aliqua derelicta, tollam: neque est qui resistat, aut contra me aliquid dicat: & ponam sedem meam supra nubes cœli, & ero similis altissimo: Talem, inquam, & tantum hostem licebat videre à iuuene illo vno illusum, & ita despectum, atque confusum, vt quid ageret non haberet. Erat enim admodum tristis, quòd tantæ res diuino illi viro per eum imprudentem atque inuitum conciliatæ fuissent. Nam martyr ipse eorum etiam quos propriis laboribus seruauit, certas & immensas sibi mercedes adiunxit. Et quoniam sapiens ille bellator mercedem, quæ retribuenda erat, maximè spectabat, idcirco non destitit hostem irritare, & confundere, quoad perfectam de ipso victoriam adeptus est, eoque irretito, corporis sui nauigium ad tranquillum portum appulit. Non dedit somnum oculis, neque palpebris suis dormitationem, neque temporibus suis requiem, donec locum & Dei tabernaculum seipsum effecit. Noluit præsentis mortis liberatione donari, vt meliorem resurrectionem assequeretur. Non destitit fortiter se gerere, quoad magistrum & sponsum dicentem audiuit: Euge serue bone & fidelis, quia in pauca fuisti fidelis, supra multa te constituam: intra in gaudium Domini tui. Aptè in martyrem Georgium cadunt, vt cum Christo sponso coniunctû, ea quæ in Cantico de Christi sponsa Ecclesia scripta sunt: cuius formosi corporis membrum quoddam pretiosissimum

Martyr ipse est: Veni à Libano sponsa, quoniam non per gratiam tãtùm, sed & propriorum operum [8] suaui odore sui amatorem, ac sponsum Deum effecit, morte ipsa eundem oblectans, factus perfecta victima, eique in odorem suauitatis accepta. Quòd si quis dixerit Libanum dictum fuisse, propter vitulum illum Libanum, & idolorum superstitionem, ex qua sacram illam martyris animam aufugientem, & ad Dominum ipsum confugientem, Deus ipse, vt pater, apertis vlnis occurrens benignissimè his verbis affatus est: Veni à Libano sponsa: quoniam & ita dictum illud quidam interpretati sunt, à vero ipso non aberrauerit. Quamobrem digna quoque est martyris anima, quæ ab eodem Domino & hoc audiat: En vt pulchra, propinqua mea es: tota pulchra, & macula nõ est in te. Id quod significat & illud: Confitebor ipsum & ego coram Angelis, & Patre meo, qui in cœlis est. Quid his laudationibus sublimius, quando & Iudex ipse eum laudat, qui iudicandus accedit? quando & is qui exactor futurus est, seipsum & debitorem futurum confitetur: & in suum gaudium ingredi eum hortatur, qui inde vsque à patribus suis reus erat? Hoc illud est, quod iureiurando affirmans per Prophetam dixit: Viuo ego, dicit Dominus, quoniam glorificantes me glorificabo. Ita Dei hæres, & cohæres Christi Dei, & filij Dei valde laudatus, & decantatus Georgius effectus est: qui cùm legitimè certauerit, mercedem etiam supra legem recepit. Non enim condignæ sunt passiones huius temporis ea gloria, quæ reuelanda est, his præsertim, qui sanguine purgati sunt, & Christi sacrificium sunt imitati. Vtrum igitur celebrabo, & magis magisque admirabor? Eúmne, qui in hac corporea vita se tanta gratia dignum præstitit, vt & Deum ipsum in seipso collocaret, & iure proprium sanguinem pro ipso effunderet: an illum, qui eum ita corroborauit, & tali gratia omne humanum genus dignum effecit? Quis non vltra modum hæc admiretur? Quis diuinæ in humanam naturam charitatis exuperantiam non obstupescat? Nos peccata commisimus, quæ venia digna non erant, qui certè eius voluptatis, quam in paradiso gustauimus, debito tenebamur. At Christus acerbissimorum laborum patientia omni ex parte hostes illos, qui nos in lucta deiecerant, expugnauit. Omitto enim dicere, quòd ea quæ nos passuri eramus, ipse patiendo, morte sua mortem nostram æquo animo compensauit. Nunc verò è contrario ipse non indignos solùm accipit, & in iis qui certant ipse habitat, & certamina ipsa sublenat, sed coronas etiam tribuit, & suprema largitur dona, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, neque in cor hominis ascenderunt: in quæ & Archangeli ipsi cupiunt prospicere. Talia sunt ea quæ iis, qui eius causa labores patiuntur, Deus retribuit: quinetiam cohæredes suos illos nominat: quodque admirabilius est, mercedem præbet, & id quod retribuit, non vt gratiam, sed vt [9] debitum exoluit: vt ex Dauide, & vase electionis Paulo probatur. Tanta enim est ipsius Domini in eius seruos bonitas, vt non solùm debita non exigat, sed & insuper eos adiuuet, & magnifica dona gratificetur, modò fideli & non vacillanti corde ad eum aliquis accedat. Ipse enim ait: Non te dimittam, neque te derelinquam. Certè verax Dauid est, cùm dicit: Ego dixi in excessu meo, Omnis homo mendax. Quæcunque enim aliquis ad Dei gloriam celebrandam dixerit, nihil dicet quod eius laudibus par sit, sed omnino infra earum dignitatem positum erit. Eius enim dignitatis non solùm hominum natura, sed neque illa ipsa antiquissimorum, & ad Deum proximè accedentium Angelorum conditio capax est. Quamobrem id quod comprehendi non potest, silentio præteriens, quantum illud sit, ita significabo: & Deum ipsum ita magis honorabo, quàm aliquid de eo dicam: quod ab eius dignitate longissimè distet. Sed dicet aliquis nos ad martyrem reuocans: Si Christus ipse in martyre illo certante habitat, nihil mirum si aduersus tot cruciatus generoso & forti animo ille restitit: hoc enim non Georgij opus fuit, sed habitantis Dei in eo gratia: cùm enim Deus vult, naturæ conditio superatur. Huic ergo respondens: Verè, inquam, ô amice, neque dubitanter eius qui in martyre habitat, gaatia totum effecit: sed quidnam fuit, quòd eius habitationem ei conciliauit? Consideres velim primam causam, cur in eo Christus habitauit: deinde ita expendas, quæ ab ipsa gratia rectè sunt effecta. Causam quidem Dominus ipse per tonitrui filium Ioannem nobis reuelauit, cùm sic ait: Si quis diligit me, diligetur à patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo meipsum illi. Et: Ad eum veniemus, & apud eum mansionem faciemus. Declarans autem & charitatis effectum: Qui habet, inquit, mandata mea, & seruat illa, ipse est qui diligit me. Quoniam igitur Georgius mandata Dei habuit, ac seruauit, re ipsa Christum dilexit: idcirco & ipse dilectus eum in se habitantem possedit, quem dilexit. Cùm verò Christus in illo habitaret, meritò, non gratis tantùm, martyrij dono illum honorauit: Quòd enim martyrium ipsum merces sit, & bonorum operum remuneratio, Dominum ipsum audi in Euangelio, quod à Marco scriptum est, affirmantem, mercedem multam his tribui qui in persecutionibus se dignos præstiterint. Primum igitur Georgij, ac præclarum factum, quod & Christi charitatem ei conciliauit, in eo extitit, quoniam antea seipsum dignum [10] præparauit, qui puro vitæ suæ candore

[8] *Vide vna cum Dei gratia etiam bona opera nostra, quæ ab ipsa procedunt, necessaria esse volentibus ad salutem peruenire.*

[9] *Ecce, seruorum Dei meritũ quando is illis vitam æternã tanquam debitã mercedem, exoluit.*

[10] *Vides quod gratia Dei his datur, qui se ante præparant. Verùm non ob hoc gratia dari dicitur ex meritis.*

candore Christum in se susciperet, quamuis ætate iuuenili adhuc esset, & militari magistratu ac potestate vteretur (Id quod non est facile in hominibus reperire) deinde quòd prompto animo certamen appetierit, ac seipsum per eorum quæ possidebat largitionem ad id paratum ostenderit: quodq; adiutorem sapienter eum inuocauerit, quem secum habitantem habebat, Christum. Itaque fidenti animo ad pericula, quæ pro Christo subeunda erant, progressus fuit. Hæc autem præclara facta à Georgij proposito, ac voluntate proficiscebantur, pura, inquam, illius vita, fides non vacillans, sed certa, promptus ad labores perpetiendos animus, ac studium, cordis humilitas: quibus rebus nihil sublimius: quæque nisi adfuerint, fieri non potest, vt aliquis in Deum charitatem ostendat. Hæc cùm obtulisset, & in his summam charitatem ostendisset, vicissim & ipse valde à Christo dilectus est, & apertè in se eum suscepit, qui iure illum dilexerat. Quamobrem, antequam certamina subiisset, cùm iam paratus esset, certaminibus non fuit perturbatus: sed victor coronatus est, paratum habens sibi adiutorem Iesum Christum. Ipse enim cùm naturæ nostræ debitum atque infirmitatē bene nosset, quinetiam & nosipsos ad animi tumorem elationemque procliues esse sciret, neque totum nostræ fidei [11] commisit, ne duorum alterum pateremur, vel infirmitate, vt Petrus Apostolus, cadentes: vel si ex sententia nobis res succederent, vt Pharisæus ille superbus, intumescentes: neque rursus totum ipse perfecit, ne omnino nos inutiles essemus, & debitis nostris adhuc obnoxij remaneremus.

11 Nota quod Dei gratia requiritur ad bona opera peragēda, vt sint meritoria: sed ea sola non sufficit: necessariū enim est & nostrum liberū arbitrium & industria collaborans, & cooperās, ne omnino simus inutiles iuxta illud Apostoli: Non solus ego, sed gratia Dei mecum, & Dei cooperatores sumus.

Itaque, vt antea dixi, nostram per omnia salutem procurans, secundùm mensuram fidei, quæ inest singulis, ac pro eorum ratione à quibus rogatur, dona ipsa tribuit, & cùm quæritur, inuenitur: & pulsantibus diuinarum miserationum suarum viscera patefacit, periclitantibusque adiumentum & subsidium adfert. Denique eorum omnium propugnator est, qui pro eo aliquid pati sibi proposuerunt, non sinens nos tentari supra id quod possumus: sed faciens cum tentatione & prouentum, vt possimus labores sufferre, ob idque & perfecta patientiæ corona donari. Quicunque verò propriæ segniciei causa terrestri & corporeo sensu detinemur, multas peccatorum sordes in nobis ipsis habentes, superno ac cœlesti auxilio destituimur. Itaque meritò formidamus, & decidimus: neque tentatione aliqua exoriente, consistere firmo loco possumus. Quamobrem necesse est Dei præceptum illud assiduè à nobis seruari: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem. Quòd enim dicit: Vigilate, & orate, nihil aliud vult, nisi vt propriam imbecillitatem agnoscamus, semperque diuinum auxilium imploremus. Nam & Petrus Apostolus sæpe pro Christo ipso se moriturum pollicebatur: sed quoniam Christi subsidium non quæsiuit, sui spiritus prompto feruore, & alacritate confisus, redarguta fuit carnis infirmitas, quæ spiritus feruorem superauit. Quamobrem ad illum spectans Dominus dicebat: Vigilate, & orate, ne intretis in tentationem: spiritus quidem promptus, caro autem infirma: ob idque meo subsidio vobis opus est. Ipsum igitur, & nos in omnibus Saluatorem, ac liberatorem Christum imploramus, per gloriosum hunc, semperque celebrem, qui trophæum, & pulcherrimam victoriam verè assecutus est: per martyrem, inquam, Georgium precamur Deum, vt eius voluntas in nobis fiat, sicut & in cœlis: vt vna & concors nostra cum illo, & cum cœlestibus mentibus sit sententia, ac voluntas: vt videlicet in nobis compleatur diuina illa vox, quam de nobis filius ad patrem misit, cùm nos ad seipsum congregaret: Vt sicut ego, & tu Pater, vnum sumus, & ipsi in nobis vnum sint: ego in ipsis, & tu in me: vt sint perfecti in vno, eodemque sensu: eo scilicet, qui diuinus est: vt ita & ipso in nobis habitante, & intenso amoris vinculo secum vnà colligatos nos tenente, efficere possimus, quod in Cantico dicitur: Tenui ipsum, & non dimisi eum: ipse verò in nobis illud perficiat: Non te dimittam: haud quaquam in tentatione nos relinquens, sed liberans nos à malo, & ab omni studio atque impetu hostis diaboli corruptioni animæ inhiantis, sicut tunc diuinum hunc multis certaminibus exercitatum, & sanctum martyrem Georgium liberauit: vt & nos vnà cum illo choreas ducentes dicere possimus: Anima nostra, sicut passer, erepta est de laqueo venantium. Laqueus contritus est, & nos liberati sumus. Adiutorium nostrum in nomine Domini, qui fecit cœlum & terram. Quoniam regnum & potestas seruandi nos in tempore angustiarum, à nullo alio, nisi ab ipso solo proficiscitur Domino nostro Iesu Christo, vero Deo, ac Saluatore nostro, per quem, & cum quo conuenit & iure debetur eiusdem Imperij consorti Patri, & eiusdem essentiæ Spiritui sancto vitæ autori, omnis gloria, honor, & adoratio, magnitudo, ac magnificentia, nunc & in secula seculorum. Amen.

VITA SANCTORVM MARCELLINI PRESbyteri, & Petri Exorcistæ, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyrol. eiusdem sub iiij. Non. Iunij.

1 Habes hic presbyterum, habes et exorcistam. Vides ergo in ordine Ecclesiastico diuersos esse gradus, ad quos ordinatè ascenditur.

ROmæ natale sanctorum martyrum Marcellini 1 presbyteri, & Petri Exorcistæ sub Diocletiano Imperatore, Iudice Sereno. Factum est dum teneretur beatus Petrus in obscurissimo carcere vinculis ferreis astrictus, vt custos carceris nomine Artemius haberet filiam dæmoniacam, quam vnicè diligebat. Cui vir Dei Petrus: Audi consilium meum Artemi, & crede vnigenitum filium Dei viui Dominum nostrum Iesum Christum, qui est liberator omnium in se credentium: si credideris, saluabitur filia tua. Cui Artemius: Miror imprudentiam consilij tui: Te Deus tuus liberare non potest, cùm illi credas, & quotidie pro eius nomine plagas & vincula perferas: quomodo poterit filiam meam liberare, si ei credidero? Si me vis credere Deo tuo, ecce duplicabo super te catenas, & claustra omnia carceris muniam, te autem ipsum in ima tenebrosa solum includam: si de his omnibus liberauerit te Deus tuus, credam ei. Cui beatus Petrus assensum dedit, promittens ad domum illius se venturum. Hoc, inquit, faciam non ad libitum tentationis tuæ, sed ad declarationem Deitatis Domini nostri Iesu Christi. Agitans caput Artemius inquit: Iste homo nimis passionibus fatigatus aliena loquitur. Et hoc dicens abscessit, narrauitque gesta & dicta vxori suæ Candidæ. Et ecce subitò noctis initio adest homo Dei Petrus Artemio & Candidæ, indutus vestibus candidis, tenens in manibus suis triumphum 2 Crucis: in cuius vestigia corruentes illi clamabant: Verè Deus vnus est, & verus Iesus Christus. Statimque filia eorum virgo nomine Paulina, à spiritu immundo vexante curata est. Et cùm hoc fieret, omnes in Domo Artemij crediderunt. Conuenitque multitudo vicinorum amplius quàm trecentorum, mulierum verò abundantior numerus clamantium: Præter Christum non est alius Deus omnipotens. Cumque omnes cuperent fieri Christiani, adduxit vir Dei Petrus Marcellinum presbyterum, qui omnes vnanimiter baptizauit. Sed & Artemius omnes qui in vinculis erant absoluit: qui & omnes baptismi gratiam susceperunt. Audiens hoc Iudex Serenus, iussit Marcellinum presbyterum, & Petrum exorcistam præsentiæ suæ exhiberi. Et auditum beatum Marcellinum iussit pugnis cædi in ambabus arteriis. At vbi defecerunt cædentes, ab eo Petro separato, iussit vt nudus super vitri fragmenta sterneretur in custodia, & victus ei & lumen negaretur. Petrus verò conterritus ad Serenum dixit: Cùm sis nomine Serenus, totum te nubilum & tenebrosum factis ostendis. Tunc eum & ipse Serenus iussit in vinculis recipi, & pedes in cippo arctissimo constringi. Factumq; est dum separati essent, apparuit Angelus Domini Marcellino presbytero oranti nudo, & induit eum vestimentis suis, & adduxit eum vbi beatus Petrus erat in cippo & ferro. Sed & ipsum soluit, & ambos perduxit ad domum, vbi baptizati orabant. Non post multum verò cùm beatus Artemius cum vxore & filia sententiam capitalem suscepissent, comprehensi & illi ab his, qui sanctos Dei martyres punituri erant, alligati sunt manibus retro ad arborem, vsque dum nunciaretur Iudici Sereno de eis. Ille iussit eos duci in syluam nigram, quæ hodie in honorem sanctorum Sylua candida appellatur, & in eadem ambos pariter decollari. Cumque ventum fuisset in mediam syluam, ipsi sibi manibus suis mundauerunt locum à spinis, vbi orantes simul, & dantes sibi pacis osculum, genu posito decollati sunt. Et qui eos decollauit, vidit animas eorum splendidè ornatas ab Angelis ferri 3 ad cœlos. Et pœnitentiam agens, sub Iulio Papa baptizatus est in senectute sua, nomine Dorotheus. Quorum corpora, 4 reuelantibus se beatis martyribus, tulerunt postmodum Lucina & Firmina Christianissimæ fœminæ, & iuxta sanctum Tiburtium in inferiore parte criptæ sepelierunt quinto Kalendas Septembris.

2 Ecce crucis signaculum murum inexpugnabilem, & miræ virtutis.

3 Vides quod animæ sanctorũ statim post mortem feruntur in cœlũ?

4 Sancti seipsos reuelant, & ita à religiosis fœminis sepeliuntur.

VITA SANCTI ALBANI MARTYRIS, PER Venerabilem Bedam presbyterum scripta.

Habetur in libr. 1. historiæ Ecclesiasticæ gentis Anglorum, per eundem cõscriptæ. Ex capitulo 4.

ANno ab incarnatione Domini centesimo quinquagesimo sexto, Marcus Antonius Seuerus, quartusdecimus ab Augusto regnũ cum Aurelio Cõmodo fratre suscepit. Quorũ temporibus cùm Eleutherius vir sanctus pontificatui Romanæ Ecclesiæ præesset, misit ad eũ Lucius Britannorũ Rex epistolam, obsecrans, vt per eius mandatũ Christianus efficeretur, & mox effectũ piæ postulationis consequutus est: susceptamq; fidem Britanni vsq; in tempora Diocle-

Diocletiani principis inuiolatam integramque quieta in pace seruabant. Anno incarnationis Dominicæ ducentesimo octuagesimo sexto, Diocletianus trigesimus tertius ab Augusto Imperator ab exercitu electus annos viginti præfuit. Maximianumque cognomento Herculeum, socium creauit imperij. Quorum tempore Carausius quidam genere infimus, sed consilio & manu promptus cùm ad obseruanda Oceani littora, quatenus Franci & Saxones infestabant, potius plus in perniciem quàm in profectum Reipublicæ ageret, ereptam prædonibus prædam nulla ex parte restituendo dominis, sed soli sibi vindicando, accendens suspicionem, quam ipsos quoque hostes ad incursandos fines artificij negligentia permitteret. Quamobrem à Maximiano iussus occidi, purpuram sumpsit, ac Britannos occupauit. Quibus sibi per septē annos fortissimè vindicatis ac retentis, tandem fraude Allecti socij sui interfectus est. Allectus postea ereptam Carausio insulam per triennium tenuit, quem Asclepiodotus præfectus prætorio oppressit, Britanniamque post decem annos recepit. Interea Diocletianus in Oriente, Maximianus Herculeus in Occidente, vastari 1 Ecclesias, affligi, interficique Christianos decimo post Neronem loco præceperunt: quæ persecutio omnibus ferè actis diuturnior atque immanior fuit. Nam per decem annos incendijs Ecclesiarum, proscriptionibus innocentum, cædibus martyrum incessabiliter acta est. Denique etiam Britanniam complurima confessionis Deo deuotè gloria sublimauit. Siquidem in ea passus est sanctus Albanus, de quo presbyter Fortunatus in laude virginum, cùm beatorum martyrum qui de toto orbe ad Dominum venirent, mentionem faceret, ait: Albanum egregiū fœcunda Britannia profert. Qui videlicet Albanus paganus adhuc, cùm perfidorum principum mandata aduersus Christianos sæuirent, clericum quendam persecutores fugientem hospitio recepit. Quem dum orationibus 2 ac vigilijs continuis die noctuque studere conspiceret, subitò diuina gratia respectus, exemplum fidei ac pietatis illius cœpit æmulari, ac salutaribus eius exhortationibus paulatim edoctus, relictis idololatriæ tenebris, Christianus integro ex corde factus est. Cumque prefatus clericus aliquot diebus apud eum hospitaretur, peruenit ad aures nefandi Principis, confessorem Christi, cui necdum fuerat locus martyrij deputatus, penes Albanum latère. Vnde statim iussit milites eum diligentius inquirere. Qui cùm ad tugurium martyris peruenissent, mox sanctus Albanus pro hospite ac magistro suo ipsius habitu, id est, caracalla, qua vestiebatur, indutus militibus exhibuit, atque ad Iudicem vinctus perductus est. Contigit autem Iudicem ea hora qua Albanus ad eum adducebatur, aris assistere, ac dæmonibus hostias offerre. Cumque vidisset Albanum, mox ira succensus nimia, quia se vltro pro hospite, quem susceperat, militibus offerre, ac discrimini dare præsumpsisset: ad simulachra dæmonum, quibus assistebat, eum iussit pertrahi. Quare rebellem, inquiens, ac sacrilegum celare, quàm militibus dare maluisti, vt contemptor diuum meritam blasphemiæ suæ pœnam lueret? Quæ cùm illi debebantur supplicia, tu soluere habes, si à cultu nostræ religionis discedere tentas. At sanctus Albanus, qui se vltrò persecutoribus fidei Christianum esse prodiderat, nequaquam minas principis metuens, sed accinctus armis militiæ spiritalis, palam se iussis illis parêre nolle pronunciabat. Tum Iudex: Cuius, inquit, familiæ, & generis es? Albanus respondit: Quid ad te pertinet, qua sim stirpe genitus? sed si veritatem religionis audire desideras, Christianum iam me esse, Christianisque officijs vacare cognosce. Ait Iudex: Nomen tuum quæro, quod sine mora mihi insinua. At ille, Albanus, inquit, à parentibus vocor, & Deum verum ac viuum, qui vniuersa creauit, adoro semper, & colo. Tum Iudex repletus iracundia dixit: Si vis perennis vitæ felicitate perfrui, dijs magnis sacrificare ne differas. Albanus respondit: Sacrificia hæc quæ à vobis redduntur dæmonibus, nec auxiliari subiectis possunt, nec supplicantibus sibi desideria vel vota complere. Quinimò quicunque his sacrificia simulachris obtulerit, æternas inferni pœnas pro mercede recipiet.

Ex capitulo. 6.

1 Cùm heretici nostri tēporis hæc eadem faciant, Gētilibus similes eos rectè dixerimus.

Ex capitulo. 7.

2. Vide quomodo antiqui sacerdotes orationibus ac vigilijs die noctuque studentes, pietatis ac virtutum suarum exemplo, Gentiles ad suscipiendam Christi fidem prouocabant.

His auditis Iudex nimio furore commotus, cædi sanctum Dei confessorem à tortoribus præcepit, autumans se verberibus, quem verbis non poterat, cordis eius emolire constantiam. Qui cùm tormentis afficeretur acerrimis, patienter hæc pro Domino, imò gaudenter ferebat. At vbi Iudex illum tormentis superari, vel à cultu Christianæ religionis reuocari non posse persensit, capite eum plecti iussit. Cumque ad mortem duceretur, peruenit ad flumen, quod muro & harena, vbi feriendus erat, meatu rapidissimo diuidebatur. Viditq; ibi non paruam hominum multitudinem vtriusque sexus & conditionis, diuersæ ætatis, quæ sine dubio diuinitatis instinctu ad obsequium beatissimi cōfessoris ac martyris vocabatur, & ita fluminis ipsius occupabat pontem, vt intra vesperam vix transire posset. Denique cunctis penè egressis, Iudex sine obsequio in ciuitate substiterat. Igitur sanctus Albanus, cui ardens inerat deuotio mentis ad martyrium ocius peruenire, accessit ad torrentem: & dirigens ad cœlum oculos, illico siccato alueo, vidit vndā suis cessisse, ac viam dedisse vestigijs. Quod cùm inter alios etiā ipse carnifex, qui eū percussurus erat, vidisset, festinauit ei, vbi

ad locum destinatum morti venerat, occurrere, diuino nimirum admonitus instinctu, proiectoque ense, quem strictum tenuerat, pedibus eius aduoluitur, multum desiderans, vt cum martyre, vel pro martyre, quem percutere iubebatur, ipse potius mereretur percuti. Dum ergo is ex persecutore factus esset collega veritatis & fidei, ac iacente ferro esset inter carnifices iusta cunctatio, montem cum turbis reuerendissimus Dei confessor ascendit, qui oportunè lætus gratia decentesima, quingentis ferè passibus ab harena situs est: in quo nihil repente arduum, nihil præceps, nihil abruptum, quem lateribus longè lateque deductum, in modum æquoris natura complanat, dignum videlicet se pro insita sibi specie venustatis iam olim reddens, qui beati martyris cruore dicaretur. In huius ergo vertice sanctus Albanus dari sibi à Deo aquam 3 rogauit, statimque incluso meatu, ante pedes fons perennis exortus est, vt omnes agnoscerent, etiam torrentem martyri obsequium detulisse. Neque enim fieri poterat, vt in arduo montis cacumine, martyr aquam quam in fluuio non reliquerat peteret, si hoc oportunum esse non videret. Qui videlicet fluuius ministerio persoluto, deuotione completa officij testimonium relinquens, reuersus est ad naturam.

3 Quanta vis orationis sancti.

Decollatus itaque martyr fortissimus ibidem accepit coronam vitæ, quam repromisit Deus diligentibus se. Sed & ille qui pijs ceruicibus impias intulit manus, gaudere super mortuum non est permissus. Namque oculi eius in terram vnà cum beati martyris capite deciderunt. Decollatus ibi est etiam miles ille, qui antea superno nutu correptus, sanctum Dei confessorem ferire recusauit. De quo nimirum constat, quia etsi fonte baptismatis non est ablutus, sui tamen est sanguinis lauacro mundatus, ac 4 regni cœlestis dignus factus ingressu. Tunc iudex tanta miraculorum cœlestium nouitate perculsus, cessari mox à persecutoribus præcepit: honorem referre incipiens cædi sanctorum, per quam eos opinabatur prius à Christianæ fidei posse deuotione cessare.

4 Animæ sanctorum statim in cœlum auolant.

Passus est autem beatus Albanus die decimo Calendarum Iuliarum iuxta ciuitatem Verolamium, quæ nunc à gente Anglorum Verolamiacestir, siue Vuetlingacister appellatur: vbi postea redeunte temporum Christianorum serenitate, ecclesia est mirandi operis atque martyrio condigna extructa. In quo videlicet loco, vsque ad hanc diem curatio infirmorum & frequentium operatio virtutum celebrari non desinit. Passi sunt ea tempestate Aaron & Iulius, legionum vrbis ciues, alijque vtriusque sexus diuersis in locis perplures, qui diuersis cruciatibus torti, & inaudita membrorum discerptione lacerati, animas ad supernæ ciuitatis gaudia perfecto agone miserũt. At vbi turbo persecutionis quieuit, progressi in publicum fideles Christi, qui se tempore discriminis syluis ac desertis abditisue speluncis occultauerant: renouant ecclesias ad solum vsque destructas, basilicas sanctorum fundãt, construunt ac perficiuut, ac veluti victricia signa passim propalant, dies festos celebrant, sacra mundo corde atque ore conficiunt. Mansitque in ecclesijs Christi, quæ erant in Britannia, pax vsque ad tempora Arrianæ vesaniæ, quæ corrupto orbe toto (hanc etiam insulam extra orbẽ tam longè remotam) veneno sui infecit erroris. Et, quasi via pestilentiæ trãs oceanum patefacta, non mora, omnis se lues hæreseos huic quoque insulæ, noui semper aliquid audire gaudenti, & nihil certi firmiter obtinenti infudit. His temporibus Constantius, qui viuente Diocletiano Galliam, Hispaniamque regebat, vir summæ mansuetudinis & ciuilitatis, in Britannia morte obijt. Hic Constantinum filium ex concubina Helena creatum, imperatorem Galliarum reliquit. Scribit autem Eutropius, quòd Constantinus in Britannia creatus imperator patri in regnum successerit. Cuius tempore Arriana hæresis exorta, & in Nicæna synodo detecta atque damnata, nihilominus exitiabile perfidiæ suæ virus (vt diximus) non solùm orbis totius, sed & insularum ecclesijs aspersit.

Ex capitulo. 8.

VITA SANCTI ALBANI MARTYRIS, PER ADOnem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyrol. eiusdẽ sub x. Calen. Iulij.

IN Britannia natale sancti Albani Martyris. Qui tempore Diocletiani in Verolamio ciuitate, post verbera & tormenta acerba, capite plexus est. Sed illo in terra cadente, oculi eius, qui eum percussit, pariter ceciderunt. Passus est cum illo etiam vnus de militibus, eò quòd eum ferire iussus noluerit, diuino vtrique perterritus miraculo, quia viderat, beatum martyrem, sibi, dum ad coronam martyrij properaret, alueum amnis interpositi orando 1 transmeabilem reddidisse. Quo in tempore persecstio crudelis, oceani littus transgressa etiam Aaron, & Iulium Britanniæ, cum alijs pluribus viris ac fœminis felici cruore damnauit.

1 Vide S. martyris orationis virtutem.

VITA SANCTI BONIFACII MARTYRIS, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in loco vbi suprà sub Nonis Iunij.

NAtale sancti Bonifacij martyris sub Diocletiano, & Maximiano apud Tharsum ciuitatem passi, sed Romæ in via, quæ Latina nuncupatur, sepulti.

Qui cùm esset procurator rerũ cuiusdam nobilis matronæ nomine Aglahes, & cum ea in stupro misceretur, tandem vtrique diuino nutu compuncti consilium habuerunt, vt ad requirẽdum corpora martyrum Bonifacius mitteretur, si quomodo seruientes atque obsequentes eis, per eorum 1 orationes saluari mererentur. Perueniens igitur post dies aliquot Tharsum ciuitatem, dicit ad eos qui cum eo erant, Bonifacius: Requirite nobis hospitium, ego autem ibo videre eos, quos valde desidero martyres certantes. Festinans itaque ad locum, videt beatissimos, alium suspensum per pedes, igne subtus posito, alium in quatuor lignis extensum, & diutissimè afflictum, alium vngulis exaratum, alium manibus abscissum, alium stipitem in collo habentem infixum, & à terra eleuatum, & sic per diuersa supplicia, martyria ab impio carnifice disposita. Cùm eminus feruens amore Christi & ipse respiceret, Magnum Deum sanctorum martyrum clamare cœpit. Et accurrens consedit pedibus eorum, deosculans vincula, & dicens: Certate martyres Christi, calcate diabolum, modicum perseuerate: Paruus quidem labor, sed multa requies, & ineffabilis postmodum satietas. Aspiciens autem Simplicius Iudex, iussit eum applicari ad tribunal, cui & dixit: Quis es tu? Sanctus Bonifacius dixit: Christianus sum, & Bonifacius vocor. Tunc iratus iudex iussit eum suspendi, & tamdiu corpus eius vngulis radi, donec ossa eius apparerent. Deinde calamos acutos sub vnguibus manuum eius affigi. Cumque sanctus Dei martyr in cœlũ aspiciens alacriter dolores toleraret, videns impius iudex iussit aperiri os eius, & plumbum bulliens infundi. Sanctus autem martyr dicebat: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe fili Dei. Deinde iudex iussit afferri ollam, & eam pice impleri, atque sanctum martyrem verso capite in bullientem picem mitti. Sed cùm nihil læsus esset, iussit impius iudex, vt gladio caput eius abscinderetur. Quo facto, terræ motus magnus factus est, ita vt multi infideles virtutem Christi in martyre cernentes crederent. Conserui verò martyris Bonifacij circuibant vtique requirentes eum, & non inuenientes adinuicem dicebant: Ille modò in adulterio, aut in taberna positus epulatur. Cùm ergo inter se colloquerentur, contigit, vt obuiaret eis vnus de Commentariensibus, quem interrogauerunt: Vidisti aliquem virum peregrinum Romanum? Ille ait eis: Hesterno die vir peregrinus abscissus est capite in stadio. Et iterum interrogant: Qualis erat aspectus eius? At ille dixit: Vir quadratus & crassus, robusto capillo, coccinea armelasia indutus. Et dicit eis: Ille quem quæritis, apud nos hesterno die martyrio est finitus. Aiunt illi: Homo, quem nos quærimus, adulter est, & ebriosus. Dicit eis ille: Venite videre eum. Cumque ostendisset eis corpus, & pretiosum caput eius, dixerunt ei: Iste est quem quærimus, petimus vt des nobis eum. Qui respondit: Ego gratis corpus eius dare vobis non possum. Illi autem dantes ei solidos quingentos acceperunt corpus sancti martyris, & 2 vngentes aromatibus, inuoluentesque linteaminibus pretiosis, posuerunt illud in Basterna, & sic reuertebantur gaudentes, & glorificantes Deum. Angelus autem Domini apparens dominæ quondam ipsius, rem factam beati martyris indicauit. Quæ confestim cum omni veneratione obuiauit sancto corpori, & 3 ædificans ei domum dignam, reposuit illud in ea ab vrbe Roma stadiis quinque. Passus est autem sanctus martyr Bonifacius xiiij. die mensis Maij, apud Tharsum metropolim Ciliciæ, & sepultus est Romæ Nonis Iunij.

Beata vera Aglahes abrenunciauit mundo, & pompis eius, distribuens 4 vniuersa quæ possidebat egenis, ac monasterijs, relaxans vniuersam familiã suam à iugo seruitutis, & tantam gratiam à Domino promeruit, vt in eius nomine virtutum signis clarescerct. Superuixit autem in habitu 5 sanctimonialis annos xiij. & sepulta est apud præfatum martyrem 6 operibus pijs consummata.

1 Vides quod sancti pro nobis orãt, peccatorum nostrorum veniã impetrant, & per illorum preces saluam.

2 Ecce quomodo vngũt sancti corpus, & aromatibus inuoluũt pretiosis linteaminibus.

3 Ædificat Aglahes domũ in honorem sancti martyris, & in ea illum sepelit.

4 Hæc est vera paupertas Euangelica, voluntaria & actualis bonorum omniũ desertio, & in pauperes distributio.

5 Vides quod quæ sanctimonialis fiebat, proprium induebat habitum, ab aliis mulieribus distinctum.

6 Nota: Operibus pijs consummata, & hoc: quia nõ suffecisset sola fides.

VITA BEATI ERASMI EPISCOPI ET MARtyris, per Adonem supradictum collecta.

Habetur vbi supra, sub iij. Nonas Iulij.

IN Cãpania natale beati Erasmi Episcopi & martyris sub Diocletiano & Maximiano. Qui iussu impij Diocletiani Imperatoris primò plũbatis crudeliter cęsus, deinde fustibus diutissimè maceratus, pòst resina, sulfure, plũbo, pice, cera, oleoq; solutis perfusus ingenti miraculo illæsus apparuit. Quod cùm multi viderent, fidem Christi, reiectis idolis, susceperunt. Inde immẽso põdere ferri constri-

constrictus, in carcere reclusus est sub dira custodia. De qua Angelica visitatione soluitur atque eripitur. Verùm postmodum clarissima miraculorum ipsius gesta fama vulgante, tentus est ab altero Imperatore Maximiano, à quo diuersis supplicijs tortus fuit, in tantum vt tunica ærea ignea vestiretur. Iterumque in olla, quæ plumbo, pice, cera, resina, & oleo feruefacta erat, missus, virtute Domini omnia superans, illæsus exinde progreditur. Sicque tandem ad confirmandum cæteros à Domino seruatus, Campaniam munitus Angelico solatio peruenit. Vbi cùm plurimos siue in fide roborasset, siue ad fidem Christi conuertisset, vocante Domino martyrio clarus sancto fine quieuit.

VITA SANCTORVM MARTYRVM COSMAE ET Damiani, per iam dictum Adonem collecta.

Posita est vbi supra, sub 5. Kalendas Octobris.

APud Ægeam ciuitatem natale sanctorum martyrum Cosmæ & Damiani, persecutione Diocletiani, sub præside Lysia. Hi venerabili matre Theodora geniti, sacris litteris eruditi, professione Christiani, arte medici, virtutibus erant clarissimi. Horum religionem audiens præses Lysias, misit apparitores, qui eos adducerent. Quos aspiciens interrogauit, ex qua prouincia, aut quæ essent eorum nomina. Beatus Cosmas & Damianus respõderunt ei: Ex Arabia sumus. Nomina nostra Cosmas & Damianus, Christiani sumus: sunt nobis & alij fratres Antimus, Leontius, Euprepius. Quos misso officio iussit sibi Præses illicò præsentari, & cœpit agere vt sacrificarent. Et cùm nulla ratione fundatos animos eorum supra petram Christum mouere posset, manibus & pedibus vinctos, iussit eos fortiter torqueri, deinde sicut erant concatenati, in mare mergi. Quibus statim Angelus Domini adfuit, & diruptis vinculis, è pelago liberauit. Hoc videntes milites renunciauerunt Præsidi. Ille mox eis ad se reductis: Docete, inquit, me maleficia vestra, & ego sequor vos communicans operibus vestris. Sancti verò responderunt: Christiani sumus, maleficia nescimus, & in Christi nomine maleficiorum virtutem contemnimus. Recepti sunt, iubente Præside, in carcerem. Et sequenti die Proconsul sedens pro tribunali fecit copiosum ignem parari, & beatos martyres de carcere productos in medio iactari. Sed orantibus sanctis ignis virtutem suam amisit. Stupefactus Præses, & quæ circa martyres Dei prouenerant, magicis artibus designans, suspendi ac torqueri eos iterum iubet. Sed cùm grato & hilari vultu superiores tormentis persisterent, paratis crucibus impius Proconsul gloriosos martyres suspendi, atque extendi, ac lapidibus in cruce leuatos persequi iubet. Sed cùm ictus lapidum in iacientes retorquerentur, Præses furore succensus, sagittis eos aggredi iussit, vt saltem leuiore volatu ferrum eis infigeretur. Verùm cùm nec in aliquo sanctos læsissent, plurimi mittentium, ac circunstantium vulneribus earum defecerunt. Cernens itaque Præses malitiam suam virtute diuina superari, gladio animaduerti illos iubet. Martyrizati autem sunt beati Cosmas & Damianus, Antimus, Leontius, & Euprepius xxvij. die Mensis Septembris. Quorum corpora religiosi viri 1 sepelierunt in loco venerabili, non longè à ciuitate Ægea. Duorum autem fratrum Cosmæ & Damiani memoriam 2 Roma etiam, templo præclaro opere nomini eorum ædificato, solenniter agit.

1 Quorum corpora viri religiosi in loco venerabili sepelierunt.
2 Roma tẽplo præclaro nomini sanctorum Cosmæ & Damiani ædificato, memoriã eorũ solenniter agit.

NICETAE PHILOSOPHI, IESV CHRISTI SERVI, Encomium sanctorum & effectorum rerum admirabilium, Cosmæ & Damiani, qui dicuntur Anargyri.

Per eundem Simeonem Metaphrasten.

I. Nouemb.

QVam dilecta tabernacula tua Domine virtutum, inquit in spiritu beatus Dauid. Quænam autem intelligenda sunt hæc tabernacula, quàm multitudo eorum qui sunt sanctificati in veritate? Apostolorum, inquam, primum diuina chorea, cœtus prophetarum, conuentus Antistitum, & præclari & Deo digni cœtus martyrum, & omnes populi in Deo delectantur: qui præsentia quidem despiciunt vt instabilia, ad ea autem sola quæ manent, spe contendunt & diriguntur, & quicquid quidem est in terra amabile tanquam inamabile auersati: omne verò suum desiderium, ad id quod est propriè solo spiritu delectabile applicantes, illius diuinam & sanctissimam præclarè sunt assecuti charitatem, hi Dei tabernacula & valde dilecta, qui mentis puritate totam in se collocant diuinitatem. Eos nos quoque diligamus, qui solùm dilexerunt dilectum, & eos qui sunt dignè ab eo dilecti. Et re ipsa in eos ostendentes nostram dilectionis affectionem, eis tandem tribua-

mus & gloriam, quod est pulcherrimum eorum quæ habemus. Sic enim fiemus participes charitatis, quæ omnem mentem superat eius qui in ipsis habitauit, nempe Dei. Sed ad omnes quidem simul laudandos velle linguam immittere, perinde esset ac stellarum quæ sunt in cœlo choreas enumerare. Non autem quoniam omnes simul laudare, est maius quàm vt id possit humanum præstare ingenium, omnes deinceps & seorsum laudare est nobis propterea despiciendum. Absit vt tantum absimus à ratione, aut amica in illos affectione. Duo autem sancti sunt nobis hodie ad dicendum propositi, qui ad sui quidem laudem, ad Dei verò gloriam abhortantur duo solùm corporibus, iisque fraternitate secundùm naturam coniunctis, non duo autem animis, non operatione propemodum, non voluntate, non gratia, nec spiritu. An non per hæc vobis patet propositæ scopus orationis? Nam cùm sanctorum fratrum par vnum audieritis, vnanime, vnius sententiæ, vna fide, & gratia, & vna spiritus virtute consummatũ, diuini Anargyri, Cosmas & Damianus statim, vt arbitror, vobis venerunt in mentem, sed enim neque ad aliquem alium sanctum nunc fortasse est vobis mentem facile dirigere. Nam sicut astra luminosa diuinus Cosmas & Damianus, ex cœlestibus adytis ad Christi ecclesias mysticè despicientes, & luce intelligenti, & viua gratia, & eorum diuina replentes dilectione, nihil aliud quàm suam gloriam, & bona opera, & curationes concedunt cogitare. Atque sunt quidem alij quoque duo Anargyri, iisdem nominibus & spiritibus gratia resplendentes, sed illi quidem fuerunt consummati martyrij certaminibus: hi verò, quod ad inferiorem quidem ortum attinet, orti ex partibus Asiæ inferioris. Pios autem assecuti parentes, cùm pater è viuis excessisset, alebantur à veneranda & in primis ornata Theodote, muliere honesta quidem corpore, anima verò honestiore, casta carne, animo castiori: temperatè moderata, pia & fideli, generosæ matris generosi fœtus, matris non corporis solùm, sed etiam spiritus filij, & natura & instituto, non maternam solùm virtutem & fidem, tanquam vitalem rorem, ab infantia statim simul attrahentes, & in ea eruditi, sed etiam desuper à cœlesti patre perfectiorem gratiam & virtutem, tanquam bona terra & pinguis perenniter accipientes, & in ea perfecti, erant opportunè suum fructum reddituri. Sed videamus quisnam sit eorum fructus: & quemadmodum cùm patri cœlesti fuissent grati & accepti, eò gloriæ peruenerunt & magnificentiæ, vt sint clari & insignes in vniuersa terra. Etenim non certaminum contentionibus, neque tormentorum & suppliciorum varijs generibus ostenderunt fidei probationem. Sed beati mentis rectitudine in omnibus præceptis Domini se certè gerentes, vitam exercuerunt & mores Apostolicos, conscientiæ autem Deo purum implentes testimonium apertè implentur donis Apostolicis. Nam quòd etiam intus in conscientia consistat testimonium, sic consideremus. Vnicuique quidem vita veluti aliquod stadium, patet ijs qui decertant. Sunt verò hic quoque duo scilicet Agonothetæ, vnus quidem in cœlis sanctus, ab interitu alienus, & præmia ab interitu aliena præponens victoribus. Alter autem infra, in regione quæ est sub cœlo ambulans, & in abducendis in errorem hominibus occupatus, princeps tenebrarum, qui victis proportione respondentes præbet remunerationes sceleratas, eos mancipans turpissimis affectionibus, & ad proprium interitum attrahens. Arbitrisque ergo partibus primùm inducitur probatio, & boni quidem ministris omnem virtutis speciem, & omne Dei præceptum porrigentibus, & summo studio & diligentia singula suadentibus rectè gerere, & sic aduersarium repellere: mali verò adiutoribus, omne simulachrum fornicationis, & omnem vitij formam contrà inducentibus: & eorum mentem à Dei præcepto blanditijs auocare tentantibus, & ad sui interitum attrahere machinantibus. Quicunque ergo hanc tentationem diligenter animo cogitauerit, & bona conscientia, vel recto mentis vsus iudicio, aduersarij quidem omnes insultus repulerit: & ab omni mali simulachro suam mentem & templum impollutum conseruauerit: omnem autem virtutis speciem, frequentibus laboribus & multis sudoribus in seipso plantauerit, is cùm nulli reprehensioni affini martyrio, quæ in agendo versatur præcepti confessione legitimè certauerit, is quoque dignam victoriæ coronam ad similitudinem martyrum retulerit. Quicunque verò viuificum præceptum, & vitam quæ est ex Euangelio abnegauerit, & seipsum tradiderit omnibus voluptatibus & iniquitatibus, quomodo non Iesum factis negauit, etiam si eum lingua mentiatur: Is re vera execrandis sacrificauit simulachris. Hi ergo magni pietatis decertatores, Cosmas, inquam, & Damianus, fideles & prudentes cultores Domini, non vanorum solùm, & manufactorum deorum, tanquam abominationum cultum sunt abominati, omni idololatriæ infensi & superstitioni, solum autem Deum verè patrem, Deũ filium, Deũ spiritum sanctũ, tanquã vnam veram lucem, quæ in tribus solibus cernitur & creditur, credentes, & colentes, vnam diuinitatem, potestatem & regnum. Non solùm ergo hoc modo à pueritia ad finem vsque sequentes testes veritatis, conspecti sunt socij illorũ confessionis: sed etiam resistentes carni & animi affectionibus, quas multi effusè colunt tanquam deos. Dico autem libidine & gloriæ

cupiditati

cupiditati, quas consequitur totum examen vitiorum, in his fortiter repugnantes: & validis laboribus exercitationis grauem omnino delentes aduersarium. Sed non ab animali, & quę est ad tempus vita superati, non à ratione alienis deliniti cupiditatibus, neque prudentiæ carnis sacrificãtes, sed spiritu & veritate Deum colentes, assequuntur etiam perfectam victoriæ renunciationem: cùm apparuerint verè Christi martyres, & omni maiores exceptione. Tali ergo certamine decertarunt aduersus diabolum & peccatum, & cùm honorificentissimum illi honore dignissimi sic ostendissent martyrium, iure consequuntur præmia quæ dantur victoribus. Quomodo autem hoc ab eis factum est? Cùm continentiam quidem, cum qua ab ineunte ætate fuerant educati, pręclari illi viri sibi fecissent familiarem, patibilem animæ partem sufficienter in ea exercentes, libidini nullum ad se dederunt aditum. Omnem verò sensum & omne membrum per illam erudientes & componentes, & se conuenienter præcepto conseruantes mundos ab omni [1] inquinamento carnis & spiritus, se ipsos Deo & patri exhibuerunt dignum Deo templum. Cùm autem humilitatem cum mansuetudine purè amplexi essent, renunciarunt spiritui ambitionis, & gloriæ cupiditatis, & cum eum omnino abiecissent, & ab omni sua actione, cogitatione, & sermone penitus exterminassent, sic puram & synceram virtutis operationem Deo offerebant. Quò est ergo vitium impudentius, & magis contentiosum, eò magis aduersus id humilitate vtentes, & hominibus placendi cupiditatem, & omnem arrogantiam & hypocrisim, tanquam ex eo prognata, & diaboli amica, è suo corde radicitus euellentes, perfectè Christum & integrè admiserunt ad habitandum. Sic cum inanis gloriæ insidias forti animo effugissent, malorum radicem, auaritiam, inquam, per id quod nihil possidebant, penitus amandarunt. Quomodo enim probi athletæ contendebant, aureos & argenteos Deos è mente sua abijcere tanquam inquinamentum: vt in ipsis manẽtibus impollutis Deus qui est solus impollutus & purus, purè requiesceret: Sic etiam hi mentis maculas & sordes, & animæ prophanationem, non aurum solummodò & argentum, & alterius materiæ magnificentiam, sed in ea amorem & affectionem esse scientes, eorum recusarunt omnino possessionem, non quòd omnino possidere, ijs ad peccatum reputentur qui in se possident, sed quòd ipsi viuerent euangelicè, aut potius angelicè, & immaterialiter cum corpore: & virtutis doctrinam vitam suam mundo proponerent. Sciebant enim, verè sciebant, vt qui à Deo docti erant, plura habendi cupiditatem seu auaritiam & esse & nominari cultum simulachrorum. Cùm hoc autem nobis quoque videre liceat, explica, si videtur, auari animam, & eam videbis plenam multis simulachris. Videbis auri & argenti, & vestium immensam & interminatam phantasiam: & omnium possessionum summa, omniumque rationum & studiorum cogitationes, per quæ solent illa multiplicari: & non solùm in ijs qui habent, sed nihilo minus etiam in pauperibus & egentibus, quod est maximè ridiculum, aut imprimis miserabile licet sæpe hanc videre affectionem. Qui est eiusmodi, est verè templum simulachrorum, & plenus eiusmodi spectris. Iis ergo qui sunt tales, & mens & animus toto tempore in his versatur: & memoria eorum afficitur, lætatur, titillatur: in ea incumbit cogitatione, dormit, & vigilat cor eius circa thesaurum, in eum totus est defixus, cogitando quonam modo pecunias amplificet, & ea paret quæ ad victum pertinent: ei viuit, eum spirat, in eo confidit, & morbi & senij & cuiusuis alterius huius vitæ calamitatis, non Christum, sed aurum miser esse statuens depulsorem. Perpetuò id ruminat, & de eo multiplicando est solicitus: & quemadmodum ergo non eius simulachrum colit in animo, quod amore & affectione in ipso impressit? A quo totam vitam suam vult pendêre, quomodo non eum colit vt Deum, cùm sic eum honoret, & affectione mentis sic amplectatur, vt etiam eum qui verè est Deus, propter ipsum non audiat? Quomodo verò diuinissimam Christi pulchritudinem, quæ est immaculata, materiæ expers, & inaccessa naturæ mens contemplabitur, quæ fuerit superata à pulchro auri colore, & præoccupata ab illius contemplatione, & veluti tota deaurata, adeo vt crassi, & nullo sensu præditi eorum mores auro fiant conformes? Hæc quidem auri amantes & Christum odio habentes, & nec damnum in quod incidunt reputantes: neque lucrum scientes esse vanum, & nullius pretij: & à Dei quidem charitate & fide alienati: sibi autem supplicium in die iræ & reuelationis, & iusti Dei iudicij tanquam thesaurum recondentes. At non diuini [2] Anargyri, & verè homines Dei Cosmas & Damianus: sed quomodo florebant in alijs omnibus virtutis dotibus, ita etiam mores ab omni auaritia alienos conuenienter diuino Apostolo ostendentes, ex ipsa actione sortiti sunt dominationem. Ambo enim à pueris vnam artem exercentes, nempe corporum medicinã, vt in ea facilè se rectè gererent, Dei imitantes benignitatem, nõ artis opem auro permutabant laborantibus, non argento, non ære, non aliqua re esculenta, neque vlla re tenuissima: gratis autẽ omnibus, non solùm hominibus, sed etiã bestijs medentes: causam autẽ curationum nõ sibi attribuentes, sed grato animo Domino acceptam ferentes. Qui verò sic in paruo fideles apparuerunt, quomodo non in magno

1 Vides quod seruare virginitatẽ non est res impoßibilis, adiuuante semper gratia dei, quæ tamen nunquam deest volentibus.

2 Anargyri, sine pecunia nũcupati sunt sanctus Cosmas & Damianus.

euaferi

euasuri erant fideliores? Et qui toto vitæ suæ tempore seminabant ad iustitiam, Deo fœnerantes misericordiam, quomodo non ij à Deo iure percipient fructum vitæ? Tunc autem cùm spiritus accepissent primitias, sic ferebantur ad perfectionem. Quænam est ergo arra eorum perfectionis? Videamus quàm Deo digna, & philosophemur: Non qui pollicitus est se eos esse glorificaturum qui ipsum glorificant, quoniam quod eorum quæ ipsi insunt est pulcherrimum, & maximè proprium, vidit eos perfectam perfectè exercuisse charitatem, per ipsam de cætero cum eis versabatur, tanquam cum iam familiaribus: & præclarè habitans in bonorum studioso mentis eorum proposito, eo vsus est ad commune hominum beneficium, & omnium operatoris spiritus eos ornat omne genus donis. Hinc Hippocratis quidem longam artem multum valere iubentes: experientiam autem damnantes vt periculosam: Galeni verò loquacitatem, & eorum qui sunt eis similes, infinitos sermones & inania studia despicientes, quomodo viuebant spiritu, ita etiam spiritu, vt diuinum ait eloquium, incedebant. Hinc etiam eodem diuino spiritu, obeuntes morbos humanorum corporum, medebantur cuiuis morbo & cuiuis ægritudini. Et licebat illic videre Apostolicam gratiam euidenter operantem: licebat videre in his viris Apostolicis præclarè perfici dominicá virtutem & præceptum. Nam ij quoque ab eo accepta potestate, ambulabant super scorpios & serpentes, & omnem potestatem inimici: Ægrotos curabant: Dæmonia expellebant: Leprosos mundabant: Claudos sanabant: gratis cùm accepissent, gratis quoque dabant omnibus. Hic est modus vitæ quam agebant venerandi Anargyri. Hic cursus erat sanctis, viuere Euangelicè: ab ineunte ætate ad finem vsque se rectè gerere, vt Christianum decet in terra versari. Hoc erat solum munus filiis lucis, ambulare tanquam filios lucis, & luce suorum verborum & actionum luminum patrem sanctificare. Munus erat eis contendere fieri omnium sanctorum participes. Patriarcharum quidem certè benignitatē & hospitalitatem & pietatem, quinetiam à malitia remotos simplicesque mores imitabantur, & vitam non fictam. Prophetarum verò in peccatores seueritatem, pro iustitia zelum, & in omnes veritatem, & simulationis vacuitatem. Et Apostolorum quidem nullum apparatum, & carere pecunia, & diuitias curationum, & copias charismatum, & varietatem, vt semel dicam, donorum spiritus, Martyrum autem aduersus communem hostem animi fortitudinem, aduersus quemuis cultum simulachrorum victorias & præclara facinora, quibus & præmia cœlestia, & quæ non marcescunt coronas sunt meritò consecuti. Imitati sunt sacerdotum quidem Christi pietatem, grauitatem, 3 castitatem, & virginitatem, integrum seipsos sacrificium, & animam, & corpus spiritui consecrantes. Monachorum autem continentiam, quietem ac silentium, perpetuam & quæcunque deficit in mente precationem, & omnium sanctorum, vt semel dicam, fidem imitantes, spem desiderantes, charitatem rectè exercentes, in pace migrant ad Deum charitatis. Sed non ambo eodem die. Cùm autem diuinus præcessisset Damianus, breui pòst tempore, diuinus quoque Cosmas eum ad Christum est consecutus. Operæpretium est autem id quod accidit in eius exequiis in memoriam reuocare miraculum. Nemo autem credere dubitet, si est præter naturam id quod factum est, ad naturæ constitutorem & transformatorem intuens. Nam cùm, postquam diuina illa & verè sancta anima, cum gloria diuinorum Angelorum, & ineffabili splendore & lætitia ad sanctissimum Dominum abiisset, qui pretioso illi corpori iusta faciebant, dubitarent quomodo id oporteat sepeliri (scitis verò omnino causam huius dubitationis, nempe trium ouorum acceptationem, & sanctorum breuem propterea indignationem) fit de cætero miraculum omniū miraculorum maximè nouum & elegans. Ad eos de ea re dubitantes repentè accedit Camelus. Camelus ille qui operatione satanæ antè confractus, manu beati Cosmæ colligatus fuerat & sanatus. Is ergo cùm tunc adesset, corrigit hominum dubitationem, & veluti curationis quam assecutus fuerat gratiam referens, qui erat mutus vocem accipit humanam: & iubet eum fratri adiungi. O noua & inaudita. O terribilia Dei miracula. Homines dubitant, Cameli philosophantur. Qui sunt ratione præditi, consilium capiunt de iis diuidendis qui non possunt diuidi, rationis autem expers natura commodatò accepta oratione, à superis enim scilicet venit hic iussus, ostendit quàm essent alienæ à ratione, dicens nullam esse iustam causam cur eos corpore disiungerent, qui sunt alioqui coniuncti in omnibus, quibus quomodo est vnus Dominus, ita etiam vna fides, vna anima, consilium vnum, & vnus spiritus, quomodo etiam vocati sunt in vna spe eorum vocationis. Qui cùm quomodo carne, ita etiam spiritu nati sint fratres, eis esse honestum & valde iucundum semper habitare & corpore & spiritu, quomodo enim prædicit diuina scriptura. Num autem cùm essent quidem superstites viri admirabiles, operam nauabant curandis hominibus: eos verò neglexerunt, cùm essent ad Christum resoluti: an miracula quidem faciunt, sed minora? an illis quidem maiora & prioribus magis admirabilia? sed ad breue tempus? An semper quidem, non autem vbique? Nequaquam. Quò est autem mens sensu, & spiritus corpore leuior &

3 Ecce quomodò in Orientali Ecclesia sacerdotes Christi castitatem & virginitatem aliquando seruauerunt.

potentior, tantum hi terra dimissa & translati in cœlum, cùm ab ea quidem quæ est in carne recesserint conuersatione, ad spiritum autem perfectius accesserint, benignius simul & efficacius bona opera efficiunt. Atque tunc quidem paulò post eorum decessum, cùm re vera ad illum accessissent agricolam, cui cùm per os somno hians exitialis irrepsisset serpens, grauiter eum conuellebat, & interna exedebat, eum vocibus & supplicationibus ipsos 4 inuocantem, per os rursus euomere fecerunt malam bestiam: & à graui illa & lætifera calamitate hominem liberarunt. Post hæc autem mulier quædam insignis periclitans, & magnis vocibus tanquam magnos seruatores Cosmam inuocans & Damianum, in domum suam reuersa est conseruata, quam maritus quidem pius peregrè proficiscens, sanctis prudenter commendarat, à malo verò dæmone persuasum, qui iurabat se eam ducturum ad maritum, & ex ædibus progressam, deinde periculo mortis ab ipso illaqueatam, & ne periret in discrimen venientem, ipsi repentè accedentes conseruarunt. Quid his diuinius aut celebrius? Etenim cum diuinis & maximè intelligentibus mentibus, vt purissimi, coniuncti illi beati: & cum celeri & supermundana natura, potestate qui est in eis diuini spiritus contendētes, adsunt omnibus qui indefessi semper eos syncerè & germanè inuocant: & manu incorporea & viua virtute tangentes, non solùm corporum affectiones & morbos immedicabiles, sed etiam alios casus & varias calamitates diuinioribus curant adumbrationibus: quas nec fieri potest vt omnes enumeremus, nec est huius præsentis instituti. Quis est enim adeo incredulus? Quis adeo stultus & hebes, vt nullam ex eis gustarit & senserit vtilitatem? Non enim quomodo Græci nominarunt Dioscoros, ita etiam hi præsunt humanorum corporum medicinæ. Nam illis quidem sicut in aliis à veritate aberrantibus, spem habuisse in diis & dæmonibus: ita in his quoque inerat in vanis hiasse attonitos nominibus, & temerè fiduciam habuisse in rebus inanibus. Nobis autem qui re vera pendemus à Christi veritate, per sanctos Anargyros verissimum est ab eo nobis propositum donum curationis. Sed ô par diuinum & beatum. 5 O oculi puri & luminosi puræ Ecclesiæ & lucidæ, per quos eius corpus illuminatur. O vbera diuina & pulchra, tanquam duo fontes, è quibus non lactis, sed viuæ gratiæ emanant curationes. O manus eorum quibus sunt membra luxata. O paralyticorum genua, pedes claudorum & mutilorum. Omnibus enim facti omnia, ad Dei imitationem sustentatis quidem eos qui concidunt: erigitis autem eos qui sunt confracti. Hæc est quæ à nobis ad vos proficiscitur laudatio, breuis quidem, & longè vestris meritis inferior. Sed mihi ignoscite, quod deest orationi, perfecto animi nostri studio & bona voluntate rependentes: & malas corporis nostri habitudines, vt quod sit in vestra positum potestate, tollite, & sic implentes dono Christi quod est in vobis ad ipsum dirigite. Ad gloriam patris, & filij, & spiritus sancti, nunc, & semper, & in secula seculorum. Amen.

4 Nota miracula quæ fiunt ad horũ sanctorum inuocationem.

5 Hic sanctos inuocat, & petit ab eis, vt tollant malas sui corporis habitudines, quod situm dicit esse in eorum potestate.

ITEM VITA, ET MIRACVLORVM SIGILLATIM NARRATIO, Sanctorum & gloriosorum qui gratis medebantur, Cosmæ & Damiani.

PIetate & vera religione paulò antè resplendente, & Euangelica prædicatione mundum vniuersum occupante, cognitum fuit par admirabile gratis medentium Cosmæ & Damiani. Eis obtigit patria quæ est Asiæ quidem proxima. Erant autem, quoad genus attinet, honestissimi. Et horum quidem clarorum & admirabilium virorum, vt oratio significabit, pater, cùm vitæ à Deo institutæ viam ingressus, pietatemque & verum Dei cultum fecisset maximi, futura verè apprehensus & amplectens: & ea quidem quæ cernuntur prætercurrens tanquam abiecta & incerta: quæ autem sunt illic vbi est Christus sedens ad dexteram patris mirandum in modum amans, relictis his sacrosanctis geminis, hinc excedens ad cœlestia transit tabercacula quæ dilexit insigniter. In eos autem secunda vsa est fortuna mater, erat verò ei nomen Theodote: quæ eos quidem patri faciebat similes, eorum autem omnibus modis curam gerebat, & in virtute educabat: quæ honesta quidem moribus, anima autem honestior: & carne casta, erat omnibus exemplar temperantiæ, mitis ac moderata, & omnem amplectens bonitatem.

Atque arctam quidem & angustam viam elegit hæc puerorum eruditrix, eo vtens duce qui non foras expellit eos qui ad ipsum veniunt: sed porrigit manum paratam ad eos excipiendos. Maternos autem gressus alacri animo sequebantur pueri adhuc ætate tenerrimi, virtutis nouum sulcum secantes: & recens compacto eius thalamo & quæ frangi non poterant colũnas subijcientes. Lætabantur non ingratum laborẽ suscipientes. Magno studio conten-

contendebant vt essent pariter benigni & misericordes: vt in parentem & eruditricem essent beneuolentissimi: vt in cohabitando & simul viuendo esset, quæ abrumpi non posset, coniunctio. Quid ergo? pro iis præmatura misericordia effloruit & gratia: fueruntque gloriæ & honori ei quæ erat circumcirca regioni, vt qui prædicarentur ab omnibus, animi quidem rectitudine ad omnia Domini præcepta ambulantes: Apostolicis autem gratiis ab eo locupletati. Nam cùm vitam suam perfectè instituissent, carnis perturbationum resistentes multitudini: & ad bonum se, vt ita dixerim, à primis exercuissent carceribus, easdem quoq; quas Christi martyres, consecuti sunt remunerationes. Adeò enim amplexi sunt moderationem, & animæ solùm repurgarunt ab iis quæ sunt contraria, eaque à vana iactatione & pecuniarum examine non profanatam adeo conseruarunt, vt solos sol aspexerit primos in terra Cosmam & Damianum post Deum patrem, renouasse spiritum humilem in suis visceribus. Quamobrem exultabat quæ erat eorum mater secundùm carnem, intelligens hos geminos cum ea contendere cum operatione virtutis. Ex quo factum est, vt si quis eos non ipsis nominibus, sed Anargyros, id est, pecunia vacuos dixerit, significet Cosmam & Damianum. Fuit autem viris admirandis impositum hoc cognomen, eò quòd re ipsa suffragaretur veritas. Communiter enim præbebant omnia omnibus vt volebant: Nil verò possidere vsqueadeo summè exercuerunt, vt non solùm secundam abiecerint tunicam, & conuenienter præcepto indumentum calceorum: sed nec manu quidem baculum vnquam gestandum susceperint. Contrà autem ipsi potius se aliis debere esse statuebant pro manu, pro baculo, pro quolibet quod regit & fouet: pro quolibet quod egerit & confirmat, placidum & mitem Iesum imitantes, qui non vt sibi ministraretur, sed vt ipse ministraret aliis. Aperta itaq; arrogantiæ & superbiæ insania ab eis tunc supra modum fuit victa & conculcata. Seruabant autem innocentiam conuenienter ei qui dicit: Videbam has rectitudines. Eorum verò qui ægrotabant recreationem, non disciplinarum & artis effectum existimabant: non opus vocabant medicamentorum, sed solius esse donum eius qui est præstantior: & quamuis se multũ quidem in Hippocratis, in Galeni autem placitis se magis exercuissent, cùm rebus omnibus tutiorem didicissent esse diuinam virtutem, eam quam maximè amplectebantur: & feruentem in Dei amorem spiritui rectum in se spiritum adiiciebant, per quem omne genus morbos nullo negotio superabant, & super scorpios & serpentes incedebant, & ea faciebant quæ erant arte superiora. Quæcunque enim mutilauit natura, ea se posse aggredi ad curandum ars desperat. Illi autem non orborum despiciebant oculos, non leprosorum differebant curationem, non claudorum pedes habebant contemptui, sed ipsos quoque qui sub aspectum non cadunt expugnabant dæmones, in diuinum figmentum eis potestatem auferentes. Propterea semper ad eos confluebat ægrotorum multitudo, vt qui essent benignissimi & munificentissimi. Præterea verò ea quoq; ab eis alebatur, non variis cibis, & qui opus habebant aliquo apparatu: nihil enim horum erat curæ sanctis, quomodo hæc in morbis, compositionibus & temperationibus eis accommodatis: sed solis, vt ostensum est, precibus ad curationem. Cùm autem totam vitam consumpsissent, eos qui erant eiusdem generis beneficio afficientes: & eorum qui vnquam èxtiterũt fuissent maximè hospitales, & omnium quos auditione accepimus maximè frugales, recti & nulli affines reprehensioni, iustissimi, datæ gratia perfecti dispensatores, cum tam multos annos vnicuique indigenti pro meritis distribuissent, & pacificè vixissent, migrarunt ad Dominum pacis. Non erat autem omnino Dei ambos simul de medio tollere, & tantum bonorum aceruum simul auferre: & suo figmento adferre tantam animi ægritudinem. Et ideo vnum quidem prius, alterum verò postea vitæ finis excipit, sed contrà atque processerat eorum ortus, processit excessus. Damianus enim qui natus erat secundus, cùm non morbis eius corpus extribuisset, sed id spiritalibus sudoribus consumpsisset, primus hinc excessit. Paulò pòst autem eum quoq; diuinus ad Christum consecutus est Cosmas. Sed cùm ad hunc locum peruenit oratio, adiiciam aliquam narrationem, quæ auditu quidem erit noua & inaudita: est autem sanctorum moribus conueniens. Cùm in vita essent adhuc superstites viri maximè admirabiles, cùm aliquando repentè & præter spem accessissent ad mulierem, cuius paralysi erat corpus dissolutum, id constrinxerunt, ac confirmarunt, & eam à maximis necessitatibus liberauerunt & doloribus. Ea admirabili beneficio obstupefacta & lætata, quoniam offerre sanctis videbatur esse nimiæ audaciæ, voluit fratres donare tribus ouis. Illa autem vel solummodò fuit amandata. Non æquo verò animo ferens se non fuisse admissam, stans prope partem beati Damiani: Cur, inquit, me miseram existimatis, tanquam abominationem? Cur autem tanquam à scelesta aliqua famula vos auertitis? Ad hæc verò calidis lachrymarum effusis fontibus rogabat & supplicabat. Deinde terribilibus quoque adiurationibus eum mouens, effecit vt acciperet ea quæ attulerat. Postquam autem fratri quoque ea quæ fecerat supplex communicauit, grauiter ferebat diuinus Cosmas, gemebat, indignabatur, eum laudare non pote-

rat, vt qui simpliciter in quoddam magnum facinus incidisset. Dicebat eum vendidisse gratiam spiritus quam gratis acceperat ab omnipotente, molestis affligebatur stimulis afflictionum propter tria oua: isque cùm non audiisset adiurationes, nec spectaret ea quibus flexus magnus fuit Damianus. Et ideo immortalem ferre dolorem statuebat etiã post mortem fratris. Neq; enim mecum sepeliatur frater, dixit moriens, neq; tangatur meum corpus ab illius corpore, cuius dextram audiui fuisse extensam ad accipienda munera. Cùm sic cogitasset bonus Cosmas, longè abfuit vt se fratri demitteret. Quanquam non siuit Deus iram esse incurabilem, sed ei dixit in somnis: Noli temerè fratri irasci. Neq; enim quæ sunt oblata accepit propter munera: sed quod nollet meum nomen despicere, cùm hoc ei mulier ante alia obijceret, & per ipsum eum valde adiuraret. Hinc factum est, vt ille quidem irã remitteret, etiamsi iis qui aderant, diuinam illam non dixerit apparitionem: ex eo autem omnino clarum extitit, quòd Camelus deposita quodammodo vacuitate rationis, cùm quod est maximum & maximè admirabile, vocem subiisset humanam, vt paulò pòst ostendemus, iusserit vt is cum fratre mandaretur sepulturæ. Cùm enim totũ vitæ cursum confecisset B. Cosmas, vt rursus paulò altius repetam narrationẽ, &, cùm non sufficeret amplius corpus multorum dierum ieiuniis, in bonorum Angelorum manus tradidisset animam: qui diuinum corpus illius efferebant & exportabant, erant animi valde dubij vbinam id deponerent: tempus verò producentes, differebant sepulturam. Cùm autẽ sic essent perplexi, & prætereaquidem quæ visa erant fratribus, aliquid facere non esse tutum existimarent: rursus verò indignum reputarent vt qui ex eodem vtero prodierant, nõ eandem assequerentur sepulturam propter paruam occasionem, certo & maximè admirabili signo. Deus eam sustulit controuersiam. Quidam enim Camelus, cui fuerat pes aliquando contritus, ab inclyto autẽ Cosma facto 6 signo crucis inuenerat statim curationem, etenim brutorum quoque curationis propter insignẽ misericordiam suã curam gerebat, cùm tunc apparuisset alicunde ex montibus, humano est locutus sermone: & eũ iussit deponi apud fratrẽ, adeo pulchrè animal expers rationis decidit controuersiam, & superna prouidẽtia pro pede reddidit mercedẽ, & non corrupit gratiam ingrati animi vitium: sed in re quæ conuenienti opus habebat ratione, fuit vtilis iis qui ipsum curauerant. Et illi quidem sic fecerunt: Camelus autem reuersus fuit ad sua pascua. Nullus ergo tunc erat qui non eos vocaret Seruatores, 7 & illorum defleret priuationem: nullus erat qui non damnũ esse statueret, sanctorum Cosmæ & Damiani decessum. Lamentabatur multitudo eorũ qui curati fuerant. Flebiliter eiulabant ij qui erudiebantur. Ab adolescentibus luctus, à viris fletus, à mulieribus excitabatur eiulatus lachrymabilis. Hanc calamitatẽ ne infantia quidem ignorabat, etiamsi qui ad Deũ transierant, erant paratissimi ad omnem petitionem: & bonis prioribus adiecerant ea bona quæ sunt post mortẽ: & benignè bona opera suppeditabant. Nondum enim humi conditum fuerat Cosmæ corpus, & vir quidam operarius qui manibus sibi victũ parabat, cùm ab agri colendi laboribus in soporẽ fuisset resolutus, perniciosum serpentem suis excepit visceribus. Cùm ergo ab illo grauiter cõturbaretur, & intestina eius exederentur, mortis tenebatur desiderio, præ mali quod eũ premebat magnitudine, à quo non poterat liberari: & non tacendis vocibus sanctũ illud par inuocabat. Illi autem cùm non in somnis, sed re vera ad eũ apertè accessissent: & vt ex imo euomeret iussu suo effecissent: & curationem ei breui præbuissent, euanuerunt. Deinde haud ita multò pòst illustris quædam mulier, quã eius maritus peregrè proficiscens, vt ad eam custodiendam diligentissimis, & ad ferendum auxilium acerrimis, sanctis commendauerat, vt ad eum veniret iusserat, quando aliquis ad eã accessisset literas ab ipso adferens, & ostendens annulum quo signabat: ipsa dæmoniaco consilio veniens in periculũ, liberata fuit è necessitatibus quæ vitari non poterant, nominis sanctorũ opportunè recordata. Spectrũ enim quoddam dæmoniacũ, quod ei qui peregrè erat profectus eò ipsa inuidebat, quòd eis qui erãt acres ad defendendum suam crediderat vxorẽ, ad decipiendum quàm potuit probabilissimè effectũ, simul quidẽ & mariti mandatũ, vt quod despici non poterat, reuocabat in memoriã: & seipsam ad eum breui adducturum affimabat & iurabat. Ea autẽ cùm non posset intelligere quidnã strueretur, illud spectrũ est secuta. Ille verò in profundissimũ eam detrudit baratrum, in quod & erat casura: & luctum quidẽ marito conciliatura, dæmonium autẽ ad risum motura, nisi sancti illi qui depositum acceperant, & innumerabilibus oculis eam custodiebant, quæ verbis non potest exprimi, maxima celeritate venientes eam conseruassent. Sic mulier cùm maius quàm sperabat inuenisset auxilium, & in domum suã esset reuersa, sanctis ferebat acceptum, & illis agebat gratias, quòd soluta esset eius calamitas. Tam multis virtutibus & miraculis clari fuerunt viri beati cùm essent superstites: tam multis muneribus nostram ornarunt naturam etiam post mortem suam. Sic Cosmæ & Damiani benignitatem & singula beneficia cogitantes, diuinæ lætitiæ & exultationis dies ne in futurum quidem nos deficient. In Christo Iesu Domino nostro. Cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

6 S. Cosmas signo crucis facto camelo curationem inuenit.

7 Vides sanctos dici seruatores, & tamen nullã Domino Iesu Christo fieri iniuriam.

VITA

VITA SANCTI SEBASTIANI MARTYRIS, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

ROmæ natale sancti Sebastiani martyris, qui intantum charus erat illis temporibus Diocletiano & Maximiano, vt principatum ei primæ cohortis traderent. Quem Diocletianus vbi Christianum cognouit, nec à fide posse reuocari, iussit ligari in medio campo, quasi signum ad sagittam, & sagittari à militibus. Qui cùm sagittis plenus staret, quasi heritius, putantes eum mortuum, abierunt. Nocte autem veniens quædam mulier nomine Hirene, tollere corpus, inuenit eum viuentem, & adduxit in domum suam, & curam eius egit. Qui vbi conualuit, multos in fide confortauit. Nec mora, ipsis Imperatoribus apparens, hos, prout digni erant, corripuit. Tunc iussit eum Diocletianus in Hippodromum Palatij duci, & fustigari donec deficeret: quem mortuum in cloacam maximam miserunt. Sed ille apparuit in somnis sanctæ matronæ Lucinæ, dicens: Iuxta Circum inuenies corpus meum pendens in vnco, hoc sordes non tetigerunt: & dum leuaueris, perduc ad catacumbas, & [1] sepelies me in cripta iuxta vestigia Apostolorum. Quæ ipsa nocte cum seruis veniens, totum ita compleuit.

Habetur in martyrolo eius sub xiij. Kaled. Feb.

[1] Si sepultura negligenda esset, & non curanda, vt garriūt nonnulli, sanctus martyr non mādaret corpus suum sepeliri iuxta vestigia Apostolorum.

MARTYRIVM SANCTI MARTYRIS SEBAstiani, & eius sociorum, Zoes, Traglini, Nicostrati, Claudij, Castoris, Tiburtij, Castulli, Marcellini, & Marci.

Apud Simeonem Metaphrasten.

Decemb. XVIII.

CVM multi diuersis temporibus, aduersus Christum & aduersus illius asseclas insanierint, Diocletianus & Maximianus, in malis par improbū, tantum alios omnes superarūt in producenda in nos persecutione, vt nullum posteris locum reliquerint quo eos in furore possent antecellere. Nam cùm tyrannicum accepissent imperium quod suffragabatur eorum amentiæ, & securè omnia auderent, contendebant partim quidem blanditiis, & verbis fallacibus, partim autem minis & plagis grauissimis, eos qui subiecti erant illorum imperio à Deo vero abducere, & ad impietatis ditionem traducere. Vbique itaq; per suum principatum eos omnes comprehendentes qui Christianam tuebantur religionem, in custodias tradiderant & carceres: vt paulatim forti maiorem sensum caperent perpessionis: & pietatem quidem negantes, viderent hanc lucem: in non parentes autem, mortis ferretur sententia.

Cùm hæc sic fierent, quidam Sebastianus, vir & genere clarus, & gloria insignis, ortus Mediolani, Tyrannis erat adeo venerādus, quòd videretur in omnibus vir spectatus, & probatus, vt connumeraretur inter amicos fidelissimos, & primas partes teneret in numero militari. Is cùm didicisset veram fidei rationem, & vellet non solùm seipsum, sed etiam alios ad Christum adducere per martyrium, conabatur quidem in principio latêre & se celare. Non quòd timeret cruciatus, sed vt cum simulatione crederetur impius, esset re vera aliptes Christianis, & sic permultos induceret ad pietatem. Cùm verò euasisset tempore omnibus manifestus, & postremus martyrij subiisset certamen, longè pulcherrimam assecutus est victoriam, quæ bona cœlestia ei conciliauit. Sed hæc quidem postea.

Tunc autem quando, sicut dictum est, conabatur latêre, & fingebat se ea honorare quæ Imperatores, accedens in carceres in quibus seruabantur quicunque erant capti ex Christianis, piis eos verbis adhortabatur ad suscipienda certamina martyrij, præsentem vitam cum futura comparans: & suadens hanc quidem contemnere vt fragilem & morti obnoxiam, illam autem solam intueri, & omnia facere ne exciderent à bonis in quæ non cadit interitus. His verbis & multos quidem alios induxit, vt quæ sunt grauia & aspera ferrent vsque ad mortem, & non proderent pietatem: qui autem erant genere & opibus omnium clarissimi, ij fuerunt Marcellinus & Marcus, quorum pater quidem erat Tranquillinus, mater verò Marcia: non minus autem fuerunt vitæ instituto fratres quàm corporibus. Quibus cùm postquam diu fuissent inclusi in carcere, & plurima tormentorum genera pertulissent, & iam vltimam gladij plagam essent accepturi, & Chromatius Præfectus vrbis eis dedisset spatium triginta dierum, iussit omnes accedere qui ad eos genere attinebant, & eis venire in conspectum, vt tempore & necessariorum suorum molliti eiulatibus, impietati concederent. Cùm ergo hæc facta essent, & omnes accessissent, pater quidem in conspectu filiorum suam deflebat orbitatem, dicens illa verba miserabilia: Quis, ô fili, erit mihi baculus senectutis? Quis me mortuum componet? Quis hoc miserrimum & abiectum corpus

mandabit sepulturæ? Misereminimei ô filij, quos genui, quos alui, quos ad hanc vsque ætatem produxi. Cur mortem amplectimini voluntariam? Cur ad obitum festinatis immaturum? Parcite formæ vestræ, parcite iuuentuti. Ne me quidem despiciatis orbatum filiis: domum autem in qua estis educati, transeuntem ad alienos, & eos fortasse qui nobis sunt odio, vt quæ suos non habeat hæredes. Et pater quidem sic suam impleuit lamentationem. Ex alia verò parte mater comam vellens vnguibus, & è sinu porrigens vbera, partum, & lac, & alios labores quos in iis alendis susceperat, reuocabat in memoriam, quid non dicens, quid non faciens ex iis quæ possunt mouere ad misericordiam? Post parentes autem rursus sequebantur vxores & chorus impuberum filiorum: illæ quidem enumerantes mala viduitatis: hi verò, quoniam nondum loqui poterant, intentis oculis intuentes parentes, orbitatem eis reducebant in memoriam: & alia quæ consentaneum est iis euenire, qui in hac ætate non curantur, & defenduntur à parentibus. His accedebat turba æqualium & amicorum, quæ dicebat: Recordemini pulchræ & iucundæ vitæ quam inter nos degebamus. Veniat vobis in mentem lux suauis, quam qui sunt experti, est omnino eis molestum ea priuari. Cùm hæc sic dicerentur, tota domus erat plena lamentationibus, adeo vt dicti Athletæ emitterent fontes lachrymarum, & discerperentur eorum viscera commiseratione. Quod quidem cum animaduertisset beatus Sebastianus, & timuisset ne misericordia emolliti proderent pietatem, stans in medio, & apertè ostendens omnibus se esse Christianum, neque enim existimabat oportere se celare, ad eos qui aderant verbis est vsus eiusmodi: Si stabilis quidem & firma, ô vos, esset hæc vita, & in omne æuum extenderetur, videremini fortasse facere consentanea, ab his perpetiendis auertentes Athletas. Cùm autem eorum quæ sunt præsentia nihil sit firmum & stabile: fluant vero ac ferantur omnia, & alia nos vita excipiat quæ non est fluxa, nec vnquam desinit: cur ad hæc attrahitis fortes & generosos Athletas, eis suadentes vt maneant in iis quæ videntur, & ea quæ decidunt præferant iis quæ manent? An nescitis quòd pro Christo quidem pati, conciliabit regnum cœlorum: eum autem negare, & prodere certamen, facit vt qui sic cogitarunt, ab eo excidant? Qui enim, inquit, me negauerit coram hominibus, ego quoque eum negabo coram patre meo qui est in cœlis. Sed timetis ne sint omnino perituri, & non amplius futuri, qui vitam præsentem relinquunt? Sed ego huius sum fideiussor: ego hunc vobis metum adimo: hæc est enim summa & caput nostræ fidei. hoc persuadet vt terrena despiciamus, quòd postquā hinc excesserimus, ad aliam sumus vitam transituri, in qua conuenienter iis quæ gesserit accipiet vnusquisque remunerationem: vbi hi quoque habitantes, & cum 1 Christo lætantes, recordabuntur & parentum, & filiorum, & vxorum, bona eis postulantes, suis ad Deum supplicationibus facilem eis vitam præbentes. Desinite ergo flere, & Athletas emollire, & à prompto & alacri animi studio retardare. Non enim vos omnino relinquent, etiam si hoc videatur: sed erunt seruatores 2 & custodes, nunc quidem ita aduentantes, vt non cadant sub aspectum: post vitæ autē exitum, in æternas suscipientes mansiones, cū eis delectationis futuros participes. Et hæc quidem ad eos qui venerant. Orationem verò rursus conuertens ad fortes & generosos Athletas, dixit: Videtis, ô Christi milites, callida maligni inuenta, per quæ conatur vos à vestra salute abducere? Quod enim per tormenta facere non potuit, hoc tentat efficere per vestros necessarios. Sed ne ignoretis vos eius consilia, scientes eum omnibus modis insidiari, & omnibus vos aggredi machinis: quomodo nunc quoque cùm vidit vos venisse ad finem certaminum, & non ferens dedecus quòd sit victus, postquam multa mala vobis intulit, studet post victoriam vos priuare præmiis: vt præter id quod ex acceptis plagis nihil essetis lucrifacturi, præterea Christum quoque amittatis. Hoc est enim illius opus, & grauia inferre, & eam quæ hinc accipitur vtilitatem intercedere iis qui laborant. Sed vos cùm hæc sciatis, resistite fortiter insidiis aduersarij: neque parcite carnibus, quæ sunt paulò pòst interituræ, neq; metu vltimæ plagæ: ea enim sola est in inimici potestate, prodite regnum cœlorum, & gloriam in secula permanentem: quam magnum quidem est assequi, & supremum bonorū: ab ea autem excidere, est longè miserrimum. Hæc cùm diceret beatus Sebastianus, & promptum & alacre animi studium confirmaret Christi Athletis, dicitur lucem eum circumfulsisse, & visum esse stantem propè eum iuuenem, & magno vestis splendore refulgentē, adeo vt omnes qui viderunt, obstupuerint, & supernæ gratiæ hoc esse opus confessi fuerint, quæ testimoniū ferebat eū dixisse veritatem. Hoc aliud quoq; est consecutum dignum quod dicatur, & memoriæ mandetur: quod quidem eos qui aderant maximè ad fidē adduxit, & persuasit, vt solum verum Deum attenderent. Quædam enim mulier Zoe nomine, coniux Nicostrati, qui ordinem obtinebat primicerij: est autem hæc vna dignitas ex iis quæ sunt sub præfectura: cùm in grauē morbum incidisset, non poterat quidem loqui, neq; cordis motus explicare: intelligere verò & audire quæ dicebantur poterat citra vllum impedimentum. Ea mente agitans verba beati Sebastiani: custodiebantur enim sancti in eius domo, cùm illa

1 Vides quod post mortē sanctorum animæ recipiuntur in cœlum, recordantur parentum & filiorum, & vxorum, pro eis Deum rogant, et bona impetrāt.

2 Sancti seruatores nostri sunt & custodes.

illa non posset lingua admirari, vt quæ rectè dicta essent, oculis annuens omnibus, & manum quatiens, ac sancti pedes tangens, propemodum per muta facta vocem edebat, & tacens erat prædicatrix pietatis. Cùm intellexisset autem vir ille diuinus, non sine Dei numine moueri mulierem: & vellet ad agnitionem multos adducere per miraculum, iubet eam stare in medio, & Christi nomine 3 inuocato, ei statim largitur vt loquatur. Quod quidē cùm vidisset Nicostratus, sanctos quidem laxauit è vinculis, petita autē ab eis venia, quòd in eos prius deliquisset, rogauit eos vt abirent procul à ciuitate. Illis verò preces eius non admittentibus, sed dicentibus se non esse suam prodituros nobilitatem nec coronis martyrij alijs esse cessuros: Essem, inquit ille, re vera felix, si causa vestræ salutis athleticum certamen suscepissem, & meum sanguinem pro vobis effudissem, vt sordes malorum abluerem, quas iam mihi inussit dæmonum ministeriū. Sed si hoc, aiunt, vis consequi, necesse est vt hic prius congreges eos, qui in diuersis seruantur carceribus, & eos donum Deo offeras: deinde etiam venias ad finem quem desideras, vt hinc maiorē habeas fiduciam, vt qui non solùm pro Christo sacrificeris, sed etiam totum populum ei per fidem cōcilies. Cùm hæc verba audiisset Nicostratus, nihil cunctatus fecit quod iubebatur. Et cùm omnes qui erant in vinculis duxisset in domum suam, admiscuit iis qui illic erant Christianis. Qui cùm à B. Sebastiano didicissent verbum veritatis, ipsi quidem, 4 ieiuniis vacantes & precibus, præpurgabantur ad suscipiendum baptismum. Cùm autem Præfectus vrbis Chromatius audiuisset omnes reos è vinculis laxatos versari in domo Nicostrati, dolore affectus, iubet Claudio Commentariensi eum adducere magna celeritate. Qui cum fuisset adductus, hæc ei dicit: Cur, ô caput impium, eos qui erant in carceribus, congregari fecisti domi tuæ? Ille verò volens interim eum decipere, sapienter sic respondet: Non tuam, ô Iudex, despiciens potestatem: quis enim tanta esset audacia? sed intendens Christianis maiorem metum supplicij, hoc sum aggressus: vt quæ eis imminebant tormenta videntes in alijs, extimescant, & pareant decretis Imperatorum. Eius itaque ingenij solertiam admiratus Præfectus vrbis, fraudem enim non intelligebat, iussit redire domum. Ille autem domum reuertens simul cum Claudio Commentariensi, narrauit ei pietatem beati Sebastiani: & quòd cùm esset notus Imperatoribus, & ei ab illis maxima haberetur fides, despexerit gloriam & opes, & potentiam: & nunc versetur cum Christianis, eos exhortans, & eis animum addens ad pietatem: & signis quæ sunt contra opinionem, & miraculis verbum confirmans veritatis. Hæc cùm audiuisset Claudius, & esset consauciatus Christi desiderio, cursim domum venit: & duobus acceptis filijs, ex quibus alter quidem conflictabatur cum graui morbo hydropis: alter autem erat totus vlcerosus & leprosus, accedit ad Nicostratum, apud quem erant sancti. Et cùm cecidisset in terram, adorabat ipsos, confitens pietatem, & petens vt curarentur filij. Cùm ergo tota domus esset plena viris & mulieribus, qui verbum fidei susceperant, quidam Polycarpus, vir pius & presbyteratus dignitatem assecutus, stola sacerdotali indutus, peractis consuetis precibus, perficit omnes diuino baptismate. Post quod cùm qui morbo laborabant sanitatem recuperassent, & seinuicem exhortarentur ad suscipienda fortiter certamina, quoniam præterfluxerat quod fuerat ei datū tempus dilationis: Præfectus, accersito Tranquillino patre Marcellini & Marci, nondum enim sciebat illum religionem tenere Christianam abiecto cultu simulachrorum, dicit ei: Adhuc ne tui filij recusant diis sacrificare, contemnentes iussa Imperatorum? Ille verò dixit, respondens: Beati illi, quòd sint in hac sententia, & ab errore liberati ipsam agnouerint veritatem, & vix me tandem ad eam deduxerint. Dixit Præfectus vrbis: Ergo tu quoque re vera immutatus à mente discessisti, verbis credens fallacibus, & ad hanc infelicem traductus religionem? Dixit Tranquillinus: Eram ego quoque aliquando in hac sententia, ô Iudex, & qui religionem sectabantur Christianam, arbitrabar decipi, & non esse sanæ mentis. Postquam autem egregium conueni Sebastianum, virum insignem, & qui est, vt scis, magno studio Imperatoribus, & ab ipso didici, quàm sit honesta & veneranda fides, & non, vt nostra superstitio, sordida & odiosa, didici experientia quem Deum colere oporteat. Quem qui ignorant, si fas sit dicere, sunt propter errorem miserabiles: & eò magis, quòd sibi videantur esse sani, cùm non sint sani sensibus. Dixit vrbis Præfectus: Dic quibusnam verbis credens aut factis es adeo mutatus vt eum pro Deo habeas, qui actus fuit in crucem, & alia passus est plena probro & dedecore? Dixit Tranquillinus: Si non iracundè, sed patienter & placidè me audieris, ô Iudex, ostendam tibi hunc crucifixum verum esse Deum, & Dominum totius naturæ, tam quæ est aspectabilis, quàm quæ non cadit sub aspectum. Dixit Præfectus: Dic nobis liberè & nihil reticens. Vt si res tui Dei bene se habeant, simus nos quoque socij tuæ religionis. Dixit Tranquillinus: Quoniam facta est mihi dicendi potestas à tua mansuetudine, audi paucis mysterium consilij, & œconomiæ carnis susceptæ: & scies omnino, nisi velis lubens cœcutire ad veritatem, nullā aliam religionem carere errore præterquam solorū Christianorū.

3 Sebastian⁹ Christi nomine inuocato Zoe mulieri mutæ largitur vt loquatur.

4. Ecce quemodo etiā antiquit⁹ adulti baptizādi per aliquot dies ieiunijs & orationibus præpurgabantur.

Hic Christus quem vos insectamini maledictis, cùm esset Deus ab initio, in quem non cadit interitus, & qui mutari non potest & alterari, & qui est semper cum patre & Spiritu, ipse omnia produxit: primum quidem angelicas potestates cœlestes: deinde autem hunc mundum, & postremum inducens hominem, quem & manus suæ ornat effectione, & regem constituit eorum quæ sunt in terra: & cùm eum ad habitandum locasset in paradyso, dat ei mandatum, vt fruatur quidem omnibus quæ in eo sunt arboribus, ab vna autem sola abstineat, eum erudiens ad obedientiam, & maiora procurans per obseruationem: sed vnus cui obtigerat imperium in Angelicos ordines, ad vitium impulsus, & diuina gloria, propter elationem, cum eo ordine cui imperabat, priuatus, non patiebatur videre hominem Deo esse coniunctum, & ad cœlum vnde ipse ceciderat euehi. Vnde etiam inuido in eum coniecto oculo spe fallaci, & eo modo quo ipse ceciderat, diuina eum gloria spoliat, & à loco qui ei datus fuerat ad habitandum, & ab immortalitate efficit alienum. Neque verò is deinde intermisit hominũ naturam in mala sibi inuicem succedentia immittere, vt quæ à superna ope esset destituta, adeo vt hominẽ abduxerit à Deo qui eum creârat & formauerat: deduxerit verò ad simulachra & manuum figmẽta, & effecerit vt res creata insurgeret aduersus creatorem. Hinc lex data est ad correctionẽ: & prophetæ opem ferunt Dei figmento: & cùm esset morbus immedicabilis, & ad deteriora extenderetur, ipse Patris filius vnigenitus visus est in terra, & in omnibus est effectus similis nobis absque peccato: & cùm eum qui defecerat, & eos qui eius parent imperio, cum corpore vicisset, quos vos deos esse putatis, nos ad antiquam reduxit nobilitatem: & rursus ascendit ad Patrem cum eo quod assumpserat: & veniet hac vita dissoluta, & congregabit omne figmentum, daturum rationem eorum quæ fecit bene vel malè. Hæc sunt ô Iudex, arcana œconomiæ. Propterea est & crux, & mors, & sepultura, quæ vos cùm Christo obijcitis, non animaduertitis vos per ea per quæ contemptui habetis, ostendere eum esse colendum & venerandum. Si enim passus est vt homo, resurrexit vt Deus: etiam si vos relictis ijs quæ sunt excelsiora, & quæ eum apertè Deum ostendunt, remanetis in ijs quæ sunt humiliora, eius in homine benignitatem & œconomiam reputantes imbecillitatem: & neque opera admirabilia, quæ & tunc & nunc fiunt in eius nomine, vobis tandem persuaserunt intueri ad veritatem, & agnoscere creatorem. An non vides qualis ego quoque euaserim, ex confessione eius & baptismate: qui prius eram membris dissolutus, & vix poteram ingredi? Postquàm hæc audiuit Præfectus, tacuit aliquamdiu, & cùm quæ dicta fuerant animo agitasset, & vidisset res verbis congruere, & veritatem religionis ex miraculis apertè didicisset, iis qui aderant semotis, vocat Tranquillinum, & ei dicit: Video frater, esse magnã Christianorum religionem, & non esse alium Deum præter eum solum, qui à vobis adoratur. Si ergo vis me quoque ad eum accedere, & esse tecum participem tuæ religionis, nunc quidem abi domũ secretum tenens consilium: crastino autem die accipiens sanctos quos dicis præesse collectis Christianis, duc eos ad me, adhibito studio ne quis eos videat. Nam ego quoque sum Christo per illos offerendus, relicto errore simulachrorum. Post hæc ergo dimisso concilio, cùm in domum suam venisset Tranquillinus, & sanctis narrasset quemadmodum locutus fuerat cum Præfecto, & quemadmodum ei persuaserat, vt religionem sequeretur Christianam, effecit vt omnes magna afficerentur lætitia, cùm resciuissent, eum qui prius erat persecutor, mox futurum acrem Christianis athletam. Quare cùm 5 nox illa fuisset consumpta in psalmis & hymnis, vbi dies aduenit, accipiens Tranquillinus sanctos Sebastianum & Polycarpum, sicut ei iusserat Præfectus, abijt in domum suam. Quos cùm vidisset ingressos, surrexit: & cùm pedes eorum tetigisset, eos rogauit vt salutem assequeretur, & liberaretur ab eo morbo quo laborabat: erat enim eius corpus totum tumefactum & mutilum, adeo vt ex hoc ei fieret tardus & torpidus motus. Cùm ij autem dixissent fore vt ei membra soluerentur, si ex toto corde Deo crederet: hoc voce clarissima est confessus, abnegata impietate simulachrorum. Nec hoc solùm, sed etiam cum ipsa dæmonum simulachra quæ erãt domi eius, sanctorum monitis inductus contriuisset, & in puluerem comminuisset, ostendit sincerum opus fidei. Quo tempore fit etiam quiddam dignum quod dicatur & memoriæ mandetur. Tiburtius enim filius Chromatij adhuc dubitabat in fide. Et cùm vidisset alia quidem simulachra patris esse contrita, vnum autem adhuc esse reliquum opus admirabile, in quo erat vniuersa astrologia & motus cœlestium, alia esse contrita ægrè ferens, hoc vltimum amplectebatur, & non prius id sinebat conteri, quàm per ipsum accepisset sanctorum experientiam, & opere confirmatus fuisset ad pietatem: & cùm curasset adferendos clibanos, & eis ignem substrauisset vt accenderentur, dicit sanctis: Hoc velim sciatis, quòd hoc pulchro contrito opere, si sanitas quidem fuerit restituta patri meo, sicut estis polliciti, ero ipse quoque verus Christi discipulus, excussa dubitatione: Sin autem eius morbus durauerit, postquam id interierit, vos huic quod videtur supplicio subijciam tanquã deceptores. His verbis victis, pater quidé prohibe-

5. Nota. cum nox illa fuisset cõsumpta in psalmis & hymnis.

prohibebat eum ad talem venire experientiam. Sancti verò lubenter accepta conditione, nõ enim diuinæ virtuti poterant non credere, vrgebant iuuenem ad opus conterendum. Quod cùm factum esset, lux statim circumfulsit Chromatium, & ei pulcher apparens adolescens, dixit ei: Beatus es quòd Christo credidisti, qui nunc misit me ad te vt dem tibi liberationem à morbo quo teneris. Quæ simulatque dicta fuêre, dissoluta est membrorum mutilatio, & licebat videre eum qui prius vix ingrediebatur, tanquàm ceruum tunc saltare. Propter quod fertur stupefactus Tiburtius protinus accurrisse, & sanctorum pedes tangentem Deum verum confessum esse Christum, & rogasse vt ab eis assequeretur baptismum. Lætati autem sancti iuuenis mutatione, eique & patri dato 6 tempore præstituto, vt sordes ex priore vita susceptas abluerent, diuino eos dignantur baptismo. Et post hæc Chromatius prætextu morbi Præfecti vrbis deposito magistratu, nondum enim volebat suam cognosci mutationem, & indigentibus suis dispersis facultatibus, & iis qui iugum trahebant seruitutis manumissis & liberatis, iisque veluti quibusdã primitiis Deo oblatis, deinceps versabatur cum sanctis, discens fidei rationem: & ad pietatem adhuc magis confirmabatur. Sed iis quidem res ita se habebant quãdiu Carinus administrauit Gallias, qui Christianis mitiorem faciebat persecutionẽ, parcens amicis qui erant inter illos. Postquam autẽ ille quidem vitam finiuit, pij verò nullum habebant qui eos defenderet, erupit in eos grauior persecutio, & columnæ vbique erigebantur per totam ciuitatẽ, in plateis, in fontibus, in foris, in quibus eis quidem qui diis sacrificabant, concedebant & aquã sumere, & alias res venales: eos autem qui non parebant, præter cætera mala, etiam vacuis dimittebant manibus. Tunc ergo Chromatius vsus consilio illius qui Romanam regebat Ecclesiam, nomen ei erat Gaius, primum quidem domum ducens omnes Christianos, illos accipiebat bonis suis omnibus impertiens, neque sinebat eos è domo egredi, sed eos volebat intus sedere: hoc enim sciebat esse tutius propter imbecilliores. Sed quoniam non poterat fieri vt diu laterent, omnia enim deprehendebat acris persecutio, statuit proficisci in quendam montem, in quo illi erat prædiolum aptum & ad latendum, & ad fructus percipiendos cum Christianis imbecillioribus: & illic effugere periculum. Et postquam hoc fuit statutum, & Christi populus fuit in duas partes diuisus, nempe in eam quæ manebat, & eam quæ volebat recedere, fuit inter beatum Sebastianum & Polycarpum laudabilis controuersia, quæ tale habuit initium, & ex hoc mota est. Diuiso enim populo, necesse erat eos quoque vt qui soli aliis præessent, à seinuicem disiungi: & alterum quidem sequi eam partem quæ abscedebat à ciuitate: alterum autem relinqui cum ea quæ manebat. Hi verò volentes ambo subire martyrium, volebat vterque manere: & periculum existimabat non adire certamen. Sed hanc bonam litem componit Gaius in medium procedens, & apud eos verbis vtens eiusmodi: Si vna quidem, ô beati, via esset quæ ducit ad salutem, nec posset qui ab ea errasset consequi ea quæ desiderantur, rectè haberet vos ita arctè tenere decertationem, ne à salute excideretis. Sed cùm hoc quoque largiatur via confessionis, quam scio esse tutiorem & minus periculosam, cur non omissa contentione, laudabili diuisione ceditis alter alteri? Non enim fas est quos Christo coniunxistis, eos relinquere sine pastore, & absque vestra curatione. Videtur autem mihi oportere potius Polycarpum vnà ire cum abeuntibus: vt qui sit & sacerdotio insignis, & ad eos ducendos sit idoneus, & instituendos in pietate. Hæc cùm beatus dixisset Gaius, & omnes essent assensi iis quæ dicebantur, Tiburtius filius Chromatij volebat non vnà cum patre recedere, sed manere in vrbe, & accipere coronam martyrij: & cùm id concessisset Gaius propter magnam constantiam adolescentis, ille quidem deinceps vnà erat cum sanctis diuino accensus desiderio, & propemodum ægrè ferens quòd nõ citius mitteretur ad stadium decertationis. Beatus autem Gaius, cùm eos qui remanserant, ad proposita subeunda certamina prolixa confirmasset oratione: & Marcellinum quidem & Marcum in 7 ordinem Diaconorum, eorum autem patrem in presbyterorum retulisset: inclytum verò Sebastianum Ecclesiæ defensorem constituisset, cum eis versabatur quotidie, vacantibus ieiuniis & orationibus, & Deum rogantibus, vt se fortiter gererent in certaminibus & tormentis, & redimerentur corona martyrij. Et illi quidem in his erant: quidam autem qui cum variis morbis conflictabantur, clam ad eos accedentes, sani reuertebantur: & fiebant ab eis miracula quæ erant contra opinionem: quorum alia quidem prætermittam, vitans satietatem orationis. Vnius verò meminero quàm potero breuissimè.

Descendens aliquando beatus Tiburtius è domo in qua erant sancti, incidit in foro in hominem qui ex alto ceciderat, & è casu tam malè se habebat, vt eius necessarij desperantes de salute, sepulchrum solùm & iusta ei facienda curarent. Cùm itaque ei qui iacebat appropinquasset, & consuetas super eum preces 8 fecisset, reddidit hominem sanum iis qui ad eum attingebant, adeo corroboratum inuocatione nominis Christi, vt nec ei quidem videretur tale quid omnino accidisse. Post curationem autem eius qui ceciderat, accersitis eius necessa-

6 *Vides quomodo baptismũ iure præcedit priorũ delictorum pœnitentia? Non quidem quæ est sacramentũ, cùm baptismus sit ianua sacramẽtorum, sed quæ est virtus.*

7 *Diaconatus & presbyteratus duo ordines Ecclesiastici.*

8 *Precibus & inuocatione nominis Christi Tiburtius collisum hominem de salute desperantẽ sanat.*

necessarijs, Tiburtius dicit eis: Si vultis quoque esse effectores rerum admirabilium, Christo credite, à quo ad me quoque profecta est hæc virtus miraculorum. Postquam verò vidit assentientes & parentes, eos ducens ad Gaium, dicit ei: Suscipe hos venerande pater, quos hodie per me Christus lucrifecit. Ille autem postquam ij verbum fidei didicissent, diuino Baptismate initiatos, commiscuit aliis sanctis, propter hæc Deo agens gratias, qui facit admirabilia in omnibus inuocantibus ipsum. Sed iam tempus est narrandi decertationem, & quisnam finis vnicuique euenerit: quod quidem faciã aliis omissis. Baptisma Zoe orans aliquando ad 9 loculum Apostoli Petri, ab impijs comprehenditur. Et primum quidem adducta ad magistratum viciniæ, & tantummodo iubenti ei vt sacrificaret statuæ Martis quæ illic stabat, cùm verecundè respondisset: Eum Venus magis delectauerit quàm ego: illa de cætero quidem mansit tacens, & oculos humi defigens. Ille autem hoc dicto efferatus, iussit eam seruari in carcere tutissimo, & neque lucem videre, neque cibos sumere. Deinde cùm sex dies transegisset in hac afflictione, septimò transmittitur ad Præfectum Flauianum. Qui cùm post multas interrogationes vidisset eam non posse persuaderi, iubet eam in aliqua alta arbore à capite suspensam, & multo fumo infernè suffumigatam, sic finire vitam. Et illa quidem sic migrat ad Christum desideratum. Crudeles autem parricidæ corpus eius acceperunt, & lapide ei appenso in Tyberim inijciunt, existimantes fore vt sic non appareret, & non esset Christianis morborum medicamentum. Postquam verò beatæ Zoes martyrium fuit sanctis cognitum, id omnes adeò incitauit ad similem zelum, vt Tranquillinus dixerit beato Sebastiano: Vides domine mi, quemadmodum fœminæ sexus imbecillitatem prompto & alacri animo corroborantes, coronas præripiunt? Quod simulatque dixisset, domo egressus, & veniens ad 10 loculum beati Apost. Pauli orandi causã, repente fuit comprehensus, & lapidibus obrutus iacitur in Tyberim. Huius corpus Nicostratus & Claudius simul cum Castorio ad ripas quærentes, vt mandarent sepulturæ, veniunt in manus eorum qui insidiabantur, & ducti ad Præfectum, adeò nec blandis verbis, nec minis, nec vllis insultibus conuerti potuêre, vt Præfectus admiratus significarit hæc Imperatoribus, & ab eis acceperit in illos sententiam, quæ sic habebat: Eos qui non parent edicto nostræ diuinitatis, & nolunt diis sacrificare, iubemus cùm ter fuerint examinati tormentis, marinis tandem tradi fluctibus, nisi castigati suppliciis, nostri imperij cesserint potestati. Hac ergo accepta sententia Præfectus, postquam multis eis illatis plagis vidit eos non cedere nec inclinari, seruiens decretis Imperatorum, quæ ab illis lata fuerat in sanctos pronunciat sententiam. Et illi quidem sic consummati iaciuntur in mare. Curtuatus autem vir quidam, re quidem vera impius, specie verò pius, & se Christianum simulans, cùm se retulisset in numerum sanctorum, factis ipsis præbuit suspicionem. Nam & positura capillorum quàm par erat elaboratior & nimis accurata, victusque nimis mollis & delicatus, & alia minimè honesta conuersatio, induxit eos qui videbant, vt id quod erat, fraudulentum hominem putarent & deceptorem. Non multum intercessit temporis, & cùm beatum vidisset Tiburtium in quadam sacra æde orantem, & eum indicasset impijs, ipse quoque comprehenditur simul cum Tiburtio. Hoc enim ita volebat, vt neque Christianis videretur esse proditor, & cùm satis per ludũ simulasset, sic deprehenderetur. Cùm itaque Flauianus vtrumque curasset sisti ad suum tribunal, dicit Curtuato: Num tu quoque pro Deo habes Crucifixum? Cùm is autem subridendo dixisset, se illum existimare Deum, quem hic beatus, ostendens digito Tiburtium, ægrè ferens admirabilis adolescens tantam simulationem, & ira motus, dicit ei: Ne teipsum decipias ô Curtuate, tentans latêre in dolis. Nemo qui vescitur 11 vnà cum meretricibus, & perseuerat in vini potione vsq; ad ebrietatem, & alia facit impudenter, quorum vel solùm meminisse abhorreo, potest esse Christi discipulus, & gloriari illius pro nobis perpessionibus. Putásne nos ignorare qualis sis, & quemadmodum mihi iucundissimã mortem sis machinatus, quæ me celerrimè liberabit ab hoc humili corpore, & coniunget Christo quẽ desidero? Nam qui expectantur cruciatus & multiplicia tormenta, à me ridentur, & habentur ludibrio. Neque enim timeo exilium, qui domũ mea sponte dimisi volentibus, non ignem, non flagella, non aliquid aliud ex asperis & terribilibus, quorum mihi minæ intentantur. Redduntur enim hæc omnia imbecilla & debilia diuino auxilio. Dixit Flauianus: Has quidem nugas mitte, ô Tiburti, mihi autem parens, parce tuæ nobilitati & iuuentuti, & ne probrosissimã hanc mortẽ amplectaris. Ille verò respondens, dixit: Non est, inquit, probrum nec dedecus ô Iudex, seruire vni Deo viuenti: sed dæmonibus & mortalibus hominibus qui honorátur ex vitijs, quos qui colunt sunt miserabiles & digni qui lugeantur, vt qui in ijs quæ adorant ignominia afficiantur, & sui erroris mercedem hinc accipiant: honor enim eorum qui adorantur, est contumelia eorum qui adorant, & peccare apud ipsos vocatur cultus. Tunc Præfectus ira feruens iussit afferri carbones, & dicit ei: Elige tibi alterum è duobus, vt vel dijs sacrifices, vel super carbones nudis incedas

9. *Duo hic habes morem fuisse etiã antiquitus oratio nes fieri ad sepulchra sanctorũ, & corpus beati Apostoli Petri esse Romæ.*

10. *Et hic idem habes de corpore Pauli quod in superiori notula de corpore Petri.*

11. *Notent hoc vt mirabile, ita etiã verum dictum nostri temporis hæretici.*

incedas pedibus. Beatus autem Tiburtius, cùm signum 12 crucis impressit, stetit supra ipsos, & dixit Præfecto: Vide nunc in me quanta sit fidei potentia: & disce hunc solum esse verum Deum quem ego colo, & efficere tandem Christianus excussis tenebris impietatis. Ille verò timens ne his miraculis multos induceret ad pietatem, iussit vt abduceretur procul à ciuitate, & illi caput amputaretur. Et ille quidem inuenit hunc vitæ finem.

12. Cum signū crucis impreßisset, stetit illæsus super carbones ardētes.

Post eum autem Castellus Diætarius comprehensus, apud quem manebant sancti post Cromatij emigrationem è ciuitate, & post multa tormenta proiectus in lacum, illic finit vitam. Præterea verò Marcellinus & Marcus egregij veritatis athletæ, comprehensi, & pedes clauis confixi, iussi sunt à Iudice tamdiu stare, donec diis tribuerint honorem qui eis debetur. Illi autem in hoc tormento adeò intolerabili: Ecce quàm bonum & quàm iucundum & quæ deinceps sequuntur dictitantes, eis postremò lanceis punctis lateribus, sicut Christus pro quo hæc patiebantur, emiserunt spiritum. Atque illi quidem omnes eo modo quem diximus consummati, hostiæ ab omni labe & reprehēsione alienæ oblati sunt Domino. Sebastianus autem longè generosissimus, vltimus ad supplicia reseruatus, ipse quoque gloriosè suscipit coronam martyrij. Quem cùm accersiisset Diocletianus, & iussisset ad suum tribunal sisti, dixit ei: Non ego te, ô Sebastiane, in maximo honore habebam: & tibi imperium magis quàm alijs credebam, & nunc quî factum est, vt ad tantam sis pessundatus amentiam, vt contra tuam vitam & meam potentiam te petulanter & insolenter geras? Dixit Sebastianus: Tunc quidem, ô Imperator, cùm verum Deum ignorarem, & essem implicatus errore simulachrorum, inconsideratè tuis iussis seruiebam: Nunc verò cùm agnoui veritatem, & quem me Deum colere oporteat, despexi & diuitias & gloriam, & alia quibus prius resplendebam, desiderans ea quæ manent & non perfluunt, quæ parata sunt ijs qui Christum diligunt: est enim extremæ amentiæ, deos putare eos qui facti sunt ex lapidibus, & illa quæ interit materia, & honorare opera manuum hominum quæ paulò pòst non erunt. His verbis ad iram motus Diocletianus, iussit eum in medio campo tanquam scopum positum multis sagittis peti. Quod cùm factum esset, arbitrati Satellites sanctum esse mortuum, eo dimisso recesserunt. Cùm nox autem aduenisset, profecta coniux Diætarum in campum, vt eius corpus mandaret sepulturæ, & cum eum inuenisset adhuc viuū, deduxit domum, & intra breue tempus reddidit sanum. Hoc cùm resciuissent quidam ex Christianis, & ad eum accessissent, obsecrabant vt abiret è ciuitate, ne si rursus apparuisset, pluribus tormentis afficeretur. Ille autem non modò se abdidit, sed etiam stans in alta quadam domo, se prætereuntibus ostendit Imperatoribus. Et cùm vidisset Diocletianus, & ad se accersiuisset, dicit ei: Non es tu Sebastianus, quem nos prius iussimus interfici sagittis? Sum, inquit, ô Imperator: & me suscitauit Dominus à mortuis, vt cognoscas eum esse Deum qui fecit omnia, & non amplius colas impuros dæmones, quorū cum sonitu peribit memoria. Tunc is iussit sancto totum corpus clauis contundi ac confringi, & sic eum è vita excedere. Postquā ergo hic beatus migrauit ad Dominum, Satellites quidem eius corpus noctu sustulerunt, & in quandam cloacam proiecerunt, cùm sic iussisset Tyrannus. Timebat enim ne si fuisset apud Christianos, & faceret miracula, etiam post discessum multos abduceret à simulachris, & persuaderet vt Deum colerent Sebastiani. Hic autem beatus in nocturna visione apparens mulieri cuidam claræ & piæ, ei nomen erat Lucinia, dicit ei: Vade ad hunc locum, & accipe corpus meum, & id 13 sepeli in ea quæ dicitur Crypta ad pedes Apostolorum. Illa verò cùm surrexisset, & venisset in locum in quo erat cloaca, sustulit illinc corpus martyris: & cùm in loco quem dixerat, ipsa diligenter & honorificè eum sepeliisset, ad sepulchrum permansit triginta dies: & cùm fuisset tandem pax reddita Ecclesijs, illa domum suam effecit sacrum monasterium, & quamdiu quidem fuit ei vita superstes, largissima manu succurrebat egentibus. Quando autem è vita excessit, omnes suas facultates in testimonio donauit Christianis. Ad gloriam Seruatoris nostri Iesu Christi, cui gloria & potentia in secula seculorum. Amen.

13. Habet ex hoc loco sepulturā non esse negligendam. Et har esse vt viri Deo dicati splendidā illam & honorificam habeant. Et corpora Apostolorum Romæ esse.

VITA SANCTAE LVCIAE VIRGINIS ET MARtyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

APud Syracusas Siciliæ ciuitatē natale sanctę Luciæ virginis & martyris, quæ passa est persecutione Diocletiani & Maximiani sub Pascasio cōsulari. Hæc nobilissima Syracusanorū, postquā omnia sua, quæ de parentibus ei remanserāt, pauperibus, viduis, orphanis, peregrinis, & Deo seruiētibus distraxit, à sponso suo, quòd esset Christiana, Pascasio Iudici delata, & cōtra leges Augustorum viueret, impellebatur ad sacrificandum dæmonibus. Tunc beata Lucia Pascasio respondit: sacrificium verum & immaculatū apud Deum & patrem hoc est, visitare

Habetur in martyrolo. eius sub Idibus Deceb.

Visitare viduas & orphanos in tribulatione eorum. Ego per istos tres annos nihil aliud egi, nisi sacrificaui Deo viuo, & nunc quia aliud nihil superest, meipsam offero in sacrificium Deo. Cui Pascasius post talia dixit: Cessabunt verba cùm fuerit peruentum ad verbera. Lucia respondit: Dei verba cessare non poterunt. Ipse enim dixit: Cùm steteritis ante Reges & Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: Non enim vos estis qui loquimini, sed spiritus sanctus qui loquitur in vobis. Pascasius iterum dixit: In te ergo est spiritus sanctus? Ad hæc Lucia respondit: Quòd castè & piè viuentes templum Dei sunt, & spiritus sanctus habitat in eis, testatur Apostolus. Et cùm Pascasius iterum dixisset: Ego faciam te ad lupanar duci, vt dum fueris scortata, fugiat à te spiritus sanctus. Beata virgo respondit: Nunquam coinquinatur corpus, nisi de consensu mentis: nam etsi in manu mea thura ponas, & per manum meam facias sacrificium, Deus hæc attendit, & ridet. De sensibus enim & voluntatibus iudicat. Sic patitur violatorem castitatis, sicut latronem, sicut barbarum: nam si me inuitam violari feceris, castitas mihi duplicabitur ad coronam. Post hæc Pascasius tradidit eam lenonibus, dicens: Inuitate ad castitatem eius populos, & facite eam tamdiu illudi, donec mortua nuncietur. Quam lenones nullatenus mouere potuerunt, cùm simul ex officio impellentes accessissent, nec funibus additis, aut boum paribus plurimis. Tunc præcepit Pascasius ministris, vt ignem copiosum circa eam accenderent, picem verò & resinam, & feruens oleum super eam iactarent. Sed illa in nomine Domini Iesu Christi immobilis stetit, dicens: Ego rogaui Dominum meum Iesum Christum, vt ignis iste non dominetur mihi, quatenus tibi insultem plaudens in Domino, & impetraui ab eo inducias martyrij mei, vt credentibus timorem tolleret passionis, & non credentibus vocem insultationis auferret. Tandem gladio in gutture merso percussa, quàm diu voluit, orauit: quàm diu voluit, turbam circunstantem allocuta est: Nec omnino mortua est, donec venientibus [1] sacerdotibus, communionem Dominici corporis & sanguinis acciperet. Passa est autem Idibus Decembris, & in loco vbi percussa est, sepulta, [2] Basilica super corpus eius postmodum fabricata. Pascasius verò Romam perductus, eò quòd à Siculis fuisset accusatus, quòd depredasset Prouinciam, ab omni Senatu auditus, accepit capitalem sententiam.

1. Serui Dei semper obitũ suũ muniunt perceptione sacratißimæ Eucharistiæ sacerdotũ manu exhibitæ

2. Super corpus sanctæ virginis basilica fuit ædificata.

VITA DOROTHEAE VIRGINIS ALEXANDRINÆ, Et Sophroniæ Romanæ mulieris, & plurium sanctorum martyrum sub Maximiano, Maximino, & Maxentio passorum, per Eusebium Cæsariensem Episcopum scripta.

Habetur libr. 8. Ecclesiast. historiæ cap. 17.

QVo tempore Romæ Maxentius Maximiani Herculei filius tyrannidem ceperat: In Orientis atq; Ægypti partibus Maximinus simili per omnia crudelitate & vesania tyrannidem gerebat, ita vt alter alterum, vtpote in tyrãnide socius, etiam in sceleribus videretur imitari, & nescires cui potissimum dare flagitiorum palmam deberes. Eo sanè Maximinus præire socium sceleris videbatur, quòd etiam publicos honores & maximos magistris magorum, & malarum artium doctoribus decernebat. Simulachrorum quoque cultui satis superstitiose deditus erat, ita vt ne ad paruum quidem motum sine augurijs & diuinationibus ac symbolis adquiesceret. Vnde & vehementior aduersum nos & grauior prioribus persecutor fuit. Vetera quoque delubra & olim etiam à studiosis cultoribus derelicta, reuocari omnia iubet: sacerdotesque his & Pontifices, per singulas Prouincias, nobiles quoque & aliis iam honoribus functos, ministris militaribus & salariis additis decernit. Nec mirum, qui & manifestos maleficos, vel rectores prouinciarum, vel duces militum promoueret. Sed ob huiuscemodi vanitatis ministerium, quàmplurimæ copiæ auri argentique quærebantur. Ex quo accidit, vt omnes vbique prouinciæ diuersis modis & occasionibus nudarentur, grauando censum, tributa multiplicando, locupletiores quosque exquisitis aut etiam confictis iniuriis condemnando: alios verò etiam proscribendo, omnes pariter bonis paternis auitisque familiis euoluebat. Vnde & montes auri (vt ita dixerim) congregatos familiaribus suis ac satellitibus largiebatur. In conuiuiis verò tam profusus erat, tamque temulentus, vt insanus, & mente captus vini furore putaretur, & ea ebrius fieri iuberet quæ die postera se iussisse nesciret. Delitiis, luxu, atq; omni dissolutionũ genere fluitans, turpissima suis militibus prębebat exempla. Deinde quicquid lasciuè, quicquid petulanter, quicquid luxuriosè gestũ à rectoribus vel militum, vel prouinciarũ fuisset, multum cedebat ob imperatoris exemplum. Cui inter cętera hoc etiam singulare studiũ erat, ne vllam, nõ dico vrbem, sed vel breue oppidum, absque adulterio nobiliũ matronarum quæ per loca fuissent repertæ, vel cor-

vel corruptione virginum, præteriret. Talis hic tantusque vir, qui pudicitiæ, honestatis, iustitiæ, ac totius æquitatis hostis publicus erat, quidni etiam Christianorum hostis & persecutor existeret? Aduersum quos tantum crudelitatis exercuit, vt prçcessores suos vincere festinaret in scelere: ignes, laminas, cruces, bestias, maris profundum, obtruncationes membrorum, effossiones oculorũ, & singulis membris specialia inferre supplicia gestiebat: quum tamen illi magis constantes & fortes inuenirentur in tolerando, quàm iste ingeniosus & callidus in exquirendo. Vincebatur etenim sæpius non solùm à viris, sed etiam à fœminis, quæ verbo Dei & fidei calore succensæ, vt fœminæ quidem comprehendebantur, sed vt viri fortes in certamine coronabantur: mortem quidem promptius subire, imò verò & vltrò expetere, quàm corporis maculam recipere malebant. Verùm cùm duobus grauissimis dominis, libidine & crudelitate præceps ageretur, fuit apud Alexandriam Dorothea quædam satis nobili orta familia, ingentibus diuitiis, & propinquis nobilibus pollens, sed in ea ingenij atque industriæ bonum, cæterarumq; honestarum artium studia magis quàm hæc, vigebant. Formæ verò & decoris gloria tanta ei fuit, vt mirum ac speciale in ea Dei figmentum crederetur. Sed illa quæ religione animi & honestate vitæ pulchrior quàm vultu corporis esse studeret, æquissimo mentis iudicio, quod pulchrum & decorum inter homines videbatur, id potius Deo consecrare, quàm vsui humano statuit indulgere, vt virgo Deo sacrata persisteret. At ille qui diuina atq; humana, libidine simul & crudelitate fœdaret, cognito solius formæ, non etiam ingenij ac propositi bono, ad contemerandam virginem, ac polluendam eius castitatem animum intendit. Comperto verò quòd Christiana esset, quæ secundùm sua edicta pœnæ magis quàm libidini subijcienda videretur, in ambiguo positus æstuare cœpit, & in quam se partem verteret, ignorare. Sed vbi dubios animos libido, quæ ei latius dominabatur, obtinuit, & expectantem virginem pro martyrio ad supplicium rapi, per occultos nuncios de stupro interpellauit. Illa æquè [2] nephas sibi esse respondit, templum corporis sui quod semel Deo consecrauerat, idolorum cultu ac libidinis contagione polluere. Proinde se quidem ad mortem paratam esse: à crudeli verò tyranno non decere blandum aliquid aut molle proferri, nec esse dignũ resolui erga se truces animos, quos quotidie vndatim Christianorũ profusus cruor duraret. Ad quæ responsa cùm ille libidine accensus acrius incalesceret, & nisi verbis acquieuisset, vi agere decerneret: omnibus virgo pudicissima facultatibus suis domoque ac familia derelicta, noctu clam cum paucis fidissimis famulis, & cum amicissima sibi comite castitate discedit, atque illusum tyrannum, vanum amentemque dereliquit. Sed & alias plurimas nobiles mulieres simul ac virgines exemplo illius adortus, sed exemplo nihilominus illius paratiores ad mortem, quàm ad seruitutem libidinis, nactus crudelibus suppliciis affici iubet. Quæ multò promptius & lætius quàm cæteri omnes mortem subibant, eò quòd duplices sibi coronas à Domino præparandas, non solùm pro pietate, verùm etiam pro castitate credebant. Sed in his relationibus positum, silere æquum non puto, etiam nobilissimæ fœminæ in vrbe Roma mirabile factum Sophroniæ, cuius vir præfectus vrbis Romæ sub Maxentio tyranno degebat. Qui cùm de supradictæ fœminæ pulchritudine cognouisset (vt ei mos erat) missis stupro. um ministris, deduci ad se fœminã iubet. Illa rem ad maritum detulit. Qui cùm comperisset, multa secum voluens, ad vltimum altius ingemiscens: Et quid, inquit, faciemus, quibus aut hæc toleranda sunt, aut anima ponenda? Tum illa vt maritum vidit metu mortis perterritum prodidisse pudicitiam suam: Paulum, ait his qui missi fuerant, expectate, donec composita (vt decet) & adornata procedam. Dehinc ingressa cubiculum, cùm prius defixis genibus orasset tanquam pudicitiã suam Deo immolatura, pectus ac viscera correpto mucrone transuerberat. Extremos huiusmodi nuncios ad tyrannum per assistentes famulas mittens: Tales, ait, magis placeant Christianæ fœminæ tyranno. Hoc modo in Oriente simul atque in Occidente velut vno dæmonis spiritu armati, & paribus eisdemque vitiis accensi desæuiebant tyranni, cùm tamen per hæc Christianorum virtus animi, & constantia fidei probatior & magnificentior redderetur. Sed cùm per decem continuos annos in Orientis partibus similis etiam Maximiani principis erga Christianos fuisset grassata crudelitas, & innumera hominum millia Deum verum colentium neci dedisset, cumque vires crudelitatis ac libidinis suæ indesinenter suggereret temulentia, & neque consilium, neque satietas finem vllum aut modum imponeret, adest cultoribus suis diuina prouidentia, & quos per ignem probauerat, educit rursus ad refrigerium. Ipsum namq; autorem sceleris vltio diuina corripuit. Et ille qui lætis ac saginatis carnibus incedebat superbus, inflatis subitò visceribus, suppuratisque distenditur. In profundioribus dehinc pectoris partibus obortum vulnus, totos intrinsecus viscerum secessus tabo serpente depascitur. Pòst etiam fistulis quibusdam in superficie purulentis meatibus adapertis, de interioribus putrefactis vulneris venis ebullire vndatim cœpit innumera vermium multitudo. Fœtor verò tam intolerabilis erat, vt nullus omnino ne medicorum quidem

1 Dorothea consecrauit Deo corporis sui pulchritudinẽ, & statuit esse virgo Deo sacrata.

2 Nephas esse respondit, templum corporis sui quod semel Deo consecrauerat, libidinis contagione polluere. At hoc passim facere docent hodie & compellunt religiosos & sanctimoniales fœminas falsi doctores nostri temporis.

propius posset accedere, quòd carnes satis lætæ,& in omni luxuria nutritæ, grauiorem ex corruptione nidorem putredinis exhalabant. Denique plerosq; medicorum, quòd nec morbo aliquid mederi, nec vim fœtoris tolerare possent, interfici iubet. In quibus cùm quidam iugulandus potius quàm medicaturus assisteret, inspiratus à Deo: Cur, inquit, Imperator erras,& quod Deus infert, ab hominibus putas posse reuocari? Nec humanus est iste morbus, nec à medicis curatur. Sed recordare, quanta in seruos Dei egeris, quamque in religionem diuinam impius & prophanus extiteris,& intelliges vnde tibi sint poscenda remedia. Nam & ego quidem mori cum cæteris potero, tu tamen à medicis non curaberis. Tunc primùm se Maximianus hominem esse intellexit,& scelerum suorum immanitatem recordatus, primò omnium errasse se & impiè egisse profitetur,& velut satisfacere incipit Deo. Tunc deinde conuocatis his qui in officio publico sibi parebant, legem scribi, & confestim emitti iubet, qua non solùm Christianis desinat persecutio,& arceatur omnis iniuria, verùm & reædificari eorum 3 permitterentur Ecclesiæ, vt solitis cultibus & obsecrationibus vacantes, etiam pro ipsius salute excelso supplicent Deo.

3 Permittit Maximia. reædificari Christianorũ Ecclesias, vt solitis cultibus & obsecrationibus vacẽt. Ergo à tẽpore antiquo in Ecclesiis Deus colebatur, et orationes ad eum fiebant, et nõ tantũ sunt extructæ ad auditionẽ verbi Dei, & sacramentorum exhibitionem, vt volunt moderni hæretici.

VITA SANCTAE DOROTHEAE VIRGINIS ET martyris, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Mar. eiusdem sub viij. Idus Feb.

APud Cæsaream Cappadociæ natale sanctæ Dorotheæ virginis. Quæ sub Apricio prouinciæ ipsius Præside, primum eculei extensione vexata, dein palmis diutissimè cæsa, ad vltimum capitali sententia punita est. Cumque egrediens de prætorio duceretur ad mortem, Theophilus quidam scholasticus ait ad eam: Eia tu sponsa Christi, mitte mihi mala de paradyso sponsi tui. Quæ statim promisit se esse missuram. Vbi ergo ventum est ad locum, in quo iugulanda erat, paulisper oratione facta protulit orarium suum,& vocato ad se quodam puerulo annorũ sex, misit Theophilo, dicens: Dic ei: Dorothea ancilla Dei mittit tibi mala de paradyso sponsi sui Christi. Accipiens ille,& gratias agens, quòd petitionem eius impleslet, cœpit sibi faciem tegere, miraque repentè suauitate perfusus est.

VITA SANCTI ADRIANI MARTYRIS, CVM aliis vigintitribus, per eundem Adonem collecta.

Habetur vbi suprà, sub vj. Idus Septemb.

APud Nicomediam natale sancti Adriani martyris cum aliis xxiij. Maximianus cùm grauissimè persequeretur Christianos, apud Antiochiã oblati sunt ei quidam Christiani fide ac religione insignissimi: Quos ille post veritatis confessionem extensos lignis & neruis crudis cædi iussit, ac deinde lapidibus ora ipsorum contundi,& linguas eorum præcidi. Hæc omnia cernẽs Adrianus, qui erat prior officij, dixit ad eos: Adiuro vos per Deum vestrum, pro quo hæc patimini, dicite mihi in veritate, quæ est remuneratio vestra, quam expectatis pro his tormentis? Videtur enim mihi magna & magnifica esse. Cui xxiij. martyres dixerunt: Expectamus quod nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, inenarrabile bonum, quod præparauit Deus his qui diligunt eum. Audiens hæc Adrianus statim exiliens stetit in medio eorum,& dixit his qui gerebant exceptoris officium: Annotate confessionem meam cum his sanctis,& athletis Dei, quia & ego Christianus sum. Post non multum spatium cùm audisset Maximianus nomen eius recitari inter nomina sanctorum martyrum, euocato ad se dixit ei: Insanis Adriane? Nunquid & tu vis tam malè perire? Adrianus respondit: Non insanio, sed de multa insania ad sanam mentẽ reuertor. Cumque perseueranter quæ sunt fidei & veritatis prosequeretur, furore repletus Maximianus, iussit eum ferro vinctum cum reliquis sanctis martyribus ad carcerem pertrahi. Erat autem iuuenis annorum vigintiocto. Et fama celeriter currente, didicit vxor illius Natalia cuncta, quæ circa Adrianum maritum prouenerant: Et gaudio plena, quia erat mulier Christianissima, cucurrit ad carcerem, procidensque ad pedes viri sui, osculabatur vincula eius, dicens illi: Beatus es domine mi Adriane, quia inuenisti diuitias, quas tibi non dimiserunt parentes tui. Verè iam securus pergis ad Christum, bene recondens in ipso diuitias, quas inuenies in tempore necessitatis, vbi de pœnis damnatorum neminem quisquam liberabit. Non pater filium, non mater filiam, non diuitiæ transeuntes, non illos seruorum ambitio,& patrimonij amplitudo, ad extremum nec amicus amicum. Omnes enim tunc propria sarcina comitabitur. Tu domine mi tecum habens Christum, in quo omnia tua reposuisti, perge fiducialiter, perge ne timeas, vt percipias promissa ipsius. Non reuocet te vllus intuitus rerum velut vmbra transeuntium: non affines, non parentum gemitus, non pulchritudo ipsa corporis tui, execratio seductorum, adulationes amicorum: Non te terreant species tormentorum. Horum, qui tecum sunt, martyrum constantiã & patientiam aspice, his solis intende.

1 Vide hic quomodo Adrianus vel solius remunerationis intuitu cõuersus est ad Christum. Nullus autem sanctorum est qui ob hoc illum vnquã reprehẽderit, quinimo valde cõmendauerit. Ex quo cõstat valere etiã illa opera ad coronã, quæ intuitu quoq; remunerationis fiũt, iuxta illud Prophetæ: Inclinaui cor meũ ad faciẽdum iustificatiões tuas in æternũ, propter retributionẽ. Cui9 rei illa est efficax ratio, quod retributio illa nil aliud quã Deus ipse est, nec aliud fieri potest propter retributionẽ, quod non fuit etiam propter Deũ. Nec refert naturã quamlibet in seipsa reflecti, quia non in seipsum tãtùm reflectitur, quantũ ad id quod est ei singulare, sed multo magis quantum ad summum suum bonũ aliis etiã omnibus vt maximum, ita communißimum bonum.

Hæc poſtquam glorioſiſſima fœmina proſecuta eſt, ſingulorum martyrum vincula deoſculans: Rogo vos, inquit, ſerui Chriſti, confortate hunc Adrianum beatiſſimis monitis, & lucrifacite animam eius in Chriſto. Vos ſitis ei patres, per vos naſcatur æternæ vitæ. Ad quam beatus Adrianus dixit: Perge nunc ſoror mea in domum tuam, & cùm agnouero fieri interrogationem noſtram, accerſam te, vt videas finem rei. Poſt aliquot dies cùm quæſtio immineret, beatus Adrianus dato pretio cuſtodibus, & datis fideiuſſoribus, perrexit ad domum ſuam vocare beatam Nataliam. Cumque pergeret, vidit eum qui bene illum nouerat, & præcurrens domum, nunciauit illum venire. Quod vxor audiens primò non credidit. Quis, inquit, potuit eum abſoluere de vinculis illis? Non mihi contingat vt abſoluatur, ne quando ſeparetur à ſanctis illis. Et cùm puer domeſticus ſuperueniens affirmaret eum dimiſſum, ſuſpicata illa, quòd martyrium refugiſſet, contriſtata flebat amariſſimè. Et cùm iam videre Adrianum inciperet, proiecit quæ erant in manibus, & accurrens clauſit oſtium domus, clamans & dicens: Longè efficiatur à me hic qui corruit, & mentitus eſt Domino Deo ſuo: Non loquatur mihi, nec audiam linguam, quæ doloſè egit in conſpectu factoris ſui. Et conuerſa dicit in eum: O ſine Deo præ omnibus hominibus quis te coëgit apprehendere opus quod non potuiſti perficere? Quis te ſeparauit à ſanctis, aut quis te ſeduxit, vt recederes à conuentu pacis vel repauſationis? Dic mihi, quare in fugam conuerſus es, antequam fieret pugna? Quare proieciſti arma, antequam videres hoſtem tibi repugnantem? Quomodo vulneratus es, necdum emiſſa ſagitta? Quid faciam infeliciſſima, quæ coniuncta ſum impio? Non eſt mihi conceſſum, vt vocarer vxor martyris, ſed vt dicerer coniunx tranſgreſſoris. Ad horam fuit exultatio mea, & ecce per ſecula erit opprobrium meum. Cui beatus Adrianus pro foribus ſtans dicebat: Aperi mihi ſoror mea Natalia, quia non ſicut tu æſtimas, effugi martyrium. Veni autem propterea, quia inſtat tempus quæſtionis noſtræ, vt ſicut promiſi, præſens fias. At illa non credens: Vide, inquit, quomodo me ſeducit tranſgreſſor? Ecce quomodo mentitur alter Iudas? Recede à me homo, nam antè meipſam interficiam, quàm tibi ſocier. Cumque beatiſſimus martyr de zelotypia coniugis lætus, ſermonibus ſuis ei ſatisfaceret, & niſi citius aperiret, moras ſe facere non poſſe aſſereret, tandem ei illa aperiens prouoluitur pedibus eius. Inde verò citius exeuntes properabant ad confeſſionem, vt in numero coronatorum Adrianus inueniretur. Cumque adhuc eſſent in via, dixit beatus Adrianus: Soror mea dic, quomodo ordinaſti ſubſtantiam tuam? Cui illa: Noli, inquit, domine mi, noli memorare quæ ſunt mundi huius, ne attrahant animum tuum: auferantur ab animo tuo omnia corruptibilia: ſolummodo illa feſtina videre, quæ repoſita ſunt tibi & ſanctis, cum quibus ambulas in via Dei. Completa itaque die vt produceretur, exhibiti ſunt beatiſſimi martyres in conſpectu Maximiani, putrefactis ita iam carnibus eorum præ acerbitate tormentorum, vt vermes de vlceribus eorum ſcaturirent. Natalia verò applicans ſe beato Adriano dicebat: Vide domine mi, vt ſolummodò ad Deum fiat mens tua, nec tuum cor in aliquo trepidet, dum videris tormenta tibi propoſita. Labor quidem nunc modicus, ſed in ſecula ſeculorum æterna repauſatio. Maximianus reſpiciens Adrianum ait: Adhuc tu permanes in inſania? Beatus martyr reſpondit: Pro hac amentia & inſania paratus ſum hanc vitam finire. Iratus poſt piam confeſſionem ipſius Tyrannus, iuſſit eum tam crudeliter inuicem ſibi ſuccedentibus flagellatoribus cædi, donec apertis coſtis viſcera patefierent. Iterum conſtrictus ferro in carcerem mittitur. Et cùm aliquibus diebus cum reliquis ſanctis Dei clauſus ibi fuiſſet, tandem reductus, ſimul & cum eo alij quos immenſitas pœnarum penè abſumpſerat, ſiſtitur Maximiano. Quos ille iam videns irreuocabiles, iuſſit vt vecte magno ferreo confringerentur tibiæ ipſorum. Confractis itaque cruribus ac pedibus inciſis, inſuper beato Adriano manu inciſa, orantes & gratias agentes Domino, emiſerunt ſpiritum. Corpora eorum iuſſit Tyrannus incendi. Sed ſubitò factæ ſunt coruſcationes, tonitrua, ac pluuiæ, & extinctus eſt ignis. Plurimique de apparitoribus fulminibus percuſſi, pauci fuga vix euaſerunt. Accurrentibus interea Chriſtianis rapuerunt ex igne iam extincto reliquias martyrum, & aſcenſis nauibus fugerunt, peruenerüntque Bizantium, & reuerenti 2 honore ſepelierunt eas ibi. Non longo pòſt tempore B. Adriani corpus Romam etiam tranſlatum, 3 honorabili quoque templo exornatum eſt. Natalia verò ipſa de Nicomedia ſanctorum martyrum amore Bizantium enauigans, poſt paucos dies aduentus ſui, dormitionem accepit in Domino, & iuxta ſanctorum corpora ſepulta eſt, Calendis Decembris. Paſſio horum martyrum ſexto Idus Septembris.

2 Vide reliquias martyrum Bizantij reuerenti honore ſepultas.

3 Corpus B. Adriani Romam tráſlatum honorabili templo exornatum eſt.

VITA SANCTORVM QVATVOR CORONAtorum, id est, Seueri, & aliorum, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrologio eiusdē sub iiij. Idus Nouembris.

ROmæ natale sanctorum quatuor coronatorum, id est, Seueri, Seueriani, Carpophori, & Victorini. Hi cùm impellerentur ad sacrificandum, reluctantes, nec consensum impiis præbentes, perstiterunt in fide. Nunciatum est autem Diocletiano Imperatori. Qui illicò iussit, vt ante simulachrum Æsculapij ictibus plumbatarum cæsi deficerent. Quorum corpora iussit in platea canibus iactari, & iacuerunt ibi diebus quinque. Tunc pij Christiani venerunt, & collecta corpora sepelierunt in via Lauicana milliario ab vrbe tertio in arenario iuxta corpora sanctorum martyrum Claudij, Nicostrati, Simphoriani, Castorij, & Simplicij. Passi sunt autem sexto Idus Nouembris, post duos tamen annos passionis horum quinque martyrum. Cùm autem nomina eorum minimè reperirentur, statuit beatus Melchiades Episcopus, 1 vt anniuersaria quatuor Coronatorum dies sub nominibus sanctorum quinque martyrum recoleretur. Intercurrentibus autem annis, cuidam sancto viro etiam nomina eorum reuelata sunt. Festiuitas 2 verò vt fuerat statuta, celebris in aliorum martyrum festiuitate permansit, ac locus quatuor Coronatorum nomine insignis.

1 Nota, vt anniuersaria quatuor Coronatorum dies recoleretur.
2 Vide festiuitatē celebrem horum sanctorum martyrum.

VITA SANCTI BLASII EPISCOPI ET MARtyris, per eundem Adonem collecta.

Habetur vbi suprà sub iij. Non. Februar.

IN Sebastea ciuitate passio S. Blasij Episcopi. Qui multorum patrator miraculorum, sub Præside Agricolao, post diutinam cæsionem, post carcerem, atque inde suspensionem in ligno, vbi pectinibus ferreis carnes eius direptæ sunt, post iterum teterrimum carcerem, post demersionem laci, vnde superuadens saluus exiuit, iubente iniquissimo Iudice, capite ad extremum cum duobus pueris truncatur, felicia 1 regna cum ipsis ingressus. Ipso autem adhuc agonizante, septem mulieres beatissimæ, quæ guttas sanguinis eius præterfluentes de beatissimis plagis corporis ipsius colligebant, deprehensæ quòd essent Christianæ, post caminum ignis, vbi plumbo superinfusæ sunt, post pectines ferreos, quibus carnes earum diruptæ, post æreas tunicas & candentes, nouissimè sententia data, percussæ gladio, datoque 2 pretio sanguinis, vitam mereantur æternam.

1 Ecce quomodo post mortem sancti recipiuntur in cælo.
2 Nota, Datóque pretio sanguinis vitam mereantur æternam.

VITA ET MARTYRIVM SANCTI ET GLOriosi martyris Blasij Episcopi Sebasteæ, & sociorum.

Per Simeonem Metaphrasten.

Februa. XI.

QVO tempore vigebat cultus simulachrorum, & multi homines adorabant figmenta, & res creatas, tunc etiam florebat fides omnium sanctorum: cum quibus fides quoque sancti & gloriosi martyris Blasij. Hic ergo sanctus & venerandus vir Blasius, cùm toto tempore vitam egisset mitem & mansuetam, sicut scriptum est in Iob: Erat innocens, inculpatus, verus, pius & religiosus, abstinens ab omni opere malo. Quamobrem propter puram vitam, & quæ nulli affinis erat reprehensioni, qui in ciuitate Sebastea Cappadociæ erant fideles, eum crearunt Episcopum. Is autem profectus in montem qui dicitur Argeus, habitat in spelunca, feræque ad eum conueniebant, & ab eo benedicebantur: & si contigisset vnum ex eis incidere in eius meditationem, tanquam ratione præditæ expectabant ad speluncam: & nisi imposuisset eis manus eas benedicens, à sancto minimè recedebant.

In illis autem diebus iussit Præses Agricolaus capi omne genus animalium, vt sancti qui tunc erant martyres ab eis consumerentur, & cum eis depugnarent. In mōtes verò egressi venatores, venerunt etiam in montem qui dicitur Argeus, in quo latebat sanctus & venerandus vir Blasius. Cùm autem appropinquassent speluncæ, & vidissent in eius ingressu multitudinem agrestium animalium quæ astabant & exiliebant, dixerunt inter se: Quid hoc sibi vult? & cùm venissent propius, inuenerunt intra speluncā sanctū Blasium, sedentē tanquam in quodā thalamo, & diuidentem vnicuiq; id quod erat ei opus, per benedictionem atq; curationes, & Deo fundentem preces. Qui statim reuersi renunciarunt Præsidi Agricolao quæ viderant. Præses verò iussit plures milites cum eis proficisci, vt quoscunq; illic inuenissent latitan-

latentes Christianos, ad eum adducerent. Euntes autem in montem qui missi fuerant milites, & ingressi speluncam, inuenerunt solum sanctum orãtem & laudantem Dominum: & dixerũt ei: Egredere, vocat te pręses. Cùm eos verò vidisset sanctus Blasius, valde lætatus est, & dixit: Adeste, eamus simul ô filij, mei enim recordatus est Dominus. In hac enim nocte ter mihi apparuit, dicens: Surge, offer mihi sacrificia pro more tui sacerdotij. Nunc ergo filij mei, bene venistis. Dominus meus Iesus Christus sit vobiscum. Dũ autẽ ipsi venirent, in via conuertebantur gentiles ad Dei cognitionem per eius mansuetudinem & doctrinam. Etenim per eius preces faciebat Dominus curationes: & cùm ad eum afferrentur ægroti, eis imponẽs manus dimittebat sanos. Non solùm autẽ curabat homines, sed etiam iumenta & bestias. Cùm itaq; contigisset aliquẽ os deuorare, vel aliquid eiusmodi, repẽtè ad eũ afferebant patientem, & per sanctas suas preces eum statim reddebat sanũ. Contigit itaq; vt filius cuiusdam mulieris quæ eum habebat vnicum, partem piscis comedẽs, os repentè deuoraret, & mutus maneret. Cùm ergo mater pueri de sancto audiuisset, eũ allatum proiecit ad eius pedes semimortuũ, cum fletu clamans, & dicens sancto: Meserere mei filij serue Seruatoris nostri Iesu Christi: est enim mihi vnigenus: narrauitq; sancto quid filio suo repẽtè accidisset. Sãctus autẽ Dei & magnus sacerdos Blasius, manu imposita [1] gutturi pueri, sic orauit, extendens in cœlum oculos, & Deo dicens: Qui ijs qui te inuocabant in veritate, pręsto fuisti adiutor, ô Seruator, audi meas preces: & spinã infixam huic puero, tua quæ sub aspectũ non cadit virtute ei exime, eũ curans: & de cętero, seu in hominibus, seu in pueris, seu in bestijs tale quid contigerit, illic autẽ recordatus fuerit aliquis mei nominis, dicens: Deus intercessione serui tui Blasij, accelera tuum auxiliũ, fac citò in eo curationem ad gloriã & honorem sancti tui nominis. Et cùm ipse hæc dixisset, puerum statim sanum restituit sicut prius, & eum reddidit matri suæ, ore nunquã silente Deũ laudantem atq; glorificantem. Hominũ autẽ sermone celebrabatur Dei martyr & Episcopus Blasius, non solùm Sebasteæ, sed etiam Nicopoli: erat enim eruditus etiam in scientia medendi. In itinere verò ingrediente sancto, contigit vt cuiusdam pauperculæ mulieris, quæ vnicũ habebat porcum, & nihil aliud, porcus à lupo raperetur. Mulier autẽ quę erat fidelis, accessit ad sanctũ martyrem contra feram. Sanctus verò Christi Sacerdos & martyr Blasius subridens, dixit ei: Ne sis tristis ô mulier, ne lachrymeris. Tibi enim redditur porcus viuus & illæsus. Sanctus autẽ cœpit iter ingredi: eo verò ingrediente, lupus qui porcũ illęsum conseruauit, eũ reddidit viduæ. Ingresso autem sancto in metropolim Sebasteã, iussit Præses Agricolaus eũ conijci in custodiã. Die verò sequẽti sedẽs Præses in tribunali, iussit adduci sanctum Blasiũ. Cùm is autẽ adstitisset, videns eũ Præses, cœpit primùm cũ eo agere blanditijs: & prius eũ salutat, dicẽs: Salue charissime Blasi, deorũ amice & noster. Sanctus autẽ Blasius dicit ei: Salue tu quoq; Præses optime. Ne eos verò dicas deos, sed dæmonia: quæ quidem tradentur igni æterno cũ ijs qui ea colũt. His Pręses ira percitus, iussit eũ agrestibus baculis verberari. Multis autẽ horis verberatus martyr Christi Blasius, dicit Pręsidi: O nullo sensu prædite, & deceptor animarũ, putas me per tua tormenta abducere à Dei mei confessione? Sed non potes. Habeo enim Iesum Christum qui me corroborat. De cætero fac quod volueris. Cùm autem non potuisset impius Pręses eũ à fide abducere, iussit eum rursus duci in carcerem. Cùm verò accepisset pia anus & vidua sancti martyris Blasij tolerantiam, & eius fidei constantiam, cùm occidisset porcũ quem à fera acceperat iussu sancti martyris, & coxisset caput & pedes, & in canistrũ iecisset ex seminibus terrę, & aliquibus alijs ex sua paupertate cũ fructibus, cereosq; accendisset, attulit ad sanctum martyrem in custodiam, & procidit ad eius pedes, rogans vt ex eis sumeret. Cùm gratias autem egisset sanctus, & ex eis sumpsisset, ei benedixit, & ei mãdauit, dicẽs: Mulier in hoc habitu perage mei commemorationem, & in domo tua non deficiet omne bonum à Deo meo. Sed & si quis te hoc modo imitans mei peregerit commemorationem, habebit à Deo meo perpetuum donũ & benedictionem omnibus diebus vitæ suæ. Et venerẽda quidem illa & beata anus, accepto mandato à sancto martyre Blasio, Deũ laudans abijt læta in domũ suam & impleta fuit in hac beata vidua scriptura quæ dicit: Dicetur vbique quod fecit ipsa ad eius memoriam. Tyrannus autẽ cùm secundò progressus sedisset in tribunali, iussit adduci Dei martyrẽ. Quo adducto dicit ei Præses: Blasi, dijs ne sacrificas, an vis malè perire? Dixit sanctus Blasius: Dij qui cœlum & terrã non fecerunt, pereant. Quam tu autem mihi minaris mortem, ea mihi vitam æternam conciliabit. Præses verò cùm vidisset eius fidẽ immutabilem, iussit eum in ligno suspensum cædi vehemẽter. Cùm diu autem cæderetur martyr Dei Blasius, dicit Duci: O impie & inique, putásne me terrere plagis? Habeo Iesum Christum qui me corroborat: & non timeo tua quæ videntur tormenta, aspiciẽs ad bona quæ expectãtur, quæ sunt promissa ijs qui ipsum quærũt. Tũc iussit Pręses eũ de ligno deponi. Cùm fuisset autem depositus, iussit eum rursus cõijci in custodiã. Cùm verò abduceretur

[1] *Sanctus imposita pueri gutturi manu, & facta oratione extensis in cœlum oculis, illum sanauit.*

in custodiam sanctus martyr Blasius, ecce septem mulieres piæ & timentes Deum, eum sequebantur, excipientes sanguinem qui ex ipso distillabat, & seipsas vngentes. Quas cùm vidissent lictores & apprehendissent, duxerunt ad Præsidem, ei dicentes: Hæ quoque sunt Christianæ. Cùm eas autem Præses vidisset, dicit eis: Persuadeamini, & dijs sacrificate, vt magnos honores à me consequamini. Venerandæ verò & sanctæ mulieres illæ respondentes, dixerunt ei: Si vis ô Præses, vt diis tuis sacrificemus, eamus prope lacum: & tu quidem immitte deos tuos in saccum, & eos plumbo obsigna. Nos autem cùm abluerimus vultus nostros in lacu, accedemus, & eis sacrificabimus. His lætatus Præses, ad eas adduxit deos suos. Illæ autem cùm eos accepissent, deiecerunt & demerserunt in profundo lacus.

Cùm hæc vidisset Præses, & furore fuisset percitus, valde rugiens sicut leo, & plaudens manibus, fuit admodum iratus militibus, & dixit eis: O pessimi ministri, cur nõ deos retinuistis, ne in profundũ lacus inijcerentur? Respondentes autem milites, dixerunt Præsidi: O optime Præses, dolũ tibi locutæ sunt hæ mulieres, & deos tuos demerserunt. Nos verò hoc nescientes eos non tenuimus. Dixerunt autem illæ sanctæ & venerandæ mulieres: Deus verus dolum non patitur, sed surda ligna, & lapides, & aurum, & argentum, & omnes qui confidunt in eis. Tunc furore percitus Præses, iussit fornacem accendi vehementissimam, & dissolui plumbum: & ferreos afferri pectines: septem æneas laminas cãdefieri: splendidum autem linteum extẽdi in alio loco, dixitque sanctis mulieribus: Eligite vnum ex duobus, aut adorare & dijs sacrificare, & conseruare animas vestras ambulantes in linteo: aut si nolitis, experiri tormenta quæ sunt vobis parata. Vna verò ex ijs habens duos pueros, rapuit linteum, & iniecit in fornacem, & id combussit. Pueri autem dicebant matri suæ: Veneranda mater nostra, ne sinas nos in hac terra interire: sed quomodo nos impleuisti pulchro & syncero, & suauissimo tuo lacte, nos quoque imple regno cœlorum.

Præses autem iussit eas suspendi, & earum carnes lacerare pectinibus ferreis. Videbant verò milites ex earum carnibus manare lac pro sanguine. Quinetiam earum carnes cernebantur, vt nix, candidę. Angeli enim Domini qui descẽderant, cùm eas curassent, dicebant eis: Ne timeatis. Bonus enim operarius cùm æstate inceperit & perfecerit, & à domino operis fuerit benedictus, & mercedẽ eius acceperit, lætus vadit in domum suam. Sic ergo vos quoque decertate, vt à Seruatore nostro Iesu Christo æternã, & quæ nunquam desinit vitam accipiatis. Tunc Præses iussit eas depositas iaci in caminũ. Cùm autẽ iactę fuissent, protinus cessauit ignis: & eiectæ sunt ex fornace illæsæ conseruatæ sanctæ mulieres. Dicit verò eis Præses: Abiectis vestris præstigijs, accedite & dijs meis sacrificate. Sanctæ autem septẽ mulieres, tanquã vno ore dixerunt ei: Ne tibi bene sit, ô fili diaboli, vt nos relinquamus Dominũ nostrum Iesum Christũ, & adoremus lapides & ligna, quę sunt similiter atq; tu surda, & nullo sensu prædita. De cętero fac in nos quod velis. Nam nos quoque vocatæ sumus in regnum cœlorum. Tunc ira percitus Præses tulit in eas sententiã: & accipientes eas lictores, duxerunt eas ad locum eis propositum. Sanctæ autem septem mulieres cùm venissent ad locum in quo erãt cõsummandæ, rogarunt lictores, dicẽtes: Concedite nobis vt parũper precemur, & flexis [2] in terrã genibus sic dixerunt: Gloria tibi magno & glorificato Deo. Gloria tibi Christe qui regnas in secula. qui nos vocasti in viam bonitatis tuæ. Quis est enim magnus sicut tu Deus noster, qui nos fecisti recedere à tenebris, & vocasti nos ad veram lucem & suauissimam? Quamobrem rogamus te Domine, nos connumera cum prima martyre tua Thecla, accipiens intercessionem sanctissimi patris nostri & pastoris Blasij, qui deduxit nos ad hanc veritatem & fruitionem vitæ æternæ. Hæc cùm sanctæ fuissent precatæ mulieres, & è solo surrexissent, & manus [3] suas extendissent, & oculis in cœlum suspexissent, in mundo corde & vno animo Deo dixerunt: Gloria tibi Domine Deus noster, qui nos dignatus es sistere ad hanc tuam aram, tanquam agnas immaculatas & ratione præditas, nostras quoque animas suscipe in cœlesti tua ara, vt bonus & benignus. Pueri autem accedentes ad matrem, dixerunt ei: Mater coronæ vobis sunt paratæ apud Deum cœlestem. Nos ergo & commenda sanctissimo & forti athletæ, Episcopo nostro & pastori Blasio. Tunc spiculator abscidit capita septem sanctarum mulierum, & occultè fuerunt consummatæ.

2 Flexis in terrã genibus orant sanctæ.

3 Ecce oratio cũ extẽsione manuũ & oculorum in cœlum.

Post hæc autem iubet Pręses sanctũ Blasium educi è custodia. Quo ducto dicit ei: Dijs ne modò sacrificas, an non? Dicit ei sanctus Blasius: Miser cùm sis cœcus, nõ vides verã lucem. Quis enim homo qui Deum viuũ vnquam cognouit, mortuis simulachris sacrificat, aut ea adorat? Tu ergo tenebris inuolute & inique, scias te Deũ viuũ dimisisse, & adorare lapides nullo sensu præditos. Sed ego non timebo minas tuas. Vt vis ergo me torque, trado tibi carnes meas, Deus autẽ habet animæ potestatẽ. Pręses dicit sancto: Si te proiecero in lacũ, quid tibi proderit quem dicis Christus, quem etiam adoras? Dixit sanctus Blasius: Cœce, & nullo sensu pręditę, adulterina adoras, & putas te esse saluũ. Ego autem Christũ viuum colens,

colens, non ostẽdam tibi in aqua Dei mei virtutes. Tunc iussit Præses eum iaci in lacum. Sanctus verò præueniens obsignauit aquam, quę stetit perinde ac si fuisset pons. Sedẽsque in medio lacus, dixit lictoribus: Si habetis deos, ostendite eorum virtutes, & vos quoque ingredimini. Statimque ingressi sexaginta & octo viri, submersi sunt in profundo aquæ. Tunc angelus Domini descẽdens ad sanctum, dicit ei: Gratia plena & præclara anima, Dei pontifex, egredere ex aqua, & accipe à Deo tibi paratam æternam coronam. Sanctus autem Blasius cùm ex aqua surrexisset, tanquam super terram ambulans est egressus, & resplenduit facies eius sicut lux, adeò vt mirarentur qui eum videbant. Præses verò dixit ei: Adeóne ô miser, statuisti dijs non sacrificare? Dixit sanctus Blasius: Scias Tyranne sanguiuore, me esse seruum Christi, & nunquam dæmonibus esse sacrificaturũ. Tunc ira percitus Præses tulit in eum sententiam, dicens: Blasius qui mihi non paruit, & Imperatorem contempsit, & deos probris affecit, & sexagintaocto viros perdidit, gladio truncetur capite simul cum duobus pueris. Accepta autem sententia cùm venisset ad locum, stans sanctus precatus est Dominum, dicens: Domine Deus virtutum qui me liberasti à simulachris. Qui tenebras fecisti lucem, & errorem veritatem. Qui sedes super Cherubim, & aperis cataractas cœlorum. Qui extendis arcum tuum in manu tua. Qui diabolum humilem & abiectum reddidisti, & draconem confixisti: audi me seruum tuum, & quicunque ad hanc aram tuam accesserit, & quamcunque spinã aut os deuorauerit, aut varijs fuerit vexatus morbis, aut in afflictione fuerit, aut in necessitate persecutionis, imple vniuscuiusq; cordis petitionem Domine, vt bonus & clemens. Quoniam es semper glorificaturus nunc & in secula.

Cùm hæc autem esset precatus, Christus descendit de cælo tanquam nubes, & eum obumbrauit, & dicit ei Seruator: Omnes petitiones eorum implebo propter te, Athleta mi dilecte. Non hæc autem solùm, sed etiam faciam vt precatus es viduæ, & benedicam omnem domum quæ tui celebrat memoriam: & penaria eorum replebo omnibus bonis propter pulchram tuam confessionem & fidem quam in me habes. Hæc cùm Dominus locutus esset martyri, cùm eum antea eduxisset spiculator è prætorio cum duobus infantibus, capita eis amputauit in Sebastea ciuitate, intra mœnia supra petram, vndecimo mensis Februarij. Fideles autem & pij viri deposuerunt eum in ipso loco. Vbi etiam vsque in hodiernum diem multæ curationes peraguntur ad Dei gloriam. Cùm verò accepisset veneranda & pia anus consummationem beati martyris Blasij, celebrauit eius memoriam eo ritu quo celebrauit in custodia: & non solùm cognatis misit ex seminibus terræ benedictiones, & ex reliquijs, sed etiam omnibus amicis. Qui vicissim imitantes, rursus in eodem tempore remiserunt non solùm fideli viduæ, sed etiam omnibus suis amicis & cognatis. Vnde etiam traditum est hoc sepulchrum & bonum exemplum vsque in hodiernum diem, omnibus qui fideliter peragunt venerandam memoriam sancti martyris Blasij cum lampadibus & hymnis & magno epulo. Ad gloriam omnipotentis & Domini nostri Iesu Christi. Cui gloria & potentia simul cum sancto & viuifico spiritu: Nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

MIRACVLA BEATI QVINTINI MARtyris, per Diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem scripta.

Habetur in opere eiusdem in gloriā [illegible] edito c. 17.

APVD Virmandense oppidum Galliarũ Quintinus martyr quiescit, cuius [1] beatum corpus à quadam religiosa quæ dudum fuerat cæcata, reperitur. Sed mox vt à fluminis fundo reuelatum est miraculum protulit, cùm mulieris faciei, vbi primum illuxit, lumina cœcata restituit. In hac igitur vrbe vnus ex latronibus equũ presbyteri furto abstulit, inuentus à presbytero iudici manifestatur. Nec mora, apprehensus, & in vincula cõpactus, supplicio subditur, & opus suũ ore proprio indicans, patibulo iudicatur. Sed presbyter metuens ne ob sui damni causam anima hominis auferretur, Iudicem deprecatur, vt concessa illi vita, hic culpę reus absolueretur à pœna: dicens sibi satis esse iam factum, quòd per tot tormentorum genera latro quę gesserat declarasset. Sed seueritas Iudicis cùm nullis precibus potuisset flecti, reum patibulo condemnauit. Tunc presbyter cum lachrymis [2] prostratus ad beati martyris tumulum, suppliciter deprecatur dicens: Quæso gloriosissime [3] athleta Christi, vt eruas hunc pauperẽ de manu mortis iniquæ, ne mihi fiat in opprobrium, si per meam accusationem moriatur hic homo: ostẽde deprecor virtutem tuam, vt quem asperitas humana nequit absoluere, lenis pietatis moderamine tu dissoluas. Hæc sacerdote cum lachrymis deprecante, disruptis vinculis patibuli reus ad terram ruit. Quod audiens Iudex timore perterritus, & diuinã admirans virtutem, nihil vltrà illi nocere pręsumpsit.

1 *Cuius beatũ corpus, vides quod non dicit, cineres emortuos, vel quid simile cadauerosum, vt dicũt haeretici*

2 *Oratio ante sepulchrũ martyris cum procuratione & lachrymis.*

3 *Vides quod per sanctorũ inuocationẽ non offuscatur Dei necessaria inuocatio? Qua si maiestas diuina displiceret, ad eorũ inuocationem tot mirabilia signa non ederet.*

VITA SANCTI MARCELLINI
Papæ & martyris, per Damaſum Papam ſcripta.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

MArcellinus natione Romanus, ex patre Proiecto, ſedit annos nouem, menſes duos, dies ſexdecim. Fuit autem temporibus Diocletiani & Maximiani, ex die Kalendarum Iulij à conſulatu Diocletiani ſexto, & Conſtantij ſecundo, vſque ad Diocletianum nono, & Maximianum octauo. Quo tempore fuit perſecutio magna, ita vt intra triginta dies, decem & ſeptem millia hominum promiſcui ſexus per diuerſas prouincias martyrio coronarentur. De qua re & ipſe Marcellinus ad ſacrificium ductus eſt, vt thurificaret. Quod & fecit. Et poſt paucos dies pœnitentia ductus, ab eodem Diocletiano pro fide Chriſti cũ Claudio, & Cyrino, & Antonino capite truncatus eſt, & martyrio coronatus. Qui dum pergeret ad paſsionem ſuam, adiurauit Marcellum presbyterum, vt præcepta Diocletiani non impleret. Iacuerunt autem corpora ſanctorum in platea dies triginta ſex, ex iuſſu Diocletiani. Exinde Marcellus presbyter noctu collegit corpora ſanctorum cum [1] presbyteris & diaconis, cum hymnis, & ſepeliuit ea ſexto Kalendas Maij in via Salaria, in cœmiterio Priſcillæ in cubiculo claro, quod patet vſque in hodiernum diem, ſecundùm quod ipſi ſanctus Petrus præceperat, in crypta iuxta corpus ſancti Creſcentionis. Hic fecit ordinationes duas per menſem Decembrem, presbyteros quatuor, Epiſcopos per loca quinque. Et ceſſauit Epiſcopatus annos ſeptem, menſes ſex, dies vigintiquinque, perſequente Diocletiano Chriſtianos.

1 Vides Chriſtianam traditionem ſepeliendi fideliũ corpora? Nempe cum hymnis, ſacerdotibus & diaconis.

VITA SANCTI MARCELLI PAPAE
& Martyris, per Damaſum Papam ſcripta.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

MArcellus natione Romanus, ex patre Benedicto, de regione Vialata, ſedit annis quinque, menſibus ſex, diebus viginti vno. Fuit autem temporibus Conſtantij, & Galerij, & peruenit vſque ad Maxentium, à conſulatu Maxentij quarto & Maximi, vſque poſt conſulatum. Hic fecit [1] cœmiterium via Salaria, & vigintiquinque titulos in vrbe Roma conſtituit, quaſi diœceſes, propter baptiſmum, & pœnitentiam multorum, qui conuertebantur ex Paganis, & propter ſepulturas martyrum. Hic ordinauit vigintiquinque presbyteros in vrbe Roma, & duos diaconos per menſem Decembrem, Epiſcopos per diuerſa loca viginti vnum. Hic coartatus & tentus eſt, eò quòd Eccleſiam ordinaret, & comprehenſus à Maxentio, vt negaret ſe eſſe Epiſcopum, & ſacrificijs ſe humiliaret dæmoniorum. Qui ſemper contemnens & deridens dicta & præcepta Maxentij, damnatus eſt in Cathabulum. Qui dum multis diebus ſeruiret in Cathabulum, [2] orationibus & ieiunijs Domino deſeruire non ceſſabat. Menſe autem nono venerunt clerici eius omnes, & eruerunt eum noctu de Cathabulo. Matrona verò quædam nomine Lucina vidua, quæ vixerat cum viro Marco annis quindecim, & in viduitate ſua habebat annos decem & nouem, ſuſcepit beatum virum, quæ & domum ſuam nomine tituli beati Marcelli dedicauit, vbi die [3] noctuque hymnis & orationibus Domino Ieſu Chriſto confitebantur. His auditis à Maxentio, miſit, & tenuit iterum beatum Marcellum, & iuſſit in eadem Eccleſia iterum plancas externi, vt ibidem animalia cathabuli congregata ſtarent, & ipſis beatus Marcellus deſeruiret. Qui tandem in ſeruitio animalium nudus, amictus eſt. Cuius corpus collegit beata Lucina, & ſepeliuit in cœmiterio Priſcillæ via Salaria decimo ſeptimo Kalendas Februarij. Et ceſſauit Epiſcopatus dies viginti. Lucina verò proſcriptione damnata eſt.

1 Vide quanto ſtudio hi ſancti Pontifices martyres ſepelirent, quibus etiam tot cœmiteria faciebant.

2 Non ceſſabat ſeruire Domino in orationibus & ieiunijs etiam in Cathabulo, iuxta illud Apoſtoli, in omni loco leuãtes puras manus.

3 Ecce nocturnas & diurnas orationes & hymnos.

VITA SANCTI EVSEBII PAPAE,
per Damaſum Papam ſcripta.

Habetur vt ſup.

EVſebius natione Græcus, ex patre Medico, ſedit annis ſex, menſe vno, diebus tribus. Fuit temporibus Conſtantini. Sub huius tempore crux Domini noſtri Ieſu Chriſti quinto Nonas Maij inuenta eſt. Baptizatur quoque & Iudas, pòſt Quiriacus vocatus, crucis inuentor. Hic, ſcilicet Euſebius, hæreticos inuenit in vrbe Roma, quos ſola manuum impoſitione reconciliauit. Fecit hic ordinationem vnam menſe Decembre, presbyteros tredecim, diaconos tres, Epiſcopos per loca quatuordecim. Sepultus eſt in cœmiterio Calixti via Appia ſexto Nonas Octobris. Et ceſſauit Epiſcopatus dies ſeptem.

VITA

VITA SANCTI MELCHIADIS PAPÆ ET martyris, per Damaſum Papam ſcripta.

Habetur vt ſupra.

MElchiades natione Apher, ſedit annos tres, menſes ſeptem, dies octo, ex die Nonas Iulij, à conſulatu Maximini nono, vſque ad Maxentium ſecundo, qui fuit menſe Septembri, Voluſiano & Rufino conſulibus.

Hic conſtituit, ne vlla ratione die Dominica aut quinta feria ieiunium quis fidelium ageret, quia eos dies Pagani quaſi ſacrũ ieiunium celebrabant. Et Manichæi inuenti ſunt in vrbe Roma ab eodem. Hic fecit, vt oblationes conſecratæ per eccleſias ex conſecratu Epiſcopi dirigerentur, quod declaratur fermentum. Hic fecit ordinationem vnam per menſem Decẽbrem, presbyteros ſex, diaconos quinque, Epiſcopos per loca vndecim. Hic ſepultus eſt in cœmiterio Calixti via Appia, quarto Idus Decembris. Et ceſſauit Epiſcopatus dies decem & ſeptem.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENSIS candido lectori.

AD duo te, probe lector, aduertere oportet in hac, quæ tibi ſupponitur, vita. Primùm illud, aut erratum per ſcriptorem in ſanctæ nomine, & pro Margarita Marinam fuiſſe ſcriptam. Nam quæ hîc de beata Marina dicuntur, non ei, ſed Sanctæ Margaritæ omnino conueniunt, indicatque id, patria, perſecutor, certamina, & mortis genus. Cùm aliâs Marina virgo tantùm fuerit, non etiam martyr, quæ ſanctimonialis ſub viri habitu inter monachos habitans falſo de inceſtu accuſata, ob humilitatem quæ non peccauerat exoluens, expoſitum ſibi puerum, tanquam proprium filium aluerit, monachumque effecerit. Aut Margaritam ipſam, Marinam quoque dictam fuiſſe fatendum eſt. Conſtat enim tam viros, quàm mulieres non vno tantum nomine ſæpius appellatos. Sed primùm dictum nobis verius videtur, vt corruptum in hoc exemplar Genzanus noſter offenderit, licet illud ex Pontificia bibliotheca habuerit. Alterum illud eſt, nos propter falſas illas narrationes, quæ in ſanctorum hiſtorijs diabolica ſuggeſtione ſuffarcinatæ ſunt, de quibus in ſequenti vita fit mentio, animum adieciſſe ad Sanctorum illas tantummodo vitas, quæ à priſcis patribus, iiſque probis, eruditis, & illuſtribus viris, necnon Deum timentibus conſcriptæ fuerunt, in vnum volumen redigendas, eo quidem conſilio, vt haberet Catholica Eccleſia veras, quas de electis ſui corporis membris legeret narrationes, neque apochripha pro legitimis: vel dubia pro certis (vt quandoque cum maxima Sanctorum iniuria factitatum eſt) reciperet. Magna namque conſcientiæ tranquillitas prouenit, cùm quicquid legeris, certus ſis omnino ſcriptorem te non decipere, ſed veracem, & omni prorſus mendacio carentem, rem ſyncerè vt eſt geſta, ante oculos tuos afferre. Quod ſtudium noſtrum qualecunque, ex bonorum omnium matre charitate profectum, vt tu quoque ſanctis orationibus tuis apud Dominum commendare, & promouere ex eadem charitate non abnuas, humiliter oramus.

MARTYRIVM SANCTÆ ET EGREGIÆ, ET CVrationum virtute præditæ Martyris Marinæ.

Per Simeonem Metaphraſten.

NIhil æquè lætificat, & exhilarat animam bonam & fidelem, vt quod victoria potitorum athletarum legitur martyrium, & eò magis delectat auditorem, quò meliorem habuerit compoſitionem, aptamque, & probabilem narrationem, & ea recenſentem, quæ & perſecutoris improbitati, & eorum qui decertabant, animi magnitudini, quinetiam eius quoque, qui vnà decertabat Chriſti potentiæ apta ſint, & conuenientia. Sit namque oportet omni ex parte eiuſmodi, vt & nihil habeat offenſionis, & rem rectis auribus oſtendat credibilem. XVII. Iulij.

Etenim ſcire oportet, non paucas ex iis, quæ martyrum res geſtas continent, narrationibus ab initio fuiſſe adulteratas, vt quæ à gentilibus fortè, aut ab hæreticis, & prophanis, & veritatis intelligentia priuatis viris corruptæ, & aut nugis, & vaniſſimis ineptiis ſordidatæ, ac conſpurcatæ, & euidentiſſimis dæmoniorum doctrinis, prauæque ac ſceleratæ mentis execrandis figmentis prophanatæ, & ad Chriſti, & Sanctorũ eius contumeliã cõpoſitæ fuerint.

Et ideo

Et ideo fidem de cætero adeo labefactant, & tantum ei detrimenti afferunt, vt propterea ne verissimis quidem deinceps assentiatur, sed aut omnino ea reijciat ac repudiet: aut, vt quæ sint dubia, despiciat, & ea minoris faciat. Quomodo etiam egregiæ virginis, & martyris Marinæ quadam hostis nostri contumelia fuit adulteratum martyrium, veræ per passionem eius narrationi, tanquam puro frumento, à communi omnium inimico iniectis zizanijs, illo, inquam, dæmone, qui illic fingitur fuisse in medio eius certamine, & illius vocibus, adeo vt qui audiunt, attendentes quàm sit ridicula & absurda dictio illa dæmoniaca, dubitent de ipso quoque martyrio egregiæ victricis Marinæ. Etenim qui adhuc viuos Iesu martyres inuasit, & eos morte afficiendi insatiabili tenebatur desiderio, nihil mirum, si postquam excesserunt ad Agonothetam, & sunt pronunciati victores, eorum gloriæ conetur insidiari per impios, qui falsa loquuntur: admiscens mendacia sanctorum rerum gestarum cõmentariis. Inanes ergo omnes fabulas, & nugas, tanquam maligni ludibria, illius mystis abijciens, solis autem veris præclarę huius martyris tam in verbis quàm in factis decertationibus sub ea quæ consistit, veritate illuminante, mentem adhibens, breuemque orationem, & quæ nihil superuacanei contineat componens, sic magnæ, & præcipuum nomen sortitæ Marinæ ordine persequar decertationem. Hæc ergo beata puella Marina fuit quidem ex ciuitate Antiochia Pisidiæ, parentibus autem, quod ad corpus quidem attinet, claris. Filia enim erat Ædesij, qui fuit illis temporibus vel maximè insignis sacerdos idolorum. Cùm autem esset vnica, quoniam matrem citò mori contigerat, extra ciuitatem ad quindecim milliaria tradita fuit alenda eius nutrici. Cùm verò ætate cresceret, & honestate morum, intelligentiaque, & prudentia supra ætatem proficeret, & honorificè à sua nutrice aleretur, & educaretur, audiuit verbũ fidei Christi, & id statim in sua defixit cogitatione. Quæuis enim bona anima promptè suscipit eos qui de bono sunt sermones, & eò citiùs, quò est meliore ingenio prædita, aut fide acriori. Marina ergo cùm esset adhuc admodum iuuenis, mollisq; & delicata adolescentula, vt corpore speciosa, & omni ex parte pulchra, ita etiam mente, & anima valde bona, postquam solũ audiuit Deum bonum, & qui verè est, & viuit pro salute hominum, ex puella coniugij experte natum hominem: crucifixumque, & sepultũ fuisse, & resurrexisse, & cùm ad cœlos hominũ naturam sustulisset, eam consensu paterno honorasse, statim corde credens, ore quoque est confessa se esse Christianam. Et sic indies in Dei filium confessione & fide proficiens, optabat Christi confessorum effici particeps, & socia. Atque Ædesius quidem, qui falso nomine appellabatur eius pater, eam propterea auersabatur, & abhorrebat. Ea autẽ Deum cœlestem colens supra omnia, eos qui pro pietate torquebantur, & interficiebantur, valde venerabatur, & cordis proposito eorum miserens, vnà cum eis dolebat, & vnà patiebatur. Oportebat autem deinceps ipsam quoque sicut verbis & cogitatione, ita etiam factis Christum glorificare. Oportebat fidem quoque eius tentari, & probari, & cùm proba apparuisset, simul cum Regni filiis commisceri. Etenim quæ sicut granum sinapis cœlestem sementem suscepit anima, non patitur non in magnam augeri altitudinem, adeo vt cœlestes quoque virtutes in ea habitent. Olybrio ergo, qui tunc erat Præses Orientis, viro audaci, crudeli, & cædem spiranti traditur hæc beatissima adolescens, vt tentaretur. Non enim piis, & bonis, sed impiis, & malis filiis diaboli, filii Dei omnino traditi, & accensi, & per tolerantiam vincentes aduersarium, sic in exultatione, quæ dici non potest, & gloria, Patri cœlesti offerunt. Hæc ergo pulchra virgo Marina, à partibus Asiæ Antiochiam versus contendente Olybrio, ab eo in transitu conspecta (cõtigerat enim vt tunc exiret beata ad gregẽ paternum aspiciendum) cùm eximia sua pulchritudo eum obstupefecisset, & sauciasset, statim capta fuit à parricidæ manibus. Simul atque enim eam aspexit sæuus ille Præses, eam vxorem ducere habuit in animo. Cùm autem eam propè stetisset, nomẽ, & conditionem eius, & religionẽ sciscitatus est: ipsa verò cùm Dominum nostrũ Iesum Christũ, vt sibi esset adiutor, liberator, & redẽptor, inuocasset, aperto ore dicit: Nomine quidem mihi à parẽtibus imposito vocor Marina. Cùm sim autem nata ingenuis parentibus, glorior me esse ancillam Domini mei, & Dei, & seruatoris Iesu Christi, qui fecit cœlũ & terrã. Cùm sic audiisset Olybrius, & statim ex prima responsione puellæ esset admiratus prudentiam, & anxio fuisset animo, vt est consentaneum, denunciat sequentibus cum satellitibus, vt eam sibi seruarent honorificè. Postquam ergo fuit intra ciuitatem Antiochenam, & diis suis pro more sacrificauit, & laudes, vt mos est, in honorem victoriæ Imperatoris celebrauit. Cùm autem mane surrexisset, & tota ei assistente ciuitate in tribunali præsedisset, iubet sanctam sisti Marinam. Cùm ea autẽ esset ingressa, & constanter staret in medio, ipse in eius vultum defixis oculis, & eius formæ venustate resolutis præcordijs, corde verò ad eum obsidente amore incensus, & liquefactus, sic dixit Olybrius: Sciũt omnes dij, ô pulchra puella, scias autẽ tu quoque, me moueri misericordia tuæ teneræ ætatis, & tui delicati corporis. Quãobrem rogo te mihi morem gere, & diis sacrifica, meliusq; tecum

agetur, quàm cum omnibus tuis æqualibus. Pecuniarũ enim & possessionum tibi immensæ accedent diuitiæ. Eris autem clarior & illustrior, quàm omnes fœminæ ciuitatis.

Sancta autem Marina dixit: Ego quæ didici Deo cœli vero & viuo, & vnigenito eius verbo rationalem cultum, & sacrificium laudis in sancto spiritu perpetuò offerre, deos quos nõ noui, neque placabo sacrificijs, cùm sint inanimi, & nullo sensu præditi, & quorum nihil interfit, honorentúrne, an contumelia afficiantur: neque quæ meo affectori debetur, adorationem rebus tribuam inanibus. Præses dixit: Rursus rogo te Marina, mihi morem gere, & adora deos inuictos, hoc apertè sciens, quòd si meum audiueris consilium, eris mihi vxor honoranda & dilecta: & iam coram tota ciuitate te mihi accipiam coniugem: & ego quidem ero tibi in perpetuam laudem & lætitiam: tu autem eris mihi in iugem spiritus recreationem, voluptatemque & delectationem. Quòd si non parueris, scias fore, vt in multas incidens afflictiones igne & ferro consumaris. Dixit sancta martyr: Ne existimes, ô Præses, te meæ in Christum fidei rationem inflexurum, aut blanditiis emolliturum, vt te sequatur. Sum enim ancilla Domini mei Iesu Christi, qui pro me sustinuit voluntariam passionem, & crucem. Si ergo ille pro me, omnino ego quoque pro ipso debeo mori. Ne putes ergo me esse minis perterrefaciendam: Adsum tibi ad omnia tormenta, supplicia, & mortes impauida, & interrita. Habeo enim, qui me confirmet & roboret, & ignominia afficiam omnes tuas machinas. Tunc ira plenus Præses Olybrius, iubet sanctam virginem Marinam humi extensam virgis cædi immisericorditer. Cùm eius autem corpus dilaniaretur, & sanguis quidem terram rigaret, propter ipsam verò totus aspiciẽs illachrymaretur populus, dictitaret autem Præco: Marina diis sacrifica, & ne tantam perdas pulchritudinem inconsiderata persuasione: Ipsa mansit firma, & minimè cedens. Etenim cùm oculos in eum sustulisset, & mente Dominum contemplaretur, & rogaret vt ei ferret auxilium, æquè absque vllo sensu ferebat plagas, ac si alius pateretur. Deinde ad Præsidem dicebat: Quæcunque à patre tuo diabolo tibi suggeruntur, in me fac quamprimùm. Habeo enim Christum, qui roborat & confirmat, neque timebo mala, quoniam ipse mecum est semper. Cùm itaque ira ebuliisset Olybrius, ferreis eam laminis conclusam, & clauis affixam, iubet ferreis cædi fuscinis. Cùm diu autem laniaretur, & flaccesseret pulchritudo corporis, auertit quidem ab ea faciem Olybrius, & vultum operuit chlamyde, ne videret: vix tandem verò tortores reprimens, iussit vt ea abduceretur in custodiam. Cùm illic ergo seorsum fuisset egregia illa martyr, mente quidem per preces à se excedens, & ad Deum erecta clamabat: Domine Deus excelsorum, à cuius facie labant omnes cœlorum virtutes, & omnes principatus, & potestates horrent & contremiscunt, omnisque creata quæ in te continetur natura omnipotẽte tuo nutu alteratur, & tua voluntate recreatur & renouatur: Tu Domine altissime, respice è supercœlesti tuo throno super me inutilem & indignam tuam ancillam, quoniam sum deiecto animo, & humiliata nimis: quandoquidem speraui in te, & ad te meipsam conieci: propter namque nomen tuum sanctum & terribile hæc patior. Intuere, ô sancte, attende mihi sapienter, & recrea hoc meum quod effluxit, corpusculum, & renoua meam animam, eamque tuere, & conserua ad regnum tuum supercœleste, quoniam te adoro, & rogo tuam omnipotentem virtutem & potentiam, audensque à te supplex peto: Da mihi Domine Deus meus, vt ipsis oculis possim videre inimicum meum, qui me ex alto oppugnat, & ostende mihi eius mala machinans & aduersandum caput: & vt ipse à meis conculcetur pedibus, & vt tanquam lutum platearum comminuatur, & despiciatur: præsta ô omnipotens, vt in me quoque glorificetur sanctissimum & terribile nomen tuæ bonitatis & clementiæ in secula seculorum. Amen. Hæc sancta martyre Marina orante in carcere, repentè fit magnus terræmotus, & ecce ipse diabolus suscepta forma & specie terribilis draconis, qui colore quidẽ apparens varius & multiplex, multis autem, iisque sæuis serpentibus per totum corpus cinctus & circundatus, & corpore quidem edens execrandum sibilum, tetrum autem emittens odorẽ & intollerabilem sanctæ oculis astitit: celeriter autem eam circumcursans, maximum ei attulit timorem & perturbationem: vasto autem oris hiatu eam circumiẽs, existimabatur eam integram esse deuoraturus. Illa verò mente firma stabilis, & vt quæ ad Deum omni ex parte intueretur interrito & constanti animo, precibus, quæ dici non possunt, & intensissimis cordis vociferationibus mente rapta ad altissimum, & simul signo 1 Crucis signata, disruptũ quidem ventrem draconis visa est videre ante suos oculos: illinc autem animaduertit se exire integram & illæsam. Nam quæ eius vitam administrabat virtus sancti Spiritus, ei & inimici ostendit sæuitiam, vt postulauerat: & præbuit, vt ab eo statim liberaretur & redimeretur. Præter opinionẽ ergo, quæ nulli culpæ erat affinis, martyr Christi Marina à sæuo illo & pernicioso serpente liberata, videt magnam lucem refulsisse in custodia: Crux autem à terra in cœlũ vsque peruadens ostendebatur, tanquam fons illius luminis: supra crucem verò conspecta fuit alba colũba, & tota pura, lucidos emittens

1. Signo crucis sancta obsignata, à diabolici draconis impetu liberatur.

emittens splendores, Trinitatis, vt mihi videtur, mysteriũ apertè ostendente visione. Nam per lucem quidem erat ostendi apertè paternam gloriam, per Crucem autẽ Crucifixum significari vnigenitum, per columbam verò cõspiciebatur sancti spiritus diuinitas, quæ & Ancillam Dei alloquebatur, & consolans animum addebat, dicens: Aue Marina, ratione prædita Dei columba, quòd vicisti malignum, & bono adhæsisti. Aue, & lætare, & delectare ex toto corde tuo, filia supernæ Sion, quoniam venit dies in qua pro tuis meritis ornata victoriæ coronis, & intelligentem Dei requiem cum prudentibus ingressa, apud sponsum & regem tuum habitabis. Simul autem hæc de cœlo eam alloquebatur, & caruncula renouabatur, & rore spiritus omnino curata, à plagis fuit omnino mundata. Maxima verò exultatione, & lætitia beata repleta. Benedicam te, Domine, magna voce confitebatur, laudabo te Domine Deus, & glorificabo nomen tuum, quod fecisti mecum res admirabiles. Extollam te Domine, & te laudabo, quòd meæ miseriæ sis misertus, & me visitaueris, & meum corpus curaueris, & animam, & me non tradideris in manus inimicorum, sed etiam defectoris, & perniciosissimi draconis vastam speciem ostenderis ancillæ tuæ, & eum in chaos infinitum cum venenatis, qui eum sequebantur, serpentibus, & dæmonijs, ad abyssos amandaueris, & eos in profundum inferorum damnaueris, & eorum terrorem vt bonus Deus procul à me abieceris. Et nunc spiritu lætans, & exultans in Deo seruatore meo, rogo tuam summè bonam benignitatẽ, vt me digneris tua per lauacrum regeneratione, & aqua sancti tui baptismatis, vt quomodo sancto tuo spiritu, & sanguine decertationis, ita etiam aqua baptismatis expiata & consummata, digna fiam ingressu tuorum sanctorum. Quoniam tu solus verè sanctus, & in sanctis requiescens, & glorificatus simul cum Patre principio carẽte & viuifico spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. Amen.

In his sancta virgine, & martyre Marina per totam illam noctem exultante, & Deum glorificante, mane surgens Præses, & tribunali ante totam ciuitatem & populum præsidens, iubet sacram sisti virginem. Cùm vidisset autem eam astare totam sanam, & læto vultu Olybrius, & esset admiratus, sic dixit: Vides ô Marina, quemadmodum magni dij tui curam gerunt, qui tuæ miserti pulchritudinis te sanam reddiderunt à tuis vulneribus. Æquum est ergo, vt tu quoque pro accepto beneficio referens gratias, eis sacrifices, & eorum, sicut tuus pater constituta sacerdos sacerdotio fungaris, & eos colas. Sancta Marina dixit: Mihi quidem fas non est, nec honestum, vt vero relicto & viuo Deo, qui mortuos viuificat, deos colam, qui non viuunt, & eis sacrificẽ. Te autẽ maximè decuerit, fueritque sanctissimum, vt abstinens ab errore in rebus huiscemodi, verum Deum agnoscas, qui corporibus medetur, & animis, & ei soli offeras sacrificia, & cultus spirituales.

Tunc Præses iubet, vt ei nudatæ lampadibus pectus vratur, & latera. Cùm diu ergo vreretur, & supplex tacitè preces emitteret ad Dominum nostrum Iesum Christum in corde suo, dolores facilè sustinuit. Cùm eam autem de ligno deposuisset, iussit magnum lebetem afferri in medium, & eum aqua repleri, & Marinam vinctam in aquam immitti, vt in ipsa suffocaretur. Cùm id autem celeritate maxima factum esset, sancta martyr vincta, & in vas aquæ iniecta exclamauit magna voce: Domine Iesu Christe, qui eduxisti vinctos in fortitudine, qui soluisti vincula mortis, & inferorum, & eos qui habitabant in sepulchris excitasti tuæ potestatis nutu omnipotenti: Tu, Domine altissime, aspice ad ancillam tuam, & rumpe vincula mea, & fiat mihi hæc aqua in vitam æternam, & in supplementum baptismatis à me desiderati, ad depositionem quidem veteris hominis, & qui corrumpitur secundùm desideria deceptionis, indumentum verò, & amictum noui, qui secundùm Deum creatur in veritate & iustitia. Sic orans iniecta est sancta illa adolescentula in vas illud plenum aqua. Cùm primùm autem ingressa fuit lebetem, ecce fit magnus terræmotus, & rursus prima columba coronam ore tenens, volauit ipsa hora super aquam, & ingens ignis columna, & crux super eam, eadem qua prius figura apparuit beatæ: Et columba quidem cùm tetigisset sacrum caput Martyris, & repente sursum volasset, sedit super ipsam Crucem. Quæ etiam Athletam placida voce est allocuta, Pax tibi, dicens: Ancilla Dei, Nunc confide, cœlestem accipiens coronam à manu altissimi. Simul autem atque hoc dixisset, ipsa quoque soluta à vinculis, & ex aqua emergens, cum quæ explicari non potest exultatione spiritus, diuinissimam magnificãs laudabat Trinitatem, vt circa medium baptizata, & mirandum in modum ab ipsa illuminata. Illic dicitur fuisse factum miraculum valde admirabile, mihi quidem, & omnibus pijs valde credibile, nempe alas quidem suas expãdisset tãquam ijs quæ fiebant exultantem, diuinã illã columbam, conspectã super illam lucidam quæ apparebat, Crucem. Cùm in vocem autẽ erupisset apud sanctam martyrẽ, audiẽtibus omnibus sic fuisse locutam: Huc adsis nunc, ô sponsa Christi Marina, in supernis mansionibus, & accepta corona incorruptionis, in dilectis Dei tabernaculis cũ primogenitis filiis patris choros ducens, & lætans, requiesce in seculum. Hanc tanquam Dei vocem cùm totus populus exaudisset,

exaudiisset,& obstupuisset,statim Christo crediderunt viri simul & mulieres in magna multitudine: & seipsos quoq; esse Christianos magna voce exclamauerunt,paratos verò se quoque esse mortem subire pro Christo.Erant autem virorum quidem,vt aiunt,ad quindecim millia,& multæ mulieres.Qui quidem omnes Christum esse verum Deum,& Regem confitentes: deos autem & dæmones,& eos qui ipsos colebant,Imperatores aspernantes & nihili facientes,neci fuêre dediti. Totum enim qui erat in eius potestate exercitum in ipsos immittens Olybrius,omnes interfecit tanquam oues ad occisionem se dâtes propter fidem in Christum. Atq; hi quidem sic suo sanguine baptizati & expiati Deo offerebantur.Hæc autem cùm impius vidisset Olybrius,pronunciauit capitis sententiam in agnam Christi Marinam.Cùm ea ergo abducta fuisset extra ciuitatem,in eo loco in quo interempta fuerat ea, quæ dicta est,multitudo,vnus ex militibus apprehenso eius superhumerali,& ense stricto: extende,inquit,collum tuum,& nunc accipe à Deo tuo desideratum brauium victoriæ:sed memento,rogo te, mei serui tui,quando fueris in regia cœlorum. Re vera enim vidi hodie innumerabilem Angelorum Dei multitudinem te in orbem circunsistentem, & tuam custodientem sanctitatem. Sancta autem dixit: Sustine,ô fili,parumper, vt astantes parum alloquar,& precer,& sic implebis quod tibi fuit imperatum.Cœpit itaque alloqui eos qui aderant: Fratres,dicens,& amici,rogo vos, tanquam indigna altissimi ancilla,audite prudenter hanc meam modicam verborum suasionem. Transcendentes ergo omnem creatam naturam eorum quæ videntur,agnoscite patrem luminum,& vniuersorũ creatorem & Deum: agnoscite autem eius quoque vnigenitum Deum verbum Dominum nostrum Iesum Christum: & sanctum & viuificum spiritum.Non est enim aliud nomen,in quo possit aliquis esse saluus.Neque est vllus alius Deus,nisi vnus,qui in patre,& filio, & spiritu sancto consideratur,& adoratur in secula. Amen.

Hæc cùm esset martyr locuta iis qui aderant,sustulit in cœlum cordis oculos,& in gemitibus inenarrabilibus clamauit spiritu: Principij expers,immortalis,carens têpore,increate, qui non potes comprehendi,infinite,& qui non potes inuestigari, Domine Deus vniuersorum,& vniuersæ creatæ naturæ tam quæ videtur,quàm quæ intelligentia percipitur,opifex & administrator,& Saluator omnium qui sperant in te,ago tibi gratias,quòd me ad hanc horã deduxeris:Benedico tibi,quòd appropinquauerim coronæ tuæ iustitiæ:laudo & celebro tuã inenarrabilem benignitatem & clementiam,quòd tibi visum sit me cooptare cũ electis tuis filiis.Et nunc Domine Deus misericordiæ,omnipotens,omnia intuẽs,aspice ad me miseram & abiectã,& exaudi meam deprecationẽ,& imple meas petitiones ad laudem,& honorem,& gloriã sanctissimi & adorandi tui nominis.Et nunc Domine Deus meus,omnibus qui propter te mei corporis [2] tabernaculũ,quod pro te decreauit,sunt veneraturi:& omnibus qui ædificabunt oratoriam domum in nomine ancillæ tuæ,& sacrificia spiritalia, oblationesque & preces tibi in ea offerent, & omnibus qui ex fide describent martyrium meæ decertationis,legentq; & meminerint nominis ancillæ tuæ,da eis Domine sancte,bonorum amator,& animarum amice, remissionem peccatorum, propitiationẽ & misericordiam eis suppedita pro mensura eorum fidei:neq; eos tangat vltrix manus,nõ mala fames,non pestis execranda,non graue flagellum:neq; eis eueniat alius immedicabilis animæ & corporis interitus. Omnibus autem qui in fide & veritate domui meæ,aut nomini meo adhærebũt,& glorificationem & laudem tibi Domine,offerent,& sacrificiũ in memoriam ancillæ tuæ,& per me salutẽ petent & misericordiam,largire eis Domine affluẽtem bonorum copiã, quoniam solus es bonus,& benignus,& dator omnium bonorum,in secula seculorum.Amen.

2 Si sancta Dei ancilla,& electa martyr,& virgo, in agone mortis hæc orat posita, qui ista in sui memoriam faciunt, non errant, sed probè agere videntur.

Hæc ea apud se precante,ecce rursus factus est magnus terræmotus,adeo vt non pauci ex iis qui illic stabant,humi ceciderint,quinetiam ipse quoq; miles, qui volebat ei caput amputare.Ipse autẽ Dominus cum multitudine sanctorũ Angelorm exercitus, ita vt mente posset percipi,assistẽs:Bono animo esto,inquit,Marina,& noli timere,quoniã exaudiui preces tuas,& quęcunq; petiisti impleui,& opportunè implebo,sicut tu petiisti.Et nũc ideo tibi apparui,vt te ad me è terra recipiam. Tuq; es beata,quòd meministi peccantium,quodq; coram me pura apparuisti,& apud me gratiam inuenisti.Quamobrẽ erit tua merces copiosa in cœlis.Tunc B.Marina impleta gaudio & lætitia, conuersa dicit militi:Agedũ fac deinceps frater quod tibi est imperatũ,vt mihi faceres.Ille autem correptus tremore,nolebat ensem in eam tollere.Ipsa verò eum adhortans,animum addens,vix persuasit beatissima virgo,vt caput sibi amputaret. Sic præclara virgo & martyr Marina, cùm decertationis cursum pulchrè peregisset,legitimumq; & perfectũ,& admirabile subiisset martyriũ, quod odo magno dedecore affecit inimicum,ita etiam insigniter Christum glorificauit.Cuius beatam & sanctam animã per sanctos Archangelos gloriosè sublatam, [3] supercœlestis & quæ intelligentia percipitur, Dei domus,quæ eam suscepit, habet intus pro nobis assiduè orantem Christum Dominum nostrum.Quem decet gloria in secula seculorum. Amen.

3 Vides sanctorũ animas ex hoc seculo recedentes in cœlum efferri,& pro nobis orare.

MARTYRIVM SANCTAE MARTYRIS Æcaterinæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

Nouembr. XXV.

IMperante impio Maxentio, vniuersum imperium Romanorum amplectebatur impium cultum dæmonum. Is enim Alexandriæ præsidens in excelso & sublimi tribunali, emisit hoc impium edictum, vt omnes simul qui erant in eius potestate ac ditione, simulachris sacrificarent. Vnde etiam per vniuersum Romanum imperium manifesta fuerunt quæ decreta fuerant, literis ita se habentibus. Imperator Maxentius omnibus qui sunt in mea ditione salutem. Magnum consecuti beneficium à deorum benignitate, veluti quandam huius munificentiæ remunerationem, censuimus nos eis oportere offerre sacrificia. Omnes ergo, si fieri potest, ad nos venientes, ostendite vestram in magnos deos beneuolentiam. Scientes quòd qui hoc nostrum edictum contempserit, & ad aliam à nobis prohibitam aspexerit religionem, excidet ab ipsa magna deorum beneuolentia, & subijcietur à nobis malis extremis.

Cùm hæ literæ in omnem partem peruasissent, licebat videre confluentem ad ipsum multitudinem metu minarum: quorum alij quidem adducebant oues & boues: alij autem varia genera auium. Neq; erat vllus immunis, sed erant omnes intenti in apparatu sacrificij. Nam qui erant valde diuites, constitutum erat vt magna animalia abducerent ad sacrificium: parua autem pauperes: prout vnicuique suppetebant facultates, & erat vniuscuiusque in deos beneuolentia. Ad magnificentiam autem eos maximè incitabat Imperator, adferens ad sacrificandum centum & triginta tauros. Cùm omnes ergo ad ipsum conuenissent Alexandriam, valde lætatus est videns multitudinem populi & sacrificiorum, adeo vt nec alterum quidem tempus expectarit, sed protinus surrexerit, & citissimè ad templum processerit, & ipsum peregerit sacrificium. Cum eo autem currebat omne genus & omnis ætas, & vniuersus Senatus, & omnes magistratus, plebsque & vulgus hominum, quæ ad sacrificium pertinebant vnusquisque adferens, adeo vt propter multitudinem eorum qui confluebant angusta esset ipsa ciuitas, angustum templum: clamore verò brutorum animantium circumsonaret tota regio circumcirca: nidore autem sacrificiorum ipse quoq; aër inficeretur. Cùm hæc sic fierent, mulier quædam pia nomine Aecaterina, ætate iuuenis, pulchra specie, quæ genus ducebat ex sanguine regio, omnem autem & externam, & nostram scripturam perlegerat: multis ancillis comitata degebat Alexandriæ, & sic asseruabatur in ædibus regiis, & solum Christum norat sponsum, & ei animæ seruabat pulchritudinem, & in eum solum erat cor eius amore inflammatum. Hæc sic videns homines grauissimum subire naufragium, & venire in extremum interitus periculum, animo grauiter affecta, & pro Domino æmulatione ac zelo incitata, tunc maximè statuit suum ostendere desiderium, & ardentem pro fide zelum. Et cùm nonnullos secum accepisset famulos, protinus profecta est in templum, in quo erat multitudo cum Rege sacrificans, & stans in limine, aliorum quidem vultus ad se attrahebat, vt quæ insigni esset pulchritudine, & internam speciem ostendebat per externam. Sensim autem sua munda labra aperiens, dixit se habere necessarium aliquid quod diceret Imperatori. Qui itaque nuntiis referendis præerant, Imperatori de virgine annunciant. Cumque ille iussisset, statim introducitur. Quæ cùm stetisset coram impudenti Tyranno, cùm ille adhuc vacaret sacrificio, constanter & liberè sic ei est allocuta. Oportebat quidem, ô Imperator, te ex teipso tuam videre deceptionem, quòd hominum in quos cadit interitus, simulachris, tanquam diis, offers sacrificia: & gentilem hanc stultitiam & dedecus abijcere. Quoniam autem sinistro parens dæmoni, ad adeo manifestam cæcutis veritatem, oporteret omnino sapienti saltem qui est apud vos Diodoro credentem, cognoscere quidnā sint vestri dij: & non tā inconsideratè quæ non decēt velle facere, & non deos putare simulachra hominū qui vitam miserè finierunt. Ille enim dicit & deos fuisse homines, & propter aliqua beneficia nominatos fuisse immortales. Scribit autem ipsos quoque habuisse proprias nominum appellationes: & imperasse quibusdam regionibus & ciuitatibus. Dicit verò homines deceptos ignoratione, eos vocasse deos, & retulisse in numerum immortalium. Porrò autem alius quoque sapiens apud vos ex iis qui conscripserunt historias, dixit illum Sarrum inuenisse primum res gentilium. Eos enim qui priscis temporibus aut fortitudinis, aut amicitiæ, aut alicuius alterius virtutis opus dignum quod memoriæ mandetur, aut in quod studium conferatur ostenderunt, dicitur honorasse statuis ac simulachris. Qui autem maiorum mentem ignorarunt posteri, quòd eos solùm memoriæ gratia, vt qui rem aliquam laudabilem fecerant, honorassent, eisque imagines & statuas posuissent, ad homines interitui & omnino similibus obnoxios affectionibus accesserunt: & vt eis fierent sacrificia, honoresque haberentur & dies festi celebrarentur prouiderunt.

Eos ve-

Eos vester quoq; sapiens Plutarchus Chæronæus arguit, dicens eos inducere errorē imaginum, quibus oportet te quoq; credere, ô Imperator. Non enim alienis omnino, sed tuis credes: & non tam multas animas inducere in extremum barathrum interitus. Pro quibus ipse miserè lues pœnas, & æternum subibis supplicium, gehennam, inquam, ignis quæ nūquam desinit, sed maiorem semper flammam accendit. His ergo persuadearis, ô Imperator, & persuasus agnosce verum Deum solum, qui dedit tibi hoc imperium, & præterea ipsam quoq; vitā præbuit: Qui cùm esset Deus æternus & immortalis, propter nos homo quoq; factus est: crucemque & mortem elegit, nos faciens surgere à morte inobedientiæ, & vt ipse scit, nostram procurans salutem. Is & eorum qui errant est seruator: & eos quos pœnitet, benignè & clementer excipit. Ad hæc ira impletus Maxentius, & cùm feruens sanguis ad cor eius modicum affluxisset, vox quoque ei fuit extincta: & nec potuit quidem omnino respondere. Cùm autē ad se vix tandem rediisset, & quæ à martyre dicta fuerant vidisset esse validiora, quàm vt contra ei dici posset: Nunc quidem, inquit, ô mulier, sine peragere sacrificium: paulò post autem de iis quæ dicis audiemus apertius. Peracto ergo sacrificio, & festo per hæc soluto, in regiam reuersus accersit beatam. Postquam autem ea adstitit: Dic nobis, inquit, quænam es, aut quænam sunt ea verba quæ es nobis locuta. Illa autem: Nescis, inquit, ô Imperator, quænam ego sum? Sum filia Imperatoris qui te præcessit: vocor autē Æcaterina. Sum verò [1] exercitata in omni disciplina rhetoricæ & philosophiæ, geometriæ, & aliarum scientiarum. Sed illa omnia nihil ducens, veni vt desponderer immortali sponso Christo, qui locutus est per Prophetam: Perdam sapientiam sapientum, & prudentiam prudentum reprobabo. Cùm autem Imperator admiratus esset quæ dicta fuerant, & in eam intensius defixisset oculos, & existimasset eam non esse vnam ex iis quæ natæ sunt è terra, sed se deorum aliquam videre visionem loquentem in habitu humano, cùm sic putasset, & eam perperam esset allocutus, beata sermonem excipiēs dicit ei: Verè dixisti, ô Imperator. Dæmones enim quos deos nominas, reuera nos spectris decipiunt dæmoniacis: & nos prouocant ad libidinem & intemperantiam, & ad nefarias impellunt cupiditates. Ego autem cuiusmodicunq; sum, sum puluis & lutum, effecta in hanc formam, & eius honorata imagine. Quamobrem hinc magis conuenit admirari sapientiam Opificis, quòd in luto & in materia tam vili potuerit tantam extruere pulchritudinem. Quæ quidem ægrè ferens Imperator: Noli, inquit, diis maledicere, qui & ipsi sunt immortales, & gloriam habēt immortalem. Martyr autem: Inuenies, inquit, tu quoque, ô Imperator, quidnam sunt dij tui, si velis solùm tuam abijcere parumper deceptionem: verum quoque Deum agnosces qui est æternus & immortalis, cuius vel solum nomen pronunciatum, vel crux [2] etiam figurata in aëre, tuos deos vertit in fugam. Si velis autem, vel ex ipsa veritate apertam faciamus demonstrationem. Cùm itaque Imperatori suspecta fuisset libertas martyris, timeretque ne se vndique circunsisteret & implicaret demonstrationibus, ipse autem non posset respondere & resistere, seque & suos deos aperto dedecore afficeret, ipse quidem nec eam tantùm audire sustinet, præ se ferens non decere vt cum fœmina dissereret. Ad te autem, inquit, à me adducentur Oratores, qui omnes tuas rationes & propositiones abundè confutabunt: vt cùm tu quoque abundè didiceris tuorum dogmatum imbecillitatem, aspicias ad id quod est vtile, & nostro pareas dogmati. Hæc dixit, & sanctam quidem iubet seruari in custodia: ipse autem statim emittit epistolam in hæc verba: Imperator Maxentius omnibus qui sunt meæ ditionis salutem. Quicunque deorum sapientissimi Mercurij curam geritis, inuocatis Musis quæ sunt causæ cognitionis, venite ad nos vsque, sapientissimæ mulierculæ, quæ nobis veluti ex quadam machina apparuit, os obstructuri, ne magnos deos irrideat, neque fabulas esse putet quæ sub falso teguntur probabili. Sic enim & patriam sapientiam omnes admirabuntur: & nos vestram dicendi facultatem & artem laudantes, & acceptam habentes, vos magnis donis remunerabimur. Cùm eæ ergo literæ breui per totum suum peruasissent imperium, conuenerunt ad ipsum electi numero quinquaginta Oratores, qui erant acres ad inueniendum, & multum valebant in dicendo. Quos cùm proximè sistendos curasset Maxentius, vt familiaritate eos magis acueret & incitaret: Quæ, inquit, à nobis ad vos missæ sunt literæ, significarunt causam vestri huc aduentus. Vos ergo pulchrè vos ipsos paretis & instruatis. Neque quòd sit aduersaria fœmina, segnius aut negligentius veniatis ad certamen, sed tanquam contra fortissimum aduersarium, generoso & excelso animo, & cum omni apparatu in eum insurgatis. Nam si viceritis quidem, non videmini multis paruum erexisse trophæum. Sin autem, quod absit, vos vinci contigerit, magnum dedecus vobis conciliabitis, & ridebimini ab omnibus. Aspicientes enim ad sexum, quòd sit mulier, eam esse existimant in dicendo imbecillam, & eius eloquentiæ nullas esse vires arbitrantur: eamque nihil generosum ac forte posse aut facere, aut dicere. Ego autem vt qui eius accuratam habeam experientiā, opinor ab ea secundum futurum Platonē qui tulit primas partes sapiētiæ.

[1] Ecce quomodo etiam Sācti incubuerunt exterioribus disciplinis. Cur ergo eas nescio qui nūc eliminare volunt à scholis Christianorum?

[2] Nota magnam virtutem figuræ dominicæ Crucis.

Vosque sic velim esse paratos, perinde ac si aduersus illum ipsum essetis decertaturi: Est enim melius magna expectantes inuenire minora, quàm parua sperantes incidere in fortiora.

Ad hæc dixit vnus ex Oratoribus, qui erat eximius inter omnes qui erant cum ipsis. Consentaneum est, ô Imperator, hæc ita se habere, & intelligentem esse mulierem, & acuti ingenij. Sed non videtur mihi fore, vt sustineat venire in conspectum Oratoris, nedum vt cum eo ineat certamen disputationis, & aut aliquid proponat aut opponat. Quid est enim mulier ad artem Rhetoricam? Veniat tamen solùm te iubente, & videbis quæ deinceps consequuntur. Cùm ergo Oratorem adeo tumidum vidisset Maxentius, ad voluptatem & lætitiam statim fuit conuersus, sperans stultus linguam adeo intemperantem & audacem persuasuram linguæ moderatæ & plenæ sapientia. Iubet ergo ante se sisti martyrem. Collecta quoq; fuerat frequens multitudo concurrens ad spectaculum certaminis, vt scirent ex vtra parte staret victoria. Nondum peruenerant ad custodiam ij qui iussi fuerant eam adducere, cùm Angelus Domini ei apparens, ait: Noli timere Dei puella. Ecce enim præter tuam sapientiam tibi dabitur à Deo sapientia, & persuadebis quinquaginta Oratoribus: neque solùm persuadebis, sed & ipsos, & multos alios qui sunt cum eis ad Deũ adduces. Deinde tu quoque eris redimita corona martyrij. Hæc ille quidem cùm dixisset, abiit. Cùm eam autem accepissent ij qui missi fuerant, adducunt ad tribunal Imperatoris. Et statim egregius ille Orator, quem prius diximus, toruè intuens, & superbè loquens: Tu es, inquit, quæ deos nostros tam impudenter & adeo insolenter iniuria afficis? Martyr autem valde leniter & placidè respondit: Ego sum: sed non impudenter & insolenter, vt dixisti, sed moderatè potius & verè sum locuta. Dixit verò Orator: Cùm magni Poëtæ deos altos illos nominent, quomodo tu in eos linguam moues, & tam insolenter audes in eos insultare? etsi, vt fertur, tu quoque eorum gustasti sapientiam, & fuisti particeps dulcedinis? Illa autem prudenter respondens: Habeo quidem, inquit, sapientiam sicut mei Dei donum, qui est sapientia & vita: & quem timere, & eius mandata seruare, est initium sapientiæ perfectioris & maioris. Res autem vestrorum deorum cùm sint ridiculæ, & plenæ multa deceptione, nondum vllam pro meritis assecutæ sunt vituperationem. Verum enimuerò dic nobis quisnam ex tuis magnis, vt dicis, Poëtis, & quomodo deos ipsos nominauit? Orator autem: Primùm quidem, inquit, sapiens poëta Homerus Iouem precãs sic dicit: Iuppiter gloriosissime, maxime, & alij dij immortales. Deinde insignis quoque Orpheus in sua Theogonia, sic gratias agẽs deo Apollini, dicit: O Rex filius Latonis, eminus feriens, potens Phœbe. Qui omnia intueris, & imperas mortalibus & immortalibus. Sol qui in altum pennis aureis extolleris. Atque sic quidem præstantissimi & primi ex poëtis ipsos honorabant, & deos apertè vocabant. Neque tu ergo decepta Crucifixum attendas tanquam Deum, quem nullus ex veteribus sapiens inuenitur nominasse, neque scire an esset Deus. Martyr autem dicit: Res deorũ fateor ita se habere: neq; contra dixerim. Sed illa adijciemus. Nam Homerus quidẽ quem dixisti præstantissimum poëtarum, ille ipse rursus maximum omnium deorum Iouem innumerabilibus subijcit absurditatibus, alicubi quidem mendacem & peruersum, vafrumq; vocans & deceptorem: alicubi autem à Iunone, Neptuno, & Minerua præter rationem coniectum in vincula. Nisi enim à Thetide ei significatæ fuissent insidiæ: & Aegeum præfecisset custodiæ suæ salutis, deorum & hominum pater fortè tibi iacuisset supinus, vinctus, & mulieribus & Neptuno illusus. Rursus Orpheus Musicus vos qui eos colitis magnę amẽtiæ dãnauit & stuporis, & maximè in libro quem, vt dicis, scripsit de ortu deorum, & creatione mundi, sic vestram vanitatem significans, & ignorantiam, dicit: Neque aduentans malum homines intelligunt: neque cùm aduenerit, malum possunt auertere. Cui etiam adstipulatur sapiens vester Sophocles, dicens: Est Deus qui cœlum fabricatus est & longam terram, & ponti glaucos fluctus, & ventorum violentias. Mortales autem corde valde errantes, bellariorum statuimus solatia & deorum imagines, ex lignis & lapidibus auro structis figuras. His autem sacrificantes, & dies festos nouos celebrantes, propterea nos pios esse ducimus.

Quòd autem Crucifixum ne solum quidem nomen dixisti habere apud veteres, oporteret quidem non esse nimis curiosum, neque de eo humanas scrutari rationes, quòd sit Deus verus opifex cœli, & terræ, & maris, & solis, & lunæ, & astrorum, & vniuersi hominum generis, incomprehensibilis, inscrutabilis, interminatus, ineffabilis. Vt verò res eius ex vestris quoque confirmem, sic enim fuerit omnino à suspicione alienum testimonium, audi sapientissimam inter mulieres Sibillam, generationem eius secundum carnem, & eius in nos prouidentiam & curam ineffabilem apertè significantem. Si vis autem ipsa quoque verba audiemus. Vix tandem autem veniet quidam in hanc multifidam terram, & absque lapsu fiet caro. Indefessis autem terminis diuinitatis soluet corruptionem affectionum immedicabilium. Et ei erit inuidia in incredulo populo: & in alto suspendetur tanquam reus mortis.

Hæc autem omnia leniter patietur. Vide quoque vatem à mendacio alienum Apollinem, oblitum solitæ suæ obscuritatis & obliquitatis, & nudam etiamsi nolit ædentem veritatem. Vnus, inquit, me cogit cœlestis, qui est lux tripliciter refulgēs. Qui verò passus est Deus, non passa est autem ipsa diuinitas. Ambo est enim, & mortali corpore, & alienus à corruptione. Ipse iam Deus est vir, omnia ferens in mortalibus, crucem, contumeliam, sepulturam. Qui etiā ex superciliis calidas aliquando fudit lachrymas. Qui quinque millia impleuit frumento. Velle enim est diuina potentia. Christus est meus Deus, qui in ligno fuit extensus, qui mortuus, qui ex sepultura in cœlum est sublatus. Hæc refert Apollo deus tuus, etenim cùm sit, est expers principij, & coæternus cū Deo qui genuit, principiū, radix & fons bonorum vniuersorum: & cùm quæcunq; sunt ex nihilo produxisset, eaque ornaret ac regeret, & sua manu contingeret, nostrum genus est fabricatus: & nobis multas vias muniit ad salutem. Cùm eos autem vidisset supplantatos transgressione, & amisisse ipsum caput salutis, nempe obedientiam, ipse rursus facit id quod est caput salutis: & qui est eiusdem naturæ cuius pater, fit propter nos id quod ego, & versatur simul cum hominibus, & obit terram, castigans, admonens, docens, omnia faciens & procurans. Deinde etiam subit mortem pro ingratis famulis, eamq; ignominiosissimam: conspuiturque, & colaphis cæditur, & sustinet Creator omnia quæ condemnati: & facta sunt hæc omnia propter nos, vt solueretur prima condemnatio, & de medio tolleretur tyrannis diaboli, & cœli portæ nobis rursus aperirentur, quas malè nobis clausimus. Et nec hucusq; quidem stetit, sed cùm etiam tertio die surrexisset, & in cœlos ascendisset vnde venit, ineffabilem sancti spiritus nobis donauit gratiam, & misit Discipulos illius mandata prædicantes, qui ipsi quoq; omne periculum subibant, & mortem quotidie sustinebant, vt animæ mortē à nobis depellerent, & omnem errorem à nobis abducerent, & vniuersum orbem terræ ad eum adducerent. Propterea oportet nos quoque omnia peruadere, & esse participes eius perpessionum, complantatos similitudini mortis eius, vt resurrectionis & regni simus cum eo participes. Oportet ergo te quoque his persuaderi, & ipsum verum Deum agnoscere, & ei familiarem effici qui dicit: Venite omnes qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos: quòd si non his, at iis saltem quæ dicta sunt à diis tuis & poëtis. Omnino enim tibi & sapiens Plato, & Musicus Orpheus, qui sua lira, vt fertur, mouebat etiam inanimata: Præterea autem egregius quoque ille purus Apollo, eum tibi vel inuiti confitentur: & veritatis aliquid ab eis est ostensum, vt omnis impiis tolleretur occasio, etiamsi ipsi sunt infatuati, & videntes non viderunt, & audientes non intellexerunt. His obstupuisse Oratorem, & eius linguam planè obmutuisse cùm vidisset Imperator, ad Oratorum reliquū cœtum conuersus, hortatus est vt ipsi quoque aggrederentur martyrē. Illi autem statim detrectant certamen, dicentes: Non possumus, ô Imperator, aliquid opponere contra ea quæ dicit: & maximè quòd eum qui est inter nos præstantissimus, tam grauiter videmus ab ea superatum. Tunc Maxentius non potens ferre furorem, iubet statim rogum accendi in media ciuitate, & in eum inijci quinquaginta Oratores. Illi autem hac audita sententia, procidunt ad illius beatæ pedes, & eam vehementer obsecrant & supplicant, vt ab illius Deo eis ignosceretur, si quid ab eis peccatum sit ignorantia: & vt diuino dignarentur baptismo & dono sancti spiritus: & quoad eius fieri posset, illi coniungerentur. At hæc martyr diuina repleta lætitia: Estis, inquit, verè beati, quòd relictis tenebris secuti estis lucem veritatis: & relicto Rege qui in terris interit, accessistis ad eum qui est in terris ab interitu alienus & immortalis. Ignis enim quam impij illi vobis sunt minati, erit quodámodo vobis baptisma & scalæ ad cœlum, si quę sit macula, si qua sordes, eā expurgans, & tanquam lucidas quasdam stellas, vos ad illum ipsum Regem sursum ducens, & efficiens iucundos & amabiles. Et ipsa quidem cùm eis hac spe & sermone animum addidisset, & vnicuique arma inexpugnabilia, nempe Christi signaculum, immisisset, cum gratiarum actione & lætitia dimittit ad martyrium. Spem autem consecutus est euentus: & cùm eos accepissent milites, lætos quidem iaciunt in flammam ignis septimodecimo mensis Nouembris. Vespere autem quidam ex piis egressi ad colligendas reliquias, inueniunt eas sanas, & saluas, adeo vt nec pilus quidem earum à flamma omnino sit consumptus: hoc primum signum illorum cum Deo coniunctionis, præbente prouidentiā.

Cùm ergo vt par erat, Deo egissent gratias, & inopinato miraculo multos attraxissent ad agnitionem veritatis, eas præclarè & sanctè deponunt in quodam loco. Imperator autem Maxentius totam cogitationem defigebat in martyrem: & de illa erat perpetuò solicitus, vt eam lucraretur, vel ipsam curam imperij postponebat. Cùm itaque vi dicendi & disputationibus desperasset se eam posse inducere, eam blanditiis aggreditur illicere, & apud egregiam martyrem verbis est vsus eiusmodi: Crede mihi pulchra filia, qui tibi consulo tanquam tibi bene volens pater: Magnis diis sacrifica, maximè autem Musarum præsidi Mercurio, à quo profecta est hæc tua magna cognitio, & qui te exornat tanta dicendi gratia, & meum tecum

diuidam imperium: sciant dij omnes, & mecum habitabis in regia. Illa verò, vt quæ esset magno & excelso animo ad excipiendam amicorum dicendi libertatem, & rursus acerrimi ingenij ad deprehendendam adulationem, etiamsi maximè contexeretur vafris & variis labyrinthis: Depone, inquit, ô Imperator, fictionem: neque referas & imiteris dolum vulpis. Ego enim semel dixi tibi me esse Christianam: & veni vt essem sponsa Christi, & eum habeo solum sponsum & consiliarium, & ornamentum virginitatis, stolamque martyrij longè præfero cuiuis purpuræ regiæ. Imperator autem adhuc præ se ferens se eius curam gerere: Ne cogas me, inquit, vel inuitum hanc tuam præclaram purpurā iniuria afficere. Illa autem: Fac, inquit, quod velis. Nam per hanc quæ est ad tempus, & citò dissoluitur, cōciliabis mihi veram & immortalem gloriam: & magna quoque alia, vt arbitror, multitudo, & maximè tui palatij, per me Christo credent: & ipsi quoque me prosequentur ad sacros illius thalamos magnificè transeuntem. Hæc illa quidem dixit. Deus autem desuper annuit, & deduxit ad effectum ea quæ dicta fuerant. Maxentius autem his valde iratus, iubet martyrem exui regali illa purpura, & boum neruis cædi crudelissimè. Cùm hoc autem factum esset, vt iusserat, & martyr vel niue cadente crebrioribus flagris intolerabilibus duas horas valde cæditur, & cùm venter simul verberaretur, lauabatur virginale quidem illius corpus sanguine. & multis ex iis qui aderant apertè ciebat lachrymas. Ipsa autem tam constanter & fortiter resistebat intolerabili illi & vehementi vi tyranni, vt propemodum videretur eius corpus esse lapideum: nisi eius naturam fluuij sanguinis arguissent. Vix tandem autem fera illa immanis caligans ad plagarum spectaculum, martyrē includit in custodia, iubens vt ea totò asseruaretur vsque ad diem duodecimum, vt consideret quomodo & quibusnam generibus suppliciorum eam consumat. Hæc quidem ita se habuerunt. Martyr verò coniecta in carcerem, rursus reseruabatur secundo tribunali.

Augusta autem vxor Imperatoris cùm audiisset de martyre, & esset animo in eam bene affecta, desiderabat videre eius faciem, & eam audire loquentem, de qua talia narrari audiuerat. Desiderans autem id minimè assequebatur, & non assequi quod desiderabat, erat ei grauissima calamitas. Cùm ad eam autem aliquando ingressus fuisset Porphyrio, is verò erat dux exercitus, & manu fortissimus, & in bello optimè exercitatus, & in eo primas partes obtinens. Cùm ergo Imperatrix aliquando eum solum inuenisset, tanquam ei arcanam aliquam narratura actionem, prius Porphyrionem adstringit iureiurando, & fidem ab illo accipit, fore vt nullus ab eo resciret arcanum. Deinde illa ei exponit suum desiderium, & quemadmodum desiderabat inscientibus omnibus conuenire martyrem. Cum beatam autem illam vocem audiuisset, respondet Porphyrio: Ego, inquit, ô Domina, faciā tibi quod desideras, esto solùm parata. Cùm verò adesset vespera, & Augustam accepisset Porphyrio cum ducentis militibus pecunia corruptis custodibus, cum ipsa ingreditur ad beatam. Augusta autem cùm vidisset illum optatum vultum martyris, admirata diuinam quæ in ea florebat gratiam, & splendidum qui illinc emittebatur radium, procidit citò ad pedes eius, & ei effundit lachrymas lætitiæ, & hæc locuta est cum lachrymis: Nunc ego sum re vera beata & Imperatrix, quòd sum tali dignata spectaculo, & video meum desiderium consecutum esse effectum: ego enim iamdiu tui magno teneor desiderio, vt tuo, inquam, fruerer aspectu & sermone, ô serua Dei, & vel ipsam animam lubenter amittens cum imperio, nūc sum potita desiderio. Si deinceps ergo vel mors accesserit, non me amplius dolore afficiet, vt quæ sim assecuta id quod desiderabam, & amori meo satisfecerim. Lætor ergo corde, & animo sum optimè affecta, tam iucundum splendorem ex tuo vultu accipiens. Es itaque beata & fœlix meritò existimanda, quòd Christo adhæseris, à quo tam multa dona & gratiæ tibi suppeditantur. Ad hæc dixit martyr: Tu quoque es beata, ô Imperatrix, quòd in Angelorum manibus video coronam tui capitis in altum elatam, qua post tertium diem perid quod te manet supplicium redimita, proficiscens ad verum Regem regnans perpetuò. Sed sum timida, dicit beatæ Imperatrix: & timeo tormenta, maximè autem Imperatorē, quòd sit sæuus & immanis, & insultet hominibus. Martyr autem dixit ei: Sis bono animo, habebis enim Christum in corde tuo habitantem, & te non attinget tormentū. hic enim parumper castigabitur tuū corpus, & immortaliter illic rursus quiescet. Hæc cùm sancta diceret, excipiens Porphyrio: Rogo te, dic mihi, inquit, quid mihi dabit Christus, si in illum credam? ei enim ipse quoq; iam volo militare. Martyr autem: Nondum, inquit, legisti aut audiuisti scripturam Christianorum? Nunquam, inquit Porphyrio, qui ab ineunte ætate semper fuerim in bello occupatus, & nunquam curam conuerti ad alia. Illa verò: Et quænam, inquit, lingua narrarit bona illa quibus fruēris? Fieri enim non potest vt complectatur oratio, quæ ab illa benigna dextera sunt parata iis qui ipsum diligūt. Propter hæc gaudio repletus Porphyrio, ipse quoq; credit Christo cū ducentis militibus. Et cùm Imperatrix & ipsi valedixissent Martyri, & cauissent sibi à custodibus secreta futura ea quæ ab ipsis facta fuerāt, media nocte illinc

illinc egrediuntur. Christi autē martyr Æcaterina, habens Dominum patre magis beneuolum, magnam ab eo curam sui est consecuta. Totis enim illis duodecim diebus, in quibus eum habebat custodia, per columbam alimentum accipiebat à superis. Deinde ipse quoque egregius Agonotheta Christus, cum iis qui circa ipsum erant copiis, & gloria sua apparens, magis confirmauit eius fortitudinem, & impleuit audacia, dicens: Ne extimescas, ego enim sum tecum, nec te attinget tormentum, sed per tuam tolerantiam ad meum nomen multos adduxeris, multas quoque consequeris remunerationes.

Cùm hæc vltima nocte ei Christus mandasset, mane Maxentius præcedit in tribunali, & beatam iussit adduci: & assistens Martyr cum gratiis spiritalibus, & dulci illa alacritate, adeò vt ij quoque qui aderant, nitido splendore refulgerent, grauiter admodum terret Imperatorem. Ipse autem ei dicit malitiosè & fallaciter: Te, inquit, decet imperium ô filia. Age ergo cùm Diis sacrificaueris, impera nobiscum. Neque velis rogo, videre interire tormentis tantam pulchritudinem. Illa autem: Est, inquit, solùm terra & cinis, & id tibi rursus dico ô Imperator, tempus verò facit eam efflorescere, & morbus tabefacit, vt quæ nihil firmum habeat nec stabile. Interim autem dum Martyr hæc ei diceret, quidam Præfectus nomine Chursasadem, acris quidem ad iram, promptus autem & ingeniolus ad puniendum, cùm hæc audiret, partim dolens vicem Maxentij, partim autem suæ beneuolentiæ dans experientiam, cùm se paruo tempore sustinuisset, tanquam apud se meditans & inquirens, dixit: Ego tibi, ô Imperator, non parua cura adhibita, inueni quomodo possis vel ei citò persuadere, vel eam perdere. Modus autem est eiusmodi. Iube sub vna fibula fieri quatuor rotas, & vnicuique rotæ infigi serras & clauos acutos. Deinde machinam funibus & paruis rotis trahi ante eius oculos. Et si cùm eam quidem viderit ferri maximo impetu ac strepitu, persuasa fuerit, & nobiscum Diis sacrificauerit, consequetur promissa. Sin minus, in rotas iniectæ miserabiliter per vim ei erumpet anima. Atque hæc quidē dixit Præfectus: cùm autem eius sermonem arripuisset Imperator, dat quidem martyrem custodiendam, & rursus iubet machinam fieri in tertium diem. Cùm hoc autem factum esset, martyr rursus adducitur: &, Pare mihi, dicit ei Imperator, & diis sacrifica. Sin minus, ego te huic tormento subijciam: iubens nouam illam machinam trahi ante eius oculos. Quæ quidem cùm magno impetu & strepitu moueretur, rursus ei dicit Imperator: Vides, inquit, ea te, si non pareas, excipiet. Illa autem: Sæpe, inquit, meum animū tibi dixi ô Imperator, & eum tibi aperui. Ne ergo cuncteris, sed facias quæ tuo sedent animo. Imperatorē autem spes quædam adhuc decipiebat, futurum fortasse vt persuaderetur & mutaretur: & multis apud eam rursus vsus est adulationibus. Cùm autem cognouisset se frustra laborare, iubet quidem alligari rotis generosam martyrem, ipsas verò moueri celerrimè. Vt motus vehemētia mortem subiret grauiorem, sed iis quæ meditabatur contrarius diuinæ erat gratiæ euentus. Martyr enim simul omnino soluta fuit à ferro, & rotis, & illis vinculis: quòd Angelus desuper ad eam aduolasset, rotæ autē sua sponte volutatæ interemerunt multos ex infidelibus, adeò vt exclamarent quidam ex circunstantibus propter inopinatum, & quod erat contra opinionem spectaculum: Magnus est Deus Christianorum. Propter hæc magna ira fuit rursus accensus Maxentius, & furore qui minimè poterat cohiberi, & grauiora rursus supplicia parabantur Martyri. Sed cōiux Augusta repente apparens ex cubiculo Imperatoris: & eū ad se attrahens, dissoluit consiliū: imò verò sustulit insidias. Alicunde enim venit tanquam spiritus. Absolue, dicens, famulam magni Dei, quam non attingit tormentum, re vera enim desipis decertans aduersus Deum. Quamobrem maiore ira feruens Imperator, maximè quòd nec familiarissimos haberet secū consentientes: interim præterita martyre, vniuersum furorem immittit in coniugem. Cùm ergo arcam maximā curasset adferendam, & plumbo eam humi affixisset, ita vt stabilis esset & immobilis, maxillas, proh dolor, suæ coniugis configit aculeo subiecto operculo tabulæ: Deinde iubet operculum deorsum ferri vehementius, & non prius sisti, quàm ipsas maxillas omnino abscidisset, diuturnitate supplicij grauiorē sensum ei doloris afferens. Cùm hoc autem factū esset, vbi vidit illas miserabiliter abscissas immitis ille & vel ipsis feris immanior, veluti rem leuē arbitratus quod spectat ad dolorem, infert adhuc grauiorem, & pronunciat sententiā, vt eius caput amputetur gladio. Augusta ergo lubenter accepta sententia læta dixit Martyri: Ora pro me. Illa verò: Vade, inquit, in pace, in æternum enim regnabis cum Christo. Atque illi quidem iussu imperatoris amputatur caput extra ciuitatem vicesimotertio Nouembris. Sed neque dux exercitus Porphyrio, & qui cum eo erant, hoc beatū iter deseruerunt. Sed quomodo illic Augustę duces fuerunt ad martyrem, ita etiam piè secutæ sunt eam abeuntem ad communem Dominum. Nam cùm ipsi quoque se stitissent pro tribunali: Ego quoq; sum Christianus, dixit Porphyrio. Sed hi quoque qui sunt mecum, sunt insignis ad Deum ductus exercitus. Hoc non sustinuit audire Maxentius: sed cùm ex profundo corde eiulasset: Perij, inquit, cùm perdiderim admirabilem

virum Porphyrionem. Deinde etiam conuersus ad suos milites: Vos autem, inquit, quanam de causa Deos patrios habuistis contemptui? Cùm illi verò nihil respondissent Porphyrio: Cur dimisso, inquit, capite, ô Imperator, pedes interrogas? est tibi mecum loquendum. Ille autem: Malum, inquit, caput, tu es eorum caput: & cùm eum plura loqui non permisisset pudor, eos quoque statim morte condemnat, & ipsi quoque consummantur vicesimo quarto Nouembris, effectumque assecuta est prædictio quam Martyr prædixerat Imperatori, cùm dixit: Multi ex tuo palatio Deo per me credent. Ille autem cùm rursus beatam sistendam curasset Æcaterinam, & in eam omnem mouisset improbitatem, & nihil non esset machinatus, vbi nec promissis nec minis eam omnino vidit posse expugnari, iubet ipsam quoque duci ad mortem. Cùm ergo eam accipientes milites eduxissent è ciuitate, & duxissent ad locum martyrij circunsistens magna multitudo, maximè autem mulierum quæ erant claræ, & insignes, acerbè plangebant & lamentabantur, & lugebant vltimum illum decessum. Illa autem vultu constanti, & nequaquam perterrito, petit tempus ad orationem. Quod ei concedunt milites: Illa verò cùm & manus & animum ad cœlos 3 sustulisset, dixit: Domine Iesu Christe Deus meus, ago tibi gratias, quòd statuisti supra petram pedes meos, & direxisti gressus meos, & nunc extende palmas quæ pro me in cruce fuerũt sauciatæ, & suscipe animã quam sacrificaui pro te & tua confessione. Memento Domine quòd sumus caro & sanguis, & ne permittas vt quæ à me facta sunt per ignorantiam, in aperto proferant acres rerum nostrarum examinatores ante tuum terribile & incorruptum tribunal, sed quem pro te effudi sanguinem, eo meas maculas ablue. Da autem vt hoc meum corpus quod pro te fuit conscissum, non possit aspici ab iis qui quærunt: & qua prouidentia finxisti corda nostra, aspice ex alto sancto tuo Domine adhuc populum qui te circunsistit, & deduc eos lumine tuæ agnitionis. Da autem iis quoque qui per me inuocant sanctum tuum nomen, petitiones quæ sunt eis conducibiles, vt per omnia laudentur tua magnalia, nunc & in secula. Cùm sic precata esset, iussit milites facere quod fuerat imperatum. Vnus autem ex eis stricto gladio beatũ eius caput amputat vicesimo quinto mensis Nouembris.

3 Orat sancta cũ sublatione manuũ & oculorum ad cœlum.

Porrò autem hîc quoque facit Deus aliquod miraculum, honorãs suam Martyrem, & ad effectum deducens illius preces. Nam qui aderant viderunt 4 lac fluens pro sanguine, & angeli cùm venerandum illius corpus composuissent in ipso tempore consummationis, visi sunt deducere in montem Sina, ad gloriam patris & filij & spiritus sancti: Qui sunt vna diuinitas & regnum. Cui conuenit honor & potentia in secula seculorum. Amen.

4 Vide duplex miraculum, lac fluxit pro sanguine & angeli venerãdum sanctæ corpus composuerunt & in monte Sina deduxerunt.

VITA PAVLI PRIMI EREMITAE, PER Diuum Hieronymum scripta.

Habetur to. 1. epistol. eius, fo. 8.

INter multos sæpe dubitatum est, à quo potissimum monachorum eremus habitari cœpta sit. Quidam enim altius repetẽtes, à 1 B. Helia & Ioanne sumpsêre principium. Quorum & Helias plus nobis videtur fuisse, quàm monachus: & Ioannes antè prophetare cœpisse, quàm natus est. Alij autem, in quam opinionem vulgus omne consentit, asserunt Antonium huius propositi fuisse caput: quod ex parte verum est. Non enim tam ipse ante omnes fuit, quàm ab eo omnium incitata sunt studia. Amathas verò & Macarius discipuli Antonij, quorum superior magistri corpus sepeliuit, etiam nunc affirmant Paulum quendam Thebæum principem istius rei fuisse: quod non tam nomine, quàm opinione nos quoque comprobamus. Nonnulli & hæc & alia prout voluntas tulit, iactitant: subterraneo specu crinitum calcaneo tenus hominem fuisse, & multa quæ persequi otiosum est, incredibilia fingentes. Quorum quia impudens mendacium fuit, ne refellenda quidem sententia videtur.

1 Monachorum institutum antiquissimum.

Igitur quia de Antonio tam Græco quàm Romano stylo diligenter traditum est: pauca de Pauli principio & fine scribere disposui: magis quia res omissa fuit, quàm fretus ingenio. Quomodo autem in media ætate vixerit: & quas Satanæ pertulerit insidias, nulli hominum compertum habetur, Sub Decio & Valeriano persecutoribus, quo tempore Cornelius Romæ, Cyprianus Carthagine, felici cruore damnati sunt, multas apud Ægyptũ & Thebaidam Ecclesias, tempestas sæua populata est. Voti tunc Christianis erat pro Christi nomine gladio percuti. Verùm hostis callidus tarda ad mortẽ supplicia conquirens, animas cupiebat iugulare, non corpora. Et vt ipse qui ab ipso passus est, Cyprianus ait: Volentibus mori, non permittebatur occidi. Cuius vt crudelitas notior fiat, duo memoriæ causa exempla subiecimus. Perseuerantem igitur in fide martyrem, & inter eculeos laminasque victorem, iussit melle perungi, & sub ardentissimo sole, ligatis manibus post tergum resupinari, scilicet vt muscarum aculeis cederet, qui ignitas sartagines antè superasset. Alium iuuenili ætate florentem,

rentem,in amœnissimos hortulos præcepit abduci. Ibique inter lilia cādentia & rubentes rosas, cùm leni iuxta murmure aquarum serperet riuus,& molli sibilo arborum folia ventus perstringeret, super extructum plumis lectum resupinari,& ne se inde posset excutere, blandis serico nexibus irretitum relinqui. Quo cùm recedentibus cūctis, meretrix speciosa venisset, cœpit delicatis stringere colla complexibus. Et quod dictu quoque scelus est, manibus attrectare virilia: vt corpore in libidinem concitato, se victrix impudica superiaceret. Quid ageret miles Christi,& quo se verteret, nesciebat. Quē tormenta non vicerant, superabat voluptas. Tandem cœlitus inspiratus, præcisam morsu linguam in osculantis se faciem expuit, ac sic libidinis sensum succedens doloris magnitudo superauit.

Per idem ergo tempus quo talia gerebantur apud inferiorem Thebaidam, cum sorore iam viro tradita post mortem amborum parentum in hæreditate locupleti, Paulus relictus est annorū circiter quindecim, literis tam Græcis quàm Ægyptiacis apprimè eruditus, māsueti animi, Deum valdè amans. Et cùm persecutionis procella detonaret, in villam remotiorem & secretiorem secessit. Verùm quid non mortalia pectora cogis Auri sacra fames? Sororis maritus cœpit prodere velle, quem cælare debuerat. Non illum vxoris lachrymæ, non communio sanguinis, non spectans cuncta ex alto Deus, ab scelere reuocauit. Ad hæc instabat crudelitas, quæ pietatem videbatur imitari. Quod vbi prudentissimus adolescens intellexit, ad montium deserta confugiens, dum persecutionis finem præstolaretur, necessitatem in voluntatem vertit, ac paulatim progrediens, rursusque subsistens, atque hoc idem sæpius faciens, tandem reperit saxeum montem: Ad cuius radicem haud procul erat grandis spelunca, quæ lapide claudebatur. Quo remoto (vt est cupiditas hominum occulta cognoscere) auidius explorans, animaduertit intus grande vestibulum, quod aperto desuper cœlo, patulis diffusa ramis vetus palma contexerat, fontem lucidissimum ostendens: cuius riuum tantummodo foras irrumpētem, statim modico foramine, eadem quæ genuerat aquas, terra sorbebat. Erant præterea per exesum montem haud pauca habitacula, in quibus scabræ iam incudes & mallei, quibus pecuniæ olim signatæ visebantur. Hunc locum Ægyptiorum literæ ferunt furtiuæ monetæ officinam fuisse, ea tempestate qua Cleopatræ iunctus est Antonius. Igitur adamato (quasi quod à Deo sibi offerretur) habitaculo, omnem ibidem in orationibus & solitudine duxit ætatem. Cibum & vestimentum ei palma præbebat. Quod ne cui impossibile videatur, Iesum testor & sanctos Angelos eius, in ea eremi parte, quæ iuxta Syriam Saracenis iungitur, vidisse me monachos, de quibus vnus per triginta annos clausus, hordeaceo 2 pane & luculenta aqua vixit. Alter in cisterna veteri (quam gentili sermone Syri cubam vocant) quinque carycis per singulos dies sustentabatur. Hęc igitur incredibilia esse videbuntur his qui non crediderunt, quia omnia possibilia sunt credentibus. Sed vt ad id redeam vnde digressus sum, cùm iam centum tredecim annos beatus Paulus vitam cœlestem ageret in terris, & nonagenarius in alia solitudine Antonius moraretur (vt ipse asserere solebat) hæc in mentē eius cogitatio incidit, nullū vltra se perfectū monachū in eremo consedisse. At illi per noctem quiescēti reuelatū est esse alium vlterius multò se meliorem, ad quem visendum deberet proficisci. Ilicò erumpente luce venerabilis senex infirmos artus baculo regente sustentans, cœpit ire velle quo nesciebat. Et iam media dies coquente desuper sole feruebat, nec tamen à cœpto itinere abducebatur, dicens: Credo in Deum meum, quia quod mihi seruo suo promisit, ostendet. Nec plura his, conspicit hominem equo mixtum, cui opinio poëtarum Hippocentauro vocabulum indidit. Quo viso salutaris impressione signi armat frontē. Et heus tu, inquit, quánam in parte hic seruus Dei habitat? At ille barbarum nescio quid infrendens,& frangens potius verba, quàm proloquens, inter horrentia ora senis blandum quæsiuit alloquium. Et dextræ protensione manus cupitū indicat iter,& sic patentes campos volucri transmittens fuga, ex oculis mirantis euanuit. Verùm hæc vtrum diabolus ad terrendum eū simulauerit, an (vt solet) eremus mōstruosorum animalium ferax, istam quoque gignat bestiā, incertū habemus.

2 Vide hic miram Monachorum abstinentiam & ciborum delectum.

Stupens itaque Antonius,& de eo quod viderat secum voluens, vlterius progreditur. Nec mora, inter saxosam conuallem haud grandem homunculū videt, aduncis naribus, fronte cornibus asperata, cuius extrema pars corporis in caprarum pedes desinebat. Infractúsque & hoc Antonius spectaculo, scutum fidei & loricā spei vt bonus præliator arripuit: nihilominus memoratum animal, palmarum fructus eidem ad viaticum quasi pacis obsides afferebat. Quo cognito gradum pressit Antonius, & quisnam esset interrogans, hoc ab eo responsum accepit: Mortalis ego sum, & vnus ex accolis eremi: quos vario delusa errore gentilitas, Faunos, Satyrosque & Incubos vocans colit. Legatione fungor gregis mei. Precamur vt pro nobis communem Deum depreceris, quem pro salute mundi venisse cognouimus,& in vniuersam terram exijt sonus eius. Talia eo loquente, longæuus viator vbertim faciē lachrymis rigabat: quas magnitudo lætitiæ, indices cordis effuderat. Gaudebat quippe

de Christi

de Christi gloria,& de interitu Satanæ. Simulque admirans, quòd eius posset intelligere sermonem, & baculo humum percutiens, aiebat: Væ tibi Alexandria, quæ pro Deo portenta veneraris. Væ tibi ciuitas meretrix, in quam totius orbis dæmonia confluxêre. Quid nunc dictura es? Bestiæ Christum loquuntur,& tu pro Deo portenta veneraris. Necdum verba compleuerat, & quasi pennigero volatu petulcum animal aufugit. Hoc ne cuiquam ob incredulitatem scrupulum moueat, sub rege Constantino vniuerso mundo teste defenditur. Nam Alexandriam istiusmodi homo viuus perductus, magnum populo spectaculum præbuit,& postea cadauer exanime, ne calore æstatis dissiparetur, sale infuso, Antiochiam vt ab Imperatore videretur, allatū est. Sed vt propositum persequar, Antonius cœptam regionem pergebat, ferarum tantùm vestigia intuens,& eremi latam vastitatem. Quid ageret, quò verteret gradum, nesciebat. Iam altera effluxerat dies. Restabat vnum, vt deseri se à Christo non posse confideret. Pernox secundas in oratione exegit tenebras: & dubia adhuc luce, procul intuetur lupam sitis ardoribus anhelantem, ad radicem mõtis irrepere. Quam sequutus oculis,& iuxta speluncam cùm fera abijsset, accedens intro, cœpit aspicere: nihil curiositate proficiente tenebris arcentibus visum. Verùm (vt scriptura ait) perfecta dilectio foras mittit timorem: suspenso gradu, & anhelitu temperato callidus explorator ingressus, ac paulatim progrediens, sæpiusque subsistens, sonum aure captabat. Tandem per cœcæ noctis horrorem procul lumen intuitus, dum auidus properat, offenso in lapidem pede, strepitum concitauit: post cuius sonitum beatus Paulus ostium quod patebat occludēs, sera obfirmauit. Tunc verò Antonius præ foribus corruens, vsque ad sextam,& eò amplius horam, aditum precabatur, dicens: Qui sim, vnde, cur venerim nosti. Scio me non mereri conspectum tuum: tamen nisi videro, non recedam. Qui bestias recipis, hominem cur repellis? Quæsiui,& inueni: pulso, vt aperiatur. Quod si non impetro, hîc moriar ante postes tuos: certè sepelies vel meum cadauer. Talia perstabat memorans, fixusque manebat. Ad quem responsum paucis ita reddidit heros. Nemo sic petit, vt minetur: nemo cum lachrymis iniuriam vel calumniam facit. Et miraris, si non recipiam cum moriturus adueneris? sic arridens Paulus patefecit ingressum. Quo aperto, dum in mutuos miscentur amplexus, proprijs se salutauere nominibus, gratiæ Domino in cōmune referuntur. Et post sanctum osculum residens Paulus cum Antonio ita exorsus est: En quem tanto labore quæsisti: putridis senectute membris operit inculta canicies. En vides hominem, puluerem mox futurum. Verùm quia charitas omnia sustentat, narra mihi quæso, quomodo se habeat humanum genus. An in antiquis vrbibus noua tecta consurgant: quo mundus regatur imperio: an supersint aliqui, qui dæmonum errore rapiantur. Inter has sermocinationes suscipiunt alitem coruum in ramo arboris consedisse, qui inde leniter subuolabat, & integrum panem ante ora mirantium deposuit: post cuius abcessum: Eia, inquit Paulus, Dominus nobis prandium misit, verè pius, verè misericors. Sexaginta iam anni sunt quòd accipio dimidij semper panis fragmentum: verùm ad aduentum tuum, militibus suis duplicauit annonam. Igitur Domino gratiarum actione celebrata, super vitrei marginem fontis vterque consedit. Hic verò quis frangeret panem oborta contentio, penè diem duxit in vesperum. Paulus more cogebat hospitij, Antonius iure refellebat ætatis. Tandem consilium fuit, vt apprehenso è regione pane, dum ad se quisque nititur, pars cuique sua remaneret in manibus. Dehinc paululum aquæ in fonte prono ore libauerunt: & immolantes Deo sacrificium laudis, noctem transegêre vigiliis. Cumque iam esset terræ redditus dies, beatus Paulus ad Antonium sic loquutus est: Olim te frater, in istis regionibus habitare sciebam: Olim te conseruum meum mihi promiserat Deus. Sed quia iam dormitionis meæ tempus aduenit,& quòd semper cupiebā dissolui, & esse cum Christo, peracto cursu superest mihi corona iustitiæ: tu missus es à Domino, qui humo corpusculum meum tegas, imò terræ terram reddas. His Antonius auditis, flens & gemens ne se desereret, atque vt comitem talis itineris acciperet, precabatur. Et ille: Non debes, inquit, quærere quæ tua sunt, sed quæ aliena. Expedit tibi sarcina carnis abiecta, agnum sequi. Sed & cęteris expedit fratribus, vt tuo adhuc instituātur exemplo. Quamobrem quæso perge, nisi molestum est,& pallium quod tibi Athanasius Episcopus dedit, ad inuoluendum corpusculum meum defer. Hoc autem beatus Paulus rogauit, non quòd magnopere curaret, vtrum tectum putresceret cadauer, an nudum (quippe qui tanto temporis spatio, contextis palmarum foliis vestiebatur) sed vt à se recedenti mœror suæ mortis leuaretur. Stupefactus ergo Antonius, quòd de Athanasio & pallio eius audierat, quasi Christum in Paulo vidēs, & in pectore eius Deum venerans, vltrà respondere nihil ausus est: sed cum silentio lachrymans, exosculatis eius oculis manibusque, ad monasteriū, quod postea à Sarracenis occupatū est, regrediebatur. Neque verò gressus sequebātur animum. Sed quāuis corpus inane ieiuniis, seniles etiam animi fregerant, tamen animo vincebat ætatem. Tandem fatigatus & anhelus ad habitaculum suum confecto itinere peruenit. Cui cùm duo discipuli, qui ei lōgo iam

tempore

tempore ministrare consueuerant, occurrissent dicẽtes: Vbi tã diu moratus es pater? Respõdit: Væ mihi peccatori, qui falsum monachi nomen fero. Vidi Heliam, vidi Ioannem in deserto, & verè vidi Paulum in paradyso: & sic ore compresso, manu verberãs pectus, ex cellula pallium protulit. Rogantibusque discipulis, vt plenius quidnam rei esset exponeret, ait: Tempus tacendi, & tempus loquendi. Tunc egressus foras, & ne modicum quidem cibi sumens, per viam qua venerat regressus est, illũ sitiens, illum videre desiderans, illum oculis ac mente contẽplans, timebat enim quod euenit, ne se absente, Christo debitũ spiritũ redderet. Cumque iam dies alia illuxisset, & trium horarũ spatio viam remeauisset, vidit inter Angelorum choros, inter prophetarum & Apostolorum populos, niueo candore Paulum fulgentem in sublime conscendere. Et statim in faciem suam procidens, sabulum capiti superiaciebat, plorans que & eiulans, aiebat: Cur me Paule dimittis? Cur insalutatus abis? Tam tardè notus tam citò recedis? Referebat postea beatus Antonius tanta se velocitate quod reliquum erat viæ cucurrisse, vt instar auis peruolasset: nec immeritò. Nam introgressus speluncam, vidit, genubus 3 complicatis, erecta ceruice, extensisque in altum manibus, corpus exanime. Ac primùm & ipse viuere eum credens pariter orabat. Postquam verò nulla (vt solebat) suspiria precantis audiuit, in flebile osculum ruens, intellexit quòd etiam cadauer Sancti Deum (cui omnia viuunt) officioso gestu precabatur. Igitur obuoluto & prolato foras corpore, hymnos quoque & psalmos de Christiana traditione decantans, contristabatur Antonius, quòd sarculum quo terram foderet non haberet: fluctuansque vario mentis æstu, & secum multa reputans, dicebat: Si ad monasterium reuertar, tridui iter est: si hic maneam, nihil vltra proficiam. Moriar ergo vt dignum est, iuxta bellatorem tuum Christe ruens, extremum halitum fundam. Talia eo animo voluente, ecce duo leones ex interioris eremi parte currentes, volantibus per colla iubis, ferebantur: quibus aspectis primò exhorruit. Rursusque ad Deum referens mentem, quasi columbas videret, mansit intrepidus. Et ille quidem directo cursu ad cadauer beati senis substiterunt, adulantibusque caudis circa pedes accubuêre, fremitu ingenti rugientes: prorsus vt intelligeret eos plangere, quomodo poterant. Deinde haud procul cœperunt humum pedibus scalpere: 4 arenamque certatim egerentes, vnius hominis capacem locum foderunt. Ac statim quasi mercedem pro opere postulantes, cùm motu aurium ceruice deiecta, ad Antonium perrexerunt, manus eius pedesque lingentes. At ille animaduertit benedictionem eos à se precari. Nec mora, in laudationem Christi effusus, quòd muta quoque animalia Deum esse sentirent, ait: Domine, sine cuius nutu nec folium arboris defluit, nec vnus passerum ad terram cadit, da illis sicut tu scis. Et manu annuens eis, vt abirent imperauit. Cumque illi recessissent, sancti corporis onere seniles curuauit humeros. Et deposito eo in fossam, desuper humum congregans, 5 tumulum ex more composuit. Postquam autem alia dies illuxit, ne quid pius hæres ex intestati bonis non possideret, tunicam eius sibi vendicauit, quam in sportarum modum de palmæ folijs ipse sibi contexuerat. Ac sic ad monasterium reuersus discipulis cuncta ex ordine replicauit, diebusque solennibus 6 Paschæ & Pentecostes semper Pauli tunica vestitus est.

Libet in fine opusculi eos interrogare, qui sua patrimonia ignorant, qui domos marmoribus vestiunt, qui vno filio villarum insuunt prædia: huic seni nudo quid vnquam defuit? Vos gemma bibitis, ille naturæ concauis manibus satisfecit. Vos in tunicis aurum texitis, ille ne vilissimum quidem indumentum habuit mancipij vestri. Sed è contrario illi quidem pauperculo paradysus patet, vos auratos gehenna suscipiet. Ille vestem Christi, nudus licet, tamen seruauit: Vos vestiti sericis, indumentum Christi perdidistis. Paulus vilissimo puluere coopertus iacet resurrecturus in gloriam: Vos operosa saxi sepulchra premunt cum vestris operibus arsuros. Parcite quæso vobis: parcite saltem diuitijs, quas amatis. Cur & vestros mortuos auratis obuoluitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lachrymasque non cessat? An cadauera diuitum nisi in serico putrescere nesciunt? Obsecro, quicunque hæc legis, vt Hieronymi peccatoris memineris: cui si Dominus optionem daret, multò magis eligeret tunicam Pauli cum meritis eius, quàm regum purpuram cum pœnis suis.

3 Tu qui derides cæremonias Ecclesiæ & ritus orandi, vide hic etiã sanctiss mi viri cadauer extensis manibus & complicatis genubus Deũ officioso affectu deprecari. Vide etiã de traditione Christiana esse, hymnos & psalmos in defunctorũ sepultura decantare.

4 Si negligenda esset Christianorũ sepultura, vt quidam infelices nostro tempore iactant, non Deus tanto miraculo Pauli sepulturam procurasset, nec de ea Antonius tantopere solicitus fuisset.

5 Nota, tumulum ex more cõposuit. Est ergo Ecclesiasticus mos super defunctorum corpora tumulos cõponere.

6 Dies solennes Pascha & Pentecostes etiam Antonij tempore.

SANCTI ATHANASII EPISCOPI IN VITAM

Sancti Antonij monachi præfatio.

ATHANASIVS Episcopus ad peregrinos fratres. Optimum, fratres, iniistis certamen, aut æquari Ægypti monachis, aut superare nitentes virtutis instantia. Etenim apud vos iam plurima sunt monasteria, monachorum quoque nomen est celebre, & hanc voluntatem iustè quisque mirabitur, orantibusque vobis optatum Deus tribuet effectum. Quoniam igitur exegistis à me, vt vobis scriberem de con-

uerſatione beati Antonij volentibus diſcere quemadmodum cœperit, quidue fuerit ante ſanctum propoſitum, qualem etiam habuerit terminum vitæ, & ſi vera ſunt ea quæ de ipſo fama diſpertit, vt ad eius æmulationem atque exemplum vos inſtituere poſſitis, magna cum lætitia ſuſcepi veſtræ charitatis imperium. Etenim mihi ingens lucrũ eſt, atque vtilitas, hoc ipſum quod recordor Antonij, & vos cum admiratione audientes ſcio eius propoſitum cupere ſectari: perfecta eſt ſiquidem ad virtutem via 1 Antonium ſcire quid fuerit. Ergo vt breuiter dicam, ex omnibus, quæ de eo referentium ſermo iactauit, credite, & minima vos exiſtimate audiſſe de maximis, quia non ambigo nec eos omnia potuiſſe cognoſcere, cùm & ego rogatus à vobis, quantacunque per epiſtolam ſignificauero, non æqualia ſim eius meritis narraturus. Sed & vos omnes hinc nauigantes ſtudioſè percõtamini, quò ſingulis quæ norũt referentibus, congrua dignaque tanti nominis relatio compleatur. Diſponebam itaque poſt lectionem literarum veſtrarum aliquos ad me monachos inuitare, & maximè eos, qui crebrò ad eum ire conſueuerant, vt plenius aliquid addiſcens, munera vobis maiora tranſmitterem. Sed quoniam & nauigationis tempora labebantur, & literarum portitor vehementiſſime feſtinabat, ideo ea quæ & ipſe noueram (frequenter enim eum viſitaui) & quæ ab eo didici, quæ ad præbendam ei aquam non paululum temporis cum eo feci, dilectioni veſtræ indicare properaui, vtrobique curam veritatis habens, vt neque plus aliquis audiens miraculorum congeſtionem non credat, nec rurſum meritis eius inferiora cognoſcens, non putet dignum eſſe miraculo pro tanti nominis viro.

1. Perfecta eſt ad virtutẽ via ſcire Antonium quid fuerit.

VITA SANCTI ANTONII ABBATIS, AB ATHAnaſio Epiſcopo Alexandrino conſcripta.

ANtonius nobilibus religioſiſque parentibus natus, in Ægypto oriundus fuit, tanta ſuorum nutritus cura, vt nihil aliud præter parentes, domũque cognoſceret. Et cùm iam puer eſſet, non ſe literis erudiri, non ineptis infantium iugi paſſus eſt fabulis, ſed Dei deſiderio flagrans, ſecundùm quod ſcriptum eſt, innocenter habitabat domi. Ad Eccleſiam quoque cum parentibus ſæpe conueniens, nec infantum laſciuias, nec puerorum negligentiam ſectabatur, ſed tantùm ea quæ legebantur auſcultans, vtilitatem præceptorem vitæ inſtitutione ſeruabat: non ſuis, vt ſolet illa ætas, pro variis & delicatis cibis vnquam tædio fuit, non eſcæ mollioris blandimenta ſectatus eſt, his ſolùm quæ dabantur contentus, nihil amplius requiſiuit. Poſt mortem autem parentum annorum circiter decem & octo, ſeu viginti, cum ſorore admodum paruula derelictus, & domus, & ſororis honeſtam curam gerebat. Necdum verò ſex fluxerant menſes, quibus ad Eccleſiam (vt ſolebat) accurrens, recordabatur quomodo & Apoſtoli omnibus ſpretis ſecuti fuiſſent Saluatorem, & multi, vt legitur in Actis Apoſtolorum, facultatibus ſuis venditis, pretia ad pedes eorum detuliſſent egentibus partienda, quæue aut quanta ſpes iiſdem repoſita eſſet in cœlis. Talia ſecum voluens intrauit Eccleſiam, & accidit vt tunc legeretur Euangelium, in quo Dominus dicit ad diuitem: 2 Si vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, quæcunque habes, & da pauperibus, & veni ſequere me, & habebis theſaurum in cœlo. Quo audito, quaſi diuinitus huiuſmodi ante memoriam concepiſſet, & veluti propter ſe hæc eſſet ſcriptura recitata, ad ſe dominicum traxit imperium: ſtatimque regreſſus poſſeſſiones quas habebat, vendidit. Erant autem ei trecentæ palmæ vberes, & valde opimæ, quas vicinis largitus eſt, ne in aliquo aut ſibi, aut ſorori moleſtia gigneretur. Cætera verò, quæ in mobilibus poſſidebat, vniuerſa vendidit, & aggregato non exiguo pretio, indigentibus dedit: paucis tamen ob ſororem reſeruatis, quæ & ſexu, & ætate videbatur infirmior. Rurſus autem Eccleſiam ingreſſus, cùm audiſſet Dominum in Euangelio dicentem: Nolite cogitare de craſtino: reliquam quoque portionem pauperibus diſtribuit, neque ſe verſari paſſus eſt domi, ſed ſorore fidelibus ac notis virginibus commendata, vt earum nutriretur exemplo, ipſe iam omnibus ſeculi vinculis liber, aſperum atque arduum arripuit inſtitutum. Necdum autem tam crebra erant in Ægypto monaſteria, neque omnino quiſquam auiam ſolitudinem nouerat, ſed quicunque in Chriſti ſeruitute ſibimetipſi prodeſſe cupiebat, non longè à ſua villula ſeparatus inſtituebatur. Erat igitur in agello vicino ſenex quidam vitam ſolitariam à prima ſectatus ætate: hunc Antonius cùm vidiſſet, æmulatus eſt ad bonum. Et primò quidem incipiens etiam ipſe in locis paululum à villa remotioribus manebat, exinde autem, ſiquidem in hoc ſtudio vigilantem compererat, procedens quærebat vt apis prudentiſſima, nec ad habitaculũ ſuum antè remeabat, niſi eius, quem cupiebat, frueretur aſpectibus: & ſic tanquam munere mellis accepto, abibat ad ſua. Tali ibidem inſtitutus exordio, cùm per dies ſingulos ita animum roboraret, vt nec opũ paternatura

2. Heus tu qui dicis deſertionem facultatum nõ habere mãdatum Dei nec conſilium. Et paupertatẽ Euangelicã, non eſſe deſertionẽ rerũ, ſed non eſſe auarũ, nõ confidere opibus. Vide quid ſit dicere, ſi vis perfectus eſſe, vade, vende omnia tua, & da pauperibus. &c. quod hic Athanaſius Dominicũ appellat imperium. Et quomodo hanc paupertate Euangelicã intellexerit Apoſtoli & viri Apoſtolici, necnõ Deo plenus Antonius, an ſecũdùm tua ſomnia, vel iuxta communem totius Eccleſiæ ſenſum Diſce miſer, & corrigere aliquando. Quod autem hæc deſertio habeat mãdatum maximũ, Vide Iſychiũ ca. 23. Leuitici. Mandatum autẽ vel imperiũ ſane intellige, vel ſuppoſito ſtatu perfectionis, ad quem aliquis aſpiret. Vel mandatum accipe pro conſilio vt frequens eſt apud Patres. Vel forte (quod magis ad rem videtur) inſpiratio à Deo

narum, nec suorum meminisset affinium, omne etiam desiderium & solicitudinem erga id quod cœperat, exercet: operabatur manibus suis, sciens scriptum esse: Qui nō operatur, non manducet: mercedem sanè operis sui, pretio panis excepto, egentibus largiebatur. Orabat frequenter, 3 quippe qui didicerat, quòd oporteret sine intermissione Dominū orare. Auditioni etiam scripturarum ita studium commodabat, vt nihil ex eius animo laberetur, sed vniuersa Domini præcepta custodiens, memoriam pro libris haberet. Sic suam vitam instituens, ab vniuersis fratribus puro diligebatur affectu, & omnibus, ad quos studio discendi pergebat, obediens proprias singulorum gratias hauriebatur. Huius continentiam, iucunditatem illius sectabatur, istius lenitatem, illius vigilantiam, alterius legendi æmulabatur industriam, istum 4 ieiunantem, illum humi quiescentem mirabatur, alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat: omnium quoq; vicariam erga se retinens charitatem, atq; vniuersis virtutum partibus irrigatus, ad sedem propriam regrediebatur. Ibi secum vniuersa pertractans, omnium in se bona nitebatur exprimere. Neq; verò aduersum coæuos aliquando mouebatur, sed ea tantummodo flamma egregio viro crescebat in pectore, ne secundus cuiquam in prędictis operibus inueniretur. Et hoc ita faciebat, vt cùm omnes gloria anteiret, omnibus tamen charus esset. Nam & vicini & monachi, ad quos sæpe veniebat, Antonium videntes, deicolam nuncupabant, indutisque naturæ vocabulis, quidam vt filium, alij vt patrem diligebant. Dum hæc gereret Antonius, quibus omnium in se prouocaret affectum, inimicus nominis Christiani diabolus impatienter ferens tantas in adolescente virtutes, veteranis eum aggressus est fraudibus. Et primò quidem tentans, si quo modo posset ab incepto eum instituto detrahere, immittebat ei memoriam possessionum, sororis defensionem, generis nobilitatem, amorem rerum, fluxam seculi gloriam, escæ variam delectationem, & reliqua vitæ remissioris blandimēta: postremò virtutis arduum finem, & maximū perueniendi laborem, necnon & corporis fragilitatem suggerebat, & ætatis spacia prolixa, prorsus maximam ei cogitationum caliginē suscitabat, volens eum à recto proposito reuocare. Postquam autem diabolus orationibus eius ad Deum per passionis fidem se intellexit elidi, consueta aduersum omnes adolescentes arma arripiens, nocturnis eum inquietabat illecebris. Et primùm noctibus infesta multitudine, & horribili metu sonitus eum exagitare conabatur. Per dies etiam tam apertis in eum telis irruebat, vt nullus ambigeret, quin Antonius contra diabolum dimicaret: nā & ille cogitationes sordidas conabatur inferere, & hic eas oratu summouebat assiduo. Ille titillabat sensus naturali carnis ardore, hic fide, 5 vigiliis, & ieiuniis corpus omne vallabat. Ille per noctes in pulchræ mulieris vertebatur ornatum, nulla omittens figmenta lasciuiæ, hic vltrices gehennæ flammas, & dolorem vermium recordans, ingestæ sibi libidini opponebat. Ille lubricum adolescentiæ iter, & ad ruinam facile proponebat: hic æterna futuri iudicij tormenta considerans, illæsam animæ puritatē per tentamenta seruabat. Ista autem omnia ad confusionem diaboli fiebant. Qui enim similem se Deo fieri posse existimabat, nunc ab adolescente, vt miserrimus, deludebatur: & qui contra carnem & sanguinem sæuiebat, ab homine, qui carnem portabat, elisus est. Adiuuabat enim seruum suum Dominus, qui nostri gratia carnem suscipiens, victoriam corpori contra diabolum largitus est, vt singulis ita certantibus Apostolicum liceret proferre sermonem: Non autē ego, sed gratia Dei quæ mecum est. Postremò cùm nec hoc argumento destruere posset Antonium draco teterrimus, & videret se semper ab eius cogitationibus repelli, secundùm quod scriptum est: Stridens de[n]tibus, & vlulans, qualis est merito, talis apparebat & vultu, puer horridus atque niger, ad eius se genua prouoluens, humana voce fiebat dicens: Mult[o]s seduxi, plurimos decepi, nunc autē vt à cæteris sanctis, ita & tuo sum labore superatus. Quem cùm interrogaret Antonius, quisnam esset, qui talia loqueretur, ait: Ego sum fornicationis amicus, ego multimoda aduersum omnes adolescētes turpitudinis arma suscepi, hinc & spiritus fornicationis vocor. Quantos pudicè viuere disponentes fefelli, quot tenuiter incipientes ad sordes pristinas redire persuasi. Ego sum, propter quem Propheta lapsos increpat, dicens: Spiritu fornicationis seducti estis, & re vera per me illi fuerant supplantati. Ego sum qui teipsum sæpe tentaui, & semper repulsus sum. Cùm hoc Christi miles audisset, gratias agens Deo, & largiore aduersus inimicum confortatus audacia, ait: Multum ergo despicabilis, multumque contemptibilis es: nam & obscuritas tua & ætas, infirmarum signa sunt rerum. Nulla mihi iam de te cura est, Dominus mihi adiutor est, & ego exultabo super inimicos meos. Et statim ad vocem cantantis phantasma quod videbatur, euanuit. Hæc autem Antonij contra diabolum fuit prima victoria, imò virtus in Antonio Saluatoris, qui peccatum in carne condemnauit, vt iustificatio legis in nobis compleretur, quia non secundum carnem ambulamus, sed secundum spiritum. Sed neque Antonio securitatem dedit hic vnus triumphus, nec diabolo semel fractæ defecēre vires. Nam & ille, vt leo rugiens, quærebat aditum, per quem posset irrumpere: & ille scripturarum doctus eloquio, non igno-

ad eam vitā profitendam est mandatum. Vide B. Gregor lib. 2 Regist. epi. C. ad Mauritium Imp. scribens, asserit aliquos sine vitæ monasticæ professione saluos fieri nō posse.

3 Antonius frequenter orabat.

4 Vide quod etiā ante Antonium monachi ieiunabant, & humi quiescebant.

5 Vigiliis & ieiuniis corpus omne vallabat.

rabat multas esse dæmonum captiones. Propter quod solerti proposito labore seruabat, considerans quia posset satanas in carnis colluctatione superatus, nouarum aduersus se artium machinas acrius commouere. Idcirco magis ac magis subiugabat corpus suum, ne victor aliorum in aliis vinceretur. Disponens igitur duriori se vitæ lege constringere, cùm omnes infatigabilem adolescentis mirarentur instantiam, sanctum toleranter ferebat laborem, & voluntariæ seruitutis longum in Dei opere studium consuetudine in naturam vertebat. Inediæ autem, 6 & vigiliarum in tantum patiens erat, vt crudelitatem viribus vinceret. Pernoctabat in oratione sæpissimè, edebat semel in die post solis occasum, nonnunquam biduo, triduoque sic permanens, quarta demum die reficiebatur. Sumebat verò panem & sal, potumque aquæ perparuum. De carnibus verò & vino tacere melius puto, quàm quicquam dicere, quoniam nec apud plurimos quidem monachorum istiusmodi escæ in vsu haberentur. Quieti autem membra concedens, iunco contexto atque cilicio vtebatur: nonnunquam etiam super nudam humũ iacebat vnguenta penitus repudians. Dicebat enim minimè posse vtentium, & præcipuè iuuenum corpora roborari, si olei essent lenitate mollita: oportere verò asperos carni labores imperare, secundùm Apostoli præceptum dicentis: Quando infirmor, tunc fortior sum & potens. Asserebatque sensum sic animi posse reuiuiscere: si corporis fuisset impetus fatigatus. Vnde nec temporum longitudine laborum merita pensabat, sed amore & famulatu spontaneo semper tanquam in principiis constitutus, ad profectũ diuini metus desiderium concitabat: nouisque cupiens augeri præterita, suprà memorati doctoris sermonum recordabatur, qui ait: Præterita obliuiscens, & in futurum conualescens. Meminerat quoque Heliæ Prophetæ dicentis: Viuit Dominus, cui asto hodie ante ipsum, & differebat cur hodie esset appositum, quia non computabat Helias præteritum tempus: sed tanquam quotidie in certamine constitutus, talem se præbere cupiebat, qualem sciebat dignum Dei esse conspectibus, purum corde, & paratum obedire voluntati eius. Igitur sanctus Antonius secum reputans oportere Dei famulum ex instituto magni Heliẹ exemplum capere, & ad illud speculum vitam suam debere componere, ad sepulchra non longè à villa constituta secessit, vni de cognitis mandans, vt statutis diebus sibi alimenta deferret. Et cùm in vna marmorea supradictus frater eum clausisset, solus ibidem morabatur. Metuens ergo diabolus, ne accessu temporis eremum quoque habitari faceret, ita eum aggregatis satellitibus suis varia cæde lacerauit, vt doloris magnitudo & motum auferret & vocem. Nam & ipse postea referebat, vulnera fuisse tam grauia, vt vniuersa hominum tormenta superarent: sed Dei prouidentia, quæ nunquam in se sperantibus deest, conseruauit eum. Alio die is quem suprà diximus, frater aduenit, cibos deferens assuetos, atque eum iacentem in terra semimortuum, fractis foribus inuenit. Quem impositum humeris, ad villulæ domicilium reportauit. Quo audito ingens vicinorum, atque affinium multitudo concurrens tristi in medio positi funeri debitum reddebat officium. Etiam media noctis parte transgressa, & grauis peruigiles omnium oculos vicerat sopor: Antonius, anima paululũ redeunte, suspirans eleuauit caput, cæteris verò alta quiete prostratis, eum à quo delatus fuerat, vigilare conspexit, eumque nutu aduocans obsecrauit, vt nullo penitus excitato, ad pristinum se referret habitaculum. Relatus ergo iuxta consuetudiné solus iterum permanebat, & stare quidem propter recentes plagas non poterat: orans verò prostratus, post orationẽ clara voce dicebat: Ecce ego hic sum Antonius, non fugio vestra certamina, etiam si maiora faciatis, nullus me separabit à charitate Christi. Psallebatque dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum. Talia eo dicente, bonorum hostis diabolus admiratus quòd post tot verbera fuisset ausus reuerti, congregatis canibus suis, & proprio furore se lanians: Videtis, ait, quòd nec spiritu fornicationis, nec corporis doloribus superatus, insuper audacter lacessit nos. Omnia arma corripite, acrius nobis impugnandus est. Sentiat, sentiat: debet scire quos prouocet. Dixit, & in adhortantis vocem audientium turba consentit, quia innumeras diabolus habet artes nocendi. Sonitus igitur repentinus increpuit, ita vt loco funditus agitato, & parietibus patefactis, multifaria dæmonum exinde turba se effunderet: nam & bestiarum, & serpentium formas induentes, omnem protinus locum repleuêre phantasiis leonum, taurorum, luporum, aspidum, serpentium, scorpionum, necnon & pardorum, atq; vrsorum. Et hæc singula secundum suam fremebant naturam. Rugiebat leo occidere volens, taurus mugitu & cornibus minabatur, serpens sibilo personabat, luporum impetus inhiabat, pardus discolor è tergo autoris sui calliditates varias indicabat. Truces omnium vultus, & vocis horridæ dirus auditus. Antonius flagellatus atque confossus, sentiebat quidem asperiores corporis dolores, sed imperterritus durabat mente peruigili. Et licet gemitum vulnera carnis exprimerent, sensu tamen idem permanens, quasi de inimicis luderet, loquebatur: Si virium aliquid haberetis, sufficeret vnus ad prælium, sed quoniã Domino vos eneruante frangimini, multitudine tentatis inferre terrores, cùm hoc ipsum infirmitatis indicium sit, quòd irra-

6 Inediæ, vigiliæ, & orationes Antonij. Vide hic miram abstinentiam Antonij, & ciborũ delectũ, nec solũ eius, sed aliorũ quoque monachorũ, quæ nostri hæretici dicunt esse superstitiosa, ergo superstitiosus fuit Antonius? & non illi potius mendaces, & gulæ ac Ventris serui.

irrationabiliũ induitis formas bestiarum. Rursumq; confidens aiebat: Si quid valetis, si vobis in me potestatem Dominus dedit, ecce præsto sum, deuorate concessum. Si verò non potestis, cur frustrà nitimini? Signum enim crucis, & 7 fides ad Dominum inexpugnabilis nobis murus est. Multa contra sanctum Antonium minantes fremebant dentibus suis, quòd nullus eorũ tentamenta sequeretur effectus, sed maximè econtrario gigneretur illusio. Non oblitus Iesus colluctationis serui sui, eidem protector factus est. Deniq; cùm eleuaret oculos, vidit desuper culmen aperiri, & deductis tenebris radiũ ad se lucis influere. Post cuius splendoris aduẽtum, nec dæmonum aliquis apparuit, & corporis dolor extẽplò deletus est. Aedificium quoq; quod paulò antè dissolutum fuerat, instauratum est. Illico præsentiã Domini intellexit Antonius, & ex intimo pectore trahens longa suspiria, ad visionem, quæ ei apparuerat, loquebatur, dicens: Vbi eras bone Iesu, vbi eras? Quare non à principio adfuisti, vt sanares vulnera mea? Et vox ad eum facta est, dicens: Antoni, hic eram, sed expectabam videre certamen tuum. Nunc autem quia dimicando viriliter non cessisti, semper auxiliabor tibi, & faciam te in omni orbe nominari. His auditis exurgens intantum roboratus orabat, vt intelligeret se plus recepisse tunc virium, quàm antè perdiderat. Erat autem tunc Antonius annos natus triginta quinque. Exinde cùm voluntati promptæ merita religiosa succrescerent, vadens ad supradictum senem, precabatur vt in deserto pariter abirent. Causante illo senile æuum, & rei nouitatem, solus contendit ad montem, & eremi adhuc monachis ignotæ vitæ, rupto metu, viam conatus est pandere. Sed nec tunc cessauit infatigabilis aduersarius: nam impedire eius propositum volens, argenteum discum in itinere proiecit, quo viso Antonius callidi artificis agnouit astutiam, stansque intrepidus, & discum toruis intuens oculis, doli autorem in phantasmate obiurgabat argẽti, talia secum reputans: Vnde hic in deserto discus? Auium hoc iter est, nulla sunt vestigia commeantiũ: lapsus de sarcina, præ magnitudine latêre non potuit, sed & qui perdiderat reuersus, ob solitudinem locorum, inuenisset profectò quod ruerat. Hoc artificium, diabole, tuum est, non impedies voluntatem meam, argentum tuum tecum sit in perditionem. Hæc illo dicente, discus, vt fumus à facie eius euanuit. Dehinc non vt antè in phantasmate, sed ingentem auri massam in itinere conspexit. Verùm hanc vtrum diabolus simulauerit, an ad Antonium comprobandum, quia nec veris opibus inescaretur, virtus cœlestis ostenderit, ignoratur: hoc tamen agnouimus, quia quod visum est, aurum fuit. At ille magnitudinem admiratus radiantis metalli, rapido cursu, quasi quoddam vitaret incendium, ad montem vsq; per exit, ibiq; flumine transuadato, inuenit castellum desertum plenum ob tempus, & solitudinem venenatorũ animalium, in quo se constituens, nouus hospes habitauit. Statim ad eius aduentum ingens turba serpentium quasi persecutorem passa, profugit. At ille obstructo lapidibus introitu, panes mensiũ sex, vt Thebæis mos est, secum recondens: nam crebrò per annum incorrupti durare solent: necnon & exiguum habens aquæ, solitarius perdurabat, nunquam inde procedens, nusquam aliquem suspiciens, intantum vt cùm bis in anno per tectum desuper panes acciperet, nullum cum deferentibus haberet alloquium. Multis igitur videndi eum desiderio, & studio requirendi ante ostium eius pernoctantibus, audiebantur vt vulgi voces aduersum Antonium, tumultusque dicentium: Quid te nostris ingeris habitaculis? quid tibi & deserto? Abscede à finibus alienis, non potes hic habitare, non nostras insidias sustinere. Et primò quidem, qui foris erant, existimabãt aliquos homines scalis positis introisse, ibique contendere. Postquam autem per cau[...]nam introspicientes, nullum viderunt, dæmones intellexerunt contra eum contendere, & nimio metu perterriti, Antonij auxilium flagitabant. At ille ostio propinquans, ad consolandos fratres ne timerent, atq; vt inde recederent precabatur: trepidantibusq; asserebat à dæmonibus incuti metum: signate vos, inquiens, & abite securi, ipsosq; semetipsos sinite deludere. Itaq; illis reuertentibus, hic remanebat illæsus, nec vnquam in certamine lassabatur. Accedentium autem augmentum profectuum, vel debilitas repugnantium, maximum eius contentioni leuamen addiderant, tum eius animo constantiam suggerebant. Rursúsq; ad eremum venientibus turbis quidam mortuum eum se existimauerant reperturos, ille psallebat intrinsecus: Exurgat Deus, & dissipentur inimici eius, & fugiãt qui oderunt eũ, à facie eius sicut deficit fumus deficiãt: vt liquescit cera à facie ignis, ita pereant peccatores à facie Dei. Et iterum: Omnes gentes circundederunt me, & in nomine Domini vindicaui in eis. Sic Antonius annis viginti solitariè translactis, atq; ab hominũ segregatus conspectibus perdurauit. Cùm ergo multorum, & propositum imitari cupientium, & notorum multitudo ad eum concurreret, necnon & patientium infinita se caterua conglomeraret, tandem penè iam per vim foribus euulsis, quasi ex aliquo cœlesti aditu consecratus apparuit. Obstupuerunt vniuersi & oris gratiam, & corporis dignitatem, quòd nec per inquietem intumuerat: nec ieiuniis, dæmonúmque certamine faciem eius pallor obsederat: sed econtrario quasi nihil temporis egisset, antiquus membrorum decor perseuerauit.

7 Signum crucis et fides ad Dominum, murus inexpugnabilis.

Porrò quanta miracula, quæ in illo animi puritas fuit? Nunquam hilaritate nimia resolutus in risum est: nunquam recordatione peccati tristitia ora contraxit, non magnis stupentiũ se elatus est laudibus. Nihil in illo indecens solitudo: nihil asperum quotidiana cum hostibus bella contulerant, sed temperata mens æquali ad cuncta ferebatur examine. Plurimos igitur ab immundis spiritibus, & infirmitatibus variis Dei gratia per Antonium liberauit. Sermo eius sale conditus consolabatur mœstos, docebat inscios, concordabat iratos, omnibus suadens nihil amori Christi anteponendum. Præponebatque ante oculos bonorum magnitudinem futurorum, & Dei clementiam, & beneficia retexebat indulta, quòd proprio filio suo non pepercerit Deus, sed pro nostra omnium salute eum tradiderit. Nec mora, plura audientium corda ad humanarum rerum contemptum hæc eius suasit oratio, & habitandæ eremi istud eius exordium fuit. Quid sanè & Arsenoitarum oppido gestum sit, non transibo silentio. Nam cùm fratres vellet inuisere, & riuulum fluminis Nili, qui crocodilis, & multis eiusdem fluminis bestiis plenus erat, transuadere esset necesse, tam cum comitibus suis transiuit illæsus, quàm inde redibat incolumis. Rursúsque in pristinis laboribus perseuerans, multos magisterio suo fratres confirmauit, ita vt breui tempore plurima fierent monasteria: nouos, antiquosq; monachos pro ætate vel tempore, paterno moderabatur affectu. Quadã autem die cùm sanctus Antonius congregatis fratribus rogaretur, vt eis institutoria largiretur pręcepta, cum prophetica fiducia exaltans vocem, aiebat: Ad omnem quidem mandatorum disciplinam scripturas posse sufficere: sed & hoc optimum fore, si mutuis seinuicem fratres sermonibus consolarentur. Et vos ergo, inquit, vt patri, referte quæ nostis: & ego, quæ per longam ætatem consecutus sum, quasi filiis indicabo. Hoc sit autem primũ cunctis in commune mandatum, nullum in arrepti propositi vigore lassescere, sed quasi incipientem augere semper debere quod cœperit, præsertim cùm humanæ vitæ spatia æternitati comparata breuissima sint hac parua. Ita exorsus paululum siluit, & admiratus nimiam Dei largitatem, rursus adiecit, dicens: In præsenti hac vita æqualia sunt pro rerum commutatione commercia, nec maiora recipit ab emente, qui vendit. Promissio autem vitæ sempiternæ vili precio comparatur, scriptum est enim: Dies vitæ nostræ septuaginta anni: si autem in potentatibus octoginta anni, quicquid reliquum est, labor & dolor est. Quando ergo octoginta, aut centum, aut multos annos laborantes in Dei opere vixerimus, non pari tempore regnaturi sumus in futuro, sed pro annis prædictis omnium nobis seculorum regna tribuentur. Non terram hæreditabimus, sed cœlum, corpus quoq; corruptum relinquentes, idipsum cum incorruptione recipiemus. Ergo filioli, non vos aut tædium defatiget, aut vanæ gloriæ delectet ambitio. Non sunt enim condignæ passiones huius temporis ad superuenturã gloriam, quæ reuelabitur in nobis. Nemo, cùm aspexerit mundum, reliquisse se arbitretur ingentia, quia omnis terra ad infinitatem comparata cœlorum breuis ac parua est. Si ergo nec vniuerso orbi renunciantes, dignum aliquid habitaculis possumus compensare cœlestibus, se vnusquisq; consideret, & statim intelliget paruis thesauris & parietibus, vel modica auri portione contempta, nec gloriari se debere, quasi magna dimiserit, nec tædere quasi parua sit recepturus. Vt enim contemnit aliquis vnam æream drachmam ad drachmas centũ aureas conquirendas: ita etiam qui totius orbis Dominum dereliquit, centuplũ de melioribus præmiis in sublimi sede recipiet. Ad summum illud perspicere debemus, quòd & si nostras velimus retentare diuitias, cum lege mortis ab ipsis diuellamur inuiti, vt in libro Ecclesiastes scriptum est: Quia nescit homo quid sit post eum in labore suo. Cur ergo non facimus de necessitate virtutem? Cur non ad lucranda regna cœlestia vltrò relinquimus quod lucis istius fine perdendum est? Nihil eorum curæ sit Christianis, quæ secum non auferre possunt: illud potius debemus expetere, quod nos ducat ad cœlũ, sapientiam scilicet, castitatẽ, iustitiam, virtutẽ, sensum peruigilẽ, pauperũ curam, fidẽ in Christo robustam, animũ iræ victorem, hospitalitatem. Hæc sectantes, mansionẽ nobis in terra quietorũ, secundùm Euangelium, præparabimus. Consideremus Domini esse nos famulos, & seruitutem debere ei, à quo creati sumus. Vt enim seruus præteriti gratia famulatus, præsens aut futurum non contẽnit imperium, nec audet asserere quòd ex labore transacto instantis operis habere debeat libertatem, sed iugi studio (vt in Euangelio scriptum est) eandem semper exhibet seruitutem, vt & Domino placere possit, ne metum lucretur & verbera: Sic & nos diuinis congruit parêre præceptis, scientes quòd æquus ille retributor, in quo quemq; inuenerit, in eo sit iudicaturus, quod prophetica per Ezechielem voce testatur: Nam & infelix Iudas propter vnius noctis impietatem omni præteriti temporis labore priuatus est. Idcirco tenendus est continuus instituti rigor habentibus Deum auxiliatorem, sicut scriptum est: quia omni proponenti bonum Deus cooperatur. Ad inertiam autem calcandã Apostoli præcepta replicemus, quibus se mori quotidie testabatur: similiter & nos humanæ conditionis vitam ancipitẽ retractantes non peccabimus: cùm enim excitati à somno ad vesperam nos peruenire dubitemus,

& quieti corpora concedentes de lucis non confidamus aduentu, & vbique naturæ, ac vitæ incertæ memores, Dei nos intelligamus prouidentia gubernari. Hoc modo non delinquemus, aut aliqua fragili cupiditate raptabimur: sed nec irascemur quidem aduersus aliquem, nec terrenos congregare thesauros ambiemus, quin potius metu quotidiani recessus, & seiungendi corporis iugi meditatione, omnia caduca calcabimus. Cessabit mulierum amor, libidinis extinguetur incendium, inuicé nobis debita nostra donabimus, ante oculos semper habentes vltimæ retributionis aduentum: quia maior formido iudicij, & pœnarũ timor horridus simul & lubricæ carnis incentiua dissoluit, & ruentem animã quasi ex aliqua rupe sustentat. Ideoq; precor vt ad finem propositi omni labore tendamus. Nemo post tergum respiciens, [8] Loth imitetur vxorem, præsertim cùm Dominus dixerit nullum ponentem manum super aratrũ, & respicientem retrorsum, dignum esse regno cœlorum. Respicere autem retrorsum nihil aliud est, quàm in eo pœnitere quod cœperis, & mundanis rursus desideriis obligari. Nolite, quæso, virtutis, tanquam impossibile nomé pauere, nec peregrinum vobis, aut procul positum videatur hoc studium quod ex nostro, Dei gratia præcedente, pendet arbitrio. Huius operis homini insertanatura est, & eiusmodi res est, quæ nostram tantũmodo expectat voluntatem. Græci studia transmarina sectentur, & in alieno orbe constitutos, inanium literarũ quærant magistros: nobis verò nulla proficiscendi, nulla transfretandi fluctus necessitas imminet: in omni sede terrarum constituta sunt regna cœlorũ. Vnde Dominus in Euangelio ait: Regnum Dei intra vos est: virtus quæ in nobis est, menté tantum requirit humanã. Cui enim dubium est, quia naturalis animæ puritas, si nulla fuerit extrinsecus sorde polluta, fons sit & origo omnium virtutum. Bonam necesse est esse eam quam creauit bonus Creator. Quòd si fortè cunctabimur, audiamus Iesum filium Nauæ populo dicenté: Rectum facite cor vestrum ad Dominum Deum Israël. Nec Ioannes dissonã tulit de virtute sententiam, prædicans: Rectas facite semitas eius: siquidem hoc est rectam esse animam, cùm eius principalis integritas nulla vitiorum labe maculatur, si naturam mutauerit, peruersa tunc dicitur: si conditio seruetur, virtus est. Animam nostram commendauit nobis Deus, seruemus depositum, quale accepimus. Nemo causari potest extrinsecus situm, quod in se nascitur: facturam suam qui fecit, agnoscat: opus suum inueniat vt creauit. Sufficit nobis naturalis ornatus: ne deturpes homo, quod tibi largitio diuina concessit, operam Dei immutare velle, polluere est. Illud etiam solicitè prouidere debemus, vt tyrannicam iræ superemus insaniam, quia scriptum est: Iracundia viri iustitiam Dei non operatur. Et iterum: Desiderium concupiscens parit peccatum, quo perfecto, mors gignitur. Diuinæ vocis præceptum est, vt iugi custodia tueamur animam nostram, quia exercitatos ad supplantandum habemus inimicos, dæmones scilicet, contra quos nobis, secundum Apostolicam contestationem, pugna sine intermissione est: Ait enim: Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus principatus & potestates huius mundi, aduersus spiritalia nequitiæ in cœlestibus: Ingens eorum turba istum peruolat aërem, non procul à nobis hostium caterua discurrit. Et diuersitatem quidem eorum non est meæ paruitatis exponere, sed hanc maioribus concedo rationem. Quod autem in promptu est, & ignorare non expedit, dolos scilicet eorum aduersus nos compositos, breuiter indicabo. Hoc primum debemus mentibus affigere, nihil Deum fecisse, quod malum est, nec ab eius institutione dæmonũ cœpisse principia: peruersitas ista non naturæ, sed voluntatis est vitiũ. Boni etenim, vtpote à Deo conditi, ex proprio mentis arbitrio ad terras ruêre de cœlis, ibique in cœni sordibus volutati gentilitatis impias constituere culturas: & nunc de nobis torquentur inuidia, atque vniuersa mala commouere non cessant, ne pristinis eorum sedibus succedamus. Diuersa autem eorum & partita nequitia est. Quidam enim ad summum nocendi verticem peruenêre, alij ex comparatione peiorum videntur esse leuiores, atque omnes pro possibilitate virium diuersa contra singulas causas sumpsere certamina. Idcirco necessarium est donum spirituum discernendorum à Domino petere, vt possimus tam fraudes eorum, quàm studia præuidentes, aduersum disparem pugnam vnum dominicæ crucis eleuare vexillum. Hoc munere Paulus accepto docebat, dicens: Non enim eius ignoramus astutias. Ad cuius exemplum etiam nos oportet ex his quæ passi sumus, mutuis nos inuicem instruere sermonibus: Hostile illis contra omnes Christianos, maximè verò contra monachos [9] & virgines Christi odium est. Eorum semitis laqueo tendunt, eorum mentes impiis atq; obscœnis cogitationibus nituntur euertere: sed nihil nobis in hoc terroris incutiant. Fidelium enim orationibus atque ieiuniis ad Dominum statim corruunt: nec tamen si paululum cessauerint, prorsus plenam putetis esse victoriam. Solent saucij grauius assurgere, & mutata arte pugnandi, cùm cogitatione nihil egerint, pauoribus terrent, assumentes nunc mulierum, nunc bestiarum, nunc serpentium formas, necnon & ingentia quædam corpora, & vsq; ad tectum domus porrectũ caput, infinitas species, & militum cateruas. Quæ omnia ad primũ quoq; crucis signum euanescunt.

8 Facit hoc cõtra monachos apostatas nostri tẽporis.

9 Cur quæso contra monachos & virgines Christi maximè versatur odiũ diaboli, nisi quia hi duo status sunt magis Deo propinqui et accepti? Cum autẽ etiã nostri hæretici hos eosdem tantopere insectentur, potes cognoscere cuius capitis illi sint membra. Si orationibus fideliũ & ieiuniis statim dæmones corruunt, non sunt hæc res inanes & superstitiosæ, vt garriunt quidam.

His quoq; agnitis fallaciarum modis, incipiũt præsagire, & futurorum dierum euentus velle prædicere. Cumq; & in his contemptui fuerint, ipsum iam suæ nequitiæ principem, ac totius mali summitatem ad subsidium suæ certaminis vocant. Crebrò deniq; Antonius talem à se visum diabolum asserebat, qualem & B. Iob Domino reuelante cognouerat. Oculi eius ac si species luciferi, ex ore eius procedunt lãpades incensæ, crines quoq; incendiis sparguntur, & ex naribus eius fumus egreditur, quasi fornacis æstuantis ardore carbonũ, halitus eius vt pruna, flãma verò ex ore eius glomeratur. Cum huiusmodi terroribus visus est princeps dæmonũ, inquit Antonius, & ingentia sæpe, vt dixi, promittens, impietatis suæ definit lingua magniloqua, de qua Dominus triũphat, ad Iob dicens: Arbitratur enim ferrũ, vt paleas, æramentum, vt lignum putridum: maria, vt sata erata: tartara profunda, tanquam captiua æstimabit: abyssum, vt deambulatorium. Per Prophetam quoq; increpat, dicens: Persequens comprehendam, & omnẽ orbem terrarum manu mea vt nidum tenebo, & vt oua derelicta auferam. Si iniquus funereas euomens voces bene viuentiũ aliquos frequenter illaqueet, sed nos nec eius pollicitationibus credere, nec minas formidare debemus: fallit enim, nihilque verum semper promittit. Nam si non mendacia cuncta loqueretur, quomodo talia, & tam infinita promittens, hamo crucis, vt draco aduncatus à Domino est, & capistro ligatus vt iumentũ, & quasi mancipium fugitiuũ, vinctus circulo, & armilla labia perforatus, nullũ omnino fideliũ deuorare permittitur? Nunc miserabilis vt passer ad ludendum irretitus à Christo est, calcaneo Christianorũ substratus gemit. Ille qui vniuersa maria à se delata plaudebat: ille qui orbem terrarum manu sua teneri pollicebatur, ecce à nobis vincitur, ecce me aduersum se prohibere non potest disputantẽ. Contemnenda est filioli, penitus cum inanibus verbis superba iactantia, fulgorq; ille qui lucere se simulat, non veri splẽdor est luminis, sed quibus arsurus est indicat flammas. Nam dicto citius recedens suarum secum refert simulachra pœnarum. Solent etiam cum modulatione nonnunquam apparentes psallere. Proh nefas, ad hæc & impuro ore sacra scripturarum eloquia meditantur. Frequenter enim legentibus nobis, quasi Echo ad extrema verba respondent. Dormientes quoq; excitant ad orandum, vt totius noctis somnum eripiant: plerosq; etiam, dum se in monachorum nobilium habitu transferunt, monachos coërcent, & pristina quibus conscij sunt peccata imputant: sed spernendæ sunt eorum increpationes & admonitiones ieiunandi, vigiliarum quoque fraudulenta suggestio. Ob id enim familiares nobis species assumunt, vt affinitate virtutum nocentes, facilius virus interserant, & innocentes quosque per speciem honestatis elidant. Impossibile postea, 10 durumque hoc studium prædicantes, vt dum onerosum esse videtur quod cœptum est, ex desperatione tædium, & ex tædio succedat ignauia. Idcirco Propheta missus à Domino, luctuosa denuncians sublimi voce dicebat: Væ qui potat proximum suum subuersione turbida. Huiusmodi enim exhortamenta deprauatoria sunt itineris, quod ducit ad cælum. Idcirco cùm venisset Dominus ad terras, & vera de eo dæmones prædicarent (verè enim dicebant: Tu es Christus filius Dei viui) vociferantium ora claudebat, qui vinctas hominum linguas soluebat, ne cum præconio veri peruersitatis venena miscerent, & vt nos eius exemplo, etiamsi profutura suaderent, in nullo his commendaremus assensum, quia profectò non congruit nos post libertatem à Domino concessam, & scripturarum præcepta vitalia, à diabolo viuendi capere exempla, qui suum deferens ordinem, sacrum Christi temerauit imperium. Propterea etiam Dominus eum de scripturis loquentem iubebat tacere, quia peccatori dicit Deus: Quare tu enarras iustitias meas, & assumis testamentum meum per os tuum? Omnia dæmones simulant, colloquuntur sæpe cum fratribus, & eos sæpè conturbant, sæpè inconditos excitant sonitus, manus apprehendunt, sibilant, insipienter cachinnant, vt vel in puncto peccati Christianum pectus introeant. Cumq; ab vniuersis fuerint repulsi, ad extremum debilitatem suam lamentatione testantur. Et Dominus quidem quasi Deus, & suæ conscius maiestatis, obmutescere his imperabat: nos autem vestigiis sanctorum inhærentes, eandem gradiamur viam, qui memoratos subtilius fallacias peruidentes canebant: Cùm consisteret aduersum me peccator, obmutui, & humiliatus sum, & silui à bonis. Et iterum: Ego verò tanquam surdus non audiebam, & sicut mutus non aperiens os suum. Et factus sum vt homo non audiẽs. Christus silentium vt dominus imperauit, vt nos diabolo nihil credamus, & vincimus. Si orare compellunt, si ieiunia suadent, non ex eorum nos monitis, sed ex nostra consuetudine id agamus. Denique etiam si irruentes mortem nobis intentare videantur, ridendi potius sunt quàm timendi: quia cùm sint debiles, minantur cuncta, nec faciunt. Equidem de istis iam transitoriè me dixisse memini, tamen eadem explicanda sunt latius, quia non mediocrem affert repetitio medelam. Adueniente Domino destructus est inimicus, & omne penitus eius robur elanguit. Propter quod pristinæ virtutis memor, quasi tyrannus iã senescens cùm ruisse se videat, in perniciem grassatur humanam, nec tamen potest firmum Deo pectus cogitationum, & cæterarum arte fraudũ peruertere. Nam

10 Et nostri tẽporis hæretici dicentes: Onerosus & durus nimis est monachat⁹: virginitas impoßibilis. ostendunt se esse membra diaboli.

Nam luce clarius est, cùm aduersarij nostri, cùm nec humana carne sint septi, vt causare valeant, idcirco nos à se non posse superari, quia clauso ostio interiore intrare non valeant. Et re vera si fuissent hoc fragili corpore colligati, obseruato introitu, ijsdé negaretur accessus. Cùm autem (vt diximus) hoc impedimento sint liberi, & obstructa penetrent, atque in omni libenter volutent aëre, manifestum est ob eneruationé eorum permanere Ecclesiæ corpus illæsum. Denique satellites impij cum principe suo diabolo, quem Saluator in Euangelio homicidam & patrem malitiæ ab initio fuisse firmat, nobis aduersum se dimicantibus fortiter nullo modo cessissent, si potestas eorum non fuisset ablata. Nam si mentior, cur nobis Satana parcis, qui vbique discurris? Cur qui nullo clauderis loco, aduersum te bene viuentium, & disputantium non potes labefactare constantiam? sed fortasse nos diligis, quos quotidie conaris obruere, aut credibile est te esse bonitatis magistrum, & fauere magis optimis quàm nocere? Et quid tam charum tibi esse potest, quàm lædere, maximè eos qui tuis sceleribus viriliter repugnant, secundum quod scriptum est: Quia abominatio est pietas peccatori. Quis tam fœcundum ad malitiam possidet pectus? quis tam meditatas implere conatur insidias? Scimus te impurissimum cadauer, scimus quia idcirco viuimus Christiani, & contra te nobis est secura congressio, quia infirmatus es à Domino. Ideo de tuis confoderis iaculis, quia minationem tuam non sequitur effectus. Quod si fallimur, cur cum terrore simulato, cur magnitudine corporum nostram aggrederis fidem? si voluntatem sequitur possibilitas, tantum tibi velle sufficiat. Is enim potentiæ mos est, non extranea fallaciæ adiumenta conquirere, sed sua virtute implere quod cupiat. At nũc dum theatrali mutatione formarum, quasi rudem infantiam scenica niteris simulatione deludere, exhaustas vires manifestius probas. Nunquidnam verus ille Angelus coram Assyriis missus à Domino, aut populorum eguit societate, aut sonitus quæsiuit, aut plausus, & non potius tacitam exercens potestatem, centum octoginta quinque milia hostium sermone velocius iuxta iubentis Domini prostrauit imperium? Vos ergo cùm fragiles sitis viribus, perpetuus vos consequitur interitus. At dicit aliquis: Cur diabolus egrediens beatum Iob omnem in ruinam impulit domũ? cur eius opibus penitus dissipatis, parietum quoque fundamenta subuertens, vnum numerosę sobolis coaceruauit sepulchrũ? cur ipsum ad extremum diri vulneris nouitate percussit? Qui hoc apponit, audiat è diuerso, non diabolum potuisse hoc, sed Dominum, à quo potestas aduersum nos dupliciter datur, vel ad gloriam, si probamur: vel ad pœnam, si delinquimus. Quin potius ex hoc animaduertat, ne contra vnum quidem hominem diabolum quicquam potuisse, si non potestatem accepisset à Domino. Nullus enim, quod suæ ditionis est, ab alio deprecatur. Sed quid Iob memoro, quẽ nec expetitũ potuit vincere? sed nec cõtra iumẽta quidẽ eius, nec cõtra oues, nec contra sues sine concessu Dei propriũ robur exercuit, sicut in Euangelio scriptũ est: Dæmones autẽ rogabãt eũ dicentes: Si eijcis nos hinc, mitte nos in gregem porcorum. Quomodo igitur qui porcorũ expetunt mortes, imaginem Dei hominem, & tã charũ cõditori animal suo valebũt iure peruertere? Magna, dilectissimi, aduersum dæmones arma sunt, vita syncera, & intemerata ad Deum fides. Credite mihi experto: pertimescit [11] Satanas rectè viuentium vigilias, orationes, ieiunia, mansuetudinẽ, voluntariam paupertatem, vanæ gloriæ contemptum, humilitatẽ, misericordiam, iræ dominatum, & præcipuè purum cor erga Christi amorẽ. Nouit teterrimus coluber ex præcepto Domini sub iustorum se iacere vestigiis, qui ait: Ecce dedi vobis potestatem calcare super serpentes, & scorpiones, & super omnem virtutem inimici. Si autem & diuinationem se habere simulantes, venturos fratres nunciauerint, & affuerit quos venire prædixerant, nec sic fides est commodanda mendacibus: ob id enim præcessere venientes, vt crudelitas sibi paretur ex nuncio, & postea aditus ex credulitate fallaciæ. Verùm in hoc nullum Christiano debet esse miraculum, cùm non tantũ qui leuitate naturæ per cuncta discurrũt, valeant præuenire gradientes, homines quoque equorũ velocitate præfecti, nuntiant affuturos. Non enim ea quæ nondum fieri cœpta sunt referunt, quia Dominus solus cõscius est futurorũ, sed quorum cõspiciunt in actu initium, eorum sibi tanquàm apud ignaros vendicant de futuris fieri notionem. Nam quantos nunc putatis, qui velocitate pueri istũ cœptum, nostrosque contra se sermones ante relatũ alicuius hic positi longè manentibus indicare? Hoc quod dico nobis perspicuum fieri potest exẽplis, si quis à Thebaide aut alicuius regionis oppido cœperit proficisci, & hunc dæmones viderint in itinere ambulantẽ, pernicitate memorata possunt prædicare venientẽ. Ita & de Nili inundatione solenni, cùm multas in Æthiopia viderint pluuias, è quibus fluuius intumescens vltra alueũ effluere consueuit, præcurrentes ad Ægyptũ nunciãt amnis aduẽtum. Hoc aũt & homines, si illis celeritas esset tanta naturâ, facilè nunciarent. Vt enim speculator beati Dauid ad verticem loci celsioris ascendens, prior quàm hi qui in terra erant prospiciens venientes, non quædam incerta de futuris, sed de his, qui venire cœperant, nunciabat: sic & dæmones

11. Quid dicis hæretice? pertimescit satanas rectè viuentiũ vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, quæ tu spernis.

cura peruigili omnia considerantes, rapido cursu sibi inuicem nunciant. Sed si fortè cõtigerit, vt Dei nutu ad finem cœpta non veniant, hoc est, si aut viator è media regrediatur via, aut suspensis nubibus aquæ ad altum cœli cardinem deferantur, tunc decipientium vnà cum credentibus error aperitur. Hæc gentilitatis fuêre principia, his præsagatorum dolis apud delubra dæmonum quondam credebantur oracula, quæ aduentu Domini nostri Iesu Christi indicto sibi silentio obmutuerũt, suosque perdidêre captiuos. Quis (rogo) arbitratur medicum ex obseruatione morborum, cùm animæ æstuantis incendia de venarum pulsu, leuique digitorum attactu, diuinam arbitratur habere notitiam? Quis gubernatorem nauigationis suæ viam inter cœli sydera requirentem, maiestatis honore veneratur? Quis agricolam de aridis æstatis feruoribus, aut de hyemali aquarum largitate vel frigore disputantem, non potius experientia laudat, quàm Dei consecrat nomine? Verùm vt concedamus paulisper vera dæmones nunciare, respondete mihi, quis fructus est nosse venientia? Nunquid aut sciens hæc aliquando laudatus, aut punitus est nesciens? In voc vnusquisque sibi præparat, seu tormenta, seu gloriam, si vel negligat scripturarum mandata, vel faciat. Nullus ob id nostrum hanc arripuit vitam, vt habeat præscientiam futurorum, sed vt præceptis Domini obediens, amicus esse incipiat de seruo. Curandum esse non præscire quæ veniunt, sed implere quæ iussa sunt: nec institutionibus bonis hanc flagitate mercedem, cùm magis debeamus victoriam cõtra diabolum ab auxiliatore Domino postulare. Sed si fortè aliquis hoc libenter assumat, vt futura cognoscat, habeat purum cor, quia credo animam Deo seruientem, si in ea perseuerauerit integritate, qua renata est, plus scire posse quàm dæmones. Talis erat anima Helisæi, quæ aliis incognitas virtutes faciebat. Nunc iam cæteras vobis dæmonum explicabo fallacias. Solent nocte venientes Angelos Dei se fingere, laudare studium, mirari perseuerãtiam, futura præmia polliceri. Quos cùm videritis, tam vos, [12] quàm domos vestras crucis armate signaculo, & confestim soluentur in nihilum, quia metuunt illud trophæum in quo Saluator aëreas expolians potestates, eas fecit ostentui: Solent etiam variis simulationibus membra torquere, & nostris procaciter offerre se visibus, vt mentem pauore, & corpus horrore concutiant. Sed & in hoc fides Deo tuta & immota fugat eos, quasi infirma ludibria. Non est autem difficilis bonorum spirituũ malorumq; discretio, quæ sic, Deo tribuẽte, panditur. Sanctorum Angelorum amabilis & tranquillus aspectus est, quia non contendunt, neque clamant, neq; audiet aliquis vocem eorum, verùm tacitè, leuiterq; properantes, gaudium, exultationem, fiduciã pectoribus infundunt, siquidẽ cum illis est Dominus, qui est fons & origo lætitiæ. Tunc mens nostra non turbida, sed lenis, & placida Angelorum luce radiatur, tunc anima cœlestium præmiorum auiditate flagrans, effracto (si posset) humani corporis domicilio, & membris exonerata mortalibus, cum his quos videt abire, festinat ad cœlum. Horum tanta benignitas est, vt si quis pro conditione fragilitatis humanæ, miro fuerit eorũ fulgore perterritus, omnẽ continuò ex corde auferant metũ. Ita Gabriel, cùm Zachariæ loqueretur in tẽplo, & Angeli cùm diuinũ virginis partũ pastoribus nunciarent, & qui dominici corporis agebãt excubias, securis videntium se mẽtibus ostendẽtes, ne metuerẽt imperabãt. Metus enim non tantũ ex pauore animi, quantũ ex magnarũ rerũ sępe incutitur aspectu. Pessimorũ verò vultus truces, sonitus horridi, sordidi cogitatus, plausus, motusq; indisciplinatorũ adolescentũ, vel latronum, è quibus confestim timor animę, sensibus stupor incutitur, odiũ Christianorũ, monachorum mœror, tędiumq; suorum, recordatio & metus mortis, cupido nequitiæ, lassitudo virtutis, cordis hebitatio. Si igitur post timorem horrore concepto successerit gaudium, & ad Deum fiducia, atque ineffabilis charitas, venisse sciamus auxilium, quia securitas animæ præsentis maiestatis indicium est. Sic namque & Abraham Patriarcha videns Deum gauisus est, & Ioannes cùm Mariam superuenisse sentiret, quæ in sacri ventris hospitio vniuersitatis gestabat parentem, exultauit necdum natus in gaudium. Si autem incussa formido permanserit, hostis est qui videtur, quoniam nec refouere nouit: vt Gabriel patientem virginem, ne timeat, iubet, & sicuti pastores nuncio consolati sunt, quinimo pauorem duplicat, & vsque ad profundam impietatis foueã, vt sibi homines prosternantur impellit. Exinde misera gentilitas Dominicæ interdictionis ignara, falsò dæmones Deos opinata est, Christianorum autem populos his fallaciis irretiri nõ passus est Dominus, qui diabolũ in Euãgelio audacter sibi principatũ omniũ præsumentẽ repulit, dicens: Vade satanas, scriptum est enim: Dominum Deũ tuum adorabis, & illi soli seruies. Horum verborum etiam nobis licentia est tributa, quia idcirco locutus est talia, vt similitudo tentamentorum authoris nostri frangatur eloquiis. Illud mei quoque charissimi, admoneo, vt vitæ magis sit vobis quã signorũ sollicitudo. Nullus ex vobis hæc faciens, aut ipse superbia intumescat, aut despiciat eos qui facere nõ possunt. Conuersationẽ magis scrutamini singulorum in hac vita, & imitari vos quæ perfecta sunt conuenit, & implere quæ desunt. Nã signa facere nõ est nostræ paruitatis, sed Domini potestatis, qui ad discipulos

[12] *Crucis signaculo tam vos quã vestras domus armate.*

gloriantes

glориantes in Euangelio, ait: Ne gaudeatis quia dæmones vobis ſubiecti ſunt, ſed quòd nomina veſtra ſcripta ſunt in cœlis. Nominum enim in libro vitæ conſcriptio, teſtimonium eſt virtutis & meriti: expulſio autem ſatanæ, largitio Saluatoris eſt. Vnde his, qui non in vitæ laboribus, ſed in prodigiis exultabant, dicentibus: Nónne in nomine tuo dæmonia eiecimus, & in nomine tuo virtutes multas fecimus? reſpondebit Dominus: Amen dico vobis, Non noui vos: Diſcedite à me operarij iniquitatis. Non enim nouit Dominus vias impiorum. Hoc ergo magnopere poſtulemus, vt donum ſpirituum diſcernendorum mereamur accipere, quò, ſecundùm ſententiam ſcripturarum, omni ſpiritui non credamus. Volueram quidem iam finire ſermonem, & ſilentio premere quæcunque meæ acciderant paruitati: ſed ne putetis me fruſtra commemoraſſe, quæ euenire non poſſent, idcirco, licet inſipiens ſim, tamen Dominus, qui ſecretæ mentis eſt inſpector, nouit nõ me cauſa iactantiæ, ſed veſtri gratia profectus hoc facere, pauca replicabo de plurimis. Quoties me nimis laudibus efferre conati ſunt, cùm à me in nomine Domini maledicta reciperent? quoties augmenta Nili fluminis futura dixerunt, cùm à me audirent. Et hoc ad veſtram quid pertinet curam? Quoties minitantes vt milites armati, ſcorpionibus, equis, beluis, & variis ſerpentibus circundederunt me, & domum in qua eram, repleuerunt, cùm ego econtra pſallerem: Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine Domini Dei noſtri magnificabimur: & ſtatim miſericordia Chriſti fugabantur. Quodam autem tempore cum ingenti luce venientes dixerunt: Venimus, Antoni, noſtrum tibi præbere fulgorem. Et ego clauſis oculis, quia lucem diaboli dedignabar aſpicere, orabam, & dicto citius impiorum lumen extinguebatur. Poſt menſes autem paucos cùm coram me pſallerent, & de ſcripturis ſibimet ſermocinarentur, ego tanquam ſurdus non audiebam. Commouerunt aliquando monaſterium meum, & ego mente immobili Dominũ deprecabar. Sæpe ſtrepitus, ſæpe ſaltationes, ſæpe ſibilos ingeſſerunt, & me pſallente, ſonus eorum in voces flebiles vertebatur. Credite mihi filioli, quod dicturus ſum vobis. Vidi aliquando diabolum excelſum corpore, qui ſe Dei virtutem & prouidentiam auſus eſt dicere, & ait ad me: Quid vis vt à me tibi donetur, Antoni? At ego ſputum vi maxima in os eius iugè minans, totum me in eum Chriſti nomine armatum ingeſſi: Et ſtatim ille procerus aſpectu inter medias manus exoleuit. Ieiunanti etiam mihi viſus eſt, vt monachus, & panes offerens his ſermonibus ſuadebat vt veſcerer, & huic aliquid indulgerẽ corpuſculo: & tu, inquit, homo es, & humana fragilitate circundaris, labor paululum conquieſcat, ne ægritudo ſubripiat. Illico luridam faciem ſerpentis agnoui, & cùm ad conſueta Chriſti munimenta confugerẽ, tanquam per feneſtram fumus laberetur, euanuit. Auri quoq; decipulam mihi in deſerto frequenter tetẽdit, quod ideo offerebat, vt aut viſu irretiret me, aut tactu commacularet. Sæpe quoque me à dæmonibus non denego verberatũ: Canebã aũt ſic: Nullus me ſeparabit à charitate Chriſti. Ad cuius vocis auditum in ſe inuicẽ deſurentes, non meo, ſed Domini fugabãtur imperio: qui ait: Vidi Satanã quaſi fulgur cadentẽ de cœlo. Hæc ego filioli, Apoſtolici memor eloquij in me transformaui, vt propoſitũ veſtrũ nec dæmonum terror, nec aliqua laſsitudo diſſolueret. Sed quoniã ob veſtram vtilitatẽ multa in memorando inſipiens factus ſum, & huius rei vobis impertiri cupio notionẽ, quam verã eſſe nullus ambigat audientium. Pulſauit aliquando dæmon monaſterij oſtium: egrediens video hominem enormi ſublimitate porrectum caput vſque ad cœlum. Cùm ab hoc quiſnam eſſet inquirerẽ, ait: Ego ſum ſatanas. Et ego: Quid, inquam, hic quæris? reſpondit: Cur mihi fruſtra imputant monachi? cũr mihi oẽs Chriſtianorum populi maledicũt? Et ego: Iuſte faciunt, tuis enim frequenter moleſtantur inſidiis. At ille ait: Nihil ego facio, ſed ipſi ſe inuicẽ turbãt. Nam ego miſerabilis factus ſum. Rogo, nõne legiſti: Quia defecerunt inimici frameæ in finem, & ciuitates eorum deſtruxiſti? En nullũ iam habeo locũ, nullam poſſideo ciuitatem, iam mihi nulla ſunt arma, per omnes nationes, cũctaſq; prouincias Chriſti perſonat nomen, ſolitudines quoque monachorum ſtipantur choris. Ipſi ſe quæſo, tueantur, & me ſine cauſa non lacerent. Tunc ego Dei gratiam cũ alacritate miratus, ſic ad eum locutus ſum: Non tuæ veritati quæ nulla eſt, tam nouam, & tam inauditam adſcribo ſententiam, nam cũ fallaciæ caput ſis, hoc ſine mendacio coactus es cõfiteri. Verè enim Ieſus tuas funditus ſubruit vires, & honore nudatus angelico, volutaris in ſordibus. Vix dum verba cõpleueram, & ille ſublimis Saluatoris nomine deiectus eſt. Quæ ergo iam, ô filioli, poterit reſidere cũctatio? quæ trepidatio manebit vlterius? Quis nos eorũ turbo poterit conuellere? Securæ ſint animæ ſingulorum, nõ ſibi fingant vanas cogitationes, vana diſcrimina, non aliquis timeat à diabolo ſublatum ad præcipitia poſſe deferri. Pellatur omnis anxietas. Dominus enim qui noſtros proſtrauit inimicos, manes, vt promiſit, in nobis, à varijs nos Satanæ muniuit incurſibus. En ipſe diabolus, qui huiuſmodi cũ ſuis ſatellitibus exercet aſtutias, nihil ſe poſſe contra Chriſtianos fatetur. Iã curæ Chriſtianorũ & monachorũ ſit, ne per eorũ inertiã vires dæmonibus præbeãtur. Nã quales nos & noſtras repererint cogitatio-

cogitationes, tales se nobis præstare consueuerunt. Et si quod in pectoribus malæ mentis & pauoris semen inuenerint, quasi latrones, qui deserta obtinent loca, cœptos cumulant timores, & crudeliter imminentes, infelicem puniunt animam. Si autem alacres fuerimus in Domino, & futurorum bonorum cupido nos succenderit: si semper omnia manibus Dei committamus, nullus dæmonum ad expugnandum valebit accedere, magis enim cùm munita in Christo corda conspexerint, confusi reuertentur. Ita & Iob firmatum in Domino diabolus refugit, & infœlicissimum Iudam expoliatum fide, vinculis captiuitatis innexuit. Vna est ergo ratio vincendi inimicum, lætitia spiritualis, & animæ Dominum semper cogitantis iugis recordatio, quæ dæmonum ludos, quasi fumum expellens, persequetur aduersarios potius quàm timebit. Non est enim nescius Satanas ignium futurorum, & æstuantis gehennæ copiosa nouit incẽdia. Sed vt mea iam claudatur oratio, illud in finem cõmemoro. Cùm aliqua se nobis obtulerit visio, audacter requirite quis sit ille, & vnde venerit, ac sine mora si sanctorum fuerit reuelatio, Angelica consolatione timor vertetur in gaudium. Si verò diaboli fuerit tentatio, fidelis animæ percunctationibus euanescet, quia maximum est securitatis indicium interrogare quisnam est, & vnde. Sic & Nauæ filius auxiliatorem suum interrogando cognouit, nec Danielem percunctantem latêre potuit inimicus.

Postquam Antonius dicendi finem fecit, lætantibus cunctis, in aliis virtutis cupido exardescebat, in aliis infirma refouebatur fides, ex aliorum mentibus falsæ opiniones pellebantur, ex aliorum sensibus inanium terrorum pellebatur accensio: simulq; cùm iam dæmonum insidias contemnerent, mirabantur in Antonio tantam gratiam spirituũ discernendorũ, quã Domino tribuente perceperat. Erant igitur in monte monasteria tanquam tabernacula, plena diuinis choris psallentiũ, 13 legentium, orantiũ, tantumq; ieiunandi & vigiliarum ardorem cunctorum mentibus sermo eius afflauerat, vt futuræ spei auiditate ad charitatem mutuam, & misericordias indigentibus exhibendas iugi studio laborarent, qui infinitam regionem quandam, & oppidum à mundana conuersatione seiunctum, plenum pietatis & iustitiæ videbantur incolere. Quis tantum monachorum agmen aspiciens, quis virilem illum concordiæ cœtum cernens, in quo nullus nocens, nulla detractio susurronis, sed multitudo abstinẽtium, & certamen officiorum erat, non in hanc statim erumperet vocem? Quàm bonæ domus tuæ Iacob tabernacula tua Israel, tanquam nemora obumbrantia, tanquam paradysus super fluuios, tanquam tabernacula, quæ fixa sunt à Domino, tanquam cedri Libani circa aquas. Dum hæc ita geruntur, quibus indies beatæ vitæ studium cresceret, Antonius mãsionum in cœlo positarum recordatus, & pręsentis vitæ despiciẽs inanitatẽ, quasi parua essent quæcunque iã gesserat, separatus à fratribus instituebatur. Cũque eũ siue cibum, siue somnũ indulgere corpusculo, aut alias naturæ necessitates cogeret humana conditio, miro afficiebatur pudore, quòd tantam animæ libertatem modici carnis termini coercerent. Nam frequenter cum fratribus sedens, à cibo, qui fuerat appositus, memoria escæ spiritualis abstrahebatur. Edebat tamen, vtpote homo, sæpe solus, sæpe cum fratribus. Et cùm hæc mira (vt prædixi) ageret, cum confusione animæ adhibendam magnopere corpori diligentiam persuadebat, dicens: nec corpus esse penitus enecandum, ne operatio contra voluntatem creatoris dissolueretur, & ob id omne studium animæ conferendum, ne vitijs superata corporis, ad æternas inferni tenebras truderetur: quinimo indultum sibi in carne imperium vindicãs, domicilium suum, vt Apostolus Paulus, ad tertiũ cœlum subleuaretur. Afferebatque hoc à Saluatore præceptũ, in quo ait: Nolite soliciti esse animæ vestræ quid manducetis, aut quid bibatis, nec corpori quid vestiamini: quia hæc gẽtes quærunt: vester autem pater nouit quòd indigetis his omnibus. Quærite ergo primùm regnum Dei, & iustitiam eius, & hæc omnia adijcientur vobis. His rebus transactis, cùm persecutio impiissima Maximiani furore vesano vastaret Ecclesiam, sanctis quoque martyribus Alexandriam perductis, relicto & ipse monasterio secutus est futuras victimas, dicens: Pergamus ad gloriosos fratrum triumphos, vt aut ipsi congrediamur, aut spectemus alios præliantes. Et amore quidem iam martyr erat, sed cùm tradere se vltra non valeret, & sociari confessoribus in metallis vel in carceribus constitutis, magna cum libertate & cura ingrediens ad iudicem, exhortabatur ne terrore impiorũ subacti Dominum negarent. Iamque sententia coronatos exultans, quasi ipse vicisset, neque ad locum fœlicis sanguinis prosequebatur. Quamobrem commotus Iudex ob Antonij, sociorumque eius constantiam, præcepit nullum penitus monachorum obseruare iudicium, aut in ciuitate versari. Et cæteris quidem omnibus in illa die placuit abscondi. Antonius autem impauidus, neglecto persecutoris imperio, lauit ependiten, id est, scapulare suum. Et alia die stans in quodam eminenti loco, candente præcinctus veste procedentem Iudicem suo prouocabat aspectu, flagrans cupiditate martyrij, ostendebatque nobis contemptorẽ pœnarum, & mortis Christiani animum perseuerare debere, in tantum vt contristaretur, quia volenti pati pro Dei nomine, martyrium non dabatur:

13 Tu qui dicis monachismũ nostri temporis esse nouitium, nec à primæuis monachis obseruatum, vide hic qualia erant monachorum Antonij studia & exercitia, & si non eadem quæ & nostro tempore.

non dabatur. Sed Dominus qui suo gregi parabat magistrum, seruauit Antonium, vt institutio (sicuti factum est) monachorum non solùm oratione eius, sed & conspectibus firmaretur: Nunquam tamen à sanctorum confessorum vestigiis separatus est, quin anxia circa eos cura, & charitatis vinculis colligatus, magis carcerem patiebatur exclusus. Postquã autem persecutionis turbo defluxerat, & beato Episcopo Petro iam ob martyrij gloriam coronato ad pristinum monasterium regressus, quotidianum fidei ac conscientiæ martyrium merebatur, acrioribus se ieiuniis, 14 vigiliisque conficiens, vestimento cilicino intrinsecus, desuper pelliceo vtebatur, nunquam corpus lauans, nunquam à pedibus sordes abluens, nisi cùm per aquas necessitas transire compulisset. Nullus denique Antonii corpus nudum, antequam moreretur, vnquam vidit. Quodam autem tempore, cùm ab omnium se amouisset oculis, & clauso monasterio neminem omnino susciperet, Martinianus militum præpositus, cuius filia immundi spiritus infestationibus quatiebatur, pulsans ostium obsecrabat, vt suo pignori subueniret, & exigens vt Deum pro filia deprecaretur. Tum ille aperire quidem minimè voluit, prospiciens verò desuper ait: O homo quid meum poscis auxilium: mortalis & ego sum, & tuæ socius fragilitatis: si autem credis in Christum, cui deseruio, vade, & secundùm fidem tuam ora Deum, & sanabitur filia tua. Confestim ille credens abiit, & inuocato Iesu, filiam reduxit incolumem. Multa & alia mirabilia per eum Dominus operatus est, & meritò: qui enim promisit in Euangelio: Petite, & dabitur vobis, inuento 15 qui eius gratiam mereretur accipere, suam potentiam non negauit. Nam plures vexatorum ante monasteriũ eius clauso introitu dormientes fidelibus per eum ad Christum precibus curabantur. Hæc illi multitudo venientium desideratam solitudinem auferens tædio fuit. Metuens itaque ne signorum copiosa concessio aut suos animos extolleret, aut alios plus de se, quàm videbant in ipso, cogeret æstimare, ad superiorem Thebaidẽ pergere cogitauit, vbi nullus eum agnosceret. Et à fratribus acceptis panibus, sedebat super fluminis ripam, transitum nauis obseruans. Illo talia cogitante, vox ad eum desuper facta est, dicens: Antoni, quò perges, & quare? At ille intrepidè, quasi consuetam vocem loquentis agnosceret, respondit: Quoniã non sinunt me quiescere populi, idcirco ad superiorem Thebaidem ire optimum duxi, præcipuè quia ea exigor, quæ virtutem meæ pusillanimitatis excedunt. Et vox ad illum ait: si ad Thebaidem vadas, & ad pastoralia (vt cogitas) pergas, maiorem ac duplicem sustinebis laborem. Si autem verè quiescere cupis, vade nunc ad interius desertum. Cumque Antonius diceret: Quis mihi locum auiũ poterit ostẽdere? Ignarus enim sum locorũ: confestim ei vox quæ loquebatur, Sarracenos indicauit, qui mercandi gratia ad Ægyptum venire consueuerant. His appropinquãs Antonius rogauit, vt & se pariter adducerent in desertum. Nullus obnixus est, sed tanquam à Deo missum comitem suscipientes, amplexi sunt eius societatẽ. Tribus autẽ diebus & noctibus itinere cõfecto inuenit montem valde excelsum, ad cuius radices fons aquæ dulcis labebatur, & campus haud magnus eorum ambiẽs montem, qui palmulis perpaucis, & his neglectis, consitus erat. Hunc Antonius locum, quasi à Deo sibi offerretur, amplexus est. Is enim erat quẽ sibi ad fluminis ripã sedenti, qui loquebatur, ostenderat. Et primo quidẽ accipiens à comitibus panes, solus remansit in monte, nullo alio cum eodẽ conuersante. Quasi propriã enim domũ agnoscens habebat locũ illum. Sarraceni quoque videntes eius fiduciã, optato per eum transitu panes eidem cum lætitia deferebant, nec non palmarũ, licet mediocri, attamen aliquanto solatio refouebatur. Exinde cùm fratres agnito loco, tanquam ad patrem filij, solicitè alimenta transmitterent, videns Antonius quòd ob suum refrigerium multis onerosus labor indiceretur, & pauens etiã in hoc monachis, rogauit vnum de aduenientibus, vt sarculum sibi bis acutum cum frumento deferret. Quibus allatis circuiens montẽ, haud grandẽ culturę aptum reperit locum, ad quem deriuata desuper aqua poterat influere, ibiq; seminauit, atque exinde annuum sibi panem laborans, gaudebat quod sine cuiusquam molestia ex proprijs manibus viueret in deserto. Sed cùm rursus etiam illuc quidã venire cœpissent, misertus est lassitudini eorum, & olus in paruo terræ cespite coluit, vt post asperum iter aliquando venientes solatio refouerentur. Hoc fratrum refrigerium, & paruulam messem bestiæ propter aquas illuc conuenientes depastæ sunt, è quibus vnam apprehendens dixit omnibus: Cur me læditis nihil à me læsæ? Abite in nomine Domini, ne huc appropinquetis vlterius. Quis non credat post hanc denunciationem quasi timentes nunquam illuc bestias appropinquasse? sic Antonio impenetrabilia montium & deserti interiora captanti, orationibus etiã dedito, introeũtes fratres magnis vix precibus extorserũt, vt oliuas, & legumẽ, 16 & oleũ, quod post mẽses aliquot ministrabãt, dignaretur accipere, & senili modicũ laxaret ætati. Proh quãtas ibi cõuersans expertus est luctas? verè secundũ quod scriptũ est, nõ illi aduersus carnẽ & sanguinẽ fuisse colluctationem, sed aduersus principatus, & potestates ab his qui ad eum ingrediebantur, agnouimus. Illic enim tumultus & voces populi, armatorumq; sonitus prorsus plenum montem

14 *Antonius se ieiuniis vigilijsq; conficiens intrinsecus cilicino extrinsecus verò pelliceo vsus est vestimento.*

15 *Qui dicunt hominẽ nihil mereri apud Deũ, cõsiderent quod hic dicit Athanasius, Inuẽto qui Dei gratiã mereretur accipere.*

16 *Nota pro delectu ciborum.*

montem dæmonum multitudine se vidisse referebant, ipsum etiam quasi contra inimicos palam resistentem, & fortiter colluctantē. Qui tamen & aduenientes suo refouebat hortatu, & flexis genubus, 17 armis quoque orationum omnem Satanæ prosternebat exercitum. Admiratione planè dignum est in tam immani solitudine vnum hominem nec dæmonum quotidianas expauisse congressiones, nec tantarum bestiarum quadrupedum, siue reptilium diuersæ cessisse feritati. Iustè Dauid cecinit: Qui confidunt in Domino, sicut mons Sion, non commouebitur in æternum. Immobilem & tranquillam retinens animi firmitatem, & dæmones fugabat, & feras (sicut scriptum est) secum pacificabat. Sed & diabolus, vt supradictus propheta ait, obseruans eum frendebat dentibus suis. Et ille Saluatoris auxilio ab vniuersis tutus perseuerabat insidiis: Quadam ergo nocte cùm peruigil Antonius obsecraret Dominum, tantos in monasterium eius bestiarum greges coaceruauit, vt omnes eremi beluas circum se aspiceret. Quæ cùm rictu oris morsum corpori minitarentur, intellexit hostis astutias, dixitque: Si à Domino in me vobis est tributa licentia, deuorate concessum: Si autem dæmonum huc venistis impulsu, quantotius abite, quia Christi famulus sum: ita factum est, & iubentis vocem omnis bestiarum multitudo, quasi maiestatis verbere cæderetur, aufugit posthæc. Fluxerant dies, & alia oritur cum eodem hoste certatio (nam semper vt venientibus pro his, quæ sibi detulerant, aliquod munusculum rependeret, laborabat) traxit quandam sportellā, quam texebat, tritiam, siue funiculum. Ad cuius motum exurgens vidit bestiam pube tenus humanam faciem præferentē, quæ exinde in asinam finiebatur. Post cuius aspectum vexillum crucis in fronte sua pingens, hoc tantum ait: Christi seruus sum, si ad me missa es, non fugio. Nullum in medio spatium, & statim informe prodigium dicto ocius cum satellitum turba fugit, & in medio cursu ruens extinctum est. Ista autem explosi mors atque enecati prodigij, dæmonum erat communis interitus, qui omni studio laborantes, Antonium à deserto deducere non valuerunt. Mirandis plus mirāda succedunt. Non grande post ista tempus excesserat, & tantarum victoriarū homo fratrum precibus vincitur. A monachis enim rogatus vt eos dignaretur inuisere, vnà cum his profectus est, impositis camelo aqua, & panibus, quia nusquam præter monasterij locum, ex quo hauserant, potabilis aqua per arentem viam reperiebatur. Verùm in medio itinere bibendi subsidia defecerunt. Ardor nimius, æstus intolerabilis, mortem cuncta minantur. Circumeunt, & quærunt saltem collectam pluuiis lacunam, nihil prorsus remedij, nihil occurrit penitus ad salutem. Camelus quasi periturus & ipse æstuans dimittitur, æstuantis pectus exuritur, & sitis desperatione feruescit. Mouit senē fratrum commune discrimē, & vehemētissime contristatus ingemuit. Dehinc ad solita precū auxilia confugiens, paululū ab eis secessit, ibiq; genubus 18 flexis supplices manus tetendit ad Dominū. Nec mora, & ad primas rogantis lachrymas in orationis loco fons ebulliens erupit, ibiq; extincta siti, & arentia membra refecta sunt, & plenis vtribus inuentum potant camelum. Ita enim casu euenerat, vt camelus errans per eremum, dum funiculum trahit, in quodam lapide, eiusdem funiculi alligatione teneretur. Tandem confecto itinere ad monachos, qui inuitauerant, peruenit. Tunc verò quasi Patri omnes obuiam occurrerunt, & honorifico salutatu in oscula eius, & amplexus certatim ruunt. Proposita feruenti gaudet Antonius, & lætantibus de aduentu suo cunctis, quasi xenia de mōte portans, spiritualia impartitur alimenta. Laudat veterū studia, hortatur nouorum. Sororem quoque iam vetulam virginem videns, & aliarum puellarum magistram, mira exultatione sustollitur. Exinde quasi diu abesset ab eremo, rursum festinauit ad montem. Plurimis iam ad illū veniētibus, cùm etiā vexati à dæmonibus, malo necessitatis coacti auderēt deserta penetrare, quos ille cōsolans, & monachis in cōmune præcipiēs, aiebat: Credite in Iesum, fideliter 19 mentē à malis cogitationibus, carnē ab immunditijs seruate purā, & iuxta eloquia diuina, ne seducamini in saturitatem ventris, odite vanā gloriam, orate sæpissimè, psallite vespere, mane, & meridie, & mandata scripturarum reuoluite. Recordamini gestorum, quæ sancti quique fecerunt, vt exempli memoria animam incitet ad virtutē, refrenet à vitijs. Suadebat etiam iugi meditatione retinendum Apostoli sermonē, quo ait: Sol non occidat super iracundiā vestram. Nō tantùm autē super iracundiam solē occidere non debere interpretabatur, sed & super omnia delicta hominū, ne peccatorum vnquam nostrorum aut in nocte luna, aut in die sol testes abscederent. Illius quoq; admonebat præcepti, quo memores esse dicit: Diiudicate vosmetipsos, & probate, & rationem diei noctisque facientes, si in se delictum deprehēdissent, peccare desisterent: Sin autem nullus error decepisset, perseuerantes instarent potius incœpto, quàm arrogantia tumidi, aut alios contemnerent, aut sibi iustitiam vendicarent, iuxta supradicti doctoris eloquium dicentis: Nolite iudicare ante tempus, magis debere eos Christo, cui soli occulta patent, reseruare iudicium. Multas esse (vt scriptum est) vias quæ videntur hominibus iustæ, sed fines earū ad profundum respicere inferni, sæpe nostra non posse nos intelligere peccata, sæpe falli in ratione gestorum:

17 Antonius flexis genubus orabat.

18 Vide solitum modum orandi in antiquis quoque fuisse patribus.

19 Considera hæc Antonij præcepta ad Monachos suos & videbis si Monachismus noster res sit nouitia, an antiquißima.

gestorum: aliud esse Dei cuncta cernentis iudicium, qui non ex superficie corporum, sed ex mentiũ indicat arcanis. Æquum autem esse nos nobis compati, & inuicẽ onera nostra portare, vt concesso examine Saluatori, proprias cõscientias nosmetipsos iudicãtes intueremur. Necnon dicebat magnam esse ad virtutem viam, si singuli vel obseruarent quid gererẽt, vel vniuersas mentium cogitationes fratribus referrent. Non enim posse aliquem peccare, cùm relaturus esset ad alium quæcunq; peccasset, & subire pudorem in publicũ turpia proferendi. Deniq; nullum peccantem coram alio audere peccare etiamsi peccet, tamen testem vitare peccati, mentiri magis & negare ei, & vetus delictũ nouo inficiandi augeri delicto. Igitur quasi sub oculis agebat nostris, & cogitatu confundimur & actu, si omnia referenda faciamus, multò autem magis si peccata nostra fideliter describentes, digeramus in ordinem. Tunc verò annotatio delictorum fratrum videbitur oculis. Tunc timebimus peccati maculas, conscientiæ sibi nos arguent apices, & quomodo meretricibus membra miscentes confunduntur ad præsentiam cæterorum, ita & nos erubescamus ad literarum scripturas. Hæc agamus, hanc virtutis gradiamur viam, & corpora mentibus subiugãtes, perniciosas diaboli conteramus insidias. Talibus sermonibus, hortamentisq; & venientes ad se monachos incitabat ad studium, & patientibus condolebat, pluresq; eorum Dominus per Antonium liberauit. Nunquam tamen aut de incolumitate curatorum est inflatus ad gloriã, aut contristatus de obsessis adhuc corporibus murmurauit. Magis autem eodem semper animo & vultu manens, gratias Deo referebat, suadens occupatis vt correptionem, qua vexabantur, patienter ferrent: Non enim Antonij aut cuiusquam hominum omnino hanc esse medicinam, sed Dei solius, qui consueuit & quibus vellet, & quo vellet tempore dare sanitatem. Ita consolatione sua, & vexatos æquanimiter ferre tentationem, & iam liberatos non sibi, sed Deo gratias referre docebat. Fronto autem quidam vir ex Palestinis, qui infestissimo dæmonio vexabatur (nam & linguam eius laniabat dentibus, & oculorum nitebatur lumen extinguere) perrexit ad montem, rogabatque beatum senem, vt pro se Dominum rogaret. Orauit Antonius, dixitque ad eum, vade & curaberis. Illo incredulo sibi, & violenter ibidem contra præceptum remoranti eadem geminabat Antonius, dicens: Hic curari non poteris: Egredere, & calcata Aegypto statim te misericordia Christi consequetur. Tandem credidit, & profectus est, ac visa Aegypto, secundùm promissionem senis, quam ei Dominus oranti reuelauerat, infestatio cessauit inimici. Virgo verò quædam, quæ à Tripolitanæ regionis ciuitate deuenerat, inauditis ac flebilibus doloribus laborabat. Etenim narium purgamenta, oculorum lachrymæ, aurium putridus humor in terram cadens confestim in vermes vertebantur. Augebat calamitatem corpus paralysi dissolutum, oculos quoque peruersos contra naturam habens. Hanc parentes eius deferentes, cùm ad Antoniũ monachos ire didicissent, credentes in Domino, qui pertinacem sanguinis fluxum in Euangelio tactu fimbriæ stare præceperat, rogauerunt vt miserabilem filiæ comitatum susciperent. Illis renitentibus eam vsque ad Antonium perducere, remansêre parentes eius foris cum filia debili apud beatum confessorem & monachum Paphnuciũ, qui effossis pro Christo oculis sub Maximiano persecutore, tali dehonestamento corporis plurimum gloriabatur. Peruenerunt igitur ad Antonium monachi: Cumq; de morbo puellæ referre disponerent, relationem eorum senis sermo præuenit, & omnem debilitatis & itineris vsque ad sanctum Paphnucium causam, quasi ipse interfuisset, exposuit. Rogantibus autem eum monachis, vt parentibus cum filia permitteretur ingressus, non cessit, sed ait: Ite, inuenietis puellam, si non est mortua, curatam: Et adiecit: Nullus debet ad meam humilitatem venire, quia largitio curationum non est humanæ miseriæ, sed Iesu Christi misericordiæ, qui vbique in se credentibus præstare consueuit auxilium. Quamobrem & illa, pro qua petitis, suis precibus liberata est, & cùm ad Dominum orarem ego, mihi præsentia sanitatis eius indulta est. Dixit, & verba eius puellæ incolumitas secuta est. Nam exeuntes foras ad beatum Paphnucium, & filiam sospitem, & parentes lætos reperêrunt. Non multos autem post illos dies cùm duobus fratribus euntibus ad Antonium aqua in itinere defecisset, & vno siti mortuo, alter iaceret in terra mortem expectans: Antonius sedens in monte, celeriter ad se duos monachos vocauit, qui fortè ibidem sunt reperti, & festinatò præcepit, vt lagenã aquæ assumentes, inuaderent iter quod ducit ad Aegyptum, dixitque: Vnus è fratribus huc aduenientibus modò migrauit ad Dominum: alter si non succurreritis, addetur: hoc enim mihi nunc oranti reuelatum est. Sic ait, & iuxta præceptum eius monachi festinantes, extinctum corpus inueniunt, terraque id operientes, alterum refocillatum suo iunxerunt comitatui, erat autem spatium itineris vnius diei. Fortasse aliquis quærat, cur non antequam moreretur, Antonius dixerit. Incongruo prorsus Christianis argumento vtitur, quia non Antonij, sed Dei iudicium fuit, qui & de recedente quam voluit sententiam tulit, & de sitiente reuelare dignatus est. Hoc tantùm in Antonio mirabile est, quòd in monte remotissimo sedens, corde peruigili cuncta procul posita Domino

indicante, cognosceret: Alio rursus in tempore cùm sederet in monte, & oculos tendisset in cœlum, vidit nescio quam animam, 20 lætantibus in eius occursum Angelis, ad cœlū pergere. Cuius spectaculi nouitate stupefactus, beatum dixit sanctorum chorum, orauitq; vt sibi præsentis agnitio panderetur. Et statim vox ad eum facta est inquiens, istam esse Ammonis monachi animā, qui Nitriæ morabatur. Erat autem Ammon vir grandæuus, qui perseueranter à pueritia vsq; ad senectutē in sanctitate vixerat. Itinere quoq; dierum tredecim spatio à Nitria, locus in quo sedebat Antonius, diuidebatur. Videntes autem eū monachi admirantē, qui venerant deprecati sunt, vt causam hilaritatis ediceret. Quibus ait: modò Ammonem quieuisse, quem propter frequentē eius ad Antoniū commeatum, & propter celebritatē indultorum ei à Domino signorum optimè nouerant: de quibus etiā hoc vnum dicendum est. Necesse ei fuit aliquādo flumen nomine Lycum subitis aquis inundatum transuadere, rogauitq; Theodorum, qui cum ipso erat, vt paululum à suo separaretur aspectu, ne nuditatē corporis inuicem vterq; conspicerent. Recessit Theodorus: nihilominus ille seipsum cùm nudare vellet, erubuit. Cogitantem autē eum in alteram ripam virtus diuina transposuit. Rursusq; Theodorus vir & ipse Deo deuotus, transiens ad senem, mirari cœpit quòd tam velociter fluuium transuadasset. Cumq; nihil humoris in pedibus, nihil in vestibus eius aquæ conspiceret, rogauit eū, vt tam incredibilem translationem quasi filio pater exponeret. Nolente illo dicere quæ acciderant, amplexus est pedes eius, iurauitq; non se dimissurū priusquā sibi id quod celabat, referret. Videns ergo senex contentiosè vincere volentem fratrem, exegit vicissim ab eo, vt nulli hoc ante suam mortem indicaret, atq; ita confessus est se subitò in alterā ripam fuisse transpositū, neq; omnino vndis impressisse vestigia, dominici corporis hoc tantummodo priuilegium asserens, & eorum quibus ipse, vt Apostolo Petro, donauerit, vt aquarum leuitate humanum corpus insisteret. Hæc autem Theodorus præmisso tēpore non dixit, post eius mortē retulit. Monachi verò, quibus dixerat Antonius de morte Ammonis, notauerunt diem, & venientibus de Nitria fratribus post dies triginta, sciscitantes repererūt illo die, illaq; hora dormisse Ammonē, qua animā eius ferri senex viderat. Vtriq; igitur puritatem mentis in Antonio mirati sunt, quomodo rei tam longè gestæ statim ad eum fuisset perlata cognitio. Archelaus quoq; comes cùm eum inuenisset in exteriori monte, rogauit vt oraret pro Policratia Publij filia, quæ in Laodicæa erat, admirabili & Christo dedita virgine. Patiebatur enim pessimos stomachi & lateris dolores, quos ieiuniis nimiis, vigiliisq; cōtraxerat, & erat penitus toto debilis corpore: orauitq; Antonius, & diem, quo oratio fuerat facta, annotauit Archelaus. Redit Laodicæam, & inuenit virginem incolumem. Percontatus diem sanitatis, reperit tempus medelæ cū annotatione congruere. Et omnes admirati sunt, agnoscentes eo tempore illam fuisse à doloribus liberatam à Domino, quo orans Antonius pro ipsa bonitatem Saluatoris inuocauerat. Sæpe etiam ad se venientium turbarū antè dies & menses, & causas prædixit & tempora. Nam quosdam videndi eum tantùm desiderium, alios imbecillitas, nonnullos obsessa à dæmonibus corpora pertrahebant: nemo tamen vnquam vexationem aut detrimentum laboris itineris conquestus est: regrediebantur omnes spiritali cibo pleni. At ille præcipiebat non suæ laudi hanc admirationem ab eis applicari debere, sed Domini, qui sui notionē hominibus pro capacitate mortalitatis indulserit. Quodam autem tempore cùm exiisset ad exteriora monasteria, & rogatus esset à fratribus vt in naui quadam cum monachis proficiscentibus oraret, ascendit, & solus ex omnibus odorem sensit teterrimum: asserebant cuncti piscium salsorum, & caricarum in naui positarum hunc esse putorem. At ille alterius rei se fœtorem sentire affirmauit. Adhuc loquente illo adolescens quidam possessus à dæmone, qui procedens iuxta carinam se nauis absconderat, repentè exclamauit. Quo statim per Antonium in nomine Domini nostri Iesu Christi curato, intellexēre vniuersi illū diaboli fuisse putorē. Alius quoq; ad eū vir inter suos nobilis dæmoniosus adducitur, tanta oppressus insania, vt non sciret se esse apud Antonium, necnon & corporis sui superflua comederet. Quamobrem rogatus senex ab his qui eum adduxerant, vt pro illo Dominum oraret, intantum iuuenis miseriæ condoluit, vt tota nocte peruigilans cum eo aduersus patientis insaniam laboraret. Sed cùm iam lucesceret, & obsessus impetu in Antonium facto, vehementer eum impulisset, irasci cœperunt qui eum adduxerant, cur leni fecisset iniuriam. Quibus Antonius ait: Nolite alienam culpam iuueni misero adscribere: furor ille obsidentis est, non obsessi. Idcirco autem in hanc prorupit dolens hostis audaciam, quia Dominus ad aridam regionem ire eum iussit, & expulsi satanæ indicium, iste aduersus me impetus fuit. Nulla post verba mora, adolescens recepto sensu, & gratias agens Deo, locum vbi esset agnouit, & toto Antonium complexans deosculatus est affectu. Innumera & alia istiusmodi signa sunt, quæ monachorum concordi sæpe relatione cognouimus. Verùm non tantum his adhibendus est stupor, quia multò plùs quæ sequuntur, conditionem nostræ fragilitatis excedunt. Hora circiter nona, cùm ante cibum 21 orare cœpisset, raptum

20 Anima quædā lætantibus Angelis, pergebat ad cœlum.

21 Ante cibum orabat Antonius.

raptum se sensit in spiritu,& ab Angelis in sublime deferri,prohibentibus transitũ aëris dæmonibus,cœperunt Angeli contradicentes requirere, quæ esset causa retinendi, nullis existentibus in Antonio criminibus.Illis verò ab exordio natiuitatis replicare peccata nitentibus,criminosa Angeli ora clauserunt,dicentes,non debere eos à natiuitate eius delicta narrare,quæ iam Christi essent bonitate sopita:si qua autem scirent ex eo tempore, quo factus esset monachus, 22 & Deo se cõsecrasset,licere proferri. Accusabant dæmones multa procaciter mentientes,& cùm deessent probamenta fallacibus,liber Antonio consensus aperitur.Et statim rediens in se eo loco,quo stare cœperat,hoc se rursum vidit esse,quod fuerat. Tunc verò oblitus escæ ex illa hora noctem gemitu ac lamentatione transegit,reputans se cum humanorũ hostium multitudinem,& colluctationẽ tanti exercitus, & laboriosum per aërem iter ad cœlum,& hoc Apostoli dictum,quo ait : Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem,sed aduersus principem potestatis huius aëris, qui sciens aëreas potestates ob id semper tentare,luctari,& contendere,ne nobis liber transitus esset ad cœlũ,hortabatur monẽs:Assumite arma Dei,vt possitis resistere in die mala,vt nihil mali habẽs,quod de vobis dicere possit inimicus,confundatur. Nos autem Apostolici sermonis recordemur dicẽtis: Siue in corpore,siue extra corpus,nescio,Deus scit. Et Paulus quidem vsq; ad tertium cœlum raptus est,ibiq; auditis verbis ineffabilibus descendit. Antonius autem vsq; ad aërem sublatus post colluctationem liber apparuit.Habebat etiam istiusmodi donum,si cuius rei sedens in monte ignarus fuisset,& eius secum inquireret notionem,oranti ei à Domino reuelabatur,& erat secũdùm quod scriptum est,à Deo doctus.Deniq; cùm à fratribus haberetur iste tractatus,& ab eo sedulò sciscitarentur, quemadmodum se post corporis sarcinam anima gereret,quive ei locus post exitum concederetur,proxima nocte vox desuper inclamitans nomen eius ait: Antoni,exurge,exi,& vide. Qui exurgens egressus est,sciebat enim quibus respondere deberet. Et eleuatis ad cœlum oculis vidit quendam longum atq; terribilem,caput vsq;ad nubes attollentem:vidit etiã pennatos quosdam volare cupientes ad cœlum,atq; illum extensis manibus prohibere transitum:è quibus alios apprehensos elidebat ad terram,alios frustrà retinere contendens,dolebat super se ad cœlestia transuolare, & maximum gaudium mixtum mœrore victi,victoresq; tribuebant .Statimq;ad eum vox facta est dicens: Animaduerte quod vides. Et tunc cœpit illuminato corde intelligere animarum esse conscensum,& diabolum prohibentem,qui & sibi retineret obnoxios, & sanctorum quos decipere non poterat,cruciaretur volatu. His visionum exẽplis incitatus quotidie ad meliora crescebat. Neq; verò id quod sibi reuelatum fuerat,causa iactantiæ fratribus indicabat,sed cum orans iugiter Dei laudaret auxilium,interrogantibus compellebatur edicere: nec spirituales filios pura in Christo anima occultare quicquam volebat, præsertim cùm huiusmodi signorum relatio,& amorẽ ministraret proposito,& fructum laboris ostenderet. Nunquam ille aut ira subita concitatus patientiam rupit, aut humilitatem erexit in gloriam:nam omnes clericos vsq; ad vltimum gradum ante se orare compellens,Episcopis quoq; atq; presbyteris,quasi humilitatis discipulus, ad benedicendum se 23 caput submittebat.Diaconos verò,qui ad eum vtilitatis causa veniebant,cum pro adiutorio eorũ eis præsentibus disputaret,ad orandum Dominum sibi proponebat,non erubescens & ipse discere. Nam & interrogabat eos frequenter cum quibus erat & si aliquid ab eis necessarium audierat,se fatebatur adiutum.Habebat autem & in vultu magnam gratiã,& admirabile à Saluatore etiam hoc munus acceperat.Si quis enim ignarus eius inter multitudinẽ monachorum eum videre desiderasset,nullo indicãte,cæteris prætermissis ad Antoniũ currebat,& animæ puritatem agnoscebat ex vultu,& per speculũ corporis gratiam sanctæ mentis intuebatur. Nam semper hilarem faciem gerens ,liquidò ostendebat, se de cœlestibus cogitare, sicut scriptura ait: Corde lætante vultus floret,sed in mœrore continuo tristatur.Ita & Iacob agnouit Laban socerum suum insidias sibi machinantẽ,dicens ad filias eius: Non est facies patris vestri sicut heri & nudiustertius. Sic Samuel agnouit Dauid: lætificatos enim habebat oculos,& dentes sicut lac candidos.Similiter agnoscebatur Antonius,quia semper eandem faciem inter prospera & aduersa retinens, nec secundis extollebatur, nec frangebatur aduersis.Erat enim & in vultu amabilis,& in fidei puritate mirabilis. Nunquam schismaticorum se miscuit communioni,antequam eorum sciens prauitatem atq; transgressionẽ:Nunquã Manichæis aut aliis hæreticis saltem amicabilia verba largitus est, nisi tantùm ea quæ eos possent ab iniquitatis errore reuocare,denuncians talium amicitias atque sermones perditionem esse animæ. Sic etiam Arrianos detestabatur, vt omnibus diceret, nec iuxta eos quidem esse accedendum.Nam cùm venissent quidam Arrianitæ, reperit post eorum examinationem infidelissimam sectam, 24 & fugauit eos de monte, dicens multò serpentibus deteriores horum esse sermones. Mentientibus autem Arrianis aliquando Antonium ita vt se credere, admiratus eorum audaciam, & iusti doloris ira commotus, rogatusque ab

22 *Vides hæretice,quod religionis assumptio præterita cũcta dimittit peccata, quod tu negare audes,& perperã quidem:et quod per monachatum quis se consecrat Deo.*

23 *Vt ab Episcopis & presbyteris benediceretur,caput submittebat.*

24 *Nota tu qui fidelis esse diceris, & tamen cõtinuè cũ hæreticis conuersaris.*

Episcopis,atq; vniuersis fratribus Alexandriam descendit,ibiq; Arrianitas publico sermone condemnauit,vltimam hanc esse hæresim,& præcursorem Antichristi affirmans, prædicauítq; in populo filium Dei non facturã,non ex vllis extantibus,sed proprium,& vnius cum patre substantiæ: ne creatura potius aut adoptio, aut appellatio videretur, impium esse dicens vel mente concipere,erat quando non erat, cùm verbum Dei Deus,qui est, semper patri sit coæternus,quia ex eo natus est patre,qui semper est. Vnde aiebat: Cum Arrianis vobis nulla sit coniunctio. Quæ enim societas luci ad tenebras? Vos fideliter credentes Christiani estis:illi verbum,id est,filiũ,qui ex Deo patre est,creaturã docentes,nullo interuallo à Gentibus separantur,qui seruiunt creaturæ potius quàm creatori, qui est benedictus in secula. Ipsa (mihi credite) irascuntur elemẽta,& omnis contra Arrianum furorem,secundùm Apostoli dictũ,ingemiscit creatura, quòd sibi Dominum suum,per quem omnia, & in quo omnia facta sunt, videat coæquari, aliâs aggregari. Hæc tanti viri prædicatio exprimi non potest,quantum ad fidem populos roborauerit. Lætabantur quippe hostilem & Christo inimicam hæresim anathematizari ab Ecclesiæ columna. Nulla tunc ætas,nullus sexus domi remansit. Taceo de Christianis. Pagani quoq;,& ipsi idolorum sacerdotes ad Dominicum imperium conuolabant,dicentes: Precamur vt videamus hominem Dei, quia hoc apud vniuersos conspicuum erat nomen Antonij. Ambiebant quoq; saltem fimbriã vestimenti eius attingere,multum sibi & tactum prodesse credentes. Quot tunc diabolica obsidione,& variis infirmitatibus liberati: quot simulachris erepta sunt spolia: quanti etiam ab errore gentilium retracti,nostro iuncti sunt gregi? Tanti certè, vt paucorum dierum spatio ex idolorum superstitione conuersio omnem per annum credentium vinceret turbam. Præterea cùm irruentem multitudinem comites repellerent, æstimantes illi tædio conuentum populum fore,in trãquillo animo dicebat: Nunquid hic cœtus dæmonum maior est turbis? Nunquid obsequentium multitudo colluctatorum in monte nostrorum cateruis est numerosior? Accidit etiam vt cùm eum redeuntem circa portam prosequeremur, à tergo quædam mulier clamitaret,dicẽs: Expecta homo Dei,filia mea atrocissimo vexatur dæmonio,expecta,obsecro,expecta,ne & ego corruens intereã. Hoc audito mirabilis senex à nobis admonitus,volens tamen & ipse paululum substitit. Cumq; appropinquante muliere puella iaceret explosa,orauit tacitus Dominum Iesum, & ad comminationem eius statim spiritus impurus egressus est. Puella incolumis,populus in laudibus Dei, mater in gaudio fuit. Ipse autem lætabatur,quia ad desideratam solitudinem repedabat. Erat autẽ valde sapiens:& hoc in se mirabile habebat,quia cùm literas non didicisset, ingeniosissimus & prudentissimus, immobilis & mansuetus erat. Aliquando etenim philosophi duo gentiles venerunt ad eum putantes Antonium se posse decipere: erat verò in superiori monte. Quos cùm vidisset,paganos intellexit ex vultu,& procedens ad eos per interpretem,ita cœpit loqui: Quare tam longè ad stultum hominem sapientes se vexare voluerunt? Illis dicentibus non esse illum stultũ,sed & nimium sapientem,vigilanter respondit: Si ad stultũ venistis, superfluus est labor vester: si autem putatis me sapientem esse,& sapientiam habere, bonum est, imitamini quod probatis,quia bona cõuenit imitari. Si ego ad vos venissem,vos imitarer: sed quia vos ad me,quasi ad sapientẽ venistis, estote sicut ego sum, Christiani. Abscesserunt Philosophi vtrumq; mirantes,& acumen ingenij,& dæmonũ expulsiones. Alios quoq; similiter mundi sapientes,qui eum irridere cupiebant,quia literas ignoraret,tali disputatione colligauit, dicens: Respondete mihi,quid prius,sensus an literæ?& quid cuius exordium? sensus ex literis,an literæ oriuntur ex sensu? Illis asserentibus quòd sensus esset autor,atq; inuentor literarum,ait: Igitur cui sensus incolumis est,hic literas non requirit. Quis præsentiũ post hanc colluctationẽ non exclamauerit,cùm obstupuerint & ipsi victi sunt,tantã in imperito literarum sagacitatem animi admirantes? Neq; enim vt in solitudine & montibus versatus,atq; omnẽ ibidem exigens vitam,agrestis & rudis erat,sed iucundus atq; affabilis sermonem secundùm Apostoli præceptum diuino conditum sale proferebat,ita vt inuidia careret,& amore omniũ potiretur. Inter hæc,quasi parum esset bis gentilitatem fuisse superatam,& tertiò venerunt viri ad eum omnis secularis prudentiæ nube cœcati, atq; vniuersis philosophiæ studiis artium suarum æstimatione doctissimi. Hi cùm rationẽ ab eo exigerent fidei, quam in Christo habemus,& niterentur arguta sophismatum interrogatione de diuina cruce eum illudere,in silentium paululum voce compressa,primùm eorum miseratus errorem est, deinde per interpretem, qui eius verba diligentissimè in Græcum solebat exprimere sermonem,ita exorsus est,dicens: Quid pulchrius est,quidve honestius,crucẽ colere, an adulteria, parricidium vel incestum his assignare quos colitis: cùm in altero sit contemptus mortis, insigne virtutum: in altero turpis religio, obscœnitatis magistra? Quid melius est dicere, quòd Dei verbum manens,vt erat, ob salutem nostram humanum corpus assumpserit,vt societate mortalitatis nos eueheret ad cœlum, participesque naturæ cœlestis efficeret: an vt

ipsi as-

ipsi asseritis, diuinæ mentis haustũ ad terrena veneranda caput submittere, & pecudum, atque serpentũ formis cœleste nomen includere? Quo ore Christianorum crudelitatem audetis irridere, dicentium Christum filium Dei sine sui detrimento & cœpisse esse quod non erat, & mansisse quod fuerat: cùm ipsi animam de cœlestibus detrahentes, non tantùm hominũ, sed & pecudum soleatis sepelire corporibus? Christiana credulitas pro salute mundi Deũ suum venisse testatur: vos verò innatam animam prædicantes, vltrò citroq; transfertis. Christiana fides, quæ omnipotentiam Dei, clementiamq; veneratur, consequenter incarnationẽ dicit Deo fuisse possibilem, ita tamen vt non euacuauerit dignatio dignitatem: vos qui animã ex splendidissimo Dei fonte manantem turpiter decidisse iactatis, qui mutabilem & conuertibilem eam post sui diminutionem audetis asserere, iam illam quoq; naturam dominam seculorum per animæ contumelias impia lingua temeratis: imago enim, quæ secundũ nos naturalem similitudinem sui retinet autoris, cui vna est ex quo defluit, eademq; substantia, humilitates proprias, & iniurias consequenter ad suam originem remittit. Igitur animaduertite contumelias animarum ad patrem (vt appellatis) earum per vestram blasphemiã redundare. Crux Christi Domini Dei nostri hic nobis ingeritur. Rogo quæ hæc est religionis obscœnitas? nónne potius est crucẽ attollere, aut alicuius generis mortẽ ab iniquis hominibus illam patienter sustinere, quàm Isidis plangere post Osirim vagos incertosq; discursus? Pudeat vos, quæso, insidiarũ Typhonis, pudeat Saturni fugæ, & deuorationis crudelissimæ liberorum: Erubescite parricidium Iouis, & incœstum: Erubescite raptum eius, & coitum mulierum atq; puerorum. Ille, sicut vestri fingunt poëtæ, ad explendum immanissimè libidinis furorem, molles dedit in amore vagitus, ille in Dianæ fluxit sinus, ipse amator & precium, ille modulatus ales Lædæos petiuit amplexus, ille in proprium sæuiens sexum, regiũ puerum ministris auibus polluit. Hæc vos creditis, hæc colitis, hæc sunt vestrorum ornamenta templorum. Æquo, deprecor pro vestra salute, nostra dicta pensate iudicio. Cuncta, an nihil, libris credenda sunt Christianis? Si nihil, nec crucis quoq;, cui detrahitis, nomen agnoscitis. Si vniuersa credenda sunt, cur, cùm in iisdem libris cruci resurrectio copuletur, passionẽ diuinam stolido laceratis eloquio, & non statim iungitis cœcorum visum, surdorum auditum, claudorum gressum, lepræ emundationem, seruiens ambulanti Deo suo mare, dęmonum fugas, resurrectionem mortuorum, & defunctorum ab inferis reditus? Hæc omnia scripturis diuinis, quas interpellatis, inserta sunt, & iisdem voluminibus continentur præconia maiestatis & mortis. Quamobrem odio quo imbuti estis, abiecto, inuenietis illico, & Deum verum esse Iesum, & qui salutis humanę gratia fragilem assumpsit naturam. Vestram tamen nobis, si non pudet, narrate religionem. Sed quas error infelix poteris referre culturas de tanta rerum fœditate atque væcordia? nisi fortè (vt audio) fabulas asseratis deorum vestrorum & obscœnitates, & crudelitates & vanitates, & mortes, tegentes eas allegoricis velaminibus. Liberum raptum, terram proserpinæ, semiclaudum Vulcanum, & debilem ignem, Iunonem aërem, Apollinem solem, Dianam lunam, Neptunum maria, libidinum principem Iouẽ ætherem interpretantes. Nec post hanc excusationis procacitatem Deum, sed creaturas, contempto creatore, suscipitis. Quòd si pulchritudo vos elementorum ad suam traxit venerationem, modum fas erat custodire, & oportebat mirari tantũ nec colere, ne facturæ veneratio creatoris esset iniuria. Nam secundùm istiusmodi, quam vos sequimini, ratio est præpostera atq; peruersa, & architecti honor migrauit ad domum, & medici scientia, ad remedia confertur, omnium quoq; artificum merita vel laudes, ad opera transferentur. Quid ad hæc dicitis, vt cognoscamus quæ sit Crucis ridiculæ vobis ignominiosa confessio? Hac disputatione conuertentibus inter se philosophis oculos, simulque mussitantibus, subridens Antonius, rursum per interpretem ait: Prædurum namq; cuncto videtur operi, quoties iusto vniuersæ rei tenore calcato, laboris merita factis magis quàm factoris adstruũtur. Elemẽta quidem, vt memoraui, ex ipso conspectu suam comprobant seruitutem. Sed quoniam vos obseruatione dialectica necessaria, vt putatis, quæq; colligitis, hoc quoque artificio etiam nos nostram religionem compellitis affirmare: Respõdete mihi: Cognitio Dei quemadmodum manifestius approbatur, per lectionem verborum, an per operationẽ fidei? Et quid antiquius est, operatio fidei, an disputatio per argumenta procedens? Illis respondentibus firmiorem sermonibus operationem esse, hanc & liquidam de Deo cognitionem: bene eos & ipse dixisse consensit, quia operationem, quæ ex fide descendit, animi generat affectus: dialecticam verò ex artificio componentium sumpsisse oppositionis exordia. Cùm ergo, ait, operationem fidei animo sitam quis habuerit, superflua erit verborum compositio, per quam conceptam sensu nostro crudelitatem tentatis euellere, & tamen sæpe nostras explicare intelligentias non valetis. Ita solidiora sunt mentis opera, quàm sophismatum fraudulenta conclusio. Nos Christiani mysterium vitæ nostræ non in sapientia mundi habemus repositum, sed in virtute fidei, quæ nobis à Deo tributa per Christum est. Hanc orationis meæ veritatem

quotidie quæ geruntur, ordo commendat, nobis imperitis, & literarum vestrarum ignaris ad dignationē eius solùm verba sufficiunt. Ecce nos tot gentilitatis gregibus abstracti, in vniuersum orbem quotidie propagamur: vobis verò post aduentū Domini nodosæ sophismatis defecerunt versutiæ. Ecce nos simplicē Christi fidem docti idololatriā debellauimus, & per prædicationem ignominiosæ crucis aurata templa ceciderunt. Vos si potestis, ostendite qua cōtexione verborum gentilitatem Christo præponere suaseritis. Per omnes iam terras Deus Dei filius Christus est agnitus, nihil eloquentia sophismatum, nihil disputatio philosophiæ multitudini potest obesse credentium. Crucifixum nominamus, & vniuersi dæmones, quos vos vt deos colitis, rugiunt, atq; ex obsessis corporibus ad primum dominicæ crucis signum fugantur. Vbi sunt illa fabulosa oracula? Vbi Aegyptiorū incantationes? Quo magorum profecêre carmina? Certè nunc vastata sunt omnia, cùm de sua cruce mūdo Christus intonuit. Nihilominus vos prætermissis debilitatorum cateruis, gloriosam Iesu mortem irridere conamini. Illud autē quale est, quod nunquā in festinatione regali concussa gentilitas, imò seculo chara, & hominum præsidiis fulta iam corruit? Nos famuli Christi, quò plus premimur, eò magis assurgimus & floremus. Vestra simulachra ornatis quondam septa parietibus, iam vetustate collapsa sunt: Christi verò doctrina, quæ vobis stultitia videtur & ludus, licet tyrannica persequentium principum tentamenta pertulerit, licet variis sit incursata terroribus, nullo tamen terrarum orbe concluditur, nullo gentium barbararū fine prohibetur. Quando tot simul in se conuenêre virtutes? continentia in matrimonio, virginitas in Ecclesia, floret martyrum pro Domino suo gloriosa constantia, quorū omnium crux Christi principium est. Cùm interim vos inter tantos virtutum choros syllogismorum retia tenditis, & veram rerum lucem tenebrosis conamini argumentationibus obuoluere. Ecce nos, vt dixit doctor noster, non in gentili persuasione, sed in fide apertissima suademus, quæ verborum affirmationem præuenire consueuit. Adsunt quippe patientes à dæmonibus vexati: quos cùm in mediū produxisset, verba repetiuit, dicens: Nunc vos collectionibus vestris, & quo vultis malefico carmine deos vestros, quos putatis, expellite: sin autē non potestis, victas submittite manus, & ad Christi trophæa confugite, & statim crucifixi crudelitatem maiestatis potentia prosequetur. Dixit: & inuocato nomine Iesu, cùm vitale signum in sacro numero Trinitatis pressisset in frontibus, vnà cum expulsis dæmonibus vana præsentiū philosophorum confutata sapientia est. Expauerunt enim stupentes hominem, cui post tantum ingeniū affluerat signorum diuina largitio. At ille vniuersa Christo, qui curauerat, adscribens, vsus est affatu reciproco, & ait: Nolite me putare his sanitatem dedisse, Christus per seruos suos facit ista miracula. Credite & vos, & videbitis quia deuota Deo fides, nō eloquētiæ vanus tumor talia signa mereatur: confugite ad Crucifixi legē, nosq; eius imitamini famulos, & hoc scientiæ sitis cōtenti, nulla deinceps secularis imprudētiæ argumēta quæratis. Hactenus Antonio dicente, miro philosophi stupore perculsi, cū honorifico salutatu ab eo recedētes, multum eius sibi fatebātur profuisse conspectū. Hoc in eo viro mirabile est, vt hominē in extremo mundi limite conditū, & fauor principū, & omnis celebraret aula regalis. Nam & Constantinus Augustus, & eius liberi Constans atque Constantius talia cognoscentes, crebrò ad eū, quasi ad patrē, missis literis obsecrabāt, vt reciprocis eos scriptis hilararet. At ille eiusmodi manens, qualis & antequā literæ ad eum venirent fuerat, nec salutatione principū mouebatur, & tanquā non acceptis literis conuocatis monachis, aiebat: Reges seculi ad nos miserunt epistolas: quæ hic Christianis adhibenda miratio est? Licet enim diuersa sit dignitas, attamen eadem nascendi moriendiq; conditio est. Illa sunt omni veneratione percolenda, illa toto animi affectu retinēda sunt, quòd hominibus Deus legē scripserit, quòd per filium suum propriis Ecclesias ditauerit eloquiis. Quæ monachis est ratio cū epistolis Regū? Cur accipiam literas, quibus consueta nesciam reddere salutationis obsequia? Igitur rogatus ab vniuersis fratribus, vt Christianos Reges suis literis refrigeraret, ne scilicet per silentiū eius exasperarentur, ad susceptas epistolas conuenientia rescripsit. Laudauit primū quòd Christum colerent, deinde salutaria persuasit, ne magnā putarent regiam potestatem, ne præsentis carnis imperio tumentes se homines esse nescirent, & iudicandos à Christo obliuiscerentur. Ad postremum clementiæ circa subiectos, & iustitiæ, curæ quoque inopum admonuit, atq; vnum sempiternū esse regem omniū seculorum Iesum Christum, epistolis testatus est. His Principes susceptis vehemētissimè lætabantur. Sancta quoq; apud cunctos Antonij flagrabat opinio, ita vt eius se filios cuperent nominari. Magna etenim cum aduenientibus affabilitas omnium in se studiū conuerterat. Postquam ergo gentiles confutati, reges admoniti, fratres ab eo sunt consolatione releuati, ad interiorem montem, & ad rigorem solitū regressus est: ibiq; sæpe cum introeuntibus deābulans, ac residens stupebat, sicuti in Daniele scriptū est: & interiectis horarū spatiis, consequentia respondebat, vt intelligeretur aliqua reuelationis vidisse secreta. Nā in mōte positus ea quæ in Ægypto lōgè gerebātur, præuidēs, Episco-

Episcopo Serapioni ibi constituto narrauit. Lamentabilis sequitur visio, & omni lachrymarum fonte plangenda. Cùm enim fratribus circa se sedentibus operaretur, intentè fixit oculos in cœlum gemens atque suspirans: & post aliquantum spatiũ reuelationis inceptæ nimio dolore contremuit, & statim fixis genubus 25 ante Dei vultum prouolutus orauit, vt clemẽtia sua futurum scelus auerteret. Succedunt orationi lachrymæ, metus ingens inuadit præsentes, obsecrant vt tantæ calamitatis exponeret visionem. Singultus occupant vocẽ, lingua fletibus præpeditur, & in medio conatu sermo gemitu interrumpitur. Vix tamẽ cũ vociferatione fluctuosa ait: Melius erat ô filioli, impẽdens piaculum cita morte lucrari. Sic incipiẽs, rursum lachrymis vincitur, & inter ægra suspiria tandẽ pectori commodans vocem: Magnũ inquit, quoddam, & vniuersis seculis inauditũ imminet nephas. Magno fides Catholica turbine subuertetur, & homines iumentis similes Christi sancta diripient. Vidi enim altare Domini mulorũ circumdatum multitudine, qui crebris calcium ictibus omnia dissipabant. Hæc est causa gemituum meorum, quos audistis. Et facta est vox Domini dicens: Abominabitur altare meum, nec mora, visionem sequitur effectus. Nam post annos duos sæuè Arrianorum irrupit insania. Tunc Ecclesiarum fuerunt rapinæ, 26 tunc diuinorum temeratio vasorum, tunc pollutis Ethnicorũ manibus sacra polluta sunt ministeria, tunc paganorum opificum præsidia aduersus Christum comparata cum assumptione palmarũ, quod idololatriæ apud Alexandriam insigne est, ad Ecclesiam pergere compellebantur Christiani, vt Arrianorum populi crederentur. Proh scelus, horret animus replicare quæ gesta sunt. Virginũ, matronarumq́; ereptus pudor sanguinis ouium Christi in Christi templo effusus veneranda respersit altaria: Baptisterium pro voluntate gentiliũ pollutum est. Nihil defuit, visionis veritatem monstrauit effectus, quod calcitrantium mulorum indisciplinatio, Arrianorum esset impietas. Sed istam tristitiam consequentis reuelationis prosperitate consolatus est, & ait: Nolite, filioli, mœrori vos penitus dare: vt enim iratus est Dominus, sic rursum miserebitur, & suũ citò ecclesia recuperabit ornatũ, eosq́; qui in persecutionibus fidẽ Domini seruauerint, solito videbitis fulgore relucẽtes. Reuertẽtur ad foueas suas serpentes, & religio lõgius propagabitur: tantùm videte, ne fidei vestrę synceritas Arriana labe sordescat. Non Apostolorũ, sed dæmonum, & patris eorum diaboli ista doctrina est, ob id per insipientiam iumẽtorum similis pecudum, eorum expressus est animus. Hucusque Antonius. Sed nos minimè conuenit diffidere tam grande miraculum per hominem potuisse ostendi. Saluatoris enim promissio est ita dicentis: Si habueritis fidem vt granum sinapis, dicetis huic monti, transfer te, & transferetur, & nihil impossibile erit vobis. Et iterum: Amen amen dico vobis, omne quod petieritis patrem in nomine meo, dabit vobis: Petite, & accipietis. Ipse enim suis discipulis, & vniuerso credentium gregi nunc subiectionem dæmoniorum, nec variarum infirmitatum pollicens curationem, aiebat: Gratis accepistis, gratis date. Nunquid suæ virtutis imperio curabat Antonius? nũquid suæ possibilitatis arbitrabatur esse quod fecerat? orationibus, non præceptis dæmones morbique cesserunt, & ad Christi Dei nostri nominationem semper vniuersa perfecta sunt. Nemo sapientum sanitatum admirationem adscribat Antonio, sed Domino Iesu, qui solitam erga creaturas suas exhibens beneuolentiam, nunc quoque per electum famulum suum indulgenter exercuit. Antonius tantùm orabat, 27 & ob vitæ eius merita, cuncta Dominus largiebatur. Sæpe autem & contra voluntatem ad exteriorem montem à fratribus perducebatur. Et cùm iudices, qui ad interius archisterium propter asperitatem itineris, & obsequentium multitudinem, & horridam solitudinẽ ire non poterant, precario quæsierunt, vt eius fruerentur aspectibus, vt impetrare possent, quia molestissimè ferebant vexationem discursuum, ipsos catenatos, quos aut noxietas, aut vigor publicus constrinxerat, ad eum destinabant, scientes, tales ab Antonio non posse contemni: quorum fletibus superatus pertrahebatur ad exteriorem montem, agnoscens laborem suum vtilem miseris fore, suadebatque iudicibus qui eum inuitauerant, vt in sententia proferẽda & odio, & gratiæ Dei timorem anteponerent, nec ignorare eos debere quod scriptum est: Quocunque iudicio iudicaueritis, in eo iudicabitur de vobis: attamen inter medios sermones charæ sibi solitudinis recordabatur. Post coactam itaque præsentiam, quam ducis preces, & quod verius est, miserorum fletus extorserat: post salutaria monita, post reorum commendationem, quorundã etiã absolutionem postulanti duci, vt paulo largius eidẽ suam præsentiam indulgeret, ait: non posse se diutius ibidẽ morari, grato vsus exẽplo, quòd sicuti pisces ab aqua extracti mox in arenti terra morerentur, ita & monachos cum secularibus retardantes, humanis statim resolui confabulationibus. Ob id ergo, inquit, conuenit, vt pisces ad mare, ita nos ad montem festinemus, ne tardantibus nobis aliqua propositi succedat obliuio. Pro tanta hominis sapientia dux miratus iustam de eo tulit veramq́; sententiã, dicens: Verè istum esse famulũ Dei agnosco, nec in rustico homine potuisse tantã aliquando inesse sapientiam, nisi diuino amore regeretur. Præterea cùm Balatius, qui sub Nestorio

25 *Fixis genubus ante Dei vultum prouolutus orauit.*

26 *Est ne quid simile factũ in Germania ab hæreticis hoc infelici tẽpore?*

27 *Antonius tantum orabat, & ob vitæ eius merita, cuncta Dominus largiebatur. Ergo iusti merita habẽt apud Deum.*

præfecto Alexandriæ Dux Ægypti fuit, homo Arrianæ iniquitatis studiosissimus fautor, ita
Christi Ecclesiam persequeretur, vt animo vesano virgines, monachósque nudatos verbera-
ret in publico, ad eum Antonius literas misit, quarum ista sententia est: Video iram Dei ve-
nientem super te: desine persequi Christianos, ne te ira occupet, quæ proximum iã tibi mi-
natur interitum. Legit infelix epistolam, & irrisit, atque in eam expuens proiecit in terram
portitores quoque multis afficiens iniurijs, Antonio talia renunciari præcepit: Quoniã cura
tibi tantopere monachorum est, etiam ad te mei vigoris transibit disciplina. Sed confestim
minitatorem oppressit supplicium, & post quinque dies effrenatum vltio diuina cõpescuit.
Egreditur enim ad primam mansionem Alexandriæ, quæ appellatur Chæreum, cum supra-
dicto Ægypti præfecto Nestorio, vehuntur equis, quos inter omnes Balatius, cuius erant,
mansuetissimos nutrierat. Cùm ergo pariter solito sibimet equi alluderent, mitior, quo
Nestoris vehebatur, morsu repentino Balatium decussit in terram, ac sic in eum inhians
femora eius lacerauit, atque corrosit, vt statim relatus ad ciuitatem post tertium diem mo-
reretur, vniuersique agnoscerent minarum ab Antonio prædictarũ effectum quantotius cõ-
secutum digno persecutoris fine completo. Cęteros ad se venientes mira cum modestia An-
tonius admonebat, vt oblita seculi dignitate, remotioris vitæ beatitudinem appeterent. Si
qui autem maiori potestate premebantur, nec poterant obtinere iustitiam, ita eos obnixè
defendebat, vt ipse pro illis pati videretur iniuriam. Multis vtilis fuit præclari senis oratio,
multi magnis diuitiis, & altiori militiæ gradu derelicto, eius adhæsére curriculis. Et vt in-
finita breui sermone comprehendam, bonum AEgypto medium Christus indulserat. Quis
non tristitiam apud Antonium mutauit in gaudium? Quis nõ iram vertit in pacem? Quis or-
bitatis luctum non ad eius temperauit aspectum? Quis non merore paupertatis, quo preme-
batur, abiecto statim & diuitum despexit opulentias; & in sua lætatus est paupertate? Quis
post lassitudinem monachus non eius iuuatus est hortatu? Quis adolescentiæ ætatis accẽsus
ardoribus, non ex eius admonitu pudicitiæ amator fuit? Quis vexatus à diabolo sine medela
rediit? Quis inimici cogitationibus distractus, cœca tempestate sopita, sereno non regres-
sus est animo? Sciebat enim quo quisque laboraret incommodo: & ex vitæ meritis dis-
cretionem spirituum agnoscens, adhibebat morborum, prout erant vulnera, sanitatem.
Vnde effectũ est, vt post eius doctrinam omnes diaboli panderentur insidiæ. Multæ quoque
28 desponsatæ puellæ ad eius conspectum ab ipso penè thalamo recedentes, in Ecclesiæ ma-
tris gremio consederunt. Quid plura? Totius orbis homines ad eum confluebant, & vniuer-
sarum gentium varietas bellicosissimum contra dæmones virũ conspicere gestiebant. Nul-
lus se frustra illuc venire conquestus est, omnibus delectabile, atque iucundum laboris com-
mercium fuit. Fatigatio enim itineris emolumentum viatici reportabat, sicut rei probauit
effectus. Nam post resolutionem eius, quasi communi vulnere orbitatis excepto, pro-
prium singuli parentem luxerunt. Quis autem finis vitæ huius fuerit, dignum est & me com-
memorare, & vos cum desiderio audire, quia & hoc imitabile in eo cunctis fuit. Iuxta con-
suetudinem ad visendos fratres, qui in exteriori monte erant, venit, ibique à diuina proui-
dentia de sua morte condiscens, ita exorsus est. Vltimam, filioli, patris audite sententiam:
non enim arbitror quòd in hoc seculo iterũ vos visuri simus. Cogit conditio naturæ, vt post
centenarium numerum, quem annis quinque supergredior, iam resoluar. Ita locutus 29 au-
dientium pectora contristauit, gemitus, lachrymæque dicta mœrentia consecutæ sunt. Am-
plexabantur eum vniuersi, quasi iam de seculo recessurum. At ille tanquam aliena deserens,
ad propriam patriam profecturus, magna cum lætitia præcipiebat, desidiam instituto non
debere subrepere, sed tanquam quotidie morituros, vt ante prædixerat, à sordidis cogitatio-
nibus animã custodire, & omnem æmulationẽ ad sanctos quosque cõuertere, ad Meletianos
verò schismaticósq; ne propè quidem accedere. Scitis enim, aiebat, eorum antiquã peruer-
sitatem: neque cum Arrianis cõmunione iungamini, quia impietas eorũ iam omnibus ma-
nifesta est. His etiam illud addebat, nullum debere Christianũ, cùm seculi viderit potestates
pro Arrianorũ & Meletianorũ pugnare nequitia, à Christi territũ discedere veritate: morta-
lium illã esse defensionẽ, nec diu fallacem permanere posse phantasiam. Quapropter aiebat:
Custodienda est pia fides in Christo, & patrum religiosa traditio, quam ex scripturarum le-
ctione, & crebro meę paruitatis didicistis admonitu. Finito sermone, fratres eũ vehemẽtissi-
mè retardabant, glorioso patris cupientes termino decorari. Sed multas ob causas, quas & si-
lẽtio demonstrabat, pręcipuè tamen ob præsumptã AEgypti consuetudinẽ cõtradixit. Mos
etenim AEgyptiis est, nobiliũ & præcipuè beatorũ martyrũ corpora linteamine quidẽ ob-
uoluere, & studium funeri solitũ non negare: terra verò nõ abscõdere, sed super lectulos do-
mi posita reseruare. Hunc honorẽ quiescentibus reddi, inueteratæ cõsuetudinis vanitas tra-
didit. De hoc Antonius sæpe & Episcopos deprecatus est, vt populos Ecclesiastica consue-
tudine corrigerent, & laicos viros, ac mulieres rigidius ipse conuenit, dicens: Nec licitũ hoc
esse,

28 Antonius abstrahebat puellas desponsatas à nuptijs ad virginitatem. Nostri autem hæretici virgines Deo dicatas à monasterijs ad nuptias reuocant.

29 Prima pars vltimorum verborũ Antonij ad monachos suos fuit, ne commiscerẽtur hæreticis, sed ad sanctos cõuerterẽt omnẽ suam æmulationẽ Secunda, vt custodirent piã fidẽ in Christo, & patrũ religiosam traditionem. Et tamẽ hæretici nostri temporis audent dicere eam nõ esse seruandã, quia puræ doctrinæ & mãdata hominũ, quæ Christus damnat. Quasi Dominus Iesus Christus de sanctis traditionibus loquatur, & non his quæ Dei man-

esse, nec Deo placitum, quippe cùm patriarcharum, & prophetarum sepulchra, quæ ad nos vsque perdurant, hæc facta conuincerent. Dominici quoque corporis exemplum oportere intueri iubebat, quod in sepulchro positum lapide vsque ad resurrectionis diem tertium clausum fuerit. Atque his modis vitium circa defunctos AEgypti, 30 etiam si sancta essent corpora, coarguebat, dicens: Quid maius, aut sanctius corpore potest esse Dominico, quod iuxta consuetudinem gentium cæterarum humo conditum esse scimus? Hæc iusta persuasio multorum insitum euellit errorem, & repositis in terra cadaueribus Domino gratias pro bono magisterio retulerunt. Metuens ergo consuetudinem supradictam, ne eodem etiam circa se laberentur errore, celeriter valedicens monachis qui confluxerant, ad amicum virtutis habitaculum repedauit. Post menses autem paucos, cùm non mediocre incõmodum senilia membra turbasset, vocatis ad se duobus fratribus, quos ibidem ante quindecim annos modico interuallo seiunctos instituerat, quique etiam ei iam seni cœperant ministrare, ait: Ego quidem, filioli, secundùm eloquia scripturarum, Patrũ gradior viam: iam enim Dominus me inuitat, iam cupio videre cœlestia: sed vos, ô viscera mea, admoneo ne tanti temporis laborẽ repentè perdatis. Hodie vos religiosum studiũ arripuisse arbitramini, & cœptæ voluntatis fortitudo succrescet. Varias dæmonum nostis insidias, vidistis eorum & impetus feroces, & vires effœminatas: Iesum suspirate, & credulitatem nominis eius vestris figite mentibus, & à certa fide vniuersi dæmones fugabuntur. Mementote etiam admonitionum mearum, & incertæ conditionis vitam quotidie ancipitẽ pertractate, & cœleste vobis præmium sine cunctamine tribuetur. Schismaticorum 31 quoque, & hæreticorum venena vitate, meumque circa eos odium sectamini, quia Christi sunt inimici. Scitis ipsi quòd nullus mihi nec pacificus quidem sermo cum eis aliquando fuerit propter prauam eorum voluntatem, & pertinax contra Christum bellum. In hòc autem magis estote soliciti, vt Domini præcepta seruetis, & post mortem vestram sancti 32 quique, quasi amicos & notos in æterna vos recipiant tabernacula. Hæc cogitate, hæc sapite, hæc retexite: & si qua mei vobis cura, si qua Patris memoria est, si mihi vicarium rependatis affectum, nullus ad Ægyptum meas perferat reliquias, ne vano corpore honore seruetur, ne vituperari ritus à me, vt nostis, etiam circa me seruentur obsequia, huius enim rei gratia maximè huc sum regressus. Vos igitur humo tegite, vos patris operite corpusculum, & illud quoque senis vestri custodite mãdatum, vt nemo præter vestram dilectionem locum tumuli mei nouerit. Confido in Domino, quia necessario resurrectionis tempore hoc corpusculum resurget incorruptum. Vestimentorum autem meorum sit ista diuisio: Melotem, 33 & pallium tritum cui superiaceo, Athanasio Episcopo date, quod mihi nouum ipse detulerat Seraphion Episcopus aliam accipiat melotem: vos cilicinum habetote vestimentum, & valete, viscera mea: Antonius enim migrat, & iam non erit in præsenti seculo vobiscum. Verba finierat, & osculantibus se discipulis, extendens paululum pedes, mortem lætus aspexit, ita vt ex hilaritate vultus eius Angelorum sanctorum qui ad perferendam animam eius descẽderant, præsentia nosceretur. Hos intuens, tanquã amicus videret, animam exhalauit, & additus est patribus, secundùm ordinem scripturarum, seruauerunt mandata discipuli, inuolutum, vt præceperat, corpus humo operientes: & nemo interim vsque ad hanc diem, præter eos, vbi sit conditum nouit. Legatarius autem Antonij benedicti, qui tritũ palliũ cum melote imperio eius meruerat accipere, Antonium in Antonii muneribus amplectitur, & tanquam magna hæreditate ditatus læ tanter vestimentum recordatur imaginem sanctitatis. Hic Antonio vitæ terminus fuit, ista principia meritorum, quæ licet parciori, vt prædixi, sermone narrauerim, tamen ex his potestis aduertere, qualiter homo Dei à pueritia ad senectam vsq; peruenerit, & quòd omni semper dubitatione calcata, nec languore quicquã ætati aliquãdo concesserit. Magis autem æqualitatem propositi tenens, nec vestimentũ mutauit, nec pedes lauit, nec escam sectatus est molliorem: oculorum quoq; aciem, & numerum dentium, licet paululum ob ætatem viderentur attriti, necnon & pedum incessum, totius etiam corporis firmitatem, ita & contraiura naturę meritorũ gratia custodiuit, vt lauatorum corporũ, quæ balneis atq; delitiis confouentur, hilarior eius caro videretur. Hoc etiã fratres, quod per omnes prouincias amor eius, famaque volitauit, quem nec librorum disseminatorũ oratio luculenta, nec mundanæ sapientię disputatio, nec nobilitas generis, nec opũ infinita congestio cõmendauit, cui omnium ore est adscribendum, nisi Christo, cuius hoc donũ est? qui deuotos eius animos erga suam præuidens maiestatem, hominem alio penè orbe celatum, & inter tantas positũ solitudines, Africæ, Hispaniæ, Galliæ, Italiæ, Illyrico, ipsi etiam, quæ vrbium caput est, Romæ, vt in exordio promiserat, demõstrauit. Creatoris est ista benignitas, qui famulos suos, licet nolentes, nobilitare cõsueuit, vt virtus possibiliter, nec vltra humanã esse naturam sanctorũ doceatur exẽplis, & ad beatæ vitæ imitationẽ ex fructu laboris optimus quisq; impellatur. Hunc itaque fratribus librum magnopere perlegere curate, vt agnita fideli

...datis aduersantur, cuiusmodi illa erãt de quibus tũc verba faciebat, quando humanas traditiones damnabat.

30 Antonius docuit defunctos Aegypti terra condi, etiam si sanctorũ essent corpora.

31 Cauenda communio cum hæreticis.

32 Vt sancti post mortem in æterna vos recipiant tabernacula.

33 Ecce qualis Antonij vestitus.

fideli vita sublimium monachorum, sciant quòd saluator noster Iesus Christus glorificantes se glorificat,& seruientibus sibimet non tantùm regna cœlorum,sed etiam hic in ipsis montium secretis latêre cupientibus, famæ tribuit nobilitatem, scilicet vt & ipsi fruantur laude meritorum, & cæteri eorum prouocentur exemplis. Si autem necessarius fuerit,& gentibus legite,vt vel sic agnoscant, quia Dominus noster Iesus Christus non solùm est Deus Dei filius, sed etiam his, qui eum solicitè colunt,& in eum fideliter credunt,hanc dedit potestatem, vt dæmones, quos illi deos esse arbitrantur, conculcent,atque eijciant, deceptores scilicet hominum,& totius corruptionis artifices.

Habetur lib 1. Historię Tripartitæ cap. 11.

ITEM VITA D. ANTONII, PAVLI, SIMPLICIS, Amos Ægyptij, Theodori, & Eutychiani monachorum,discipulorum eius, per Cassiodorum Senatorem scripta.

SOzomenus. Per Niceni tempora Consilij præcipuè insignissimam Ecclesiam demonstrauerunt,& dogma dilatauerunt, vitæ virtutibus, qui conuersatione monachica illo tempore fruebantur. Vtilissima namque res [1] ad homines venit adeo ista philosophia, quæ multarum doctrinarum & dialecticæ artis studia despicit, tanquam sit minuta, & melioris operis tempus impediat, atque ad rectè viuendum nihil ostendat. Hæc ergo philosophia conuersatione miranda, naturali simplicique prudentia docet omnino quæ nequitiam perimant, [2] & operentur vtilia. Non enim prædicat virtutem, sed magis exercet, nihili pendens humanam gloriam, viriliterque resistens passionibus animæ, & neque naturæ necessitatibus se subdit,nec corporis infirmitati succumbit. Diuinæ virtutis mentem habens, semper contemplatur omnium creatorem, & eum nocte dieque colens, orationibus & letaniis placat indubitanter. Animæ verò puritate, & bonorum actuum conuersatione ad ministeria se diuina componens, purgationes, aspersionesque contemnens,solas verò pollutiones peccata putans extrinsecus irruentes casus exuperat, & omnium absolutè huiusmodi dominatur. Non per stabilitatem, necessitatemque vitæ qualibet voluntate mutatur: non mala patiens vlciscitur, non languore aut indigentia necessariorum compressa mordetur, sed potius gloriatur in talibus patientiam, mansuetudinem, mediocritatem, in omni vita meditatur,& quantum naturæ humanæ possibile est, Deo esse vicinum: veluti in transitu vtens præsentibus,neque circa possessionem rerum occupata constringitur,neque vltra quàm opus est in præsenti prouidere forsan vrgetur.Semper autẽ simplicitatem & exercitium huius institutionis laudans,beatitudinem contemplatur æternam, & ad fœlicem terminum omni viuacitate festinat. Timore diuino sine intermissione suspirans, turpiloquia respuens, & nec vsque ad vocem emittere patiens, quorum actiones suis actibus noscitur exoluere. In breui comprehendens necessaria naturæ,& cogens corpus mediocribus indigere,castitati luxuriam subdit: iustitia punit iniustitiam,& veritate mendaciũ. Disciplina rerum omnium mensuras participatur: cum proximis in vnanimitate & communione consistit: amicorum prouida est atq; peregrinorum: quæ propria sunt,cõmunia facit egentium,& tuetur vtilia singulorum: neque gaudẽtibus importuna,& tribulatis remedium consolationis apponens. Ad verum bonum diligentiam suam semper extendens, sermonibus castis,sapientibusque consilijs, ornatu ac vano eloquio remotis, erudiens, atque curans veluti quibusdam medicaminibus audientes, cum honore & reuerentia dispositiones suas celebrans contentione, certaminibus,iraque priuata. Nam cum sit rationalis, omnem motum irrationalem fugit, generaliter passiones corporis deuincit & animæ. Huius itaque elegantissimæ philosophiæ princeps quidem fuit, sicuti quidam dicunt, Helias propheta, & Baptista Ioannes. Philo autem Pythagoricus suis temporibus refert vndique egregios Hebræorum in quodam prædio circa stagnum Mariam in colle posito philosophatos,habitaculum verò eorum & cibos conuersationem talem introducit,qualem & nos nunc apud Ægyptiorum monachos esse conspicimus.Scribit enim inchoantes eos ad philosophiam, [3] cedere omnibus sibi competentibus rebus,cunctisque abrenunciare permixtionibus,& extra muros in solitariis agris & hortis inhabitare. Domos autem eis esse sacraria, quæ apud nos monasteria nuncupantur: & in eis conuersatione solitaria honesta celebrare mysteria, diligenterque psalmis & hymnis placare diuinitatem: & ante solis occasum non gustare cibum, alios autem per tres dies & amplius: cæterisque diebus in pauimento habere cubilia, vino semper & sanguinem habentibus abstinere, cibum eorum esse panis & salis, & hyssopi, & potum aquæ: Mulieres eis cohabitare, seniores virgines propter amorem philosophiæ spontanea voluntate nuptiis abstinentes. Et Philo quidem hoc modo referens, videtur aperire, quia hi qui ex Hebræis secũdum eum Christiani sunt facti, adhuc Iudaicè

1. Monachatus res vtilißima, philosophia à Deo ad homines descendens qui vitæ virtutibus Christianũ dogma dilatauit, & Ecclesiam Dei maximè insignẽ reddidit. Hæc nocent hæretici nostri.

2. Hic vos appello quotquot religioni & institutis monasticis bellum perpetuum indixistis, pro maiori parte fere huius sanctæ disciplinæ deseriores, & qui inter cætera iactatis, obseruationes monasticas non esse opera consiliorum, & arctißimũ genus Monachorum ponere religionis fastigium in cæremoniis exterioribus, in Iudaicis superstitionibus, in hypocrisi & falsis opinionibus. Videte quomodo omnes vestræ blasphemiæ hoc in loco detegantur & confundantur, cum tam sancta, tam syncera, tam demum Christiana hæc professio esse ostendatur.

3. Vides hic voluntariam Monachorum paupertatem cælibatũ perpetuũ, miram abstinentiã cum ciborũ delectu, secessionem & frequẽtes orationes: Quicquid garriãt Apostatæ nostri.

daicè viuerent, eorumq́; constitutiones seruarent. Apud alios enim non inuenitur huius vitæ conuersatio. Vnde conijcio ex illo apud Ægyptios hanc philosophiā habuisse principia. Alij verò dicunt huic causam fuisse conuersationi persequutiones, quæ religionis causa per tempora prouenerunt. Et quoniam fugientes in montibus & vallibus desertisq́; morabantur ad modum se vitæ huius assueuerunt. Sed siue Ægyptij, siue alij quidam huic ab initio philosophiæ præfuerunt, illud tamen apud omnes constat, quia ad summā reuerentiam atque perfectionem, moribus exercitationibusque decentibus, hanc conuersationem vsque perduxit Antonius maximus monachorum, quem tunc in desertis Ægypti morantē propter gloriā virtutis eius, Imperator Cōstantinus amicum fecerat, literis honorabat, & vt pro quibus vellet ei rescriberet, expetebat. Fuit autem iste vir Aegyptius genere, ortus insigni vico in loco Heracliæ apud Aegyptios constituto. Is puer relictus orphanus paternos donauit agros conuicanijs suis: aliam verò substantiam disponens, pretium pauperibus erogauit, studiosi existimans philosophi, non solùm semetipsum spoliare pecuniis, sed eas dispensare proficuè. Iunctus autem studiosis secundùm se viris, virtutes zelabatur vniuersorum, probans bonam vitam suauē fieri ipsa consuetudine, licet fuerit primò difficilis. Modos adinueniebat abstinētiæ potioris, & quotidiè exercitatione crescebat. Tanquam semper incipiens aliquid innouabat, afflictionibus corporis puniendo libidinem, sacræ verò sapientiæ voluntate passionibus animæ repugnandæ. 4 Erat enim eius esca solus panis & sal, potus aqua, prandijque tēpus, solis occasus. Frequenter enim duos & amplius dies sine cibo manebat. Vigilabat (vt ita dicatur) semper quidem iugi nocte, & orationibus contingebat quidem diem. Si verò somnus incumberet, stando paululum dormiebat, plerumque pauimento iacens, solumq́; terram stratum refectionis habens: olei siquidem vnctionem, lauacrorum aquæ similium vsum modis omnibus euitabat, quia humectatione sua in molliciem robur corporis immutarent. Aiunt enim neque nudum eum aliquando visum. Literas verò neque sciebat, neque mirabatur, sed potius mentem bonam tanquam antiquiorem literis, quarum tamen inuentorem iure laudabat. Fuit autem præcipuè clementissimus, castus, fortis, gratus colloquentibus sine vlla tristitia. Et licet qui cum illo disputarent, certatiuè quæstiones inferrent, tamen more solito sapienter & disciplinabiliter crescentem sedabat sæpe contentionem, & ad mensuram debitam protinus transferebat: Loquentiumque sibi strepitum temperabat, eorumque mores veluti quadam regula componebat. Tantis itaque virtutibus diuinæ prouidētiæ redundans, se futura præscire non æstimabat esse virtutem, & propterea nec laborandum inaniter circa talia suadebat, quando nec ignorantem futura pœnæ succumbere, nec scientem propterea sanctum esse declarabat. Veram namque beatitudinem in cultura Dei & legum eius obseruatione dicebat. Si cui autem hæc esset cura, docebat vt purgaret animam quò posset inspicere, & futurorum notitiam possidere, Deo videlicet præscientiam declarante. Vacare autem nec ipse patiebatur, & bene victurum semper operari præcipiebat, ac semetipsum discutere, & secum ponere rationem eorum quæ gessit die noctuque: si quid autem indecens ageret, conscriberet, vt de cætero parceret in delicto, semetipsum scilicet erubescens, si plurima sui delicta comperisset, simul etiam metuens, ne per conscriptionis iudicium fieret aliis manifestus. Erat enim laboriosus, & maximè pro solatijs oppressorum. Quis etenim alter sic feruentissimè fuit studiosus, quorum gratia sæpe veniebat ad ciuitates? Plurimi namque vi compellente cogebant eum legatione fungi apud iudices & magistratus, quorum singuli vel videre eum iudicabant nimis egregium: Loquentem audire, & præcipienti parēre gloriosum. Qui cùm talis esset, studebat tamen ignorari & latēre per eremum. Si verò necessitate faciente venisset in ciuitatem, disposito negotio pro quo venerat, ad desertum continuò reuertebatur. Pisces namque dicebat per humectam nutriri substantiam, monachis autem ornatum ferre solitariam vitam. Et sicut illi terræ actu tabefiunt, sic gloria monachorum ad vrbes accedendo fœdatur. Obedientem verò se gratumque conspicientibus exhibebat. Studebatque vt neque haberet tumentem superbamque naturam, nec putaretur eiusmodi. Sed hæc quidem pauca virtutum Antonij dicere sum compulsus, vt tanti viri per hæc exempla consideremus philosophiam. Plurimos autem atque probatissimos habuit auditores, quorum alii quidem in AEgypto & Lybia, alii verò in Palestina & Syria & Arabia claruerunt: & vnusquisque eorū non minus se quàm doctor, apud quos & commoratus, exercuit, multosque docuit, & ad similem virtutem, philosophiamque perduxit: ita vt quorundam hic labor esset circuire per ciuitates & prouincias, vel per agros, & diligenter Antonij discipulos eorumque requirere successores. Sed quomodo poterant inuenire facilè, quibus erat studium diligentissimum sua vita latēre, & non sicut plurimi nunc hominum elati per gloriam, semetipsos expompāt, & cunctis insinuant? Fuerunt itaque probatissimi discipuli quos percepimus Antonij: alij quidē multi, necnon & Paulus appellatione Simplex. Hunc aiunt cùm rusticus esset, bona specie coniugē habuisse,

4 Heus tu qui blateras cæremonias omnes, quæ in victu vestituque & alijs obseruantijs monachorū exhibentur, nenias esse res ridiculas & recenter confictas. Quid ad hæc dicis pauper homo, cum tantus vir Antonius eas omnes apprehenderit, & ad summam perfectionē prouexerit. Et tu audes dicere, arctissimum genus monachorū ponere religionis fastigium in cæremoniis, in prodigioso vestitu, in certo psalmorum numero, aut labore corporali. O impudentissimum mendacium.

habuiſſe, & ea in ipſo facinore adulterij deprehenſa, tacitè ſubriſiſſe, & iureiurando firmaſſe nunquam ſe cum ea eſſe miſcendum. Tum ad adulterum: Habe, inquit, eam: Et repente diſceſſit ad eremum ad Antonium. Dicunt enim eum manſuetiſſimum & patientem valde fuiſſe. Deinde cùm iam ſenex eſſet ad vitam monachicæ perdurationis inſuetus, omnibus eum Antonius experimentis exercens, in nullo inuenit inferiorem, perfectæque eum philoſophiæ eſſe teſtatus, ſeorſum præcepit habitare, tanquam non egentem doctore. Confirmabat autem Deus Antonij teſtimonium: & operibus oſtendebat virum eſſe glorioſum, ipſoque doctore ſuperiorem, atque ad affligendos & expellendos dæmones præparatum. Circa hoc itaque tempus philoſophatur & Amos Ægyptius, de quo ſermo fertur, quia cogentibus parentibus duxiſſet vxorem, nec tamen eam fuiſſet expertus. 6 In principio namque nuptiarum ſponſam tanquam ſponſus in thalamo percipiens, & ſolus cum ea remanens, ait: Nuptiæ quidem (ô mulier) noſtræ vſque ad hoc celebratæ ſunt tempus. Et quale bonum ſit poſſe virginem permanere, ex ſacris edocebat literis, ac ſeorſum ſolus manere tentabat. Sed quoniam de virginitate quidem ſermones virgo laudauerat, diuidi autem ab eo graue iudicabat, in alio cubiculo dormiens, annis decem & octo cum ea manſit, neque tunc à monachica abſtinentia ſe ſuſpendens. Interea mulier viri zelata virtutem æſtimauit non eſſe iuſtum tantum virum domi cælari propter ſe, ſed oportere potius ſeorſum vtrumque philoſophari, & ob hoc ſupplicauit viro. At ille gratias agens Deo pro eiuſmodi cogitatione mulieris: Tu quidem, inquit, hanc habe domum, ego mihi aliam fabricabo. Et in meridianam partem deſerti ſtagni Mariæ veniens, circa locum Scyti, ad montem qui dicitur Nitriæ, duobus & viginti annis ibi philoſophatus eſt, annis ſingulis viſitans ſecundò mulierem. Huius itaque ſacratiſſimi principis horum monaſteriorum, multi fuerunt dignique diſcipuli, ſicut ſucceſſiones oſtendunt: plurimaque & veneranda per eum prouenerunt, quæ præcipuè apud Ægyptios monachos perfecteque ſeruantur. Nam cum maxima diligentia per ſucceſſionem traditionis alterutræ curant virtutes antiquorum memoria tradere monachorum: ſed à me illi memorandi ſunt, qui ad nos vſque peruenerunt.

6. At quidam hoc tēpore peruerſiſſimè docent, malum eſſe virginē permanere, cum Deus dixerit: Non eſt bonum hominē eſſe ſolū, quaſi id dixerit de virginibus, & non de primo homine, ex quo debebat fieri ſpeciei prorogatio in futuras generationes.

Contigit igitur huic viro & Theodoro eius diſcipulo, euntibus aliquod tranſire flumen quod dicunt Lycum. Ne verò alteruter ſe nudũ videret, iuſſit Amos vt recederet Theodorus. Cumque etiam ſemetipſum erubeſceret nudum intuens, repente diuina virtute trāſlatus eſt ad vlteriorem ripam. Tranſiens verò Theodorus aquam, & videns nec veſtem eius nec pedes infuſos, ſupplicabat ſeni vt ei cauſam rei depromeret. Cumque ille dicere refutaret, ille verò non aliter ſe properaturum niſi cognoſceret, promittente Theodoro nulli ſe eo viuo rem fore dicturum, confeſſus eſt quod euenit: Proximum verò miraculum huic quoque rei contigit, quod narrabo. Iniuſti parentes alicuius à cane rabido percuſſum filium & penè moriturũ obtulerunt ei, & eiulanter deprecabantur vt curaretur. Tum ille ad eos: Non eget, inquit, mea curatione, ſed vos ſi vultis reddere bouem quem rapuiſtis dominis ſuis, ægrotus repentè ſanabitur, quod etiam contigit. Nam vt reſtitutus eſt bos, paſſio mox receſſit à puero. Quando autem Amos iſte moriebatur, dicitur Antonium vidiſſe animam eius in cœlum ferri, diuinis poteſtatibus cum pſalmodia præcedentibus eam: conſulentibuſque eis qui circa eum erant cauſam huius miraculi, non abſcondit. Sciebant enim quoniam aërem intento obtutu reſpiciens, cum ſtupore miraculi cuiuſpiam reſpiceret viſionem. Cumque venientes poſtea quidam de Scyti nunciaſſent horam viſionis Antonii, & conueniſſet cum tranſitu illius viri, beatificauerunt ambos: illum quidem, quia ad manifeſta bona tranſiſſet: illum verò, quia tantá à longè meruiſſet cernere viſionem. Multorum enim dierum iter eſt locorum medio poſitorũ, quo degebat alteruter. Et hæc quidem ita relata ſunt, in hoc itaque præſulatu audiui probatiſſimè philoſophatum Eutychianum, qui in Bithynia circa Olympum morabatur. Erat quippe gratia diuina repletus, ad curationes paſſionum, & miracula rerum & operum, ita vt ipſi Cōſtantino propter virtutem vitæ amicus eſſet. Illo quidem tempore vinctus quidã Spatarius, qui in ſuſpicionem venerat quaſi aſſumpta tyrannide fugit, & requiſitus circa Olympum cōprehenſus eſt. Rogantibus autem neceſſariis eius Eutychianum, vt pro eo ad principem legatione fungeretur: Prius, inquit, prouidendum eſt, vt is homo liberetur à vinculis, ne crudeliter conſtrictus intereat. Tunc dicitur ad vinculorũ direxiſſe cuſtodes, rogans vt eum ab huiuſmodi neceſſitate releuarent. Qui cùm hoc facere noluiſſent, ſponte ianuæ clauſæ reſeratæ, & vincti catenæ ſunt repente diſruptæ. Poſtea verò ad principem veniens Byſantij tunc agentem, paratiſſimè beneficium promeruit quod popoſcit. Non enim poterat Conſtantinus eius petitionibus denegare, cùm ei ſummi honoris cumulum exhiberet. Hæc itaq; breuiter à nobis dicta de monachis, qui tunc clarè ſunt philoſophati, ſufficiant. Cui verò de his ſubtilior cura fuerit, quærens inueniet plurimorum vitas hîc non eſſe conſcriptas.

VITA

VITA BEATI ANTONII SVMMATIM DELIBATA, & de conuersione duorum iuuenum ad lectionem vitæ eius, per diuum Augustinum Hipponensem Episcopum.

Qvodam die, non recolo causam qua erat absens Nebridius, cùm ecce ad nos domum venit, & ad me, & Alipium Potitianus quidam ciuis noster inquantum Afer, præclarè in palatio militans, nescio quid à nobis volebat. Et concedimus vt colloqueremur, & fortè supra mensam lusoriam, quæ ante nos erat, attendit codicem, tulit, aperuit, inuenit Apostolum Paulum, inopinatè sanè: putauerat enim aliquid de libris, quorum professio me conterebat. Tum verò arridens, meque intuens, gratulatoriè miratus est, quòd eas & solas præ oculis meis literas repentè comperisset. Christianus quippe & fidelis erat, & 1 sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in Ecclesia crebris & diuturnis orationibus. Cui ego cùm indicassem illis me scripturis curam maximam impendere, ortus est sermo ipso narrante de Antonio Aegyptio monacho, cuius nomen excellenter clarebat apud seruos tuos, nos autem vsque in illam horam latebat. Quod ille vbi comperit, immoratus est in eo sermone, insinuans tantum virum ignorantibus, & admirans eandem nostram ignorantiam. Stupebamus autem audientes tam recenti memoria, & prope nostris temporibus, testatissima mirabilia tua in fide recta, & catholica Ecclesia. Omnes mirabamur & nos, quia tam magna erant: & ille, quia inaudita nobis erant. Inde sermo eius deuolutus est ad monasteriorum greges, & mores suaueolentiæ tuæ, & vbera deserta eremi, quorum nos nihil sciebamus. Et erat monasterium Mediolani plenum bonis fratribus extra vrbis mœnia sub Ambrosio nutritore, & non noueramus. Pertendebat ille, & loquebatur adhuc, & nos intenti tacebamus. Vnde incidit vt diceret, nescio quando se & tres alios contubernales suos nimirum apud Treueros, cùm Imperator pomeridiano Circensium spectaculo teneretur, exisse deambulatum in hortos muris contiguos, atque illic vt fortè combinati spatiabantur, vnum secum seorsum, & alios duos itidem seorsum, pariterque digressos, sed illos vagabundos irruisse in quandam casam, vbi habitabant quidem serui tui spiritu pauperes, qualium est regnum cœlorum, & inuenisse ibi codicem in quo scripta erat vita Antonij. Quam legere cœpit vnus eorum, & mirari, & accendi, & inter legendum meditari arripere talem vitam, & relicta militia seculari seruire tibi. Erat autem ex eis quos dicunt agentes in rebus.

Habetur lib. 8. c. 6. Confessionũ eiusdem.

1 Sæpe tibi Deo nostro prosternebatur in Ecclesia crebris et diuturnis orationibus. Vides orationem cum genuflexione seu prostratione & in Ecclesia?

Tunc subitò repletus amore sancto & sobrio pudore, iratus ita sibi coniecit oculos in amicum, & ait illi: Dic quæso te, omnibus istis laboribus nostris quò ambimus peruenire? Quid quærimus? Cuius rei causa militamus? Maiórne esse poterit spes nostra in palatio, quàm vt amici Imperatoris simus? Et ibi quid non fragile, plenumque periculis? Et per quot pericula peruenitur ad grandius periculum? Et quamdiu istud erit? Amicus autem Dei, si voluero, ecce nunc fio. Dixit hoc, & turbidus parturitione nouæ vitæ, reddit oculos paginis, & legebat, & mutabatur intus vbi tu videbas, & exuebatur mundo mens eius, vt mox apparuit. Namque dum legit, & voluit fluctus cordis sui, infremuit aliquando, & discreuit, decreuitque meliora. Iam iamque tuus (ait amico suo) Ego iam abrupi me ab illa spe nostra, & Deo seruire statui, & hoc ex hora hac, in hoc loco aggredior. Tu si piget imitari, noli aduersari. Respondit illi adhærere se socio tantæ mercedis tantæque militiæ. Et ambo iam tui ædificabant turrim sumptu idoneo relinquendi omnia, & sequendi te. Tum Potitianus, & qui cum eo, per alias horti partes deambulabant, quærentes eos, deuenerunt in eundem locum, & inuenientes, admonuerunt vt redirent, quoniam declinasset dies. At illi narrato placito & proposito suo, quoque modo in eis taliter voluntas orta esset atque firmata, petiuerunt ne sibi molesti essent, si adiungi recusarent. Isti autem nihilo mutati à pristinis, fleuerunt, se tamen vt dicebat, atque illis piè congratulati sunt, & commendauerunt se orationibus eorum, & trahentes cor in terra abierunt in palatium, illi autem affigentes cor cœlo, manserunt in casa. Et 2 ambo habebant sponsas. Quæ posteaquam hoc audierunt, dicauerunt etiam ipsæ virginitatem tibi. Narrabat hæc Potitianus.

2 Ecce verum quod semper in Ecclesia seruatũ est, nẽpe matrimonio per copulam non cõsummato, licere vni ex spõsis religionem ingredi sine alterius consensu.

VITA SANCTI SYLVESTRI PAPAE, PER Damaſum Papam ſcripta.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

Pro baptiſmo Cõſtantini vide particularẽ notulam in fine huius vitæ.

SYlueſter natione Romanus, ex Patre Rufino, ſedit annis vigintitribus, menſibus decem, diebus vndecim. Fuit autem temporibus Conſtãtini & Voluſiani, ex die Kalendarum Februarij vſq; in diem Kalendarũ Ianuarij Cõſtantino & Voluſiano Conſulibus. Hic in exilio fuit in monte Soracte, & poſtmodũ rediens cum gloria, baptizauit Conſtantinum Auguſtum, quẽ curauit Dominus à lepra, cuius perſecutionẽ primò fugiens, in exilio fuiſſe cognoſcitur. Hic fecit in vrbe Roma 1 Eccleſiã in prædio cuiuſdã presbyteri ſui, qui cognominabatur Equitius, iuxta termas Traianas, quẽ titulũ Romanum cõſtituit, & vſq; in hodiernum diem appellatur titulus Equitij: vbi & hæc dona contulit. Patinam argenteam pẽſantem libras viginti ex dono Auguſti Conſtantini. Donauit autẽ & ſcyphos argenteos ij. qui penſauerunt ſinguli libras denas. Calicẽ aureum penſantẽ libras duas. Calices miniſteriales quinque, penſantes ſinguli binas libras. Amas argenteas duas. penſantes ſingulæ libras denas. Patinam argenteam chriſmalem auro cluſam, penſantem libras v. Pharos coronatos x. pẽſantes ſinguli libras octonas. Pharos æreos viginti, penſantes ſinguli libras denas. Cantharos ceroſtrotos duodecim æreos, penſantes ſinguli libras triginta. Fundum Valerianum in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſolidos octoginta. Fundum Stationũ in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſolidos quinquaginta quinque. Fundum ad duas caſas in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſolidos quadraginta. Fundum Percilianum in territorio Sabinenſi, qui præſtat ſolidos viginti. Fundum Corbianum in territorio Sorano, qui præſtat ſolidos ſexaginta. Domum cum balneo in vrbe in Sicumini regione, quæ præſtat ſolidos octuagintaquinque. Ortum intra vrbem Romam, in regione ad duos amãtes, præſtantem ſolidos quindecim. Domum in regione Orphea intra vrbem, quæ præſtat ſolidos quinquaginta octo & tremiſſem. Hic fecit conſtitutum etiam de 2 omni Eccleſia. Huius temporibus factum eſt Concilium cum eius conſenſu 3 in Nicea Bithyniæ. Et congregati ſunt trecentum decem & octo Epiſcopi catholici, qui expoſuerunt fidem integram, ſanctã, catholicam, & immaculatam. Et damnauerunt Arriũ, Photinũ, & Sabellium, & ſequaces eorum. Et in vrbe Roma congregauit ipſe cũ conſilio Auguſti Epiſcopos ducentos ſeptuaginta ſeptem, & dãnauit iterũ & Calixtũ, & Arrium, & Photinum, & Sabelliũ. Et conſtituit vt presbyter Arrianũ reſipiſcentem non ſuſciperet, niſi Epiſcopus loci deſignaret eũ. Conſtituit & chriſma ab Epiſcopo confici. Et priuilegium Epiſcopis contulit, vt baptizatum conſignent propter hæreticã ſuaſionem. Hic & hoc conſtituit, vt baptizatũ liniat presbyter chriſmate leuatum de aqua, propter occaſionẽ tranſitus mortis. Hic quoq; conſtituit, vt nullus laicus crimen clero audeat inferre. Et hoc conſtituit, vt Diaconi dalmaticis in Eccleſia vterentur, & palla linoſtima leua eorum tegeretur. Idemq; conſtituit vt nullus clericus propter quamlibet cauſam in curia introiret, nec ante Iudicem cinctum cauſam diceret, niſi in Eccleſia. Sed & 5 conſtituit, vt ſacrificium altaris non in ſerico, neq; in panno tincto conſecraretur, niſi tantum in lineo ex terra procreato, ſicut corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti in ſindone linea & munda ſepultum fuit. Conſtituit nihilominus vt ſi quis deſideraret in Eccleſia militare, aut proficere, vt eſſet 6 Oſtiarius annis x. Lector annos triginta. Exorciſta dies xxx. Acolytus annis v. Subdiaconus annis v. Cuſtos martyrũ annis v. Diaconus annis vij. Presbyter annis iij. Probatus ex omni parte, vt etiam ab his qui foris ſunt, habeat bonum teſtimoniũ, vnius vxoris vir, vxore à ſacerdote benedicta, & ſic ad ordinem epiſcopatus aſcenderet, nullum maioris, vel prioris locum inuaderet, niſi ordine temporum cum pudore cognoſceret omnium clericorum vota grata, nullo omnino clerico contradicente, vel fideli. Hic fecit ordinationes ſeptem per menſem Decembrem, Presbyteros xlij. Diaconos xxxvj. Epiſcopos per diuerſa loca & tempora lxvj. Huius temporibus fecit Conſtantinus Auguſtus baſilicas iſtas, quas & ornauit. Baſilicam Conſtantianam, vbi poſuit dona iſta. Faſtigium argenteum habens in fronte Saluatorem ſedentem in ſella v. pedum, penſantem libras c. & xx. Et xij. Apoſtolos habentes ſinguli quinos pedes, penſantes libras xc. cum coronis ex argento puriſſimo. Item à tergo reſpicientem in abſide Saluatorem ſedentem in throno in pedibus v. ex argento puriſſimo penſantem libras cxl. Et Angelos iiij. ex argento in quinis pedibus, qui penſant ſinguli libras cv. cum gemmis Alabandenis. Faſtigium ipſum penſat libras ij. millia xxv. Coronas iiij. ex auro puriſſimo cum delphinis xx. penſantes ſingulæ libras xv. Pharum ex auro puriſſimo, cum delphinis quingentis, cum catena, qui penſat libras xxv. Cameram baſilicæ ex auro penſante in longum & in latum libras quingentas. Altaria vij. ex argento puriſſimo penſante libras ducentas. Patinas aureas ſeptem, penſantes ſingulæ libras triginta. 7 Patinas argenteas xvj. penſantes ſingulæ libras xxx. Scyphos ex auro puriſſimo

1 Cum videamus in hac vita tot Eccleſias fabricatas, tã pretioſa donaria in illas à tam ſanctis viris collata, quomodo poteſt in ſenſu cadere prudentis viri, hæc mala eſſe, nec Deo placere?

2 Si ſanctus pontifex conſtitutum fecit de omni Eccleſia, ſignum eſt quod propter B. Petri ſedem ſuper eandem totã poteſtatem habebat.

3 De cõſenſu Papæ conuocatur generale conſilium, quia regula Eccleſiaſtica non patitur aliter poſſe fieri.

4 Vide quàm appoſitè loquatur Damaſus: Syluеſter, inquiens, congregauit Romæ Epiſcopos 277 cũ conſilio Auguſti, Nec ait cũ conſenſu, ſicut ſupra dixerat de Papa, quia non requiritur conſenſus Imperatoris pro congregatione concilij ſed tantum Papæ.

5 Tot conſtituta arguunt plenitudinem poteſtatis in Eccleſia.

6 Et hic habes omnes Eccleſiaſticos ordines enumeratos.

7 Si Deo hæc omnia non placerent, religioſus Imperator non ea elargitus fuiſſet Eccleſiis.

rissimo septem, pensantes singuli libras decẽ. Scyphum singularẽ ex metallo, corallo ornatũ, & vndiq; de gemmis Prasinis & hyacinthinis, auro interclusam ex omni parte, qui pẽsat libras viginti & vncias tres. Scyphos argenteos viginti, pensantes singuli libras quindecim. Amas ex auro purissimo duas, pensantes singulæ libras quinquaginta, portãtes singulæ medimnos tres. Amas argenteas viginti, pẽsantes singulæ libras decem, portantes singulæ medimnos singulos. Calices minores aureos purissimos quadraginta, pẽsantes singuli libras singulas. Calices minores ministeriales quingentos, pensantes singuli libras duas. Ornamẽta in basilica Pharum cantharũ ex auro purissimo ante altare in quo ardet olium Nardinũ pisticum, cum delphinis octoginta, pensantẽ libras triginta. Pharum cantharum argenteũ cum delphinis viginti, qui pensant libras quadraginta, vbi ardet oleũ Nardinum pisticum. Pharos cãtharos argenteos in gremio basilicæ quadragintaquinque, pẽsantes singuli libras triginta, vbi ardet oleũ suprascriptum. In parte dextera basilicæ Pharos argenteos quadraginta, pensantes singuli libras xx. Pharos cantharos in læua basilicæ argenteos vigintiquinque, pensantes singuli libras xx. Cantharos cerostratos in gremio basilicæ argenteos quinquaginta, pensantes singuli libras viginti. Metretas tres ex argento purissimo, pẽsantes singulæ libras trecentas, portantes medimnos x. Candelabra ex aurichalco numero septẽ, quæ habent pedes denos, cũ ornatu ex argento, interclusa sigillis Prophetarũ, pensantia singula libras trecentas, quæ cõstituit in seruitio luminũ. Massam Gargillanã in territorio Suessano, præstantẽ solidos quadringentos. Massam Bauronicam in territorio Suessano, præstantẽ solidos trecentum sexaginta. Massam Aurianam in territorio Laurẽtino, præstantem solidos quingentos. Massam Vrbanã in territorio Antiano, præstantem solidos ducentũ quadraginta. Massam Castis in territorio Catanensi, præstantem solidos mille. Massam Trapeas in territorio Catanensi, præstantem solidos mille d.cl. Thymiamateria duo ex auro purissimo, pensantia libras xxx. Donum aromaticum ante altaria, singulis annis libras centum quinquaginta.

Fontem sanctũ vbi baptizatus est Augustus Constantinus ex lapide Porphyretico, & ex omni parte coopertum intrinsecus & foris, & desuper, & quantum aqua continet, ex argẽto purissimo, libras tria millia octo. In medio fontis columna porphyretica, quæ portat phialam ex auro purissimo pensantem libras l. vbi ardent balsamæ libræ ducentæ. Annexũ ex stippa amianti in labro fontis agnũ ex auro purissimo fundentem aquã, pensantem libras xxx. Ad dexteram agni Saluatorem ex argento purissimo in pedibus quinque, pensantem libras c. septuaginta. In læua agni B. Ioannem Baptistam ex argento in pedibus quinque, tenentem titulum scriptum, qui hoc habet: Ecce Agnus Dei, ecce qui tollit peccata mũdi, pensantem libras c. Ceruos ex argento septem, fundentes aquã, pensantes singuli libras octoginta. Thymiamateriũ ex auro purissimo, pensans libras decẽ, cum gemmis Prasinis & Hyacinthinis vndiq;, numero gemmæ quadragintaduæ. Donũ sancto fonti. Massa Festi ex territorio Prænestino, præstans solidos trecentos. Massa Gaba ex territorio Gabinensi, præstans solidos ducentos & duos. Massa Pictas, ex territorio supradicto, præstans solidos cc. quinque. Massa Statiliana ex territorio Sorano, præstans solidos trecentos. Massa intra Siciliam Taurana ex territorio Parentiense, præstans solidos quingentos. Intra vrbem Romam domus vel horti præstantes solidos duo millia trecenta. Fundus Bassi præstans solidos centum viginti. Massa Laninas ex territorio Carsiolano, præstans solidos ducentos. Fundus Catullus ex territorio Nomentano. præstans solidos l. Massa Statiana ex territorio Sabinensi præstans solidos trecentos quinquaginta. Massa Mu ina ex territorio Appiano Albanensi, præstans solidos trecentos. Massa virginis ex territorio Sorano, præstans solidos ducentos. Transmarina intra partes Aphricæ. Massa Vincis ex territorio Mucario, præstans solidos dcc. Massa Capsis ex territorio Capsitano, præstans solidos mille c. Massa varia Sardana, præstãs solidos quingentos. Massa Camaras ex territorio Curtalupi, præstans solidos ccccv. Massa Nummas ex territorio Numidiæ, præstans solidos dcl. Massa Sulphurata ex territorio Numidiæ, præstãs solidos dcc. xx. Massa Baldarioliaria ex territorio Numidiæ, præstãs solidos dcccx. In Græcia. Massa Cephaleia præstans solidos d. In Mengaulo. Massa Amazon præstans solidos ccxxij. Eodem tempore Constantinus Augustus fecit basilicam [8] Beato Petro Apostolo in tẽplo Apollinis, cuius locum, cùm corpus S. Petri recondidit, ipsum locum vndiq; ex ære Cyprio conclusit, quod est immobile. Ad caput pedes v. Ad pedes, pedes v. Ad latus dexterum pedes v. Ad latus sinistrum pedes v. Subter pedes v. Sub pedes 7. Sic inclusit corpus beati Petri Apostoli, & recondidit, & exornauit super columnas Porphyreticas, & alias columnas tres tineas, quas de Græcia perduxit. Fecit autem & cameram basilicæ ex crimma auri fulgentem. Et super corpus beati Petri, super os quo conclusit illud, fecit crucem auream purissimam præstantem libras cl. Vbi scriptum est hoc: Constãtinus Augustus, & Helena Augusta hanc domum regali simili fulgore coruscantem auro circundant. Scriptum est ex literis nigellis in cruce. Fecit autem candelabra ex aurichalco in pedibus x. numero iiij. argẽto

8 Ecce Ecclesiam ædificatã in honorem B. Petri Apostoli.

concluſa,cum ſigillis argenteis,vnde Actus Apoſtolorum cernebantur,penſantia ſingula libras ccc. Calices aureos tres cum gemmis Praſinis quadragintaquinque,penſantes ſinguli libras xij. Metretas argenteas duas,penſantes libras cc. Calices argenteos xx.penſantes ſinguli libras decem. Amas aureas duas,penſantes ſingulæ libras denas. Amas argenteas v.penſantes ſingulæ libras viginti. Patinam auream cum turre & columba ex auro puriſſimo ornatam gemmis Praſinis,& Hyacinthinis, margaritiſq; numero ccxv.penſantem libras triginta. Patinas argenteas v.penſantes ſingulæ libras xv. Coronam auream ante corpus, quæ eſt Pharus cantharus cũ delphinis quingentis,penſantes libras trigintaquinque. Pharos argenteos in gremio baſilicæ cum delphinis,penſantes ſinguli libras x. Ad dexteram baſilicæ Pharos argenteos triginta,pẽſantes ſinguli libras viij. Ipſum altare ex auro & argento clauſum cũ gemmis Praſinis,& Hyacinthinis & albis ccx.penſantibus libras cccl. Thymiamaterium aureum cum gemmis vndiq; exornatum,penſans libras xv. In redditibus donũ quod obtulit Conſtantinus Auguſtus B.Petro Apoſt.per diœceſes in Oriente. In ciuitate Antiochia domum Datiani,præſtantem ſolidos ccxl. Domunculam Nicenã præſtantem ſolidos viginti & tremiſſem. Cellas in Aphrodiſia præſtãtes ſolidos xx. Balneũ in Ceretea,præſtãs ſolidos quadragintaduos. Piſtrinum, vbi ſupra, præſtans ſolidos xxiij. Popinas, vbi ſupra, præſtantes ſolidos x. Hortum Maronis,vbi ſupra,præſtans ſolidos x. Hortũ,vbi ſuprà,præſtans ſolidos xi. Sub ciuitate Antiochena poſſeſſionem Sybillinam donatam Auguſto,præſtantem ſolidos cccxxij. Cartadecadas cl. Aromatum libras cc. Balſami libras xxxv. Sub ciuitate Alexandrina poſſeſſionem Timialicã donatam Auguſto Conſtantino ab Ambronio præſtantẽ ſolidos dcxx. Cartadecadas ccc. Olei Nardini libras ccc. Balſami lx. Aromatum libras cl. Storacis Iſauricæ libras l. Poſſeſſionẽ Eutimi caduci præſtantem ſolidos quingẽtos. Cartadecadas lxx. Per Ægyptum ſub ciuitate Armeniæ, Poſſeſſionem Agapij,quam donauit Conſtantino Auguſto. Poſſeſſionẽ Panopolitem præſtantẽ ſolidos dccc. Cartadecadas cccc. Piperis Medimnos l. Croci libras c. Storacis libras cl. Aromatum Caſiæ libras cc. Olei Nardini libras ccc. Balſami libras c. Lini ſaccos c. Garriophilorum libras cl. Olei Cyprini libras centũ. Papyrij canas mundas mille. Poſſeſſionẽ quam donauit Conſtantino Auguſto Ibronius,præſtantem ſolidos ccccl. Cartadecadas cc. Aromatũ,Caſiæ libras l. Balſami libras l. In prouincia Euphratẽſi,ſub ciuitate Cyro poſſeſſionẽ Armanazon præſtantẽ ſolidos ccclxxx. Sub Tarſo Ciliciæ inſulam Cordionum,pręſtantẽ ſolidos dcccc. Eodem tempore Conſtantinus Auguſtus fecit baſilicam 9 beato Paulo Apoſtolo ex ſuggeſtione ſancti Syluestri Epiſcopi,cuius corpus 10 ſanctũ ita recondidit in ære, & concluſit,ſicut beati Petri, & dona obtulit. Nam omnia vaſa ſacra aurea vel argentea aut ærea ita poſuit, ſicut in baſilica beati Petri Apoſtoli,& ita beati Pauli Apoſtoli ornauit ſicut illam. Sed & crucẽ auream ſuper locũ beati Pauli Apoſtoli poſuit,penſantem libras cl. Sub ciuitate Tyria, poſſeſſionem Comita,præſtantem ſolidos quingentos quinquaginta. Poſſeſſionem Formimuſa,pręſtantem ſolidos dcc. Poſſeſſionem Timia,præſtantem ſolidos ccl. Olei Nardini libras ſeptuaginta: Aromatum libras l. Caſiæ libras quinquaginta. Sub ciuitate Ægyptia poſſeſſionem Cyreos, præſtantem ſolidos dccx. Olei Nardini libras ſeptuaginta. Balſami libras triginta. Aromatum libras ſeptuaginta. Storacis libras triginta. Stacten libras cl. Poſſeſſionẽ Baſilicam, præſtantem ſolidos quingentos quinquaginta. Aromatum libras quinquaginta. Olei Nardini libras ſexaginta: Balſami libras viginti: Croci libras ſexaginta. Poſſeſſionem inſulæ Machabæo præſtantem ſolidos quingentos decem. Papirij canas mundas d. Lini ſaccos trecentos. Eodem tempore fecit Conſtantinus Auguſtus baſilicam in palatio Seſſoriano, vbi de ligno ſanctæ crucis poſuit,& in auro & gemmis concluſit,vbi & nomen Eccleſiæ dedicauit, quo nominatur vſque in hodiernum diem Hieruſalem. In quo loco conſtituit dona illa. Candelabra ante lignum ſanctum lucentia argentea quatuor, ſecundùm numerum quatuor Euangeliorum, penſantia ſingula libras òctoginta. Pharos cantharos argenteos quinquaginta,penſantes ſinguli libras quindecim. Scyphum argenteum puriſſimum penſantem libras decem. Calices aureos miniſteriales quinque pẽſantes ſinguli libras ſingulas. Scyphos argenteos tres, penſantes ſinguli libras octo. Calices miniſteriales argenteos decem penſantes ſinguli libras duas. Patinam argenteam auro clauſam cum gemmis, penſantem ſinguli libras quinquaginta. Altare argenteum penſans libras ccl. Amas argenteas tres penſantes ſingulæ libras viginti. Et omnes agros circa palatium Eccleſiæ dono dedit. Poſſeſſionem Sponſas via Lauicana, præſtantem ſolidos cclxiij. Sub ciuitate Laurento poſſeſſionem Patras,præſtantem ſolidos cxx. Sub ciuitate Nepeſina poſſeſſionem Angleſis,præſtantẽ ſolidos ccl. Sub ciuitate ſupraſcripta poſſeſſionem Terega,quæ præſtat ſolidos clx. Sub ciuitate Faliſta poſſeſſionem præſtantem ſolidos cxv. Item ſub ciuitate Faliſta poſſeſſionem Herculis, quam donauit Auguſto,& Auguſtus obtulit Eccleſiæ Hieruſalem,præſtantem ſolidos cxl. Sub ciuitate Tuder poſſeſſionem Angulas præſtantem ſolidos cliij.

9 *Ecce alia Eccleſia in honorem B. Pauli Apoſtoli.*

10 *Vides corpus Apoſtoli ſanctum dici.*

Eodem

Eodem tempore fecit basilicā sanctæ martyris Agnetis, ex rogatu filiæ suæ, & baptisterium in eodem loco, vbi baptizata est soror eius Constantia vnà cū filia Augusti. Et ibidē constituit hæc. Patinam auream pensantem libras xx. Calicem aureum pensantem libras x. Coronam Pharum cantharum ex auro purissimo cum delphinis triginta, pensantē libras xv. Patinas argenteas duas, pensantes singulæ libras xx. Calices argenteos v. pensantes singuli libras decē. Pharos cantharos argenteos triginta pensantes singulæ libras viij. Pharos æreos ex aurichalco xl. Cerostratos ex aurichalco argento clusos quadraginta sigillatos. Lucernas aureas xij. nixas super fontem. In redditibus circa ciuitatem Fidenas omnem agrum, præstantem solidos clx. Via Salaria sub Parento vndiq; omnem agrum, præstantē solidos cv. Agrum Muci præstantem solidos lxxx. Possessionem in vico Pisonis, præstantem solidos ccl. Agrū Casulas, præstantem solidos c. Eodem tempore Constantinus Augustus fecit Basilicam B. Laurentio martyri via Tyburtina in agro Verano supra arenarium cryptæ. Et vsq; ad corpus S. Laurentij martyris fecit gradus ascensionis & descensionis. In eo loco cōstruxit absidem, & exornauit marmoribus Porphireticis, & desuper locū conclusit de argento, & cancellos de argento purissimo ornauit, pensantes libras mille. Et ante ipsum locū in crypta posuit lucernam ex auro purissimo lichnorum x. pensantes libras xx. Coronam ex argento purissimo cum delphinis l. pensantem libras triginta. Candelabra ærea ij. in pedibus denas pensantia singula libras ccc. Ante corpus B. Laurentij martyris argento clusit sigilla passionum ipsius, cū lucernis mixtis argenteis, pensantes singulæ libras xv. In eodem loco possessionem cuiusdā Quiriacetis, religiosæ fœminæ quam fiscus occupauerat tempore persecutionis. Veranum fundum præstantem solidos clx. Possessionem aqua Tuscia ad latus, præstantem solidos cliij. Possessionem Augusti in territorio Sabinensi, præstātem solidos cxx. Possessionem Micinas Augusti, præstantem solidos cx. Possessionem Termulas, præstantem solidos lx. Possessionē Aranas, præstantem solidos lxx. Pharos argenteos triginta, pēsantes singuli libras viij. Eisdē tēporibus Constantinus Augustus fecit Basilicā via Lauicana inter duas lauros B. Petro & Marcellino martyribus. Et Mausoleum, vbi beatissimā Augustā matrem suam posuit in sarcophago Porphiretico. Vbi & donauit patinam auream ex purissimo auro, pensantem libras triginta quinque. Candelabra argentea auro clusa in pedibus xij. pensantia singula libras cc. Coronam auream, quæ est Pharus cantharus cum delphinis cxx. pensantem libras triginta. Calices aureos iij. pensantes singuli libras x. cum gemmis Prasinis, & Hyacinthinis. Amas aureas ij. pēsantes singulæ libras xl. Altare ex argento purissimo, pensans libras cc. Pharos cantharos argenteos viginti pēsantes singuli libras viginti. Itē altare ex argento purissimo, pensans libras cc. Patinas ex auro purissimo duas, pēsantes singulæ libras xv. Patinas argenteas ij. pensantes singulæ libras xv. Scyphum maiorē ex auro purissimo, vbi nomen Augusti designatur, pensantem libras xx. Scyphum aureum minorem, pensantem libras x. Scyphos argenteos v. pensantes singuli libras xij. Calices ministeriales argenteos viginti, pensantes singuli libras tres. Amas argenteas quatuor, pensantes singulæ libras quindecim. Annis singulis olei Nardini pistici, libras dcccc. Balsami libras centum. Aromatum in incensum [11] sanctis martyribus, beatis Marcellino & Petro libras centum. Fundum Laurentinum iuxta Formiam cum balneo, & omnem agrum à post Sessorianam viam, & in ærarium, vsq; ad viam Latinam ad montem Gabum. Ipsum montem Gabum possessionem Augustæ Helenæ, præstantem solidos mille cxx. Insulam Sardiniam cum possessionibus omnibus, præstantē solidos mille xxiiij. Messanam cū possessionibus suis omnibus, præstantem solidos dcccx. Insulam Matyziam, præstantem solidos dc. Possessionem in territorio Sabinensi, quæ appellatur ad duas casas, sub monte Laurenti, præstantem solidos cc. Eodem tempore fecit Constantinus Augustus Basilicā in ciuitate Ostia iuxta portum vrbis Romæ, beatorum Apostolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptistæ, vbi obtulit hæc. Patinā argenteam, pensantem libras triginta. Calices argenteos x. pensantes singuli libras v. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras x. Pharos argenteos triginta, pensantes singuli libras v. Scyphos argenteos duos, pensantes singuli libras octo. Patinam argenteam chrismalem singularem, pensantem libras decem. Peluem ex argento ad baptismum, pensantem libras viginti. Insulam quæ dicitur Asis, quæ est inter portū & Ostiam, & possessiones omnes maritimas, vsq; ad digitum solis, præstantes solidos ccc. Possessionem Græcorum in territorio Ardeanito, præstantem solidos triginta. Possessionem Quirini in territorio Ostiensi, præstantem solidos cccxi. Possessionem Balniolum in territorio Ostiensi, præstantem solidos xlij. possessionem Nymphulas, præstantem solidos triginta. Item quæ obtulit Gallicanus basilicæ suprascriptæ, sanctorum Apostolorum Petri & Pauli, & Ioannis Baptistæ. Obtulit autem hæc. Coronam argenteam cum delphinis, pensantem libras viginti. Calicem argenteum anaglyphum, pensantem libras quindecim. Amam argenteam, pensantem libras octodecim. Massam Mallianam in territorio Sabinensi, præstantem solidos cxv. & tremissem.

11 *Etiam sanctis martyribus antiquitus adolebatur incensum.*

Fundum picturas in territorio Veliterno, præstantem solidos xliij. Fundum Surorũ via Clodia in territorio Veientano, præstantem solidos lvi. Massam Gargilianam in territorio Suessano, præstantem solidos dclvi. Eisdem temporibus fecit Constantinus Augustus basilicam in ciuitate Albanẽsi S. Ioannis Baptistæ, vbi posuit hæc. Patinam argenteam pensantẽ libras xxx. Scyphum argenteum deauratum, pensantem libras xij. Calices ministeriales decẽ, pensantes singuli libras ternas. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras xx. Possessiones Laurentinas, cum adiacentibus campestribus, præstantes solidos lx. Fundum Molas, præstantem solidos l. Possessionem Albanensem cum lacu Albano, præstantes solidos ccl. Massam Muci, præstantem solidos clxx. Omnia Scheneca deserta, vel domos ciuitatis in vrbe Albanensi, omnia in circuitu Ecclesiæ Constantinianæ obtulit Augustus. Possessionem orti præstantem solidos viginti. Possessionẽ Tyberij Cæsaris, præstantem solidos lxxx. Possessionem Marinas, præstantem solidos l. Possessionẽ Armatianam in territorio Corano, præstantẽ solidos cl. Possessionem Statilianã, præstantem solidos lxx. Possessionẽ Medianam, præstantem solidos triginta. Eisdẽ temporibus fecit Constantinus Augustus intra vrbem Capuanam basilicam Apostolorũ, quam cognominauit Constantinianã. Vbi & obtulit dona hęc. Patinas argenteas duas, pensantes singulæ libras xx. Scyphos argenteos tres, pensantes singuli libras viij. Calices ministeriales xv. pensantes singuli libras ij. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras x. Candelabra ærea in pedibus x. numero quatuor, pensantia singula libras clxxx. Pharos cantharos argenteos numero triginta, pensantes singuli libras v. Pharos cãtharos æreos numero triginta. Et obtulit possessiones. Massam Satilianam in territorio Menturino, præstantem solidos cccxv. Possessionẽ in territorio Caietano, præstantem solidos lxxxv. Possessionem Paterni in territorio Suessano, præstantem solidos cl. Possessionem ad Centum in territorio Capuano, præstantẽ solidos lx. Possessionem Gauronicam in territorio Suessano, præstantẽ solidos xl. Possessionem Leonis, præstantẽ solidos xl. Eisdẽ temporibus fecit Constantinus Augustus Basilicã in vrbe Neapoli, vbi obtulit hæc: Patinas argenteas duas, pẽsantes singulæ libras xxv. Scyphos argenteos duos, pensantes singuli libras x. Calices ministeriales x. pensantes singuli libras ij. Amas argenteas ij. pensantes singulæ libras xv. Pharos argẽteos viginti, pẽsantes singuli libras viij. Pharos æreos viginti, pensantes singuli libras decem. Fecit autem formã aquæ per milliaria octo. Fecit autem & forũ, & donum obtulit, Possessionem Macarij, præstantẽ solidos cl. Possessionẽ Cimbranam, præstãtem solidos cv. Possessionem Sclinam, præstantem solidos cviij. Possessionem Afilas, præstantem solidos cxl. Possessionem Nymphulas, præstantem solidos xc. Possessionẽ Insulæ cum Castro, præstantem solidos octoginta. Eisdẽ temporibus constituit B. Syluester in vrbe Roma titulum suum in regionẽ tertiam iuxta thermas Domitianas, quæ cognominantur Traianæ, titulũ scilicet Syluestri, vbi donauit Constantinus Augustus patinã argenteam pensantem libras viginti. Scyphos argenteos duos, pẽsantes singuli libras viij. Amam argenteam pensantem libras decem. Pharos Cantharos argenteos decem, pẽsantes singuli libras v. Cantharos cerostrotos æreos xvi. pẽsantes singuli libras quadraginta. Calices argenteos ministeriales v. pensantes singuli libras ij. Fundum Percilianum in territorio Sabinẽsi, præstantẽ solidos l. Fundum Barbatianum in territorio Ferentino, præstantem solidos trigintaquinque & tremissem. Fundũ Statianum in territorio Trebulano, præstantem solidos lxvi. & tremissem. Fundum Beruclas, in territorio Corano, præstantem solidos xlv. Fũdum Sulpitianum in territorio Corano, præstantem solidos septuaginta. Fundum Tauri in territorio Veientano, præstantem solidos xlij. Fundum Sentianũ in territorio Tyburtino, præstantem solidos triginta. Fundum Ceianum in territorio Prænestino, præstantem solidos l. Fundum Termulans in territorio Prænestino, præstantem solidos triginta v. Possessionem Cylonis in territorio Prænestino, præstãtem solidos lviij. Obtulit & omnia necessaria in titulo Equitij. Hic Syluester fecit ordinationes sex per mensem Decembrẽ, presbyteros xlij. Diaconos viginti sex. Episcopos per diuersa loca numero lxv. Hic sepultus est in Cœmiterio Priscillæ via Salaria, apud vrbem Comam milliario tertio pridie Kalendas Ianuarij. Qui catholicus & confessor quieuit. Et cessauit Episcopatus dies quindecim.

ALOYSIVS EPISCOPVS VERONENsis ad Lectorem.

IN hac vita B. Syluestri habẽs Constantinũ Imperatorẽ à sancto Syluestro fuisse baptizatũ, & soli Damaso sanctissimo Põtifici & veraci potius credendum est, quàm fallaci turbæ omniũ hæreticorũ. Sed & quod ait D. Ambrosius in libro de obitu Theodosij, quòd Constãtino in vltimis cõstituto baptismatis gratia omnia peccata remisit, huic veritati nõ obstat: nã per hoc non negat quin Syluester eum baptizauerit, & illud, in vltimis constituto, largo modo accipitur,

videlicet

videlicet ac si diceretur, cum antè diu regnasset, & infidelis multas strages martyrum edidisset, ad vltimū baptizatus est. Sed & nos ipsi in Chronicis vetustissimis Farcensis Monasterij literis Longobardis scriptis legimus, Constantinum Magnum anno imperij sui xviij. à sancto Syluestro Papa baptizatum fuisse post tyrannorum interfectionem, scilicet Maxentij, Herculei filij, Maximiani, atque Licinij cognati sui. Id etiam apertè testatur D. Hieronymus in epistola ad Eustochium de vinculis Petri, quæ incipit: Sæpissimo rogatu. Quamuis bonus Erasmus eam ex catalogo epistolarum D. Hieronymi expunxerit, & inter aliena computauerit, nempe quia eius sententiæ non fauebat. Sed quis constituit eum sacrorum scriptorum censorem? Concilium etiam septimum generale, quod contra imaginum oppugnatores Constantino & Irene imperantibus celebratum est, ex relatione Adriani Pontificis, historiam beati Syluestri, in qua manifestè habetur Constantinum Imperatorem ab eo baptizatum fuisse, benignè recepit, & gestis Synodi inseri fecit. Vide in actis Concilii illius Græcè scriptis, Actione secunda. Verùm & Zonaras Græcæ historiæ scriptor peruetustus, hoc idem attestatur inquiens: Enarrat deinde Syluestro somnium Imperator, nostrisq; mysterijs initiatur, ac baptizatur, & ex piscina totus sanus consurgit. Idem scribit & Theophanes septingentorum annorum Græcus historicus. Sed quia de Constantini baptismo agere in præsentiarum instituti nostri non est, Sanctorum nostrorum vitas prosequamur, & hæc pauca obiter de hac re dixisse sufficiat.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI SYLVESTRI Papæ Romani.

Apud Simeonem Metaphrasten.

VENERANDI quidem, & qui Deum viderunt Apostoli, omnem orbem terræ obeuntes, in hominum animis salutarem seminârunt prædicationem, & multos traduxerunt ab errore ad Dei cognitionem, sed nondum liberè & fidenter se gerebat pietas, donec insignis Imperator, & vel ipsis æquiparandus Apostolis, Constantinus ille magnus, Dei prouidentia ex agresti olea insereretur in satiuam. Qui autem ab infidelitate eam traduxit ad fidem, is iure iudicetur esse causa, vt se liberè gerat pietas, & omnes fere se submiserint diuinæ prædicationi. Is autem est diuinus Syluester, cui vel hoc solum suffecerit ad eius laudes celebrandas. Ei autem est vniuersa vita laudabilis, & Deo grata, & quæ iis qui virum volunt laudare, præbet amplam encomii materiam. Et ijs quidem qui sunt amantes virtutis, laus illius lætitiam afferret & vtilitatem. Nam iuuabuntur quidem qui ab illius vita incitati fuerint ad imitationem bonorum illius operū. Conuenienter autem ei quod dicit sapientissimus Salomon, etiam lætabuntur. Cùm enim laudatur iustus, inquit ille, lætabuntur multi populi. Sunt ergo diuini huius patris res narrandæ & laudandæ pro viribus. Atque quinam quidem fuerint magni illius viri parentes, & à quibus sit in lucem æditus, veteri libro de eo tractante in quem incidimus, non fuit declaratum, qui priscè admodum & simpliciter est compositus. Quocirca ea quoque sunt à nobis prætermissa. Cùm autem esset adhuc iuuenis, secutus est quendam Curionem presbyterum, virum & fide rectum, & in rebus diuinis eruditum, & vita pium, à quo etiam fuit confirmatus & stabilitus in diuinissimis nostræ fidei decretis, compositiq; sunt eius mores, & formatus animus ad institutum virtutis. Cùm iam autem superasset adolescentiam, erat præ cæteris deditus virtuti hospitalitatis, & quos offendebat Romam ex externa venientes regione, eos hospitio lubenter excipiebat: eis mensam hilariter apponens, & aqua illorum pedes abluēs, & ad quiescendum eos in stragulis collocans. Quò factum est, vt Timotheus quidam vir diuinus, qui ex Antiochia Romæ peregrinabatur, & sanctum prædicabat Euangelium, fortè ab hoc diuino patre hospitio acciperetur, & eum hospes perfectus imbueret & institueret in verbo rectæ fidei. Non enim timuit vt reliqui fideles, præconem salutaris dogmatis excipere, sed lætus hospitio excepit eum qui erat æqualis Apostolo, & si cognitum fuisset eum hoc facere, pro ea re pati, lucrum existimans. Cùm autem Timotheus anno vno & paulo amplius Romæ diuinā prędicasset prædicationē, & multos ab errore conuertisset ad pietatem, deinde propterea fuisset comprehensus & valde punitus, & lōgo tempore traditus in custodiam: & in illa maceratus, & tandē truncatus capite, beatus Syluester ne post decessum quidem destitit à sua in martyrem affectione: sed multum posuit studij vt eius corpus tolleret. Tyrannorum itaque crudelitatem nō extimescens, nec eorum qui obseruabant ne martyrū corpora mandarentur sepulturæ, vllam ducens rationem, profunda nocte vadens vbi situm erat corpus Martyris, inscientibus omnibus id rapuit, & domum tulit. Et tunc quidem tota nocte, cum alijs sanctis, cecinit hymnos [1] qui canuntur in sepultura. Post hæc autem,

Ianuarij II.

[1] *Vide Christianam traditionem vt in sepultura fidelium hymni & psalmi decantentur.*

2 Ecce quomodo etiam tunc in honorẽ martyrũ Basilicæ & oratoria ædificabãtur, quæ Martyria dicebantur.

fideli quadam muliere impensas suppeditante, sanctissimus Romæ Episcopus Meltiades, Timotheo ædificauit martyrium, 2 in quo deposuit illud corpus martyris.

Vrbis autem Præfectus cùm sanctissimum apprehẽdisset Syluestrum, ab eo exigebat Timothei facultates, vt qui eum apud se hospitio exciperet: & nisi eas, ei dicebat, dederis, & accedens Dijs sacrificaueris, tuum corpus consumam omni genere suppliciorum, & postremò te subijciam morti miserabili. Sanctus autem mentis oculis Præfecti mortem præuidens, Euangelicum ei dedit responsum: Hac nocte, dicens, animam à te repetunt: quæ autem minatus es, non licebit ad effectum deducere. His verbis Præfectus conturbatus, iubet sanctum ferreis vinciri vinculis, & tutò in interiori seruari custodia. Et ille quidem fuerat inclusus. Præfectus autem vrbis prandens, cùm ei piscis fuisset appositus, comedebat, os autem gutturi illius infixum, cùm nec arte medicinæ posset euelli, nec præstigiis incantatorum, cum magno dolore velocem ei mortem attulit. Media enim nocte cùm non posset amplius ferre dolorem, expirauit. Hoc ijs quidem qui simulachra adorabant timorem attulit: vt Christiani autem bono & confidenti animo essent, effecit: sanctum autẽ soluit à vinculis, & sic liberatus fuit à custodia. Qui autem præfecto ministrabãt, cùm ex eo quod illi acciderat sibi timuissent, sancto procidebant supplices, & prouoluti ad illius pedes, rogabant vt diuina ira ab eis auerteretur. Eius autem virtute sic omnes adducente in admirationem, ille non solùm erat venerandus fidelibus, sed etiam ipsis infidelibus. Iam autem tricesimum annum agẽs ætatis, à sacrosancto Meltiade, quem prius diximus tunc fuisse Episcopum Romanæ Ecclesiæ, ordinatur Diaconus, & refertur in cleri catalogum, & erat tanquam quædam fax lucens in tenebris, & multos deducens ad viam pietatis. Oportet autem lumen imponi candelabro, vt sic eius splendore plures illuminarentur: atque adeò fuit positum sic diuina prouidente à superis administratione. Nam cùm Meltiades è vita excessisset, omnium suffragiis sanctissimus Syluester fuit electus Romanorum Episcopus. Is autem dicebat illud munus esse maius quàm vt id posset sustinere, & se excusabat propter iuuenilẽ ætatem. Qui autem ferebant suffragia, quoniam ille non currebat ad magistratum, imò verò eum modis omnibus repellebat, eum magis ei suis mandabant suffragiis, & tandem vicit instans populi constantia: & in Episcopatus sede fuit collocatus qui eo erat dignus, & verè erat ciuitas supra montem posita, & lucerna in alto collocata, & lucens omnibus quibus non fuerat extincta mentis videndi facultas, nec tenebris impietatis erant animæ oculi omnino occæcati. Cùm autem sic fuisset dignatus Archiepiscopatu, & præfectus esset pascendis ouibus Domini, sicut 3 Petrus summus Apostolus, cuius etiam sedis & potius zeli & ardoris fuit successor, eas ad salutaria adducebat pascua, Dei, inquam, & Seruatoris nostri mandata: & ad aquas poculentas, nempe dogmatum rectitudinem & quæ non participant falsam eorum qui male sentiunt qualitatem. Deinde etiam curam gessit boni in Ecclesia ordinis: & cùm inuenisset clericos mundanis ac secularibus vacantes administrationibus, intentosque mercaturis, emptionibusque & venditionibus, ille primus legem tulit, vt qui sacrati erant, ab iis abstinerent, vacarent autem precibus, eis dictitans id quod dictum fuerat à vase electionis: Nemo militans implicatur negotiis quæ ad victũ pertinent, vt duci placeat exercitus. Et quod dixit Dauid: Vacate & cognoscite. Huius etiam diuini patris fuit inuentum, vt primus dies hebdomadis nominaretur Dominicus. Cùm enim Iudæi ei primum vocarẽt, & secundum & tertium eos qui sequebantur, & deinceps reliquos: sextũ autem & septimũ, si spectes eã quæ à primo fit enumerationem, illum quidem nominarent parasceuem, & quòd in eo ab eis parabantur quæ erãt ad septimũ necessaria, quoniã in illo vetitum erat Iudæis operari: septimo autem propter quietem ab operibus sabbati nomẽ imposuissent: quoniã in eo cessauit Deus à creatione eorum quæ videntur: Romani autem vocarent, primũ quidem diem solis: eos autem qui deinceps consequuntur, Lunæ, Martis, Mercurij, Iouis, Veneris, & Saturni, ipse beatus Syluester dierum nomina quæ à Gentilibus erant imposita, abrogauit propter illorum impietatem: quæ apud Hebræos autem erant eorum nomina, vt quæ à Moyse scripta erãt qui Deũ vidit, admisit, solius primi mutato nomine, & eo vocato Dominico, propterea quòd in eo à mortuis surrexisset Dominus. Ab eo quoque est constitutũ ne ieiunaretur sabbatis. Nam cùm Occidentales ieiunarẽt sabbatis, hoc minimè placuit Orientalibus, dicentibus eos qui sic faciunt, sequi morem Iudaicum. Hic autẽ magnus pater cùm decreuisset vt in sabbato vno ieiunarẽt fideles, in quo dominus adhuc situs erat in sepulchro, ieiunium abrogauit in reliquis. Hinc in eum sunt exortæ apud Romanos calumniæ, vt qui patrios eorum ritus tolleret. Cùm autem congrederetur cum Gentilibus, & argueret eos nõ rectè sentire de Deo, cùm fabulis crederent, & eos qui non essent Deos putarent, illi signũ ab eo petierunt in nomine eius qui ab eo prædicabatur. Signum autem tale fuit. Draco maximus habitabat in profunda spelunca, iuxta montem qui ab eis nominatus fuerat Tarpeius, in quo etiam collocatum Capitolium. Ei autem Draconi quoto quoque mense alimenta ab eis largè

3 Vide hic & nota, quod Romanus Põtifex præficitur ouibus Domini pascendis, sicut & Petrus. Cuius sedis sicut successor est, ita & zeli & ardoris esse debet.

Hoc inuentum B. Syluester ab Apost accepit, nam D. Ioannes in Apoc. asserit se fuisse in spiritu Dominica die. Vnde & Romæ Põtifex suo decreto statuit per omnem Eccles. primam sabbati vocari diem Dominicum.

eis largè suppeditabantur, quæ quidam præstigiatores cũ virginibus incantatricibus assumẽtes, in illam speluncã per multos gradus descendebant & in ea execranda peragentes mysteria, in quibus nulla insignis deerat abominatio, illic cibis relictis reuertebantur. Certis autem temporibus Draco repente ascendens, foras quidẽ non egrediebatur, sed iacens in ingressu cauernæ, venenato anhelitu corrũpebat aërem, ex quo mors afferebatur vicinis, magis autẽ imminebat interitus infantibus. Huic ergo beluæ aiebant: si Dei tui inuocatione ascensum prohibueritis, & si nõ omnino, at eo certè tempore, te esse veri Dei prædicatorem reputabimus, & ad eum accedemus, & ipsum esse Deũ nos quoq; cõfitebimur. Apostolicus aũt vir ille eis respondit: A Deo quidem qui à me prędicatur nihil est omnino quod non possit fieri. Quocirca facillimè hanc nostrã implebit precationẽ. Ex vobis autẽ plurimi ne sic quidem abstinebunt ab impietate. Sed rursus retinebunt & amplectentur impietatẽ. Cùm itaq; conuocasset quotquot erant Romæ fideles, & omnibus triduanũ præcepisset 4 ieiunium, & vt rogarent Dominũ, vt admirabilem faceret suã misericordiã cũ seruis suis, & eis daret materiã & occasionem salutis: Ipse autem ante alios precationi vacabat & ieiunio. Iam autẽ peracto quod præstitutũ fuerat ieiunio, 5 Petrus summus Apostolorũ huic sanctissimo patri apparet in somnis, iubens vt ex sacerdotibus & Diaconis ab eo assumerẽtur ij quos vocabat nominatim, & cum illis veniret ad ingressum speluncæ, & illic Deo incruentum offerret cultũ. Deinde sic subiret per eos qui sunt in ipsa gradus. Dicensq; vt alloqueretur Draconẽ qui dicebatur, & portas habebat in ore, præcepit vt clauem ferret manibus, & nomine Domini Iesu Christi inuocato ad se portas traheret, & in adoptatos annulos clauẽ inijceret: & cùm clausisset, diceret: Hæc dicit Apostolus Petrus. Hæ portæ non aperientur vsque ad vespere carentem & horribilem diem iudicij. Atq; hæc quidẽ sic noctu mandata fuerant sancto Syluestro ab Apostolo. Is autem, vt iussus fuerat, & cultũ peregit, & descendit, & portis clauem intulit. Videntes autem Gentiles eum descendentem in speluncã, expectabant fore vt ipse & qui cum eo erant statim vorarentur à Dracone, aut mortifero interirent anhelitu. Postquam autem Syluester & qui cum eo erant ascenderunt illæsi, eos qui spectabant cepit admiratio, & fatebantur vim quandam diuinam sequi Episcopum. Cùm itaque ab eo tempore satis transijsset temporis, & cessasset qui à Dracone afferebatur interitus, & illæsa mansit ciuitas, multi ex infidelibus & ipsi qui nuper seruiebant Draconi accurrerunt ad sanctum, & fatebantur esse magnum Deum quem ipse prædicabat, & rogabant vt diuinum baptismum assequerentur. Quem quidem sunt assecuti, & ab impietate traducti ad pietatem. Sic quidem fuit vir ille sanctus multis causa salutis: Cùm autem adhuc vigeret error Gentilium, & qui imperabant errori seruiebant, & hominibus quidem dominabantur, subiecti verò erant Dæmonibus, decretum vbique proponerent, vt colerentur simulachra, & ab omnibus offerrentur sacrificia, & magnus inter Imperatores & inclytus Constantinus, modò imperio potitus, & errori adhuc seruiens, ipse quoque æquè atque ij qui eum præcesserant planè in errore versaretur gentilium, & decreta proposuisset vt punirentur Christiani, nisi persuaderentur libamina offerre simulachris: Tunc ergo hic quoque magnus pater, cùm iudicasset non oportere seipsum obijcere persecutoribus, ne quod non posset ipse ferre supplicia pro pietate, sed parcens persecutoribus, Roma quidem excessit: in montem autem abiens ibi se abscondit, illic solus cum Deo versans. Qui autem vnicuique salutem procurat Dominus, volens sedare tempestatem, & calamitatem ijs qui in ipsum credunt, & efficere vt liberè & confidenter se gereret pietas, malo vlcere ferit Imperatorem à pedibus ad caput vsque, & malè ei affectum erat vniuersum corpus. Ei enim sacer morbus incubuit, & floruit lepra per vniuersam carnem. Aduersus quam neque valuit ars Medicorum, nec præstigiæ & magicæ artes incantatorum. Eius enim curationis & sanitatis spem omnem abiecerant, & Medici indigenæ, & qui ducti fuerant à Perside. Cùm autem ab eis sic deplorata esset eius curatio, Sacerdotes Iouis ad eum accedunt ex Capitolio, dicentes fore vt non aliter curaretur, nisi facta esset piscina plena sanguine infantium, eoque adhuc bulliente & exhalante ipso lauaretur. Hoc autem si factum esset, fore vt citò curaretur, & è piscina mundus & sanus exiret. Hæc cùm execrandi illi & scelerati Sacerdotes suggessissent Imperatori, per vniuersam missi sunt regionem, qui infantes colligerent & ferrent in Capitolio. His ablatis, iam dies quoque cædis erat præstitutus, & in Capitolium ascensus Imperatori. Et illo quidem die abiit Imperator ad locum definitum: & qui erant mactaturi infantes, parati erant ad occisionem. Eorum autem matres cùm Imperatori occurrissent, lugentes & eiulantes comas vellebant, & facies pulsabant, & genas lacerabant vnguibus, vestesque discerpebant, & vbera ostendebant quibus lactabant infantes, molestisque & miserabilibus vocibus implebant aërem, erantque ijs qui videbant argumentum mœroris & tristitiæ. Quidni enim essent, cùm essent matres, quibus nihil est magis misericors? Imperator autem cùm fletum audisset & eiulatum, rogauit eos qui aderant quænam esset eorum causa,

4 Ieiunium & oratio semper valuerunt ad impetrandum à Deo ingẽtia beneficia.

5 Si D. Petrus in somnis apparet B. Syluestro: si docet eum quid agere debeat: si in eius nomine verba fieri præcipit, conclude necessariò quod sancti nõ sunt mortui, vt nõnulli garriunt, quod sciunt quæ circa nos agũtur, quod magnã habent potestatem post mortem.

causa. Postquam autem audiuit lugentes esse matres infantium qui erant interimendi, quorum sanguine erat lauandus, & viuus purgatione morborũ quibus detinebatur, tanquã ab ebrietate ad se reuersus, & mente quieta & tranquilla effectus: Actionis quidẽ, inquit, impietas est euidens & manifesta: incertum est autem an sit euenturum, vt polliciti sunt, qui hoc impium facinus suggesserũt. Quod si etiam esset manifestum, satius esse duco, vt ipse patiar morbis vexatus, quàm tot infantiũ qui nihil mali fecerunt, volens cædem faciã, & matrum eorum animis doloris flammam accendam, quæ nunquam poterit marcescere. Hæc cùm dixisset, reuersus est in regiam, & infantes reddi iussit matribus: statuit autẽ vt vnicuique eorum præberentur pecuniæ: vt eorum dolori ex æquo respondentem afferret lætitiam, gaudentibus quòd non solum filios recepissent, sed præter eos etiam accepissent pecuniam. Atque Imperator quidem sic euasit scelus. Deus autem ei duplicem procurauit salutem, & summos ad eum 6 mittit discipulos, qui ei suggererent quæ sunt salutaria. Noctu enim dormienti Imperatori visi sunt ei adstare duo viri. Rogati autem quinam essent, responderunt se esse Petrum & Paulum Apostolos Iesu Christi: missos autem esse ab illo, vt ei viam salutis ostenderent, corporisque & animæ salutis consequendæ rationem docerent, & vitam darent quæ non potest dissolui, propterea quòd ipse vitam quæ est ad tempus dederit infantibus. Si hæc ergo vis consequi, accerse Episcopum Syluestrum, qui in monte propter tui metum delitescit: & si illius monitis parueris, ille tibi ostendet piscinam, quæ & carnis purgabit vitia, & animæ sordes eluet. Hæc cùm ei dixissent, recesserunt ab oculis imperatoris, & simul etiam eum dimisit somnus. Eo autem de somnio cum animo cogitante, & visum admirante accessit medicus qui de more ei medicabatur vlcera. Ille autem eum dimisit, dicens se non amplius egere auxilio artificioso. Diuinitus enim ad me venit auxilium in somnis, & me diuinum somnium adiuit. Hæc cùm dixisset, mittit quamprimùm qui beatum Syluestrum in monte quærerent, & eum ad ipsum adducerent cum omni reuerentia.

6 Si rectu duos discipulos misit Deus ad Constantinum, signum est quod sancti non possunt dici mortui. Verè enim viuunt spiritu & anima eorum in conspectu altissimi, licet corpora iaceant in sepulchris.

Postquàm autem inuentus esset ab iis qui missi fuerant, & iam esset adductus, eum & lubenter vidit, & ei iuit obuiam, & eum est complexus. Deinde adiuro te, inquit, per crucifixum quem tu colis, vt dicas mihi an aliqui apud vos Dii colãtur, nomine Petrus & Paulus. Ille autem contrà respondit: Vnus à nobis Deus cognoscitur ô Imperator, qui creauit cœlum & terram, & omnia quæ sunt in eis. Quos autem ipse nominasti, non Dij, sed Dei sunt ministri, qui vbiq; Christi nomen annunciârunt, & postremò pro illo sunt mortui, vt qui ambos interemerit Nero propter salutarem prædicationem. Propter hæc lætitia affectus Imperator: Rogo te, inquit, Episcope Syluester, horum Christi discipulorum ostende mihi effigies, si habeas, vt sciam an ij reuera sint illi qui noctu mihi apparuerunt. Ille autem statim iussit Diacono vt summorum Apostolorum afferret imagines, 7 & eas ostenderet Imperatori. Cùm in eas autem allatas oculos iniecisset Imperator, hos esse exclamauit & non alios, qui ad eum in somnis accesserunt, & visum narrauit Pontifici, rogauit vt ei ostenderet piscinam, quam qui ei visi sunt, sunt polliciti esse purgaturam & animam & corpus. Magnus autem ille pater: Non aliter tibi, inquit, ô Imperator, licebit illa frui piscina, nisi eum qui tibi ab iis qui visi sunt est prædicatus, verũ esse Deum ex animo credideris. Ille autem: Nisi, inquit, verũ Deum credidissem esse Christũ, nequaquam tuam accersiuissem sanctitatẽ. Ei autem dicit sanctus: Oportet ergo te prius 8 ieiunare ô Imperator, & Deũ placare lachrymis, quæcunque peccasti confitentem. Depone ergo purpuram & diadema septem diebus, & tuæ regiæ penetrale ingressus, clausis ianuis, in 9 sacco & cinere humi iacens in luctu age pœnitentiam, & iube claudi templa idolorum, & cessare eorum sacrificia: qui sunt in exilio, & metallo damnati, & in carceres coniecti, libera Christianos. Largire relaxationem ijs qui sunt in vinculis & omnibus alijs afflictionibus. Sis benignus in eos qui te rogant, & iustas imple petitiones ijs, quas habes facultates impertire pauperibus. Hæc ille quidem dixit. Ipse autem affirmauit se omnia impleturum. Cùm autem imposuisset sanctus manũ capiti Imperatoris, & preces deinde dixisset, & eum fecisset 10 Catechumenum, recessit, & cùm accersiisset quidquid erat sacri ordinis, & populo eos qui Christum confitebantur, præcepit omnibus ieiunium & preces. Cùm ij autem vnanimes eius iussui paruissent, fusæ sunt communes & intensæ preces ad Dominum, vt Ecclesiis cesset persecutio, & pax eis concilietur, & tãdem finis imponatur dæmonum libaminibus, & ijs qui per ipsos errant illucescat lux salutaris. Cùm iam autem aduenisset dies septimus, diuinus Syluester venit ad magnum Constantinum, & cùm eum 11 Catechesi instituisset, & in sanctæ Trinitatis mysterio eum initiasset, & diuinæ Oeconomiæ vniuersum docuisset mysterium: Tempus est, inquit, ô Imperator, vt tibi paretur piscina. Cùm ea autẽ iam esset parata: Hæc est, inquit, piscina quam dixerunt ij qui à te visi sunt, & aqua quæ est in ipsa sanctificata, inuocatione Trinitatis, purgat animas, tibi autem ea erit & carnis curatio ac purgatio, & morbum tuũ fugabit, vt tibi sacrosancti prædixerũt Apostoli, ingredere ergo diuinũ lauacrum, primũ quidem purgan-

7 Vides hæretice vsum imaginũ in Eccles. licitum esse & antiquum.

8 Ecce quomodo baptizandi per aliquot dies ieiuniis lachrymis & pœnitentia præparabantur

9 Nota quod saccus, cinis, & humi cubatio, sunt insignia pœnitentium.

10 Vides interitum qui ex consuetudine Eccles. in Baptismo adhiberi solent, censeri catechismum.

11 Ecce quomodo catechismus semper sacrũ baptisma præcedit.

purgandus à peccatis & delictis tuis. Deinde etiam à morbo qui in tuo corpore pullulauit, teq; vexat, & probro & dedecore afficit. Hæc cùm audiuisset Imperator, & lætus vltimam exuisset tunicam, & probrum carnis subiecisset oculis, & vnctus fuisset [12] sancto chrismate, ingressus est piscinam. Cùm autem Syluester eius caput tetigisset, & eum in aquam immersisset, & sanctam simulque venerandam inuocasset Trinitatem, lux repente totam domum circumfulsit, & lucis splendor plusquam sol enituit. Exiit itaque Imperator ex diuino lauacro, habens carnem puram & sanam, neque plaga nec visa apparente cicatrice. Aqua autem piscinæ erat plena ijs quę ex vlceribus exciderant mẽbranis ac pelliculis, nõ secus ac squamis piscium. Ille autem cum se vidisset tam repentè sanatum, nesciebat quemadmodum satis ostenderet gaudij sui magnitudinem. Cùm autem vestem [13] candidam induisset luminosam, dixit ijs qui aderant, se sensisse manũ desuper extensam, quæ eum tetigit immersum in piscina. Et statim edidit decretũ, ne quis auderet blasphemare Christũ, aut molestiam exhibere Christiano: eius autẽ qui conuictus fuisset tale quid fecisse, publicari dimidiũ bonorũ. Iussit autẽ templũ quoque in regia ædificari Christo seruatori, cũ ipse suis manibus eius figurã descripsisset. Decreuit autẽ, vt qui vellent, securè possent religionẽ eligere Christianã, & ad Christi fidẽ accedere & baptizari, impensis quæ fiebant ad illuminationẽ, & veste suppeditata ex thesauris Imperatoris. Exhinc magna quædã multitudo accedit ad fidẽ & diuinum baptismũ, & nõ ex diametro: erat quidem gregi Christi quotidie accessio, idolorum autem cultoribus diminutio, sed pietatem longè magis superabat prædicatio, ipso diuino Constantino quotidianis sermonibus incitante plurimos ad persuasionem prædicationis, & quod in ipsum factũ fuerat miraculum deducente ad fidem Saluatoris nostri Iesu Christi. Cùm multi autem verè Deum esse Christum alta voce clamassent, & eos qui non sentirent, exclamarent oportere exterminari ex ciuitate, Imperator silentium populo præcipiẽs dixit, Dominum velle sua voluntate ipsum confiteri eos qui ad eum accedunt, & sua sponte sacrificare, non autem vi eis & metu intentato. Quocirca ipse quoque dixit: Neminem volo inuitum cogi ad suscipiendam prædicationem: Illos autem admitti, qui pura ac sincera mente credunt Domino, & admittunt prædicationem. Hoc dictum ab Imperatore mouit omnibus lætitiam, vt quod conseruaret libertatem & liberum arbitrium. Et sic quidem se habebat populus. Imperator autem proposuit decretum, vt omnes qui erant in carceribus, in metalli fodinis, in vinculis, propter cultum Christi, soluerentur quidem à vinculis, reducerentur ab exilio, educerentur ex carceribus, liberarentur à metalli operibus, & puram reciperent libertatem & relaxationem: Licebat ergo videre Christi Ecclesiam exultantem, & Domino confitentem qui eius tempestatem sedauerat, & Tyrannorum mare quod in ipsum rugiebat, sopierat. Per hæc malignus & ab initio hominum inimicus accepit certum vulnus. Non erat autem illius malitiæ vulnus ferre tacitè, sed rursus machinatur aduersus Orthodoxum, & quomodo serpentem prius misit in expeditionem aduersus primam matrem: & per illam primum parentem est susurratus: ita nunc quoque mittit in expeditionem serpentes & fœtus viperarum, Iudæos, inquam, aduersus inclitam matrem Imperatoris. Nam cùm in Bithynia tunc versaretur vnde orta erat, quidam Iudæi ad eam accesserunt, dicentes, ab Imperatore quidem effectam esse rem bonã quod sint abolita simulachra: sed non sinere vt esset bonum, sincerum & impermistum, sed ei etiam ex errore aliquid mali & auersandi admiscere, nempe credere Iesum esse Dei filium & verum Deum, qui fuit homo Iudæus, & tanquam maleficus ac veneficus fuit de medio sublatus. Non enim oportere Imperatorem tum illi adscribere sanitatem, sed æterno & soli Deo omnipotenti, qui eius pietatem remuneratur, quòd primus diruisset simulachra. Oportet ergo ô Imperatrix, aiebant, te Imperatorem tuum filium ab errore auertere, ne quid ei mali contingat propter errorem superstitionis, cœlesti Rege ei irato. Hæc illi quidem dixerunt: Ea verò hæc significauit literis Imperatori suo filio, qui cùm has matris accepisset literas, ad eam scripsit oportere eos qui hæc dicunt, Iudæos, congredi cum Episcopis Christianorum, & eis resistere in disputatione ipsis audientibus: & eum qui visus fuerit dicere meliora & vberiora, victoriam esse consecuturum, & se esse secuturos illius opinionem. Hæc inclita Helena significauit Iudæis: & hortata est vt quidam ex eis cum ipsa Romam proficiscerentur. Illi autẽ, cùm viros elegissent qui totius veteris legis scripturas summè didicerant, & voces nouerant Prophetarum, & versati erant etiam in doctrina gentilium, eos mittunt cum Helena Imperatrice, vt in differendo Christianis resisterent. Qui autẽ missi erant, ad satis magnam redibant multitudinẽ, cum quibus erat etiam quidam ex Iudæis presbyteris, qui vocabatur Zambre, qui erat in arte magica summè exercitatus, & per eam multa ostendebat prodigiosa, cui plusquam aliis fidebat Iudæorum sodalitas. Etsi enim victi essent in disputando, existimabant se Zambre præstigiis certam habituros victoriam. Cùm ij autẽ Romam venissent, eorũ aduentũ sanctũ significat Syluestro

Impera-

12 *Sancto etiam chrismate inungebantur, qui ad sacri baptismatis lauacrum veniebãt. Ex hoc loco cõfutata habes omnium illorum mendacia qui dicũt Constãtinum non fuisse à beato Syluestro baptizatum.*

13. *Mos fuit antiquis vt baptizati veste candida induerentur.*

Imperator, & rogat vt de fide cum eis contendat. Ille autem lubens certamen suscipit. Dies itaque præfinitus fuit disputationi. & diuinus Syluester alios quoq; accersit Episcopos vt disputationem secum aggediatur. Cùm adesset autem dies præstitutus, venit & ipse Syluester in regiam, & quidam Episcopi, & multitudo Iudæorum: certaminis autem auditores & diiudicatores, & ipse pius præsidebat Constantinus & præclarus senatus, eius autem mater Imperatrix sedebat intra velum. Diuisi autem quidam ex Iudæis, dicebant oportere aliquos ex Episcopis, secretos ab alijs, cũ eis decertare. Quibus Syluester: Non sunt, inquit, nobis vires in multitudine, sed in Deo qui omnia corroborat, quem inuocantes ad hoc certamen, dicimus: Exurge Deus & iudica causam tuã. Iudæi autem: Nostra, dixerunt, sunt hæc verba & nostræ scripturæ: te autem oportet tuis vti & non nostris, ô Episcope. Syluester autem: Vobis quidẽ, inquit, ab initio locuta est scriptura veteris testamenti & præconia Prophetarum. Nihilominus autem ea quoq; ad nos pertinent. Quoniam horum plurima de Christo sunt prædicta, & alioqui necesse est ex his vobiscum disserere. Nam vestri quidẽ libri nobis euasère proprij, sed non nostri quoq; vobis, & sicubi ex illis à nobis aliquid adductum fuerit, id à vobis circunscribitur. Quocirca vestris libris vtemur ad demonstrationem, quorum hoc nobis vendicamus, quod est magis admirabile, & clarioré efficit victoriam, quòd sumptis armis aduersariorũ, ijs eos qui resistunt percutientes, bello euademus superiores, & purè potiamur victoria. Ad hæc dixit Imperator, aduersus id quod dixit Episcopus non posse contradici. Si enim ô Iudæi, vestras adducunt scripturas ij qui Christum colunt, ad suã probandam opinionem, eis citra controuersiã tribuetur omnino victoria. Hæc cùm dixisset Imperator, & senatus ei esset suffragatus, Iudæi cœperunt loqui dicẽtes: Cùm omnipotens Deus dixerit in Deuteronomio: Videte quod ego sum & non est Deus præter me, quomodo ipsi Iesum qui est homo, Deum existimatis & nominatis, & tres Deos inducitis, nempe & eum qui à nobis colitur, & Iesum, eum decernentes esse Dei filiũ, & præter hos spiritum? Num enim sic opinantes, non apertè aduersamini ei qui docuit non esse alios Deos, qui est Deus productor vniuersorum? Ad hæc à Deo inspiratus contradixit Syluester: Si citra vllam animi perturbationem mentem vestris adhiberetis scripturis, nihil nos noui diceretis opinari, si Dei filium & Sanctum spiritum statuamus. Hæc enim non nobis à nobis ipsis dicta sunt, sed inuenta sunt à diuinis Prophetis. Et ante alios quidem dicit Dauid Propheta & Rex, patrum vestrorum in Seruatorem nostrum prænuncians insaniam. Quare fremuerunt gentes, & populi meditati sunt inania aduersus Dominum & aduersum Christum eius? Ecce ergo Dominum & Christum eius dicens, non vnam personam inducit, sed duas. Quòd autem Dei filius sit Christus, significat idem Propheta dicẽdo: Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te. Alius est ergo qui genuit, & alius qui est genitus. His Iudæi opposuerunt. Quoniam ergo, vt dicis, genuit Deus eum, qui est impatibilis, statuis patibilem, & ei tribuis affectionem: Quomodo autem filius est Deus, qui in tempore est genitus, & vt esset, habuit in tempore? Illud enim, hodie, est temporis, & non sinit Deum existimari æternum. Non patibilem generationem, ô Iudæi, in Deo dicimus, dixit à Deo afflatus Syluester: sed diuinam & impatibilem & Deo conuenientem: & quomodo dixerit quispiam: Verbum nasci ex mente. Neque introducimus temporalẽ ex Deo filij eius generationem, sed temporis expertẽ & æternam. Nam temporum quoq; effectorem cum aliis nouimus esse filium. Effector autem temporum non est sub tẽpore. Illud autẽ, Hodie genui te, dictum est à Dauide, non supernam & quæ est ante secula, & ei conuenit, diuinitatis significat generationem, sed eam quæ est inferius, quæ est in tempore & in carne, quam suscepit propter nostram salutem. Nam nouit quidem hic Propheta Christum & Deũ ante secula. Quamobrem dicit etiam: Sedes tua Deus in secula. Prædicit autem eius quoque in extremis temporibus generationem, propter mysterium susceptæ carnis dispẽsationis. Quamobrem subiungit. Filius meus es tu, ego hodie genui te. Per hoc quidem, Filius meus es tu, temporis expertem & quæ est ante secula significans generationem. Per hoc autem, Ego hodie genui te, inferiorem & eam quæ est sub tempore. Hoc autem: Ego hodie genui te, introductum est à propheta ostendente patrem, eam quoque quæ interius facta est generationem, tanquam propriam sibi attribuere, & quæ illius voluntate facta sit.

Quod autem vestra scriptura spiritus quoque meminit, idem Propheta Dauid testatur, dicens: Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum. Hic ergo trium facit mentionem, Patris inquam, & filii, quem vocat verbum, propter supernam generationem, eam ostendens esse impatibilem, & sancti spiritus. Porrò autẽ alibi quoque meminit spiritus: Spiritum tuum sanctum, dicens, ne auferas à me. Et rursus: Quò ibo à spiritu tuo qui est scilicet & implet vniuersa? Et rursus: Emittes spiritum tuum & creabuntur. An non hæc dicta sunt à diuino Dauide? Nõ Moses etiam qui Deũ vidit, in libro Geneseos Deum introducit dicentem: Faciamus hominẽ ad imaginẽ & similitudinẽ nostrã? Cum quo ergo

differens

differens est Deus introductus, si non dixerimus esse aliam cum qua loquebatur personam. Non hoc autem omnino dixerit quispiam, dictum esse ad virtutes cœlestes. Illud enim: Ad imaginem nostram, non concedit tale quid cogitari. Non est enim eadem imago & similitudo Dei & Angelorum, quoniam non est eadem natura. Necessariò ergo sequitur, aliū esse eum cum quo disserebat, vt qui sit eiusdē cum illo naturæ & similitudinis, vel vt magis propriè dicam, identitatis. Quisnam autem is existimari possit nisi filius, qui est eiusdem essentiæ, gloriæ, & potentiæ, & vt semel dicam, imago patris immutabilis? Quidnam ergo noui sumus opinati, qui decernimus esse patrem, filium & spiritum? Et si gentilibus hæc esse incredibilia videantur & inania, non est nouū, quoniam illi nostris libris nō sunt imbuti. Vobis autem quomodo hæc esse putentur inania, qui diuinorum Prophetarum voces meditamini: quorum nullus est qui de Seruatore non prænunciauerit? Cùm autem diuinus pater pergeret adhuc dicere, orationem interrumpens Imperator, dicit Iudæis: Dicta quæ nobis proposuit scriptura & Episcopus, ô Iudæi, itáne, vt dixit, se habent in vestra quoque scriptura? Illi autē: Ita se habent, dixerunt, ô Imperator. Ergo quod, inquit, attinet ad Trinitatem, mihi videmini vinci, & dare Syluestro calculum victoriæ. Non, si nos quoq; ad hæc obiecerimus, ô optime Imperator, quæ contradicere potuerimus, esse iudicabitur Syluester superior. Plurima autē habemus quæ contradicamus, & ea statim dixissemus, nisi nobis videretur superflua oratio & inanis conatus. Non enim nunc agitur, sit ne vnus Deus an tres, sed quòd Nazarenus non sit Deus. Nam & si concessum fuerit oportere tres opinari Deos, non tamen propterea sequitur, vt Iesus qui natus est homo, & ortus est ex hominibus, & conuersatus cum hominibus peccatoribus, & publicanis, & cum illis conuiuia iniit, & tandem fuit condemnatus propter maleficia, & ligno crucis affixus, & sic mortuus, Deus existimetur & nominetur. De hoc ergo nunc aduersus illos decertatur, qui nouum hunc Deum introducunt, & si de eo aliqua possint dicere, aut aliqua habeant testimonia, ea dicant. His sic dictis, præclarus Syluester: Non tres, inquit, deos non esse dicimus ô Iudæi, vt vos putastis: sed vnum Deum, qui in tribus personis aut hypostasibus colitur & adoratur. Cæterùm de hac re differatur oratio, quoniam nominata est à vobis superuacanea & inanis laboris. Consequens autē erat, ea quæ aduersus vestram ab initio propositam quæstionem à nobis sunt adducta ex libris vestris, ostendere non fuisse rectè dicta, & sic procedere nobis disputationem. Sed quoniam de his modò dicere recusastis, de Domino nostro Iesu Christo, vt vobis videtur, verba faciamus. Hinc autem est incipiendum. Deus qui produxit omnia, cùm ad bona opera produxisset & formasset hominem, vbi eum vidit declinare ad omne vitium, non neglexit suarū manuum figmentū quod peribat, sed ei placuit vt suus filius qui manet ab illo inseparabilis (est enim vbique Deus) ad nostros quoque veniret fines, factus ex muliere, factus sub lege, vt eos qui erant sub lege redimeret. Quòd autem ex muliere pariendum esse Dominū responsum fuerat, prædixit diuinus Propheta Esaias, dicens: Ecce virgo concipiet in vtero, & pariet filium: & vocabitur nomen eius Emanuel. Hoc autem nomen, vt vos quoq; scitis, significat Dei aduentum ad homines. In Græcam enim vocem traductum ex Hebræa, significat, Nobiscum Deus. Deum ergo ex virgine nasciturum, hic Propheta longo antè tempore prænunciauit. Sed dicunt Iudæi, librum Esaiæ non habere virginem, sed adolescētulam: corruptam autem esse à nobis scripturam, vt qui in nostris libris scripserimus virginē pro adolescentula. Quòd nomen quidem adolescentulæ, inquit diuinus Syluester, vestra scriptura soleat accipere pro virgine, multis in locis possumus ostendere, ô aduersarij: interim autem hoc quoq; aliunde ostendetur. Stultam enim Prophetæ orationem vel potius ipsius Dei dixerit quispiam, nisi intelligsmus adolescentulam dictam esse virginem. Nam cùm Esaias tanquam ex persona Dei dicat Achaz: Petis ne tibi signum in profundo aut in alto? Cùm is autem dixisset se non petiturum, nec Dominum Deum tentaturum, Propheta Deum inducit loquentem: Ipse dabo vobis signum. Iam verò ipsum signum quale erit? inquit: Ecce virgo in vtero concipiet. Si non ergo dicendum sit adolescentulam à Propheta dictam esse virginē, quomodo signum esse reputabitur? Eam enim quæ est viro coniuncta, vt à vobis acceptum est nomen adolescentulæ, in vtero concepisse, non est signum, sed naturalis consequentiæ, & eorum quæ fiunt assiduè. Signum autem est eorum quæ fieri non solent. Quòd si etiam dederimus in libro Prophetico scriptum esse adolescentulam, sic quoque adolescentula virgo esse intelligetur, vt signum sit id quod est promissum, & non ex iis quæ fiunt naturaliter, neque habent aliquid alienum & insuetum. Conuenienter ergo huic promissioni, virgo concepit in vtero. Nullus autem homo inuentus est, qui natus non sit ex virili semine post primum parentem, & eam quæ est ex illius latere constituta: neque absque cum viro congressione auditum est vnquam peperisse mulierem. Cùm autem sancta virgo conceperit ex sancto spiritu, & peperit absque corruptione, fuit nobiscum Deus ex promissione. Atqui non Emanuel, sed Iesus est nominatus, qui natus est ex Maria, Iudæi contrà dixerunt. Restat ergo vt

non qui est promissus à Propheta, sit is qui à vobis colitur Iesus, sed alius. Hinc fit vt neq; fuerit cum hominibus Deus. A Deo autẽ motus Syluester intulit aduersus hãc obiectionem, dictum esse quòd populi scilicet eum vocabunt. Videntes enim ea quæ ab ipso fiunt mirabilia, Deum vocabunt, & credent secum esse Deum. Mos est autem scripturæ, pro omnibus nonnunquam vt rerum euentibus, quomodo etiam est illud: Vocabunt puerum, Citò spolia, velociter prædare. Atqui nusquam inuentus est aliquis qui sic fuerit vocatus. Quod autem deprædatio inimicorum, & distributio spoliorum facta sit per Christum, propterea dictum est à Propheta tanquam nomen, id quod per ipsum est euenturum. Quinetiam dicit de Hierusalem: Vocabitur ciuitas iustitiæ. Atqui nusquam inuenta est in tota nostra scriptura ciuitas nominata iustitiæ: sed vocata est perpetuò Hierusalem. Quoniam autẽ mutanda erat in melius, propterea dicta est ciuitas iustitiæ à Prophetæ responso. Alia quoq; inuenerit quispiam dicta hoc modo in scriptura. Tale quid etiam prædixit Esaias de eo qui erat nasciturus de virgine. Rerum enim euentum dixit futuram ei vocationem, non à matre, neque ab eo qui putabatur pater, sed à multis. Quinetiam ipsum quoque nomen quo vocatus est, scilicet Dominus, rem ostendit euenturam: Iesus enim, sicut vos non ignoratis, populi salutem significat. Seruator autem fuit iis qui eum crediderunt esse Christum.

Non solùm autem Esaias dixit Deum nobiscum futurum, sed Hieremias quoq; eius ad nos aduentum prænunciauit. Hic est Deus noster, non reputabitur alius præter ipsum. Et post nonnulla: Post hæc in terra visus est, & cum hominibus conuersatus est. Atqui dixerũt Iudæi: Non quomodo dixit de futuro Esaias, ita etiam prædixit Hieremias: sed de eo quod iam factum fuerat, & in tempus præteritum, non in futurum refertur. Quo fit, vt non sit iudicandum eum loqui de Nazareno. Mihi videmini ô Iudæi, ait Syluester par Apostolis, vestra sponte conniuere ad veritatem, & nolle lucẽ intueri. Non enim dixerim vos ignorare proprietates responsorum Propheticorũ: & quòd sæpe mos sit Prophetis futura prædicere, perinde ac si iam facta essent, propterea quòd omnino futura sit prophetia, & non possit excidere. Quomodo enim quæ iam facta sunt, quin facta sint, fieri non potest: ita etiam diuina responsa non possunt excidere, & propterea quæ futura sunt nonnunquam tanquã facta, sunt à sacris introducta Prophetis. Et his plena est vestra scriptura. Atq; si Deum quidẽ in terris visum ante Hieremiam, & conuersatum cum hominibus nobis possetis ostendere, aliquam rationem haberet contradictio. Sed quoniam hoc fieri non potest, oportet deinceps in futuro accipi dicta Prophetæ, quomodo sunt etiam alia eiusmodi in vestris libris, & præ cæteris in libro psalmorum, in quo de Christo prædixit Dei parens Dauid, & tanquam iam facta prædicauit. Nunc quidem Discipuli ingratũ animi crimen perpetua notãs ignominia, dicendo: Qui comedit panes meos, magnificauit super me supplãtationem. Nunc autem populorum deplorans amentiam, & Gentium audaciã. Fuerint autem populi quidem vestra synagoga, Gentes autem exercitus Romanorum: Quare fremuerũt gentes, dicens, & populi meditati sunt inania: & alia quæ sequuntur. Modò autem crucis passionem, cùm dixit: Foderunt manus meas & pedes meos. Et quæ facturi erant milites, dicendo: Diuiserunt sibi vestimenta mea, & super vestem meam miserunt sortem: & dederunt in escam meam fel, & in siti mea potauerunt me aceto. Rursus autem prædicens sepulturam, dũ diceret propheticè: Posuerũt me in lacu inferiori: modò autem ascensum in cœlos prius contemplans & prius annũcians, & clamans: Ascendit Deus in iubilo. Quinetiam antiquus vester parens Iacob dum deficeret benedicens suis filiis, quoniam Deo afflatus præsciuerat Dominum venturum ex Iuda, & multa quidem alia ei dixit Domino conuenientia, & præter cætera eius quoq; ostendens sepulturam, & resurrectionem: Procidens dormiit, inquit, vt leo, & tanquam catulus. Quis excitabit eũ? Porrò autem Esdras quoq; prædicens passionem, sic inuentus est figurasse orationem, & conscripsisse ea quæ erant futura tanquam quæ iam euenissent. Alligauistis me clamantes super tribunal Iudicis, me humiliauistis, vt supra lignum penderem tradidistis. An non, inquit, hæc omnia ô Iudæi sunt voces Prophetarum? An à vobis dicentur esse falsa dicta Prophetarum? Hæc quidem sic scripta esse in libris Hebraicis, dixerunt Iudæi, nos quoq; assentimur. Tu autem nobiscum agis sophisticè, & nos conaris decipere: & dubia vis probare per dubia: & per ignota ignota ostendere: & eam adduci demonstrationem, quam Dialecticus nominauerit διάλληλον, id est, mutuam, & se inuicem probantem. Nam cùm pollicitus esses te ostensurum illud de Iesu dictum esse à Propheta Hieremia: In terra visus est, & cum hominibus conuersatus est, etiamsi oratio relationem fecerit in futurum, dubia adduxisti testimonia, & quæ certum sit non dicta esse de IESV. Sed nos non decipies ô Episcope. Nam neque nos sumus Græcæ ignari sapientiæ, neque sophisticorum imperiti argumentorum. Non sum ego Sophista, ait à Deo inspiratus Syluester, nec accuratè Græcam teneo eruditionem, sed sermone imperitus, Dei autem confisus sapientia, verbo quod est Deus & homo, & viuifico spiritu, non autem sophisticorum verborum persuasione, subij

vobiscum

vobiscum differendi certamen:& dixi vobis vera,firmaq; ac ſtabilia. Quoniam autem quæ dicta ſunt non reprimunt veſtram curioſitatem: aliunde quoq; oſtendam in veſtra ſcriptura hanc eſſe conſuetudinem,vt præteritum tempus accipiatur pro futuro.Sufficiunt autem ad demonſtrationem pſalmi graduum.In his enim eam quæ ex Babylone tempore Cyri facta eſt liberationem captiuorum Hebræorum,& ſecundum in Hieruſalem aſcenſum, & tépli reædificationem prius ſignificans diuinus pater Dauid.Nam vt Propheta & homo à Deo inſpiratus, multis antè ſeculis vidit mentis oculis ea quæ futura erant,& tanquam iam facta, prius ſcripſit ea quæ euentura erant plurimo pòſt tempore.In primo auté pſalmo graduum ſtatim dicit ex perſona populi captiui:Ad Dominum cum tribularer clamaui,& exaudiuit me.Et poſt aliquantum:Hei mihi quòd incolatus meus:& deinceps pſalmi graduum euocát auditorem ad tempus præteritum.Et ſic non in his ſolum,ſed etiam in pluribus aliis inuéta eſt oratio figurata à Dauide. Videntúrne hæc vobis ſufficere ad probandum,an adhuc mihi opus erit aliis? Si ita haberent, dixerunt Iudæi, vt tu dicis Epiſcope,ſufficerent. Nunc autem & de pſalmis falſum dicis,& de eorum ſcriptore Dauide. Non enim loquuntur de reditu qui fuit ex Babylone poſt captiuitaté, ſed de liberatione ex Ægypto quæ fuit tépore Moſis,& meritò in præteritum tempus ſunt compoſiti.Facile quidem eſt,ait vir diuinus,ex iis qui dicti ſunt pſalmis oſtendere,vos veſtra ſponte eſſe malos.Non enim vos ignorare dixerim,quòd de reditu ex Babylone hos pſalmos Dauid propheticè compoſuerit,ſed in hoc non immorabor, ſed ex alio euidentius oſtendam id quod quæritur. Mihi auté roganti reſpondete:Quando dominata eſt gens veſtra Hieroſolymis,nónne poſtquã egreſſa eſt Ægypto?Hoc verum dixiſti,dixerunt Iudæi:Non Iebus primum nominata eſt & Salem? Ne hoc quidem eſt falſum.Non qui veſtri habuit adminiſtrationem Propheta & Rex Dauid, cùm multis præliis fudiſſet eos qui ipſam habitabant, illam propriam ciuitatem eſſe duxit & nominauit? Aſſentimur. Non capta fuit ciuitas tempore Nabuchodonoſor: & diruta quidem ſunt mœnia,illud autem ditiſſimum & celeberrimum templum Solomonis fuit euerſum:& abductus fuit populus Babylonem captiuus? Hæc ſic acciderunt. Propterea ergo factus eſt Dauidi centeſimus ſextus pſalmus,qui dicit:Super flumina Babylonis illic ſedimus & fleuimus,dum recordaremur tui Sion.Paulò pòſt.Si oblitus fuero tui Hieruſalem,obliuioni detur dextera mea,& quæ deinceps conſequuntur in pſalmo.Ecce ergo hic quoque Propheta ea quæ multis pòſt ſeculis euentura fuerant, non tanquam futura prædixit, ſed ea tanquam quæ iam facta fuerant narrauit.Nec poteritis dicere eum hæc prædixiſſe de reditu ex Ægypto.Nondum enim veſtra facta fuerat ciuitas Hieruſalem: nec hoc nomine appellata fuerat, vt vos confeſſi eſtis.De hoc reditu loquuntur etiam pſalmi graduum,etiamſi vos eos circunſcripſiſtis, & hoc eſt manifeſtum ex hoc tertio pſalmo qui factus eſt ex perſona bello capti populi Hebræorum qui erat in Babylone,qui dicit: Lætatus ſum in his quæ dicta ſunt mihi. In domum Domini ibimus.Stantes erant pedes noſtri in atriis tuis Hieruſalem. Quinetiam in ſeptuageſimo octauo pſalmo,eam quæ tempore Antiochi accidit Hieruſalem depopulationem prædicens Propheta Dauid: Deus, inquit, venerunt gentes in hæreditatem tuam, & in templo cernens mactatas hoſtias quas tunc ſacrificabant,& introducta in ipſum ſimulachra, & eam quæ alioqui facta eſt ſanctorum inquinationem: Polluerunt templum ſanctum tuum, prædixit, & reliqua quæ ſunt in pſalmo prius enunciauit,& tanquam iam facta defleuit quæ erant ventura:& iis qui erant facturi,perinde ac iis qui iã fecerant malè eſt precatus.Cùm ergo ſic in multis figuretur oratio in diuina ſcriptura,non fuerit nouum, ſi quædam de Chriſto ſic dicta ſunt à Prophetis, & hoc modo figurata fuit ab eis oratio. Hæc cùm in rebus diuinis ſapiens diſſeruiſſet Syluester,Iudæi: Nihil,aiebant,eſt horum falſum, ſed tu quæ dicta ſunt de aliis,Ieſu improbè tribuis:& ſic mentem ſimpliciorum ſurripis. Ergo,inquit ſanctus, aliquem alium à virgine conceptum & natum datis,aut ante Seruatoré Chriſtum, Deum in terra viſum,& cum hominibus conuerſatum demonſtrare poteſtis,aut alias gentes fremuiſſe,& populos eſſe inania meditatos aduerſus Dominum & aduerſus Chriſtum eius.Cuinam autem alij accommodabitis illud:Foderunt manus meas & pedes meos. & illud,Diuiſerunt ſibi veſtimenta mea,& ſuper veſtem meam miſerunt ſortem:& in eſcam datum ei eſſe fel,& potatum eum eſſe aceto: & poſitum eſſe in lacu, & ſurrexiſſe in iubilo, vt Deum,qui vicit inimicum.Canticum enim eſt pro victoria iubilatio. Dicite ergo an hæc poſſitis alicui alij tribuere? Hæc cùm audiſſet Imperator: Mihi, inquit, videmini ò Iudæi, eſſe victi. Illi autem: Ne ſic,aiebant,feras contra nos ſententiam ò optime Auguſte:poſſumus enim adhuc multa alia opponere Epiſcopo. Et iam dicat quanam de cauſa Ieſus cùm eſſet Deus, vt ipſe dicit, natus eſt ex Virgine,& carnem ſuſcepit. An enim non poterat omnipotens aliter reuocare genus hominum, & efficere vt ex caſu ſurgeret? Quomodo autem Deo quoque à diabolo fuit adhibita tentatio, dummodo quidem exigeret vt eſuriens faceret panes ex lapidibus: modò autem iuberet vt ſe ex alto deorſum deijceret,vt id quod

cerneretur probaret esse Dei filium:& rursus eum impelleret ad orationem,& polliceturse ei daturum regna terræ. Ad hæc dicit beatissimus Syluester: Nihil est quidem ô Iudæi,quod non possit à Deo fieri,& vt res est,ita creditur. Oportebat autem diabolum vinci ab eo qui ab ipso victus fuerat. Homo autem ab illo victus fuit, & homo qui non factus est ex naturæ consequentia,neq; ex coitu & congressu viri,sed ex terra formatus incorrupta: incorrupta enim tunc erat terra,vt quæ nõdum fuisset maledicta,neq; polluta sanguine fratris, aut cædibus aliorum animalium,neq; mortuorum corporum, vt postea vocata esset sepulchrum,aut prophanis actionibus inquinata & sceleribus. Atque ex terra quidem talis caro formata fuerat Adamo primo parenti: ipsa autem diuina insufflatio facta est in animam. Eum ergo hominem qui sic natus fuerat cùm vicisset malignus,se insolenter iactabat,vt qui diuino insultasset figmento. Oportet ergo,vt dictũ est,à tali rursus homine vinci,& cadere eum qui est princeps & auctor mali. Talis autẽ Dominus Iesus, non natus naturæ legibus, sed vt ille ex terra incorrupta, ita Dominus ex vtero incorrupto, & ventre virgineo & sancto. Et quomodo ille fuit viuificatus diuina insufflatione, ita hic etiã sanctissimo & viuifico spiritu constitit,perfectus homo in omnibus sine peccato. Qui ergo quomodo Adã non naturaliter, sed supra naturã factus fuerat homo,& alius vocatus Adam vicit eũ qui primũ Adam vi deceperat & vicerat,& per quæ maleuolus & hostis hominibus primũ nostrũ deuicit parentẽ,per ea nouum quoq; Adam inescare aggressus,nõ potuit. Per intẽperantiam enim & gloriæ cupiditatẽ illum decepit. Si ex ligno prohibito comederis,eris tanquã Deus, cognoscẽs bonũ & malum,& aduersus Christum quoq; per eadẽ conatus & gloriari, cùm videret eum tanquam Adamum propter id quod apparebat, & esurienti apposuit lapides, petens vt eos mutaret in panes: & pollicitus est se illi daturum regna terræ, si procidẽs eum adoraret. Illud enim erat gulæ,hoc autem primi loci cupiditatis & dominandi desiderij. Vndiq; autem depulsus fuit malignus,& cùm primũ vicisset Adam,secundũ aggressus apertè victus est hostis. Propter hæc Deus est inter homines, & mater virgo,& hostis tentator. Non diuina autem natura,sed humana fuit tentata,& in passione similiter passa est humanitas,impatibili remanente diuinitate. Aliena dicis ô Episcope,respondêre Iudæi,& ab iis qui intelligunt omnino non admittenda. Quomodo enim vnquam admiserit intelligentia, duarum rerũ vnitarum vnã quidem pati,alteram verò effugere perpessionẽ:& vnam quidem dolere,alterã verò non sentire dolorẽ:& hanc quidem mori,illam verò manere immortalẽ? Etenim nos quoq; constamus ex duabus naturis,nempe ex anima & corpore,ex quibus anima quidem est immortalis:corpus verò subiectum mortalitati: sed corpore patiẽte,animam quoq; simul pati cum eo cognoscimus: & eo dolente,illam quoq; simul dolere. Et quam diu carni vnita est anima, fieri non potest,vt si ea crucietur,non anima quoque sit particeps cruciatus. Est autem hoc euidens. Nam cùm ex carne euolauit anima,illa nihil sentit omnino molestiæ. Non duarum naturarum in Christo commixtionem neq; confusionem opinamur ô Iudæi,diuinus dixit Syluester, sed vnionem quidem, vtraq; autem natura suas inconfusas seruante proprietates. Nam comedebat quidem & dormiebat vt homo,& fleuit propter Lazarũ mortuum. Vt Deus autem, viuificauit mortuos, curauit paralyticos, per mare ingressus est pedibus, violentis ventorum flatibus assurgens mare depressit, strauit,& sedauit. Mari agitato fluctibus: Sile, dixit, compescere, & statim euasit placidum & tranquillum, & non transiliit increpationem. Ita etiam perpessiones & tentationes applicandæ sunt carni cui innatum erat, vt pateretur & tentaretur: non autem diuinitati. Nam cùm perfectum hominem suscepisset Dominus noster Iesus Christus ,& anima quoque & mens in ea est assumpta, & carne patiente, vnà quoque dolere animam, humanæ naturæ legibus nos quoque dicimus: cum carne autem Domini pati id cui non est innatum vt patiatur,dico autem diuinitatem, nunquam dixerimus. Sed quomodo, rursus dixerunt Iudæi, potuerit hoc vnquam fieri? Quomodo quod à te affertur potuerit concipere cogitatio? Si autem in rebus materialibus, & iis quæ apud nos fiunt,hoc fieri ostenderimus, dixit à Deo inspiratus Syluester, non fuerit hoc à nobis admittendum etiam in diuinitate in quam non cadit interitus. Post hæc dixit Imperator & Senatus: A ratione alienum fuerit ô sancte Syluester, si ei quod dicis non assentiantur Iudæi. Si duo quædam vnita ad te adducta fuerint, quorum vno patiente, alterum non fuerit simul particeps perpessionis. Tibi quidem ò optime Imperator, & illustri Senatui, respondit admirabilis Syluester, hæc sic videntur,& in alteram partem nõ propendet calculus. Dicant autem Iudæi quoq; an illis placeat id quod dicitur, & an huic quoque sententiæ illi assentiantur. Dicite,ait Imperator Iudæis,quid vobis videtur, si id quod dixit confirmauerit Episcopus. Illi autem: Fieri quidem non potest,dicebant,ò Imperator, vt tale exemplum nanciscatur Syluester. Sin autem nactus fuerit, & impleuerit id quod est pollicitus, si contra illius dicta nos nihil dicere potuerimus, nos quoque libenter tuam sequemur sententiam. Sit mihi ergo exemplum ò Imperator, ait sanctus, purpura tuæ poten-

potentiæ. Non eſt ea fila ſerica, quæ natura quidẽ vilia, & ante purpurã non in magno pretio habita, purpuræ autẽ ſanguine colorata, & magni ſunt pretij, & fiunt ornamentum Imperatoris? Quando ergo ea nebantur à textoribus, & vel extendebantur ad ſtamen, vel ab eis parabantur ad ſubtegmen, & aliquando quidem ſecabantur, aliquando autem inter ſe colligabantur, vtrum erat id quod nebatur, aut ſecabatur, aut ligabatur, fila ſerica, an id quod ea colorauit, color, inquã, purpuræ? Auguſtus & Senatus, Serica fila, dixerũt, ô Epiſcope, nebantur & ſecabantur. Sint ergo, dixit ſanctus, imago, fila quidem ſerica, carnis Domini. Purpura autẽ, diuinæ & impatibilis naturæ, & quomodo fila quæ prius erant pretij, colorans purpura flore ſuo, longè facit pretioſiora: ita etiam diuinitas carni vnita, quam ſuſcepit Dominus, eam fecit longè pretioſiorem, ſed illa patiente non paſſa eſt diuinitas, quomodo neq; purpura, dum fila ſecabantur ſerica, aut quæ ex eis contexta fuerant, fuit conciſa. His applauſerũt Imperator & Senatus: Et optimũ eſt, dixerunt, exemplũ, & ratio quæ ſeruat promiſſum, & apertè oſtendit ſolam paſſam eſſe Ieſu carnem, non autẽ diuinitatem. Imperator autẽ orationẽ conuertens ad Iudæos: Quid vos ad hæc dicitis, inquit? Magnæ quidẽ eſt audaciæ, dixerunt, ô Imperator, tuæ repugnare ſententiæ. Vbi autem de Deo agitur & contenditur, ne tua quidem potentia erit nobis impedimento, quo minus cõtradicamus. Nobis enim nõ ſolùm videntur hæc fila ſerica neri & ſcindi, ſed etiã ſimul neri & ſcindi purpura: & ita Syluestro non ſuccedere quod dixerat, & nõ præſtitiſſe quod erat pollicitus. Cùm autẽ contradiceret Imperator & Senatus, à Deo inſpiratus Syluester: Peruicax, ô Imperator, inquit, eſt hoc genus, & ſemper duræ ceruicis. Ne ergo tua laboret potentia, ſed his quoq; adhuc alia adijciantur exempla, adiuuante fortè ſancto & intelligente ſpiritu, qui hominẽ docet ſcientiam, eorum obſtruentur ora, & perſuadebuntur. Et ad Iudæos conuerſus: Solis, inquit, radius qui arbori applicatur, & eã illuſtrat, nõ eſt, inquit, ei vnitus, quãdiu eã illuſtrat? Omnino affirmarũt Iudæi. Si ergo ſecuris aliqua arborẽ exciderit dũ illuminatur, nũ etiam ſimul exciſum ſolarẽ radium putabitis? Si autem ſplendor quoq; ſolis cũ luto congreditur, eritne eius fœtoris, aut etiã ſordium vllo modo particeps, & non potius diu cũ eo verſans, & lutum exiccabit, & exhauriet humiditatẽ, & ſalubre reddet id quod eſt putrefactum? Quomodo ergo is qui ligna ſecat, non vnà ſecat ſolarẽ radium ſecans arborem: ita nec paſſa eſt diuinitas patiẽte Seruatore in humanitate: neq; fuit particeps carnis proprietatum ei vnita, ſicut nec ſol appropinquans rebus ſordidis & putrefactis, impletur immunditia, quæ ex illis contrahitur. Cùm hæc ſic dicta eſſent ab illo egregio rerum diuinarum interprete, Imperator quidẽ, & vniuerſum applauſit auditorium, & eum laudauit, illius verba admirans & eorũ parentem. Iudæi autem ſteterunt ſilentes, & ſe inuicem fixis oculis intuentes. Sanctus autem dixit Imperatori: Hæc exempla dixi, ô Imperator, non vt quæ rei naturam attingant: Quæ enim oratio rebus potuerit exæquari? ſed quæ conuenienter noſtræ imbecillitati exilem quandã & obſcuram præbent imaginẽ eius quæ comprehendi non poteſt ſuſceptæ carnis œconomiæ. Reliquis autẽ Iudæis tacẽtibus, Zambres ſolis ſuis fretus præſtigiis, & prodigioſum aliquid auens oſtendere, & per id venari ſpectatores: Si verbis, inquit, ô Imperator, & copioſus Syluester, & aptus ad perſuadendum in diſputationibus, propterea ne nos relicta patria religione eum ſequemur, & homini credemus quem patres noſtri communi conſenſu condemnarunt? Quòd autem Deus eſt ſolus qui a nobis colitur & non alius, ego non verbis, vt Syluester, ſed rebus oſtenderim. Iube ergo huc magnum & agreſtem taurum adduci, & manifeſtum erit tuæ potẽtiæ, & omnibus qui adſunt, non eſſe Deum præter Deum noſtrum. Cùm ita quæreretur agreſtis taurus, dixit quidam ex iis qui aſſiſtebant Imperatori, apud ſe eſſe talem ferum & immanſuetum taurum, quem neq; poſſet aliquis efficere vt iugum ſubiret, neq; eum manu demulcere. Iuſſit itaque Imperator taurum adduci. Cùm abirent autem qui iuſſi fuerant taurum adducere, venerandus Syluester rogauit Zambrem: Cur à te quæſitus fuit taurus? Cùm is autem aduenerit, quidnam à te fiet? Ille autem: Nomen, inquit, Dei qui à nobis colitur, audiri non ſuſtinet natura, neque ſi quis id audiuerit, poteſt amplius viuere. Noſtri enim maiores, ad ſacrificia tauros maximos offerentes, in taurorum aures hoc nomen dicebant: & ſtatim tauri magnum & flebilem edentes mugitum cadebant: & erant parati vt ſacrificarentur. Syluester autem: Si hoc, inquit, nomen, vt dicis, cùm auditur, eum qui audit interimit, quomodo tu hoc didiciſti? Zambres verò: Non licet, inquit, tibi noſſe modum, neque huius rei arcano imbui myſterio, cùm ſis in nos malè affectus, & hoſtili animo in Iudæos. Hæc cùm dixiſſet Zambres præſtigiator, dicit ei Imperator: Si non vis Epiſcopo aperire myſterium, at nobis interim oportet diſſoluere dubium. Eſt enim re vera dubium quod dicitur, niſi quis dixerit hoc diſci dum legitur. Zambres autem, non pellis, inquit, non alia charta, non lignum, non lapis, non vllum aliud corpus poteſt hoc nomen ſcriptum continere. Nam protinus & qui ſcribit, & corpus in quo ſcribitur interit. Imperator verò: Dic ergo, inquit, quomodo ipſe hoc didiciſti? Etenim fieri non poteſt, vt hoc diſcatur, ſi neque

dicatur neque scribatur. Zambres autem: Ego, inquit, ò Imperator, septem dies vacaui ieiuniis. Deinde noua peluis argentea, qua nemo adhuc vsus fuerat, impleta fuit aqua fontana: & cùm aqua fuisset benedicta, literæ fuerunt in ea insculptæ quodam digito, quæ vacantem mentem mysticè nomen Dei docebant. Dixit autem ingeniosus Syluester: Sic quidem, vt dicis, ò Zambre, mysticè didicisti nomen quod non auditur? Quid autē quando in aurem submurmuras hoc alicui, non ipse quoque hoc nomen audis, sicut is cui hoc dicis? Quomodo ergo non tu quoque moreris? Non apud te de hac re verba feci Syluester, respondit præstigiator. Iam enim prius tibi dixi, me tibi nolle modum & causam aperire. Sed quid verbis opus est, cùm liceat rebus ipsis confirmare quod dicitur? Ex duobus vnum elige. Aut enim ipse Nazareni inuocato nomine, taurum statim mortuum ostende, & eum esse Deum nos quoque admittemus: Aut cùm ego in aurem eius dixero nomen Dei nostri, si cadet statim taurus mortuus, oportet vt tu quoque assentiaris non esse alium Deum, nisi eum quem colimus. Laudarunt quæ dicta fuerant ij qui audiebant, & anxij fuere Christiani. Diuus autem Syluester iubebat eos esse bono animo, & minimè perturbari: & promittebat fore, vt viderentur ab omnibus Dei mirabilia. Tunc ergo Zambræ dixit Imperator. Oportet te prius implere tuam promissionem. Pollicitus enim es te taurū posse verbo occidere. Ille verò dicit: Quomodo iubes me hoc facere ò Auguste, vide vires Dei qui à nobis colitur, quàm sint inexpugnabiles. Hæc cùm dixisset, appropinquauit tauro qui trahebatur à multis fortibus adolescentibus, validis funibus eius cornuus & collo alligatis. Quorum alij quidem hinc, alij verò illinc eū trahebant, ne in vtrāuis inclinaret. Si enim ad dexteram partem irruebat taurus, eum trahebant ad sinistram. Si eum autem impetus ferebat ad sinistram, eum trahebant ij qui stabant ad dexteram. Cùm ergo accessisset, & in aurē eius validè insusurrasset, taurus magnum & horrendum edens mugitum, & cum tremore membris in orbem circumactus, cecidit protinus, & videbatur mortuus. Propterea Iudæi quidem exilierunt & plauserunt manibus, &, vicimus, exclamauerūt. Vniuersum autem theatrum obstupuerat, & erat plenum tumultu. Sanctus autem cùm indixisset omnibus silentium, & sedasset tumultum, dicit Iudæis: Non sunt verba vestræ scripturæ: Ego occidam & viuere faciam, vt in qua sit Deus omnipotens introductus hoc dicere. Illi autem hæc ita se habere assensi sunt. Si ergo, dixit Syluester, ex Deo à Zambre perfectum fuit vt moreretur, per eiusdem rursus inuocationem fiet, vt ipse quoque reuiuiscat. Est enim beneficus Deus, non maleficus. Illud est enim ei natura, hoc verò præter naturam. Et benefacere quidem est ei voluntarium: malefacere autem, violentum & inuoluntarium. Fit autem nonnunquam propter aliquorum vtilitatem. Si ergo quod est præter naturam, & quod à Deo non sua sponte suscipitur, tam facile perfectum est à Zambre, facilius efficietur id quod est ei secundum naturam: & de cætero quem nomine Dei, vt ipse dicit, occidit taurum, si rursus viuificauerit inuocatione omnipotentis, me quoque habebit eius verbis assentientem. His sic dictis à Dei interprete, Zambres, strophis verborum, inquit, fretus Syluester ò Imperator, per ea vult adumbrare id quod modò factum est miraculum Dei nominis inuocatione. Sed non opus est nunc verbis, nec eorum ornatu ac probabilitate, factis autem opus est. Et si qua est tibi virtus ò Episcope, & Iesu qui à te colitur, eam factis ostende. Et vis, inquit ille beatissimus, ostendam Christi virtutem, inuocatione eius bouem viuificans quem tu interfecisti? Verba sunt hæc ò Syluester, inquit Zambres, & inanis iactatio. Non potest enim fieri, vt taurus viuificetur. Ei autē dicit magnus Constantinus: Si ergo quod tu dicis fieri non posse, possit Episcopus ad opus deducere, eius ne verbis assentieris, & Deum esse confiteberis eum qui ab ipso prædicatur? Certè, inquit, ò Imperator, viuo per salutem, si videro hunc taurū resurgere, ipse quoq; Christum fatebor Deum, & me submittam Syluestri dogmati. Hoc omnes quoq; affirmarunt Iudæi. Tunc ergo sanctus cùm genu [14] flexisset, & solo caput demisisset, & oculos irrigasset fluxione calidarum lachrymarū, Deum per se orauit. Deinde surgens, & manus in altū tollens, dixit cunctis audientibus: Domine Iesu Christe, qui es Dei filius & Deus, cui facile est viuificare & morte afficere, percutere & sanare, tibi placeat, vt hic bos qui dæmonis inuocatione morte fuit affectus, à sancto & viuifico & venerando tuo nomine viuificetur. Iam enim tempus est, vt tua ostendantur miracula ad salutem multorum, propter quā ipse in terram descendisti, exaudi me seruum tuum in hac hora, vt sanctissimum tuum nomen sit in maiori adhuc admiratione. Et cùm hæc dixisset, prope taurū accedēs, voce sublata exclamauit. Si est verus Deus quem ego prædico Iesus Christus, qui natus est ex Maria virgine, surge, & sta super pedes tuos, tua abiecta feritate. Protinus itaque motus taurus exiliit, & stetit à nullo detentus, & ad eum accedens mirificus ille pater, cùm ab impositis eum soluisset vinculis: Abi, inquit, vnde venisti, ostendens deinceps omnem mansuetudinem, neminem lædēs, neque contra vllum insurgens. Hæc tibi iubet Iesus Christus omnium Deus. Ille autem statim sensim abiit, & quieto pede, qui prius erat immitis & immansuetus. Hæc eos qui videbant

14 Vide quantum valuerit sancti oratio cum genu flexione & lachrymis atq; manuum subleuatione.

videbant obstupefecerunt, & verè magnus est qui à Syluestro prædicatur Deus, clamabant. Iudæi autem ad sanctum accurrentes, illius pedes præhensarunt, & rogarunt vt oraret pro ipsis, & eius Deum placaret, & inclyta Imperatrix Helena velis ablatis intra quæ sedebat, audiens ea quæ dicebantur, & spectans ea quæ fiebant, egressa est, & procidit ad sancti pedes: Credo Christo, dicens, & rogans vt diuinum baptismum consequeretur. Vir autem ille Apostolicus, omnibus in Dominum nostrum Iesum Christum credentibus eum propitium futurum pollicitus, cum ijs qui diuinum volebant assequi baptismũ, 15 ieiunium præcepisset & sanctificationem, dissoluit conuentum. Deinde cùm eos catechesi imbuisset qui erant illuminandi, & in ijs quæ de more fiunt prius eos initiasset, baptizat primùm quidem Imperatricem, post eam autem, Romanorum quoque multitudinem quæ non facile numerari poterat, & eos qui illic aderant Iudæos, qui omnes crediderunt. Hæc autem cùm piè administrasset, & fidem dilatasset, fiduciamque & libertatem dedisset prædicationi, & deinde vnà cum Imperatrice profectus esset Hierusalem, & ad quærendam salutarem Christi crucem ei collaborasset, & propter inuentionem eius esset collætatus, & multos illic quoque Iudæos ad Christi fidem adduxisset, & eos diuino baptismo initiasset in nomine sanctæ Trinitatis, & euasisset plenus diebus spiritus, terram quidem terræ reddidit: Spiritum autem deposuit in manibus Angelorum, abducendum ad Christum qui fuerat ab eo prædicatus, & multorũ laborum quos propter illum susceperat accepturum remunerationes, quando veniet vnicuique redditurus secundum sua opera. Quem decet omnis honor, & adoratio cum patre principij experte, & increato, & honore ei æquali spiritu, nunc & semper, & in secula seculorum. AMEN.

15 Ecce ieiunio & catechismo de more sanctæ Ecclesiæ baptizandos præparat.

VITA HELENAE CONSTANTINI IMPERATORIS matris, quomodo sanctam Domini Crucem Hierosolymis inuenerit, Per Ruffinum Presbyterum Aquileiensem scripta.

PER Nicæni Concilij tempora Helena Constantini mater, fœmina incomparabilis fide & religione animi, ac magnificentia singulari, cuius iure Constantinus & esset filius, & crederetur diuinis admonita visionibus, Hierosolymam petit, atque ibi locum in quo sacrosanctum corpus patibulo affixum pependerat, ab incolis perquirit. Qui idcirco ad inueniendum difficilis erat, quòd ab antiquis persecutoribus simulachrum in eo Veneris fuerat defixum, vt si quis Christianorum in illo loco Christum adorare voluisset, Venerẽ videretur adorare. Et ob hoc infrequens & penè obliuioni datus fuerat locus. Sed cùm (vt supià diximus) religiosa fœmina properasset ad locum cœlesti sibi indicio designatũ, cuncta ex eo prophana & polluta deturbans, in altũ purgatis ruderibus, tres confuso ordine reperit cruces. Sed obturbabat reperti muneris lætitiã vniuscuiusque crucis indiscreta proprietas. Aderat quidem & titulus ille, qui Græcis, & Latinis, atque Hebraicis literis à Pilato fuerat conscriptus: sed nec ipse satis euidenter Dominici prodebat signa patibuli. Hic iam humanæ ambiguitatis incertum, diuinũ flagitat testimonium. Accidit in eadem vrbe primariam quandam loci illius fœminam graui ægritudine confectam, seminecem iacere. Macarius per idem tempus Ecclesiæ illius Episcopus erat. Is vbi cunctantem reginam, atque omnes pariter qui aderant videt: Adferte, inquit, huc totas quæ repertæ sunt cruces, & quæ sit quæ portauerit Dominum, nunc nobis adaperiet Deus. Et ingressus cum regina pariter & populis ad eam quæ decumbebat, defixis genubus huiuscemodi ad Deum 1 preces profudit: Tu Domine, qui per vnigenitum filium tuum salutem generi humano per passionem crucis conferre dignatus es, & nunc in nouissimis temporibus adspirasti in corde ancillæ tuæ perquirere lignum beatum, in quo salus nostra pependit, ostende euidenter ex his tribus, quæ crux fuerit ad Dominicam gloriam, vel quæ extiterit ad seruile supplicium, vt hæc mulier quæ semiuiua decumbit, statim vt eam lignum salutare contigerit, à mortis ianuis reuocetur ad vitam. Et cùm hæc dixisset, adhibuit primò vnam ex tribus, & nihil profecit: Adhibuit secundam, & ne sic quidem aliquid actum est. Vt verò admouit tertiam, repentè adapertis oculis mulier consurrexit, & stabilitate virium recepta, alacrior multò quàm cùm sana fuerat, tota domo discurrere, & magnificare Dei potentiam cœpit. Sic euidenti iudicio regina voti compos effecta, 2 templum mirificum in eo loco in quo crucem repererat, regia ambitione construxit. Clauos quoq; quibus corpus Dominicum fuerat affixum, portat ad filium. Ex quibus ille frenos composuit quibus vteretur ad bellum. Et ex aliis galeam nihilominus belli vsibus aptã fertur armasse. Ligni verò ipsius salutaris partem detulit filio, partẽ verò thecis argenteis conditam dereliquit in loco: quæ

Habetur l. 10. Histor. Eccle. cap. 7

1 Defixis genubus preces ad Deum profudit.

2 Quid dicis ô ita spiritualis sicut tẽpli materialis [illegible] templum mirificũ in loco vbi crucem repererat, regia ambitione construxit.

3 Pars ligni Crucis in loco ad memoriam solicita veneratione seruatur.

4 Vide humile sanctæ Reginæ erga virgines Deo sacratas obsequiũ. Hæc nostri hæretici cõpulissent omnes nubere, dicẽtes eas virginitatẽ seruare nõ posse. O blasphemiã impudentem.

quæ etiam nunc ad memoraim 3 solicita veneratione seruatur. Reliquit etiam hoc indicium religiosi animi regina venerabilis: Virgines quas ibi reperit Deo sacratas, inuitasse ad prandium, & tanta eas deuotione curasse dicitur, vt indignum crederet, si famulorum vterentur officijs: sed ipsa 4 manibus suis, famulæ habitu succincta, cibum apponeret, poculum porrigeret, aquam manibus infunderet, & regina orbis ac mater imperij, famularum Christi se famulam deputaret. Et hæc quidem Hierosolymis gesta. Interea Constantinus pietate fretus, Sarmatas, Gotthos, aliasque Barbaras nationes, nisi quæ vel amicitiis, vel deditione sui pacem præuenerant, in solo proprio armis edomuit. Et quanto magis se religiosius ac humilius Deo subiecerat, tantò amplius ei Deus vniuersa subdebat. Ad Antonium quoque primum eremi habitatorem, velut ad vnum ex Prophetis literas suppliciter mittit, vt pro se ac liberis Domino supplicaret. Ita non solùm meritis suis, ac religione matris, sed & intercessione sanctorum, commendabilem se Deo fieri gestiebat. Sanè quoniam tanti viri Antonij fecimus mentionem, de virtutibus eius atque institutis, & sobrietate mentis, vt in solitudine vitam degens, vsus solummodo consortio fuerit bestiarum, & de dæmonibus crebros agens triumphos, placuerit Deo supra cunctos mortales, vtque institutionis suæ præclara vsque in hodiernum monachis exempla reliquerit, volentem me aliqua exponere, ille libellus exclusit, qui ab Athanasio scriptus etiam Latino sermone editus est.

ADHVC EIVSDEM HELENAE VITA, PER D. AMbrosium Mediolanensem Episcopum scripta.

Habetur in oratione funebri eiusdem de obitu Theodosij Tom. 3.

CONSTANTINO licet baptismatis gratia in vltimis constituto omnia peccata dimiserit, tamen quòd primus Imperatorum credidit, & post se hæreditatem fidei principibus dereliquit, magni meriti locum reperit, cuius temporibus completum est illud propheticũ: In illo die erit quod super frenum equi est sanctum Domino omnipotenti. Quod illa sanctæ memoriæ Helena mater eius infuso sibi sancto spiritu reuelauit. Beatus Constantinus tali parente, quæ imperanti filio diuini muneris quæsiuit auxilium, quo inter prælia quoque tutus assisteret, & periculum non timeret. Magna fœmina quæ multo amplius inuenit quod Imperatori conferret, quàm quod ab Imperatore acciperet. Anxia mater pro filio, cui regnum orbis Romani cesserat, festinauit Hierosolymam, & scrutata est locum Dominicæ passionis. Stabulariam hanc primò fuisse asserunt, sed coniunctã Constantino seniori, qui postea regnum adeptus est. Bona stabularia, quæ tam diligenter præsepe Domini requisiuit. Bona stabularia, quæ stabularium non ignorauit illum qui vulnera curauit à latronibus vulnerari. Bona stabularia, quæ maluit existimari stercora, vt Christum lucrifaceret. Ideo illam Christus de stercore leuauit ad regnum, secundùm quod scriptum est: Quia suscitat de terra inopem, & de stercore erigit pauperem. Venit ergo Helena, cœpit reuisere loca sancta, infudit ei spiritus, vt lignum crucis requireret: accessit ad Golgotam, & ait: Ecce locus pugnæ, vbi est victoria? Quæro vel vexillum salutis, & non inuenio. Ego, inquit, in regnis, & Crux Domini in puluere? Ego in aulis, & in ruinis Christi triumphus? Ille adhuc latet, & latet palma vitæ æternæ? Quomodo me redemptam arbitrabor, si redemptio ipsa non cernitur? Video quid egeris diabole, vt gladius quo perẽptus es, obstrueretur. Sed Isaac obstructos ab alienigenis puteos eruderauit, nec latẽre aquã passus est. Tollatur igitur ruina, vt vita appareat. Promatur gladius quo viri Goliæ caput est amputatum. Aperiatur humus, vt salus fulgeat. Quid egisti diabole, vt absconderes lignum, nisi vt iterũ vincereris? Vicit te Maria quæ genuit triumphatorem, quæ sine imminutione virginitatis edidit eum qui crucifixus vinceret te, & mortuus subiugaret. Vinceris & hodie, vt mulier tuas insidias deprehendat. Illa quasi sancta Dominum gestauit, ego crucem eius inuestigabo. Illa generatum docuit, ego resuscitatum. Illa fecit vt Deus inter homines videretur, ego ad remedium peccatorũ diuinum de ruinis eleuabo vexillũ. Aperit itaque humũ, decutit puluerem, tria patibula cõfusa reperit, quæ ruina cõtexerat, inimicus abscõderat. Sed nõ potuit obliterari Christi triũphus. Incertò hæret vt mulier, sed certã indaginẽ sanctus spiritus inspirat, eò quòd duo latrones cũ Domino crucifixi fuerint. Quęrit ergo mediũ lignũ, sed poterat fieri, vt patibula inter se ruina cõfunderet, casus mutaret & inuerteret. Redit ad Euãgelij lectionẽ, inuenit quia in medio patibulo prælatus titulus erat: Iesus Nazarenus Rex Iudæorũ. Hinc collecta est series veritatis, titulo crux patuit salutaris. Hoc est quod petentibus Iudæis Pilatus respondit: Quod scripsi, scripsi. Id est, non ea scripsi quę vobis placerent, sed quæ ætas futura cognosceret: non vobis scripsi, sed posteritati, propemodum dicens: Habeat Helena quæ legat, vnde Crucem Domini recognoscat. Inuenit ergo titulum, Regem adorauit,

non

non lignum vtique, 5 quia hic gentilis est error & vanitas impiorum. Sed adorauit illum qui pependit in ligno, scriptus in titulo. Illum qui sicut Scarabæus clamauit, vt persecutoribus suis peccata donaret. Auida mulier festinabat tangere remedium immortalitatis, metuebat calcare sacramentum salutis. Læto corde, & trepidanti vestigio, quid faceret nesciebat. Pertendit tamen ad cubile, veritatis lignum refulsit, & gratia micuit, vt quia iam fœminam visitauerat Christus in Maria, Spiritus in Helena visitaret. Docuit etiam quod mulier ignorabat, & deduxit in viam quam mortalis scire non poterat. Quæsiuit clauos quibus crucifixus est Dominus, & inuenit. De vno clauo frenos fieri præcepit: de altero diadema intexuit: vnum ad decorem, alterum ad deuotionem vertit. Visitata est Maria vt Euam liberaret: visitata est Helena, vt Imperatores redimerentur. Misit itaque filio suo Constantino diadema gemmis insignitum, quas pretiosiori ferro innexas, crucis redemptionis diuinæ gemma connecteret. Misit & frenũ: vtroque vsus est Constantinus, & fidem transmisit ad posteros reges. Principium itaque credentium Imperatorum, sanctum est quod super frenum, ex illo fides, vt persecutio cessaret, deuotio succederet. Sapienter Helena egit, quæ crucem in capite regum leuauit & locauit, vt crux Christi in regibus adoretur. Non insolentia ista, sed pietas est, cùm defertur sacræ redemptioni. Bonus itaque clauus Romani Imperatoris, qui totum regit orbem, ac vestit principum frõtem, vt sint prædicatores, qui persecutores esse consueuerunt. Rectè in capite clauus, vt vbi sensus est, ibi præsidium. In vertice corona, in manibus habena. Corona de cruce, vt fides luceat: habena quoque de cruce, vt potestas regat, sitque iusta moderatio, non iniusta præceptio. Habeãt hoc etiã principes Christi sibi liberalitate concessum, vt ad imitationẽ Domini dicatur de Imperatore Romano: Posuisti in capite eius coronã de lapide pretioso. Ex illo gratulatur Ecclesia, erubescit Iudæus: non solùm erubescit, sed etiam torquetur, quòd ipse sibi autor confusionis est. Dum insultat Christo, confessus est eum regem: dum regem Iudæorum appellauit, sacrilegium suum qui non credidit confitetur. Ecce, inquiunt: Et crucifiximus Iesum, vt Christiani & post mortem resurgant, & mortui regnent. Nos crucifiximus quem reges adorant, quem non adoramus, ipsi adorant. Ecce & clauus in honore est, & quem ad mortem impressimus, remedium salutis est, atque inuisibili quadam potestate dæmones torquet. Putabamus nos vicisse, sed victos fatemur. Iterum Christus resurrexit, & resurrexisse eum principes agnouerunt. Iterum viuit, qui non videtur. Nunc maior nobis contentio, nunc pugna nobis vehementior aduersus eum cui regna famulantur: cui seruit potestas, illum contempsimus, quomodo regibus resistemus? Ferro pedum eius reges inclinantur. Reges adorant, & Fotitiani diuinitatem eius negant? Clauum crucis eius diademati suo præferunt Imperatores, & Arriani potestati eius imminuunt. Sed quæro, quare sanctum super frenum, nisi vt imperatorum insolentiam refrenaret, comprimeret licentiam tyrannorum, qui quasi equi in libidines adhinnirent, quòd liceret illis adulteria impunè committere. Quæ Neronum, quæ Caligularum, cæterorumque probra comperimus, quibus non fuit sanctum super frenum? Quid ergo aliud egit Helenæ operatio, vt frena dirigeret, nisi vt omnibus imperatoribus sancto spiritu dicere videretur: Nolite fieri sicut equus & mulus? Sed in freno & chamo maxillas eorum constringeret, qui se non agnoscerent reges, vt regerent sibi subditos? Prona enim potestas in vitium ferebatur, & more pecudum vaga sese libidine polluebant. Ignorabant Deum, restrinxit eos crux Domini, & reuocauit à lapsu impietatis. Leuauit oculos eorum vt Christum in cœlo quærerent. Exuerunt se chamo perfidiæ, susceperunt frena deuotionis, vt fidei, sequuti dicentem: Tollite iugum meum super vos. Iugum enim meum suaue est, & onus meum leue est. Inde reliqui principes Christiani, præter vnum Iulianum, qui salutis suæ autorem reliquit, dum philosophiæ se dedidit errori, inde Gratianus & Theodosius. Non ergo mentita est prophetia, dicens: Ambulabunt Reges in lumine tuo. Ambulabunt planè, & maximè Gratianus & Theodosius præ cæteris principes, non iam armis militum, sed meritis suis tecti, non purpureum habitum, sed amictum induti gloriæ.

5 Hoc etiam modo fideles rectè genu flectunt, & procumbũt ante imagines Crucifixi, beatissimæ virginis, & sanctorum, ad rogandũ Christum & sanctos quos representant non adorantes lignum & lapides, vt calumniantur hæretici.

HISTORIA, QVOMODO SANCTA HELENA DOMINICAM CRUCEM INUENERIT, PER D. PAULINUM NOLANUM EPISCOPUM SCRIPTA.

Est epistola eius xj ad Seuerum.

SEVERO FRATRI VNANIMO PAVLINVS.

FRater Victor inter alias operum tuorum & votorum narrationes retulit nobis, desiderare te ad basilicam quam modò apud Primuliacum nostrum, maiorem priore condideris de 1 sacris sanctorum reliquiis benedictionem, qua adornetur domestica tua ecclesia, vt fide & gratia tua dignum est. Testis est autẽ Dominus, quòd si vel scrupulũ sacri cineris

1. Vides quod viri pij desiderãt benedictionem habere in Ecclesijs de sacris sanctorum reliquiis! Non ergo sunt cineres emortui, sicut iactant hæretici.

cineris habuissemus, suprà quàm nobis ad basilicam quæ proximè in nomine Domini consummabitur dedicandam necessarium erat, misissemus vnanimitati tuæ, sed quia nos non habuimus huius muneris copiam, & ille se spem eiusdem gratiæ copiosam habere dixit, à sancta Syluia quæ illi de multorum ex Oriente martyrum reliquiis spopondisset, inuenimus quod dignè, & ad 2 basilicæ sanctificationem vobis, & ad sanctorum cinerum cumulandam benedictionem mitteremus, partem particulæ de ligno diuinæ crucis, quod nobis bonum benedicta Melania ab Hierusalē munere sancti inde Episcopi Ioannis attulit, hoc specialiter sorori nostræ venerabili Bassulæ misit conserua communis, sed quod alteri vestrûm datur, vtriusque vestrum est: quia in vtroque vestrum vna ratio manet, & sexum euacuat fides, qua in virum perfectum ambo concurritis. Accipite ergo ab vnanimis fratribus in omni bono vestrum sibi consortium cupientibus, accipite magnum in modico munus, & in segmento penè atomo bastulæ breuis, sumite munimentum præsentis & pignus æternæ salutis. Non angustetur fides vestra carnalibus oculis parua cernentibus, sed interna acie totam in hoc minimo vim crucis videat, dum videre vos cogitatis lignum illud, quo salus nostra quo Dominus maiestatis adfixus, tremente mundo pependerit, exultetis, cum tremore recordemur: & petras scissas ad huius aspectum crucis, & saltem saxorū æmulatione præcordia nostra scindamus timore diuino. Reputemus, & velum templi eodem crucis mysterio scissum, & intelligamus illius veli scissuram eò fuisse prætentam, vt audientes vocem Domini, & mysterium pietatis immensæ, non obduremus corda nostra, sed à carnalibus diuidamur, & scindamus infidelitatis velamen, vt reuelata cordis facie, salutarium Dei munerum sacramenta videamus. Non autem vobis & hoc scribimus, vt imitemini compositionem istam, qua tu bello aureolo rem tantæ benedictionis inclusimus: magis enim nos tali paratu fidem vestram imitati sumus, vt vestram vobis formulam mitteremus in specie auri: quia scimus vos vt aurum ignitum intra vos habere regnum Dei, hoc est, fidem crucis qua regnum cœlorum inuaditur. Si enim, inquit, compatiamur, & conregnabimus. Et ideo non ad fidei firmamentum, quia visionem fide præuenistis, sed propter meritum fidei, quam auditu receptam, factu probatis, misimus vobis in Domino ligni salutaris donum, vt crucem & corpore possideretis quam tenetis spiritu, & propositi virtute portatis.

2. Ecce antiquū morem consecrandi ecclesias cū sanctorum reliquiis.

Sed quia idipsum fides videtur postulare, non alienū puto, quia cognitu dignum est, enarrare specialem post tempora passionis historiam reuersatæ & inuentæ crucis: quæ si ignoretur, facilè est perspici, qua difficultate approbetur dominicæ crucis esse lignum hoc, quod certum est, si in manus Iudæorum venisset, omnia contra fidem Christi præcauentium, cōterendum & exurendum fuisse: neque enim in cruce abolenda negligentes fuissent, qui signauerunt sepulchrum: ne ferre potuissent, vt in cruce superstite passio illius coleretur, cuius resurrectionem vacuato discussis signaculis suis monumento probatam, coli ferre non possunt. Quid ergo nunc quæritur vbi fuerit abdita, quia nisi latuisset, illis præsertim persecutionum temporibus, Iudaicam consecutis inuidiam, & pene supergressis sæuitiam, manifestum est abolendam fuisse. Facilè enim assequi coniectura possumus, qua vi excidissent crucem si extare vidissent, qui & crucis locum persecuti sunt. Nam Hadrianus Imperator existimans se fidem Christianam loci iniuria peremptorum, in loco passionis simulachra Iouis consecrauit, & Bethleem Adonis fano prophanata est, vt quasi radix & fundamentum Ecclesiæ tolleretur, si in his locis idola colerentur, in quibus Christus natus est vt pateretur: passus est vt resurgeret: resurrexit vt regnaret: Iudicatus vt iudicaret. Me miserum, etiam ista pro nobis Dominus omnipotēs perpeti non recusauit, vt vbi pro salute generis humani crucifixus pependerat, ibi hominum sacrilegio sperneretur, & super crucem ad quam orbe concusso, & sole refugo, & dissilientibus mortuorum excitatione monumentis, rerum natura nutauerat, stabat simulachrum dæmonis, & ara simulachri pecudum busta fumabat, & Dei nomen deferebatur statuis mortuorū, cùm ipse viuorum Deus, qui & resurrectio mortuorum est, non solùm mortui, sed & crucifixi hominis blasphemaretur opprobrio. In Bethleem quoque vbi agnouerat bos possessorem suum, & asinus præsepe Domini sui, ibi principes hominum inficiati Saluatorem Deum, infames hominum amores mortesque coluerunt. Prodita nouo sydere Regis æterni vbi cunabula supplices cum suis opibus adorauerunt Chaldæi, ibi Barbaras libidines sacrauerunt Romani. Vbi natum Saluatorem cum exercitu Angelorū concinentes cœlesti gaudio salutauerāt illustrata nocte pastores, ibi Veneris amasium mixtæ semiuiris planxère meretrices. Proh dolor, quæ pietas hominum hanc impietatem compensare poterit, vbi sacra nati Saluatoris infantia vagierat, illic Veneris lamēta fingentiū lasciuis luctibus infamis ritus vlulabat, & vbi virgo pepererat, adulteri colebantur. Mansit hoc seculi prioris nefas in tempora nostris proxima Constantini, qui princeps esse principibus Christianis non magis sua, quàm matris Helenæ fide meruit, quæ diuino, vt exitus docuit, inspirata cōsilio, cùm Hierosolymā agnosceret, nomine conregnabat, vt sibi facultatem

facultatem daret cuncta illic loca Dominicis impressa vestigijs, & diuinorum erga nos operum signata monimentis, purgare destructis templis & idolis, ab omni prophanæ impietatis contagio, & religioni suæ redderet, vt Ecclesia tandem in terra originis suæ celebraretur. Itaque prompto filij Imperatoris assensu mater Augusta, patefactis ad opera sancta thesauris, tota abusa fisco est, quantoque sumptu atque cultu regina poterat, & religio suadebat, ædificatis basilicis contexit omnes & excoluit locos, in quibus salutaria nobis mysteria pietatis suæ, incarnationis, & passionis, & resurrectionis, atque ascensionis, sacramentis Dominus redemptor impleuerat. Mirum verò inter hæc quòd in basilica ascensionis locus ille tantum de quo in nube susceptus ascendit, captiuam in sua carne ducens captiuitatem nostram, ita sacratus diuinis vestigijs dicitur, vt nunquam tegi marmore, aut pauiri receperit, semper excussis solo respuente quæ manus adornandi studio tentauit apponere. Itaque in toto basilicæ spatio solus in sui cespitis specie virens permanet, & impressam diuinorum pedum venerationem, calcati Deo pulueris perspicua simul, & attigua venerantibus arena conseruat, vt verè dici possit: Adorauimus, vbi steterunt pedes eius. Sed in historia crucis accipite magnum & verè diuinum miraculum. Regina illa venerabilis vt venit Hierosolymam, diligenter & piè locis illis, & circà omnibus, diuinorum curiosa insignium, & oculis haurire gestiens fidem quam piis auribus literisque perceperat, crucem Domini studiosissimè inquirere adorsa est. Sed quæ via vel ratio inueniendi subesset, cùm index idoneus nemo inueniri posset? Vbi memoriam & curam religiosæ conscientiæ vel obseruantiæ, & antiquitas æui, & superstitionis impiæ diuturnitas aboleuisset? Verùm ipso omnium & terris & animis opertorum conscio, & teste Deo, fidelis mulier sanctum spiritũ per affectum pium meruit: quo aspirante, cùm rem ab humana conscientia diuinitus remotam frustra diligens requisijsset, de loco tantùm passionis certior fieri studuit. Itaque non solùm de Christianis doctrina & sanctitate plenos viros, sed & de Iudæis peritissimos vt propriæ (qua miseri & gloriantur) impietatis indices exquisiuit, & accitos in Hierosolymam congregauit: tum omnium vna de loco testificatione confirmata iussit illico vrgente sine dubio conceptæ reuelationis instinctu, in ipsum locum operam fossionis accingi, paratque mox ciuium pariter & militari manu, breui laborem istius molitionis hausit, & contra spem omnium, sed secundùm ipsius tantùm Reginæ fidem, alta egestione, reseratis terræ sinibus, abditæ crucis arcana patuerunt. Sed cùm tres pariter cruces, vt quondam fixæ Domino & latronibus steterant, repertæ fuissent, gratulatio repertarum cœpit anxia dubitatione confundi, iusto piorum metu, ne forsitan aut pro cruce Domini patibulum latronis eligerent, aut salutare lignum pro stipite latronis abijciendo violarent. Respexit pias fideliter æstuantium cura Dominus, & ipsi potissimum quæ tam piæ solicitudinis princeps erat, huius cõsilij lumen infudit, vt aliquem recens mortuum inquiri & inferri iuberet. Nec mora, verbum factum, cadauer illatum est, deponitur, iacenti vna de crucibus admouetur, sed eorũ ligna mors spreuit. Postremò Dominicam crucé prodit resurrectio, & ad salutaris ligni tactum, morte profuga funus excussum, & corpus erectũ est: tremefactisque viuentibus stetit mortuus, & funebribus, vt Lazarus quondam, vinculis expeditus, illico inter expectatores suos rediuiuus incessit. Ergo crux Domini tot operta ætatibus, & Iudæis in tẽpore passionis absc õdita, neque Gẽtibus in ædificatione fani terram sine dubio ad ipsam frabricam egerẽtibus reuelata est, nõne diuina manu latuit, vt nũc inueniretur, cùm religiosè quæreretur? Ita vt crucem Christi decuit, experimẽto resurrectionis inuenta, & probata crux Christi est, dignoq; mox ambitu consecratur, condita in passionis loco basilica, quæ 3 auratis corusca laquearibus, & aureis diues altaribus, arcano positam sacrario crucem seruat, quam Episcopus vrbis eius quotãnis cùm Pascha Domini agitur, adorandam 4 populo princeps ipse venerantium promit. Neque præter hanc diem qua crucis ipsius mysterium celebratur, ipsaq; sacramentorum causa est, quasi quoddam sacræ solennitatis insigne profertur, nisi interdum religiosissimi postulent, qui ea tantũ causa illò 5 peregrinati aduenerint, vt sibi eius reuelatio quasi in pretium longinquæ peregrinationis deferatur, quod solum Episcopi beneficio obtineri ferunt, cuius & tantum munere de eadẽ cruce hæc minuta sacri ligni ad magnam fidei & benedictionis gratiam haberi datur. Quæ quidẽ crux in materia insensata vim viuam tenens, ita ex illo tempore innumeris penè quotidie hominum votis lignum suũ cõmodat, vt detrimẽta non sentiat, & quasi intacta permaneat, quotidie diuiduam sumentibus, & semper totam venerãtibus, sed istam imputribilem virtutem, & indetribilẽ soliditatẽ de illius profectò carnis sanguine bibit, quæ passa mortem non vidit corruptionẽ. Speramus autẽ & vobis non solùm benedictionis monimẽto, sed & incorruptionis seminario futurũ, vt eius inspectio fidem vestrã etiam de recordatione beati illius latronis accendat, qui bene verso latrocinio, longas in magnis laboribus sanctorũ vias, de momenti fide, & momento cõfessionis anticipans, nõ immeritò ante ipsos Apostolos & martyres,

3 *Quid dicent hic hæretici, qui tãtopere templorũ cultui detrahũt, cum viderint basilicã auratis coruscam laquearibus, & aureis diuitẽ altaribus, à sancta regina in honorẽ Dominicæ crucis fuisse extructam?*

4 *Adoratur, & verè à cunctio populo adorari debet lignum dominicæ crucis.*

5 *Cur damnantur nunc peregrinationes ad loca sancta cũ et ã sanctorum priscorum patrum tempore religiosè assumerẽtur?*

martyres, præparatum ipſis ab initio (vt ait) regnum primus inuaſit, & pius cœli prædo diripuit, quia Chriſtum crucifixum ſimilitudine ſuæ pœnæ videns in eo ſtatu, de quo etiam diſcipulorum fides turbata nutauerat. Dominum tamen maieſtatis (vt erat) confeſſus eſt, & petens in regno Dei memoriam ſui fieri, gloriam reſurrectionis ante ipſam reſurrectionem credidit, quam Apoſtoli poſteaquam facta eſt, non tantum videndo, ſed experiendo crediderunt. Nec ipſi tamen de reſurrectione carnis potius quàm de reſurrectionis qualitate dubitantes, quia videlicet in orbem terrarum mittendi forent ad omnium Gentium informationem, non auribus tantum: ſed & oculis prædicandam fidem capere debebant, vt quod firmius didiciſſent, conſtantius edocerent.

ITEM DE SANCTA HELENA, ET QVOMODO Crucem Domini inuenit, per Eutropium Hiſtoricum.

Habetur libro eius 11. Rerum Romanarum in Flauio Conſtantino.

MAter Conſtantini Imperatoris Helena nomine, in ſomnis admonita, Hieroſolymam properauit, & ſepulchrum Chriſti, licet difficillimè, tamen inuenit, ſordibus coopertum, & deſuper templum Veneris ædificatum, vbi virgineis cantibus inſultabant: præcepitque deſtrui ſceleratiſſimum, ipſumque puluerem funeſtis ſacrificiis violatum eijci, & procul à ciuitate diſpergi. Exin locum purgari præcipiente, ſtatim palam monumentum Domini apparuit. Apparuerunt & circa illud ſuffoſſæ tres cruces & claui, ſimul & titulus literis Græcis & Latinis conſcriptus: Ieſus Nazarenus Rex Iudæorum. Dicitur autem quia etiam mortuus crucis tactu ſurrexit. De hoc ligno Sybilla dixit apud Riganos: O ter beatum lignum in quo Deus extenſus eſt. Tunc ergo quæ crux Domini eſſet, quæ latronum, dubitare cœperunt. Proinde Macarius ciuitatis præſul, huiuſmodi tractatu dubitationem ſoluit. Mulieri namque nobilitate claræ longa ægritudine fatigatæ, vnam illarum crucium cum oratione promptiſſima adhibens, virtutem Saluatoris agnouit. Mox enim vt mulierem attigit crux, paſſionem ſæuiſſimæ ægritudinis effugauit, & fœminæ ſalutem reſtituit.

De clauis quidem quibus manus Chriſti fuerant perforatæ, alios in galeam miſit Imperatoris, filij capitis prouidentiam gerens, vt iacula bellica ſubmoueret: alios freno equino permiſcuit, & cautelam Imperatoris agens, & veterem philoſophiam adimplens. Olim Zacharias propheta clamauerat, dicens: Et erit quod in freno eſt ſanctum Domino omnipotenti. Saluatoris verò crucis partem quidem aliquam diſtribuit, quam Conſtantinus ſuſcipiens, & credens ſaluari ciuitatem, vbi hæc particula ſeruatur, in ſua ſtatua, ſicut fertur, in foro Conſtantini poſitam ſuper columnam porphyreticam deuotè condidit. Reliquam partem in argentea theca clauſam, Macario ſacerdoti ciuitatis reliquit, & vndique congregans artifices maximas 9 illic, ornataſque Eccleſias ædificauit.

9. Si laudatur S. Helena, quod maximas Eccleſias Hieroſolymis ædificauit & ornauit, cur quæſo datur vitio qui hoc idē noſtro tempore faciunt?

VITA HELENAE MATRIS CONSTANTINI IMPEratoris, per Suidam ſcripta, Alberto Lino Veronenſe Interprete.

HElena regina magni Conſtantini mater fuit, fœmina virtutibus omnibus ornatiſſima. Geſſit autem & ſe humiliter, ſubmiſſeque ad Chriſti imitationem cùm aduerſus omnes, tum maximè aduerſus ſacrum habitum monaſticam vitam agentium. Sæpe namque illas congregans, quæ perpetuæ 1 virginitati ſtudebant, recumbenſq; in toris ſtramineis illis miniſtrabat, obſonia apponens, & pocula porrigens. Quin & earum manibus aquam affundens, ancillæ munus obibat. Eodem modo filium quoque æterna laude digniſſimum erudiebat, ne virtutis ergô faſtu intumeſceret, omniq́ue cura & cogitatione in rempublicam rectè adminiſtrandam incumberet, ac Deo cum timore & tremore ſeruiret. Inde factum eſt, vt Conſtantino imperante, & nobiliores Indi, & Iberes, Armenijq́ue ad baptiſmum acceſſerint.

1 Vides quod etiā ſanctæ huius Reginæ tempore mulieres quædam perpetuā virginitatem ſeruabant.

DE CONSTANTINO MAGNO, BEATO MARTINO, & inuentione Crucis, Per B. Gregorium Archiepiſcopum Turonenſem.

ROmanorum xxxiiij. Imperiū obtinuit Conſtantinus, annis triginta regnās fœliciter. Huius imperij anno vndecimo, cū poſt deceſſum Diocletiani pax reddita fuiſſet Eccleſijs, beatiſſimus præſul Martinus apud Sabbariam Pannoniæ ciuitatem naſcitur, parentibus gentilibus, non infimis tamen. Huius quoque tempore venerabile crucis

Dominicæ, lignum per studium Helenæ matris eius repertum est, prodente Iuda Hebræo, qui post baptismum Quiriacus est vocatus. Vsque ad hoc tempus historiographus in Chronicis scribit Eusebius. A vigesimo enim primo eius imperij anno Hieronymus presbyter addidit, indicans Iuuencum presbyterum Euangelica versibus conscripsisse, rogante supradicto Imperatore.

DE CONSTANTIS IMPERIO, PER AVtorem supradictum.

SVb Constantis autem Imperio, Iacobus Niebenus fuit. Ad cuius preces inclinatæ aures diuinæ clementiæ, multa pericula à ciuitate eius repulerunt. Sed & Maximus Treuirorum Episcopus, potens in omni sanctitate reperitur, nonodecimo Constantini iunioris anno. Antonius monachus transiit, centesimoquinto ætatis suæ anno. Beatissimus Hilarius Pictauensis Episcopus, suasu hæreticorum exilio deputatur, ibique librum pro fide catholica scribens, Constantio misit, qui quarto exilij anno eum absolui iubens, ad propria redire permisit.

DE BEATO MARTINO, PER EVNdem Autorem.

TVnc iam & lumen nostrum exoritur, nouisque lampadum radiis Gallia perlustratur, hoc est, eo tempore beatissimus Martinus in Galliis prædicare exorsus est. Qui Christum Dei filium per multa miracula verum Deum in populis declarans, Gentiliũ incredulitatem auertit. Hic enim fana destruxit, hæresim oppressit, Ecclesias 1 ædificauit: & cùm aliis multis virtutibus refulgeret, ad consummandum laudis suæ titulum, tres mortuos vitæ restituit. Quarto Valentiniani & Valentis anno S. Hilarius apud Pictauos, plenus sanctitate & fide, multis vbique virtutibus editis, migrauit ad cœlos. Qui & ipse legitur mortuos suscitasse. Melania verò matrona nobilis, & incola vrbis Romanæ, Hierosolymas ob deuotionem abiit, Vrbano filio Romæ relicto. Quæ ita se in cuncta bonitate ac sanctitate omnibus præbuit, vt Thecla vocaretur ab incolis.

1 Ecce primũ signũ destructionis gẽtilitatis & hæreseos, Ecclesiarũ ædificatio.

VITA SANCTI MARCI PAPAE, PER DAmasum Papam scripta.

Habetur Pontificali eiusdem.

MArcus natione Romanus, ex patre Prisco, sedit annos duos, menses octo, dies vigintiunum. Fuit autem temporibus Constantini Augusti, & Nepotiani, ac Secundi consulum, ex die Kalendarum Februarij, vsque in diẽ Kalendarum Octobris. Hic constituit, vt Episcopus Ostiensis, qui consecrat Episcopos vrbis, tunc 1 pallio vteretur, & ab eodem Episcopus vrbis Romæ consecraretur. Et constitutum de omni Ecclesiastico ordine fecit. Hic fecit duas basilicas, vnam via Ardentina vbi requiescit, & aliam in vrbe Roma iuxta Palatinas. Ex huius suggestione obtulit 2 Constantinus Augustus basilicæ, quam constituit via Ardentina, fundum Rosarum cum omni agro campestri præstantem solidos quadraginta. In basilica in vrbe obtulit hæc: Patinam argenteam pensantem libras xxx. Amas argenteas duas, pensantes singulæ libras xx. Scyphum argenteum vnum, pensantem libras x. Calices ministeriales argenteos tres, pensantes [illegible] guli libras duas. Coronam argenteam pensantem libras x. Fundum Antonianum via Clodia præstantem solidos triginta. Fundum Baccanas via Appia, præstantem solidos quadraginta & tremisses duos. Fundum Morrea via Ardẽtina, præstantem solidos xlv. & tremissem. Hic fecit ordinationes duas in vrbe Roma per mensem Decembrem, presbyteros vigintiquinque, diaconos sex, Episcopos per diuersa loca vigintiseptem. Qui etiam sepultus est in cœmiterio Balbinæ, via Ardentina, quod ipse constituẽs fecit, pridie Nonas Octobris. Et cessauit Episcopatus dies viginti.

1 Vide quã antiquus sit pallij vsus in Ecclesia.

2 Si tã liberalis in Ecclesiam fuit Magnus Constantinus, quis audeat illos reprehẽdere, qui nostro tẽpore in Dei tẽpla pretiosa conferũt donaria?

VITA SANCTI HILARII EPISCOPI, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyrolog. eiusdẽ sub 3. No. Maij.

IN Galliis ciuitate Arelatensi, natale S. Hilarij Episcopi docti & præclarissimi viri. Qui paupertatis amator, & erga inopum prouisionẽ, non solùm mẽtis pietate, sed & corporis sui laboris solicitus erat. Nam pro reficiendis pauperibus etiam rusticationẽ contra vires suas homo genere clarus, & lõgè aliter educatus, exercuit. Sed hæc in spiritualibus neglexit. Nam & in docendo gratiam habuit, & absq; personarũ acceptione omnibus castigationem ingessit. Inter sua verò opera ingenio immortali ad multorum vtilitatem necessario opere vitam S. Honorati decessoris sui composuit. Moritur Valẽtiniano & Martiano Imperatore.

DE SANCTO HILARIO PICTAVENSI EPIscopo, Per diuum Gregorium Archiepiscopum Turonensem.

Hilarius beatissimus quarto exilij anno ad vrbem propriam est regressus, impletoque operis boni cursu migrauit ad Dominum. Ad cuius beatum sepulchrum multæ quidem virtutes ostensæ narrantur, quas liber vitæ eius continet: sed præcipuè duo leprosi in eodem loco mundati sunt. Mons autem erat in Gabalitano territorio, cognomento Helarum, lacum habens magnum, ad quem certo tempore multitudo rusticorum quasi libamina lacui illi exhibens, linteamina proijciebat, ac pannos, qui ad vsum vestimenti virilis præbentur. Nonnulli lanæ vellera, plurimi etiam formas casei, ac ceræ, vel panis, diuersasq; species, vnusquisque iuxta vires suas, quas dinumerare perlongum puto. Veniebant autem cum plaustris potum cibumque deferentes, mactantes animalia, & per triduum epulantes. Quarta autem die cùm discedere deberent, anticipabat eos tempestas cum tonitruo, & coruscatione valida, & in tantum imber ingens cum lapidum violentia descendebat, vt vix se quisquam eorum putaret euadere posse. Sic fiebat per singulos annos, & inuoluebatur insipiens populus in errore. Post multa verò tempora quidam Sacerdos ex vrbe ipsa, Episcopatu assumpto, accessit ad locum, prædicauitque turbis, vt desisterent ab his, ne cœlestis ira consumerentur: sed nequaquam eius prædicatio à cruda rusticitate recipiebatur. Tunc inspirante diuinitate, Sacerdos Dei basilicam in honorem beati Hilarij Pictauēsis eminus ab ora stagni ædificauit, in qua reliquias eius locauit, dicens populo: Nolite filioli, nolite peccare ante Dominũ, nulla est enim religio in stagno. Nolite maculare animas vestras in his ritibus vanis: sed potius cognoscite Deum, & 1 amicis eius venerationem impendite: adorate autem sanctum Hilarium Dei Antistitem, cuius hic reliquiæ sunt conditæ: ipse enim potest pro vobis apud Dei misericordiam intercessor 2 assistere. Tunc homines compuncti corde conuersi sunt, & relinquentes lacum, omnia quæ ibidem proijcere erant soliti, ad sanctam basilicam conferebant, & sic ab errore quo vincti fuerãt, relaxati sunt. Sed & tempestas deinceps à loco illo prohibita est. Nec vltrà in hac solennitate, quæ Dei erat, nocuit, postquam beati Confessoris ibidem sunt reliquiæ collocatæ.

1 Vides quod sanctis tãquã amicis Dei venerationē impēdimus, nõ autem tanquã Deo?
2 Ecce quõ sancti sunt pro nobis intercessores apud Dei misericordiã.

VITA D. ATHANASII EPISCOPI ALEXANdrini, à diuersis Autoribus magis per extensum conscripta.

Ex lib. 10. Hist. Ecclesiast. Ruffini presbyteri Aquileiensis ca. 14.

Igitur apud Alexandriam, defuncto Alexãdro, Athanasius susceperat sedem. Quod verò esset vir acris ingenij, & in Ecclesiasticis negotijs apprimè vigilans, satis iam tunc hæreticis innotuerat, cùm ad concilium Nicænum cum Episcopo suo Alexandro venerat, cuius suggestionibus hæreticorum doli ac fallaciæ vigilanter detegebantur. Statim ergo vt eum Episcopum factum cognouerant, rati id quod res indicabat, sua negotia per illius sollicitudinem non facilè processura, omnibus modis quærere aduersus eum machinas deceptionum parabant. Verùm non mihi absque ordine videtur pauca de huius viri origine suprà repetere, & cuius à puero institutionis fuerit, ab his qui cum ipso vitam duxerant accepimus, memorare.

1 Diē Petri martyris Alexãder episcopus agebat. Vide quomodo et ãtiquitus natales dies sanctorum martyrũ celebrabantur.
2 Facit contra Anabaptistas, qui ritè baptizatos perperam rebaptizant.
3 Dum iubet adimpleri à sacerdotibus quæ mos est in baptismo, intelligit de ceremoniis, quæ ex consuetudine vniuersalis Ecclesiæ adhibentur, quas moderni hæretici abominantur, dicentes eas à mille annis citra inuētas, quod falsum esse ex hoc loco constat.

Tempore quo apud Alexandriã Petri martyris diem 1 Alexander Episcopus agebat, cùm post expleta solennia conuenturos ad conuiuium suũ clericos expectaret in loco mari vicino, videt eminus puerorũ supra oram maris ludum, imitãtium, vt fieri solet, Episcopum, atq; ea quæ in Ecclesiis geri mos est. Sed cùm intẽtius diutinè pueros inspectaret, videt ab his geri quædã etiã secretiora & mystica. Perturbatus illicò vocari ad se clericos iubet, atq; eis quod eminus ipse videret, ostẽdit. Tũ abire eos, & cõprehensos ad se perducere omnes pueros imperat: Cumq; adessent, quis eis ludus, & quid egissent, vel quomodo, percũctatur. Illi, vt talis habet ætas, pauidi, negare primò, deinde rẽ gestam per ordinẽ pandunt, & baptizatos à se esse quosdã catechumenos confitẽtur per Athanasium, qui ludi illius puerilis Episcopus fuerat simulatus. Tum ille diligẽter inquirens ab his qui baptizati dicebantur, quid interrogati fuerint, 2 quidve respõderint simul & ab eo qui interrogauerat: Vbi videt secundũ religionis nostræ ritũ cuncta constare, collocutus cum concilio clericorũ, statuisse traditur, illis quibus integris interrogationibus & responsionibus aqua fuerat infusa, iterari baptismũ non debere, sed adimpleri ea 3 quæ à sacerdotibus mos est. Athanasium verò, atq; eos quos ludus ille vel presbyteros habere visus fuerat, vel ministros, conuocatis parentibus, sub Dei obtestatione tradit Ecclesiæ suæ nutriendos. Paruo autem tempore, cùm à notario in-

tegrè

tegrè, & à Grammatico sufficienter Athanasius fuisset instructus, continuò tanquam fidele Domini commendatum, à parentibus restituitur sacerdoti, ac velut Samuel quidem in téplo Domini nutritur, & ab eo pergente ad patres in senectute bona, ad portandũ post se ephod sacerdotale deligitur. Sed huius tanti in Ecclesia pro fidei integritate agones fuerunt, vt etiam de hoc videatur dictum esse illud quod scriptum est: Ego enim ostendã ei, quanta eum pati oporteat pro nomine meo. In huius etenim persecutiones vniuersus coniuratus orbis, & commoti sunt principes terræ: Gentes, regna exercitus coierant aduersus eũ. Ille autem diuinum illud conseruabat eloquium, dicens: Si consistant aduersum me castra, non timebit cor meum: Si insurgat in me prælium, in hoc ego sperabo. Verùm quoniam tanta ac talia eius gesta sunt, vt magnitudo quidem rerum nihil me præterire patiatur: multitudo verò gestorum quamplurima cogat omittere, incertus æstuat animus, dum deliberare non valet quid teneat, quid omittat. Et ideo pauca nos quæ ad rem pertinent memorabimus, reliqua eius fama narrabit, sine dubio minora vero nunciatura. Nam nihil quod addere possit, inueniet. Igitur Alexandro mirabili sene, qui Arrij prostrauerat blasphemias defuncto, post menses quinque Nicæni concilij, Alexandrinorum Ecclesiæ suscepit Athanasius præsulatum, Arrij verò fautores verentes ne fortè adeundi regis copia quandoq; fieret Athanasio, & per eum de veritate fidei quam peruertebant, secundùm scripturas edoceretur, omnimodis insimulare eum apud principem, & velut omnium scelerum ac flagitiorum aggrediuntur exponere, vsque quo humani corporis brachium loculo delatũ, Imperatori ostendunt, quod ab Athanasio excisum magicæ artis gratia de Arsenij cuiusdam corpore confirmabant. Sed & alia quamplurima criminosa simul & flagitiosa componunt. Quibus ex causis Imperator iubet conuocato concilio Athanasiũ condemnari. Idq; apud Tyrũ (misso è latere suo vno ex comitibus, adnitente quoq; Archelao tunc comite Orientis, necnõ & eo qui Phœnicem prouinciam gubernabat) congregari iubet. Eò deducitur Athanasius, loculus cum humano brachio circumfertur, inuidia & horror non solum religiosas, sed & viles animas peruadit. Hic Arsenius cuius brachiũ dicebatur excisum, lector aliquãdo 4 Athanasij fuerat, & ob culpam correptioné veritus, frequétiæ sese subtraxerat. Cuius latebras oportunas sibi ad huiuscemodi cómentum flagitiosi homines rati, initio cõpositi criminis occultatũ eum apud quédam, qué fidelissimũ sceleribus suis crediderant, retinebant. Peruenit tamé ad hunc in latebris positum, quid suo nomine criminis intentaretur Athanasio. Et siue eum ipsa humanitatis contemplatio, siue diuina perpulit prouidentia, clã per noctis silentia euadens claustris, enauigauit Tyrũ. Et pridie quàm causæ dicendæ adesset vltimus dies, Athanasio sese Arsenius obtulit, vtq; se rerum gestarum series haberet, edocuit. Ille domi esse hominé, nec innotescere cuiquam de eius præsentia iubet. Interea conciliũ cogitur, in quod aliquanti concinnatæ calumniæ conscij, omnes penè infenso animo aduersum Athanasiũ præiudicatoq; conuenerũt. Per idé tempus Paphnutius confessor aderat Athanasij innocentiæ conscius. Is cùm vidisset Maximum Hierosolymorum Episcopũ, qui vnà secũ effosso oculo, & poplite succiso, confessor extiterat, verùm pro nimia simplicitate nihil de sacerdotum scelere suspicanté, consedisse cũ cæteris, quos factionis macula sociauerat, mediũ confessum adire non veritus: Te, inquit, Maxime, cum quo mihi vnum atq; idem confessionis insigne est, cũ quo mihi pariter mortale lumen effossum, clarioré diuini luminis conciliauit aspectũ: te, inquam, nõ patiar sedere in concilio malignantiũ, & cum iniqua gerétibus introire: iniectaq; manu eleuans eum de medio eorum, ac de singulis instruens, perpetua dehinc Athanasio communione sociauit. Sed interim causa dicitur. Prima introducitur causa mulieris cuiusdam, quæ se diceret aliquãdo hospitio Athanasium suscepisse, & ab eo noctu nihil suspicanté, vim corruptionis esse perpessam. Introduci ad hæc iubetur Athanasius, ingreditur cũ Timotheo presbytero suo, eumq; monet, vt postquã mulier dicendi finem fecisset, se tacente ad ea quæ dixerat, responderet. Cumq; mulier ea quæ edocta fuerat, perorasset, Timotheus conuersus ad eam: Verè, inquit, mulier ego mansi apud te aliquando, aut vim tibi vt asseris feci? Tunc illa (vt mulierum se talium procacitas habet) obiurgans Timotheum: Tu, tu, inquit, mihi vim fecisti, tu in illo loco cõmaculasti castitaté meam. Simul & conuersa ad iudices, obtestari fidem Dei cœpit, vera se dicere. Tum omnes ridiculosius pudor habere cœpit, quòd tã facilè docente eo factio compositi criminis patuisset. Nec tamen permissi sunt iudices habere de muliere quæstionem, vnde hæc, vel per quos, aut quomodo fuisset aptata calumnia, quoniam iudicandi libertas penes accusatores erat. Hinc transitur ad aliud crimen. Profertur facinus seculis inauditum. Hoc est, inquiunt, vbi nemo possit verborum præstigiis decipi, res oculis agitur, verbis cessantibus: brachium hoc te, aiunt, Athanasi, accusat excisum. Hæc est Arsenij dextera, quam tu quomodo, vel ad quos vsus excideris, indicato. Tum ille: Quis enim, inquit, vestrum Arsenium nouerat, vt hanc ipsius dexterã cognoscatis? Exurrexerunt aliquanti, qui se dicerent optimè scisse Arsenium, in quibus nonnulli erant absque conscientia factionis.

4 *Lector, ordo ecclesiasticus*

Orat dehinc à iudicibus Athanasius, vt hominem suum quem in negotium deposceret, iubeant introduci. Cumq; introductus esset Arsenius, eleuato eius vultu, Athanasius cõcilio & Iudicibus ait: Hic est Arsenius. Et alleuans eius nihilominus dexterã: Hæc est, inquit, etiam dextera eius, hæc est & sinistra. Hæc autẽ, quam isti offerunt, manus vnde sit, vos requirite. Tunc velut nox quædã, & tenebræ accusatorum oculis infusæ, quid agerent, quò se verterent nesciebãt. Ipsum etenim esse Arsenium, testes qui paulò antè scire se dixerant, cõfirmabant. Verũ quia nõ iudicãdi, sed opprimendi hominis causa conciliũ gerebatur, fragor omniũ repentè attollitur Magũ esse Athanasiũ, & decipere intuentiũ oculos conclamatur, nec debere vllo modo vltrà talẽ hominem viuere: factoq; impetu, suis eum discerpere manibus parant. Sed Archelaus, qui cũ cæteris ex præcepto Imperatoris concilio præsidebat, ereptum eũ de discerpẽtium manibus, per occultos exitus eduxit, ac fugæ (qua solũ posset) salutem monuit cõmendare. Conciliũ tamen rursus conueniẽs, tanquã si nihil omnino deprehẽsum fuisset, vt confessum de intentatis criminibus Athanasiũ condẽnat. Et gesta in hunc modum ficta per orbẽ terræ mittentes, ad sceleris sui cõsensum Imperatore cogẽte cæteros Episcopos pertulerunt. Sciens igitur Athanasius, nõ sibi fore tutũ contra tot accusatores agere, Iudicibus etiã inimicis synodum relinquens, venire festinauit ad Imperatorẽ. Theodoretus. Igitur Athanasius ad principẽ veniens, omnem præsumptionẽ contra se factã Episcoporum edocuit. At illi apud Mareoten cõuenientes, quosdã concordantiũ ipsis sacerdotum miserũt ad principẽ, id est, Theogoniũ Nicænum, atq; Theodotũ Perinthium, & Marin Chalcedonẽsem, Narcissum Cilicẽ, & similes horũ, mendacia texẽtes, & quædam cõmenta fingentes, & nudas admodũ calumnias quasi veras accusationes sibimet componentes. Quo facto venerunt ad Æliam ciuitatem. Præceperat enim Imperator, vt omne concilium à Tyro veniret ad Æliã. Necnon & alios vndiq; congregari præceperat, vt templa ædificata 5 dedicarentur. Misit itaq; pariter deuotos Iudicum pietate ac fide clarissimos, omnia largissimè expendi præcipiens, non solũ pontificibus ac sacerdotibus, sed etiã egentibus vniuersis qui vndiq; concurrebãt. Porrò fuerat exornatũ etiam sacrũ altare 6 palliis regalibus atq; vasis, auro & lapidibus pretiosis decoratũ. Sozomenus. Imperator interea Arrium de exilio reuocauit, iussitq; vt quod de Deo crederet, scriptura currente proferret. Tunc ille nouitatẽ nominum quam prius adinuenerat, declinans, aliam explanationẽ contexuit, simplicibus verbis eam & diuina lectione confirmans, iusiurandũ quoq; prębuit ita se credere, & hæc etiã mẽte sapere, nihilq; aliter intelligere. Athanasius autẽ fugiens de Tyro, Constantinopolim venit, & quæ passus esset adito Imperatore narrauit: petens vt quæ in Tyro fuerant gesta, examinarentur sub eius quoq; præsentia. Porro Constantinus Imperator rationabilẽ eius petitionem iudicans, hæc scripsit Episcopis qui in Tyro conuenerant. Socrates. Igitur Imperator missa sacra concilium euocauit, vt in sui præsentia Athanasij examinaret causam, cuius verba sunt hæc. Victor Constantinus pius Episcopis in Tyriorum vrbe collectis. Ego quidẽ ignoro, quæ vestro concilio turbulenter atq; cum tempestate decreta sint. Apparet enim quòd quadam tumultuosa indisciplinatione veritas sit oppressa, vobis videlicet nõ considerantibus quæ Deo placent, propter iurgia quæ contra proximos vestros habetis: & vota vestra ineuincibilia esse contenditis. Sed erit opus diuinæ prouidentiæ, vt & hæc contentio apertè deprehensa possit euacuari, atque nobis palam fieri, si quid illic conuenientes siue qualibet gratia, aut inimicitiarum causa gessistis. Quapropter cum omni festinatione vos omnes ad meam reuerentiam volo concurrere, vt gestorum apud vos integritatem per vos ipsos possitis ostendere. Verùm qua gratia hæc scripserim vobis, vosque ad me literis euocauerim, per ea quæ sequuntur agnoscetis. Pergenti iam mihi ad cognominis nostri fœlicissimæ patriæ ciuitatem, cùm essem conscensurus equum, repentè Athanasius Episcopus in media platea cum quibusdam sacerdotibus quos circa se habebat, sic inopinatè nos adiit, vt nobis daretur subitò cuiusdam causa formidinis: testis enim mihi inspector omnium Deus est, quoniam nec cognoscere eum quis esset prima fronte præualui, nisi quidam nostrorũ, & quis esset, & quam pertulisset iniuriam, tunc narrasset. Et ego quidem neq; confabulatus cum eo sum illo tempore, nec aliqua locutione participatus. Cumq; ille se audiri deposceret, ego verò refutarem, & penè repelli eũ præciperem, cum maiori fiducia nihil aliud à nobis quàm vestrum postulauit aduentum, vt vobis præsentibus quæ passus est necessariò posset suis gemitibus explanare. Vnde quia mihi rationabile videtur, & tẽporibus oportunũ, scribi vobis libentius hæc præcepi, vt omnes quicunq; apud Tyrum concilium celebrastis, indesinenter ad expeditum nostræ mansuetudinis concurrere festinetis, ipsis operibus ostensuri puritatem & rectitudinem vestri iudicij, coram me videlicet, quem Dei ministrum propriũ neq; vos abnegabitis. Igitur vbiq; pacificatur Dei nomẽ, & integrè benedicitur per meam in Deo culturam, etiam apud ipsos Barbaros qui veritatem hactenus ignorabant. Certũ namq; est, quòd qui veritatem ignorat, neq; Deum scire potest. Veruntamen sicut prædictum est, etiam Barbari per me fidelem

Ex lib. 3 Histor. Tripartitæ Cassiodori senatoris cap. 5.

5 Nota dedicationem Ecclesiarũ ædificatarum. Nam nunc hæretici nostri hoc derident.

6 Vide cõtra præsentis tẽporũ nouatores ornatum amplum altaris, pallia regalia, necnon vasa auro & lapidibus pretiosis decorata, ad diuinum cultum apposita.

fidelem ministrum recognouerunt, & Deũ metuere didicerunt, quem vtique protectorem meum vbique ac prouisorem ipsis operibus est ostensum. Vnde præcipuè etiã Deum sciunt. Et illi quidem propter nostrum timorem reuerentur Deum. Vos autem qui sancta mysteria eius clementiæ proferre videmini, non dicam custodire: vos, inquam, nihil agitis, nisi quæ ad contentionem noscuntur & odia pertinere, & (vt absolutè dicam) quæ ad humani generis tendere videntur interitum. Sed festinate, sicut dixi, ad nos venire continuò, scientes quòd omni virtute conabor, vt quæ in lege Dei sunt, ea præcipuè sine aliqua titubatione seruentur. Quibus vtique neque vituperatio, neque mala superstitio poterit implicari, dispersis vtique ac palam contritis, & penitus exterminatis sacratis sacratissimæ legis inimicis, qui sub schemate sancti nominis, blasphemias varias ac diuersas inijciũt. Hæ siquidẽ literæ ad æstuationem perduxerunt eos qui fuerant in synodo congregati, quoniã plures quidẽ ad proprias redierant ciuitates. Qui verò circa Eusebium, & Theogonium, & Marin, Patrophilum, & Vrsatium, & Valentẽ erant, ad Constantinopolitanã venientes vrbẽ, nequaquã de calice fracto, aut altari subuerso, aut Arsenio perempto, quod in synodo cõcinnauerant, quæstionẽ fieri permiserũt, sed aliam inuenire detractionem, suggerentes Imperatori, quòd Athanasius interminaretur non se missurũ ab Alexandria frumenta solenniter ad Cõstantinopolitanam vrbem, & hæc audisse dicebant Athanasio dicente ad Amantium, Anubionẽ, Arbathionem, & Petrum Episcopos. Multũ itaque derogatio præualet, quando derogator creditur fide dignus. Hac subreptione ad furorem perductus Imperator, Athanasium relegauit in exiliũ, & habitare eum præcepit in Galliis. Aiunt enim quidã hoc Imperatorẽ propterea fecisse vt vnirentur Ecclesiæ, quoniã Athanasius cõmunicare Arrianis euitabat. Et ille quidẽ degebat in Triberis Galliarũ. Theodoretus. Sed nemo miretur si tantus vir deceptus deliquit, sacerdotibus falsa loquentibus, cùm diuinus quoque Dauid Propheta, non à Pontifice, sed à seruo Siba cõtra Miphiboseth mendacia proponẽte deceptus sit. Qui cùm tres habuisset filios, eos Cæsares nuncupauit, & singulos eorum per decenarios annos imperij sui principes esse cõstituit: Id est, primum quidem filium sui nominis Constantinum Hesperiarum partium in decennali suo fecit habere principatum: secundum verò, aui nomine nuncupatum Constãtium, in vicennalibus suis Cæsarem in Oriente constituit: minorem verò Constantem in suis tricennalibus ordinauit. Anno verò post hæc transacto, ingressus quadragesimum quintum ætatis annum, ægritudine captus, ex vrbe Constantinopolitana quasi ad calidas aquas egressus est. Qui cùm Nicomediæ degeret, languore grauatus diẽ vltimum obiit, cùm prius Athanasium magnum reuerti præcepisset in Alexandriam, licet Eusebius præsens esset, & niteretur cõtraria suadere. Sozomenus. Igitur sub Imperio Cõstantini per Ecclesias talia acciderunt. Quo moriente, rursus ad quæstionem venit dogma Nicæni concilij. Nam licet viuẽte Cõstantino nõ id omnes susciperẽt, tamẽ apertè renuere nõ audebant. Quo moriente, plurimi ab eo se indubitãter abstinuẽre cõcilio. Erant isti qui etiã primitus videbãtur esse suspecti, præcipuè verò Arrij sectatores, Eusebius & Theogonius, cuius dogma se firmare credebant, si reuerti Athanasiũ prohiberẽt, & consectatori suo Ægyptiacæ diœceseos iura contraderẽt. Et illi quidẽ hæc agebant, ministrante ipsis presbytero, per quẽ Constantini tẽporibus Arrius fuerat reuocatus. Erat enim is presbyter Constanti quoq; gratus, eò quòd paternum ei seruauerat testamentum, ita vt vsque ad principem, palatijque potentes haberet accessum. Eusebius autem in aula imperiali videbatur ita perspicuus, vt suos consectatores faceret augustos ac proceres. Quamobrẽ de dogmate rursus priuatim & publicè disputationes crebrò proferebantur, & simul iniuriæ, inimicitiæ, & plurima quæ ex talibus solent sæpius euenire. Interea ab Occidentali parte Athanasius in Alexandriã est reuersus, quem etiam Constantinus viuens redire maluerat. Fertur autem quòd etiam testamento voluerit hoc conscribere, sed quoniam ita defunctus est, eius maior filius Constantinus Hesperiarum partium princeps hoc egit, literasq; huiusmodi ad populum destinauit Alexandrinum. Constantinus Cæsar populo Ecclesiæ catholicæ Alexandrię constituto. Neque vestram sacratissimam mentem arbitror ignorare, propterea Athanasium adorandæ legis prædicatorem ad tempus in Gallias fuisse missum, quoniam ferocitas crudelium inimicorum eius, in exitium sacri eius capitis imminebat, ne forsan per malignorũ calliditatẽ aliquid incongruũ sustineret. Vt ergo hoc euitaret, ab imminẽtibus sibi necessitatibus est ablatus. Et ita me pręcipiente habitare iussus est, vt in ea ciuitate in qua degebat, bona ei necessaria non deessent. Talis enim est eius venerabilis virtus, diuinis freta solatiis, vt etiam molestias asperioris fortunæ contẽrat. Quapropter licet ad charissimam reuerentiã vestrã Dominus noster beatę memoriæ Constantinus Pius meus pater, eũdem Episcopum suũ locum restituere proposuisset, tamen quoniam humana sorte præuentus, antequã hæc compleret vota, requieuit, consequẽs arbitratus sum, voluntatẽ diuinæ memoriæ Imperatoris implere. Qui dũ ad nos remeauerit, qualẽ à me venerationẽ habuerit, agnoscetis. Nõ enim mirabile si quid in eo gessimus quod

Ex hist. Tripar. lib. 4. cap. 16.

laudetur. Meam namque animam imago desiderij vestri, & schema tanti viri ad hoc mouit & inuitauit. Diuina prouidentia vos custodiat fratres dilectissimi. His literis fretus Athanasius, Alexandriam venit, libenterque eum plebs Alexandrina suscepit. Arriani verò coniuratione facta aduersus eum frequentes seditiones subinde suscitabant, per quas occasio præbebatur Eusebio, vt derogaret ei apud Imperatorem, quòd non decernente communi concilio Episcoporum, autoritate sua arripuisset Ecclesiam. Tantisque his derogationibus actū est, vt indignante Imperatore de Alexandrina vrbe proijceretur. Eodem tempore Eusebio moriente Episcopo Cæsareæ Palestinæ cognomento Pamphili, Agapius discipulus eius suscepit Episcopatum, qui & alios plurimos edidit libros, & de vita doctoris sui multa conscripsit. Sozomenus. Non multo pòst tempore & Cōstantinus Imperator, Constantini maioris filius, dum nititur inuadere partes iunioris fratris Constantis, circa Aquileiam, congressione facta perimitur, consulatu Acindyni & Prodi. Quamobrem Romani imperij principatus Occidentalium quidem partium, peruenit ad Constantem: Orientalis autem ad Constantium. Thodoretus. Igitur tempore quo Constantinus ad perenne transiuit imperium, testamento filijs temporale distribuens regnum (nullius enim eorū erat præsens) presbytero à sorore propria ipsi commendato suum credidit testamentum, præcipiens id Constantio dari, qui inter alios videbatur esse vicinior, & prius venire posse credebatur. Hinc iste Constantio factus notus, tradito testamento, accepit ad eum ingrediendi fiduciam. Qui videns facilem Constantij voluntatem, & velut calamum ventis accedentibus agitari, præsumpsit contra Euangelica dogmata bellū assumere, & aduersus Ecclesias asperrimè erigere tempestatem. Dicebat enim esse culpabiles, qui consubstantialitatis vocē, quæ scripta non inueniretur 7 in fidei doctrina posuissent, quod inter sacerdotes & eos discordiā generaret. Hinc ergo Athanasium & eius sectatores accusans, insidias instruebat. Huius cooperatores erant Eusebius, & Theogonius, & Theodorus Perinthius, qui eloquētior videbatur, & scripsit explanationes Euangeliorum, quem plurimi Heracleotem vocant. Isti namque sæpius velut propinqui Imperatori, reuersionem Athanasij multorum causam afferebant esse malorum, & non solùm Ægyptū, sed etiam Palestinam & Phenicen, vicinasq; gentes eius gratia dicebant esse turbatas. Proinde huiusmodi verbis leuissimā obsidentes Imperatoris intētionem, suaserunt vt Athanasium ab Ecclesia rursus expelleret. Qui agnoscens eorū consiliū, ad partes Hesperias abijt. Post paululum verò tēporis Imperator Cōstantinopolim veniēs, indignatur ob ordinationē factam Arrianorū. Episcoporū autem constituto concilio, Paulum quidem remoueri fecit: Eusebium verò ex Nicomedia transferens Constātinopolim, Episcopum esse decreuit. Quo facto Antiochiam profectus est Imperator. Eusebius itaque nullo modo cessare patiebatur, sed omnia cōmouebat, donec suū propositū duceret ad effectum. Egit ergo vt in Antiochia Syriæ synodus fieret, sub occasione quidē 8 dedicationis Ecclesiæ, quā pater Augustorum fabricari cœperat, & post eius obitū Constantius decimo anno eam à tempore fundationis expleuerat, in veritate autē ad subuersionē atque destructionē Nicæni concilij. Ad quā synodum conuenerunt ex ciuitatibus diuersis Episcopi nonaginta. Maximus tamē Hierosolimytanus Macarij successor nō adfuit, cogitās quòd ipsi posset subripi, & in damnationem subscriberet Athanasij. Sed neque Iulius interfuit maximæ Romæ præsul, neque in locum suum aliquem destinauit, cùm vtique regula ecclesiastica iubeat 9 non oportere præter sententiam Romani Pontificis Concilia celebrari. Fit ergo synodus in Antiochia, sub præsentia Constātij principis, Consulatu Marcelli & Probini. Erat autem quintus annus mortis Constantini patris Augustorum, præsidebatq; tunc Ecclesiæ Antiochene Flacillus successor Euphronij. Fautores igitur Eusebij operæpretium iudicantes Athanasio derogare, primum quidē calumniati sunt, quasi præter regulam egisset quā tunc ipsi decreuerant: quoniā non ex sententia cōmunis concilij Episcoporum receperat sacerdotiū, sed sibimet arrogando in Ecclesiā fuisset ingressus. Deinde quoniam eius aduētu turba generata, plurimi seditione sint mortui: & quia aliqui ab Athanasio cæsi, iudicibus dicerentur esse cōtraditi. Hac derogatione tunc habita, cōstituerunt Episcopum in Alexandria, primò quidē Eusebiū cognomento Emisenum. Quo ordinato, & in Alexandriam ire metuente, Gregorium fecerunt Episcopum. His ita gestis, transformauerunt fidē, nihil quidem culpantes Nicæni concilij, sed principiū præbētes vt frequentibus cōcilijs alia subinde mutantes 10 & recitantes efficerent, vt definitio fidei paulatim in Arrianam vesaniam relaberetur. Interea Gregoriū deducebat in Alexandriam Syrianus magister militiæ, & cū eo armati milites, numero quinq; millia, quibus etiam aderant Arrij sectatores illic habitantes. Sed quomodo Athanasius Ecclesia pulsus, ne caperetur, effugerit, arbitror esse dicēdum. Erat enim vespera, & populus in vigilijs obseruans, sperabaturq; futura collectio. Inter hæc venit magister militū, & circa ecclesiā per cohortes suos milites ordinauit. Athanasius aūt vidēs quæ fierēt, cogitauit ne propter se vlla læsio populo proueniret. Et præcipiēs diacono vt comple-

7 Hoc est validissimū hæreticorum argumentū, nō inueniri in sacris scripturis, ideo nō credēdum nec tenendum. Ne mireris ergo si & hoc tēpore nouatores nostri hoc vtātur tanquam telo ineuitabili, quo tamē nil infirmius. Vide Hieron. aduersus Luciferianos, Tom. 2.

8 Ecce rursus Ecclesiæ dedicatio.

9 Vide hic Romani pontificis priuilegiū, & quod regula ecclesiast. iubet non oportere præter eius sentētiam Concilia celebrari.

10 Quæ definita fuerant in cōcilio Nicæno, frequentibus cōcilijs mutantes, effecerunt vt definitio fidei in Arrianam vesaniam relaberetur.

compleret orationem, rursus psalmum fecit imponi. Cumq; consonantia psalmodiæ 11 celebraretur, per vnam ianuam ecclesiæ egrediebantur omnes. Quo facto milites quidem sine commotione steterunt. Athanasius autem inter medios psallentiũ illæsus abscessit. Et hoc modo fugiens, Romam profectus est. Porro Gregorius Alexandrinæ tunc præsedit ecclesiæ. Alexandrinorum verò plebs non ferens quod erat gestum, ecclesiam quæ Dionysij nuncupatur, incendit. Arriani præterea Gregorium remouentes ab Alexandria tanquam odiosum, & quia propter eum factum fuisset incendium, necnon & quia minus ipsorum foueret errorem, euocauerũt Georgium Cappadocem, hominem Arrianæ vesaniæ. Theodoretus. Quomodo autem & ille cum exercitu venerit, & iste diffugerit, ipse qui passus, & mirabiliter liberatus est, melius enarrabit. nã in Apologia suæ fugæ sic ait: Veruntamen exquirant modum etiã discessionis, & cognoscant à suis. Erant enim Arriani cum militibus concurrentes, vt eos accenderent, & ignorantibus nos ostenderent: & licet sine vlla compassione sint, vel audientes tamen confusi quiescant. Erat itaque iam nox, & aliqui populorum 12 ad vigilias venerant, expectabatur futura die collectio. Dux autẽ repentè astitit cũ militibus plus quam quinquies milibus, habentibus scilicet arma, & gladios enudatos, arcus, sagittas, & vectes, & Ecclesiam quidẽ ipse circũdedit, statuens milites sibimet cohærentes, vt nullus posset egredientium ab ecclesia eorum manus euadere. Ego verò irrationabile iudicans in tanta confusione populum relinquere, & non magis ante illos pericula sustinere, residens in sede præcepi, vt diaconus psalmum legeret, populi responderent: Quoniã in seculũ misericordia eius, & sic omnes in domos suas abirent. Sed duce postea ingrediente, & militibus sacrarium circũdantibus, vt nos capere possent, clerici quidem qui sunt inuenti, simul & populi clamabãt, poscentes vt & nos discederemus vnà cum populo. Ego verò magis è diuerso dicebam: non nos discedere, nisi omnes singulatim prius exirent. Surgens itaque, oratione facta, sic præcepi vniuersos abscedere, melius esse dicens me periculo subiacere, quàm quemquam eorum excipere læsionem. Egredientibus igitur plurimis, & reliquis subsequentibus, quidam monachi, qui ibi nobiscum fuerant, & aliqui clericorum ascendentes traxerunt nos, & ita, testis est ipsa veritas, militibus alijs sacrarium circundantibus, alijs per ecclesiam discurrentibus, per medium eorum, Domino iter dante atque custodiente, pericula cuncta transiuimus, Deum magnificè glorificantes: quoniam neque populum neci tradidimus, sed etiam vt saluaretur actum est, & manus quærentium nos effugere præualuimus.

11 Cum psalmodiæ consonantia celebraretur.

Ex historiæ Tripartitæ lib. 5. c. 1.

12 Vide vigilias festorum tempore illo custodiri à Christianis.

Socrates. Quæ etiam Georgius eodem tempore in Alexandria gesserit, ipsius Athanasij, qui hic passus est, voce narremus. In libro enim quem de fuga sua scripsit, hæc ait: Igitur in Alexandria surrexerũt denuò nos quærentes occidere. Et facta sunt nouissima peiora prioribus. Repente namque milites circũdantes ecclesiam, pro orationibus prælia celebrabant. Ingrediente namque quadragesima, Georgius ex Cappadocia ex eis missus auxit mala, quæ illorum calliditate didicerant. Post septimanam 13 itaque Paschæ virgines mittebantur in carcerem: Episcopi vincti à militibus ducebantur: orphanorum & viduarum domus diripiebantur, & inuasiones in domibus agebantur, & noctu Christiani deponebantur. Obsignabantur domus, & fratres clericorum pro fratribus pericula sustinebant. Hæc quidẽ pessima, sed grauiora postea sunt præsumpta. Septimana enim, quæ fuit post sanctam 14 Pentecosten, populus ieiunans 15 est egressus ad cœmiterium orationis causa, eò quod omnes cõmunionem Georgij declinarent. Sed hoc cognoscens ille nequissimus, ipse concitauit Sebastianum ducem Manichæum, qui cum multitudine militũ arma, gladios euaginatos, arcus, sagittasque ferentiũ facto impetu in ipso die dominico super populum irruit, & paucos orãtes inueniens (quum iam plurimi discessissent) talia gessit, qualia ab eis decebat impleri. Incendio namque facto statuens virgines secus ignem, cogebat eas vt se profiterẽtur Arrianas. Cumque eas cerneret esse victrices, & de igne nullo modo cogitare, sic earum vultus lacerauit, vt vix agnosci post tempora potuerint. Tenens autẽ & quadraginta viros, tormẽto nouiore discerpsit. Sectis namque de palma vi gis, & habentibus suos aculeos, eorum dorsa ita verberibus lacerauit, vt quidam eorum sæpius à medicis incisi sint propter spinas, quæ eorũ dorsis inhærebant: alij verò dum non ferrent tormenta, mortui sint. Eos autẽ qui viuere potuerunt, & quandã virginem in exilium deportauit in maximã Oeasim. Corpora verò mortuorum primò quidem reddi non passus est, sed cælauit, insepulta relinquens ea vt quasi tanta crudelitas latere videretur. Hoc autem aiunt, qui mentis errore desipiunt. Nam cùm parentes mortuorum gauderent quidem propter confessionem, flerent autem propter corpora defunctorum, maiora eorum impietatis indicia personabant. Post hæc autem ex Ægypto, atque Lybijs in exiliũ deportauerunt episcopos Ammoniũ, Muiũ, Gaiũ, Philonem, Hermẽ, Plenium, Psenosirim, Nilammonem, Agathonem, Anagãphum, Amonium, Marcum, Dracontium, Adelphium, Athenodorum, & presbyteros, Hieracem, & Dioscorum, & sic eos acerbissime per itinera pepulerunt, vt quidam eorum in ipsis itineribus, alij verò per exilia

13 Septimana Paschæ.

14 Sancta Pentecoste.

15 Nota ieiunium in Septimana post Pentecostẽ, de quo habes per D. Leonem Papam ser. 2. De Pentecoste, esse ex Apostolica traditione.

moreretur. Occiderunt autem Episcopos plusquam triginta, habentes studium secundum Achab, vt si possent, amputarent penitus veritatem. Theodoretus. Super hæc igitur Athanasius etiã consolatorios libros virginibus illis scripsit, quæ crudelissimas pertulerũt passiones, dicens inter hæc: propterea nemo vestrum sit tristis, licet & sepulturam 16 vobis denegēt impij, & prohibeant vos efferri: Nam vsque ad hoc nequitia peruenit Arrianorum, vt & portas clauderent, & circa sepulturarũ loca veluti dæmones residerent, ne quis sepeliretur fidelium dilectorum. Hæc ergo & his similia Georgius in Alexandria faciebat. Sanctus autem Athanasius nullum locum munitum cautelæ suæ putabat: cùm itaque aut viuum eum deduci, aut mortuum decollari, & caput eius Imperator sibi iussisset afferri. Pro qua re præmium maximum compromisit huiusmodi aliquid nunciari. Igitur Athanasius relinquens Alexandriam Romam profectus est. Contigit autem eodem tempore etiam Paulum Constantinopolitanum pontificem illuc vnà concurrere, & Marcellum Ancyræ, Ascepamque Gazæ. Qui dum Arrianis esset aduersus, calumniam passus ab his, quasi subuertisset altare, damnatus est. Pro quo Gazæorum ecclesia Quintiano committitur, Lucianus autem Hadrianopolites Episcopus ob aliam accusationem ecclesia sua priuatus, degebat in vrbe Roma. Cognoscens ergo Romanus Episcopus, 17 crimina singulorum, & omnes Nicæno concilio concordare comperiens, eos in communionem suscepit, tanquam omnium curam gerens propter sedis propriæ dignitaté, singulisque reddidit suas Ecclesias, & Orientalibus scripsit Episcopis, culpans quòd nõ rectè tractassent viros inculpabiles, de suis ecclesiis eos expellentes, & quòd cõstitutiones Nicæni consilij minimè obseruarent. Quorum paucos ad certam diem sibimet adesse præcepit, vt coram eis ostenderent iustum se super illis protulisse decretum. Et deinceps non se passurum interminatus est, nisi ab huiusmodi turbis & nouitate cessarent. Et ille quidem hæc scripsit. Athanasius autem & Paulus epistolas Iulij Orientalibus Episcopis miserunt, & singuli eorum suas sedes adepti sunt.

16 Vides quanta solicitudo anhiberetur pro humandis corporibus defunctorum à fidelibus populis? Et cur aliqui hæretici nostro tempore tã opere negligũt mortuorum sepulturas.

17 Romanus Episcopus tanquã omnium curã gerens propter sedis propriæ dignitatẽ, singulis his episcopis, viris sanctis suas reddidit ecclesias, & reprehensorias literas super eorũ iniusta deiectione Orientalibus scripsit Episcopis. Ex quo habes Romanæ Ecclesiæ primatum super oẽs alias ecclesias.

Verùm Pontifices Orientis grauiter hoc ferentes, & in Antiochia congregati Iulio rescripserunt epistolam, ornato quidem stilo compositam, ironia verò maximè plenam, & non sine interminationis qualitate confectam. Fatebantur enim circa omnes Romanorum Ecclesiam esse munificam, veluti quæ Apostolicam haberet curam, & antiquitus mater pietatis existeret, licet ab Oriente ad eum prædicatores dogmatis aduenissent. Se verò non propterea secundo loco habendos existimabant, eò quòd non magnitudine aut multitudine abundarent Ecclesiarum, cùm vitæ qualitate non cederent: crimenque Iulio imponebant, eò quòd Athanasij sectatoribus cõmunicasse videretur, & tãquam ipsorum concilio contumelias irrogasset, eorumque sententiam destruxisset: & veluti iniustum eius factum, Ecclesiasticisque sanctionibus dissonans arguebãt. His ita conscriptis addiderũt, quòd si susciperet Iulius damnationẽ ab ipsis factam, & ordinatos Episcopos in damnatorum locum firmaret, pacem cum eo & communionem haberent. Si verò placitis ipsorũ resisteret, contraria celebrarent: quippe cùm Orientales Episcopi nõ restitissent, cùm Nouatus à Romana pelleretur Ecclesia. De his autem quæ præter commune placitũ de concilio Nicæno gesserant, nihil ei rescribere maluerunt. Hæc itaque Orientales Episcopi Iulio Romano Pontifici rescripserunt. Cùm verò Athanasius Alexandriam fuisset ingressus, compressio populi partis Georgij, qui illic fuerat ordinatus episcopus, vehemens facta est. Et ex hoc dicebant turbas & neces hominũ prouenisse, & huiusmodi crimina in Athanasium velut authorẽ sceleris referebant: cùm hæc in certaminibus frequenter eueniant. Ob quam causam Sabinus Macedoniæ Præsul hæreseos Athanasiũ frequẽter accusat. Qui si cogitaret quanta mala contra Athanasiũ & Homausianos Arriani gesserint, aut quanta concilia propter eum celebrata sint, aut quanta contra omnes Ecclesias Macedonius hæresiarches gesserit erubescens fortè tacuisset. Interea contra Athanasium alia machinatio concinnata est. Ecclesiæ namque Alexandrinorum, Augustorum pater erogando pauperibus frumenta donauerat: quæ dixerunt Athanasium vendere, & suis vtilitatibus applicare. Quod Imperator credens, eum iussit occidi. Hoc sentiens Athanasius, latenter aufugit. Hinc iam toto orbe profugus agitur Athanasius, nec vllus ei tutus ad latendum supererat locus. Tribuni, præpositi, Comites, exercitus quoque ad inuestiagandũ eum mouentur edictis imperialibus. Præmia delatoribus proponuntur, si quis viuum maximè: si id minus, caput certè Athanasij detulisset. Ita totis regni viribus frustra aduersum eum, cui Deus aderat certabatur. Interea sex continuis annis ita latuisse fertur in lacu cisternę non habentis aquam vt solem nunquam videret. Sed cùm per ancillam, quæ sola conscia dominorũ officijs qui ei latebras præbuerant videbatur, indicatus fuisset, tanquam Dei spiritu admonitus, ipsa nocte qua ad eum comprehendendum cũ indicibus veniebatur, post annos sex migrauit ad alium locum. Ita illi qui venerant frustrati, dominisque in fugam versis, de ancilla vt falsa indice pœnas sumunt.

Ex histor. Eccl. lib. 10. cap. 18.

Verum ne graues alicui latebræ suæ fierent, & occasio calumniæ innocẽtibus quæreretur, nihil

nihil sibi vltro iam tutum in Constantii regno præsumens, ad Constantis partes profugus abscessit. A quo satis honorificè religioseque susceptus est. Quique causa eius quã fama compererat diligẽtis cognita, scribit ad fratrem, pro certo se cõperisse quòd sacerdos Dei summi Athanasius iniustè fugas & exilia pateretur. Hunc itaque rectè faceret, si absque vlla molestia loco suo restitueret: si id nollet, curæ sibi futurum, vt id adimpleret, regni eius intima penetrans, & pœnas dignissimas de autoribus sceleris sumens. Quibus scriptis perterritus Constantius (quod posse facere ea quæ minitabatur, conscius erat fratrem) simulata benignitate vltro venire ad se Athanasium iubet, & leui increpatione perstrictũ, ad Ecclesiam suam permittit securum ire. Admonitus tamen Imperator ab impijs consiliarijs: Non est, inquit, magnum Athanasi, quod Episcopi poscunt de te, vt vnam ex multis quæ sunt apud Alexandriam Ecclesijs concedas populis eorum qui tibi communicare nolunt. Tum ille, Deo sibi suggerente, paratum in tempore consilium reperit: Et quid est, inquit, Imperator, quod poscenti tibi liceat denegari, qui potestatem omnium habes iubendi? Sed vnum est quod oro, vt meam quoque petitiunculam libenter admittas. Cumque se omnia quæ vellet, quamuis essent difficilia, promitteret præstaturũ, si hoc vnum cederet libens, ait Athanasius: Hoc est quod rogo: vt quia etiam hic (Nam apud Antiochiam res agebatur) sunt nostri populi, qui istis communicare nolunt, vnam eis tenere concedas Ecclesiam. Æquissimum sibi videri, & valde præstandum, lætus spopondit Imperator. Sed cùm rem detulisset ad eos quorum consilijs vtebatur, neque ibi se velle accipere Ecclesiam, neque hic dare respondent, quia plus sibi singuli quique quàm absentibus consulebant. Ita Imperator admiratus eius prudentiam, properare ocyus ad suscipiendàm Ecclesiam suam iubet. Operæprecium autem videtur ipsius Constantij literas quas pro eius reditu scripsit, his gestis inserere. Socrates. Constantius victor Augustus Athanasio Episcopo. Plurimùm te circunferri & fluctuare ferocibus maris vndis nostræ mansuetudinis clementia non permisit. Patria quippe terra nudatũ, & priuatum propriis rebus, errantemq; per loca inuia bestiarum, indefecta nostra pietas non despexit. Igitur diu distuli scribere voluntatis meæ propositum, sperans sponte te ad nos fortè venturum, & laborum satisfactionem à nobis exigere. Veruntamen quoniam fortè timor impediuit voluntatis tuæ propositum, literas largitate plenissimas ad tuam beatitudinem destinauimus, vt sine metu nostris aspectibus velociter tuam præsentiam præbere festines, vt desiderio tuo potitus experiaris nostram clementiam propriis restitutus. Hac etenim causa & dominum meum fratremque Constantem victorem Augustum pro te rogaui, vt tibi potestatem ad nos tribuat veniendi, vt ambobus nobis annuentibus, restitutus in patriam, habeas maximum gratiæ nostræ pignus.

Ex historiæ tripartitæ libro 4. Cap 10.

Alia epistola eiusdem pro eadem re. Constantinus victor Augustus Athanasio Episcopo.

Licet prioribus literis significauerimus, vt sine solicitudine ad nostrum debeas venire comitatum, eò quòd maximè velimus te ad propria destinare: tamen & nunc has literas ad tuam misimus sanctitatem, per quas inuitamus, vt sine aliqua diffidentia vel metu ascendens, publicis vehiculis ad nos venire festines, vt quæ desideras possis adipisci.

Tertia Cõstantij Epistola pro eodẽ. Constantinus victor Augustus Athanasio Episcopo.

Dum in Edessa degeremus, præsentibus presbyteris ad nostrum debuisses festinare comitatum, vt videns nostros aspectus, repentè properares ad Alexandriam. Sed quoniam plurimum præteriit tẽporis ex quo suscipiens à nobis literas non occurristi, propterea etiam nunc commonere te festinauimus, vt vel nunc tuam præsentiam nobis velociter præsentare contendas, & ita possis patriæ tuæ restitui, tuaque securus oratione frui. Ad plenam verò cognitionem Achitum diaconum destinauimus, à quo possis cognoscere etiam nostri animi voluntatem, & quod ea quæ optas, impetrare possis. Has Epistolas ab Aquileia suscipiens Athanasius (illic enim relicta Sardica agebat) mox recurrit Romam, & ostendens literas Episcopo Iulio, in maximo gaudio Ecclesiam fecit esse Romanam. Putabatur enim etiam Orientis Imperator ipsorum fidei consentire, eò quòd ad se Athanasium fiducialiter euocaret. Iulius autem Alexandriam clericis atque plebi hæc de Athanasio scripta misit.

Iulius Archiepiscopus presbyteris, & Diaconis, & plebi habitantibus Alexãdriam, dilectissimis fratribus in Domino salutem. Congaudeo vobis & ego dilectissimi fratres, quòd fructum vestræ fidei ante oculos iam videtis. Hoc etenim verè gestum quilibet inspiciet in fratre & coepiscopo nostro Athanasio, quẽ propter puritatem vitæ suæ, & vestras orationes restituit vobis Deus. Ex hoc itaque creditur, puras & charitate plenas orationes vestras ascendisse semper ad Deum. Memores enim estis promissionum cœlestiũ, atque dilectionis quam ex doctrina prædicti fratris mei Athanasij didicistis, & integrum cognouistis secundũ insitam vobis fidem, quam percepistis: quoniam non vsque ad finem à vobis possit abduci, cuius orationes in sanctissimis animabus vestris tanquam præsentes semper habuistis. Ergo non plurimis mihi verbis opus est vobis scribere. Quęcunq; enim vobis à me potuerint dici,

hæc iam

hæc iam fides vestra præcessit, & diuina gratia communis orationis nostræ vota compleuit. Congaudeo siquidem vobis: iterum enim dico congaudeo: quoniam inexpugnatas animas in fide seruastis. Sed etiam ipsi fratri meo Athanasio non minus congaudeo: quia licet multam sit passus tristitiam, nec vnam tamen horam vestri desiderij & charitatis oblitus est. Nam licet corpore ad tempus à vobis sit abstractus, spiritu tamen vobiscum semper degere videbatur. Et ego quidem charissimi fratres, omnem tentationem contra eum surgentem, reor sine gloria non fuisse. Nam & vestra & eius fides cognita est vniuersis & comprobata. Si enim non tanta & talia accidissent, quis crederet, quia aut vos tale iudicium, tantamque charitatem circa talem exhibuissetis Episcopum: aut ille potuisset tantis virtutibus circundari, per quas spe cœlesti fraudatus non est? Promeruit igitur quolibet modo & nunc & in futuro etiam confessionis gloriosum martyrium. Frequenter enim terra marique plurimum æstuans, omnem prauitatem Arrianæ conculcauit hæreseos, & crebrò per inuidiam vsque ad periculum impulsus contempsit mortem, munitus omnipotente Deo & Domino Iesu Christo Saluatore nostro, sperans & inimicitias declinare, & cōsolationi vestræ restitui, deferens vobis maiora trophæa ex fortissima conscientia, pro quibus, & vsque ad terminos terræ totius apparuit gloriosus. Fiduciam itaque habens sui propositi, cœlestisque doctrinæ clarificatus est immortali iudicio, & ad vos reuertitur, diligēdus igitur apud vos clarior nūc est quàm tunc, quando profectus à vobis est. Nam si materias preciosas, id est, aurum & argentum, purgando ignis probat, quid dignum dici poterit de tali tantoque viro, qui cùm tantas tribulationes & pericula deuicerit, redditur nunc vobis immaculatus: non à nobis solummodo, sed comprobatus ab omni concilio? Suscipite igitur nunc fratres charissimi cū omni diuina gratia pastorem vestrum ac pręsulem, tanquam verè ἀθανάσιον, cum his qui tantorum laborum eius participes sunt effecti: & gaudete fruentes orationibus, qui pastorem vestrum, vt ita dicam, esuritis atque sititis, quando etiam ipsi vestram sanitatem salutaribus scripturis cibastis atque potastis. Nam cùm degeret inter peregrinos, vos ei consolatio fuistis, & in persecutione atque periculis refouistis cum fidelissimis vestris animabus & mentibus: ego siquidē iam exulto considerans & ratione prospiciens, & in eius reuersione vniuscuiusque vestrum gaudium & plebis votiuas occursiones, & concurrentium gloriosam festiuitatem, & qualis ille vobis erit dies, & quantus, remeante scilicet fratre meo, & quiescentibus priscis malis quorundam machinatione sartis: nec nō preciosa ac votiua reuersione cunctos in quadam plenissimi gaudij lætitia copulante. Huiusmodi verò gaudium vsque ad nos magnitudine sua pertingit: quibus diuinitus hoc etiam constat esse concessum, vt & nos debeamus in laudem tanti viri consurgere. Sed melius est vt epistolam oratione claudamus. Deus omnipotēs, & huius vnigenitus filius Dominus & Saluator noster Iesus Christus hoc gaudium vobis præbeat in æternum, dignum tribuens præmium admirabili vestræ fidei, quam circa pontificem vestrum glorioso testimonio demonstrastis: vt & vos & qui vobiscum sunt, & hic in futuro meliora possideatis, quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, & nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se: per Dominū nostrum Iesum Christum, per quem & cum omnipotenti Deo gloria in secula seculorū, Amen. Valere vos opto charissimi fratres. Igitur Athanasij sententiam de concedenda Antiochiæ Ecclesia inutilem sibi cognoscentes Arriani, hoc quidē differendum esse dixerunt, & agendum quod placeret Imperatori, quia Imperator Paulo, & Athanasio, & Marcello, & Asclepæ Gazę, & Lucio Adrianopoleos, secundū ea quæ in concilio Sardiceno placuerant, proprias restituerat sedes. Vnde principalia sacra per singulas ciuitates ad eorum mittebantur Ecclesias, quibus iubebatur, vt eos repentè susciperent. Igitur in Ancira expulso Basilio, & pro eo introducto Marcello, non fortuita turba prouenit, quæ derogationem contraria sapientibus irrogauit. Asclepam verò continuò Gazæi susceperunt in Constantinopolitana ciuitate. Macedonius ad modicum tempus Paulo successit, apud semetipsum in Ecclesijs remota collectiones agens. Pro Athanasio tamen solo Imperator Episcopis & clericis, atque plebi scripsit, vt eum libenter susciperent. Insuper etiam quæ contra eum in iudicijs facta fuerant, alijs literis aboleri iussit. Quæ verò de vtraque re scripta sunt, hæc esse noscuntur.

Epistola Constantij, per quam omnia contra Athanasium habita sunt cassa. Victor Constantius maximus, Pius, Episcopis & presbyteris catholicæ Ecclesiæ salutē. Reuerendissimus Episcopus Athanasius non est Dei gratia derelictus: nam licet breui tempore humana fuerit probatione summissus, tamen debitum prouidentiæ vniuersa prospiciētis noscitur suscepisse decretum, recipiens voluntate Dei nostroque iudicio patriā suam pariter & Ecclesiam, cuius diuino nutu præsul extabat. Huic enim consequenter oportebat nostram adesse mansuetudinem, vt omnia aduersus eum, & eius communicatores definita, omnisque suspicio & illusio contra eum gesta, deinceps sit inanis & vacua, & reuelatio quam dudum clerici eius habuerunt, competenter firma permaneat. Sed etiam hoc eius gratiæ adijciendum esse

censuimus, vt omnes ordines sacri cognoscant, concessum omnibus ipsi coniunctis vt sine timore sint, siue Episcopi sint siue clerici: sufficit enim vnicuique circa eum rectæ voluntatis vnio. Quicunque enim meliori iudicio atque parte constituti huius eligunt communionem, hos omnes præcipimus ad instar præcedentis prouidentiæ etiam nunc voluntate Dei nostræ gratiæ largitatem adipisci. Epistola Constantij ad Alexandrinos, vt reciperent Athanasium. Victor Constantius maximus pius, populo Alexandrino Ecclesiæ catholicæ salutem. In omnibus perhibentes nostræ æquitatis intentionem, scientesque quoniam diu prouidentia vestri contemplatoris estis alienati, id est, Pontificis Athanasij, qui propter insertam rectitudinem, suorumque morum prudentiam cunctis innotuit, eum denuo ad vos destinare censuimus. Hunc itaque consuetè & competenter suscipientes, & apud clementem Deum adiutorem orationum habentes, vobis congruam simul & nobis placitá concordiam atque pacem secundùm Ecclesiæ sanctionem vbique probatæ, sufficienter festinate seruare. Non enim rationabile est aliquam discordiam inter vos agitari, aut tumultum nostrorum temporum disciplinæ contrarium: & hoc quidem abesse à vobis omnino volumus. Orationibus autem sufficienter, eo scilicet prȩsule & adiutore apud Deum vos instare solenniter admonemus, vt tali proposito ad omnium vota proueniente, etiam Gẽtiles idolorum errori hactenus seruientes, ad cognitionem sacræ religionis sub alacritate festinent. O charissimi nobis Alexandrini, rursus igitur admonemus, vt in his quæ dicta sunt persistatis, & omnes Episcopũ decreto superno, nostraque sentẽtia destinatum libenter & piè suscipiatis: & toto animo totaque voluntate amplectendũ existimetis. Hoc enim & vos decet, & nostræ mansuetudini noscitur cõuenire. Vt autem omnis turbæ seditionis occasio perimatur, Iudicibus apud vos habitis literis nostris præcipimus, vt omnes quos seditiosos agnouerint, legitimè vindictæ subijciant. Vtraque igitur perspicientes, & nostram cum Deo sententiam, & rationem profectionis vestræ, necnon & supplicium contra seditiosos indictum competenter & congruè sacræ religionis iura seruate. Prædictumque Deo amabilem virum omni reuerentia & honore colite: & orationes vnà cum eo pro vobis ipsis, & nostræ vitæ fauore omnium saluatori Deo lætantes offerte. Epistola Constantij pro Athanasio, vt aboleretur quicquid pro Athanasio gestũ est. Eadem verò forma præsidibus Augustæ, Nicææ, Thebaidis, & Lybiæ scriptum est. Quicquid pridem ad læsionem & iniuriam Athanasio Episcopo communicantium reperitur actum, hoc nunc aboleri præcipimus. Nam & ministerium, quo priuati fuerant eius clerici, eosdem rursus volumus obtinere. Hanc itaque præceptionem nostram seruari censemus, vt Athanasio Episcopo suæ Ecclesiæ restituto communicatores eius habeant ministerium, quod semper habuerunt, quod etiam reliqui clerici habere noscuntur, & ipsi gaudio potiantur. Tantis & talibus epistolis munitus sanctissimus Athanasius, per Syriam aggressus venit in Palestinam, apprehendensque Hierosolymam, & Episcopo Maximo significans gesta Sardiceni concilij, & quod Imperator Constantius illorum decreto iudicioque consensisset, præparauit vt Episcoporum in illis Regionibus habitantium synodus ageretur. Maximus autem in nullo segnis de Syria atque Palestina vniuersos euocauit Episcopos: Facto concilio restituit & ipse beato Athanasio communionem & dignitatem. Scripsit etiam ipsa synodus Alexandrinis omnibus in Ægypto & Lybiis Episcopis, clericis, atque plebi, ea quæ de Athanasio gesta atque decreta sunt. Ob quam rem valde Maximo detraxerunt Athanasij derogatores Episcopi, quòd primitus deponens eum rursus ex pœnitentia tanquam nihil fuisset actum sententiam pro Athanasio protulerit, quæ communionẽ ei dignitatemq; præberet: hæc cognoscentes Vrsatius & Valens, qui circa Arrianum dogma studium primitus ardens habuerãt, declinãtes à priori voluntate Romam profecti sunt, libellumq; pœnitentiæ Iulio offerentes Episcopo, & in Consubstantialitatis consensere sermone, & literas Athanasio miserunt, seque ei deinceps communicare professi sunt. Sic itaq; tũc Vrsatius & Valens gestis Athanasij superati conuersi sunt. Athanasius ergo per Pelusium pergebat Alexãdriam. Transiens autem per ciuitates, edocebat, vt Arrianos vniuersi declinarent, & consubstantialitatis dogma amplecterẽtur in quibusdam Ecclesiis: & ordinationes fecit. Et hoc fuit initiũ alterius querelæ aduersus eum: quia in aliorum Ecclesiis ordinare præsumpsisset. Hæc itaq; de Athanasio prouenerunt. Interea respublica fortuitis casibus vrgebatur. Vnde quæ sunt summaria non est incongruum breuiter explanare. Igitur quòd ædificatore Constantinopolitanæ ciuitatis moriente tres eius filii Imperiũ susceperint, in præcedentibus est narratũ. Sciendũ autẽ quod cũ istis imperauit consobrinus eorũ nomine Dalmatius, vocabulũ patris habẽs, qui dum aliquãtisper imperasset, a militibus interẽptus est, non iubente Constantio vt occideretur, nec tamen prohibente. Cùm verò Cõstantinus iunior fratris partes inuaderet, & ipse à militibus cõgressione facta peremptus est. Hoc autem iam sæpe dictum est. Post mortem verò Constantini iunioris, Persicum contra Romanos motum est bellum, in quo Constantius proficere nõ valebat:

nam cùm

nam cum nocte prælium circa fines Romanorum atque Persarum fuisset gestum, validiores tunc Persæ ad breue tempus inuenti sunt. Quo tempore neque Christiani sub quiete degebant, sed per Athanasium de consubstantialis verbo circa Ecclesias erat pugna. Sozomenus. Denique apud Antiochiam non concordabant in professione sua clerus & populus, sed per choros, vt est consuetudo, ad hymnos dicendos Deo in fine psalmorum monstrabant propriam voluntatem. Et hi quidem patri & filio, velut æqui honoris gloriam dicebant: hi verò patri in filio, per interpositionem præpositionis, filium secundum esse monstrantes. His ita gestis, hærens quid ageret Leontius, qui illo tempore ex hæresi aduersa sedem Antiochiæ gubernabat, cùm prohibere non auderet eos qui secundùm traditionem Nicæni concilij psallerent Deo, quia metuebat ne seditio nasceretur in populo, hoc dixisse fertur, tangens caput suum iam canum: Hac, inquit, niue soluta, lutum cogetur immensum. Per hoc ostendens, quòd ipso defuncto seditionem populo generaret illa discordia, quæ in hymnis fiebat, non patientibus successoribus suis cũ populi varietate sentire. Athanasius igitur veniens ad Ægyptum, explicauit synodales Epistolas Iulij Romani Pontificis: insuper & synodalẽ Maximi Hierosolymitani, quæ talia cõtinere dignoscuntur. Sancta synodus Hierosolymis congregata per Ægyptũ, Lybiam & Alexandriam constitutis presbyteris, diaconis & plebi fratribus desideratissimis in Domino salutem. Cunctorum Deo dignè gratias agere non valemus fratres charissimi: in quibus enim miracula semper egit, etiam modò cum Ecclesia vestra fecit, pastorem vestrum & Dominum consacerdotemque nostrum Athanasium vobis sua pietate restituens. Quis enim aliquando sperauit oculis carnalibus intueri, quem nunc & nos & vos inspicitis, respicientes quem videre desiderastis? sed verè orationes vestræ à Deo omnium sunt auditæ, qui curam habet Ecclesiæ suæ, & vestras lachrymas atque gemitus semper inspexit, quapropter vestras audiuit preces. Eratis enim sicut oues abiectæ & fatigatæ, non habentes vtique pastorem. Propterea visitauit vos cœlitus pastor verus, & de propriis ouibus curã gerens, restituit vobis quem noscimini concupisse. Ecce enim & nos omnia pro Ecclesiastica pace facientes, vestræque dilectioni conspirantes in eius amplexu præcessimus, & communicantes ei per eum vos alloquimur, scriptaque præsentia destinamus. Itaque secundum gratifica vota vestra scitote nos quoque cum eo vinculo charitatis obstrictos. Debetis ergo etiam pro pietate Deo amabilium nostrorum Imperatorem incessanter orare, quoniã & ipsi cognoscentes vestrum desiderium vobis restituere destinarunt. Omni ergo honore tensis manibus suscipientes illum gratificas orationes offerte Deo, qui vobis talia condonauit. Festinate autem semper in Deo gaudere, & glorificate Dominum, per quem & cum quo patri gloria in secula seculorum, Amen. Veniens igitur Athanasius in Ægyptum, quos quidem agnouit Arrii sectatores, deposuit. Quibus à se depositis, Ecclesias eorum præcepit fidem tenere Nicæni concilij, eamque summo studio custodiri. Sic itaque se rebus habentibus, Magnentius tyrannus circa partes emersit Hesperias. Qui Constantem Imperatorem Occidentalium partium facto dolo circa Gallias interemit. Quo gesto intestinum inflammatũ est bellum: Magnentius etenim tyrannus totam tenebat Italiam, Aphricamque & Lybiam, simul & Gallias. In Illyrico verò, & in Sirmio aliud rursus à militibus excitatum est bellum per tyrannum nomine Britannionem. Sed etiam Romam tumultus non fortuitus detinebat. Fratruelis namque Constantini Nepotianus nomine, imperium assumpserat gladiatorum virtute suffultus, & Nepotianũ quidẽ Magnentij milites deposuerunt. Magnentius autẽ procedẽs vniuersas partes vastabat Hesperiæ. Horum igitur omniũ malorũ immensa confluxio breui tempore generata est. Quarto enim anno post Sardicense concilium, hæc acta noscuntur, consulatu Sergij & Nigriani. His itaque nuncijs apparebat, quod ad Constantium solum Imperij iura peruenissent, quo prouectu, contra tyrannos semetipsum (vt poterat) præparabat.

Aduersarij verò Athanasij, opportunum se tempus inuenisse iudicantes, rursus aduersus eum calumnias instruebant. Tunc imperatori Constantino suggesserunt, quòd omnẽ Ægyptum subuertisset & Lybiam. Inuidiam verò maximè auxit eius, quòd orationes in parœcijs fecisset alienis. Athanasius interea cùm venisset Alexandriam, synodum AEgyptiorum congregauit Episcoporum. Qui consona decreuerunt Sardiceno concilio, atque Hierosolymis celebrato. Constantius igitur Imperator, pridem & ipse Arrianorum secta præoccupatus, omnia quæ paulò antè ei placuerant, in contrarium demutauit. Et primum quidem Ecclesiæ Constantinopolitanæ Pontificem Paulum deportari iussit in exiliũ, quẽ deducentes in Cucusum Armeniæ suffocauerunt. Marcello autẽ denuo proiecto, Ecclesiã Ancyranã Basilius rursus inuasit: Lucius autem Adrinopoleos ferro vinctus, in carcere moritur. Tantũque valuerunt quæ de Athanasio dicebantur, vt in immẽsum furorẽ cadẽs Imperator, eum vbicunq; reperiretur, iuberet occidi: cum quo Theodulum, & Olym pii præsules Ecclesiarũ Thracensium. Igitur Athanasium voluntas Imperatoris non latuit, sed præsentiens fuga

dilapsus

dilapsus est,& minas principis declinauit. Cuius fugam dilatauerunt Arriani,præcipuè Narcissus Neromadis episcopus,Georgius Laodiciæ,& Leontius tūc Antiochenæ præsul Ecclesiæ.Is enim cùm presbyter esset,dignitate priuatus est,quia cum muliere Eustolia nomine degens,& turpem suspicionem cælare volens, genitalia sibimet noscitur abscidisse: & deinceps quidem fiducialiter cum muliere viuebat. Postea verò studio Imperatoris Constantij in Antiochena Ecclesia ordinatur Episcopus post Stephanum, qui primitus successerat Placito. Hæc igitur de his dicta sufficiant. Et inimici quidem fidei,putantes se tempus inuenisse contra defensores eius,valde apud Principem laborabant, vt de Ecclesiis pellerentur omnes qui ab eis videbantur esse depositi tanquam alterius fidei,vel quia viuo Constante,Imperatori Constantio restitissent,ita vt fuisset penè ad bella peruētum.Præcipuè tamen Athanasium accusabant ob nimiam inuidiam, neque Constante viuo & Constantino eum se diligere profitente ab eius molestia recedebant: Sed Antiochiæ congregati, Narcissus Cilix, Theodorus Thraciæ, Theogonius Nicænus, Patrophilus Scythopoleos, Minophantus Ephesius,& alij circiter triginta,scripserunt omnes vniuersis Episcopis,quòd contra sanctiones ecclesiasticas Alexandriam rediisset,nec in concilio sine culpa fuisset inuentus. Et iubebant vt neque communicarent ei,neque scripta mitterent,sed Georgio qui ab eis fuerat ordinatus. Verùm Athanasio nullus hinc sermo fuit. Igitur deuicto Magnentio, quum solus Constantius Romanorum tenuisset imperium,omni studio laborabat,vt Occidentales episcopi consentirent eis qui consubstantialem esse patri filium denegabant. Et hoc faciebat, nolens à primordio apertè vim facere, sed eis callidè suadere, vt decreto contra Athanasium ab Orientalibus episcopis habito consentirent. Sperabat enim quòd si communi decreto damnaretur Athanasius,facilius suam voluntatem in religione impleret. Tunc igitur in Italiam conuenerunt episcopi Orientalium non multi,quoniam plurimos eorum aut senectus,aut itineris longitudo prohibuit. Occidentalium verò vltra trecētos,vt præcepto principis concilium Mediolani celebraretur: vbi conuenientes Orientales,ante omnia contra Athanasium decretum fieri commune poscebant, vt hoc facto penitus ei aditus Alexandriæ clauderetur. Quod cùm sensissent Paulinus Gallicanæ τριβέρεως, Dionysius Albæ metropolis Italorū,& Eusebius Vercellensis, episcopi, quòd ad destructionem fidei Orientales contra Athanasium agere molirentur, surgentes magna voce clamabant,dolum & circunuentionem per ea quæ gerebantur, Christianitatis dogmatibus irrogari. Non enim veras contra Athanasium culpas esse dicebant, cùm ad retractationem fidei talia probarentur inuenta. Illis ergo talia proclamantibus, concilium tunc soluitur episcoporum. Theodoretus. Deposito deinde Athanasio, aliam hæretici fidei exponere sunt nisi doctrinam. Sed neutrū horum perduci potuit ad effectum, cùm præsente principe clamaretur, quòd iniustè ageretur & impiè, quo facto & ipsi ecclesiis sunt expulsi,& in vltimis terræ finibus habitare iussi. Quod rursus mirabilis Athanasius hoc modo in illa apologia describit. Quis tantum poterit memorare, quantum illi gesserunt? Tunc enim Ecclesiis pacem habentibus, & populis per Collectas orantibus, Pontifex quidem Romæ Liberius, & Paulinus Galliarum Metropolitanus Episcopus, & Dionysius Italus, Lucifer Metropolitanus insularum Sardiniæ, & Eusebius ex Italia, omnes Episcopi boni & prædicatores veritatis abripiuntur, & traduntur exilio, nullam habentes culpam, nisi quòd in Arrianam noluerint consentire vesaniam, neque in calumnijs subscripserint nostris. De maximo autem & optimo sene & vero confessore Osio etiam loqui superfluum. Omnibus enim notum est,quòd etiam hunc in exilium deportari fecerunt. Non enim ignobilis,sed omnibus noscitur esse notissimus. Cui namque non præfuit synodo, aut rectè loquens non satisfecit vniuersis? Quæ Ecclesia huius patrocinij memoriam non habet? Quis aliquando dolens cum veniret ad eum, non discessit sanus? Quis indigens quum petiisset, non meruit quod poposcit? Et tamen etiam contra hunc præsumpserunt, quòd impia eorum molimina cognoscens, noluerit propria subscriptione firmare. Socrates. Igitur Imperator illos quidem mittit in exilium. Generale verò concilium fieri cogitabat, vt omnes Orientales Episcopos venientes ad occidentem, si posset, concordes efficeret. Quod cùm propter itineris spacia difficile videretur, duplicem tractauit synodum celebrari, vt in Arimino quidem Itali qui tunc aderant, conuenirent: Orientales autē in Nicomedia Bythiniæ ciuitate. Hoc ergo Imperatore tractante, effectus non euenit vt voluit, neutrum enim concilium sibimet concordauit, sed vtrunque diuisum est. Nam neque in Arimino cōuenientes inter se consonare potuerunt, & Orientales in Seleucia Isauriæ congregati, aliud schisma sunt passi, quod suo loco narrabitur. Theodoretus. Dialogus inter Liberium & Constantinum habitus, 18 & quomodo Liberius in exilium fuerit missus. Ego quidem Liberij per omnia celeberrimi habitum pro veritate dialogum cum Constantino volo referre, quandoquidem à fidelibus illius temporis est conscriptus. Is enim post Iulium Syluestri successorē Romanam gubernauit Ecclesiam.

Ex Hist. Tripart. lib. 5. cap. 14.

18 Notent hi qui Liberium Romanum pontificē asserere audent, notæ Arrianæ perfidiæ fuisse iniustū, quod mendacium est apertissimū. Quid enim eo constantius & fidelius inueniri potuit? Lege obsecro hūc dialogū, & pariter exitum huius sanctissimi viri.

Constantius Imperator dixit: Nos & eò quòd Christianus sis, & Episcopus nostræ ciuitatis, dignum hoc iudicauimus, vt euocantes te, moneremus vt communionem scelestissimi Athanasij, & ineffabili superbia detenti, abnegari non differas. Hoc enim terrarum orbis bene fieri comprobauit, & synodali sententia alienum ecclesiastica communione decreuit. Liberius episcopus dixit: O Imperator, iudicia ecclesiastica decet cum maxima proferri iustitia. Quapropter si videtur pietati tuæ, disceptationē iube constitui: & si apparuerit Athanasius condēnatione dignus, tunc secundum ecclesiasticæ consequentiæ formam proferatur in eum digna sententia. Non enim possibile est condemnare virum, de quo nihil examinatū est. Constantius Imperator dixit: Vniuersus mundus adiudicauit eius facinore, sed ille (sicut ab initio) tempus eludit. Liberius Episcopus dixit: Quicunque subscripserunt, non ipsi viderunt quæ gesta sunt, sed propter gloriam & timorem, & ne à te contumelias paterentur, acquieuerunt. Imperator dixit: Quid est gloria & timor, & contumelia? Liberius dixit: Quicunque gloriam Dei non diligunt, tua magis dona præponunt. Quem ergo isti non viderunt, non examinantes adiudicauerunt, quod est à Christianitate alienum. Imperator dixit: In facie vtique condemnatus est in concilio Tyri, & in concilio pariter decreuerunt cōtra eum omnes totius orbis Episcopi. Liberius dixit: Nunquam in præsentia sua homo ille adiudicatus est. Quicunque enim tunc conuenientes condemnauerunt eū, discedente Athanasio à iudicio, sententiam protulerūt. Eusebius eunuchus dixit: In Nicæno concilio alienus à catholica fide probatus est. Liberius dixit: Quinque soli iudicauerunt ex his qui cum eo nauigio venerunt in Mareoten, quos miserunt ad accusationem eius, vt contra eum gesta conficerent. Horum itaque qui destinati sunt, duo sunt mortui, Theogonius, & Theodorus, reliqui verò tres viuunt, hoc est, Maris, Valens, & Vrsatius. Ab his qui missi sunt Sardicam propter hanc causam synodus celebrata est, qui in synodo libellos obtulerunt, veniam postulantes, quoniam in Mareote per calumniam ex vna parte contra Athanasium gesta confecerint, libellos eorum nunc præ manibus habemus. Cui horum nos credere & communicare conuenit Imperator, his qui primitus dānauerunt, & veniam postea poposcerunt, an eis qui adhuc hæc accusare contendunt? Epictetus Episcopus dixit: O Imperator, non fidei causa neque iudiciorum ecclesiasticorum sermonem facit, sed vt apud Senatores in Romana constitutos vrbe glorietur, quasi superauerit principem. Imperator ad Liberium dixit: Quota pars es totius orbis? quoniam tu solus hominem vindicas nephandissimū, & orbis terrarum pacem Ecclesiæque dissoluis. Liberius dixit: Non eò quòd ego sum solus, fidei causa minuitur. Nam & antiquitus tres soli reperti sunt resistētes præcepto regis. Eusebius eunuchus dixit: Imperatorem nostrum Nabuchodonosor fecisti? Liberius dixit: Nōn, sed ita rationabiliter adiudicatus est homo, qui non est examinatus. Sed & ego peto primitus generalem proferri subscriptionem confirmantem fidem in Nicæa prolatam, vt ita reuocatis ab exilio fratribus nostris, & in loca propria restitutis, si hi qui nunc turbas pariunt Ecclesijs, visi fuerint Apostolicæ fidei consentire, tunc apud Alexandriam conuenientes omnes, vbi & accusatus & accusatores sunt, & defensor eorum, examinata causa possimus proferre sententiam. Epictetus episcopus dixit: Sed cursus publicus non sufficit subuectui Episcoporū. Liberius dixit: Ecclesiasticæ causæ publico cursu non egent. Ecclesiæ nāque sufficiunt vsq; ad mare perducere suos Episcopos. Imperator dixit: Quæ dudum susceperunt formā, solui non possunt. Plurimorumque namq; episcoporum debet valere sententia. Tu solus es qui amicitias illius scelerati defendis. Liberius dixit: Imperator nunquam audiuimus absente accusato Iudicem eius scelera proferentem, nisi quia propria videntur hæc odia. Imperator dixit: Omnibus quidem nocuit in communi, nulli tamen ita sicuti mihi. Cui cùm non sufficeret interitus fratris mei maioris, ne beatæ quidem memoriæ Constantem cessauit in mei inimicitias frequentes impellere, nisi nos maiori mansuetudine detenti, impellentis momēta temperassemus. Nulla itaque mihi victoria est, neque contra Magnentium vel Syluanum, nisi illum scelestum ab ecclesiasticis rebus expulero. Liberius dixit: Noli per Episcopos tuas vindicare inimicitias. Manus enim ecclesiasticorum ad sanctificandum vacare debent. Quapropter si tibi videtur, iube vocari ad loca propria sacerdotes, & si concordes apparuerint ei quem nos in præsenti defendimus, secundum fidem Orthodoxam in Nicæna synodo constitutam, tunc conuenientes prouidebunt pro mundi pace, vt homo qui non peccauit, non reprobetur iniustè. Imperator dixit: Vnum est quod quæritur, volo enim te amplectentem ecclesiasticam communionem Romam denuò destinare, & propterea concorda paci, & subscribens Romā reuertere. Liberius dixit: Romæ iam fratribus valedixi. Maiores enim sunt Ecclesiasticæ sanctiones, quàm Romanæ habitatio ciuitatis. Imperator dixit: Ergo trium dierum spatium ad deliberationem habes, an velis subridens Romam reuertere, aut cogitare in quem velis deportari locum. Liberius dixit: Spatium trium dierum rationem nequaquam mutare potest. Quapropter quò voles mitte me. Imperator autem post duos dies

dies examinato Liberio, & nequaquã à suo proposito reuocato, iussit eum in Berœã Thraciæ in exilium deportari. Egredienti Liberio, Imperator ad expensas quingentos solidos destinauit. Tunc Liberius deferenti dixit: Vade, da eos Imperatori, opus enim habet suis militibus erogare. Similiter & Augusta totidem ei misit. Liberius dixit: Redde hæc Imperatori: opus enim habet his ad expensas militum suorum. Si autem Imperator his non habet opus, det eos Auxentio & Epicteto. Illi enim his opus habent. Cumque ab eis nihil accepisset, Eusebius eunuchus obtulit ei alios solidos. Cui Liberius ait: Totius orbis Ecclesias desolasti, & tanquam damnato mihi hæc adfers? Vade, prius disce esse Christianus. His ita gestis, post tres dies nihil accipiens, missus in exilium est.

Veritatis itaque propugnator & victor in Thraciam (sicuti iussum fuerat) vsque peruenit. Duobusque transactis annis Constantius Romam venit. Procerum verò Senatorumque coniuges rogabant viros suos, vt Constantio supplicarent, vt pastorem gregibus restitueret. Aiebant enim, quòd nisi flecterent animum Principis, eos ipsæ relinquerent, & ad pastorem illum maximum properarent. At illi dixerunt: Nos furorem principis formidamus, nec fortè aliquam veniam promeremur. Sed vobis (inquit) magis rogantibus forsitan parcet, & alterum è duobus fiet, aut preces suscipiet, aut si flecti nequiuerit, sine aliqua iniuria vos dimittet. Hoc consilium mulieres illæ laudibus maximis efferendæ percipientes, cum ornatu solito adierunt Imperatorem, vt ex veste sublimi insignes eas & nobiles arbitratus, reuerentiam ipsis exhiberet, & parceret. Adeuntes verò principem, tali voce clamabant: Miserere tantæ ciuitatis, pastoris prouidentiam non habentis, quæ luporum patet insidijs. At ille respondit non egere pastore alio ciuitatem. Esse namque Pontificem, qui eorum curam haberet. Post magnum namque Liberium, quidam diaconorum eius Felix nomine fuerat ordinatus. Is expositam in Nicæa fidem inconcusse seruauit, sed corruptoribus eius sine discretione communicabat. Nullus tamen Romæ habitantium in basilicam ingressus est, cùm ille intus adstaret. Hoc autem etiam matronæ illæ Imperatori dixerunt. Qua gratia flexus, præcepit illum inter omnes egregium reuocari, & vtrumque Ecclesiam gubernare communiter. His ergo literis in Circensi spectaculo relectis, populus clamabat iustam principis esse sententiam: sicut enim dupliciter coloribus diuisi sunt spectatores, sic oportere alterum his, alterum aliis præsidere. Cùm ergo primitus principis literis sic fauissent, postea commoti communi voce clamauerunt: Vnus Deus, vnus Christus, vnus Episcopus. Ipsas enim voces & ego iustum ponere iudicaui. Post has verò Christo amabilis populi pias, & iustitia exornatas voces, sanctissimus quidem Liberius est reuersus. Felix autem recedens habitauit in alia ciuitate.

Theodoretus. Interea sentiens Athanasius sibi insidias parari, nequaquam ad Imperatorem venire præsumpsit: neque hoc vtile iudicauit, sed electos ex Ægypto quinque Episcopos, inter quos Serapionem Thmiuensem virum præcipua vita sanctum, & ad loquendum valde copiosum, mittit ad principem tunc in Occidente degentem (cum quibus etiam tres presbyteros) per quos sibi placaret Imperatorem, vt pro derogationibus satisfacerent inimicorum, aliaque facerent, quæ ei vel Ecclesijs expedirent. Quibus nauigantibus, paulò pòst literæ venerunt Imperatoris euocantes eum. Ob quam rem & Athanasius & populus est turbatus, cùm neque hæretico Imperatori obedire consultum esset, neque reluctari periculo vacaret. Veruntamen ire distulit, & literarum baiulus sine effectu reuersus est. Superueniente autem æstate veniens alius ab Imperatore nuncius cum prouinciæ iudicibus, cogebant eum, cleroque nimis erat infestus. Porrò populum paratum videns ad bellum, etiam ille reuersus est. Non multo pòst tempore congregantur ex Ægypto & Lybia legiones. Et cùm nunciatum fuisset cælari Athanasium in Ecclesia, quæ vocatur Theone, assumens milites dux eorum, & Hilarium ab Imperatore denuò destinatum, inopinatò fractis ianuis in Ecclesiam introiuit, & vbique requirens Athanasiũ, non inuenit. Fertur enim, quòd sæpius diuino nuncio pericula multa effugerit, sicut etiam Deo prouidẽte hoc discrimẽ euasit.

Sozomenus. Ex his & huiusmodi factis ei à Deo prænunciatis, à Paganis & hæreticis appellabatur Magus. Sermo namque fertur, quòd aliquando eo procedente per ciuitatem contigerit auolantem corniculam clamitare. Quo facto astans multitudo Paganorũ, velut Mago derogantes, petebant vt eis aperiret, quid cornicula illa significaret. Ille verò fertur silentio dixisse subridens: Cras, Latina lingua dies ventura significatur. Hoc ergo clamãs, tristem vobis crastinum significat diem per Imperatoris Romani iussionẽ. Et ita contigit, vt Athanasij sermo licet derisus fuerit, venerit ad effectum. Altera namque die principis literæ venerunt ad Iudices, iubentes vt Pagani sua ingredi non permitterentur templa, neque solennes superstitiones festiuitatesq; celebrarent. Tunc ergo festiuitas eorũ venerabilis, generalisque destructa est. Socrates. Cùm igitur frequenter (sicuti dictum est) Athanasius pericula declinasset, clerus & populus ei fauens tenebat Ecclesias, donec Præfectus (vt dictum est)

Ægypti, & dux militum eijcientibus eos & ſuſtinentibus Georgio eas contraderent. Qui non multò pòſt venit, & Eccleſias ſuo iure poſſedit. Qui dum præter ſchema & mores ſacerdotij violentus exiſteret, & maximè circa Athanaſij laudatores, quibus vtique vincula & plagas viris & fœminis velut tyrãnus inferebat, accenſus populus penè peremerat eum, niſi vix ereptus fugiſſet ad principem. Quo facto rurſus ſequaces Athanaſij Eccleſias multo tempore tenuerunt. Quas iterum veniens dux Ægypti, Georgij noſcitur tradidiſſe fautoribus. Poſt hæc autem exceptore principis veniente, multi Alexandrinorum ſupplicio traditi ſunt. Poſt quẽ etiam ipſe Georgius terribilior ſuperuenit, & priori tẽpore magis exoſus, tanquam qui mouerit principẽ ad multorũ necẽ. Cui vtique derogabant Ægyptij monachi, quorum gloriam multitudo vniuerſa ſequebatur, & vera eorum teſtimonia iudicabant, quia in ſummæ philoſophiæ virtute degebant. Sozomenus. Interea dum adhuc Athanaſius celaretur, Georgius Alexandriæ crudeliter Paganos afficiebat, & aduerſantes ipſi Chriſtianos: vtroſque enim cogebat ad ipſius venire ſententiam, & reſpuentes afficiebat. Erat enim apud ſapientes exoſus quaſi deſpiciens eos, & iudicibus imperans. Apud populum verò quaſi tyrannus, & vltra potentes elatus: præcipuè tamen Paganos opprimebat, quos ſacrificare, & paternas feſtiuitates agere prohibebat. Tunc enim milites & Ægypti ducem armatos in ciuitatem introduxit, imagines & ornamenta templorum abſtulit, quod ei poſtea cauſam necis adduxit. Cyrillo verò depoſito occupauit Hieroſolymorum Eccleſiam Heremius, & poſt illum Heraclius, poſt quem Hilarius. Hos enim tunc illam Eccleſiam gubernaſſe percepimus vſque ad imperium Theodoſij principis, quando rurſus Cyrillus ad proprium reuerſus eſt Epiſcopatum. Hæc igitur apud Orientales agebantur Eccleſias. Interea Iulianus Cæſar bello deuincens Barbaros apud Rhenum fluuium reſidentes, alios quidem peremit, alios cepit: claraque victoria decoratus, cùm mediocritate vitæ atque manſuetudine militibus gratus eſſet, ab eis appellatur Auguſtus. Hoc facto, nihil de Conſtantio cogitans, Iudices ab illo factos honoribus mulcebat, & ad illius inuidiam literas proferebat, quibus oſtenderet eum propter bellum contra Magnentium geſtum in Italiam Barbaros induxiſſe. Repentè verò religione mutata, cùm prius Chriſtianus eſſe putaretur, ſemetipſum Pontificem nominauit: & veniens ad templa Paganorum, ſacrificabat, ſubiectiſque talia colere ſuadebat. Cumque Conſtantius propter bellum Perſicum apud Antiochiam moraretur, ſperans ille quòd ſine bello poſſet Illyricum occupare, ad eos agebat iter, dicens ſe velle Conſtantio ſatisfacere, tanquam non ſponte, ſed voluntate militum infulas imperij ſuſcepiſſet. Fertur itaque cum ad hos terminos acceſſiſſet, vindemia iam collecta, circa occaſum Pleiadũ vuas denuò fuiſſe prolatas. Inſuper etiam imbre ex aëre deſcendente, in eius veſte ſimul & cæterorum guttas ſingulas crucis formaſſe ſignacula. Hoc facto videbatur ipſi & alijs, quòd botris extra tempus illatis bonum rei panderetur indicium: imber autem cadens veſtem ſupra quam ceciderat, roboraret. Alij verò dicebant vuarum ſignum quod præter tempus ſit, ſignificare perditionem Imperatoris, inſtar huiuſmodi botrorum & parui temporis fore eius imperium. Porrò de cruce dicebant prænunciare hoc ſignum, quòd ſit cœleſte dogma Chriſtianorum, & oporteat ſignari cunctos crucis indicio. Vnde cognoſcitur quod diuerſius interpretati quàm dixerat Imperator, veritate fraudati nõ ſunt: Vtrumque enim oportunè dictum ſequens tempus oſtendit. Cùm audiret itaque Conſtantius contra ſe venire Iulianum, inſtructione belli Parthici omiſſa, Cõſtantinopolim veniebat. Socrates. Et apud Mopſucrenẽ inter Cilias atque Cappadoces, nimia cogitatione apoplexiæ paſſione defunctus eſt, Cõſulatu Tauri & Florẽtij, tertio die Nouembris menſis, anno vitæ ſuæ quadrageſimo & quinto: ex quibus tredecim cum patre regnauit, vigintiquinque poſt illum. Sozomenus. Quo defuncto, Iulianus quidẽ iam Thracias obtinebat. Et non poſt multum Conſtantinopolim veniens, appellatus eſt Imperator. Initio itaque parcens Chriſtianis, clementior viſus eſt, ſciens priores perſecutores nihil profeciſſe ad augmentum Paganiſmi, quòd puniſſent Chriſtianos: qui magis hinc creuerint, & facti ſint glorioſi pro vero dogmate morientes. Inuidens igitur illorum gloriæ à tormentis abſtinuit, iudicans eſſe neceſſarium, vt ſermone potius & admonitione Paganiſmum colendum populo ſuaderet, credens etiam hinc ſe monſtrare clementem. Fertur enim quum Conſtantinopoli ad fortunam ſacrificaret verbis, acceſſiſſe ad eum Marem Epiſcopum Chalcedonis, & publicè impium, & ἄθεον, id eſt, ſine Deo, apoſtatamque vocitaſſe: illum verò ſolam ei improperaſſe cæcitatem: erat enim ſenex, & propter imbecillitatem oculorum manu alterius agebatur. Super hæc volens etiam lacerare Deum, conſuetè dixit: Neque Galilæus Deus tuus curare non poteſt. Reſpondens verò Mares, dixit: Ego, inquit, Deo meo pro cæcitate gratias ago: quia hoc ideo factum eſt ne te videam pietate nudatum. Imperator autem nihil reſpondens abceſſit. Sic enim putabat potius roborari Paganiſmum, ſi ſe patientem ac mitem Chriſtiano populo demonſtraſſet.

Hæc itaque faciens, eos qui fuerant à Constantio fugati propter religionem, reuocauit, & confiscatis patrimonia sua restituit, præcipiens populo vt nullum læderent Christianum, neque nolentem sacrificare compellerent: spõte verò accedentes ad aras, prius expiari apud dæmones, purgarique solitis eorum sacrificiis præparabat. Clericis autem 19 omnia priuilegia, honores, consuetudinesq́; subtraxit, & leges positas pro eis soluit, ipsosque curiæ tradidit simul & à virginibus & viduis, quæ pro penuria inter clericos alebantur, iussit exigi ea quæ pridem à publico accepisse videbantur. Constantinus namque Imperator disponens res ecclesiarum vnicuique ciuitati prospexit, vt clerus sufficientia emolumenta perciperet, & hoc lege firmauit, quod hactenus mortuo Iuliano seruatur. Hanc exactionem aiunt valde fuisse crudelem. Auferebat enim subinde pecunias, 20 & ornamenta sacra: templaque sub Constantino & Constantio fundata destruebantur, datæ ad ædificia pecuniæ rursus exigebantur. Hac occasione sacerdotes & clerici, & populus Christianus crudeliter vexabãtur. Socrates. Per idem tempus in Alexandrinorum maxima ciuitate contigit ex huiusmodi causa seditio. Erat locus quidam in ciuitate antiquis temporibus desolatus atque neglectus, multaque sorde completus: hic Pagani olim Deo Mithræ sacrificãtes homines immolabant: quẽ locũ Constantius quasi vacantem Ecclesiæ Alexandrinæ concesserat. Hic Georgius volens oratoriũ extruere, locum repurgari faciebat. Quod dum fieret, inuentum est illic adytũ in multa profunditate constructum, in quo Paganorum mysteria celebrabantur. Erant enim ibi caluariæ hominum plurimæ, maiorum pariter & infantium, qui perhibebantur illic extincti, vt ex eorum visceribus artes magicas exercerent. Hæc igitur Christiani reperientes in adyto Mithræ, studuerunt ad irrisionem Paganorum vniuersis hæc facinora referare, diuulgabantque capita hominum quæ compererant. Hæc Alexandriæ Pagani videntes, & opprobrium non ferentes, ira succensi sunt, & omnes quos ad præsens inuenerunt arma induentes, impetu contra Christianos facto, multos interemerunt, alios gladijs, alios fustibus aut lapidibus, alios funibus strangulantes, quosdam etiam crucifigentes ad sacræ crucis iniuriam, plurimos diuersis vulneribus affligentes. Et ita factum est, vt neque proximis parceretur: sed philosophus philosophum percussit, & frater fratrem, parentes filios: & inuicem in mutua nece grassati sunt. Quamobrem Christiani eundem locum purgare quieuerunt. Interea cùm Iudices denunciassent mortuum fuisse Constantium, & imperare Iulianum, seditionem fecit in Alexandria populus Paganorum, & impetu facto contra Georgium, vinculis eum alligauerunt. Quem paulò pòst venientes ad carcerem peremerunt, eiusque cadauer imponentes camelo, à mane vsque ad vesperam per totam traduxerunt ciuitatem, & circa serum diei concremauerunt. Multi ferunt Arrianorum quòd à fautoribus Athanasij id factum sit: sed ego reor indubitanter hoc fecisse Gentiles, cùm vtiq; & querelas haberent aduersus eum propter idola & templorũ iniurias, prohibitionemque solennitatũ. Quod etiam Iulianus sic se habuisse testatur per literas ad Alexandrinos missas, in quibus culpat eos, pœnamque relaxat, quasi propter reuerẽtiam Serapis, quem ciuitatis conseruatorẽ dicit, & Alexandri conditoris eius, necnon Iuliani auunculi sui, qui in Paganismo strenuus fuit, & Christianos supra modum oderat. Igitur Athanasium de fuga remeantem, Alexandrinorum populus libenter excepit. Expuleruntque Ecclesijs Arrianos, & Athanasio sceptra venerabilia tradiderunt. Verùm Arriani in domibus ignobilibus se colligentes, loco Georgij Lucium habuerunt. Ea siquidem tempestate Lucifer Caralensis, & Eusebius Vercellensis Episcopi, Imperatoris iussione ab exilio reuocantur. Vtrique enim vltra Thebaidos terminos ab exilio remeantes tractabant, quemadmodum corruptam Ecclesiæ regulam repararent. Placuit igitur vt Lucifer quidem ad Antiochiam Syriæ perueniret, Eusebius Alexandriam, vt vnà cum Athanasio facto concilio Ecclesiæ dogmata roborarẽt. Lucifer tamen misit in locũ suũ Diaconum, per quem professus est ratum se habiturũ, quod esset concilio ordinatè constitutum. Ipse antè veniens Antiochiam, fluctuantem inuenit Ecclesiam, erat enim inter se turba diuisa, & non tantum hæresis Arriana, quæ erat sub Eusoio, diuidebat Ecclesiam: sed etiam Melitij sequaces, studium habentes circa suum præsulem à suis consortibus recesserunt. Tũc ergo Lucifer ordinans ei Paulinum Episcopum, rursum abscessit. Eusebius autem veniens Alexandriam, cum Athanasio concilium celebrauit. Sozomenus. Interea plurimi Episcopi in Alexandria congregati cum Athanasio & Eusebio Nicæni concilij decreta roborauerũt: & cõsubstantialem patri ac filio spiritum sanctum sunt professi, Trinitatẽque nominauerũt. Et quoniam de substantia & subsistentia quæstio turbabat Ecclesias, sapienter decretũ est vt his nominibus contra Sabellianos solos vtamur, ne vocabulorum inopia idem putetur esse substantia quod subsistentia. Verùm Athanasius librum de satisfactione fugæ olim à se cõscriptum tunc eis præsentibus legit: cuius partes vtiles, & quæ prosint hic intexens, totum librum multorum versuum quærere, & legere studiosos admoneo. Ait enim: Ecce huiusmodi sunt præsumptiones impiorum hæc agentes, nec erubescentes. In quibus primũ cõtra

19. Quod & faciunt hæretici nostri temporis, vt se Iuliano apostatæ conforment.

20 Et hoc eiusdẽ farinæ est cum superiori.

nos mala sunt machinati, hactenus accusant quòd manus eorum paratas ad necem declinare potuerimus, & amarissimè potius ingemiscunt, quòd nos penitus extinguere nequiuerunt, & improperant timoris causam, ignorantes quòd dum hoc submurmurant, in semetipsos magis retorquent culpam. Nam si fugere malum est, persequi multò deterius. Hic quidem ne moriatur, absconditur: hic autem persequitur, vt occidat. Et vt fugiatur quidem, scriptum est: qui autem quærit occidere, præuaricatur legē, & magis ipse fugiēdi præbet occasionem. Si ergo fugam improperant persequentes, pudeat eos potius sui ipsorū. Quiescunt insidiari, & quiescunt continuò fugientes. Sed à malitia non desinunt sua, & comprehendere omni virtute festinant, scientes quia fuga persequutionem patientium indicium est maximū persequentium. Nullus enim mitem atque clementem fugit aliquando, sed magis ferocem simul & callidū. Omnis enim qui gemebat & vexabatur à Saul, fugiebat, & veniebat ad Dauid. Sed isti propterea eos qui absconsi sunt interimere student, ne ipsorum malitiā videantur arguere. Qui etiam in hac parte cæcantur. Nam quantò fuga manifestior est, tantò amplius eorum insidiis neces exiliaque commissa omnibus sunt aperta. Nam siue perimant, mors contra eos semper exclamat: siue rursus exilia minentur, vndiquaque ipsi contra se mali memoriam destinare noscuntur. Et siquidē sanam haberent mentem, viderent semetipsos in his esse constrictos, seque in concilijs suis offendere. Sed quoniam mentem amiserunt, propterea persequutione decipiuntur: & quærentes occidere suam non contemplātur impietatem. Nam si derogant eis qui fugiunt quęrentes, quid faciāt cùm vident Iacob fugientem Esau fratrem suum, & Moysen in Madian descēdisse propter Pharaonis timorem? Quomodo satisfacient fugienti Dauid Saul, qui in domum misit, vt interimeret eum, dum absconsus esset in spelunca, & mutasset vultum suum, donec declinaret ab Abimelech, ob quam causam inimicorum euasit insidias? Quid dicant isti, qui omnia proferunt temerè, videntes maximum Heliam in oratione quidem mortuum suscitasse, tamen absconsum propter Achab, & fugisse propter insidias Iezabel? Tunc etiam quæsiti filij prophetarum cælati sunt latentes in speluncis apud Abdiam. Sed si hæc tanquam vetera non legerunt, saltem memoriam habeant Euangeliorum. Nam & Discipuli propter metum Iudæorum recesserunt cælātes semetipsos: & Paulus in Damasco à principe Gētis quæsitus, de muro in sporta demissus est, & manus quærentis effugit. Hæc igitur de sanctis viris scriptura dicente, quam putas excusationem suæ petulantiæ potuerunt inuenire? Siue ergo timorem improperent, cōtra semetipsos tanquam væsani loquuntur: siue contra voluntatem Dei hoc dicāt fieri, scripturarum diuinarum videntur penitus expertes. Nam in lege præceptū fuit, vt deputarentur etiam ciuitates ad fugam, vt hi qui quærebantur ad mortem, quoquo modo liberari possent. In nouissimo verò tempore seculorum veniens ipsum, quod Moysi loquutū est, patris verbum, rursus hoc dedit mandatum, dicens: Cùm persequuti vos fuerint in hac ciuitate, fugite in aliam. Et post pauca dicit: Cùm ergo videritis abominationem desolationis, quæ dicta est per Danièlem prophetam stantem in loco, qui legit, intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant in montana: qui in tecto est, non descendat tollere aliquid de domo sua: qui in agro, nō reuertatur tollere vestes suas. Hæc enim scientes sancti, huiusmodi habuerunt conuersationis modum. Quæ enim tunc præcepit Dominus, hæc etiam ante incarnatam sui præsentiam in sanctis loquutus est hominum terminus ad perfectionem ducēs, vt quod Deus iubet, hoc faciant. Propterea & ipsum verbum propter nos humanatum, cùm quæreretur (sicut nos ipsi) abscondi dignatum est: & iterum cum persecutionē pateretur, fugit, & insidias declinauit. Decebat enim eum sicuti famē & sitim, ita etiam hoc pati, & hoc ostēdere seipsum humanatū. Ab initio siquidem mox vt homo factus est, cùm esset paruulus ipse per Angelum mandauit Ioseph: Surgens sume puerum & matrem eius, & fuge in Ægyptū. Futurum est enim, vt Herodes quærat animā pueri. Mortuo quoq; Herode videtur propter Archelaū filium eius in Nazareth fugisse: & quando iam etiam Deum seipsum ostendebat, & manum aridam restituerat sanam, Pharisęi quidē egredientes, conciliū fecerunt aduersus eū, vt eum occiderent: Iesus autem sciens discessit. Nam & quando Lazarū suscitauit à mortuis: Ab illo, inquit, die cogitauerunt vt occiderent eum. Iesus ergo iā non palā ambulabat inter Iudæos, sed abijt inde in regionē iuxta desertum. Deinde Saluatore dicente: Antequā Abraham fieret, ego sum: Iudæi quidem tulerunt lapides, vt mitterent super eum: Iesus autē absconsus est, & exijt de templo. Et transiens per medium illorū ibat, & ita discessit. Putas hæc videntes, magis autem audientes, cùm non videant, quomodo secundum quod scriptum est, non debeant igne comburi, quoniam contraria his quæ Dominus facit & docet, cogitant, & loquuntur: Nam quando Ioannes martyrium sustinuit, eiusque corpus sepeliêre discipuli, audiēs Iesus discessit inde in nauem ad deserti locum seorsum. Dominus itaque hæc faciens, ita docebat. Sed vtinam isti vel sic erubescerent, & vsque ad homines suam petulantiam declararent, & nō magis ac magis insanientes, viderentur etiam ipsum arguere Saluatorem, contra

contra eum vtique blasphemias meditantes. Sed neque væsanorum quisquam eos poterit sustinere, cùm arguantur ne Euangelia quidem ipsa nosse: est enim occasio nostræ discessionis & fugæ rationabilis atque vera, quam in Saluatore quidem Euangelistæ positam memorarunt. Nos autē etiam in sanctis viris oportet talia cogitare. Nam ea quæ de Saluatore humano modo conscripta sunt, eadem communiter humano generi deputantur. Quæ nostra sunt, ille suscepit, & passione nostras infirmitates ostendit. Quod Ioannes ita conscripsit: Quærebant ergo eum tenere, & nullus misit in eum manus, quia nondum venerat hora eius. Nam antequā hæc veniret, dicebat ipse matri: Nondū venit hora mea. Et eis qui fratres eius appellabantur ait: Meum tempus nondum venit. Rursus autem tempore passionis discipulis dicebat: Dormite iam & requiescite. Ecce enim appropinquabit hora, & filius hominis tradetur in manus peccatorum. Sed neque antequam veniret tempus, teneri se passus est, neque cum venisset tempus, absconsus est, sed etiam semetipsum tradidit aduersariis. Sic & beati martyres in persecutionibus temporalibus custodiebant semetipsos, & dum quærerentur, per latibula fugiebant: cùm verò inuenirētur, martyrio se subdebant. Hæc de Athanasio retulisse sufficiat. Sed Iulianus postquam ad Orientē Persas bello pulsaturus aduenit, & publica, quam prius occultauerat, erga idolorū cultum fieri cœpit insania, callidior cæteris persequutor, non vi, neque tormentis, sed præmijs, honoribus, blanditiis, persuasionibus, maiorē penè populi partem, quàm si atrociter pulsasset, elicit, studia autorū Gentilium Christianos adire prohibens, ludos literarū illis solis Deo, deasque venerarētur, patēre decernit. Militiæ cingulum non dari, nisi immolantibus iubet. Procurationem prouinciarum, iurisq; dicendi Christianis statuit non debere cōmitti, vtpote quibus etiam lex propria gladio vti vetuisset. Et proficiebat quotidie in huiuscemodi legibus exquirēdis, quibus & si quid versutum vel callidum, tamen quod minus videretur crudele, decerneret. Sed non erga Athanasium fictæ philosophiæ tenere imaginem potuit. Etenim cùm velut tetri serpentes de cauernis terræ ebullientes, ad eum processisset magorum, philosophorum, Aruspicum, augurumque manus prophana, omnes pariter allegant nihil suis artibus successurum, nisi prius Athanasium, velut omnium horum obstaculum, sustulisset. Iterum mittitur exercitus, iterum duces, iterum oppugnatur Ecclesia. Cumque eum mœsti & flentes populi circunstarent, prophetico apud eos vsus sermone perhibetur: Nolite (inquit) ô filij conturbari, quia nubecula est, & citò pertransit. Cumque discessisset, & naui per Nilum fluuium iter ageret, comes qui ad ipsum missus fuerat, cognito eius itinere, instāter eum insequi cœpit. Et cùm fortè applicuisset Athanasij nauicula ad quendam locū, comperit à prætereuntibus post tergum esse percussorē suum, & iam iamque nisi prospiceret imminere. Conterriti omnes qui simul aderant socij eremum suadebant ad fugæ præsidium petendam. Tum ille: Nolite, inquit, ô filioli deterreri, eamus magis in occursum percussori nostro, vt sciat quia longè maior est qui nos defendit, quàm qui persequitur. Et conuersa nauicula, iter agere obuiam ei qui se insectabatur, aggressus est. Ille qui nullo genere suspicari posset in occursum sibi venire quem quæreret, tanquam prætereuntes aliquos interrogari iubet, vbi audissent esse Athanasium. Cumque respondissent vidisse eum non longè euntem, tota celeritate pertransiens, properat in vanum, festinans capere, quem ante oculos positum videre non potuit. Ille verò Dei virtute monitus, Alexandriam redit, ibique tuto latebras, vsquequo persecutio cessaret, exegit. Dedit & aliud Iulianus vecordiæ suæ ac leuitatis indiciū. Nam cùm Daphnis in suburbano Antiochiæ iuxta fontem Castalium litare Apollini, & nulla ex his quæ quærebat responsa susciperet, causasque silentij percunctaretur à sacerdotibus dæmonis, aiunt: Babilæ martyris sepulchrum propè adsistere, & ideo responsa non reddi. Tum ille venire Galilæos (hoc enim nomine nostros appellare solitus erat) & auferre sepulchrum martyris iubet. Igitur Ecclesia 21 vniuersa conueniens, matres & viri, virgines, iuuenesque immensa exultatione succincti trahebant longò agmine arcam martyris, psallentes summis clamoribus, & cum exultatione dicentes: Confundantur omnes qui adorant sculptilia, & qui confidunt in simulachris suis. Hæc in auribus prophani principis per sex milia passuum tanta exultatione psallebat omnis Ecclesia, vt cœlum clamoribus resultaret. Vnde & ille in tantam iracundiæ rabiem deductus est, vt altera die comprehendi Christianos passim & trudi iuberet in carcerem, ac pœnis & cruciatibus affici. Quod Salustius Præfectus eius non probans, licet esset gentilis, tamen iussus exequitur, & apprehensum vnum quendam adolescentē qui primus occurrit, Theodorum nomine à prima luce vsque ad horam decimam tanta crudelitate & tantis mutatis carnificibus torsit, vt nulla ætas simile factum meminerit. Cùm tamen ille in eculeo sublimis, & hinc inde lateribus instante terrore, nihil aliud faceret, nisi quòd vultu securo & læto psalmū, 22 quē pridie omnis Ecclesia cecinerat, iteraret. Cumque se omnis expensa crudelitate Salustius nihil egisse perspiceret, recepto in carcerem iuuene, abiisse fertur ad Imperatorē, & quid egerit

Ex lib 10. histo. Eccl. cap. 32.

21 Omnis Ecclesia longo agmine arcam sancti martyris Babylæ magna exultatione trahens summis clamoribus psallebat. Quid dicis hæretice contra sanctorum reliquias, psalmodiam, & ecclesiæ concentū?

22 Psalmum quē pridie omnis Ecclesia cecinerat iterabat Ecce cāticū Ecclesiasticū tēpore Athanasij.

nunciasse, ac monuisse ne tale aliquid tentare vellet de cætero, alioquin & illis gloriam & sibi ignominiam quæreret. Tunc Theodorū ipsi nos postmodum apud Antiochiam vidimus. Et cùm requireremus ab eo si sensum doloris habuisset ex integro, dicebat se quidem dolores parum sensisse, astitisse autem quendam iuuenem, qui sudanti sibi linteo candidissimo & sudores abstergeret, & aquam frigidam frequenter infunderet, & ita se esse delectatū. Vt tunc mœstior factus sit, quando deponi de eculeo iussus est. Comminatus igitur Imperator post victoriam Persicam melius se Christianos debellaturum, profectus quidem est, sed nullus redit. Ibi namque incertum à suis an ab hostibus confessus, post annum & octo menses præsumpti Augustalis imperij, finem vitæ fecit. Socrates. Calistus autem qui interfamiliares Imperatoris tunc militabat, & Heroico versu eius conscripsit historiam, ait eum à dæmone vulneratum, fuisse defunctum. Iulianus ergo quarto Consulatu suo quem ediderat cum Salustio vi. die Iunij mensis, in Persica regione defunctus est, anno iij. imperij sui, septimo verò ex quo Cæsar à Constantio fuerat ordinatus, vitæ anno trigesimo primo. Post cuius mortem eius Magiæ compertæ sunt. Carræ namque ciuitas est, hactenus impietatis eius reliquias habens, per hanc iter agens, quoniam per Edessam propter piæ religionis cultum transire noluerat, in templum quod à paganis colitur, est ingressus, vbi cùm quædam cum suis consortibus sacrilegia celebrasset, ianuas & claustra disposuit, & quosdam ibi milites obseruare præcepit, vt intra hoc nullus accederet donec ipse rediret. Cumque mortuus fuisset, & impio pium successisset imperium, ingredientes in templū, inuenerunt mira principis simulachra, eiusque sapientiam & famosissimam pietatem. Viderunt enim mulierem à capillis appensam, extensas habentem manus, cuius vterum aperuerat, vt Persarum victoriam in iecore eius inspiceret. Hoc ergo scelus in Carris inuentū est. Verùm in Antiochia plurimas arcas in Palatio humanis aiūt capitibus plenas fuisse repertas, & innumera in puteis demersa corpora mortuorū. In qua vrbe cùm eius nunciatus fuisset interitus, publicam cuncti habuêre festiuitatē, & non solùm in Ecclesijs & sepulturis martyrum saltabant, sed etiā in theatris Crucis victoriam prædicabant, illius Magiæ insultantes. Ego autem etiam clamorē fauoris eorum hic ponere necessarium iudicaui, vt etiā apud posteros hæc memoria reseruetur. Cōmuniter enim clamabant omnes: Maxime fatue, vbi sunt vaticinia? Vicit Deus, & Christus eius. Milites igitur in maxima solitudine cōuenientes, omissa omni dilatione, altero die Iouiniano infulas Imperatoris imponunt. Erat enim vir fortis & nobilis, & illo tempore χιλίαρχος, id est, Milienarius, quo Iulianus electionē militibus lege proposuit, vt aut sacrificarent, aut militia cederent: qui cingulum magis elegit amittere, quàm Imperatoris præceptis impijs obedire. Hunc ergo tunc Iulianus propter belli necessitatē inter viros militares habebat. Qui cùm violenter a militibus ad imperium traheretur, clamabat, dicens: non se velle Paganis hominibus imperare, cùm ipse Christianus existeret. Cumque vox hominum communiter proclamasset, dicētium, se quoque Christianos, suscepit imperium. Theodoretus. Iouinianus ergo Imperator, mox vt imperij sui terras ingressus est, primū scripsit legem, vt Episcopi de exilio redirent, & Ecclesias eis reddendas esse professus est, qui expositam in Nicæa fidē inuiolabiliter seruassent. Scripsit etiam Athanasio, qui præcipuus erat horum dogmatum propugnator, petens vt ei rescriberet perfectam diuinorum dogmatum disciplinam. Qui eloquentiores Episcopos congregans rescripsit, rogans vt fidem Nicææ expositam custodiret, tanquam Apostolicis dogmatibus congruentem. Cuius Epistolæ verba sunt hæc. Piissimo atque clementissimo victori Augusto Iouiniano Athanasius, & reliqui Episcopi, conuenientes ex persona omnium Episcoporum Ægyptiorum, Thebaidos, & Lybiæ. Decet Deo amabilem principem dicendi habere voluntatem, desideriumque cœlestium. Sic enim verè & cor habens in manu Dei, & imperium cum pace multis annorum curriculis gubernabis. Volente igitur à nobis tua discere pietate catholicæ Ecclesiæ fidem, gratias ob hoc Domino referentes, curauimus vt prolatam ab omnibus patribus in Nicæa tuæ pietati insinuaremus fidem. Hanc enim repudiantes quidam, nobis quidem frequenter insidiati sunt, eò quòd Arrianæ non consentiremns insaniæ. Autores verò facti sunt hæreses, & schismatum vniuersalis Ecclesiæ. Vera ergo & pia in Dominum nostrum Iesum Christum fides, est omnibus manifesta, & ex diuinis literis agnita atque lecta. In hac enim etiam sancti martyrio consummati sunt, & requiescentes in Domino nunc consistunt. Manserat itaque semper fides illæsa, nisi calliditas quorundam hæreticorū eam violare præsumeret. Arrius enim quidam, eiusque sectatores erumpere, & impietatem aduersus eam introducere tentauerunt, dicentes, ex non extantibus & creaturam, atque facturā, conuertibilémque esse filiū Dei. Plurimósque per talia seduxerunt, ita vt etiam qui aliquid esse videbantur, blasphemia huiusmodi traherentur. Verùm sancti patres nostri olim conuenientes (sicuti prædiximus) in Nicæno consilio, Arrianā quidem sectam anathematizauerunt, catholicæ verò Ecclesiæ fidem (scriptura teste) professi sunt. Eaque prædicatione

hæresis

Ex lib.6. histor. Trip.cap.47.

Ex lib.7. histor. Trip.cap.1.

hæresis extincta est, quæ vbique videbatur accensa. Hæc itaque fides per omnes Ecclesias legebatur & prædicabatur. Sed quoniã Arrianam hæresim quidã renouare volentes, ipsam siquidem à patribus in Nicæa prolatam anathematizare præsumpserunt: aliqui verò fingunt se eam profiteri, sed ipsam veritatem negare noscuntur, aliter interpretantes consubstantialitatem, & sancto spiritui blasphemantes, cùm dicunt eum creaturam esse, atque facturam per filium celebratã, necessariò considerantes læsionem ex huiusmodi causa cõtra populum generatam, offerre tuæ pietati confessionem Cõcilij Nicæni curauimus, vt pia religio tua cognoscat, cum quanta scrupulositate conscripta sit, & quantum errent qui extra eam volunt aliquid edocere. Cognoscere Deo amabilis Imperator, 23 quoniam hæc quidem prædicatur à seculo, & hanc professi sunt patres in Nicæa conuenientes. In hac quoque fide concordant omnes Ecclesiæ in Hispania, & Britannia, necnon in Galliis, Italiis, & in Dalmatiis constitutæ, in Cappadocia, Mysia, & Macedonia, & vniuersa simul Hellade, sed etiam in vniuersa Africa, Sardinia, Cypro, Creta, Pamphilia, Licia, Isauria, & in omni Ægypto & Lybia, Ponto & Cappadocia, partibusque vicinis, & Orientales Ecclesiæ præter paucos Arrij sectatores. Omnium namque prædictorum sententiam experimento cognouimus, literas habemus, eosque nouimus Deo amabilis Imperator, quia cùm pauci quidam huic fidei contradicant, præiudicium facere non potuerunt in toto orbe terrarum. Multo enim tempore ab hæresi Arriana pulsati, nunc etiam pietati contentione maxima contradicunt. Vt verò hæc pietas tua cognoscat, licet sciat, tamen studuimus fidem Nicæno consilio professam ab Episcopis trecentis decem & octo subiungere. Est autem hæc Nicæni consilij fides. Credimus in vnum Deum patrem omnipotentem. Et in vnum Dominum nostrum Iesum Christum filium Dei, natum ex patre vnigenitum, hoc est, de substantia patris, Deum à Deo, lumen de lumine, Deum verum de Deo vero, natum, non factum, consubstantialem patri, per quem omnia facta sunt, quæ in cœlo, & quæ in terra. Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit, incarnatus, humanatus, passus est, & die tertia resurrexit. Ascendit in cœlos, venturus iudicare viuos & mortuos. Et in spiritum sanctum. Eos autem qui dicunt, erat quando non erat: & antequam nasceretur non erat: & quia ex nõ extantibus factus est, aut ex altera substantia vel subsistentia, dicentes esse aut creatum, aut conuertibilem, aut mutabilem filium Dei, hos anathematizat sancta catholica & Apostolica Ecclesia. In hac fide Deo amabilis Imperator, nos consistere necessarium est, tanquàm sacra & Apostolica, nullaque mouere eam seductione verborum atque contentione: quod ab initio Arriani fecerunt, ex non extantibus filium dicentes. Et quia erat, quando non erat, & creatus, & factus, & conuertibilis est. Propterea (sicut prædiximus) & Nicæa synodus hæresim anathematizauit huiusmodi, fidem verò professa est veritatis. Non enim simpliciter similem dixerunt filium patri, ne simpliciter similis Deo Deus verus esse crederetur, sed etiam consubstantialem scripserunt, quod proprium est geniti verique filij, ex vero & naturali patre nascentis. Sed neque spiritũ sanctum alienauerunt à patre & filio, sed potius glorificauerunt eum cum patre & filio in vna sanctæ Trinitatis fide, eò quòd vna sit in sancta Trinitate diuinitas.

23 *Nota ex hoc pulcherrimo loco prudens lector, eã fidẽ tenendã quæ a sæculo prædicatur, & quã patres sancti præcedẽtes professi sunt, omnesq; in toto mũdo constitutæ seruant Ecclesiæ, & nõ eã quæ à Luth. sectatoribus in Germania tenetur. Nam pauci quidam veræ fidei contradicentes, præiudiciũ facere non possunt in toto orbe terrarum.*

Has literas Imperator legens confirmauit quam habuerat de sacris scientiam & affectum: aliamque conscripsit legem, vt frumentorum consuetudo redderetur Ecclesiis, quam Maximus distribuerat Constantinus, & dari prohibuerat Iulianus. Et quoniam propter illius impietatem orta fames, non sinebat totam tunc summam quam Constantinus constituerat, erogari, tertiam partem Iouinianus ad præsens impendi promisit, ita vt cessante fame, frumenta integra præberentur. Sozomenus. Igitur Imperator tunc etiam secundo nomine Præfecturam gubernanti Prætorianam legem dedit, 24 vt capitali sententia plecterentur, qui vel sacram virginem nuptiali thoro violare auderet, vel impudico aspectu aspiceret, ne dicam abripere fortè tentaret. Quam legem ideo posuit, eò quòd Iuliani temporibus quidam huiusmodi virgines vxores ducere ausi fuerant. Inter hæc Athanasius Alexandrinæ sedit Episcopus, cum paucis suorum communicato consilio necessarium iudicauit, vt Christianum videret imperatorem. Veniensque Antiochiam, Principem de quibus oportebat edocuit.

24 *O heretice vbi lates nũc, qui sacras virgines nuptiali thoro violare audes? Cõsidera quale crimen sit hoc, & quod impij Iuliani tempore duntaxat præsumptũ. Quod seuerissima lege capitali pœna plectendũ esse Christianissimus sanxit Imperator.*

Quidam aiunt, quòd eum ipse magis euocauit Imperator, vt quæ necessaria pro religione & recta fide viderentur, exponeret: disponensque, vt decebat, causas Ecclesiæ de reditu cogitabat. Verùm Euzoius Arrianæ sectæ Antiochenæ ciuitatis Episcopus, studebat vt Probatianus quidam eunuchus in Alexandrina vrbe ordinaretur Episcopus. Cumque hoc ageretur, Lucius Alexandrinus à Georgio presbyter ordinatus, adiit Imperatorem, & maledicens Athanasio, quasi temporibus Episcopatus illius fuisset accusatus, & plurima exilia sub præcedentibus sustinuisset Imperatoribus, essetque circa sacra per eum causa discordiæ, supplicabat vt alius in Alexandria ciuitate ordinaretur Episcopus. Verùm Imperator sciens,

quantæ

quantæ Athanasio inimicorum insidiæ factæ fuissent, detractiones huiusmodi non respexit, sed Lucium quidem cum multa interminatione tacere iussit, Probatianum verò eiusque sequaces eunuchos autores huiusmodi scelerum atque turbarum castigãdos esse præcepit. Porrò Athanasium amicum sibi maximum factum destinauit in Ægyptum, vt sicut ei videretur causas Ecclesiarum populosque disponeret. Fertur enim quòd eum pro maxima virtute conuersationis sapientiæque laudauerit. Aiunt quidem antequam sub Constantio Imperatore Arriani tenerent Ecclesias, somnium vidisse Antonium monachum, quasi burdones altare sacrum calcibus euertissent, experrectumque dixisse: Ab adulteris & permixtis hominibus Ecclesiam calcari. Quæ non fuisse mendacia posterior monstrauit euentus.

Socrates. Tunc igitur Imperator impetum retinens hæreticorum discessit ab Antiochia, & venit ad Tharsum Ciliciæ, ibique corpus Iuliani sepeliuit. Et cùm cuncta 25 solennia funeri eius exhibuisset, consul est designatus. Cumque Constantinopolim festinaret, venit ad prædium nomine Dadastana inter Galatiam & Bithyniã, vbi philosophus Themistius cum alijs senatoribus occurrens, Consularem recitauit orationem. Fœliciter tunc agi poterant res Romanæ publicæ, & simul Ecclesiasticæ sub principe benigno dispositæ, nisi repentina mors talem virum ab hominibus abstulisset. In prædicto namque prædio hyemis tempore in phraxis languore constrictus est mortuus. Consulatu suo & Varroniani filij, septimodecimo die Februarij mensis, qui regnauit mensibus septem, vixit annis triginta tribus.

25 *Vide solennes exequias tunc etiã fuisse in vsu. Ergo falsum à cupiditate sacerdotũ recẽter fuisse inuẽtas.*

Sozomenus. Cumque in Nicæam Bithyniæ venisset exercitus, Valentianum ordinauit Imperatorem, virum optimum, & apice principali dignissimum.

Socrates. Valentianus igitur ordinatur vigesimoquinto die eiusdem Februarij mensis, Pannonius genere, de Cibala ciuitate: cui tunc erat militum cura commissa, quoniam probatissimè militarem nouerat disciplinam. Fuit etiam vir magnanimus, & semper præsenti fortuna melior apparebat. Theodoretus. Is enim non modò fortitudine, sed etiam prudentia, temperantia atque iustitia & corporis magnitudine præfulgebat. Adeo enim fuit regalis pariter & vrbanus, vt cùm exercitus tentasset ei alium sociare consortem, ille respondeit, quod cantatur ab omnibus: Vestrum (inquit) fuit, ô milites Imperatore non existente mihi dare regimen imperij. Verùm vbi hoc ego suscepi, meum iam & non vestrum est de rebus cogitare communibus. Cuius verba admirati milites, eius secuti sunt voluntatem. At ille fratrem de Pannonia vocans, quod non debuit, socium fecit imperij.

Socrates. Post triginta dies auspicij sui.

Theodoretus. Cui Asiæ sceptra contradens pariter & Ægypti, Europam sibi distribuit. Et veniens ad Hesperiam, omnem illicò docuit æquitatem, a prædicationibus pietatis incipiens. Tempore autẽ, quo Valens suscepit imperium, Apostolicis dogmatibus ornabatur. Cùm verò Gothi transissent Histrum, & Thraciam peragrarẽt, collecta militia pugnare cogitabat contra eos. Cui placuit vt non nudus sacra gratia pugnaret, sed sancti baptismatis munitus armis: & hoc quidem bene placuit, & valde sapienter. Quòd verò postea gessit, magnam animi molitiem, & proditionem significat veritatis. Ea namque infelix passus est, quæ progenitor Adam. Coniugis enim est seductus alloquio, & mulieribus verbis illaqueatus. Illa namque primitus Arrianæ fallaciæ captionibus irretita, etiam iustum secum corruere in blasphemiæ foueam peruasit, cuius seditionis autor fuit Eudoxius. Is enim gens adhuc Constantinopolitanæ gubernacula tenebat Ecclesiæ, non regens, sed suam potius mergens nauem. Tunc ergo in baptismatis tempore, iureiurando miserũ obligauit, & vt in pietate dogmatis permaneret, & vndique contraria sapientes expelleret. Sic itaque ille doctrinam Apostolicam derelinquens, contrarias partes sumpsit, & paulò pòst quæ iurauerat adimpleuit. Circa hæc itaque tempora Eunomius ab Eudoxio separatus, seorsum agebat 26 missas, propterea quòd cùm sæpe rogasset vt susciperetur præceptor ipsius Aëtius, Eudoxius non exaudisset. Hoc autem non ideo refutauit, quod sectam declinaret Aëtij, cum eam scilicet prædicaret, sed quoniam omnes vnanimes illius, eum sectæ alterius fatebantur. Ista ergo causa fuit, vt ab Eudoxio separaretur Eunomius. Hæc igitur Constantinopoli gerebãtur. Deinde Alexandriæ præceptum præfectorum, studio Eudoxij destinatum conturbauit Ecclesiam. Verùm Athanasius irrationabilem furorem populi metuens, atque timens ne malorum faciendorum ipse causa esse videretur, quatuor mensibus seipsum in sepulchro patris abscondit. Cũque propter eius absentiam seditionem desiderio ipsius populus excitasset, cognoscens Imperator propter hoc Alexãdriam esse turbatam, literis indicauit vt Athanasius licitè teneret Ecclesias. Et hæc fuit causa vt vsque ad Athanasij mortẽ Alexandrina non turbaretur Ecclesia. Quòd verò post eius mortẽ rursus Arriani eas Ecclesias inuaserint, paulò pòst narrabo. Socrates. Sciendum verò quòd cùm viueret Athanasius Alexandrinus Episcopus, diuina quidem prouidentia Alexandriã vel Ægyptum Valens Imperator distulit commo-

26 *Nota vocabulum missæ etiã tũc temporis fuisse in vsu, nec esse verbũ à nostris sacerdotibus recenter inuẽtum, vt somniant hæretici.*

commouere, audiens Athanaſium à cuncta diligi plebe, & metuēs ne fortè ſeditione facta à republica vexaretur. Verùm Athanaſius Conſulatu Gratiani ſecūdo, & Probi poſt crebra pro Eccleſiæ ſtatu certamina hac priuatus eſt vita, quum quadraginta & ſex annis per multa pericula ſedem erexiſſet Epiſcopalem. Theodoretus. Cùm igitur in Alexandria victor Athanaſius poſt multa certamina, innumeraſque coronas, vitæ finem ſuſcepiſſet, & ad laborum ſuorum præmia demigraſſet, ſuſcepit Petrus vir optimus Præſulatum, quem dudum ille beatus elegerat, cunctis conſentientibus & ſacerdotibus, & nobilibus, cunctaque plebe, & fauore ſuo propriam oſtendentibus voluntatē. Is enim Athanaſij ſudorum particeps fuit, & cùm eſſet in ciuitate, & cùm diuerſa latibula peragraret, multifariaque pericula cum eo ſuſtinuit. Quapropter cuncti ſacerdotum concurrentes, dignum hæredem Petrum Athanaſij clamauerunt. Cumque eum in pontificali ſede conſtituiſſent, repentè Iudex prouinciæ, Paganorum populum congregans, & pariter Iudæorū, Eccleſiæ ſepta circundedit, Petrum exire præcipiens, nolentemque interminatus eſt abſtrahere. Faciebat hoc, Imperatori placere volens, cùm ei contraria ſapientes calamitati ſubmitteret. Quod autem verum eſt, impietatis ira completur: idolis potius placere nitebatur, & tempeſtatem Eccleſiæ claram putabat eſſe feſtiuitatem. Petrus itaque vir admirandus, inſperatum reſpiciens bellum, latenter egreſſus eſt, & conſcendens nauem, profectus eſt Romam.

VITA SANCTI IVLII PAPAE, PER Damaſum Papam ſcripta.

IVLIVS natione Romanus ex patre Ruſtico, ſedit annis xv. menſes duos, dies octodecim. Fuit autem temporibus Conſtantij hæretici filij Conſtantini, à conſulatu Feliciani, & Maximiani. Hic poſt multas tribulationes in exilio fuit menſibus decem. Et poſt huius Conſtantij mortem, cum gloria eſt reuerſus ad ſedem beati Petri Apoſtoli. Fecit baſilicas duas, vnam iuxta forum, & aliam via Flaminea, & [1] cœmiteria tria, vnum via Flaminea aliud via Aurelia, & aliud via Portuenſi. Hic conſtitutum fecit, vt nullus clericus cauſam quamlibet in publico ageret niſi in Eccleſia, vt notitia quæ omnibus fidem facit, per notarios colligeretur, & vt omnium monumentorum in Eccleſia confectio per primicerium notariorum celebraretur, ſiue quod cautiones vel inſtrumenta: vel donationes, vel commutationes, vel traditiones aut teſtamenta, vel colligationes, aut manumiſſiones clericorum in Eccleſia per ſcrutinium ſanctum celebrentur. Hic fecit ordinationes tres in vrbe Roma per menſem Decembrem, presbyteros octodecim, diaconos tres, Epiſcopos per diuerſa loca nouem. Qui etiam ſepultus eſt in via Aurelia in cœmiterio Calepodij pridie Idus Aprilis. Et ceſſauit Epiſcopatus dies vigintiquinque.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

[1] *Ecce quot cœmiteria conſtruebāt ſancti hi, & Deo amabiles Pontifices. Signū ergo eſt quod ſacra cœmiteria Deo placent.*

VITA SANCTI FELICIS PAPAE SECVNDI & Martyris, per Damaſum Papam ſcripta.

Habetur in Pontificali eiuſdem.

FELIX natione Romanus, ex patre Anaſtaſio, ſedit annum vnum, menſes tres, dies tres. Hic declarauit Conſtantium filium Conſtantini [1] hæreticum, & ſecundò rebaptizatum ab Euſebio Nicomedienſi, iuxta Nicomediam in Aquilone villa. Et pro hoc declaratu ab eodem Conſtantio Coſtātini Auguſti filio martyrio coronatur, & capite truncatur.

Hic fecit Baſilicam via Aurelia miliario ab vrbe ſecundo, quū presbyterij honore fungeretur. Et ad eandem Baſilicam emit agrum circa locum, quem obtulit Eccleſiæ quam fecit. Hic fecit ordinationem vnam in vrbe Roma per mēſem Decembrem, presbyteros xxi. diaconos quinque, Epiſcopos per diuerſa loca xix. Qui etiam paſſus eſt in ciuitate Corona cum multis clericis & fidelibus, occultè, iuxta muros vrbis ad lacus Traiani iij. Idus Nouembris. Et exinde raptum eſt corpus eius à presbyteris & clericis noctu, cum Damaſo presbytero, & ſepultus eſt in Baſilica ſupradicta, quam ipſe via Aurelia conſtruxerat, xij. Kal. Decembris, miliario ſecundo. Et ceſſauit Epiſcopatus dies xxxviij.

[1] *Ecce quomodo Papa poteſt declarare Imperatorem hæreticum, & illū excommunicare.*

VITA BEATI NICOLAI MYRENSIS Epiſcopi, per Leonardum Iuſtinianum ſcripta.

LEO-

LEONARDI IVSTINIANI PATRITII VENETI IN beati Nicolai Myrensis Episcopi vitam, è Græco in Latinum translatam, ad Laurentium eius fratrem vrbis Venetiarum Patriarcham Præfatio.

QVum ætatis nostræ ingenia mecum considero, Laurenti frater, ea videlicet, quibus vetus illud & expolitum scribendi genus in cultu est, soleo equidem Christianam gentem (si dicere fas est) nonnihil infortunatam putare. Nam cùm in illa tot præstantissimi fuerint in omni primaria laude viri, vt nulla sit cum illis gentilitas comparanda, vix quisquam tamen eiusmodi scriptorum est, qui non ipse malit gentilium, quàm sanctorum nostrorum facta literis celebrare. Id autem cur ita fiat, non certè satis intelligo. Nam cùm Christianam fidem planè profiteamur, eoque censeri nomine & fœlicitati nobis imputemus & laudi, quid causæ dici potest, cur aliena malimus etiam à pueris decantata, quàm nostra haud satis cognita gloriose & vtiliter illustrare? Nam Metellis, Catonibus, Lycurgis, Epaminundis, cæterorumque gentilium illustribus factis penè referta sunt nomina, nec noua indigent laude, in quibus exprimendis cùm Græcè, tum Latinè summa certauerunt ingenia. At nostrorum nisi paucorum admodum iacet memoria, quorum præter omnia nihil ferme celebre est: non enim Crispos, aut Xenophontas, aut ex alia cohorte quenquam vitæ, facinorumque suorum interpretum habuêre. Nam ad nominis celebritatem posteritati diutissimè commendandam, quis nesciat non tam referre, quibus quisque moribus, qua virtute, quibus rebus gestis antecellat, sed multò maximè quem factorum & laudum suarum præconem sit habiturus? Vnde Lyricum illud: Vixêre fortes ante Agamemnona multi. Ignotique longa nocte, carent quia vate sacro. Scitè igitur Alexander diuinitatis cupiditate incensus, statuas suas ab alio quoquam fieri quàm à Lysippo vetuit, quia illius opera, ob incomparabilis artis præstantiam, immortalia fore putabat. Ita non tam res ipsæ scriptorem, quàm scriptor illas celebres atque longæuas facit. Quòd si Hieronymum, aut eloquentem alterum cæteri nostri fuissent consecuti, legerentur illi profectò eo studio, ac voluptate, qua Paulum eremitam, & Hilarionem, quorum vitæ splendor pari ab illo verborum luce & venustate ornatus est. Nempe Paulos & Hilariones haberemus innumeros, non eos haud æqua cum illis felicitate, aut fortuna, vt scriptorem eloquentissimum nanciscerentur, sed voraginem nescio quem, aut alios indisertos è turba, quorum si fidei eloquentia par fuisset, sanctorum nostrorum præclara facinora non modò per vulgus, verùm longè, lateque per docta ingenia volitarent, & omnium virtutum exempla peteremus ab eis, quandoquidem mille nos habemus ex nostris, quos singulis gentibus opponamus: nec viros modò, sed & mulierũ cateruas proferamus, forti perpessas animo, quæcunque scriptores prisci paucis in viris tantopere laudauerunt. Adde quòd externarum gentium virtus magna quidem ex parte fucata fuit, nec tam virtus quàm simulachrum virtutis, & species appellanda. Nam si magnitudinem animi, si sapientiam, si continentiam, æquitatem, liberalitatem, cæterasque re vera virtutes quærimus, haud facilè dixerim, in alijs alias, quàm in sanctis nostris splendidius eluxisse. At sancti (dicet aliquis) non duxerunt exercitus, non acies instruxerunt, non classibus, non præliis, non oppugnationibus deniq; vrbium præfuerunt. Non est omnino id quidem, fuisse tamen concedamus, & hæc eadem fateamur præclara putari debere. Sed per Deum immortalem, cui tandem vsui, aut cuiusmodi hominibus ista dicuntur? Quotus enim quisque legentium illa fuerit, qui aut classis præfectum, aut instructorem certaminum, aut vrbium oppugnatorem futurũ se putet? O dementiã singularem. Ego qui nunquam visurus exercitus sim, quibus artibus acies disponantur, multo didicerim studio: quo verò pacto superbiam conterã, iram extinguam, auaritiã, reliquasque animi pestes prosternam, ex his scire neglexerim, qui hoc cõmune omnium bellandi genus scire percalluerunt. Quid igitur? Improbabimúsne studium eorũ, qui nostro seculo eiusmodi vigilias vigilârunt, & multorum gentilium facta scripserunt? Non ausim id ego quidem, neque vnus pluribus temerè bellum indixerim, & his potissimũ, quos mihi vel necessitudine studiorum, vel officiorum communi intercessione cõiunctos puto. Cæterũ pertinax affirmarim, præstitisse nostrorũ quàm alienas vitas conscribere: Aut si alienæ scribẽdæ fuerint, nõ debuisse nostras omitti. Nos itaq;, qui dudum aliorũ institutũ secuti nonnulla gentilium facta literarum monumentis mandauimus, nunc te hortante, Laurenti frater, hũc quem laudamus morem inibimus. Me etenim quotidie pro tua incredibili pietate admonens, vt studia cogitationesque meas ad beatã vitam animique immortalitatem adipiscendã potissimum conferam, & post longã nauigationem aliquãdo de portu cogitem. Nullius autẽ in omni re, quæ ad

quæ ad bene beateque viuendum pertineat, maior mihi debet esse autoritas, quàm tua qui præter incontaminatam vitæ integritatem ab ineuntibus annis susceptam, mihi natura frater es, cura & ætate pater, Dei miseratione Antistes. Neque me verbo tantum doces, sed exemplo magis, qui inter maximas Episcopatus tui occupationes, & Venetorum, alienigenarumque quotidianos accessus, sacrarum literarum studia scribens non intermittis, ne libri, quos priuatus plures edidisti, testentur te in negotio ea mentis & cogitationum potestate carere, qua in ocio perpetuo fruebare. Tibi igitur morem gerens, magni Nicolai vitam scribere orsus sum. Neque omnia in eum libellum congessi, sed ea tantum, quæ apud Græcos idoneos, maximè apud Simeonem cognomento Metaphrasten, de illo scripta, & Ecclesiis probata inuenimus. Nam quæ de ipso feruntur, tum vetera, tum noua miracula, neque numero, neque magnitudine modum habent. Hunc autem potissimum exprimendum tibi delegi, partim quia iucunda ea lectio est, & digna certè, quæ de Episcopo ab Episcopo accuratè legatur, partim vt viro sanctissimo de Venetis optimè merito aliquam meæ patriæ nomine gratiam reddam. Nostros enim homines, & nauigantes imprimis, tanta prosequitur pietate, tanta misericordia, vt iure post beatissimum Marcum, hunc alterum nostra ciuitas sibi patronum colat. At cum pro susceptis ab eo muneribus, alij cæreas, alij argenteas statuas ferant, ego hanc illi longè nobilissimam statuam dedicabo, quæ non modò corporis, cæterum (quod multò stabilius est) animi & vitæ pulcherrima liniamenta immortaliter exprimat. Nec erit (vt spero) inanis hic noster labor, ceu in scribendis gentilibus quondam fuit. Nam in eum hoc munus contulimus, qui cùm inter primos gratissimus fuerit, plus potest nobis mortuus nunc è cœlo, quàm viuens quisque in terris prodesse.

INCIPIT VITA SANCTISSIMI CONFESSORIS Nicolai, cognomento Magni, ac Myrensis Antistitis admirandi.

PAtaram rerum scriptores tradunt vrbem fuisse in terra Lycia, nobilem inter primas: Eique si cætera defuissent ornamenta, quibus tamen plurimis affluebat, poterat sanè vel hoc vno nobilitari præcipuè, quòd magnum Nicolaum Myrarum Episcopum tulit, virū profectò, quē in Republica Christiana nemo prope sanctorum omniū in omni virtutū laude facilè anteiret. Nam Pataræ natum illum constat, & claro quidē genere. Mater eius fœmina fuit sanctissima, atque grauis. Patri verò non tam vitæ splendor, quàm integritas: nō tam populi quàm Dei cultus: non tam diuitiæ, quàm eleemosyna fuerunt in precio. Mundi itaque relictis illecebris, nullum erat illis, nisi bonarum actionum studium atque voluptas. Hi tanquam lignum plantatum secus decursus aquarum in tempore suo speciosissimum edidêre fructum, infantem videlicet hunc, cuius cœlestis indoles futuræ virtutis præsagium præ se ferret. Illum autem primum mater pariter atque postremū tulit: infœcunda posthac cū charissimo coniuge perseuerans, siue desperante natura per illos posse huic similem alterum in lucem producere, siue vt puer hic multifariam Baptistæ similis in hoc quoque cū illo quodammodo conueniret. Ille enim infœcundæ matris dissoluit vterum atque sterilitatem: Iste fœcundæ matris vterum obstruxit. Sic itaque parentum diligentia omnis, studia, & voluptates in hunc vnum diuinè ornandum, instituendumque sunt collectæ, vt quem carnaliter genuerant, spiritualiter æducandum, & omnibus sanctissimarum institutionum ornamētis excultum admirabilem cunctis mortalibus redderēt. Infantem autē hunc quis dubitet, in ipso statim natiuitatis exordio, diuino fuisse lumine afflatum, sanctificatumque, qui non prius viuere, quàm Deum venerari: non prius comedere, quàm ieiunare cœpit? Compertum enim habemus, illum, cùm reliquos dies noctesq; omnes nutricis vbera sugeret crebro, quarta tamen i sextaque feria nisi semel duntaxat, & id vesperi quidem lac voluisse gustare. Atque hoc semper certo immotóq; seruauit ordine, vt nullis posset blanditiis, nullo nutricis lenocinio, nulla naturæ necessitate à ieiunio cœpto deflecti. Quamobrem vel improbum quēque bonarum rerum interpretem planè fateri oporteat, non fortuitu illud aut intemperie stomachi factum esse, sed quasi consulto & Dei affluente spiritu. O miraculum singulare, & inter rara omnium seculorum spectacula per Ecclesias meritò decantatū, & dignū viuendi principium, cui tā excellens vita succederet: quandoquidē crescētibus annis, debebat eius quoque virtutibus, tū natura, tum studio, & gratia patris fieri accessio admirāda. Postea enim quàm è pueritia excessisset, castissimos mores, & disciplinā ab optimis acceptā parentibus in melius redigēs, ipse quoq; suapte natura, & ingenio non desinebat, velut generosa quædā, & fertilis gleba, nouos quotidie honestatis & pietatis fructus edere. Inde ætate poscente, ad capiēdum

i Nicolaus infantulus quarta & sexta feria ieiunabat, semel in die lac sugens, & id quidē vesperi.

animi cultum traditur studio literarum. Vbi tum ingenij magnitudine, tum velocitate discēdi, breui admodum æuo multa ingenuarum disciplinarum scientia imbutus ab omni humanæ laudis cura abhorrebat. Æqualiū verò sodalitates, conuiuia, consuetudines vitabat omnino, quia in illis cerneret sicut festiuitatis multum, ita plurimum esse intemperantiæ, atque periculi. Mulierum non modò colloquia, verùm etiam conspectum, tanquam iuuenilis animi pestilentissimam labem fugiens, totum se honestati, pudicitiæque addixit. Libidinum verò 2 & carnis incendia, quibus æstuare plerumque omnes adolescentes solent, quotidiani labores, ieiunia, vigiliæ extinguebant. Talibus instructum artibus, totum sese accepimus ad Christi seruitium cōtulisse. Schola illi erat, ac diuersorium Dei templum, vt se dignū pararet templum, in quo Deus ipse pernox & perdius habitaret. Neque bonarū disciplinarum studia aut legendo, aut audiendo, aut meditando intermittebat. In quibus tantum excelluit, quantum magno futurum antistiti opus erat. Sed quò vita recta doctrinis omnibus longè maximè præstabilior est, eò plus in componēdis formandisque moribus nauabat operæ ac laboris, quò iuuenilis, fluctuantisque ætatis inconstantiam senili quadam firmaret grauitate: Quemadmodum enim non illud senium laudamus, in quo nō eminebat par senio & annis modestia, sic etiam solemus iocundè admirari, multaq; laude dignam existimare adolescentiam, quæ planè didicerit eiusce ætatis compescere motus, & senectutis grauitatem ac modestiam retinere. Est enim si iuuentus in sene turpis, ita pulcherrima quidem in adolescēte senectus. Habuit autem Nicolaus auunculum, nomine Nicolaum, à quo nunc nostrum arbitror id nominis vsurpasse. Is cùm nepotem animaduerteret religioni & sanctimoniæ deditum, mundo se penitus abdicasse, parentes hortatur, vt adolescentem sacerdotalibus sacris initiari permittāt. Illi in sententiam venēre faciles. Cur enim gratos homines pigeat reddidisse, quòd gratis acceperint, & fidelium more debitorum æs alienum cum ipsa etiam vsura persoluere? Nam in veteribus memorijs scriptum inuenimus, Nicolai nostri parentes aliquamdiu steriles, & propemodū de sobole desperantes 3 multa prece & lachrymis à Deo hunc filium impetrasse, atque illum propterea Deo qui dederat, reddidisse libentius. Perhibent autem auunculum, sancto afflatum spiritu, de nepote vaticinantē præcinisse in illo cœlestium donorum redundantiam. Cùm enim initiaretur, ad astantes conuersus: Nouum, inquit, fratres, terris solē oriri video: & humano generi grande solatium comparat. O gregem felicem, qui hunc sibi pastorem sit habiturus. Hunc enim videbitis errantes oues ad pietatis pascua reuocantem: Hunc periclitantibus salutem calamitosis opem, laborantibus præbere quietem. Neque secus, atque iste prædixit, omnia euenisse insequens sermo docebit. Nulli autem mortalium admirabile videri debet, vel nepotis præclara facinora, vsqueadeo mundū illustratura, sui splendoris vatem aliquem habuisse, vel auūculum prophetandi spiritum meruisse, quem admirandæ vitæ integritas Ecclesiæ iudicio inter cœli sydera collocauit. Nam duos fuisse Nicolaos constat, auunculum illum, hunc nepotem, sanctos ambos, Episcopos ambos, illustres ambos: quanquam longè illustrior quidem nepos est habitus, is cuius nunc vitam & facta conscribimus, cuique propterea magno cognomen fuit. Igitur factus sacerdos morum & vitæ seueritatem pariter cum dignitate augendam putauit, naturæ sapientiā imitatus, quæ arbores ipsas, quò se celsius in cœlum tollunt, eò altius demissis in terram radicibus, firmiores reddit. Sacerdotij autem quis dubitet 4 solidissimas esse radices, integritatem vitæ, misericordiam, pietatem, continentiam, sobrietatem, reliquásque virtutes id genus, quibus potissimum propius ad Deum acceditur? Itaque corpori suo bellum indicit, non quod illud necaret, aut contereret, sed quod domitum & omni petulantia exutum redigeret in seruitutem. Igitur somno, & quotidiano cibo, 5 quantum ratio permittebat, detrahit, ieiuniis nocturnisque vigilijs solito plus indulgens, vino parcissimo vtebatur, sępius aqua sola contentus: Veste si non sordida, vt hypocrita, & vanus ostentator, nullo tamen conspicua luxu deinceps est vsus. Crebrior illi fuit ad delubra aditus. Nulla penitus, nisi sacrarum literarū lectio. In vultu & gestu modestia maior. Sermo rarior, & grauis quidem, & qui nihil haberet inanitatis & fuci, vt his præditus ornamentis videretur in corpore mortali immortalium vitam degere. Per id autem temporis Nicolaus auunculus templum nobile, 6 sub sacræ Syon nomine struit, eique pari dignitate monasterium addit. Cui cùm de præficiendo gubernatore pro rei amplitudine cogitaret, visum est id negotij nepotis curæ, sapiētiæque committere, tum vt admirabiles eius virtutes vsu & exercitatione vegetiores redderet, tum quia nemo erat in promptu, qui rem illam aut sapientius, aut sanctius, aut diligentius gubernaret. Nepotem itaque præfecit, eique plurimos præstantes adiungit monachos, vt velut in re militari, & Imperatorē exercitus, & exercitum Imperator pari virtutū cultu & voluntate haberet. Hoc itaque munus ita Nicolaus administrauit, vt dignitatem monasterij gubernatoris præstātia facilè superaret. In eoq; perstitit, quoad ipse visendorum sacrorum locorum gratia in Palæstinam est profectus. Quod iter paulò pòst plusculis attingemus.

2. Libidinum & carnis incendia, labores, ieiunia, & vigiliæ extinguebant.

3 Parentes Nicolai multa prece & lachrymis à Deo filium hūc impetrauerunt.

4 Solidissimæ sacerdotij radices inter quas est continentia.

5 Nicolai abstinētia, ieiunia, & vigiliæ.

Vestiū eius modestia & humilitas.

6. Auunculus Nicolai templum nobile cōdidit, eique pari dignitate monasterium addit.

Sed me iam video de narrationis semita declinasse. Prius enim quàm de monasterio dicerē, erat de parentum interitu, & hæreditatis distributione dicendum. Quem locum nunc paucis absoluamus. Parentes eius in illius pestilentiæ vastitate, quæ Lyciam ea tempestate depopulata est intra triduum morientes, hæredem illum testamēto instituunt. Quorum mortem omni officio ac pietate ita est prosecutus, vt nihil omitteret quod ab amantissimo filio parentibus optimis præstari par sit. Hæreditatē igitur adiens, & non tam possessorē se, quàm hæreditatis dispensatorem relictum intelligens, cœpit, non quomodo patrimonium augeret (id quod plerique omnes mortales factitant) cogitare, sed quo pacto patrimonium seminando, vberiorē sibi frugem in cœlo colligeret. Quid enim aliud agat vir constans & sapiens, qui ab ineũte ætate funditus ex animo terrenas eiecerat cupiditates, nisi vt duriore iam ætate contemnat, quod teneris annis animo magno & excelso contempserit, ne vitæ præclara exordia à succedentibus ætatis actionibus dissentirēt. Itaque non ad congregandas diuitias, sed ad congestas dispertiendas animum appulit, vt nil aliud patula manus, quàm egenum & pauperem cogitaret. Cæterùm quemadmodum tellus ipsa omnium longè liberalissima, herbis, frugibus, arboribúsue sic alimenta atq; vitæ præsidia porrigit, vt nemo quidem omnino id sentiat: ita noster hic egenorum alumnus clam quidem, & nullo sciente mortalium, misericordiam suam incredibili studio in pauperes exercebat. Cuius reliquias eleemosynas intelligemus facilius, si hoc vnum è pluribus celebre illius factum subijciamus.

Fuit Pataræ vir genere nobili, qui (vt fert humanæ felicitatis fragilitas) ab honoribus in contemptum, à diuitiis in egestatem deciderat. Ei erant tres filiæ, corporis formæque venustate, & morum elegantia longè præstantes, virgines omnes, & quarum ætas (si patris calamitas non obsistat) nuptias flagitaret. Has inops pater omni rerum egestate calcatus, nō modò viro tradere, sed ne alere quidem quoquo pacto poterat: neque spes vlla miserum hominem solabatur, qua quotidie crescentis inopiæ vim perferret. Heu rem dictu fœdam, heu quò mortalium mētes insuperabilis vis egestatis impellit. Tetrum, atrox, immane facinus, patrem (paternæ pietatis memorémne, an immemorem potius dixerim?) exagitat filiarum decus, ac pudicitiam deserentem, vt natis esurientibus non deesset. Cœpit enim de illarum virginitate alienæ prostituenda libidini cogitare, vt turpissimo & flagitioso quæstu vitam pereuntis familiæ tueretur. Iam vesana fames reluctantem patris animum ægrè perfregerat. Iam crudele, & humanis indignum luminibus spectaculum parabatur. Quid enim tam validum est, tamque munitum, quod necessitas non prosternat? Sed adfuit de cœlo miserator Dominus, qui escam daret timentibus se: qui patris in filias inuitam crudelitatem non pateretur: qui virginum castissimas lachrymas miseratus à tam fœtido flagitio liberaret. Sed quo pacto id facies dulcissime Deus, vniuersæ misericordiæ pater & fons, aut quæ ministro auxilium tuum oppressæ familiæ porriges? Angelum profectò tute tibi Nicolaum delegisti, quò nemo mortalium esset, qui tua iussa meliori aut studio, aut consilio, aut pietate perficeret. Tua igitur miseratione factum est, vt crudele consilium famulus tuus, nescio quo, nisi te volente, sentiret, cuius animus tum rei atrocitate, tum insita pietate commotus, in auxilium periclitantium totus accingitur. Stimulabant misericordem animum esuriētis familiæ lachrymæ. Stimulabat castarum puellarum prostituenda virginitas. Stimulabat amantis patris misericordia, qui in pudicitiam intuitus agebat, ne in ventrem crudeliter agere videretur. Sed seruus tuus, qua ratione Deus impleat præcepta non videt. Cùm enim iubeas misericordes nos esse, vetas tamen sinistram scire, quid faciat dextera nostra. Ardet animus misericordiæ faciendæ studio, sed humanum sui beneficij testimonium refugit: quippe qui tibi soli benefactorũ gratissime retributor placere conetur. Tantum enim vir Dei ab omni humanæ laudis desiderio abhorrebat, vt quantum cæteri sua maleficia, tantum ipse ista beneficia sua cælare studeret. His agitatus stimulis impiger animus, credo te Domine inspirante, intempestæ noctis silentio è strato prosiliens, auri haud mediocre pōdus sacculo bellè insutum sumit, domo egreditur clanculum, miserandæ familiæ domum tacitus adit, circumspectat sagaciter omnia: animaduertit tandem luna ipsa adiuuante, fenestram apertam paululum. Ea cubili inseruiebat, in quo infelix pater membra quieti tradiderat.

Tunc Nicolaus pulcherrimam sibi à Deo oblatam occasionem ratus, auro per fenestram immisso, domum se statim proripit. Manè pater, auri comperto miraculo, stupens cùm tanti muneris datorem suspicari non posset, dæmonum eam esse, aut callidi cuiuspiam hominis fallaciam putat, adulterinoque credit se lusum auro. Inde cùm aurum digitis contraheret, iámque rei cognosceret veritatē, incredibili lætitia gestiens, lachrymas vbertim effundit. Miratur rē, animo versat omnia. Et cùm humanum benefactorem coniectare nō posset, in Deum hoc muneris transferens: Quid faciam nunc miser, inquit, ne tanti beneficij ingratus arguar? Certum est peccatum meum diluere, ac impio me ac nefario scelere expiare. Filiam in cuius pudicitiā crudelissimè sæuiebam, à fœdo periculo eximā. Aurum virginem

redimat, quæ meo sceleri auri gratia perdenda erat. Hæc itaque secum reputans, primam ex tribus filiam honesto marito locat. Nicolaus non minus dato, quàm ille accepto munere gaudens, vbi virginem videt à periculo liberatam: liberabo, inquit, & reliquas, aurique tantundem noctu, vt antea, per patentem fenestram immittit. Diluculo pater cùm secundum aurum inuenisset, vix sui compos humi supplex sese prosternit. Tum ora, pectusque largis irrigans fletibus: Deus, inquit, misericors esurientium liberalis alumne, fac quæso Domine, vt sciam quo ministro tu flagitiorum meorum periculum sustulisti, vt te Domine in illo laudem, te in illo magnificem, te in illo contempler Domine, qui me iampridem sanguine tuo redemisti, & nunc auro pereuntem familiam redimis. Ostende mihi dispensatorem hunc tuũ & Angelũ profecto in terris, cuius ope ecce secundam quoque filiã diabolo crudeliter maritandam sancto connubio honestabo. Hæc cùm dixisset, non prius destitit, quàm alterum quoque generũ sibi asciuit, nec minore certè gaudio duplicis coniugij celebrati, quàm spe tertij quoque propediem celebrandi. Iam enim tantùm sibi de Dei misericordia pollicetur, vt sese putaret tertiæ quoque filiæ dotem tenere manibus. Ita ab inferno ereptus homo noctes diésque perpetuos ereptoris sui desiderio æstuabat. Statuítque noctes insomnes per excubias ducere, quoad quisnam esset hic exploratum haberet. Nec minus admirabilis noster tertiam quoque filiam nuptiis tradi cupiebat. Profunda itaque nocte veniens tacito, vt assolet, pede, per eandem fenestram tertiam introiecit dotem. Ac peruigil pater decidentis auri strepitu monitis, quanta potest pedum velocitate prosiliens, Nicolaum tandem fugiẽtem assequitur, comprehendit, tenet, atque illius pedibus aduolutus redemptorem suum, adiutorem, saluatorem pereuntium animarum flens gaudénsque compellat. Nisi enim miserationes tuas, inquit, misericors excitasset Dominus, dudum iam perierat infelix cum tribus infelicioribus natis pater, sed clementissimus Dominus per te saluauit nos, & à crudeli peccati casu liberauit Dominus, suscitans inopem è terra, & de stercore erigens pauperem. Talia lachrymantem, beatósque osculantem pedes, Nicolaus ægrè cõpescuit, qui cùm beneficium suum quanta potuit humilitate attenuasset, multis tandem adiurationibus, vt rem nulli mortalium patefaceret, frustra precatus est. Vna igitur hæc ex innumeris propè misericordis hominis huius eleemosynis. Quòd si reliquas quoque recẽsere pergemus, quoties indigentibus opem tulit, quoties pauit esurientes, quoties alieno grauatos ære leuauit, immensi propemodum laboris id fuerit. Postea verò quàm perfecta iam & absoluta viri virtus illum maiore Dei familiaritate dignũ effecit, cepit eũ solitudinis cupiditas ingens, in eoque desiderio diutius immoratus, statuit tandem ab omni hominum cœtu secedentem in abditam aliquam eremum sese recondere, vt remotior mundo, Deo fieret propior. Eremus enim quietis atque tranquillitatis animi optima parens & nutrix, comes verò atque tranquillitas cogitationum, diuinæque contemplationis fructifera radix, certaque pronuba cum Deo coniugij spiritualis. Itaque cùm veteri visendæ Palæstinæ desiderio teneretur, vbi Saluator noster ante crucem inter mortales versatus est, nauem in Ægyptum redituram conscendit, vt inde ad loca sancta profectus, 7 solitudini se deinde dicaret. Sed Palæstina & eremo intermissis, nauigationi ipsi paululum indulgeamus. Igitur è portu tranquillo cœlo soluentes recta in Ægyptum enauigant. Cùm autem docti nautæ nihil aduersi suspicarentur, quos tamẽ diuturnus vsus futurarum tempestatum præscios solet facere, Nicolaus illis horrendas ventorum, turbinúmque procellas imminere prænunciat. Etenim videre se, ait, humani generis hostem iratum, nauim stricto gladio ingressum, atque rudentes, omniáque simul mali & claui retinacula concidere cupientem, molientémque nauim, quasi rapidis vorticibus circumactam in profundum cum viris ipsis demergere. Vix ea fatus erat, cùm derepente, quasi signo dato, vehemens, atráque vis tempestatum exoritur: vndique horrendo fragore erumpunt turbines, mare vertitur funditus, tolluntur fluctus in cœlum, trepidi nautæ subito metu perterriti ad genua se Nicolai prosternunt, orant miserè periclitantibus opem ferat, Dei auxilium pro se imploret, quibus nulla reliqua sit spes salutis. Tunc vir Dei confidere illos iubet, ac breui hoc periculo liberatum iri, modò iactent spem suam in Domino, qui saluos facit sperantes in se. Pòst cùm paululum orasset (mirabile dictu) 8 sedantur fluctus, turbines in leuem auram dissoluuntur. Lux atram caliginem dissipat, & iam vndique læta, tranquilláque pereuntibus dies redit. Tum nautæ à lachrymis in gaudium versi, ex animo gratias cùm Deo, tum admirabili famulo eius habere fatentur, duplici viri admiratione commoti, quòd & futurum prædixisset periculum, & præsens tam facilè sustulisset. Auxit autem illorum admirationem insequentis quoque rei miraculum. Conscenderat nauta supremum antennæ cornu, vt solutos carbasi funiculos religaret. Is dum incautior descendere pergit, & manus illum falleret, magno lapsu super nauis tabulata corruit, concussum corpus iacet exanime, & sine dubio è vita migrarat. Tum Nicolaus misericordia vehementer motus, defixis 9 in cœlum luminibus, orauit intentius. Inde rediẽs vt primũ

7 Nicolaus peregrinationẽ ad sancta loca assumit.

8 Adoratione eius sedatur atrox tempestas.

9 Nicolaus defixis in cœlũ luminibus intentius orauit, inde qui mortuus fuerat, reuixit.

cœpit

cœpit illum lachrymans contrectare, mortuus quasi è leuissimo somno excitatus resurgit, & corpore vt prius integro ad obeunda munera nauis redit. Post hæc vir Dei pandere illos vela iubet: Illi toto sinu flantem à tergo Corũ accipiunt, nec prius illos felix deseruit aura, quàm Alexandriam adducti sunt. Ibi nautæ peruulgatis, quæ viderant, miraculis, ciuitatem incredibili huius viri visendi studio excitant. Hic bone Deus, multa per seruum tuum mirabilia Ægyptiis ostendisti. Et erat operæpretium magnalia illa tua Domine virtutum, singula recensere, nisi hoc esset negotij nimis longi. Magnus etenim factus ægrotantium hominum ad eum concursus, magnus calamitosorũ opem petentium, magnus ab immundis spiritibus vexatorum, magnus mœrentium, & infectis fortunæ casibus laborantium. Sed quis, donorum largitor Deus, quis, inquam, æger, non sanus abscessit? Quis mœrens non lætus? Quis arreptitius non mundatus? Sed quid hæc ad te Domine, qui fecisti cœlum & terram in intellectu. Non tuam igitur incomprehensibilis Deus omnipotentiam admiramur, sed ministrum hũc tuum, quem suæ virtutis merito viuentem, 10 mortuumque per omnia secula nouis quotidie signis clarescere voluisti. Hunc iure miramur, hunc vniuersus orbis immortali gloria dignum laudat & extollit. Tua tamen hæc laus est, Domine, quia sine te laus ista non esset. Sed iam reliquum itineris absoluamus. Ex Ægypto itaque soluens, & in Palæstinã (vt constituerat) veniens, ascendit in Golgotha, vbi pro salute generis humani Christi patibulum fuit. Inde cùm ad diuinæ crucis lignum venerandum incederet, & vox illum intercepisset, ferunt templi fores tunc clausas, venienti vltrò confractis vectibus patuisse. Nec mirum id quidem, quippe cui cœli ipsius patebant portæ. Non enim caruit cumulata mercede ista profectio: vberiorem enim spiritus sancti gratiam, 11 maioraque deinceps omnium virtutum atque signorum dona perpetuò eum habuisse accepimus. In Palæstina igitur, quãtum par fuit, moratus, in solitudinem sese colligere parat. Cæterùm Dominus, qui ciuitatem supra montem positam abscondi vetat, & ardentem lucernam poni sub modio, illi per visum semel atque iterum imperat, vt ad oues, quas reliquerat in Syon, confestim redeat. Quod vbi diuinum id esse mandatum manifestè reprehendit, seipsum abnegans colla impiger diuino iugo submittit. Nauem Alexandrinam conduxit pretio, cum qua è Palæstina in Lyciam remearet. Ast eum improbi nautæ dolo fallere aggressi, suæ probè dederũt pœnas improbitatis. Nam sumpta mercede, cùm è portu soluissent, non quò pepigerant, sed Alexãdriæ proras obuertunt. Iam erat in conspectu patria illorum tellus, cùm repens exorta procella, clauo, antennaque confractis, vltimum illis exitium minabatur. Tunc nautæ conscij perfidiæ suæ, ignosci sibi postulant, & supplices, vt deinde pro sua exoret salute, magno flagitant studio. Miram dictu rem. Vix illi sermonem compleuerant, cùm subitò vis omnis tam fææ tempestatis compressa recedit: & nauis, nouis surgentibus austris, in Lyciam pulsa appulit. Descendens itaque Nicolaus sese ad monasterium confert: quod auunculus eius (vt paulò antè dicebamus) 12 sub nomine sacræ Syon magnis ædificârat sumptibus. Eum fratres incredibili gaudio excipiunt, amplectuntur, osculantur, & quasi Angelum à Deo sibi redditum venerantur. Hunc sibi locum Nicolaus, quasi tranquillum aliquem portum delegerat, in quo à turbulentis mundi actionibus ad contemplandam futuræ vitæ felicitatem conuersus deinceps quieturum sese sperabat. Sed breuis admodum ea spes, eáue quies fuit. Non enim passus est, qui omnia sapienter gubernat Deus, vt locupletissimus iste omniũ virtutum thesaurus humi lateret defossus, ex quo erat futura secula innumeris beneficijs ditaturus. Voluit enim, vt magnum hoc lumen, quod ipse immensa sua accenderat prouidentia super magnum erectumque candelabrum suis radiis vniuersum orbem per secula illustraret. Itaque dum in secretiorem aliquando locum sese orandi contemplandique gratia, vti insueuerat, recepisset, vox eum de cœlo alloquitur: Nicolae ad mundi, inquit, palæstram tibi redeundum est, si meam coronam expetis. His verbis exterrito, cogitantique, quidnam vox ista portenderet: Iterum vox eadem acrius intonans: Nicolae, inquit, non hic est ager, in quo fructum, quẽ ex te flagito, proferas: sed homines redi, vt in te nomen clarificetur meũ. Tunc hac voce Nicolaus planè sibi imperatum à Deo intelligit, vt relicto otio, ad deferendum miseris mortalibus quam possit opem redeat. Hic cùm Deo parendum existimaret, diuq; secum versasset animo, in patriámne, ac inter notos, an alio terrarum orbe sese habitaturus reciperet, fecit tandem humanæ laudis odium atque contemptus, vt neglecta patria, & suis, Myras, vbi nemo quisquam illum nouerat, commigraret.

10 *Virtutis suæ merito Nicolaum voluit Deus & viuentem & mortuum per omnia secula nouis signis clarescere.*

11 *Nota cõtra hæreticos peregrinationes ad loca sancta dãnantes, cum Nicolaus ex sua peregrinatione vberiorẽ spiritus sancti gratiam, ac signorum dona cõsecutus sit.*

12 *Monasterium Nicolai auũculus vir sanctus magnis ædificârat sumptibus.*

Fortè autem fortuna per eos dies Myrensis Pontifex è vita migrarat, cuius rei gratia (quoniam ea ciuitas Lyciæ metropolis erat) prouinciales Episcopi, quos suffraganeos vocant, frequẽtes illicò conuenerant. Ibi de sufficiendo antistite actum est. Tum diuino operãte spiritu, incredibilis quædã cupiditas cepit nõ Episcopos modò, verùm etiã vniuersum clerum, vt sanctissimum atque ornatissimum aliquem Præsulem sedes illa pro sua dignitate, amplitudine, atque gloria cõsequeretur. Quòd tametsi multi præstantes viri nominabantur,

non tamen vnusquisque facilè ostendebatur, in quem huius concilij suffragia consentirent. Ita cùm varia (vt in conuentibus hominum fit) studia eorum essent, variæque sententiæ, placuit tandem precibus, omniq; supplicationum genere orari Deum, vt reuelaret quisnam esset huic obeundo muneri deligendus. Magno studio diutius oratum est, 13 nec ieiunia etiam, nec pleraque pietatis opera defuerunt. Tandem de cœlo Dominus, non tam precãtium meritis, aut sedis dignitate, quàm huius immensi luminis patefaciendi gratia, voces eorum exaudiuit. Præficiendumque Antistitem vni ex suffraganeis Episcopis venerando senio & vita præstabili reuelauit hoc pacto. Huic enim antelucanam cum cæteris Episcopis orationem facienti, apparuisse quendam ferunt habitu augustiore quàm humano, eique imperasse, vt ab oratione confestim ad templi excubias se conferret, & quem primum in templum venientem deprehendisset, illum esse, ad quem diuino consilio episcopatus, & Ecclesiæ gubernacula deferantur, hominique Nicolao nomen esse. Hæc iste cùm cæteris Episcopis nunciasset, visum est omnibus ita fieri, quemadmodum Episcopo sanctissimo reuelatum fuerat. At ne qua posset humana suspicio Dei voluntatem labefactare, omnisque tolleretur huius rei in fraudem nunciandæ occasio, decretum est, vt nemo quisquam omnino de templo ante rei finem egrederetur. Tum omnibus ad orationem conuersis, hic vnus ad exequẽda Dei mandata pro templi foribus excubat. Habebat suspensos omnes (vt est humanus animus sollicitus futurorum) huius tantæ rei, diuinique indicij expectatio. At Nicolaus media nocte 14 ad confitendum tibi, clementissime Deus, de more surrexerat, ignarus certè voluntatis tuæ, cui tamen se totum addixerat. Et cùm in tuis laudibus (vt solebat) nocturna silẽtia absumpsisset, antequam primos radios rutilans aurora diffunderet, ortumque solis ægris mortalibus nunciaret, in templum, te inspirante Domine, securus ire pergit. Quò cùm primus omnium aduenisset, explorator iste diuinorum indiciorum ingredienti Nicolao tẽpli vestibulũ: Siste gradum, inquit, fili mi, dic quæso, quis es, quóue nomine vociteris? Tum vas illud electionis nil tale suspicans, mansuetè, verecundeque: Peccator, inquit, sum, & seruus inutilis, nomine Nicolaus. Tum ille vultus & morum grauitatem, verborumque modestiam conspicatus, & viri præterea nomẽ sibi cœlitus designatum, non dubitauit hũc illum esse, quem diuina visio futurũ Episcopum prædixisset. Non erat enim nescius, in quos soleat Deus respicere, in mansuetos videlicet & humiles corde. Itaque incredibili plenus gaudio, sicut qui inuenit spolia multa, aut in absconditum agri thesaurum incidit: Sequere me, inquit, fili mi: & apprehensum dextera ad reliquos introducit Episcopos. Illi audita re, nouum Episcopum non humano certè, sed planè diuino suffragio declaratum, insolita quadam veneratione excipiunt, venerantur, Deóq; laudem & gloriam decantantes, in medio templi statuunt, non tam reluctantẽ, quàm noui huius velut prodigij stupore vix compotem sui. His continuò promulgatis (quid enim est ocius fama rerum præsertim admirabilium?) ad tantæ rei spectaculum innumerabilis propè confluit multitudo. Tũ surgens Episcopus ille qui visum habuerat, docet, quàm chari habendi sunt, quámue à populis honorandi rectores animarum, illi præsertim, à quibus iustè, sanctè, humaneq; gubernãtur, nihílque propemodum felicius esse illa ciuitate, cui istiusmodi antistitem habere contigisset: propterea lætari oportère Myrensem populum, & Deo perquam maximas habere gratias, qui eum esset præsulem consecutus, à quo planè sperare liceat, quicquid ab optimo atque sanctissimo Pontifice expectari par sit. Neminem enim dubitare oportere, hunc virum esse omnium virtutum arcam, atque thesaurum, & iucundissimum spiritus sancti diuersorium, qui non humano consilio, non Episcoporum suffragijs, non cleri aut populi electione, sed sola Dei miseratione sit Pontifex declaratus. Inde omnibus, quemadmodum euenerant, accuratè expositis, abire illos læto animo iubet, & gratias vnumquemque Deo pro immortali ac inæstimabili beneficio reddere: se cum cæteris Episcopis ad vnctionem nouitij pastoris iturum, quem spiritus sancti digitis inunctum manifestè iam perspiciant. Cùm dicẽdi Episcopus finem fecisset, vniuersus hominum cœtus in lætitiam lachrymásque profusus discedit. Synodus frequens ad noui præsulis vnctionem conuenit. A quo magno tandem labore impetratum est, 15 vt se pateretur inungi, tum magistratus magnitudine, tum virium suarum, vt ipse putabat, imbecillitate deterritum: quanquam Dei hoc esse imperium multifariam planè cognouerat. Quo igitur die Myrensem thronum conscendit, secum ait: Hic dies Nicolae, hic locus mores alios adfert: iam non tibi, sed aliis est viuendum, quandoquidem alijs viuere, hoc est profectò sibiipsi perquàm maximè viuere. Iste cùm sibi videretur cleri, populíque vitia partim corrigenda, partim tollenda esse, non soli Deo, vt antè, sed hominibus quoque vitam suam palam faciẽdam esse putauit, vt illi exemplo sui facerent, quod prece ac imperio, aut ratione fortassis facere noluissent. Erant eius pristini mores, vt iam expressimus, absolutæ virtutis & formæ, atque accurata quadam castigatione compositi. At quoniam alia est priuati hominis ratio, alia magistratum gerentis, vitã omnem, morésque, pro

13 Magno studio diutius oratũ est, nec ieiunia nec pleraque pietatis opera defuerunt.

14 Media nocte ad orationem de more faciendam surrexerat Nicolaus.

15 Nota tu heretice, qui sacras episcoporũ & sacerdotum vnctiones subsannas, quomodo sanctissimus vir in Episcopum inunctus fuit, quod fieri non permisisset, si res vana foret & superstitiosa, vt tu blateras.

pro magistratus dignitate, transformãdos esse putauit. Igitur in omni corporis cultu maiore, quàm antè, incuria & negligentia fuit. Nihil erat in eo venustũ, nihil elegans, nihil accuratum præter mores, viuendique disciplinã. Vestis plus solito vilis 16 atque neglecta, in qua nullus esset omnino nitor, aut fastus, sed castigatæ potius humilitatis & modestiæ significatio: nec enim alio quouis pacto poterat sapientius aut facilius sacerdotum in vestitu luxuriẽ amputare. Nam quis tam impudens fuerit, qui priuatus pretiosam & nitidam vestem non erubescat, cùm magistratum amplissimum viderit vulgariter & negligenter indutum? Ego præterea sic arbitror, indumentorum splendorem hunc, & plusquàm regium luxum, quo nostri antistites nunc vtũtur, aut nullis Ecclesiasticis, aut his solummodo magistratibus conuenire, quibus nulla excellens virtus autoritatem vendicet, aut venerationem, vt quod propria luce non possunt, externo fulgore oculos vulgi perstringant. At in quo vniuersæ honestatis, ac modestiæ eluceat species, maior certè gloria est, atque hominum admiratio ex veste vulgari. Semel edebat quotidie, & vesperi quidem, vt publicis negotijs, quæ pro magistratus amplitudine magna erant, multaque, diem licentius commodaret. Nec cœna tamẽ publico vacabat munere, quandoquidem triclinium eius suo consilio aut ope indigentibus patebat semper, & cœna sæpius pro negotiorũ oportunitate intercidebatur. Cibus erat eiusmodi, qui ad ieiunitatem & abstinentiam, quàm ad saturitatẽ, potius inuitaret. Carnes ab ineunte ætate ita dimisit, 17 vt illas nunquam in omni reliqua vita resumpserit. Non plus vno ferculo cœnauit vnquam, nisi hospitum gratia, quorum dignitas aut affluentiorem escam aut delicatiorem expeteret. Nunquam sine sacrorum librorum lectione cœnatum est. Post epulas verò grauis aliquis sermo sanctissimo atque doctissimo conuentu dignus inducebatur. Nam sacerdotes aliquot eruditione & vita probatos, perpetuos sibi conuiuas delegit, à quibus suauiore aliquo animi cibo aleretur. A mensa in cubile semisatur sese recipiens, totus in cœlestium contemplationum campum diffundebatur, & animum diuinis alienisque curis distractum, nocturna meditatione collectum refouebat. Cumque inter has delitias aliquantum noctis absumpsisset, membra tandem humi demissa 18 somno tantum indulgebat, quantum ad perferendum diei labores sat putabat. Inde surgens socios aduocabat, quibuscum antelucana oratione resumpta, inter psalmos 19 & hymnos aurora expectabatur. Tum vnà cum sole in templum prodiens diuina exoluebat officia. A quibus ad pascendum, curandúmque gregem reliquum lucis accommodabat. O Antistitem admirandum, & ab Ecclesia meritò Magnum cognominatum, qui vtrãque vitam ita complexus est, vt nunquam à diuinarum rerum contemplatione negotium, aut à negotio contemplatio læderetur. Vt autem suorum morbi facilius sanarentur, medicos ad eam rem præstantes magno studio vndique conquisiuit. Nam primùm omnium id curauit, vt vnaquæque ex suis Ecclesia eius generis rectorẽ haberet, à quo exemplo, doctrina atque studio vitia populi tollerentur, praui corrigerentur mores, virtutũ atque religionis cultus induceretur. Iis medicis vtebatur, ab ijs discebat quotidie, si quid insigne in animis, corporibúsue vspiam locorũ suorum esset, quod suum auxilium aut præsentiam flagitaret. Incredibile autem est, quanto studio & charitate opẽ suam quoquo modo laborantibus impartiebat. Non labores vlli hominem fatigabant, non sumptus deerat, quo oppressos aliqua siue corporis, siue animi mole leuaret: animo grauius laboranti medendo erat impiger iste, & longo, si oportebat, confecto itinere accurrebat. Iacebat quispiam ægroto corpore pauper, & egens, nunquam quantum necesse fuerat, rerum & pecuniarum in hominis auxilium defuit. Non enim à Myrensibus tantum, verùm & à vicinis vrbibus, haud parum argẽti in eleemosynas dispertiendi quotidie ferebatur. Quod si necessitas aliqua occurrisset maior, quàm vt ei posset præsenti pecunia subueniri, ab diuite aliquo misericorde, quos multos habebat in promptu, pecuniam vel mutuo, vel dono accipiebat. Nam præter necessaria corporis operimenta, & supellectilem tenui vitæ peroportuna, nihil ei reliquum erat, quod vel pignori, vel vænũ posset dari. Non etiam, quos legebat libros mutuò petebantur. Ita semper voluntariam paupertatem omnibus diuitijs facilè antetulit. Hoc autem elegans in eo atque præcipuum fuit, quòd cùm perfacilis eius ad omnes, & omnium item ad eum accessus esset, amplitudinem tamen & dignitatem magistratus ita retinuit, vt dignus pro sua grauitate videretur, qui nõ modò Lyciã, sed multas quoq; prouincias gubernaret. Habebãt Myræ nobiles quosdã matronas vita, moribus, & religione præstantes, quæ se totas ad misericordiæ contulerant studia. Iis Nicolaus (quoniam sexus iste ad eiusmodi obeunda munera videtur impigrior) quasi exploratoribus & ministris vtebatur, quibus vinctis, ægrotantibus, egenis, indigentibus omnibus opẽ ferret. Nec ei deerant graues aliquot ciues, à quibus disceret, si quid in ciuitate fieret tũ publicè, tum priuatim, quod sua suique magistratus cognoscere interesset, vt ea cogitatione posset aut nascentibus malis occurrere, aut iam natis remediũ adhibere. Haud multò autem postea, quàm Episcopatum iniuit, prouincialem habuit Synodum, in qua pleraque multa,

16 *Vestis Nicolai in episcopatu vilis atque neglecta.*

17 *Abstinẽtia eius cum ciborum delectu ac mensæ frugalitate.*

18 *Nicolaus humi dormiebat.*

19 *Inter psalmos & hymnos aurora expectabatur.*

20 *Constituit decreta multa ad tēplorum cultum pertinentia.*

tum ad Dei, templorumque cultum, 20 tū ad vitam, moresq; clerici decreta præclarè & sapienter instituit, partim vetera corrigenda, antiquādóq;, partim noua condendo, quibus vniuersa prouincia Lycia vteretur. Atq; quotannis prouincialia concilia, quoad vixit, Calendis Septemb. conuenêre, in quibus de institutis, ac disciplina cleri, deq; omni Ecclesiarū statu accuratiſſimè agebatur, nec improbis cēsuræ ac pœnæ deerāt, nec bonis faces, quibus ad meliorem vitam accenderentur. Initio autem magistratus sui ferunt, cùm exoluendi officij, debitiq; reddendi magnitudinem formidaret, cum lachrymis & gemitu Deum sæpius intensiſſimè deprecatum, vt ab se intolerabilem hanc molem tolleret. Nam cùm hinc animaduerteret, de singulis sibi subiectis, qui innumerabiles propè erant, sibi reddendam esse rationē, illinc vires suas (quanquam erant magnæ validæq;) nihil pro sua humilitate existimaret, in desperationē satisfactionis adductus, animo incredibiliter angebatur, atq; sæpius ob id cùm vberes lachrymas effudiſſet, vocem tandem audiuit de cœlo in hæc fere verba: Ne timeas Nicolae, vt à me mea negotia fideliter gerens ingratè destituaris. Hac voce maximè recreatus, & spem suam omnē in Deum cōijciens, opem sibi à Deo pollicebatur, sed ita pollicebatur, vt omnia tamen à seipso petenda putaret, quæcunque opera & cōsilio præstare potuiſſet. Sciebat enim Deū eos non iuuare solitū, qui seipsos negligenter deseruiſſent. Itaq; vires suas omnes, tum animi, tum corporis ad gerendum id negotij explicauit. Quas cum (vt dicebamus) imbecillas existimaret, duos sibi quasi consiliarios adiungit, Paulum videlicet Rhodium, & Theodorum Ascalonitam, viros in omni Græcia celebres, & quibus explorata virtus atque doctrina, & diuturnus præterea rerum vsus autoritatem pepererat. Horum fide atque consilio priuatim, publicéque plurimum vtebatur, à quibus ita sciebat se diligi, vt nihil illi magis in eo cuperent, quàm vt Deo placeret quàm maximè. Ad eorum itaque sententiam, quasi ad fidele aliquod speculū proprios ornabat mores, & ad magistratum aptos accommodabat. In obeundis insuper episcopatus negotijs, si quid paulò difficilius iudicandum, agendúmue accidiſſet, hos sibi continuò adhibebat, cum quibus de re ipsa statueretur.

Interea vetus humani generis hostis ira crescentis Christianæ religionis feroces animos Diocletiani, Maximianique solito atrocius instigat, crudelioremque quàm antea persecutionem parat. Veniunt itaque ab Imperatore edicta in omnes, qui Christianam fidem profiterentur, quibus carceres, tormenta, vincula, postremò truculenta mors indicebatur. Hæc cùm Myris publicè legerētur, aderant pariter Imperatorij carnifices Christianis non obtemperantibus extrema omnia minitantes. At contrà Nicolaus pastor intrepidus, acerrimúsque Christiani gregis propugnator fidelibus omnibus clypeū sese præstat, & Christi fidem quanto potest ardore vbique intonat, liberi profectò, atq; sanctiſſimi pastoris officio fungens. Tum vrbis præfecti ægrè ferentes contemni ab eo regia mandata, illi, nisi desistat, decernunt supplicia. At Nicolaus (perquàm enim erat martyrij cupidus) contēptis minis, acrior tū insurgens, tandem vinctus in longinquas custodias abducitur, in quas & Christiani multi ex varijs ciuitatibus erant coniecti. Vbi non parum æui omnibus incommodis captiuitatis affectus, tanta mentis constantia ac firmitate fuit, vt eum inter delitias vitā degere arbitrareris. Nec exēplo modò, verūetiam aſſiduis cohortationibus imbecilliores adiuuabat socios: & velut agricola bonus teneras plātas religionis & pietatis riuulis irrigabat, vt eorum radices in fertili, stabilique solo defigeret. Robustiora verò pectora ad martyrium inflammare, ardorem illis & spiritum addere quàm speciosa eſſet in cōspectu Domini mors sanctorū eius, diſſerere & prædicare quotidie, nilque omittere, quo illi celso firmóq; animo breuē hanc miseráq; vitam pro beata illa & immortali contēnerent, non ceſſabat. Interea verò benignus Dominus de cœlo suum populum miseratus, qui solem post tenebras, & post tempestates tranquillitatē solet seruis suis inducere, diſſipare protinus ac perdere crudelia sceptra parat, ac sui nominis inimicos de medio tollere, Diocletianos scilicet, & Maximianos, & quotquot cum eis suo populo impiè præfuerunt. Erigit autem cornu salutis, plebi suæ, & cœlesti Crucis signo Constantinum Constantij & Helenæ filium aduocat ad Romanum Imperium. Ille non ignarus, quisnam hic eſſet, à quo cœlitus vocaretur, omnem spem suam in eum conijciens, Maxentio confestim exacto, dignitatem nominis Christiani in propriæ maiestatis solium exaltauit, vertítque priorum lætitiam Imperatorum in luctum. Tum per orbem edicta profert, quibus iubet idola 21 & gentium delubra euerti, solui eos, qui pro Christi nomine vincti eſſent, instaurari Christianorum sacra, templa refici, & pristinum ornatum resumere. His Constantini dictis vbique promulgatis, Christi cōfeſſores soluti, vnusquisque in patriam suam redit. Sicq; Myrensis populus pontificē suum recipiunt, martyrem profectò voluntate ac desiderio, atque incruētum athletam, & bellatorem. A quo cùm cœlitus collata sibi dona miris modis exercerentur, tanta creuit apud populum de illius virtute opinio, vt iam planè miraculo omnibus eſſet. Hic cùm videret dæmonum delubra quædam, nonnullasque gentilium aras adhuc superstites, non exiguamque impio-

21 *Christianus Imperator Constantinus mandat instaurari Christianorū sacra, templa refici, & pristinum ornatum resumere.*

impiorum, ac varij generis hominum multitudinem ad eas confluere, atque id mali serpere quotidie latius, incredibili ardore succensus insurgit: Et vndique Dei verbum prædicans, vbi idolorum aram quampiam conspexisset, funditus euertebat, nulli parcẽs, neminem metuens, nihil nisi de Dei gloria, hominumque salute sollicitus. Sic itaque omni dæmonum cultu eiecto, puram gregi suo tranquillitatem & requiem comparauit.

Hæc cùm Christi miles, imò Imperator, & dux, aduersus principes tenebrarum, non minus fœliciter, quàm fortiter auderet, cepit continuò illum libido, quatenus ne ab ipso Dianæ templo abstineret: facinus siquidem desiderandũ potius quàm sperandum. Erat enim ædes hæc admirabili pulchritudine, & magnitudine singulari, & quæ à Myrensi populo inter primaria vrbis ornamenta præcipuè coleretur. In hanc igitur cum robustissima iuuenum manu impetum faciens, non solo illam, vt cæteras, æquasse contentus, fundamenta quoque radicitus euulsa disiecit, nullo prorsus ciuium obsistente. Horrenda res erat, profligatorum dæmonum audire vlulatus immurmurantium, terribilique stridore inclamantium. Nunc se per iniuriam è sedibus proprijs eijci, atque fugari. Hic itaque triumphus armis eius & militiæ aduersus infideles finem fecit, non autem animo, corporique in alienum auxilium exercendo, aut mirabilibus faciendis. Quæ quoniam multa sunt, non omnia idcirco silentio patiemur obrui, & obliuione: Sed strictim paucula attingemus, si prius ostenderimus, qualem se ipse præstitit in illo celebri, & omnium nobilissimo Christianorũ conuentu qui iterum Nicææ est habitus. Constantino igitur, qui primus Christianorum cultum in vniuersam suam ditionem induxit, Romanũ imperium gubernante, Iulius, qui summus tunc erat pontifex, non modò Constantinum, verùm etiam cæteros omnes, quibus præerat Imperator, ad orthodoxæ, rectæque fidei ritum & disciplinam assiduè inflammabat. Et cùm Arrianus error haud paruam orbis partem occupasset, pontifex tandem effecit, vt suo, Imperatorisque iussu vniuersale Christicolarum concilium Nicæam conuocaretur, vbi dogma incorruptæ fidei Christianorũ comitiorum firmaretur autoritate, pariterq; vt Arrius, Arrianæque stultitiæ sectatores damnati è Republica Christiana abigerentur. Ei consilio affuerunt trecenti decẽ & octo Episcopi, inter quos Nicolaus nõ minor doctrina, quàm vita: neq; sermone, quàm opere in refellendis Arrianis fallacijs iudicatus est. Hæresim illã acutissima ingenia tuebantur: & viri omniũ doctrinarũ cultu, & elegantijs expoliti, quos contrà non modò disputationibus, & lingua, 22 verùm multò maxime supplicationibus, & assiduis ad Deũ precibus Nicolaus pugnabat. Ita cum illorum tandem argutias & errores ipse cum cæteris veritatis defensoribus dissoluisset, canonemq; ipse & reliqui synodi patres orthodoxæ fidei præscripsissent, homousion videlicet, hoc est, consubstantialem patri & æqualem credendum esse Christum, resarcita scissura Ecclesiæ inde discedens ad proprium gregem regressus est: cui neque doctrina, neque exemplo, neque assidua exhortatione defuit, quo magis omnes ad virtutem, ad mores, ad animi cultum, ad pietatem, religionemque perpetuò concitaret.

22 Contra Arrianos Nicolaus non modò disputationibus & linguæ, sed multo maxime assiduis ad Deum precibus pugnabat.

Accidit autem ea tempestate, vt terram Lyciam valida vexaret fames, tantaque Myris alibique tritici egestas esset, vt iam ad interitum hominum res spectaret. Tum Nicolaus ad horrea Dei, 23 hoc est, ad orationem confugit. Per id autem temporis mercator quidam in terra Sicilia magnam frumenti vim in nauim intulerat, exportandi in Hispaniam, dandique vænum causa. Huic noctu dormienti Nicolai simulachrum sese per visum offert: imperat, vt Myras triticum primo statim tempore aduehat, ex eo grande pretium relaturus, fidémque verbis, tribus datis aureis, facit. Excitatus ille, cùm aureos propè, & cubile clausum inuenisset, admonitum se diuino nomine ratus, Myras sine mora frumentum vehit, pretiúmque accipit quod dormienti sibi spoponderat Nicolaus. Eo pacto Myræ sæuientis iam inediæ vim repulêre. Ita cùm mercator rem omnem, vt sibi euenerat, cunctis palam fecisset, Myrenses suum præsulem maiori deinceps, quàm hominem venerari par sit, honore & laude sunt prosecuti. Ea tempestate Constantino nunciatum est ab nonnullis rerum nouarum cupidis, seditionem haud negligendam in superiori Phrygia excitatam. Tunc Constantinus tres ad eos reprimendos motus legatos mittit, Nepotianum videlicet, Vrsum, & Herpilionem. Hi celerè cum armis ad negotium sibi datum profecti, Andriaciam appulêre. Id erat in terra Lycia, oppidum subiectum Myrensibus. Ibi milites aliquandiu aduersa maris tempestate detenti, emendorum ciborum gratia in terram egressi, tandẽ (vt est eiusmodi genus hominũ rapax, & alieni appetens) ad prædã incolarũ sese vertunt: multa rapiunt per vim, plurima temerè deuastant. Quorum improbitas cùm indies augeretur, vicit tandẽ incolarũ patientiã effrenata licẽtia militum. Igitur agrũ omnẽ armat iniuria: seditio, & tumultus exoritur, & iam in mutuam cædem vtrinque ruebatur: cùm Nicolaus (is enim rẽ perspiciẽs citato pede ad locũ venerat) adesse nunciatur. Tum oppidum omne, necnon & ipsi Imperatoris legati ac milites (tanta erat in omni Lycia Nicolai autoritas, atque nomen) depositis armis, venientem Episcopum, obuiam progressi incredibili quadam veneratione ita excipiũt.

23 Ad horrea dei, hoc est, ad orationem confugit.

vt nullum

vt nullus penitus tumultus, aut irarũ vestigium appareret. Nicolaus rem sedatã animaduertens benignè legatos congressus, in vrbem honorificè, perhumanéque inductos hospitatus est. Dum ille se, placatis ventis ad nauigandum expediunt, adsunt Myrenses aliquot anxii, flentésque: hi ad sancti viri pedes prouoluti celeritatem, & auxilium conclamant contra nequissimi hominis vim atque iniuriam. Eustachiũ enim præfectum vrbis auro victum, tres innocentissimos ciues capite damnasse, ciuitatem omnem in luctu esse, vnam reliquã superesse in Nicolao spem, qui si affuisset, ille nũquam tam immane facinus in animum induxisset: opus esse maturato, ni citò accurrerit, de capite & fortunis insontium actum esse. Hæc illi cùm flentes lamentarentur, vir Dei, diuinæque misericordiæ imitator, rei crudelitate vehementer percitus, iter arripit, Constantinique legatos cõtra præfecti vim, si oporteat, sibi comites, & adiutores adiungit. Itaque cùm in locũ, cui Leo nomen est, aduolasset, obuios quosdam rogat, siquid de tribus his damnatis ciuibus exploratũ haberent. Illi reliquisse eos aiunt, in Castoris & Pollucis campo tractos, vt mactarentur. Tũ Nicolaus ad locũ velox cõtendit, vt illorum præueniat necẽ. Iam miseros illos crudelis carnifex tyranni iussu ad portam loci pertraxerat, vbi capite damnatos plecti mos erat. Quo Nicolaus incredibili ardore flagrans cùm irrupisset, videt magnam mortalium vim vndique circunfusam, & tres (miserum dictu) manus post terga vinctos, & lumina linteolo velatos, nuda colla carnificis securi præbentes. O miserum spectaculum, & indignum profectò, quod humanos oculos, suæ immanitatis testes haberet. Iã carnifex securim erexerat, & furenti similis truculentos oculos in miseras ceruices defixerat, nihil aliud quàm crudelitatem atque cruorem gestu, fœdáque voce significans. At diuinus hic noster, vt primũ pia lumina nefario iniecit spectaculo, nõ tumultuans quidem, aut temerarius, sed grauiter admodũ, & cũ seueritate carnificẽ compellat: Quid agis scelestę? securim contine, simulque accedens intrepidus, & fiducię plenus cum regia quadam autoritate, securim è manibus extortam abijcit, tribus damnatis lumina & manus reddit, bonoque animo esse iubet. Hæc cùm ita fierent, nemo tamen quisquã ausus est ex omni apparitorũ turba, non modò Nicolao obsistere, sed ne in eum quidem vel attollere oculos, tanta erat moribus autoritas, gratia, atque maiestas, tantaque de illius virtute omnium mortalium existimatio. Rei præterea indignitas illis (vt arbitror) manus & linguã ademerat. Tum tres illi, sanctissimi viri beneficio in lucem restitui, quanta poterant voce, cum lachrymis beneficium extollebant, simulque vniuersus cãpus, in quem facti misericordiam ciuitatem prope omnẽ conciuerat, in eius laudes resonabat. Inter hæc præfectus vrbis cùm aduenisset, ei Nicolaus neque obuiã ire, neque venientem inspicere passus est. Tũ ille, siue sceleris sui consciẽtia, siue pœnæ metu (si Cõstantinus factũ resciscat) in pœnitẽtiam versus Episcopum benignè congreditur. Ille repulsum seuera increpat voce: Affirmat, hanc se publicam iniuriam non passurum, imploraturumque non modò vlterioris Dei, verum etiam Constantini iustitiam in eum, qui auro corruptus magistratum sibi traditum fœdè & crudeliter administrasset. Cumque illi extrema minaretur supplicia, præfectus vehemẽtius sibi timens, iam non verbis modò, verùm & lachrymis supplex sibi veniam postulat, omnique pœnitentiæ significatione Nicolaum sibi conciliare studet, in Simonidẽ, & Eudoxium Myrensium principes iniuriæ culpam falso trãsferens. Tum incredibile est quàm ea res charum omnibus hunc virum reddiderit, vt in eius laudes fusa multitudine, confestim ea res tota Lycia celebraretur.

Sed iam Constantini legati, confecta re abeundum rati, Nicolai benedictionẽ efflagitant, pulcherrimum, tutissimumque itineris sui viaticum. Ea accepta, benignè dimissi, proficiscuntur in Phrygiam, vbi cùm motus illos sapienter compescuissent, Byzantium ad imperatorem regressi, honorificè & perhumanè excipiuntur, nouis honoribus atque donis aucti, quippe quorum opera atque consilio id incendij turè maturéq; extinctum esset. Iámq; inter primos Constantino chari, & cæteris omnibus illustres & conspicui habebantur. Cæterùm hanc eorum fœlicitatem non diutius pertulit laudũ semper & gloriæ hostis inuidia. Ii enim quibus erat cum tribus istis de honore contentio, Byzantij prætorem clam adeunt, conficta in illos crimina afferunt, quòd scilicet illi pecunia victi in autores seditionis non animaduertissent, semináque eiusce mali reliquissent, breui maius periculum paritura. Cæterùm accusationem hanc per se infirmam atq; suspectã grandi pecunia prætori data communiunt. Prætor corruptus ad Constantinum omnia defert, comperta se habere horum peccata affirmans. Tum opinionem Imperatoris de legatorum fide & integritate vicit suspicio, quæ regum animos facilè occupat ac dominatur. Prætori itaq; ab Imperatore datur potestas. Nepotianum, Vrsum, Herpilionem huius accusationis ignaros vinculis & custodia coercendi. Tum prætor se satis accusatoribus fecisse arbitratus, quòd illos coërcuisset, pariter intelligens ficta illa contra insontes crimina fuisse: neque ad quæstiones, neque ad crimina quouis pacto discutienda accedit. Sic ergo cùm aliquantulum æui effluxisset, veriti accusatores, ne si

ne si vincti inopinatò dissoluerentur, periculũ patratæ fraudis in suam redundaret ceruicem, ad prætorem redeunt: eum perquam multo concitant studio, vt negotium rerũ intermissum resumat, efficiatque vt illi factorũ suorũ pœnas luant: neque sibi, neq; prætori conducere, vt illi liberati acceptam iniuriam vlciscantur. Prætor & ipse sibi, pro auro ab accusatoribus sumpto, metuẽs ad Imperatorem redit, vultu, gestu, oculis se malæ rei nũcium venire dissimulat. Tum vbi fandi copia data est: Legatos ait, nondum odium suum satis expleuisse ex his, quæ contra imperij maiestatem gessissent in Phrigia, à quibus tantum aberat priorum flagitiorum pœnitentia, vt etiam vincti, & custoditi noua non desinant pericula moliri, quibus nisi occuratur, antequam veniant, frustra cùm venerint occursurum. Cùm itaque suam fraudem prætor lachrymis contexisset, Imperator vera atque cõperta sibi afferri putans, simulq; motus, tum ira ob illorũ ingratitudinẽ, tũ metu sui periculi, mortẽ reis in crastinũ decernit. Erat custos carceris vir tũ humanitate præditus, tũ veteri consuetudine cum tribus his legatis cõiunctus, quorum calamitatem ægrè admodum & molliter semper tulerat. Ad eum igitur cùm tristis crastinæ cædis nuncius aduenisset, exclamans, Me miserum, inquit, & hominum longè infelicissimum, quem tam funesti ludi spectatorem fortuna delegit: Quàm noluissem vnquam hos carceres conspexisse: Quàm præstabat in vltimis terrarum finibus nunc abesse. His vocibus custos omnẽ compleuerat carcerẽ: neque largi fletus lamentis deerant. At tres illi, quibus vitæ, factorumque innocentia dudum & mortis, & pœnæ metum ademerat, ad subitum nuncium consternati: quæ nos, inquiunt, aduersa fortuna in hoc miseriarum atque calamitatis impulit? Quæ tanta in nos falsa suspicio potuit, vt insontes sceleratorum hominum supplicio damnaremur? Tum amicis cognatisque, qui aderant, frustra imploratis, quandoquidem, aiunt, nihil pręsidij innocentibus in terris est, Deum ipsum, & integritatis nostræ testem, & iniuriæ atque necis vltorem inuocamus. Inter hæc Dei miseratione effectum est, vt Nepotianus in memoriam Nicolai veniret, iamq; versaret animo, quo pacto ille damnatis Myrensibus succurrisset, qua vi, atque misericordia eos ab interitu vendicasset. Hæc cùm socijs in memoriã reuocasset: Et quid, inquit, spei nostræ saluti superest, nisi vt huncipsum innocentiæ nostræ patronum ex animo imploremus, qui pulchrè didicit insontes ab omni mortis periculo liberare? Tum & duo reliqui ad orationem lachrymis & mente conuersi, sanctissimi viri patrocinium inuocant. Exaudiuit autem eos Dominus de excelso sancto suo, & de cœlo in terram aspexit: Audiuitque gemitus compeditorum mirabilis Dominus in sancto suo, cuius non est passus frustra patrocinium implorari. Voluit enim vt discerent reges, & omnes populi, principes, & omnes iudices terræ, regum regem in cœlis esse, qui non spernat iniurias pauperum, qui soluat iniustè compeditos, & elisos erigat. Noctu enim per quietem Imperatori Nicolaus apparuit, ore profectò sicuti venerando, ita & terribili, formidolosoque: atque illi imminens, surge confestim Imperator, inquit, & Nepotianum, Vrsum, & Herpilionẽ vinculis & custodia solue. Falso enim, & per inuidiam accusati sunt, & iniuria abs te damnati. Id nisi feceris, intolerabile tibi bellum indico, & fœdam insuper stragem, turpissimumque tibi, domuique tuæ interitum, verus Dei præco denũcio. Tum Imperator rei nouitate perculsus, miratúsque (vt sæpe in somnis solet) cùm viri maiestatem, & verba, tum quòd intempesta nocte in regiam regísque penetrasset cubile. Et quis tu es, inquit, qui hæc mihi denuncias, & miraris? At ille: Nicolaus sum, Myrarum Dei miseratione antistes. Quo dicto, ab eo euanuit. Et Alabio prætori tunc quoque dormienti sese per visum offert, eodem oris habitu, ijsdémque verbis, quibus Constantinum terruerat. Tum Constantinum somni terrore excitatum, secúmque tum minas horrendas, tum minantis speciem reputantem pauor non mediocris occupat, ídque visum minimè negligendum ducit. Eodem pauore, eadémque animi cogitatione cùm teneretur prætor, ab Imperatore adueniunt nuncij, qui visa ab eo per quietem accuratè exponant. Tum prætor metu adaucto, ad Imperatorem confestim venit, quæ vidisset, quæque audisset, quantum potest verissimè explicat. Ita cùm singula vtriusque somni conuenirent, & velut ab eodem imperante, quasi signo dato, in vtraque cubicula irruptum esset, tandem visum est, reos ipsos è vinculis accersiri. Qui cùm coram constitissent, rogantur, Num disciplinã magicam didicissent? Cùm negarent illi, & studia eorum omnibus manifesta esse cõtenderent. Rex, num inquit, de interpretandis, aut inducendis somnijs exploratum habetis aliquid? Cùm illi negarent, Constantinus se per vim (quandoquidem voluntariè non licet) veritatem ab illis extorturum minatur. Illi regis iustitia implorata, neque magicam, neque vllam somniorum disciplinam vsquam attigisse affirmant: se à parentibus ab ineunte ætate ita æducatos, institutósq;, vt nihil didicerint, nisi Imperatorem venerari, illum colere, illum rebus anteferre omnibus, quas mortalium animus solet concupiscere. Hoc institutum ita constanter & perpetuò tenuisse, vt nihil nisi pro augenda imperij maiestate dixerint, fecerintue: si secus compertum habuerit, nulla se prorsus misericordia dignos putet. At si nonnihil quandoque

tuendi,

tuendi, extollendiq; Romani Imperij causa fecerint, si vitam sæpenumerò minimi pro illius dignitate æstimauerunt: si data sibi ab eo negotia castè integreque gesserunt, iam non præmia, quibus amplissimis eiuscemodi facinora donari solent, sed fama tantum, nomenque vt sibi restituatur suum supplices postulare. His verbis cùm vultus, gestus, lachrymæ oculis obortæ fidem facerēt, cœpit Constantinus de illorum innocentia cogitare, & suę pœnitere sententiæ, quippe qui Dei iustitiam formidaret, vereretur q;, ne si ipse innocentes damnaret, nocens ipse diuino iudicio damnaretur. Iam itaque benignus illos inspicit, benignus alloquitur, vt vultus, verbáque pœnitentiam animi sui facilè indicarent. Tum illi paulò fidentius Constantinum intuiti, Nicolai simulachrum continuò vident assidentis Imperatori, & nutu sibi veniam & misericordiam pollicentis. Tum Nepotianus, & duo reliqui deinceps vehementiore animi exultatione permoti, sublatis in cœlum oculis conclamant: Deus misericors, Deus Nicolai, qui tres innoxios olim Myris ab interitu liberasti, libera innocentes sperantes in te, ne angelus hic tuus frustra videatur nostrum patrociniū suscepisse. Myratus hunc sermonem Constantinus, quid sibi hæc verba velint, rogat, quiue hic Nicolaus sit, quósue tres ab interitu liberarit. Tum Nepotianus ordine exponit omnia, & quid ipsi Myris vidissent, & quo pacto in vinculis illius auxilium implorassent, quem penè assidentem conspexerint. Constantinus (vt par erat) miraculo rei commotus, neque immemor domesticæ clementiæ, ac lenitatis, quam à maioribus acceptam magno ipse semper studio auxerat, vtroque somno cum istorum narratione collato, solui confestim tres vinctos iubet, & pristinæ dignitati restitui. Atque ad illos conuersus: Abite ad eum, inquit, qui me de fortunis, & capite vestro sollicitus territat dormientē, & gratiam illi reddite, eique meo nomine nunciate, quid sui gratia fecerim. Hæc cùm dixisset, Euangelium aureis literis proferri iubet, aureumque thuribulum, [24] gemmis & arte insigne, & duo prætereapuro ex auro candelabra, ea omnia imperat, vt Nicolao offerant, quibus inter sacrificandum vtatur, suæ pietatis perpetuum monimentum. His atque alijs admirabilibus viri factis eousque nomē eius diffusum est, vt iam vel remotas orbis terrarum plagas attingeret, essetque calamitosis & periclitantibus certissima spes, atq; profugiū, quibus ille vocatus deesset nunquā. Qua verò misericordia, atq; pietate nauigantes olim è faucibus mortis extraxerit, operæpretium arbitror enarrare. Ferunt enim nautas quosdā horrenda disiectos tempestate, furentíque pelago propè absorptos, Nicolai, quem nunquam viderant, auxiliū inuocasse. Audierāt enim quàm multos sæpe è summis periculis liberasset. Itaque iam non manibus fidere, non clauo, non viribus vllis, aut arte nauigandi, sed toti in sanctissimi viri inuocationem proiecti contra procellarum rabiem, hoc quasi tutissimo scuto sese tueri, illum inuocare, illi manus tendere, illi tota mētis cogitatione inniti. Tum hic noster impiger humanarū calamitatū adiutor, inclinãte iam naui, & pelagus imbibente, oculis omniū manifestus: Ecce, inquit, adsum, quem inuocatis, opem, si sperabitis, allaturus. In Deo confidite, cuius ego minister adueni: simulque clauo, cementibus cunctis, arrepto, nauim erigit, gubernátque, inde mare minaciter increpans, fluctus cofestim sæuientésque procellas placat, vt nautæ dicerēt: Quis est hic, quia mare & venti obediunt ei? Et ipse Christi promissis fidem faceret dicentis: Amen dico vobis, qui credit in me, signa quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Ita cùm procellarum omnis illa superbia resedisset, eisque placidam reddidisset nauigationem, ex oculis eorum euanuit. At nautæ, vt primùm illos optata tellus excepit, Myras, quæ stadia xx. à mare aberant, rectà contendunt, saluatoris sui visendi cupiditate incensi. Vbi cùm sciscitãtes didicissent, beatum hunc in templo cum reliquo clero diuina officia exoluentem, templum ipsi anxij petunt. Erat sanctissimus hic noster sacerdotum choro immixtus, nihilque habebat insigne, quod à cæteris secerneret. In quem simulatque nautæ oculos coniecerunt, quasi bacchantes per confertam turbam ad illum irrumpunt, prostratique: Hic est, inquiunt, hic est cui vitam planè debemus: hic est, cuius ope ab interitu erepti sumus: hic est, qui inuocatus, vt parens misericors, laborantibus præsto fuit. His vocibus cùm in se circumfusos Myrenses conuertissent, rem omnem, vt ab initio gesta fuerat, edixerunt. At Nicolaus ora ingenuo quodam rubore suffusus: Date, inquit, gloriam Deo, filij. Ego peccator sum, & seruus profectò inutilis, ipse est, qui facit mirabilia magna solus. Inde illos seorsum euocatos cum placida quadam seueritate admonet, vt post acceptam corporis salutem, animi quoq; salutem non negligant. Habebat enim ex spiritu sancto, quem in illum Deus vbertim effuderat, vt alieni cognosceret cordis arcana. Ex quo nautas istos sciebat peccatis quibusdam & diabolo esse obnoxios. Cognoscite igitur, inquit, cognoscite filij errata vestra, & corda, motusq; vestros in tutiorē portum traducite, Deúq; horrēdum iudicē formidate. Estis enim (vt inquit Paulus) Dei templū, qui verò Dei templū corruperit, vt corrūpat & destruat illū Dominus, æquū est. Ego (vt dicitis) vestræ corporis salutis adiutor, spiritualis nunc periculi nuncius venio. Et cùm post hæc secretiora quædam illorum peccata proferret, eos iusta admiratione,

24 Habes hic aureum thuribulum gēmis & arte insigne, & duo cādelabra ex puro auro Nicolao donata ab Imperatore Cōstantino, quibus is inter sacrificandū vteretur. Ergo nō displicent hæc Deo nec crimē aliquod incurrit Christianissimus Imperator hæc mittēs sanctissimo Episcopo, vt garriūt miseri hæretici.

miratione & pœnitentia repletos dimisit. O medicum expetendum, & omniũ mortalium linguis per secula celebrandum, qui cùm corpora omni periculo liberaret, animos quoque sanctificare non neglexit, vt totum hominem sanum redderet, eius nullam omnino partem incuratam permisisset. Quamobrem verè putandum est, Deum ipsum hoc tantum terrarum cœlique ornamẽtum suis plasmasse digitis, & inter primas suas delitias habuisse, dedisseque animo illi profectò cœlesti habitaculum pari omniũ elegantiarum ornatu præditũ. Sic enim inter veterum memorias literis Græcis mandatum inuenimus, beatissimum hunc cœlesti quadam oris & vultus venustate fuisse, moribusque senili ac veneranda grauitate iocundis, & veluti sanctificationem quandam, & gratiam ex se spirantibus: in cuius intuitu ea esset vniuersæ honestatis species & exemplum, vt sibi congressos aspectu solo à vitiis ad virtutem facile reuocaret. Si quem autem nactus esset vlla animi molestia laborantem, nunquam non abundè consolatum atque lenitum abs se misisset. Tradunt præterea ex eius vultu velut coruscantia fulgura micare solita: faciemque super humanum eluxisse splendorem. Sermo erat admirabili quodam lenocinio & suauitate suffusus, grauis, modestus, & in sententiam facile etiam reluctantes trahens. Compertum enim habemus, multos illum de veritatis curriculo declinantes, & in hæreticam foueam delapsos ad catholicæ fidei semitam reuocasse, vt in opere atque sermone iustè sit habitus efficax. Hic itaque tantis præditus ornamentis sic inter mortales versatus est, vt cœlo semper & immortalitate omnium cõsensu dignissimus videretur. Qui cùm diutius, quasi lilium intra Myrenses hortos iucundissimè redoleuisset, & veluti vnguentum fragrãs diuinarum virtutum odorem atq; suauitatem ex se spirasset, tandem dierum sanctorum plenus in viridem senectutem inducitur. Iamq; cùm communi hominum lege litandum esset naturæ, in breuẽ, eamque leuem ægritudinem incidit. Ita cùm intelligeret hinc sibi migrandum esse, beatus iste superioris Hierusalem veteri desiderio flagrans, in hymnos, & gratiarum actiones totus diffunditur, omniq; lætitiæ significatione, vale dicto, in cœlum, quod sibi apertũ cernebat, [25] euolat, longæuam illic & sempiternam acturus vitam, Angelorum splendoribus consors, diuinæq; pulchritudinis perpetuus contemplator. At venerabile corpus, [26] singulare orbis terrarum ornamentum, Episcoporũ, vniuersique cleri, & populi laudibus, & lachrymis decoratum humatur in templũ, quod Myris maximum ac pulcherrimum ea tempestate fuit. Ex purissimis autem illis & redolentibus membris per anteacta secula in hunc vsq; diem nectareus distillat liquor, [27] certissima spiritualium ac corporalium ægritudinum medicina. Eius itaque fama cũ ad remotissimas quoque prouincias subitò penetrasset, ad eius venerabilem tumulũ incredibilis cõtinuò factus est hominum ex omni plaga concursus. Neque illis multorum licet dierũ itinera visendi busti desiderium adimebant, vt & sacro vngerẽtur liquore, & tumuli ipsius complexu & veneratione consecrarẽtur. Sed antequã finem faciamus, primum saltem eius post mortem admirandũ in nautas facinus exponamus. Reliqua, quoniam propè innumerabilia sunt, & hominum linguis vndique celebrata, prætermittamus. Cõpertum habemus quosdã amplexandi tumuli desiderio à Thanai hostio soluisse, vt Myras cõtenderent. Cùm autem in nauim sarcinas & viaticum intulissent, inuidus ille dæmõ, qui in eo Dianæ colebatur tẽplo, quod paulò antè dicebamus à Nicolao deiectum, huius nauigationis causa cognita, ad impediendos homines, si posset, sese dolo & fraude exornat. Nondum enim exciderat animo ædis illius à fundamentis euersio, non violenta, ignominiosaque cùm sui, tum ministrorum suorum è Myris expulsio: non cultus hominum ad se confluentium sibi ademptus. Hæ faces ad vltionem dæmonem inflammabant, præter insitam nocendi libidinem, & alienæ virtutis odium immortale, quo in expulsorem suum iam toto illustrẽ orbe flagrabat. Igitur mulieris formam induit, vas olei plenum humero gestantis. Et nauim conscendens, se, ait, magno teneri desiderio eiusce tumuli adorandi, sed imbecillam corpore, stomachoque maris & nauseę crudelitatem non posse perferre, missurã se (quando proficisci non licet) oleum illud, [28] quo tumuli lãpades accendantur: rogat itaque vt oleũ ipsi suo nomine sanctissimo monumẽto offerant. Illi facilè persuasi, quippe quibus nulla inerat suspicio fraudis, doliũ accipiunt. Erat in eo prophanum nescio quid, diabolica execratum arte, & dignum profectò, quod à dæmone nocendi causa præberetur. Soluentes ergo cùm diem vnum prosperè sulcassent mare, cœpit insequens aurora Zephyros in proram mittere, & noctes diesque deinceps plurimos sic pertinaciter aduersi erãt, vt nautæ tædio diuturnæ procellæ, infecto itinere de reditu cogitarent. Iámque proras obuerterant, cùm infatigatus hic noster omnium laborantium adiutor, lembo se redeuntibus offert. Quò viri tenditis? inquit. Quid constitutum iter deseritis? Vestrum est viri, ventos in puppim conuertere, & aduersæ nauigationis tollere impedimenta. Diabolica hæc fallacia est: non enim fœmina doliũ, sed infernus vobis dæmõ commendauit. Liberate nauẽ hac peste, & vas in mare abijcite, eruntq; deinceps omnia vobis secunda. Nauigantes imperantis veneratione permoti (inerant enim homini

25 Nicolaus ad cœlum euolat.

26 Corpus Nicolai venerabile, & singulare orbis terrarũ ornamentum cunctorũ laudibus & lachrymis decoratum, sepelitur in maximo & pulcherrimo Myrarũ templo. Quod nota pro sanctorum reliquijs, pro sepultura, & pro templorum cultu & ornatu.

27 Vide mirabilẽ Dei effectũ in corpore sancti defuncti, liquorẽ scilicet spiritualiũ & corporalium ægritudinũ medicinam. Vide etiã fidelium lõgas peregrinationes ad sancti sepulchrum, & illius venerationẽ.

28 Nota veterem morem fuisse accẽdendi lampades ante tumulos sanctorum, cõtra præsentis temporis hæreticos.

diuina quædam maiestas) vas ipsum in pelagus repente contorquent: ex quo tetra quædam exiliens flamma, fumo & caligine aërem totum obnubilat, intolerabilique fœtore complet omnia: tantoque stridore vas ipsum mari excipitur, vt è damnatorum officinis exisse nemo ambigeret. Tum Nicolaus, cùm sese, quisnam esset, patefecisset, ex oculis eorum euanuit. Inde nunquam constituto itineri clementes auræ defuêre.

Hæc sunt sanctissime pater, pietatis tuæ à Deo collata præmia. Hæ sunt laborum retributiones. Hæ certaminum tuorum coronæ ad te in hoc mundo delatæ. Nam quæ apud immortales spiritus es consecutus, illa eiusmodi sunt, quæ nec vllo corporis sensu, neque vlla mentis cogitatione percipiantur. Ego verò minimè dubitauerim, te fortissimum martyrem, & incruentum appellare bellatorem. Siquidem non tam mors ipsa per se, & cruoris effusio, quàm moriendi pro Christi nomine ardor efficit. Nam Christiani nominis sæuos oppugnatores (quandoquidem corpore volens non potuisti) vita, moribus, doctrina, oratione denique contriuisti, piè credentibus validissimum auxilium præstitisti: Vltima minantes supplicia contempsisti: vincula lætus subijsti: nihilque præter carnificis crudelitatem tuo defuisse martyrio intrepidus affirmarim. Sed tua vita, beatissime pater, Deus rerum sapientissimus dispensator plusquàm morte delectatus est, vt te genus humanum quàm diutissimè clementissimo, & super omnes impigerrimo frueretur patrono in terris. Tuque rogatus diabolo pro innumeris ciuibus Christianis abs te saluatis, gloriosissimè triumphares cum Christo in gloria per immortalia secula seculorum. Amen.

VITA BEATI NICOLAI EPISCOPI, PER Ioannem Diaconum sancti Ianuarij ex Methodio Patriarcha compilata.

Prologus in vitam beati Nicolai Episcopi.

Habetur in libro antiquo Mediolani impresso. nec nō in altero monachorum S. Nazarij Veronæ iam. 300. annis in pergameno scripto.

SICVT omnis materia si ab imperito artifice constructa fuerit, non solùm deformitatis, verumetiam ruinæ damna patitur: ita scripturarum series si à viro indocto incompta verbositate ordinata fuerit, non à venusti tantùm sermonis facundia, sed etiam ab intellectus corruet altitudine. Quod ego Ioannes indignus diaconus seruus sancti Ianuarij multum deuitans, tibi me sæpius roganti frater Athanasij rusticitatem opponebam. Sed cùm mihi crebris in precibus illud Apostolicum ingereres: Charitas omnia vincit, tandem aliquando assensum præbui, & propter deuotionem, quam te erga sanctissimum Dei famulum Nicolaum à progenitoribus habere gaudebas, natiuitatem eius, & vitam, atque miracula, quæ per eum Dominus gessit, Latinis explicare sermonibus aggressus sum. Verùm quia scio me apud liberalissimos magistros inefficacis sermonis esse, ideo deprecor omnes, qui huius operis studiosi lectores accesserint, vt non facillimam prorumpant in vocem, & me indoctum, meque iudicare inertem incipiant. Dent, rogo, veniam ætati, dent & naturæ. Enimuerò quintum percurrens lustrum, natura fragilior plus discere quàm scribere aliquid appetebam. Sanè ortum sancti huius, & vitam, & laudem, quam Methodius Patriarcha Argolico stylo cuidam primicerio Theodoro nomine eum roganti perscribens, de eo est prosecutus, summatim breuiterque studuimus carpere. Quòd si cui fortè displicet hæc nostra breuis narratio, mittimus eum ad Græcorum phalerata commenta, quæ tantò largius de eo disseruntur, quantò illi & in genere & in sermone congruunt. Cætera quoque miracula eius ex alijs doctoribus sumentes, magis sensum, quàm verba protulimus. Excessum verò eius, qualiter scilicet è seculo sanctus abierit, ideo non scripsimus, quia nusquam illum inuenire potuimus. Sed cur eius finis obstinatius inquiritur, cùm tantæ virtutes operationum indicent eum, post vincula 1 carnis, post luteam domum, liberum volasse ad æthera, & in sede cœlesti cum Christo triumphare perenniter? His ita præmissis, rogamus te, monache Dei, cunctam postulare congregationem, vt fusis precibus pariter obtineatis à Domino, vt mihi imperito scribendi tribuat facultatem. Qui cùm voluerit, non tantùm linguas infantium facit disertas, sed & brutorum animalium ora resoluit in verba loquentium. Deinde tu frater mi, specialiter huius sancti patrocinium 2 pro nobis petere non desistas, vt ea quæ de illo scribere præsumimus, non humano, sed diuino sint approbata iudicio. Et sicut 3 multos de eius protectione gauisos legimus, ita nos meritis illius ex antiquo hoste ereptos, & ab inimicis tutos fore lætemur.

1 Sanctus Nicolaus post vincula carnis, & luteam domū volauit ad æthera, & in sede cœlesti cum Christo triumphat perenniter.

2 Orat vt pro se petat S. Nicolai patrocinium.

3 Sicut multos de eius protectione gauisos legimus, ita nos meritis illius ex antiquo hoste ereptos, & ab inimicis tutos fore lætemur.

INCIPIT

INCIPIT VITA BEATI NICOLAI Episcopi.

NIcolaus itaque ex illustri prosapia ortus, ciuis fuit Pataræ vrbis, quæ vna ex nobilissimis Lyciæ prouinciæ ciuitatibus, tantum quondam fama rutilabat, quantum & populoso frequentabatur accessu. Modò peccatis exigentibus paruissimi instar redacta oppidi, raro incolitur habitatore. De qua, quia se occasio præbuit, licet in exordio videamur facere digressionem, tamē quia multis etiam reor illud profuturū, aliquid magni prodigij, sicut per successionis seriem fama vsque ad nos manauit, ad posteros transmittere curamus. Est enim penes vrbem eandem quidam locus campestris, qui totus flagrosæ creberrimis flammæ alluuionibus ita dissoluitur, sicut vetus scinditur vestimentū: & ex hiulcis meatibus fumū per diem emittit teterrimum, per noctem verò quasi ferrarij fornax igniuomam vaporat flammam. Cuius natura dicitur esse, vt si quis experientiæ causa manus propius adhibuerit, ardorem quidē sentit, sed nullam patitur adustionē. O mira Domini pietas, mira clementia. Qui cùm sit omnipotens, cui nemo audet dicere, cur ita facis? non statim scelestos percutit, nec perdit in crimine, sed nunc paterno blanditur affectu, nunc tyrānicas intonat minas: crebrò etiā & claris exterritat signis, vt tandem de malefactis eos pœniteat, ne iusto iudicio dignas persoluant vindictas. Sic quōdam filiis Dei cum filiabus hominū contra eius voluntatē coëuntibus, iussit Noë arcā construere, cuius saltem formidine territi, ab iniusta desisterēt copulatione Sed quia nullo modo se coërcuerunt, aquosa eos perdidit vindicta, qua totus etiā perijt mundus. Gomorrhæos nimirum & Sodomitas tanta sustinuit patiētia, vt descendere & videre dignaretur, vtrum opere suas compleuerint actiones. Cui Abraham obuians amica exegit collocutione, vt pro decem iustis non perderet vniuersos. Quid ergo, nunquid veritas fefellit Abraham? Sed nullo ibi nisi Loth reperto iusto, & hoc ipso de medio eorum ablato, cæteros in sulphuris vindicauit examine: & meritò, vt qui odorē suæ actionis longè lateque dispersferant, congruo demolirentur fœtore. Ecce nunc & infelices ciuitatis prædictæ accolæ, quia omnem prosequuti sunt luxuriam, omnibusque se subdiderunt illecebris, ad emendationem, misericorditer signum tremendæ vindictæ acceperunt. De quibus datur intelligi, quòd si vlla se pœnitudine redarguissent, nequaquam horribili plecterentur exterminio. Heu heu pestis iniqua, tales sunt tuæ retributiones, talia tua dona, vt quos malè suades, malè & perire facias. Veniet, veniet, crede mihi, dies illa, quādo & tu, & autor tuus diabolus æterno damnabimini incendio. Cuius similitudinem ignis præfatæ vrbis habet, qui ardet & non penitus exurit. Hęc compendiose digessisse nulli sit onerosum. Nunc ad ea, quæ de sancto viro inchoauimus, accingamur. Præfata verò vrbe adhuc multa plebium generositate referta, parentes eius inter cateruas potentum quanto maiore honorificentia celebrabantur, tantò supernæ patriæ accensi desiderio, magis cœlestis quàm terrenæ dignitatis gloriam appetebant. Re vera enim cùm essent nimium locupletati, nullius honoris insignia, nullius summæ dispositionis moderamina voluerunt, sed omni studio continentiū se lege vinciētes cœlibem vitam actitare satagebant: & mirum in modū cùm in primæuo iuuentutis flore hūc solū filiū genuissent, cūctis se voluptatibus abdicarunt, & inter suas preces, quas frequēter in Domini tēplo fundebāt, hunc solū superstitē nō solùm diuitiarū, quantū & morū flagitabāt hæredem. Quorū vota Deus ex alto prospectās, haud petitioni eorum defuit: nimirum qualis futurus esset puer, in ipso (vt ita dicam) primordio natiuitatis eius mōstrare dignatus est. Enimuerò cùm matris adhuc lacte aleretur, cœpit 4 bis in hebdomada, die quarta scilicet, & sexta feria semel bibere mammas: & hac vice contentus, tota die sic permanebat. Quis rerum immense Deus, quis, inquam, mortalium de omnipotentię tuæ operibus audet disputare? Quis non contremiscat tuam magnificentiam, qui vocas ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt? Ecce noui Zachariæ vates, ecce alterius Elizabeth filius. Ille teneris in membris, imò in vtero matris spiritu sancto est repletus: hic fascia inuolutus, quibus valebat impensis eiusdem spiritus sancti templum ædificabat. Ille de anu parēte Christum indice prodit: hic de iuuene matre Christum ab infantia est sequutus. Absit tamē vt nos (quanquā ineffabilis meriti sit apud Deū iste sanctus) beato illū æquiparemus Ioāni, cùm Dominus dicat: Inter natos mulierū nō surrexisset maior Ioāne Baptista: Sed vt fragiles inquantū possumus & quibus possumus verbis laudemus magnalia Dei. Quis enim audit paruulum in die semel, & nō amplius papillas bibere matris, & facilè credit? Quis non obstupescit tāto percussus auditu? Sed si Dominū in Euāgelio dicentē attendimus: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor: omnis abscedit incredulitas, omnisq; sopitur cōtentio. Puerilibus igitur annis, vt patriarcha Iacob, simpliciter domi trāsactis, cœpit bonæ indolis adolescēs esse, & non sicut illa ætas assolet, lasciuias complexus est mūdi, sed nunc parentū comitatus vestigijs,

4 Vide quomodo Nicolaus etiā infantulus quartæ & sextæ feriæ ieiunia celebrauerit.

ſtigijs, nunc ſolus eccleſiarum terebat limina: & quod tibi patulo de ſcripturis aduertebat auditu, non immemor armariolo pectoris recōdebat: Vbi autem vtroque parente orbatus eſt, ſæpius illud Euangelicum ante ſuę mentis oculos ducebat: Niſi quis renunciauerit omnibus quæ poſſidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus, & cum anhelaret ad perficiendū quod pio vertebat in pectore, iuuenilis formido cœpit titillare mentē, ne ſecularis aura perderet, quicquid pro Chriſto facere diſponebat. Hæc ſecum, ad Deū verum totum deſiderij ſui pandens velamē, deprecabatur, vt ille qui habet omnium ſcientiam, inſpiraret, quatenus de tantis ſibi relictis opibus ſic ordinaret, vt muta laude humana, conſpectui placeret diuino. Talia eo cogitāte, accidit vt quidā conuicaneus eius nimium locuples ad tantam veniret inopiam, vt nec neceſſaria vitæ haberet. Quid plura? Ingruēte inedia, tres virgines quas habebat filias, quarum nuptias etiam ignobiles viri ſpernebant, fornicari conſtituit, vt earū ſaltem infami commercio infelicem ageret vitam. Proh pudor: extēplò fama tanti mali, qua non velocius vllū mobilitate viget, totam percurrit vrbem, & multiplici eam ſermone replebat. Quod vbi ſanctus Nicolaus reperit, condoluit miſerrimo homini, atque virginū execrans ſtuprum decreuit omnino ex ſuis abūdantijs earū ſupplere inopiā, ne puellæ nobilibus ortę natalibus lupanari macularentur infamia. Sed cùm nollet aliū in ſuis factis niſi Chriſtum habere contemplatorē, cœpit explorare temporū vices, quò id ſic operaretur, vt etiam eos lateret, quibus benefaceret. Taliaq; ſecū voluens aiebat: Eia famule Dei, exime pauperiē patris, exime filiarum ſcortū. Tellus tuæ mētis hactenus ſancto exculta vomere, duplū ſubitò prorūpat in fructum, vt ex vno famelici ſatietur ingluuies, & ex alio virginum redimatur incœſtus. Non occultes ſerentis Chriſti fruges, quæ carent zizania. Aperi theſaurum tuum vbi pietatis gazæ reſultant, nec paueas adulationis fomitem, quia non exurit flamma vitiorum diuitias, quas approbat Chriſtus. Non timet illa ædificatio ignem æternum, quę fabricatur opifici ſummo. Rumpe morulas omnes: opus perfice bonum, vt videant, imo ſentiant homines, & glorificent patrē tuum qui in cœlis eſt. Inuenta ergo cuiuſdam noctis hora, ſumens non modicū aurum, liganſq; in panno perrexit domum viri: Qui vndiq; cirūſpiciens, per feneſtram, quæ cōpetens videbatur, clam introiecit, clamq; diſceſſit. O nouā Iacob ſtropham. Ille cōmentatus eſt qualiter Labā mercedem non amitteret: hic autē vt cœleſtibus non priuaretur cōmodis. Ille in canalibus decorticatas ponebat virgas, vt varia quæq; acciperet: hic vt cœli varia oblectamenta quiret adipiſci, ædis inter clauſtra ligatum proiecit obrizū. Hic eſt, Ieſu magiſter bone, tuus non ſurdus auditor, qui iuſſis obtēperans tuis, duo impleuit præcepta, & miſeratus eſt hominem mendicū: & opus ſic prodidit dextera, vt ignoraret ſiniſtra. Mane itaque facto, cùm ſurrexiſſet homo, aurumque reperiſſet illud, diriguit primùm: at tūc quanto geſtiuit gaudio, quantaſque Deo gratias egit, ſi quis velit, ex vberibus eius lachrymis quas magnitudo lætitiæ fuderat, aduertere poteſt. Tamen aliquantiſper ſciſcitandus eſt vir iſte de inopinata ſua exultatione. Dic agè, rogo te homo, cur tanto exultas gaudio? Hactenus enim lugubrem vultū tuum oſtendebas, nunc te hilarem cerno. Bene, inquit, lætari me vides, quia Dominus clemens, neſcio per quem præſtitit vitæ meæ ſubſidium, quo carere queam infamia, quam inuitus incurrebā. Cui ergo adſcribis impenſam tibi benignitatē? forſitan fidei tuæ? Prorſus illi? O temeraria lingua viri. Antè paululū tantæ te oſtendiſti infidelitatis, vt tentatus non Deo ageres gratias, ſed proſtibulum eſſe decerneres templum ſpiritus ſancti. Et nunc te aſtruis hoc dignum fuiſſe. Quale, inquit, templum Dei dicis? Vis noſſe quale? Audi: Vas electionis clarè illud cōmendat: Omnis, ait, qui caſtè viuit, templum eſt Dei, & ſedes ſpiritus ſancti. Si ita eſt, imò quia ita eſt, quamobrē tu filias tuas fornicari mādabas? Quia, inquit, inedia opprimebar. Et cur non laborabas manibus proprijs ſicut Apoſtoli fecerunt, qui non tantū pro ſe, ſed vt etiam haberent vnde tribuerent neceſſitatē patienti, laboraſſe cōprobantur? Nobilitas, ait, mea renuebat aliquod opus facere. Infelix, ſi te illuſtrem cōſiderabas, cur puellas ex te genitas pōpoſo lenonū miniſterio ignobilitari malebas? Diſce ergo miſer, diſce non tribuere hoc fidei tuæ, quæ ſententiā meruit Apoſtoli dicentis: Qui tēplum Dei violauerit, diſperdet illū Deus: ſed largæ Dei clementiæ, qui non eſt paſſus diu contegi famuli ſui lucernā ſub modio, ne lux lateret in tenebris, ſed vt poſita ſuper candelabrū, luceret omnibus qui ſunt in domo Domini. Tu tantùm reuoca filias. Eſto pronubus copulæ iuſtæ, nō leno commixtionis inceſtæ. Trade maritis, quas proſternebas fornicatoribus: lætentur coniugio iuſto, non deformentur concubitu iniuſto. Præſto eſt, crede mihi, qui tibi dotem miniſtrat, vt omnes connubio ſtabili iungere poſſis. Celebratis igitur ex more primogenitæ filiæ ſuæ nuptijs, cœpit homo diligenter inquirere, quis inopiæ ſuæ tantam præſtitiſſet humanitatem. Cumque diu talia moliretur, Nicolaus Chriſti ſeruus haud multò pòſt triduo quo prius, ſimile peregit opus: ò virum omni imbutum peritia, omnique inſtructum ſcientia, qui vt ſe vtrumque teſtamentum ſuſcipere profiteretur, non eſt contentus lege literæ, ſed annectit Euangelicam gratiam, vt duobus fluminibus vno ex meatu

proflu-

profluentibus, arentis fidei hortulum bene irrigaret, ne vltrà sentes falce pietatis incisæ, lolio infandæ visionis, lætam valerent atterere frugem. Vbi verò reddita est dies, & homo prosiliuit de stratu suo, inuenitq; fului pondo metalli prioris æquale, tanto exultauit gaudio, vt si Homeri, aut Maronis adesset facundia, tantarum magnitudini laudum exprimendæ, puto, succubuisset. Sed nos nonnulla orationis eius prosequẽtes, cætera sagaci lectori melius sub silentio ad intelligendum relinquere, quàm indagare elegimus. Orauit autẽ sic.

Domine, Domine, absq; cuius nutu nec passer ad terram, nec foliũ cadit arboris, precor clementiam tuam, vt tu qui omnia nosti, ostendere digneris mihi peccatori, quis sit ille, qui tanta bona erga me exhibere non desinit. Hæc verè Domine ideo peto, non vt temerario ausu pollutis eum contingere quærã manibus, sed vt sciam famulũ tuum, qui inter homines degens, Angelicam habet conuersationẽ, & magnificem nomen tuũ benedictum in secula. Talibus dictis orabat, talibusq; se hortabatur sermonibus: Auferam certè somnũ ab oculis meis: excubabo solicitus, vigilansq; pernoctabo, forsitan ostendet mihi Dominus seruum suum. Dixit, & dictum cœpit opere complere. Interea paucis admodũ euolutis diebus, ecce cultor æternitatis aduenit Nicolaus, & iteratæ vicis factum trino supplere cupiẽs numero, æquale duorum iactauit talentũ. Cuius sonitu excitatus homo, statim egressus, iam vadentem, iamq; fugientẽ tali subsequebatur voce: Siste gradum, neq; aspectui te subtrahe nostro: olim te concupiui cernere. Sic fatus otior aduolat, spatioq; correpto, Nicolaũ agnouit per vmbras: moxq; humi prostratus osculari satagebat pedes eius. Quod sanctus pio vt erat pectore, fieri prohibuit. Sed breuiter allocutus, exegit ab eo, ne cuiquã, cum vitales carperet auras, Nicolaum huius rei indicaret autorem. Felix felicem imitatus est magistrum, qui non solùm homines, sed etiã dæmones cõprimebat, ne famam eius sererent in populo. Ille enim ne veris falsa misceret: iste verò ne quolibet extolleretur rumusculo, interdixit homini, vt nullo modo panderet nomẽ eius: iste, inquã, omnibus votis colendus, omnibusq; præconijs extollendus, qui sciens duobus nõ posse placere dominis, vnũ elegit, cuius onus leue est, cui tota deuotione colla submittens, ponderosam sarcinam mundi cum oblectatione sua proiecit. Noluit quoq; seculi captare famam, ne sanctorũ cõtubernio priuaretur. Cõmittebat se Deo assiduè, qui dispensat & ordinat omnia, quando vult, & quomodo vult. His itaque trãsactis, Myrea metropolis orbata est suo Episcopo: cuius obitũ nõ mediocriter adiacentiũ Parochiarũ condolebant Episcopi: fuerat enim bene religiosus. Cõuenerunt itaque in vnũ simul orantes, vt Iesu annuente Dominus prouideret illi Ecclesiæ secundũ scita Canonum, 5 idoneũ præsulẽ. Concioni itaq; intererat quidam pontifex magnæ autoritatis, ad cuius intuitum omniũ pendebat sententia, vt quem ille voce proderet, hunc proculdubio eligerent vniuersi. Hic verò per omnia sequens Apostolorũ vestigia, cunctos 6 ieiunijs, & deuotissimis precibus hortatus est insistere, vt ille qui Mathiam indidit numerũ supplere Apostolicũ, ipse solita clementia pandere dignaretur, quem vellet fungi tanto sacerdotio. Tunc omnes quasi cœlesti cõmonerentur oraculo, sic conuersi ad Deũ, flagitabant ex intimis præcordiis, vt pastor æternus vtilissimum suarũ ouium pastorem ostẽdere dignaretur. Illis quippe summa cum deuotione orantibus, vocem de cœlo audiuit dicentem sibi prædictus pontifex, vt egrediens ante portas Ecclesiæ staret, & quem primum hora matutinali venire conspiceret, ipsum consecrarent Antistitẽ, adiungens etiam quòd Nicolaus vocaretur. Tunc præsul ille cæteris coëpiscopis hanc narrans reuelationem, adiecit: Vobis in oratione persistentibus, ego forinsecus excubabo: credo enim quòd non priuabimur promissione Dei. Sic ait, & ianuas asyli sancta calliditate obseruabat.

5 Ecce quomodo secundum statuta canonum eligebantur Episcopi.

6 Habes hic quod ieiuniũ & preces valent ad promerendum aliquid à Deo.

Mirũ in modum matutinali hora quasi à Domino missus, se ante omnes agebat Nicolaus. Cumq; ad Ecclesiæ ianuas appropinquasset, iniecta manu, eũ apprehendit Episcopus, blandeque sciscitatus est: Quod equidem nomen tibi est? Ille columbina vt erat simplicitate, inclinato capite: Nicolaus, inquit, seruus vestræ sanctitatis. Cui protinus pręsul palmis innexis, ait: Fili veni mecũ, est aliquid secreti, quod tuæ indoli fari debeam. Mox introgressus: En fratres proclamauit, verè ait Dominus: Quodcũque petieritis in nomine meo, credite quia accipietis, & fiet vobis: En, inquam, quod petiuimus, accipimus. Ecce adest, de quo nostra flagitauit charitas. Quo viso, ingentẽ omnes tulere clamorem ad sydera: & certatim laudabant Saluatoris magnalia, Episcopi lætabantur pro collega cœlitus sibi collato. Clerici alludebant sicut bonæ pecudes. Quid moror? Licet plurimum renitens obstiterit, plurimumq; repugnauerit, super thronũ impositus est illicò: & sicut mos est illius regionis, pontificalem accepit infulam. Mira, prorsus mira & stupenda sunt quæ narrantur, & si licet antiquis per omnia comparanda. Quondam enim Samueli prophetæ sanctus præcepit spiritus, vt ad domum Isai pergeret, vnumque ex eius filijs placitum Deo regem inungeret. Modò autẽ isti Episcopo ex intimo precanti affectu vox de cœlo iussit, vt coram templi foribus excubaret, quatenus ibidem dignum Deo & Ecclesiæ suæ sanctæ, quod vtile foret, reperiret Episcopũ.

7 Nota antiquū eccleſiæ morem, ſuper caput Epiſcopi electi virtutem inuocari ſpiritus ſancti, quod noſtri hæretici modo ſubſannant.

8 Vide orationes aſsiduas, vigilias, et ieiunia Nicolai

9 Ecce quomodo Epiſcopus fugere debet mulierum conſortia At contra ſentiunt moderni dogmatiſtæ.

Illi quanquam videnti locus tantum, non regis nomen prædicitur, huic & locus & nomen præſulis declaratur. Ille caput regium cornu roborauit olei: iſte ſuper caput 7 Nicolai virtutem inuocauit ſpiritus ſancti. Sed tamē & Rex & Præſul, vterque electus eſt à Domino. Vnde nos minimè irridendi ſumus, magnis cōponere parua. Hinc iam ad ea quæ in epiſcopatu geſſit, opē Domino ferente, vertatur ſtilus. Sed quia non noſtrū eſt examuſſim cuncta digerere, obnixius petimus, vt nō ſuperbæ inſolētiæ, ſed humili ignoſcatur audaciæ, & quod balbutiendo vix pauciſſimis explicamus verbis, ob amorē ſancti libēter lectores amplexentur. Pontificali igitur cathedra ſublimatus, eandē morum grauitatem quam prius, eandemq́; ſectabatur humilitatem. Creber 8 in oratione peruigilabat, corpus ieiunijs macerabat. Mulierū 9 conſortia, licet ab ipſo pueritiæ ſuæ tēpore exhorruerit, tamen quandā ex hoc quaſi peſtem fugiebat. In ſuſcipiendis hominibus humilē, in loquendo efficacem ſe præbebat. Alacer erat in exhortando, ſeuerus in corripiendo. Viduarū & orphanorum atque oppreſſorū ſic negotia curabat, ac ſi propria eſſent. Rapinam execrabatur potentium, arguebat violentos, & ſi quē fortè quolibet caſu afflictum cernebat, mirabiliter reficiebat, miſerabileſq́; conſolabatur. Creſcebat quotidie fama bonitatis eius, quæ vbique laudē ferebat Nicolai. Hinc potens, hinc impotens nominabat illū. Gaudebat populus cunctus de tali patrono, lætabantur heroes de tanto pōtifice, qui ita ſe autoritate & gratia plenū exhibebat, vt omnium gereret curam, & Epiſcopi dignitatē non amitteret. Verùm tempus mihi deficit, quin & ſermo deſerit, ſi de ſingulis eius ſcribere meritis cōtendam. Sed qui ſcire voluerit, qualem ſe quantūq; præſtiterit mordacē cōprimat dentē, & ex ſubiectis agnoſcere valebit. Cùm igitur omniū chariſmatum virtute corroboraretur Nicolaus, & nihil ſibi, ſed totum Dei gratiæ tribueret, cœpit ita coruſcare miraculis, vt non tantùm ſui, ſed etiā alieni quilibet oppreſſi anguſtijs, inuocato nomine eius, ſtatim ſentirēt leuamen. Quadam verò die, cùm quidā nautæ ſubita maris tēpeſtate periclitarentur, adeo vt præſentem illis minitarētur omnia mortem, extemplo diſſolutis frigore membris, clamitabant: Nicolae famule Dei, ſi vera ſunt ea quæ de te audiuimus, nunc nūc nos in ſupremo periculo cōſtituti experiamur, quatenus eruti ex ſæuientis fluctibus maris, Deo & tuæ liberationi gratias agamus. Mira res. Talia referentibus apparuit quidā in ſimilitudine viri, dicens eis: Vocaſtis enim me, ecce adſum. Et cœpit eos in rudentibus & antennis, alijſque iuuare nauticis armamentis. Nec multò pòſt, omnis pelagi cecidit fragor, omniſque ceſſauit tempeſtas. Tunc læti nautæ pacata ſulcantes æquora quantotius optatum ſubeunt portum. Et mox egreſſi ſciſcitabantur, vbi Nicolaus eſſet. Cùm autem indicatum fuiſſet eis, in Eccleſia: è veſtigio egreſſi (mirabile dictu) quem nunquam viderant, ſine indice cognouerunt. Hic ad eius pedes proſtrati, cœperunt ei gratias agere, dicentes, qualiter de confinio mortis, Epiſcopo ſuffragante, liberati eſſent. Quibus ſanctus: Non meæ, inquit, poſſibilitatis arbitremini eſſe quod factum eſt: ſolita Dei eſt miſericordia, qui propter credulitatem veſtræ fidei vobis ſua ſuccurrere dignatus eſt clementia. Diſcite ergo quantum valeat apud Deum fides vera, & petitio non ficta. Propter peccata enim noſtra quotidie flagellamur, tamen ſi ex toto corde ad bonum Deum conuerſi fuerimus, viſcera miſericordiæ ſuæ illicò ſuper nos commouet, & eripit nos de imminentibus periculis. Idcirco non pigeat vos fratres benefacere, ſectari humilitatem, lubenter pauperibus ſuccurrere. Credite meæ paruitati, quia ex quo homo in huiuſmodi voraginem propter delicta ſua deiectus eſt, nullum eius bonū ſic Deus approbare legitur, ſicut eleemoſynam, tamen ſi non ob mundi fiat gloriam. His alijſq́; talibus inſtructi, admirantesque humilitatem ſpiritus, 10 vilitatē habitus, ſermonis facundiam, atque magnitudinē virtutis eius, diſceſſerūt. Quodam itaque tempore cùm eandē Lyciam regionem accolarū pro meritis ſic pernicioſa fames oppreſſiſſet, vt ſeges ægra victum omnem negaret, mox à prouincialibus ruricolis ſæpe dicto famulo Dei pro indigentibus maximè periclitāti, naues triticeis onuſtę mercibus in littore Hadriatici portus adeſſe nunciantur. Quò velox adueniens Nicolaus nautis infit: Vos rogaturus acceſſi, vt populo huic tabe diuturnæ famis laboranti conſulentes, aliquantulum remedij ex iſto impertiri ſtudeatis frumento. Sic Sanctus. Et Sancto ſic aiunt illi: Non audemus pater tuis obſequi præceptis, quia publica taxatione angariati Alexandriam perreximus, & modò hoc triticum deferimus per miniſtrorum manus in Auguſtalium ſtipendia metiendū. Quibus ſanctus: Audite, inquit, me: & ne hic amplius attenuetur populus, per vnamquamque ratem, ſaltem centum mihi modios præbete: & ego in nomine Domini mei, cui ſeruio, in virtute ſpondeo, polliceor, promitto, qui nullam minorationem habebitis apud regium exactorem. Tandem interuentu præſulis conuicti, ex ſingulis puppibus centum numerauere modios, & confeſtim ſecundo ſurgentes vento claſſes portum relinquunt, atque ſpirantibus auris volucri curſu Bizantio applicuerūt vbi. Cùm aūt integram menſurā, quā Alexandriæ ſuſceperāt, miniſtris Imperatoris numeraſſent, tātus ſtupor oēs cepit, vt præ admiratione ſeriatim cuncta quæ facta fuerant, eiſdem narrarent

10 Admirātes humilitatē ſpirit⁹ et vilitatē habitus.

narrarent ministris. Qua relatione perculsi, Deum omniũ rerum auctorem cõtinuata vtrique laude magnificarunt. Vir itaque Dei accepto frumento, sic per industriam illud partiri studuit, sicut vnumquéque nouerat indigere. Mirandis plus miranda succedunt. Tanta enim omnipotentis Dei largitate, hoc ipsum parum, quod sanctus distribuit, auctum est, vt non tantùm eodem, sed etiam altero sequenti anno ad victum singulis sufficeret: Quin & multi spe credula exinde serere non dubitantes, nequaquam eos expectata seges vanis frustrata est aristis, sed vberius sparsit radices. Porrò nemini hoc incredibile videatur, quia saluatoris promissio est ista, dicentis: Si habueritis fidem, sicut granum sinapis, & dixeritis monti huic, te transfer, trãsferetur. Et illud: Qui in me credit, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet. Verè enim in eo credidit Nicolaus, in cuius opitulatione tale tantumq; valuit facere miraculum. Ex multis igitur idololatrijs, quibus olim pręfata regio dedita fuerat, maximam dementiæ suæ deuotionẽ erga nefandissimæ Dianæ simulachrum exhibere studuit: adeo vt etiam illius, ad vsq; serui Dei tempus, pleriq; rusticorum execrabili deseruirent religioni. Sed vir Dei huius sacrilegij superstitionem tanta persequutus est instantia, vt diuino suffragatus adminiculo, penitus ex illis finibus obscœni numinis culturam propelleret. Verùm quid diabolo malitiosius? Quid in orbe artificiosius? Cùm autem cerneret se priuatum tanto decoris sui cultu, fellea face succensus, magnam contra Nicolaum exarsit in iram, & callido pectore noua versans consilia, quosdam adijt viros omnibus imbutos, imò perditos maleficijs, eisq; conficere oleum, quòd Midiacon dicitur, sub omni celeritate præcepit. Parent protinus egregij auditores dictis chari magistri, & quantotius portentuosi liquoris mixtionem componunt. Quo confecto, haud piger dæmon ad nocendum, transformauit se in cuiusdam religiosæ fœminæ vultum, atq; simulata specie, quibusdam nauigantibus, quorum deuotio ad seruũ Dei tendebat, medio sese contulit mari, & quasi aliorum lembo vteretur, ait eis: Video quidem vos proficisci domum Nicolai: mallem nunc & ego venire vobiscũ, quia votum habeo tanti patris perfrui benedictione: sed quoniam nequeo, rogo vos, vt si molestum non est, hoc meæ paruitatis oleum ad Ecclesiam Myream feratis, & ob memoriam mei sumatis exemplum, & in pariete ipsius aulæ liniatis. Illi verò ignari doli, artisque fucatæ, sumunt oleum classe, & libenter secum vehunt. Tunc monstrum informe, vmbra velut tenuis, velociter euanuit. Sed pius Dominus inuidorum aspernator, non est passus diu simpliciter ad famulum suum properantes, munus ferre simulatæ imaginis, nec sermonibus fantasticis delusos progredi. Ex improuiso enim cernunt sagenulam insignibus refertam hominibus, inter quos conspicantur quendam simillimum sancti Nicolai, qui ad eos facetis interrogationibus orsus est: Heus, inquit, quænam mulier illa vobis loquuta est, vel quid nobis attulit? At illi seriatim cuncta narrantes: En aiunt, & oleum ostendunt, quod se precata esset ad sanctam portare Ecclesiam. Quibus ille: Vultis euidentius sapere, quæ fuit fœmina illa? Hæc enim est impudica Diana: & vt me certò verum dicere comprobetis, hoc vasculum execrandi olei istos proijcite in fluctus. Nulla in medium mora, incunctanter faciunt imperata. Mox autem vbi oleum illud æquoreas tetigit aquas, mirabile dictu, illicò accensus est ignis, & contra naturã elementi prolixo maris spatio visus est ardere. Hæc verò dum nautis stupenda videntur, & defixo obtutu hærent in tanto prodigio, vtrorumq; naues magno diuisæ sunt interuallo, vnde nec interrogare valuerunt, quis esset ille, per quem callidi hostis frustratas agnouêre insidias. Veruntamen deuolarunt ad sanctum festinantes Nicolaum, clara voce referebant obuiantibus sibi, quid eis acciderat. Venientes autem ad seruum Dei aiebant: Verè tu es ille, qui nobis in illo pelago horrendum ostendisti prodigium.

Verè tu verus es Dei famulus, ob cuius vitæ meritum erepti sumus ab exitialibus diaboli insidijs. Talia dicentes cunctum rei euentum per ordinem indicant. Quibus auditis, vir Domini solito more in laudem prorupit clementissimi patris, ac deinde monuit eos, iustè ac piè viuere, ac se tutelæ custodis æterni ex toto committere, qui neminem permittit tentari supra id quod potest. Talibus itaque oraculis facilius informatos, optataque benedictione exhilaratos, lætantésque homines illos Iesu Christi famulus remisit ad propria. Præterea cùm in Phrygiæ partibus gens cognomine Artaiphala, seditiosis machinantibus viris, à Constantini Cæsaris Imperio discessisset, confestim idem Augustus tres militiæ principes, quos Dolopes stratiies vocant, Nepotianum scilicet, Vrsum & Harpileonem, ex consulto accitos alloquitur, eisque iussit, vt præparato nauali apparatu ad subijciendos proficiscerentur rebelles. Armata itaque iuuentute, & stipata militari ambitione, Constantinopoli egredientes, pacatum per æquor nauigare cœperunt. Qui postquã longissima maris itinera transfretarunt, & pontum sulcarunt Lyciæ regionis, subita intemperie exorta incumbebant periclitantibus procellæ. Ac per hoc nec obniti contrà nec tendere valentes, flectunt viam crebrescentibus ventis, & tandem littoribus Hadriatici portus allabuntur. Vbi iactis ex more anchoris, stabiliuntur classes, sicque demum optata potiti arena, cœperunt nonnulli huc

atque illuc deambulare iuuenes: aliqui verò eorum mercationis causa vsque ad locum nundinarum, qui Placomata vocatur, accedentes, rapinam (vt illud hominum genus consuetum est) infigere non desinebant. Quod mobile accolarum vulgus aduertens omne ruit ad obsistendum. Quibus vicissim, ceu aduersis magno turbine ventis, confligentibus tumultus repentinus Pateræ vrbi pro nuncio fuit. Vnde factum est, vt eadem ciuitas ad arcendam vim tantæ seditionis tota concurreret. Qua vir Domini commotione perculsus exijt, ciuiumq; furentium indignationem sagaciter cõprimens, ad prefatum portum, qui ab ipsa vrbe tribus disparatur millibus, festinus perrexit: Ibiq; repertis principibus illis, post salutationis officiũ oscula libauit, ac deinde percõtatus est, dicens: Qui estis? Vnde? Pacémne huc fertis, an arma? At illi: Pater, inquiunt, sancte, pacifici sumus, & tempestas nos vestris appulit oris: nam cursus noster Phrygiam tendit: Increuerunt enim quidam rebelles, ad quorum contumaciam edomandam ab Imperatoria sumus potestate directi: ideoque petimus vt tuis nos comiteris orationibus, quatenus id decẽter perficere possimus. Hic præsul alacriter eos alloquutus inuitauit, vt pariter ad vrbis proficiscentes mœnia non dedignarentur illius perfrui benedictione. Mox stratilates illi tantã serui Dei admirantes efficaciam, illicò omni suo interdixerunt populo, vt non barbaricè fremerent, nec indisciplinatè vltrà se agentes, vim quibuslibet facere præsumerent. His ita sedatis, ecce relatum est dicentibus: Domine sancte, si tua præsto fuisset in ciuitate paternitas, nullo modo iniustè fieret trium iuuenum militum cædes: Nam & ciues omnes valde vestram condoluerunt absentiã, quoniam Consul magno excœcatus munere, neci eorum consensit. Quibus auditis, vir Domini pietatis igne inflammatus, præfatos rogauit principes, vt cum illo rapidis festinarent passibus. Nec mora, ingrediuntur vrbem, & in locũ qui Leonti dicitur applicantes, interrogauit sanctus Nicolaus quos ibi reperit, si adhuc viuerent, qui capitalem acceperant sententiam. Respondentes illi dixerunt: Festina venerabilis pater, festina, quia in platea Dioscori viui detinẽtur. Mox ad Ecclesiam martyrum Crescentij & Dioscori, pro quo ipsa cognominatur platea, cõcurrens, & non eos reperiens, sciscitatus est vbi essent. Cui dictum est: Iam modò portas illi vrbis egrediuntur. Quò dum tenderet, audiuit eos asportatos in Birram, vbi damnatitij perimebantur. Hoc veredarius, & famulus Christi audito, licet tanto fatigatus itinere, abijt, cucurrit, & ad locum vsque expeditus perueniens, reperit eos poplite flexo, velata facie, atque super exertam ceruicem operiri iam libratum spiculatoris ensem. Hic experiri potest veridica illa sententia: Iustus vt leo confidit. Nam non de potestate mundana, non mucrone territus, totum se in lictorem ingessit, eminusque de manu eius gladium propellens, non prius abscessit, quàm illos solutos à vinculis secum reduceret, repetens: Me, me, inquam, nam pro istis innocenter condemnatis paratus sum dedere leto. Ex carnificibus autem illis nemo saltem ei mutire audebat, scientes eum magni meriti, magnæque virtutis, & inuictæ esse constantiæ, ac in Christo plurimum valere. Fauore igitur prosequutus populi, qui eius expectando aduentum gladiatoribus impedimento fuerat, ad prætorium Procõsulis accessit. Cuius foribus vi magis quàm voluntariè reseratis (erant enim clausæ) nunciatum est Eustachio consuli à cubicularijs de aduentu Præsulis. Illicò dux ille festinus ei occurrens salutauit eum, sed quia scriptum est: Probata autẽ virtus corripit insipientes, aspernans sanctus aiebat: Inimice Dei, præuaricator legis, cuius os innocentium cruorem dulcius ebibit melle, qua temeritate præsumpsisti vultum conspicere nostrum, tanti conscius reatus? Cruẽtissime, quare nõ attendisti Dominicam præceptionem, quæ quotidie intonat: Innocentem & iustum nolite condemnare? Ad quem responsum paucis ita reddidit heros: Vt me sic accipis serue Dei? Cur frustra in me sæuis? Animaduerte quia magis Eudoxius & Simonides huius vrbis insignes, ex hoc arguendi sunt, quàm ego. Re vera enim ipsi sunt vehemẽter accensi ad effundendum sanguinem horum. Cui Præsul econtra: Non Simonides, inquit, nec Eudoxius, sed auri argentique cupido te illexit, vt ad patrandũ tantum facinus cõsentires. Crede meæ paruitati, quia quomodolibet regimen tuum, quo disponis, imò quo depredaris hanc patriam, pijssimis Augusti insinuabitur auribus, qui factis tuis dignã recõpenset æquitatẽ. Hæc & alia perstabat memorans, fixusq; manebat, & ducẽ infamabat. Tandẽ aliquãdo accedentes præfati milites multũ obsecrabant, vt seposito furore, Consuli vehemẽti rubore suffuso veniam daret. Quorum postulationem vir Domini clementer accipiens, Ducem Eustachiũ, quẽ coram omnibus infamarat, coram omnibus humiliter mulcere studuit. Stratilates deinde illi post celebratum conuiuium, Pontificis n benedictione aucti, lætanter socios classemq; reuisunt. Inde vbi prima quies pelago reddita est, iter aggressi sunt cœptum, & flatibus inuecti secundis velociter Phrygiam perrexerunt. Quam cùm sagaciter, ablatis seditionis fautoribus, sub imperij iura redegissent, Constantinopolim repetierũt vrbem. Quibus non solùm gratulabundus occurrit populus, sed procerum multi, Imperator etiam ob subactos sine sanguine hostes, gestiens gaudio, triumphantium more illos recepit.

n Episcopi semper fuit alijs benedicere.

Sed hæc

Sed hæc non æquis oculis ille antiquus humanæ salutis æmulus aspiciens, in longũ quieuit: Tandiu enim se formas vertit in omnes, quousque inuidos quosdam stimulis cogeret amaris, qui eorum dignitatem cœlo prosequentes, aut dedecus, aut necem contra illos molirentur. Quid multa? accedentes quidam dolosi ad quẽdam præfectum nomine Ablauium, quem Achiui Eparchum vocant, in multis eos accusabant, præsertim contra Augustum eos nitebantur ostendere conspiratores: adijcientes subdolam esse illorum loquutionem, & fucatam humilitatem, ex quo tanta simultas non esset attendenda: quia vbi tempus inuenerint, secus apparebunt. Sed cùm se inanibus vocibus nihil efficere conspicerent, cœperunt magnis muneribus animum viri illicere, & eum in perniciem armare innocentium. Verùm quid non cogit mortalia pectora auri sacra fames? Extemplo corruptus Eparchus immensitate fului metalli, intrauit ad Augustum, & sic orsus est: Excellentissime domine, cuius moderamine totus mundus pacatus quiescit, ecce inuidia diaboli, à quo omnis nequitiæ seminarium oritur, infestos contra nos suscitauit inimicos. Reuera enim stratilates illi, quos dudum in Phrygiam vestra misit sublimitas, insidias machinantur domino meo. Nam conuenticula crebra agentes, promittunt confœderatos suos ditari opibus, & magnis extolli dignitatibus. Hoc ego pro certo sciens, ideo coram tua veni narrare præsentia, ne diuinum iudicium, & Imperialem incurrerem iram, quoniam quidem nõ solùm rei sunt qui malè faciunt, sed & qui consentiunt facientibus: maximè cùm hæc proculdubiò à socijs eorum didicissem. Vnde cœlitus vobis collata prouideat sagacitas, quid facto opus sit.

Credidit itaque Augustus fallacijs eius, vtpote Præfecti sui, & iratus è vestigio comprehendi eos iussit, & in carcere retrudi. Illis verò carceralibus custodijs mancipatis, accidit haud reor, sine nutu diuino, vt Imperator in somnis Reipublicæ præoccupatus negotijs, horum protelaret sententiam. Sed quia secum pectus, quod semel inficitur, difficile pœnitudine renitescit: prædicti calumniatores paucis effluxis diebus adsunt, & memorato Præfecto promissa munera deferentes: Quo pacto, inquiunt, inimicos nostros vitæ donastis, & nõ capti cominus sunt iugulati? An sperastis seditioni vos posse finem imponere, si eos arctari ergastulo iuberetis? Ecce enim retrusi, socijs eorum adminiculantibus, exire satagunt, & meditatam implere nequitiam: Idcirco te conari necesse est, ne tale quid quod non optamus, perficere possint. Alioquin vigilasse pro pace vestra nos pœnitebit: & vos celerrimè peribitis. Coactus ergo præfectus illo magis cruento munere, quàm sermone, denuo auribus Cęsaris talia venena infudit: Domine Auguste, scelesti illi quos pietas vestra viuere sinit, non cessant cum suis conspiratoribus pestifera meditari consilia: Certo enim certius noueritis, eos extrinsecus habere coniuratos, qui illos viriliter adiuuare satagũt, vt egrediẽtes insperatè ad necandum, super dominum nostrum irruant. Illicò Augustus quasi suam cõperisset mortẽ, tanta furia actus est, vt absq; inquisitionis respectu præceperit illos occidi. Quo mandato auarus accepto, præ gaudio magno misit ad custodem carceris, vt hos segregatos solicitus obseruaret, quatenus subsequenti nocte clanculò perimerentur. Custos autẽ ille bonæ cõpassionis vir, & meritò Hylarianus vocitatus, præripuit se ad carcerẽ, & mœsto hanc edidit pectore vocem: Vtinam vos, Domini, nunquam scissem: proh dolor hodie separamur ab inuicem, & lachrymis suffusus ait: Eloquar, an sileam? Sed tamen cogor loqui vobis: sciatis ab Augusto egressam esse sententiam, vt hac nocte absque dilatione occidamini: Præordinate ergo de rebus vestris, ne postmodum in supremo constituti, magis eas exterminio, quàm testamento delegatas relinquatis. Quibus auditis, extemplò gelidus per tota cucurrit ossa tremor, & ingemiscentes sparsis crinibus scidêre vestimenta sua, atque vlulatu magno talia clamitabant: Heu quisnam est tantus iste furor? quæ tanta seueritas, vt sic moriamur sicut grassatores populorum, qui saltem nec interrogatione digni habentur? Immanis est ista crudelitas, & nec audita in gentilibus. Cùm autẽ diu multumq; ita gemerent, Nepotianus vnus ex eis recordatus est, qualiter sanctus Nicolaus, iuuenũ liberator triũ mirabilis fuisset, & suspirans iterum iterumq; tandem hanc precem fudit: Rex Deus excelse, succurre miseris perituris, meamq; humillimam deprecationẽ non nostris, sed serui tui Nicolai meritis dignanter attende: quatenus sicut eius instantia tres illos erutos à morte conspeximus, ita nos per eius intercessionẽ ab instanti eripiamur sententia: quoniã quidẽ si non adest corporaliter, credimus tamen illum spiritualiter omnium compati necessitatibus, pro quibus tibi sæpius supplicat. Te igitur precamur Domine, tu qui voluntatem timentium te facis, propter orationes eius libera nos. Sic Nepotianus, sic & comites eius supplicabant, atque simul vno ore clamabant: Sancte Nicolae, adiuua nos serue Dei licet absens, interueni pro nobis, vt eruti à præsenti iugulo, tuam deuoti videre faciem, tuósq; sacratissimos mereamur osculari pedes. O clemens pietas Saluatoris. O immensa benignitas creatoris, quę tanto laudanda est præconio, quantũ omnibus simpliciter se petentibus exorabilis inuenitur. Quis vnquam eũ quæsiuit puro corde, & non inuenit? Quis petiuit ab eo misericordiam, & non acce-

non accepit? Ipse enim se obligauit dicens: Quodcunque petieritis patrem in nomine meo, fiet vobis. Huius enim sponsionem veritatis inter angustias hi tres mirabiliter sunt experti. Nam vir Dei adhuc vitam carpebat præsentem, & bonus Dominus sic prædictorum supplicum preces audire dignatus est, ac si sanctus Nicolaus interuentor in superiore regno penes eum fuisset. Sed hæc cuius sunt, nisi tua Christe dona, tuæ retributiones, tuæ prorsus, Domine, qui glorificantes te non solùm coram tuo patre in cœlis, sed etiam in terris coram hominibus glorificare consueuisti? Nocte igitur insequuta, qua plectendi erant stratilates illi, cùm se Imperator, Eparchusque sopori dedissent, similia viderunt somnia. Quæ ideo sigillatim narramus, vt euidentissimè omnipotentē intelligamus, non tantùm palam, sed etiam per visiones minari iustitiæ præuaricatoribus. Neque id frustra facit: sed quia plus gaudet super vno peccatore, quàm super nonagintanouem iustis, ostendit se malle cunctorum pœnitentiam. Visiones autem huiusmodi fuerunt. Apparuit quædam effigies Sancti Nicolai, dicentis: Constantine, cur stratilates illos iniustè comprehendi fecisti? Cur sine crimine morti addixisti? Surge celer, eosque dimitti quantotius iubeto. Quod si fortasse me spreto aliud facere volueris, cœlestem precor regem, vt contēptus mei vltor existens, tibi indurato bellum sinat insurgere, & te ibi perempto, caro tua bestijs auibusq; sit cibus. Cui Augustus: Quis, & cuius autoritatis es tu, vt hac hora palatiũ meũ ingressus talia audeas loqui? Et ille: Ego sum Nicolaus peccator, Myreæ Metropolis Episcopus. Hæc dicens abijt, Eparchumque sic territat ipsum: Ablata vecors mente, & sensu perdite, quæ tibi necessitas incubuit, vt obstinatus innocentium fores delator? Perge velox, illosque continuò è carcere educi facito. Sin minus, ab Imperatoris æterni maiestate obtineo, vt totũ corpus tuum scaturiat vermibus, & domus tua quantotius diripiatur. Ad quem præfectus sic turbatis vocibus infit: Tunc verò quis es, qui tanta minaris? Cui ille: Me scito esse Nicolaũ, Myrensem Episcopum. Dixit, & procul in tenuem ex oculis euanuit auram. Talibus igitur Cæsar & Eparchus perterriti visionibus, excutiuntur somnis, & maturato officio, quæ quisque viderat celeriter remiserunt sibi dicenda: Deinde vbi prima stellas aurora fugauit, è vestigio Imperator accersitis magnatibus suis & eodem Eparcho, fecit sibi stratilates illos præsentari. Quibus astantibus, toruo aspectu ita exorsus est: Quas magicas nostis artes, vt tantis nos illudatis phantasijs, tantisque exagitetis somnijs? Illi attoniti tanto interrogantis auspicio, nullum dederunt responsum. Et denuò Augustus: Edicite nobis quæ sint maleficia vestra. Ad quem Nepotianus solus pro cunctis sic pauitante voce respondit: Excellentissime Imperator, cui Deus regni cõmisit habenas, absit vt nos documētis nefariæ artis simus instructi: Nunquam enim Domine tali vacauimus magisterio. Quippe & nos constanter profitemur, non illius esse commissi, vt capitali subijciamur sententiæ. Tunc Augustus: Nostis, inquit, aliquem hominem, cui Nicolaus nomen est? Mox illi audito tanto nomine, tendentes ad sydera palmas vtrasque, voce magna dicebant: Benedictus es Domine Deus Nicolai sancti, qui non relinquis sperantes in te, & de tua misericordia præsumentes. Benedictus es & laudabilis in secula, qui clementer infelices tuos seruos dignatus es respicere. Et nunc Domine, Domine, miserere nostri, & famuli tui intercessione eripe nos ab hac perditione, sicut erepti sunt tres viri illi à pernicioso iugulatu.

Cæsar verò sciens, & ardens sciscitari & quærere causas, propius eos ad se accedere iussit. Tumq; demum eos intuitus: Dicite, inquit, hic, quem inuocastis, quo est sanguine progenitus, quis, quãtúsue sit: vel si vera sunt quæ dicitis, coram pandere maturetis. Mox idem Nepotianus confortatus ait: Iste est verè sanctus per omnia, cuius meritis nos credimus erui ab intentato exitio. Iste est, quem in nostra inuocauimus perditione: & ecce (vt cernimus) alacrem sensimus adiutorem. Verè enim Dei dignum credimus illum seruum esse, ob quem tantis licet terrarum spatijs longè ab eo positos sub vno noctis momento Christus nos exaudire dignatus est. Hoc dixit, & continuò prosequens narrauit, qualis, quantæ humilitatis, quantæq; esset bonitatis. Nam & ereptionem iuuenum totiens memoratam, sicut scripta est, per ordinem pandit. Imperator autē hęc audiens, multum miratus est, & pro tanti viri bonitate Deum venerans: Ite, ait, & famulo Dei gratias agite, imò Deo, qui vos per eum liberauit. Ex Constantini autem donarijs munuscula, nec non & apices nostros vobiscum ferte: Hunc etiam euangelij librum mirificè auro contectum, & [12] ciminilia hæc simul, & duas ex auro chirothecas, vasque hoc illud aureum gemmis pretiosissimis decoratum: Eiq; dicite, vt dignanter ista suspiciat, & mihi lubentissimè præceptis eius obedienti, non minari, sed orare studeat, atq; pro pace regni nostri magis totius orbis Dominũ poscat. Post paucos igitur dies stratilates prædicti, acceptis epistolis, Augustalibusque muneribus, ad seruum Dei, vti deuouerant, ire cœperunt. Qui venientes, illicò consternati solo, pedes eius osculati sunt, & præ magnitudine lætitiæ claris repetebant vocibus: Verè dilectissimus Dei es famulus. Verè cultor & amator Christi. Verè tu omniũ ore laudabilis, propter quē mirabiliter

12 Vide quæ munera dono mittat Constantinus Imperator Nicolao.

à morte

à morte liberati sumus. Hæc & alia diutissimè conclamantes, tandem deditionis seriem retulerunt, atque offerentes munera, necnon & imperiales epistolas, indicia ostenderunt suæ liberationis. Mox doctor egregius, eleuatis ad cœlum brachijs, collaudabat saluatorem dicens: Magnus es Domine Deus noster, magnus & mirabilis, cuius magnitudinis non est finis. Tu es enim Dominus diues in omnibus, qui facis mirabilia magna solus. His dictis, conuersus ad illos, tantis eos irrigauit scripturarũ fluentis, vt plurima de rebus proprijs largirentur egenis. Dehinc sicuti singularium moris est, tanto gestierunt gaudio, vt sibi tunderét, quos in carcere miserant, crines. Exacto itaque apud virum Dei aliquanto tempore cum ingenti lætitia, instructi doctrinis eius, & aucti benedictione remearunt ad propria, magnificantes Deum nostrum Iesum Christum, qui regnat cum patre & spiritu sancto vnus Deus æquali maiestate, æquali potestate, per omnia secula seculorum, Amen.

Nunc igitur fratres charissimi, si vobis placuerit, de solennitate huius diei beatissimi Nicolai confessoris atque Pontificis in eius laudem aliquid loquamur: Quoniã 13 illius solennitas agitur, quem non solùm Græcia, sed penè totus orbis prædicat. Et iustè quidem, quia licet perpauca scripta sint ex his quæ sanctus vir in vita sua patrauit, tamen ex quo ad Christum perrexit, tanta 14 quotidie miracula exhibet, vt nulla carnis sufficiat lingua referre. Quis enim dignè potest explicare, qualiter eius meritis promerentibus, cæcis visus, surdis auditus, & (vt breuiter dicam) debilibus cunctis celerrima & optima redditur valetudo? Quis, inquam, tantæ est facundiæ, vt facilè possit exprimere, qualiter ex marmore tumuli eius sacrum resudat oleum, quod ab excubantibus ministris penniculo collectum studiosissimè reconditur ad diuersorum languorum vtilem admodum vnctionem? Refero itaque charitati vestræ, quod veridica relatione à quibusdam Grais comperi. Sed illi hoc ipsum fama Myrensium accolarum didicisse profitebantur: tamẽ siue aliter, siue ita se veritas habeat, iudicio narrantium est committendum. Quodam siquidẽ tempore cùm quidam magnatum ciuitatis prædictæ inuidiosa factione pontificem sedis ipsius propellere non erubuissent, continuò desiuit oleum tantæ perfluere benedictionis. At vbi idem Antistes suã recepit cathedram, confestim salutaris liquor stillare more pristino cœpit. Mirabilis quippe Deus in sanctis suis, quoniam sic famulos suos glorificare consueuit, vt in omnem terram exeat sonus eorum. Qualis sonus? Nempe victoriæ, ac triumphi: Quia dum suis supplicibus collata cœlitus non denegant patrocinia, ostendunt se, mundi deuicto principe, diademate redimitos æterno. Lætemur ergo charissimi, lætemur in Domino, & diẽ 15 festum sancti Nicolai salubriter celebremus. Quoniam si nos ille concorditer festiuos inspexerit, fauet credite mihi, fauet nostræ deuotioni. Quin & secundũ nominis etymologiam, Nicolaus Æolicè victoria populi resonãs, impetus ferocissimos conterit repugnantium, & castra vincere iuuat hostilia. Omnis ergo sexus, omnisq; conditio protectionis eius tutamen expectet, imploret suffragia, quærat auxilia. Nouit enim olim cœlesti palma misericorditer subuenire afflictis, liberare oppressos, & pestiferos soluere nexus. His ita præmissis, effundamus aliquantulum coram illo precem, vt in fine pagellæ patrocinijs eius fruamur. Oramus 16 itaque te sanctissime pater Nicolae, vt humillimas nostra petitionis voces attẽdas, affectũ conspicias, & considerato nostræ conditionis figmento, hostem comprimas, expellas tyrannidẽ, dissidentes pacifices, tuearis præsules, gubernes cleros, Abbates dirigas, foueas monachos, & omnibus, qui deuotè tua solennia peragunt, cœleste regnũ adire acceleres. Nosq; misellos, qui velut inertes operam dedimus, & exilem gloriæ tuæ formauimus laudem, ex omni perturbatione insidiantium eripias. Suggestionem spirituum immũdorum custodias, quatenus fideliter Iesu Christo seruire mereamur, qui cum patre & spiritu sancto viuit & regnat Deus per omnia secula seculorum, Amen.

13. Agitur illius solennitas, quẽ non solum Græcia, sed pene totus orbis prædicat.

14. Quam potens sit apud Deũ meritis Nicolaus, hinc ostenditur, quod tot miracula ad eius inuocationẽ hominibus præstãtur.

15. Diem festum sancti Nicolai salubriter celebremus.

16. Inuocat diuum Nicolaum, & eius patrocinium exposcit.

Cùm verò de Aphricæ partibus Vandalorũ exercitus applicuisset ad terram Calabrindem, atque eandem regionem igne succenderent, reperta ibi est à quodam barbaro in cuiusdam Christicolæ domo sancti Nicolai imago in tabula honestè depicta. Quam protinus in sinu suo proiecit, & abscondit, quamuis ab eo ignoraretur omnino quid esset. Cùm autem peruenisset ad eos, qui Christicolas captiuos deducebant vinctos, interrogauit vnum ex eis: & ait: Rogo vt mihi indicetur, cuius est figura in hac tabula tam pulchrè depicta? Et hæc dicens demõstrauit eis iconam. Cùm ergò contemplati eam essent Christiani, cum gemitu & lachrymis dixerunt: Imago hæc, quã cernimus, Sancti Nicolai dicitur, qui multis miraculis & virtutibus apud Deum existens clarus, manifestè edocet se viuere etiã post sepulchrum. Cumq; hoc auditu percepisset ille barbarus, continuò abscõdit eam propter suos socios, nemini ex hoc aliquid pandens. Cùm autem reuersus esset exercitus Vandalorum in Aphricã cum plurimis captiuis, & spolijs multis, redijt & ipse barbarus, qui sancti Nicolai habebat tabulam in domũ suam. Erat autẽ ipse telonarius. Quadam autẽ die tulit ipsam iconam, & posuit eam ante telonium suum, vbi erant omnia quæ habebat, aurũ, argentum

& vestes. Et sic loquutus est ei dicens: Nicolae habeto custodiam super teloneum hoc, nam ego aliò necesse habeo proficisci. Hæc locutus imagini, discessit, apertum omnino relinquẽs teloneum securus proficiscens, quasi ibi plurimos custodes dimitteret. Cùm autem secus eundem teloneum latrones transirent, & vidissent apertum, & neminem custodem ibidem esse, dixerunt ad inuicem, vt venientes nocte eadem, diriperent omnia quæ intrinsecus erant posita. Quod ita factum est. Nam venientes nocte, omnia abstulerunt, aurum, argentum, vestes, & cætera: Et sic profecti sunt. Sola anchona deforis pẽdens superstes remansit. Hæc autem Dei dispensatione agebãtur, vt huiuscemodi occasione reperiretur, quanti meriti Nicolaus esset, & apud Aphricanas regiones manifestè clarescеret. Veniente autem barbaro, cuius teloneum erat, reperit eum vacuum, nil omnino habentem, nisi ipsam sancti Nicolai anchonam. Tunc plorans, & gemens, vehementissimos stridores emittebat, & turbido aspectu conuersus in faciem imaginis beati Nicolai, quasi ad viuentem hominem & ratione vtentem, hæc verba proferebat dicens: O Nicolae, bonum te custodem telonei mei posui. Quid fecisti? Redde mihi res meas, alioquin cædo te flagellis. Et cùm hæc diceret, accepto flagello tundebat sancti Nicolai imaginem. Cùm verò fatigatus esset cædendo eam, dixit ei: Certè in ignem te proijciam, si non reddideris causam meã. Pijssimus autẽ confessor 17 beatus Nicolaus nimia miseratione ductus super anchonam suam, ac si ipse flagellis cæderetur, sub festinatione ad locum accessit propius, vbi latrones cuncta diuidebant, quæ de illius Saraceni teloneo abstulerant. Tũc dixit ad eos sanctus Nicolaus: O infelices, & miseri, quid facitis? Nunquid ignoratis, quoniam ego ipse ibidem eram quando hoc malum perpetrastis? Nam oculi mei conspexerunt, quando has & illas res abstulistis. Quantitatẽ & numerum etiam cunctarum rerum, quas de teloneo abstulerant, singillatim eis exponens, addidit dicens: Scitote autem quoniam furtum quod perpetrastis, si non mihi acquieueritis, vt reuocetis cuncta quæ abstulistis, ego illud publicè manifestare curabo. Nam sub mea cura vniuersa fuerunt posita, & ideo pro vestro scelere ego innocens quàm grauiter flagellis cæsus sum. Credite mihi quia nullo modo vobis parcam, si meis non acquiescitis consilijs, sed crastina die morti tradere vos faciam. Illi autem fures cùm viderent se deprehensos, existimantes quempiam fuisse de populis qui eos explorauisset, nimiũ mente consternati, & vltrà quàm credi potest exterriti, vehementer metu mortis coacti, per tetræ noctis silentia reportauerunt omnia, & in teloneo reposuerunt. Mane autem facto, cùm venisset barbarus, & videret cunctã substantiam quam amiserat, flere cœpit præ gaudio, cui tale miraculũ fuerat demonstratũ per sanctum Nicolaum. Tunc apprehensa imagine deosculari eam cœpit, dicens: O sancte Nicolae, fidelis, & iuste, pijssime & misericordissime serue Dei excelsi, quàm sublimis, quàm magnus, quàm præpotens factus es, quàm proximus & familiaris Deo regi immortali, cui viuens militare non cessasti, à quo potestatem accepisse comprobaris, vt talia facere possis, qualia mihi gentili ex ære insensibili patrare dignatus es. Ab ista namque die credo in Christum, & in te. Credidit autem in Christum Dominum, & baptizatus est ipse & domus eius tota, & construxit 18 Ecclesiam in honorem sancti Nicolai. In qua mortuus est cum vxore sua & filijs, pariter glorificantes Dominum & beatum Nicolaum.

17 Huius imaginis miraculum cũctas modernorum hæreticorum blasphemias & deliramenta cõuellit. Nam si earũ vsus esset illicitus, & Deo displiceret, nequaquam mira hæc interuẽtu imaginis istius fieri permisisset.

18 Construxit in honorẽ sancti Nicolai Ecclesiam.

Hæc fuit prima occasio, qua apud Aphricanas Regiones beatus agnitus est Nicolaus: & paulatim ita nomen eius apud barbaros succreuit obsequiis, vt etiam ab his qui carent baptismate frequentaretur assiduè. Nullus enim (vt existimamus) est iamiam in orbe terrarum locus tam remotus, tam abditus, nec etiam solitudo aut eremus, quem fama & miracula Nicolai confessoris pijssimi non illustrauerint. Testes ex hoc existunt non solùm oẽs prouinciæ Græcorum, de quibus originem duxisse cõprobatur, verùm etiam omne Orientale regnum. Testes etiam & barbarorũ diuersæ nationes diuersis linguis vtentes, vniuersam penè Aphricam habitantes, quæ obsequia ei piæ deuotionis exhibent. Italiæ verò habitatores prõptis animis (quamuis nostris temporibus inchoauerint) deuotè celebrare eius 19 festa solenniter didicerunt, eius miraculis assiduè iucundati: Ecclesias plurimas, auxiliante Domino, in honorem eius construere iam & dedicare meruerunt, vt hic eum patronum & aduocatum, & in futuro apud ipsum mundi conditorem intercessorem habeant. Per eum qui viuit & regnat cum patre in vnitate spiritus sancti Deus per omnia secula seculorum, Amen.

Sed si vestræ charitati durius non est, volo adhuc de mirabilibus beati Nicolai vobis enarrare miraculum. Beatus itaq; & electus Domini nostri Iesu Christi Nicolaus Episcopus, dum vitam finiret, & de hac luce migraret ad Dominum, animam eius qui illi dedit eam, ad se de hac luce recepit. Clerici namque & sacerdotes sui, dum hoc conspicerent, gratias egerunt Deo, qui ita sui 20 confessoris animam eleuaret ad cœlum. Tunc accepta aqua, vt corpus lauarent beati Nicolai, apprehenderunt linteamina sancti corporis, & expoliare cœperunt. Erat autem ibidem quidem homo nomine Cethron, & cœpit rogare eosdem sacerdotes & clericos, vt ostenderent in eum misericordiam, & vt aliquid de sancti viri vestimentis sibi dari

19 Itali festa diui Nicolai solẽniter celebrare cœperunt, & Ecclesias plurimas in eius honorem cõstruxerunt & dedicarũt vt eum apud Deũ intercessorem habeant. Nota hæc omnia.

20 Qui animam confessoris sui ita eleuaret ad cœlũ.

ſibi dari debuiſſent. Et dicebat eis cum lachrymis, & deſiderio magno: Ego veni benedictionem à Domino meo Nicolao accipere, & conceſſum mihi non fuit, vt vel vitam eius conſpicerem. Obſecro vos, vt vel aliquid de veſtimentis eius ſancti corporis mihi præbeatis, vt id habeam tantum in honorem ſanctiſſimi Domini mei. Presbyteri verò & clerici beatiſſimi Nicolai hæc audientes, & talem petitionem & deſiderium cognoſcentes, dederũt ei vnum de linteaminibus [21] ſanctiſſimi viri. Cethron autem vt accepit veſtimentum beati Nicolai cum deſiderio magno, tulit locellum nouum, vbi nullus hominum vſus fuit, & cum gaudio recluſit illud, & ibat lætus, dicens: Gratias tibi ago Domine, quia de Confeſſore tuo ſanctiſſimo reliquias porto. Obſecro Domine, vt per has beati Nicolai reliquias de lumbis meis des mihi filium. Reuerſus denique Cethron in ciuitatem ſuam, quæ dicitur Excoranda, ad vxorem ſuam, quæ dicebatur Euphroſina, cœpit dicere: Ecce reliquias beati Nicolai Archiepiſcopi, quem tu deſideraſti videre: deprecemur illum vt per ſuas ſacras [22] reliquias aperiat Deus vuluã tuam, & de tuis viſceribus det nobis filium. Tunc Euphroſina repleta gaudio dicebat: Domine, tibi gloria, qui nobis peccatoribus tantam gratiam conceſſiſti, vt beati Nicolai haberemus reliquias, & rogare cœpit virum ſuum Cethron, vt Eccleſiam in honorem beati Nicolai conſtrueret, vt per ſuas orationes adimpleret Deus deſiderium ſuum. Cuius precibus Cethron benignè fauens, Eccleſiam fabricare cœpit extra portas ciuitatis, in parte Orientis quaſi ſtadijs duobus. Quæ dum completa fuiſſet, [23] dedicauit eam Apolonius epiſcopus eiuſdem ciuitatis in honorem beati Nicolai, in qua recondidit linteamen illud. Tantum illud [24] autem odorem cœperunt habere reliquiæ veſtimenti ſancti viri, quòd vſque ad duo completa ſtadia locus ille ſplenderet miraculis, [25] vt vndecunque ibidem languentes venirent, ſtatim Deus per B. Nicolai merita beneficia præſtaret. Cæcos illuminabat, ſurdis auditum præbebat, & qui ſpiritus diuerſis iniquitatibus habebant, ſanabantur. Omnes denique gratias Deo & beatiſſimo Nicolao cœperunt agere, qui tanta miracula operari dignatus eſt in populo ſuo per ſeruum ſuum Nicolaum. Ornauit itaq; Cethron latera muri coronis aureis, & decantabat Domino Deo laudem quotidie, & dicebat: Domine [26] piiſſime & miſericordiſſime Nicolae, ego ſeruus tuus peto, vt adimpleas deſiderium meum, & depreceris pro me Dominum, vt de carne mea det mihi filium. Cumque quotidie hæc oraret, concepit Euphroſina ex eo filium, & expleto tempore peperit eum in ſexto die menſis Decembris, & vocauit eum Adeodatum, & ad omnes dicebat gratanter: Quia per beati Nicolai reliquias, dedit mihi Dominus hunc quem conſpicitis filium. Erat enim infans clariſſimus & ſpecioſus valde. Poſt hæc omni anno cum lætitia magna cœperunt celebrare ſolennitatem beati Nicolai in anniuerſario nauitatis filij ſui. Cùm autem compleſſet puer annos ſeptem, venit Cethron & Euphroſina cum filio ſuo, & cum his qui inuitati erant, ad feſtiuitatem B. Nicolai. Venerunt autem & Agareni, & prædati ſunt omnes viros ac mulieres, inter quos etiam & puer captus eſt filius Cethronis. Cethron verò cũ vxore ſua liberatus eſt, & oblito puero præ pauore & timore, venerunt in ciuitatem ſuam Excorandam. Agareni verò duxerunt captiuos in Babyloniam, & diuidentibus interſe captos, peruenit puer Adeodatus filius Cethronis in manum regis Marmorini. Euphroſina verò & Cethron cœperunt filium quærere: Et cum non inueniſſent, ſciderunt veſtimenta ſua, & capillos cœperunt euellere, & facies ſuas percutientes, atque lachrymantes, mater dicebat: Heu heu mihi, vnice fili mi, quid miſeræ matri fili de te accidit. Ego miſera cum petitione magna à Domino meo Nicolao cum viro meo petij: & ille rogauit Dominum meum, & te nobis donauit. Non ideo petiuimus vt oculis noſtris videremus de te talem perditionem, ſed gaudium & exultationem in vita noſtra de te expectauimus, & optabamus vt tu clauderes oculos noſtros. Ecce nunc ego vacua ſum de te fili mi. O Domine mi B. Nicolae confeſſor Chriſti, quia per te illum habui, tu illum mihi redde, vt videam illum antequam moriar. Per tuam ſanctam interceſſioné venter meus dolorem perpeſſus, & caput meum infirmatum eſt: & poſtquam illum filium meum ante oculos meos vidi, præ gaudio non memini preſſuræ, ſed gaudens permanſi. O ſancte Nicolae miſerearis miſeriarum mearum, quia te ſciente ego miſera illum nutriui, ego alui: & nunc plenum eſt pectus meum doloribus, quia non video vnicum filium meum. Sancte Nicolae obſecro, redde filium meum, vt ſicut me lætam feciſti, quando illum mihi dediſti, ita & nunc quando in captiuitate eſt deſtitutus, obſecro vt & certiorem me ex illo facias, & reddas filium meum. Carnem [27] non comedam, vinum non bibam, quouſque filium meum non videam. Tunc cœpit Euphroſina ieiunare, & orare, & non comedebat niſi tribus in hebdomada diebus, & ſemper dicebat: Beate Nicolae redde, obſecro, filium meum. Cùm perueniſſet autem propinquius ſanctæ ſolennitati beatiſſimi Nicolai die quinto menſe Decembri, cœpit dicere vxori ſuæ Euphroſinæ Cethron: Mulier acquieſce conſilijs meis, & pergamus ad B. Nicolai ſolennitatem, & quicquid Dominus dederit nobis, pauperibus erogemus, & patrem noſtrum ſanctiſſi-

21. Ecce quomodo omnes res, etiam externæ, ſanctorũ venerandæ ſunt.

22 Linteamẽ ſancti ſacras reliquias appellat, & vult orare vt per eas Deus vxoris ſuæ vuluam aperiat.

23 Aedificauit eccleſiam in honorẽ S. Nicolai, & eã Epiſcopus conſecrauit.

24 Vide quid faciat Deus pro oſtẽſione ſanctitatis rerum ſanctorũ.

25 Quanta miracula, & beneficia præſtet Deus per merita B. Nicolai.

26 Inuocat diuũ Nicolaum.

27 Ecce abſtinẽtiam à carne & à vino cum voto, ieiunia & orationes cum ſancti inuocatione, pro impetratione reditus filij captiui.

mum rogemus: Forsitan sicut liberauit tres illos innocentes de laqueo mortis, & de ira Constantini Imperatoris, & ad salutem adduxit, ita filium nostrum reuocabit. Credo equidem, quia ab illo hæc mihi inspiratio venit. Euphrosina denique vbi talia audiuit, commota sunt viscera eius, & cœpit flere, & facere sicut vir eius præceperat. Cumque in Ecclesiam ingressa fuisset, expandit 28 ad cœlum manus suas, dicens: Domine Iesu Christe fili Dei viui, respice in me peccatricem, exaudi me: & per merita huius beatissimi Nicolai, sicut liberasti multos viros de pelago mortis, & ad salutem adduxisti, & tres innocentes de periculo mortis: sic libera Domine, filium meum de manu Regis Agarenorum, & duc eum ad me: vt cognoscamus & credamus, quia tu es qui omnia potes, & vales eripere omnes qui in te confidunt, & à nexu & vinculo mortis liberare: & es mirabilis in sanctis tuis in sempiternum: qui viuis & regnas in secula seculorum, AMEN.

28 Oratio cum expãsione manus ad cœlum.

Cumque orationem complesset, salutauit omnes, & refectionem cœpit parare clericis & pauperibus, qui ad solennitatem venerant sanctissimi Nicolai. Saderdotes 29 verò & Leuitæ simul omnes canere cœperunt horas ad laudem Domini, & beati Confessoris, & Episcopi. Post actas horas omnes se ordinantes pariter cibum cœperunt inuicem sumere: & statim res mira & inaudita secuta est. Ipsa hora qua sacerdotes cibum sumere cœperunt in solennitate beati Nicolai, eadem, inquam, hora, Rex qui erat in Babylonia, in cuius obsequio erat infans, cœpit dicere militibus suis, atque magistratibus, & ducibus: Dico vobis beatissimi mei, quia ab hora qua natus sum vsque modò, non fuit mihi vnquam comedendi voluntas, sicut modò est. Parate mihi cum festinatione cibum quo vesci debeam, & mensam ponite. Ministri verò cùm talia audissent, posuerũt mensam, & omnes pariter cœperunt cibũ sumere. Cœpit Rex post hæc clamare, & dicere: Poculum mihi præbete, quia velociter bibere cupio. Tunc infans qui erat in obsequio suo cùm talia audisset, parare scyphum, & aqua mundare cœpit. Et subitò commemorauit inter se, & dixit: Heu me, quia expletus est annus, quo captiuus veni in obsequium regis: & longa suspiria trahebat in sensu suo. Rex verò cùm audisset talia suspiria, cœpit dicere ei: Dic mihi, pro qua causa fortiter suspirasti? Infans verò tremefactus cum timore cœpit ei dicere: Domine Rex, recordatus sum subitò in mente mea, quia hodie expletus est annus, quo hic apud te captiuus existo, quia pater meus, & mater mea in hac die faciebant magnam solennitatem in Ecclesia sancti Nicolai Domini nostri. Rex cùm talia audisset, respondit, & dixit ei: O misselli, quid vobis prodest ista cogitare, cùm ego vos apud me habeo? Et quis est qui de manu mea vos tollere possit, quamdiu Deus noster vult facere, vt vos habere debeamus? Fer mihi bibere. Infans accepit scyphum ad potum parandum, & aquam in manu sua ad lauandum scyphum. Subitò 30 vir Dei Nicolaus adfuit, & apprehendit infantem per verticem capilli capitis sui, & reportauit, & reddidit illum matri suæ. Cumque reficerentur omnes extra fores Ecclesiæ, viderunt illum ibidem stantem, & scyphum & aquam in manu tenentem: qui euntes interrogare cœperunt eum, dicentes: Quis es tu? Et ille dicit: Ego sum Adeodatus Cethronis filius. Cùm audiisset hæc Euphrosina mater eius, commota sunt quippe viscera eius super eum, & cœpit flere præ gaudio, & currens amplexata est eum, & tenens collum filij sui gaudere cœpit, & dicere: Gratias tibi ago Domine Iesu Christe fili Dei viui, qui non me fraudasti à gratia tua, sed exaudisti me super filium meum, & vidi illum oculis meis, antequam me vocares de hoc seculo. Qui cum patre & spiritu sancto viuis & regnas Deus per omnia secula seculorum. AMEN.

29 Sacerdotes & Leuitæ cœperunt canere horas ad laudem Domini, & beati confessoris & episcopi.

30 Quid hic dicis hæretice, qui blateras iunctos esse emortuos? Videtur ne tibi mortuꝰ Nicolaus, qui tam mirabile opus patrauit?

VITA DIVI NICOLAI EPISCOPI, PER SVIdam scripta, Alberto Lino Clerico Veronense Interprete.

NIcolaus Myræ quæ est in Lycia, Episcopus, & ardens Christianorum amator, & Dei valde familiaris fuit. Hic sanè nihil scripsit. Cæterùm quum in somnis Constantino regi astitisset, & tres duces cuiusdam calumniatoris opera capite damnatos, exaudita eorum precatione liberauit: & alios quosdam milites similiter à morte eripuit, nec vsque in hodiernum diem cessat eius patrocinium implorantes 1 ab omni necessitate vindicare.

1 *Nota pro inuocatione sanctorum, & quod diuus Nicolaus vindicat ab omni necessitate implorantes eius patrocinium.*

VITA

VITA ET MIRACVLA SANCTI PATRIS nostri Nicolai Episcopi Myrorum Lyciæ.

Apud Simeonem Metaphrasten.

VI. Deceb.

SCITA quædam res est manus pictoris, & quæ pulchrè quidem scit imitari veritatem, & rerum signa ostendere euidentia: sed res est magis scita oratio, & pictura longè efficacior, ad id quod vult ostendendum, & rem oculis subijciendam: quòd & magis scit incitare ad imitationem, & aliquem stimulum imitationis in animas immittere, & ad paria excitare. Iam enim vita eorum qui ex Deo vitam egêre, expressa oratione, multos ad virtutem attraxerit & aduocauerit, & ad similem zelum omnino accenderit. Quomodo etiam vita diuini patris Nicolai, & eius potius quàm alicuius alterius, quòd & aures delectat, & animam afficit lætitia, & excitat animũ ad honestarum rerum operationem. Sunt ergo res eius narrandæ, & oratione comprehendendæ pro viribus, etiamsi iam olim quidem multis cognitæ, & quæ nulla indigent historia, nisi ad eas repetendas, & in memoriam reuocandas, & ad vestrûm virtutis amantium lætificandos animos. Huic ergo magno & admirando patri patria quidem erat Patara, Lyciæ ciuitas prius insignis. Parentes autem honesto quidem loco nati: eas verò possidentes facultates quæ sufficiebant, & non erant superfluæ: qui quidem mundanam gloriam & pompam ne gustauêre quidem, & filio futuri erant pulchrum exemplar ad hoc vt ei gratum esset nil possidere, ei soli quod bonum est vacãtes, & id modis omnibus persequentes. Hi plantati secus decursus aquarum pietatis, simulatque dant in tempore fructum diuinum Nicolaũ, mater cessat parere, sterilis ab illo tempore manens, & nullos producens liberos, quodãmodo profitente natura non posse eam alium talẽ proferre. Sed cùm eum primum simul & vltimum, generosum ramum mater in lucem edidisset, multiplicem spiritu cum coniuge fructũ dedere virtutum cumulum: hac verè pulchra locupletati sobole, Nicolao inquam, admirabili. Ex his natus præbuit indicium suæ cum Baptista coniunctionis, eius quæ ipsum peperit sterilitatẽ: quod ille quidem in lucẽ editus soluit matris vterum: hic autẽ contrà claudit. Cùm autẽ oporteret eum lactare vt infantem, & maternis admoueri vberibus, hic quoque Deus significat qualis esset futurus Nicolaus, cùm venisset ad ætatem quæ saperet. Nam tota quidem hebdomada mamilla vtebatur vt infans: cùm venisset autem 1 quartus dies & parasceue, semel in vtroque eorum lac sumebat, idque vespertino tempore, sub perfecta regula educatus etiam ante pueritiam: & familiarem sibi esse abstinentiam ostendens ab initio. Cùm sic ergo educaretur, & bonos mores partim quidem ex illis ipsis parentibus exprimeret, partim autem ipse ex se produceret & coleret, tanquam bona aliqua & generosa terra, & iam ad idoneam peruenisset ætatem, traditus fuit Grammatico. Is verò cùm optimo & acutissimo ingenio plurimas disciplinas breui tẽpore percepisset, ciuile quidẽ & forense genus doctrinæ respuit. Insolentes autẽ soliditates declinans, & consuetudines, & collocutiones cũ mulieribus, & vel oculos in eas inijcere sibi interdicens, curam gerebat veræ temperantiæ: & iubens valere externas conuersationes, diuinis omnino vacabat ædibus, & mallens in eis abiectus esse ex diuini Dauidis sententia. Postquam autem in diuinarum scripturarum, & de Deo dogmatũ cognitione satis elaborasset, & ornatus esset gratijs innumerabilibus, accuratamq; & exactam vitæ formã quæ decet Sacerdotes, verè obseruaret, quinetiã vel ante canos essent eius mores constantes & similes, rogabant ipsum vt fieret 2 presbyter. Hortatu ergo eius patrui, ab Antistite qui tunc erat Myrensium, ordinatur presbyter: & Deo qui ipsum dederat, redditur, vt qui parentibus re vera fuisset donum precationis. Hic autem Myrensiũ pontifex donum diuini spiritus cõsecutus, videns iuuenis animam florentem virtutibus, prædixit gratiam quæ in eo erat abũdatura, sic dicens: Eorum quidem qui tristitia afficiuntur, erit benignum solatium. Pulchrè autem pascet animas: & eos qui errauerint, reuocabit ad pascua pietatis: Et apparebit seruator ijs qui fuerint in periculis. Quæ quomodo tempore postea ad effectum deducta sint, declarabunt ea quæ deinceps consequuntur.

1 Quarta & sexta feria Nicolaus infans semel sugebat vbera, in signũ ieiunij & abstinẽtiæ.

2 Si rogabant vt presbyter fieret, ab Antistite est ordinatus: non sunt omnes ex æquo sacerdotes, vt volũt impij dogmatistæ.

Quid oportet autem dicere quanta post eius ordinationem ad virtutum exercitationem ei accessio facta sit, 3 vigilijsq;, ieiunijs & precibus quomodo se dederit? Quibus ex rebus factum est, vt vitam incorporeorum in mortali corpore agere contenderet: & ideo multis de eo quædam magna daret conijcienda. Postquam verò eius patruus, cuius prius meminimus, nominabatur autẽ ipse quoque Nicolaus, vidit adolescentem eo processisse virtutis, & tanta dignatum esse gratia, ei mandat diuini templi curam, quod ille prius ædificauerat in nomine sanctæ Syon, & construxerat monasterium: & ad iuueni hac in re opem ferendã adhibet quoscunque sciebat esse virtutis eius socios, vt simul cum eo ferrent curas Ecclesiasticas, & diligentissimè rebus sacris prouiderent. Atque cùm aliquando quidem 4 profectus

3 Vigiliæ, ieiunia, & orationes, sancti fuerunt exercitia.

4 Peregrinatur Nicolaus ad loca sancta, vt viuificũ Domini sepulchrũ & salutare lignũ crucis adoret.

esset Hierosolymam admirandus Nicolaus, vt viuificum Christi sepulchrũ & salutare lignum crucis in ea adoraret, impleuerunt isti locum illius: & ea quæ ad templum eiusque dispensationem pertinebant, ita administrarunt, ac si ille adfuisset. Sed hæc quidem postea.

Cùm autem eius parentes iam è vita excessissent, facultatum hæres relictus, & ea perpetuò faciens quæ par est filium qui diligit parentes, non statim aspexit ad diuitias: neque quẽadmodum amplificaretur, & ei permaneret hæreditas, vel paruam vllam curã gerebat. Nam cùm iam olim omnibus mundanis renunciasset delitijs, per eam quæ est hæc consecuta viuendi rationem, contendebat ostendere vera vitæ proœmia: & principio consentiens reddere id quod deinceps accesserit. Et ideo omnia sua Deo permittens: Notam fac mihi Domine, dicebat, viam in qua ambulem. Quoniam ad te sustuli animam meam: & doce me facere voluntatem tuã, quoniam tu es Deus meus. Quoniam in te proiectus sum ab vtero: A ventre matris meæ Deus meus es tu. Audiui autem diuinum quoque Dauid sic dicentem: Diuitiæ sic affluant, nolite cor apponere. A sapiente quoque Salomone: Eleemosynæ & fides ne te deficiant: non desistebat benefacere, sed erat manus aperta egẽtibus: & fluuius fluens multo & quieto fluento. Verùm enimuerò iam par est meminisse singulorum, vt diuitiæ eius bonitatis cognoscantur accuratius. Vir quidam qui ex claro obscurus, & ex diuite fuerat factus pauper, quoniam redactus erat ad summam rerum omnium inopiam, cùm ipsa etiam ei defecissent necessaria, proh dolor quousq; progreditur egestas? statuerat filias suas (erant autem tres forma insignes) mercede ad libidinẽ prostituere volentibus: & ex earum quæstu se & filias alere. Eas enim matrimonio cõiungere nõ poterat, quòd propter nimiam paupertatem omnes eas dedignarentur. Is ergo in his erat: & hanc improbã animo versabat cogitationem, & iam ad miserabile opus aggrediebatur. Sed tu Domine qui es & natura bonus, & omnis boni causa, & benignè inflecteris nostris necessitatibus, efficis vt hoc veniat ad aures Nicolai: & bonum mittis nuntium, & promptum opitulatorẽ ad eum qui iam veniebat in animæ periculum, qui simul & eius solaretur paupertatem, & liberaret à re quæ erat grauior paupertate. Vide autem sancti cum prudentia commiserationem. Non enim sustinuit ad eum accedere, & de eo paucis disserere: neque ei ostendere manum quæ illi benefecisset, quæ solent facere qui sunt ad misericordiam pusillo & abiecto animo. Sciebat enim hæc esse grauia ijs qui ab opibus & gloria deciderunt ad inopiã, vt quæ eos pudore afficiant, & priorem felicitatem reuocent in memoriam: sed perinde ac Euangelicũ præceptum contendens superare, quo iubetur, ne id quod fit dextera fidei sinistræ credatur: ne ipsum quidẽ qui afficiebatur beneficio voluit adhibere testem eius quod fiebat: tantũ aberat vt gloriam quæreret ab hominibus. Nam ipsi etiam boni quid faciens, magis studebat latêre, quàm ij qui mala faciunt. Certè cùm auri permultum simul colligasset, intẽpesta nocte venit ad eius viri ædes, & cùm id per quandam iniecisset fenestram, domum statim reuertitur, veluti erubescens videri dare. Manè ergo cum vir ille surrexisset, & aurum inuenisset, & deinde vinculum soluisset, fuit obstupefactus, & se falsum esse putabat, timens ne non esset aurum id quod cernebatur. Vndénam enim tale quid fuisset suspicatus, noluisse benefactorem eum habere conscium beneficij cui benefecerat? Quocirca summis id atterens digitis, & curiosius intuens, vbi cognouit id verè esse aurum, lætabatur, mirabatur, dubius erat animi, præ gaudio calidas effundebat lachrymas. Postquam autẽ multa apud se versans, neminem habebat eorum quos cognoscebat, cui adscriberet id quod factum fuerat, hoc Deo acceptum ferebat: & lachrymis non cessabat ei gratias agere: sui quoque in Deum peccati culpam contendebat soluere ante alia, & vnam ex suis filiabus, nempe primã, viro cõiungit matrimonio, pro dote ei soluto auro quod abundè fuerat suppeditatum. Quod quidẽ postquam venit ad notitiam Nicolai admirabilis, & hominem cognouit fecisse ex eius animi sentẽtia: hoc enim erat ei studio per nuptias auferre mali occasionem, paratus erat similia quoque facere in secundam filiam: atque adeo tantundem auri pondus alligatũ mittit per eandem fenestram noctu, omnibus inscientibus. Cùm verò vir mane surrexisset, & aurum similiter inuenisset, eodem modo rursus fuit obstupefactus: humique prostratus, solum calidis irrigabat lachrymis: Deus, dicens, qui vis misericordiam, dispensator nostræ salutis, qui etiam prius propter meam homo factus es inobedientiam: & nunc me cum filiabus liberas à laqueo alieni, ipse mihi ostende eum qui tuæ deseruit voluntati: qui inter homines est Angelus, & imitator tuæ benignitatis: quis hic est qui nos eripuit à paupertate quæ nos premebat, & à tetris soluit cogitationibus? Ecce enim tua misericordia secundam filiam trado viro coniungẽdam matrimonio legitimo, quæ iam vitauit, ne sit præda diaboli, & ne mihi quæstum adferat quouis damno proh dolor grauiorem.

Hæc dixit: & secundæ filiæ statim celebrauit nuptias, erecto iam animo, & bona spe ductus fore vt nec in tertia quidem ei sit defuturus, qui eam accipiat coniugem. Se enim iam in promptu putabat habere dotem, ex prioribus de ea quoq;, vt par erat, concipiens fiduciã.

Erat

Erat itaque attentus & sollicitus,& totas noctes vigilabat assiduè,ne eo insciente accederet egregius ille suppeditator pecuniæ: sed si veniret,eum ambabus manibus apprehenderet,& ex eo sciret quisnam esset,& vndenam aurum ad eum afflueret. Atque ille quidem sic vigilabat,aduentum eius præstolans. Tertio autem pedetentim accedit Dei seruus Nicolaus,cùm esset nox profunda, & cùm venisset ad locum consuetum,tantundem auri rursus alligatum immittit per eandem fenestram. Pater verò puellarum cùm sensisset strepitum auri quod ceciderat,& animaduertisset adesse consuetum opum suppeditatorem,quàm citissimè potuit, eum est persecutus,cumque eum comprehẽdisset,& cognouisset quisnam esset (neque enim is propter virtutem & splendorem generis erat obscurus) procidit ad eius pedes,& illum redemptorem vocabat,& adiutorem,& seruatorem animarum quæ iam ad extremum adducebantur periculum. Nisi enim,dicebat,tuas magnus ille in misericordia Dominus excitasset miserationes,iam olim perissem infelix pater cum tribus,hei mihi,filiabus. Sed nunc nobis per te dedit salutem,& ab acerbo casu peccati liberauit: & erexit mendicos è sterquilinio,& è terra surgere fecit pauperes. Hæc ille quidem cum lachrymis lætitiæ,& calido spiritu fidei ei dicebat: & ad beatos illos pedes adhærescebat. Ille autem postquam cognouit se iam homini euasisse manifestum,eum facit surgere,& sacramento illius astringit animam, ne apud alios proferat quæ facta fuerant toto tempore vitæ suæ: neque publicet misericordiam. Hoc est huius viri vnum,& quod est maximum,& maximè cognitum. Eius verò quę quotidie fiebant in egenos distributiones,& panis mendicis suppeditationem, quos in fame alebat,& bonis implebat animas esurientes. Sed ad hæc ne mediocriter quidem dicenda suffecerit aliquis. Quoniam autem etiam virtutem amabat perfectiorem, & maiorem apud Deum cõiunctionem assequi & familiaritatem, capitur quidem amore silentij, animo verò concipit abscedere, vtpote quod non posset aliter assequi quod desiderabat. Vacate enim,inquit,& cognoscite. Quamobrem statuit se longè remouere, & cõuenienter Prophetæ habitare in solitudine: & cùm aliquando ei visum esset venire Palæstinam,vt sancta loca videret, in quibus qui pro nobis passus est Dominus in mundo est versatus,cùm ascendisset nauem quæ tũc venerat ex Ægypto, tendit versus Palæstinam,simul quidem quærens eam quam desiderabat solitudinẽ, & 5 proficiscens ad visenda loca sancta. Sed de his quidem dicere differamus: paulum autem immoremur in nauigatione: atque nauigabat quidem recta in Ægyptum. Cùm autem nihil futurorum à nautis præuidetur, is tempestatem maximam & sæuos ventorum impetus eis prænunciat. Dicebat enim se vidisse malignum nauem ascendentem, veliq; & claui rudentes gladio dissecantem,& totam nauem retinentem & circumagentem,& volentem eam cum viris ipsis submergere. Sic,inquit,& statim veluti signo dato,vehemens quædã procella spirans è nubibus, pelagus tollit in fluctus maximos,& qui cum eo nauigabant,non minus fluctuabant animis,& prope magnum stantes Nicolaum, Deum quidem precabantur, ipsum verò rogabant, vt opem ferret in grauissimum adductis periculum,& nullam sperantibus mali solutionem: ex eo quòd ipse prædixisset,sperantes eum posse etiam opem ferre. Ille autem eos iussit bono esse animo, & pollicitus est breui futuram à malo liberationem. Omnia certè quæ eis molesta erant citò sunt ablata: mareque euasit placidum,& in perfectam mutatum est tranquillitatem: & ipsi obliti lamentationum, ad lætitiam animi sunt conuersi, Deo & eius famulo agentes gratias: & dupliciter eam admirantes,& quòd prædixisset,& quòd tristia remouisset. Sed cùm hæc ita se haberent, quidam ex nautis cùm in summum mediæ antennæ ascendisset,vt nauis armamentorum rectè aliquid componeret: cùm iam illinc esset descensurus, ex alto lapsus cadit in mediam nauem,& ille quidem iacebat nihil spirans,& videbatur mortuus. Ille verò ad opem ferendam etiam antequam vocaretur paratissimus, oratione eum facilius quàm si somno detineretur, excitat: & viuum rursus nautis reddidit. Deinde cùm vela omnia expandissent,& aura leni & suaui confecissent sequentem deinceps nauigationem, cùm iam terræ appulissent, multas Dominus per Nicolaum fecit curationes. Nam & cæci statim claram lucem aspiciebant: & alij qui laborabant, liberabantur ab ijs quæ habebant malis. Et vt semel dicam, nullus erat qui ab illo detinebatur morbo aut ægritudine, aut vlla etiam opprimebatur molestia,qui si ad Nicolaum accessisset,non statim curaretur & leuaretur eo quod illi adferebat molestiam. Cùm sic ergo non solùm facilis,sed etiam gratuita facta sit curatio,quémnam oporteret abesse ex ijs qui male se habebant,dat ratio considerandum: rursus verò quàm multi fuerint qui curabantur: deinde etiam quanta fieret ad Deum gratiarum actio, & quanta esset celebritas eorum qui eum glorificabant. Cùm illinc autem profectus esset ad Christi sepulchrum, rursus etiam venit ad venerandum Golgotha, vbi etiam pro nobis fixa est crux salutaris. Deinde etiam noctu accedit ad diuinum lignum crucis. Et ei quidem sua sponte aperiuntur sacrosancti loci portæ. Cùm feruentes autem preces,& multam illic obtulisset adorationem,consequitur etiã maiorẽ boni

5 Vide iterum peregrinationem ad loca sacra.

spiritus operationem. Postquam verò satis versatus fuit in Palæstina, rursus per mare reuertitur in patriam, cùm hoc diuina ei iussisset visio, ne suaui illius voce eius oues amplius priuarentur. Hic cùm nauem ascendisset ille admirabilis, & nautarum arguitur improbitas, & diuini spiritus virtus in eo habetur in admiratione. Nam ille quidem erat nauigaturus in patriã: & cùm hoc prius pactus esset, cum bonis illis nautis, ita nauem ascendit. Illi verò postquam sustulissent anchoras, domum versus tendebant: Cùm è portu ergo egressi essent, & velum extendissent, secundo velo vtentes, nauigabant in patriam suam. Nequaquam autem hoc contemptui habuit iustitia, sed euestigio eos est persecuta: & violenta quædam repentè exorta tempestas clauum auulsit, & detraxit gubernacula: & ipsis quidem vltimum minabatur periculum: illum autem appulit in portum patriæ. Quid ergo ille magnus & misericors animus? Ne acerba quidem in eos vsus est oratione. Sed cùm primum eos vidit mutatos, & acerba motos pœnitentia, à propria quoque victus est bonitate: & secunda nauigatione eos rursus remisit in patriam. Ipse verò sanctæ Syon iam redditus monasterio, quod ab eius patruo olim pulchrè fuerat ædificatum, vt iam antè declarauit oratio, iucundè ab eis est visus, & omnes qui in ipso erant repleuit voluptate: eosque excepit liberali & munifica gratia. Sapienter autẽ res eius superna dispensabat prouidentia: & magnam hanc lucem erat magno impositura candelabro, & ideo eum rursus deduxit ad ciuitatem, diuinum mel virtutis diligenter operantem. Cùm sic autem vitã ageret, vt humanos omnes lateret oculos, se magis aperiebat, & ostendebat esse maximi faciendum. Non enim celabat virtus operarium: non magis quàm lux eos qui per illam ambulant. Quinetiam fructus laborum illius citò arborẽ indicabant. Sed Deus quoque qui nouerat occulta cordis illius, non sustinens cultorem suum amplius latere, virum reddit manifestum. Quemadmodum autem hoc factum sit, attendenda est narratio. Cùm illo tempore Myrensium antistes & sedem & vitam simul reliquisset, & iter ad Deum esset ingressus, diuina subiit æmulatio subiectos ei Episcopos, & è clero eximios, vt vir dignus in sede reponeretur. Et cùm essent aliquando omnes congregati in Ecclesia, consuluit quidam ex eis Dei & sapientiæ illius dispensationi hanc rem precibus committere. Hoc cùm omnes, tanquam vnusquisque suam elegisset sententiam, Deus qui facit voluntatem timentium eum, & exaudit preces illorum, vni eorum reuelat eum qui erat præfuturus Ecclesiæ: & ad eum aliquando diuina apparens visio, visa est ei iubere, vt veniens ad templi aditum illic staret: & dicere, qui primus ad templum venerit, is est qui meo mouetur spiritu: & eum accipientes (est autem ei nomen Nicolaus) eum create Episcopum, hoc enim est ei prædestinatum. Cùm hoc vir ille diuinus accepisset mysterium, hæc synodo & clero communicat: & omnibus diligentius vacantibus orationi, is cui ille magnus fuerat reuelatus, venit in eum locum ad quem fuerat iussus. Iam autem circa matutinum diuino spiritu motus magnus ille Nicolaus, venit in Ecclesiam. Cùm verò fuisset in vestibulo, eum accipiens is qui illa fuerat dignatus visione: Quomodo vocaris, ô fili, diligenter rogauit. Ille autem comiter & simpliciter: Nicolaus peccator, inquit, Domine, seruus tuæ sanctitatis. Ille verò vir diuinus postquam hæc moderata & humilia audiuit Magni verba, partim quidẽ ex nomine Nicolai quam ei prædixerat visio quæ apparuerat, partim autem ex summa modestia. Non ignorabat enim: Super quem Deus respicit, nisi supra mitem & quietum: cognoscens illũ hunc esse quem Deus significabat, protinus impletur lætitia: & perinde ac si in aliquẽ occultũ incidisset thesaurum, & lucrũ esse reputasset viri inuentionem, dicit ei: Sequere me fili. Deinde eum assumpsit, & duxit ad Episcopos. Illi verò rem statim conijciunt quæ à viro prius eis dicta fuerat: & diuino gaudio ei quoque plenus fuit animus: & Dei suffragio conuenientẽ iudicant viri virtutẽ. Deinde sanctum statim ducunt in medium tẽplum. Cùm verò in omnẽ partem fama peruasisset, solet enim ea in rebus tam magnis valde contenta & celeri vti penna: confluit quidem multitudo innumerabilis. Illi autem maxima voce: Accipite, inquiunt, ô fratres, vestrum pastorẽ quem vobis vnxit sanctus spiritus, cui nostras animas gubernãdas & instituendas tradidit: quem non humanum suffragium, sed diuinum præfecit. Habemus ergo quem desiderabamus: quem quærebamus, nunc accepimus. Cùm ab eo rectè pascendi & ducendi simus, non deficimur spe fore vt Deo assistamus populus peculiaris in die apparitionis eius & reuelationis. His adiecit populus gratiarũ actionem, & locutus est lætitiæ verba ad Deũ quæ verbis exprimi nequeunt. Sacra autem Episcoporum synodus vnà cũ clero, cùm quicquid iustum est, & fit de more in eo prius disposuissent, eum pontificatus chrismate initiant, cunctantem quidem & dubitantem suscipere munus Pontificale, propter verè laudatam autem timiditatem vix ad sedem ascendentem Episcopalem, & Myrensium suscipientem præfecturam & præsidentiam, rectè tractantem verbum veritatis, & pietatis recta tenentem dogmata, & ea docentem. In hæc autem malignus inuidum iniecit oculum: sic enim florentẽ non ferebat pietatem, sed acris vehemensq; eos subiens, qui rerum potiebantur, statim acerbio-

acerbiorem effecit persecutionem: & edicta venerūt imperatoria per vniuersum orbem terræ, ad abnegandam pietatem fideles euocantia. Sin minus, vincula, & carceres, & grauissima tormenta, & postremò violentæ mortes eos accipiebant protinus qui non obtemperabant. Ea breui perueniunt vsque ad ciuitatem Myrensium, volucribus vtentia ministris feruētibus impietatis amatoribus. Diuinus ergo Nicolaus, quoniam in ea erat magnus, res defendens & colens Christianorum, & pietatem libera voce prædicans, comprehenditur ab ijs qui primas partes tenebant in ciuitate: & condemnatus vt in vincula cōijceretur, & omni supplicìorum genere torqueretur, cum multis alijs Christianis traditur in custodiam, in qua etiam mansit non paruo tempore, nulla re quidem quæ bona esset fruens: mala autem carceris ferēs tam forti & generoso animo, quàm quis ferret ea quæ essent grata & iucūda. Sed nec sic quidem intermittebat suos in fide alere: infirmo & infracto fundamento pedes illorum statués, & eos reddens viuidiores & acriores pro veritate.

Sed statim sol apparet post nubem, & leuis & suauis quædam aura post procellam, benignusque & clemens meus Christus desuper ad suam intuēs hæreditatem, destruit quidē omnia impietatis sceptra, tollitq; de medio, Diocletianos, inquā, & Maximianos, & quicunque fuere post eos Gentiles: erigit aūt cornu salutis populo suo, & figura crucis per stellas apparēte Constantis & Helenæ filium Constantinum euocat: & ei tradit sceptrum Romanorum. Is verò cùm esset sapiens, & eum qui vocasset non ignorasset, in eo confidit: & deiectis omnibus aduersarijs, acerrimè defendit pietatem: & ijs qui prius fauerāt Imperatoribus cecinit palinodiam: iubēs quidem dirui templa simulachrorum, solui autē è carceribus eos qui fuerant inclusi propter nomen Christi, & ædificari 6 templa Christianorum: & Ecclesias suum ornatum suscipere. Cùm hoc ergo decretum omnem eius imperio subiectam comprehendisset regionem, in suam patriam reuertebantur omnes Christi confessores. Suū itaque pontificem Nicolaum ciuitas suscepit Myrensium, instituto quidem ac voluntate martyrem & incruentum victorem. Ille autem à Deo datis omni ex parte florens donis, & morbos omnes curabat, & fuit breui clarus & gloriosus, non solùm apud fideles, sed etiam apud multos infideles, & habebatur in omnium animis in maiori admiratione quàm quæ possit verbis exprimi. Et ideo cùm videret adhuc restare multas aras simulachrorum, & magnam dæmonū cateruam in eis habitare, & non paucos perdere ex Myrensibus, diuino zelo animo incensus exurgit fortissimè, & omnem illorum obiens regionem, si in aliquam aram aliquando incidisset, humi deijciebat, & in puluerē cōminuebat, & sic procul expellens dæmonum multitudinem, effecit vt grex pace tranquilla frueretur. Cùm sic bellum gereret sanctus aduersus spiritus improbitatis, fit quædam ei è superis inspiratio & diuinior cogitatio, vt ne à Dianæ quidem templo abstineret: sed ipsum quoque aggrederetur, & ei idem faceret quod prioribus: erat enim id & pulchritudine admirabile, & alios superās magnitudine, & iucundissimum dæmonibus habitaculū. Cùm ergo maior aduersus hoc templum eum subijssent impetus, idque iuuenilius & acrius esset, non solùm diruit omnia quæ supra terram eminebant, & ea humi deiecit, sed etiam totum cōuulsit ab ipsis fundamentis, & ad summam, tēpli quidem ea quæ erant in aëre sublimia humi deiecit: quæ autem erāt sub terra, proijcit in aërem. Mali verò dæmones ne aduenientem quidem sanctum vllo modo poterant sustinere: sed etiam voces emittebant fugientes: & affirmabant, se ab ipso magna affici iniuria, & inuitos à rebus suis excedere. Et hæc quidem sancto sic procedebant: & bonum exitum est assecuta quæ ab ipso aduersus dæmones suscepta fuerat expeditio. Sed aliarū eius rerū vult rursus meminisse oratio, & non mandare obliuioni ea quæ digna sunt quæ dicantur, & mandentur memoriæ. Cùm enim Constantinus, qui primus Imperator elegit esse pius, administraret Romanorum imperium, & hic magnus Pontifex suam exerceret plebem ad recta suscipienda dogmata, & si quid in eis erat alienum, & adulterinū, id totum radicitus excinderet, Niceæ quidē omnes congregantur Orthodoxi, vt pium fidei decretum constituerent: Arrij autem impiam procul expellerent blasphemiam: & conciliarent pacem vniuersæ Ecclesiæ, decernendo filium esse patri honore æqualem, & ambas partes coniungendo in vnam. Fit ergo hic quoque admirabilis Nicolaus pars sacræ synodi, & strenuè resistit nugis Arrij, & cū omnia dissoluisset, & accuratā fidei regulam omnibus tradidisset, illinc recedit, & ad suum gregem reuertitur, adhortans omnes & adducens ad virtutem, & tractans doctrinam acrius & feruentius. Cùm autem aliquādo fames inuasisset Lyciam, alimento etiam opus habebat ciuitas Myrensium, & ijsdem malis laborabat. Cuidā itaque nautæ qui frumenti fecerat mercaturā, noctu magnus apparet Nicolaus, & ei tribus datis pro arra aureis, iubet eum proficisci in ciuitatem Myrensium, & ijs qui sunt illic vendere frumentū. Excitatus itaque mercator aureis in manu inuētis, cùm visione mente agitasset, & quod factum fuerat esset admiratus, venit Myram. Et ille quidem vendit frumentum in ciuitate: qui verò in ea erant, inuēto eo famis solatio, id Deo & magno Nicolao, sicut etiam multa alia, adscribebant.

6 Si Christianus Imperator mādat templa ædificari, & Ecclesias suum ornatū suscipere, qui contra hoc faciunt, iam nō Christiani sunt habendi, sed pagani vel hæretici.

Deinde seditio à Taiphalis oritur in magna Phrygia. Quod cùm audisset imperator Constantinus,& de eo communiter liberasset,tres simul ei subiectos duces exercitus, eorum autem nomina erant Nepotianus,& Vrsus,& Herpilion, ad res sedandas & componendas emittit in Phrygiam. Illi verò magna celeritate profecti Constantinopoli, appulerunt in quendam portum Myrensium prouinciæ Lyciæ, vocabatur autem Andriaces nauale. Cùm verò non concederet eis mare vt nauigarent,breui tempore in portu manserũt, & interea quidam ex eorum militibus è naui exeunt, ea comparaturi quæ erant eis ad vsum necessaria. Quomodo autem solent milites alienarum rerum rapina & violentia valde delectari, ijs hic quoque vtebantur: & res vexabant accolarum,& depopulabantur. Deinde res etiam processit ad seditionẽ, & excitatus est quidam tumultus ad Placoma quod dicitur. Hoc cùm resciuisset Nicolaus admirabilis, ille nihil cunctatus venit ad nauale. Postquam autem manifestus fuit paucis quibusdam,fama omnia peruasit, & protinus vniuersa ciuitas cum ducibus exercitus de more ei processit obuiam. Cùm ille itaque exercitus duces interrogasset quamobrem & vnde venirent, illi dixerunt se fuisse missos ab Imperatore,vt componerent seditiones exortas in Phrygia. Ille verò eos in ciuitatem acceptos splendidè & magnificè hospitio excipit. Deinde cùm illi militum tumultum sopiissent, & ab illo assecuti essent benedictionem,iam erant egressuri. Interim autem quidam ex ciuibus ad sanctum Nicolaum accedunt: & ad eius pedes magno animi ardore procidentes, rogabant vt opem ferret ijs quibus fiebat iniuria: & postulabant vt liberarentur à malis præsentibus. Præsens enim Eustathius, cum eiulatu dicebant & lachrymis, pecunijs corruptus ab ijs qui colunt inuidiam & improbitatem,tres viros ex ijs qui sunt in ciuitate, cùm nihil omnino peccarint,morte mulctat. Pro his ergo vniuersa ciuitas miserandum in modum cruciatur & affligitur: & in magno mœrore tuam implorat præsentiam. Si enim adfuisses,non apud eam tale Sol scelus aspexisset. Hæc cùm homo Dei audijsset & imitator illius clementiæ,ad hæc excitatur & assurgit animo, zelum induens & fiduciam, & assumptis Ducibus exercitus,statim viam est ingressus. Cùm autem fuisset in quodam loco,is verò vocabatur Leo, rogabat eos qui accedebant, an de viris illis aliquid scirent, & vbi eos reliquissent. Illi autem in platea,inquiunt,apud Dioscoros qui vocantur. Ille verò rectà pergens ad martyrium sanctorum Crescentis & Dioscoridis,vbi intellexisset eos modò portam egredientes duci ad Beran,is autẽ erat locus quo ad mortem ducebantur condemnati,gradum accelerans,& quod deerat senectuti,cordis feruore supplens,breui tempore peruenit ad locum constitutum, & videt magnam quidem circunsistentem multitudinem,viros verò, proh dolor, penè vinctis manibus,& opertos habentes oculos, & nudo collo & extenso sectionem expectantes,miserabile spectaculum,& quòd nec oculum quipem oporteat habere testem perpessionis: & ipsum carnificem qui iam gladium strinxerat, cædemque spirantibus & furiosis intuebatur oculis, & vel solo aspectu præ se ferebat immanitatem. Hæc postquam vidit,& in illud triste spectaculum coniecisset oculos, lenitate temperans austeritatem, neque temerè & insolenter aliquid est locutus,neque timido accessit & pusillo animo,sed cursim accedens ad lictorem,ensem quidem eripit ex illius manibus,nullo timore affectus aut perturbatus, eum autem iacit humi: & viros illos soluit vinculis quibus erant ligati. Hæc eum facientem cum magna autoritate,nemo erat qui esset prohibiturus,cùm & insignem eius nossent virtutem, & eius pro iustitia zelum reuererẽtur. Atque ijs quidem qui seruati fuerant, lætitia calidas mouebat lachrymas: & ob mutationem alacri animo simul exclamabant. Totus autem campus erat theatrum,laudabantque omnes,& in clamorem erumpebant ad conspectum eorũ quæ aspexerant. Tunc Præses apparet Eustathius,sed eum cùm apparuisset magnus despicit Nicolaus: & minimè admittit accedentem: & properantem procidere ad eius pedes repellit: & minatur se de eo dicturum Imperatori,& aduersus eum Deum esse vocaturum,& in extrema eum esse mala adducturum,qui tam iniustè vtebatur magistratu, & magna mala aggrediebatur. Ille autem & grauiter feriebatur stimulis pœnitentiæ: & cor eius mordebatur graui morsu conscientiæ. Ea ratione & lachrymis captabat misericordiam, eique fiebat supplex: & toto animo rogabat vt magnus Nicolaus ei reconciliaretur. Deinde culpam quoque transferebat in Simonidem & Eudoxium,qui erant primi Myrensium. Non ignorabat autem eum mentiri. Sciebat enim eum pecunia corruptum morte damnasse innocentes. Atque illi quidem maximas ei agebant & habebant gratias: & præclarus Christi seruus à lingua eorum canebatur: & illius solius hoc fuisse factum erat extra controuersiam. Duces autem exercitus diuinis eius dignati precibus,& eas honestum ducentes viaticum, venerunt in Phrygiam, & rebus illic omnibus,vt oportuit,compositis,& ijs confectis quæ iusserat Imperator, læti rediêre Byzantium. Hi accipiuntur ab Imperatore & magistratibus honorificè, & magnificè,& de cætero in regia erant clari & insignes: & erat magna in eos obseruantia.

Non

Non erat autem hæc æquo animo passura inuidia: neque erant tolerabilia inuidorum oculis. Accedentes itaque quidam ad Præfectum vrbis, vt qui existimatione ab eis vinceretur, aduersus illos grauem adornant calumniam, dicentes illos duces non rectum capere consilium: neque eorum desiderium ad bonum finem tendere. Res enim nouas moliuntur, quantum ad nostras aures peruenit: & mala machinantur aduersus Imperatorem. Cùm de his ducibus hæc dixissent, & multo auro Præfectũ emissent, per illum corrumpunt aures Imperatoris. Nam cùm ipse protinus venisset in conspectum Imperatoris, narrat quæ ab illis audiuerit: & persuadet vt indicta causa ab illo capiantur, & in carcerem conijciãtur, ne nobis, inquit, non animaduertentibus faciant ea quæ sunt meditati. Sic quidem factum est, & coniecti sunt illi in carcerem, cùm nec ipsum quidem scirent cur essent traditi in custodiam, tantum aberat vt aliquid malè machinati essent aduersus Imperatorem.

Intercessit aliquantulum temporis, & rursus malignitas tanquam non contenta prioribus, adimplet etiam id quod deerat. Nam sic quidem degebant illi viri afflicti in carcere: calumniatores autem cùm viderent tempus fluere, timentes ne si euenisset aliquid inopinatũ, structæ quidem arguerentur eorum insidiæ, conuerteretur verò in eos periculum, rursus accedunt ad Præfectum: & ei facessunt negotium, ne sic viros relinqueret, sed eis iustum inferret supplicium. Ille autem veritus ne aurum sibi auferretur, si finem non accepissent quæ erat pollicitus, accedit rursus ad Imperatorem: vultusque seueritate & ipso tristi affectu præ se ferens malorum se venire nuncium: & simul volẽs ostendere se illius vitæ curam omnino gerere, esseque in eum summa fide & beneuolentia. Deinde variè insidiosis verbis irrepit, & se ei insinuat, dicens: Domine, qui aduersus tuam mala sunt meditati potentiam, pro ijs bonis quæ à te sunt consecuti, ne in carcere quidem desistunt à tali meditatione: neque vlla ducuntur pœnitentia: sed nunc quoque perseuerant in cœptis prioribus: & improbè eadem rursus struunt. Nunc ergo si liceat quidem, eos iustè puniemus. Sin minus, at considerandũ est ne si eos præuenerint, ipsi malè afficiant. Hæc conturbant Imperatorem, & inijciunt ei suspicionem. Ipse ergo volens mentem liberare à solicitudine, & in futurum non amplius timere, morte condemnat innocentes. Constitutum ergo fuerat, vt die sequenti morerentur. Vesperi enim lata fuerat sententia, & ad custodem carceris venit infelix nuncius condemnationis: & illi de eis omnia significat. Ille autem cum multum suam deplorasset calamitatem: erat enim, vt videtur, longè Præfecto humanior, & alioqui iam eis euaserat amicus & familiaris, deinde mœrens ad eos accedit: & vtinam, inquit, ne vobiscum quidem primò sermonem contulissem, neque tantum tempus apud me versati essetis, neque satis fuissem vobiscum particeps, facilius enim sustinuissem calamitatem: de disiunctione minorem dolorem acciperem: nõ sic perturbatio meum perculisset animum: Cras enim à nobis inuicem disiungimur, acerba, heu mihi, & vltima disiunctione. Neque vos amplius iucũdum videbo spectaculum, non audiam loquentes, non panem apponam communem. Iussi enim estis interimi. Sed si de vestris facultatibus vultis aliquid disponere, iam est tempus: ne mors vestram præueniat sententiam. Hæc ille quidem dixit mœrens, & illorum mortem acerbè deplorans. Illi autem (quid enim ad hæc fecisset animæ quæ nullius rei quæ mortem mereretur sibi erant consciæ) & vestes lacerabant, & capillos miserè vellebant: Quis nobis dæmon, dicentes, vitam inuidit? Cur nos autem subibimus mortem maleficiorum? Quidnam fecimus quod mortem meretur? Amicos suos nominatim vocabant, cognatos, familiares. Deum ad rerum præsentium vocabant testimonium, iam ante oculos mortem visione apprehendebant. Cùm sic acerbè lamentarentur, & tam miserabiliter suam lugerent calamitatem, alter eorum cui nomen Nepotianus, recordatur Nicolai, & quemadmodum Myris ille tres viros defendit, & à morte eripuit, cùm ex inopinato eis fuisset seruator & defensor. Hæc eis inter se loquentibus, inuentione enim valet necessitas, & animam ad multas excitat cogitationes, ab illis quoque ad Deũ 7 intercessor statim assumptus est Nicolaus dicentibus: Domine, tui Nicolai Deus, qui tres viros ab iniusta morte prius eripuisti, ad nos quoque aspice: quoniam nõ est inter homines qui opem ferat. Ecce enim cor nostrum comprimitur: & eius afflictiones multiplicatæ sunt super nos: & nemo est qui nos educat è tentatione. Ecce nos quoque vox deficit ante animam, & lingua igne cordis exiccatur: & tibi non possumus amplius offerre preces. Citò præueniant nos misericordiæ tuæ Domine, ne despicias iniustitiam & iniustam mortem. Eripe nos è manu eorum qui quærunt nostram animam: & festina ad nostrum auxilium, cras enim debemur morti. Cùm hæc attẽdisset, qui eorum qui ipsum timẽt, tanquam pater filiorum miseretur, mittit auxilium à sancto, nempe suum famulum: & noctu apparẽs Imperatori Nicolaus admirabilis: Imperator, inquit, surge citò: & eos tres duces exercitus qui detinẽtur in carcere, libera. Fuerũt enim temerè appetiti calũnijs. Deinde iniustitiæ quam patiuntur exponit tragœdiã: & quemadmodum eis fuerũt paratæ insidiæ accuratè persequitur. Sin minus, se & bellum moturum, & malè ipsum perditurum,

7 *Vides sanctum assumi intercessorem ad Deum.*

turum,& extrema ei facturum est minatus. Admiratus itaque Imperator eius fidentiam & dicendi libertatem, & alioqui quòd intempesta nocte sic ingressus esset regiam: Sed quis tu es,rogauit,qui hæc meæ potentiæ intentas & minaris? Nicolaus autem: Qui præsum,inquit, Myrensium metropoli: & statim ille quidem surgit conturbatus à visione. Sanctus verò similiter,etiam apparet Ablabio Præfecto dormienti: & de eis mãdat eadem. Ablabio autem qui ipse quoque rogauit quisnã esset, Nicolaus respõdit: Christi seruus. Excitatus ergo Ablabius mente versabat id quod in somnis viderat,& quidnam esset quod ei apparuerat,& quidnam significaret, & statin venit ad ipsum quidam ab Imperatore, significans ea quæ Imperatori visa erant in somnis. Ille verò ei rursus renunciat visionem: & narrat ei omnia quæ ibi apparuerant. Illa ergo admirabili,& quæ erat præter opinionem,visione obstupefacti,Imperator & Præfectus, & quod veluti signo dato eadem ad vtrunque venisset, quomodo somnium nõ poterant conijcere, accersitis è carcere illis ducibus exercitus omnibus circũsistentibus: Quánam,inquit,arte magica vtentes,talia ad nos misistis somnia, tam acre bellum intentantia? Illi autem qui nullius rei eiusmodi sibi erãt conscij,se nutu inuicem interrogabãt, si quis eorum quid nosset, obstupefactum alter in alterum oculum conijcientes, Imperator verò eos videns sic affectos,mutatur ad lenitatẽ,& propè eos accedens,iubet ad hæc respõdere. Illi autem oculos replentes lachrymis, & assiduè vlulantes: Nos, dixerunt, ô Imperator, neque ars magica quid sit nouimus: neque aduersus tuam potentiam graue quid sumus meditati. Testis est qui omnia videt oculus. Si autem hæc non ita sunt, sed mali aliquid in te cogitauimus,nullam ô Imperator,de nobis ceperis misericordiam. Non ô Imperator,per ipsam Trinitatẽ,neque toti nostro generi peperceris. Sed si quid est vel morte grauius,id in nos pronuncies. Nobis ô Imperator,fuit hæc hæreditas relicta à parentibus, honorare Imperatorem, & in eum beneuolentiam præferre rebus omnibus. Si quis verò hæc transgrediatur, malè eum mulctare,& eo vti deinceps tanquam hoste. Quamobrem nostra neglecta, ad tuam,ô Imperator,salutem aspeximus. Vnde etiam munificæ remunerationes nobis à tua sperabantur dextera. Quando autẽ manus quoque hostilis aduersus tuam mouebatur potentiam, & tempus postulabat talẽ virorum virtutem, alijs prætermissis qui erant eiusdẽ cuius nos autoritatis, nos quod vtinã non fecisses, elegisti præ cæteris: & belli in eos gerendi curam nobis mandasti. Hac de causa prompto & alacri animo tuo iussui paruimus: & bellum suscepimus aduersus inimicos: & propriam virtutem,id Deo dictum sit propitio, factis satis ostendimus, in quo quidem omnes sat scio consensuros. Hoc quod nobis prius præbuit felicitatem,aduersus nos nunc armat inuidia: & cõdemnamur proh dolor,vt vides, & nos esse extrema passuros expectamus. Quocirca eò redijt nostræ in te beneuolentiæ ostensio,vt esset occasio maioris supplicij,& pro gloria quæ sperabatur,& remunerationibus, nos tenet metus mortis & condemnationis, propter hoc vltimum & præclarum quidem, sed infelix factum. Quomodo hæc,ô Sol: Quomodo hæc sustines videre ô iustitia? His animo flexus Imperator, apertè ostendit se pœnitere factæ illius iniuriæ. Timebat enim Dei iustificationes: & verebatur purpuram, ne leges ferens alijs redderet ipse rationem, & pœnas lueret iudicij. Eos itaque statim benignis intuetur oculis, & placidè eos alloquitur. Illi autem, suis ad dicendum excitatis animis, quoniam ansa loquendi liberè eis data fuerat ab Imperatore, publicabant thesaurum, nec spem celabant,& Domine tui Nicolai Deus magna voce clamabant, qui tres viros ab iniqua morte aliquando seruasti, nos quoque per ipsum eripe ab hoc periculo imminenti. Sermonẽ arripit Imperator: Et quis est,inquit,hic Nicolaus,& quomodo,& quosnam seruauit,dicite: Nepotianus autem omnia statim narrat sigillatim. Imperator verò qui & in Deum & in suos famulos honore prius quoque sibi placebat, ne hic quoque suæ est oblitus virtutis: sed simul atque de illo viro fuit renunciatum, non opus habuit multis verbis: sed quæ sibi apparuerat visionem magis recolens, fiduciamque & loquendi libertatem pro ijs qui afficiebantur iniuria,& acrem illius zelum supra modum admiratus, eis donat veniam,&: Non ego,inquit,vobis vitam largior: sed is quem vocastis ad auxilium, qui nec nos quidem sinebat dormire, vos acerrimè defendens, & vestri curam gerens. Abite ergo ad ipsum, & tonsa coma ei agite gratias. Nostro quoque nomine ei renunciate: Ecce feci quod iusseras, noli mihi amplius minari. Hæc dixit: & aureum Euangelium, & quoddam aliud vas ex auro & gemmis compositum, & duos cereolos aureos eis donat, iubens ea dedicare [8] templo quod est Myris. Sic illi admirabiliter & contra opinionem assecuti salutem, iter continuò sunt ingressi, & læti ad sanctum veniunt: & lubentes eum videbant: & præ maximo gaudio apertè ostẽdebant se promptissimo & alacerrimo animo esse profusuros vitam sibi donatam, vt referrent gratias ei qui ipsos tanto affecerat beneficio. Deinde templo dedicant & offeruntur ea quæ acceperant ab Imperatore. Domine Domine, quis similis tibi, qui liberas egenũ à manibus potentiorũ, sensim dicẽtes: & nec ipsos pauperes sinẽtes expertes gustus lętitiæ, sed eos quoq; suis bonis impertientes.

8 Ecce quomodo dona mittit Imperator tẽplo quod est Myris.

Sic ergo

Sic ergo Deo in operibus suum excellente famulum, alata de eo sublata fama, in omnem partem peruadebat,& omnia comprehendebat: mare transmittebat: per terrã ferebatur: & nullum dimittebat locum, ad quem non magni magnarũ gratiarum peruenisset auditio. Nautæ itaque aliquando in magnam incidunt tempestatem, qui cùm eam quæ in manibus eorum erat posita saluté desperassent, quoniam magnum Nicolaum à fama acceperant esse velox auxilium in ijs quæ præter spem eueniunt, se totos ad eum precandum conferunt,& eum 9 inuocabant in tempestate,& manus ad eum tendebant,& à solo eius pendebant auxilio. Ille autem ne parum quidem cunctatus, protinus nauem insilit: & cùm se manifestè conspiciendum illorum præbuisset oculis: Ecce, me, inquit, vocauistis,& adsum vobis opẽ laturus. Deinde cùm eos iussisset esse bono animo, clauum sumit in conspectu omnium: & ita nauem videbatur dirigere. Deinde etiam mare increpãs, sedat fluctus & turbines & alia mala tempestatis, quomodo prius quoque meus Iesus,& sic eis facilem & tranquillã præbet nauigationem. Cùm autem eos leni & placido vento vectos terra excepit, è naui descendentes cõtendebant ad eum accedere, qui eos liberabat à periculo. Deinde cùm accepissent iuisse ad Ecclesiam, vadunt ad templum. Atque ille quidem cùm se fecisset partem cleri, stabat cum alijs. Illi autem cùm in eum coniecissent oculos qui non erat eis prius cognitus, ex ea quæ eis in mari facta fuerat apparitione, eum continuò agnouerunt,& accurrentes procidunt ad eius pedes,& lingua quidem eis mouebatur ad agendas gratias: simul verò cum ea etiam loquebatur animus, eorum quæ passus & quomodo fuerat liberatus recordans,& oculis emittebat lachrymas testes eorum quæ dicebantur. Deinde etiam ijs qui aderant sigillatim narrabant seriem rei gestæ. Admirabilis verò Nicolaus non minus sciens liberare à periculo animæ, quod erat etiam ei maiori curæ, cum perspiciendi facultatis dono spiritus eis insidentem vidit improbitatem, quæ procul à Deo remouebat & ab illius mandatis: Vos ipsos, ô filij, dicebat agnoscite, inquam, vos rogo: & corda vestra & mentis vestræ motus & cogitationes ad hoc dirigite, vt Deo placeatis. Nam etsi multos lateamus, & boni esse videamur, ad illum quidem certè omnino nihil latebat eorum quæ nostra sunt. Nam homo quidem, inquit, in faciem, Deus autem ad cor. Hoc quoque scripturam audiuistis dicentem: Ne faciatis mala, & vos non comprehendent mala. Discite verò potius bene facere: & corporis sanctificationem toto exercete proposito. Vos enim estis templum Dei. Qui autem corrũpit hoc templum, perdet eũ Deus: hæc dicit diuinus Paulus. Sic facite, & de cætero Deum habebitis adiutorem. Sufficiunt mihi hæc quæ dicta sunt ad ostendendas opes quibus ille à Deo erat locupletatus. Sed nescio quomodo eius mentio ne hic quidem patitur sistere orationem, sed nisi ea quæ supersunt adiecerit, damnum ducit esse maximum. Quidã enim sermó ab antiquis vtique temporibus repetitus ad nos veniẽs, describit hunc beatum moribus quidem similem, aspectu autem angelicum, spirantẽ verò sanctificationem & diuinam gratiam. Porrò autem hæc quoque de eo adijcit, quòd si quis in eum incidisset, ei qui inciderat, ex solo eius aspectu, magna fiebat ad id quod est melius accessio & mutatio, vnusquisque verò cuius animus aliquo premebatur dolore & perturbatione, cùm vel solùm in eum defixisset oculos, satis magnum inueniebat molestiç solatium. Ex eius quoque vultu emicabat fulgor quidam supra modum luminosus: & eius illustrabat faciem plus quàm Mosis. Si itaque contigisset aliquos ex ijs qui erant diuersæ sectæ vel in via cum eo congredi, si solummodo suauem illius linguam sensissent, statim abibant abijcientes hæresim quæ illis coaluerat à pueris: & rectam veritatis rationem toto pectore admittebant. Ille ergo cum sic vixisset, & ex virtutis ratione se præclarè gessisset: & verè iucundo & suaui vnguẽto, mediam Myrensium ciuitatem, diuinarum, inquam, gratiarum floribus perfudisset,& ad profundissimam peruenisset senectutẽ, fuissetque plenus diebus tam diuinis quàm ijs qui resoluuntur, quoniam eum cùm esset homo, oportebat communi legi inseruire naturæ, in breuem morbum incidit. Ille verò ab eo consumptus est in agendis Deo 10 gratiis, hymnisque qui dicuntur in excessu: & ipse migrationis iucundissimè eum reddebat affectũ. Nam quod alijs permanere in carne, hoc illi disiungi à corpore. Sed ille quidem hanc breuem & caducam relinquit vitam,& transit ad illã diuturnam & beatam, cum splendoribus Angelorum conuersans & exultans, & videns lucem veritatis apertius & purius. Pretiosum autem 11 eius corpus, sanctis Episcoporum manibus,& cleri totius facibusque & luminibus honoratum, deponitur in templo quod est Myris: vnguentum 12 in hoc vsq; tempus profluens, morborum corporis & animæ remedium. Cùm autẽ ex omnibus terræ partibus illic confluerent, qui copiosæ illius gratiæ fiebant participes, quosdam ex Licijs qui erant procul remoti, & multorum dierum iter aberant, vehemens inuadit desiderium veniendi ad sancti monumentũ, 13 & participandi sanctificationẽ. Cùm itaque cibos in nauem immisissent, in Lyciã erãt nauigaturi. Malignum autẽ dæmoniũ quod Dianæ templũ olim habitabat, quod inclytus Nicolaus cũ multis alijs illinc expulit, ara humi deiecta, cũ sensisset

illorum

9 Nota omnia hæc. Et cum inuocabant in tempestate, & manus ad eum tendebãt, & à solo eius pendebant auxilio. vide etiam mirabilia quæ sequũtur.

Alludit ad μύρα quod vnguentum significat.

10 Quomodo moriuntur sancti.

11 Vide pretiosi corporis Christianam & honorificam sepulturam. Elatum est enim Episcoporum manibus, & cleri totius, facibus & luminibus honoratum

12 Vnguentũ quod ex sancti corpore profluit, nonne splendorem vitæ eius apertè profitetur?

13 Vides quod etiã tum mos erat venire ad sanctorũ sepulchra venerãda pro participatione gratiarum.

illorum nauigationem, partim quidem in sanctum concepto odio, quòd & templum eius euertisset, & eum illinc exterminasset, & pro viribus eum studeret vlcisci: partim autem volens viros priuare sanctificatione, & lædere desiderium, se simulans mulierem, videbatur ferre vas plenum oleo: & dicebat se valde quidem cupere id ferre ad sancti sepulchrum: sed vereri longam nauigationem & contremiscere: neque enim, inquit, fieri potest, vt mulier tanta sit audacia, vt tantum maris audeat nauigare. Rogo ergo vos vt hoc vas accipiatis, & feratis ad sepulchrum, & in sancti lucernam inijciatis oleum. Hæc abominandum dicebat & rogabat dæmonium, vas illud tradens in manus piorum. Illi autem, vt semel dicam, inerat mala quædam operatio, & omnino digna eo qui dederat. Multum itaque precata persuadet. Cumque id accepissent, quoniam primi diei erat eis peracta nauigatio, tuum opus, ô fidelis Dei serue, & egregie defensor periclitantium, hoc quoque, quod mirabiliter factum est & contra opinionem. Noctu enim cuidam eorum apparens, iubet vas iacere in profundum. Illi verò cùm primùm manè surrexissent, ita fecerunt: & id in mare proijciunt, statimque flamma sublime sublata est in aërem: fumusque & tetri odores illinc emittebantur. Tunc aqua cœpit dehiscere, & inferne clangens tanquam erumpentis terræ motus strepitus edere, & aquæ guttæ erant scintillæ, & nauis tantis intercepta fluctibus iam obruebatur, & viri tam inopinato periculo obstupefacti, se inuicem tristes & planè desperantes intuebantur: & nullum tanti mali inueniebant exitum. Sed qui procul salutis eorum curam gerebat, & iusserat vt vas in mare proijcerent, is tunc quoque eis apparens, eos à grauissima liberauit tempestate, & à maximo periculo. Nam simulatque nauis parum mota est à loco, & viri soluti sunt metu, & quædam eos afflauit aura suauis & odorifera, & odore sunt delectati, & maximè sunt eorum animi affecti lætitia. Hæc tibi sunt à Deo dona, ô Nicolae, hæ sunt laborum remunerationes, hæc sunt præmia tuorum certaminum & tuæ exercitationis, quæ, inquã, adeptus es in hac vita præsenti. Futura enim illa sunt omnino, quæ neque cerni possunt oculis, nec audiri auribus, nec corde cõprehendi, quæ didicimus Deum præparasse ijs qui ipsum diligunt. Ego autem nihil dubitabo te & præclarum vocare martyrem, coronatumque victorem sine sanguine, quantum scire possumus respicientes tuum animi institutum. Qui sola precatione impiam confregisti potentiam, & ab exilio pulchrè fuisti reuocatus: & cum splendidis trophæis rediisti ad Christianos: & priorem honorem secundo excepisti in Christo Iesu Domino nostro, Cum quo patri simul cum sancto spiritu gloria, potentia, honor & adoratio nunc & semper & in secula seculorum, Amen.

VITA SANCTORVM MARTYRVM IOANNIS & Pauli fratrum, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrologio eiusdem sub vi. Kalend. Iulij.

ROMÆ sanctorum Ioannis & Pauli fratrum natale. Quorum primus præpositus, secundus fuit primicerius Constantiæ virginis filiæ Constantini. Qui cùm omni die turmas Christianorum recrearent ex his operibus, quas sanctissima virgo Cõstantia reliquerat, peruenit hoc ad Iulianũ. Et misit qui eos conuenirent, dicens: Debere sibi eos adhærere. Illi verò responderunt inter alia: Pro iniquitate tua destitimus à tua salutatione, & à societate Imperij tui nosmetipsos omnino subtraximus. Sumus enim nos non falsi, sed veri Christiani. Quibus Iulianus mandauit: Considerare debetis quia vos regia aula nutriti non debetis deesse à latere meo, vt habeam vos primos in palatio meo: Quod si contemptus à vobis fuero, necesse erit mihi agere, vt contemni non possim. Paulus & Ioannes dixerunt: Non tibi facimus hanc iniuriam vt præponamus tibi qualemcunque personam, Deum tibi præponimus, qui fecit cœlum & terram, mare, & omnia quæ in eis sunt. Et scire te volumus, quia nunquam ad salutem tuam, nunquam ad culturam tuam, nunquam ad palatium tuum veniemus. Quibus Iulianus ait: Decem diebus vobis à me dantur induciæ, vt decima translacta die sponte ad me venientes, amicos vos habeam: non venientes verò tanquam hostes publicos puniam. Tunc sancti viri Ioannes & Paulus Christianos ad se inuitantes, ordinauerunt de omnibus quæ relinquere poterant, per totos decem dies incessanter die noctuque eleemosynis insistentes. Die verò vndecima sunt constricti intra suam domum. Missus namque est Terentianus campiductor ad eos cum militibus hora cœnandi. Qui ingressus inuenit eos orantes, & dixit eis: Dominus noster Iulianus statuunculam aureã Iouis ad vos misit, vt adoretis illã, & thura incendatis: Quod si non feceritis, ambo meo gladio feriamini. Nõ enim decet, vt vos intra aulã nutriti, publice occidamini. Ioãnes & Paulus dixerunt: Iulianus si tuus est dominus, habeto pacẽ cũ eo: nobis autẽ Dominus

Dominus alius non est, nisi vnus Deus, Pater, & Filius, & Spiritus sanctus, quem ille negare non timuit. Et quia semel à facie Dei proiectus est, vult & alios secum in interitum deuenire. Tunc Terentianus tertia hora noctis transacta, fecit fieri foueam intra domum eorum, vt sine strepitu famæ punirentur. Et sic decollari, statimque inuolui & reponi iussit, diuulgans, quòd iussu Cæsaris missi fuissent in exilium. Statim autem vt Iulianus in bello Persarum interfectus est, Iouiniano facto Christianissimo Imperatore, apertæ sunt Ecclesiæ, & cœpit religio Christiana gaudere. Dæmones autem 1 ex obsessis corporibus intra domum Ioannis & Pauli eijciebatur, confitentes sanctam passionem eorum: ita vt vnicus filius Terentiani, qui eos decollauerat, veniret intra domum sanctorum, & clamaret per os eius dæmon, quòd Paulus & Ioannes incenderent eum. Tunc Terentianus veniens prostrauit se in faciem clamans, quòd nesciens quid faceret homo paganissimus, iussionem Cæsaris adimplesset. Vnde factum est, vt dato nomine, proximo die Paschæ perciperet gratiam Christi, assiduè orans, & flens ad locum illum, in quo sanctorum 2 corpora requiescunt, donec à sanctis Dei filius eius mundaretur. Et ab ipso Terentiano descripta est passio horũ martyrum. Passi sunt autem sexto Calendas Iulij.

1 Ecce quomodo etiam antiquitus sanctorum sepulchrum in veneratione habebatur, vbi & dæmones expulsi eorũ virtutes vel inuiti fateri cõpellebãtur.

2 Filius Terentiani interfectoris sanctorum, ad eorum sepulchrum à dæmonio liber factus est. Vide martyrum charitatẽ.

EORVM QVAE DIVO BASILIO CVM VAlente Imperatore contigerunt, particularis narratio, per Cassiodorum Senatorem conscripta.

THEODORETVS. Valens Imperator cùm vniuersas (vt ita dicam) Ecclesias pastore nudasset, in Cæsaream Cappadociæ venit, cuius tunc præsul erat Basilius, lumen totius orbis. Præmisitque Præfectum, præcipiens vt aut flecteret Basilium, vt dogmati communicaret Eudoxij, aut hoc facere nolens expelleretur. Audiens enim gloriam tanti viri, voluit ei prius inferre certamen, ne cùm fortiter Basilius eius iacula deuitaret, fieret cæteris clarior imago virtutis. Huius machinamenta velut tela araneæ facta sunt: suffecerunt enim cæteris sacerdotibus ad vtilitatem sui antiquæ patrum narrationes, & velut quædam turres murum fidei indeclinabilem seruauerunt. Porro Præfectus Cæsaream veniens, & euocans magnum Basilium honorauit, & mansuetis apud eum sermonibus vsus est, monens vt tempori parêret, & non tot ecclesias propter prauam dogmatum subtilitatem vexari pateretur. Promittebat etiam imperatoriam amicitiam, multaque beneficia propter hæc plurimis offerenda. Verũ ille vir sacratissimus ait adolescentibus hæc verba congruere: illi, inquit, & illorum similes talia promissa respiciunt. Nam qui diuinis enutriti sunt eloquijs, 1 corrumpere de diuinis dogmatibus ne vnam quidem syllabam patiuntur, sed pro his (si contingat) etiam omnes mortis species amplectũtur. Amicitiam autem Imperatoris magnam quidem cum pietate iudico, sine qua perniciem potius hanc appello. Cumq; Præfectus sæuiret in eum, stultumque vocaret, S. Basilius ait: Hanc stultitiam semper habere exopto. Quem cum egredi tunc iuberet, vt quid deberet facere cogitaret, sententiamque suã altero die depromeret, fertur vir ille inclytus hoc dixisse: Ego quidem etiam cras ipse regrediar, dummodo tu sententiam non permutes, sed vtere minis tuis. Post hæc verba Præfectus occurrens Imperatori quæ dicta fuerant, & virtutem viri huius, animæque fortitudinem & fiduciam nunciauit. Tunc ergo tacens Imperator ingressus est. Post hæc contigit, vt diuinitus sibi plagas videret immissas. Filius enim eius ægrotans, circa ipsius mortis metas agebatur. Sed & coniugem diuersæ occupauerant passiones. Cognoscens ergo causas suæ tristitiæ, virum sacratissimum, quem punire minabatur, venire ad palatium deprecatus est. Duces autem præceptis imperialibus ministrabant. Tum itaque Magnus Basilius veniens ad palatium, vidensque principis filium circa mortem, ad vitam eum remeaturum esse promisit, si per pios viros sacro baptismate potiretur. Hæc cùm dixisset, egressus est. At ille iusiurandi, quod baptismatis tempore promiserat memor, secundùm stultum errorem præsentibus Arrianis filium baptizare præcepit. Quo gesto, mox infans finẽ vitæ sortitus est. Pœnitentia verò ductus Valens, & noxiã iusiurandi iudicans veritatẽ, in sacrum templum ingressus, Magni Basilij magisterio fretus est, & altari obtulit dona solẽnia. Quem intra aulęa, vbi ipse residebat, venire præcipiens, multa apud eũ de diuinis dogmatibus verba locutus est, & docentem libenter audiuit. Vbi tunc aderat quidã nomine Demosthenes super imperiales epulas cõstitutus: qui cùm doctorem mundi culparet, Barbarismum fecit. Tum sanctus Basilius subridens: Vidimus, inquit, sine literis Demosthenem. Quum verò magis ille minaretur, S. ait Basilius: Tuum est de pulmentarijs cogitare, non dogmata diuina decoquere. Post hæc Imperator ita dilexit virum, vt etiam optima prædia, quæ illic habebat, pauperibus qui ab eo gubernabantur, offerret, ex quibus leprosis præcipuè ne-

1 Nota hæretice quod qui diuinis sunt enutriti eloquijs, ne vnã quidem syllabam de diuinis dogmatibus corrũpere patiuntur, & pro his etiam si cõtingat, omnes mortis species amplectũtur: Et tu nunc audes omnia illa subuertere?

cessaria ministrantur. Primum ergo Valentis impetum hoc modo magnus Basilius declinauit. Quum verò postea reuersus illuc fuisset, priorū oblitus, quoniam à seductoribus eius voluntas obsidebatur, rursus eum monebat, vt ad partes inclinaret hæreticas. Cui non persuadens, legem de eius scribi præcepit exilio, quam volens manus suæ subscriptione roborare, nullum apicem complere valuit: calamus enim contritus est. Cumque secundus & tertius calamus hoc pertulisset, & adhuc legem impiam firmare cōtenderet, commota est eius dextera, eamque subitò tremor inuasit. Tunc eius animo terrore impleto, ambabus manibus chartam rupit. Ostenditq; prouisor omnium Deus, quòd & alios ipse permiserit pati, & hunc ab insidijs liberarit, & per ea quæ in isto contigêre, signum propriæ virtutis ostendens, & per alia dispensationis fortitudinem virorum prædicans optimorum.

VITA MAGNI BASILII, PER D. GREGORIVM Nyssæ Pontificem fratrem eius descripta, Petro Francisco Zino Clerico Veronense Interprete.

Habetur inter opera eiusdem.

FESTIS diebus annuis, quos vel iam celebrauimus, vel celebramus hoc tempore, præclarum nobis ordinem Deus statuit. Hic autem est ille spiritualium celebritatum ordo, quem Paulus talium rerum cognitionem diuinitus assecutus edocuit, cùm diceret: primum quidem Apostolos & Prophetas, secundum hos autem pastores, & doctores collocari. Cui quidem Apostolicæ doctrinæ solennium celebritatum ordo congruit, ex quo tamen ordine celebritatem primam eximimus. Primum igitur Apostoli & Prophetæ spiritalem chorum duxerunt. Hæc enim omnino duo gratiarum munera prima sunt hominibus data, nimirum Apostolicus & Propheticus spiritus. Quo in numero sunt Stephanus, Petrus, Ioannes, Paulus. Post hos suum ordinē seruās hodiernæ celebritatis dux sequitur, pastor, & doctor. Quis est hic? Dicam nomen? an nominis loco gratia satis virum ipsum declarat? Etenim cùm doctorem, pastoremque post Apostolos audis, quiná secundùm illos pastor ac doctor sit, omnino debes intelligere.

Hunc igitur dico, nempe vas electionis, vita, doctrinaque præstantem Basilium, qui iam inde ab ipso ortu Deo charus fuit, & in ipsa adolescentia moribus senex. Qui, quemadmodum Moses institutus est, & adoleuit, & floruit. Quamobrem omnem hominē, omnem sapientiam, nempe diuinam externamque docens, tanquam optimus vtraque manu commodè vtens imperator, vtraque contra hostes armatus eruditione, vtrinque superabat oppugnantes aduersarios, vtraque in re præstās illis, qui in alterutra cōtra veritatis vim aliquid posse videbantur. Nam & hæreticos scripturis pugnantes profligabat testimonio scripturarum, & Græcos proprijs ipsorum disciplinis conuincebat. Ex qua tamen victoria non hostium mors aut pernicies, sed vita & vtilitas sequebatur. Quoniam qui fiebant veritatis captiui, de errore mendacioque victores triumphabant. Hunc igitur habemus & nos præsentem 1 nobis constituentem celebritatem, germanum spiritus vatem & interpretem, egregium Christi militem, excellentem salutiferæ prædicationis præconem, Ecclesiæ Christi propugnatorem, ac defensoré, cui secundas post Apostolos tempus tribuit soli. Nam si eo tempore quo Paulus, vixisset Basilius, sic ei prorsus fuisset adscriptus, quemadmodum Syluanus & Timotheus. Me autem à veritate non abesse constabit, si sanctos ita considerabimus, vt nullam cuiquam adferat tempus prærogatiuam. Temporis enim natura ea est, vt siue præteritum, siue futurum sit, in virtute & vitio ponderandis, nullius esse momenti debeat: quippe quòd nec virtutis vim habet, nec vitij. Honestum enim voluntate, non tempore censetur. Sic igitur rem exploremus, vt fidei fides, & rationi ratio conferatur. Quisquis enim ex æquo res admirandas sanctorum expendet, eandem in omnibus gratiam ab eodem spiritu pro portione fidei in singulos eorum profectam inueniet. Nam quod tempore præcesserit Paulus, multisque post seculis Basilius extiterit, ea re non inferior virtutis gradus ostēditur, sed diuinæ dispositionis opus in hominum procreatione declaratur. Siquidem & Moses Abraham multo tempore posterior fuit, & Samuel Mose, & Samuele Helias, & hoc magnus Ioannes, & Ioanne Paulus, & Basilius Paulo. Quòd si præteritis seculis tempus posterius sanctorum gloriam apud Deum nihil imminuit, sic etiam nunc, vbi de virtute agitur, præstantia temporis conticescat. Id enim, vt diximus, diuinam in hominum genere prouidentiam indicat. Qui enim nouit omnia prius quàm fiant, vt ait Propheta, diabolique malitiam omnes hominum ætates inuadere non ignorat, salutarem & congruum cuiusque ætatis morbis medicum parat, ne si humanas alicuius ætatis ægritudines negligat, curantium auxilio destitutę fiant insanabiles, & exitium adferant. Itaque cùm dominaretur olim philosophia Chaldæorum, qui rerum causas in nescio quo syderum metu collocabat, nec

1 D. Basilius præsentem nobis constituit solennitatem.

vllam

vllam ijs quæ videntur superiorem vim rerum effectricem arbitrabantur, tunc ostendit Abraham, qui ea sublimius vtens disciplina inuestigauit eum qui per ea vidētur agnoscitur, & fidei viā ad Deum deinceps aperuit, per eam ipse primus ingrediēs relicta paterna deceptione, eaque necessitudine, qua cum rebus procreatis ipsi sensus coniuncti sunt. Pòst autē, cùm Ægyptij dæmoniacam quandam & deceptricem sapientiam ex consensu, vt arbitror, & pactione cum illo, qui varijs artibus & dolis homines demergit, inuenissent, Mosen demonstrauit, qui præcellenti sapientia Ægyptiorum fallacias aboleret. Notum est autem cuique in scriptura versato, quomodo Moses impostores suas diuinis signis præstigias opponentes virtute superauerit, diuinoque fultus auxilio cunctam Ægyptiorum potentiam euerterit. Id quod cum alijs ex rebus, tum ex virgarum ænigmate intelligi potest. Progrediente verò tempore, cùm etiam Israëlitæ sine principe degentes erroribus in populari confusione iactarentur, Samuēl extitit, qui populum in officio continens vetuit, ne cum alienigenis miscerentur, popularemque statum in regni formam redegit, & alienigenas in vnum cogens, regiæ potestatis leges tulit. Multis autem ætatibus pòst, cùm Achab ille muliebre mancipium, à patria religione defecisset fœminæ delitijs inseruiens, & in eius gratiam idolorum cultum introducens, in eundem errorem populum Israëlitam attraxisset, Deus Heliam ostendit, virum qui morbi magnitudini parem haberet curandi facultatem. Hic neglecto corporis cultu, squalore vultus, incultáque capillorum multitudine, sentus ac sordidus, vitam inumbrans suam, tristitia frontis obtutuque in se conuerso seuerus & grauis, caprina pelle tegens eas duntaxat corporis partes, quæ maiorem tectæ decorem habent, reliquas autem aëris iniurijs obijciens, contempta omni tum caloris, tum frigoris inæqualitate, populo se exhibuit, eumque famis supplicio veluti scutica quadam castigans, & ea plaga lasciuiam eius atque intemperantiam coërcens, ad sobrietatem modestiamque reuocauit. Deinde super sacrificio igne diuinitus excitato morbum ex idolorum cultu contractum curauit. Post hunc multis seculis in spiritu & virtute Heliæ alter ille ostenditur, qui Zacharia atque Elisabet parentibus in huius vitæ peregrinationem editus, prædicatione populum in solitudine congregans, eiusque concretas sordes ex sanguine Prophetarum, & diuersa piacula, variáque peccatorum vincula, quibus tanquam compedibus eo tempore populus vniuersus obstrictus erat, pœnitentiæ prædicatione soluens hæc omnia, & aquæ baptismo abluens in Iordane, nulla re illis qui in virtutis via præcesserant, inferior apparuit. Quid porrò Paulus post hunc? eáne re prohibitus est, ad præstantis apud Deum gloriæ fastigium ascendere, quod tempore posterior esset? nónne diuinæ pulchritudinis amator euasit, simul ac illius splendor perstrinxit oculos ipsius, ex quibus exciderunt squamæ, quæ velum illud cordi obductum significabant, quod Iudæorum oculis animorum circumiectum eos sic obcœcauerat, vt veritatis lumen intueri non possent? Nónne posteaquam sacro lauacro ignorantiæ atq; erroris maculas abluit, in diuiniorem confestim naturam versus est, & tanquam crasso hoc carnis deposito spolio, in adyta cœlestia penetrauit, corporis onere minimè impeditus? Nónne intra diuinam paradysi constitionem positus, arcana veritatis mysteria didicit? atque inde accepit verbi potestatem ad obedientiam fidei in omnibus gentibus, ex quo totius propè orbis pater effectus est, spiritali partu in lucem edens, quos ad Christi pietatem & religionem informabat? Quòd si in alijs sanctis ad laudem nihil apud Deum ponderis habet ordo temporis, meritò audemus & nos natum hac ætate nostra virum Dei, magnum veritatis vas Basilium, in numero celebrium illorum sanctorum collocare, cùm tempus nec singularem illius erga Deum amorem, nec diuinam gratiam ad animi perfectionem impediat. Alioquin diuinæ dispositionis propositū offendatur, si quod arcano consilio suo Deus auxilium mittit, ratione temporis imminutum dixerimus. Quis autem ignorat, quam ob causam Deus hac tempestate nostrum doctorem ostenderit? Posteaquam enim prædicatione Christi sic extincta est hominum idola colentium insania, vt omnis stultorum impietas deleta iam abolitáque iaceret, cùm vera religio per totum ferè orbem promulgata esset, Imperator autem deceptionis humanæ Christi nomine ex orbe pulsus vndique excluderetur, non tamen ipse solers & ingeniosus ad malum, vtpote ipsius mali repertor, dubitauit improbum inire consilium, quo subditos suos ad abrogata iam instituta reuocaret. Eis igitur qui ad ipsum spectabant, astutia sua persuasit, vt à rebus procreatis non deficerent, sed eas venerarentur, & adorarent, Deúmque creatum arbitrarentur eum qui filij nomine vocaretur. Quod si ex nihilo factum vellent, à diuináque substantia secundùm naturam propriam alienum, nihil obstare, quin Christi nomen creaturæ imponentes, eam colerent, in ea salutis spem ponerent, ab ea iudicium expectarent. Se igitur totum infundens Apostata hominibus, qui ad malitiam ipsius capiendam erant idonei, Arrium dico, & Aëtium & Eunomiū, & Eudoxium, & alios multos, quorum opera obliteratum iam idolorum cultum Christianæ religionis nomine rursum, vt dictum est, introduxit.

Quæ quidem pestis hominum creaturam præter creatorem adorantium, tantum roboris ceperat, vt auxilio eorum qui tunc regnabant, errorem suum confirmaret, & potentissimos quosque principes haberet fautores, ac defensores, vniuersósque propemodum homines in eãdem fraudem induceret. Tunc à Deo magnus Basilius ostenditur quemadmodum Elias imperante Achab, qui labantem quodammodo religionem fulciret, & tanquam lucerna deficientem fidei rationem per gratiam, quæ in ipso inerat, illustraret, lumenque suum per Ecclesiæ pelagus errantibus sublime ostendens ad rectam omnes viam dirigeret. Præfectos enim adibat, Prætores conueniebat, cum regibus liberè loquebatur, absentes epistolis, vt solebat Paulus, instruebat, eludénsque captantium ansas, nihil occasionis aduersarijs dabat, quò vinci posset. Proscribentibus erat superior, quippe qui regni cœlestis spe seipsum proscripserat.

Quid autem vel exilij periculum formidaret, qui vnam hominum patriam paradisum affirmabat, vniuersamque terram naturæ exilium esse censebat: vel mortem sibi comminantes timeret, qui quotidie moriebatur, seque volens omni ratione consumebat, atque macerabat, dolebatque vni tantum morti naturam obnoxiam esse, quò fieret, vt certamina martyrum pro veritate sæpius imitari non posset? Qui Præfecto cuidam olim se iecur è visceribus eius extracturum minitanti, risu minas imperiti hominis excipiens: Ego, inquit, habebo tibi gratias, si id feceris: Etenim intra viscera iacens non mediocri mœrore afficitur. Quare si illud exemeris, vt minitaris, mœrenti parte corpus liberabis. Quamuis igitur post alios sanctos in hanc vitam ingressus sit, quid eius laudem imminuit ea res apud Deum, quò minus celebritas ipsius illorum 2 celebritatibus par esse debeat? Examina, si videtur, vitam illius, eamque compara cum aliqua sanctorum qui præcesserunt. Deum dilexit Paulus. Hoc enim bonorum est caput, hæc virtutum omnium maxima, nempe charitas, ex qua omnis fides, spes omnis, & quicquid in ipsa patientia constantiáque in rebus honestis probatur, ac omnis denique gratiarum præstantia proficiscitur. Sed consideremus quanta eius constantia fuerit, quámque in omni gratia spiritus excelluerit, videamúsque quam charitatis erga Deum mensuram Paulus habuerit. Dilexit, inquies, vtique Deum ex toto corde, ex toto animo, ex tota mente sua, hunc enim summum amoris erga Deum lex terminum statuit. Si quis igitur totum cor, & animum, & mentem fixam & locatam habens in Deo, nihil eorum quæ expetuntur in hac vita, curat, summum in Deum obtinet charitatis gradum, ostendat aliquis Doctoris vitam ad aliquid eorum, quæ in hoc mundo studiosè quæruntur, fuisse propensam, vt ad diuitias, ad opes, ad inanis gloriæ cupiditatem: nam de seruilibus voluptatibus, cùm de hoc viro loquimur, mentionem facere nefas est. Si quid horum appetentem inueneris, non recuso, quin charitatis eius in Deum mensuram minorem fuisse dicas, cùm animus eius istiusmodi aliqua cupiditate affectus, ad res terrenas à Deo deflexerit. Quod si ab his, similibúsque rebus quàm maximè abhorruerit, & affectionem eiusmodi omnem è vita sua primùm remouit, deinde doctrina exemplóque suo communem aliorum vitam emendauit, perspicuum est eam in seipso habuisse charitatis erga Deū mensuram, qua nullam maiorem natura capiebat. Qui enim ex toto corde, & animo, & mēte Deum diligit, quo pacto maiorem charitatis modum obtinebit, cùm locus non adsit? Proinde si vnum esse didicimus terminum charitatis, vt Deus ex toto corde diligatur: dilexerunt autem Deum Paulus & Basilius ex toto corde suo: qui dixerit eandem in vtroque charitatis fuisse mensuram, à vero non aberrabit. Atqui rerum omnium laudandarum maximam esse charitatem & Apostolus dicit, & diuinum Euangelium attestatur: Apostolus quidem, dum & prophetia ipsam & scientia præstantiorem, & fide firmiorem, & spe stabiliorem, semperque in eodem manentem asserit, sine qua inane, ac nullius momenti est, quicquid laudabile ducitur: Dominus autem omnem legem, & mysteria cuncta prophetica huius gratia circúscribens, eam omnibus antecellere ipse quoq; demonstrat. Quapropter si in eo quod præstantissimū & maximum est, non superatur à magno Paulo, ne in illis quidem omnibus, in quibus charitas excellit, quæq; nascuntur à charitate, minor esse deprehendetur. Nam quemadmodum qui naturæ humanæ particeps est, omnia quæ huiusmodi naturæ propria sunt, habent: sic qui absolutæ charitatis perfectionem in se continet, omnia bona quæ in hoc genere conspiciuntur, vnà cum ipsa virtutum principe complectitur. Etenim siue fides est illa, quæ seruat, siue seruamur per spem, siue tolerantia gratiam accipimus, charitas omnia credit, & omnia sperat, & omnia sustinet, vt ait Apostolus, & omnia denique, ne in singulis commemorandis immoremur, quæ virtutis nomine censentur, tanquam germina quædam pullulant à radice charitatis, vt qui hac præditus est, omnia simul complectatur.

Hanc autem habuit Magnus Basilius. Quare cæterorum bonorum ei nullum defuit. 3 Quòd si possedit omnia, nulla re prorsus minor extitit. At enim Paulus vidit tertium cœlum, &

2. *Celebritas Basilij par aliorū sanctorum celebritatibus.*

3. *Vides ex hoc sancti viri discursu, solam fidē non sufficere ad salutem.*

lum, & raptus est in paradysum, & audiuit arcana verba, quæ non licet homini loqui. Verùm ne ille quidem apertè talem gratiam per carnem suscepit. Quod sane dubium nec ipse cælauit, siue in corpore, inquiēs, nescio, siue extra corpus, nescio, Deus scit. Quinetiam ausit aliquis affirmare eum in corpore nihil tale vidisse. Extra corpus autem & mentis intuitu, quod noster non viderit, nihil est. Testes sunt eius sermones quos vel ore protulit, vel scriptos reliquit. Ille omnia loca, quæ inter Hierosolymas & Illyricum sunt obiens, omnibus Euangeliū diuulgauit. Et huius oratio & prædicatio per omnem ferè terrarum orbem transijt, & ab omnibus æquè, ac illa Pauli probata est. Omittantur reliqua, quibus vita huius cum illius vita conferri potest. Ille crucifixus est mundo, & huic mundus. Castigauit ille corpus, perfecit & hic virtutem in infirmitate. Vtrique Christus vita, vtrique mors lucrum erat, & optabilius dissolui & esse cum Domino, quàm hic peregrinari.

Num Ioanni etiam Doctor comparandus videtur? At ille diuinæ vocis testimonio, & inter natos mulierum præstat, & prophetæ superat dignitatem, vt insani simul & impij videatur, alterius vitam cum illius vita comparare. Quòd si ponè vestigia eius sequentem ad eum proximè accessisse summæ felicitatis indicium est, rem sic expendamus. Mollibus vestimentis nō induebatur Ioannes, nec erat tanquā arundo vento agitata, loca solitaria frequētibus anteponebat. Frequētia rursus & celebria sic habitabat, vt rationi terra nihil officeret. Quæ doctori item nostro veritas tribuit, vt in his magno Ioanne non sit inferior. Quis nescit, quomodo ab omni delicata ac molli ratione viuendi sic abhorruerit, vt rebus iucundis suauibusque prætulerit ea quæ aspera duraq; sunt, soli, frigori, ieiunijs, 4 vigilijs corpus obijciens? In ciuitatibus tanquam in solitudine degebat, nihil intermittens virtutis studium, ciuitates efficiebat solitudines. Neque enim vel multorum consuetudine ab exquisita ac tuta viuendi ratione auertebatur: neque si in secessum aliquē se conferebat, liberari poterat ab ijs qui vtilitatis gratia ad ipsum ventitabant, vt in hac etiā re Ioanni Baptistæ similis esset, quòd ex solitudine ciuitatē efficeret, eámque angustam propter frequentiam confluentium, & multitudinem. Quòd autem facile consilium sententiamque mutādo arundo non fuerit, perspicitur ex constantia, qua in omnibus vitæ institutis permansit immobilis. Placuit ei paupertas ab initio. Hæc sententia veluti petra quædam fuit. Per munditiam concupiuit ad Deum appropinquare, desiderium illud non arundo, sed mons constitit. Nunquam enim aduersis tentationum flatibus flectebatur. Nam amoris eius in Deum stabilitas solius Apostoli verbis declaratur. Etenim nec vita, nec mors, nec præsentia, nec futura, nec vlla creatura poterat cor illius à charitate Dei seiungere. Sic in omnibus quæ ex virtute decreuerat, non arundineum & instabilē animum præstitit, sed in rebus honestis firmum & immobilem conseruauit. Liberè allocutus est Herodem Ioannes, & hic valentem Imperatorem. Quòd si volumus potentiam istorum ponderare: Alter parte quadam Palæstina Romanorū beneficio potiebatur: Alterius imperiū sol cursu suo propemodum terminabat. A Persidis enim finibus ad Britannos & extremas Oceani partes patebat. Ac Ioanni quidem propositū erat, vt Herodis cupiditatem, qui propter mulierculam legem violabat, increparet: Basilio autem, vt Valentem in vera synceraque religione retineret, à cuius defectione totius orbis terrarum perturbatio nascebatur. Opponat igitur iustus rerū æstimator potētiam potentiæ, finemq; huius reprehendendi libertatis alteri cōparet. Illic enim in vno tantū Herodis corpore vulnus insidebat, hic vniuersum hominum genus occupabat. Ille ad mortem vsque retinuit castigandi libertatem, hic ob eandem constantiam in exilium pulsus est, Imperatore loco mortis exilium decernente. Ioannes postremò etiam mortuus viuere credebatur: Et Basilius ab inimicis reuocatus ab exilio, obsistendi virtutem nihil remittebat. Nunquid audebimus oratione ad sublimem Eliam ascendere, vt quam doctor noster in vita cum illo similitudinē habuerit ostēdamus? At verò quòd ille in currum sublatus equis igneis vectus fuerit, quodque hinc in altiora loca recesserit, hæc ab hominis natura ne postulentur: Neque enim intra humanæ naturæ terminos incolumis in monte seruatus est, graui terrenóque pondere in altum & leue diuina virtute cōmutato. Hæc verò quòd oratione ille sua tanquā claue quadā auxilij cœlestis vteretur, promens illud quando volebat, condensq; rursum pro arbitratu suo, si quando id magis conducere existimabat. Quodq; vno tantū subcineritij illius panis nutritus cibo, tam longum tempus ieiunijs traduxerit, in eodem statu vires cōseruans quadraginta dies, sunt hæc ab homine requirenda, quæ vim humanam lōgè superant. Nequit enim humana natura ea quæ naturam vincunt imitari. Vnà cum his autem sileatur & exiguum illud farinæ vas, & vrceus olei, vnde suppeditatum est, quod victui necessarium fuit, nec toto famis tempore, hoc est, trium annorum, & sex mēsium spatio vnquā defuit. Diuinæ enim beneficentiæ miracula singularem & præcipuam vim habent, quam nullus humanæ naturæ merito assignet. Quid igitur in Doctore nostro cum Propheta similitudinem habet? Ardor fidei, inimicitia cum impijs, amor erga Deum, veri boni desi-

4 Ecce vigiliæ & ieiunia etiam olim à sanctis frequentata.

derium ad terrena nunquam declinans, vita in omnibus explorata, aspera viuendi ratio, aspectus vitæ instituto conueniens, grauitas non accersita, silentium oratione significantius, rerum futurarũ studium, præsentium contemptus, eadem omnium quæ videntur æstimatio, siue quid eorum, quæ maxima, amplissimaque putantur, contingeret, siue vile & abiectum aliquid ostenderetur. Hæc atque alia eiusdem generis sunt, quibus doctoris vita res Heliæ mirabiles expressit. Quòd si quis quadraginta dierum inediam obijciat, nos per totius vitæ spatium cibi paucitatem præferemus. Hæc enim laus ad eam proximè accedit, præsertim si ea in tempore exiguo, hæc in tota vita præstetur. Quanquã & propositus ille subcineritius panis Prophetæ robur sustentabat, habens in se aliquid omnino, quo nutrimenti illati vis conseruabatur. Cuius rei illud indiciũ sit, quòd non hominis manu, sed Angeli studio paratus fuit, ex quo virtus quædam solida, quæ minimè dissipari posset, per illum cibum corpori insidebat. Hic autem consuetudine nihil immutata, cibi mensuram ratione præscribebat, tantum corpori præbens, nõ quantum appetebat natura, sed quantum temperantiæ lex imperabat. Doctoris autem sacrificium imitatur ea quæ Prophetæ sacrificio significabantur, cœlestem ignem super hostias deducens, dum in ratione fidei Trinitatem colit. Nam quòd spiritus sancti potentia vocetur ignis, à scriptura sæpe didicimus. Terræ verò siccitatem doctor nec expulit, nec induxit. Cùm magnus Propheta terrã aquæ penuria percusserit, idemque vulneri medicinam fecerit, supplicij dolori par ex curatione solatium adferens. Quòd si de nostro quoque Helia factum admirandum dicendum est, cùm olim diuino consilio eiusmodi quædam calamitas accidisset, vt totum hyemis spatium aridum transiret, nec vlla fructuum spes ostenderetur, ante ſ Deum prostratus doctor effecit, ne minarum eius timor longius progrederetur, precibusque eum placans, siccitatis tristitiã abstulit. Iam quod attinet ad famis cõsolationem, quam vni viduæ magnus Helias attulit, simile quiddam in doctoris vita possumus demonstrare. Etenim cùm graui quondam fame & ciuitas, in qua ipse degebat, & omnis ei ciuitati subiecta regio laboraret, diuenditis possessionibus, pecuniamque in egentium alimenta distribuens fecit, vt quod instruendæ mensæ domesticæ videbatur exiguum, id toto penuriæ, famisque tempore satis esset, cùm omnes vndique confluentes aleret, & totius populi iuuentutem ciuitatis sic enutriret, vt Iudæorum etiam filij eius humanitatis ex æquo participes essent. Nihil autem prorsus interest, vtrum ex arca, an aliunde promatur, quo diuinum mandatum obseruetur. Pauperum enim consolatio non quærit vnde sit, sed id quod efficitur, aspicit. Iam verò quòd sublimis Helias raptus fuerit, admirandum profectò est, suprà quàm dici possit. Est tamen & altera ratio, qua quis in sublime fertur, haud quaquam aspernanda, quum excelso viuendi instituto, iunctóque sibi ex virtutibus curru in cœlum volat, ibique versatur. Quod quidem effecisse doctorem nostrum fatebitur, quisquis actiones eius æquo animo perspexerit. Sed num audebimus hunc etiã cum Samuële comparare? Duo tantum, omissis alijs omnibus, quæ de illo præclarissima dicũtur, in nostro item doctore propriè reperiri demonstrabimus. Primum quidem ortus vtriusque fuit concessus à Deo. Nam vt illum mater, sic & pater hunc diuino munere genuit, qui quum letali morbo quondam in adolescentia laboraret, pater in quiete vidit id quod narratur in Euangelio de puero reguli, sibíque Dominum eadem illa verba, quæ tunc ad illum dixerat, dixisse: Vade, filius tuus viuit. Cuius & ipse fidem imitatus, eundem fidei fructum tulit, filijque salutem ex Domini benignitate suscepit. Et hoc quidem vnum est ex ijs, quæ inter Samuëlis miracula numerantur. Alterum autem est, quòd idem sacrificij genus ab vtroq; peractum fuit. Ambo enim pacificas Deo victimas obtulerunt, sacrificantes pro hostiũ interitu: alter quidem vt hæreses, alter vt alienigenæ delerentur. Iam verò Moses ille magnus commune cunctis ad virtutem tendentibus exemplar propositũ est, vt errare non posit, qui legislatoris virtutem sibi in omni vita imitandam proponat. Quapropter inuidiosum non erit, si doctorem nostrũ ostenderimus ipsius vitam, quoad fieri potuerit, expressisse. Sed in quibus apparet hæc imitatio & similitudo? Princeps quædã Ægyptiorum Mosen adoptatum domestica disciplina instituendum curauit, qui tamen à matris vbere non recessit, quamdiu prima illa ætas tali alimento nutrienda fuit. Quod etiam de doctore nostro veritas ipsa testatur. Externa enim eruditus sapientia semper Ecclesię sugebat vbera, eiusque præceptis & institutis tanquam lacte nutriebat animum, atque adaugebat.

ſ *Orans Basilius Deum genu flexo siccitatis tristitiã abstulit.*

Repudiauit deinde Moses falsæ matris illustre genus. Neq; hic diu sustinuit nominari id cuius ipsum pudebat. Nam vt Reginã ille, ita hic omnẽ ex peregrina eruditione partã gloriam reijciens, humilem contemptámq; vitã amplexus est, sicut Hebræos Moses thesauris Ægyptiorum antepotuit. Cùm autẽ in vtroq; natura vim suam exerceret, vtriusq; enim caro concupiscebat aduersus spiritum, neq; hic illius cum Ægyptio certaminis expers fuit, in quo ille innocentem oppugnabat, sed meliori ferens auxilium, Hebræo vim adferentem Ægyptium interfecit. Per Hebræum autem intelligitur ratio pura & immaculata. Quocirca qui

ea qui menti fert opem, vt membra mortificet, quæ suntsuper terram, is Mosis virtutem quam ille contra Ægyptium præstitit, imitatur.

Sed multa oportet prætermittere, ne si diligēter velimus omnia quæ in historia cōtinentur, in quibus Mosis doctor similis fuit, exponere, audientium animi perturbentur. Reliquit Ægyptum post necem Ægyptij Moses, multoque tempore apud se priuatim egit. Et hic vrbanos tumultus terrenosque strepitus relinquens, in secessu philosophabatur cū Deo. Splendor illi per rubum emicuit. Habemus & nos eiusmodi quiddam, quod de nostro dicamus: Cùm enim nox esset, lux ei quædam precanti effulsit. Erat autem lux expers materiæ, quæ vi diuina domum illustrauit, nec vlla ratione humana accensa fuerat. Seruauit populum Moses, de manu tyranni illum eripiens. De nostro item legislatore idem fatetur hic populus, quem ipse perduxit ad promissionem Dei. Quid autem necesse est commemorare, quàm multos & hic per aquā duxerit, quàm multis columnam ignis, hoc est, doctrinę facem prætulerit, quàm multos spiritus nebula seruauerit, quàm multos cœlesti alimēto enutriuerit, quomodo petrā imitatus sit, qua quondam ligno educta sit aqua, id est, qua quondam crucis signum os tetigit, quod sitientes expleuit aqua illa, quæ copiæ vi abyssos imitatur. Quale testimonij tabernaculū tum corporeum quidē in suburbio struxerit, qui corpore pauperes erant, spiritu pauperes efficiens doctrinæ probitate, vt beatam illam assequerētur paupertatem, quæ veri regni gratiā conciliat, tum verū tabernaculū, in quo Deus habitaret, singulorū animum fecerit, in eoq; colūnas quasdam cōstituerit, colūnas, inquam, rationis, quæ virtutis studio fulcirentur. Et vasa præterea ad animorum maculas abluendas, vt oculorum aqua sordes abstergeret. Quā multas in animo cuiusque lucernas imposuerit, inde orationis luce tenebras expellens, qualia precationū thuribula altariaque parauerit ex puro synceroq; auro, hoc est, ex vera puraque affectione, cuius splendorē graue inanis gloriæ plumbum nihil obscuraret. Quid dicam qualem cuique arcam ædificauerit, tabulasque testamenti Dei digito exaratas in animo collocarit? Hoc aūt loquor, illuc respiciens, quod ex vniuscuiusque corde arcam faciebat, spiritus mysteria continentē, habentemq; legem operibus expressam virtute spiritus sancti. Sic enim interpretor digitū Dei. In qua & sacerdotij virga, quæ semper floret, & germinat, sanctitatisque fructus gignit: Et vrna non carens manna, tunc enim cibo cœlesti vas animi exinanitur, cùm irruens peccatum prohibet influxum mannæ. Manna autem est cœlestis cibus. Quid referam quanto studio sacram stolam vel ipse gestaret, vel exornaret alios exemplo suo? cùm semper ante pectus ornatum ferret, cui tum ex significatione, tùm ex veritate nomen est rationale? Quæ quidem omnia mortali interpretatione doctori aptanda studiosioribus relinquo, vt ostendatur, quàm ornatus & ipse esset, & reliquis ornatum impertiret. Sæpe cognouimus eum intra caliginem esse, vbi erat Deus. Nam quod alij spectare non poterant, ipse spiritus sancti gratia cōprehendebat, vt intra caliginis ambitum esse videretur is in quo rationes de Deo reconditæ erant. Sæpe se Amalechitis opposuit, precationis armis instructus. Ipso enim manus tollente verus Israel aduersarios profligabat. Multorum, vt illius Balaam, præstigiarum incantationes dissoluit, qui nō veræ rationi audientes, sed asinæ dæmonum doctrinæ obtemperantes, inualidum ad nocendum os habuerunt, cùm diræ ipsorū imprecationes doctore obsecrante in contrarium verterentur. Hæc à nobis cursim breuiterque perstricta ad veritatem factorum aptabit, qui sancti vitam non ignorat. Quàm multi veneficijs & præstigiis insidias fecerint, quorū improbitas irrita inanisque fuerit, non permittente doctoris fide, vt quod cupiebant, malum possent ad exitū perducere. Nos autem cætera omnia, quæ in medio sunt, omittentes, finem vtriusque commemorabimus. Reliquit vterque vitam, sed carnis monumentum neuter ipsorum reliquit in terra. Neque enim Mosis tumulus inuenitur, neque hic vlla terrestri copia sepultus est, sed vnà cū ipso è vita discedēte, cuncta, quibus humana vita sustentatur, discesserunt, vt ne terrenum quidem monumentum reperiretur, quod ex relictorū copia memoriā viri ad meliora profecti declararet. Quemadmodum Mosis, vt historia narrat, sepulchrū non est inuentum vsque ad hodiernū diem. Proinde cùm magnus Basilius (vt demonstrauimus) talis fuerit, qui cum magnis sanctisque viris sigillatim ex rebus gestis comparatus, nō longè absit ab eorum amplitudine, meritò festorum dierum series nos ad 6 diem hunc in eius laudem celebrandum ducit. Quod cùm aliqua illi grata ratione agēdum sit, considerandum est quomodo id assequi valeamus. Aliquis igitur ornatum aliquod laudationis genus inquirat, quo patriam ipsius extollat & genus, & educationē, & vitæ instituta, quibus vigens ac florēs inter homines clarus illustrisque fuerit. Sed magnitudo virtutum quæ in ipso conspiciuntur, hanc orationis speciem & pompam aspernatur. Studiū enim huiusmodi in contrarium cederet, cùm nulla sit tanta dicendi facultas & copia, quæ rerū in ipso mirabilium amplitudinem pro dignitate queat explicare. Quamobrē ne, dum conamur eum laudare, præclarā de ipso opinionem in omniū animis inhærentem imminuamus, satius erit vt admirationem

6 *Dies festus in laudem Basilij celebrandus.*

silentio potius augeamus, quàm laudem deteramus, atque extenuemus oratione. Quid enim dicendo quis adferre possit, quo ille grauior esse videatur? Num audiet lubenter fortasse nobilitatem illam quæ ex carne & sanguine proficiscitur? Quis est, qui nesciat, quomodo vir magnus aduersus carnem fuerit affectus? quàm illi fuerit inimicus? vt eam quasi mancipium fugitiuum rationis vinculis coërcuerit? acerrimaque afflictione tolerantiaque castigans & vinciens seruum illum mastygiam corpus, tanquam inexorabilis hora nihil ei vincto supplicij remiserit? Eum igitur, qui aduersus carnem ita se gesserit, corporis nobilitate commendare ineptissimum sit. Quid enim nunc honestetur his rebus, quarum eum, dum viueret, dispudebat? Quod autem de genere dicimus, idem de patria dici potest. Nam qui supra totum orbem positus se omni elementorum natura sensibus exposita, tanquam angustijs quibusdam obsessum sic existimabat, vt ne cœlum quidem supra se esse pateretur, sed illo superius animum circunferret, despiciens omnem mundi circumplexam sublimia semper inuestigabat, & cum diuinis illis mentibus versabatur, quomodo is ex parte aliqua terræ, & loci claritate se nominari permitteret? Hæc enim foret ignominia, verarumque laudum imminutio, si proposito virtutis spectaculo, aquam, folia, glebas admiraremur. Præsertim cum nihil tam præclarum sit, quod vllam laudem afferre possit, si causa tibi contigerit, non autem voluntate delegeris & compararis. Sileatur igitur & patria, & genus, & quicquid sponte sua hominibus obuenit. Ea potius in eius laudibus patria nobilitasque numeretur, quam consilio animique proposito sibi eligunt boni.

Quænam igitur Basilij claritas generis? quænam patria? Genus, necessitudo cum Deo: patria, virtus. Qui enim Deum accipit, vt in Euangelio scriptum est, potestatem habet, vt Dei filius fiat. Quid autem coniunctione cum Deo nobilius quæras? Qui verò in virtute versatur, qui eam colit, qui ex ea vitam instituit suam, patriam omnino sibi ipse constituit id in quo viuit. Temperantia est illi domus: sapientia possessio: iustitia, & veritas, & puritas, illustria sunt claræ domus ornamenta. Qui degit in his, clarior est, quàm illi, qui marmoreis & auratis ædibus gloriantur. Si quis eum ob talem patriam laudauerit, si tale genus extulerit, is vera dicet, & gratas illi laudes assignabit. Terram autem & diuitias, & carnem, & opes, & principatus, & ex ijs partam gloriam tribuant, qui volunt, amatoribus mundi. Cùm igitur congruentem ipsi laudationem oratio nostra non capiat, hæc studia laudandique artificia respuenda fortasse sint. At si id fecerimus, quomodo inquiet aliquis, memoriam ipsius celebrabimus? Quomodo seruabitur scripturæ lex, quæ iubet, vt cum laudibus sanctorum memoria celebretur, siquidem & veræ laudes ipsius, oratione explicari non possunt, & eas communi ista ratione prosequi, contumeliosum est? Alia suppetit ratio, qua non prorsus eum sine munere nostrarum laudum relinquamus. Ecquænam est hæc ratio? Quis nescit orationem omnem, si à rebus seiuncta sit, inanem esse, nec posse subsistere? Rerum autem naturam efficere, vt oratio consistat, & vera esse videatur? Quamobrem laus factis expressa quauis oratione præstantior erit: hoc autem præstabimus, si ex memoria illius vitam nostram, melius quàm antè instituerimus. Quemadmodum enim si in annuli pala, pulcherrima quæpiam imago sit insculpta cera signo eius admota, pulchritudinem illius in se transfert, totam signi similitudinem proprijs notis sic exprimens, vt nulla ratione tam aptam ipsius imaginis formam quis possit effingere, vt ille, qui cera expressam eam ostendit: eodem pacto si quis ornata oratione virtutem doctoris extollet, alter autem eum imitando vitam suam ad eius similitudinem informabit, huius laudatio vita & factis expressa pulchrior & gratior erit, quàm illius qui eam eleganti oratione tantùm exornabit. Sic igitur & nos, fratres, si in ijs, quæ agemus, temperantia temperantem imitabimur, virtutem eius laudabimus pro dignitate. Et de cæteris item eodem modo. Sapientiæ admirationẽ exprimamus, sapientiam capessentes. Paupertatis laudẽ, euadentes pauperes terrenæ istius facultatis. Huiusce mundi contemptus non verbis tantùm laudabilis & gloriosus esse dicatur, sed eorum, quæ mundus ipse appetit, despectione tanquam testimonio comprobetur. Ne dicas solùm, ille versabatur cum Deo, sed te ipse quoque cum Deo coniunge. Nec refert modò, ille præter quietis æternæ spem nihil possidebat, sed easdem tu item tibi diuitias repone. Licet enim res ille suas è terra in cœlum transtulit, transfer tuas etiam tu in cœli tutissimos thesauros. Sic & tu magistrum imitare. Perfectus est enim discipulus, si sit sicut magister. Etenim in reliquis artibus qui medici, aut geometræ, aut rhetoris discipulus fuit, indignus erit cui fides habeatur, si magistri artem cõmendans oratione quidem scientiam eius admirabitur, in se autem nihil admiratione dignum ostendet. Sic enim illi quisquam obijciet: Quomodo magistrum tuum medicum dicis, cùm imperitus sis medendi facultatis? Aut quomodo Geometræ discipulum asseris, cùm Geometriam ignores? At si quis in se ipso demonstrat artem quam didicit, scientia sua commendat eum qui sibi artem tradidit. Quamobrem nos item, qui Basilio doctore gloriamur, vita & factis disciplinam decla-

declaremus, id euadentes, quod eum & apud Deum, & apud homines celebrem ac magnum fecit in Christo IESV Domino nostro, cui gloria & imperium nunc & in secula seculorum, Amen.

VITA BASILII CAESARIENSIS EPISCOPI, per Suidam scripta, Alberto Lino Veronense Interprete.

BASILIVS Cæsareæ Cappadocum, quæ prius Mazaca vocabatur, Episcopus fuit, Gregorij Nazianzenorum Episcopi sodalis. Ortus est autem ex valde illustribus parentibus, Basilio videlicet, & Emmelea, quorum cognatio generis antiquitate clarissima fuit, vir eloquentissimus, ac 1 disciplinis omnibus eruditissimus. Hic multa scripsit, inter quæ illa præcipuè admirationi sunt, quæ in Exhameron conscripsit. Composuit autem libros egregios aduersus Eunomium: & opus de Spiritu sancto, nouémque homelias in Exhameron. Alium item librum de monachorum officijs. De Virginitate alium, Laudationem in quadraginta martyres, Alium in Gordium, in Barlaam, in Iulittam. Extant etiam sermones morales in diuersos Psalmos, diuersæ item epistolæ, quibus nihil præstantius, ad Libanium sophistam, & Gregorium amicum, atque ad alios complures. Huius autem Basilij & Philostorgius in sui temporis historia mentionem facit, sic scribens: Basilius enim illis temporibus Cæsareæ Cappadociæ floruit, & Gregorius Nazianzi, quod oppidum publicum Cappadociæ est diuersorium, & Apolinarius Laodiceæ, quæ est in Syria. Porrò tres isti viri eo tempore pro consubstantialitate Spiritus sancti aduersus eos, qui illum alterius esse à Patre & Filio substantiæ asserebant, acriter decertabant, longo interuallo omnes, quotquot antea & post ad meam vsque ætatem eiusdem hæresis fautores, defensoresque fuerunt, superantes, adeo vt Athanasius præ illis puer habitus fuerit. Nam cum externarum, quæ vocantur, disciplinarum erant peritissimi, tum ex sacris scripturis quæcunque populo præleguntur, quæque memoriæ mandari solent vt in promptu habentur, optimè isti callebant, omniúmque maximè Basilius. Ad hæc vnusquisque illorum ad libros pro suo quisque ingenio, & stylo componendos erat aptissimus, siquidem Basilius in popularibus orationibus vnus inter omnes maximè eminebat. Erat enim in concionibus ad populum splendidissima oratione locupletissimus. Apolinarius verò scribendis commentarijs excellebat. At Gregorius si ad vtrunque, concionandi scilicet, & commentandi genus examinaretur, ad scriptionem aptior videbatur. Hactenus Philostorgius Arrianus de illis velut cursim scripsit. Obijt autem magnus Basilius Gratiano Romanorum imperium gerente, quatuórque fratres habuit, Gregorium Nissæ Episcopum, & Petrum etiam ipsum Episcopum, aliósque duos monasticam vitam sequutos.

1 Si sanctus hic vir eloquentia & omnibus disciplinis fuit eruditissimus, cur hoc tempore quidam illarum studium tanquam inutile dánent, & à sancta Ecclesia explodere volunt?

VITA SANCTI GREGORII NAZIANZENI Episcopi, per Adonem Episcopum Treuerensem scripta.

APVD Nazianzon oppidum Natale beati Gregorij Episcopi, qui Theologus dicitur, collegæ Beati Basilij, Cæsareæ Cappadoceæ postea Episcopi: Qui cum se totum Dei seruitio mancipasset, tantum de collegæ amore præsumpsit, vt sedentem Basilium de cathedra deponeret, ac secum ad monasterium manu iniecta perduceret. Ibique per annos tredecim omnium Græcorum secularium libris remotis, solis diuinæ scripturæ voluminibus operam dabant. Igitur apud Nazianzum oppidum in locum patris Episcopus subrogatus, hæreticorum turbinem fideliter tulit. Reddita verò pace, Constantinopolim ad Ecclesiam docendam venire exoratus, non abnuit. Vbi breui tempore tantum ad emendandum populum vetustis hæreticorum infectum venenis profecit, vt tunc primum Christiani sibi viderentur, & nouellam lucem veritatis aspicere. Sed vbi gloriam subsecuta inuidia est, obniti quidam, & perscriptionibus minus sanis vti cœpêre, vt ipso ad propriam remeante, alius ordinaretur Episcopus. Quod ille susurrari tantum, & sub dente sentiens ruminari, ipse profert, quod dicere ei nullus audebat: Absit, inquit, vt mei causa aliqua simultas in Dei sacerdotibus oriatur: si propter me est ista tempestas, tollite, & mittite me in mare, & desinet à vobis quassatio. Tunc regressus in Ecclesiam suam, quòd superfuit vitæ tempus exegit. Et quoniam fessa anima, ætate & corpore inualidus erat, successorem sibi ipse elegit, quo Ecclesiam gubernante, debilitatis & senectutis otio frueretur.

Habetur in eiusdem Martyrologio sub vij. Idus Maij.

VITA

VITA GREGORII NAZIANZENI EPISCOPI, per Suidam ſcripta, Alberto Lino Veronenſe Interprete.

GREGORIVS Nazianzeni, quæ ciuitas publicum Cappadociæ eſt diuerſorium, Epiſcopus fuit, vir diſertiſſimus, Baſilio Cæſareæ, quæ eſt in Cappadocia, Epiſcopo ſumma neceſſitudine & familiaritate coniunctus. Hic non ſolùm [1] Grammaticæ peritus, atque ingenio ad poëticam habili fuit, verùm multò etiam magis ad philoſophiẽ exercitatus, Rhetorq́; excellentiſſimus. Multa ſoluta oratione conſcripſit. Siquidem vniuerſa eius opera triginta milibus verſuum ab eo abſoluta fuerunt, è quorum numero hæc ſunt. De obitu Cæſarij fratris, Oratio funebris in eius patrem: Altera in Gorgoniam ſororem. De pauperibus diligendis, Laudatio Machabæorũ, Laudatio Cypriani, Laudatio Athanaſij, Laudatio Heronis Philoſophi, Aduerſus Iulianum Imperatorem orationes duæ, De Spiritu ſancto oratio vna, Panegyricæ orationes decem, aliæque item permultæ & omnibus notæ. Sequutus eſt autem in dicendo ſtylum Polemonis Laodicenſis, qui Smyrnæ artem dicendi profeſſus eſt, Ariſtidiſque Rhetoris præceptor fuit. Alium inſuper heroico carmine librum compoſuit, virginitate & matrimonio inter ſe inuicem diſceptantibus, aliaque varijs diuerſiſque metrorum generibus argumenta tractauit. Quæ quidem omnia in vnum collecta volumen triginta mille carminum conficiunt. Huius autẽ Gregorij & Phyloſtorgius Arrianus in ſui temporis hiſtoria mentionem facit, quemadmodum in vita Diui Baſilij dictum fuit. Ac ſtylus quidem Gregorij Apollinarij ſtylo grandior, Baſilij verò preſſior fuit. Cæterùm quum tanta in his viris & dicendi & ſcribendi ineſſet facultas, moribus quoque nihilominus integritate apud multitudinem ſpectandis ſuſpiciendiſque præditi erant, adeo vt & ijs omnibus quæ in eorum vita conſpicerentur, ipſique loquerentur, ac ſcribendo in lucem æderent, vnumquemque ad ſuam ſocietatem perducerent, vt quoque eorum ſiue facto, ſiue ſermone, ſeu ſcripto capi quiſque facilius poterat. Quum igitur Gregorius adhuc ſuperſtes Epiſcopum in eius locum ſuffectum Eccleſiæ, cui ipſe præſul obtigerat, præfeciſſet, ipſe in quodam agro ſolitariam vitam traduxit. Annos verò nonaginta atque eo amplius natus, decimo tertio anno Imperij Theodoſij migrauit è vita, hoc eius virtute indignum paſſus, quòd & à cathedra vrbis regiæ depulſus fuit, & deteriores digniores habiti quàm ipſe, qui virtute & vitæ ſanctæ ſplendore longè omnibus antecellebat.

[1] *Vide & hic ſanctiſſimum virũ humanarum diſciplinarum ſcientia imbutum.*

VITA GREGORII NISSAE EPISCOPI, per eundem Suidam, eodemque Interprete.

GREGORIVS Baſilij Cæſarienſis frater Niſſæ epiſcopus fuit, vir & ipſe præſtantiſſimus, [1] omnibuſque bonis artibus eruditiſſimus. Verùm Rhetoribus imprimis operam dedit, in qua quidem facultate tanta cum laude & ſplendore enituit, quanta quiuis alius ſuperiorum temporum illuſtris orator. Hic aduerſus Eunomium librum eximium conſcripſit, opuſque egregium de hominis opificio. Ad hæc crebras & continuas homelias, partim in Cantica canticorum, partim in Eccleſiaſtem, ad Macrinamque ſororem longum quendam, eumque perpulchrum de anima librum compoſuit, multaque alia ſcripſit, inter cætera laudationem Stephani protomartyris ſanè quàm admirabilem, illiúſque Gregorij vitam, qui miraculis clariſſimus fuit.

[1] *Nota. Omnibuſque bonis artibus eruditiſſimus, cõtra eos qui liberalium artium ſtudia improperant.*

VITA DIVI AMBROSII EPISCOPI MEDIOlanenſis, & Macedonij viri ſancti, per Ruffinum presbyterum Aquileienſem, & Caſſiodorum Senatorem ſcripta.

DEfuncto apud Mediolanum Auxentio hæreticorum Epiſcopo, vtriuſque partis populi diuerſis ſtudijs ferebantur. Diſſenſio grauis, & periculoſa ſeditio vrbi propriæ maturum parabat exitium, ſi pars vtraque cùm diuerſum vellet, nequaquàm quod propoſuerat, obtineret. Ambroſius tunc conſularis eiuſdẽ prouinciæ faſces regebat. Is cũ perniciẽ ciuitati videret impẽdere, pro loco atq; officio ſuo confeſtim Eccleſiã ſeditionẽ populi mitigaturus ingreditur. Cúmq; inibi multa ſecundùm leges & publicã diſciplinã pro quiete & tranquillitate peroraſ-

Habetur lib. 11. Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. 11.

perorasset, pugnantis inter se & dissidentis populi subitò clamor & vox vna consurgit, Ambrosium episcopum postulantes. Baptizari hunc protinus clamant (erat enim catechumenus) & sibi Episcopum dari, nec aliter vnum populum fore atque vnam fidem, nisi Ambrosius sibi daretur sacerdos. Obluctante illo & plurimũ resistente, ad Imperatorẽ relatum populi desiderium, omni maturitate iubetur impleri. Dei enim ait esse, quòd discordantem populi fidẽ, & animos dissidentes conuersio subita in vnũ cõsensum atq; in vnã sententiam reuocaret. Moxq; Dei gratiã cõsecutus, & [1] initiatus sacris & sacerdos effectus est. Mortuo autem Valentiniano Iustina vxor eiusdẽ, ac Valentiani pueri mater, Arrianæ hæreseos alũna, impietatis suæ venena, quæ viuente viro suppresserat, filio facile decepto fidenter aperuit. Igitur apud Mediolanum posita conturbare Ecclesiarum statum, comminari sacerdotibus depulsionis exilia, nisi Ariminensis concilij decreta quibus fides patrum temerata fuerat, reuocarent. Quo bello ecclesiæ murum & turrim validissimam pulsabat Ambrosium. Eumque minis, terroribus, atque omni oppugnationis genere fatigans, primum sibi aditũ debellandæ rimabatur Ecclesiæ. Sed quamuis illa Iezabel spiritu pugnaret armata, resistebat tamen Ambrosius, Heliæ virtute repletus & gratia. Ipsa autem in Ecclesijs garrire, strepere, animare, & inflammare ad discordiam populos: Sed quod minus res ex sententia cederet iniuriam putare, & pro hoc ad filium conqueri. Vnde adolescentulus pro contumeliæ inuidia, quam falso conflauerat mater, accensus armatorum globum ab Ecclesiam mittit, confringi ianuas, oppugnari sancta, sacerdotem pertrahi atque in exilium mitti protinus iubet. Sed tanta fuit perseuerantia fidelium populorũ, vt animas prius amittere quàm Episcopum mallent. Interim dictanda aduersum fidem patrum imperialia decreta mandantur beneuolo tunc memoriæ scrinijs præsidenti: Sed ille cui ab incunabulis sacra fides & venerabilis fuit, abnegat se impia verba posse proferre, & contra Deum loqui. Tum verò ne inceptum reginæ frustrari videretur, celsior ei honor promittitur, si impleret iniuncta. Ille qui nobilior in fide esse quàm in honoribus cuperet: Quid mihi, ait, pro impietatis mercede altiorem promittis gradum? Hunc ipsum quem habeo tollite, tantum mihi conscientia fidei duret illæsa. Hæc dicens, ante pedes impia præcipientium cingulum iecit. Ambrosius verò aduersum reginæ furorem, non se manu defensabat aut telo, sed [2] ieiuniis continuatisque vigiliis sub altari positus, per obsecrationes defensorem sibi atque Ecclesiæ Deum parabat. Dumque hæc in longum diuersis machinis, & oppugnationibus nequam Iustina moliretur, Maximus, qui se exuere tyranni infamia, & legitimum principem gestiret ostendere, datis literis impium protestatur inceptum, fidem Dei impugnari, & statuta catholicæ Ecclesiæ subrui, & inter hæc appropinquare Italiæ cœpit. Quo Iustina comperto, hoste simul atque impietatis conscientia perurgente, in fugam versa cum filio exilia quæ Dei sacerdotibus præparabat, prima sortitur. Adfuit tamen Theodosius propter regni fidem, bonitatisque ac beneficiorum Gratiani memor, & in vindictam, totius viribus Orientis insurgens, vltus est sanguinem iustum. Valentiniani quoque impia inter hæc matre defuncta, fidem catholicam, quam ipsa violauerat, & regnum tyrannide depulsa restituit. Atque ipse posteaquam Romam illustri triumpho inuectus est, ad propria rursus regna remeauit.

1 Si omnes fideles ex æquo sunt sacerdotes, vt quidam nunc mentiuntur, quid fuit necesse, vt Ambrosius mox baptizatus, & initiaretur, & sacerdos efficeretur? Cap. 12.

2 Idcirco ieiuniis continuatisque vigiliis, sub altari positus, per obsecrationes defensorem Ecclesiæ parat Deum Ambrosius, vt etiam ex hoc subuertantur insaniæ nostri temporis quorundam, qui hæc omnia subsannant & derident.

Theodoretus. Sed non est facile hominibus vniuersas vitare hostis insidias. Nã vbi quispiam libidinis effugerit passionem, incurrit in auaritiam. Qua declinata, inuidiæ fouea paratur, hanc si transcendat, vitium furoris incurrit. Atque alios plurimos ponit laqueos inimicus quo capere possit incautos. Et corporis quidem passiones habet facile ministrantes, vt animam possit occidere. Sola autem mens eius qui vigilarit, diuinis vacando, victoriam reportat machinationum imperium dissoluens. Humana itaque natura participatus Theodosius Imperator, habuit passionum quoque communionem, iustoq; furori immensam permiscens crudelitatem, iniustam operatus est passionem. Quam rem narrare necessarium est, & pro vtilitate legentium, & pro memorabili virtutum opinione. Thessalonica ciuitas est grandis & populosa, in qua cùm fuisset orta seditio, quidam Iudicũ lapidati sunt atque trucidati. Hinc indignatus Theodosius, iracundia non refrenauit impetum, sed iussit iniustos gladios super omnes euaginari, & vnà cum nocentibus innocentes interimi. Septem milia etenim hominum (sicut fertur) occisa sunt, non præcedente iudicio, sed tanquam in messibus omnes simul occisi sunt. Huiusmodi cladem plenam valde gemitibus audiẽs Ambrosius, cùm princeps Mediolanum venisset, & solenniter in sacrum voluisset intrare templum, occurrit foris ad ianuas, & ingredientem his sermonibus à sacri liminis incessu prohibuit. Nescis Imperator perpetratæ à te cædis quanta sit magnitudo? neque post causam tanti furoris mens tua molem præsumptionis agnoscit, sed forte recognitionem peccati prohibet potestas imperij? Decet tamen vt vincat ratio potestatem. Scienda quippe natura est, eiusq; mortalitas atque resolutio, & puluis progenitorum ex quo facti, & in quẽ redigendi sumus,

Habetur in lib. 9 historiæ triparti tæ cap. 30.

& non flore purpureo confidētem infirmitates operti corporis ignorare. Coæqualium hominum princeps es, ô Imperator, & conſeruorum. Vnus enim eſt omnium Dominus, rex omnium & creator. Quibus igitur oculis aſpicies cōmunis Domini templum? quibus calcabis pedibus ſanctum illius 3 pauimentum? quomodo manus extendes, de quibus adhuc ſanguis ſtillat iniuſtus? quomodo huiuſmodi manibus ſuſcipies ſanctum Domini corpus? qua temeritate ore tuo poculum ſanguinis pretioſi percipies, quando furore verborum tuorum tantus iniuſtè eſt ſanguis effuſus? Recede igitur, recede, nec altero peccato priora crimina augere contendas. Suſcipe vinculum 4 quo te omnium Dominus nunc ligat: eſt enim medicina maxima ſanitatis. His ſermonibus Imperator obediens (erat enim diuinis eruditionibus innutritus, & apertè ſciens quæ ſint propria ſacerdotū, quæ regum) gemens & flēs ad Regalia reuerſus eſt. Cumque octo menſium continuorū tranſiſſet tempus, propinquauit Natiuitatis Saluatoris noſtri 5 feſtiuitas. Imperator autē lamentationibus aſſiduis in palatio reſidens, continuas lachrymas inceſſabiliter expēdebat. Ingreſſus itaque Ruffinus tunc Magiſter, & ſingularē apud principem habens loquendi libertatē, & videns principē in lamētatione proſtratū, acceſſit ad lachrymarū cauſam inquireret. At ille amariſſimè ingemiſcens, & vehemētius lachrymas fundēs: Tu, inquit, Ruffine ludis, & mea mala nō ſentis. Ego autē lamentor, gemo calamitatē meam: quia ſeruis quidem & mendicantibus aperta ſunt templa Dei, & proprium Dominū ingredientes licitè exorant, mihi verò ingreſſus ad eum non eſt. Inſuper etiā cœli ſunt mihi clauſi. Hæc dicens, verba ſingula ſingultibus interrūpebat. Ruffinus verò: Currā, inquit, ſi tibi placet, pontificiq; precibus perſuadebo, vt ſoluatur vinculum quod illigauit. Ait Imperator: Non ſuadebis Ambroſio. Noui ego decretū illius eſſe iuſtum, neq; reuerebitur imperialē potētiam, vt legem præuaricetur diuinā. Cumq; Ruffinus verbis plurimis vteretur, & promitteret Ambroſium eſſe flectendum, Imperator eum proficiſci cū feſtinatione præcepit. Ipſe verò ſpe data paulò pòſt eſt ſequutus, credēs Ruffini promiſſionibus. Porrò vir mirandus Ambroſius mox vt vidit Ruffinum, ait: Impudentiam canū imitatus es, ô Ruffine, tantæ videlicet cædis autor exiſtens, pudorem ex fronte detergens, nec erubeſcis, nec metuis contra imaginem latrare diuinam. Cumque Ruffinus ſupplicaret, & Imperatorem diceret eſſe venturum, ſuperno zelo accēſus Ambroſius, ait: Ego verò, inquit, Ruffine prædico, quod eum ingredi ſacra limina prohibebo: Si verò imperium in tyrannidem mutabit, necem libenter & ego ſuſcipiam. Hæc & alia plurima Ruffinus audiens, nunciauit imperatori votum Antiſtitis, monens ne de palatio fortè procederet. At Imperator hæc in media iam platea cognoſcens: Pergam, inquit, & iuſtas ſucipiam cōtumelias. Cūque ad ſacra limina perueniſſet, in ſanctam quidem Baſilicā non intrauit, ſed veniens ad Antiſtitem, & inueniens eū in ſalutatorio reſidētem, ſupplicabat vt ipſius vincula reſolueret. At ille tyrannicam dicebat eius eſſe præſentiam, & cōtra Deum inſanire Theodoſium, eiuſque calcare leges. Verùm Imperator: Non, inquit, inſurgo aduerſus Eccleſiaſticas ſanctiones, neque iniquè ingredi limina ſacra contendo, ſed te ſoluere mea vincula depoſco, & communis Domini pro me exorare clementiam, nec mihi ianuam claudi, quam cunctis pœnitentiam agentibus Dominus noſter aperuit. Tum Antiſtes: Quā, inquit, pœnitentiā oſtendiſti poſt tāta ſcelera? 6 Quibus medicaminibus incurabilia vulnera plagaſq; curaſti? At Imperator: Tuum, inquit, opus eſt & docere, & medicamina temperare: meum verò oblata ſuſcipere. Tum ſanctus Ambroſius: Quoniam furori, inquit, tuum iudicium commiſiſti, & non ratio protulit ſententiam, ſed protinus iracundia, ſcribe legem quæ decreta furoris euacuet, vt triginta diebus ſententia necis atque proſcriptionis in literis tantummodo maneat, & iudicium rationis expectet: quibus tranſactis diebus, ira videlicet iā ceſſante, ratio cauſam iudicans, apud ſeipſam quæ cognouerit ſub veritate diſponat. In his enim diebus cognoſcetur an iuſta ſit quam protuleris, an iniuſta ſententia. Et ſi quidem ratio probauerit, iniuſta quæ ſunt prolata abolebit: Si verò iuſta, firmabit. Dierum verò numerus ad hæc exminanda ſufficiet. Hanc admonitionem Imperator animo libenti ſuſcipiens, & optimam eſſe cōfitens legem conſcribi repentè præcepit, & propriæ manus literis confirmauit. Quo facto vinculum eius ſoluit Ambroſius. Quæ lex hactenus obſeruatur. Eſt enim huiuſmodi. Imperaores Gratianus, Valentianus, & Theodoſius, Auggg. Flauiano Præfecto Prætorio Illyrici. Si vindicari in aliquos ſeuerius contra noſtram conſuetudinem pro cauſæ intuitu iuſſerimus, nolumus ſtatim eos aut ſubire pœnam aut excipere ſententiam, ſed per dies triginta ſuper ſtatu eorum ſors & fortuna ſuſpenſa ſit. Reos ſanè accipiat vinciatque cuſtodia, & excubiis ſolertibus vigilanter obſeruet.

3 Ecce ſanctū Eccleſiæ pauimentū. Et ſanctū Domini corpus in Euchariſtia, & pretioſus eius ſanguis in poculo. Vtrūque hoc contra pſeudoapoſtolos noſtros.

4 D. Ambroſ. excommunicat Theodoſium Imperatorem.

5 Feſtiuitas Natiuitatis Saluatoris

6 Heus bone vir qui negas ſatisfactionis opera eſſe neceſſaria pœnitēti, quoniā Chriſtus abūde pro omnib9 ſatisfecit. Quid dicis ad hūc locum?

Sic igitur ſacratiſſimus Imperator ingredi limina tentans, non ſtās Domino ſupplicauit, neque genua flexit, ſed protinus in pauimento iacens, Dauidicā proclamauit vocem: Adhæſit pauimento anima mea, viuifica me ſecundū verbū tuū. 7 Manibus autē capillos euellēs, frontemq; percutiēs, & pauimēto lachrymarū guttas aſpergēs, veniam impetrare poſcebat. Cumque

7 Nonne omnia iſta ſunt ſatisfactionis opera? Quid dicis tu, qui aſſeris hæc aduerſari Euangelio, doctrinæ fidei, & obſcurare beneficium Chriſti?

Cumque tempus accederet quo munus ad altare solebat offerre, surgens cum lachrymis est ingressus: cùm verò obtulisset, sicut solitus erat, intra cãcellos stetit. Rursus autem Ambrosius non quieuit, sed differentiam locorum edocuit. Et primò quidem interrogauit, quid ibidem expectaret. Imperatore dicente, expectare se sacrorum perceptionem mysteriorum, per Archidiaconum remandauit: O Imperator, interiora loca tantùm sacerdotibus sunt collata, quæ cæteris nec ingredi, nec contingere permittuntur. Egredere igitur, 8 & hanc expectationem cum cæteris habe communem: Purpura namque Imperatores, non sacerdotes facit. Tum fidelissimus Imperator etiam hanc traditionem animo lubenti suscipiens, remandauit: Non temeritatis causa intra cancellos mansi, sed in Constantinopolitana vrbe hanc consuetudinem esse cognoui. Vnde ago gratias pro huiusmodi medicina. Tali ergo tantaque & præsul & Imperator virtute clarebant. Ego sane vtriusque opus admiror, illius libertatem, huius autem obedientiam: illius zeli feruorem, huius fidei puritatem. Porrò regulas pietatis quas à magno sacerdote percepit, etiã reuersus in Constantinopolitana vrbe seruauit. Nam cùm festiuitatis tempore ad Ecclesiam processisset, oblatis ad altare muneribus, mox egressus est. Cumque Nectarius tum præsul Ecclesiæ rogasset, cur intus stare noluisset, mandauit princeps: Vix, inquit, potui discere quæ differentia sit Imperatoris & sacerdotis, vix enim inueni veritatis magistrum. Ambrosium namque solùm noui dignè vocari pontificem. Tantum itaque profuit increpatio à viro virtutibus florente profecta. Habebat igitur Imperator & aliam vtilitatis occasionem, per quam de bonis operibus triumpharet. Coniux enim eius de diuinis legibus eum sæpius admonebat, seipsam tamen perfectè prius erudiens. Non enim regni fastigijs eleuata est, sed potius diuino amore succensa. Beneficij namque magnitudo maiorem ei amorem benefactoris excitabat. Repente ergo vt venit ad purpuram, claudorum atque debilium maximam habebat curam, non seruis, non alijs ministris vtens, sed per seipsam agens, & ad eorum habitacula veniens, & vnicuique quod opus haberet præbens. Sic etiam per Ecclesiarum xenodochia discurrens, suis manibus ministrabat infirmis, ollas eorum tergens, ius gustans, offerens coclearia, panem frangens, ciboſque ministrans, calices abluens, & alia cuncta faciens, quæ seruis & ancillis mos est solenniter operari. Illis autem qui ei tales res nitebantur prohibere, dicebat: Aurum distribuere opus imperij est: ego autem pro ipso imperio hoc opus offero, bona mihi omnia conferenti. Nam viro suo sæpe dicebat: Oportet te semper marite cogitare, quid pridem fueris, quid modò sis. Hæc si semper cogitaueris, ingratus benefactori non eris: sed imperium quod suscepisti, legitimè gubernabis, & harum rerum placabis autorem. His ergo sermonibus semper via, velut optimam quandam vtilitatem, virtutisque abundantiam coniugi suo alioqui ad optima propenso offerebat. Hæc verò ante maritum defuncta est. Post aliquantum verò tempus mortis eius aliquid tale accidit, quod maximum amorem quem habuit erga eam Imperator, ostendit. Coactus quidem Theodosius plurimum continuatione bellorum, quandam exactionem nouam imposuit ciuitatibus. Antiochena verò ciuitas nouum vectigal ferre nõ potuit, sed videns populus suspendi eos à quibus fuerat exacta pecunia, cùm alia egit (vt vulgus solet) occasionem seditionis inueniens, tum deijcientes æneam statuam laudatissimæ Placillæ (sic enim Augusta fuerat vocata) etiã diu per omnem traxêre ciuitatem. Hæc vbi Imperator cognouisset, ægerrimè quidem tulit, vt æquum erat, ac priuilegia ciuitati ademit, vrbique vicinæ primatum tribuit, putans hoc illis maximo dolori futurum, inuidebat enim iam olim Antiochiæ Laodicea. Post hæc autem & incendium & deuastationẽ minabatur, & in vici formam se vrbẽ redacturum. Porrò magistratus ipsi quosdam in ipso facinore cõprehensos supplicijs affecerant, priusquam de hac tragœdia Augustus fuisset certior redditus. Hæc autem omnia Imperator quidem pręcipiebat, non tamẽ fiebant, prohibente id lege quam proferri fecerat Ambrosius. Cùm igitur venissent qui ferebant minas Imperatoris, Allebichus magister militũ, & Cæsarius magister, erant omnes sub formidine constituti. Porrò viri eremum habitantes, virtutis oppugnatores, multi sancti & optimi viri, plurima monita simul & preces eis qui à principe missi fuerant, offerebant. Macedonius autem vir sanctus, nihil huius vitæ sciens, sed etiam diuinorum librorum penitus expers, in summitatibus habitans mõrium, diu noctuque Saluatori omnium puras offerens preces, non Imperatoris indignatione permotus, non iudicum ab eo missorum, in media ciuitate vtriusque clamydẽ apprehendens ab equis suis vt descẽderent imperabat. At illi seniculum pannis obsitum vilissimis intuẽtes, primum indignati sunt. Cùm verò quidã obsequia exhibentium, virtutẽ viri illius indicassent, repentè ab equis desilientes, & genua tenẽtes, eius veniã suppliciter implorabant. At ille sapientia diuina repletus, hæc eis verba locutus est: O amici, dicite Imperatori: Non es Imperator solummodo, sed etiam homo. Noli itaque respicere solum imperium, sed considera quoque naturam. Nam cùm sis homo, eiusdem naturæ hominibus cognosceris imperare, & secundùm imaginem diuinã atq; similitu-

cc dinem

8 Si ex æquo oẽs essent sacerdotes, vt dicunt noui hæretici, Ambrosius non expulisset Imperatorem à locis sacerdotalibus.

dinem hominum creata natura est. Noli igitur crudeliter atque sæuissimè Dei imaginem occidere. Irritas enim creatorem, cùm illius punis imaginem. Illud quoque considera, quòd tu ipse tantum propter æream contristaris imaginem. Quantum verò differat inanimata res ab animata, viuente atque rationali, cunctis sensum habentibus est apertum. Insuper etiam illud consideret, nobis quidem facile esse pro vna imagine complures æreas reparare, at illi omnino difficile vel vnum capillum restituere peremptorum. Hæc audientes illi, principique referentes, flammam iracundiæ penitus extinxerunt. Qui pro terroribus satisfactionem rescripsit, & causam indignationis aperuit. Non, inquit, oportebat me peccâte, mulierem omni fauore dignissimam, post mortem tantam contumeliam sustinere. Aduersum me namque furorem indignantes decebat armare. Adiecit etiam quòd doleret & ingemisceret, eò quòd audisset quosdam à Iudæis peremptos.

ITEM DE EODEM EX D. BASILIO.

Est epist. D. Basilij in ordine epistolarum eius 55. ad D. Ambrosium scripta.

MAgna semper & multa quidem sunt Domini nostri dona, quorum neque magnitudo mensurabilis, neque multitudo numerabilis est: vnum verò quod inter maxima reputari potest ab ijs qui non difficili beneficiorum Dei in se collatorũ sensu tanguntur, & præsens, hoc est, quod quàm longissimè propter locorum distantiam seiunctis per literarum alloquium mutuo coalescere dedit. Largitus est autẽ duplicem cognoscendi modum: Vnum per præsentem conuictum & congressum: Alterum per consuetudinem literariam. Quoniam igitur te per ea quæ locutus es cognouimus: cognouimus verò non ex eo quòd nota quædam corporis tui menti nostræ impressa sit: sed quòd interioris hominis tui pulchritudinem veluti ex variegata sermonum pictura cognouimus. Nam quisque nostrûm ex abundantia cordis loquitur. Glorificauimus autem Deum nostrum, qui ex quauis mortalium generatione eos qui sibi placuerint, deligit. Qui olim quidẽ ex pastoribus ouium populo suo principem excitauit, & Amos de grege caprarum sumptum spiritu suo instruxit, & ad propheticam dignitatem extulit: nunc verò virum ex vrbe regia, cui totius gentis principatus concreditus erat, sapientia sublimem, generis claritate, vitæ splendore, orandi facultate, & rebus secularibus illustrem, ad gregum Christi pasturam traxit, qui proiectis huius vitæ opibus vniuersis, proque damno habitis, vt Christum lucrifaceret, cõmissa sibi magni ac præclari nauigij, Ecclesiæ videlicet Dei in fide Christi gubernacula accepit. Age igitur ô homo Dei, quandoquidem non ab hominibus accepisti, aut doctus es Euãgelium Christi, sed ipse te Dominus è medio iudicum terræ desumptum ad præsidentiam Apostolicam transtulit: certa bonum certamen, corrige ac moderare infirmitatem populi, si qua Arrianæ vesaniæ labe tactus est: renoua prisca 9 patrum vestigia: & quod dilectionis erga nos fundamentum iecisti in ipsam structuram, assiduitate mutui nostri alloquij excitare ac prouehere stude. Nam hoc pacto spiritu poterimus coniuncti esse, licet terrestri habitatione quàm longissimè alter ab altero dissiti simus.

9 Nota. Renoua prisca patrũ vestigia, quoniam qui per nouorum hominum figmenta ambulant, in erroribus versantur

ITEM ALIA DIVI AMBROSII VITA, PER Paulinum Nolanum Episcopum, ad beatum Augustinum Episcopum scripta.

Habetur Tom. 1 operũ eiusdem in principio.

HOrtaris venerabilis pater Augustine, vt sicut beati viri Athanasius Episcopus & Hieronymus presbyter, stylo persecuti sunt vitas sanctorum Pauli & Antonij in heremo positorum. Sicut etiam Martini venerabilis Episcopi Turonensis Ecclesiæ, Seuerus seruus Dei sermone contexuit, sic etiam ego beati Ambrosij Episcopi Mediolanensis ecclesiæ meo prosequar stylo. Sed ego vt meritis tantorum virorum, qui muri ecclesiarum sunt, & eloquentiæ fontes, ita etiam sermone me imparem noui. Tamen quia absurdum esse opinor quod præcipis declinare, ea quæ à probatissimis viris qui illic ante me astiterũt, & maxime à sorore ipsius venerabili Marcellina didici, vel quæ ipse vidi cùm illi astarem, vel quæ ab his agnoui qui illum in diuersis prouincijs post obitum ipsius se vidisse narrarunt, vel quæ ad illum scripta sunt, cùm adhuc obiisse nesciretur, adiutus orationibus tuis & meritis tanti viri, licet inculto sermone, breuiter strictimque describam: Vt lectoris animum etsi sermo offendit, tamen breuitas ad legendum prouocet, ne verborum fucis veritatem obducam: Ne dum scriptor elegantiæ pompam requirit, lector tantarum virtutum amittat scientiam. Quem non magis verborum phaleras pompasque sermonum, quàm virtutes rerum, gratiamque spiritus sancti spectare conuenit. Siquidem nouerimus viatores gratiorem habere aquam breui vena stillantem, fortè cùm sitiunt, quàm profluentis fontis riuos, quorum copiam non sitis tempore reperire possunt. Et hordeaceus panis dulcis solet esse etiam his, qui centenis vicibus ferculorum quotidie conuiuij copias eructare consueuerũt. Sed & hortorũ amœna miràtibus herbæ agrestes placere consueuerunt.

Quam-

Quamobrem obsecro vos omnes in quorum manibus liber iste versabitur, vt credatis vera esse quæ dicimus. Nec putet me quisquam studio amoris aliquid quod fide careat posuisse. Quandoquidem melius sit penitus nihil dicere, quàm aliquid falsi proferre, cum sciamus nos omnium sermonum nostrorum reddituros esse rationem. Nec dubitem etsi non ab omnibus omnia, tamen ab diuersis diuersa sciri, & ea cognita nonnullis esse, quæ etiam minus ipse aut audire, aut videre potui. Vnde à die natiuitatis eius narrandi initium sumã, vt gratia viri ab incunabulis quæ fuerit, agnoscatur. Igitur posito in administratione præfecturæ Galliarum patre eius Ambrosio, natus est Ambrosius, qui infans in area prætorij in cunabulis positus, cùm dormiret aperto ore, subito examen apum adueniens faciem eius atque ora compleuit, ita vt ingrediendi egrediendique frequentarent vices. Quæ pater qui propè cum matre vel filia deambulabat, ne ambigerentur ab ancilla, quæ curam nutriendi infantis susceperat, prohibens, sollicita enim erat ne infanti nocerent: expectabat tamen patrio affectu, quo fine illud miraculum clauderetur. At illę post aliquandiu euolantes, in tantam aëris multitudinẽ subleuatæ sunt, vt humanis oculis minimè viderentur. Quo facto territus pater ait: Si vixerit infantulus iste, aliquid magni erit. Operabatur enim iam tunc dominus in seruuli sui infantia, vt impleretur quod dictum est: Fauum mellis sermones boni. Illud enim examen apum, scriptorum ipsius nobis generabat fauos, qui cœlestia dona annunciarent, & mentes hominum de terrenis ad cœlum erigerent. Postea verò cùm adoleuisset, & esset in vrbe Roma constitutus cum matre vidua, & sorore quæ virginitatem iam fuerat professa, comite alia virgine, cuius soror Candida & ipsa est eiusdem professionis, quæ nunc Carthagine degit iam anus, cùm videret sacerdotibus à domestica sorore vel matre manus osculari, ipse ludens offerebat dexteram, dicens, & sibi id ab eis fieri oportere, siquidem Episcopum se futurum esse memoraret: loquebatur enim in illo spiritus sanctus, qui illum ad sacerdotium nutriebat. Illa verò vt adolescentem & nescientẽ quid diceret, respuebat. Sed postquã edoctus est liberalibus disciplinis, ex vrbe egressus est: professusque in auditorio præfecturæ prętorij ita splendidè causas perorabat, vt eligeretur à viro illustri Probo, tunc præfecto prætorij, ad consilium tribuendum. Post quod consulariatus suscepit insignia, vt regeret Liguriam Æmiliamque prouincias, venitque Mediolanum. Per idem tempus mortuo Auxentio Arrianæ perfidiæ Episcopo (qui Dionysio beatæ memoriæ confessore ad exilium destinato, incubabat Ecclesiam) cùm populus ad seditionem esset, quæ illi cura sedandæ seditionis, ne populus ciuitatis in periculũ sui verteretur, perrexit ad Ecclesiam. Ibique cùm alloqueretur plebem, subitò vox fertur infantis in populo sonuisse, Ambrosiũ Episcopum. Itaque qui antea turbulentissimè dissidebant, quia & Arriani sibi, & catholici sibi Episcopum cupiebant superatis alterutris ordinari, repente in hunc vnũ mirabili & incredibili concordia consenserunt. Quo ille cognito, egressus Ecclesiam tribunal sibi parari fecit, quippe mox futurus Episcopus altiora conscendit. Tunc contra consuetudinẽ suam tormenta iussit personis adhibere. Quod cùm faceret, populus nihilominus acclamabat. Peccatũ tuum super nos. Sed non similiter is populus tunc clamauit, sicut populus Iudæorum. Illi enim vocibus suis sanguinem Dominicũ effuderunt, dicentes: Sanguis eius super nos. Isti verò Catechumenũ scientes, fideli voce remissionem illi peccatorum omnium per baptismatis gratiam promittebãt. Tunc ille turbatus reuertens domũ, philosophiam profiteri voluit, futurus sed verus philosophus Christi, qui cõtemptis secularibus põpis, piscatorũ secuturus esset vestigia, qui Christo populos congregarunt, non fucis verborum, sed simplici sermone, & veræ fidei ratione, missi sine pera, sine virga, etiã ipsos philosophos conuerterunt. Quod vbi ne faceret, reuocatus est, publicas mulieres publicè ad se ingredi fecit, ad hoc tantum vt visis his, populi intentio reuocaretur. At verò populus magis magisque clamabat: Peccatum tuũ super nos. At ille cùm videret nihil intentionem suã proficere posse, fugam parauit. Egressus noctis medio ciuitatẽ, cùm Ticinum se pergere putaret, mane ad portam ciuitatis Mediolanensis, quæ Romana dicitur, inuenitur. Deus enim qui Ecclesiæ suæ catholicæ murũ parabat aduersus inimicos suos, & turrẽ erigebat, dabat cõtra faciem Damasci, hoc est, perfidiam hæreticorum, fugam illius impediuit. Qui inuentus cùm custodiretur à populo, missa relatio est ad clementissimum Imperatorem tunc Valentinianum, qui summo gaudio accepit quod iudices à se directi ad sacerdotiũ peterentur. Lætabatur etiam Probus pręfectus, quod verbum eius impleretur in Ambrosio. Dixerat enim proficiscenti cùm mandata ab eodem darentur, vt moris est: Vade, age non vt Iudex, sed vt Episcopus. Pendente itaque elatione iterum fugam parauit, atque in possessione cuiusdam Leontij clarissimi viri aliquandiu delituit. Sed vbi relationi responsum est, ab eodẽ Leontio proditur: præceptũ enim erat vicario, vt instaret rebus perficiẽdis. Qui iniũcta sibi cùm vellet implere, proposito edicto, cõuenit oẽs, vt si vellet sibi cõsulere rebusq; suis, proderẽt virũ. Productus itaq; & adductus Mediolanũ, cũ intelligeret circa se Dei voluntatẽ, nec diutius posset resistere, postulauit nõ se nisi

à catholico Epiſcopo debere baptizari. Solicitá enim habebat perfidiam Arrianorum. Baptizatus itaque fertur omnia Eccleſiaſtica officia impleſſe, atque octaua die Epiſcopus ordinatus eſt cum ſumma gratia & lætitia cũctorum. Igitur poſt annos aliquot ordinationis ſuæ ad vrbem Romam, hoc eſt, ad proprium ſolum perrexit, ibique ſanctam puellam de qua ſuprà memorauimus, cui manum offerre ſolitus erat, in domo propria cum germana ſicut reliquerat, inuenit, matre iam defuncta. Atque cùm illa dexteram illius oſcularetur, ſubridens ait illi: Ecce vt dicebam tibi ſacerdotis manum oſcularis. Per idem tempus cùm trás Tyberim apud quandam clariſsimá inuitatus, vt ſacrificium 9 in domo offerret, quædam balneatrix atque paralytica in lecto iacebat. Cùm cognouiſſet ibidé eſſe Domini ſacerdoté, in ſellula ſe ad eandem domum ad quam ille inuitatus aduenerat, portari fecit, atque oráti & imponenti manus, veſtimenta attigit: quæ cùm oſcularetur, ſtatim ſanitate recepta ambulare cœpit, vt impleretur illud dominicũ dictum ad Apoſtolos: Etiam maiora his facietis, credentes in nomine meo. Quod tamen ſignum ſanitatis vt mirabile fuit, ita etiã Gionem poſt annos plurimos ſanctis viris referentibus poſitus in vrbe cognoui: Sirmium verò cùm ad ordinandum Epiſcopum Annemium perrexiſſet, ibique Iuſtinæ tunc temporis Reginæ potentia & multitudine coadunata de Eccleſia pelleretur, vt non ab ipſo ſed ab hæreticis Arrianis Epiſcopis in eadem Eccleſia ordinaretur, eſſetque conſtitutus in tribunali, nil curans eorum quæ à muliere excitabantur, vna de virginibus Arrianorum impudentior cæteris tribunal conſcendens, apprehenſo veſtimento ſacerdotis, cùm illum attrahere vellet ad parté mulierũ, vt ab ipſis cæſus de Eccleſia pelleretur, audiuit (vt ipſe ſolitus erat referre) Etſi ego indignus tanto ſacerdotio ſum, tamé te nõ cõuenit vel profeſsionem tuam in qualemcunque ſacerdotem manus inijcere, vnde debes vereri Dei iudiciũ, ne tibi aliquid eueniat. Quod dictũ exitus confirmauit. Nam alio die mortuã ad ſepulchrũ vſque deduxit, gratiam pro contumelia rependens. Sed hoc factum non leué aduerſarijs incuſſit metum, pacemq; magnam Eccleſiæ catholicæ in ordinádo Epiſcopo tribuit. Ordinato itaque catholico ſacerdote Mediolanum reuertitur, ibique ſupradictæ Iuſtinæ mulieris innumeras inſidias ſuſtinuit, quæ muneribus atque honoribus aduerſus ſanctum virum oblatis populum excitabat: ſed infirmorum mentes talibus promiſsis decipiebantur. Promittebat enim tribunatus & diuerſas alias dignitates his qui illum de Eccleſia raptum ad exiliũ perduxiſſent. Quod cùm multi conarentur, ſed Deo præſule, perficere nõ valuerũt. Vnus infelicior cæteris nomine Euthymius, tanto furore excitatus eſt, vt iuxta Eccleſiam ſibi domum pararet, atque in eadé carrũ conſtitueret, quo faciliùs raptũ ſuperpoſitũ carpento ad exilium perduxiſſet. Sed iniquitas eius in verticem ipſius deſcédit. Poſt annũ eodé die quo ille rapere ſe arbitrabatur, in eodem carpento impoſitus, de eadem domo ipſe ad exiliũ deſtinatus eſt, reputans ſibi iuſto iudicio Dei id in ſe eſſe conuerſum, vt in eodé carpento dirigeretur ad exiliũ, quod ipſe parauerat ſacerdoti. Cui nõ minimũ ſolatij ſacerdos præbuit dando ſumptus, vel alia quæ erant neceſſaria. Sed hæc confeſſio hominis nec mulieris furorem, nec voces ſonorum Arrianorum clementia repreſsit. Maiore enim accenſi dementia, Baſilicã Portianã inuadere nitebantur. Exercitus etiã armatus ad cuſtodiédas fores Eccleſiæ eſt directus, vt nemo auderet catholicá Eccleſiá ingredi. Sed Dominus qui de aduerſarijs ſuis Eccleſiæ ſuæ triũphos donare cõſueuit, ad Eccleſiæ ſuæ munimentũ militũ corda conuertit, vt aduerſis ſcutis Eccleſiæ fores ſeruarét, nec egredi dimitterent, ſed ingredi Eccleſiam plebé catholicá minimè prohiberent. Sed nec hoc ſatis erat miſſis militibus, niſi vt etiã pro catholica fide cum plebe pariter acclamaretur. Hoc in tépore primo Antiphonæ,
10 hymni ac vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi celebrari cœperunt: Cuius celebritatis deuotio vſque in hodiernũ diem, non ſolùm in eadé Eccleſia, verũ per omnes penè prouincias Occidétis manet. Per idé tempus ſancti martyres Prothaſius & Geruaſius ſe ſacerdoti reuelauerũt: erant enim in baſilica poſiti, in qua ſunt hodie corpora Naboris & Felicis martyrũ. Sed ſancti martyres Nabor & Felix celeberrimè frequentabãtur: Prothaſij verò & Geruaſij martyrũ, vt nomina, ita etiá ſepultura incognita erant, in tantũ vt ſupra ipſorũ ſepulchra ambularent oés qui vellent ad cancellos peruenire, quibus ſanctorũ Naboris & Felicis martyrũ corpora ab iniuria ſepulchri defendebantur. Sed vbi ſanctorũ 11 martyrũ ſunt corpora leuata, & in lectis poſita, multorũ ibi ſanatæ ægritudines perdocétur. Cæcus etiá Seuerus nomine, qui nũc vſq; in eadé baſilica quæ dicitur Ambroſiana, in qua martyrũ corpora ſunt tranſlata, religioſè ſeruit, vbi veſté martyrũ attigit, ſtatim lumé recepit. Obſeſſa etiá corpora à ſpiritibus immũdis curata ſumma cũ gratia domũ repetebãt. Sed his beneficijs martyrũ in quantũ creſcebat fides Eccleſiæ catholicæ, in tantũ Arrianorũ perfidia minuebatur. Deniq; ex hoc tépore ſedari cœpit perſecutio quæ Iuſtinæ furore accédebatur, vt ſacerdos de Eccleſia pelleretur: Tamé quoniá intra palatiũ multitudo Arrianorũ cũ Iuſtina cõſtituta deridebat tantam Dei gratiá, quá eccleſiæ ſuæ catholicę Dominus Ieſus meritis 12 martyrũ ſuorũ cõferre

9 Vt ſacrificiũ in domo offerret, hoc eſt, miſſã celebraret. Habes ergo et priuatam miſſam fuiſſe in vſu, & miſſam dici ſacrificium. Vtrumque contra ſomniatores noſtros.

10 Antiphonæ, hymni & vigiliæ in Eccleſia Mediolanenſi D. Ambroſii tépore celebrari cœperunt.

11 Apud ſanctorũ martyrũ Geruaſii & Prothaſii corpora multorũ ægritudines ſanatæ ſunt.

12 Ecce martyrũ merita.

cignatus

dignatus est, venerabilemque virum Ambrosium narrabat pecunia comparasse homines, qui
se vexari ab immundis spiritibus metirentur, atq; vt ab illo, sicut & à martyribus se torque-
ri dicerent: Sed hoc Iudaico ore loquebantur Arriani suppares scilicet eorum. Illi enim de
Domino dicebant: Quoniam in Beelzebub principe dæmoniorum eijcit dæmonia: Isti de
martyribus, vel de Domini sacerdote loquebantur, quod non Dei gratia quæ per ipsos ope-
rabatur immundi spiritus pellerentur, sed accepta pecunia se torqueri mentirentur. Clama-
bant enim dæmones: Scimus vos martyres: Et Arriani dicebant: Nescimus esse martyres.
Iam hoc & in Euangelio legimus, vbi dixerunt dæmones ad Dominum: Scimus, quia sis
Dei filius. Et Iudæi: Hic autem vnde sit nescimus. Sed non hic testimonium accipitur dæ-
monũ, sed confessio. Vnde miseriores Arriani vel Iudæi, vt quod confitentur dæmones, illi
negant. Deus tamen qui gratiam Ecclesiæ suæ augere consueuit, non passus est diu insultari
à perfidis, sanctis suis. Vnus itaque ex ipsa multitudine, subitò arreptus spiritu immundo,
clamare cœpit, ita torqueri eos, vt ipse torquebatur, qui negarent martyres, vel qui non cre-
derent in Trinitatis vnitatem, quam docet Ambrosius. At illi hac voce confusi, qui conuerti
debuerant, & dignam tali confusione agere pœnitentiam, in piscina demersum hominẽ ne-
cauerunt perfidiæ homicidiũ iungentes: deduxit enim illos ad hunc finem digna necessitas.
Sanctus verò Ambrosius Episcopus maioris humilitatis vir factus, donatã sibi a Domino gra-
tiam reseruauit, crescebatque quotidie fide & amore coram Deo & hominibus. Per idem
tempus erat quidam vir de hæresi Arrianorum, acerrimus nimium disputator, & durus atq;
incõuertibilis ad fidẽ Catholicam. Is cõstitutus in Ecclesia, tractante Episcopo, vidit (vt ipse
postmodũ loquebatur) Angelum ad aures Episcopi tractantis loquentem, vt verba Angeli
populo Episcopus renunciare videretur. Quo viso conuersus, fidem quam expugnabat, cœ-
pit ipse defendere. Fuerunt etiam duo cubicularij tunc tẽporis Gratiani Imperatoris de hæ-
resi Arrianorum, qui tractandam Episcopo quæstionem proponerent: Ad quam audiendam
altero die ad Basilicam Portianam se adfuturos promiserant. Erat enim quæstio de incarna-
tione Domini. Sed alio die miserandi homines superbiæ tumore completi, nec memores
promissorũ, contemnentes Deũ in sacerdote ipsius, nec plebis expectantis considerantes in-
iuriam, immemores etiam dictorum dominicorũ: Quoniam qui scandalizauerit vnum ex
minimis istis, oportet vt mola asinaria collo eius alligetur & demergatur in profundũ maris,
conscendentes in equos quasi gratia gestãdi, ciuitatẽ egressi sunt expectãte sacerdote & plebe
in ecclesia cõsistitura. Sed huius cõtumaciȩ quis finis fuerit, horresco referẽs: subitò enim præ-
cipitati miseras animas emiserunt, atq; corpora illorũ sepulturæ sunt tradita. Sanctus verò
Ambrosius cũ ignorasset quod factũ esset, ne diutius posset plebẽ tenere, ascendẽs pro tribu-
nali, de eadem quæstione quæ fuerat proposita, sermonẽ adorsus est, dicẽs: Debitũ fratres
cupio soluere, sed hesternos meos non inuenio creditores, & reliqua quæ scripta sunt in li-
bro qui de Incarnatione Domini intitulatur. Occiso itaque Gratiano Imperatore, recipiẽdi
corporis eius causa, secundam ad Maximũ suscepit legationẽ. Apud quẽ quàm cõstanter e-
gerit, qui voluerit cognoscere, ipsius legationis epistolã ad Valentinianũ iuniorẽ datam cùm
legerit approbabit. Nobis enim alienum à promissione visum est illa inserere, ne adiunctæ
epistolæ prolixitas fastigiũ legẽti adferret. Ipsum verò Maximũ à cõmunionis consortio se-
gregauit, admonẽs vt effusi sanguinis domini sui, & quod est grauius, innocentis, ageret pœ-
nitentiam, si sibi apud Deum vellet esse consultum. Sed ille cùm pœnitẽtiam declinat super-
bo spiritu, non futuram, sed etiam præsentem salutem amisit, regnumq; quod arripuerat, fœ-
mineo quodam timore deposuit, vt procuratorẽ se reipublicæ nomine pręfuisse cõfiteretur.
Mortua verò Iustina quidam Aruspex Innocentius nomine, non opere, in causa maleficio-
rum, cùm a Iudice torqueretur, aliud quàm interrogaretur, fateri cœpit. Clamabat enim, ab
Angelo maiora tormenta sibi adhiberi eo qui custodiret Ambrosium, quoniam temporibus
Iustinæ ad excitanda odia populorum in Episcopum, cacumen tecti Ecclesiæ conscendens
medio noctis sacrificauerit. Sed quantò instantius & solicitius opera maligna exercebat, tan-
tò magis amor populi circa fidem catholicam & Domini sacerdotem conualescebat. Misisse
etiam se & dæmones qui illum internecarẽt, fatebatur. Sed dæmones renunciasse, se non so-
lum ad ipsum appropinquare minimè posse, verùm etiam nec ad fores domus in qua mane-
bat Episcopus, quia ignis insuperabilis omne illud ædificium communiret, vt etiam longè
positi vrerentur, atq; ita cessasse artes suas quibus aduersus Domini sacerdotẽ se aliquid posse
arbitrabatur. Alius etiam gladium ferens ad cubiculum vsque peruenit vt interficeret sacer-
dotẽ, sed cũ eleuasset manũ, districto gladio dextera obrigente remansit. Tunc se missum à
Iustina postquã confessus est, brachium quod iniquè cũ extenderetur riguerat, sanatũ est cõ-
fessione. Per idem tempus cùm vir illustris Probus puerum suum notarium, qui spiritu im-
mũdo grauiter vexabatur, dum exisset ad Episcopum, egressum vrbe dimisit diabolus, timens
ad virũ sanctũ perduci: Atq; ita puer quãdiu Mediolani apud Episcopũ fuit, nulla cõminatio

diaboli apparuit. Sed vbi egressus de Mediolano est, & propè vrbem peruenit, idem spiritus qui illum antea habuerat, vexare cœpit. Qui cùm interrogaretur ab exorcistis, cur quãdiu Mediolani fuit, non in illo apparuisset, confessus est diabolus, timuisse se Ambrosium, & ideo recessisse ad tempus, atque expectasse in illo loco vbi ab illo recesserat, donec reuerteretur: quo reuertente, vas quod deseruerat, repetisset.

Extincto itaque Maximo, posito Theodosio Imperatore Mediolani, Ambrosio verò Episcopo constituto Aquileiæ, in partibus Orientis in quodam castello à Christianis viris synagoga Iudæorum & Lucus Valentinianorum incendio cõcremata sunt, propterea quòd Iudæi vel Valentiniani insultarent monachis Christianis. Valentinianorũ enim hæreses triginta deos colunt. Sed de huiusmodi facto comes Orientis ad Imperatoré relationé direxit: Qua acta Imperator præceperat vt synagoga ab episcopo reædificaretur. Sed huius prę cepti tenor cùm ad aures peruenisset venerabilis viri Ambrosij Episcopi, direxit ad Imperatorem epistolam, quia ipse in tempore excurrere non poterat: qua illum conuenit, vt id quod ab eodem statutum fuerat, reuocaretur, seruarique sibi deberi ab eo audientiam, quoniam si dignus non esset qui ab eo audiretur, dignus etiam non esset qui pro illo audiretur, vel cui preces suas, aut cui sua vota cõmitteret. Paratum etiam se esse pro tali negotio mortem subire, ne dissimulatione sui præuaricatorem faceret Imperatorem, qui tam iniusta cõtra Ecclesiam præcepisset. Postea verò cùm Mediolanum reuertitur, posito Imperatore in Ecclesia, de eadem causa tractauit in populo. In quo tractatu introduxit Domini personam loquentis Imperatori: Ego te ex vltimo Imperatorem feci, ego tibi exercitum inimici tui tradidi, ego copias quas ille aduersum te exercitui suo præparauerat dedi, ego inimicũ tuum in potestate tua redegi, ego de semine tuo supra solium regni constitui, ego te triumphare sine labore feci, & tu de inimicis meis donas triumphos? Cui descendenti exedram Imperator ait: Contra nos posuisti hodie Episcope. At ille respõdens ait: Non se cõtra ipsum, sed pro ipso fuisse loquutum. Tunc Imperator: Re vera, inquit, dura præceperam contra Episcopum de synagoga reparanda. In monachos verò vindicandum esse à comitibus qui in tempore aderant dicebatur. Quibus Episcopus: Ego quidem cum Imperatore nũc ago, vobiscum verò mihi aliter agendum est. Atque ita obtinuit, vt illa quæ statuta fuerãt, reuocarentur. Nec prius ad altare accedere voluit, nisi fide sua imperator illum agere debere testaretur. Cui Episcopus: Ergo ago fide tua. Respondit Imperator: Age fide mea. Qua responsione iterata, iam securus peregit sacerdos diuina mysteria. Hæc autem scripta sunt in epistola quam ad germanam suam fecit: In qua tractatum inseruit, quem eodem die habuit de baculo nuceo, qui à Propheta Hieremia visus esse describitur. Per idẽ tẽpus causa Thessalonicensis ciuitatis nõ minima successit tribulatio sacerdoti, cùm penè cõperisset ciuitatẽ deletã. Promiserat enim illi imperator se veniã daturũ ciuibus supradictę ciuitatis, sed agentibus comitibus occultè cũ Imperatore, ignorante sacerdote vsque in horam tertiã gladio ciuitas est donata, atq; plurimi interempti innocẽtes. Quod factum vbi cõperisset sacerdos, copiam Imperatori ingrediẽdi Ecclesiã denegauit: Nec prius dignũ iudicauit cœtui Ecclesiæ, vel sacramentorũ cõmunioni, quàm publicã ageret pœnitentiam. Cui Imperator contra afferebat, Dauid adulteriũ & homicidiũ perpetrasse. Sed responsum illicò est: Qui sequutus est errantem, sequere corrigentẽ. Quod vbi audiuit clementissimus Imperator, ita suscepit animo, vt publicã pœnitentiã non abhorreret: Cuius correctionis profectus secundam illi parauit victoriam. Per idẽ tempus duo potentissimi & sapientissimi viri Persarum ad famam sacerdotis venẽre Mediolanũ, deferentes secũ plurimas quæstiones, vt ex illis probarẽt sapientiam viri. Cũ quo ab hora diei prima vsq; ad horã ferè tertiã noctis per interpretẽ disputauerunt, admirantesq; discesserunt ab eo. Et vt se probarent non ob aliã causam venisse, nisi vt certò certius nossent virũ quẽ fama cõpererant. Alia die valefaciẽtes Imperatori, profecti sunt vrbẽ Romã, illic volentes cognoscere potentiã illustris viri Probi, qua cognita ad propria reuerterũt. Sed egresso Theodosio de Italia, & Cõstantinopoli cõstituto, Valentiniano Augusto intra Gallias posito, directa relatio est sub nomine Senatus à Symmacho tũc præfecto vrbis de repetenda ara victoriæ & sumptibus cæremoniarum. Sed vbi comperit sacerdos, misso libello ad Imperatorẽ postulauit, vt ad se relationis exemplaria dirigerentur, quibus ipse pro partibus suis responsurus esset. Qua relatione accepta, præclarissimum libellum conscripsit, vt contra nihil vnquã auderet Symmachus vir eloquentissimus respondere.

Sed postquam augustæ memoriæ Valentinianus in Viennensi ciuitate (quæ est Galliarum ciuitas) vitam finiuit, Eugenius suscepit imperium: qui vbi imperare cœpit, non multò pòst petentibus tunc Flauiano prę fecto & Arbogaste comite, aram victoriæ, & sumptus cæremoniarum, quod Valentinianus augustæ memoriæ adhuc in iunioribus annis constitutus, petentibus denegauerat, oblitus fidei suæ cõcessit. Hoc vbi audiuit sacerdos, relicta ciuitate Mediolanẽsi, ad quam ille festinatò veniebat, ad Bononiensem ciuitatẽ emigrauit, atq; inde

Fauen-

Fabentiam vsque perrexit. Vbi cùm aliquantis degeret diebus, inuitatus à Florentinis, ad Thusciam vsque descendit, declinans magis aspectum sacrilegi viri, non formidás imperantis iniuriam. Nam epistolam ad eundem dedit, in qua conuenit conscientiam illius, de qua pauca de multis ponenda duxi. Et si Imperatoria potestas magna sit, tamen considerato quantus sit Deus qui corda hominum videt, cōscientiam interiorem interrogat. Nouit omnia antequam fiant, nouit interna pectoris tui. Ipsi falli vos non patimini, & Deum vultis celare. Non cecidit in animum tuum quicquam, si illi agebant tam perseueranter, nónne tuum fuit Imperator pro Dei summi & veri & viui veneratione perseuerantius obsistere, & negare quod erat iniuria sacrilegis? Et iterū: Quomodo igitur meis vocibus & apud Deum & apud omnes homines teneor? Aliud mihi non licere intellexi, aliud non oportere nisi consulerem mihi, quia non potui tibi. In supradicta itaque ciuitate Florentinorum, cùm in domo clarissimi quondam viri Decētis, & quod est amplius, Christiani, maneret, filius ipsius Pansophius nomine, admodum paruulus cùm spiritu immundo laboraret, frequenti oratione & impositione manus sacerdotis ipsius est sanatus. Sed post aliquantos dies subita infirmitate correptus infantulus exalauit spiritum: Cuius mater valde religiosa, & plena fide ac timore Dei ablato illo de superiore parte domus, ad inferiora descendit, ac in lecto sacerdotis ipso absente composuit. Quē cùm reuertens sacerdos in lectulo inuenisset (erat enim illoq; in tempore extra domum positus) miseratus matrem, & fidem ipsius contemplatus, Heliseo similis, supra corpus infantis se ipse composuit, atque 13 orando meruit viuum reddere matri quem mortuum inuenerat. Ad quem etiam infantulum libellum conscripsit, vt quod ætatis infantia scire non poterat, legendo agnosceret. Veruntamen factum scriptis suis non commemorauit, sed quo affectu declinauerit commemorare, non est nostrum iudicare. In eadem etiam ciuitate Basilicam constituit, in qua deposuit reliquias martyrum Vitalis & Agricolæ, quorum corpora in Bononiensi ciuitate leuauerat: Posita enim erát corpora martyrum inter corpora Iudæorum. Nec erat cognitum populo Christiano, nisi se sancti martyres sacerdoti ipsi reuelarent. Quæ cùm deponerentur sub altari, quod in eadem Basilica cōstitutum est, magna illic totius plebis sanctæ lætitia atque exultatio fuit, pœna dæmonū confitentium martyrum 14 merita. Per idem tempus Arbogastes comes aduersum gentem suam, hoc est, Francorum, bellum parauit, atque pugnando non paruam multitudinē manu fudit: cum residuis verò pacem firmauit. Sed cùm in conuiuio à Regibus gentis suæ interrogaretur, Vtrum sciret Ambrosium, & respondisset, nosse se virum, & diligi ab eo, atque frequenter cum illo conuiuari solitum: Audiuit: Inde hoc vincis omnes, quia ab illo viro diligeris, qui dicit Soli, sta, & stat. Quod ego ideo posui, vt cuius famæ fuerit vir sanctus etiam apud Barbaras gentes, legentes agnoscant. Nam & nos referente iuuene quodā Arbogastis, admodū religiosum cognouimus, qui tunc interfuit. Erat enim in tempore quo hæc loquebatur vini minister. Profectus itaque sacerdos de Thusciæ partibus, Mediolanū reuertitur. Iam inde egresso Eugenio contra Theodosium Imperatorem, ibique Christiani Imperatoris præstolabatur aduentum, securus de Dei potentia, quòd non traderet credentem in se hominibus iniustis, nec relinqueret virgam peccatorum super sortem iustorum, ne extenderēt iusti ad iniquitates manus suas. Promiserat enim Arbogastes tunc comes, & Fabianus præfectus, cùm victores reuertissent, stabulum se esse facturos in Basilica Ecclesiæ Mediolanēsis, atque clericos sub armis probaturos. Sed miserandi homines cum dæmonibus suis male creduli sunt, & aperiunt os suum in blasphemiam ad Deum, spem sibi victoriæ ademerunt. Causa autem commotionis hæc fuit, quia munera Imperatoris qui se sacrilegio commiscuerat, ab Ecclesia respuebantur, nec orandi illi cum Ecclesia societas tribuebatur. Sed Dominus qui Ecclesiam suam tueri consueuit, de cœlo iaculatus est iudicium, atque omnem victoriam ad religiosum Imperatotem transtulit Theodosium.

13 Orando Ambrosius infantulū mortuū suscitauit

14 Et hic habes martyrū merita.

Extincto itaque Eugenio à satellitibus eius, cùm scripta acciperet Imperatoris, non illi alia maior cura fuit, quàm vt pro his interueniret quos renatos inuenerat. Obsecratus est primò scriptis Imperatorem, misso Diacono: postea verò quàm directus est Ioannes, tunc Tribunus & Notarius, qui nunc præfectus est ad tuitionem eorum qui ad Ecclesiam confugerunt, etiam ipse Aquileiam perrexit, precatus pro eis, quibus sceleris venia impetrata est, quia Christianus Imperator prouolutus pedibus sacerdotis, testabatur meritis 15 & orationibus eius saluatum se esse. Reuertens itaq; de vrbe Aquileiensi, vno die præcessit Imperatorem. Nec diu clementissimæ memoriæ Theodosius Imperator, susceptis filijs in Ecclesia, & traditis sacerdoti, in hac luce fuit. Post cuius obitum ferè triennium superuixit. Quo in tempore sancti Nazarij martyris corpus, quod erat in horto positū extra ciuitatem, leuatū ad Basilicam Apostolorum quæ est in Romana, transtulit. Vidimus enim in sepulchro quo iacebat corpus martyris, qui quando sit passus, vsque in hodiernum diem scire non possumus, sanguinem martyris ita recentē, quasi eadem die fuisset effusus. Caput etiā ita integrū atque

15 Meritis & orationibus Ambrosij se seruatū fuisse testabatur Theodosius.

incorruptum cum capillis capitis atque barba, vt nobis videretur eodem tempore quo leuabatur, lotum atque compositum in sepulchro. Et quid mirum? quandoquidem Dominus hoc in Euangelio ante promisit, quòd capillus de capite eorum non periret: etiam odore tanto repleti sumus, 16 vt omnium aromatum vinceret suauitatem. Leuato corpore martyris & in lectica composito, statim ad sanctum Celsum martyrem qui in eodem horto positus est, cum sancto sacerdote ad orationem perreximus. Nunquam tamen illum ante orasse in eodem loco compertum habemus. Sed hoc erat signum reuelati martyris, si sanctus sacerdos ad locum ad quem nunquam antea fuerat, oratum isset. Cognouimus tamen à custodibus loci ipsius, quod à parentibus illis traditum sit, non discedere de loco illo per omnem generationem & progeniem suorum, eò quòd thesauri magni in eodem loco positi essent, & verè magni thesauri, quos non ærugo neque tinea exterminat, neque fures effodiunt & furantur, quia 17 custos eorum Christus est, & locus eorũ aula cœlestis est, quibus viuere Christus fuit, & mori lucrum. Translato corpore martyris ad Basilicam Apostolorum, 18 vbi pridie sanctorum Apostolorum reliquiæ summa omnium deuotione positæ fuerant, cùm tractaret Episcopus, quidam de populo repletus spiritu immundo, clamare cœpit se torqueri ab Ambrosio. At ille conuersus ad eum ait: Obmutesce diabole, quia non te torquet Ambrosius, sed fides sanctorum, & inuidia tua: quoniam vides ascendere homines vnde tu deiectus es. Nam Ambrosius non scit inflari. Quo dicto, ille qui clamabat obmutuit, prostratusq; in terra est, nec amplius vocem quam obstrepi possit, emisit.

16 Odor ex sanctorum martyrũ corporibus emanans, testimonium perhibet habitantis in eis gratiæ spiritus sancti.

17 Custos sanctorũ martyrũ Christus est, & locus eorũ aula cælestis.

18 Vide pridie sanctorũ Apostolorum reliquiæ summa omniũ deuotione positæ fuerãt. Hoc nota qui sanctorũ reliquijs hostem te exhibes.

Per idem tempus cùm consulatus sui Imperator Honorius in vrbe Mediolanẽsi Libycarum ferarum exhiberet munus, populo illuc concurrente data copia est, missis militibus ab Stilicone comite, hortatu Eusebij præfecti, vt Cresconius quidam de Ecclesia raperetur. Quem confugientẽ ad altare Domini sanctus Episcopus cum clericis qui in tẽpore aderant defendendum circũdedit: Sed multitudo militũ, quæ duces suos habebat de perfidia Arianorũ, præualuit aduersum paucos, atq; ablato Cresconio exultantes ad amphitheatrum reuerterunt, Ecclesiæ luctum non modicum relinquentes: Nam sacerdos prostratus ante altare Domini factũ diu fleuit. 19 Sed in tempore cùm reuertissent, & renunciassent his à quibus fuerant destinati milites, dimissi leopardi saltu celeri ad eundem locũ in quo sederant qui de Ecclesia triumphabant, ascendentes grauiter laniatos reliquerũt. Quod vbi vidit Stilico comes, pœnitentia motus est, ita vt per multos dies satisfacere sacerdoti, & illæsum quidem illum qui ablatus fuerat, dimiserat. Sed quia grauissimorũ criminum erat reus, & aliter emendari non poterat, ad exilium destinatur, non multò pòst indulgentia prosequente. Per idem tempus cùm ad palatium pergeret, quem pro loco officij nostri sequeremur, Theodolo tũc notario, qui postea summa cũ gratia Vtinensem rexit Ecclesiam, cùm casu quidem pede esset lapsus, atq; prostratus iaceret in terra, ridente: Cõuersus sacerdos ait, & tu qui stas, vide ne cadas: Quo dicto, statim is qui alienũ lapsum riserat, suum doluit.

19 Vide miraculum perpetratum ob violationẽ priuilegiorum Ecclesiæ.

Per idem tempus Frigitil quædam regina Marcomannorum, cùm à quodam Christiano viro qui ad illam forte de Italiæ partibus aduenerat, referente sibi audiret famam viri, Christo credidit, cuius illum seruulum recognouerat, missisque muneribus placatos ab Ecclesia postulauit, vt scriptis ipsius qualiter credere deberet informaretur. Ad quam ille epistolam fecit præclaram in modum catechismi, in qua etiam admonet vt suaderet viro Romanis pacem seruare. Qua accepta epistola mulier suasit viro, & cum populo suo se Romanis tradidit. Quæ cùm aduenisset Mediolanum, plurimum doluit quòd sanctum sacerdotem ad quem festinârat minimè repperisset: Iam enim de hac luce migrauerat. Temporibus verò Gratiani (vt retro redeam) cùm ad prætorium Macedonij tunc magistri officiorum pro quodam intercedendo tunc perrexisset, atque præcepto supradicti viri fores inuenisset clausas, nec copiam ingrediendi adeptus esset, ait: Et tu quidem venies ad Ecclesiam, nec clausas ianuas inuenies quam ingrediaris. Quod factum est: Mortuo Gratiano, confugiens Macedonius ad Ecclesiam, patentibus ianuis aditum reperire non poterat. Ipse autem vir venerabilis Episcopus erat multæ 20 abstinentiæ, & vigiliarum multarum, & laborum, quotidiano ieiunio macerans corpus. Cui prandendi nunquam consuetudo fuit, nisi die sabbato & dominico, vel cùm natalitia celeberrimorum martyrum essent. Orandi etiam assiduitas magna die ac nocte. Nec operam declinabat scribẽdi propria manu libros, nisi cùm aliqua infirmitate corpus eius attenuaretur. Erat enim in illo solicitudo omnium Ecclesiarum, interueniendi etiam magna assiduitas & constantia. In rebus etiã diuinis implendis fortissimus labor, in tantum id quod implere solitus erat circa baptizandos, quinque postea Episcopi tempore quo decessit vix implerent. Sollicitus etiam pro pauperibus & captiuis nimium: Nam in tempore quo Episcopus ordinatus est, aurum omne atque argentũ quod habere poterat, Ecclesię vel pauperibus cõtulit. 21 Prædia etiam quæ habebat, reseruato vsufructu germanæ suæ, donauit Ecclesiæ suæ: Nihil sibi quod hic suũ diceret derelin-

20 Abstinentia, ieiuniũ, vigiliæ et oratio Ambrosij.

21 Diuus Ambrosius donauit prædia quæ habebat ecclesiæ suæ, reseruato sorori vsufructu.

relinquens, vt nudus atque expeditus miles Christi Dominum sequeretur. Qui cum diues esset, propter nos pauper factus est, vt nos eius inopia ditaremur. Erat enim gaudens cum gaudentibus, & flens cum flentibus. Siquidem quotiescunque illi aliquis ob percipiendam pœnitentiam lapsus suos 22 confessus esset, ita flebat, vt & illum flere cōpelleret: videbatur etiam sibi cum iacēte iacere. Causas aūt criminum quas illi confitebantur, nulli nisi Domino soli apud quē intercedebat, loquebatur: bonum relinquēs exemplum posteris sacerdotibus, vt intercessores apud Deum sint magis quàm accusatores apud hoēs. Nam & secundum Apostolum circa huiusmodi hominem cōfirmanda charitas est, quia ipse sui accusator est. Nec expectat accusatorem, sed præuenit, vt confitendo suū alleuet ipse delictū, nec habeat quod aduersarius criminetur. Ideoque scriptura dicit: Iustus in principio sermonis accusator est sui: Vocem enim eripit aduersario, & quasi dentes quosdam paratos ad prædam criminationis infestæ peccatorum suorum confessione confringit, dans honorē Deo, cui nuda sunt omnia, & qui vult vitam magis peccatoris, quàm mortem. Nam ipsi pœnitenti non sufficit sola confessio, nisi subsequatur 23 emendatio facti, vt pœnitens non faciat pœnitenda. Humiliter etiam animam suam, sicut Dauid sanctus, qui postquam audiuit à propheta: Dimissum est peccatum tuum: humilior factus est in emendatione peccati, ita vt cinerem sicut panem manducaret, & potum suum cum fletu misceret. Flebat etiam amarissimè, quotiescunque fortè nunciatū illi fuerat de cuiusquam sancti obitu sacerdotis, in tantum vt nos illum consolari videremur, ignorantes pium affectum viri, nec qua ratione ita fleret intelligētes. Quibus ille huiusmodi responsum reddebat: Nō se flere, quia recessisset, qui fuerat mortuus nūciatus, sed quia se præcessisset: Vel quia difficile esset inuenire virū, qui summo sacerdotio dignus haberetur. Ipse autem de sua morte antè prædixit, quod vsque Pascha nobiscum futurus esset: quod quidem meruit Dominum obsecrando, quò maturius hinc liberaretur. Ingemiscebat enim vehementer, cùm videret radicem omnium malorum auaritiā pullulare, quæ neque copia, neque inopia minui potest, magis magisque increscere hominibus, & maximè in his qui in potestatibus erant cōstituti, ita vt interueniendi illi apud illos grauissimus labor esset, quia omnia pretio distrahebantur. Quæ res primò omne malū inuexit Italiæ, & exinde omnia verguntur in peius. Et quid dicam, si in huiusmodi personis ita rabiem suam exercet, qui solent aut filiorum aut propinquorū causas prætendere, ad excusandas excusationes in peccatis? Quandoquidem plerosque cœperit etiam cœlibes sacerdotes vel leuitas, quibus portio Deus est, vt etiā ipsi illam appetant. Et væ mihi misero, quia nec fine mundi prouocamur, vt tam graui iugo seruitutis liberari velimus, quo demergimur ad profundum inferni, vt faciamus nobis amicos de mammona iniquitatis, qui nos recipiant in æterna tabernacula. Attamen beatus ille, qui quandoque conuersus diruptis vinculis, atque proiecto iugo huiusmodi dominationis, tenebit & allidet paruulos eius ad petrā, hoc est, omnes intentiones eius allidet ad Christum, qui secundum Apostolum petra est, quæ omnes ad se allisos interimit, ipsa inuiolabilis manēs, nec reum faciens eum qui ad se alliserit nequissimi vteri deteriores partus, sed innocentem: ita vt securus possit dicere, Portio mea Dominus: Quia cui nihil in seculo est, illi verò portio est Christus: Et qui contempserit pauca, multa percipiet, insuper & vitam æternam possidebit.

22 *Ecce confeßionem sacerdotalē Ambrosij tempore*

23 *Ecce & satisfactionem pro peccatis post confessionem.*

Ante paucos verò dies quàm lectulo detineretur, cùm quadragesimum tertium Psalmum dictaret, me excipiente & viuente, subitò in modum scuti breuis ignis cooperuit, atque paulatim per os ipsius tanquam in domo habitator ingressus est. Post quod facta est facies eius velut nix. Postea verò reuersus est vultus eius ad speciem suam. Quod cùm fieret, stupore percussus, obrigui, nec potui scribere quæ ab illo dicebantur, nisi posteaquàm visio ipsa transibat. Dicebat enim in tempore testimonium scripturæ diuinæ, quod ego optimè retinebam. Nam scribendi vel dictandi ipso die finem fecit. Sed quidem ipsum Psalmum explere non potuit: Ego verò id quod visum à me fuerat, honorabili viro Casto diacono (sub cuius cura degebam) statim retuli. At ille repletus gratia Dei, spiritus sancti aduentum me in illo vidisse edocuit lectione Actuum Apostolorum. Superioribus autem diebus cùm Stiliconis tunc comitis seruus qui dæmonio laborauerat, cùm in Ambrosiana Basilica iam sanus maneret, commendatus à Domino suo: ferebatur enim quòd lubenter ab eodem haberetur, facere falsas epistolas tribunatus compertum est, in tantum vt tenerentur homines qui ad ministrandū pergebant. Sed vbi ad personam serui sui peruenit comes Stilico, ipse in seruo suo noluit vindicare. Homines etiam qui decepti fuerant interuentu sacerdotis, dimisit, de ipso verò seruo sacerdoti quæstus est. Quem vir sanctus cùm de Ecclesia Ambrosiana egrederetur, requiri fecit, atque ad se perduci. Quem cùm interrogasset, & deprehendisset autorem tanti flagitij, ait: Oportet illum tradi Satanæ in interitum carnis, ne talia aliquis in posterum audeat admittere. Quem eodem momento cùm adhuc sermo esset in ore sacerdotis sancti, spiritus immundus arreptum discerpere cœpit.

Quo

Quo viso non minimo timore repleti sumus & admiratione. Multos etiam diebus ipsis imponente illo manus & imperante, à spiritibus immundis vidimus esse purgatos. Per idem tempus Nicentius quidam ex tribuno & notario quodam pedum dolore tenebatur, vt raro in publico videretur: Cùm ad altare accessisset vt sacramenta perciperet, calcatusque casu à sacerdote, exclamare audiuimus: Vade & amodò saluus eris. Nec se amplius doluisse pedes tempore quo sanctus sacerdos de hac luce migrauit, lachrymis testabatur. Sed post dies hos ordinato sacerdote Ecclesiæ Ticinensi incidit in infirmitatem: Qua cùm plurimis diebus detineretur in lectulo, comes Stilico dixisse fertur: Quod tanto viro recedente de corpore, interitus immineret Italiæ. Vnde conuocatis ad se nobilibus viris illius ciuitatis, quos diligi à sancto sacerdote cognouerat, partim interminatus est illis, partim blando sermone persuasit, vt pergerent ad sanctum sacerdotem, suaderēt illi vt sibi videndi peteret à Domino commeatum. Quod ille vbi ab illis audiuit, respōdit: Non ita inter vos vixi, vt pudeat me viuere, nec timeo mori, quoniā Dominum bonum habemus. Per idem tempus cùm in extrema parte porticus in qua iacebat, in vno positi Castus, Polemius, Venerius, & Felix, tunc diaconi secum tractarēt, voce ita repressa, vt vix inuicem se audirent, qui post obitum illius Episcopus ordinandus esset, atque cùm de nomine sancti loquerentur Simpliciani, tanquam interesset tractatui, cùm longè positus ab ipsis iaceret, approbans exclamauit tertiò: Senex, sed bonus. Erat enim Simplicianus æui maturior. Qua voce audita expauescentes fugerunt. Defuncto tamen eo non alius illi succesit in sacerdotio, nisi is quem ille bonum senem trina voce signauerat. Cui Simpliciano Venerius quem suprà memorauimus successor fuit. Felix verò nunc vsque Bononiensem regit Ecclesiam. Castus autem & Polemius nutriti ab Ambrosio, bonæ arboris boni fructus, in Ecclesia Mediolanensi Diaconij funguntur officio. In eodē tamen loco in quo iacebat (sicut referente beato Basiano Episcopo Laudensis Ecclesiæ, qui ab eodem audierat, didicimus) cùm oraret vnà cum supradicto sacerdote, viderat Dominum Iesum aduenisse ad se, & arridentem sibi. Nec multos post dies ablatus est.

Sed eodem tempore quo à nobis migrauit ad Dominum, ab hora circiter vndecima diei, vsque ad illam horam qua emisit spiritum, expansis manibus 24 in modum crucis orauit: Nos verò labia illius moueri videbamus, vocem autem non audiebamus. Hortatus autem sacerdos Ecclesiæ Vercellensis, cùm in superiora domus sequi eum composuisset, tertio vocem vocantis se audiuit, dicentisque sibi: Surge, festina, quia modò est recessurus. Qui descendens obtulit sancto Domini corpus. 25 Quo accepto vbi glutiuit, emisit spiritum. Bonum viaticum secum ferens, vt in virtute escæ anima refectior, Angelorum nunc consortio, quorum vita vixit in terris, & Heliæ societate lætetur. Quia vt Helias nunquam regibus vel vllis potestatibus, ita & iste pro Dei timore loqui veritus est. Atque inde ad Ecclesiam maiorem antelucana hora qua defunctus est, corpus ipsius portatum est: Ibique eadem fuit nocte quam vigilamus in Pascha, quam plurimi infantes cùm à fonte venirēt viderunt, ita vt aliqui sedentem in cathedra tribunali dicerent, alij verò ascendentem suis parentibus digito ostenderent: sed illi videntes videre non poterant, quia mundatos oculos non habebant: plurimi autē stellam supra corpus eius se videre narrabāt: Sed lucescente die dominico, cùm corpus illius peractis sacramentis diuinis de Ecclesia leuaretur, portandum ad Basilicam Ambrosianam in qua positus est, ita ibi dæmonum turba clamabat se ab illo torqueri, vt eiulatus eorum ferri non posset. Quæ gratia sacerdotis non solùm in illo loco, verùm etiam in plurimis prouincijs vsque in hodiernum diem manet. Iactabat etiam turba virorū 26 ac mulierū oraria vel semicinctia sua, vt corpus sancti aliquatenus ab ipsis contingeretur. Erat enim exequiarum turba innumerabilis totius dignitatis, 27 totiusque sexus, omniumque penè ætatum, nōn solùm Christianorum, sed etiam Iudæorum & Paganorum, maiore tamen gratia ordo præcedebat eorum qui fuerant baptizati. Eadem qua obijt die, sicut textus epistolæ loquitur, qui à successore eius venerabili viro Simpliciano susceptus est, de partibus orientis ad ipsum tanquam adhuc nobiscum viuentem directa, quæ nunc vsque Mediolani habetur in monasterio cuiusdam viri sancti, apparuit 28 orans cum illis, & imponens illis manus. Habet enim diem epistola, quæ directa est: Qua lecta inuenimus diem esse quo ille defunctus est. Intra Tusciam ciuitate Florentiana, vbi nunc vir sanctus Zenobius nomine Episcopus est, quia promiserat se petentibus illis, illos se sæpius visitaturum, frequenter ad altare quod est in Basilica Ambrosiana, quæ ibidem ab ipso constituta est, visum orare, ipso sancto viro sacerdote Zenobio referente didicimus. In eadem etiam domo in qua declinans Eugenium mansit tempore quo Ragadasus supradictam ciuitatem obsidebat, cùm iam de se penitus desperassent viri ciuitatis, per visum cuidam apparuit, & promisit alio die salutem illis affuturam. Quo referente ciuium animi sunt erecti. Nam altero die adueniente Stilicone tunc comite cum exercitu, facta est de hoste victoria. Hæc

24 D. Ambros. tēpore mortis suæ expansis manibus in modum crucis orauit.

25 Ecce quomodo moriuntur sancti, nempe prius accepto Domini corpore.

26 Quanta deuotio populi erga corpus D. Ambrosij defuncti.

27 Solennes exequiæ Ambrosio exhibitæ.

28 Tu qui sanctos Dei emortuos appellare non erubescis, vide si Ambrosius mortuus has apparitiones præstare potuisset.

Pansophia

Pansophia religiosa fœmina, matre pueri Pansophij referēte cognouimus. Mascezeli etiam desperante de salute sua, vel exercitus quem ducebat contra Gildonem, baculum tenens manu in visu noctis apparuit, atque cùm prouolueretur ad pedes sancti viri Mascezel, percutiens in terra senex baculo quo regebatur tertiò, hac enim illi specie apparuerat, & ait: Hic hic hic, signans locum, deditque intellectum viro, quem visitatione dignum fuerat arbitratus, vt agnosceret in ipso loco in quo sanctum Domini viderat sacerdotem, die tertia victoriam adepturum, atque ita securus bellum & inchoauit & consummauit. Nos tamen Mediolani positi, ipso Mascezele referente ea cognouimus. Nam & in hac prouincia in qua nunc positi describimus, plurimis hoc ipsum retulit sacerdotibus, quibus etiam referentibus, securius antè nobis cognita huic libro adiūgere arbitrati sumus. Sisinni etiam & Alexandri martyrum, qui nostris temporibus, hoc est, post obitum sancti Ambrosij in Ananiæ partibus persequentibus gentilibus viris, martyrij coronam adepti sunt, cùm reliquias 29 Mediolanenses summa cum deuotione susceperunt, adueniente quodam cœco & referente cognouimus, qui eodem tacto loculo 30 in quo sanctorum reliquiæ portabantur, lumen recepit, eò quòd per visum noctis vidisset nauem appropinquari littori, in qua erat multitudo abiatorum: quibus descendentibus ad terram, cùm vnum de turba precaretur, vt sciret qui essent ij viri, audierit Ambrosium eiusque consortes. Quo audito nomine cùm deprecaretur vt lumen reciperet, audierit ab eo: Perge Mediolanum, & occurre fratribus meis qui illò venturi sunt, designans diem, & recipies lumen: erat enim vir (vt ipse differebat) de litore Dalmateno, nec se antè venisse in ciuitatem asserebat priusquam recto itinere reliquijs sanctorum occurrisset, nondum videns, sed tacto loculo videre cœpisset. His itaque decursis non arbitror graue videri, si paululum promissi nostri metas excesserimus, vt Domini dictum quod per os sanctorum prophetarum locutus est, completum esse doceamus: Sedentem aduersus fratrem suum & detrahentem occultè persequebar. Et alibi: Noli deligere detrahere, ne eradiceris. Vt quicunque fortè huiusmodi captus est consuetudine, cùm legerit qualiter in his qui sancto viro detrahere 31 ausi sunt, fuerit vindicatum, ipse etiam in alijs emendetur. Igitur Donatus quidam natione Apher, presbyter tamen Ecclesiæ Mediolanensis, cùm in conuiuio positus, in quo erant nonnulli militares religiosi, detraheret memoriæ sacerdotis, aspernantibus illis & deserentibus linguam nequam, subitò vulnere percussus graui de eodem loco in quo iacebat, alienis manibus subleuatus, in lectulum positus est, atque inde ad sepulchrū vsque perductus. In vrbe etiam Carthaginensi, cùm apud Fortunatum diaconum fratrem venerabilis viri Aurelij Episcopi ad conuiuium cōuenissem, vnà cùm Vincentio Colossitano Episcopo, Murano etiam Episcopo Bolitano, sed & alijs Episcopis & diaconis, tunc Murano Episcopo detrahenti sancto viro, retuli exitum presbyteri superius memorati, quod ille de alio dictum de se oraculum, maturo suo exitu comprobauit. Nam de eodem loco in quo iacebat, cùm subitò vulnere ingenti esset percussus, alienis manibus ad lectum portatus est, atque inde ad domum in qua hospitabatur reductus, diem clausit. Is finis virorum detrahentium fuit, quem videntes qui tunc aderant admirati sunt. Vnde hortor & obsecro omnem hominem qui hunc librum legerit, vt imitetur vitam viri, laudet Dei gratiam, declinet detrahentiū linguas, si vult magis consortium habere cum Ambrosio in resurrectione vitæ, quàm cum detrahentibus illi subire supplicium, quod nullus sapiens non declinat. Tuam etiam precor beatitudinem pater Augustine, vt pro me humilimo & peccatore Paulino cum omnibus sanctis qui tecum inuocant nomen Domini nostri IESV Christi, in veritate orare digneris, vt quia in adipiscenda gratia cum tanto viro non sum dignus habere consortium, adeptus meorum veniam peccatorum, sit mihi præmium fugisse supplicium.

29 Reliquiæ martyrum à Mediolanēs. summa cū deuotione susceptæ.

30 Tacto loculo in quo eædem reliquiæ portabantur, cæcus lumen recipit.

31 Discant ex hoc loco heretici sanctis nō detrahere.

VITA DONATI BEROENSIS THEOTIMI, Tomitiani, & Epiphanij Cypri Episcoporum, per Cassiodorum Senatorem scripta.

Habetur libr. 9. histor. Tripart. cap. 46.

SOzomenus. Theodosij Imperatoris tempestate plurimi inter Episcopos effulgebant, sicut Donatus Eurypiani. De quo cùm prouinciales miracula multa testentur, maximum tamen est, quod de dracone gessit. Is enim circa pontem in via publica iacens cibum habebat, oues, capras, equos, boues, & homines abripiēs deuorabat. Ad quam bestiā Donatus sine gladio, sine aliquo iaculo veniēs, cùm illa leuasset caput quasi voratura virū, tūc ille vexillum crucis ante faciē eius digito designans in aëre, in os eius expuit. Bestia verò sputū mox ore suo suscipiens expirauit. Quam (sicut audiui) octo paria boū in vicinū campū traxerunt.

Et misso

Et misso igne combusta est, ne aërem fœtore corrumperet. Huius Donati sepultura insignis est, vbi oratorium ex eius nomine vocatur, habens fontem 1 aquarum, quem ipse fertur, orationibus inuenisse. Nam cùm esset locus inaquosus, & illuc ex itinere aliquando venisset, aiunt quòd fatigatis illis qui cum eo erant, orauerit, & mox aquæ inundatio proruperit, & ex illo hactenus permaneat. Eo tempore Tomitanam & Scythiæ Ecclesiam Theotimus gubernabat, vir in philosophia nutritus, cuius virtutem diligentes Barbari trans Histrum habitantes, Deum Romanorum esse prædicabant. Diuinarum siquidem in eo rerum experimenta sæpius perceperunt. Nam cùm quodam tempore iter faceret, illius terræ Barbari occurrerũt ei. Et cùm hi qui erant circa eum, terrore turbarentur, quasi continuò morituri, ex equo descendens orauit. Porrò Barbari neque eum, neque sequaces eius, nec equos de quibus descenderant videntes, transierũt. Cùm igitur crebrò transeuntes Scythas naturaliter feroces, epulis muneribusque mansuefaceret, quidam Barbarorum arbitratus eum esse locupletem, cœpit insidiari vt eum caperet, alligaret, & traheret. Cùm hoc iam parasset, & dexterã ad hoc haberet, vt eum iactu illaquearet, manus in aëre mox ligata, & Barbarus ille inuisibilibus vinculis est obstrictus. Tunc alijs pro eo rogantibus, supplicauit Deo Theotimus, vt Barbarus solueretur. Eo quoq; tempore fuit Epiphanius Cypriorum Episcopus, ad cuius sepulchrum hactenus dæmones 2 expelluntur. Is enim cùm substantiam propriam necessitatem sustinentibus erogasset, & multis quoque offerentibus ei pecunias manu largissima dispensaret, contigit, vt pecunijs deficientibus œconomus Ecclesiæ murmuraret. Quo facto, assistens quidam in domo, in qua habitabat œconomus, sacculum multarum pecuniarum dedit, & ita disparuit, vt nec qui dedisset, nec qui misisset cognosceretur. Quod factũ omnes diuinum esse iudicauerunt. Aliud quoque eius libet referre miraculum. Quidam pauperes studentes Epiphanium arte deludere, vt sibi aliquid daret, cùm iter ageret, vnus eorum supinum se prostrauit in terram, alter stabat quasi mortuum deflens, nec habens vnde eum sepelire potuisset: Epiphanius autem superueniens, orauit vt sub quiete dormiret. Et sepulturæ necessaria præbuit, simulque consolatus est flentem, dicens: Quiesce fili à lachrymis: Non enim fletu resuscitari poterit. Est enim ineuitabile quod euenit. Cumque discessisset Epiphanius, cœpit ille pulsare socium, vt surgeret. Et cùm hoc semel & secundò fecisset, dicens: Surge, vt hodie de tuis laboribus epulemur, & ille penitus non sentiret, cognoscens verè mortuum, cucurrit ad Epiphanium flens, & petens vt suum socium suscitaret. At ille consolatus est, ne grauiter ferret quod euenisset. Non tamen defunctum denuo suscitauit. Hoc enim credo prouidè factum, vt non facilè Dei ministri deludantur.

1 Orationibus fontem aquarum inuenit.

2 Quid dicis hæretice sanctorum sepulchra non esse veneranda, cum dæmones ab ea expellantur?

Eo tempore fuit Æas & Zeno in Palestinæ Gaza philosophantes. Et Æas fertur cùm pulcherrimam duxisset vxorem, ter cum ipsa solùm concubuisse, & tres filios genuisse, postea vitam monachicã apprimè esse sectatus. Zeno verò Episcopus fermè annorum centum habens ætatem, nunquam solennibus minor fuit, aut quieuit officijs.

Non solùm autem religionẽ hæc tunc nobilitabant, sed etiam Abacuc & Micheæ prophetarum corpora (sicut audiui) hoc tempore sunt ostensa 3 reuelatione diuina, cùm Zebenus tunc Eleutheropolitanam gubernaret Ecclesiam in vico, qui prius vocabatur Ceila, in Berethasia prædio, quod distat ab vrbe fermè stadijs decem. Circa hũc locũ sepultura Micheæ fuit, quam nescientes quid dicerent prouinciales, ô fidelem memoriam vocitabant.

3 Si sanctorũ ossa aut sepulchra venerari vanũ esset & superstitiosum, vt nostri hæretici mentiuntur, corpora sanctorum prophetarum non fuissent diuina reuelatione ostensa.

VITA EPIPHANII EPISCOPI, PER Suidam scripta, Alberto Lino Veronense Interprete.

Epiphanius Constantiæ, quæ est in Cypro, Episcopus, quæ antea Salamin vocabatur, contra omnes hæreses libros, qui Panaria dicuntur, atque alia multa scripsit, quæ quidem à doctis propter res, à rudibus verò propter verba leguntur. Extrema senectute decessit.

VITA IOANNIS DAMASCENI, PER eundem Suidam, eodem Interprete.

Ioannes Damascenus cognomento Mnasur, vir & ipse doctissimus fuit, ac nemine illorum inferior, qui sua tempestate eruditione ac doctrina illustres fuerunt, extant quàplurima ipsius scripta, summeq; erudita. Necnõ comparationes virorum illustrium inter se, de quibus in diuina scriptura fit mentio. Et canones tum metro Iambico, tum soluta oratione ad canendum appositi. Floruit autem eadem tempestate & Cosmas Hierosolymitanus, vir apprimè ingeniosus, concinnamque omnino musicam spirans. Siquidem canones Ioannis & Cosmæ ad cantum compositi, non habent quibus cum comparentur, neque etiam sunt habituri, quoad vita nostra hæc durabit.

PRO-

PROLOGVS SEVERI SVLPITII IN VITAM Sancti Martini, Episcopi Turonensis.

PLerique mortalium studio & gloriæ seculari inaniter dediti, exinde perennem (vt putabant) memoriam nominis sui quæsiuerunt, si vitas clarorum virorum stylo illustrassent. Quæ res vtiq; non perennem quidem, sed aliquantulum tamen conceptæ spei fructum afferebat: quia & sui memoriam (licet in cassum) propagabant: & propositis magnorum virorum exẽplis, non parua æmulatio legentibus excitabatur. Sed tamen nihil ad beatam illam æternamq; vitam hæc eorum cura pertinuit. Quid enim aut ipsis occasura cum seculo scriptorum suorum gloria profuit, aut quid posteritas emolumẽti tulit legendo Hectorem pugnantem, aut Socratẽ philosophantem? cùm eos non solùm imitari stultitia sit, sed non acerrimè etiam impugnare demẽtia. Quippe qui humanam vitam præsentibus tantùm actibus æstimantes, spes suas fabulis, animas sepulchris dederint. Siquidem ad solam hominum memoriam se perpetuandos crediderunt, cùm hominis officium sit, perennẽ potius vitam, quàm perennem memoriam quærere, non scribendo aut pugnando, vel philosophando, sed piè, sanctè, religioseq; viuendo. Qui quidem error humanus literis traditus in tantum conualuit, vt multos tamen æmulos, vel inanis philosophiæ, vel stultæ illius virtutis inuenerit. Vnde facturus mihi operæpretium videor, si vitam sanctissimi viri exemplo alijs mox futuram perscripsero. Quo vtique ad veram sapientiam, & cœlestem militiam, diuinamq; virtutem legẽtes incitabuntur. In quo ita nostri quoq; rationem cõmodi ducimus, vt nõ inanem ab hominibus memoriam, sed æternum à Deo præmium expectemus. Quia etsi ipsi nõ ita viximus, vt exemplo alijs esse possimus, dedimus tamen operam, ne is lateret, qui esset imitandus. Igitur S. Martini vitam scribere exordiar, quæ vel ante Episcopatum, vel in Episcopatu gesserit, quamuis nequaquam ad omnia illius potuerim peruenire: adeo ea in quibus ipse tantùm sibi conscius fuit nesciuntur: quia laudẽ ab hominibus nõ quærens (quantum in ipso fuit) omnes virtutes suas latêre voluisset: quanquam etiam ex iis quæ cõperta nobis erant, plura omisimus, quia sufficere credidimus, si tantùm excellentiora notarentur. Simul & legentibus consulendum fuit, ne quod his pareret copia congesta fastidium. Obsecro autem eos qui lecturi sunt, vt fidem dictis adhibeant: neque me quicquam nisi compertum & probatum scripsisse arbitrentur. Alioqui tacere, quàm falsa dicere maluissem.

VITA SANCTI MARTINI.

IGitur Martinus Sabbariæ Pannoniorum oppido oriundus fuit, sed intra Italiam Ticini alitus est, parentibus secundum seculi dignitatem non infimis, gentilibus tamen. Pater eius miles primum, pòst tribunus militum fuit. Ipse armatam militiam in adolescentia secutus, inter scalares alas sub rege Constantio, deinde sub Iuliano Cæsare militauit: non tamen sponte, quia à primis ferè annis diuinam potius seruitutem sacra illustris pueri spirauit infantia. Nam cùm esset annorum decem, inuitis parentibus ad Ecclesiam confugit, seque catechumenum fieri postulauit. Mox mirum in modum totus in Dei opere conuersus, cùm esset annorum duodecim, eremum concupiuit: fecissetque votis satis, si ætatis infirmitas non obstitisset. Animo tamen aut circa monasteria, aut circa ecclesias semper intẽtus meditabatur in ætate puerili, quod postea deuotus impleuit. Sed cùm edictum esset à Regibus, vt veteranorum filij ad militiam scriberentur (prodente patre qui felicibus eius actibus inuidebat) cùm esset annorum quindecim, raptus, & catenatus sacramentis militaribus est implicatus, vno tantùm seruo comite contentus, cui tamen versa vice dominus seruiebat, adeo vt plerumque ei & calceamenta ipse detraheret, & ipse detergeret, cibum vnà caperent, hic sæpius ministraret. Triennium ferè ante baptisma in armis fuit, integer tamen ab his vitijs, quibus illud hominum genus implicari solet. Multa illi circa commilitones benignitas, mira charitas, patientia verò atque humilitas vltra humanum modum: Nam frugalitatem in eo laudare non est necesse, qua ita vsus est, vt iam illo tempore non miles, sed monachus putaretur. Quibus rebus ita sibi omnes commilitones suos deuinxerat, vt eum miro venerarentur affectu. Necdum tamen regeneratus in Christo, agebat quendam bonis operibus baptismatis candidatum: assistere scilicet laborantibus, opem ferre miseris, egentes alere, nudos vestire, nihil sibi ex militiæ stipendijs, præter quotidianum victum reseruare. Iam tum Euangelij non surdus auditor, de crastino non cogitabat. Quodam itaque tempore, cùm iam nihil præter arma, & simplicem militiæ vestem haberet, media hyeme, quæ solito asperior inhorruerat (adeo vt plerosque vis algoris extingueret) obuium habuit in porta Ambianensium ciuitatis pauperem nudum. Qui cùm prætereuntes, vt sui mi-

fererentur, oraret, omnesq; miserum præterirent, intellexit vir Deo plenus sibi illũ, alijs misericordiam nõ præstantibus, reseruari. Quid tamen ageret? Nihil præter chlamidẽ, qua indutus erat, habebat. Iam enim reliqua in opus simile cõsumpserat. Arrepto itaque ferro, quo erat accinctus, mediam diuidit, partemque eius pauperi tribuit, reliqua rursus induitur. Interea de circunstantibus ridêre nonnulli, quia deformis esset, & truncatus habitu videretur: multi tamen quibus erat mẽs sanior, altius gemere, qui simile nihil fecissent, cùm vtiq; plus habentes, vestire pauperem sine sua nuditate potuissent. Nocte igitur insecuta, cùm se sopori dedisset, vidit Christũ chlamidis suæ, qua pauperem texerat, parte vestitum. Intueri diligentissimè Dominum, vestemque quam dederat iubetur agnoscere. Mox ad Angelorũ circunstantiũ multitudinem audiuit Iesum clara voce dicentem: Martinus adhuc catechumenus hac me veste contexit. Verè memor Dominus dictorum suorum, qui antè prædixerat: Quamdiu fecistis hæc vni ex minimis istis, mihi fecistis: se in paupere professus est fuisse vestitum. Et ad confirmandum tam boni operis testimonium, in eodem se habitu, quem pauper acceperat, est dignatus ostendere. Quo viso vir beatissimus, non in gloriam est eleuatus humanam, sed bonitatem Dei in suo opere cognoscens, cùm esset annorum duodeuiginti, ad baptismum conuolauit. Nec tamen statim militiæ renunciauit, tribuni sui precibus euictus, cui contubernium familiare præstabat. Etenim translacto tribunatus sui tempore, renunciaturũ se seculo pollicebatur. Qua Martinus expectatione suspensus, per biennium ferè, posteaquam est baptismum consecutus, solo scilicet nomine militauit. Interea irruentibus intra Gallias Barbaris, Iulianus Cæsar coacto in vnum exercitu apud Vangionum ciuitatem donatiuum cœpit erogare militibus. Et (vt est consuetudinis) singuli citabantur, donec ad Martinum ventum est. Tum verò oportunũ tempus existimans, quo peteret remissionem (neque enim integrum sibi fore arbitrabatur, si donatiuũ non militaturus acciperet) hactenus, inquit ad Cæsarẽ, militaui tibi: nunc patere vt militem Deo: donatiuum tuum pugnaturus accipiat alter: Christi ego miles sum, pugnare mihi non licet. Tum verò aduersus hanc vocem Tyrannus infremuit, dicens eum metu pugnæ, quæ postera die erat futura, non religionis gratia detrectare militiam. At Martinus intrepidus, imò illato sibi terrore constantior: Si hoc, inquit, ignauiæ adscribitur, non fidei, crastina die ante aciem inermis astabo, & in nomine Domini Iesu, signo crucis, nõ clipeo protectus, aut galea, hostium cuneos penetrabo securus. Retrudi ergo in custodiam iubetur facturus fidem dictis, vt inermis Barbaris obijceretur. Postera die hostes legatos de pace miserunt, sua omnia, seque dedentes. Vnde quis dubitet hanc verè beati viri fuisse victoriam: cui præstitum sit, ne inermis ad prælium mitteretur? Et quãuis pius Dominus seruare militẽ suum inter hostium gladios & tela potuisset: tamen ne vel aliorũ morte sancti violaretur obtutus, exemit pugnæ necessitatẽ. Neque enim aliam pro milite suo Christus debuit præstare victoriam, quàm vt subactis sine sanguine hostibus, nemo moreretur. Exinde relicta militia, sanctum Hilarium Pictauæ Episcopum ciuitatis, cuius tunc in Dei rebus spectata & cognita fides habebatur, expetiuit, & aliquãdiu apud eum commoratus est. Tentauit autem idem Hilarius, imposito diaconatus officio, sibi eum arctius implicare, & ministerio vincere diuino. Sed cùm sæpissimè restitisset, indignũ se esse vociferans, intellexit vir Dei altioris ingenij hoc eum modo posse constringi, si id ei officij imponeret: in quo quidam locus iniuriæ videretur. Itaque exorcistã 1 eũ esse præcepit. Quã ille ordinationẽ ne despexisse tanquàm humiliorẽ videretur, nõ repudiauit. Nec multò pòst admonitus per soporẽ, vt patriã, parẽtesq;, quos adhuc gẽtilitas detinebat, religiosa solicitudine visitaret, ex voluntate S. Hilarij profectus est, multisq; ab eo obstrictus precibus & lachrymis, vt rediret. Mœstus (vt fertur) peregrinationẽ illam aggressus est, contestatus fratres multa se aduersa passurũ, quod postea probauit euentus. Ac primũ inter Alpes deuia secutus, incidit in latrones. Cũq; vnus securim eleuatã in caput eius librasset, ictũ ferientis dexteræ sustinuit alter. Vinctis tamen post tergũ manibus, vni seruandus & custodiendus traditur. Qui cùm eũ ad remotiora duxisset, percunctari ab eo cœpit, quisnã esset. Respondit Christianũ se esse. Quærebat etiã ab eo, an timeret. Tunc verò cõstantissimè profitebatur, nunquã se tam fuisse securũ: quia sciret misericordiã Domini maximè in tentationibus adfuturam: se magis illi dolere, qui Christi misericordia (vtpote latrocinia exercens) esset indignus: ingressusq; Euangelicam disputationem verbũ Dei latroni prædicabat. Quid longius morer? Latro credidit, prosecutusq; Martinũ viæ reddidit, orans vt pro se Dominũ precaretur. Ideq; postea religiosam ducere vitam visus est, adeo vt hæc, quæ suprà retulimus, ab eo audita dicantur. Igitur Martinus inde progressus, cùm Mediolanũ præterisset, diabolus in itinere, humana specie assumpta, se ei obuiam tulit, quò tenderet requirens. Cumq; id à Martino respõsi accepisset, se quò Dominus vocaret, ait ad eũ: Quocunque ieris, vel quæcunque tentaueris, diabolus tibi aduersabitur. Tunc ei prophetica voce respondit: Dominus mihi adiutor est, non timebo quid faciat mihi

1 Ordinem exorcistæ Martinus suscipit.

mihi homo, statimq; è conspectu eius inimicus euanuit. Itaq; vt animo ac mēte conceperat, matrem gentilitatis absoluit errore, patre in malis perseuerante: Plures tamen suo saluauit exemplo. Deinde cùm hæresis Arriana per totum orbem, & maximè intra Illyricum pullulasset, cùm aduersus perfidiam sacerdotum solus penè acerrimè repugnaret, multisque supplicijs esset affectus (nam & publicè virgis cęsus est) & ad extremum de ciuitate exire compulsus, Italiam repetijt. Cùm intra Gallias quoque discessu sancti Hilarij, quē ad exilium hęreticorum vis coēgerat, turbatam Ecclesiam comperisset, Mediolani sibi monasterium statuit. Ibi quoque eum Auxentius autor & princeps Arrianorū grauissimè insectatus est, multisque affectum iniurijs de ciuitate exturbauit. Cedendum itaque tempori arbitratus, ad insulam Gallinariam nomine secessit, comite quodam presbytero magnarum virtutum viro. Hic aliquandiu radicibus 2 vixit herbarum. Quo tempore elleborū venenatum (vt fertur) grauem in cibum sumpsit. Sed cùm vim veneni in se grassantis vicina iam morte sensisset, imminens periculum oratione repulit, statimque omnis dolor fugatus est. Nec multò pòst cùm sancto Hilario comperisset regis pœnitentia potestatem indultam fuisse redeundi, Romæ ei tentauit occurrere. Profectusque est ad vrbem: Cùm autem iam Hilarius præterijsset, ita eum est vestigijs prosecutus, vt ad eum pertingeret. Cumq; ab eo gratissimè esset susceptus, haud longè sibi ab oppido monasterium collocauit. Quo tempore quidam ei se catechumenus iunxit, cupiēs viri sanctissimi institui disciplinis. Paucis quippe interpositis diebus languore correptus, vi febrium laborabat. At tum Martinus fortè discesserat: & cùm post triduum defuisset, regressus exanime corpus inuenit. Ita subita mors fuerat, vt absque baptismate humanis rebus excederet. Corpus in medio positum tristi mœrentium fratrum frequentabatur officio: cùm Martinus flens & eiulans accurrit. Tum verò tota spiritū sanctum mente cōcipiens, egredi cellulam, in qua corpus iacebat, cæteros iubet: ac foribus obseratis super exanimata defuncti fratris membra prosternitur. Et cùm aliquamdiu orationi incubuisset, sensissetq; per spiritū Domini adesse virtutem, erectus paululū, & in defuncti ora defixus, orationis suæ, ac misericordiæ Domini intrepidus expectabat aduentū. Vixque duarū ferè horarum spatium intercesserat, vidit defunctū paulatim membris omnibus commoueri, & laxatis in visum videndi palpitare luminibus. Tum verò magna ad Dominū voce cōuersus gratias agens, cellulam clamore compleuerat. Quo audito, qui pro foribus astiterant, statim irruunt. Mirum spectaculū, quòd videbant viuere, quem mortuum reliquissent. Ita redditus vitæ statim baptisma consecutus, plures postea vixit annos, Primusq; apud nos Martini virtutum vel materia, vel testimoniū fuit. Idē tamen referre erat solitus, se corpore exutū ad tribunal Iudicis ductum, deputatumque obscuris locis & vulgaribus turbis tristē excepisse sententiam. Tunc per duos Angelos Iudici fuisse suggestum, hunc esse, pro quo Martinus oraret. Ita per eosdē Angelos se iussum reduci: & Martino redditum, vitæque pristinæ restitutum. Ab hoc primo tempore beati viri nomen enituit: vt qui sanctus iam ab hominibus habebatur, potens etiam, & verè Apostolicus haberetur. Nec multò pòst dū agrum Lupicini cuiusdam honorati secundùm seculū viri præteriret, clamore & luctu turbæ plangentis excipitur. Ad quam cùm solicitus astitisset, & quis esset hic fletus inquireret, indicatur vnum è familia seruulum laqueo sibi vitam extorsisse. Quo cognito, cellulam in qua corpus iacebat, ingreditur: exclusisque omnibus turbis superstratus corpori aliquantisper orauit. Mox viuescente vultu in ardescentibus oculis in ora illius defunctus erigitur, tentoq; conamine enisus assurgere, apprehensa beati viri dextera in pedes constitit, atque ita cum eo vsque ad vestibulum domus turba omni inspectante processit.

2 Radicibus herbarum aliquādiu Martinus vixit. Vide ergo eius abstinentiam & ciborum delectum.

Sub idem ferè tempus ad Episcopatū Turonicæ petebatur Ecclesiæ. Sed cùm erui à monasterio suo non facilè posset, Ruricius quidam vnus è ciuibus vxoris languore simulato ad genua illius prouolutus, vt egrederetur, obtinuit. Ita dispositis iam in itinere ciuium turbis, sub quadam custodia ad ciuitatem vsq; deducitur. Mirū in modū incredibilis multitudo nō solū ex illo oppido, sed etiam ex vicinis vrbibus ad suffragia ferenda cōuenerant. Vna omniū volūtas, eadē vota, eademq; sententia. Martinū Episcopatu esse dignissimū: felicem fore tali Ecclesiam sacerdote. Pauci tamen & nōnulli ex Episcopis, qui ad constituendū Antistitem fuerant euocati, impie repugnabant, dicentes scilicet cōtemptibilem esse personā, indignum esse Episcopatu hominem vultu despicabilem, veste sordidum, crine deformem. Ita à populo sententiæ sanioris hæc illorum irrisa dementia est, qui illustrē virū, dum vituperare cupiunt, prædicabant. Nec verò his aliud facere licuit, quàm quod populus Domino volente, cogebat. Inter Episcopos tamē qui adfuerant, præcipuè Defensor quidam nomine dicitur restitisse. Vnde animaduersum est, grauiter illū lectione prophetica tūc notatū. Nam cū fortuitu lector cui legēdi eo die officiū erat, interclusus à populo defuisset, turbatis ministris, dū expectatur qui nō aderat, vnus è circūstantibus, sumpto psalterio, quē primū versum inuenit, arripuit. Psalmus autem hic erat: Ex ore infantiū & lactentium perfecisti laudem,

propter inimicos tuos, & destruas inimicum & defensorem. Quo lecto, clamor populi tollitur, pars aduersa confunditur. Atque ita habitum est diuino nutu psalmum hunc lectum fuisse, vt testimonium operis sui defensor audiret: quia ex ore infantium atque lactentium in Martino Domini laude perfecta & ostésus pariter, & destructus est inimicus. Iam verò sumpto Episcopatu, qualem se, quantumque præstiterit, nõ est nostræ facultatis euoluere. Idem enim constantissimè perseuerabat, qui prius fuerat. Eadem in corde eius humilitas, eadem in

2 Vestitus Martini vilitas.

vestitu eius vilitas 2 erat. Atque ita plenus autoritatis & gratiæ implebat Episcopi dignitatem: vt nõ tamen propositũ monachi, virtutemq; desereret. Aliquandiu ergo adhærenti ad ecclesiã sellula vsus est. Deinde cùm inquietudinẽ se frequentantiũ ferre non posset, duobus ferè extra ciuitatem milliaribus monasteriũ sibi statuit. Qui locus tam secretus, & remotus erat, vt eremi solitudinem non desideraret. Ex vno enim latere præcisa montis excelsi rupe ambiebatur, reliquã planiciem Liger fluuius reducto paululum sinu clauserat. Vna tantùm eademque arcta admodũ via adiri poterat. Ipse ex lignis contextam sellulã habebat, multique ex fratribus in eundem modũ. Plerique saxo superiecti mõtis cauato receptacula sibi fecerant. Discipuli verò octoginta erant, qui ad exemplũ beati magistri instruebantur. Nemo

3 Hic adesse vellẽ quotquot Monachismo æternũ bellum gerere proposuerũt, inter alia dicentes, præsentẽ monachismum nequitium esse, non à primæuis obseruatum: nónne hic habes paupertatem voluntariã in monachis Martini, vitã in communi, cessationẽ à cõtractibus, orationis instantiã, loci firmitatem, cibi & potus abstinentiã, habitus asperitatem? Quæ omnia apud veros religiosos etiam hodie in vsu habentur: Vide ergo quàm falsum sit, monachismum nostrum nequitium esse.

ibi quicquam proprium 3 habebat, omnia in mediũ conferebantur. Non emere, aut vendere (vt plerisq; monachis moris est) cuiquam licebat. Ars ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur, cui tamẽ operi minor ętas deputabatur, maiores orationi vacabãt. Rarus cuiquã extra sellulam suam egressus, nisi cum ad locum orationis conueniebant. Cibum vnà omnes post horam ieiunij accipiebant. Vinum nemo nouerat, nisi quẽ infirmitas coëgisset. Plerique camelorũ setis vestiebantur: mollior ibi habitus pro crimine erat. Quod eo magis sit mirũ necesse est, quod multi inter eos nobiles habebantur, qui lõgè aliter educati ad hanc se humilitatem & patientiã coëgerant. Pluresq; ex his postea Episcopos vidimus. Quæ enim esset ciuitas aut ecclesia, quæ nõ sibi de Martini monasterio cuperet sacerdotẽ? Sed vt reliquas virtutes eius, quas in episcopatu egit, aggrediar: Erat haud longè ab oppido proximus monasterio locus, quẽ falsa hominũ opinio, velut consepultis ibi martyribus consecrauerat. Nam & altare ibi à superioribus episcopis constitutũ habebatur. Sed Martinus nõ temerè adhibẽs incertis fidem ab his qui maiores natu erant, presbyteris, vel clericis flagitabat nomẽ sibi martyris, & tẽpora passionis ostendi: grandi se scrupulo permoueri, quod nihil certi constãs sibi maiorũ memoria tradidisset. Cùm aliquãdiu ergo à loco illo se abstinuisset, nec derogãs religioni, qua incertus erat, nec autoritatem suã vulgò accommodans, ne superstitio conualesceret, quodam die, paucis secum adhibitis fratribus ad locũ pergit: Deinde super sepulchrũ ipsum astans orauit ad Dominũ, vt quis esset, vel cuius meriti sepultus ostenderet. Tũ conuersus ad leuam, videt propè assistere vmbram sordidam & trucem. Imperat, nomẽ meritumque vt loqueretur. Nomen edicit, de crimine confitetur, latronem se fuisse ob scelera percussum, vulgi errore celebratũ sibi nihil cum martyribus esse commune, cùm illos gloria, se pœna retineret. Mira res, vocem loquentis qui aderant audiebant, personam tamen nõ videbant. Tum Martinus, quid vidisset, exposuit. Iussitq; ex eo loco altare, quod ibi fuerat, submoueri, atque ita populum superstitionis illius absoluit errore. Accidit autem in sequẽti tempore, dum iter ageret, vt Gentilis cuiusdam corpus, quod ad sepulchrum cum superstitioso funere deferebatur, obuium haberet. Conspicatusque eminus venientem turbã, quidnam id esset ignarus, paululum stetit. Nam cùm ferè quingentorum passuum interuallum esset, vt difficile fuerit dignoscere quid videret: Tamen quia rusticam manum cerneret, & agente vento linteamina corpori superiecta volitarẽt, profanos sacrificiorũ ritus agi credidit, quia esset hæc Gallorum rusticis consuetudo, simulachra dæmonum candido tecta velamine misera per agros suos circunferre dementia. Eleuato ergo in aduersum signo crucis, imperat turbæ non moueri loco, onusque deponere. Hic verò mirum in modum videres miseros primum velut saxa riguisse: deinde cùm primo mouere se summo conamine niterentur, vltrà accedere non valentes, ridiculam in vertiginem rotabantur, donec victi corporis onus deponunt attoniti: & semet inuicem aspectantes, quidnam sibi accidisset, taciti cogitabant. Sed cùm beatus vir comperisset exequiarum illam esse frequentiam, non sacrorum, eleuata rursum manu, dat eis abeundi & tollendi corporis potestatem. Ita eos & cum voluit, stare compulit: & cùm libuit, abire permisit.

Item dum in vico quodam templum antiquissimum diruisset, & arborem pinum, quæ fano erat proxima, esset aggressus excidere: tum verò Antistes loci illius, cæteraq; Gentiliũ turba cœpit obsistere. Et cùm ijdem illi, dũ templũ euertitur, imperante Domino acquieuissent, succidi arborẽ non patiebantur. Ille quidẽ eos sedulè cõmonere, nihil esse religionis in stipite, Dominũ potius, cui seruiret ipse, sequerẽtur, arborẽ illam excidi oportere, quia esset dæmoni dedicata. Tũ vnus ex illis, qui erat audacior cæteris: Si habes, inquit, aliquã de Deo tuo, quem dicis te colere, fiduciam, nosmetipsi succidimus hanc arborẽ: tu ruentem excipe, & site-

& si tecum est tuus, vt dicis, Dominus, euades. Tum ille intrepidè confisus in Domino facturum se pollicetur. Hic verò ad istiusmodi conditionem omnis illa gentilium turba consentit, facilemque arboris suæ habere iacturam, si inimicum sacrorum suorum casu illius obruissent. Itaque cùm vnam in partem pinus illa esset accliuis (vt non esset dubium, quam in partem succisa corrueret) eo loco vinctus statuitur pro arbitrio rusticorum, quo arborem esse casuram nemo dubitabat. Succidere igitur ipsi suam pinum cum ingenti gaudio, lætitiaque cœperunt. Aderat eminus turba mirantium: iamque paulatim nutare pinus cœpit, & ruinam suam casura minitari. Pallebant eminus monachi, & periculo iam propere conterriti, spem omnem, fidemque perdiderant, solam Martini mortem expectantes. At ille confisus in Domino intrepidus operiens, cùm iam fragoré sui pinus concidens edidisset, iam cadéti, & super se ruenti, eleuata protinus obuiá manu, salutis signum opposuit. Tum verò turbinis modo retroactam putares, diuersam in partem ruit, adeo vt rusticos, qui in tuto loco steterant, penè prostrauerit. Tum verò in cœlũ clamore sublato, gentiles stupuêre miraculo, monachi flere præ gaudio, Christi nomen in commune ab omnibus prædicari: satisque constitit eo die salutem illi venisse regioni. Nam nemo ferè ex immani illa multitudine gentiliũ fuit, qui non impositione manus desiderata Dominum Iesum Christũ, relicto impietatis errore crediderit. Et verè ante Martinum pauci admodum, imò penè nulli in ijs regionibus Christi nomen receperant. Quod adeo virtutibus illius exẽplóque conualuit, vt iam ibi nullus locus sit, qui non aut Ecclesijs frequentissimus, 4 aut monasterijs sit repletus. Nã vbi fana destruxerat, statim ibi aut Ecclesias, aut monasteria construebat. Nec minoré sub idem ferè tempus eodem in opere virtutem edidit. Nam cùm in vico quodam fano antiquissimo & celeberrimo ignem iniecisset, in proximam, imò adhærentem domũ, agente vento flammarum globi ferebantur. Quod vbi Martinus aduertit, rapido cursu tectum domus scandit, obuiam se aduenientibus flammis inferens. Tum verò mirum in modum cerneres contra vim venti ignem retorqueri, vt compugnantium inter se elementorum quidam conflictus videretur. Ita virtute Martini ibi tantùm ignis est operatus, vbi iussus est. In vico autem, cui Leprosum nomen est, cùm idem templum opulentissimũ superstitione religionis voluisset euertere, restitit ei multitudo gentilium, adeo vt non absque iniuria sit repulsus. Itaque secessit ad proxima loca: ibiq; per triduũ cilicio 5 tectus, & cinere, ieiunans semper, atque orãs precabatur Dominum, vt quia templum illud euertere humana manu non potuisset, virtus illud diuina dirueret. Tum subitò ei duo Angeli hastati atque scutati instar militiæ cœlestis se obtulerunt, dicentes missos se à Domino, vt rusticam multitudinem fugarent, præsidiumque Martino ferrent, ne quis dum templũ dirueretur, obsisteret. Rediret ergo, & opus cœptum deuotus impleret. Ita regressus ad vicum, spectantibus gentilium turbis, & quiescentibus, dum prophanam ædem vsque ad fundamenta dirueret, aras omnes atque simulachra redegit in puluerem. Quo viso, rustici cùm se intelligerent diuino nutu obstupefactos, atque perterritos, ne Episcopo repugnarent, omnes fere in Iesum Dominũ crediderunt, clamantes palam, & confitentes, Deum Martini esse colendũ, idola negligenda, quæ sibi adesse non possent. Quid etiam in pago Eduorũ gestum sit ref[e]ram. Vbi dum templũ itidem euerteret, furens gentilium rusticorũ in eum irruit multitudo. Cúmque vnus audacior cæteris stricto cum gladio peteret, reiecto pallio nudá ceruicem percussuro præbuit. Nec cunctatus ferire gentilis, sed cùm dexterá altius extulisset, resupinus ruit, consternatúsq; diuino metu veniam precabatur. Nec dissimile huic fuit illud: cum eum idola destruentem cultro quidã ferire voluisset, in ipso ictu ferrum ei de manibus excussum non comparuit. Plerumque autẽ contradicentibus sibi rusticis, ne eorum fana destrueret, ita prædicatione sancta gentilium animos mitigabat, vt luce eis veritatis ostensa, ipsi sua templa subuerterent. Curationum verò tam potens in eo gratia erat, vt nullus ferè ad eũ ægrotus accesserit, qui non continuò receperit sanitatem, quod vel ex consequenti liquebit exemplo.

4 Vides hæretice quod pr[i]mũ Christianæ fidei in populo indicium est, Ecclesiarũ & monasteriorum constructio? Et tu ea destruis.

5 Tectus cilicio et cinere Martinus, ieiunans & orans per triduum precabatur Dominũ.

Treueris puella quædam dira paralysis ægritudine tenebatur, ita vt iam per multum tẽpus nullo ad humanos vsus corporis officio fungeretur, omni ex parte præmortua vix tenui spiritu palpitabat. Tristes ad solam funeris expectationem assistebant propinqui, cùm subitò nuntiatur ad ciuitaté illam venisse Martinum. Quod vbi puellæ pater comperit, cucurrit exanimis pro filia rogaturus. Et fortè Martinus iam ecclesiam fuerat ingressus. Ibi inspectante populo, multísque alijs Episcopis præsentibus, eiulans senex genua eius amplectitur, dicẽs: Filia mea moritur misero genere languoris, & quod ipsa est morte crudelius, solo spiritu viuit, iam carne præmortua. Rogo vt eam adeas, atque benedicas: Confido enim quòd per te reddenda sit sanitati. Qua ille voce confusus obstupuit, & refugit, dicens, hoc suæ non esse virtutis: senem errare iudicio, non esse se dignum, per quem Deus signum virtutis ostenderet. Præstare cœpit vehementius flens pater, & orare, vt exanimem visitaret: postremò circunstantibus Episcopis, ire compulsus, descendit ad domum puellæ.

Erat autem ingens turba præ foribus expectans, quidnam Dei seruus esset facturus. Ac primũ (quæ erant illius familiaria in istiusmodi rebus arma) solo prostratus orauit. Inde ægram intuens, dari sibi oleum postulat. Quod cùm benedixisset, 6 in os puellæ vim sancti liquoris infudit, statimque vox reddita est. Tum paulatim singula contactu eius cœperunt membra viuiscere, donec firmatis gressibus populo teste surrexit. Eodem tempore Tetradij cuiusdam Proconsularis viri seruus dæmonio correptus dolendo exitu cruciabatur. Rogatus ergo Martinus vt ei manum imponeret, deduci eum ad se iubet. Sed nequam spiritus nullo proferri modo ex cella, in qua erat, potuit: ita in aduenientes rabidis dentibus sæuiebat. Tum Tetradius ad genua beati viri aduoluitur, orás vt ad domum, in qua dęmoniacus habebatur, ipse descenderet. Tum verò Martinus negat se prophani & gentilis hominis domum adire posse. Nam Tetradius eo tempore adhuc gentilitatis errore implicitus tenebatur. Spondet ergo se, si de puero dæmon fuisset eiectus, Christianum fore. Ita Martinus imposita manu puero, immundum ab eo spiritum eiecit. Quo viso, Tetradius in Dominum nostrum Iesum Christum credidit: statimque catechumenus factus, nec multò pòst baptizatus est, semperq; Martinum salutis suæ autorem miro coluit affectu. Per idem tẽpus in eodem oppido ingressus patrisfamilias cuiusdam domum, in limine ipso restitit, dicens horribile in atrio domus dæmonium se videre. Cui cùm vt discederet imperaret, quendam patrisfamilias, qui in interiore parte ædium morabatur arripuit: sæuire dentibus miser cœpit, & obuios quelcunque laniare. Commota domus, familia turbata, populus in fugam versus: Martinus se furenti obijcit, ac primum stare ei imperat. Sed cùm dentibus fremeret, hiantiq; ore morsum minaretur, digitos ei Martinus in os intulit. Si habes, inquit, aliquid potestatis, hos deuora. Tum verò ac si candens ferrum faucibus accepisset, longè reductis dẽtibus, digitos beati viri vitabat attingere. Et cùm fugere de obsesso corpore pœnis & cruciatibus cogeretur, nec tamen exire ei per os liceret, fœda relinquens vestigia, fluxu ventris egressus est. Interea cũ de metu atque impetu Barbarorum subitò ciuitatẽ fama turbasset, dæmoniacum ad se exhiberi iubet. Imperat an verus esset hic nuntius fateretur. Tũ confessus est sedecim dæmones fuisse, qui rumorem hunc per populum disseminassent, vt hoc saltem metu ex illo Martinus oppido fugaretur: Barbaros nihil minus quàm irruptionẽ cogitare. Ita cùm hæc immundus spiritus media in Ecclesia fateretur, metu & turbatione præsenti ciuitas liberata est. Apud Parhysios verò dum portã ciuitatis illius, magnis secũ turbis euntibus introiret, leprosum miserabili facie, horrẽtibus cunctis, osculatus est, atque benedixit, statimq; omni malo emundatus postero die ad ecclesiam veniens nitenti cute, gratias pro sanitate quam receperat agebat. Sed nec hoc prætereundum est, quòd fimbriæ vestimentis eius cilicioq; 7 detractæ, crebras super infirmantibus egêre virtutes. Nam cùm aut digitis illigatæ, aut collo inditæ sunt, persæpe ab ægrotantibus morbos effugauerũt. Arborius autẽ vir præfectorius sancti admodum & fidelis ingenij, cùm filia eius grauissimis quartanæ febribus vreretur, epistolam Martini, quæ casu ad eum delata fuerat, pectori puellę in ipso accessu ardoris inseruit: statimq; fugata febris est. Quæ res apud Arborium tantũ valuit, vt statim puellam Deo voueret, 8 & perpetuæ virginitati dicaret. Profectúsque ad Martinũ, puellam ei præsens ob virtutũ eius testimonium, quæ per absentẽ licet curata esset, obtulit. Neq; ab alio eam quàm à Martino, habitu virginitatis imposito, 9 passus est consecrari. Paulinus verò vir magni postmodũ futuri exempli, cũ oculus grauiter dolere cœpisset, & iam pupillã eius crassior nubes superducta texisset, oculum ei Martinus peniculo contigit, pristinàque ei sanitatem, sublato omni dolore, restituit. Ipse autẽ cũ casu quodam esset de cœnaculo deuolutus, & per confragosos scalæ gradus decidẽs multis vulneribus esset affectus, cùm exanimis iaceret in sellula, & immodicis doloribus cruciaretur, nocte ei Angelus visus est eluere vulnera, & salubri vnguẽto contusi corporis membra contingere. Atque ita postero die restitutus est sanitati, vt nihil vnquam pertulisse incommodi putaretur. Sed quia longum est ire per singula, sufficiant hęc vel pauca de plurimis. Satisque sit nos & in excellentibus non subtrahere veritatem, & in multis vitare fastigium. Atque vt minora tantis inseram, quamuis (vt est nostrorum ætas temporum, quibus iam deprauata omnia atque corrupta sunt) penè præcipuum sit adulationi regiæ sacerdotalem non cessisse constantiam. Cùm ad Imperatorem Maximum ferocis ingenij virum, & bellorum ciuilium victoria elatum, plures ex diuersis partibus Episcopi cõuenissent, & fœda circa principem omnium adulatio notaretur: seque degeneri inconstantia regiæ clientelæ sacerdotalis dignitas subdidisset: in solo Martino Apostolica autoritas permanebat. Nam etsi pro aliquibus supplicandum Regi fuit, imperauit potius quàm rogauit. Et à conuiuio eius frequenter rogatus abstinuit, dicens se mensæ eius participem esse non posse, qui duos Imperatores, vnum regno, alterum vita expulisset. Postremò cùm Maximus se non sponte sumpsisse imperium affirmaret, sed impositam sibi à militibus diuino nutu necessitatem regni armis defendisse, & non alienam ab eo

6 Si olei benedictio res esset superstitiosa ô hæretice, vt impie iactas, quomodo omnipotẽs Deus qui summa veritas est, rei superstitiosæ attestaretur tantum præstandum miraculum?

7 Vilitas vestimẽti Martini.

8 O sapientes doctores, qui dicitis non inuenire vos virginitatem, aut cælibatum, sed rẽ temporalem, Deo deuotã: ac vouere cõtinentiam carnis præsumptuosum esse et illicitũ, nec Deo placere. Vide si tẽpore Martini, qui fuit anno Domini. 384. fiebant virginitatis vota, quæ sanctissimus vir nequaquã emitti sineret si non essent licita, & obseruatione poßibilia, ac Deo vehementer placere nosset.

9 Quæ virginitatem vouerant, speciali habitu imposito, Deo consecrabantur. Quod sit etiã nostro tẽpore, ne & hoc nouitiũ quid esse dicat.

Dei

Dei voluntatem videri, penes quem tam incredibili euentu victoria fuisset, nullumque ex aduersarijs, nisi in acie, occubuisse: tandem victus vel ratione, vel precibus, ad conuiuium venit, mirum in modum gaudente rege, quod id impetrasset. Conuiuæ autem aderát, veluti ad diem festum euocati summi atque illustres viri: Præfectus, idemque consul Euodius (quo nihil vnquã iustius fuit) Comites duo summa potestate præditi, frater regis, & patruus, medius inter hos Martini presbyter accubuerat: ipse autem sellula iuxta regem posita consederat. 10 Ad medium ferè conuiuium (vt moris est) pateram regi minister obtulit: ille sancto admodum Episcopo dari potius iubet, expectans, atque ambiens, vt ab illius dextera poculum sumeret. Sed Martinus vbi ebibit, pateram presbytero suo tradidit, nullum scilicet existimans digniorē qui post se prior biberet, nec integrum sibi fore, si aut regem ipsum, aut eos, qui à rege erant proximi, presbytero prætulisset. Quod factum imperator, omnesque qui tunc aderant, ita admirati sunt, vt hoc ipsum eis, in quo contempti fuerant, placeret. Celeberrimumque per totum palatium fuit, fecisse Martinum in regis prandio, quod in infimorum iudicum conuiuijs, Episcoporum nemo fecisset. Eidemque Maximo longè antè prædixit futurum, vt si ad Italiam pergeret, quò ire cupiebat, bellum Valentiniano imperatori inferens, sciret se primo quidem impetu futurum esse victorem, sed paruo pòst tempore esse periturum. Quod quidem ita vidimus. Nam primo aduentu eius Valētinianus in fugam versus est. Deinde post annum ferè resumptis viribus, captum intra Aquileiæ muros Maximum interfecit. Constat autem etiam Angelos ab eo plerumque visos: ita vt conserto inuicem apud eum sermone loquerentur. Diabolum verò ita conspicabilem & subiectum oculis habebat, vt siue se in propria substantia contineret, siue in diuersas figuras specialesq; nequitias transtulisset, qualibet ab eo sub imagine videretur. Quod cùm diabolus sciret se effugere non posse, conuitijs eum frequenter vrgebat, quia fallere non posset insidijs. Quodam tempore cornu bouis cruentum in manu tenens, cum ingenti fremitu sellulam eius irrupit, cruentamque ostentans dexteram, & admisso recenti scelere congaudens: Vbi est, inquit, Martine virtus tua? Vnum de tuis modo interfeci. Tunc ille conuocatis fratribus refert, quid diabolus indicasset. Solicitos esse præcepit per sellulas singulorum, quisnam hoc casu fuisset affectus. Neminem quidem deesse de monachis, sed vnum rusticum mercede conductum, vt vehiculo ligna deferret, isse ad syluam nunciant. Iubet igitur aliquos ire ei obuiam. Ita haud longè à monasterio iam penè exanimis inuenitur. Extremum tamen spiritū trahēs indicat fratribus casum mortis, & vulneris: Iunctis scilicet bobus dum dissoluta arctius lora constringit, bouem sibi excusso capite inter inguina cornua iniecisse. Nec multò pòst vitam finiuit. Videtis quo iudicio Domini diabolo data fuit hæc potestas. Verùm in Martino illud mirabile erat, quòd non solùm hoc, quod supra retulimus, sed multa istiusmodi, si quoties accidissent, longè antè præuidebat, & sibi nunciata fratribus indicabat. Frequenter autē diabolus, dum mille nocendi artibus sanctum virum conaretur illudere, visibilem se ei formis diuersissimis ingerebat. Nam interdum in Iouis personam, plerumque Mercurij, persæpe etiam Veneris, ac Mineruæ transfiguratum se vultibus offerebat. Aduersus quē semper interritus, signo se crucis, & orationis auxilio protegebat. Audiebantur plerunque conuitia, quibus illū dęmonū turba proteruis vocibus increpabat. Sed omnia falsa & vana cognoscēs, non mouebatur obiectis. Testabantur etiā aliqui ex fratribus, audisse se dæmonē proteruis Martinum vocibus increpantē, cur intra monasterium aliquos ex fratribus, qui olim baptismum diuersis erroribus perdidissent, conuersos postea recepisset, exponentē crimina singulorum: Martinū diabolo repugnantē respondisse constanter: Antiqua debita melioris vitæ conuersione purgari, & per misericordiā Domini absoluēdos esse peccatis, qui peccare desinerēt. Contradicente diabolo: Non pertinere ad veniā criminosos, & semel lapsis nullam à Domino præstari posse clemētiam: Tūc in hanc vocē fertur exclamasse Martinus: Si tu ipse ô miserabilis ab hominum infestatione desisteres, & te factorum tuorum vel hoc tempore (cum dies iudicij in proximo est) pœniteret, ego tibi verè confisus in Domino, Christi misericordiā pollicerer. O quā sancta de Domini pietate præsumptio: in qua etsi autoritatem prętare nō potuit, ostēdit affectū. Et quia de diabolo, eiusq; artibus sermo exortus est, nō ab re videtur, licet extrinsecus referre, quod gestū est. Quia & quædam in eo Martini virtutum portio est: & res digna miraculo rectæ memoriæ mandabitur in exemplum cauendi, si quid deinceps vspiam tale contigerit. Clarus quidam nomine adolescens nobilissimus, mox presbyter, nūc felici beatus excessu, cùm relictis omnibus se ad Martinū cōtulisset, breui tēpore ad summum fidei, virtutumq; omnium culmen enituit. Itaq; cùm haud longè sibi ab Episcopi monasterio tabernaculum constituisset, multiq; fratres commorarētur apud eum, iuuenis quidam ad eum Anatolius nomine, sub professione monachi omnem humilitatem atque innocentiam mentitus accessit, habitauitque aliquandiu in commnne cum cæteris. Dein procedente tempore, Angelos apud se loqui solere dicebat. Cui cùm fides nullusad-

10 *Sancti viri & spiritu Dei pleni, nullum dignitatē sacerdotio prætulerunt. At modo nostri haretici Reges & Principes, magistratus etiā quosque seculares praponunt sacerdotibus & episcopis, & in eos potestatē in omnibus habere volunt.*

lus adhiberet, ſignis quibuſdam pleroſque ad credendum coarctabat. Poſtremò euſq; proceſſit, vt inter ſe ac Deum Angelos decurrere prædicaret. Iamque ſe vnum ex Prophetis haberi volebat. Clarus tamen nequaquam ad credendum cogi poterat. Ille autem ei iram Domini, & præſentes plagas, cur ſancto non crederet comminatus, poſtremò in hanc vocem fertur erupiſſe: Ecce hac nocte veſtem mihi candidam Dominus de cœlo dabit, qua indutus in medio veſtrum diuerſabor, idque vobis ſignum erit, me in Dei eſſe virtute, quod Dei veſte donatus ſim. Tum verò grandis omnium ad hanc profeſſionem expectatio fuit. Itaque ad mediam ferè noctem, fremitu inſultantium commoueri omne monaſterium loco viſum eſt. Sellulam autem, qua idem adoleſcens continebatur, crebris cerneres micare luminibus, fremituſque in ea diſcurrentium, & murmur quoddam multarũ vocum audiebatur. Deinde facto ſilentio egreſſus, vnum de fratribus Sabatium nomine ad ſe vocat, tunicamque ei, qua erat indutus, oſtendit. Obſtupefactus ille conuocat cæteros: ipſe etiam Clarus accurrit, adhibitoque lumine veſtem omnes diligenter inſpiciunt. Erat autem ſumma molicie, candore eximio, micanti purpura: nec tamen cuius eſſet generis aut velleris poterat agnoſci. Curioſius tamẽ oculis aut digitis attrectata non aliud quàm veſtis videbatur. Interea Clarus fratres admonet orationi inſiſtere, vt manifeſtius eis Dominus quidnam eſſet oſtẽderet. Itaque reliquum noctis hymnis 11 pſalmiſque conſumitur. At vbi illuxit dies, apprehenſum dextera trahere ad Martinum volebant, bene conſcij illudi illum diaboli arte non poſſe. Tũc verò reniti ac reclamare miſer cœpit, interdictumque ſibi eſſe dicebat, ne ſe Martino oſtenderet. Cumque inuitũ eum ire compellerent, inter trahentium manus veſtis euanuit. Vnde quis dubitet hanc etiam Martini fuiſſe virtutem, vt fantaſiam ſuam diabolus, cùm erat Martini oculis ingerenda, diſſimulare diutius aut tegere nõ poſſet? Animaduerſum eſt tamen eodem ferè tempore fuiſſe in Hiſpanijs iuuenem, qui cùm ſibi multis ſignis autoritatem parauiſſet, eouſque elatus eſt, vt ſe Heliam profiteretur. Quod cùm plerique temerè credidiſſent, addidit, vt ſe Chriſtum eſſe diceret. In quo etiam adeo illuſit, vt eum quidam Epiſcopus, Ruffus nomine, vt Deum adoraret. Propter quod eum poſtea ab Epiſcopatu deiectum vidimus. Plerique etiam nobis fratribus retulerunt, eodem tempore in Oriente quendam extitiſſe, qui ſe Ioannem eſſe iactitaret: Ex quo conijcere poſſumus, iſtiuſmodi pſeudoprophetis exiſtentibus, Antichriſti aduentum imminere: quia iam in iſtis myſteriũ iniquitatis operatur. Non prætereundum autem videtur, quanta Martinum ſub eiſdem diebus diabolus arte tentauerit. Quodam enim die præmiſſa prece, & circumiectus ipſe luce purpurea, quò facilius claritate aſſumpti fulgoris illuderet, veſte etiam regia indutus, diademate ex gemmis auróque redimitus, calceis auro illitis, ſereno ore, læta facie, vt nihil minus quàm diabolus putaretur, oranti in ſellula aſtitit. Cùmque Martinus primo aſpectu eius fuiſſet hebetatus, diu multúmque ſilentiũ ambo tenuerunt. Tũ prior diabolus: Agnoſce, inquit, Martine, quem cernis, Chriſtus ego ſum: deſcenſurus ad terras, prius me tibi manifeſtare volui. Ad hæc cùm Martinus taceret, neque quicquam reſponſi referret: iterare auſus eſt diabolus profeſſionis audaciam: Martine, quid dubitas credere cùm videas? Chriſtus ego ſum. Tũ ille, reuelante ſibi ſpiritu, vt intelligeret diabolum eſſe, non Dominũ: Non ſe, inquit, Dominus Ieſus purpuratum & diademate renitentẽ venturũ eſſe prædixit. Ego Chriſtum, niſi in eo habitu, formáque, qua paſſus eſt, niſi crucis ſtygmata proferẽtem, veniſſe non credam. Ad hanc ille vocem ſtatim vt fumus euanuit. Sellulam quoque tanto fœtore compleuit, vt indubia indicia relinqueret, diabolum ſe fuiſſe. Hoc ita geſtum, vt ſupra retuli, ex ipſius Martini ore cognoui, ne quis fortè exiſtimet fabuloſum. Nam cum olim audita eius fide, vita, atque virtutibus, deſiderio illius æſtuaremus, gratam nobis ad eum videndũ peregrinationẽ ſuſcepimus, ſimul quia iam ardebat animus illius ſcribere vitã, partim ab ipſo, inquantum ille interrogari potuit, ſciſcitati ſumus, partim ab his qui interfuerant, vel ſciebant, cognouimus. Quo quidem tempore credi nõ poteſt, qua me humilitate, qua benignitate ſuſceperit, congratulatus plurimum & gauiſus in Domino, quòd tanti eſſet habitus à nobis, quem peregrinatione ſuſcepta expetiſſemus. Miſerum me penè non audeo confiteri, cùm me ſancto conuiuio ſuo dignatus eſt adhibere. Aquam manibus noſtris ipſe obtulit, ad veſperum autem ipſe nobis pedes abluit. Nec reniti, aut contrà ire conſtantia fuit, ita illius autoritate oppreſſus ſum: vt nephas putarem, ſi non acquieuiſſem. Sermo autem illius non alius apud nos fuit, quàm mundi huius illecebras, & ſeculi onera relinquenda, vt Dominum Ieſum liberi, expeditique ſequeremur. Præſtantiſſimumque nobis præſentium temporum illuſtris viri Paulini, cuius ſupra mentionem fecimus exemplum ingerebat, qui ſummis opibus abiectis Chriſtum ſecutus, ſolus penè his tẽporibus Euangelica præcepta compleſſet. Illum nobis ſequendum, illum clamabat imitandum, beatumque eſſe præſens ſeculum tantæ fidei virtutiſque documento: cùm ſecundum ſententiam Domini diues, & poſſidens multa, vendẽdo omnia & dando pauperibus, quod erat facto impoſſibile, poſſibile feciſſet exẽplo.

Iam

11 *Reliquum noctis hymnis, pſalmiſque cõſumitur*

Iam verò in verbis, & confabulatione eius quanta grauitas, quanta dignitas erat? quàm alacer, quàm efficax, quàm in absoluẽdis scripturarum quæstionibus prōptus, & facilis? Et quia multos ad hanc partem incredulos scio, quippe quos viderim, me ipso etiam referente, non credere: Iesum testor, spemq́; cōmunem, me ex nullius vnquam ore tantū scientiæ, tantū ingenij, tam boni & tam puri sermonis audisse. Quanquam in Martini virtutibus quantula est ista laudatio? nisi quod mirum est homini illiterato ne hanc quidam gratiam defuisse?

Sed iam finem liber postulat: sermo claudendus est, non quod omnia quæ de Martino fuerant dicenda, defecerint, sed quia nos vt inertes poetæ, extremo in opere negligentes, victi materiæ mole succumbimus. Nam etsi facta illius explicari verbis vtcunque potuerunt, interiorẽ vitam illius, quotidianam conuersationẽ, & animum cœlo semper intẽtum, nulla vnquam (verè profiteor) explicabit oratio: Illam scilicet perseuerantiã, & temperamentum in 12 abstinentia & ieiunijs, potentiam in vigilijs & orationibus, noctesque ab eo perinde ac dies actas, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserit, vel negotio: sed ne cibo aut somno quidem, nisi quatenus naturæ cogebat necessitas. Verè fatebor, non si ipse (vt aiunt) ab inferis Homerus emergeret, posset exponere: adeo Martini omnia maiora sunt, quàm vt verbis concipi queant. Nulla vnquam hora, momentumque præterijt, quin aut orationi incumberet, aut insisteret lectioni. Quãquam etiam inter legendum, aut si quid aliud fortè agebat, nunquam animum ab oratione laxabat. Nimirum vt fabris ferrarijs moris est, qui inter operandum pro quodam laboris leuamine incudem suam feriunt: ita Martinus etiam, dum aliud agere videretur, semper orabat. O verè beatus, in quo dolus non fuit, neminem iudicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens. Tãtam quippe aduersum omnes iniurias patientiam assumpserat, vt cum esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur: nec propter id eos aut loco vnquã amouerit, aut à sua (quantum in ipso fuit) charitate repulerit. Nemo vnquam illum vidit iratum, nemo mœrentem, nemo ridentem: vnus idemque semper cœlestem quodammodo lætitiam vultu præferens, extra naturam hominis videbatur. Nunquam in illius ore, nisi Christus, nunquam in illius corde, nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat. Plerumque etiam pro eorum, qui obtrectatores illius videbantur, solebat flere peccatis, qui remotum, & quietum venenatis linguis & viperio ore carpebant. Et verè nonnullos experti sumus inuidos virtutis vitæque eius, qui in illo oderant, quod in se non videbant, & quod imitari non valebant. Atque (ô nephas dolendum, & ingemiscendum) non alij fuêre insectatores eius (licet pauci admodum) non alij tamen, quàm Episcopi ferebantur. Nec verò quenquam nominare necesse est: licet nosmetipsos plerique circumlatrent. Sufficit, vt si quis ex his hæc legerit, & agnouerit, erubescat. Nam si irascitur, de seipso dictum fatebitur: cùm fortasse nos de alijs senserimus. Non refugimus autem, vt si qui eiusmodi sunt, nos quoque cum tali viro oderint. Illud facilè confido, omnibus sanctis opusculum istud gratum fore. De cætero si quis hæc infideliter legerit, ipse peccabit. Ego mihi conscius sum, me rerum fide, & amore Christi impulsum, vt scriberem, manifesta exposuisse, & vera dixisse. Paratumque, vt spero, habebit à Deo præmium, non quicunque legerit, sed quicunque crediderit.

12 Abstinẽtia, ieiunia, vigiliæ, & oratiões Martini.

Gallus. Quo primum tempore, relictis scholis, beato me viro iunxi, paucos post dies euntem ad Ecclesiam sequebamur. Interim ei seminudus hybernis mensibus pauper occurrit, orans sibi vestimentum dari. Tunc ille accersito Archidiacono, iussit algentẽ sine dilatione vestiri. Deinde secretarium ingressus, cùm solus, vt erat illi consuetudo, resideret (hanc enim sibi etiam in Ecclesia solitudinem, permissa à clericis libertate, præstabat) cùm quidã in alio secretario presbyteri residerent, vel salutationibus vacantes, vel audiendis negotijs occupati: Martinum verò vsque in eam horam qua solennia populo agi consuetudo deposceret, sua solitudo cohibebat, illud non præteribo, quod in secretario sedens nunquam cathedra vsus est. Nam in Ecclesia nemo vnquam illum sedere conspexit, sicut quendam nuper (testor Deum) non sine meo pudore vidi sublimi solio, & quasi regio tribunali, celsa sede residentem. Sedebat autẽ Martinus in sellula rusticana, vt sunt illæ in vsibus seruulorũ, quas nos, rustici Galli tripedias, vos scholastici, aut certè tu qui de Græcia venis, tripodas nũcupatis. Ergo hoc secretum beati viri pauper ille captans, cùm ei Archidiaconus dare tunicam distulisset, irrupit, dissimulatum se à clerico quærens, ac algere deplorans. Nec mora, sanctus paupere non vidente, intra amphibalum sibi tunicam latenter educit, pauperemq́; contectũ discedere iubet. Dein paulò pòst Archidiaconus ingressus admonet, pro consuetudine expectare in Ecclesia populum, illũ ad agenda Missarum 13 solennia debere procedere. Cui ille respondens, ait: Pauperem prius (de se autem dicebat) oportere vestiri, ie ad Ecclesiam non posse procedere, nisi vestem pauper acciperet. Diaconus verò nihil intelligẽs, quia extrinsecus indutum amphibalo, veste nudũ interius non videbat, postremò paupere non

Ex dialogo 2. Sulpitij, Gallo, Sulpitio, & Postumiano interlocutoribus.

13 Nota vocabulum Missæ.

comparere

comparere causatur. Mihi, inquit, vestis quę parata est, deferatur. pauper non deerit vestiendus. Arctatus demum clericus, & necessitate compulsus, iamq; felle cōmotus, è proximis tabernis nigerrimam vestem breuem, atque hispidam quinque comparatam argenteis rapit, atque ante Martini pedes iratus exponit. En, inquit, vestem, sed pauper hic nō est. Ille nihil motus iubet eum paulum stare pro foribus, secretum vtique procurans, dum sibi vestem nudus imponeret: totis viribus elaborans, vt posset occultum esse quod fecerat. Sed quando in sanctis viris latent ista quærentibus? Velint, nolint, cūcta produntur. Cum hac igitur oblaturus sacrificium 14 Deo veste procedit. Quo quidem die (mira dicturus sum) cùm iam altarium, sicut est solenne, benediceret, globū ignis de capite illius vidimus emicare, ita vt in sublime contendens longius collum, crinemq; flamma produceret. Hoc licet celeberrimo factum die in magna populi multitudine viderimus, tamen vna tantum de virginibus, & vnus de presbyteris, tres tantùm vidêre de monachis. Cæteri cur non viderint, nō potest nostri esse iudicij. Per idem ferè tempus cùm Euantius auūculus meus, vir licet seculi negotijs occupatus, tamen admodum Christianus, grauissima ægritudine, extremo mortis periculo cœpisset vrgeri, Martinum euocauit. Nec cunctatus ille properauit. Prius tamen quàm medium viæ spatium vir beatus euolueret, virtutem aduenientis sensit ægrotus, recepta continuò sanitate, venientibus nobis obuiam ipse processit. Altera die redire cupientē magna prece detinuit. Cùm interim vnum è familia puerum letali ictu serpens perculit. Quem iam exanimem vi veneni ipse Euantius suis humeris illatum ante pedes sancti viri, nihil illi impossibile confisus, exposuit. Iamque se malum serpentis per omnia membra ita diffuderat, vt cerneres omnibus venis inflatam cutem, & vtris instar tensa vitalia. Manu Martinus porrecta vniuersa pueri membra pertractans, digitum prope ipsum vulnusculum, quo bestia virus infuderat, fixit. Tum verò (mira dicturus sum) vidimus venenum ex omni parte reuocatum ad Martini digitum cucurrisse. Deinde per illud vlceris foramen exiguum ita virus stipasse cum sanguine, vt solet ex vberibus caprarum, aut ouium pastorum manu pressis longa linea copiosi lactis effluere. Puer surrexit incolumis. Nos obstupefacti tantæ rei miraculo, id quod ipsa cogebat veritas, fatebamur, non esse sub cœlo, qui Martinum posset imitari. Consequenti itidem tempore, iter cum eodē, dum diœceses visitat, agebamus. Nobis nescio qua necessitate remorantibus, aliquantulum ille processerat. Interim per aggerem publicum plena militantibus viris fiscalis rheda veniebat. Sed vbi Martinū in veste hispida, nigro & pendulo palliolo circumtectum contigua de latere iumenta viderunt, paululum in partem alteram pauefacta cesserunt. Deinde funibus implicatis protensos illos quibus (vt sæpe vidistis) misera illa animalia conglobantur, ordines miscuerunt. Dumque ægrè expediuntur, morā fecere properantibus. Qua permoti iniuria militantes, præcipitatis in terram saltibus, se dederunt: deinde Martinum flagris ac fustibus vrgere cœperunt: Cùm quidem ille mutus, & incredibili patientia præbens terga cædentibus, maiorem insaniam infelicibus commoueret, magis ex hoc furentes, quòd ille quasi non sentiens verbera illata contemneret. Nos illico consecuti fœdè cruentū, atque vniuersa corporis parte laniatum, cùm exanimis in terram procubuisset inuenimus, statimq; eū asello suo imposuimus, ac locum cædis illius execrantes raptim abire properauimus. Interea illi regressi ad rhedam suam furore satiato, agi, quò ire cœperant, iumenta præcipiunt, quæ cùm omnia solo fixa, ac si ænea riguissent, tollentibus altius vocē magistris, flagris hinc atque inde resonantibus, nihil penitus mouebantur. Consurgunt deinde omnes pariter in verbera: consumit Gallicas mulaū pœna mastygias: tota rapitur sylua de proximo: trabibus iumenta tunduntur. Sed nihil penitus sæuæ manus agebant: vno eodēque loco stabant fixa simulachra: quid agerent infelices homines, nesciebant. Nec iam vltra dissimulare poterant, quin quamlibet brutis pectoribus agnoscerent diuino numine se teneri. Tandem ergo in sese reuersi cœperunt quærere, quis ille esset, quē in eodem loco paululum ante cæcidissent. Cùm percunctantes cognoscunt ex viantibus, Martinum à se tam crudeliter verberatum: Tū verò apparere omnibus causa manifesta, nec ignorare iam poterant, quin ob illius viri iniuriam tenerentur. Igitur omnes rapidis nos passibus consequuntur, conscij audacis facti, ac meritò pudore confusi, flentes, & puluere, quo se ipsi fœdauerant, capita atque ora conspergi, ante Martini se genua prouoluunt, veniam precantes, & vt eos abire sineret postulantes: satis se vel sola conscientia dedisse pœnarum, satisque intellexisse, quòd eosdem ipsos viuos absorbere terra potuisset, vel ipsi potius amissis sensibus in immobilem saxorum naturam rigescere debuissent, sicut affixa locis quibus steterant iumenta vidissent: orare se, atque obsecrare, vt indulgeret sceleri, veniam & copiam præstaret abeundi. Senserat etiam priusquam accurrerent, vir beatus illos teneri: nobisq; id antè iam dixerat. Veniam tamē clementer indulsit, eosdēq; abire permisit, animalibus restitutis. Illud autem animaduerti sæpe, Sulpiti, Martinum tibi dicere solitum, nequaquam sibi in Episcopatu eam virtutum gratiam suppetisse, quam prius se habuisse

14 Oblaturus sacrificiū Deo Martinus procedit. Vide ergo Missam vocari sacrificiū,

buiſſe meminiſſet. Quod ſi verum eſt, imò quia verum eſt, conijcere poſſumus, quanta fuerint illa, quæ monachus operatus eſt, & quæ, teſte nullo, ſolus exercuit cùm tanta illum in epiſcopatu ſigna feciſſe ſub oculis omnium viderimus. Multa quidem illius prius geſta innotuêre mundo, neque potuêre cœlari. Sed innumerabilia eſſe dicuntur, quæ, dum iactantiam vitat, occultauit, neque in hominum notitiam paſſus eſt peruenire: quippe qui humanam ſubſtantiam supergreſſus, virtutis ſuæ conſcientia mundi gloriam calcans, cœlo teſte frueretur. Quod verum eſſe vel ex his, quæ comperta nobis ſunt, nec latêre potuerunt, poſſumus æſtimare. Siquidem ante epiſcopatum duos mortuos vitæ reſtituerit, quod liber tuus plenius eſt locutus: in Epiſcopatu verò (quod prætermiſiſſe te miror) vnum tantũmodo ſuſcitarit. Cuius rei ego teſtis ſum, ſi tamen nihil de minus idoneo teſte dubitatis. Idipſum autem vobis qualiter ſit geſtum explicabo.

Fuerat cauſa neſcio quæ, qua Carnotum oppidum petebamus. Interea dum vicum quendam habitantium multitudine frequentiſſimum prætei iremus, obuia nobis immanis turba proceſſit, quæ erat tota gentilium: nam nemo in illo vico nouerat Chriſtum. Verùm ad famam tanti viri, campos omnes latè patentes confluentium multitudo contexerat. Intellexit hic Martinus operandum, & annunciante ſibi ſpiritu totus infremuit: Nec mortale ſonans verbum Dei Gentibus prædicabat, ſæpius ingemiſcens, cur tanta Dominum ſaluatorem turba neſciret. Interea ſicut nos incredibilis circundederat multitudo, mulier quædam, cuius filius paulò antè defecerat, corpus exanime beato viro protẽſis manibus cœpit offerre, dicens: Scimus quia amicus Dei es, reſtitue mihi filium meum, quia vnicus mihi eſt. Iunxit ſe cætera multitudo, & matris precibus acclamabat. Tum Martinus videns pro expectantium ſalute (vt poſtea nobis ipſe dicebat) conſequi ſe poſſe virtutem, defuncti corpus proprijs manibus accepit. Et cùm expectantibus cunctis, genua flexiſſet, 15 vbi conſummata oratione ſurrexit, viuum paruulum matri reſtituit. Tum verò multitudo omnis, in cœlum clamore ſublato, Chriſtum Dominum fateri: poſtremò cuncti cateruatim ad genua beati viri ruere cœperunt, fideliter poſtulantes, vt eos faceret Chriſtianos. Nec cunctatus, in medio, vt erat, campo cunctos impoſita vniuerſis manu, catechumenos fecit, cùm quidem ad nos conuerſus diceret, non irrationabiliter in campo catechumenos fieri, vbi ſolent martyres conſecrari. Viciſti (inquit Poſtuminianus) Galle viciſti: non itaq; me, qui Martini ſum potius aſſertor, & qui hęc omnia de illo viro & ſciui ſemper & credidi, ſed eremitas omnes, anachoritaſque viciſti. Nemo enim illorum ſicut Martinus hic veſter, imò noſter, mortuis imperauit. Meritoque hunc iſte Sulpitius Apoſtolis comparat, & prophetis, quem per omnia illis eſſe conſimilem fidei virtus, ac virtutum opera teſtantur. Sed perge quæſo, quanquam nihil magnificentius audire poſſumus: perge tamen, Galle, quod etiam nunc de Martino ſupereſt ſermonis euoluere. Nam etiam minima illius, & quotidiana animus feſtinat agnoſcere, quia minima illius aliorum maximis, maiora eſſe nihil dubium eſt. Ita faciam, Gallus inquit. Verùm id, quod dicturus ſum, ipſe non vidi. Prius enim geſta eſt res, quàm me illi viro iungerem. Sed factum celebre eſt fidelium fratrum, qui interfuerant, ſermone vulgatũ. Eodem fere tempore, cùm primũ Epiſcopus datus eſt, fuit ei neceſſitas adire comitatum. Valentianus tum maior rerum potiebatur. Is cùm Martinum ea petere cognouiſſet, quæ præſtare nolebat, iuſſit eum Palatij foribus arceri. Etenim ad animum illius immitem, atq; ſuperbum vxor acceſſerat Arriana, quæ totum illum à ſancto viro, ne ei debitam reuerentiam præſtaret, auerterat. Itaq; Martinus vbi ſemel atque iterũ ſuperbum principem fruſtrà adire tentauit, recurrit ad no[illegible] præſidia: cilicio obuoluitur, 16 cinere conſpergitur, cibo, potuque abſtinet, orationẽ noctibus, diebuſque perpetuat. Septimo verò die aſſiſtit ei Angelus, iubetq; eum ad Palatium ire ſecurum, regias fores quantumlibet clauſas ſponte reſerandas, Imperatoris ſuperbum ſpiritum molliendum. Igitur iſtiuſmodi præſentis Angeli confirmatus alloquio, & fretus auxilio, palatium petit. Patent limina, nullus obſiſtit, poſtremò ad Regem nemine prohibente peruenit. Qui cum venientem eminus videret, infrendens cur fuiſſet admiſſus, nequaquam aſſurgere eſt dignatus aſtanti, donec regiã ſellam ignis operiret, ipſumque regem ea corporis parte qua ſedebat, afflaret incendium. Ita ſolio ſuo ſuperbus excutitur, & Martino inuitus aſſurgit, multũque complexus, quem ſpernere antè decreuerat, virtutem ſenſiſſe diuinam emendatior fatebatur. Nec expectatis Martini precibus, prius omnia præſtitit, quàm rogaretur. Colloquio illum atque conuiuio frequẽter aſciuit, poſtremò abeunti multa munera obtulit: quæ vir beatus vt ſemper paupertatis cuſtos, cuncta reiecit. Et quia palatium ſemel ingreſſi ſumus, licet diuerſis in palatio temporibus geſta connectam, nequaquam enim prætermittendum videtur circa Martini admirationem reginæ fidelis exemplum. Maximus Imperator Rempublicam gubernabat, vir omni vitæ merito prædicandus, ſi ei vel diadema nõ legitimè, tumultuante milite, impoſitum repudiare, vel armis ciuilibus abſtinere licuiſſet. Sed magnum Imperium nec

15 *Orauit Martinus flexis genubus, & mortuus ſuſcitatus eſt.*

16 *Nota Martini præſidia, ciliciũ, cinis, abſtinentia, oratio, vigilia.*

sine periculo renui, nec sine armis potuit obtineri. Hic Martinum sæpius euocatum, receptumque intra palatium venerabiliter honorabat. Totus ille cum eo sermo de præsentibus, de futuris, de fidelium gloria, de æternitate sanctorum: cùm interim diebus ac noctibus de ore Martini regina pendebat, Euangelico illo non inferior exemplo, pedes sancti fletu rigabat, crine tergebat. Martinus, quem nulla vnquam fœmina contigisset, istius assiduitatem, imò potius seruitutem non poterat euadere. Non illa opes regni, non imperij dignitatē, non diadema, nō purpuram cogitabat: diuelli à Martini pedibus solo strata non poterat. Postremò à viro suo poscit, dein Martinum vterque compellunt, vt ei remotis omnibus ministris, præberet sola conuiuium. Nec potuit vir beatus obstinatius reluctari. Componitur castis reginæ manibus apparatus, sellulam ipsa consternit, mensam admouet, aquam manibus subministrat, cibum, quem ipsa coxerat, apponit. Ipsa illo sedente eminus secundum famulantium disciplinam solo fixa consistit immobilis, per omnia ministrantis modestiam, & humilitatem exhibens seruientis. Miscuit ipsa bibituro, & ipsa porrexit. Finita cœnula fragmenta panis assumpti, micasque collegit, satis fideliter illas reliquias Imperialibus epulis anteponens. Beata mulier tanto pietatis affectu, illi meritò comparanda, quæ venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis: siquidē simplicem sequamur historiam: Sed si fides reginarum est conferenda (quod mihi liceat separata mysterij maiestate dixisse) illa expetiuit audire sapientiam: ista non tantùm audisse contenta, sed & meruit seruire sapienti.

Ad hæc Postumianus: Iam dudum, inquit, Galle, audiens te loquentem, vehementer admiror Reginæ fidem. Sed vbi illud est, quòd nulla vnquā fœmina ferebatur propius astitisse Martino? Ecce ista non solùm astitit, sed etiam ministrauit: & vereor ne se isto aliquantulum tueantur exemplo, 17 qui libenter fœminis inseruntur. Tum Gallus: Quid tu, inquit, non vides, quod solent docere grammatici, locum, tempus, personam? Propone enim tibi ante oculos captum in Palatio Imperatoris precibus ambiri, reginæ fide cogi, temporis necessitate constringi, vt clausos carcere liberaret, exilijs datos restitueret, bona adempta redimeret. Hæc quanti putas constare debuisse Episcopo, vt pro his omnibus non aliquantulum de rigore propositi relaxaret? Veruntamen quia occasione huius exempli male vsuros esse aliquos arbitraris: illi verò felices erunt, si à disciplina istius viri non recedant. Videant enim quia Martino semel tantùm in vita iam septuagenario nō vidua libera, non virgo lasciuiens, sed sub viro viuens, ipso viro pariter supplicante, regina seruiuit, & ministrauit edenti, non cum epulante discubuit. Nec ausa est participare conuiuium, sed deferebat obsequium. Disce igitur disciplinam. Seruiat tibi matrona, non imperet: & ministret, non recumbat. Sicut Martha illa ministrauit Domino, nec tamen est ascita conuiuio: imò prælata ministranti, quæ verbum potius audiebat. Sed in Martino ista Regina vtrunque compleuit, & ministrauit vt Martha, & audiuit vt Maria. Quòd si quis hoc vti voluerit exemplo, per omnia teneat exemplum. Talis causa sit, talisq; persona, tale obsequium, tale conuiuium, & in omni vita semel tantùm. Præclarè, inquit Postuminianus, nostros ipsos, vt Martini non egrediantur exemplum, tua constringit oratio. Sed profiteor tibi, quia hæc surdis auribus audientur. Mam si Martini sequeremur vias, nunquam causas de osculo diceremus, & vniuersis sæuæ opinionis opprobrijs careremus. Verùm, sicut tu soles dicere, cùm edacitatis argueris, Galli sumus: ita nos in hac parte nunquam vel Martini exemplo, vel tuis disputationibus corrigendi, fatemur, Theutones sumus. Veruntamen hæc nobis iamdudū agentibus, quid tu tā obstinatè, Sulpiti, taces? Ego, inquā, non solūmodo taceo, sed olim de istis tacere disposui. Nam quia quandam viduam, vagā nitidulam, sumptuosam obiurgauerim lasciuius victitantem: itidemque virginem adolescenti cuidam mihi charo indecentius adhærentem (cùm quidem ipsam frequenter audissem, alios etiam, quia talia agerent, increpantem) tanta mihi omnium fœminarum, cunctorumq; monachorum odia concitaui, vt aduersum me vtræque legiones iurata bella susceperint. Vnde quæso taceatis: ne etiam hoc, quod vos loquimini, ad meam referatur inuidiam. Tota vobis istorum mentio relinquatur: ad Martinum potius reuertamur. Tu Galle, vt aggressus es, cœptum opus explica.

Tum ille: iam quidem vobis, inquit, tanta narraui, vt satisfacere studijs vestris meus sermo debuerit. Sed quia voluntati vestræ non obsecundare mihi non licet, quantum adhuc diei superest, loquar. Nam certè dum stramen illud, quod in lectos nostros paratur aspicio, subuenit in memoriam etiam de stramine, in quo Martinus iacuerat, factam esse virtutem. Res ita gesta est, Claudiomagus vicus est in confinio Biturigum atque Turonorum: Ecclesia ibi est celebris religione sanctorum, nec minus gloriosa sacrarū virginum multitudine. Præteriens ergo Martinus in secretario Ecclesiæ habuit mansionem. Post discessum illius cunctæ in secretarium illud virgines irruerunt. Adlambunt singula loca, vbi aut sederat vir beatus, aut steterat: stramentum etiam in quo quieuerat, partiuntur. Vna earū post dies paucos partem straminis, quam sibi pro benedictione collegerat, Energumeno, quem spiritus erroris

17 Notēt quæ hic dicuntur, hæreticorū nostrorū sacerdotes, qui tātopere amant colloquia, cōgressus & cōuictus fœminarum.

erroris agitabat, de ceruice suspendit. Nec mora, dicto citius eiecto dæmone persona purgata est. Per idem ferè tempus Martino à Treueris reuertenti fit obuiam vacca, quam dæmon agitabat: quæ relicto grege suo in homines ferebatur, & iam multos noxiæ petulans confoderat. Verùm vbi nobis cœpit esse contigua, ij qui eam eminus sequebantur, prædicere magna voce cœperunt, vt caueremus. Sed postquam ad nos toruis furibunda luminibus propius accessit, Martinus eleuata obuiam manu pecudem consistere iubet. Quæ mox ad verbum illius stare cœpit immobilis, cùm interea videt Martinus dæmonem dorso illius supersedentem. Quem increpans, descende, inquit, funeste de pecude, & innoxium animal agitare desiste. Paruit nequam spiritus, & recessit. Nec defuit sensus in buccula, quin se intelligeret liberatam. Ante pedes sancti viri recepta quiete prosternitur. Dein iubēte Martino gregem suum petijt, seq; agmini cæterarum oue placidior immiscuit. Hoc illo fuit in tempore, quo inter medias positus flammas non sensit incendium. Quod mihi non arbitror esse referendum, quia hoc plenius iste Sulpitius, licet in libro suo præteritum, in epistola tamen postea, quam ad Eusebium tum presbyterum, modò Episcopum fecit, exposuit. Quam tu Postuminiane (vt credo) legisti: aut si incognita tibi est, cùm libuerit, in promptu ex illo armario habes. Nos ab illo omissa referimus. Quodam autem tempore cùm diœceses circuiret, venantium agmen incurrimus. Canes leporem sequebantur. Iamq; multo spatio victa bestiola, cùm vndiq; campis latè patentibus nullum esset effugiū, mortem imminētem iam iamque capienda crebris flexibus differebat. Cuius periculum vir beatus pia mente miseratus imperat canibus, vt desisterent sequi, & sinerent abire fugientem. Qui continuò ad primum eius sermonis imperium constiterunt. Crederes vinctos, imò potius affixos in suis hærere vestigijs. Ita lepusculus, persecutoribus alligatis, incolumis euasit.

Operæpretium autem est etiam familiaria illius verba spiritali sale condita memorare. Ouem recens tonsam fortè conspexerat: Euangelicum, inquit, mandatum illa compleuit, Duas habuit tunicas, vnam earum largita est nō habenti. Ita ergo & vos facere debetis. Item cùm subulcum algentem, ac penè nudum in pellicea veste vidisset: En, inquit, Adam eiectus de paradyso in veste pellicea sues pascit: sed nos, illo vetere deposito, nouum Adam potius induamus. Boues ex parte prata depauerant: porci etiam nonnulla suffoderant: pars cætera, quæ manebat illæsa, diuersis floribus quasi picta vernabat: speciem, inquit, gerit pars illa coniugij, quæ pecore depasta, etsi non penitus gratiam amisit herbarum, nullam tamen florum retinet dignitatem. Illa verò, quam porci, pecora immunda foderunt, fornicationis imaginem fœdam prætendit. Cæterùm illa portio, quæ nullam sensit iniuriam, gloriam virginitatis ostendit. Herbis fœcunda luxuriat, fœni in ea fructus exuberant, & vltra omnem speciem distincta floribus, quasi gemmis micantibus ornata radiat: Beata species, & Deo digna. Nihil enim virginitati est cōparandum. Ita & illi, qui coniugia fornicationi comparant, vehementer errant. Et illi qui coniugia virginitati æquanda [18] existimant, miseri penitus & stulti sunt. Verùm hæc à sapientibus tenenda distinctio est, vt coniugium pertineat ad veniam, virginitas spectet ad gloriam, fornicatia [19] deputetur ad pœnam, nisi satisfactione purgetur. Miles quidam cingulum in Ecclesia monachum professus abiecerat: sellulam sibi eminus in remoto, quasi eremita victurus, erexerat. Interea astutus inimicus varijs cogitationibus brutum pectus agitabat, vt coniugem, quam Martinus in monasterio puellarum esse præceperat, voluntate mutata, secum potius vellet habitare. Adijt ergo Martinum fortis eremita, quid haberet animi confitetur. Ille verò vehemēter cœpit abnuere, fœminam viro rursus, iam monacho non marito, incongrua ratione misceri. Postremò cùm miles instaret, affirmans nihil hoc proposito esse nociturum, se solo coniugis vti velle solatio, [20] porrò ne rursum se in sua reuolueret nō esse metuendum: se esse militem Christi, illam quoque in eadem eiusdem militiæ sacramenta iurasse: pateretur Episcopus sanctus eos sexum suum fidei merito nesciētes pariter militare. Tum Martinus (verba vobis ipsa dicturus sum) Dic mihi, inquit, si vnquam in bello fuisti, si in acie constitisti? At ille respondens: Frequenter, inquit, in acie steti, & bello frequenter interfui. Ad hæc Martinus: dic mihi ergo: nunquid in illa acie, quæ armata in prælium parabatur, aut iam aduersus hostilem exercitum collacato cominus pede districto ense pugnabat, vllam fœminam stare aut pugnare vidisti? Tum demum miles confusus erubuit, gratias agens errori suo se non fuisse permissum, nec aspera increpatione verborum, sed vera & rationabili secundùm personam militis comparatione correctum. Martinus autem conuersus ad nos, sicut eum frequens fratrum turba vallauerat: Mulier, inquit, virorum castra non adeat: acies militum separata consistat, procul fœmina in suo degens tabernaculo sit remota: contemptibilem enim reddit exercitum, si virorum cohortibus turba fœminea misceatur. Miles in acie, miles pugnet in cāpo: mulier se intra murorū munimēta cōtineat. Habet & illa gloriam suam si pudicitiam viro absente seruauerit. Cuius hæc prima virtus & cōsummata victoria est, nō videri.

18 Sunt ne nostro tempore qui coniugia virginitati æquanda existimant? Sunt profecto. Hos ergo tu sicut Martinus, miseros penitus, et stultos dicito.

19 Fornicatio deputatur ad pœnā, nisi satisfactione purgetur. Ecce satisfactionis opera pro peccatis. nam quomodo alias posset satisfactione purgari?

20 Nota monache qui es ex hereticorum officina, & mulierum contactus non potes adduci vt deseras, etiam sub nefandi matrimonij prætextu.

ee Illud

Illud verò Sulpiti meminisse te credo, quo affectu nobis, cùm & tu coram adesses, illam virginem prædicaret, quæ ita se penitus ab omnium virorum oculis remouisset, vt ne ipsum quidem ad se Martinum, cùm eam ille officij causa visitare vellet, admiserit. Nam cùm prope agellulũ illius præteriret, in quo se iam ante complures annos pudica cohibebat, audita fide illius atq; virtute diuertit: vt tam illustris meriti puellã religioso officio Episcopus honoraret. Nos consequentes gauisurã illam virginẽ putabamus, siquidẽ hoc in testimonium virtutis suæ esse habiturã, ad quam tanti nominis sacerdos deposito propositi rigore venisset. Verũ illa fortissimi vincula propositi, ne Martini quidem contemplatione laxauit. Ita vir beatus, accepta per aliam fœminã excusatione laudabili, ab illius foribus, quę se vidẽdam salutandamq; nõ dederat, lætus abscessit. O virginẽ gloriosam, quæ ne à Martino quidẽ passa est se videri. O Martinũ beatum, qui illam repulsam non ad contumeliã suã duxit, sed magnificans illius cum exultatione virtutem, inusitatum in his duntaxat regionibus gaudebat exemplum. Ergo cùm haud longè ab illa villula nos manere nox imminens coëgisset, xeniũ beato viro eadem illa virgo trãsmisit. Fecitq; Martinus, quod antè nõ fecerat. Nullius enim ille vnquàm xenium, nullius munus accepit. Nihil ex his quæ virgo venerabilis miserat, refutauit, dicens: benedictionem illius à sacerdote minimè respuendam, quæ esset multis sacerdotibus præferenda. Audiant, quæso, virgines hoc exemplũ: vt fores suas, si eas mali obsidere voluerint, etiã bonis claudant: & ne ad se improbis sit liber accessus, nõ vereantur excludere etiam sacerdotes. Totus hoc mundus exaudiat: Videri se à Martino virgo passa non est. Non vtiq; illa quemcunq; repulit sacerdotem, sed in eius viri conspectum puella nõ venit, quem videre salus videntium fuit. Quis autem hoc alius præter Martinum sacerdos non ad suam iniuriam retulisset, quos aduersus sanctam virginem motus, quantasque iras mente concepisset, hæreticam iudicaret & anathematizandam esse decreuisset: quam verò illi beatæ animæ illas virgines prætulisset, quæ crebris occursibus vbique se præbent obuias sacerdotibus, quæ conuiuia sumptuosa disponunt, quæ vnà pariter accumbunt? Sed quò me ducit oratio? Paululum iste liberior sermo reprimendus est, ne in aliquorum forsitan incurrat offensam. Etenim infidelibus obiurgationis verba non proderunt, fidelibus autẽ satisfaciet exemplum. Verùm ego ita virtutem huius virginis prædicabo, vt tamem nihil illis, quæ ad Martinum videndum ex longinquis regionibus sæpe venerunt, abitrer derogandum. Siquidem beatum virum frequenter affectu etiam Angeli frequentant.

Cæterùm id quod dicturus sum Postumiane, hoc te (Sulpitius me autem intuebatur) teste perhibeo. Quodam die ego & iste Sulpitius pro foribus illius excubantes, iam per aliquot horas cum silentio sedebamus ingenti horrore & tremore, ac si ante Angeli tabernaculum mandatas excubias duceremus: Cùm quidem clauso cellulæ suæ ostio nos ibi esse nesciret. Interim colloquentium murmur audiuimus, & mox horrore quodam circumfundimur ac obstupentes, nec ignorare potuimus nescio quid fuisse diuinum. Post duas ferè horas ad nos Martinus egreditur: ac tum eum iste Sulpitius (sicut apud eum nemo familiarius loquebatur) cœpit orare, vt piè quærentibus indicaret, quid illud diuini fuisset horroris, quod fatebamur nos ambo sensisse, vel cũ quibus fuisset in sellula collocutus: tenuem enim nos licet & vix intellectum sermocinantium sonum pro foribus audisse. Tum ille diu multumque cunctatus (sed nihil erat, quod ei Sulpitius nõ extorqueret inuito. Incredibiliora fortè dicturus sum, sed Christo teste non mentior: nisi quispiam est tam sacrilegus, vt Martinum putet fuisse mentitum) dicam, inquit, vobis: sed vos nulli, quæso, dicatis: Agnes, Tecla, & Maria mecum [21] fuerunt. Referebat autẽ nobis vultũ atque habitũ singularum. Nec verò illo tantũ die, sed frequenter se ab eis cõfessus est visitari. Petrũ etiam & Paulum Apostolos videri à se sæpius non negauit. Iam verò dęmones, prout ad eum quisque venisset, suis nominibus increpabat: Mercurium maximè patiebatur infestum, Iouem brutum, atque hebetem esse dicebat. Hæc plerisque etiam in eodem monasterio constitutis incredibilia videbantur, ne dũ ego confidã omnes, qui hæc audient, credituros. Nam nisi inæstimabilem vitam atque virtutem Martinus egisset, nequaquam apud nos tanta gloria præditus haberetur. Quãquam minimè mirum, si in operibus Martini infirmitas humana dubitauerit, cùm multos quoque hodie videamus nec Euangelijs quidem credidisse. A Martino autem sępe Angelos visos familiariter & sensimus & experti sumus. Rem minimam dicturus sum, sed tamẽ dicam. Apud Nemausum Episcoporum synodus habebatur: ad quam quidẽ ire noluerat, sed quid gestũ esset scire cupiebat. Casu cum eo iste Sulpitius nauigabat: sed procul vt semper à cæteris in remota nauis parte residebat. Ibi ei Angelus, quid gestum esset in Synodo, nunciauit. Nos postea tempus habiti Consilij sollicitè requirentes, satis compertũ habuimus ipso die fuisse conuentũ, & ea ibi ab Episcopis fuisse decreta, quæ Martino Angelus nunciauerat. Hæc cùm maximè Gallus, necdum explicitis quæ statuerat referre, loqueretur, puer familiaris ingressus est nuncians, Refrigerium presbyterum stare pro foribus.

21 *Et nostri hæretici appellare audent sanctos emortuos.*

Dubitare

Dubitare cœpimus, vtrum Gallum adhuc melius esset audire, an ex optatissimo nobis viro qui officij causa ad nos veniebat, occurrere. Tum Gallus: Etiamsi non ob aduētum sanctissimi sacerdotis relinquenda nobis hæc esset oratio, nox ipsa cogebat hucusque protractum finire sermonem. Verùm quia de Martini virtutibus nequaquam explicari vniuersa potuerunt, hæc vos hodie audisse sufficiat: cras reliqua dicemus. Ita pariter accepta hac Galli responsione, surreximus. Gallus. Conuenistis ad me audiendum, & sancti, & diserti: sed religiosas potius, quàm doctas aures, vt arbitror, attulistis: audituri me fide testis, non oratoris copia locuturum. Quæ autem hesterno die dicta sunt, non reuoluam. Illa qui non audierunt, ex scriptis recognoscent. Noua Postumianus expectat, nunciaturus Orienti, ne se in comparatione Martini præferat Occidenti. Ac primùm gestit animus, quod Refrigerius in aurem suggerit, explicare. Res ista in Carnotena gesta est ciuitate. Pater filiam duodennem ab vtero mutam puellam Martino cœpit offerre, poscens vt linguam ligatam meritis suis sanctus absolueret. Ille cedens Episcopis, qui tum fortè latus illius ambiebant, Valentiniano atque Victricio imparem se esse tantæ moli, sed illis quasi sanctioribus nihil impossibile fatebatur. At illi pias preces vnà cum patre supplici voce iungentes, orare Martinum, vt sperata præstaret. Nec cunctatus vltrà (vtrunque præclarum, & ostendendo humilitaté, nec differendo pietatem) iubet circunstantis populi multitudinem submoueri. Episcopis tantùm, & puellæ patre assistentibus, in orationem suo ille more prosternitur. Dein pauxillum olei cum exorcismi præfatione benedicit, [22] atque ita in os puellæ sanctificatum liquorem, cùm & linguam illius digitis teneret, infudit. Nec fefellit sanctum virtutis euentus. Patris nomen interrogat, mox illa respondet. Proclamat pater cum gaudio, pariter & lachrymis, Martini genua complexus, & hanc primam se filiæ audisse vocem, cunctis stupentibus fatebatur. Ac ne cuiquam id fortè incredibile videatur, perhibeat vobis præsens Euagrius testimonium veritatis. Nam res ipso præsente tum gesta est.

Ex Dialogo 3. eiusdem, eisdem interlocutorib'.

22 Tu qui dicis benedictiones creaturarum superstitiosas esse, vide contra tuum dogma virum sanctū benedictione exorcizati olei, mutitatem à puella expulisse.

Parum illud est, quod nuper, Arpagio presbytero referente, cognoui, sed non prætermittendum videtur. Auitiani comitis vxorem misisse Martino oleum, quod ad diuersas morborum causas (sicut est cōsuetudo) [23] benediceret: ampullam vitream istiusmodi fuisse, vt rotunda in ventrem cresceret, ore producto, sed oris extantis cōcauum & non repletū, quia id moris sit vascula complere, vt pars vmbonibus obstruendis libera relinquatur. Testabatur presbyter vidisse se oleum sub Martini benedictione creuisse, quoad exundante copia supernè difflueret: eandemque, dum ad matremfamilias vasculum referretur, seruasse virtutem. Nam inter manus pueri portantis ita semper exundasse oleum, vt omne illius vestimentum copia superfusi liquoris operiret: matronam ita vsque ad summū labrum plenum vasculum recepisse, vt presbyter hodie quoque fateatur obdendi pessuli, quo claudi diligentius seruanda consueuerunt, in vitro illo spacium non fuisse.

23 Et hoc ad superiorem notulam pertinet.

Mirum & illud, quod huic (me autem intuebatur) memini contigisse. Vas vitreum cum oleo quod Martinus benedixerat, in fenestra paululum editiore deposuit. Puer familiaris incautior linteum superpositum ampullam ibi esse ignarus attraxit: vas super cōstratum marmore pauimentum decidit. Cunctis metu exterritis, ne benedictio deperisset, [24] ampulla perinde incolumis est reperta, ac si super plumas mollissimas decidisset. Quæ res non potius ad casum, quàm ad Martini est referenda virtutem, cuius benedictio perire nō potuit. Quid illud, quod factum à quodam, cuius nomen, quia præsens est, & prodi se vetuit, supprimetur? Cui quidem tempori hic etiam Saturninus interfuit. Canis nobis importunior oblatrabat: in nomine, inquit, Martini iubeo te obmutescere. Cani hæsit latratus in gutture. Lingua vt abscissam putares, obmutuit. Ita parum est, ipsum Martinum fecisse virtutes, credite mihi, quia etiam alij in nomine eius multa fecerunt.

24 Item & hoc

Auitiani quondam Comitis noueratis barbaram nimis, & vltra omnes cruentam feritatem. Hic rabido spiritu ingressus Turonum ciuitatem, sequentibus eum miserabili facie ordinibus catenatis, diuersa perdendis parari iubet genera pœnarū, disponens postero die, attonita ciuitate, ad opus tā triste procedere. Quod vbi Martino compertum est, solus paulò ante mediam noctem ad prætoriū bestiæ illius tendit. Sed cùm profundæ noctis silentio quiescentibus cunctis, nulli foribus obseratis pateret ingressus, ante limina cruenta prosternitur. Interea Auitianus graui somno sepultus, Angelo irruente percellitur: Seruus, inquit, Dei ad tua limina iacet, & tu quiescis. Qua ille voce percepta, lecto suo turbatus excutitur, conuocatisque seruis, trepidus exclamat, Martinum esse pro foribus: Irent protinus, claustra reserarent, ne Dei seruus pateretur iniuriam. Sed illi (vt est omnium natura seruorum) vix prima limina egressi irridentes dominum suum, quòd somno fuisset illusus, negant quenquam esse pro foribus, ex suomet ingenio coniectantes neminem nocte posse vigilare, nedum illi crederent in illo noctis horrore iacêre ad aliena limina sacerdotem. Idque Auitiano facilè persuasum: rursum soluitur in soporem. Sed mox vi maiore concussus, exclamat

Martinum ſtare pro foribus: ſibi ideo nullam quietem animi corporiſque permitti. Tardantibus ſeruis ipſe ad limina exteriora progreditur. Ibi Martinum, vt ſenſerat, deprehendit. Perculſus miſer tantæ manifeſtatione virtutis: Quid, inquit, hoc domine mihi feciſti? nihil te loqui neceſſe eſt: Scio quid deſideres, video quid requiras, diſcede quantotius, ne me ob iniuriam tui cœleſtis ira conſumat: ſatis ſoluerim huc vſque pœnarum: crede, quia non leuiter apud me actum eſt, vt ipſe procederem. Poſt diſceſſum autem ſancti aduocat officiales ſuos: iubet omnes cuſtodias relaxari: & mox ipſe proficiſcitur. Ita fugato Auitiano, lætata eſt ciuitas & liberata. Hæc cùm multis Auitiano referente comperta ſunt, tum nuper Refrigerius presbyter, quem coram videtis, ab Agarido fideli viro ex tribunis ſub inuocatione diuinæ maieſtatis audiuit, qui ſibi hoc ab ipſo Auitiano relatum eſſe iurabat. Cæterùm nolo miremini me hodie facere, quod heſterno non feci, vt ad ſingulas quaſque virtutes nomina teſtium, perſonaſque ſubnectā. Ad quas, ſi quis fuerit incredulus, quia adhuc in corpore ſunt, recurrat. Exigit id infidelitas plurimorum, qui in aliquibus, quæ heſterno memorata ſunt, enutare dicuntur. Accipiant ergo teſtes adhuc incolumes atque viuentes: quibus, quia de fide noſtra dubitant, magis credant. Sed ſi adeo infideles ſunt, profiteor, quia nec illis ſunt credituri. Miror autem quenquam, qui vel tenuem ſenſum religionis habeat, tantum piaculi velle committere, vt putet quenquam de Martino poſſe mentiri. Faceſſat à quoquam, qui ſub Deo viuit, iſta ſuſpicatio. Nec enim Martinus hoc indiget, vt mendacijs aſſeratur. Sed tamen totius ſermonis fidem apud te Chriſte deponimus, nos nec alia dixiſſe, nec alia dicturos, quàm quæ aut ipſi vidimus, aut quæ manifeſtis autoribus, vel plerũque ipſo referente, cognouimus. Cæterùm & ſi dialogi ſpeciem, quò ad leuandum faſtidium lectio variaretur, aſſumpſimus: nos piè præſtruere profitemur hiſtoriæ veritatem. Hæc me extrinſecus inſerere nonnullorum incredulitas non meo ſine dolore compulerit: ſed redeat ad noſtrum ſermo conſenſum. In quo cùm me tam ſtudioſè audiri videam, fatebor neceſſe eſt, Aprum feciſſe conſtanter, qui repulit infideles, eos tantùm iudicans audire debere, qui crederent. Efferor ſiquidem (credite) ſpiritu, & præ dolore totus inſanio: non credunt Martini virtutibus Chriſtiani, quas dæmones fatebantur.

Monaſterium B. viri duobus à ciuitate erat milibus diſſeparatum. Sed ſi quotiens venturus ad Eccleſiam pedem extra ſuæ ſellulæ limen extulerat, videres per totam Eccleſiā energumenos rugientes, & quaſi adueniente iudice agmina dānanda trepidare: vt aduentū Epiſcopi clericis qui venturum eſſe neſcirent, dæmoniorū gemitus indicaret. Vidi quendā appropinquāte Martino, in aëre raptum manibus extenſis in ſublime ſuſpendi, vt nequaquam ſolum pedibus attingeret. Si quando aūt exorcizandorum dæmonum Martinus operam receipiſſet, neminē manibus attrectabat, neminem ſermonibus increpabat, ſicut plerumq; per clericos rotatur turba verborum: ſed admotis energumenis, cæteros iubebat abſcedere, ac foribus obſeratis, in medio Eccleſiæ, cilicio circūtectus, 25 cinere reſperſus, ſolo ſtratus orabat. Tu verò cerneres miſeros diuerſo exitu perurgeri: hos ſublatis in ſublime pedibus quaſi de nube pendêre, nec tamen veſtes defluere ſuper faciē, ne faceret verecundiā nudata pars corporū. At in parte alia videres ſine interrogatione vexatos, & ſua crimina confitentes. Nomina etiam nullo interrogāte prodebant. Iſte ſe Iouem, iſte Mercurium fatebatur. Poſtremò cunctos diaboli miniſtros cum ipſo cerneres autore cruciari, vt iam illud in Martino fateamur impletum, quod ſcriptum eſt: Quoniam ſancti de Angelis iudicabunt.

25 Martinus in medio Eccleſiæ foribus obſeratis, cilicio circūtectus, cinere reſperſus, & ſolo ſtratus orans expellebat dæmones.

Pagum quendam in Senonum vico annis ſingulis grando vaſtabat. Compulſi extremis malis incolæ à Martino auxilium popoſcerunt, miſſa per Auſpicium præfectorium virum ſatis fida legatione: cuius agros ſpecialiter grauior, quàm cæterorū aſſueuerat procella populari. Sed facta ibi oratione, Martinus ita vniuerſam penitus liberauit ab ingruenti peſte regionem, vt per viginti annos, quibus poſtea manſit in corpore, grandinem in illis locis nemo pertulerit. Quod ne fortuitum eſſe, & non potius Martino præſtitum putaretur, eo anno quo ille defunctus eſt, rurſus incubuit rediuiua tempeſtas. Adeo ſenſit & mundus viri fidelis exceſſum, vt cuius vita iure gaudebat, eiuſdem morte lugeret. Cæterùm ſi ad hæc probanda, quæ diximus, teſtes etiam infirmior auditor exegerit, non vnum ego hominem, ſed millia multa producam, & totam in teſtimonium virtutis expertæ Senonum aduocabo regionem. Et tamen tu Refrigeri presbyter, credo meminiſti, nuper nobis ſuper hoc cum Romulo Auſpicij illius filio honorato & religioſo viro fuiſſe ſermonem, qui hæc nobis tanquam comperta referebat, & cum futuris prouentibus per aſſidua damna trepidaret, vt ipſe vidiſti, magno ſecum mœrore lugebat, Martinum non in hæc tempora reſeruatum.

Sed vt ad Auitianum recurrā, qui cùm in omnibus locis, cūctiſq; in vrbibus ederet crudelitatis ſuæ infanda monumēta, Turonis tantū innocens erat: & illa beſtia quę humano ſanguine, & infelicium mortibus alebatur, mitē ſe atq; tranquillū beato viro præſente præſtabat:

bat: Memini quodam die ad eum venisse Martinum, qui vbi secretarium eius ingressus est, vidit post tergum ipsius dæmonem miræ magnitudinis assidentem. Quem cùm eminus (vt verbo, quia ita necesse est, parum latino loquamur) exufflasset, Auitianus se exsufflari existimans: Quid me, inquit, sancte sic aspicis? Tum Martinus: Non te, inquit, sed eum qui ceruici tuæ teter incubuit. Ita recessit diabolus, & reliquit familiare subsellium. Satisque cōstat ab illo die Auitianum mitiorem fuisse: seu quòd intellexerit egisse & semper assidentis sibi diaboli voluntatem, seu quòd immundus spiritus ab illius consessu per Martinum fugatus, priuatus est potestate grasiandi, cùm erubesceret minister autorem, nec ministrum autor vrgeret. In vico autem Ambatiensi, id est, Castello veteri, quod nunc frequens habitatur à fratribus, idolum noueratis grandi opere cōstructum. Politissimis saxis moles turrita surrexerat, quæ in collectæ summitatis thronum sublimem procedens superstitionem loci operis dignitate seruabat. Huius destructionem Marcello ibidem consistenti presbytero vir beatus sæpe mandauerat. Post aliquantulum temporis regressus increpat presbyterū, cur adhuc idoli structum consisteret. Ille causatus vix militari manu, & vi publicæ multitudinis tantam molem posse subuerti, ne dum id facile putaret per imbecillos clericos, aut infirmos monachos quiuisse curari. Tum Martinus recurrens ad nota præsidia, noctem totam in oratione 26 peruigilat. Manè orta tempestas ædem idoli vsque ad fundamentum prouoluit. Verùm hæc Marcello teste dicta sunt. 26 *Totam noctem in oratione peruigilat.*

Aliam eius nō dissimilem in simili opere virtutem, Refrigerio astipulante, perhibeo. Columnam immensæ molis, cui idolum superstabat, parabat euertere, sed nulla erat facultas, qua id daretur effectui. Tum ad orationem suo more conuertitur. Visum cunctis est parem quodammodo columnam ruere de cœlo, quæ impacta idolo totam illam inexpugnabilem molem soluit in puluerem. Parùm scilicet si inuisibiliter cœli virtutibus vteretur, nisi ipsæ virtutes visibiliter seruire Martino humanis etiam oculis cernerentur. Idem autem Refrigerius mihi testis est, mulierem profluuio sanguinis laborantē, cùm Martini vestem exemplo mulieris illius Euangelicæ contigisset, sub momento temporis fuisse sanatam. Serpens flumen secabat, & ripæ in qua constiteramus, annatabat: In nomine, inquit, Domini iubeo te redire. Mox se mala bestia ad verbum sancti retorsit, & in vlteriorem ripam nobis inspectantibus transmeauit. Quod cùm omnes non sine miraculo cerneremus, altius ingemiscens ait: Serpentes me audiunt, & homines non audiunt.

Piscem Paschæ diebus edere consuetus, paulò ante horam refectionis interrogat, an haberetur in promptu. Tum Cato diaconus, ad quem monasterij administratio pertinebat, doctus ipse piscari, negat per totum diem sibi vllam cessisse capturam: sed neque alios piscatores, qui vendere solebant, quicquam agere quiuisse. Vade, inquit, mitte linum tuum: captura proueniet. Contiguū flumini (vt Sulpitius iste descripsit) habebamus habitaculum. Processimus cuncti vtpote feriatis 27 diebus videre piscantem, omnium cordibus intentis non incassum futura tentamina, quibus piscis Martino autore Martini vsibus quæreretur. Ad primum iactum in rete permodico immanē Isocem diaconus extraxit, & ad monasterium lætus accurrens: Nimirum vt dixit Poëta nescio quis (vtimur enim versu scholastico fabulantes) Captiuumque suem mirantibus intulit Argis. Verè iste Christi discipulus gestarum à Saluatore virtutum, quas in exemplum sanctis suis edidit, æmulator Christum in se monstrabat operantem: qui sanctum suum vsquequaque glorificans diuersarum munera gratiarum in vnum hominem conferebat. Testatur Arborius ex præfecto, vidisse se Martini manum 28 sacrificium offerentis vestitam quodammodo nobilissimis gemmis, luce micare purpurea, & ad motum dexteræ collisarum inter se fragorem audisse gemmarum. 27 *Pascha feriatis dies.* 28 *Martini manus sacrificium offerentis. Ecce & hic missam dici sacrificium.*

Veniam ad illud quod propter temporum notam semper occultauit: sed nos celare non potuit. In quo illud est miraculi, quòd facie ad faciem cum eo Angelus est collocutus. Maximus Imperator alias sanè bonus, deprauatus consilijs sacerdotum, post Priscilliani necem Ithacium Episcopum Priscilliani accusatorem, cæterosque illius socios, quos nominare non est necesse, vi regia turbatur, ne quis ei crimini daret, opera illius cuiuscunque modi hominem fuisse damnatum. Interea Martinus multis, grauibusque laborantium causis ad comitatum ire compulsus, procellam ipsam totius tempestatis incurrit. Congregati apud Treuiros Episcopi tenebantur, qui quotidie communicantes Ithacio communem sibi causam fecerant. His vbi nunciatum est inopinantibus adesse Martinum, totis animis labefactati mussitare & trepidare cœperunt. Et iam pridem Imperator ex eorum sententia decreuerat Tribunos summa potestate armatos ad Hispanias mittere, qui hæreticos inquirerent, deprehensis vitam & bona adimerent. Nec dubium erat, quin sanctorum etiam maximam turbam tempestas illa depopulatura esset paruo discrimine inter hominum genera. Etenim tum solis oculis iudicabatur, cùm quis pallore potius, aut veste, quam fide hæreticus æstimaretur. Hæc nequaquam placitura Martino Episcopi sentiebant,

sed malè conscijs illa vel molestissima erat cura, ne se ab eorum communione adueniens abstineret, non defuturis qui tanti viri constantiam præmissa autoritate sequerentur. Ineunt cum Imperatore consilium, vt missis obuiam magistri officialibus, vrbem illam propius vetaretur accedere, nisi se cum pace Episcoporum ibi consistentium affore fateretur. Quos ille callidè est frustratus. Profitetur se cum pace Christi esse venturum. Postremo ingressus nocturno tempore adijt Ecclesiam tantum orationis gratia. Postero die palatium petit. Præter multas, quas enumerare longum est, has principales petitiones habebat, pro Nariete comite, & Leucadio præside, qui ambo Gratiani partium fuerant pertinacioribus studijs, quæ non est huius temporis explicare, iram Imperatoris emeriti. Illa præcipua cura, ne tribuni cum iure gladiorũ ad Hispanias mitterentur. Pia enim erat solicitudo Martino, vt non solùm Christianos, quæ sub illa erant occasione vexandi, sed ipsos etiam hæreticos liberaret. Verùm primo die, atque altero suspendit hominem callidus Imperator: siue vt rei pondus imponeret, siue quia nimis sibi implacabilis erat: seu quia (vt plerique tum arbitrabantur) auaritia repugnabat, siquidem in bona eorum inhiauerat. Fertur enim vir ille multis, bonisque actibus præditus, aduersus auaritiam parum consuluisse: nisi ob regni necessitatem, quippe qui exhausto à superioribus principibus Reipublicæ ærario, penè semper in expeditione atque procinctu bellorũ ciuilium constitutus facile excusabatur, pro quibuslibet occasionibus subsidia imperio parauisse. Interea Episcopi, ad quorũ cõmunionem S. Martinus non ibat, trepidi ad Regem cucurrerũt, prædamnatos se conquerentes, actum esse de suo omnium statu, si Theognisti pertinaciam, qui eos solos palam lata sententia condemnauerat, Martini armaret autoritas, non oportuisse hominem recipi mœnibus: illum iam non defensorem hæreticorum, sed vindicem: nil actum morte Priscilliani, si Martinus exerceat illius vltionem. Postremò prostrati cum fletu & lamentatione potestatem regiam implorant, vt vtatur aduersus vnum hominem vi sua. Nec multum aberat, quin cogeret Imperator Martinum cum hæreticorum sorte misceri. Sed ille licet Episcopi nimio fauore esset obnoxius, non erat nescius Martinum fide, sanctitate, ac virtute cunctis præstare mortalibus. Alia longè via sanctum vincere parat: ac primùm secretò accersitum blandè appellat, hæreticos iure damnatos more iudiciorum publicorum, potius quàm insectationibus sacerdotum, non esse causam qua Ithacij, cæterorumque partis eius communionem putaret esse damnandam: Theognistum odio potius quàm causa fecisse dissidium, eundemq; tamen solum esse, qui se à communione interim separaret à reliquis: nihil nouatum, quin etiam ante paucos dies habita synodus Ithacium pronuntiauerat culpa non teneri. Quibus cum Martinus parum moueretur, Rex ira accenditur, ac sede conspectu eius abripit: & mox percussores ijs pro quibus Martinus rogauerat, diriguntur. Quod vbi Martino compertum iam noctis tempore est, palatium irrupit, spondet, si parceretur, se communicaturum, dummodo & Tribuni iam in excidium Ecclesiarum ad Hispanias missi traherentur. Nec mora intercessit, Maximus indulget omnia. Postero die Felicis Episcopi ordinatio parabatur, sanctissimi sanè viri, & planè digni qui meliore tempore sacerdos fieret. Huius diei communionem Martinus iniuit, satius æstimans ad horam cedere, quàm his non consulere, quorum ceruicibus gladius imminebat. Veruntamen summa vi Episcopis nitentibus, vt communionem illam subscriptione firmaret, extorqueri non potuit. Postero die se inde proripiens, cùm reuertens in via mœstus ingemisceret, se vel ad horam noxiæ communioni fuisse permixtũ, haud longè à vico, cui nomen est Andethanna, quæ vastas solitudines syluarum secreta patiuntur, progressis paululum comitibus, ille subsedit, causam doloris & facti, accusante ac defendente inuicem cogitatione, peruoluens. Astitit ei repentè Angelus: Meritò, inquit, Martine compungeris, sed aliter exire nequisti: repara virtutem, resume constantiam, ne iam non periculum gloriæ, sed salutis incurras. Itaque ab illo tempore satis cauit cum illa Ithacianæ partis communione misceri. Cæterũ cùm quosdam ex energumenis tardius quàm solebat, & gratia minore curaret, subinde nobis cum lachrymis fatebatur, se propter cõmunionis illius malum, cui se ipse vel puncto temporis, necessitate, non spiritu miscuisset, detrimentum sentire virtutis. Sexdecim postea vixit annos: nullam Synodum adijt, ab omnibus Episcoporum cõuentibus se remouit. Sed planè, vt experti sumus, imminutam ad tempus gratiam 19 multiplici mercede reparauit.

19 Communione hæreticorum Martinus vel ad modicum diuinam in se gratiam ad tẽpus imminutam cognouit.

Vidi postea ad fores monasterij ipsius adductum Energumenum, & priusquam limen attingeret, fuisse curatum. Testantẽ quendam nuper audiui cùm in Tirrheno mari cursu illo quo Romam tenditur, nauigaret, subitò turbinibus exortis extremum vitæ omnibus fuisse discrimen. In quo cùm quidam Ægyptius negotiator, necdum Christianus magna voce clamauerit: Deus Martini eripe nos: mox tempestatem fuisse sedatam, seq; optatum cursum cum summa placidi æquoris quiete tenuisse. Lycontius ex vicarijs vir fidelis, cùm familiam illius lues extrema vexaret, & inauditæ calamitatis exemplo per totam domum corpora

corpora ægra procumberent, Martini per literas implorauit auxilium. Quo tempore vir beatus rem esse promisit difficilem impetrari: nam spiritu sentiebat domum illam diuino numine verberari: tamen non prius destitit, septem totos dies, totidemque noctes orando 30 & ieiunando continuans, quàm id quod exorandum receperat, impetraret. Mox ad eum Lycontius diuina expertus beneficia peruolauit nuncians simul & agens gratias, domum suam omni periculo liberatam. Centum etiam argenti libras obtulit, quas vir beatus nec respuit, nec accepit, sed priusquam pondus illud monasterij limen attingeret, redimendis id captiuis cõtinuò deputauit. Et cùm ei suggereretur à fratribus, vt aliquid ex eo in sumptus monasterij reseruaret: omnibus in angusto esse victum, multis deesse vestitum: Nos, inquit, Ecclesia & pascat, & vestiat, dummodo nihil nostris vsibus quæsisse videamur.

30 Vides sancti viri aßiduitatẽ in orando, & ieiunãdo, & tamẽ quidã peruersi nostro tẽpore vtrunque derident.

Succurrunt hoc loco viri illius magna miracula, quæ facilius admirari possum quàm referre. Agnoscitis profectò quod dico: multa sunt illius quæ non queant explicari: veluti istud est, quod nescio an ita vt gestum est à nobis posit exponi. Quidã è fratribus (nomen non ignoratis, sed celanda persona est, ne sancto viro verecundiã fecerimus) quidam ergo cùm ad fornaculam illius carbonum copiam reperisset, & admota sibi sellula diuaricatis pedibus super ignem illum nudato inguine resideret, cõtinuò Martinus factam sacro tegmini sensit iniuriam, magna voce clamãs: Quis (inquit) nudato inguine nostrum incestat habitaculum? Hoc vbi ille frater audiuit, & ex conscientia quòd increpabatur agnouit, continuò ad nos cucurrit exanimis, pudorem suum non sine Martini virtute confessus.

Quodam itidem die dum in area, quæ parua admodum tabernaculũ illius ambiebat, in illo suo quod nostis omnes sedili ligneo resedisset, vidit duos dæmones in excelsa illa, quæ monasterio supereminet, rupe consistere: inde alacres ac lætos vocẽ istiusmodi adhortationis emittere. Eia te Brici: Eia te Brici. Credo cernebant miserum eminus propinquantem, conscij quantam illi rabiẽ spiritus suscitassent. Nec mora, Bricius furibũdus irrupit: vbi plenus insania euomuit in Martinũ mille conuitia. Obiurgatus enim pridie ab eo fuerat, quippe qui nihil vnquam ante clericatum, in monasterio ab ipso Martino nutritus habuisset, cur equos aleret, mancipia compararet. Nam illo tempore arguebatur à multis, quòd non solùm pueros, sed etiam puellas sciris vultibus coëmisset. Quibus rebus infelicissimus insano felle commotus, &, vt credo, præcipuè dæmonum illorum agitatus instinctu, Martinum ita aggressus est, vt vix manibus temperaret: cùm quidem sanctus vultu placido, mente tranquilla, infelicis amentiam per mitia verba cohiberet. Sed ita in eo nequam spiritus redundabat, vt ne sua quidem illi, quamuis vana admodum mens subesset: trementibus labijs, incertoque vultu decolor præ furore rotabat verba peccati, se asserens sanctiorem, quippe qui à primis annis in monasterio inter sacras Ecclesiæ disciplinas, ipso Martino educãte creuisset. Martinum verò & à principio, quod ipsi diffiteri nõ posset, militiæ artibus sorduisse, & nunc per inanes superstitiones, & phantasmatica visionum ridicula prorsus inter deliramenta senuisse. Hæc cùm multa, atque alia etiam, quæ reticere melius est, acerbiora vomuisset, egressus tandem furore satiato, quasi qui se penitus vindicasset, rabidus ea parte qua venerat, recurrebat. Cùm interea (credo per Martini orationes) fugatis ab illius corde dæmonibus, reductus in pœnitentiam, mox reuertitur, atque ad Martini se genua prosternit, veniam poscens fatetur errorem, nec sine dæmone se fuisse, tandem sanior confitetur. Non erat apud Martinum labor iste difficilis, vt ignosceret supplicanti. Tum & ipsi & nobis omnibus sanctus exposuit, qualiter illum vidisset à dæmonibus agitari, se conuitijs non moueri, quæ magis illi, à quo essent effusa, nocuissent. Exinde cùm idem Bricius multis apud eum magnisque criminibus persæpe premeretur, cogi non potuit, vt eũ à presbyterio submoueret, ne suam persequi videretur iniuriã: illud sæpe commemorans: Si Christus Iudã passus est, cur ego non patiar Bricium? Ad hæc Postumianus: Audiat, inquit, istud exemplũ noster iste de proximo, qui cùm sit sapiens, memor præsentiũ, immemor futurorũ, si fuerit leuiter offensus, insanit, in sua se non habens potestate: sæuit in clericos, grassatur in laicos, totumque terrarum orbem in suam commouet vltionem. In qua per trienniũ iugiter dimicatione consistens, nec tẽpore, nec ratione sedatur. Dolenda hominis & miseranda cõditio, etiã si hac sola insanabilis mali peste premeretur. Verùm ista ei patientiæ, & tranquillitatis exempla referre sæpius Galle debueras, vt nesciret irasci, & sciret ignoscere: Qui si istum ipsum breuiter incertum sermonem meum in se prolatum fortè cognouerit, sciat non magis ore inimici, quàm amici animo me locutum. Quia si fieri posset, optarem vt Martino potius Episcopo, quàm Phalari tyranno similis diceretur. Sed istum, cuius commemoratio parum suauis est, transeamus: & ad Martinum nostrũ Galle redeamus. Tum ego, cum iam adesse vesperum occiduo sole sentirem, dies, inquam, abijt Postumiane: surgendum est, simul tam studiosis auditoribus cœna debetur. De Martino autem expectare non debes, vt vlla sit meta referendi: latius ille diffunditur, quàm vt vllo valeat sermone concludi.

DE TRANSITV SANCTI MARTINI.

SVlpitius. Martinus igitur obitũ suũ longè antè præsciuit, dixitq; fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Interea causa extitit, qua Condatensem diœcesim visitaret. Nam clericis inter se Ecclesiæ illius discordantibus, pacem cupiens reformare, licet finem dierum suorum non ignoraret, proficisci tamẽ ob istiusmodi causam nõ recusauit, bonam hanc virtutũ suarum consummationem existimans, si pacem Ecclesiæ redditam reliquisset. Ita profectus cum suo illo vt semper frequentissimo discipulorum sanctissimoque comitatu, mergos in flumine conspicatur piscium prædam sequi, & rapacem ingluuiem assiduis vrgere captiuis. Forma, inquit, hæc dæmonum est: Insidiantur incautis, capiunt nescientes, captos deuorant, exaturarique non queunt deuoratis. Imperat deinde potenti virtute verborum, vt eum, cui innatabant, gurgitem relinquentes, aridas peterent, desertasque regiones: eo nimirum circa aues illas vsus imperio, quo dæmones fugare consueuerat. Ita grege facto, omnes in vnum illæ volucres congregatæ, relicto flumine, montes, syluasque petierunt, non sine admiratione multorum, qui tantam in Martino virtutem viderunt, vt etiam auibus imperaret. Aliquamdiu ergo in vico illo vel in ecclesia ad quam iuerat, commoratus, pace inter clericos restituta, cùm iam regredi ad monasterium cogitaret, viribus corporis cœpit repentè destitui. Conuocatisque discipulis indicat se iam resolui. Tum verò mœror, & luctus omnium, vox vna plangentium: Cur nos, pater, deseris, aut cui nos desolatos relinquis? Inuadent enim gregem tuum lupi rapaces: Et quis eos à morsibus, percusso pastore, prohibebit? Scimus quidem desiderare te Christum, sed salua tibi sunt tua præmia, nec dilata minuentur: nostri potius miserere, quos deseris. Tum ille motus his fletibus, vt totus semper in Domino misericordiæ visceribus affluebat, lachrymasse perhibetur. Conuersusque ad Dominum hac tantùm flentibus voce respondit: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem: Fiat voluntas tua. Nimirum inter spem, amoremq; positus dubitauit penè quid mallet, quia nec hos deserere, nec à Christo volebat diutius separari. Nihil tamen in voto suo ponens, aut voluntati relinquens, totum se Domini arbitrio, potestatique committens: Nónne tibi his paucissimis verbis dicere videretur: Grauis quidem est Domine, corporeæ pugna militiæ, & iam satis est quòd huc vsque certaui: Sed si adhuc in eodem labore pro castris tuorum stare me præcipis, non recuso, nec fatiscentem causabor ætatem. Munia tua deuotus implebo, sub signis tuis quo ad ipse iusseris, militabo. Et quamuis optata sit seni sessio post laborem, est tamen animus victor annorũ, & cedere nescius senectuti. At si iam parcis ætati: bonum mihi est, Domine, voluntas tua. Hos verò, quibus timeo, ipse custodias. O virum ineffabilem, nec labore victũ, nec morte vincendum, qui in nullam se partẽ pronior inclinauerit, nec mori timuit, nec viuere recusauit. Itaque cùm iam per aliquot dies vi febrium teneretur, non tamen à Dei opere cessabat, pernox in orationibus 31 & vigilijs fatiscentes artus spiritui seruire cogebat, nobili illo strato suo in cinere & cilicio recubans. Et cùm à discipulis rogaretur, vt saltem vilia sibi sineret stramẽta supponi: Non decet, inquit, filij Christianum nisi in cinere mori. Ego si aliud vobis exemplum relinquo, ipse peccaui. Oculis ac manibus in cœlum semper intentus, inuictum ab oratione spiritum non relaxabat. Et cùm à presbyteris, qui tunc ad eum confluxerant, rogaretur, vt corpusculum lateris nutatione releuaret: sinite, inquit, sinite me fratres, cœlum potius respicere quàm terram: & suo iam itinere iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Hæc locutus diabolum vidit propè assistere. Quid hic, inquit, astas cruenta bestia? Nihil in me funeste reperies: Abrahæ me sinus recipiet. Cùm hac ergo voce fatigatum diuinis operibus, spiritum cœlo reddidit. Testatique nobis sunt qui adfuerunt, iam exanimo corpore glorificati 32 hominis gloriam se vidisse, vultus luce clarior renitebat, cùm membra cætera ne tenuis quidem macula fuscaret. In alijs etiam, & in illo tantùm artubus non pudendis septennis quodammodo pueri gratia videbatur. Quis istum vnquàm cilicio tectum, quis cineribus crederet inuolutum? Ita vitro purior, lacte candidior, in quadam futuræ resurrectionis gloria, & natura demutatæ carnis ostensus est. Iam verò in obsequium funeris credi non potest, quanta hominum multitudo conuenerit: Tota obuiam corpori ciuitas ruit. 33 Cuncti ex agris atque vicis, multique ex vicinis etiam vrbibus adfluxerunt. O quantus luctus omniũ: quanta præcipuè mœrentiũ lamenta monachorũ, qui eo die ferè ad duo millia cõuenisse dicuntur. Specialis Martini gloria, eius exemplo in Domini seruitute stirps tanta fructificauerat. Agebat nimirum ante se pastor extinctus greges suos, sanctæ illius multitudinis pallidas turbas, agmina palliata, & aut emeritos senes, aut iuratos Christi in sacramenta tyrones. Tum virginum chorus fletu abstinens præ pudore, cùm lætandum illi potius esse sentiret, quem iam suo Dominus gremio contoueret, quàm sancto dissimulabat gaudio, quod dolebat?

31 *Etiam tẽpore mortis Martinus pernox erat in orationibus & vigilijs, in cinereque & cilicio recubãs.*

32 *In corpore Martini mortui glorificati hominis gloria visa est. Quod nota tu hæretice: qui sanctorum reliquijs adeo infensus es.*

33 *Funus solenne D. Martini.*

Siquidem

Siquidem fides flere prohiberet, gemitum extorqueret affectus. Etenim tam erat sancta de illius gloria exultatio, quàm pia de morte confusio. Ignosce flentibus, gratulare gaudentibus: quia & pium est gaudere Martino, & pium est flere Martinũ, dum vnusquisque & sibi præstat vt doleat, & illi debet, vt gaudeat. Hæc igitur beati viri corpus vsque ad locũ sepulchri hymnis canora cœlesti 34 turba prosequitur. Comparetur, si placet, secularis illa põpa, non dicam funeris, sed triumphi. Quid simile Martini exequijs conferetur? Ducant illi præ curribus suis, vinctos post terga captiuos: Martini corpus hi qui mundum ducatu illius vicerant, prosequuntur. Illos confusis plausibus populorum honoret insania: Martino diuinis plauditur psalmis: Martinus hymnis cœlestibus honoratur. Illi post triumphos suos in tartara sæua tradũtur: Martinus Abrahæ sinu lætus excipitur: Martinus hic pauper & modicus, cœlũ diues ingreditur. Arcadio igitur & Honorio imperantibus, sanctus Martinus Turonorum Episcopus plenus virtutibus, & sanctitate præbens infirmis multa beneficia, octogesimo primo ætatis suæ anno, Episcopatus autẽ vigesimo sexto apud Condatensem diœcesis suæ vicum excedens à seculo feliciter migrauit ad Christum. Trãsijt autem media nocte, quæ dominica habebatur, Attico, Cæsareoque consulibus. Multi enim in eius transitu psallentium voces audierunt in cœlo: quod in libro virtutum eius primo plenius exposuimus. Nam cùm primũ sanctus Dei apud Condatẽsem, vt diximus, vicum ægrotare cœpisset. Pictaui populi ad eius transitum, sicut & Turonici conuenerunt: Quo migrante, grandis altercatio inter vtrunque populum surrexit. Dicebant enim Pictaui: Noster est monachus, nobis Abbas extitit: nos requirimus commendatum: sufficiat vobis, quòd dum esset in mundo, vsi fuistis eius colloquio, participastis conuiuio, firmati fuistis benedictionibus, insuper & virtutibus iucundati. Sufficiant vobis ista omnia: nobis liceat auferre vel cadauer exanime. Ad hæc Turonici respondebant: Si virtutes nobis factas sufficere dicitis, scitote quia vobiscũ positus amplius est, quàm hic operatus. Nam vt prætermittamus plurima, vobis suscitauit duos mortuos, vnum nobis. Et vt ipse sæpe dicebat: Maior ei virtus ante Episcopatum fuit, quàm post Episcopatum. Ergo necesse est, vt quod nobis non impleuit viuus, expleat vel defunctus. Vobis est enim ablatus, nobis à Deo donatus. Verùm si mos antiquitus institutus seruatur, in vrbe, qua ordinatus est, habebit Deo iubente sepulchrum. Certè si eum pro monasterij priuilegio cupitis vendicare, scitote quia primum ei monasterium cum Mediolanensibus fuit. His ergo litigantibus, sole ruente dies clauditur, corpusq; in medio positum ab vtroque populo custoditur, futurum vt mane facto à Pictauis per violẽtiam auferretur. Sed Deus omnipotens noluit vrbẽ Turonicam proprio frustrari patrono. Denique nocte media omnes Pictaui à somno fallaciæ cõprimuntur, nec vllus superfuit, qui ex tanta multitudine vigilaret. Igitur vbi Turonici eos obdormisse conspiciunt, apprehensam sanctissimi corporis glebam alij per fenestram eijciunt, alij à foris suscipiunt. Positamq; in naui, cum omni populo per Viennam fluuium descendunt. Ingressique Ligeris alueum ad vrbem Turonicam cum magnis laudibus psallentiũ dirigunt iter. De quorũ vocibus Pictaui expergefacti, nihil de thesauro quẽ custodiebant, habentes, cum magna confusione ad propria sunt reuersi. Et ciues Turonici tripudiantes cum sanctissimi viri corpore ad vrbem Turonicam sunt regressi. Beatus autem Seuerinus Coloniensis ciuitatis Episcopus, vir honestæ vitæ, & per cuncta laudabilis, cùm die Dominico loca sancta ex consuetudine post matutinos cum suis clericis circuiret, hora illa qua vir beatus obijt, audiuit chorum canentium in sublimi. Vocatoque Archidiacono interrogat, si aures eius percuterent voces quas ille attentius audiret. Respondit, nequaquam. Tunc ille: diligentius, inquit, ausculta: Archidiaconus autem cœpit sursum collum extendere, aures erigere, & super summos articulos baculo sustentante stare. Sed credo eum non fuisse æqualis meriti, à quo hæc non merebantur audiri. Tunc prostrati terræ ipse pariter, & beatus Episcopus deprecabantur Dominum, vt hoc ei diuina pietas audire permitteret. Erectos autem rursum interrogat senex: Quid audis? Qui ait: Voces psallentium tanquam in cœlo audio: sed quid sit, prorsus ignoro. Cui ille: Ego tibi quid sit narrabo: Dominus meus Martinus Episcopus migrauit ex hoc mundo: & nunc Angeli canendo eum deferunt in excelsum. Et vt parumper mora esset, vt hæc audirentur, diabolus eum cũ iniquis suis Angelis retinere tentauit, nihilque in eodẽ suum reperiens, confusus abscessit. Quid ergo de nobis peccatoribus erit, si tãtum sacerdotẽ voluit pars iniqua nocere? Hæc sacerdote loquente notatur tempus, Archidiaconus Turonum misit velociter, qui hoc diligenter inquireret. Qui veniens eo die & hora manifestissimè cognouit transisse beatum virum, quo sanctus Seuerinus audiuit psallentium chorũ. Sed & si ad Seueri recurramus historiam, ipsa hora eum sibi scripsit cum libro vitæ suæ fuisse reuelatum. Eo tempore beatus Ambrosius, cuius hodie flores eloquij per totam Ecclesiam redolent, Mediolanensi ciuitati præerat Episcopus: cui celebranti festa dominicæ diei ista erat consuetudo, vt veniens lector cum libro non antea legere præsumeret, quàm nutu sanctus præcepisset

34 Cum hymnis canora turba prosequitur corpus Martini vsque ad locum sepulchri. Hoc modo sepeliũtur Christiani.

pisset. Factum est autem vt illa die dominica prophetica lectione iam lecta, ante altare stante, qui lectionem beati Pauli proferret, beatissimus Antistes Ambrosius super altare obdormiret. Quod videntes multi, cùm nullus eum excitare præsumeret, transactis ferè duarum aut trium horarum spacijs, excitauerũt eum, dicentes: Iam hora præterijt: iubeat Dominus Episcopus lectori lectionem legere: expectat enim populus valde iam lassus. Respondens autem beatus Ambrosius: Nolite, inquit, turbari: multũ mihi valet sic obdormisse, quia miraculum magnum Dominus mihi ostendere dignatus est. Nam noueritis fratrem meum Martinum sacerdotem de corpore egressum fuisse: me autem eius funeri 35 obsequiũ præbuisse. Peractoq; ex more seruitio, capitellam tantùm, vobis excitantibus, non expleui. Tunc illi stupefacti pariter, & admirantes, diem & tẽpus notant. Qui sollicitè requirentes ipsam diem, tempusq; reperiunt, quo beatus confessor dixerat se eius obsequijs deseruisse.

35 Si D. Ambr. in spiritu interfuit exequijs S. Martini, & illas per miraculũ celebrauit, quomodo audent quidam dicere, hæc vana esse, superstitiosa, & à clericorum cupiditate inuenta? An vanis rebus & superstitiosis, & propter lucrum duntaxat inuentis, Deus testimoniũ perhibet?

O beatum virum, in cuius transitu sanctorum canit numerus, Angelorum exultat chorus, omniumque cœlestium virtutum occurrit exercitus: diabolus præsumptione confunditur: Ecclesia virtute roboratur: sacerdotes reuelatione glorificantur. Quem Michael assumpsit cum Angelis, Maria suscepit cum virginum choris, paradysus retinet 36 lætum cum sanctis. Sed quid nos in laudem eius tentamus, quod non sufficimus adimplere? Ipse est enim laus illius, cuius laus ab eius ore nunquam recessit. Nam nos vtinam vel simplicem possimus historiam explorare. Igitur si quis requirat, cur post transitum Gratiani Episcopi vnus tantùm, id est, Lidorius vsque ad sanctum Martinum fuisset: nouerit quod obsistentibus paganis diu ciuitas Turonica sine benedictione sacerdotali fuit. Nam Christiani, qui eo tempore videbantur, occultè per latebras diuinũ officium celebrabant. Nam si qui à paganis reperti fuissent Christiani, aut afficiebantur verberibus, aut gladio truncabantur. A passione ergo Domini vsque ad transitum sancti Martini anni quadringenti duodecim computantur.

36 Anima Martini in paradyso.

ITEM ALIA SANCTI MARTINI VITA, per Diuum Bernardum Abbatem scripta.

Est sermo habitus in die festiuitatis eius.

PVTO sermonem à nobis expetit tam vester iste conuentus, quàm aduentus horum honorabilium personarum, quas de lõginquo gratulamur adesse. Sanè audirem eos ipse libentius: sed quoniam eligunt, imò & exigunt magis vt loquar, mihi, si non licet audire eos, eis necesse est obedire. Equidem viuus est nobis sermo tam multa mansuetudo eorum, qua videlicet meritis sanctiores dignitate superiores, sapientia locupletiores, non modo ad visitandos, sed etiam audiendos nos dignati sunt declinare: efficax eruditio, & omni digna acceptione doctrina. Siquidẽ non verbo, & lingua, sed opere, & veritate nos admonent imitatores suos esse, sicut ipsi sunt Christi, & discere quod ab ipso vtique didicerunt, mites esse, & humiles corde. Sic Maria Elizabeth petijt, coniugatam virgo, ancillam domina, præcursoris matrem iudicis mater, Dei genitrix seruuli genitricem. Sic postmodum Iesus etiam ipse Ioannem adijt, & adijt baptizandus, vtpote quem decebat implere omnem iustitiam. Vos quoque reuerendi patres deteriorem nobis non facitis partem vestram. Ad audiendum quippe etiam, quàm ad loquendum velociores, etiam inter ipsos, qui vestro magis eguerant documento. Nam nos quidem quia omnem non possumus implere iustitiam, vel nonnullam vobis exhibere curamus, iustum esse non ignorantes, inferiorem superioribus obedire. Sed vnde loquemur? Qui de terra est, de terra loquitur, ait vox illa clamãtis. De terra ergo loquamur, quia de terra subsistimus, & in terrra. Oportunè igitur iam Martinus ad medium veniat, vt de medio fiat occasio peccatorum. Hodie enim ille per omnia similis nobis planè, & sensibilis & passibilis, sed & longe post illa patriarchalium & propheticarum tempora visionum, & homo purus, nihil de natura diuinitatis habens, credens autẽ in eum quem non vidit, plenus fructu obedientiæ, & virtutum locuples, solum deseruit, polum subijt, terræ commendans quod habebat è terra, spiritum dirigens ad patrem spirituum, cui fideliter in adoptionis spiritu deseruiuit. Nõ fuit cœleste corpus, sed nec spiritus quidem cœlestis, rationale animal etiam & mortale, terrigena, filius hominis. In terra natus est, in terra educatus, in terra exercitatus & probatus, in terra etiam consummatus. Nec verò patriarcha erat, aut vnus ex prophetis. De quibus sanè in Euangelio veritas ait: Quia lex & prophetæ vsque ad Ioannẽ. Multò magis nõ erat ipse Christus: sed erat tamen Christus in ipso, haud aliter vtique, quàm per fidem. Enimuerò iuxta hunc modum etiam modò prope est verbũ in corde tuo, & in ore tuo tantùm, si recto quæsieris corde, nempe Apostolo interpretante: Verbum fidei istud est, de quo Moyses ait. Vnde & alibi idem Apostolus: Iesus Christus, inquit, heri, & hodie, & in æternum. Hesternũ quidẽ ab initio seculi vsque ad dominicam ascensionem; hodiernum verò diem exinde vsque ad seculi consum-

consummationem: porrò æternum intellige post communem omnium resurrectionem. Nulli horũ deest Christus, nulli deest Iesus, nulli deest vnctio, nulli salus: Patriarchis & Prophetis in visione exhibitus est: Apostolis in humanitate, Martino in fide: Angelis iam in specie. Quam sanè speciem & electis omnibus ostensurum sese promiserat, non quidem hodie, sed in æternum. Denique iam transierat heri, iam illud nostrum illuxerat hodiernum: cùm Apostoli loquerentur: Et si cognouimus Christum secundùm carnem, sed iam non nouimus. Videtur tamen etiam in hoc mane de carnibus agni nonnihil esse seruatum, sed quod residuum est vtique iam datur igni, quòd videlicet vsque hodie eadem caro nobis, sed spiritualiter vtique non carnaliter exhibeatur. Neque enim est quod causemur nostro huic negatum tempore, siue eam, quæ ad patres veteris testamenti factã apparitionem, siue eam, quæ Apostolis exhibita est præsentiam carnis. Siquidem fideliter considerãtibus neutram deesse liquebit. Adest enim eius nobis etiam nunc carnis ipsius 1 vera substantia: haud dubium sanè, quia in sacramento adsunt reuelationes, sed in spiritu, & virtute, vt tempori gratiæ, quod nunc est, nihil in vlla gratia deesse probetur. Denique nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligentibus se, nobis tamen reuelauit per spiritum suum. Nec mireris quòd carnales eis manifestationes exhibuit, qui carnalem eius præstolabantur aduentum. Nobis enim tantò efficacior gratia, & reuelatio dignior necessaria est, quantò nimirum excellentiora constat esse quæ expectamus. Itaque vt supra diximus, Martinus iste Christus non fuit, sed tamen Christum habuit, non quomodo Angeli in præsentia maiestatis, non quomodo Apostoli in visione humanitatis, non quomodo olim locutus est in visione sanctis suis: sed quomodo eum etiã nunc habet Ecclesia in fide, & sacramentis. Non erat ille lux, sed lucerna planè ardens, & lucens. De Ioanne dictum est: sed si illum protulero, puto dicetis: Maximus hominum est, plus quàm propheta est, etiam Angelus est Dei patris, sicut ipse testatur: Ecce mitto Angelum meum &c. Et Martinus lucerna erat ardens, & lucens: eum saltem non pigeat imitari. Sed imitari in eo, quod est imitabile, non autem quod mirabile exhibetur.

1 Vera substantia carnis Saluatoris nostri adest nobis in sacramento. Quod nota contra hæreticos nostri tẽporis illud negantes.

Ad mensam diuitis sedes hodie: diligenter considera, quæ tibi apponuntur. Discerne inter cibos, & vasa ciborum. Illos enim iuberis tollere, sed non illa. Diues est iste Martinus, diues in meritis, diues in miraculis, diues in virtutibus, diues in signis. Diligenter ergo cõsidera quæ apponuntur tibi: quænam videlicet ad admirationem: quæ verò ad imitationem. Aut certè quia sequitur in scriptura illa, quoniam talia oportet te præparare, diligenter considera quid apponitur, & in quo. Suscitauit Martinus tres mortuos, quantos nimirum Saluatorem legerat suscitasse. Reddidit visum cœcis, surdis auditum, mutis loquelam, claudis gressum, aridis sospitatem. Euasit diuina virtute pericula, proprij corporis obice flammas repulit, immanem sacrilegæ machinæ molem columna parili cœlo descendente prostrauit, leprosum mundauit osculo, curauit oleo paralyticum, dæmones vicit, Angelos vidit, futura præuidit. Verùm hæc quidem, cæteraque eiusmodi altissima, quæ fecit magnalia, quidni mirifica quædam vasa dixerim diuitis huius, auro grauia, gemmis micantia, pariterque materia & opere pretiosa? Noli in his saporem quærere, sed mirare splendorem. Luceat in huiusmodi lucerna nostra, vt in lumine eius videamus lumen, quod quidem purum, prout in se est, necdum præuales intueri. Non enim est iste lux, sed vt testimoniũ perhibeat de lumine, & appareat tibi interim gloriosus Deus in sancto suo, dum nõ potes ad gloriam eius, sicut est in seipso. Cæterùm ne putaueris ornatas quidem Martini lampades, sed vacuas inueniri, non est fatua virgo, habet in vasis oleum, habet vinum in phialis, habet intra paropsides istas ciborum copiam, delitias vtique spiritales, vt non modò videant, & mirentur, sed edant pauperes, & saturentur: atque in illis quidem Dominum laudent, porrò in his viuant corda eorum. Alioquin quomodo mortui laudabunt te Domine? Vt ergo sit iucunda, decoraq; laudatio, in admiratione etiam viuant ex imitatione: & vt auidius sumant delitias, ipsas quoq; diuitias curiosius contemplentur. Sic nimirum inter splendorem & feruorem lucernæ huius vicarijs quibusdam affectibus discurrendum, vt nobis alter ex altero cõmendetur, & ex mutua collatione vterq; cõplacitior fiat. Siquidẽ humilis fuit, & spiritu pauper iste Martinus, sicut euidentissimè probat effectus ipse diuinæ gratiæ, quam profectò tã multam nisi multum humili non dedisset. Vt tamen pauca virtutũ eius indicia promã, pauperem illum spiritu beatus nouit Hilarius, cùm imponere ei diaconatus officium tentans, nec præualens, quod indignum sese vociferaretur, exorcistam eum esse præcepit: in quo quidẽ locus iniuriæ videretur, 2 sciens nimirum quòd humiliorem ordinationem minimè repudiaret. Pauper fuit, veste sordidus, crine incultus, facie despicabilis. Quæ quidem licet in lectione eius à quibusdam maleuolis obiecta fuissent, & in ipso tamen Episcopatu, sicut scriptum est, penitus non mutauit. Denique quia verè pauper fuit spiritu, Martinus pauper, & modicus meruit nominari. Audi verò mansuetudinẽ eius, suo illo Sulpitio sic scribente: Tantam aduersus

2 Exorcistæ gradus humilis est ordinatio.

uersus omnes iniurias patientiā assumpserat, vt cùm esset summus sacerdos, impunè etiam ab infimis clericis læderetur, nec propter id eos aut loco vnquā amouerit, aut à sua, quantū in ipso fuit, charitate repulerit. Quod quidem in Brictio manifestè probatū omnes vos arbitror meminisse. Eum nempe ex omnibus sibi successorē elegit, & de tanta pòst futura aduersitate præmonuit. Postremò in fide, & lenitate ipsius sanctum fecit illum: ad cuius os aures suæ fuerant, cùm responderet homini, qui de eo sciscitabatur, si illum delirū quæris, prospice eminus. Ecce cœlum solito sicut amens respicit. Crebro siquidem homo Dei, vtpote terram despiciens cœlum suspiciebat, nempe sciebat ad hoc sese, vt suprà meminimus, rectam in corpore accepisse staturam: sciebat ille sese thesaurum suum, sciebat illic sedere in patris dextera Christum suum: sciebat nunquam sese, donec illuc perueniret, quod desiderabat assecuturum. Vnde & hoc ipsum quod delirus vocabatur in terra, meritò non attendit, cuius nimirum cōuersatio esset in cœlis, cuius oculi in capite suo. Sanè illuc etiam lachrymæ eius à maxilla ascendere consueuerant, quibus sic abundabat vt soleret pro illorū quoque, qui obtrectatores sui videbantur, flere peccatis. Sanè quantū iustitiam esurierit, tum in cæteris eius actibus, tū specialiter in idololatriæ persecutione probatū est, in templorū destructione, in statuarum deiectione, in succisione lucorum. Vbi se quoque aliquando non est veritus dare discrimini, vt occasio tanti criminis de medio tolleretur. Nam misericordē eum in paupere se expertum 3 saluator ipse apud Angelos gloriabatur, datam sibi medietatem vestis ostentans. Vtinam nobis etiam miseris apud summum iudicem, in cuius admirabile tabernaculum introiuit, misericordiam illam exhibere dignetur, qua & illos olim morti destinatos & tormentis varijs deputatos eripuit, pro quibus ante terreni iudicis ianuam nocte media scribitur iacuisse. Quomodo enim non audiet eum nunc, qui tunc quoque fecit audiri? Porrò munditiam cordis eius illud vel maximè indicat, quod non est confusus inimico loquens in porta: nihil in me funeste reperies, Abrahæ me sinus recipit. Nam in opere pacificorum feliciter planè consummans labores suos, licet dierum suorum finem non ignoraret: clericos tamen adijt dissidentes, inter quos reformata pace, in pace ipse quieuit.

3 Vides hæretice quod sancti in cœlo pro nobis erāt, & quod orantes magis nunc exaudiuntur Deo, quā dū erant in carne.

Cæterùm persecutiones, quas sustinuit propter iustitiam, longum est numerare: quomodo apud Iulianum Augustum in ciuitate Vangionum intrepidus: imò & illato terrore, constantior custodiæ mancipatus est, vt inermis postero die Barbaris opponeretur: quomodo circa Alpes sub securi, quam in verticē eius latro vibrabat, securissimus fuit: quomodo illum Mediolani Auxentius Arrianus grauiter insectatus, multisq; appetitum iniurijs tandē de ciuitate exturbauit: quomodo & alibi prius aduersus sacerdotum perfidias acerrimè pugnans supplicijs fuit affectus, publicè virgis cæsus, inde quoque exire compulsus est: quomodo itē in cuiusdam fani euersione cùm gentilis eum stricto gladio peteret, nudam ceruicē præbuit percussuro, donec ille extollens ad ictū dexteram cecidit resupinus: quomodo alter eū cultro ferire voluit, sed ferrū de manibus eius elapsum repente disparuit. Pro quibus omnibus dubium non est multipliciter coronari eū: qui quidem & si non semel effectu consummatæ passionis, sed toties martyr fuit affectu deuotissimæ voluntatis. Comedite iam amici, & bibite, & inebriamini charissimi. Sic enim viuitur, & in talibus vita spiritus vestri. Nisi fortè beatos prædicat sermo diuinus, qui mortuos suscitant, cęcos illuminăt, morbidos sanant, leprosos mundant, paralyticos curant, dæmonibus imperāt, futura pręnunciant, miraculis coruscant, & non magis pauperes spiritu, mites, lugentes, esurientes & sitientes iustitiam, misericordes, mundicordes, pacificos, persecutionem propter iustitiam sustinentes.

Ignoscite mihi fratres: exemplum obedientiæ paulò minus præteriui: quod quidem vel solùm iuxta propositum ordinem in Martino quoq; nobis conuenit exhiberi. Sanè moram facimus: sed, vt arbitror, bonū est nos hic esse. Tardius enim hodie venimus ad Martinum. Domine, inquit, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborē: Fiat voluntas tua. O verè sanctissimam animam, ô inæstimabilem charitatem, ô obedientiam singularem. Bonum certamen certasti, cursum consummasti, fidem seruasti. De reliquo superest tibi corona iustitiæ, quam reddet tibi Dominus hodie iudex. Et adhuc dicis, non recuso laborem: Fiat voluntas tua: Obtulisti planè Isaac vnicum illum, quem diligis: quod in te est, iugulasti: immolasti singulare gaudium tuum pia deuotione, paratus redire iterum in pericula, innouare certamina, denuò subire laborem, sustinere tribulationem, prolongare tentationem, deinde differri adhuc ab illa tanta felicitate, & diu desiderata societate spirituum beatorum, atque in huius mortalitatis ærumnas ab ipso introitu gloriæ reuocari: postremò, quod maximum est, à Christo tuo peregrinari diutius, si modò ipse voluisset. Nec sane dubium, quin ampliorem gratiā mereatur, qui paratū se exhibet, etiam ante mādatum, quàm qui obedire satagit post mandatum. Magna quidem obediētia vestra Angeli sancti: sed quod dicere audeā pace vestra, nescio an inueniatur in vobis quisquam paratus in tale aliquando ministerium mitti: in quo necesse habeat non videre faciem patris. Magnum est petere, quòd Dominum

secuturus

secuturus omnia reliquisti: sed audiuit te in monte dicentem, vbi transfiguratus est coram vobis: Domine, bonum est nos hic esse, faciamus hic tria tabernacula. Non est hoc: Si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem. Paratum cor tuum Martine, paratum cor tuũ, siue manere in corpore, siue dissolui, & esse cum Christo. Et magna quidem in horrenda morte securitas, magna in visione Christi desideranda, & tam feruenter ac singulariter desideranda perfectio reperitur: sed id quidem longè amplius per omnem modum, quod qui mori non metuis, imò qui tanto desiderio præsentiam Domini concupiscis, viuere quoque non renuis, & expectatione molestissima fatigari. In quo ei alio non obedire potuerat, qui in hoc tanto articulo tam deuotè clamabat: Fiat voluntas tua. Hæc ergo pars nostra sit, fratres, in conuiuio hodierno: Hanc nobis obedientiam in mensa pauperrimi iam diuitis huius appositam diligenter consideremus, scientes quoniam ipsa est quæ à nobis exigitur: ipsa quam oportet nos præparare, vt singuli quique dicamus: Quia paratus sum, & non sum turbatus, vt custodiam mandata tua. Nec modò semel, aut in parte: sed paratum cor meum Deus, paratum cor meum: paratum ad vtrunque, & in nullo tuam præscribens dispositionem. Fortè hoc cupio, & specialiter, & vehementer: sed ne quidem illud recuso, sicut fuerit voluntas in cœlo, sic fiat. Desidero requiem, sed non recuso laborem: Fiat voluntas tua.

SANCTI ALEXII VIRI DEI VITA.

Apud Simeonem Metaphrasten.

FVIT vir pius Romæ nomine Euphemianus, diuis Arcadio & Honorio Imperatoribus, Senator magnus, cui tria erant seruorum millia, qui zonis aureis, & vestimentis sericis induebantur. Nullos autem susceperat filios, quoniam vxorẽ habebat sterilem. Optimus hic erat vir. Ternas domi suæ mensas instruebat pro viduis, & pupillis, & peregrinis, & pauperibus & ægrotantibus. Ipse verò hora nona cum monachis peregrinis panẽ edebat. xvij. Martij.

Et si quando minus in pauperes benignus, & misericors extitisset, prostratus in faciem suam, dicebat: Non sum dignus, qui ambulem in terra Dei mei. Huic erat vxor Aglais nomine, mulier fidelis, ac timens Deum, & erga pauperes benigna ac liberalis, quæ cùm esset sine liberis, Deum orabat, vt sibi filium largiretur, in quo vir eius conquiesceret, & animum oblectaret. Et recordatus est eius Deus, largitusque est ipsi filium, vt senectutis solatium haberet. Et baptizauerunt eum, imposueruntque illi nomen Alexio. Quem cùm sex esset annorum, Grammaticæ rudimentis imbuendum, & historiæ Ecclesiasticæ cognitione, atque arte oratoria erudiendum curarunt. Itaque doctissimus euasit.

Verùm cùm adoleuisset: Matrimonio, inquit Euphemianus ad cõiugem suam, coniungamus charissimum filium nostrum. At illa procidit ad pedes eius: Confirmet, inquiens, Deus id quod dixisti. Nuptias celebra dulcissimi filij nostri, vt videam ex eo prolem, & lætetur animus meus. Et adhuc egenis & pauperibus auxiliabor. Puellam igitur ei regij sanguinis desponderunt. Et coronarunt eos in templo sancti Bonifacij, adhibitis venerandis sacerdotibus, totumque diem hilariter vsque ad vesperam transegerunt. Tunc Euphemianus: Ingredere, inquit, fili ad sponsam, & cognosce coniugem tuam. Qui in thalamum ingressus, eam in cella sedentem inuenit: annulumque suum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta ei tradidit: Accipe, inquiens, hæc, atque serua: Et Deus erit inter me atque te, donec illi placebit. Et in cubiculum suum ingrediens, ex proprijs diuitijs sumpsit: & ad portum descendens, nauim inuenit, in eamque conscendit, ac Laodiceam peruenit. Cumque è naui egressus esset, agasones reperit, quibus se itineris comitem adiunxit, donec Edessam Mesopotamiæ vrbem, vbi Domini Iesu 1 imago seruatur non manu facta, quam ipse dedit Abagaro in vita sua, peruenit. Hic omnia bona sua vendidit, 2 pauperibusque distribuit. Atque vestimentis vilibus indutus, & in vestibulo templi Dominicæ nostræ Dei genitricis manens, & si quid accipiebat, id egenis sensibus nutriendis impendebat. Et cùm faciem quidem in medio brachij demissam teneret, cor eius Deo vacabat. Mater autem die quæ celebratas nuptias consecuta est, in cubiculum suum ingressa, fenestram clausit, saccumque strauit ac cinerem, atque ibi iacebat. Non surgam, inquiens, prius, quàm didicero, quid filio meo vnigenito factum sit. At nurus ad socrum conuersa: Neque ego, inquit, à te discedam, & turturem imitabor, quę solitudinis amans, quãdo maritus eius, quem vnicum habet, captus est, mœrens eum in conuallibus quæritat. Sic ego forti animo feram, & expectabo, dum audiam quid viro meo, qui præclaram viuendi rationem elegit, acciderit. Pater autem cùm post nuptiarum diẽ filius nõ inueniretur, omnes fere

1 *Ecce antiquissimum imaginum vsum.*
2 *Vide verã paupertatem Euangelicam.*

ff seruos

ſeruos ad eum quærendum dimiſit. Quorum è numero cùm quidam Edeſſam perueniſſent, ei minimè ab ipſis cognito eleemoſynam dederunt. Ipſe verò & agnouit eos, & gratias egit Deo, qui ſe dignũ feciſſet, vt eleemoſynam à ſeruis ſuis domeſticis acciperet. Serui autem redeuntes Domino ſuo nunciauerunt, ſe filium eius non inueniſſe.

At Alexius, cùm decem & ſeptem annos in veſtibulo ædis Dominæ noſtræ Dei genitricis tranſegiſſet, Deoque gratus eſſet, imago ipſius beatæ Virginis ſic ædis cuſtodem eſt allocuta: Introducito huc virum illum Dei, qui dignus eſt regno cœlorum: nam oratio eius, ſicut incenſum, aſcendit in cõſpectu Dei, & ſpiritus ſanctus ſuper eum requieſcit. Introductus igitur, cùm celebris omnibus fieret, ipſe vt humanam gloriam fugeret, Tharſum Ciliciæ ad S. Pauli templum ire decreuit, vbi nemini notus foret. Sed naui conſcenſa, vi tempeſtatis Romam appulit. Itaque viuit, inquit, Dominus Deus meus, non ero cuiquam grauis. Sed domum patris accedam, cùm ſim omnibus ignotus. Cùm igitur patri è magno palatio multis comitantibus redeunti occurriſſet, Serue, inquit, Dei, benignitatem exerce in me abiectum, & pauperem, domique tuæ admitte, vt de micis quæ cadunt è menſa tua, cum ſeruis tuis domeſticis edam: Et Deus ſanctus benedicet temporibus tuis: & ſi qui tuorum peregrinantur, eos tibi reddet incolumes. Audita peregrinorũ mentione Euphemianus, lætus quod eiuſmodi pauperi factus eſſet obuiam: & filij ſui vnigeniti recordatus, cõuocatis ſeruis ſuis: Quis, inquit, ex vobis huic pauperi vult deſeruire, & liber erit omnibus diebus vitæ ſuę, atque etiam hæreditatem accipiet è domo mea? Eum in veſtibulo domus conſtituite, vt quotieſcunque ingrediar, & egrediar, illum videam. Nulla eum re menſæ meæ defraudate. Cùm autem veſpera aduenìſſet, & ſilentium eſſet, quidam è ſeruis eum affligebant: quidam alapis cædebant, alij vellebant capillum, alij ſordes in caput eius effundebant. Ipſe verò hæc diaboli opera fieri conſiderans, omnia patienti & læto animo ſuſtinebat. Quodam autẽ die cùm Archiepiſcopus ſacra faceret, & ſacrificio diuus Imperator intereſſet, audita eſt vox diuinitus, dicens: Venite qui laboratis, & onerati eſtis, & ego reficiã vos. Quamobrem timor & admiratio cunctos inuaſit. Et ceciderunt in facies ſuas clamantes: Miſerere noſtri Domine. Secundò autem audita eſt vox ex altari dicens: Quærite virum Dei: & orabit pro Roma, & res proſperè cedet. Die autem paraſceuæ è corpore egreditur. Eo die igitur ſummo mane cùm omnes in S. Petri templũ conueniſſent, vt intelligerent vbinam vir ille Dei eſſet, arcanæ vocis monitu dictum eſt, vt in ædibus Euphemiani virũ Dei conquirerẽt. Tum ſacratiſſimus Imperator ad Euphemianum: Tantũ, inquit, munus domi habebas, & nobis id non ſignificaſti? At Dei vir cum ſciret vitæ ſuæ finem appropinquare: Affer huc, inquit miniſtro ſuo, frater chartam & atramentum. Scripſitque totam vitam ſuam, & arcana quæ inter ſe & patrem, & matrem, ſponſamque ſuam interceſſerant: quicquid ei dixerat in thalamo, cùm illi dedit annulum aureum, & caput baltei in velo purpureo inuoluta: vt à parentibus agnoſceretur. Decreuit igitur diuus Imperator, vt Euphemiani domus peteretur, ibique vir Dei quæreretur. Euphemianus autem ſeruis ſuis iuſſit, vt ad ſuſcipiendum Imperatorem domum ornarent, & ſcamna ſellaſque diſponerent. Sponſa verò ſtans in ſolario ſpectabat, quid ſibi vellet ea perturbatio, & quæ dicerenter ac fierent.

Archiepiſcopũ Romanũ Pontificẽ intelligit: nam epiſcoporum princeps is eſt.

At Alexij miniſter ad dominam ſuam: Num, inquit, hic pauper eſt vir Dei? Magna profectò & præclara ſigna in ipſo perſpicio. Quolibet enim Dominico die ſancta myſteria ſuſcipit: cibuſque eius [3] tenuis, & potus duæ ſunt aquæ vnciæ. Ad hæc quidem è ſeruis affligunt eum, nonnulli alapis cædunt, alij vellunt capillos, multi ſordes in caput eius effundunt, quæ ille perfert æquo animo. Interim Euphemianus accedens, Alexium, cui neque vox, neque auditus erat, alloquebatur: retectaq; eius facie, tanquam Angeli ſplendidam vidit. Cumq; defunctum eſſe, & chartam manu continere animaduertiſſet, conatus eſt eam tollere, ſed non potuit. Itaque veniens ad Imperatorem: Inuentus eſt, inquit, is quem pietas veſtra conquirit, ſed ceſſit è vita, & chartam manu tenet, quam nobis dimittere non vult. Tunc diuus Imperator lectum in medio ſecreti cubiculi ſterni iubet, in eoque ipſum collocari. Archiepiſcopus autem, & diuus Imperator conſurgentes ceciderũt in facies ſuas, atque dixerunt: Da nobis chartam, vt videamus qui ſis, & quid ſibi velint ea, quæ in charta conſcripta ſunt. Et confeſtim chartam ipſis tradidit, quam Aëtio ſacroſanctæ Eccleſiæ Cancellario legendam dederunt. Dum autem legeretur, magnum eſt ſilentium conſequutum. Sed cùm ad eum locum peruentum eſſet, vbi de parentibus, déque ſponſa fiebat mentio: & quemadmodum ipſi annulum aureum, & baltei caput in velo purpureo conuoluta tradidiſſet, tunc Euphemianus excitatus canos diuellere, & curſu ad venerabile corpus contẽdere, atque illud complecti, & magna cum affectione oſculari, ac dicere: Heu me miſerum, domine mi, cur ſic mecum egiſti? Cur hanc animo meo afflictionem inuſiſti? Cur nuſquam cùm in paterna domo eſſes, méque triſtem ac mœſtum cerneres, non aperuiſti? Mater autem tanquam leena è viuario ruens, ſciſſis veſtibus, cœlum obliquis oculis ſuſpiciebat,

3 Ecce quanta ſancti abſtinentia & patientia.

& turbam precabatur, vt sibi locum daret: Date mihi, ô viri, dicebat, vt spem meã aspiciam. Date mihi locum ô viri, vt membra contingam mea. Date mihi locum ô viri, vt vnigenitum meum amplectar. Et accurrens proiecit se super pretiosum corpus filij sui, & amanter illud osculabatur: Hei mihi, inquiens, domine mi, cur nobis ita fecisti, vt affligeres animã nostram? Videbas nos in patria domo dolentes, & te nobis non patefecisti? Hei mihi quid faciam? Quò circũspiciam? Sponsa verò lugubri veste induta currens procidit super venerandũ sponsi sui corpus: Hei mihi, inquiens, mi turtur solitudinis amãs, tot annos propter te vixi solitaria, & hodie vidua relinquor, nec habeo amplius quẽ morer, quẽ expectem. Porrò Archiepiscopus & imperator iusserunt lectum circũgestari. Sed populus ita premebat, vt moueri non posset. Tunc iussit Augustissimus Imperator, vt aurum argentumque proijceretur, quò populus ad colligẽdam pecuniam diuerteret. Verùm nemo fuit qui aurũ curaret: sed omnes ad venerandas reliquias concurrebant. Si quis 4 enim eas tantùm aspiciebat, ab omni malo liberabatur. Surdi audiebant, muti loquebantur, mundabantur leprosi, dæmones fugabantur. Sacras igitur reliquias in S. Petri templum gestarunt, vbi diebus septem ei iusta, parentibus & sponsa præsentibus, 5 celebrantur. Imperator autem arcam è marmore & smaragdo faciendam curauit: in eaque corpus sanctissimum posuit xvj. Cal. Aprilis, Arcadio & Honorio Imperatoribus, Innocentio autem primo Pontifice. Porrò ex arca ipsius 6 oleum suauissimum emanauit: ex quo si quis accipiebat, quicquid postulabat, obtinebat à Deo: Cui gloria in secula seculorum.

4 Vide quãtis miraculis glorificet sanctos suos Deus, qui propter eius amorẽ humiles spiritu, & abiecti in domo eius esse elegerunt.

5 Ecce antiquum morem celebrandi septem diebus iusta pro defunctis.

6 Nota quomodo etiam ex sancti arca oleum pro obtinendis postulatis emanabat.

VITA D. IOANNIS CHRYSOSTOMI CONstantinopolitani Episcopi, per Casiodorum Senatorem scripta.

SOCRATES. Defuncto Theodosio, in imperium filij successerunt, Arcadius in Oriente, Honorius autem in Occidente. Hoc tempore in Romana Damasus præsidebat Ecclesia, in Alexandriam Theophilus. Hierosolymis Ioannes Flauianus Antiochenam tenebat sedem, Constantinopolitanamque Nectarius. Igitur circa octauum diem Nouemb. mensis eodẽ Consulatu corpus Theodosij delatum cum solenni honore ab Arcadio filio sepulturæ 1 contraditur. Post paucos verò dies, id est, vicesimoseptimo eiusdem mensis die, etiam exercitus qui cum Imperatore Theodosio fuerat contra tyrannum, reuersus est: Et cum Imperator Arcadius secundùm consuetudinem ad portas occurrisset exercitui redeunti, tunc milites Rufinum præfectum Imperatoris peremerunt. Erat enim suspectus, quasi tyrannidem posset assumere. Dicebatur autem Hunnos ipse in Romanorum prouincias euocasse, qui tunc Armeniam, & partes Orientis valde vastabant. Theodoretus. Honorius itaque suscipiens Occidentis imperium, monomachias quæ iam olim Romæ celebrabantur, huiusmodi de causa remouit. Quidam Telemachus conuersationis monasticæ, hac de causa ab Oriente venit Romam. Cumque nephandum illud spectaculum ageretur, etiam ipse intrauit stadium, & descendens nitebatur pugnantes inter se gladijs separare. Cumque spectatores aduersus eum sæuirent, & in effusione sanguinis grassarentur, prouisorem pacis lapidibus occiderunt. Hoc vbi cognouisset mirabilis Imperator, illum quidem inter victores martyres numerauit, nephandum verò spectaculum prorsus sustulit. Socrates. Cùm verò modicum tempus transisset, etiam Nectarius Constantinopolitanus Episcopus defunctus est, consulatu Cæsarij & Attici, septimo & vicesimo die Septembris mensis. Mox ergo studia generantur in Episcopatum, alijs alium ordinare cupientibus. Nouissimè verò placuit, vt ab Antiochia Ioannes euocaretur, Ecclesiæ presbyter. Erat enim eius doctrinæ fama mirabilis. Intra modicum tempus communi decreto omnium clericorum & laicorum Imperator Arcadius euocauit eum. Et propter dignitatem ordinis, cùm adessent ex imperiali iussione plurimi Episcopi, etiam Theophilus venit Alexandrinus, qui studebat quidem Ioannem detrahere, & Isidorum suum presbyterum ordinare. Diligebat enim eum, quòd aliquãdo sustulisset pro ipso tale periculum. Cùm imperator Theodosius aduersus Maximum Tyrannum decertaret, Theophilus per Isidorum xenia misit Imperatori, & duplices misit epistolas, mandans vt alteras non vincenti daret: porrò victori & munera & alteras porrigeret literas. Has cùm Isidorus portasset, Romam veniens victoriam expectabat. Sed non diu latuit. Quidam enim lector rapiens epistolas demonstrauit Imperatori. Quamobrem Isidorus terrore correptus, in Alexandriam fugit, celare volens quod fuerat ei mandatũ. Ob quã causam Isidorum Theophilus diligebat. Verũ palatij iudices proposuẽre Ioannẽ. Cumq; multi Theophilũ accusarent, libellos aduersus eũ pro diuersis causis præsentibus Episcopis obtulerunt.

Habetur lib. 10. hist. Trip. cap. 3.

1 Corpus Theodosij ab Arcadio filio solenni honore sepulturæ contraditur.

Tunc præpositus palatij Eutropius nomine, ſumens accuſationes ſcriptas, oſtendit Theophilo, dicens: Aut ordina Ioannem, aut accuſationes venient ad examen. Hinc perterritus Theophilus Ioannem ordinauit Epiſcopum: qui ſuſcepit epiſcopatum ſextodecimo die Februarij menſis Conſulatu Honorij Imperatoris, & Eutichiani præfecti. Quod verò Ioannes vir fuerit omnino præclarus, ex libris quos reliquit cognoſcitur. Cuius vitam, genus, conuerſationem, & quemadmodum ſit depoſitus, & poſt mortem magis honoratus, exponam. Ioannes itaque fuit Antiochenus, filius Secundi & Anthuſæ nobilium perſonarum, diſcipulus Sophiſtæ Libanij, & auditor Audragatij philoſophi. Cumque ſe ad aduocationem præpararet, conſiderás moleſtias litigantium, iniuſtumque vitę propoſitum, potius elegit quietem. Et hoc fecit æmulatus Euagrium, quoniam & ille quum ijſdem ſtudijs eſſet vſus, quietam magis ſecutus eſt vitam. Mox ergo mutato cultu pariter & inceſſu, diuinis lectionibus incumbebat, & frequentius ad ſanctam concurrebat Eccleſiam. Hæc agens perſuaſit etiam Theodoro & Maximo, qui fuerant condiſcipuli ipſius apud Sophiſtam Libanium, vt pompoſam relinquerét vitam, & ſimplicem ſequerétur. Quorum Theodorus poſtea Epiſcopus Mopſueſtienſis ordinatur Eccleſiæ. Maximus autem Seleuciæ Iſauriæ. Tum itaque iſti fiebant diſcipuli in lectione diuina Diodori atque Carterij, qui eo tempore ſacris monaſterijs præſidebant. Sed Diodorus poſtea Tharſi ordinatus Epiſcopus multos conſcripſit libros, ſacras ad literam intuens ſcripturas. Porrò Ioannem degentem cum Baſilio, qui tunc à Melitio factus erat diaconus, & poſtea Cæſareæ Cappadociæ præſule conſtituto, Zeno Epiſcopus à Hieroſolymis reuertens, lectoré in Eccleſia Antiochena conſtituit. In quo adhuc officio poſitus librũ edidit contra Iudæos. Poſt modicum verò tempus etiam diaconatum à Melitio promerens, de ſacerdotio aliũ fecit librum, alioſque plurimos explanauit. Poſtea verò Melitio in Conſtantinopolitana vrbe defuncto, recedens Ioannes à Melitianis, & neque Paulino cõmunicans, tribus annis continuè ſub quiete degebat. Mortuo verò Paulino, ab Euagrio eius ſucceſſore presbyter ordinatur. Ante Epiſcopatum itaque hoc modo conuerſatus eſt. Fuit enim vir (vt aiunt) propter zelum caſtitatis ſeuerior, & amplius quàm habebat à iuuẽtute ſua furori magis quàm reuerentiæ ſe præbebat, & propter vitæ rectitudinem incautus proſpicere de futuris. Propter ſimplicitatem verò, oris libertate profuſus, apud colloquentes non mediocriter vtebatur. Docendo præcipuus erat, vtilis ad corrigendos audientium mores. In confabulatione verò arrogans à neſcientibus putabatur. Cùm ergo talis moribus eſſet, Epiſcopatu ſuſcepto, maiori faſtu quàm debuerat vtebatur, clericorum ſuorum corrigere vitam volens. Mox igitur in ipſo initio quum clericis aſper videretur Eccleſiæ, erat plurimis exoſus: & veluti furioſum vniuerſi declinabant. Compellebat enim eum, vt velut omnes offenderet, Serapio diaconus eius, qui aliquando præſentibus clericis hunc protulit magna voce ſermonem: Nunquam poteris, ô Epiſcope, hos corrigere, niſi vno baculo percuſſeris vniuerſos. Quo dicto maiora contra eum odia concitata ſunt. Non poſt multum verò temporis plurimos clericorum pro diuerſis exemit cauſis. At illi conſpirantes aduerſus eum, etiam derogationibus apud populum vtebantur: quarum rerum faciebant maximam fidem, eò quòd nec vllum ſecum comedere pateretur, nec ipſe ad alium inuitatus accederet. Dicunt enim quidam propterea noluiſſe eum cum quoquam comedere, eò quòd turpiter manducaret, eſcaſque perciperet. Alij verò propter excellentem ciborum abſtinentiam [2] hoc eum facere prædicabant.

2 *Excellens ciborum abſtinentia in Ioanne.*

Sozomenus. Ego tamen, quodam viro veraci referente audiui, quòd propter abſtinentiam capite & ſtomacho ſæpe dolebat, & ideo prandiorum epulas euitabat.

Socrates. Porrò populus propter ſermones quos in eccleſia faciebat, diligebat eum, paruipendes accuſatorum voces. Quales verò ſint eius libri, non oportet nunc dici: quoniam legentibus poterunt indicari. Igitur cùm clero tantummodo eſſet exoſus, machinationes contra eum non omnino valuerunt. Cùm verò etiam plurimos procerum obiurgare cœpiſſet, tunc inuidia contra eum maior accenſa eſt. Et plurima quidẽ dicebantur: multa quoque faciebant audientibus fidem.

Eius derogationibns dedit argumentum homilia contra Eutropium tunc prolata. Eutropius enim eunuchus præpoſitus Imperatoris, & habens Conſulis dignitatem, volens in quoſdam, qui ad Eccleſiam confugerant, animaduertere, operam dedit, vt ab Imperatoribus lex poneretur, iubens vt nullus ad Eccleſias confugeret, imò qui dudum confugerant, traherentur. Sed Dei ſequutum eſt repentè iudicium. [3] Erat ergo propoſita lex. Poſt paucos verò dies cùm ipſe Eutropius offendiſſet Imperatorem, inter refugas erat apud Eccleſiam. Epiſcopus verò Eutropio ſub altari iacente, nimioque percuſſo timore, reſidens ſuper amboné, vbi ſolebat prius facere conſuetè ſermoné, homiliam increpatoriam fecit aduerſus eũ. Vnde plurimos magis offendebat, eò quòd hominem in infelicitate poſitũ nõ ſolùm non miſereretur, ſed etiã ne obiurgare quidẽ deſiſteret. Igitur Eutropij tunc cõſulatus dignita-

3 *Vide mirã Dei vindictam contra infringentem priuilegia Eccleſiæ.*

dignitatem habentis, propter quædam crimina caput Imperator iussit amputari,& ex ordine Consulum eius nomen penitus aboleri. Quamobrem Theodori solummodo, qui cum eo Consul fuit, nomen adscriptum est. Pro diuersis igitur causis multos sæpius liberè obiurgabat,& plurimis erat exosus. Vnde Theophilus Alexandrinæ ciuitatis Episcopus mox post ordinationem causas eius deiectionis quæsiuit,& quibusdam præsentibus ei latenter obloquebatur, multis etiam longè positis scribebat. Contristabatur enim non solum propter libertatem illam, sed quòd etiam Isidorum presbyterum suum Episcopum Constantinopoleos ordinare non valuisset. Theodoretus. Sacerdotibus igitur Ioannes Episcopus supplicabat, vt secundùm ecclesiasticas viuerent sanctiones, quas quicunque præuaricari præsumerent, eos ad templum prohibebat accedere. Dicebat enim, quòd nec deberent frui honore sacerdotij, qui eorum vitam contemnerent imitari. Non solum autem prouidentiam vrbis Constantinopoleos habebat, sed etiam totius Thraciæ, quæ sex præfecturis est diuisa, & Asiæ totius, quæ ab vndecim præsidibus regitur. His legibus ornabat etiam Ponticam regionē, quæ totidem iudicibus gubernari dinoscitur. Cumq; cognouisset in Phœnice adhuc dæmonibus sacrificia ministrari, electos monachos & imperialibus sanctionibus coarmatos aduersus cultores destinauit idolorum, dās pecunias templorum destructoribus erogandas, nō ex ærario publico, sed quas à fidelissimis mulieribus oblatas liberaliter excipiebat sic ab ipso persuasis. Vidēs verò etiam cohortem Celticam Arrianis retibus illaqueatam, & cogitans de eorum capienda salute, consilium huiusmodi venationis inuenit. Eiusdem namque linguæ presbyteros, diaconos, atque lectores fecit, & vnam eis Ecclesiam dedit. Qua occasione multos eorum cepit, cùm & ipse frequenter illuc iret, & per interpretem Celticum diuinas lectiones exponeret. Hæc ergo intra ciuitatem crebrò faciēs, & plurimos eius gētis Arrianorum ad Apostolica dogmata reuocauit. Apud Scythas autem quidam erant salutis desiderium habentes, quò non poterant peruenire. Quod Ioannes cognoscens, quæsiuit viros Apostolico zelo feruentes, eosque misit, & desiderantibus salutis gratiam ministrauit. Ego autem etiam literas eius legi ad Leontium Ancyræ Præsulem: Quibus indicauit Scythas fuisse conuersos in nostra prouincia. Et cognoscens in quibusdā vicis Marcionis creuisse languorē, scripsit eius loci pastoribus, vt eos pellerent. Insuper etiā principis pro hac causa proferri petijt sanctionē. Quod igitur ecclesiarum curam in animo habuerit, secundùm diuinum Apostolum, satis hæc docuerint. Licet autem etiam aliunde illius libertatem intelligere. Gainas quidam genere Celticus, consilio Barbarus, studio tyrannico vehementer elatus, eo tempore cùm esset magister militum, multos suæ gentis, multos etiam Romanorum sub suo magisterio habēs, terrorem plurimis, etiam ipsi principi meditatione tyrannidis inferebat: eratque Arrianus. Is ergo rogauit Imperatorem, vt intra ciuitatem ei vnam daret Ecclesiā. At ille eum se placare promisit. Tum euocans Ioannem, eique potentiam illius meditatamque tyrannidem dicens, petebat vt data Ecclesia eius refrenaret intentionem. At ille virtute fortissimus: Noli, inquit, ô Imperator, hæc promittere, neque sanctum canibus dare. Non enim potero Deo benedicentes expellere, & sanctum templum blasphemantibus iniustè cōtradicere. Neque hunc Barbarum metuas Imperator, sed ambos nos iube vocari, & sub silentio inter nos quæ dicuntur audi. Ego namque linguam illius sic frenabo, vt non præsumat petere, quæ dari non expedit. Hoc audiens Imperator gauisus est, & vtrumque altero die vocauit. Tunc Gainas petitionem suam poscebat, Ioannes contradicebat, dicens: Non licet Imperatori pietatē custodienti aliquid contra mandata diuina tentare. Cumque responderet ille quòd oratorium & ipse habere deberet, Ioannes ait: Vbique tibi diuina domus aperta est, & nullus te vetat orare. At ille: Sed ego, inquit, alterius sectæ sum, & cum meis vnum templum habere deposco. Multos enim pro Romana republica labores assumpsi, & non debeo in mea petitione contēni. Cui Ioannes: Plurima, inquit, præmia, & quæ transcendunt tua certamina percepisti, magister militum factus: Consulari toga insuper exornatus. Et oportet te considerare, quis pridem fueris, & qualis modò conspiciaris: & quæ prisca paupertas, & quæ præsens substantia. Quibus vestibus vsus fueris antequam Histrum transisses, & quibus nunc vtaris. Considera igitur paucos labores maxima tibi præmia contulisse, & circa honorantem te non sis ingratus. His sermonibus tantus ille doctor obstruxit os Gainæ, eumque compulit vt taceret.

Sozomenus. Igitur cùm Gainas adipisci desideraret imperium, qui pridem de sua fide apud beatam martyrē Euphemiam in Chalcedone Imperatori Arcadio promisisset, diuersa consilia reuoluebat, & in sua intentione semper instabat. Cumque per diem nihil in vrbe Constātinopolitana agere potuisset, machinatus est vt noctu Barbaros mitteret, qui palatiū concremaret. Tunc verò apertè monstratum est, quomodo Deus custodiat ciuitatem. Missis enim ab eo Barbaris ad incendiū atque prædas, Angelorū turba apparuit armatorū ingentia corpora habentiū. Illi verò putantes esse milites, abscesserunt. Cumque hoc Gainę fuisset

 nuntia-

nunciatum, incredibile visum est. Nouerat enim omnem exercitum per ciuitates constitutum. Quapropter denuò sequēti nocte alios destinauit. Cumque idem ei renunciatū fuisset (denuò enim Angeli eandem visionem Barbaris ostendebant, nouissimè ipse egressus cum multitudine, miraculi sumpsit experimentum, arbitratus re vera, quod per diem quidem lateret exercitus, noctu verò pro eius custodia poneretur. Et ita cùm intra vrbem nihil posset implere, egressus ad Thraciam, apertè hostilem monstrauit intentionem.

Theodoretus. Cùm igitur aliquantum transisset tempus, diu meditatam tyrannidem Grainas patefecit. Collecto namque exercitu, per Thracias vniuersa vastabat. Hoc cognoscentes & Iudices & populi, terrebantur: & neque repugnare illi quisquam audebat, neque apud eum legatione fungi, dum asperitatem Barbaricam formidarent. Tum ergo alios omnes tanquam metuentes relinquentes, Ioanni viro sanctissimo onus legationis imposuerunt. At ille neque illius insultationis memor, neque inimicitiarum, quæ hinc exortæ videbantur, alacriter est profectus ad Thraciam. At ille cognoscens legatum, eiusque fiduciam pro pietate animosè assumptam, occurrit ei longo itinere, eiusque dexteram suis oculis circumposuit: insuper etiam suos filios sacra eius genua osculari præcepit. Huius ergo virtutis Ioannes fuit, vt etiam valde terribiles humiliari cogeret, & timere. Socrates. Ioannes itaque Episcopus Constantinopolitanus doctrina florebat, & apud cunctos fauorabilis habebatur. Auxitque primus in nocturnis hymnis 4 orationes ob huiusmodi causam. Arriani (sicuti dictum est) extra ciuitatem collectas agebant. Sabbato autem atque Dominica intra portas & porticus congregati, hymnos & Antiphonas ex Arriano dogmate compositas decantabant. Et hoc maxima noctis parte faciētes, diluculo cum ipsis Antiphonis per mediam ciuitatem egressi portam, ad suam Ecclesiam concurrebant. Cumque hoc crebro quasi ad vituperationem Orthodoxorum facere non cessarent: frequenter enim etiam hoc cantabant: Vbi sunt qui dicunt tria virtute vnum? Tum Ioannes metuens ne simplices huiusmodi cantibus traherentur, instituit suum populum, vt & ipsi nocturnis occuparentur hymnis, vt & illorum obscuraretur opus, & fidelium professio firmaretur. Studium ergo Ioannis valde vtile cum turba periculisque finitum est. Nam cùm clariores hymni homousianorum noctu apparent (Fecerat enim etiam cruces argenteas, 5 quæ cum argenteis cereis portabantur, expensas ad hæc Eudoxia Augusta præbente) tum Arriani zelo tracti, vsque ad cædem insurgunt. Vna ergo nocte, facta congressione, lapide in fronte percussus est Brison Eunuchus Augustæ, qui ad hymnos exercendos fuerat deputatus. Sed etiam quidam ex populo vtriusque partis extincti sunt. His motus Imperator, prohibuit Arrianos hymnos publicè decantare.

4 Ioannes primus in nocturnis hymnis auxit orationes.

5 Fecit & cruces argēteas, quæ cum argenteis cereis portabātur, expensas præbente Augusta. Intelligisne hæc heretice?

Sozomen. Fertur verò, quod inter alia Ioannes etiam propter Seuerianum Gabalensem Episcopum, odiū Augustæ sibi conflauerit. Is enim Seuerianus & Antiochus Ptolemaidos ambo eloquentissimi erāt, & coram ecclesia docere instructi. Veniens ergo prius Antiochus Constantinopolim eloquentia promotus, atque pecunijs ditatus, in suā reuersus est ciuitatē. Quem æmulatus Seuerianus postea venit, videns quod Ioānes frequenter in ecclesia sermone facto mirabilis apparebat. Eratque honorabilis apud multos Proceres & apud ipsum Imperatorem pariter & Augustam: Itaque cum Ioannes profectus fuisset in Asiam, huic cōmendauit ecclesiam. Credebat enim eius blandimentis, quòd se re vera diligeret. At ille magis se auditoribus commendabat. Quod cùm Ioannes audisset Serapione nunciante, æmulari cœpit. Reuersoque ab Asia Ioanne contigit transeunte Seueriano, vt studio non assurgeret Serapio. At ille exasperatus clamauit: Si Serapio clericus mortuus fuerit, Christus inhumanatus non est. Ob hanc rem accusatus à Serapione velut iniuriosus & in Deum blasphemus, ciuitate pulsus est à Ioanne. Quod Augusta cognoscēs per familiares Seueriani, mox eum à Calcedone fecit reuocari. Porrò Ioannes multis rogantibus, eum videre refugiebat, donec in Apostolorum ecclesia in eius genibus poneret Augusta Theodosium filium suum, supplicans, & sæpe adiurans, vt Seuerianum ipsius reconciliaret affectui.

Socrates. Interea Monachi ab eremo Constantinopolim veniunt cum Dioscoro & fratribus, cū quibus Isidorus, qui Theophilo amicissimus pridem ob huiusmodi causam postea fuerat inimicus, Petrus quidam archipresbyter Alexandrinæ fuit ecclesiæ. Hunc Theophilus ab ecclesia ex odio proiecit, culpans eum, quasi mulierem quandam Manichæam, non prius abrenunciantem hæresim, in communionem sacram suscepisset. Cumque Petrus diceret se eam iussu Theophili suscepisse, illo negante, Isidori testimonium Petrus implorabat, quod hoc actum non ignorasset Episcopus. Eo tempore Isidorus Romæ agebat, à Theophilo missus ad Damasum, vt ei Flauianum Antiochiæ recōciliaret Episcopum. Verùm reuersus Isidorus Petri responsionem veram esse firmauit, dicens quòd mulier Manichæa cum Episcopi fuisset iussione suscepta. Hinc accensus Theophilus, ambos expulit ab Ecclesia. Ob hanc ergo causam Isidorus cum Dioscoro & reliquis Constantinopolim venit,

vt Prin-

vt Principi & Ioanni eius facta narraret. Hæc Ioannes cognoscens, honorabat principio viros, eorumque fruebatur orationibus. Communione verò sacra cum eis ante causæ cognitionem participare non voluit. His ita gestis, peruenit ad Theophilum sermo fallus, tanquam Ioannes illis communicasset, vt eis ferret auxilium. Parabatque vt non solum de Dioscoro & Isidoro sese vlcisceretur, sed etiam Ioannem episcopatu deponeret. Misit ergo ad singularum Episcopos ciuitatum epistolas, celans intentionem suam, culpans tamen Origenis libros. Deinde Epiphanium Cypri fecit amicum, cùm prius eius fuisset inimicus, tanquam de Deo minus bene saperet, eumque formam hominis habere iudicaret. Tunc ergo quasi ex pœnitentia, eius se professus est sequi sectam, egitque vt synodus Episcoporum Cypri celebraretur, vt libri damnarentur Origenis. Porrò Epiphanius propter nimiam sui reuerentiam atque simplicitatem circumuentus, constituta synodo lectionem librorum Origenis interdixit. Misitque litteras ad Ioannē, monens vt ab Origeniana lectione abstineret: & synodo congregata quæ placuerant, etiā ipse firmaret. Theophilus igitur famigeratū illum Epiphanium circūueniens, & cognoscens sua vota proficere, etiā ipse collectis episcopis libros dānauit Origenis, qui penè ante ducentos defunctus erat annos, non quod huiusmodi haberet intentionē, sed studens Dioscoro eiusque nocere sequacibus. Ioannes autem paruipendens quæ ab Epiphanio & Theophilo fuerant nunciata, in doctrina ecclesiastica laborabat, & in ea quidē florebat. Nihil tamen de his, quæ cōtra eū cogitabantur, sæpe curabat. Cumque Theophilus iam manifestè studere videretur, vt Ioannē episcopatu deponeret: tunc etiam inimici Ioannis Theophilum sunt sequuti: & multi clerici, multi procerum palatij tempus inuenientes oportunū, nitebantur vt synodus Constantinopoli fieret contra Ioannē. Et hoc tam per epistolas sibi ipsis quàm per verba mandabant. Auxit igitur odium Ioanni causa Seueriani & Antiochi episcoporum, quæ supra relata est. Post paucū verò tempus Episcopus Epiphanius Cōstantinopolim venit, portans damnationē librorū Origenis. Quibus non quidem ipsum Origenem excommunicatū decreuerant, sed libris tantūmodo derogauerāt. Egressus ergo ad Basilicam sancti Ioannis milliario ab vrbe septimo constitutam: & collecta ibidem celebrata, ordinatoque diacono rursus venit in ciuitatem, & inuitationem quidē Ioannis declinauit causa Theophili: in propria verò māsione habitare magis elegit. Et vocans tunc præsentes episcopos damnationē librorum Origenis legebat eis. Et quidam habentes Epiphanij reuerētiam subscribebant, plurimi autē hoc facere recusabant. Quorum fuit etiam Theotimus Schytiæ præsul, qui ita respondit: Ego, inquit, ô Epiphani, neque ei, qui pridem bene requieuit, iniurias infero, neque rem blasphemā tētare præsumo, damnans ea quæ priores nostri respuere noluerunt. Proinde neque malam doctrinā in libris Origenis esse conspicio. Tum proferens libros Origenis legit, & Ecclesiasticas expositiones ostendit, ac postea procedens dicebat: Qui his contumelias inferunt, nesciunt seipsos. Hæc ergo Theotimus vitæ rectitudine nobilissimus Epiphanio respondisse fertur. Ioannes igitur Constantinopoleos indignatus nō est, quod præter regulas in ipsius Ecclesia ordinationem fecisset Epiphanius, sed tamen rogabat vt inter episcopos cum eo maneret. At ille nec manere se cum eo, nec orare respondit, nisi Dioscorum & qui cum eo erant, vrbe depelleret, & ipse in librorum Origenis damnatione subscriberet. Ioanne hæc facere differente, & dicente: non oportere ante catholicam cognitionem aliquid facere petulanter: ad hoc consiliū ab inimicis Ioannis Epiphanius instigatur. Quum esset in Apostolorum ecclesia celebranda collectio, procedere faciunt Epiphanium: & coram omni populo Origenis damnare libros, & adiudicare Dioscorum eiusque sequaces, simul quoque derogare Ioanni velut eorum defensori. Hæc Ioanni nunciantur. Altero verò die quum iam venisset Epiphanius ad ecclesiam, hæc per Serapionē verba mandauit: Contra regulas multa gessisti, ô Epiphani: Primū quidem quod ordinationē fecisti in ecclesia sub meo iure constituta: deinde quia me non iubente, in ea authoritate propria sacra celebrasti: Rursus quòd inuitatus excusasti, & nunc denuò in teipsum confidis. Quapropter obserua ne turbatio nascatur in populo, & huius rei periculum ipse suscipias. Hæc cùm audisset Epiphanius, ab ecclesia formidans abscessit. Cumque reuersurus esset ad Cyprum, ferūt quidam hæc eum mandasse Ioanni: Spero quòd non morieris episcopus. At ille remandauit. Spero te ad tuam patriam non rediturum. Hæc vtrum vera dicta sint, nescio: ambo tamen hunc habuēre finem. Nam nec Epiphanius viuus peruenit ad Cyprum, sed in naui defunctus est: & Ioannes paulò pòst ab Episcopatu depositus est. Cúmque Epiphanius discessisset, perlatum fuit ad Ioannem, & quod Eudoxa Augusta eum contra Ioannem armasset: & hinc accēsus, linguæ vbertate sermonem fecit ad populum cunctarum mulierum vituperatione plenum. Hunc sermonem populus omnis arripuit quasi contra Augustam prolatus esset, & ita peruenit ad aures Imperatoris. Quod Augusta cognoscens, velut iniuriam suam narrauit Imperatori, dicens illius magis esse contumeliā, quæ ipsius vxori fieret. Quamobrē factum est, vt Theophilus

contra eum perquàm velociter synodum celebraret. Quod etiam Seuerianus simul agebat: erat enim adhuc inimicus. Inter hæc Theophilus venit multos simul Episcoporum mouens. Confluebant igitur plurimi Ioannis inimici. Aderant etiam, quos ab episcopatu remouerat. Omnes ergo concorditer in Calcedone conuenerunt, vbi tunc erat Episcopus Cyrinus, multa contra Ioannem loquens, impium eum superbumque vocans. Episcopi verò delectabantur talibus. Porrò Maruthas Mesopotamenus Episcopus, inuitus Cyrini calcauit tūc pedem. At ille dolore constrictus Constantinopolim cum Episcopis transire non potuit: alij verò sunt transuecti. Sozomenus. Postea verò cùm dolore laboraret eius crus continuè, est abscissum: quia putredo penè omne corpus eius inualerat, & in pedem alium iam serpebat. Is ergo post paululum temporis est defunctus.

Socrates. Theophilo autem ab Alexandria venienti nullus occurrit, nec solenni honore petitus est. Erat enim apertissimus inimicus: Sed Alexandrini nautæ, qui tunc venerant cum frumentis, occurrentes eum fauorabiliter susceperunt. Cumque venisset Constantinopolim, refutauit in Ecclesiam introire, sed in vna domo Augustarum vocabulo Placidiana, tunc habitauit. Hinc ergo cœperunt contra Ioannem mouere causas: & non iam de libris Origenis mentio ferebatur, sed has accusationes illicitas excitabant. His itaque præparatis, conuenientes Episcopi in suburbano Calcedonensi, quod Rufini nomine vocitatur, vbi est in honore Petri & Pauli Apostolorum Basilica constituta, [6] euocauerunt Ioannem satisfacturum pro quibus accusabatur: iusseruntque vt cum eo veniret Serapion, & Tigrius Eunuchus presbyter, & Paulus lector. Isti enim simul accusabantur. Cumque Ioannes euocantes velut inimicos refugeret, vniuersalem synodum [7] fieri proclamauit. At ille nihil morati quater eum euocauerunt. Qui cùm noluisset occurrere, sed synodum fieri proclamaret, damnauerunt eum: in nullo culpantes, nisi quòd vocatus noluisset obedire. Cumque hoc fuisset circa vesperam nunciatum, populus ad seditionem maximam excitatus est: & noctu concurrentes, eum trahi ab Ecclesia non sinebant, sed clamabant, vt apud maius consilium de eo agitaretur examen. Porrò iussio Principis vrgebat, velociter eum eijci, & in exilium deportari. Hoc cognoscens Ioannes tertio damnationis die circa meridiem seipsum populo ignorante contradidit. Cogitabat enim ne vlla propter ipsum seditio nasceretur. Et ille quidem in exilium ducebatur. In populo autem seditio enormis est exorta, ita vt etiam multi inimicorum eius misericordia mouerentur, dicentes eum calumniam passum, quem paulò antè desiderabant videre depositum. Quamobrem clamabant omnes contra Principem atque concilium sacerdotum, & maximè contra Theophilum. Non enim eius machinatio iam poterat latere, quæ multis quidem indicijs apparebat, maximè quòd Dioscoro eiusque fratribus mox post Ioannis deiectionem communicauerat. Tum igitur etiam Seuerianus in Ecclesia docens Ioanni derogabat, dicens: Et si in nullo alio vituperandus Ioannes est, eius tamen superbia crimen est ad damnationem sufficiens. Omnia namque peccata remittuntur hominibus, superbis autem Deus resistit, sicut sanctæ scripturæ docent. Orta igitur immensa seditione, populo discurrente, & ad ipsa regalia proclamante, Augusta permota rogauit Imperatorem, vt eum reuerti præciperet. Misso igitur tunc Eunucho Brisone, etiam necessitas Ioanni multo, vt in ciuitatem ingrederetur, imposita est. Cùm verò redijsset, cum multo eius honore ad Ecclesiam plebs occurrit. Et mox vt Ioannes ingressus est, rogabant vt in episcopali sede resideret, & populo orationem pacis impenderet. Quod cùm refutaret, atque diceret, quod hoc oporteret iudicio fieri synodali, & eos qui damnauerant, suam sententiā reuocare: accendebantur omnes eum videre in loco proprio residentem, & verba doctoris audire. Qui licet diu tardaret, præualuit tamē populus, & eum in sede residere episcopali coegit, & consuetæ orationem præbere pacis. Coactus etiam sermonem fecit ad populum. Hæc causa aliam præbuit inimicis occasionem. Et primum quidem de Heraclida ordinatione contra eum mouere dicebatur Theophilus quæstionem, vt Ioannem huius rei occasione deponeret. Verùm Heraclides non aderat, iudicabatur autem veluti præsens, quasi quosdam iniustè cæcidisset, catenisque vinctos misisset in pompam Ephesi per mediam ciuitatem. Cumque pars Ioannis diceret auditorium debere iuste constitui, Alexandrini contendebant, vt Heraclidis accusatores susciperentur. Hinc ergo seditio & cædes inter Constantinopolitanum populum & Alexandrinum vehemens est exorta. Ob quam rem plurimi vulnerati, pauci etiam mortui sunt. Hæc videns Theophilus, repentè diffugit Alexandriam. Quod etiam alij fecerunt Episcopi, præter paucos, qui personam Ioannis amplectebantur. His ita gestis, reprehensibilis Theophilus est inuentus. Cuius auxit inuidiam, quòd rursus Origenis libris incumberet. Qui cùm a quodā fuisset interrogatus, quod ea quæ damnauerat rursus amplecteretur, ita respondit: Origenis libri similes sunt prato floribus vniuersis pleno, quicquid ergo in eis bonum inuenero, hoc decerpo. Si quid verò mihi spinosum occurrerit, hoc quasi pungat omitto. Hæc ergo Theophilus ait: non considerans Salomonis sapienti-

6 *Vbi est in honore Petri & Pauli Apostolorum Basilica constituta.*
7 *Cōcilij vniuersalis autoritas,*

sapientissimi verba dicentis, quod verba sapientum sicut aculei sunt. Ob hanc ergo causam apud omnes Theophilus reprehensibilis videbatur. Porrò Dioscorus Hermopoleos Episcopus paulò post fugam Theophili mortuus est, claraque sepultus in Basilica apud Ilicem constituta: Vbi propter Ioannem synodus fuerat celebrata.

Theodoretus. Missus ergo tunc Ioannes in exilium, apud ostium habitabat Ponti, quod vocatur Hieron. Quumque per noctem terræ motus ciuitatem regiã inuasisset, Legati mane mittebantur ad eum, rogantes vt velociter reuerteretur ad ciuitatem, & orationibus suis pericula remoueret. Sed & alij post illos, & rursus alij destinati sunt, ita vt legatis Bosphorus repleretur. Quod cùm fidelissimus populus cognouisset, fluctus Propõtidos manibus est opertus. Omnes enim occurrerunt cereos 8 & lampades accendentes pro reuersione pastoris. Sozomenus. Interea cùm Theophilus nauigio Hierapolim aduenisset, mortuo eius ciuitatis Episcopo, Nilammonem monachum elegerunt ciues. At ille cùm crebrò refugeret, ei Theophilus suadebat, ne sacerdotium refutaret. Tum ille promisit, dicens: Cras quod Domino placet, implebitur. Altero verò die venientes ad cellam eius cogebant eum. Tum Nilammon: prius, inquit, oremus. Quod cùm Theophilus laudasset, simul orabat. Nilammon autem repente finem vitæ cum illa oratione suscepit.

8 *Nota vsum cereorum & lampadarũ accensarũ in ostensionẽ gaudij.*

Socrates. Ioannes itaque doctrinis occupabatur, ordinauitq; Serapionẽ Heracliæ Thracensis Episcopum. Vnde contra eum maius odium excitatur. Nam paulò pòst hæc contigisse noscuntur. Augustæ Audoxiæ statua argentea constituta est in columna Prophyretica chlamide circumamicta: eratque posita nec proximè nec longè ab Ecclesia Sophia, quã plateæ tantummodo diuidebat iter. Illic ergo consuetè ludus publicus occurrebat. Porrò Ioannes iniuriam hoc arbitratus esse Ecclesiæ, consueta fiducia rursus suam armauit linguam. Et cùm oporteret principes supplicationis verbo deflectere, vt à tali ludo recederetur, hoc nõ fecit, sed impetu suæ vsus eloquentiæ, iubentes fieri talia obiurgabat. Augusta verò rursus ad suam hæc trahebat iniuriam, & denuò præparabat, vt aduersus eum synodus celebraretur Episcoporum. Hoc sentiens Ioannes, illam notissimam in Ecclesia protulit homiliam, cuius initium est: Rursus Herodias insanit, rursusque turbatur: denuò saltat, denuò caput Ioannis in disco concupiscit accipere. Quod factum amplius ad iram accendit Augustam.

Sozomenus. Interea quidam homo comprehensus est, qui Ioannem volebat occidere, traditusque ad supplicium Præfecto, à Ioanne ne perimeretur ereptus est. Postea verò Elpidij presbyteri seruus cursu in Episcopum irruẽs, eum interimere nitebatur. Et dum à quodam teneretur, & ipsum repentè percussit, simul & alium adstantem, & tertium. Tum clamore facto, & multis conuenientibus, plurimos interemit: nouissimè tentus & traditus est. Ex illo tempore Ioannem populus custodiebat, die noctuque eius circumsidens domum.

Socrates. Paulò pòst aderant Episcopi, Leontius Ancyræ Galatiæ, Ammonius Laodiceæ, Breson Thraciæ Philippensis, Acacius Berœæ Syriæ, & alij quidam. His præsentibus accusatores priores denuò mouebantur. Ioannes itaque confidebat in talibus, rogans vt accusatio decenter flagitaretur. Cumque superuenisset 9 festiuitas Natalis Saluatoris, Imperator solenniter ad Ecclesiam non venit, sed mandauit Ioanni, quod ei non communicaret, nisi criminibus prius exueretur. Cumque pro securitate Ioannis accusatores eius valdè terrerentur, præsentes Episcopi nihil aliud requirebant, nisi quòd post depositionem non decreto consilij resedisset in sede. Cumque ille responderet, quòd sexaginta quinque Episcopi cõmunicantes ei decreuissent, Leontius & alij reclamabant, dicentes. Sed plurimi te ô Ioannes deposuerunt. Cumque denuò Ioannes hanc regulam non orthodoxorũ Ecclesiæ, sed esse firmaret Arrianorum: nam in Antiochia congregati pro damnatione fidei de cõsubstantialitate prolatæ, odio Athanasij hanc regulam protulerunt: Tum illi non recta satisfactione condemnauerunt eum, non intelligentes quod dum hac regula vterentur, Athanasium quoque deponerent. Hæc acta sunt circa festiuitatem 10 Paschæ. Mandauitque Imperator Ioanni, non se posse ad Ecclesiã venire, quod eũ duo consilia condemnassent. Vacabat ergo Ioannes, & nequaquam in Ecclesiam descendebat. Móxque omnes ei fauentes ab Ecclesia recedentes, Pascha quidem in Thermis quæ Constantinianæ vocantur, celebrauerunt. Cum quibus plurimi Episcoporum, presbyterorum, & sacri ordinis clericorũ commoti sunt, collectiones seorsum per loca diuersa celebrantes: vnde etiam Ioannitæ vocati sunt. Porrò Ioannes duobus mensibus nusquam processit, donec Princeps eum duci iuberet in exilium. Et ille quidem tractus ab Ecclesia ducebatur. Quidam verò Ioannitarum eo die Ecclesiam incenderunt. Qua ardente flans ventus etiã Basilicam Senatus pariter comprehendit. Quod actũ est vicesimo Ianuarij mensis, Cõsulatu Honorij sexto & Aristhenis. Ob quãrem Optatus Præfectus vrbis, cùm Paganus esset, odio Christianorum plurimos Ioannitarum diuersis tormentorum generibus laniauit. Theodoretus. Ioannes igitur non solùm è ciuitate pulsus est, sed etiam in quoddam exiguum oppidum atque desertum Armeniæ Cucuson destinatus est,

9 *Festiuitas Natalis Saluatoris.*

10 *Festiuitas Paschæ.*

tus est. Inde rursus ad Pityuntem, vbi fines sunt Ponti, Imperijque Romani, quæ loca crudelibus Barbaris sunt vicina. Sed clemens Dominus non permisit victorem athletam per loca talia diu morari. Sozomenus. Inter hæc Innocentius Romanus Antistes audiens de Ioanne, & molestè ferens, volensque generale celebrare Concilium, scripsit Ioãni & clero Constantinopoleos, quòd non oporteret Ioãni successorem dari, nec eius clerum alij parere pontifici, quas prolixitatis causa non transtuli. Aiunt verò Ioannem cùm in exilium duceretur, per visionem cognouisse diem, quo moriturus esset, ostensum sibi à Basilisco martyre in Comanis: vbi cum esset itinere fatigatus, dolorem capitis non ferẽs & ardorem solis, vitam languore finiuit. Socrates. Quartodecimo die Septembris mensis, Cõsulatu Honorij septimo, & Theodosij secũdo. Theodoretus. Huius igitur iniustitiæ causas abominati sunt præcipuè Europæ Pontifices: ab eorum namque se suspenderunt communione: pariter omnes Illyrici eius partis effecti sunt. Orientales autem plurimi quidẽ iniustitiam declinauerunt. corpus tamen Ecclesiæ diuidere noluerunt. Verùm mortuo illo omnium doctore terrarum, non prius Occidentales Episcopi Ægytiorum & Oriẽtalium, Bosphorensium atque Thracensium sunt amplexi communionem, quàm illius sacratissimi viri nom inter prædecessores poneretur Episcopos. Et Arsacium quidem, qui post eum ordinatus est, ne alloquio quidem dignati sunt. Atticum verò Arsacij successorem, legationem crebrò mittentem, & pacis pignora postulantem, in διπτυχοῖς scripto Ioannis nomine postea susceperunt.

Socrates. Transactis itaque diebus paucis, Arsacius Constantinopoleos ordinatur Episcopus, Nectarij frater, valde longæuus, & plusquam octoginta annos habens, qui mansuetissimè admodum regebat Episcopatum. Sozomenus. Cuius opinioni derogauit postea, quòd cum Ioannis fautoribus agebatur. Nam cùm Arsacio communicare nollet, nec orationem habere communem, sed (sicuti dictum est) seorsum per loca secreta vltima ciuitatis, sacra celebrarent, hæc ille renunciauit Imperatori. Cumque iussisset vt eas manu militari turbaret, lapidibus atque fustibus populum conuertit in fugam. Nobiliores autem & magis propensos in amorem Ioannis coniecit in carcerem. Porro milites (vt fieri solet) accepta licentia, prædam circa mulierum ornamenta faciebant, zonas aureas, dextraria, monilia, lauatoria, annulos, diademata, & cum ipsis auribus earum auferentes inaures. Ob quam rem turba maxima & gemitus in ciuitate prouenit: Nec sic tamẽ illi affectum deposuẽre Ioannis, verùm publicè plurimi conuenire, nec in platea, nec in balneo præsumebant. Quibusdam etiam erat domi quoque manere periculosum, ita vt ciuitatem declinarent: multi siquidem viri, plurimæque mulieres nobili genere procreatæ, virginitate atque virtute vitæ laudabiles fugerunt. Socrates. Eo tẽpore etiam grando vehemens Constantinopoli & circa eius suburbana descendit. Quod factum est Consulatu eodem Honorij sexto, & Aristeneti, die trigesimo Septembris mensis, quod dicebant Dei ira factum, eò quòd sine iudicio Ioannes fuisset condemnatus. Quibus verbis crementum dedit mors Augustæ continuò subsequuta. Quarto namque die post grandinem est defuncta. Sozomenus. Tum verò Cyrinus Calcedonensis Episcopus, qui Ioannem crebrò lacerauerat, secto pede defunctus est. Socrates. Alij tamen dicebant, Ioannem hoc iustè perpessum, eò quòd multas Ecclesias Nouatianorum, quartodecimannorum, & aliorum tulisset hæreticorum. Sozomenus. Eo tempore quidam lector Eutropius est detentus, quasi & ipse in Ecclesiam misisset ignem. Qui cùm multa fuisset tormenta perpessus, & coniectus in carcerem: paulò pòst est defunctus. Quid autem de eo contigerit, existimo esse memorandum. Quidam vidit in somnis astitisse altari virum pulchritudine & magnitudine decoratum, quasi in honore martyris Stephani consistentem, & quasi cogitantem, eò quòd boni viri nusquam inuenirentur, atque totam circumire ciuitatem, & nisi Eutropium nullum penitus inuenisse. Cumque is qui viderat, experrectus fuisset, somniũ retulit fidelibus viris. Deinde requirens eos qui à Præfecto comprehensi fuerant, & verberibus macerati, inuenit Eutropium, eique retulit visionem. At ille flens, orationem sibi dari ab eo qui viderat, implorauit. Cumque diuersos Præfectus torqueret, nec personas incendij reperiret, etiam mulieres quasdam tenens suadebat, vt Episcopi communionem amplecterentur Arsacij: & multæ quidem declinauerunt. Olympias autem iniustum credens malitiæ satisfacere, dixit: Adijce mihi calumniatores, & violentiam maiorem impone: mihi verò fas non est communicare, & ea facere quæ pijs non licet perpetrare. Quam cùm nequisset flectere Præfectus vt communicaret Arsacio, tum dimissam, & paulò pòst tentam, multo nudauit auro, hoc modo credens ipsius frangi constantiam. Eo tempore Tigrius presbyter veste nudatus, & dorso cæsus, ita tensus est, vt pedum eius ac manuum articuli soluerentur. Socrates. Arsacius itaque quum modicum vixisset tempus, defunctus est, Consulatu sequenti Stiliconis secundo, & Anthemij, vndecimo die Nouembris mensis. Quo mortuo, de Episcopatu Constantinopolitano magna cœpit esse contentio. Et propterea cùm quatuor vacassent menses, sequenti Consulatu Arcadij

sexto, &

ſexto,& Probi, Atticus ordinatur Epiſcopus, genere Armenius, habitu monachus, à iuuentute ſua naturali ſapientia decoratus. Theodoretus. Ea tempeſtate Cyrillus Theophili conſobrinus Alexandrinum ſuſcepit Epiſcopatum. Hieroſolymorum Eccleſiæ præſidebat Ioannes vir mirabilis ſucceſſor Cyrilli. Antiochiæ autem Alexander, vir ſermone doctus, & virtutem oſtendens magnis operibus. Is enim Porphyrio ſuccedēs, qui poſt Flauianū fuerat ordinatus, multa reliquit monimenta clementiæ. Flauianus equidem ſapientiæ ſubtilitate florebat. Porro ſacratiſſimus Alexander conuerſione, ſummoq; philoſophiæ eloquio, & plurima donorum copia abundabat. Is namque etiam partem Euſtachij (quam pridem Paulinus flectere non potuit, nec poſt illum Euagrius) precibus vſus reliquo corpori copulauit, egitque feſtiuitatem, cuius ſimilem nemo potuit aliquādo videre. Nam quum omnes fideles ſumpſiſſet ſacerdotes ſimul & populum, venit ad locum, vbi Euſtachiani congregabantur. Apprehendensq; pſallentes, & vnum canticum 11 ſub quadam congruentia prædicantes à porta vltima ciuitatis vſque ad maiorem Eccleſiam, totam plateam compleuit hominibus, & oſtendit fluuium rationalem inſtar fluminis decurrentis. Hæc Iudæi videntes & Arriani, & paruæ reliquiæ paganorū, ingemuerunt, videntes alios fluuios in mare Eccleſiæ concurrentes. Is ergo Pontifex, Ioannis magni vocabulum eccleſiaſticis διπτύχοις primus inſeruit. Huius doctoris reliquiæ ſequenti tempore in regiam diuectæ ſunt ciuitatem. Rurſumq; fideliſſimus populus per pelagus quaſi per terrā currens vndas Boſphori lampadibus & cereis 12 obuelauit. Hunc ergo theſaurum in illa ciuitate recondidit Imperator, qui ſui aui & vocabulum ſortitus eſt, & pietatem ſeruat inuiolabilem. Is in eius loculum defigens oculos atq; frontem, pro Arcadio & Eudoxio genitoribus ſupplicauit, vt ignoranter delinquentibus veniam condonaret. Pridem enim mortui ſunt eius parentes hunc orphanum relinquentes. Sed patrum & progenitorum Deus, experientiam pupilli eum ſentire nō pertulit. Nam & piè nutriri fecit, & ſine concuſſionis metu cuſtodiuit eius imperiū, atque tyrannorum conſilia refrenauit. Is enim beneficiorum ſemper memor, honorabat beneficij largitorem, habebatq; participes hymnorum ſorores, ſeruantes cōuerſatione virginitatem, & delitias maximas iudicantes ſacrorum meditationes eloquiorum, theſaurum inauferibilem exiſtimantes manus egentium. Verùm ipſe Princeps multis etiam alijs adornatur, maximè verò clementia, manſuetudine, animi tranquillitate, nunquam recipiens tempeſtatem fide vera atque probabili. Cuius iudicium nos conuenit oſtendere manifeſtum. Quidam vir conuerſationis quidem monachicæ, ſed aſperior conſilio, adijt Imperatorem pro quadam cauſa rogans. Cùm hoc crebro feciſſet, nec ea quæ poſtulauerat impetraſſet, eum ab eccleſiaſtica communione prohibuit, & impoſito ei vinculo diſceſſit. Verùm fideliſſimus Imperator ad palatium reuerſus, tempore prandij præſentibus conuiuis ait: non ſe ſumpturum cibum, niſi prius eius vinculum ſolueretur. 13 Ob quam rem miſit ad ciuitatis Epiſcopum, rogans vt iuberet ei qui ligauerat, vt ipſius vincula ſolueret. Cumque dixiſſet Epiſcopus, non debere à quolibet obligationē recipi, & mandaſſe quòd ſolutus eſſet: ille tamen eius non ſuſcepit ſolutionem, donec qui ligauerat multo labore requiſitus, ei communionem quam prohibuerat, reddidiſſet.

11 *Ecce cantū Eccleſiaſticum.*

12 *Vide in honorē reliquiarum Ioannis accendi cereos & lampades. Vide venerationē ab Imperatore ſancti loculo exhibitā. Vide demum humilem eius ſupplicationem vt parētibus ſuis veniam condonaret. Quæ omnia ſunt contra falſa præſentium hæreticorum dogmata.*

13 *Nota quam reuerentiam excommunicationi impenderit Theodoſius iunior, cum tamen à ſuo iudice non eſſet lata, & forte nec ob iuſtā cauſam.*

VITA D. IOANNIS CHRYSOSTOMI, PER Suidam ſcripta, Alberto Lino Interprete.

IOannes Antiochenſis cognomento Chryſoſtomus, presbyter inter præcipuos Antiochiæ fuit, Euſebij verò Emeſeni philoſophi & Diodori ſectator. Hic multa ſcripſiſſe dicitur, ex quibus libri de ſacerdotio tum propter argumenti excellentiam & ſtylum, tum propter verborū facilitatem, atque elegantiam, cæteris eius ſcriptis excellunt. His autem proximè accedunt & orationes in Pſalmos Dauidicos, & explanatio in Euangelium Ioannis. Nec non commētaria in Matthæum, Marcum & Lucam. Reliqua verò ipſius monimenta plura ſunt, quàm vt ea quis numero complecti queat. Siquidem vniuerſam Iudaicam, Chriſtianamque ſcripturam ille commentarijs ſic illuſtrauit, vt alius ante ipſum nemo: Martyrum verò laudationes adauxit, quum eas ipſe nullo negotio ex tempore componeret, oratioque ex eius ore celerius quàm Nili cataractæ, defluebat. Nemo itaque poſt hominum memoriam ſimili orationis copia abundauit, qua quidem ipſe ſolus diues fuit, ſoluſque iure & aureum, & diuinum adeptus eſt nomen. Cæterùm opera ab eo conſcripta non eſt hominis percenſere numerando, ſed Dei potius, cui nota ſunt omnia.

Hic ſanctus Ioannes Chryſoſtomus ſummus continentiæ cultor fuit, ac vigilantiſſimus, & quietis amantiſſimus, temperantiæque zelo valde in caſtigando liber, atque iracundus. Excandeſcentiæ enim magis quàm modeſtiæ indulgebat: Qua quidem libertate loquendi immodicè aduerſus familiares vſus eſt. Atque in docēdo quidem multum operæ ponebat, vt pro-

vt prodesset. In collocutionibus verò arrogans & contemptor ab iis qui eum haud ita bene norât, existimabatur. Quocirca creatus Episcopus maiore grauitate erga subiectos est vsus, & mores, & verba ad cuiusque correctionem, & salutem mutans, nequaquam igitur vt quis adulator non est, hic superbus est habendus. Neque rursus si quis adulator, & nequā fuerit, hic continuò moderatus dicendus sit. Verùm eum qui ordinem, & decorum ingenuis consentaneum vult conseruare, magnanimum esse conuenit, non superbum, fortem, non audacem, humanum non abiectum, modestè de se sentientem, nequaquam autem humilitatem animi simulantem, liberalem, non seruilem, quemadmodum & ipse dicit: Idcirco pastorem & magistrum varium esse oportet, varium autem appello non subdolum, neque adulatorem & petulantem, sed multa libertate, & fiducia plenum, qui etiam norit, quotiescunque id res postulare videatur, sese vtiliter demittere, simulque benignum, & austerum esse. Neque enim subiecti vno & eodem modo omnes tractandi sunt, quando nec à medicis vna atque eadem ægrotantibus omnibus medicina est adhibenda, neque nauis gubernatori vna sequenda ratio pugnandi cum ventis. Perpende igitur qualemnam illum esse oportet, qui tantæ tempestati, atque eiusmodi iactationi, tamque magnis fluctibus resistere debeat, vt fiat omnibus omnia, vt omnes lucrifaciat. Etenim grauem esse oportet talē virum, & minimè inflatum, terribilem & comem, qui & dominum, & socium agere sciat, muneribus incorruptum, & pronum ad obsequia, summissum & inuictum, alacrem & placidum, vt aduersus hæc facilè valeat expugnare. Cauēdum est ergo homini qui in oculis omnium versatur, ac prudentia præditus est, ne aut alijs ipse aduletur, aut adulatoribus aures patefaciat, néue gloriosus sit, aut assentator, sed vtrorumque horum vitiorum excessum corrigere oportet, & liberum esse, nec ad pertinaciam declinare, neque ad seruilem summissionem se abijcere. Nam erga probos humilem esse oportet, erga audaces verò elatū. Quandoquidem illi modestiam virtutem esse arbitrantur, isti verò audaciam, fortitudinem. Quocirca aduersus illos humilitate est vtendum, in istos verò fortitudine, quæ eorum spiritus ab audacia sumptos extinguat, vt ijs quidem prosis, horum autē fastum deprimas. Tempus enim est omni negotio, inquit Salomon. Hoc est tempus humilitatis & potestatis, redarguendi & consolandi, parcè & liberè loquendi, lenitatis & asperitatis, ac denique omnium. Quapropter interdum quidem præ se ferenda est humilitas, puerique in humilitate iuxta Dominicam vocem imitandi: interdum verò potestas exercenda (quando res ita fert) quam Christus dedit ad ædificationem, nequaquam autem ad destructionem. Ac sanè tempore consolationis suauitas est adhibenda: tempore verò seueritatis zelus præ se ferendus. Atque in vnoquoque aliorum similiter recta & iusta cogitatio suscipienda. Cogitationes enim iustorum iudicia sunt. Isidorus autem dicit: Principem & iustum & terribilem esse oportet, vt qui rectè viuunt securo animo sint. Qui verò peccant, metuant. Nam alterum sine altero est disciplinæ dissolutio potius quàm imperium. Si enim omnes dicto audientes, & virtutis amantes essent, sola benignitate esset opus. Si verò omnes improbi, & flagitijs dediti, metu. Verùm quum & boni sint, & mali, vtraque principi & præfecto sunt vsurpanda.

VITA SANCTI HIERONYMI PRESBYteri, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in eius Martyrolo. sub prid. cal Octob.

APVD Bethleem Iudæ depositio sancti Hieronymi presbyteri. Hic natus in oppido Stridonis, quod Dalmatiæ quondam Pannoniæque confinium fuit, Patre Eusebio, 1 vestem Christi puer Romæ suscepit, ibique Græcis ac Latinis apprimè eruditus est. Postquam autem omne mundanarum 2 studium literarum adeptus est, probatissimorum quoque monachorum habitum factumque imitatus est, Romanæ Ecclesiæ presbyter postmodum ordinatus.

Dumque per triennium continuum charus acceptusque populis veneraretur, omniumque iudicio dignus esse summo sacerdotio decerneretur, quidam ex clericorum, monachorumque ordinibus, pro petulantia, proque ingluuie discursantes, ad effugandum vrbe Hieronymum, qui vtrorumque eorum scribens vitium deprehenderat, insidias parauerunt. Verùm ipse propter cœlorum regna, domum, parentes, sorores, cognatos, Romam egressus dereliquit, & Hierosolymam militaturus Deo pergens primò ad Gregorium Nazianzenum tunc Constantinopolitanæ vrbis Episcopum, supplex docilisque discipulus accessit, 2 vt sanctarum 3 scripturarum studijs erudiretur. Inde in Syriam perrexit, in possessionem Euagrij presbyteri aliquantulum commoratus. Ad deserta deinde loca ita lætus accinctusque accessit, vt volasse eum magis quàm measse crederes.

1 Vestem Christi illā intelligit, qua post baptismum statim regenerati induebantur.

2 Ecce quomodo sanctus pater mūdanarum disciplinarum studium adeptus est. Cur ergo volunt quidā nunc illud ab Ecclesia amouere, nisi vt per eius mediū non arguātur sophismata sua.

3 Diuinorū librorum intelligētia, non ex propria temeritate, sed ex maiorum scriptis & doctrinis haurienda est.

Quadriennium itaque in illa vasta solitudine, quæ exusta solis ardoribus horridum monachis præstat habitaculũ, exegit: Indeque ad Bethleem oppidum remeauit, vbi prudens animal ad presepe Domini se obtulit permansurum. Bibliothecam sanè suam, quam ibi summo studio ipse condiderat, omniumque librorum orationes, quas penè memoriter retinebat, iterum relegens, diem 4 ieiunijs ducebat ad vesperam. Plures ad eum religiosorum, *4 Vide sancti patris longa ieiunia.* quibus vita eius fama comperta est, protinus confluxerunt, bonumque doctorem, paruo adhuc sub tugurio, boni obseruauere discipuli. Nec multo pòst, cellulas ibi ob discipulorum suorum copiam, & propter frequentiam aduentantium ad Bethleemiticam portam, quæ ad Occidentem conspicit, & egredientibus ad Septentrionem videtur, paruulum habitationis locellum construxit. Quibus verò nisibus, quantisue laboribus Hebraicam linguam, atque Chaldaicam, literasque Hebræas didicerit, verbis eius edicam: Dum essem, inquit, iuuenis, & solitudinis me deserta vallarent, incentiua vitiorum, ardoremque naturæ ferre non poteram. Quam cùm crebris ieiunijs frangerem, mens tamen cogitationibus æstuabat, ad quas edomandas cuidam fratri qui ex Hebræis crediderat, me in disciplinam dedi, vt post Quintiliani acumina, & Ciceronis fluuium, grauitatemque Frontonis, & lenitatem Plinij, alphabetum discerem, ac stridentia, anhelantiaque verba meditarer. Quid ibi laboris sumpserim, quid sustinuerim difficultatis, quotiens desperauerim, quotiens cessauerim, & contentione discendi rursus inceperim, testis est conscientia mea. Armatus itaque fide, gratiamque Christi adeptus. Hebræorum volumina, quæ in Canone continentur, de Hebræo in Latinam linguam vertit, eaque penè omnia commentatus est. Vt ergo opera eius valde vtiliter confecta breuiter commemoremus, scripsit vitam Pauli Monachi. Epistolarum ad diuersos librum vnum. Ad Heliodorum exhortatoriam altercationem Luciferiani & Orthodoxi. Chronicon omnimodæ historiæ. In Hieremiam & Ezechiel Homilias xxviij. quas de Græco in Latinum vertit. De Seraphin, de Osanna, de frugi, & luxurioso filio. De tribus quæstionibus legis veteris. Homelias in canticis canticorum duas. Aduersus Heluidium de Mariæ virginitate perpetua, ad Eustochium de virginitate seruanda. Ad Marcellam epistolarum librum vnum. Consolatoriam de morte filiæ ad Paulum. In epistolam Pauli ad Galathas commentariorum libros tres. Ad Ephesios libros tres. In epistolã ad Titum librũ vnum. In Epistolam ad Philemonem librum vnum. In Ecclesiasten commẽtarios quæstionũ Hebraicarum. In Genesin librum vnum: De locis librum vnum: Hebraicorum nominum librum vnum. De spiritu sancto Dydimi, quẽ latinum transtulit, librum vnum. In Lucã Hamilias xxxviij. In Psalmos à decimo vsque ad sextũ decimum tractatus septem. Captiuum Monachum. Vitam beati Hilarionis. Nouum testamentum Græcæ fidei reddidit. Epistolarum autem ad Paulam & Eustochium incertus est numerus. Sexdecim Prophetarum volumina, quatuor & septuaginta libris editis, commentatus est. Inter has itaque numerosas operis sui paginas, centum & trigintaquinque virorum illustrium ecclesiasticorum scriptorum nomina, à passione Christi vsque ad quartum decimum Theodosij Imperatoris annum ordine digessit. Item contra Iouinianum libros duos. Apologeticum ad Pammachium. In Matthæum commentariorum libros quatuor. Enchiridion in Psalterium. Aduersus Vigilantium, contraque Pelagium luculentissima volumina edidit. De mansionibus quoque filiorum Israël, & alia quamplurima ad ædificationem ecclesiæ catholica pietate composuit. Tanta denique lassitudine fatigatus est, vt etiam in strato suo iacens, funiculo trabe suspenso supinis apprehenso, erigeretur: vt scilicet officium monasterij prout poterat, exhiberet. Tandem post perfectam placitamque Deo conuersationem, nonagesimonono ætatis anno, apud Bethleem oppidum in pace quieuit, Pridie Calendas Octobris, duodecimo Honorij Imperatoris anno. Libros suos per quinquaginta & sex annos confecit.

VITA DIVAE MONICAE MATRIS S. AVGVSTINI, per eundem varijs in locis descripta.

ET misisti manum tuam ex alto Domine Deus, & de hac profunda caligine erroris Manichæorum eruisti animam meam: cùm pro me ploraret ad *Ex lib. 3. Cõfessionũ ca. 11. & 12.* te mater mea fidelis tua, amplius quã flẽt matres corporea funera. Videbat enim illa mortẽ meã ex fide & spiritu, quẽ ex te habebat, & exaudisti eam Domine. Exaudisti eã, nec despexisti lachrymas eius, cùm profluẽtes rigarẽt terrã sub oculis eius, in omni loco orationis eius, & exaudisti eã. Nã vnde illud somniũ quo eã consolatus es, vt viuere me secũ crederet, & habere secũ eandẽ mensam in domo, quod nolle cœperat, auersans & detestãs blasphemias erroris mei? Vidit enim stantem se in quadam regula linea, & aduenientem ad se iuuenem splendidum hilarem, atq;

arridentem sibi, cùm illa esset mœrens, & mœrore confecta. Qui cùm causas quæsisset ab ea mœstitiæ suæ, quotidianarumque lachrymarum, docendi, vt assolet, non discendi gratia: atque illa respondisset perditionem meam se plangere, iussisse illum quò secura esset, atque admonuisse vt attẽderet & videret, vbi esset illa, ibi esse & me. Quod illa vbi attẽdit, vidit me iuxta se in eadem regula stantem. Vnde hoc, nisi quia erant aures tuæ ad cor eius? O tu bone omnipotens, qui sic curas vnumquemq; nostrum, tanquam solum cures: & sic omnes, tãquam singulos. Vnde illud etiam, quòd cùm mihi narrasset ipsum visum, & ego ad id trahere conarer, vt illa se potius non desperaret futuram esse quod eram, continuò sine aliqua hæsitatione: Non, inquit, non enim mihi dictum est: Vbi ille, ibi & tu, sed: Vbi tu, ibi & ille. Confiteor tibi Domine recordationem meam quantum recolo, quòd sæpe non tacui, amplius me isto per matrem vigilantem responso tuo, quod tam vicina interpretationis falsitate turbata non est, & tã citò vidit quod videndum fuit, quod ego certè antequã dixisset, non videram, etiam tum commotum fuisse quam ipso somnio, quo fœminæ piæ gaudium tantò pòst futurum, ad consolationem tunc præsentis solicitudinis tantò antè prædictum est. Nam nouẽ fermè anni sequuti sunt, quibus ego in illo limo profundi, ac tenebris falsitatis, cùm sæpe surgere conarer, & grauius allideret, volutatus sum: cùm tamen illa vidua casta, pia, & sobria, quales amas: iam quidem spe alacrior, sed fletu & gemitu non segnior, non desineret horis omnibus orationum suarum de me plangere ad te, & intrabant in conspectum tuum preces eius, & me tamen dimittebas adhuc volui & inuolui illa caligine. Et dedisti alterum responsum interim quod recolo. Nam & multa prætereo, propter quod propero ad ea quæ me magis vrgent confiteri tibi, & multa non memini. Dedisti ergo alterum per sacerdotem tuum, quendam Episcopum nutritum in Ecclesia, & exercitatum in libris tuis. Quem cùm illa fœmina rogasset, vt dignaretur mecum colloqui, & refellere errores meos, & dedocere me mala, ac docere bona (faciebat enim hoc, si quos fortè idoneos inuenisset) noluit ille, prudenter sanè, quantum sensi postea. Respondit enim me adhuc esse indocilem, eò quòd inflatus essem nouitate hæresis illius, & nonnullis quæstiunculis iam multos imperitos exagitassem, sicut illa indicauerat ei. Sed sine, inquit, illum ibi, & tantùm roga pro eo Dominum, ipse legendo reperiet, quis ille sit error, & quanta impietas. Simul etiam narrauit se quoque paruulum à seducta matre sua datum fuisse Manichæis, & omnes penè non legisse tantùm, verùm etiam scriptitasse libros eorum, sibiq; apparuisse nullo contra disputante & conuincente, quàm esset illa secta fugienda, itaque fugisse. Quæ cùm ille dixisset, atque illa nollet acquiescere, sed instaret, magis deprecando, & vbertim flendo vt me videret, & mecum dissereret, ille iam substomachãs tædio: Vade, inquit, à me, ita viuas: fieri enim non potest, vt filius istarum lachrymarum pereat. Quod illa ita se accepisse inter colloquia sua mecum sæpe recordabatur, ac si de cœlo sonuisset.

Ex lib. 5. Cõfessionũ ca. 8. 9. 10.

Egisti etiam mecum Domine, vt mihi persuaderetur Romam pergere, & potius ibi docere quod docebam Carthagine. Et hoc vnde mihi persuasum sit, non præteribo confiteri tibi, quoniam & in his altissimi tui recessus, & præsentissima in nos misericordia tua cogitanda & prædicanda est. Non ideo Romam pergere volui, quòd maiores quæstus, maiórque mihi dignitas ab amicis qui hoc suadebant, promittebatur: quanquam & ista ducebant animum tunc meum: sed illa tunc erat causa maxima, & penè sola, quod audiebam quietius ibi studere adolescentes, & ordinatiore disciplinæ coërtione sedari, nec in eius scholam quo magistro non vtuntur, passim & proteruè irruant, nec eos admitti omnino, nisi ille permiserit. Contrà apud Carthaginem fœda est, & intemperãs licentia scholasticorum: Irrumpunt impudenter, & propè furiosa fronte perturbant ordinem quem quisque discipulis ad proficiendum instituerit. Multa iniuriosa faciunt mira hebitudine, & punienda legibus, nisi consuetudo patrona sit, hoc miseriores eos ostendens, quo iam quasi liceat faciunt, quod per tuam æternam legem nunquam licebit, impunè se facere arbitrantur, cùm ipsa faciendi cæcitate puniantur, & incomparabiliter patiantur peiora, quàm faciunt. Ergo quos mores cùm studerem meos esse nolui: eos cùm docerem, cogebar perpeti alienos, & ideo placebat ire vbi talia non fieri omnes qui nouerant, indicabant.

Verùm autem tu spes mea, & portio mea in terra viuentium, ad mutandum terrarum locum pro salute animæ meæ, & Carthagini stimulos quibus inde auellerer, admouebas, & Romæ illecebras quibus attraherer, proponebas mihi per homines, qui diligebant vitam mortuam, hinc insana facientes, inde vana pollicentes, & ad corrigendos gressus meos vtebaris occultè & illorum & mea peruersitate. Nam & qui perturbabant ocium meum, fæda rabie cæci erant: & qui inuitabant ad aliud, terram sapiebant. Ego autem qui detestabar hic veram miseriam, illic falsam fœlicitatem appetebam. Sed quare hinc abirem, & illuc irem, tu sciebas Deus, nec indicabas mihi, nec matri, quæ me profectum atrociter planxit,

& vsque ad mare sequuta est, sed fefelli eam violenter me tenentem, vt aut reuocaret, aut mecum pergeret, & finxi me amicum nolle deserere, donec vento facto nauigaret. Et mentitus sum matri, & illi matri, & euasi. Quia & hoc tu dimisisti mihi misericorditer, seruans me ab aquis maris, plenum execrandis sordibus vsque ad aquam gratiæ tuæ, qua me abluto, siccarentur flumina maternorum oculorum, quibus pro me quotidie tibi rigabat terram sub vultu suo, & tamen recusanti sine me redire, vix persuasi vt in loco qui proximus nostræ naui erat memoria beati Cypriani, maneret ea nocte. Sed in ea nocte clanculo ego profectus sum: illa autem remansit orando & flendo. Et quid à te petebat Deus meus tantis lachrymis, nisi vt nauigare me non sineres? Sed tu altè consulens & exaudiens cardinem desiderij eius, non curasti quod tunc petebat, vt in me faceres quod semper petebat. Flauit ventus, & impleuit vela nostra, & littus subtraxit aspectibus nostris. In quo mane illa insaniebat, dolore & querelis, ac gemitu implebat aures tuas contemnentes ista, cùm & me cupiditatibus meis raperes ad finiẽdas ipsas cupiditates, & illius carnale desiderium iusto dolorum flagello vapularet. Amabat enim secum præsentiam meam more matrum, sed multis multò amplius, & nesciebat quid tu illi gaudiorum facturus esses de absentia mea. Nesciebat, ideo flebat & eiulabat: atque illis cruciatibus arguebatur in ea reliquiarum Euæ, cum gemitu quærens, quod cum gemitu pepererat. Et tamen post accusationem fallaciarum & crudelitatis meæ, conuersa rursus ad deprecandum te pro me, abijt ad solitá, & ego Romam. Et ecce excipior ibi flagello ægritudinis corporalis, & ibam iam ad inferos, portans omnia mala quæ cõmiseram & in te, & in me, & in alios, multa & grauia super originalis peccati vinculum, quo omnes in Adam morimur. Non enim quicquam eorum mihi donaueras in Christo, nec soluerat ille in carne sua inimicitias, quas tecum contraxeram peccatis meis. Quomodo enim eas solueret in cruce phantasmatis, quod de illo credideram? Quàm ergo falsa mihi videbatur mors carnis eius, tam vera erat animæ meæ: & quàm vera erat mors carnis eius, tam falsa vita animæ meæ, quæ id non credebat. Et ingrauescentibus febribus iam ibam & peribam. Quo enim irem, si tunc abirem hinc, nisi in ignem atque tormenta digna factis meis in veritate ordinis tui? Et illa hoc nesciebat, & tamẽ pro me orabat absens. Tu autem vbique præsens: vbi erat, exaudiebas eam: & vbi eram, miserebaris mei, vt recuperarem salutem corporis mei adhuc insanus corde sacrilego. Neque enim desiderabam in illo tanto periculo baptismum tuum, & melior eram puer, quando illum de materna pietate flagitaui, sicut iam recordatus atque confessus sum, sed iam in dedecus meum creueram, & consilia medicinæ tuæ demẽs irridebam, qui me non siuisti talem bis mori. Quo vulnere si feriretur cor matris, nunquam sanaretur. Non enim satis eloquor quid erga me habebat animi, & quantò maiore sollicitudine parturiebat me spiritu, quàm carne pepererat. Non itaque video quomodo sanaretur, si mea talis illa mors transuerberasset viscera dilectionis eius. Et vbi essent tantæ preces, & tam crebræ sine intermissione? Nusquam nisi ad te. An verò [1] tu Deus misericordiarum sperneres cor contritum, & humiliatum viduæ castæ & sobriæ, frequentantis eleemosynas, obsequentis atque seruientis sanctis tuis, nullum diem prætermittentis oblationem ad altare tuum, bis in die mane & vespere ad Ecclesiam tuam sine vlla intermissione venientis, non ad vanas fabulas, & aniles loquacitates, sed vt te audiret in tuis sermonibus, & tu illam in suis orationibus? Huius ne tu lachrymas, quibus non à te aurum & argentum petebat, nec aliquod mutabile aut volubile bonum, sed salutem animæ filij sui, tu cuius munere talis erat, contemneres, & repelleres ab auxilio tuo? Nequaquam Domine, imò verò aderas, & faciebas ordine quo prædestinaueras esse faciendum. Absit vt tu falleres eam in illis visionibus, & responsis tuis, quæ iam commemoraui, & quæ non commemoraui, quæ illa fideli pectore tenebat, & semper orans, tanquam chirographa tua ingerebat tibi. Dignaris enim, quoniam in seculum misericordia tua, eis quibus omnia debita dimittis, etiam promissionibus tuis debitor fieri. Recreasti me ab illa ægritudine, & saluum fecisti filium ancillæ tuæ: tunc interim corpore, vt esset cui salutem meliorem atque certiorem dares.

1 Vide qualis fuerit vita sanctissimæ mulieris.

Ex lib. 6. Cõfessionũ ca. 1. & 2.

Spes mea à iuuentute mea, vbi mihi eras, & quò recesseras? An verò non tu feceras me, & discreueras me à quadrupedibus & volatilibus cœli? Sapientiorem me feceras, & ambulabam per tenebras & lubricum, & quærebam te foris à me, & non inueniebam Deum cordis mei, & veneram in profundum maris, & diffidebam, & desperabam de inuentione veri. Iam venerat ad me mater pietate fortis, terra marique me sequens, & in periculis omnibus de te secura. Nam & per marina discrimina ipsos nautas consolabatur, à quibus rudes abyssi viatores, cùm perturbantur, consolari solent, pollicens eis peruentionem cum salute, quia hoc ei tu per visum pollicitus eras. Et inuenit me periclitantem quidẽ grauiter desperatione indagandæ veritatis. Sed tamen ei cùm indicassem, non me quidem iam esse Manichæum, sed neque catholicum Christianum, non quasi inopinatum aliquid audierit,

exiliuit lætitia, cùm iam secura fieret ex ea parte miseriæ meæ, in qua me tanquam mortuum, sed resuscitandum tibi flebat, & feretro cogitationis efferebat vt diceres filio viduæ: Iuuenis tibi dico, surge: & reuiuisceret, & inciperet loqui, & redderes illũ matri suæ. Nulla ergo turbulenta exultatione exultauit cor eius, cùm audisset ex tanta parte iam factum, quod tibi quotidie plangebat, vt fieret, veritatem me nondum adeptum, sed falsitati iam ereptum, imò verò quia certa erat, & quod restabat te daturũ, qui totum promiseras, placidissimè & pectore pleno fiduciæ respondit mihi credere se in Christum, quod priusquàm de hac vita emigraret, me visura esset fidelem Catholicum: & hoc quidem mihi, tibi autem fons misericordiarum preces & lachrymas densiores, vt accelerares adiutorium tuum, & illuminares tenebras meas, & studiosius ad Ecclesiam currerem, & in Ambrosij ora suspenderer, ad fontem salientis aquæ in vitam æternam. Diligebat autem illum virum sicut Angelum Dei, quòd per illum cognouerat, me interim ad illam ancipitem fluctuationem iam esse perductum, per quam transiturum me ab ægritudine ad sanitatem intercurrente acriore periculo, quasi per accessionem, quam criticam medici vocant, certa præsumebat. Itaque cùm ad memorias sanctorum, sicut in Aphrica solebat, pultes ad panem & merum attulisset, atque ab ostiario prohiberetur, vbi hoc Episcopum vetuisse cognouit, tam piè atque obedienter amplexa est, vt ipse mirarer, quòd tam facilè accusatrix potius consuetudinis suæ quàm disceptatrix illius prohibitionis effecta sit. Non enim obsidebat spiritum eius vinolentia, eamque stimulabat in odium veri amor vini, sicut plerosque mares & fœminas, qui ad canticum sobrietatis, sicut ad potionem aquatam madidi nauseant. Sed illa cùm attulisset canistrum cum solennibus epulis prægustandis atque largiendis, plus etiam quàm vnum potillum pro suo palato satis sobrio temperatum, vnde indignationem sumeret non ponebat. Etsi multæ essent quæ illo modo videbantur honorandæ memoriæ defunctorum, idem ipsum vnum quod vbique poneret circumferebat, quo iam non solùm aquatissimo, sed etiam tepidissimo cum suis præsentibus per sorbitiones exiguas partiretur, quia pietatē ibi quærebat, non voluptatem. Itaque vbi comperit à præclaro prædicatore atque Antistite pietatis præceptum esse, ista non fieri nec ab eis qui sobriè facerent, ne vlla occasio se ingurgitandi daretur ebriosis, & quia illa quasi parētalia superstitioni Gentiliũ essent simillima: abstinuit se libentissimè, & pro canistro pleno terrenis fructibus, plenum purgatioribus votis pectus ad memorias martyrum afferre didicerat, & vt quod posset daret egentibus, & si 2 communicatio Dominici corporis illic celebraretur, cuius passionis imitatione immolati sunt martyres. Sed tamen videtur mihi Domine Deus meus, & ita est in conspectu tuo de hac re cor meum, non facilè fortasse de hac amputanda consuetudine matrem meam fuisse cessuram, si ab alio prohiberetur, quem non sicut Ambrosium diligebat, quem propter salutem meam maximè diligebat: eam verò ille propter eius religiosissimam conuersationem, quia in bonis operibus tam feruens spiritu frequentabat Ecclesiam, ita vt sæpe erumperet, cùm me videret in eius prædicatione, gratulans mihi quòd talem matrem haberem, nesciens qualem illa me filium, qui dubitabam de illis omnibus, & inuenire posse viam vitæ minimè putabam. Atque interea mater ingressa est, quæsiuitque à nobis quid promouissemus, nam & ei quæstio nota erat. Cuius & ingressum & rogationem cùm scribi nostro more iussissem: Quid agitis, inquit, nunquid nam in illis quos legitis libris etiam fœminas vnquam audiui in hoc genus disputationis inductas? Cui ego: Non valde curo, inquam, superborum imperitorumque iudicia, qui similiter in legendos libros, atque in salutandos homines irruunt. Non enim cogitant quales ipsi, sed qualibus induti vestibus sint, quanta pompa rerum, fortunæque præfulgeant. Isti enim in literis non multum attendunt, aut vnde sit quæstio, aut quo peruenire differentes moliantur, quidue ab eis explicatum atque confectum sit. In quibus tamen quia nonnulli reperiuntur quorum animi contemnendi non sunt, aspersi sunt enim quibusdam condimentis humanitatis, & facilè per aureas depictasque ianuas ad sacrosancta philosophiæ penetralia perducuntur, satis eis fecerunt & maiores nostri, quorum libros tibi nobis legentibus notos esse video. Et his temporibus, vt omittam cæteros, vt & ingenio & eloquentia & ipsis insignibus muneribus fortunæ, & quod ante omnia est, mente præstantissimus Theodorus, quem bene ipsa nosti, id agit, vt & nunc, & apud posteros nullum genus hominum de literis nostrorum temporum iure conqueratur. Mei autem libri, si quorum fortè manus tetigerint, lectoque meo nomine non dixerint, iste quis est, codicemque proiecerint: sed vel curiosi, vel nimium studiosi contempta vtilitate liminis intrare perrexerint, me tecum philosophantem non molestè ferent, nec quenquam istorum, quorum meis literis sermo miscetur, fortasse contemnent. Sunt enim non solùm libri, quod cuiuis disciplinæ liberali, nedum philosophiæ satis est, sed summo apud suos loco nati. Doctissimorum autem hominum literæ etiam sutores philosophatos, & multò viliora fortunarum genera continent. Qui tamen tanta ingenij virtutisque

luce

2 Etsi cōmunicatio Dominici corporis illic celebraretur.

Ex lib. 1. de ordine in fine.

luce fulserunt, vt bona sua cum qualibet huiuscemodi nobilitate nullo modo vellent etiam si possent, vlla conditione mutare. Nec deerit, mihi crede, tale hominum genus, cui plus placeat hoc ipsum, quia mecum philosopharis, quàm si quid hic aliud aut iucunditatis aut grauitatis inuenerit. Nam & fœminæ sunt apud veteres philosophatæ, & philosophia tua mihi plurimum placet. Nam ne quid mater ignores hoc Græcum verbum, quod φιλοσοφία nominatur, latinè amor sapientiæ dicitur. Vnde etiam diuinæ scripturæ, quas vehementer amplecteris, non omnino philosophos, sed philosophos huius mundi euitandos atque irridendos esse præcipiunt. Esse autem alium mundum ab istis oculis remotissimum, quem paucorum sanorum intellectus intuetur, satis Christus ipse significat, qui non dicit: Regnum meum non est de mundo: sed, Regnum meum non est de hoc mundo. Nam quisquis omnem philosophiam fugiendam putat, nihil nos vult aliud quàm non amare sapientiam. Contemnerem te igitur in his literis meis, si sapientiam non amares: non autem contemnerem, si eam mediocriter amares: multò minus, si tantum tanquam ego amares sapientiam. Nunc cùm eam multò plus quàm meipsum diligas, & nouerim quantum me diligas: cumq; in ea tantum profeceris vt iam nec cuiusuis incommodi fortuiti, nec ipsius mortis, quod viris doctissimis difficillimum est, horrore deterrearis, quam summam philosophiæ arcem omnes esse confitentur, egóne me non libenter tibi etiam discipulum dabo? Hic illa cùm blandè ac religiosè nunquam me tantum mentitum esse dixisset, & viderem tam multa nos verba fudisse, vt neque scribenda non essent, & iam libri modus esset, neque tabulæ reliquæ forent, placuit quęstionem differri, simul vt meo stomacho parcerem. Nam cùm plus quàm vellem cõmouerant ea quæ mihi euomẽda in illos adolescentes necessariò visa sunt. Sed cùm abire cœpissemus: Memẽto, inquit, licentius, quàm multa, & quàm necessaria nobis abs te accipienda per occultissimũ illum diuinumque ordinem, etiam te nesciente, subministrentur. Video, inquam, & ingratus Deo non sum, vosque ipsos qui aduertitis ob id ipsum præsumo fore meliores. Hoc fuit tantum illo die negotium meum. Non 3 longè cœperat Mediolanensis Ecclesia genus hoc consolationis & exhortationis celebrare, magno studio fratrum concinnentium vocibus & cordibus. Nimirũ annus erat, aut nõ multò amplius, cùm Iustina Valentiniani regis pueri mater, hominem tuum Ambrosium persequeretur hæresis suæ causa, qua fuerat seducta ab Arrianis. Excubabat pia plebs in Ecclesia, mori parata cum Episcopo suo, seruo tuo. Ibi mater mea, ancilla tua, solicitudinis & 4 vigiliarũ primas partes tenens, orationibus viuebat. Nos adhuc frigidi à calore spiritus tui, excitabamur tamen ciuitate attonita atque turbata. Tunc hymni & psalmi vt canerentur secundum morem Orientalium partium, ne populus mœroris tædio contabesceret, institutum est, & ex illo in hodiernum retentum, multis iam ac penè omnibus 5 gregibus tuis, & per cætera orbis imitantibus. Tunc memorato Antistiti tuo per visum aperuisti, quo loco laterent martyrum corpora Prothasij & Geruasij, quæ per tot annos incorrupta in thesauro secreti tui recondideras, vnde oportunè promeres ad coercendam rabiem fœmineam, sed regiam. Cùm enim propalata & effossa digno cum honore 6 transferrentur ad Ambrosianam Basilicam, non solùm quos immundi vexabant spiritus, confessis eisdem dæmonibus sanabantur, verumetiam quidam plures annos cœcus ciuis, ciuitatique notissimus, cùm populi tumultuantis lætitiæ causam quæsisset atque audisset, exiliuit, eoque se vt duceret, suum ducem rogauit. Quo perductus, impetrauit admitti, vt sudario tangeret pheretrum pretiosæ in conspectu tuo mortis sanctorum tuorum. Quod vbi fecit, atque admouit oculis, confestim aperti sunt. Inde fama discurrens, inde laudes tuæ feruentes lucentes, inde illius inimicæ animus, etsi ad credendi sanitatem non applicitus, à persequendi tamen furore compressus est. Gratias tibi Deus meus. Vnde & quò eduxisti recordationem meam, vt hæc etiam confiterer tibi, quæ magna oblitus præterieram? Et tamen tunc cùm ita fragraret odor vnguentorum tuorum, non currebamus post te, & ideo plus flebam inter cantica hymnorum tuorum, olim suspirans tibi & tandem respirans, quantum patet aura in domo fœnea.

Ex lib. 9. Cõfessionũ à ca 7. vsq; ad 13. inclusiuè.

3 Ecclesia Mediolanensis genus hoc cõsolationis & exhortationis, nõ lõge celebrare cœperat magno studio fratrũ concinnentium vocibus & cordibus.

4 Ecce vigilias in Ecclesia, & orationes in cõmuni.

5 Vnde ortum habuerit hymnorum & Psalmorum in cæteris mundi Ecclesiis decantatio secundum morem Oriẽtalium Ecclesiarum.

6 In translatione sanctorum martyrũ vexati à spiritibus immundis sanabantur, ipsis dæmonibus confitentibus, & cæcus visum recuperauit

Qui habitare facis vnanimes in domo, consociasti nobis & Euodium iuuenem ex nostro municipio. Quicum agens in rebus militaret, prior nobis ad te conuersus est & baptizatus, & relicta militia seculari, accinctus est in tua. Simul eramus, simul habitabamus, placito sancto quærebamus quisnam locus nos vtilius haberet, seruientes tibi pariter remeabamus in Aphricam. Et cùm apud Ostia Tiberina essemus, mater defuncta est. Multa prætereo, quia multum festino. Accipe confessiones meas, & gratiarum actiones Deus meus de rebus innumerabilibus etiam in silentio. Sed non præteribo quicquid mihi anima parturit de illa famula tua, quæ me parturiuit: & carne, vt in hãc temporalem: & corde, vt in æternam lucem renascerer. Non eius, sed tua dicam dona in ea, neque enim seipsam fecerat, aut educauerat seipsam. Tu creasti eam, nec pater, nec mater sciebat qualis ex

eis fieret illa. Et erudiuit eam in timore tuo virga Christi tui regimen vnici filij tui in domo fideli bono membro Ecclesiæ tuæ. Nec tantam erga suam disciplinam diligentiam matris prædicabat, quantam famulæ cuiusdam decrepitæ, quæ patrem eius infantem portauerat, sicut dorso grandiuscularum puellarum paruuli portari solent. Cuius rei gratia, & propter senectam ac mores optimos, in domo Christiana satis à dominis honorabatur. Vnde etiam curam dominicarum filiarum commissam sibi diligenter gerebat, & erat in eis coërcendis, cùm opus esset sancta seueritate, vehemens, atque in docendis sobria prudentia. Nam eas præter illas horas quibus ad mensam parentũ moderatissimè alebantur, etiã si exardescerent siti, nec aquam bibere sinebat, præcauens consuetudinem malam, & addens verbum sanum: Modò aquam bibitis, quia in potestate vinum non habetis: cùm autem ad maritos veneritis, factæ dominæ apothecarum & cellariorum, aqua sordebit, sed mos potandi præualebit. Hac ratione præcipiendi & autoritate imperandi frenabat auiditatem tenerioris ætatis, & ipsam puellarum sitim formabat ad honestum modum, vt iam nec liberet quod non deceret. Et surrepserat tamen, sicut mihi filio famula tua narrabat, surrepserat ei vinolentia. Nam cùm de more tanquam puella sobria iuberetur à parentibus de cuppa vinum depromere, su missο poculo qua desuper patet, priusquam in lagunculam funderet merum, primoribus labris sorbebat exiguum, quia nõ poterat amplius sensu recusante. Non enim vlla temulenta cupidine faciebat hoc, sed quibusdam superfluentibus ætatis excessibus, qui ludicris motibus ebulliunt, & in puerilibus animis maiorum pondere premi solent. Itaque ad illud modicum quotidiana modica addẽdo, quoniam qui modica spernit, paulatim decidit, in eam consuetudinem lapsa erat, vt propè iam plenos mero caliculos inhianter hauriret. Vbi tunc sagax anus, & vehemens illa prohibitio? Nunquid valebat aliquid aduersus latentem morbum, nisi tua medicina Domine vigilaret super nos? Absente patre, & matre, & nutritoribus, tu præsens qui creasti, qui vocas, qui etiam per præpositos homines boni aliquid agis ad animarum salutem, quid tunc egisti, Domine Deus meus? Vnde curasti? Vnde sanasti? Nonne protulisti durum & acutum ex altera anima conuitium, tanquam medicinale ferrum ex occultis prouisionibus tuis, & vno ictu putredinẽ illam præcidisti? Ancilla enim cum qua solebat accedere ad cuppã litigans cum domina minore, vt fit, sola cum sola, obiecit hoc crimen amarissima insultatione, vocans meribibulam. Quo illa stimulo percussa, respexit fœditatẽ suam, confestimque damnauit atque exuit. Sicut amici adulantes peruertunt, sic inimici litigantes plærunque corrigũt. Nec tu quod per eos agis, sed quod ipsi voluerunt retribuis eis. Illa enim irata, exagitare appetiuit minorem dominam, non sanare, & ideo clanculo: aut quia ita eas inuenerat locus & tempus litis: aut ne fortè & ipsa periclitaretur, quòd tam serò prodidisset.

At tu Domine, rector cœlestium & terrenorum, ad vsus tuos contorquens profunda torrentis, fluxum seculorum ordinans turbulentum, etiam de alterius animæ insania sanasti alteram, ne quisquam cùm hoc aduertit, potentiæ suæ tribuat, si verbo eius alius corrigatur quem vult corrigi. Educata itaque pudicè ac sobriè, potiusque à te subdita parentibus quàm à parentibus tibi, vbi plenis annis nubilis facta est, tradita viro seruiuit veluti domino, & sategit eum lucrari tibi, loquens te illi moribus suis, quibus eam pulchrã faciebas & reuerẽter amabilem atque mirabilem viro. Ita autẽ tolerauit cubilis iniurias, vt nullam de hac re cum marito haberet vnquam simultatem. Expectabat enim misericordiam tuam super eum, vt in te credens castificaretur. Erat verò ille præterea sicut beneuolentia præcipuus, ita ira feruidus. Sed nouerat hæc non resistere irato viro, non tantùm facto, sed ne verbo quidem. Iam verò refracto & quieto, cùm oportunum videret, rationem facti sui reddebat, si fortè ille incõsideratius cõmotus fuerat. Denique cùm matronæ multæ quarum mansuetiores erant, plagarum vestigia, etiam dehonestata facie gererent, inter amica colloquia illæ arguebant maritorum vitam, hæc earum linguam veluti per iocum grauiter admonens, ex quo illas tabulas, quæ matrimoniales vocantur recitari audissent, tanquam instrumenta, quibus ancillæ factæ essent, deputare debuissent, proinde memores conditionis, superbire aduersus dominos non oportere. Cumque mirarentur illæ scientes quàm ferocem coniugem sustineret, nunquam fuisse auditum, aut aliquo indicio claruisse, quod Patricius ceciderit vxorem, aut quòd à seinuicem vel vnum diem domestica lite dissenserint, & causam familiariter quærerent, docebat illa institutum suum, quod suprà memoraui. Quæ obseruabant, expertæ gratulabantur: quæ non obseruabant, subiectæ vexabantur. Socrum etiam suam primò susurris malarum ancillarum aduersus se iratam, sic vicit obsequijs, perseuerans tolerantia & mansuetudine, vt illa vltrò filio suo medias linguas famularum proderet, quibus inter se & nurum pax domestica turbatur, expeteretque vindictam. Itaque posteaquam ille & matri obtemperans, & curans familię disciplinam, & concordiæ suorum consulens, proditas ad prodẽtis arbitriũ verberibus coërcuit, promisit illa talia de se pręmia

sperare

ſperare debere, quæcunque de ſua nuru ſibi quo placeret mali aliquid loqueretur, nullaque iam audente, memorabili inter ſe beneuolentiæ ſuauitate vixerunt. Hoc quoque illi bono mancipio tuo in cuius vtero me creaſti, Deus meus, miſericordia mea, munus grande donaueras, quod inter diſſidentes atq; diſcordes quaſlibet animas, vbi poterat tam ſe præbebat pacificam, vt cum ab vtraque multa de inuicem audiret amariſſima, qualia ſolet eructare turgens atque indigeſta diſcordia, quando præſenti amicæ de abſente inimica peracida colloquia crudelitas exhalatur odiorum, nihil tamen alteri de altera proderet, niſi quod ad eas reconciliandas valeret. Paruum hoc bonum mihi videretur, niſi turbas innumerabiles triſtis experirer, neſcio qua horrenda peſtilentia peccatorum latiſſimè peruagante, non ſolùm iratorum inimicorum iratis inimicis dicta prodere, ſed etiam quæ non dicta ſunt addere, cùm contra animo humano parum eſſe debeat inimicitias hominum nec exagitare, nec augere malè loquendo, niſi eas etiā extinguere bene loquēdo ſtuduerit, qualis illa erat docente te magiſtro intimo in ſchola pectoris. Denique etiam virum ſuum iam in extrema vita temporali eius lucrata eſt tibi, nec in eo iam fideli planxit, quod in nondum fideli tolerauerat. Erat etiam ſerua ſeruorum tuorum. Quiſquis enim eorum nouerat eam, multum in ea laudabat, & honorabat, & diligebat te, quia ſentiebat pręſentiam tuam in corde eius, ſanctæ conuerſationis fructibus teſtibus. Fuerat enim vnius viri vxor, mutuam vicem parentibus reddiderat, domum ſuam piè tractauerat, in operibus bonis teſtimonium habebat. Nutrierat filios, toties eos parturiens, quoties abs te deuiare cernebat. Poſtremò nobis Domine omnibus qui ex munere tuo ſinis loqui ſeruis tuis, qui ante dormitionem eius in te iam conſociati videbamus, percepta gratia baptiſmi tui, ita curam geſſit, quaſi omnes genuiſſet: ita ſeruiuit, quaſi ab omnibus genita fuiſſet. Imminente autem die, quo ex hac vita erat exitura, quem diem tu noueras ignorantibus nobis, prouenerat, vt credo procurante te occultis tuis modis, vt ego & ipſa ſoli ſtaremus incumbentes ad quandam feneſtram, vnde hortus intra domum quæ nos habebat proſpectabatur, illic apud oſtia Tyberina, vbi remoti à turbis, poſt longi itineris laborem, inſtaurabamus nos nauigationi. Colloquebamur ergo ſoli valde dulciter, & præterita obliuiſcentes, in ea quæ ante ſunt extenti, quærebamus inter nos apud præſentem veritatem quod tu es, qualis futura eſſet vita æterna ſanctorum, quam nec oculus vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcendit. Sed inhiabamus ore cordis in ſuperna fluenta fontis vitæ qui eſt apud te, vt inde pro captu noſtro aſperſi, quoquo modo rem tantam cogitaremus. Cumque ad eum finem ſermo perduceretur, vt carnalium ſenſuum delectatio quantalibet in quantalibet luce corporea præ illius vitæ iucunditate, non comparatione, ſed ne cōmemoratione quidem digna videretur: erigentes nos ardentiore affectu in idipſum, perambulauimus gradatim cuncta corporalia, ipſum cœlum, vnde ſol, & luna, & ſtellæ lucent ſuper terram. Et adhuc aſcendebamus interius cogitando & loquendo te, & mirando opera tua, & venimus in mentes noſtras, & tranſcendimus eas, vt attingeremus regionem vbertatis indeficientis, vbi paſcis Iſraël in æternum veritatis pabulo, & vbi vita ſapientia eſt, per quam fiunt omnia iſta, & quæ fuerunt, & quæ futura ſunt: & ipſa non fit, ſed ſic eſt vt fuit, & ſic erit ſemper, quin potius fuiſſe, & futurum eſſe non eſt in ea, ſed eſſe ſolùm, quoniam æterna. Nam fuiſſe & futurum eſſe, non æternum. Et dum loquimur, & inhiamus illi, attigimus eam modicè toto ictu cordis, & ſuſpirauimus, & reliquimus ibi religatas primitias ſpiritus, & remeauimus ad ſtrepitum oris noſtri, vbi verbum & incipitur & finitur. Et quid ſimile verbo tuo Domino noſtro in ſe permanenti ſine vetuſtate, atque innouanti omnia? Dicebamus ergo: Si cui ſileat tumultus carnis, ſileant phantaſiæ terræ & aquarum, & aëris, ſileant & poli, & ipſa ſibi anima ſileat, & tranſeat ſe, non ſe cogitando ſileant ſomnia & imaginariæ reuelationes, omnis lingua, & omne ſignum, & quicquid tranſeundo fit, ſi cui ſileat omnino, quoniam ſi quis audiat, dicunt hæc omnia: Non ipſa nos fecimus, ſed fecit nos qui manet in æternum. His dictis ſi iam taceant, quoniam erexerunt aurem in eum qui fecit ea, & loquatur ipſe ſolus, non per ea, ſed per ſeipſum, vt audiamus verbum eius, nō per linguam carnis, neque per vocem Angeli, neque per ſonitum nubis, neque per ænigma ſimilitudinis, ſed per ipſum quē in his amamus, ipſum ſine his audiamus: ſicut nunc extendimus nos, & rapida cogitatione attingimus æternam ſapientiam ſuper omnia manentem, ſi cōtinuetur hoc, & ſubtrahantur aliæ viſiones lōgè imparis generis, & hæc vna rapiat, & abſorbeat, & recondat in interiora gaudia ſpectatorē ſuum, vt talis ſit ſempiterna vita, quale fuit hoc momentum intelligētiæ, cui ſuſpirauimus. Nónne hoc eſt, intra in gaudiū Domini tui? Et iſtud quādo? An cum omnes reſurgemus, ſed non omnes immutabimur? Dicebamus talia, & ſi non iſto modo & his verbis, tamen Domine tu ſcis quòd illo die cùm talia loqueremur, & mundus iſte nobis inter verba vileſceret cū omnibus delectationibus ſuis. Tūc ait illa: Fili, quantū ad me attinet, nulla re iam delector in hac vita. Quid hic faciam adhuc, & cur hic ſim neſcio, iam

consumpta spe huius seculi. Vnum erat propter quod in hac vita aliquantum immorari cupiebam, vt te Catholicum Christianum viderem priusquam morerer: cumulatius hoc mihi Deus meus præstitit, vt te etiam contempta felicitate terrena, seruũ eius videam. Quid hic facio? Ad hæc ei quid responderim, non satis recolo. Tum interea vix intra quinque dies, aut non multò amplius decubuit febribus. Et cùm ægrotaret quodam die, defectum animę passa est, & paululum subtracta à præsentibus. Nos concurrimus, sed citò reddita est sensui, & aspexit astantes me & fratrem meum, & ait nobis quasi quærenti similis: Vbi eram? Deinde nos intuens mœrore attonitos: ponetis hic, inquit, matrem vestram. Ego silebam, & fletum frenabam. Frater autem meus quiddam locutus est, quo eam non peregrè, sed in patria defungi tanquam fœlicius optaret. Quo audito, illa vultu anxio reuerberans eum oculis quod talia saperet, atque inde me intuens: vide, ait, quid dicit. Et mox 7 ambobus: ponite, inquit, hoc corpus vbicunque, nihil vos eius cura conturbet. Tantùm illud vos rogo vt ad Domini 8 altare memineritis mei, vbi fueritis. Cumque hanc sententiam verbis quibus poterat explicasset, conticuit, & ingrauescente morbo exercebatur. Ego verò cogitans dona tua deus meus inuisibilis, quæ immittis in corda fidelium tuorum, & proueniunt inde fruges admirabiles, gaudebam, & gratias agebam tibi, recolens quòd noueram quanta cura semper æstuasset de sepulchro, quod sibi prouiderat & præparauerat iuxta corpus viri. Quia enim valdè concorditer vixerant, id etiam volebat, vt est animus humanus minus capax diuinorum, adiungi ad illam felicitatem, & commemorari ab hominibus, concessum sibi esse post transmarinam peregrinationem, vt coniũcta terra amborum coniugum terra tegeretur. Quando autem ista inanitas plenitudine bonitatis tuæ cœperat in eius corde non esse, nesciebam, & lætabar, admirans quòd sic mihi apparuisset: quanquam in illo sermone nostro ad fenestram cùm dixit: iam quid hic facio, non apparuit desiderare in patria mori. Audiui etiam postea, quod iam cùm Ostijs essemus, cum quibusdam amicis meis materna fiducia colloquebatur quodam die de contemptu vitæ huius, & bono mortis, vbi ipse non aderam: Illisque stupentibus virtutem fœminę quam tu dederas ei: quęrentibusq; vtrũ non formidaret tam longè à sua ciuitate corpus relinquere: nihil, inquit, longè est Deo, neque timendum est, ne ille non agnoscat in fine seculi, vnde me resuscitet. Ergo die nono ægritudinis suæ, quinquagesimo & sexto anno ætatis suæ, trigesimo & tertio ætatis meæ, anima illa religiosa & pia corpore soluta est. Premebam oculos eius, & confluebat in præcordia mea mœstitudo ingens, & trãsfluebat in lachrymas, ibidemq; oculi mei violento animi imperio resorbebant fontem suum vsque ad siccitatem, & in tali luctamine valde malè mihi erat. Tum verò vbi efflauit extremum spiritũ, puer Adeodatus exclamauit in planctum, atque ab omnibus nobis coërcitus tacuit. Hoc modo etiam meum quiddam puerile quod labebatur in fletus, iuuenili voce cordis coërcebatur & tacebat. Neque enim decere arbitrabamur, funus illud quęstubus lachrymosis gemitibusq; celebrare: quia his plerunque solet deplorari quædam miseria morientium, aut quasi omnimoda extinctio. At illa nec miserè moriebatur, nec omnino moriebatur. Hoc & documentis morũ eius, & fide non ficta, rationibusque certis tenebamus. Quid erat quod intus mihi grauiter dolebat, nisi ex cõsuetudine simul viuendi dulcissima & charissima repentè simul dirupta, vulnus recens? Gratulabar quidẽ testimonio eius, quòd in ea ipsa ægritudine obsequijs meis interblandiens appellabat me pium, & commemorabat grandi dilectionis affectu, nunquã se audisse ex ore meo iaculatum in se durum aut contumeliosum sermonẽ. Sed tamen quid tale Deus meus qui fecisti nos, quid comparabile habebat honor à me delatus illi, & seruitus ab illa mihi? Quoniã itaq; deserebar tam magno eius solatio, sauciabatur anima mea, & quasi dilaniabatur vita, quæ vna facta fuerat ex mea & illius. Cohibito ergo à fletu illo puero, 9 Psalterium aperuit Euodius, & cantare cœpit psalmum. Cui respondebamus omnis domus: Misericordiam & iudicium cantabo tibi Domine. Audito autem hoc, conuenerunt multi fratres ac religiosæ fœminæ, & de more illis, quorum officium erat funus curantibus, ego in parte vbi decenter poteram cum eis qui me non deserendum esse censebant, quod erat tempori congruum disputabam, eoque fomento veritatis mitigabam cruciatum tibi notum, illis ignorantibus, & intentè audientibus, & sine sensu doloris me esse arbitrantibus. At ego in auribus tuis, vbi eorum nullus audiebat, increpabam molliciem affectus mei, & constringebam fluxum mœroris, cedebatque mihi paululum, rursusque impetu suo ferebatur, non vsque ad eruptionem lachrymarum, nec vsque ad vultus mutationem, sed ego sciebam quid corde premerem. Et quia mihi vehementer displicebat tantum in me posse hæc humana, quæ ordine debito & sorte conditionis nostræ accidere necesse est, alio dolore dolebã dolorem meum, & duplici tristitia macerabar. Cùm ecce corpus elatum est, imus & redimus sine lachrymis. Nam neque in eis precibus quas tibi fudimus, cùm offerretur pro ea 10 sacrificium pretij nostri, iam iuxta sepulchrum posito cadauere priusquam deponeretur, sicut illic fieri solet, nec

7 Quod sancta mulier nolit filios cõturbari ob curam sepulturæ suæ, mãdetque corpus suũ vbicunq; poni, nõ præstat argumentum hæreticis, dicentibus sepulturã negligẽdã esse, & nõ curandã. Quia B. fœmina loquitur, quod in quocũque loco, hoc est, ciuitate vel oppido moreretur, ibi poneretur, quãuis nõ apud virũ suũ, vt manifeste patet ex sequentibus. Non autẽ reijcit, quin pia & Christiana cura de eius sepultura habeatur.

8 Vides antiquissimã esse ecclesiæ cõsuetudinem, quod in altari fiat memoria defunctorum.

9 Ecce quomodo Christiana traditio est, hymnos & psalmos in defunctorum fideliũ sepultura decãtare.

10 Vides quod antiquus mos est celebrare Missas pro animabus defunctorum? Vides etiã quod Missa appellatur sacrificium?

nec in eis precibus ego fleui, sed toto die grauiter in occulto mœstus eram, & mente turbata rogabam te vt poteram, quòd sanares dolorem meum, nec faciebas, credo commendans memoriæ meæ, vel hoc vno documento, omnis consuetudinis vinculum, etiam aduersus mentem, quæ iam non fallaci verbo pascitur. Visum etiam mihi est vt irem lauatum, quòd audieram inde balneis nomen inditum, quia Græci βαλανεῖον dixerint, quòd anxietatem pellat ex animo. Ecce & hæc confiteor misericordiæ tuæ pater orphanorum, quoniam laui, & talis eram, qualis prius quàm lauissem. Neque enim exudauit de corde meo mœroris amaritudo. Deinde dormiui, & euigilaui, & non parua ex parte mitigatum inueni dolorem meum, atque vt eram in lecto meo solus, recordatus sum veridicos versus Ambrosij tui: Tu es enim Deus creator omnium, polique rector: vestiens diem decoro lumine. Noctem soporis gratia. Artus solutos vt quies Reddat laboris vsui, Mentesque fessas alleuet, Luctusq; soluat anxios. Atque inde paulatim reducebam in pristinum sensum ancillam tuam, conuersationemque eius piam in te, & sanctam, in nos blandam atque morigeram, qua subitò destitutus sum, & libuit flere in cōspectu tuo de illa & pro illa, de me & pro me. Et dimisi lachrymas, quas continebam, vt effluerent quantum vellet, substernens eas cordi meo: & requieuit in eis, quoniam ibi erant aures tuæ, non cuiusquam hominis superbè interpretantis ploratum meum. Et nunc Domine confiteor tibi in literis: Legat qui volet, & interpretetur vt volet, & si peccatum inuenerit fleuisse me matrē exigua parte horæ, matrem oculis meis interim mortuā, quæ me multos annos fleuerat, vt oculis tuis viuerem: non irrideat, sed potius si est grādis charitate, pro peccatis meis fleat ipse, ad te patrem omnium fratrū Christi tui. Ego autem iam sanato corde ab illo vulnere in quo poterat redargui carnalis affectus, fundo tibi Deus noster pro illa famula tua longè aliud lachrymarū genus, quod manat de concusso spiritu, consideratione periculorum omnis animæ quæ in Adam moritur. Quanquam illa in Christo viuificata, etiam nondum carne resoluta sic vixerit, vt laudetur nomen tuum in fide moribusque eius, non tamen audeo dicere, ex quo eam per baptismum regenerasti, nullum verbum exisse ab ore eius contra præceptum tuum. Et dictum est a veritate filio tuo: Si quis dixerit fratri suo, fatue, reus erit gehennæ ignis. Et væ etiam laudabili vitæ hominum, si remota misericordia discutias eam. Quia verò non exquiris delicta, vehementer fiducialiter speramus aliquem apud te locum inuenire indulgentiæ. Quisquis autem tibi enumerat vera 11 merita sua, quid tibi enumerat nisi munera tua? O si cognoscant te omnes homines, & qui gloriantur in Domino glorientur. Ego itaque laus mea & vita mea, Deus cordis mei, sepositis paulisper bonis eius actibus, pro quibus tibi gaudens gratias ago, nunc pro peccatis matris meæ deprecor te, exaudi me per medicinam vulnerum nostrorum quæ pependit in ligno, & sedens ad dexteram tuam, te interpellat pro nobis. Scio misericorditer operatam, & ex corde dimisisse debita debitoribus suis: dimitte illi & debita sua, si qua etiam contraxit per tot annos post aquā salutis. Dimitte Domine, dimitte obsecro, ne intres cum ea in iudicium. Superexaltet misericordia iudicium, quoniam eloquia tua vera sunt, & promisisti misericordiam misericordibus. Quod vt essent, tu dedisti eis: qui miserebéris, cui misertus eris: & misericordiam tuam præstabis, cui misericors fueris. Et credo iam feceris quod te rogo, sed voluntaria oris mei approba Domine. Namque illa imminente die resolutionis suæ non cogitauit suū corpus sumptuosè contegi aut cōdiri aromatibus, aut monumentum electum concupiuit, aut curauit sepulchrum patrium. Non ista mandauit nobis, sed tantummodo 12 memoriam sui ad altare tuum fieri desiderauit, cui nullius diei prætermissione seruierat, vnde sciret dispensari victimam sanctam, qua deletum est chirographum quod erat contrarium nobis, qua triumphatus est hostis computans delicta nostra, & quærens quid obijciat, & nihil inueniens in illo in quo vicimus. Quis ei refundet innocentem sanguinem? Quis ei restituet pretiū quo nos emit vt nos auferat ei? Ad cuius pretij nostri sacramentum, ligauit ancilla tua animam suam vinculo fidei. Nemo à protectione tua dirumpat eam. Non se interponat nec vi, nec insidijs leo & draco: neque enim respondebit illa nihil se debere, ne conuincatur, & obtineatur ab accusatore callido: sed respondebit dimissa debita sua ab eo cui nemo reddet quod pro nobis non debens reddidit. Sit ergo in pace cum viro, ante quem nulli, & post quem nulli nupta est, cui seruiuit fructum tibi afferens cum tolerantia, vt eum quoque lucraretur: Et inspira Domine Deus meus, inspira seruis tuis fratribus meis, filijs tuis dominis meis, quibus & voce, & corde, & literis seruio, vt quotquot hæc legerint, 13 meminerint ad altare tuū Monicæ famulæ tuæ, cum Patricio quōdam eius coniuge, per quorum carnem introduxisti me in hanc vitam quemadmodum nescio. Meminerint cum affectu pio parentum meorum in hac luce transitoria, & fratrum meorum sub te patre in matre catholica, & ciuium meorum in æterna Hierusalem, cui suspirat peregrinatio populi tui ab exitu vsque ad reditum, vt quòd à me illa poposcit extremum, vberius ei præstetur in multorum 14 orationibus, tam per confessiones, quàm per orationes meas.

11 Merita omniū sanctorū, non sunt nisi dona Dei. Vnde sancti & vera habent merita, & à Deo habent quicquid habēt. & gloria Christi est cuiuslibet meritum Christiani.

12 Vides & hic fieri memorias defunctorū ad altare Domini ex antiquo instituto, & in eodem altari dispēsari victimā sanctam, qua deleta sunt peccata nostra, hoc est, verū Christi corpus.

13 Meminerint ad altare tuum Monicæ famulæ tuæ cū Patricio quōdam eius coniuge.

14 Ecce quomodo animæ defunctorum iuuantur orationibus viuētium.

VITA

VITA DIVI AVGVSTINI HIPPONENSIS Episcopi, per Possidonium Calamensem Episcopum eius discipulum scripta.

Habetur Tom. 11. operũ D. August. Episcopi.

INSPIRANTE rerum omnium factore & gubernatore Deo, mei memor propositi, quo per gratiam Saluatoris omnipotentis, ac per diuinæ trinitatis fidem seruire decreuit, & antea in vita Laicorum, & nunc in officio Episcoporum, studens ex qualicunque accepto ingenio & sermone ædificationi prodesse sanctæ ac veræ Christi Domini Catholicæ Ecclesiæ, de vita ac moribus prædestinati, & suo tempore præsentati sacerdotis optimi Augustini, quæ in eodem vidi, ab eodemque audiui, minimè reticere debeo. Id enim etiam ante nos factitatũ fuisse à religiosissimis sanctę matris Ecclesię Catholicæ viris legimus & comperimus, qui diuino afflati spiritu, sermone proprio atque stilo, & auribus & oculis scire volentium dicendo & scribendo similia, studiosorum notitiæ intulerunt, quales quantique viri ex communi Domini gratia in rebus humanis, & viuere, & vsque in finem obitus perseuerare meruerunt. Idcirco ipse quoque dispensatorum omnium minimus, fide non ficta qua Domino dominantium omnibusque bonis seruiendum & placendum est fidelibus, de prædicti venerabilis exortu viri, & procursu, & debito fine, quæ per eum didici & expertus sum, quàmplurimis annis eius inhærens charitati, vt Dominus donauerit, explicandum suscepi. Verùm summam quæso maiestatem, quò munus huiusmodi à me arreptum ita geram & peragam, vt nec patris luminum offendam veritatem, nec bonorum Ecclesiæ filiorum vlla ex parte fraudare videar charitatem. Nec enim attingam ea omnia insinuare, quæ idem beatissimus Augustinus in suis confessionum libris de semetipso, qualis ante perceptam gratiam fuerit, qualisque iam sumpta viueret, designauit. Hoc enim facere voluit, vt ait Apostolus: Ne de se quisquam hominum suprà quàm se esse nouerat, aut de se auditum fuisset, crederet vel putaret, humilitatis sanctæ more vtens, & iam nullum fallens, sed laudem non suam, sed sui Domini de propria liberatione ac munere quærens, ex ijs videlicet, quæ iam perceperat, & fraternas preces poscens de ijs quæ accipere cupiebat. Sacramentum igitur regis, quod angelica autoritate prolatum est, bonum est abscondere: opera autem Domini reuelare & confiteri, honorificum est. Igitur beatissimus Augustinus ex prouincia Aphricana ciuitate Thagastensi, de numero curialium, parentibus honestis & Christianis progenitus erat, alitusque ac nutritus eorum cura ac diligentia impensisque, secularibus literis eruditus apprimè, omnibus videlicet disciplinis imbutus, [1] quas liberales vocant. Nam & Grammaticam prius in sua ciuitate, & Rhetoricam in Aphricæ capite Carthagine postea docuit. Consequenti etiam tempore trans mare in vrbe Roma & apud Mediolanum, vbi tunc temporis Imperatoris Valentiniani minoris comitatus fuerat constitutus. In qua vrbe tunc episcopatum administrabat acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos eximius Ambrosius. Huius interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in Ecclesia disputationibus astans in populo, intendebat suspensus atque afflixus. Verùm aliquando Manichæorum apud Carthaginem adolescẽs fuerat errore seductus, & ideo cæteris suspensior aderat, ne quid vel pro ipsa vel contra ipsam hæresim diceretur. Sed prouenit Dei liberatoris clementia sui sacerdotis Ambrosij cor pertractantis, vt contra illum errorem incidentes legis soluerentur quæstiones: atque ita edoctus sensim atque paulatim, hæresis illa miseratione diuina eius ex animo pulsa est. Protinusque ipse in fide Catholica confirmatus est, proficiendi in religione eidem amoris ardor tantus innatus est, vt propinquantibus diebus sanctis Paschæ, salutis aquam perciperet. Et factum est diuina præstante opitulatione, vt per illum talem ac tantum antistitem Ambrosium & doctrinam salutarem Ecclesiæ Catholicæ, & diuina Augustinus perciperet sacramenta. Moxque ex intimis cordis medullis ad Deum conuersus, spem omnem quam habebat in seculo dereliquit, iam non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quærens: sed soli Deo cũ suis seruire statuit, in illo & ex illo pusillo grege esse studens, quẽ Dominus alloquitur, dicens: Nolite timere pusillus grex, quoniam complacuit patri vestro dare vobis regnum. Vendite quæ possidetis, & date eleemosynam: Facite vobis sacculos non veterascentes, thesauros non deficientes in cœlis. Et illud quod iterum dicit Dominus, idem vir sanctus facere cupiens: Si vis esse perfectus, vende omnia quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesaurum in cœlis, & veni, sequere me. Et super fidei fundamentum ædificare desiderans, non ligna, fœnum, stipulam, sed aurum, argentum, & lapides preciosos. Et erat tunc annis maior triginta, sola superstite matre, nomine Monica, sibique adhærẽte, & de suscepto eius proposito seruiendi Deo amplius quàm de carnis nepotibus exultante. Nam eius pater Patritius nomine, iam antea functus erat. Renuntiauit etiam scholasticis quos Rhetoricem docebat,

[1] Augustinus omnibus disciplinis quas liberales vocãt, imbutus fuit, contra nostros hæreticos qui illas detestantur.

docebat, vt sibi magistrum alium prouiderent, eò quòd seruire Deo ipse decreuisset. Ac placuit ei præcepta baptismi gratia cum alijs ciuibus & amicis suis Deo pariter seruientibus ad Aphricam & propriam domū agrósque remeare. Ad quos veniens, & in quibus constitutus fermè triennio, & à se iam alienatis curis secularibus, cum ijs qui idem adhærebant, Deo viuebat, 2 ieiunijs, orationibus, bonísque operibus, in lege Domini meditans die ac nocte. Et de ijs quæ sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta reuelabat, & præsentes & absentes sermonibus ac libris docebat. Contigit fortè eodem tempore, vt quidam ex ijs quos dicunt agentes in rebus, apud Hipponē regium constitutus, bene Christianus Deumque timens cōperta eius bona fama atq; doctrina, desideraret atq; optaret eum videre, promittens se posse mundi huius omnes contemnere cupiditates atque illecebras, si aliquando ex eius ore Dei verbum audire meruisset. Quod cùm ad se fideli fuisset relatione delatum, liberare animam cupiens ab huius vitæ periculis, morteque æterna, ad memoratam vltrò atque confestim venit ciuitatem, & hominem visum allocutus frequentius, atque exhortatus est quantum Deus donabat, 3 vt quod Deo vouerat, redderet. Hæc se ille facturum de die in diem pollicebatur, nec tamen in eius tunc hoc impleuit præsentia. Sed vacare vtique & inane esse non potuit, quod per tale vas mundum in honore vtile, Domino ad omne opus bonum paratum, in omni loco diuina gerebat prouidentia. Eodem itaque tempore in Ecclesia Hipponensi catholica, Valerius sanctus Episcopatum gerebat. Qui cùm flagitante ecclesiastica necessitate, de prouidendo, & ordinando presbytero ciuitatis plebem Dei alloqueretur, & exhortaretur: iam scientes catholici sancti Augustini propositum, & doctrinam, manu iniecta, quoniam & idē in populo securus & ignarus quid futurum esset, astabat. Solebat autem laicus, vt nobis dicebat, ab eis tantùm Ecclesijs quæ non haberent Episcopos, suam abstinere præsentiam. Eum ergo tenuerunt, & vt in talibus consuetum est, Episcopo ordinandum intulerūt, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnóque studio & clamore flagitantibus, vbertim eo flente: nonnullis quidem lachrymas eius, vt nobis ipse retulit, tunc superbè interpretantibus, & tanquam eum consolantibus ac dicentibus: quia locus presbyterij licet ipse maiore dignus esset, appropinquare tamen episcopatui. Cùm ille homo Dei, vt nobis retulit, maiori cōsideratione intelligeret, & gemeret, quàm multa, & quā magna suæ vitæ pericula de regimine & gubernatione Ecclesiæ impendere ac prouenire spectaret, atque ideo fleret. Et eorū tunc vt voluerunt completum est desiderium. 4 Factus ergo presbyter monasterium intra Ecclesiā mox instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundùm modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam. Maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed eis essent omnia communia, & distribueretur vnicuique prout cuique opus erat, quod iam ipse prior fecerat, dum de transmarinis ad sua remeasset. Sanctus verò Valerius ordinator eius, vt erat vir pijssimus & Deum timens, exultabat, & Deo gratias agebat, suas exauditas à Domino fuisse preces, quas se frequentissimè fudisse narrabat: scilicet vt sibi diuinitus homo concederetur talis, qui posset verbo Dei & doctrina salubri Ecclesiam Dei ædificare: cui rei se homo natura Græcus, minúsque Latina lingua & literis instructus, minus vtilem peruidebat. Et eidem presbytero potestatem dedit coram se in Ecclesia Euangelium prædicandi ac frequentissimè tractandi, cōtra vsum quidem & consuetudinem Aphricanarum Ecclesiarum. Vnde etiam ei nonnulli Episcopi detrahebant. Sed ille vir venerabilis ac prouidus, in Orientalibus Ecclesijs id ex more fieri sciens, vtilitati Ecclesiæ consulens, obtrectatorum non curabat linguas, dummodo factitaretur à presbytero, quod à se Episcopo implere minimè posse cernebat. Vnde accensa & ardens eleuata super candelabrum lucerna omnibus qui in domo erant lucebat. Et postea currente & volante huiusmodi fama, bono præcedente exemplo, accepta ab Episcopis potestate, presbyteri nonnulli coram Episcopis populis tractare cœperunt verbum Dei. Sanè tunc in illa Hipponensi vrbe Manichæorum pestilentia quàmplurimos ciues & peregrinos infecerat, & penetrauerat, seducente & decipiente eiusdem hæresis quodam presbytero nomine Fortunato ibidem conuersante atque morante. Interea Hipponenses ciues & peregrini Christiani tam Catholici quàm etiam Donatistæ, adeunt Augustinum presbyterum, atque deposcunt, vt illum hominem Manichæorum presbyterum, quem doctum credebam, videret, & cum eodem de lege tractaret. Quod idem, vt scriptum est, paratus ad responsionem omni poscenti se rationem de fide & spe quæ in Deo est, poténsque exhortari in doctrina sana, & contradicentes redarguere, minimè renuit. Sed vtrum etiam hoc Fortunatus fieri vellet, sciscitatus est. At illi confestim ad ipsum Fortunatum id detulerunt, petentes & exhortantes ac flagitantes, quòd id minimè recusaret. Sanè quoniam idem Fortunatus iam apud Carthaginem sanctum nouerat Augustinum adhuc in eodem secum errore constitutum, cum eodem congredi pauitabat. Veruntamen suorū maximè instantia coactus, ac verecūdatus, promisit cominus se esse venturum, certa-

2 Ieiunijs, orationibus, bonísque operibus in lege Domini meditās die ac nocte.

3 Vt quod Deo vouerat redderet.

4 Augustinus monasteriū intra Ecclesiā instituit, & cœpit viuere secūdū regulā sub sanctis Apostolis constitutā. Praecertim autem vt nemo in societate sua quicquam haberet proprij, sed omnia illis essent cōmunia, & distribueretur prout cuique opus erat. Quod cū obseruēt etiā veri monachi nostro tempore, quid habent hæretici quod tātopere cōtra eos insurgūt & tollere volunt de mūdo, nisi quod omnes secundum Apostolicam regulā viuentes, hi maximo odio prosequuntur?

certamenque disputandi subiturum. Vnde condicto die & loco conuenerunt in vnum concurrentibus quàmplurimis viris studiosis turbisque curiosis, & apertis notariorum tabulis disputatio est cœpta primo, & secundo finita est die. In qua ille Manichæus præceptor, vt gestorum continet fides, nec Catholicam assertionem potuit euacuare, nec Manichæorum sectam subnixa veritate valuit comprobare: Sed deficiens responsione, vltimò collaturum se cum suis maioribus ea quæ refellere non potuit prosecutus est, & si sibi fortè de his satis minimè fecissent, suæ animæ consulturū, atque ita ab omnibus apud quos magnus & doctus videbatur, nihil valuisse in suæ sectæ assertione iudicatus est. Qua ille confusione affectus, & sequenti tempore de Hipponensi ciuitate profectus, ad eandem amplius non remeauit. Ac sic per memoratum Dei hominem omnium cordibus, vel qui aderant, vel qui absentes illa quæ gesta sunt cognouerant, error ille ablatus, catholicaque est intimata ac comperta syncera religio, & docebat ac prædicabat ille priuatim & publicè in domo & in Ecclesia salutis verbum cum omni fiducia aduersus Aphricanas hæreses, maximeque contra Donatistas, Manichæos, & Pelagianos libris confectis, ac repetitis sermonibus, ineffabiliter admirantibus Christianis & collætantibus, & hoc ipsum vbi poterant non tacentibus, sed diffamantibus, sicq; adiuuante Domino, leuare in Aphrica Ecclesia Catholica exorsa est caput, quæ multo tempore illius conualescentibus hæreticis, præcipuéque rebaptizante Donati parte maiorem multitudinem Aphrorum seducta & oppressa iacebat. Libros verò eiusdem, siue tractatus mirabili Dei gratia procedentes ac profluentes instructos omni rationis copia, atque autoritate sanctarum scripturarum, ipsi quoque hæretici concurrentes, cum catholicis ingenti ardore audiebant, & quisquis vt voluit & potuit notarios adhibens, etiam ea quę dicebantur excepta descripsit. Et inde iam per totū Aphricę corpus præclara doctrina odorq; suauissimus Christi diffusa & manifestata est, congaudente hoc quoque comperto Ecclesia Dei transmarina. Quoniam sicut dum patitur vnum membrum, compatiuntur omnia membra, ita etiam cùm glorificatur vnum membrum, cōgaudent omnia membra. Per idem tempus coram Episcopis hoc ille iubentibus qui plenariū totius Aphricæ concilium Hipponæ agebant, de fide & symbolo presbyter adhuc Augustinus disputauit. Ille verò beatus senex Valerius cæteris ex hoc amplius exultans, & Deo gratias agens de concesso sibi speciali beneficio, metuere cœpit, vt est humanus animus, ne ab alia Ecclesia sacerdos probatus ad Episcopatum quęreretur, & sibi auferretur. Nam & id prouenisset, nisi & hoc idē Episcopus cognito, ad locum secretum eum transire curasset, occultatumque à quærentibus minimè inueniri fecisset. Vndè amplius formidans idē venerabilis senex, & sciens se corpore & ætate infirmissimum, egit secretis literis apud Primatē Episcopum sedis Carthaginensis, allegans imbecillitatem corporis sui, ætatisque grauitatē, & obsecrans, vt Hipponensi Ecclesiæ ordinaretur Episcopus, qui suæ cathedræ non tā succederet, sed consacerdos accederet Augustinus. Quæ igitur B. Valerius optauit & rogauit, satagens rescripto impetrauit. Postquam petitionem ad visitandum aduenïente ad Ecclesiam Hipponensem tunc Primate Numidiæ Megalio Calamensi Episcopo, & Valerius Antistes, Episcopis qui tunc aderant, & clericis omnibus Hipponensibus, & vniuersę plebi inopinatam cūctis suā insinuat tunc voluntatem: omnibusque audientibus & gratulantibus, atq; id fieri perficique ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere contra morē Ecclesiæ suo viuēte Episcopo presbyter Augustinus recusabat. Dumque id fieri solere ab omnibus suaderetur, atque id ignaro transmarinis & Aphricanis Ecclesię exemplis probaretur, compulsus atq; coactus succubuit, & Episcopatus curam, & maioris loci ordinationem suscepit. Quod in se ipso postea fieri non debuisse, vt viuo suo Episcopo ordinaretur, & dixit, & scripsit, propter Consilij vniuersalis vetitum, quod iam ordinatus didicit: nec quod sibi factum esse doluit, alijs fieri voluit. Vnde etiam sategit, vt concilijs constitueretur Episcoporum, ab ordinatoribus debere ordinandis, vel ordinatis omnium statuta sacerdotum in notitiam esse deferenda. Atque ita factum est, vt Episcopatu suscepto multo instantius ac feruentius maiore autoritate, non adhuc in vna tantùm regione, sed vbicunque rogatus venisset, verbum salutis æternæ alacriter ac suauiter pullulante, atque crescente Domini Ecclesia prædicare paratus semper poscentibus reddere rationem de fide & spe, quæ cum Deo est. Et eius dicta atque excepta, maximè Donatistæ in eadem Hipponensi vel vicina manentes ciuitate ad suos Episcopos deferebant. Quæ cum audissent, & econtra fortè aliquid dicerēt, aut à suis refellebatur, aut eadem res ad sanctum Augustinum deferebatur, cáque comperta patienter ac leniter, vt scriptum est, cum timore & tremore salutem omnium operabatur: Ostendens quòd nihil illi refellere voluerint ac valuerint, quàm quę verum manifestumque sit quod Ecclesiæ Dei fides tenet & docet. Et hæc diebus ac noctibus ab eodem iugiter agebantur. Nam & epistolas priuatas ad quoscunque eiusdem erroris Episcopos, & eminentes scilicet laicos dedit, ratione reddita admonēs atque exhortans, vt vel ab illa se prauitate corrigerēt, vel certè

ad dispu-

ad disputationes venirent. Illi verò causa diffidentiæ nihil vnquā rescribere voluerunt, sed irati furiosa loquebantur, atque seductorem deceptoremque animarum Augustinum esse, & priuatim & publicè conclamabant: & velut lupum occidēdum esse in defensionem gregis scilicet, sui, dicebant & tractabant, omniaque peccata à Deo indubitanter esse credendum, posse dimitti ijs qui hoc facere ac perficere potuissent, nec Deum timentes, nec homines erubescentes. Et vt eorum causa diffidentiæ cunctis innotesceret, eloborauit, & publicis gestis conuenti, non sunt ausi conferre. Habebant etiam ijdem Donatistæ per suas penè omnes ecclesias inauditum hominum genus peruersum ac violentum, velut sub professione continentium ambulantes, qui Circuncelliones dicebantur. Et erant in ingenti numero & turba, per omnes ferè Aphricanas regiones constituti. Qui malis imbuti doctoribus audacia superba & temeritate illicita, nec suis, nec alienis aliquando parcebant, contra ius fasque in causis interdicentes hominibus: & nisi obedissent, damnis grauissimis & cædibus afficiebant, armati diuersis telis, bacchantes per agros, villasq;, vsque ad sanguinis effusionē accedere non metuentes. Sed dum verbum Dei sedulo prædicaretur, & cum ijs qui oderunt pacem pacis ratio haberetur, illi pacē loquentem debellabant gratis. Cumq; aduersus eorū dogma veritas innotesceret, qui volebant & poterant, sese inde vel eripiebant, vel subducebant, & paci atque vnitati Ecclesiæ cum suis quibus poterant, cohærebant. Vnde illi sui erroris congregationē minui videntes, atque augmentis Ecclesię inuidentes, accensi exardescebant ira grauissima, & intolerabiles persecutiones vnitati Ecclesiæ compacti faciebant. Ipsisque sacerdotibus catholicis & ministris agressiones diurnas atque nocturnas, direptionesque rerum omnium vi inferebant. Nam & multos Dei seruos cædibus debilitauerunt. Aliquibus etiam calcem cum aceto in oculos miserunt, aliosque occiderunt. Vnde etiam suis ijdem Donatistæ rebaptizatores in odium veniebant. Proficiente verò doctrina diuina, sub sancto, & cum sancto Augustino in monasterio Deo seruientes, Ecclesiæ Hipponensi clerici ordinari cœperunt. Ac deinde innotescente & clarescente de die in diem Ecclesiæ catholicæ prædicationis veritate, sanctorumque seruorum Dei proposito, 5 continentia & paupertate profunda, ex monasterio quod per illum venerabilem virum & esse & crescere cœperat, magno desiderio poscere atq; accipere Episcopos & clericos pax Ecclesiæ atque vnitas & cœpit primò, & postea consecuta est. Nam fermè decem quos ipse noui sanctos ac venerabiles viros continentes & doctissimos, beatus Augustinus diuersis Ecclesijs, nonnullis quoque eminentioribus rogatus dedit. Similiterque & ipsi ex illorū sanctorum proposito venientes, Domini Ecclesijs propagatis, & monasteria instituerunt, & studio crescente ædificationis verbi Dei, cæterisque Ecclesijs promotos fratres ad suscipiendum sacerdotium præstiterunt. Vnde per multos & in multis salubris fidei, spei, & charitatis Ecclesiæ innotescente doctrina, non solum per omnes Aphricanas partes, verùm etiam in transmarinis, & per libros editos, atque in Græcum sermonem translatos, ab illo vno homine, & per illum multis fauente Deo multa innotescere meruerunt. Atque hinc, vt scriptū est, peccator videns irascebatur, dentibus suis frendebat, & tabescebat: serui autē Christi, vt dictum est, cum ijs qui oderunt pacem, erant pacifici: & cùm loquerentur, debellabantur gratis ab eis.

5 Sancti serui Dei clerici S. Augustini crescebāt in monasterio continentia & paupertate profunda.

Aliquoties verò etiam vias armati ijdem Circuncelliones contra famulum Dei Augustinum obsederunt, dum fortè iret rogatus ad visitandas, instruendasque, & exhortandas catholicas plebes, quod ipse frequentissimè faciebat. Et aliquando contigit vt illi succenturiati hactenus perderent captionem: euenit quidem Dei prouidentia, seductoris hominis errore, vt per aliam viam cum suis comitibus sacerdos quò tendebat venisset, atque per hunc quem postea cognouit errorem, manus impias euasisset. Et cùm in omnibus liberatori Deo gratias egisset, illi omnino suo more nec laicis, nec clericis pepercerunt, sicut publica testantur gesta. Interea silendum non est, quod ad laudem Dei per illius tam egregij in Ecclesia viri studium domusque Dei zelum aduersus prædictos rebaptizatores Donatistas gestum & perfectum est. Cùm fortè vnus ex ijs quos de suo monasterio & clero Episcopus ecclesiæ propagauerat, ad suam curā pertinentem Calamensis ecclesiæ diœcesim visitaret, vt quæ didicerat pro pace Ecclesiæ contra illam hæresim prædicaret, factum est, vt in medio itinere eorum insidias incurrisset, & persuasum cum omnibus illi comitantibus, sublatis animalibus & rebus, iniurijs & cæde grauissima eum affecissent. De qua re ne pacis ecclesiæ amplius impediretur profectus, defensor Ecclesiæ inter leges non siluit. Et præceptus est Crispinus, qui ijsdem Donatistis in Calamensi ciuitate & regione Episcopus fuit, prædicatus scilicet, & multi temporis, & edoctus, ad mulctam teneri aurariam publicis legibus præsentatus contra hæreticos constitutam. Qui resultans legibus, cùm præsentatus apud Proconsulem se negaret hæreticū, oborta est necessitas, vt illi, recedente Ecclesię defensore, à catholico Episcopo resisteretur & conuinceretur, quòd esse se fuisse negaret: Quoniam si

ab eodem dissimularetur, fortè Catholicus Episcopus ab ignorantibus crederetur, illo se quod erat negante, atque ita ex hac desidia infirmis scandalum nasceretur. Et memorabili Augustino Antistite omnimodis instante, ad controuersiam ambo ipsi Calamenses Episcopi venerunt, & de ipsa diuersa communione tertio conflictu secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudine causæ exitũ & apud Carthaginem, & per totã Aphricam expectante, atque ille Crispinus Proconsulari & libellari sententia est pronunciatus hæreticus. Proque illo apud cognitorem Catholicus Episcopus intercessit: & ne auraria mulcta exigeretur, ei beneficium est impetratum. Vndè cùm ingratus ad pijssimum principem prouocasset, ab imperatore relationi deditum est responsum solutum: & consequenter præceptum, nullo prorsus loco hæreticos Donatistas esse debere, & eos ad vim legum omnium contra hæreticos latarum vbique teneri debere. Ex quo & iudex propter officium, & idem Crispinus quòd minimè fuerat exactus, præcepti sunt duas auri libras fisci iuribus inferre. Sed protinus opera data est per catholicos Episcopos, præcipuè per sanctæ memoriæ Augustinum, vt illa omnium condemnatio principis dimitteretur indulgentia. Et Domino adiuuante perfectum est. Qua diligentia, & sancto studio multum creuit sancta Ecclesia. Et his omnibus pro pace Ecclesiæ gestis Augustino Dominus & hic palmam dedit, & apud se iustitiæ coronam reseruauit: ac magis magisque iuuante Christo de die in diem augebatur, & multiplicabatur pacis vnitas, & Ecclesiæ Dei confraternitas. Et id maximè factum est post collationem quæ ab vniuersis Episcopis catholicis apud Carthaginem cum eisdem Donatistarum Episcopis facta est, adiuuante gloriosissimo & religiosissimo Imperatore Honorio, propter quod perficiendum etiam à suo latere Tribunum & notarium Marcellinum ad Aphricam iudicem miserat. In qua controuersia illi omnibus modis confutati, atque de errore à catholicis conuicti, sententia cognitoris notati sunt: & post eorum appellationem piissimi Regis responso, iustè inter hæreticos condemnati sunt. Ex qua ratione notati sunt solitò amplius eorum Episcopi, qui cum suis clericis & plebibus non communicauerunt, & pacem tenentes catholicam, multas eorum persecutiones vsque ad membrorum amputationem & internecionem pertulerunt. Et totum illud bonum, vt dixi, per sanctum illum hominem consentientibus nostris, Episcopis satagentibus, & cœptum, & perfectum est.

Porrò autem post illam quæ cum Donatistis facta est collationem, non defuerunt qui dicerent, permissos non fuisse eosdem Episcopos apud potestatem, quæ causam audiuit dicere omnia pro suis partibus, quoniam catholicæ communionis cognitor suæ fauebat Ecclesiæ: licet hoc deficientes & victi ad excusationem iactarent, quandoquidem & ante controuersiam ijdem hæretici catholicæ communionis eundem esse nouerant: & cùm ab eodem conueniretur publicis gestis, quod ad collationẽ occurrerent, & se esse facturos prosequuti sunt. Poterant vtique suspectum eum habentes recusare congressum: tamen omnipotentis Dei præstitit auxilium, vt postea in Cæsariensi Mauritaniæ ciuitate constitutus venerabilis memoriæ Augustinus, quò eum venire cum alijs Episcopis sedis Apostolicæ literæ compulerunt, ob terminandas videlicet alias Ecclesiæ necessitates: hac ergo occasione prouenit, vt Emeritum eiusdem loci Donatistarum Episcopum, quem suæ sectæ præcipuum in illa collatione habuerunt defensorem, videret, & cum eodem publicè in Ecclesia populo adstante diuersæ communionis ex hoc ipso disputaret & prouocaret gestis Ecclesiasticis: vt quod fortè, sicut dicebant, prosequi potuit in collatione, sed permissus non fuerat, in præsenti sine alicuius potestatis prohibitionis aut potẽtia securus dicere minimè dubitaret, & in sua ciuitate suis omnibus præsentibus ciuibus fiducialiter propriam defendere communionem non denegaret. Ille nec hac hortatione, nec suorum parentum & ciuium instanti petitione id facere voluit, qui ei pollicebantur se ad eos redituros communionem, etiam cum discrimine patrimoniorum, salutisque suæ temporalis, si modò catholicam superaret assertionem. At ille amplius dicere illis gestis nihil voluit, nec valuit, nisi tantum: Iam illa, inquit, gesta continentur apud Carthaginem inter Episcopos confecta, vtrum vicerimus, an victi fuerimus. Et dum à notario alio loco vt responderet admoneretur, & reticeret, eius cunctis manifestata diffidentia, Ecclesiæ Dei augmenta ac firmamenta prouenerunt. Quisquis ergo diligentiam & operam beatissimæ memoriæ Augustini pro Ecclesiæ Dei statu cognoscere plenius voluerit, etiam illa percurrat gesta: & inueniet quæ vel qualia protulerit, quibus illum doctum, eloquentem & prædicatum hominem prouocaret, hortatusque fuerit, vt pro suæ defensione partis quod vellet ediceret, illumque victum cognoscet. Scio ego non solùm ipse Possidonius præsul, qui vitam hanc conscripsi, verùm etiam alij fratres, & conserui, qui nobiscum tunc intra Hipponensem Ecclesiam cum eodem sancto viro viuebant, nobis pariter ad mensam constitutis eum dixisse: Aduertistis hodie in Ecclesia meum sermonem, eiusque initium, & finem

finem contra meam consuetudinem processisse, quoniam non eam rem terminatam explicuerim quam proposueram, sed pendentem reliquerim. Cui respondimus, ita nos in tempore miratos fuisse scimus & recognoscimus. At ille: Credo, ait, quòd fortè aliquem errantem in populo Dominus per nostram obliuionem & errorem doceri & curari voluerit. In cuius manu sunt & nos & sermones nostri. Nam cùm propositæ quæstionis latebras pertractarem, in alium sermonis excursum perrexi, atque ita non conclusa vel explicata quæstione, disputationem terminaui magis aduersum Manichæorum errorem, vnde nihil dicere decreueram, disputans, quàm de ijs quæ asserere proposueram. Et post hæc, nisi fallar, ecce alia die vel post biduum venit quidam Firmus nomine, negotiator, & intra monasterium sedente sancto Augustino coram nobis, ad pedes eius genubus prouolutus sese iactauit, lachrymas fundens, & rogans, vt pro eius delictis sacerdos cum suis Dominum deprecaretur, confitens quòd Manichæorum sectam secutus fuisset, & in ea quàmplurimis annis vixisset, & propterea pecuniam multam ipsis Manichæis, vel eis quos dicunt electos, incassum erogasset: ac se in ecclesia per Dei misericordiam fuisse eius tractatibus nuper correctum, atque catholicum factum. Quod & ipse venerabilis Augustinus, & nos qui tunc aderamus, ab eodem diligenter inquirentes, ex qua re potissimum illo in tractatu sibi fuerit satisfactum, & referente eo, nobisque omnibus sermonis seriem recognoscentibus profundum consilium Dei pro salute animarum admirantes & stupentes, glorificauimus sanctum eius nomen, & benediximus: qui cum voluerit, & vnde voluerit, & quomodo voluerit, & per scientes, & per nescientes animarum operatur salutem. Ex eo ille homo proposito seruorum Dei adhærens negotiatoris dimisit actionem, & proficiens in ecclesiæ membris, in alia regione ad presbyterij quoque, Dei voluntate petitus, & coactus, officium accessit, tenens atque custodiens propositi sanctitatem: & fortè adhuc vsque nunc in rebus humanis viuit trans mare cõstitutus. Apud Carthaginem quoque dum per quendam domus regiæ procuratorem nomine Vrsum fidei catholicæ hominem, ad quosdam Manichæorum quos electos vel electas dicunt, blasphemis operibus præsentes perueniretur, atque ad Ecclesiam ab eodem deducerentur & perducerentur ab Episcopis, ad tabulas auditi sunt, inter quos etiam sanctæ memoriæ Augustinus fuit, qui præ cæteris illam execrabilem sectam nouerat, & eorum prudens eiusmodi damnabiles blasphemias ex locis librorum quos illi accipiunt Manichæi, vsque ad confessionem earundem blasphemiarum eos perduxit: & quæ inter se illi suo more malo indigna & turpia facere consueuerunt, à fœminarum illarum velut electarum proditione, illis ecclesiasticis gestis declaratum est. Atque ita pastorum diligentia Dominico gregi & augmentum accessit, & aduersus fures atque latrones defensio competens procurata est. Cùm quodam etiam Felice de numero eorum quos electos dicunt ijdem Manichæi, quique Hipponem venerat eundem seminaturus errorem, publicè in Hipponensi ecclesia notarijs excipientibus disputauit beatus Augustinus populo astante, & post secũdam vel tertiam collationem ille Manichæus frustrata vanitate & errore illius, sectæ ad nostram conuersus est fidem atque ecclesiam, sicut eadem relicta docere poterit scriptura. Præterea cum quodam etiam Pascentio comite domus regiæ Arriano, qui per autoritatem suæ personæ fisci vehementissimus exactor, fidem catholicam atrociter ac iugiter oppugnabat, & quàmplurimos sacerdotes Dei simpliciori fide viuentes, dicacitate ac potestate exagitabat, & perturbabat præsentibus honoratis & nobilibus viris, apud Carthaginem ab illo prouocatus coram contulit. Sed idem hæreticus tabulas atque stylum, quod magister noster & ante congressum & in cõgressu instantissimè fieri volebat, vt adessent omnimodò recusauit: & dum id pernegasset, dicens quòd legum metu publicarum periclitari tabulis scriptis nollet, interpositis stylo & tabulis Augustinus Episcopus cũ suis qui aderant consacerdotibus, & absq; vlla scriptura priuatim disputarent, collationem suscepit, prædicẽs quod postmodum contigit, quod post solutum conuentũ esse cuiquam posset liberũ arbitrium, fortè dicere, nullo scripturæ documento se dixisse quod fortè non dixerit, vel non dixisse quod dixerit. Beatus Augustinus miscuit cum eodem sermonem, atque asseruit quid crederet, & ab illo quid teneret, audiuit, & vera ratione atq; authoritate scripturarum probata docuit, & ostendit nostræ fidei firmamenta. Illius autem asserta nulla veritate, nulla scripturarum sanctarum autoritate suffulta docuit & frustrauit. Et vt à seinuicem partes digressæ sunt, ille magis magisque iratus & furens mendacia multa pro fide sua falsa iactabat, victum esse à seipso proclamans multorum ore laudatum Augustinum. Quæ cùm illum venerabilem virum minimè laterent, coactus est ad ipsum scribere Pascentium, propter illius metum omissis nominibus conferentium, & in eis literis quicquid inter partes dictum vel gestum fuerat, fideliter intimauit, ad ea, si negarentur, probanda, magnum testium habens copiam, clarissimos scilicet atque honorabiles qui tunc aderant viros. Atque ille ad duo sibi directa scripta, vnum vix reddidit rescriptum, in quo magis

iniuriam facere, quàm suæ sectæ rationem valuit declarare. Quod à volentibus & à valentibus legere comprobatur. Cum ipsorum quoque Arrianorum Episcopo quodam Maximo cum Gothis ad Aphricam veniente, apud Hipponē quàmpluribus volentibus atque petentibus, & præclaris interpositis viris, contulit, & quid singulæ asseruerint partes, scriptum est. Quæ si studiosi diligenter legere voluerint, proculdubiò indagabunt, & quid callida & irrationabilis hæresis ad seducendum & decipiendum profiteatur, & quid ecclesia catholica de diuina teneat & prædicet Trinitate. Sed quoniam ille hæreticus de Hippone rediens ad Carthaginem, de sua multa in collatione loquacitate victorem se de ipsa collatione recessisse iactauit, & mentitus est, quæ vtique non facilè à diuinæ legis ignaris examinari & diiudicari possent, à venerabili viro Augustino sequenti tēpore stylo & illius totius collatonis de singulis obiectis & responsis facta est recapitulatio: & quàm nihil ille obiectis referre potuerit, nihilominus demonstratum est, additis supplementis quæ in tempore collationis angusto cuncta inferri & scribi minimè potuerunt. Id enim egerat nequitia hominis, vt sua nouissima prosequutione multum longissima, totum quod remanserat diei spatium occuparet. Aduersus Pelagianistas quoque nouos nostrorum temporum hæreticos & disputatores callidos, arte magis subtili noxia scribentes, & vbicūque poterant publicè & per domos loquentes, per annos fermè decem laborauit, librorum multa condens & edens, & in Ecclesia populis ex eodem errore frequentissimè disputans. Et quoniam iidem peruersi sedi Apostolicæ per suam ambitionem eandem perfidiam persuadere conabantur, instantissimè etiam concilijs Aphricanis sanctorum Episcoporum gestum est, vt sancto Papę vrbis Romæ, & prius venerabili Innocētio, & postea sancto Zozimo eius successori persuaderetur, quòd illa secta catholica fide & abominanda & damnanda fuisset. At illi tantæ sedis Antistites, suis diuersis temporibus eosdem notantes, atque à membris Ecclesiæ præcidentes, datis literis ad Aphricanas Orientis & Occidentis Ecclesias, eos anathematizandos & deuitandos ab omnibus catholicis censuerunt. Et hoc tale de illis Ecclesiæ Dei catholicæ prolatum iudicium, etiam pijssimus Imperator Honorius audiens ac sequens, suis eos legibus damnatos inter hæreticos haberi debere constituit. Vnde nonnulli ex eis ad sanctæ matris Ecclesiæ gremium vnde resilierant, redierunt: & adhuc alij redeunt, innotescente & præualescente aduersus illum detestabilem errorem rectæ fidei veritate. Et erat ille memorabilis vir Augustinus præcipuum Dominici corporis membrum, circa vniuersalis Ecclesiæ vtilitatem solicitus semper ac peruigil. Et illi diuinitus donatum est, vt de suorum laborum fructu etiam in hac vita gaudere prouenisset, prius quidem in Hipponensi Ecclesia & regione, cui maximè præsidebat vnitate ac pace perfecta, deinde in alijs Aphricæ partibus, siue per seipsum, siue per alios, & quos ipse dederat sacerdotes pullulasse, & multiplicatam fuisse Domini Ecclesiam peruidens, illosque Manichæos, Donatistas, Pelagianistas, & Paganos ex magna parte defecisse, & Ecclesiæ Dei sociatos esse congaudens. Profectibus quoque & studijs fauens erat & exultans, bonorum omnium indisciplinationem piè ac sanctè tolerans fratrum, ingemiscensque de iniquitatibus malorum, siue eorum qui intra Ecclesiam, siue eorum qui extra Ecclesiam sunt constituti, dominicis, vt dixi, lucris semper gaudens, & damnis mœrens. Tanta autem ab eodem dictata & edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta, atque emendata, vel aduersus diuersos hęreticos conscripta, vel ex canonicis libris exposita ad ædificationē sanctorum Ecclesiæ filiorum, vt ea omnia vix quisquam studiosorum nosse & perlegere sufficiat. Veruntamen ne veritatis auidissimos in aliquo fraudare videamur, statui Deo præstante in huius opusculi fine etiam eorundem librorum, tractatuum, & epistolarum indiculum adiungere. Quo lecto qui magis Dei veritatem quam tēporales amant diuitias, sibi quisque quod voluerit ad legendum & cognoscendum eligat, & id ad scribēdum vel de bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, vbi emendatiora exemplaria fortè poterit inuenire, vel vnde valuerit inquirat, & inuenta describat & habeat, & petenti ad scribendum sine inuidia etiam ipse tribuat. Secundùm Apostoli quoque sententiam, dicentis: Audet quisquam vestrum aduersus alterum negotium habens iudicari ab iniquis, & non apud sanctos? An nescitis quia sancti mundum iudicabunt? Et si in vobis iudicatur mundus, indigni estis iudiciorum minimorum. Nescitis quia Angelos iudicabimus, nedum secularia? Secularia igitur iudicia si habueritis inter vos, eos qui contemptibiles sunt in Ecclesia, hos collocate ad iudicandum: Ad reuerentiam vobis loquor. Sic non est inter vos quisquam sapiens, qui possit inter fratrem suum dijudicare, sed frater cum fratre iudicio contendit, & hoc apud infideles. Interpellatus ergo beatus Augustinus à Christianis, vel à cuiuscunque sectæ hominibus causas audiebat diligenter ac piè: cuiusdam verò sententiam ante oculos habens, dicentis se malle inter incognitos, quàm inter amicos causas audire: eò quòd de incognitis pro quo arbitrata æquitate iudicaretur, amicum posset acquirere: de amicis

de amicis verò vnum esset, contra quem sententia proferretur, perditurus. Et eas aliquando vsque ad horam refectionis, aliquando autem tota die ieiunans, semper tamen noscebat & dirimebat, intendens in eis Christianorum momenta animorum, quantum quisque vel in fide bonisque operibus proficeret, vel ab ijs deficeret: Atque compertis rerum oportunitatibus, diuinæ legis veritate partes docebat, eamque illis inculcabat, & eos quò adipiscerentur vitam æternam edocebat & admonebat, nihil aliud quærens ab ijs quibus ob hoc vacabat, nisi tantum obedientiam & deuotionem Christianam, quæ & Deo debetur & hominibus, peccantes coram omnibus arguens, vt cæteri timorem haberent. Et faciebat hoc tanquam speculator à Domino constitutus domui Israël, prædicans verbum, atque instans oportunè, importunè arguēs, hortās, increpās, in omni lōganimitate & doctrina, præcipuéque operā dans instruere eos qui essent idonei & alios docere. Rogatus quoq; à nonnullis in eorū temporalibus causis, epistolas ad diuersos dabat. Sed hanc suam à melioribus rebus occupationem tanquam angariam deputabat, suauem semper habens de ijs quæ Dei sunt vel allocutionem, vel collocutionem fraternæ ac domesticæ familiaritatis.

Nouimus quoque eum à suis charissimis literarum intercessum apud seculi potestates postulatum non dedisse, dicentem cuiusdam sapientis seruandam esse sententiam, de quo scriptum esset, quòd multa suæ famæ contemplatione amicis non præstitisset. Et illud nihilominus suum addens, quoniā plerūque potestas quæ præstat, premit. Cùm verò intercedendum esse rogatus videbat, tam id honestè ac temperatè agebat, vt non solùm onerosus ac molestus non videretur, verùm etiam mirabilis extitisset. Nam dum exorta necessitate suo more apud quendam Aphricæ vicariū nomine Macedonium pro supplice literis interuenisset, atque ille paruisset, hoc modo rescriptum misit: Miro modo afficior sapientia tua, & in illis quæ edidisti, & in ijs quæ interueniens pro reis mittere nō grauaris. Nam & illa tantum habent acuminis, scientiæ, & sanctitatis, vt nihil suprà sit: & hæc tantum verecundiæ, vt nisi faciam quod mandas, culpam penes me remanere, nō in negotio esse diiudicem, domine meritò venerabilis, & suspiciende pater. Non enim instas quod plerique homines istius loci vi faciunt, vt quodcunque solicitus petitor voluerit, extorqueas: sed quod tibi à Iudice tot curis obstricto petibile visum fuerit, admones & rogas subseruiente verecundia, quæ maxima difficilium inter bonos efficacia est. Proinde statim commēdatis effectum desiderij tribui. Nam sperandi viam antè patefeceram.

Sanctorum consilia sacerdotum per diuersas prouincias celebrata, cùm potuit frequentauit, non in eis quæ sua sunt, sed quæ Iesu Christi quærens, vt vel fides sanctæ Ecclesiæ catholicæ inuiolata maneret, vel nōnulli sacerdotes & clerici siue per fas, siue per nefas excommunicati, vel absoluerentur, vel abijcerentur. In ordinandis verò sacerdotibus & clericis consensum maiorē Christianorum, & consuetudinem Ecclesiæ sequendam esse arbitrabatur. Vestis eius & calceamenta & lectualia ex moderato & competenti habitu erant, nec nitida nimium, nec abiecta plurimum: quia his plerunque vel iactare se insolenter homines solent, vel abijcere, ex vtroque non quæ Iesu Christi, sed quæ sua sunt ijdem quærentes. At iste beatus, vt dixi, medium tenebat, neque in dexteram, neque in sinistram declinans. Mensa vsus est frugali & parca, quæ quidem inter olera & legumina etiam carnes aliquando propter hospites, vel quosque infirmiores continebat. Semper autem vinum habebat, quia nouerat, & docebat, vt Apostolus dicit, quod omnis creatura Dei bona sit, & nihil abijciendum, quod cum gratiarum actione percipitur, sanctificatur enim per verbum Dei & orationem. Et, vt idem Augustinus in suis Confessionum libris posuit, dicens: Non ego immunditiam obsonij timeo, sed immunditiam cupiditatis. Scio enim Noë omne genus carnis quod cibo esset vsui, manducare permissum: Heliam cibo carnis refectum: Ioannem mirabili abstinentia præditum, animalibus, hoc est, locustis in escam cedentibus, non fuisse pollutum. Scio & Esau lenticulæ concupiscentia deceptum, & Dauid propter aquæ desiderium à seipso reprehensum, & regem nostrum non de carne, sed de pane esse tentatum. Ideoque & populus in eremo, non quia carnes desiderauit, sed quia escæ desiderio contra Deum murmurauit, meruit improbari. De vino autem sumendo Apostoli extat sententia ad Timotheum scribentis, ac dicentis: Noli vsque adhuc aquam bibere, sed vino medico vtere propter stomachum & frequentes tuas infirmitates. Coclearibus tantùm argenteis vtens, cætera vasa quibus mensæ inferebantur cibi, vel testea, vel lignea, vel marmorea erant: non tamen necessitatis inopia, sed proposito voluntatis. Sed & hospitalitatem semper exhibuit. Et in ipsa mensa magis lectionem vel disputationem, quàm epulationem potationemque diligebat: & contra pestilentiam humanæ consuetudinis in ea ita scriptum habebat:

Quisquis amat dictis absentum rodere vitam,
Hanc mensam indignam nouerit esse sibi.

Et ideo omnem conuiuam à superfluis & noxiis fabulis & detractionbus sese abstinere debere admonebat. Nam & quosdam suos familiarissimos coepiscopos illius scripturæ oblitos, & contra eam loquentes, tam asperè aliquando reprehendit commotus, vt diceret, aut delendos esse illos de mensa versus, aut se de media refectione ad suum cubiculum surrecturum. Quod ego & alij qui illi mensæ interfuimus, experti sumus.

Pauperum verò semper memor erat, eisque inde erogabat, vnde & sibi suisque omnibus secum habitantibus erogabatur, hoc est, vel ex redditibus possessionum Ecclesiæ, vel etiam ex oblationibus fidelium. Et dum fortè, vt assolet, de possessionibus ipsis inuidia clericis fieret, alloquebatur plebem Dei, malle se ex collationibus plebis Dei viuere, quàm illarum possessionum curam vel gubernationem pati, & paratum se esse illis cedere, vt eo modo omnes Dei serui & ministri viuerent, quo in veteri testamento leguntur altari deseruientes de eodem comparticipari. Sed nunquam id laici suscipere voluerunt. Domus Ecclesiæ curam omnemque substantiam ad vices valentioribus clericis delegabat & credebat. Nunquam clauem, nunquam annulum in manu habens, sed ab eisdem domus præpositis, cuncta & accepta & erogata notabantur, quæ anno completo eidem recitabantur, quò sciretur quantum acceptum, quantumque dispensatum fuisset, vel quicquid indispensatum vel dispensandum remansisset, & in multis titulis magis illius præpositi domus fidem sequens, quàm probatum manifestumque cognoscens, domum verò vel agrum seu villam nunquam emere voluit. Verùm si fortè ecclesiæ à quoquam sponte tale aliquid vel donaretur, 6 vel titulo legati dimitteretur, non respuebat, sed suscipi iubebat. Nam & aliquas eum hæreditates recusasse nouimus, non quia pauperibus inutiles esse possent, sed quoniã iustum & æquum esse videbat, vt à mortuorum vel filijs, vel parentibus, vel affinibus magis possiderentur, quibus ab eis deficientes dimittere noluerunt. Quidã etiã ex honoratis Hipponensiũ apud Carthaginem viuens ecclesiæ Hipponẽsi possessionẽ 7 donare voluit, & cõfectas tabulas sibi vsufructu retẽto, vltro eidẽ sanctæ memoriæ Augustino misit. Cuius ille oblationẽ libẽter accepit, congratulãs ei, quod æternæ suæ memor esset salutis. Verùm post aliquot annos nobis fortè cũ eodem cominus constitutis, ecce ille donator literas per filium suum mittens, rogauit vt illæ donationũ tabulæ suæ filio redderentur, pauperibus verò erogandos direxit solidos centum. Quo ille sanctus cognito, ingemuit hominẽ vel finxisse donationẽ, vel eum de bono opere pœnituisse, & quanta potuit Deo suggerente cordi eius cõdolenti animo ex eadẽ refragatione dixit, in illius scilicet increpationẽ & correctionem. Et tabulas quas ille spõte miserat, nec desideratas, nec exactas confestim reddidit, pecuniamq; illam respuit: atque rescriptis eundẽ sicut oportuit, & arguit, & corripuit, admonens vt de sua simulatione vel iniquitate cũ pœnitentię humilitate Deo satisfaceret, ne cum tam graui delicto de seculo exiret. Frequentius verò dicebat, magis securius ac tutius Ecclesiam legata à defunctis dimissa debere suscipere, quã hæreditates fortè sollicitas & damnosas, ipsaq; legata magis offerenda esse quã exigenda. Commendata verò quæq; ipse non suscipiebat, sed volentes suscipere clericos nõ prohibebat. In ijs quoq; quæ Ecclesia habebat & possidebat intentus amore, vel implicatus cupiditate nõ erat, sed maioribus magis & spiritalibus suspensus & inhærens rebus, vix aliquando seipsum ad ista temporalia ab æternorum cogitatione relaxabat & deponebat. Quibusque ille dispositis & ordinatis, tanquam à rebus mordacibus & iam molestis, animi recursum ad interiora mẽtis & superiora faciebat, quò vel de inueniendis rebus cogitaret, vel de iam inuentis aliquid dictaret, aut certè ex iam dictatis atq; transcriptis aliquid emẽdaret. Et id agebat in die laborans, & in nocte lucubrãs. Et erat tanquã illa religiosissima Maria, typum gestans supernæ Ecclesiæ, de qua scriptũ est, quod sederet ad pedes Domini, atque intenta verbum eius audiret: De qua soror conquesta quòd ab eadem circa multum ministerium occupata non adiuuaretur, audiuit: Martha Martha, sollicita es: Elegit optimam partẽ Maria, quæ nõ auferetur ab ea. Nam fabricarũ nouarum nunquam studium habuit, deuitãs in eis implicationem sui animi, quẽ semper liberum habere volebat ab omni molestia temporali. Nõ tamen illa volẽtes & ædificãtes prohibebat, nisi tantũ immoderatos. Interea dũ ecclesiæ pecunia deficeret, hoc ipsum populo Christiano denunciabat, non se habere quod indigentibus erogaret. Nam & de vasis Dominicis propter captiuos & quàmplurimos indigentes, frangi & conflari iubebat, & indigentibus dispensari. Quod non commemorassem, nisi contra carnalem sensum quorundam fieri perviderem. Et hoc ipsum etiam venerabilis memoriæ Ambrosius in talibus necessitatibus indubitanter esse faciendum & dixit, & scripsit, sed & inde de neglecto à fidelibus gazophylacio & secretario, vnde altari necessaria inferuntur, aliquando in ecclesia loquens admonebat, quod etiam beatissimum Ambrosium se præsente in ecclesia tractauisse nobis aliquando retulerat. Cum ipso semper clerici, vna etiam domo ac mensa sumptibusq; cõmunibus alebantur & vestiebantur. Et ne quisquam facili iuratione etiam ad periurium

6 Vides hic hæretice, quod donata vel legata non respuebat Augustinus, quod fecisset, si ea Deo non placere credidisset.

7 Si est bonum opus dimittere ecclesiæ possessiones suas, & qui hoc faciunt, memores sunt suæ salutis, vt supra dixit D. Augustinus: cur ista nunc taxãtur à nouis hæreticis?

decidisset,

decidiſſet, & in eccleſia populo prædicabat, & ſuos inſtituerat, ne quis iuraret, nec ad modicum quidem. Quòd ſi prolapſus fuiſſet, vnam de ſtatutis perdebat portionem. Numerus enim erat ſuis ſecum cōmorantibus & cōuiuantibus poculorum præfixus. In diſciplinationes quoq; & tranſgreſſiones ſuorum à regula recta, & honeſtate, & arguebat & tolerabat, quantum decebat & oportebat: in talibus præcipuè docens, ne cuiuſquam cor declinaretur in verba maligna ad excuſandas excuſationes in peccatis. Et dum quiſque offerret munus ſuum ad altare, & illic recordatus fuiſſet, quod frater ſuus haberet aliquid aduerſus illum, relinquendum eſſe munus ante altare, atq; eundem fratrem eſſe recōciliandum, & tunc veniendum, & munus ad altare offerendum. Si verò ipſe aduerſus fratrem ſuum aliquid haberet, corripere eum debere in parte: & ſi eum audiſſet, lucratus eſſet ſuum fratrem: ſi minus, adhibendum eſſe vnum aut duos. Quod ſi & ipſos contemneret, Eccleſiam adhibendam. Si verò & huic non obediret, eſſet ille vt Ethnicus & Publicanus. Et illud addens, vt fratri peccanti & veniam petenti, non tantùm ſepties, ſed ſeptuagies ſepties delictum relaxetur, ſicut quiſque à Domino quotidie ſibi poſtulat relaxari.

Fœminarum autem intra domum eius nulla vnquam conuerſata eſt, nulla manſit, nec quidem germana ſoror, 8 quæ vidua Deo ſeruiens multo tempore vſque in diem obitus ſui præpoſita ancillarum Dei vixit: Sed neque patrui ſui filiæ, & fratris ſui filiæ, quæ pariter Deo ſeruiebant: Quas perſonas ſanctorum Epiſcoporum conſilia in exceptis poſuerunt. Dicebat verò, quia & ſi de ſorore & neptibus ſecum commorantibus nulla naſci poſſit mala ſuſpicio, tamen quoniam illæ perſonæ ſine alijs neceſſarijs ſecumque manentibus fœminis eſſe non poſſent, & quòd ad eas aliæ a foris intrarent, de ijs poſſe offendiculum aut ſcandalum infirmioribus naſci: & illos qui cum Epiſcopo, vel quolibet clerico fortè manerent, ex illis omnibus fœminarum perſonis vnà commorantibus aut aduentantibus, tentationibus humanis poſſe perire, aut certè malis hominum ſuſpitionibus peſſimè diffamari: ob hoc ergo dicebat, nunquam debere fœminas cum ſeruis Dei etiam caſtiſſimis in vna manere domo, ne, vt dictum eſt, aliquod ſcandalum vel offendiculum hoc tali exemplo poneretur infirmioribus, & ſi fortè ab aliquibus fœminis vt videretur vel ſalutaretur, rogabatur, nūquam ſine clericis teſtibus ad eas intrabat, vel ſolus cum ſolis vnquam eſt locutus, niſi ſecretorum aliquid intereſſet. In viſitationibus verò modum tenebat ab Apoſtolo definitū, vt non niſi pupillos & viduas in tribulationibus conſtitutas viſitaret. Et ſi fortè ab ægrotantibus ob hoc peteretur, vt pro eis in præſenti Deum rogaret, eiſque manus imponeret, ſine mora pergebat. Fœminarum autem monaſteria non niſi vrgentibus neceſſitatibus viſitabat. Seruandum quoque in vita & moribus hominis Dei referebat, quod in inſtitutis ſanctæ memoriæ Ambroſij comperierat, vt vxorem cuiquam nunquam poſceret, neque militare volentem ad hoc commendaret, neque in ſua patria petitus iret ad conuiuium. De ſingulis rebus præſtans cauſas, ſcilicet, ne dum inter ſe coniugati caſu iurgarent, & eum maledicerēt per quem coniuncti eſſent. Sed plane ad hoc ſibi iam illis conſentientibus petitum intereſſe debere affirmabat ſacerdotem, vt vel eorum iam pacta & placita firmarentur, vel benedicerentur. Et ne militiæ commendatus ſuam culpam malè agens ſuffragatori tribueret. Et ne per frequentiam in patriæ conuiuijs conſtitutus, temperantiæ amitteretur modus. Indicauerat quoque nobis ſe prædicti & beatæ memoriæ viri in vltimo vitæ conſtituti audiſſe ſapientiſſimum & pijſſimum reſponſum, & multum laudabat ac prædicabat. Nam cùm ille venerabilis vltima iaceret ægritudine, & à fidelibus honoratis lecto eius aſtātibus, & videntibus eum de ſeculo migraturum ad Deum, & ob hoc mœrentibus tanti ac talis antiſtitis eccleſiam poſſe priuari verbi & ſacramenti Dei diſpenſatione, cùm lachrymis rogaretur vt ſibi à Domino vitæ poſceret commeatum, eum illis dixiſſe: Non ſic vixi vt me pudeat inter vos viuere: ſed nec mori timeo, qui bonū Dominum habemus. Et in his noſter Auguſtinus ſenex elimata ac librata admirabatur & laudabat verba. Ideo enim eum dixiſſe intelligendum eſt, nec mori timeo, quia bonū Dominum habemus, ne crederetur præfidens de ſuis purgatiſſimis moribus præſumpſiſſe. Non ſic vixi, vt me pudeat inter vos viuere. Hoc dixerat ad illud quod homines de homine noſſe poterant. Nam ſciens examen æquitatis diuinæ, de bono Domino ſe dicit magis quàm de meritis ſuis confidere, cui etiam in oratione quotidiana dominica dicebat: Dimitte nobis debita noſtra ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris. Cuiuſdam quoq; coepiſcopi & familiariſſimi ſui amici, in extremis vitæ de talibus frequentiſſimū referebat dictum: ad quem quum viſitandum iam morti appropinquantem venitaſſet, & ille manus geſtu ſe de ſeculo exiturum ſignificaret, atque à ſe illi eſſet reſponſum: adhuc eum Eccleſiæ neceſſarium viuere poſſe, illum ne putaretur huius vitæ teneri cupiditate, reſpondiſſe ei: Si nunquam, bene. Si aliquando, quare non modò? Et talem ſententiam mirabatur & laudabat hominem protuliſſe, Deū quidem timentem, veruntamen in villa natum & nutritū, ſed non multa lectionis eruditum ſcientia. Illud etiam cuiuſdam

8 Notent hoc nostri temporis hæretici, qui à muliercularum conuictu & conuerſatione nolunt auelli, hique imprimis, qui apud eos & ſacerdotes & concionatores agunt.

ægrotantis, dictum afferebat Episcopi, de quo sanctus in epistola sua quam de mortalitate scripsit martyr Cyprianus, ita retulit, dicens: Cùm quidam de collegis & consacerdotibus nostris infirmitate defessus, & de appropinquante morte sollicitus commeatum sibi præcaretur, astitit deprecanti, & iam penè morienti iuuenis honore & maiestate venerabilis, statura celsus, & clarus aspectu, quem astantem sibi vix posset humanus aspectus oculis carnalibus intueri, nisi quod talem videre iam poterat de seculo recessurus. Atque ille non sine quadam animi & vocis indignatione infremuit, & dixit: Pati timetis, exire non vultis, quid faciam vobis? Ante proximum verò diem infirmitatis obitus sui à se dictatos & editos recensuit libros, siue eos quos primo tempore conuersionis suæ adhuc laicus, siue quos presbyter, siue quos Episcopus dictauerat, & quæcunque in his recognouit aliter quàm sese haberet ecclesiastica regula, à se fuisse dictata & scripta, cum adhuc ecclesiasticum vsum minus sciret, minusque intelligeret, à semetipso & reprehensa & correcta sunt. Vnde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus, De recensione librorum. Præreptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem à nonnullis fratribus conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam librorum suorum præuẽtus morte dereliquit. Quique prodesse omnibus volens, & volentibus multa librorum legere & non valentibus, ex vtroque diuino testamento veteri & nouo præmissa præfatione, præcepta diuina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his vnum codicem fecit: vt qui vellet, legeret, atque in eo vel quàm obediens Deo inobediénsue esset agnosceret: & hoc opus voluit Speculum appellare. Verùm breui consequenti tempore diuina voluntate & potestate prouenit, vt manus ingens diuersis telis armata & bellis exercitata, immanium hostium Vandalorum & Alanorum, commixtam secum habentes Gothorum gentem, aliarumque diuersarum gentium personas ex Hispaniæ partibus transmarinis nauibus Aphricæ influxisset & inuasset, vniuersaque per loca Mauritaniarum etiam ad alias nostras transiens prouincias & regiones, omni sæuiens crudelitate

9 Ecce morem hæreticorum, sæuire præcipuè in seruos Dei & in sanctas eius Ecclesias.

9 & atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cædibus, diuersisque tormentis, incendijs, alijsque innumerabilibus & infandis malis depopulata est, nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei sacerdotibus vel ministris, nec ipsis Ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificijs. Et hanc ferocissimam hostium grassationem & vastationem ille homo Dei, & factam fuisse, & fieri, non vt cæteri homines, sentiebat & cogitabat: Sed altius & profundius ea considerans, & in his animarum præcipuè vel pericula vel mortes prouidens, solito amplius quàm vt scriptum est: Qui apponit scientiam, apponit dolorem, & cor intelligens quasi tinea ossibus: fuerunt ei lachrymæ panes die ac nocte, amarissimamque & lugubrem præ cæteris suæ senectutis iam penè extremam ducebat ac tolerabat vitam. Videbat enim ille homo Dei ciuitates excidio perditas pariter cum ædificijs, villarumque habitatores, alios hostili nece extinctos, alios effugatos atque dispersos, 10 Ecclesias sacerdotibus ac ministris destitutas, virginesque sacras & quosque continentes vbique dissipatos: & in his alios defecisse tormentis, alios gladio interemptos esse, alios in captiuitate perdita animi & corporis integritate ac fidei, malo more ac duro hostibus deseruire. Cernebat etiam hymnos Dei & laudes de Ecclesijs deperisse, ædificia Ecclesiarum quamplurimis locis ignibus concremata esse, solennia quoque quæ Deo debentur de proprijs locis defecisse: sacrificia, ac sacramenta diuina vel non quæri, vel quærenti qui tradat non facilè reperiri: in ipsas montium syluas & cauernas petrarum & speluncas confugientes vel ad quascunque munitiones alios fuisse expugnatos & interfectos, alios necessarijs sustentaculis euolutos atque priuatos, vt fame contabescerent: ipsosque ecclesiarum præpositos & clericos, qui forte Dei beneficio, vel eos non incurrerent, vel incurrentes euaserant, rebus omnibus expoliatos atque nudatos egentissimos mẽdicare, nec eis omnibus ad omnia quibus fulciẽdi essent, subueniri posse. Vix tres superstites videbat ex innumerabilibus Ecclesijs, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, & Circensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, & earum permanent ciuitates, & diuino & humano fultæ præsidio, licet post eius obitum vrbs Hipponensis incolis destituta, ab hostibus fuerit cõcremata. Et se inter hæc mala cuiusdam sapientis sententia consolabatur, dicens: Non erit magnus magnum putans, quòd cadunt ligna & lapides, & moriuntur mortales. Hæc ergo omnia ille, vt erat altè sapiens, quotidie vbertim flebat. Accreuitq; mæroribus & lamentationibus eius, vt etiã adhuc in suo statu consistentẽ ad eandem Hipponensium regionum ciuitatem ab eisdem hostibus veniretur obsidendam. Quoniam in eius tunc defensione fuerat constitutus comes quidam Bonifacius cum Gothorum quondam fœderatus exercitu, quam vrbem fermè quatuordecim mensibus conclusam obsederunt. Nam & littus illi marinũ interclusione abstulerunt. Quo etiam nos ipsi de vicino cum alijs nostris coepiscopis confugeramus, in eademque omni obsidionis tempore fuimus. Vbi nobiscum super his infortunijs sæpissimè colloquebamur, & Dei tremẽda

10 Et hæc ipsa in Germania & alibi per hæreticos perpetrata, & audiuimus, & proprijs oculis vidimus, ac quotidie experimur.

iudicia præ oculis nostris posita considerabimus, dicentes: Iustus es Domine, & rectum iudicium tuũ. Pariterque dolentes, gementes & flentes orabamus miserationum patrem, & Deum omnis consolationis, vt de eadem nos tribulatione subleuare dignaretur. Et fortè prouenit, vt vnà cum eodem ad mensam constitutis, & inde confabulantibus cœperit coram nobis dicere: Noueritis me hoc tempore nostræ calamitatis Deum rogare, vt aut hanc ciuitatem ab hostibus circundatam liberare dignetur, aut si aliud ei videtur, suos seruos ad perferendam suam voluntatem fortes faciat, aut certè vt me de hoc seculo ad se accipiat. Quæ ille dicens, nosque instruens, deinceps cum eodem & nos cum nostris omnibus, & ipsi qui in eadem fuerant ciuitate à summo Deo similiter petebamus. Et ecce tertio illius obsidionis mense decubuit lecto febribus fatigatus, & illa vltima exercebatur ægritudine. Nec suum sanè Dominus famulum fructus suæ precis fraudauit. Nam & sibiipsi & eidem ciuitati, quod & lachrymosis deposcit precibus, in tempore impetrauit. Noui quoque eundem & presbyterum & Episcopum pro quibusdam energumenis petentibus vt oraret rogatum, eumque in oratione lachrymas fundentem Deum rogasse, & dæmones ab hominibus recessisse, itemque ad ægrotantem, & lecto vacantem quendam cum suo ægroto venisse & rogauisse, vt eidem manum imponeret, vt sanus esse posset: eumque respondisse, si aliquid in his posset, sibi hoc vtique primitus præstitisset: & illum dixisse visitatum se fuisse, sibique per somnium dictum esse: Vade ad Augustinum Episcopum, vt eidem manum imponat, & saluus erit. Quod dum comperisset, facere non distulit, & illum infirmum continuò Dominus sanum ab eodem discedere fecit. Interea reticendum minimè est, cùm memorati impenderẽt hostes, à sancto viro quoque nostro coëpiscopo Thabennensis Ecclesiæ Honorato, literis fuisse consultum, vtrùmnam illis aduentantibus ex Ecclesijs Episcopis vel clericis recedendum esset, an non. Eique rescriptis insinuasse, quid magis ab illis Romaniæ euersoribus esset metuendum. Quam eius epistolam huic scripturæ inserere volui. Est enim sacerdotum Dei & ministrorum moribus valde vtilis & necessaria. Isto modo rescriptum est ad eundem ab eodem. Sancto fratri & coepiscopo Honorato, Augustinus in Domino salutem: Charitati tuæ misso exemplo epistolæ, quam fratri Quoduultdeo nostro coepiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse quod mihi imposuisti, quærendo consilium, quid in his periculis quæ in tempora nostra venerunt facere debeatis. Quamuis enim epistolam, &c.

Sanè ille sanctus in vita sua prolixa pro vtilitate ac fœlicitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ diuinitus condonata, vixit annis septuaginta sex, in clericatu autem vel Episcopatu annis fermè quadraginta. Dicere autem nobis inter familiaria colloquia consueuerat, post perceptum baptismum etiam laudatos Christianos & sacerdotes absque digna & competenti pœnitentia exire de corpore non debere. Quod etiam ipse fecit vltima qua defunctus est ægritudine. Nam sibi iusserat Psalmos Dauidicos qui sunt paucissimi de pœnitentia scribi, ipsosque quaterniones iacens in lecto contra parietem positos diebus suæ infirmitatis intuebatur, & legebat, & iugiter ac vbertim flebat. Et ne intentio eius à quoquam impediretur, cauebat. Ante dies fermè decem quàm exiret de corpore, à nobis postulauit præsentibus ne quis ad eum ingrederetur, nisi his tãtùm horis quibus medici ad inspiciendum intrarent, vel cùm ei inferretur refectio. Et ita obseruatum ac factum est, & omni illo tempore orationi vacabat. Verbum Dei vsque ad ipsam suam extremã ægritudinem imprætermisse, alacriter & fortiter sana mente sanoque consilio in Ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, & vt scriptum est, nobis astantibus & videntibus, ac cum eo pariter orantibus, [11] obdormiuit in pace cum patribus suis, enutritus in bona senectute: & nobis coram positis pro eius commendanda corporis depositione, sacrificium Deo oblatum est, [22] & sepultus est. Testamentum autem nullum fecit, quia vnde faceret pauper Christi non habuit. Ecclesiæ bibliothecam & omnes codices diligenter posteris custodiendos semper iubebat. Si quid verò Ecclesia, vel in sumptibus vel in ornamentis habuit, fideli presbytero qui sub eodem domus ecclesiæ curam gerebat dimisit. Nec suos consanguineos vel in proposito vel extra constitutos, in sua vita & morte vulgi more tractauit. Quibus dum adhuc superesset id si opus fuit, quod & cæteris erogauit, non vt diuitias haberẽt, sed vt aut non aut minus egerent. Clerum sufficientissimum & monasteria virorum [13] ac fœminarum continentium cum suis præpositis plena Ecclesiæ dimisit, vnà cum bibliothecis libros & tractatus vel suos vel aliorum sanctorum habẽtibus, in quibus dono Dei qualis quantusque in ecclesia fuerit noscitur, & in his semper viuere à fidelibus inuenitur. Iuxta quod etiam secularium quidam poëtarum suis iubens quo sibi tumulum mortuo in aggere publico collocarent, pro epigrammate finxit, dicens:

Viuere post obitum vatem vis nosse viator?
Quod legis ecce loquor, vox tua nempe mea est.

11 Vide quomodo moriantur veri Christi fideles.

12 Vide etiã quomodo sepeliãtur, nẽpe cum missæ celebratione quod sacrificium appellat.

13 Monasteria virorum & fœminarum cõtinentium cum suis præpositis plura, Ecclesiæ dimisit moriens D. Augustinus.

Et in

Et in suis quidem scriptis ille Deo acceptus & charus sacerdos, quantũ lucente veritate videre conceditur, rectę ac sanæ fidei, spei, & charitatis catholicę ecclesię vixisse manifestatur. Quod agnoscunt qui eundem de diuinis scribentem legentes proficiunt. Sed ego arbitror plus ex eo proficere potuisse, qui eum & loquentem in ecclesia præsentem audire & videre potuerunt, & eius præsertim inter homines conuersationem non ignorauerunt. Erat enim non solùm eruditus scriba in regno cœlorum, de thesauro suo proferens noua & vetera: & vnus negociatorum qui inuentam pretiosam margaritam, quæ habebat venditis, comparauit, verùm etiam ex ijs ad quos scriptum est: Sic loquimini. & sic facite: & de quibus saluator dicit: Qui fecerit & docuerit sic homines, hic magnus vocabitur in regno cœlorum. Peto autem impendiò vestram charitatem, qui hæc scripta legitis, vt mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit mihi intellectum, vt hæc in notitiam & præsentium & absentium præsentis temporis & futuri hominum, & vellem deferre, & valuissem: & mecum ac pro me oretis, vt illius quondam viri, cum quo annis fermè quadraginta Dei dono absque armata vlla dissensione familiariter ac dulciter vixi, & in hoc seculo æmulator & imitator existam, & in futuro omnipotentis Dei promissis cum eodem perfruar. Amen.

VITA SANCTI AVGVSTINI EPISCOPI, per Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in martyrologio sub 5. Cal. Septemb.

IPso die in Aphrica depositio S. Augustini Episcopi. Ex prouincia ergo hic Aphricana ciuitate Tagastensi, de numero curialium parentibus honestis & Christianis progenitus, alitusque est, ac nutritus eorum cura ac diligentia, impensisque secularibus artibus eruditus apprimè, 1 omnibus videlicet disciplinis imbutus, quas liberales vocant. Nam & Grammaticã prius in sua ciuitate, & Rhetoricam in Aphricæ capite Carthagine postea docuit: consequenti etiam tempore trans mare in vrbe Roma, & apud Mediolanum. In qua vrbe tunc administrabat acceptissimus Deo, & in optimis viris præclarissimus sacerdos Ambrosius. Huius interea verbi Dei prædicatoris frequentissimis in ecclesia disputationibus astans in populo intendebat suspensus, atque affixus. Et factum est diuina præstante opitulatione, vt per beatum Ambrosium, & doctrinam salutarem ecclesiæ catholicæ, & diuina perciperet sacramenta. Moxque ex intimis cordis medullis spem omnem, quam habebat in seculo, dereliquit. Iam verò non vxorem, non filios carnis, non diuitias, non honores seculi quærens, Deo cum suis seruire statui. Vnde cum his qui eidem adhærebant, Deo viuebat 2 ieiunijs, orationibus, bonis operibus in lege Domini meditãs die ac nocte. Et de his, quæ sibi Deus cogitanti atque oranti intellecta reuelauit, & præsentes & absentes sermonibus ac libris ditabat. Factumque est, vt ordinaretur 3 presbyter in Ecclesia Hipponensi, omnibus id vno consensu & desiderio fieri perficique petentibus, magnoque studio flagitantibus. Mox sibi monasterium intra Ecclesiam instituit, & cum Dei seruis viuere cœpit secundùm 4 modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutam: maximè vt nemo quicquam proprium in illa societate haberet, sed essent omnia communia, & distribueretur vnicuique sicut opus erat. Interiecto autem tempore sancto Episcopo Valerio id agente omnibus gratulantibus, atque id fieri ingenti desiderio clamantibus, Episcopatum suscipere suo viuente Episcopo coactus est. Atque id factum est, vt Episcopus multo instantius ac feruentius maiore autoritate verbum salutis æternæ, alacriter pullulanti atque crescenti Domini Ecclesiæ prædicaret. Vixit in clericatu vel episcopatu annis fermè quadraginta, ætatis verò illius annis septuagintasex. Verbum Dei vsque ad extremam ægritudinem imprætermissè, sana mente, sanoque consilio in Ecclesia prædicauit. Membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu, atque auditu, & astantibus, & videntibus, & orantibus fratribus, obdormiuit cum patribus suis, enutritus in senectute bona. Testamentum nullum fecit, quia vnde faceret pauper Dei non habebat. Tertio obsidionis mense (Nam ciuitas eius quatuordecim conclusa & obsessa est à Vandalis mensibus, Alanis, alijsque cõmixtis gentibus) decubuit febribus, & illa vltima exercitatus ægritudine.

Hic beatus Episcopus spiritu diuino tactus, in sancta Ecclesia catholica ad instructionem animarum fecit libros, tractatus, epistolas, numero mille triginta, exceptis qui numerari non possunt, quia nec numerum designauit eorum. Huius corpus 5 venerabile, primò de sua ciuitate propter Barbaros Sardiniam translatum, nuper à Leoprando Rege Longobardorum, dato magno pretio, Ticinis relatum, & honorificè conditum est.

1 Si sanctissimus vir omnibus liberalibus disciplinis fuit imbutus, cur scioli quidã nostri temporis dicũt studium artium & disciplinarum humanarum, esse Christianis inutile, & à scholis explodendum?

2 Ecce sanctorum fideliũ exercitia, in quibus & bona opera computantur. Non ergo satis fuit Augustino ad salutem credere duntaxat.

3 Si omnes ex æquo essent sacerdotes, vt volunt hoc tẽpore nescio quidam, non fuisset opus Augustino vt ordinaretur presbyter.

4 Vides in effectu, quod verus monachismus nil aliud est, quàm viuere secundũ modum & regulam sub sanctis Apostolis constitutã? Cur ergo tantopere illi detrahunt Nouatores nostri?

5 Venerabile Augustini corpus à sua ciuitate primo in Sardiniam trãslatum, mox Papiã relatum, ibi honorificè conditũ est.

VITA

VITA SANCTI EVCHERII EPISCOPI Lugdunensis, per eundem Adonem collecta.

DIE xvi. Nouembris natale sancti Eucherij Episcopi Lugdunensis admirandæ fidei, vitæ & doctrinæ viri. Qui ex nobilissimo Senatorum ordine ad religiosam vitam habitumque conuersus, diu in agro suo super fluuium Durentiam intra septa speluncæ sponte conclusus, Christo seruiuit 1 ieiunijs & orationibus vacans. Defuncto autem Pontifice Lugdunensi, cùm vniuersa Ecclesia iuxta morem à se antiquitus obseruatum, triduanis 2 ieiunijs, & obsecrationibus, qui gubernationem eiusdem Ecclesiæ suscipere deberet, sibi posceret à Domino reuelari, cuidam puero apparens in visu Angelus Domini: Est, inquit, senator quidam Eucherius nomine, super fluuium Durentiam retrusus in specu, qui 3 relictis omnibus quæ possidebat, sequutus est Dominum. Ad hunc deducendum pergite, & vobis pastorem illum constituire, quoniam à Deo est electus. Quod cùm puer senioribus diluculo retulisset, omnipotenti Deo, cunctis fratribus conuocatis, gratias egerunt: missoque cum clericis ad præfatum locum Archidiacono, qui tunc Ecclesiæ curam gerebat, inuenerunt eum, sicut eis Dominus reuelauerat. Cumque illi Archidiaconus rem, propter quam venerat, indicasset, cœpit cum iuramento dicere, se voluntariè de specu non egressurum, nec cum eo, nisi ligatus duceretur, iturum. Cumque diu talia repeteret, Archidiaconus effracto muro speluncæ, eduxit eum, & iuxta quod ipse iurauerat, vinctum perduxit Lugdunum. Quem pari animo vnoque consensu clerus & populus sibi eligens sacerdotem, in Pontificali cathedra solenniter collocauit.

Huius 4 vxor Galla in sancto habitu Deo seruiens, speluncam eius ingressa, omne illic vitæ suæ tempus in studio religionis exegit. Duæ ipsorum filiæ, quarum vna Consortia, altera Tullia vocabatur, virginitatis gratia, & signorum gloria claruerunt.

Habetur in eius Martyr. sub xvi. Cal. Decemb.

1 Inter sanctorũ virorũ exercitia sunt ieiunia & orationes.

2 Vide quod ieiunia & orationes valent ad impetrandam à Deo secretorum reuelationem.

3 Hæc est vera paupertas Euangelica: relictis omnibus quæ possidetur, sequi Dominum.

4 Nec credas sanctum virum post adeptum sacerdotium vxorẽ accepisse & filias procreasse, sed dudũ ante: Nam secundum occidentalis Ecclesiæ morem, promotus in sacerdotem, de cõsensu vxoris perpetuo ab eius cõmixtione abstinet.

VITA DIVI BENEDICTI ABBATIS, per Diuum Gregorium Papam scripta.

FVIT vir vitæ venerabilis, gratia Benedictus & nomine, ab ipso suæ pueritiæ tempore cor gerens senile. Ætatem quippe moribus transiens, nulli voluptati animum dedit: sed dum in hac terra adhuc esset, quò tẽporaliter liberè vti potuisset, despexit iam quasi aridum mũdum cum flore. Qui liberiori genere ex prouincia Nursiæ exortus, Romæ liberalibus literarum studijs traditus fuerat. Sed cùm in eis multos ire per abrupta vitiorum cerneret, eum quem quasi in ingressu mundi posuerat, retraxit pedem, ne si quid de scientia eius attingeret, ipse quoque in immane præcipitium totus iret. Despectis itaque literarum studijs, relicta domo, rebusq; patris, soli Deo placere desiderans, sanctæ cõuersationis habitum quæsiuit. Recessit igitur scienter nesciens, & sapienter indoctus. Huius ergo omnia gesta non didici: sed pauca quæ narro, quatuor discipulis illius referentibus agnoui, Constantino scilicet reuerẽdissimo valde viro, qui ei in monasterij regimine successit: Valentiniano quoque, qui annis multis Lateranensi monasterio præfuit: Simplicio, qui congregationẽ illius post eum tertius rexit: Honorato etiam, qui nunc adhuc eius cellæ in qua prius conuersatus fuerat, præest. Hic itaque cùm iam relictis literarum studijs petere deserta decreuisset, nutrix quæ hunc arctius amabat sola secuta est. Cumque ad locum venisset qui dicitur Enside, multisque honestioribus viris pro charitate se illic detinentibus, in beati Petri Ecclesia demorarentur: prædicta nutrix illius ad purgandum triticum à vicinis mulieribus præstari sibi capisterium petijt: quod super mensam incautè derelictum, casu accidente factum est, sic vt in duabus partibus inueniretur diuisum. Quod mox rediens nutrix illius vt ita inuenit, vehementissimè flere cœpit, quia vas quod præstitum acceperat, fractum videbat. Benedictus autem religiosus & pius puer, cùm nutricem suam flere conspiceret: eius dolori compassus, ablatis secum vtrisque fracti capisterij partibus, sese cum lachrymis in orationem dedit, 1 qui ab oratione surgens ita iuxta se vas sanum reperit, vt in eo inueniri fracturæ nulla vestigia potuissent: moxque nutricem suam blandè consolatus, ei sanum capisterium reddidit, quod fractum tulerat. Quæ res in eodem loco à cunctis est agnita, atque in tanta admiratione habita, vt hoc ipsum capisterium eius loci incolæ in Ecclesiæ ingressu suspenderent, quatenus præsentes & secuturi omnes agnoscerent, a quanta Benedictus per conuersationis gratiam perfectione cœpisset, quod annis multis illic ante omnium oculos fuit, & vsque ad hæc Longobardorum tempora super fores Ecclesiæ pependit. Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti, quàm laudes, & pro Deo laboribus fatigari, quàm vitæ huius fauore extolli, nutricem suam

Habetur lib. 2. Dialog. eiusdẽ capitulo primo cũ sequentibus.

1 Benedictus puer fractum capisteriũ oratione integrũ restituit.

suam occultè fugiens, deserti loci secessum petijt, cui Sublatus vocabulum est, qui ab Romana vrbe quadraginta ferè millibus distans, frigidas atque perspicuas emanat aquas. Quæ illic videlicet aquarum abundantia in extenso prius loco colligitur, ad extremum verò in amnem deriuatur. Quò dum fugiens pergeret, monachus quidam Romanus nomine, hunc euntem reperit, quò tenderet, requisiuit. Cuius cùm desiderium cognouisset, & secretum tenuit, & adiutorium impendit, eique sanctæ conuersationis habitum tradidit, 2 & inquantum licuit ministrauit. Vir autem Dei ad eundem locum perueniens, in arctissimum specum se tradidit, & tribus annis excepto Romano monacho omnibus hominibus ibi incognitus mansit: qui videlicet Romanus nō longè in Monasterio 3 sub Theodaci patris regula degebat. Sed piè eiusdem patris sui oculis furabatur horas, & quem sibi ad manducandum surripere poterat, diebus certis Benedicto panem ferebat. Ad eundem verò specum à Romani cella iter non erat: quia excelsa desuper rupes eminebat: sed ex eadem rupe in longissimo fune ligatum Romanus deponere panem consueuerat: in qua etiam resti paruum tintinnabulum inseruit: vt ad eius sonum vir Dei cognosceret, quando sibi Romanus panem præberet, quem exigens acciperet. Sed antiquus hostis vnius charitati inuidens, alterius refectioni: cùm quadam die submitti panem conspiceret, iactauit lapidem, & tintinnabulum fregit. Romanus tamen modis congruentibus ministrare non desijt. Iam Deus omnipotens & Romanum vellet à labore quiescere: & Benedicti vitam in exemplum hominibus demonstrare, vt posita supra candelabrum lucerna claresceret: quatenus omnibus qui in domo Dei sunt, luceret: cuidam presbytero longius manenti qui refectionē sibi in Paschali 4 festiuitate parauerat, per visum Dominus apparere dignatus est, dicens: Tu tibi delicias præparas, & seruus meus illo in loco fame cruciatur. Qui protinus surrexit: atq; in ipsa solennitate Paschali cum alimentis quæ sibi parauerat, ad locum tetendit, & virum Dei per abrupta montium, per concaua vallium, per defossa terrarum quæsiuit, eumque latere in specu reperit. Cumque oratione facta benedicentes Dominum omnipotentem consedissent, post dulcia vitæ colloquia is qui aduenerat presbyter, dixit: Surge sumamus cibum, quia hodie Pascha est. Cui vir Dei respondit dicens: Scio quia Pascha est: qui hodie videre te merui. Longè quippe ab hominibus positus, quia die eodem Paschalis solennitas esset ignorabat. Venerabilis autem presbyter rursus asseruit, dicens: Veraciter hodie resurrectionis dominicæ Paschalis dies est, 5 abstinere tibi minimè congruit: quia & ego ad hoc missus sum, vt omnipotentis dona Dei pariter sumamus. Benedicentes igitur Dominum sumpserunt cibum. Expleta itaque refectione & colloquio ad Ecclesiam suam presbyter recessit. Eodéque quoq; tempore hunc in specu latitantē etiam pastores inuenerūt: quē dum vestitū pellibus inter fruteta cernerent, aliquā bestiā esse crediderunt, sed cognoscētes Dei famulū eorū multi ad pietatis gratiam à bestiali mēte mutati sunt. Nomen itaque eius per vicina loca innotuit cunctis. Factumque est vt ex illo iam tempore à multis frequentari cœpisset: qui cùm ei cibum afferrent corporis, ab eius ore in suo pectore alimenta referebant vitæ.

Quadam verò die dū solus esset, tentator affuit. Nam nigra paruaq; auis, quæ vulgo merula nominatur, circa eius faciem volitare cœpit, eiusque vultui importunè insistere, ita vt manu capi posset, si hanc vir sanctus tenere voluisset: sed signo crucis edito recessit auis. Tāta aut carnis tentatio aui eadem recedente secuta est, quantā vir sanctus nunquam fuerat expertus. Quandam namque aliquando fœminam viderat, quam malignus spiritus ante eius mentis oculos reduxit. Tantoq; igne serui Dei animum in specie illius accendit, vt dum in eius pectore amoris flāma vim caperet, etiam penè deserere eremū voluptate victus deliberaret. Tunc subitò superna gratia respectus ad semetipsum reuersus est: atq; vrticarum & vepriū iuxta densa succrescere fruteta conspiciens, 6 exutus indumento, nudū se in illis spinarum aculeis, & vrticarum incendijs proiecit: ibiq; diu volutatus toto ex eis corpore vulneratus exijt, & per cutis vulnera eduxit à corpore vulnus mentis, qui voluptatem traxit in dolorē. Cumq; bene pœnaliter foris arderet, extinxit quod intus illicitè ardebat. Vicit itaque peccatū: quia mutauit incendiū. Ex quo videlicet tempore sicut pòst discipulis ipse perhibebat, ita in eo est tentatio voluptatis edomita, vt tale aliquid in se minimè sentiret. Cœperunt postmodum multi iam mundum relinquere, atque ad eius magisterium festinare. Liber quippe à tentationis vitio, verè iure iam factus est virtutum magister. Vnde & per Moysen in Exodo præcipitur, vt Leuitæ à viginti quinque annis & supra ministrare debeant, ab anno verò quinquagesimo custodes vasorum fiant.

Petrus. Iam quidem prolati testimonij mihi aliquantū intellectus interlucet: sed tamen hoc plenius exponi postulo. Gregor. Liquet Petre, quòd in iuuentute carnis tentatio ferueat, ab anno autem quinquagesimo calor corporis frigescat, vasa autem sacra sunt fidelium mentes. Electi ergo cū adhuc in tentatione sunt, subesse eos ac seruire necesse est: & obsequijs laboribusq; fatigari. Cùm verò iam mētis ætate tranquilla calor recesserit tētationis custodes

2 Romanus monachus tradidit Benedicto sanctæ conuersationis habitum. Vide ergo quòd monachi etiā tunc certum habitum habebant, ne dicas cum quibusdam, habitus monachorū nouitius est, & antiqui monachi ab alijs habitu non discernebantur.

3 Romanus in monasterio sub regula Theodaci patris degebat, vt scias antiquos monachos & ipsos habuisse regulas & constitutiones suas contra nouorum hæreticorum mendacia.

4 In Paschali festiuitate.

5 Tu qui omnes dies æquales esse dicis, nec vnum alio celebriorem, vides quo die Paschæ abstinere Benedicto nō licuit, & propterea ad eū reficiendū cū prandio sacerdos diuina iussione missus est.

6 Disce & tu monache, quomodo carnis tētatio vincatur. Nō enim statim deserendū monasterium, & ducēda vxor, vt faciunt nostri tēporis Apostatæ, sed orationibus & flagellis superanda. Nā non coronabitur quis, nisi legitime certauerit. Non autē is legitime certare dicetur, qui ad primum hostis congressum, scutū proijcit, arma deponit, ac solo cedēs arcam vacuā aduersario dimittit.

custodes vasorum sunt, quia doctores animarum fiunt. Petrus. Fateor, placet quod dicis: sed quia prolati testimonij clausa reserasti, quæso vt de vita iusti debeas ea quæ sunt inchoata percurrere. Gregorius. Recedente igitur tentatione vir Dei, quasi spinis erutis exculta terra de virtutum segete feracius fructus dedit: præconio itaque eximiæ conuersationis celebre nomen eius habebatur. Non autem longè monasterium fuit, cuius congregationis pater defunctus est: omnisque ex illo cōgregatio ad eundem venerabilem Benedictum venit, & magnis precibus vt eis præesse deberet, petijt. Qui diu negādo distulit: suis illorumque fratrum moribus se conuenire non posse prædixit: sed victus quandoque precibus assensum dedit. Cumque in eodem monasterio regularis vitæ custodiam teneret: nullique vt prius per actus illicitos in dexteram læuamque partem deflectere à conuersationis itinere liceret: suscepti fratres insanè sæuientes, semetipsos prius accusare cœperunt, quia hunc sibi præesse poposcerant: quorum scilicet fortitudo in norma eius rectitudinis offendebat. Cumque sibi sub eo conspicerent illicita non licere: & se dolerent assueta relinquere, durumque esset quòd in mente veteri cogebantur noua meditari: & quia grauis est semper prauis moribus vita bonorum, tractare de eius morte aliqui conati sunt: qui inito consilio venenum vino miscuerunt. Et cùm vas vitrium in quo ille pestifer potus habebatur, recumbenti patri ex more monasterij ad benedicendum fuisset oblatum, extensa manu Benedictus lignum crucis 7 edidit, & vas quod longius tendebatur, eodem signo rupit: sicque confractum est, ac si in illo vase mortis pro cruce lapidem dedisset. Intellexit protinus vir Dei quia potum mortis habuerat, quod portare non potuit signum vitæ: atque illicò surgens vultu placido, mente tranquilla, conuocatos fratres allocutus est, dicens: Misereatur vestri fratres, omnipotens Deus: quare in me ista facere voluistis? Nunquid non prius dixi vobis quia vestris ac meis moribus minimè conueniret? Ite, & iuxta vestros mores patrem vobis quærite, quia posthac me habere minimè potestis. Tuncque ad locum dilectæ solitudinis redijt: & solus in superni spectatoris oculis habitauit secum.

7 Benedictus signo crucis edito, vas in quo venenum erat, rupit.

Petrus. Minus patenter intelligo, quidnam sit, habitauit secum.

Gregorius. Si sanctus vir contra se vnanimiter conspirantes, suæque conuersationi longe dissimiles coactos diu sub se tenere voluisset, fortasse sui vigoris vsum & modum tranquillitatis abscinderet, atque à contemplationis lumine suæ mentis oculum declinasset. Dumque quotidie illorum correptione fatigatus minus curaret sua, & se forsitan relinqueret, & illos non inueniret. Nam quoties per contagionis motum nimium extra nos ducimur, & nos sumus, & nobiscum non sumus: quia nosmetipsos minimè videntes, per alia vagamur. An illum secum fuisse dicimus, qui in longinquam regionem abijt: portionem quam acceperat, consumpsit: vni in ea ciuium adhæsit: porcos pauit, quos cùm manducare videret siliquas, & esuriret: qui tamen cùm postmodum cœpit cogitare bona quæ perdidit, scriptū de illo est: In se reuersus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus? Si igitur secum fuit, vnde ad se redijt? Hunc ergo venerabilem virum secum habitasse dixerim, quia in sua semper custodia circumspectus, ante oculos conditoris se semper aspiciens, se semper examinans, extra se mentis suæ oculum non diuulgauit. Petrus. Quid ergo quod de apostolo Petro scriptum est, dum de carcere ab Angelo eductus fuisset: qui ad se reuersus dixit: Nunc scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudæorum.

Gregorius. Duobus modis, Petre, extra nos ducimur, quia aut per cogitationis lapsum sub nosmetipsos recidimus, aut per contemplationis gratiam super nosmetipsos leuamur. Ille itaque qui porcos pauit, vagatione mentis & immunditiæ sub semetipsum cecidit. Iste verò quem Angelus soluit, eius mentem in extasim rapuit, extra se quidem, sed super semetipsum fuit. Vterque ergo ad se redijt, quando & ille ab errore operis se collegit ad cor: & iste à contemplationis culmine ad hoc redijt, quod in intellectu communi vt prius fuit. Venerabilis igitur Benedictus in illa solitudine habitabat secum, inquantum se intra cogitationis claustra custodiuit: nam quotiescunq; hunc cōtemplationis ardor in altum rapuit, se procul dubio sub se reliquit. Petrus. Placet quod dicis, sed quæso respondeas, si deserere fratres debuit, quos semel suscepit?

Gregorius. Vt ego Petre existimo, ibi adunati æquanimiter portandi sunt mali, vbi inueniuntur aliqui qui adiuuentur boni. Nam vbi omnimodo de bonis fructus deest, fit aliquando de malis labor vacuus, maximè si è vicino causæ suppetant, quæ fructum Deo ferre valeant meliorem. Vir itaque sanctus propter quem custodiendum staret, qui omnes vnanimiter se persequentes cerneret? Et sæpe agitur in animo perfectorum, quod silentio prætereundum non est, quia cùm laborē suum sine fructu esse considerent, in locum alium ad laborem cum fructu migrant. Vnde ille quoque egregius prædicator, qui dissolui cupit,

& cum Christo esse, cui viuere Christus est, & mori lucrum: qui passionum certamina non solùm ipse appetijt, sed ad toleranda hæc & alios accendit. Damasci persecutionem passus, vt posset euadere murum, funẽ sportamque quæsiuit, seq; latenter deponi voluit. Nunquid non Paulum mortem dicimus timuisse, quam se ipse pro amore Iesu testatur appetere? Sed cùm in eodem loco minorẽ sibi fructum adesse conspiceret, & graui labore ad laborem se alibi cũ fructu seruauit. Fortis etenim præliator Dei teneri intra claustra noluit, certaminis campum quæsiuit. Vnde idem quoque venerabilis Benedictus si libenter audis, citius agnoscis, quia non tantos ipse indociles deseruit, quantos in locis alijs, à morte animæ suscitauit. Petrus. Ita est vt doces, & manifesta ratio, & prolatum cõgruum testimonium declarat. Sed quæso, vt de vita tanti patris ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius. Cùm sanctus vir diu in eadem solitudine virtutibus, signisque succresceret, multi ab eo in eodem loco ad omnipotentis Dei sunt seruitium congregati, ita vt illic duodecim monasteria cum omnipotentis Iesu Christi Domini opitulatione construeret: in quibus statutis patribus duodenos monachos deputauit, paucos verò secum retinuit, quos adhuc in sua præsentia aptius erudiri iudicauit. Cœpere etiam tunc ad eum Romanæ vrbis nobiles & religiosi concurrere: suosque ei filios omnipotenti Deo nutriendos dare. Tunc quoque bonæ spei suas soboles, Euicius Maurum, Tertullius verò Patricius Placidum tradidit: è quibus Maurus iunior, cùm bonis polleret moribus, magistri adiutor cœpit existere, Placidus verò puerilis adhuc indolis gerebat annos. In vno autem ex eis monasterijs quæ circumquaque construxerat, quidam monachus erat, qui ad orationem stare non poterat, sed mox vt se fratres ad studium orationis inclinabãt, ipse egrediebatur foras: & mente vaga terrena aliqua & transitoria agebat. Cumque ab Abbate suo sæpius fuisset admonitus, ad virum Dei deductus est, qui ipse quoque stultitiã eius vehementer increpauit, & ad monasterium reuersus, vix duobus diebus viri Dei admonitionem tenuit. Nam die tertia ad vsum proprium reuersus, vagari tempore orationis cœpit. Quod cùm seruo Dei ab eodem monasterij patre quem constituerat, nunciatũ fuisset, dixit: Ego venio: eumque per memetipsum emendo. Cumque vir Dei venisset ad idem monasterium, & constituta hora expleta psalmodia sese fratres in orationem dedissent: aspexit quòd eundem monachum qui in oratione manere non potuit, quidam niger puerulus per vestimenti fimbriam foras traheret. s Tunc eidem patri monasterij Pompeiano nomine, & Mauro Dei famulo secretè dixit: Nunquid non aspicitis quis est qui istum monachum foras trahit? Qui respondentes dixerũt: Non. Quibus ait: Oremus, vt vos etiam videatis quem iste monachus sequitur. Cumque per biduum esset oratum, Maurus monachus vidit: Pompeianus verò eiusdẽ monasterij pater videre non potuit. Die igitur alia expleta oratione vir Dei oratorium egressus, stantem foris monachum reperit, quem pro cæcitate cordis sui virga percussit: qui ex illo die nil persuasionis vlterius à nigro iam puerulo pertulit, sed ad orationis studium immobilis permansit: sicque antiquus hostis dominari non ausus est in eius cogitatione, ac si ipse percussus fuisset ex verbere. Ex his autem monasterijs quæ in eodem loco construxerat, tria sursum in rupibus montis erãt, & valde erat fratribus laboriosum, quòd semper ad lacum oportebat descẽdere vt aquam haurire debuissent: maximè quia è deuexo montis erat graue descendentibus in timore periculum. Tunc collecti fratres ex eisdem tribus monasterijs ad Dei famulum Benedictum venerunt, dicẽtes: Laboriosum nobis est propter aquã quotidie vsque ad lacũ descendere, & idcirco necesse est ex eodem loco monasteria mutari. Quos blãdè consolans dimisit, & nocte eadem cum paruo puerulo nomine Placido, cuius superius memoriã feci, eiusdem montis rupem ascendit, ibique diutius orauit. Et oratione completa tres petras eodem in loco pro signo posuit: atque ad suum, cunctis illis nescientibus, monasterium redijt. Cumque die alia ad eum pro necessitate aquæ prædicti fratres redijssent, dixit: Ite, & rupẽ illam in qua tres super inuicem positas petras inueneritis, in modicũ cauate: valet enim omnipotens Deus etiam in illo montis cacumine aquam producere, vt vobis laborem tanti itineris dignetur auferre. Qui euntes rupem montis, quam Benedictus prædixerat, iam sudantem inuenerunt. Cumque in ea concauum locum fecissent, statim aqua repletus est, quæ tam sufficienter emanauit, vt nunc vsque vbertim defluat: atque ab illo montis cacumine vsque ad inferiora deriuetur.

s Vel hinc perspicere licet, quàm grata sit Deo oratio, cum diabolus tantopere ei insidietur.

Alio quoque tempore Gothus quidam pauper spiritu ad conuersionem venit: quem Dei vir Benedictus libentissimè suscepit. Quadam verò die ei ferramentum dare iussit, quod ad falcis similitudinem falcastrum vocatur: vt de loco quodam vepres abscinderet, quatenus illic hortus fieri deberet. Locus autem ipse quem mũdandum Gothus susceperat, super ipsam laci ripam iacebat. Cumque Gothus idem dẽsitatem veprium totius virtutis annisu succinderet, ferrum de manubrio prosiliens in lacũ cecidit: Vbi scilicet tãta erat aquarum profunditas, vt spes requirendi ferramenti nulla iam esset. Itaque ferro perdito tremebũdus ad Mau-

ad Maurum Monachum cucurrit Gothus: damnum quod fecerat nunciauit, & reatus sui pœnitentiam egit. Quod Maurus quoque monachus mox Benedicto famulo Dei curauit indicare. Vir igitur Domini Benedictus hæc audiens, accessit ad lacum, tulit de manu Gothi manubrium, & misit in lacum, & mox ferrum à profundo redijt, atque in manubrium intrauit. Qui statim ferramentum Gotho reddidit, dicens: Ecce labora, & noli contristari. Quadam verò die dum idem venerabilis Benedictus in cella consisteret, prædictus Placidus puer sancti viri monachus ad hauriendam de lacu aquam egressus est: qui vas quod tenuerat in aquam incautè submittens, ipse quoque cadendo sequutus est. Quem mox vnda rapuit, & penè ad vnius sagittæ cursum eum à terra introrsus traxit. Vir autē Dei intra cellam positus hoc protinus agnouit, & Maurum festinè vocauit, dicens: Frater Maure, curre, quia puer ille qui ad hauriendam aquam perrexerat, in lacum cecidit: iamque eum longius vnda trahit. Res mira, & post Petrum Apostolum inusitata. Benedictione etenim postulata atq; percepta, ad patris sui imperium concitus perrexit Maurus. Itaq; vsque ad eum locum quo ab vnda deducebatur puer, per terram se ire existimans, super aquam cucurrit: eumque per capillos tenens, cursu rapido redijt. Qui mox vt terram tetigit, ad se reuersus post tergum respexit, & quia super aquas cucurrisset agnouit: & quòd præsumere non potuisset, vt fieret, miratus extremuit factum. Reuersus itaq; ad patrem rem gestam retulit. Vir autem venerabilis Benedictus hoc non suis meritis, sed illius obedientiæ deputare cœpit. At contra Maurus pro solo eius imperio factum dicebat: seque conscium in illa virtute non esse, quam nescius fecisset. In hac itaque mutuæ humilitatis & amica contentione accessit arbiter puer qui ereptus est, nam dicebat: Ego cùm ex aqua traherer, super caput meum melotem abbatis videbam: atque ipsum me ex aquis educere considerabam. Petrus. Magna sunt valde quæ narras, & multorum ædificationi profutura: ego autem boni viri miracula quò plus bibo, eò plus sitio.

Gregorius. Cùm iam loca eadem in amorem Domini nostri Iesu Christi longe lateque feruescerent, & secularem vitam multi relinquerent, & sub leui redemptoris iugo ceruicem cordis edomarent: sicut mos prauorum est inuidere alijs virtutis bonum quod ipsi habere non appetunt: vicinæ Ecclesiæ presbyter Florentius nomine, huius nostri subdiaconi Florentij auus, antiqui hostis malitia percussus, sancti viri studijs cœpit æmulari: eiusque conuersationi derogare: quosque etiam posset ab illius visitatione compescere. Cumq; iam se conspiceret eius profectibus obuiare non posse, & conuersationis illius opinionem crescere, atque multos ad statum vitæ melioris ipso quoque opinionis eius præconio indesinenter vacare, inuidię facibus magis magisque succensus, deterior fiebat: quia conuersationis illius appetebat habere laudem, sed habere laudabilem vitam nolebat. Qui eiusdem inuidiæ tenebris cœcatus, ad hoc vsque perductus est, vt seruo omnipotentis dei infectū veneno panem quasi pro benedictione transmitteret. Quem vir Dei cum gratiarum actione suscepit, sed eum quæ pestis lateret in pane, non latuit. Ad horam verò refectionis illius ex vicina sylua coruus venire consueuerat, & panem de manu eius accipere. Qui cum more solito venisset, panem quem presbyter transmiserat, vir Dei ante coruum proiecit: eique præcepit, dicens: In nomine Iesu Christi Domini nostri tolle hunc panem, & tali eum loco proijce, vbi à nullo hominum posset inueniri. Tunc coruus aperto ore, expansis alis circa eundem panem cœpit discurrere, crocitare, ac si apertè diceret, & obedire se velle, & tamen iussa implere non posse. Cui vir Domini præcipiebat iterum atque iterum, dicens: Leua, leua securus, atque ibi proijce, vbi inueniri non possit. Quem diu demoratus quandoq; coruus momordit, leuauit, & recessit. Post triū verò horarum spatium abiecto pane redijt, & de manu hominis Dei annonam quam consueuerat accepit. Venerabilis autem pater cōtra vitam suam inardescere sacerdotis animū videns, illi magis quàm sibi doluit. Sed prædictus Florentius, quia magistri corpus necare non potuit, se ad extinguendas discipulorū animas accendit, ita vt in horto cellæ cui Benedictus inerat, ante eorum oculos nudas septem puellas mitteret, quæ coram eis sibi inuicem manus tendentes, & diutius ludentes, illorum mētes ad peruersitatem libidinis inflammaret: quod vir sanctus de cella conspiciens, lapsumque adhuc tenerioribus discipulis pertimescens, idque pro sua solius persecutione fieri pertractans, inuidiæ locum dedit: atque oratoria & cuncta quæ construxerat, substitutis præpositis, adiunctis fratribus ordinauit, & paucis secum monachis ablatis, habitationem mutauit loci. Sicque vir Dei eius odia humiliter declinauit, quem omnipotens Deus terribiliter percussit. Nam cùm prædictus presbyter stans in solario Benedictum discessisse cognosceret, & exultaret, perdurante immobiliter tota domus fabrica, hoc ipsum tantùm in quo stabat solarium cecidit, & Benedicti hostem conterens extinxit: quod viri Dei discipulus Maurus nomine statim venerabili patri Benedicto, qui adhuc à loco eodem vix decem millibus aberat, æstimauit esse nunciandum, dicens: Reuertere, quia presbyter,

qui te persequebatur extinctus est. Quod vir Dei Benedictus audiens, sese in grauibus lamẽtationibus dedit: vel quia inimicus occubuit, vel quia de inimici morte discipulus exultauit. Qua de re factum est, vt eidem quoque discipulo pœnitentiam indiceret, quòd mandás talia gaudere de inimici interitu præsumpsisset.

Petrus. Mira sunt & multum stupenda quæ dicis. Nam in aqua ex petra producta Moysen, in ferro verò quod ex profundo aquæ rediit Helisæum, in aquæ itinere Petrum, in corui obedientia Heliam, in luctu autem mortis inimici, Dauid video & perpendo: vir iste spiritu iustorum omnium plenus fuit. Gregorius. Vir Dei Benedictus Petre, vnius Dei spiritum habuit, qui per concessæ redemptionis gratiam electorum corda omnium impleuit, de quo Ioannes dicit: Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. De quo rursus scriptum est: De plenitudine eius nos omnes accepimus. Nam sancti Dei homines potuerunt à Domino virtutes habere, non etiam alijs tradere. Ille autem signa virtutis dedit subditis, qui se daturum signum Ionæ promisit inimicis, vt coram superbis mori dignaretur, coram humilibus resurgere, quatenus & illi viderent quod contemnerent, & isti quod venerantes amare debuissent. Ex quo mysterio actum est, vt dum superbi aspiciunt despectum mortis, humiles contra mortem acciperent gloriam potestatis. Petrus. Quæso te post hæc, ad quæ loca vir sanctus migrauerit, vel si aliquas in eis virtutes postmodum ostenderit, innotesce.

Gregorius. Sanctus vir ad alia demigrans loca, non hostem mutauit. Nam tantò pòst grauiora prælia pertulit, quantum contra se apertè pugnantem ipsum malitiæ magistrum inuenit. Castrum namque quod Casinum dicitur, in excelsi montis latere situm est, qui videlicet mons distenso sinu hoc idem castrum recipit, sed per tria millia in altum se suberigens, velut ad aera cacumen tendit, vbi vetustissimum fanum fuit, in quo ex antiquorum more Gentilium à stulto rusticorum populo Apollo colebatur. Circumquaque etiam in cultu dæmonum luci succreuerant, in quibus adhuc eodem tempore infidelium insana multitudo sacrificijs sacrilegis insudabat. Illuc itaque vir Dei perueniens contriuit idolum, subuertit aram, succendit lucos: atque in ipso templo Apollinis, oraculum beati Martini, vbi verò ara eiusdem Apollinis fuit, oraculum sancti Ioannis construxit, & commorantem circumquaque multitudinem prædicatione continua ad fidem vocabat. Sed hæc antiquus hostis tacitè non ferens, non occultè, vel per somnium, sed aperta visione eiusdem patris oculis sese ingerebat, & magnis clamoribus vim se perpeti conquerebatur, ita vt voces illius etiam fratres audirent, quamuis imaginem minimè cernerent. Vt enim discipulis suis venerabilis pater dicebat, corporalibus eius oculis idem antiquus hostis teterrimus & succensus apparebat, qui in eum ore oculisque flammantibus sæuire videbatur. Iam verò quæ diceret, audiebant omnes: prius enim hunc vocabat ex nomine. Cui cùm vir Dei minimè responderet, ad eius mox contumelias erumpebat. Nam cùm clamaret, dicens, Benedicte, Benedicte. Et cùm sibi nullo modo respondere conspiceret, protinus adiungebat: Maledicte non benedicte, quid mecum habes? Quid me persequeris? Sed iam nunc expectanda sunt contra Dei famulum antiqui hostis noua certamina, cui pugnam quidem volens intulit, sed occasiones victoriæ ministrauit inuitus.

Quadam die dum fratres habitacula eiusdem cellæ construerent, lapis in medio iacebat, quem in ædificium leuare decreuerunt. Cumque eum duo vel tres mouere non possent, plures adiuncti sunt: sed ita immobilis mansit, ac si radicitus in terra teneretur, vt palam daretur intelligi, quòd super eum ipse per se antiquus hostis sederet, quem tantorum virorum manus mouere non possent. Difficultate igitur facta, ad virum Dei missum est vt veniret, & orando hostem repelleret, vt lapidem leuare possent. Qui mox venit, & orationem faciens benedictionem dedit, & tanta lapis celeritate leuatus est, ac si nullum prius pondus habuisset. Tunc in conspectu viri Dei placuit, vt in eodem loco terram foderent, quá dum fodiendo altius penetrarent, æreum illic idolum fratres inuenerunt. Quo ad horam casu in coquinam proiecto, exire ignis repente visus est, atque in cunctorum monachorum oculis, quia omne eiusdem coquinæ ædificium consumeretur ostendit. Cúmque iaciendo fratres aquam ad ignem quasi extinguendo perstreperent, pulsatus eodem tumultu vir Dei aduenit. Qui eundem ignem in oculis fratrum esse, in suis verò non esse considerans, caput protinus in orationem flexit, & eos quos fantastico reperit igne deludi, vocauit fratres, monuit vt oculos suos signarent, vt & sanum illud coquinæ ædificium assistere cernerent, & flammas quas antiquus hostis finxerat, non viderent. Rursus dum fratres parietem, quia res ita exigebat, paulò altius erigerent, vir Dei in orationis studio intra cellæ suæ claustra morabatur. Cui antiquus hostis insultans apparuit, & ei quòd ad laborantes fratres pergeret, indicauit. Quod vir Dei per nuncium celerrimè fratribus indicauit, dicens: Fratres, cautè vos agite: quia ad vos hac hora malignus spiritus venit. Is qui mandatum

detulit, vix verba compleuerat, & malignus spiritus eundem parietem qui ædificabatur, euertit, atque vnum puerulum monachum cuiusdam curialis filium opprimẽs ruina contriuit. 9 Contristati omnes, ac vehementer afflicti, non damno parietis, sed contritione fratris, venerabili patri Benedicto celeriter cum graui luctu nunciarunt. Tunc idem pater Benedictus dilaceratum puerum ad se deferri iubet. Quem portare non nisi in sacco potuerunt: quia collapsi saxa parietis, non solùm eius membra, sed etiam ossa contriuerant. Præcepitque vir Dei statim eum in cella sua in psyacio quo orare consueuerat proijci, missisque foras fratribus cellam clausit, qui orationi instantius quàm solebat, incubuit. Mira res, 10 eadem hora hunc incolumem, atque vt prius valentem ad eundem iterum laborem misit, vt ipse quoque parietem cum fratribus perficeret, de cuius se interitu antiquus hostis Benedicto insultare credidisset. Cœpit verò inter ista vir Dei prophetiæ etiam spiritu pollere, ventura prædicere, præsentibus etiam absentia nunciare. Mos etenim cellæ fuit, vt quotiens ad responsum aliquod egrederentur fratres, cibum, potumque extra cellam minimè sumerent. Cumque hoc de vsu regulæ solicitè seruaretur, quadã die ad responsum fratres egressi sunt, & in eo tardiori compulsi sunt hora demorari. Qui manere iuxta religiosam fœminam nouerant, cuius ingressi habitaculum, sumpserunt cibum. Cumque iam tardius ad cellam redijssent, benedictionem patris ex more petierunt. Quos ille protinus percunctatus est, dicens: Vbi comedistis? Qui responderũt: Nusquam. Quibus ille ait: Quare ita mentimini? Nunquid illius talis fœminæ habitaculum non intrastis? Nunquid hos atque illos cibos nõ accepistis? Nunquid tot calices non bibistis? Cumq; eis venerabilis vir & hospitiũ mulieris, & genera ciborum, & numerum potionum diceret, recognoscentes cuncta quæ egerant, ad eius pedes tremefacti ciciderunt, & se deliquisse confessi sunt. Ipse autem protinus culpæ pœnitentiam præcepit, perpendens quòd in eius absentia vltrà non facerent, quem præsentem sibi esse in spiritu scirent. Frater quoque Valentiniani eius monachi, cuius superius memoriam feci, vir erat laicus, sed religiosus. Qui vt serui Dei orationem perciperet, & germanum fratrem videret, annis singulis de loco suo ad cellã eius ieiunus venire consueuerat. Quadam igitur die dum iter ad monasterium faceret, sese illi alter viator adiunxit: qui sumendos cibos in itinere portabat. Cumque iam hora tardior excreuisset, dixit: Veni frater, sumamus cibum ne lassemur in via. Cui ille respondit: Absit frater, hoc non faciam: quia ad venerabilem patrem Benedictum ieiunus semper peruenire consueui. Quo responso percepto ad horam conuiator tacuit. Sed cum post hoc aliquantulum itineris spatium egissent, rursus admonuit vt manducaret. Noluit consentire qui ieiunus peruenire decreuerat. Tacuit quidẽ qui ad manducandum inuitauerat, & cũ eo ieiunus adhuc pergere modicũ consensit. Cumque iter longum agerent, & eos tardior hora fatigaret ambulãtes, inuenerunt in itinere pratum & fontẽ, & quæque poterãt ad reficiendum corpus delectabilia videri. Tunc conuiator ait: Ecce aquam, ecce pratũ, ecce amœnus locus, in quo possumus refici, & parum quiescere, vt valeamus iter nostrum postmodũ incolumes explere. Cùm igitur & verba auribus, & loca oculis blandirentur, tertia admonitione persuasus cõsensit & comedit: vespertina verò hora peruenit ad cellam. Præsentatus autem venerabili Benedicto patri, sibi orationem petijt: sed mox ei vir sanctus hoc quod in via egerat improperauit, dicens: Quid est frater, quod malignus hostis qui tibi per conuiatorẽ tuum locutus est, semel tibi persuadere non potuit, secundò non potuit, tertio verò persuasit, & te ad hoc quon voluit superauit? Tunc ille reatum infirmæ suæ mentis agnoscens, eius pedibus prouolutus, tantò magis cœpit culpam deflere & erubescere, quantò se cognouit etiam absentem in Benedicti patris oculis deliquisse.

Petrus. Ego sancti viri præcordijs Helisæi spiritum video inesse, qui absente discipulo præsens extitit. Gregor. Oportet Petre, vt interim sileas, quatenus adhuc maiora cognoscas. Gothorum namque temporibus, cùm Rex eorum Totila sanctũ virum prophetię habere spiritum audisset, ad eius monasteriũ pergens, paulò longius substitit, eiq; se venturum esse nunciauit. Cui dum protinus mandatum de monasterio fuisset vt veniret, ipse sicut perfidæ mentis fuit, an vir Dei prophetiæ spiritum haberet, explorare conatus est. Quidam verò eius spatarius, Riggo dicebatur, cui calceamenta sua præbuit, eumque indui vestibus regalibus fecit, quem quasi in persona sua pergere ad Dei hominem præcepit. In cuius obsequio tres qui sibi præ cæteris adhærere consueuerant, comites misit, scilicet Vultericum, Rudericum, & Blindinum, vt ante serui Dei oculos ipsum Regem Totilam esse simulantes, eius lateri obambularent, cui alia quoque obsequia quasi spatarij præberent, vt tam ex eisdem obsequijs, quàm ex purpureis vestibus Rex esse putaretur. Cumq; idem Riggo decoratis vestibus obsequentium frequentia comitatus monasterium fuisset ingressus, vir Dei eminus sedebat. Quem venientem cõspiciens, cùm iam ab eo audiri potuisset, clamauit dicens: Pone fili, pone, hoc quod portas non est tuum. Qui Riggo protinus in terram cecidit.

9 Vnum puerulũ monachũ oppressit. Vides hæretice, quod etiam iã pueri religioni addicebãtur? Cur ergo de nostro tempore conquereris duntaxat. Si hoc vidisset sanctissimus pater Deo nõ placere, pueros nũquam adsciscere ad monachismum.

10 Oratione Benedictus extinctũ puerum vitæ restituit.

Et quia tanto viro illudere præsumpsisset, expauit, omnesque qui cum eo ad hominem Dei veniebant, terræ consternati sunt. Surgẽtes autem ad eum minimè propinquare præsumpserunt, sed ad suum Regem reuersi, nunciauerunt trepidi in quanta velocitate fuerant deprehensi. Tunc per se idem Totila ad Dei hominem accessit, quem cum longè sedentem cerneret, non ausus accedere, sese in terram dedit. Cui cùm vir Dei bis terue diceret, surge: sed ipse ante eum de terra erigere se non auderet, Benedictus Christi Iesu famulus, per temetipsum dignatus est accedere ad Regem, prostratumque de terra leuauit, & de suis actibus increpauit, atque in paucis sermonibus cuncta quæ illi erant ventura prænunciauit, dicens: Multa mala facis, multa mala fecisti, iam aliquando ab iniquitate conquiesce. Equidem Romam ingressurus es, mare transiturus, nouem annis regnans, decimo morieris. Quibus auditis Rex vehemẽter territus, oratione petita recessit, atque ex illo iam tẽpore minus crudelis fuit, & non multo pòst Romam adijt, ad Siciliam perrexit. Anno autem regni sui decimo, omnipotentis Dei iudicio regnum cum vita perdidit. Præterea Camisinæ Antistes Ecclesiæ ad eundem Dei famulum venire consueuerat, quẽ vir Dei pro vitæ suæ merito valde diligebat. Is itaque dum cum illo de ingressu Regis Totilæ, & Romanæ vrbis perditione colloquiũ haberet, dixit: Per hunc regẽ ciuitas ista destruetur, vt iam amplius nõ inhabitaretur. Cui vir Domini respondit: Roma à Gentibus non exterminabitur, sed tẽpestatibus coruscis, turbinibus, ac terræmotu fatigata, inardescet in semetipsa. Cuius prophetiæ mysteria nobis iam facta sunt luce clariora, qui in hac vrbe dissoluta mœnia, euersas domos, destructas Ecclesias turbine cernimus, eiusque ædificia longo senio lassata, quia ruinis crebrescentibus prosternãtur, videmus: quamuis hoc Honoratus eius discipulus, cuius mihi relatione compertum est, nequaquam ex ore illius audisse se perhibet. Sed quia hoc dixerit, dictum sibi à fratribus fuisse testatur.

Eodem quoque tempore quidam Aquinensis Ecclesiæ clericus dæmonio vexabatur, qui à venerabili viro Constanti eiusdem Ecclesiæ Antistite per multa fuerat martyrum loca transmissus, vt sanari potuisset. Sed sancti Dei martyres noluerunt ei sanitatis [11] donum tribuere, vt quanta esset in Benedicto gratia demonstrarent. Ductus itaque est ad omnipotentis Dei famulum Benedictum, qui Iesu Christo Domino preces fundens, antiquum hostem de obsesso homine protinus expulit. Cui sanato præcepit, dicens: Vade, & posthac carnem non comedas, [12] ad sacrum ordinem nunquã accedere præsumas: quacunque autẽ die ad sacrum ordinem accedere præsumpseris, statim iuri diaboli iterum mancipaberis. Discessit igitur clericus sanus, & sicut terrere solet animũ pœna recens, ea quæ vir Dei præceperat interim custodiuit. Cùm verò post annos multos omnes priores illius de hac luce migrassent, & minores suos sibimet supponi in sacris ordinibus cerneret, verba viri Dei quasi ex longo tẽpore oblitus postposuit, atque ad sacrum ordinem accessit, quem mox is qui reliquerat diabolus tenuit, eumque vexare quousque animam eius excuteret, non cessauit.

11 Si sancti martyres Dei noluerunt clerico donũ sanitatis tribuere signum est, quod potuerũt illud facere. Nam de his quæ non possent, nũquam dixisset: noluerunt.

12 Nunquã hanc à carnibus abstinẽtiam sanctus vir huic indiceret, si superstitiosam esse, ac non placere Deo crederet, vt nostri aduersarii modo garriunt.

Petrus. Iste vir Dei diuinitatis, vt video, etiam secreta penetrauit, quia perspexit hunc clericum idcirco diabolo traditum, ne ad sacrum ordinem auderet accedere.

Gregorius. Quare diuinitatis secreta non nosset, qui diuinitatis præcepta seruaret, cùm scriptum sit: Qui adhæret Domino, vnus spiritus est cum eo?

Petrus. Si vnus sit cum Domino spiritus qui Domino adhæret, quid est quod iterũ idem egregius prædicator dicit: Quis cognouit sensum Domini, aut quis cõsiliarius eius fuit? Valde enim esse inconueniens videtur, eius sensum cum quo vnus vnum factum fuerit ignorare. Gregorius. Sancti viri inquantum cum Deo vnum sunt, sensum Domini non ignorant. Nam idẽ quoque Apostolus dicit: Quis enim scit hominum quæ hominis sunt, nisi spiritus hominis qui est in ipso? Ita & quæ Dei sunt nemo cognouit, nisi spiritus Dei, qui vt se ostẽderet nosse quæ Dei sunt, adiunxit: Nos autem non spiritũ huius mundi accepimus, sed spiritum qui ex Deo est. Hinc iterũ dicit: Quod oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis ascendit, quæ præparauit Deus diligẽtibus se: nobis aũt reuelauit per spiritũ suum. Petrus. Si ergo eidem Apostolo ea quæ Dei sunt per Dei spiritum sunt reuelata, quomodo super hoc quod proposuit præmisit, dicens: O altitudo diuitiarum sapientiæ & scientiæ Dei, quàm incomprehensibilia sunt iudicia eius, & inuestigabiles viæ eius? Sed rursum mihi hæc dicenti alia suboritur quæstio. Nam Dauid propheta Domino loquitur, dicens: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia oris tui. Et cum minus sit nosse, quàm etiam pronũciare, quid est quòd Paulus incomprehensibilia esse Dei iudicia asserit: Dauid autem se omnia non solùm nosse, sed etiam in labijs pronunciasse testatur?

Grego. Ad vtraque hæc tibi superius sub breuitate respondi, dicens, quòd sancti viri inquantum cum Domino vnũ sunt, sensum Domini non ignorant. Omnes enim qui deuotè Dominum sequuntur, etiam deuotione cum Deo sunt, & adhuc carnis corruptionis grauati pondere, cũ Deo non sunt, occultaq; Dei iudicia, inquantũ cõiuncti sunt, sciunt: inquãtum disiuncti

disiuncti sunt, nesciunt: quia enim secreta eius adhuc perfectè non penetrant, incomprehensibilia eius iudicia esse testantur. Qui verò mente ei inhærent, atque inhærédo vel sacris scripturæ eloquijs, vel occultis reuelationibus in quantum accipiunt, agnoscunt, & nouerunt hæc & pronuntiant: iudicia enim quæ Deus tacet, nesciunt: quæ Deus loquitur, sciunt. Vnde & Dauid propheta cùm dixisset: In labijs meis pronunciaui omnia iudicia, protinus addidit, oris tui: ac si apertè dicat: Illa ego iudicia & nosse, & pronunciasse potui, quæ te dixisse cognoui. Nam ea quæ ipse non loqueris, à nostra proculdubiò cognitione abscōdis. Concordat ergo prophetia apostolicaque sententia, quia & incomprehensibilia sunt Dei iudicia, & tamen quæ de ore eius prolata fuerint humanis labijs pronuntiantur, quoniam sciri ab hominibus, & prolata prodi possunt, & occultari non possunt.

Petrus. In obiectione meæ quæstiunculæ patuit causa rationis. Sed quæso te, si qua sunt adhuc de viri huius virtute, subiunge. Gregorius. Vir quidam nobilis Theoprobus nomine, eiusdem Benedicti patris fuerat admonitione conuersus, qui pro vitæ suæ merito magnam apud eum familiaritatis fiduciam habebat. Hic cùm quadam die eius cellam esset ingressus, hunc amarissimè flentem reperit. Cumque diu subsisteret, eiusque non finiri lachrymas videret, nec tamen vir Dei consueuerat orando plangere, sed mœrendo: quænam causa tanti luctus existeret, inquisiuit. Cui vir Dei illicò respondit: Omne hoc monasterium quod cōstruxi, & cuncta quæ fratribus præparaui, omnipotentis Dei iudicio gentibus tradita sunt. Cuius vocem tunc Theoprobus audiuit: nos autem cernimus, qui destructū modò à Longobardorum gente eius monasterium scimus. Nocturno enim tēpore & quiescentibus fratribus nuper illi Longobardi ingressi sunt, qui diripiētes omnia, ne vnum quidē hominem illic tenere potuerunt, sed impleuit omnipotens Deus quod fideli famulo Benedicto promiserat, vt si res gentibus traderet, animas custodiret. Qua in re Pauli vicem video tenuisse Benedictum, cuius dum nauis rerū omnium iacturam pertulit, ipse in consolatione vitam omniū qui eum comitabantur, accepit. Quodam quoque tempore Exhilaratus noster quē ipse conuersum nosti, transmissus à domino suo fuerat, vt Dei viro in monasteriū vino plena duo lignea vascula, quæ vulgo flascones vocantur, deferret, qui vnum detulit, alterum verò pergens in itinere abscondit. Vir autem Domini, quem facta absentia latêre non poterant, vnū cum gratiarum actione suscepit, & discedentem puerum monuit dicens: Vide fili ne de illo flascone quem abscondisti, bibas, sed inclina illum cautè, & inuenies quid intus habeat. Qui confusus valde à Dei homine exiuit. Et reuersus volens adhuc probare quod audierat, cùm flasconem inclinasset, de eo protinus serpens egressus est. Tunc prædictus Exhilaratus puer, per hoc quod in vino reperit, expauit malum quod fecit.

Non longè autem à monasterio vicus erat, in quo non minima multitudo hominum ad fidem Dei ab idolorum cultu Benedicti fuerat exhortatione cōuersa. Ibi quoque quędā sanctimoniales fœminæ inerant, & crebrò illuc pro exhortandis animabus fratres suos mittere Benedictus Dei famulus curabat. Quadam verò die misit ex more, sed is qui missus fuerat monachus, post admonitionem factam à sanctimonialibus fœminis rogatus mappulas accepit, sibiq; eas abscondit in sinu. Qui mox vt reuersus est, cū vir Dei vehementissima amaritudine cœpit increpare, dicens: Quomodo ingressa est iniquitas in sinum tuum? At ille obstupuit, & quid egisset oblitus, vnde corripiebatur ignorabat. Cui ait: Nunquid ego illic præsens non erā, quando ab ancillis Dei mappulas accepisti, tibique eas in sinu misisti? Qui mox eius vestigijs prouolutus stultè se egisse pœnituit, & eas quas in sinu abscōderat mappulas abiecit. Quadā quoque die dum venerabilis pater vespertina iam hora corporis alimenta perciperet, eius monachus cuiusdam defensoris filius fuerat, qui ei ante mensam lucernā tenebat. Cumque vir Dei ederet, ipse autem cum lucernæ ministerio astaret, cœpit per superbiæ spiritum in mente sua tacitus voluere, & per cogitationem dicere: Quis est hic, cui ego manducanti assisto, lucernam teneo, seruitium impendo? Quis sum ego, vt isti inseruiam? Ad quem vir Dei statim conuersus, vehementer cœpit eum increpare, dicens: Signa cor tuum frater, quid est quod loqueris? signa cor tuum. Vocatisque statim fratribus, præcepit ei lucernam de manibus tolli, ipsum verò iussit à ministerio recedere, & sibi hora eadem quietum sedere. Qui requisitus à fratribus quid habuerit in corde, per ordinem narrauit, quanto superbiæ spiritu intumuerat, & quæ contra virum Dei verba per cogitationem tacitus dicebat. Tunc liquidò omnibus patuit, quod venerabilem Benedictum latêre nihil posset, in cuius auribus tacitæ etiam cogitationis verba sonuissent.

Alio quoque tempore in eadem Campaniæ regione fames incubuerat, magnaq; omnes alimentorum indigentia coangustabat. Iamque in Benedicti monasterio triticū deerat. Panes verò penè omnes consumpti fuerant, vt non plus quàm quinque ad refectionis horam fratribus inueniri potuissent. Cūque eos venerabilis pater contristatos cerneret, eorum pusillanimitatem studuit modesta increpatione corrigere, & rursum promissione subleuare,

dicens: Quare de panis inopia vester animus contristatur? hodie quidem minus est, sed die crastina abundanter habebitis. Sequenti autem die ducenti farinæ modij ante fores cellæ in saccis inuenti sunt, quos omnipotens Deus quibus deferentibus transmisisset, nũc vsq; manet incognitum. Quod cùm fratres cernerent, Domino gratias referentes, didicerunt iã de abundantia nec in egestate dubitare. Petr. Dic quæso te nunquid non credendum est huic Dei famulo semper prophetiæ spiritum adesse potuisse, an per interualla temporũ eius mẽtem prophetiæ spiritus implebat? Gregorius. Prophetiæ spiritus Petre, prophetarum mẽtes non semper irradiat, quia sicut de sancto spiritu scriptũ est: Vbi vult spirat, ita sciendum est, quia & quando vult spirat. Hinc est enim quòd Nathan à rege requisitus si construere templũ posset, prius consensit, & postmodum prohibuit. Hinc est quòd Helisæus cùm flẽtem mulierem cerneret, causamq; nesciisset, ad prohibentem hanc puerum dicit: Dimitte eam, quia anima eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & non indicauit mihi. quod omnipotens Deus ex magnæ pietatis dispensatione disponit, quia dũ prophetiæ spiritum aliquando dat, & aliquando subtrahit, prophetantium mentes & eleuat in celsitudine, & custodit in humilitate, vt & accipientes spiritum, inueniant quid de Deo sint, & rursum prophetiæ spiritum non habentes, cognoscant quid sint de semetipsis.

Petrus. Ita hoc esse vt asseris magna ratio clamat: sed quæso de venerabili patre Benedicto quicquid adhuc animo occurrit, exequere.

Gregor. Alio quoque tẽpore à quodam fideli viro fuerat rogatus, vt in eius prædio iuxta Tarcanocensem vrbem missis discipulis suis construere Monasterium debuisset. Qui roganti consentiens, deputatis fratribus patrem constituit, & quis ei secundus esset ordinauit: quibus euntibus spopondit dicens: Ite, & die illo ego venio & ostendo vobis in quo loco oratorium, [13] in quo refectorium fratrum, in quo susceptionem hospitum, vel quæque sunt necessaria ædificare debeatis. Qui benedictione percepta illicò perrexerunt, & constitutum diem magnopere præstolantes, parauerunt omnia quæ his qui cũ tanto patre venire potuissent, videbantur esse necessaria. Nocte verò eadem qua promissus illucescebat dies, eidem seruo Dei quem illic patrẽ constituerant, atque eius proposito, vir Domini in somnis apparuit, & loca singula vbi quid ædificare debuissent, subtiliter designauit. Cũque vtriq; à somno surgerent, sibi inuicẽ quod viderant retulerunt. Non tamen visioni illi omnimodò fidẽ dantes, virũ Dei sicut se venire promiserat expectabãt. Cumq; vir Dei constituto die minimè venisset, ad eum cum mœrore reuersi sunt, dicentes: Expectauimus pater vt venires sicut promiseras, & nobis ostenderes vbi quid ædificare deberemus, & non venisti. Quibus ipse ait: Quare fratres, quare ista dicitis? Nunquid sicut promisi non veni? Cui cùm ipsi dicerent: quando venisti? respondit: Nunquid vtrisque vobis dormientibus non apparui, & loca singula designaui? Ite & sicut per visionem vidistis, omne habitaculum monasterij ita construite. Qui hæc audientes vehementer admirati, ad prædictum prædium sunt reuersi, & cuncta habitacula sicut ex reuelatione didicerant, construxerunt.

13 Vides hic omnes in monasterio officinas ædificari, quæ hodie quoque sunt in vsu, vt etiam ex hoc discãt nostrũ monachatum nõ esse nouitium.

Petrus. Doceri velim quo fieri ordine potuit, vt longè iret responsum dormientibus dicere quod ipsi per visionem audierant, & recognoscerent.

Gregor. Quid est quod perscrutans, rei gestæ ordinem ambigis Petre? Liquet profectò, quia nobilioris naturæ est spiritus quã corpus. Et certè scriptura teste nouimus, quòd propheta ex Iudæa subleuatus, repente est cum prandio in Chaldæa depositus, quò videlicet prandio prophetam refecit, seq; repentè in Iudæa iterũ inuenit. Si igitur tam longè Abacuc potuit sub momento corporaliter ire, & prandium deferre, quid mirum si Benedictus pater obtinuit, quatenus iret per spiritum, & fratrum quiescentium spiritibus necessaria narraret? vt sicut ille ad cibum corporis corporaliter perrexit, ita iste ad institutionem spiritalis vitæ spiritaliter pergeret. Petrus. Magnus tuæ locutionis tersit meæ, fateor, dubietatem mentis, sed velim nosse in communi locutione qualis iste vir fuit.

Grego. Vix ipsa Petre communis eius locutio à virtutis erat pondere vacua: quia cuius cor sese in alta suspenderat, nequaquam verba de ore illius incassum cadebant. Si quid verò vnquàm nõ iam decernendo, sed mirando diceret, tantas vires sermo illius habebat, ac si hoc non dubiè atque suspensè, sed iam per sententiam protulisset. Nõ longè ab eius monasterio duæ quædã sanctimoniales fœminæ nobiliori genere exortæ, in loco proprio cõuersabantur, quibus quidam religiosus vir ad exterioris vitæ vsum præbebat obsequiũ. Sed sicut nõnullis solet nobilitas generis parare ignobilitatẽ mentis, vt minus se in hoc mundo despiciant, qui plus se cæteris aliquid fuisse meminerunt, nec dum prædictæ sanctimoniales fœminæ perfectè linguam suam sub habitus sui freno restrinxerant, & eundem religiosum virum, qui ad exteriora necessaria eis obsequiũ præbebat, incautis sæpe sermonibus ad iracundiam prouocabant. Qui dum diu ista toleraret, perrexit ad Dei hominẽ, quantasque pateretur verborum contumelias enarrauit. Vir autem Dei hæc de illis audiens, eis protinus mandauit,

mandauit, dicens: Corrigite linguam vestram, quia si nō emēdaueritis, excommunico vos. Quam videlicet excommunicationis sententiam non proferendo intulit, sed minando. Illæ autem à pristinis moribus nihil mutatæ, intra paucos dies defunctæ sunt, atque in ecclesia sepultæ. Cumque in eadem ecclesia missarum solennia celebrarentur, atque ex more diaconus clamaret, si quis non communicat, [14] det locum: nutrix earū quæ pro eis oblationem Domino offerre consueuerat, eas de sepulchris suis progredi & exire videbat. Quod dum sæpius cerneret, quia ad vocem diaconi clamantis exibant foras, atque intra Ecclesiam permanere non poterant, ad memoriam reduxit quæ vir Dei illis adhuc viuentibus mandauit. Eas quippe se communione priuare dixerat, nisi mores suos & verba corrigerent. Tunc seruo Dei cum graui mœrore indicatum est, qui manu sua protinus oblationem dedit dicens: Ite, & hanc oblationem pro eis offerri Domino facite, & vlterius excommunicatæ non erunt. Quæ dum oblatio pro eis fuisset immolata, & à diacono iuxta morem clamatum est, vt non communicantes ab Ecclesia exirent, illæ exire ab Ecclesia vlterius visæ nō sunt. Qua ex re indubitanter patuit, quia dum inter eos qui communione priuati sunt, minimè recederent, communionem à Domino per seruum Domini recepissent.

Petrus. Mirum valde quod dicis, quamuis venerabilem & sanctissimum virum, adhuc tamen in hac carne corruptibili degentem, potuisse animas soluere in illo iam inuisibili iudicio constitutas. Gregor. Nunquid nam Petre, in hac adhuc carne non erat qui audiebat: Quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cœlis, & quæ solueris super terram, soluta erunt & in cœlis. Cuius tunc vicem ligando & soluendo obtinét, qui locum sancti regiminis fide & moribus tenent, sed vt tanta valeat homo de terra, cœli & terræ conditor in terram venit è cœlo, atque vt iudicare caro etiam de spiritalibus possit, hoc ei largiri dignatus est factus pro hominibus Deus caro: quia inde surrexit vltra se infirmitas nostra, vnde sub se infirmata est firmitas Dei. Petrus. Cum virtute signorum concorditer loquitur ratio verborum. Gregor. Quadam quoque die dum quidam eius puerulus monachus [15] parentes suos vltra quàm deberet diligens atque ad eorum habitaculum tendens, sine benedictione de Monasterio exijsset, eodem die mox vt ad eos peruenit, defunctus est. Cumque esset sepultus, die altero proiectum foras corpus eius inuentum est, quod rursus tradere sepulturæ curauerunt. Sed sequenti die iterum proiectum exterius atque inhumatum sicut prius inuenerunt. Tunc concitè ad Benedicti patris vestigia currentes cum magno fletu petierunt, vt ei suam gratiam largiri dignaretur. Quibus vir Dei manu sua protinus communionem dominici corporis dedit, dicens: Ite, atque hoc dominicū corpus super pectus eius cū magna reuerentia ponite, & sic sepulturę eū tradite. [16] Quod dū factum fuisset, [17] susceptū corpus eius terra tenuit, nec vltrà proiecit. Perpendis Petre, apud Iesum Christum Dominum cuius meriti iste vir fuerit, [18] vt eius corpus etiam terra proiecerit, qui Benedicti gratiam non haberet? Petrus. Perpendo planè, & vehementer stupeo.

Gregor. Quidam autem eius monachus mobilitati mentis deditus erat, & permanere in monasterio nolebat. Cumq; eum vir Dei assiduè corriperet, & frequenter admoneret, [19] ipse verò nullo modo consentiret in congregatione persistere, atq; importunis precibus, vt relaxaretur innueret, quadam die idem venerabilis pater nimietatis eius tædio affectus, iratus iussit vt discederet. Qui mox vt monasteriū exijt, contra se assistere aperto ore draconem in itinere inuenit. Cumq; eum idem draco qui apparuerat, deuorare vellet, cœpit ipse tremens & palpitans magnis vocibus clamare, dicens: Succurrite, succurrite, quia draco iste me deuorare vult. [20] Currentes autem fratres draconem minimè viderunt, sed trementē atque palpitantem monachum ad monasterium reduxerunt. Qui statim promisit, nunquā se esse à monasterio recessurum, atque ex hora eadem in sua promissione permansit. Quippe qui sancti viri orationibus contra se assistere draconé viderat, qué prius non viuendo sequebatur. Sed neque hoc silendum puto, quod illustri viro Antonio narrante cognoui, qui aiebat patris sui puerum morbo elephantino fuisse correptum, ita vt iam pilis cadentibus cutis intumesceret, atque increscentem saniem occultare non posset. Qui ad virum Dei ab eodem patre eius missus est, & saluti pristinæ sub omni celeritate restitutus.

Neque illud taceā, quod eius discipulus Peregrinus nomine, narrare cōsueuerat: quia die quadā fidelis vir quidā necessitate debiti compulsus, vnum fore sibi remediū credidit, si ad Dei virum pergeret, & quæ eum vrgeret debiti necessitas indicaret. Venit itaque ad monasterium, omnipotentis Dei famulū reperit: quia à creditore suo pro duodecim solidis grauiter affligeretur intimauit. Cui venerabilis pater nequaquam se habere duodecim solidos, respondit: Sed tamen eius inopiā blanda locutione consolatus ait: Vade, & post biduum reuertere: quia deest hodie quod tibi debeam dare: In ipso auté biduo more suo in oratione fuit occupatus. Cumque die tertio is qui necessitate debiti affligebatur redijt, super arcam monasterij, quæ erat frumento plena, subito tredecim solidi sunt inuenti. Quos vir Dei

deferri

14 Collige ex hoc loco multa contra nouos hæreticos: excommunicationē esse timendā. Nec Ecclesiastica quidem sepultura nedum Eucharistiæ communione excommunicatum participare debere. Quod etiam olim pro animabus defunctorum in Missa memoria fieret. Quod oblationes factæ pro defunctis prosunt eis ad pœnarum alleuiationem.

15 Et hic quoque habes puerulum monachum.

16 Vide miraculum in sepultura, ne derideas & cōtemnas ecclesiasticas sepulturas.

17 Vide & in sacramento Eucharistiæ, vt credas in eo verum Christi corpus cōtineri.

18 Quanti meriti fuerit apud Christum Dominum.

19 Tu qui dicis, antiquis monachis fuisse libertatem migrandi & demigrādi quo vellent, vides hoc nō esse verum: nam D. Benedict iniustè detinuisset & corripuisset monachum abire volentem. Quinimo ex fine huius capitis habes, quod monachi tūc promittebāt stabilitatem loci, vt nūc faciūt Benedictini omnes.

20 Vel hoc miraculum terrere deberet apostatas nostros.

deferri iussit, & afflicto petitori tribuit dicens: vt duodecim redderet, & vnum in expensis proprijs haberet. Sed ad ea nunc redeam qui eius discipulis in libri huius exordio prædictis referentibus agnoui. Quidam vir grauissima aduersarij sui æmulatione laborabat, cuius ad hoc vsque odium prorupit, vt ei nescienti in potu venenum daret. Qui quamuis vitam auferre non valuit, cutis tamen colorem mutauit, ita vt diffusa in corpore eius varietas lepræ morem imitari videretur. Sed ad Dei hominem deductus, salutem pristinam citius recepit: nam mox vt eum tetigit, omnem cutis illius varietatem fugauit. Eo quoque tempore quo alimentorum inopia Campaniam grauiter affligebat, vir Dei diuersis indigentibus Monasterij sui cuncta tribuerat, vt penè nihil in cellario nisi parum quid olei in vitreo vase remaneret. Tunc quidam subdiaconus Agapitus nomine aduenit, magnopere postulans vt sibi aliquantulum olei dari debuisset. Vir autem Domini qui cuncta decreuerat in terra tribuere, vt in cœlo omnia reseruaret, hoc ipsum parũ quod remanserat olei iussit petẽti dari. Monachus verò qui cellarium tenebat, audiuit quidem iubentis verba, sed implere distulit. Cumque post paulum si id quod iusserat datum esset, inquireret, respondit Monachus, se minimè dedisse, quia si illud ei tribueret, omnino nihil fratribus remaneret. Tunc iratus alijs præcepit, vt hoc ipsum vas vitreum, in quo parum olei remansisse videbatur, per fenestrã proijcerent, ne in cella aliquid per inobedientiã remaneret. Factúmq; est. Sub fenestra autem eadẽ ingens præcipitium patebat saxorum molibus asperum. Proiectum itaque vas vitreũ venit in saxis, sed sic mansit incolume, ac si proiectum minimè fuisset, ita vt neque frangi, neque oleũ effundi potuisset, quod vir Domini præcipit leuari, atque vt erat integrum petenti tribui. Tunc collectis fratribus inobedientẽ Monachum de infidelitate sua & superbia corã omnibus increpauit. Qua increpatione completa, sese cum eisdem fratribus in orationẽ dedit. In eo autem loco vbi cum fratribus orabat, vacuũ erat ab oleo doliũ & coopertũ. Cũque sanctus vir in oratione persisteret, cœpit operimentũ eiusdem dolij oleo excrescẽte subleuari. Quo cõmoto atque subleuato, oleũ quod excreuerat, ora dolij transiens, pauimẽtum loci in quo incubuerat inundabat. Quod Benedictus Dei famulus vt aspexit, protinus orationẽ cõpleuit, atque in pauimentũ oleum defluere cessauit. Tunc diffidentẽ inobediẽtémque fratrem latius admonuit, vt fidem habere disceret & humilitatẽ. Idem verò frater salubriter correptus erubuit, quia venerabilis pater virtutem omnipotentis Dei, quam admonitione intimauerat, miraculis ostendebat, nec erat iam vt quisquam de eius promissionibus dubitare posset: qui in vno eodemque momento pro vitreo vase penè vacuo, plenum oleo dolium reddidisset. Quodam die dum ad beati Ioannis oratorium, quod in ipsa mõtis celsitudine situm est pergeret, ei antiquus hostis in mulo medici specie obuiã factus est, cornu & trepidicã ferens. Quem cum requisisset dicens: Quo vadis? Ille respondit: Ecce ad fratres vado, potionẽ eis dare. Itaque perrexit venerabilis pater Benedictus ad orationem, qua completa concitus redijt. Malignus verò spiritus vnũ seniorem monachum inuenit aquam haurientem: in quem statim ingressus est, eumque in terram proiecit, & vehementissimè vexauit. Quem cùm vir Dei ab oratione rediens tam crudeliter vexari conspiceret, ei solummodò alapam dedit, & malignum ab eo spiritum protinus excussit, ita vt ad eum redire vlterius non auderet. Petrus. Velim nosse, si hæc tanta miracula, virtute semper orationis impetrabat, an aliquando etiam solo voluntatis exhibebat nutu.

21 Miracula serui Dei orationibus quãdoque faciunt, quandoque potestate & voluntate.

Gregor. Qui deuota mente Deo adhærent, cùm rerum necessitas exposcit, exhibere signa modo vtroq; solent, 21 vt mira quæq; aliquando ex prece faciant, aliquando ex potestate. Cùm enim Ioannes dicat: Quotquot autẽ receperũt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri: Qui filij Dei ex potestate sunt, quid mirũ, si signa facere ex potestate valeãt? Quia enim vtroq; modo miracula exhibeant, testatur Petrus, qui Thabitam mortuã orando suscitauit: Ananiam verò & Saphiram mentientes morti increpando tradidit. Nec enim orasse in eorum extinctione legitur, sed solũmodo culpam quam perpetrauerant increpasse. Constat ergo quòd aliquando hæc ex potestate, aliquando verò exhibẽt ex postulatione, dum & istis vitam increpando abstulit, & illi reddidit orando. Nam duo quoque fidelis famuli Dei Benedicti facta nunc replico, in quibus apertè clareat, aliud hunc accepta diuinitus ex potestate, aliud ex oratione potuisse. Gothorum quidam Galla nomine, perfidiæ fuit Arrianæ, qui Totilæ regis eorum temporibus contra catholicæ Ecclesiæ religiosos viros ardore immanissimæ crudelitatis exarsit, ita vt quisquis ei clericus monachúsue ante faciem venisset, ab eius manibus viuus nullo modo exiret. Quadam verò die auaritiæ suæ æstu succẽsus, in rapinam rerum inhians, dũ quendã rusticum tormentis crudelibus affligeret, eumq; per supplicia diuersa laniaret, victus pœnis rusticus sese res suas Benedicto Dei famulo commendasse professus est, vt dum hoc à torquente crederetur, suspensa interim crudelitate ad horam vita repararetur. Tunc idem Galla cessauit rusticũ tormẽtis affligere, sed eius brachia loris fortibus astringẽs ante equum suum cœpit impellere, vt quis esset Benedictus qui

eius res susceperat, demonstraret. Quem ligatis brachijs rusticus antecedens duxit ad sancti viri monasterium, eumque ante ingressum cellæ solum sedentem reperit, & legentem. Eidem autem subsequenti & sæuienti Gallæ rusticus dixit: Ecce iste est de quo dixeram tibi, Benedictus pater. Quem dum feruido spiritu, cum peruersæ mentis insania fuisset intuitus, eo terrore quo consueuerat acturum se existimans, magnis cœpit vocibus clamare, dicens: Surge, surge, & res istius rustici redde quas accepisti. Ad cuius vocem vir Dei protinus oculos leuauit à lectione, eumque intuitus, mox etiã rusticum qui ligatus tenebatur attendit. Ad cuius brachia dum oculos deflexisset, miro modo tanta se celeritate cœperunt illigata brachijs lora deuoluere, vt dissolui tam concitè nulla hominum festinatione potuissent. Cúmque is qui ligatus venerat, cœpisset subitò astare solutus, ad tantæ potestatis vim tremefactus Galla, ad terrã corruit, & ceruicem crudelitatis rigidæ ad eius vestigia inclinans se orationibus illius cõmendauit. Vir autem sanctus à lectione minimè surrexit, sed vocatis fratribus, eum introrsus tolli, vt benedictionem acciperet, præcepit. Quem ad se reductum, vt à tantæ crudelitatis insania quiescere deberet, admonuit. Qui fractus recedẽs nil vlterius petere à rustico præsumpsit, quẽ vir Domini non tangendo, sed respiciendo soluerat. Ecce est Petre, quod dixi: quia hi qui omnipotẽti Deo familiarius seruiunt, aliquãdo mira facere etiã ex potestate possunt. Qui enim ferocitatẽ Gothi terribilis sedens repressit, lora verò nodosq; ligaturæ quę innocẽtis brachia adstrinxerãt, oculis dissoluit, ipsa miraculi celeritate indicat, quia ex potestate acceperat habere quod fecit. Rursum quoque quale, quantúmque miraculum orando valuit obtinere, subiungã. Quadam die cum fratribus ad agri opera fuerat egressus, quidam verò rusticus defuncti filij corpus in vlnis ferens, orbitatis luctu æstuans ad monasterium venit, Benedictum patrem quæsiuit. Cui cùm dictum esset, quia idem pater cum fratribus in agro moraretur, protinus ante monasterij ianuam corpus extincti filij proiecit, & dolore turbatus ad inueniendũ venerabilem patrem sese in cursum concitus dedit. Eadẽ verò hora vir Dei ab agri opere iam cũ fratribus reuertebatur. Quem mox vt orbatus rusticus aspexit, clamare cœpit: Redde filiũ meum, redde filiũ meũ. Vir autem Dei in hac voce substitit, dicens: Nunquid ego filiũ tuum tibi abstuli? Cui ille respondit: Mortuus est, veni, resuscita eũ. Quod vt mox Dei famulus audiuit, valde contristatus est, dicens: Recedite fratres, recedite, hæc nostra nõ sunt, sed sanctorũ Apostolorum. Quid nobis onera vultis imponere, quæ non possumus portare? At ille, quem nimius cogebat dolor, in sua petitione perstitit, iurans quòd non recederet, nisi eius filiũ resuscitaret. Quem mox Dei famulus inquisiuit, dicens: Vbi est? Cui ille respondit: Ecce corpus eius ad ianuã Monasterij iacet. Vbi cum vir Dei cum fratribus peruenisset, flexit genu, 22 & super corpusculum infantis incubuit, seséq; erigens ad cœlũ palmas tetendit dicens: Domine non aspicias peccata mea, sed fidẽ huius hominis, qui resuscitari filiũ suũ rogat, & redde in hoc corpusculum animam quam abstulisti. Vix in oratione verba cõpleuerat, & regrediente anima ita corpusculum pueri omne contremuit, vt sub oculis omnium qui aderant, apparuerit concussione mirifica tremendo palpitasse. Cuius mox manum tenuit, & eum patri viuentem atque incolumem dedit. Liquet Petre, quia hoc miraculum in potestate non habuit, quod prostratus petijt vt exhibere potuisset. Petrus. Sic cuncta esse vt asseris constat patenter: quia verba quæ proposueras rebus probas. Sed quæso te vt indices si sancti viri omnia quæ volunt possunt, & cuncta impetrant quæ desiderant obtinere.

22 Vide hic ceremoniã Benedicti in orãdo. Genu flexit, super corpus mortui incubuit, inde se erigens palmas ad cælum tetendit.

Gregor. Quisnam erit Petre, in hac vita Paulo sublimior, qui de carnis suæ stimulo ter Dominum rogauit, & tamen quod voluit obtinere nõ valuit? Ex qua re necesse est, vt tibi de venerabili patre Benedicto narrem: quia fuit quiddam quod voluit, sed non valuit implere. Soror namque eius Scholastica nomine, 23 omnipotenti Domino ab ipso infantiæ tempore dedicata, ad eum semel per annum venire consueuerat, ad quam vir Dei nõ longè extra ianuam in possessione monasterij descendebat. Quadam verò die venit ex more, atq; ad eam cum discipulis venerabilis eius descendit frater, qui totum diem in Dei laudibus sacrisque colloquijs ducentes, incumbentibus in noctis tenebris simul acceperunt cibos. Cumque adhuc ad mensam sederent, & inter sacra colloquia tardior se hora protraheret, eadem sanctimonialis fœmina soror eius eum rogauit, dicens: Quæso te, vt ista nocte non deseras, vt vsque manè de cœlestis vitæ gaudijs loquamur. Cui ille respondit: Quid est quod loqueris soror? Manere extra cellam 24 nullatenus possum. Tanta verò erat cœli serenitas vt nulla in aëre nubes appareret. Sanctimonialis autem fœmina cùm verba fratris negantis audisset, insertas digitis manus super mensam posuit, & caput in manibus omnipotentem Dominum rogatura declinauit. Cúmq; de mẽsa leuaret caput, tãta coruscationis & tonitrui virtus, tantaque inundatio pluuiæ erupit, vt neque venerabilis Benedictus, neque fratres qui cum eo aderant, extra loci limen quo consederant, pedem mouere potuissent. Sanctimonialis quippe fœmina, caput in manibus declinans, lachrymarum fluuium in mensam fuderat,

23 Scholastica soror Benedicti ab ipso infantiæ tẽpore fuit omnipotenti Domino cõsecrata. Quid tu nunc conquereris, pueros ante pubertatis annos religioni adactos? Et ne cauilleris non loqui de monachatu, dicit infra, quod erat sanctimonialis fœmina.

24 Benedictus dicit se extra cellã per vnam noctem manere non posset & tu aßerere audes, antiquos monachos libertatem habuisse eũdi, stãdi, & reuertendi quandocũque vellent.

fuderat, per quas serenitatem aëris ad pluuiam traxit. Nec paulò tardius post orationem inundatio illa secuta est, sed tanta fuit conuenientia orationis & inūdationis, vt de mensa caput iam cum tonitruo leuaret, quatenus vnum idemq; esset momentum, & leuare caput, & pluuiam deponere. Tunc vir Dei inter coruscos & tonitruos atque ingentis pluuiæ inundationem videns se ad monasterium nō posse remeare, cœpit conqueri contristatus, dicēs: 25 Parcat tibi omnipotens Deus soror, quid est quod fecisti? Cui illa respondit: Ecce te rogaui, & audire me noluisti: rogaui Dominum meū, & audiuit me. Modo ergo si potes egredere, & me dimissa ad monasterium recede. Ipse autem exire extra tectum non valens: quia remanere sponte noluit, in loco mansit inuitus, sicq; factum est, vt totam noctem peruigilē ducerent, atque per sacra spiritalis vitæ colloquia sese vicaria relatione satiarent. Qua de re dixi eum voluisse aliquid, sed minimè potuisse: quia si venerabilis viri mentem aspicimus, dubium non est, quin eandem serenitatem voluerit, in qua descenderat permanere, sed contra hoc quod voluit, in virtute omnipotentis Dei ex fœminæ pectore miraculum inuenit. Nec mirum quod plus illo fœmina quæ diu fratrem videre cupiebat, in eodem tempore valuit, quia enim iuxta Ioannis vocem, Deus charitas est: iusto valde iudicio illa plus potuit, quæ amplius amauit. Petrus. Fateor, multum placet quod dicis.

25 Vides miram orationis Scholasticæ virtutem.

Gregorius, Cumque die altero eadem venerabilis fœmina ad cellam propriam recessisset, vir Dei ad monasterium rediit. Cùm ecce post triduum in cella consistens, eleuatis in aëra oculis, vidit eiusdem sororis suæ animam de eius corpore egressam in columbæ specie 26 cœli secreta penetrare. Qui tantæ eius gloriæ congaudens, omnipotenti Deo in hymnis & laudibus gratias reddidit, eiusque obitum fratribus denuntiauit. Quos etiam protinus misit, vt eius corpus ad Monasterium deferrēt, atq; in sepulchro quod sibi ipse parauerat, ponerēt. Quo facto contigit, vt quorum mens vna semper in Deo fuerat, eorum quoque corpora nec sepultura separaret. Alio quoque tempore Seruandus Diaconus atque Abbas eius Monasterij, quod in Campaniæ partibus à Liberio quondam Patricio fuerat constructum, ad eum visitationis gratia ex more venire consueuerat. Eius quippe monasterium frequentabat, vt quia idem quoque vir doctrina gratię cœlestis influebat, dulcia sibi inuicem vitæ verba transfunderēt, & suauem cibum cœlestis patriæ quem adhuc perfectè gaudendo non poterant, salutem suspirando gustarent. Cūque hora iam quietis exigeret, in cuius turris superioribus se venerabilis Benedictus, in eius quoque inferioribus se Seruādus Diaconus collocauit, quo videlicet in loco inferiora ad superiora peruius continuabat ascensus. Ante eandem verò turrim largius erat habitaculum, in quo vtriusque discipuli quiescebant. Cumque vir Dei Benedictus quiescentibus adhuc fratribus instans vigilijs, 27 nocturnæ orationis tempora præuenisset, ad fenestram stans, & omnipotentem Deum deprecans, subitò intempesta noctis hora respiciens, vidit fusam lucem desuper cunctas noctis tenebras effugasse, tantoque splendore clarescere, vt diem vinceret lux illa quæ in tenebris radiasset. Mira autem res valde in hac speculatione secuta est, quia sicut pòst ipse narrauit, omnis etiam mundus velut sub vno solis radio collectus ante oculos eius adductus est. Qui venerabilis pater dum intentam oculorum aciem in splendore coruscæ lucis infigeret, vidit Germani Capuani Episcopi animam in sphæra ignea 28 ab Angelis in cœlum ferri. Tūc tanti sibi testem volens adhibere miraculi, Seruandum Diaconum iterato bis terque eius nomine cum clamoris magnitudine vocauit. Cumque ille fuisset insolito tanti viri clamore turbatus, ascendit, respexit, partemque iam lucis exiguam vidit. Cui tantum hoc obstupescenti miraculum, vir Dei per ordinem quæ fuerant gesta narrauit, statimque in Casinum castrum religioso viro Theoprobo mandauit, vt ad Capuanam vrbē sub eadem nocte transmitteret, & quid de Germano Episcopo ageretur, agnosceret & indicaret. Factumq; est, & reuerēdissimum virum Germanum Episcopum is qui missus fuerat, iam defunctum reperit, & requirens subtiliter, agnouit eodē momento fuisse illius obitum, quo vir Domini eius cognouit ascensum. Petr. Mira res valde, & vehementer stupenda. Sed hoc quod dictum est, quia ante oculos ipsius quasi sub vno solis radio collectus omnis mundus adductus est, sicut nunquam expertus sum, ita nec conijcere scio, quonam ordine fieri potest, vt mundus omnis ab homine vno videatur. Gregorius. Fixum tene Petre, quod loquor, quia animę videnti creatorem angusta est omnis creatura. Quamlibet etenim parum de luce creatoris aspexerit, breue ei fit omne quod creatum est: quia ipsa luce visionis intimæ mentis laxatur sinus, tantumque expanditur in Deo, vt superior existat mundo: fit verò ipsa videntis anima etiam super semetipsam. Cúmque in Dei lumine rapitur, super se in interioribus ampliatur, & dum sub se conspicit exaltata, comprehendit quàm breue sit quod comprehendere humiliata non poterat. Vir ergo Dei qui in turri globum igneū, Angelos quoque ad cœlū redeuntes videbat, hæc proculdubio cernere non nisi in Dei lumine poterat. Quid itaq; mirū si mundum ante se collectū vidit, qui subleuatus in mentis lumine extra mundū fuit? Quod autem collectus

26 Anima Scholasticæ in columbæ specie cœli secreta penetrauit.

27 Benedictus vigilijs, & nocturnis precationibus instabat.

28 Vide Germani Capuani Episcopi animam in sphera ignea ab Angelis in cœlum deferri.

mundus

mundus ante eius oculos dicitur, non cœlum & terra contracta est, sed videntis animus est dilatatus, qui in Deo raptus, videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum est. In illa ergo luce quæ exterioribus oculis fulsit, lux interior in mente fuit, quæ videntis animũ cùm ad superiora rapuit, ei quàm angusta essent omnia inferiora, monstrauit.

Petrus. Videor mihi vtiliter non intellexisse quæ dixeras, quando ex tarditate mea tantùm creuit expositio tua. Sed quia hæc liquidè in meis sensibus infudisti, quæso vt ad narrationis ordinem redeas.

Gregorius. Libet Petre adhuc de hoc venerabili patre multa narrare, sed quædam eius studiosè prætereo, quia ad aliorum gesta voluenda festino. Hoc autem nolo te lateat, quòd vir Dei inter tot miracula quibus in mundo claruit, doctrinæ quoque verbo non mediocriter fulsit. Nam 29 scripsit monachorum regulam, discretione præcipuam, sermone luculentam. Cuius si quis velit subtilius mores vitamque cognoscere, potest in eadem institutione regulæ omnes magisterij illius actus inuenire: quia sanctus vir nullo modo potuit aliter docere quàm vixit. Eodem verò anno quo de hac vita erat exiturus, quibusdam discipulis secum conuersantibus, quibusdam longè manentibus, sanctissimi sui obitus denunciauit diem, præsentibus indicens, vt audita per silentium tegerent: absentibus indicans, quod vel quale eis signum fieret, quando eius anima de corpore exiret: Ante sextum verò sui exitus diem, aperiri sibi sepulturam iubet. Qui mox correptus febribus, acri cœpit ardore fatigari. Cumque per dies singulos languor ingrauesceret, sexta die portari se in oratorium a discipulis fecit, ibique exitum suum 30 Dominici corporis & sanguinis perceptione muniuit, atque inter discipulorum manus imbecillia membra sustentans, erectis in cœlum manibus stetit, & vltimum spiritum inter verba orationis efflauit. Qua scilicet die duobus de eo fratribus, vni in cella commoranti, alteri autem longius posito, reuelatio vnius atque indissimilis visionis apparuit. Viderunt namque, quia strata pallis atque innumeris corusca lampadibus via recto Orientis tramite ab eius cella in cœlum vsque tendebatur: Cui venerando habitu vir desuper clarus assistens, cuius esset via quam cerneret inquisiuit. Illi autem se nescire professi sunt. Quibus ipse ait: Hæc est via qua dilectus 31 Domino cœlum Benedictus ascendit. Tunc itaque sancti viri obitum sicut præsentes discipuli viderunt, ita absentes ex signo quod eis prædictum fuerat, agnouerunt. Sepultus verò est in oratorio beati Ioannis Baptistæ, quod destructa ara Apollinis ipse construxit. Qui & in eo specu in quo prius habitauit, nunc vsque 32 si petentium fides exigat, miraculis coruscat. Nuper namque est res gesta quam narro. Quædam mulier mente capta, dum funditus sensum perdidisset, per montes & valles, & syluas, & campos, die noctuque vagabatur, ibi tantummodo quiescebat, vbi hanc quiescere lassitudo coëgisset. Quadam verò die dum vaga nimium erraret, ad beati viri Benedicti specum deuenit, ibique nesciens ingressa mansit. Mane autem facto, ita sanato sensu egressa est, ac si eam nunquam insania capitis vlla tenuisset, quæ omni vitæ suæ tempore in eadem quam accepit salute permansit.

29 D. Benedictus scripsit monachorũ regulã discretione præcipuam, in qua sicut vixit ipse, alios viuere docuit: cur ergo tantopere monachorũ regulas improbãt hæretici, si à sanctissimis viris, qualis fuit Pontifex Gregorius, ita laudantur?

30 Ecce quomodo veri Christiani moriuntur, præmuniunt animã se Dominici corporis & sanguinis perceptione, ac inter fidelium manus orãdo & psallẽdo spiritum emittũt.

31 Benedictus cœlũ ascendit.

32 Benedictus post mortẽ in eo specu in quo prius habitauit, miraculis coruscat.

Petrus. Quidnam esse dicimus quod plerunque in ipsis quoque patrocinijs martyrum sic esse sentimus, vt non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant, atque illic maiora signa faciunt, vbi minimè per semetipsos iacent?

Gregorius. Vbi in suis corporibus sancti martyres iacent, 33 dubium Petre non est quòd multa valeant signa demonstrare, sicut & faciunt, & pura mente quærentibus innumera miracula ostendunt. Sed quia ab infirmis potest mentibus dubitari, vtrùmne ad exaudiendum ibi præsentes sint, vbi constat quia in suis corporibus non sint, ibi necesse est eos maiora signa ostendere, vbi de eorum præsentia potest mens infirma dubitare. Quorum verò mens in Deo fixa est, tantò maius habet fidei meritum, quantò illic eos nouit & non iacere corpore, & tamen non deesse ab exauditione. Vnde ipsa quoque veritas vt fidem discipulis augeret, dixit: Si ego non abiero, paracletus non veniet ad vos. Cùm enim constet, quia paracletus spiritus à patre semper procedat & filio, cur se filius recessurum dicit vt ille veniat, qui à filio nunquam recedit? Sed quia discipuli in carne Dominum cernentes corporeis hunc oculis semper videre sitiebant, rectè eis dicitur: nisi ego abiero, paracletus non veniet: ac si apertè diceretur: Si corpus non subtraho, quis sit amor spiritus, non ostendo: & nisi me desieritis carnaliter cernere, nunquam me discetis spiritualiter amare.

Petrus. Placet quod dicis.

Gregorius. Aliquantulum iam à locutione cessandũ est, vt si ad aliorum miracula enarranda tendimus, loquendi vires interim per silentium reparemus.

33 Vides hæretice qui de sanctis obloqueris, quomodo sancti martyres, & vbi iacent, in suis corporibus, & vbi non iacẽt, sed adsunt eorum reliquiæ, innumera miracula ostendunt. Vide quomodo exaudiant ad se recurrentes, quod præsentes sunt vbi innocantur, & qui credit eos adesse ad exaudiendum, etiã vbi corpore nõ iacent, habere meritũ suæ fidei. Nil certè cõtra nouos Ecclesiæ subuersores posset dici validius & manifestius.

VITAE SANCTORVM DEI AVGVSTINI, MELliti, Iusti, & Laurentij, Diui Gregorij Papæ discipulorum, & Anglicanæ Ecclesiæ Episcoporum, per Venerabilem Bedam presbyterum scriptæ.

Habetur libro 1. Ecclesiast. hist. Anglicanæ, per eundē cōscriptæ ex cap. 12.

INTEREA Britanniæ cessatum quidem est parumper ab externis, sed non ciuilibus bellis: manebant exterminia ciuitatum ab hoste dirutarum ac desertarum: pugnabant contra inuicem, qui hostem euaserunt, ciues. Attamen recente adhuc memoria calamitatis & cladis inflictæ seruabant vtcunque Reges, sacerdotes, priuati, & optimates suum quique ordinem. At illis decidentibus, cùm succeſsisset ætas tempestatis illius nescia, & præsentis solùm serenitatis statū experta, ita cuncta veritatis ac iustitiæ moderamina concussa ac subuersa sunt, vt earum non dicam vestigium, sed ne memoria quidem præterquam in paucis & valde paucis, vlla appareret: quin inter alia inenarrabiliū scelerū facta, quæ historicus eorum Gildas flebili sermone describit, & hoc addebāt, vt nunquam genti Saxonum siue Anglorum, secum Britanniam incolenti verbum fidei prædicādum committerent. Sed non tamen diuina pietas plebem suam, quam præsciuit, deseruit, quin multò digniores genti memoratæ præcones veritatis, per quos crederet, destinauit. Siquidē anno ab incarnatione Domini. D. Lxxxij. Mauritius ab Augusto quinquagesimusquartus imperium suscipiēs, viginti annos tenuit. Cuius anno regni decimo Gregorius vir doctrina & actione præcipuus, Pontificatum Romanæ & Apostolicæ sedis sortitus, rexit annos tredecim, menses sex, & dies decem, qui diuino admonitus instinctu, anno quartodecimo eiusdem principis, aduentus verò Anglorum in Britanniam anno circiter DL. misit seruum Dei Augustinum, & alios plures cum eo monachos timentes Dominum, [1] prædicare verbum Dei genti Anglorum. Qui cùm iussis pontificalibus obtemperantes memoratum opus aggredi cœpissent: iamque aliquantulum itineris confecissent, timore inerti redire domum potius quàm barbaram, feram, incredulamque gentem, cuius ne linguam quidem nossent, adire cogitabant, & hoc esse tutius communi consilio decernebant. Nec mora, Augustinum quem eis Episcopum ordinandum, si ab Anglis susciperentur, disposuerat, domum remittunt: qui à beato Gregorio humili supplicatu obtineret, ne tam periculosam, tam laboriosam, tam incertam peregrinationem adire deberent. Quibus ille exhortatorias literas dedit, ac in opus eos verbi, diuino confisos auxilio, proficisci suadet. Quarū videlicet literarum ista est forma.

Ex cap. 23.

1 Si Gregorius Romanus Pontifex prædicatores misit ad gentē Anglorū, patet Romanam Ecclesiam iurisdictionem habere super omnes Ecclesias mundi.

Gregorius seruus seruorum Dei, seruus Domini nostri Iesu Christi. Quia melius fuerat bona nō incipere, quàm ab ijs quæ cœpta sunt, cogitatione retrorsum redire, summo studio (dilectiſsimi filij) oportet, vt opus bonū, quod auxiliante Domino cœpistis, impleatis. Nec labor vos itineris, nec maledicorū hominum linguæ deterreant, sed omni instantia, omniq; feruore quæ inchoastis, Deo autore peragite, scientes [2] quòd laborem magnū maior æternę gloria retributionis sequitur. Remeante autē Augustino præposito vestro, quē & Abbatem vobis cōstituimus, in omnibus humiliter obedite: sciētes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quicquid à vobis fuerit in eius admonitione completū. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, & vestri laboris fructū in æterna me patria videre concedat: quatenus etsi vobiscū laborare [3] nequeo, simul in gaudio retributionis inueniar: quia laborare scilicet volo. Deus vos incolumes custodiat dilectiſsimi filij. Data die decimo Calendarum Augustarum, imperante domino Mauritio Tyberio pijſsimo Augusto, anno decimoquarto post Consulatum eiusdem Domini nostri anno xiij. Indictione xiiij. Misit etiā tunc idem venerandus Pontifex ad Etherium Arelatensem Archiepiscopum, vt Augustino in Britanniam perueniente, benignè susciperet, literas: quarū iste est tenor. Reuerendiſsimo ac sanctiſsimo fratri Etherio coepiscopo Gregorius seruus seruorum Dei. Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam charitatem, religiosi viri nullius commendatione indigeant, quod tamen apertum scribendi se tempus ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curauimus, insinuātes latorem præsentium Augustinum seruum Dei, de cuius certi sumus studio, cum alijs seruis Dei illic nos pro vtilitate animarū (auxiliante Domino) direxisse: quem necesse est, vt sacerdotali studio sanctitas vestra adiuuare, & sua ei solatia præbere festinet. Cui etiā vt promptiores ad suffragandū posſitis existere, causam vobis iunximus subtiliter indicare, scientes cognita, tota vos propter Deum deuotione ad solatiandum, quia res exigit, commouendos. Candidum pręterea presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimonialis Ecclesiæ nostræ transmisimus, charitati vestræ in omnibus commendamus. Deus te incolumem custodiat Reuerendiſsime frater. Data die decimo Calendarum Augu-

2 Si propter laborē datur nobis gloria æterna, ergo ex operib⁹ bonis meremur regnum cœlorum, inquantum tamen ex diuina gratia proficiscuntur

3 Vide quod sufficit voluntas bene operandi, vbi non adest facultas, sed cum adest, non sufficit.

Ex cap. 24.

Augustarũ,imperante domino nostro Mauritio Tyberio pijssimo Augusto:anno quartodecimo,post consulatum eiusdem Domini nostri anno tertiodecimo,indictione xiiij. Roboratus igitur confirmatione beati patris Gregorij Augustinus cum famulis Christi, qui erant cum eo,redijt in opus verbi,peruenitq; Britanniã. Erat eo tempore rex Edilbercht in Cantua potentissimus,qui ad confiniũ vsque Humbrij fluminis maximi,quo meridiani & septentrionales Anglorum populi dirimuntur, fines imperij tetenderat. Est autem ad Orientalem Cantuæ plagam Tanatos insula non modica,id est,magnitudinis iuxta consuetudinem æstimationis Anglorum milliarium sexcentorum,quam à continenti terram secernit fluuius Vantsumu, qui est latitudine circiter trium stadiorum,& duobus tantùm in locis est transmeabilis. Vtrumque enim caput procedit in mare. In hac ergo applicuit seruus Domini Augustinus & socij eius, viri (vt fertur) fermè quadraginta.

Ex cap. 25.

Acceperunt ergo præcipiente beato Papa Gregorio,de gente Francorum interpretes, & mittens ad Edilberchtum, mandauit se venisse de Roma, ac nuncium ferre optimum, qui sibi obtemperantibus æterna in cœlis gaudia, & regnum sine fine cum Deo viuo & vero futurũ sine vlla dubietate promitteret. Qui audiens manere illos in ea quã adierant Insula,& eis necessaria ministrari,donec videret quid eis faceret,iussit. Nam & antea fama ad eum quoque Christianæ religionis peruenerat, vtpote qui & vxorem habebat Christianam de gente Francorum, nomine Bertham. Quam ea conditione à parentibus acceperat, vt ritum fidei & religionis suæ cum Episcopo, quem ei adiutorem fidei dederat, nomine Iudhardo, inuiolatum seruare licentiam haberet.

Post dies ergo venit ad Insulam Rex,& residens sub dio,iussit Augustinum cum socijs ad suum ibidẽ aduenire colloquium. Cauerat enim,ne in aliquã domum ad se introirent, vetere vius augurio, ne superuentu suo si quid maleficæ artis habuissent, eum superando deciperent. At illi non dæmoniaca, sed diuina virtute præditi veniebant, 4 crucem pro vexillo ferẽtes argenteam,& imaginem Domini Saluatoris in tabula depictam,litaniasq; canentes,pro sua simul & eorum propter quos & ad quos venerãt salute æterna Domino supplicabant. Cumque ad iussionem Regis residentes, verbum ei vitæ vnà cum omnibus qui aderant eius comitibus prædicarent,respondit ille dicens: Pulchra sunt quidem verba & promissa quæ adfertis,sed quia noua sunt & incerta,non his possum assensum tribuere, relictis eis quæ tanto tempore cum omni genere Anglorum seruaui. Verùm quoniam huc de longè peregrini venistis,& vt ego videor mihi perspexisse,ea quæ vos vera & optima creditis,nobis quoque communicare desideratis: nolumus molesti esse vobis,quin potius benigno vos hospitio recipere,& quæ victui sunt vestro necessaria,ministrare curauimus, nec prohibemus quin omnes quos potestis, fidei vestræ religionis prædicando societis. Dedit ergo eis mansionem in ciuitate Dorouernensi, quæ imperij sui totius erat metropolis, eique vt promiserat, cum administratione victus temporalis, licentiam quoque prædicandi non abstulit. Fertur autem quia propinquantes ciuitati more suo cum cruce sancta, & imagine magni regis Domini nostri Iesu Christi, hanc litaniam consona voce modularentur: Deprecamur te Domine in omni misericordia tua,vt auferatur furor tuus, & ira tua à ciuitate ista,& de domo sancta tua: quoniã peccauimus tibi. At vbi sibi datam mansionem intrauerunt, incœperunt Apostolicam primitiuæ Ecclesiæ vitam imitari. Orationibus videlicet assiduis,vigilijs,ac ieiunijs seruiendo,verbum vitæ quibus poterant prædicando, cuncta huius mundi velut aliena spernendo. Ea tamen quæ victui necessaria videbantur,ab eis quos docebant accipiendo: secundùm ea quæ docebant ipsi per omnia viuendo,& paratum ad patiendum aduersa quæque,vel etiam pro ea,quam prædicabant, veritate,animum habendo. Quid mora? crediderunt nonnulli,& baptizabantur mirantes simplicitatem innocentis vitæ,ac dulcedinem doctrinæ eorum cœlestis. Erat autem prope ipsam ciuitatem ad Orientem Ecclesia in honore S. Martini antiquitus facta, dum adhuc Romani Britanniam incolerent: in qua Regina, quam Christianam fuisse prædiximus, 5 orare consueuerat. In hac ergo & ipsi conuenêre primò, ibique psallere, orare, missas, 6 facere,prędicare,& baptizare cœperunt,donec rege ad fidem conuerso,maioremq; prædicandi per omnia, & Ecclesias fabricandi vel restaurandi licentiam acciperent. At vbi etiam ipse inter alios delectatus vita mundissima sanctorum, & promissis eorum suauissimis, quæ vera esse miraculorum quoque multorum ostensione firmauerunt, credens baptizatus est: cœperunt plures quotidie ad audiendum verbum confluere,ac relicto gentilitatis ritu,vnitati se sanctæ Christi Ecclesiæ credendo sociare. Quorum fidei & conuersioni ita congratulatus esse Rex perhibetur,vt nullum tamen cogeret ad Christianismum, sed tamen modò credentes arctiori dilectione quasi conciues sibi regni cœlestis amplecteretur: didicerat enim à doctoribus autoribusq; suæ salutis,seruitium Christi voluntarium, non coactitium debere esse. Nec distulit quin etiam ipsis doctoribus suis locum sedis

4 Veniebant crucẽ argenteã pro vexillo ferẽtes. & imaginẽ Domini Saluatoris in tabula depictã, litaniasq; pro cõmuni salute canentes. Viden ne hæc & consideras ô hæretice.

5 Vides hic quod Ecclesiæ non tantum pro auditione verbi Dei, & Sacramentorum perceptione sed etiam pro loco orationis sunt institutæ.

6 Etiam Gregorij tempore missæ celebrabãtur quinimo & Apostolorũ. vt in vita Carpi vidisti.

eorum gaudij congruum, in Doruuer Metropoli sua donaret, simul & necessarias in diuersis speciebus possessiones conferret.

Ex cap. 27.

Interea vir Domini Augustinus venit Arelas, & ab Archiepiscopo eiusdem ciuitatis Etherio iuxta quod iussa S. patris Gregorij acceperat: Archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est, reuersusque Britanniam, misit continuò Romam Laurentium presbyterum, & Petrum monachum, qui beato Pontifici Gregorio, gentem Anglorum fidem Christi accepisse, ac se Episcopum factum esse referrent: simul & de ijs quæ necessaria videbantur, quæstionibus eius consulta flagitans: nec mora, congrua quæsitui responsa recepit. Epistolā verò quam se pro adiuuando in opere Dei Augustino Arelatensi Episcopo fecisse commemorat, ad Virgilium Etherij successorem dedit: cuius hæc forma est.

Ex cap. 28.

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Virgilio coepiscopo, Gregorius seruus seruorum Dei. Quantus sit affectus venientibus spontè fratribus impendendus, ex eo quòd plerunque solent charitatis causa inuitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum Episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra sicut decet, affectuosè dulciterq; suscipiat, vt & ipsum consolationis suæ honore faueat, & alios qualiter fraterna charitas colenda sit, doceat. Et quomodo sæpius euenit, vt ij qui de longè positi sunt, prius ab alijs quę sunt emendãda cognoscant, si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotũ vel aliorũ culpas intulerit, vnà cum eo residentes, subtili cuncta inuestigatione perquirite, & ita vos in ea quæ Deum offendunt, & iracundiam prouocant, districtos ac solicitos exhibete, vt ad aliorum emendationem, & vindicta culpabilem feriat, & innocentem falsa opinio non affligat. Deus te incolumem custodiat Reuerẽdissime frater. Data die decimo Calẽd. Iuliarum, imperante Domino nostro Mauritio Tyberio pijssimo Augusto, Anno xix. post consulatum verò eiusdem Domini nostri Anno xviij. indictione iiij. Præterea idem Papa Gregorius Augustino Episcopo, qui suggesserat ei multam quidem sibi esse messem, sed operarios paucos: misit cum pręfatis legatarijs suis plures cooperatores, ac verbi ministros: in quibus primi ac præcipui erant Mellitus, Iustus, Paulinus, Rufinianus, & per eos generaliter vniuersa, quæ ad cultum erant 7 ac ministerium Ecclesiæ necessaria, vasa videlicet sacra, & vestimenta altarium: ornamenta quoque Ecclesiarum, & sacerdotalia vel clericalia indumenta, sanctorum etiam Apostolorum ac martyrũ reliquias, necnon & codices plurimos. Misit etiam literas, in quibus significat se ei pallium direxisse, simul ei insinuat, qualiter Episcopos in Britannia constituere debuisset. Quarum literarum iste est textus.

Ex cap. 29.

7 Si hæc omnia Deo non placere, ac gratã non esse crederet, putásne sanctus pontifex illa Britanniam misisset?

Reuerendissimo & sanctissimo fratri Augustino Episcopo Gregorius seruus seruorum Dei. Cùm certum sit pro omnipotenti Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reseruari, nobis tamen eis necesse est honorũ beneficia tribuere, vt in spiritalis operis studio ex 8 remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia noua Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam, eodem Domino largiente, & te laborante perducta est, vsum tibi 9 pallij in ea ad solùm missarum solennia agenda concedimus, ita vt per loca singula duodecim Episcopos ordines, qui tuæ subiaceant ditioni, quatenus Londonensis ciuitatis Episcopus semper in posterum à synodo propria debeat consecrari, atque honoris pallium ab hac sancta & Apostolica, cui Deo autore deseruio, sede percipiat. Ad Eburacam verò ciuitatem te volumus Episcopum mittere, quem ipse iudicaueris ordinare, ita duntaxat, vt si eadem ciuitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque duodecim Episcopos ordinet, & metropolitani honore perfruatur: quia ei quoque, si vita comes fuerit, palliũ tribuere Domino fauente disponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subiacere. Post obitum verò tuum, ita Episcopis quos ordinauerit, præsit, vt Londonensis Episcopi nullo modo ditioni subiaceat. Sit verò inter Londoniæ & Eburacæ ciuitatis Episcopos in posteris honoris ista distinctio, vt ipse prior habeatur, qui primus fuerit ordinatus. Communi autem consilio & cõcordi actione quæque sunt pro Christi zelo agenda, disponant vnanimiter, rectè sentiant, & ea quæ senserint, non sibimet discrepando perficiant. Tua verò fraternitas non solùm eos Episcopos quos ordinauerit, neque hos tantummodo qui Eburacæ per Episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Deo Domino nostro Iesu Christo autore, subiectos. Quatenus ex lingua & vitæ tuæ sanctitatis, 10 & rectè credendi, & bene viuendi formam percipiant, atque officium suum fide ac more sequentes, ad cœlestia, cùm Dominus voluerit, regna pertingant. Deus te incolumem custodiat Reuerendissime frater. Data die x. Calend. Iul. imperante domino nostro Mauritio Tyberio pijssimo Augusto, Anno xix. post consulatum eiusdem domini, Anno xviij. indictione iiij.

8 Vides quod & propter remunerationem hortatur ad studium operis spiritalis.

9 Ecce quomodo antiquis Archiepiscopis per sedem Apostolicã pallium concedi solebat, sicut & modò fit, quo intra missarũ solennia tantùm vteretur, & fuisse in magna reuerentia.

10 Vis Christiane ad cœlestia regna pertingere? Serua quod hic te docet sanctissimus Pontifex, nempe rectè crede, & bene viue, hoc est, fidei Catholicæ mores probos coniunge, nam vnum sine altero non sufficit.

Ex cap. 30.

Abeuntibus autem præfatis legatarijs misit post eos beatus pater Gregorius literas memoratu dignas, in quibus apertè quàm studiosè erga salutationẽ nostræ gentis inuigilauerit, ostendit, ita scribens: Dilectissimo filio Mellito Abbati Gregorius seruus seruorum Dei. Post

Post discessum congregationis nostræ quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nihil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cùm ergo Dominus omnipotens vos ad reuerendissimum virum fratrem nostrum Augustinum perduxerit, dicite ei, quòd diu mecum de causa Anglorum cogitans tractaui: videlicet quòd phana idolorum destrui in eadem gente minimè debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Aqua [11] benedicta fiat, in ijsdem phanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur: quia si phana eadem bene constructa sunt, necesse est vt à cultu dæmonum in obsequio veri Dei debeant commutari: vt dum gens ipsa eadem phana sua non videt destrui, de corde errorem deponat, & Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consueuerat familiarius concurrat. Et quia boues in sacrificio dæmonum multos solent occidere, debet eis etiam hac de re aliqua solennitas immutari: vt die dedicationis, vel natalitijs sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem Ecclesias, quæ ex phanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, & religiosis conuiuijs solennitatem celebrent, nec diabolo iam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esu suo animalia occidant, & donatori omnium de satietate sua gratias referant. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse dubium non est: quia & is qui summum locum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autē saltibus eleuatur: sic [12] Israëlitico populo Dominus in Ægypto quidem innotuit, sed tamen eis sacrificiorum vsus quos diabolo solebat exhibere, in cultu proprio reseruauit, vt eis in suo sacrificio animalia immolare præciperet, quatenus cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, vt & ipsis ipsa essent animalia quæ offerre consueuerant: vero tamen Deo, & non idolis immolantes, iam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, vt ipse in præsenti illic positus perpēdat qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat dilectissime fili. Data die Calendas Iulias. Imperante domino nostro Mauricio Tyberio pijssimo Augusto. Anno xix. post Consulatum eiusdem domini anno xviij. Indictione iiij.

11 Fiat aqua benedicta, aspergatur in phanis, altaria construantur, reliquiæ ponantur. Placentne tibi ista ô hæretice? Minime profectò, quia errores tuos prosternunt.

12 Ecce quomodo Ecclesia pedetētim de imperfecto ad perfectū progressa est, nec à mentibus duris omnia simul abscidit.

Quo in tempore misit etiam Augustino epistolam super miraculis, quæ per eum facta esse cognouerat: in qua eum, ne per illorum copiam periculum elationis incurreret, his verbis hortatur. Scio frater charissime, quia omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente, quæ eligi voluit, magna miracula ostēdit, vnde necesse est dono cœlesti & timendo gaudeas, & gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quòd Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur. Pertimescas verò, ne inter signa quæ fiunt, infirmus animus in sui præsumptione se eleuet, & vnde foras in honorem tollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus, quia discipuli cum gaudio à prædicatione redeuntes, dum cœlesti magistro dicerent: Domine in nomine tuo etiam dæmonia nobis subiecta sunt, protinus audierunt: Nolite super hoc gaudere, sed potius gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. In priuata enim & temporali lætitia mentem posuerant, qui de miraculis gaudebant, sed de priuata ad communem, & de temporali ad æternam lætitiam reuocantur, quibus dicitur: In hoc gaudete, quia nomina vestra scripta sunt in cœlo. Non enim omnes electi miracula faciunt, sed tamen nomina eorum in cœlo tenentur adscripta. Veritatis etenim discipulis esse gaudium non debet sine eo bono, quod commune cum omnibus habent, & in quo finem lætitiæ non habent. Restat itaque frater charissime, vt inter ea quæ operante Domino exterius facis, semper te interius subtiliter iudices, ac subtiliter intelligas, & temetipsum quis sis, & quanta sit in ea gente gratia, pro cuius conuersione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et si quando te Creatori vestro, seu per linguam, seu per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam reuoces: vt surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quicquid de faciendis signis acceperis, vel accepisti, hoc nō tibi, sed eis deputes donata, pro quorum tibi salute collata sunt. Ex cap. 31.

Misit & idem Papa B. Gregorius eodem tempore etiam Regi Edilberchto epistolam, simul & dona in diuersis speciebus perplura, temporalibus quoque honoribus regem glorificare satagens, cui gloriæ cœlestis sui labore & industria notitiam peruenisse gaudebat. Exemplar autem præfatæ epistolæ hoc est. Domino gloriosissimo atque præcellentissimo filio Edilberchto Regi Anglorum Gregorius Episcopus. Propter hoc omnipotens Deus bonos quoq; ad regimina populorū perduxit, vt per eos omnibus quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat: quod Anglorū genti factum agnouimus. Cui vestra gloria est idcirco præposita, vt per bona quæ vobis concessa sunt, etiā subiectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo gloriose fili eam quam accepisti diuinitus gratiam require, solicita mente custodi, Christianam fidem in populis tibi subditis extēdere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum multiplica conuersione, idolorum cultus insequere, phanorum Ex cap. 32.

 ædificia

ædificia euerte, ſubditorum mores ex magna vitæ munditia exhortando, terrendo, blandiendo, corrigendo, & boni [13] operis exempla monſtrãdo ædifica: vt illum retributorem inuenias in cœlo, cuius nomen atque cognitionem dilataueris in terra. Ipſe enim veſtræ quoq; gloriæ nomen etiã poſteris glorioſius reddet: cuius vos honorẽ quæritis & ſeruatis in gentibus. Sic etenim Conſtãtinus quondam piiſsimus Imperator, Romanam Rempublicam à peruerſis Idolorum cultibus reuocans, omnipotenti Deo Domino noſtro Ieſu Chriſto ſecum ſubdidit. Namq; ſe cum ſubiectis populis tota ad Deum mente conuertit. Vnde factum eſt, vt antiquorum principum nomẽ ſuis vir ille laudibus vinceret, & tantò in opinione prædeceſſores ſuos, quantò & in bono opere ſuperaret. Et nunc itaque veſtra gloria cognitionem vnius Dei patris, & filij, & ſpiritus ſancti, regibus ac populis ſibimet ſubiectis feſtinet infundere, vt & antiquos reges ſuæ gentis laudibus ac meritis tranſeat, & quantò in ſubiectis ſuis etiã aliena peccata deterſerit, tantò etiam de peccatis proprijs ante omnipotentis Dei terribile examen ſecurior fiat. Reuerendiſsimus frater noſter Auguſtinus Epiſcopus in monaſterij regula doctus, ſacræ ſcripturæ ſcientia repletus, bonis autore Deo operibus prẹditus, quæcunque vos admonet, libenter audite, deuotè peragite, ſtudioſè in memoria reſeruate. Quia ſi vos cùm in eo quod pro omnipotenti Deo loquitur, auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis exorantem celerius exaudiet. Si enim (quod abſit) verba eius poſtponitis, quomodo eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mẽte cum eo vos in feruore fidei ſtringite, atque anniſum illius virtute quam vobis diuinitas tribuat, adiuuate, vt regni ſui vos ipſe faciat eſſe participes, cuius vos fidem in regno veſtro recipi facitis & cuſtodiri. Præterea ſcire veſtram gloriam volumus, quòd ſicut in ſcriptura ſacra ex verbis Domini omnipotentis agnoſcimus, præſentis mũdi iam terminus iuxtà eſt, & ſanctorum regnum venturum eſt, quod nullo vnquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino multa imminent, quæ antea non fuerant, videlicet immutationes aëris, terroreſq; de cœlo, & contra ordinationem temporũ, tempeſtates, bella, fames, peſtilẽtiæ, terræmotus per loca, quę tamen non omnia noſtris diebus ventura ſunt, ſed poſt noſtros dies omnia ſubſequẽtur. Vos itaque ſi qua ex ijs euenire in terra veſtra cognoſcetis, nullo modo animum veſtrum perturbetis, quia idcirco ſigna de fine ſeculi præmittuntur, vt de animabus noſtris debeamus eſſe ſoliciti, de mortis hora ſuſpecti, & venturo iudici in bonis actibus inueniamur eſſe parati. Hęc autem glorioſe fili paucis loquutus ſum, vt cùm Chriſtiana fides in regno veſtro excreuerit, noſtra quoque locutio apud vos latior excreſcat, & tantò plus loqui libeat, quantò ſe mente noſtra gaudia de gentis nunc perfecta conuerſione multiplicant. Parua autem xenia tranſmiſi, quæ vobis parua non erunt, cùm à vobis ex beati Petri Apoſtoli fuerint benedictione ſuſcepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam ſuam, quam cœpit, perficiat, atque vitã veſtram, & hinc poſt multorum annorum curricula extendat: & poſt hæc longa tempora, in cœleſtis vos patriæ congregatione recipiat. Incolumem excellentiam veſtram gratia ſuperna cuſtodiat, Domine mi fili. Data die x. Calend. Iul. & imperante domino noſtro Mauritio Tyberio piiſsimo Auguſto, Anno xix. poſt Conſulatum eiuſdem, Anno xviij. Indictione iiij.

13 Vide an velit ſolam fidẽ Gregorius in hoc rege.

Ex cap. 29.

At Auguſtinus vbi in regia ciuitate ſedem Epiſcopalem, vt prædiximus, accepit, recuperauit in ea, regio fultus adminiculo, Eccleſiam, quam ibi Romanorum antiquorum fidelium opere factam fuiſſe didicerat: & eam in nomine ſancti Saluatoris Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti ſacrauit, atque ibidem ſibi habitationem ſtatuit, & cunctis ſucceſſoribus ſuis. Fecit autem & monaſterium non longè ab ipſa ciuitate ad Orientem, in quo eius hortatu Edilbercht Eccleſiam beatorum Apoſtolorũ Petri & Pauli à fundamentis [14] conſtruxit, ac diuerſis donis ditauit. In qua & ipſius Auguſtini & omnium Epiſcoporum Doruernenſium, ſimul & Regum Cantuæ poni corpora poſſent: quam tamen Eccleſiam non ipſe Auguſtinus, ſed ſucceſſor eius Laurentius [15] conſecrauit.

Primus autem eiuſdem monaſterij Abbas Petrus presbyter fuit, qui legatus in Galliam miſſus, demerſus eſt in ſinu maris, qui vocatur Anfleat, & ab incolis loci ignobili traditus ſepulturæ. Sed omnipotens Deus, vt qualis meriti vir fuerit, demonſtraret, omni nocte ſupra ſepulchrum eius lux cœleſtis apparuit, donec animaduertentes vicini, qui videbant ſanctum fuiſſe virum, qui ibi eſſet ſepultus, & inueſtigantes vnde & quis eſſet, abſtulerunt corpus, & in Bononia ciuitate iuxta honorẽ tanto viro congruum, in Eccleſia poſuerunt.

14 Ecce primum Chriſtianæ fidei indiciũ, quod antiqui reges præ ſe ferebant, nempe ædificationes Eccleſiarum, & monaſteriorum etiã in honorem ſanctorũ, quæ diuerſis quoque donis ditabant.

15 Nota etiam illo tẽpore Eccleſiarũ conſecrationes. Romana.

Interea Auguſtinus adiutorio vſus Edilberchti Regis, conuocauit ad ſuum colloquium Epiſcopos ſiue Doctores proximę Britonum prouinciæ, in loco vbi vſque hodie in lingua Anglorũ Saxonũ appellatur, cœpitq; eis fraterna admonitione ſuadere, vt pace Catholica ſecum habita, communem euangelizãdi Gentibus pro Domino laborem ſuſciperent: Non enim Paſchæ diem dominicũ ſuo tempore, ſed à quartadecima vſque ad vigeſimã lunam

obſerua-

obſeruabant. Quæ cōputatio lxxxiiij. annorū circulo cōtinetur, ſed & alia plurima vnitati Eccleſiaſticæ cōtraria faciebant. Qui cùm lōga diſputatione habita, neque precibus, neque hortamentis, neque increpationibus Auguſtini ac ſociorum eius aſſenſum præbere voluiſſent, 16 ſed ſuas potius traditiones vniuerſis quæ per orbē ſibi in Chriſto concordant, Eccleſijs præferrēt: S. Auguſtinus hunc laborioſi ac longi certaminis finē fecit, vt diceret: obſecremus Deū, qui habitare fecit vnanimes in domo patris ſui, vt ipſe nobis inſinuare cœleſtibus ſignis dignetur, quæ ſequenda traditio, quibus ſit vijs ad ingreſſum regni illius properandū. Adducatur aliquis æger, & per cuius preces fuerit curatus, huius fides & operatio Deo deuota atq; omnibus ſequenda credatur. Quod cùm aduerſarij inuiti licet concederent, allatus eſt quidā de genere Anglorum, oculorū luce priuatus: qui (cùm oblatus Britonum ſacerdotibus nil curationis vel ſanationis horū miniſterio perciperet) tandem Auguſtinus iuſta neceſsitate cōpulſus, flectit 17 genua ad patrē Domini noſtri Ieſu Chriſti, deprecans, vt cæco viſum, quem amiſerat, reſtitueret, & per illuminationē vnius hominis, corporalem in plurimorū corda fidelium ſpiritali gratia lucem accenderet. Nec mora, illuminatus cœcus, ac verus ſummæ lucis præco ab omnibus prædicatur Auguſtinus. Tum Britones confitentur quidem intellexiſſe ſe veram eſſe vitam iuſtitiæ quam prædicat Auguſtinus. Sed non ſe poſſe abſque ſuorū conſenſu ac licētia priſcis abdicare moribus. Vnde poſtulabant, vt ſecundò ſynodus pluribus aduenientibus fieret: quæ cùm eſſet ſtatuta, venerunt (vt perhibēt) ſeptem Britonū Epiſcopi, & plures viri doctiſsimi, maximè de nobiliſsimo eorū monaſterio, quod vocatur lingua Anglorū Barchotnaburg, cui tempore hoc Dinoth Abbas præfuiſſe narratur, qui ad præfatū ituri conciliū, venerunt primò ad quendam virum ſanctū ac prudētem (qui apud eos anachoriticā ducere ſolebat vitā) cōſulentes an ad prædicationem Auguſtini ſuas deſerere traditiones deberent. qui reſpondebat: Si homo Dei eſt, ſequimini illum. Qui dixerunt: Et vnde hoc poſſumus probare? At ille: Dominus ait: Tollite iugum meū ſuper vos, & diſcite à me, quia mitis ſum & humilis corde. Si ergo Auguſtinus ille mitis eſt & humilis corde, credibile eſt quia iugum Chriſti & ipſe portet, & vobis portandū offerat. Sin autē ſuperbus eſt, conſtat quia non eſt de Deo: neq; vobis eius ſermo curādus. Qui rurſus aiebant: Et vnde vel hoc dignoſcere valemus? Procurate, inquit, vt ipſe prior cum ſuis ad locū ſynodi adueniat, & ſi vobis appropinquātibus aſſurrexerit, ſcientes, quia famulus Chriſti eſt, obtemperanter illum audite. Sin autem vos ſpreuerit, nec corā vobis aſſurgere voluerit, cùm ſitis numero plures, & ipſe ſpernatur à vobis. Fecerunt vt dixerat: Factū eſt autē vt venientibus illis ſederet Auguſtinus in ſella: quod illi videntes mox in iram verſi ſunt, eumq; notantes ſuperbiæ, cunctis quæ dicebat, contradicere laborabant. Dicebat autē eis, quòd in multis quidē noſtræ conſuetudini, vno vniuerſæ Eccleſiæ contrariè gerītis. Et nunc ſi in his tribus hoc mihi obtemperare vultis, vt Paſcha ſuo tempore celebretis, vt miniſterium baptizandi (quo Deo renaſcimur) iuxta morē Romanæ ſanctæ Eccleſiæ & Apoſtolicæ compleatis, vt genti Anglorū vnā nobiſcū verbū Dei prædicetis: cætera quæ agitis, quamuis moribus noſtris cōtraria, æquanimiter cuncta tolerabimus. At illi nihil horū ſe facturos, neque illū pro Archiepiſcopo habituros eſſe reſpondebant: conferentes ad inuicem, quòd ſi modò nobis aſſurgere noluit, quantò magis ſi ei ſubdi cœperimus, iam nos pro nihilo contemnet? Quibus vir Domini Auguſtinus fertur minitās prædixiſſe, quòd ſi pacem cum fratribus accipere nollent, bellum ab hoſtibus forent accepturi. Et ſi nationi Anglorū noluiſſent viam vitæ prædicare per horū manus vltionem eſſent mortis paſſuri: quod ita per omnia, vt prædixerat, diuino agente iudicio patratum eſt. Siquidem poſt hoc ipſe de quo diximus, rex Anglorum fortiſsimus Edilfrith collecto grandi exercitu ad ciuitatem, legionēſq; agente Anglorum Legaceſtir, à Britonibus rectius Corlegion appellatur, maximā genti perfidæ ſtragē dedit. Cumq; bellū acturus videret ſacerdotes eorum (qui ad exorandū Deum pro milite agente bellum conuenerant) ſeorſum in tutiori loco conſiſtere, ſciſcitabatur qui eſſent hi, quidue acturi illò conueniſſent. Erant autem plurimi eorū de monaſterio Bancor, in quo tantus fertur fuiſſe numerus, vt cùm in ſeptem portiones eſſet, cùm præpoſitis ſibi rectoribus monaſterium diuiſum, nulla harū portio minus quàm trecentos homines haberet, qui omnes de labore manuum viuere ſolebant. Horum ergo plurimi ad memoratā aciem peracto ieiunio triduano cum alijs orandi cauſa cōuenerant, habentes defenſorem nomine Brocmalium, qui eos intentos precibus à Barbarorum gladijs protegeret. Quorum cauſam aduentus cùm intellexiſſet rex Edilfrith, ait: Ergo ſi aduerſum nos Dominum ſuum clamant, profectò & ipſi quamuis arma non ferant, contra nos pugnant, qui aduerſus nos imprecationibus perſequuntur. Itaque in hos primùm arma verti iubet, & ſic cæteras nefandæ militiæ copias non ſine magno exercitus ſui damno deleuit. Extinctos in ea pugna fertur de his qui ad adorandum venerāt, viros circiter mille ducentos, & ſolùm quinquaginta fuga lapſos.

16 Patrum traditiones vide eſſe ſeruādas, nec aliquorū traditiones vniuerſis mundi Eccleſijs præferendas.

17 Ecce oratio cum genuflexione, & ad eam miraculū ſubſequutū. Bona ergo res eſt oratio, ac Deo placens.

Brocmail ad primum hostiũ aduentũ cum suis terga vertẽs, eos quos defendere debuerat, inermes ac nudos ferientibus gladijs reliquit. Sicq; completum est præsagiũ S. Augustini, quamuis ipso iam multo ante tempore ad cœlestia regna sublato, vt etiam temporalis interitus vltionem sentirent perfidi, quod oblata sibi perpetuæ salutis consilia spreuerant.

Ex cap. iij. Anno Dominicę incarnationis sexcentesimo quarto, Augustinus Britannorũ Archiepiscopus ordinauit duos Episcopos, Mellitũ videlicet & Iustum: Mellitum quidem ad prædicandum prouinciæ Orientalium Saxonũ, qui tamen se fluuio dirimunt à Cantia, & ipsi Orientali mari contigui, quorum metropolis Londonia ciuitas est, super ripam præfati fluminis posita, & ipsa multorũ emporium populorum terra mariq; venientium plena. In qua videlicet gente tunc tẽporis Sabareth nepos Edelberchti ex sorore Ricula regnabat, quamuis sub potestate positus eiusdẽ Edelberchti, qui omnibus (vt supra dictum est) vsque ad Humbræ fluminis terminos Anglorũ gentibus imperabat. Vbi verò & hæc prouincia verbum veritatis prædicante Mellito accepit, fecit rex Edilbercht in ciuitate Londonia Ecclesiam S. Pauli Apostoli, in qua locum sedis Episcopalis & ipse & successores eius haberent. Iustum verò in ipsa Cantia Augustinus ordinauit Episcopũ, in ciuitate Dorouerni, quod gens Anglorum à primario quondam illius, qui dicebatur Hrof hros cestre, cognominat. Distat autem à Dorouerni milibus passuum fermè quatuor & viginti ad Occidentem: in qua rex Edilbercht Ecclesiam beati Andreæ Apostoli fecit, qui etiam Episcopis vtriusque Ecclesię [18] dona multa (sicut & Dorouernenses) obtulit, sed & territoria ac possessiones in vsum eorũ qui erãt cum Episcopis adiecit. Defunctus est autem Deo dilectus pater Augustinus, & positũ corpus eius foras, iuxta Ecclesiam beatorum Apostolorũ Petri & Pauli: cuius supra meminimus: quæ necdum fuerat perfecta, nec dedicata. Mox verò vt dedicata est, intrò illatũ, & in porticu illius aquilonari decenter sepultum est. In qua etiam sequentium Archiepiscoporũ omniũ sunt corpora tumulata, præter duorũ tantummodo, id est, Theodori & Berethualdi: quorum corpora in ista Ecclesia posita non sunt, eò quòd prædicta porticus plura capere nequiuit. Habet autem in medio sui penu, altare [19] in honorem beati Gregorij Papæ dedicatũ, in quo per omne sabbatum à presbytero loci illius agendæ eorum solenniter celebrantur. Scriptum verò est in tumba eiusdem Augustini epitaphiũ huiusmodi. Hic requiescit Dominus Augustinus Dorouernensis Archiepiscopus primus, qui olim huc à B. Gregorio Romanæ vrbis põtifice directus, & à Deo operatione miraculorũ suffultus, & Edilberchtum regem & gentem illius ab idolorũ cultu ad fidem Christi perduxit, & completis in pace diebus officij sui, defunctus est: vij. Cal. Iunij eodem Rege regnante.

18 Vide quomodo prisci reges dona, territoria, & possessiones Ecclesijs offerebant.

19 Nota altare in honorẽ B. Gregorij Papæ dedicatum.

Ex cap. iiij. Succesit Augustino in Episcopatu Laurentius, quem ipse idcirco adhuc viues ordinauerat, ne se defuncto status Ecclesię tam rudis, vel ad horã pastore destitutus, vacillare inciperet. In quo & exemplũ sequebatur primi pastoris Ecclesiæ, hoc est, beatissimi Apostoli Petri principis: qui fundata Romana Ecclesia Christi Clementem sibi adiutorem euangelizandi, simul & successorem consecrasse perhibetur. Laurentius autem Archiepiscopatus gradu potitus, strenuissimè fundamenta Ecclesiæ nobiliter iacta studuit augmentare, atq; ad profectũ debiti culminis, & crebra voce sanctæ exhortationis & continuis piæ operationis exemplis prouehere curauit. Deniq; non solùm nouæ, quæ Anglis erat collecta, Ecclesiæ curam gerebat, sed & Britanniæ proximæ pastoralem impendere solicitudinem curabat. Siquidem vbi Scotorum in præfata ipsorum patria, quomodo & Britannorũ in ipsa Britannia, vitam ac professionem minus Ecclesiasticam in multis esse cognouit, maximè cùm Paschæ solennitatem non suo tempore celebrarent, sed (vt supra docuimus) à quartadecima luna ad vigesimã dominicæ resurrectionis diem obseruandum esse putarent: scripsit cum Episcopis suis exhortatoriã ad eos epistolam, obsecrans eos, & contestans veritatẽ pacis & Catholicæ obseruationis, cum ea (quæ toto orbe diffusa est) Ecclesia Christi tenere, cuius videlicet epistolæ principium hoc est. Dominus charissimis fratribus Episcopis, vel Abbatibus per vniuersam Scotiam Laurentius, Mellitus, & Iustus Episcopi serui seruorũ Dei. Dum [20] nos sedes Apostolica more suo, sicut in vniuerso orbe terrarum in his occiduis partibus ad prædicandum gentibus paganis dirigeret, atque in hanc Insulam, quæ Britannia nuncupatur, contigit introisse, antequam cognosceremus, credentes quòd iuxta morem vniuersalis Ecclesiæ ingrederẽtur in magna reuerentia sanctitatis, tam Britones, quàm Scotos venerati sumus, sed cognoscentes Britones, Scotos meliores putauimus. Scotos verò per Dagamum Episcopũ in hanc, quã superius memorauimus, Insulam, & per Columbanum Abbatem è Gallijs venientem, nihil discrepare à Britonibus in eorũ conuersatione didicimus. Nã Dagamus Episcopus ad nos veniẽs, non solum cibum nobiscum, sed nec in eodem hospitio quo vescebamur, sumere voluit. Misit idem Laurentius cum Coepiscopis suis etiam Britonum sacerdotibus literas suo gradui condignas, quibus eos in vnitate Catholica confirmari sategit. Sed quantum hæc agendo profecerit,

20 Considera hæc verba: Dum nos sedes Apostolica more suo, sicut in vniuerso orbe terrarum in his occiduis partibus ad prædicãdum gentibus paganis dirigeret, ex quibus euidenter colliges Romanã Ecclesiã in totũ terrarum orbem iurisdictionem habere.

profecerit, adhuc præsentia tempora declarant. His temporibus venit Mellitus Londoniæ Episcopus Romam, de necessarijs Ecclesiæ Anglorum cum Apostolico Papa Bonifacio tractaturus. Et cum idem Papa Reuerendissimus cogeret synodum Episcoporum Italię, de vita monachorũ & quiete ordinaturus, ipse Mellitus inter eos assedit anno octauo Imperij Focatis principis, indictione tertiadecima, tertia die Calend. Martij, vt quæque erant regulariter decreta, sua quoque autoritate subscribens confirmaret, ac Britanniã rediens, secum Anglorum Ecclesijs mandanda atque obseruanda deferret, vnà cum epistolis, quas idem Pontifex Deo dilecto Archiepiscopo Laurentio & clero vniuerso, similiter & Edilberchto regi, atque genti Anglorum direxit. Hic est Bonifacius quartus à beato Gregorio Romanę vrbis Episcopus, qui impetrauit à Foca principe donari Ecclesiæ Christi templum Romæ quod Pantheon vocabatur antiquitus, quasi simulachrum esset omnium deorum, in quo ipse eliminata omni spurcitia, fecit Ecclesiam sanctæ genitricis atque omnium martyrum Christi, vt exclusa multitudine dæmonum, multitudo ibi sanctorum memoriam haberet.

Anno ab incarnatione Dominica sexcentesimo decimotertio (qui est annus vigesimus primus ex quo Augustinus cum socijs ad prędicationem genti Anglorum missus est) Edilbercht rex Cantuariorum, post regnum temporale quod lvi. annis gloriosissimè tenuerat, 21 æterna cœlestis regni gaudia subijt. Qui tertius quidẽ in regibus gentis Anglorũ, cunctis Australibus eorum prouincijs quæ Humbræ fluuio & contiguis ei terminis, sequestrantur à Borealibus, imperauit, sed primus omnium cœli regna conscendit. Nam primus imperium huiusmodi Elli Rex Australium Saxonum, secundus Calin Rex Occidentalium Saxonum (qui lingua ipsorum Ceculin vocabantur) tertius, vt diximus Edilbercht Rex Cantuariorum, quartus Redual Rex Orientalium Anglorũ, qui etiam viuente Edilberthto eidem suæ genti ducatum præbebat, obtinuit. Quintus Eduinus Rex Nordamhimbrorum gentis, id est, eius quæ ad Borealem Humbri fluminis plagam inhabitabat, maiore potentia cunctis qui Britanniam incolunt, Anglorum pariter & Britonum populis præfuit, præter Cantuarios tantùm, necnon Meuanias Britonum insulas, quæ inter Hyberniam & Britanniam sitæ sunt, Anglorum subiecit imperio. Sextus Osuuald & ipse Nordamhimbrorum Rex Christianissimus, ijsdem finibus regnum tenuit. Septimus Osinu frater eius æqualiter penè terminis regnum nõnullo tempore coercens, Pictorum quoque ac Scotorum gentes, qui Septentrionales Britanniæ fines tenent, maxima ex parte perdomuit, ac Tributarias fecit, sed hoc postmodum. Defunctus est verò Rex Edilbercht die quartodecimo mensis Februarij, post xxi. annos acceptæ fidei, atque in porticu sancti Martini, intra Ecclesiam beatorum Apostolorum Petri & Pauli sepultus est, vbi & Berecta regina condita est. Qui inter cætera bona, quæ genti suæ consulendo conferebat, etiam decreta illi iudiciorũ iuxta exempla Romanorum, cum consilio sapientium constituit. Quæ conscripta Anglorum sermone hactenus habentur, & obseruãda ab illis. In quibus primitus posuit qualiter id emendare deberet, qui aliquid rerum vel Ecclesiæ, vel Episcopi, vel reliquorum ordinum furto auferret, volens scilicet tuitionem eis, quos & quorum doctrinam susceperat, pręstare. Erat autem idem Edilbercht filius Iurminrici, cuius pater Octa, cuius pater Orric cognomento Oisc, à quo reges Cantuariorum solent Oiscingas cognominari. Cuius pater Hengist, qui cum filio suo Oisc inuitatus à Vortigerno, Britanniam primus intrauit, vt suprà retulimus. At verò post mortem Edilberchti cùm filius eius Cadbald regni gubernacula suscepisset, magno tenellus adhuc ibi Ecclesię crementi detrimento fuit. Siquidem non solùm Christi fidem recipere noluerat, sed & fornicatione pollutus est tali, qualem nec inter Gentes auditam Apostolus testatur, ita vt vxorem patris haberet. Quo vtroque scelere occasionem dedit ad priorem vomitum reuertendis his qui sub imperio sui parentis, vel pauore, vel timore regio fidei & castimoniæ iura susceperunt, nec supernæ flagella districtionis perfido regi castigando vel corrigendo defuêre. Nam crebra mentis væsania, & spiritus immundi inuasione premebatur. Auxit procellam huiuscemodi perturbationis etiam mors Saberecti regis Orientalium Saxonum, qui vbi regna perennia petens, tres filios suos, qui pagani perdurauerunt, regni temporalis hæredes reliquit, cœperunt illi mox idololatriæ (quam viuente eo aliquantulum intermisisse videbantur) palam seruire, subiectisque populis idola colendi liberam dare licentiam. Cumque vidissent Pontificem celebratis 22 in Ecclesia missarum solennijs Eucharistiam populo dare, dicebant (vt vulgo fertur) ad eum Barbari inflati stultitia: Quare non & nobis porrigis panem nitidum, quem & patri nostro Saba (sic namque eum appellare consueuerant) dabas, & populo adhuc in Ecclesia dare non desistis? Quibus ille respondebat: Si vultis ablui fonte illo salutari, quo pater vester ablutus est, potestis etiã panis sancti, cui ille participabat, esse participes. Sin autem lauacrũ vitæ contemnitis, nullatenus valetis panẽ vitæ percipere. At illi: Nolumus, inquiunt, fontẽ illũ intrare, quia nec illo opus nos habere nouimus, sed tamẽ pane illo refici volumus. Cumq; diligẽter, ac sæpe

Ex cap. 5.

21 Rex æterna cœlestis regni gaudia subijt.

22 Celebratis in Ecclesia missarum solennijs.

ac sæpe ab illo essent admoniti,nequaquā ita fieri posse,vt absque purgatione sacrosancta quis oblationi sacrosanctæ communicaret. Ad vltimum furore commoti aiebant : Si non vis assentire nobis in tam facili causa quam petimus, non poteris iam in nostra prouincia demorari: & expulerūt eum,ac de suo regno cum socijs abire iusserūt. Qui expulsus inde, venit Cantuā,tractaturus cum Laurentio & Iusto Coepiscopis,quid in ijs esset agendum. Decretumq; est communi consilio,quia satius esset,vt omnes in patriam redeuntes,libera ibi mente Domino deseruirent, quàm inter rebelles fidei Barbaros sine fructu residerent.

Discessêre itaque primi Mellitus & Iustus, atque ad partes Galliæ secessêre,ibi & suum finem expectare disponentes, sed non multo tempore reges qui præconem à se veritatis expulerāt,dæmoniacis cultibus impunè seruiebāt.Nam egressi contra gentē Geuissorum in prælium,omnes pariter cum sua militia corruerunt,nec (licet autoribus perditis)excitatum ad scelera vulgus potuit corrigi,atque ad simplicitatē fidei & charitatis, quæ est in Christo,reuocari.Cùm verò Laurentius Mellitū Iustumq; sequuturus,ac Britanniam esset relicturus , iussit ipsa sibi nocte in Ecclesia beatorum Apostolorum Petri & Pauli , de qua frequenter iam diximus, stratum parari . In quo 23 cùm post multas preces & lachrymas ad Deum pro statu Ecclesiæ fusas, ad quiescendum membra posuisset,atque obdormisset, 24 apparuit ei beatissimus Apostolorum princeps,& multo illum tempore secretæ noctis flagellis arctioribus afficiens,sciscitabatur Apostolica districtione,quare gregem,quam sibi ipse crediderat,relinqueret:vel cui pastorum oues Christi in medio luporū positas fugiens ipse dimitteret? An mei, inquit,oblitus es exempli,qui pro paruulis Christi,quos mihi in indicium suæ dilectionis commendauerat,vincula,verbera,carceres,afflictiones,ipsam postremò mortem,mortē autem crucis,ab infidelibus etiā inimicis Christi ipse cum Christo coronandus pertuli ? His B. Petri flagellis , simul & exhortationibus animatus famulus Christi Laurentius, mox mane facto,venit ad regem,& reiecto vestimento, quantis esset verberibus laceratus ostendit.Qui multū miratus,& inquirens,qui tanto viro tales ausus esset plagas infligere,vt audiuit,quia causa suę salutis Episcopus ab Apostolo Christi tāta esset tormenta, plagasque perpessus,extimuit multum, atque anathematizato omni idololatriæ cultu,abdicato connubio non legitimo,suscepit fidem Christi,& baptizatus,Ecclesiæ rebus, quantū valuit,in omnibus consulere ac fauere curauit.Misit etiā in Galliam, & reuocauit Mellitū & Iustum,eosq; ad suas Ecclesias liberè instituendas redire precepit, qui post annum,ex quo abierant,reuersi sunt.Et Iustus quidem ad ciuitatē Rhosi,cui præfuerat , redijt. Mellitum verò Londonienses Episcopum recipere noluerunt, idololatris pontificibus magis seruire gaudentes. Non enim tanta erat ei, quanta patri ipsius Regni potestas, vt etiam nolentibus ac contradicentibus Paganis, Antistitē suæ posset Ecclesiæ reddere. Veruntamen ipse cum sua gente , ex quo ad Dominum conuersus est , diuinis se studuit mancipare preceptis.Denique & in monasterio beatissimi Apostolorum principis 25 Ecclesiam sanctæ Dei genitricis fecit, quam consecrauit Archiepiscopus Mellitus.

Ex cap. 6.

23 Vide nocturnas vigilas in Ecclesia. & orationes cum lachrymis.

24 Si Apostolorum princeps apparuit Episcopo, & flagellauit eum, ergo viuus est, & non mortuus.

25 Rex fabricauit Ecclesiam sanctæ Dei genitricis. & Mellitus Archiepiscopus eam consecrauit.

Hoc enim rege beatus Archiepiscopus Laurentius 26 regnum cœleste cōscendit, atque in Ecclesia & monasterio sancti Apostoli Petri iuxta prædecessorem suum Augustinum sepultus est,die quarto Nonarum Februariarum, post quem Mellitus,qui erat Londoniæ Episcopus , sedem Dorouernensis Ecclesiæ tertius ab Augustino suscepit . Iustus autem adhuc superstes Rhoffensem regebat Ecclesiam. Qui cùm magna Ecclesiam Anglorum cura ac labore gubernarent, susceperunt scripta exhortatoria à Pontifice Romanæ & Apostolicæ sedis Bonifacio , qui post Deusdedit in Ecclesia sedit anno incarnationis Dominicæ quingentesimo centesimo vigesimoquarto.Erat autem Mellitus quidem corporis infirmitate, id est,podagra grauatus, sed mentis gressibus sanus,alacriter terrena quæque transiliens,atque ad cœlestia regna semper amanda,petenda,& quærenda peruolans. Erat carnis origine nobilis , sed culmine mentis nobilior. Denique vnum virtutis eius , vnde cætera intelligi possint, testimonium referam. Tempore quodam ciuitas Dorouernensis per culpam incuriæ igni correpta , crebrescentibus cœpit flammis consumi : quibus cùm nullo aquarū iniectu posset aliquis obsistere, iamq; ciuitatis esset pars vastata nō minima, atque ad Episcopum furens se flamma dilataret,confidens Episcopus in diuinum,vbi humanum deerat auxiliū,iussit se obuiam sæuientibus & huc illucq; volantibus igniū globis inferri.Erat autē eo loci,vbi flammarū impetus maximè incumbebat,martyriū beatorum quatuor coronatorū.Ibi ergo perlatus obsequentium manibus Episcopus,cœpit 27 orādo periculū infirmus abigere,quod firmæ fortium manus multū laborando nequiuerant.Nec mora,ventus qui à meridie flans vrbi incendia sparserat,contra meridiem reflexus primò vim furoris sui à læsione locorū,quæ contrà erant abstraxit,ac mox funditus quiescendo, flammis pariter sopitis,atque extinctis,cōpescuit. Et quia vir Dei igne diuinæ charitatis fortiter ardebat , qui tempestatis potestatum aërearum à sua suorumque læsione crebris oratio-

Ex cap. 7.

26 Laurētius Archiepiscopus regnū cœleste conscendit.

27 Oratione Mellitus impetū ignis in ciuitatem grassantis extinxit.

orationibus, vel exhortationibus repellere consueuerat, meritò ventis flammisq; mundialibus præualere, & ne sibi suisque nocerent, obtinere poterat. Et hic ergo postquam annis quinq; rexit Ecclesiam, Eadbaldo regnante, migrauit ad cœlos. Sepultusq; est cum patribus suis in sæpe dicto monasterio, & Ecclesia beatissimi principis Apostolorũ, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo vigesimoquarto, die nono Calendis Martij.

Cui statim succesit in pontificatum Iustus, qui erat Rhofensis Ecclesiæ Episcopus. Illi autem Ecclesiæ Romanum pro se consecrauit Episcopum, data sibi ordinandi Episcopos autoritate à Pontifice Bonifacio, quem successorem fuisse Deusdedit supra meminimus. Cuius autoritatis ista est forma. Dilectissimo fratri Iusto Bonifacius. Quàm deuotè, quamq; etiam vigilanter pro Christi Euãgelio elaborauerit vestra fraternitas, non solùm epistolæ à vobis directæ tenor, imò indulta desuper operi vestro perfectio indicauit. Nec enim omnipotens Deus, aut sui nominis sacrum, aut fructum vestri laboris deseruit, dum ipse prædicatoribus Ecclesiæ fideliter repromisit: Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus vsque ad consummationem seculi. Quod specialiter in iniuncto vobis ministerio eius clementia demonstrauit, aperiens corda gentium ad suscipiendum prædicationis vestræ singulare mysterium. Magno enim præmio fatigiorum vestrorum delectabilem cursum, bonitatis suæ suffragijs illustrauit, dum creditorum vobis talentorum fidelissimæ negotiationis officijs vberem fructũ impendẽs, ei quod signare possetis, multiplicatis generationibus pręparauit. Hocq; etiam illa vobis repensatione collatũ est, qui iniuncto ministerio iugiter persistẽtes, laudabili patientia redemptionẽ gentis illius expectastis, & vestris vt perfrueretur meritis, eorum est saluatio propinata, dicente Domino: Qui perseuerauerit vsq; in finem, hic saluus erit. Saluati ergo estis spe patientiæ, & tolerantiæ virtute, vt infidelium corda naturali ac superstitioso morbo purgata, sui consequerentur misericordiã Saluatoris. Susceptis namque apicibus filij nostri Adaluualdi regis, reperimus quãto sacri eloquij eruditione eius animum ad veræ conuersionis, & indubitatæ fidei credulitatem fraternitas vestra perduxerit. Qua ex re de longanimitate clementiæ cœlestis certam assumentes fiduciam, non solùm suppositarum ei gentium plenissimam salutem, imò quarumcunque vicinarum vestro quoque prædicationis ministerio credimus subsequendã, quatenus [28] (sicut scriptũ est) consummati operis vobis merces à retributore omnium bonorum Domino tribuatur. Et verè per omnem terram exisse sonũ eorum, & in fines orbis terræ verba ipsorum, vniuersalis gentium confessio, suscepto Christianæ sacramento fidei, protestatur. Pallium [29] præterea latorem præsentium fraternitati tuæ benignitatis studijs inuitati direximus, quo videlicet tantum in [30] sacrosanctis venerandis mysterijs licentiam vtendi imperauimus: concedentes etiam tibi ordinationes Episcoporum, exigente opportunitate, Domini præueniẽte misericordia, celebrare: ita vt Christi Euangelium plurimorum annunciatione, in omnibus gentibus, quæ necdum conuersæ sunt, dilatetur. Studeat ergo tua fraternitas hoc quod sedis Apostolicæ humanitate percepit, intemerata mentis synceritate seruare intendens: Cuius rei similitudinem tam præcipuum indumentum humeris tuis baiulandum susceperis. Talemq; te implorata clementia exhibendum stude, vt indulti muneris præmia non cum reatitudine, sed cum commodis animarum ante tribunal summi & venturi iudicis repræsentes. Deus te incolumem custodiat, dilectissime frater. Iustus deinde, nonnullis euolutis annis, quarto Iduum Nouembris die ad [31] cœlestia regna sublatus est.

Ex cap. 8.

28 Quatenus consummati operis vobis merces à retributore omnium bonorum Domino tribuatur.

29 Pallium donabatur à sede Apostolica Archiepiscopis, sicut & modò fit, & eo vtebantur tantùm in missarũ solennijs.

30 Ecce quomodo Missæ sacrificium sacrosancta ac veneranda mysteria appellat, in hæreticorũ nostrorum confusionem, qui infamibus & blasphemis nominibus illud nuncupare præsumunt.

31 Iustus ad cœlestia regna sublatus est.

VITA BEATI GREGORII MAGNI ROMANI Pontificis, per Venerabilem Bedam presbyterum scripta.

ANNO Dominicæ incarnationis quingẽtesimo centesimo quinto, B. Papa Gregorius, postquam sedem Romanæ & Apostolicæ Ecclesiæ tredecim annos, menses sex, & dies decẽ gloriosissimè rexit, defunctus est, atque [1] ad æternã regni cœlestis sedẽ translatus. De quo nos conuenit, quòd nostram, id est, Anglorũ gentem, de potestate Sathanæ ad fidem Christi sua industria conuertit, latiorem in nostra historia Ecclesiastica facere sermonem, quem rectè nostrum appellare possumus & debemus Apostolũ, quia cùm [2] primum in toto orbe gereret Pontificatum, & conuersis iam dudum ad fidem veritatis esset pręlatus in Ecclesia, nostram gentem eatenus idolis mancipatam, Christi fecit Ecclesiam, ita vt Apostolicum illum de eo liceat nobis proferre sermonem: Quia & si alijs non est Apostolus, sed tamen nobis est. Nam signaculum Apostolatus eius nos sumus in Domino. Erat autem natione Romanus, ex patre Gordiano, genus à proauis non solùm nobile, sed & religiosum ducens: Deinde Felix eiusdẽ sedis Apostolicę quondã Episcopus, vir magnæ glorię in Christo & in Ecclesia,

Est in historia Ecclesiast. Anglicana, eiusdẽ lib 2. cap. 1.

1 Gregorius ad æternam regni cœlestis sedem translatus est.

2 Cùm primum in toto orbe gereret pontificatum.

Ecclesia,fuit eius attauus, sed & ipse nobilitatem religionis non minorem,quàm parentes & cognati,virtute deuotionis exercuit. Nobilitatē verò illam,quam ad seculum videbatur habere, totam ad nanciscendā supernæ gloriā dignitatis, diuina gratia largiente,conuertit. Nam mutato repentè seculari habitu, monasterium petijt, in quo tanta perfectionis gratia cœpit conuersari,& sicut ipse postea contestari solebat flendo,animo illius labentia cuncta subter essent, vt rebus omnibus, quæ voluuntur, emineret, nunquam nisi cœlestia cogitare soleret,vt etiā recenter corpore ipsa iam carnis claustra contemplatione transiret,vt mortē quoque, quæ penè cunctis pœna est, videlicet vt ingressum vitæ, & laboris sui præmium amaret. Hæc autem ipse de se, non profectum iactando virtutum, sed deflendo potius defectum,quem referre consueuerat,sibi per curam pastoralem incurrisse videbatur. Denique tempore quodam secreto cum diacono suo Petro colloquens, enumeratis animi sui virtutibus priscis, mox dolendo subiunxit: At nunc ex occasione curæ pastoralis, secularium hominum negotia patitur,& post tam pulchram quietis suæ speciem,terreni actus puluere fœdatur. Cumq; pro condescensione multorū se ad exteriora sparserit,etiam cùm interiora appetit,ad hæc proculdubio minor redit. Perpendo itaq; quid tolero,perpēdo quid amisi, dumq; intueor illud quod perdidi,fit hoc grauius quod porto. Hæc quidem sanctus vir ex magnæ humilitatis intentione dicebat,sed nos credere decet,nihil eum monachicæ perfectionis perdidisse, occasione curæ pastoralis: Imo potiorem tunc sumpsisse profectum de labore conuersionis multorum,quàm de propriæ quondā quietæ conuersationis habuerit, maximè quòd & Pontificali functus officio domum suam monasterium facere curauit. Et dum primum de monasterio abstractus,ad ministerium altaris ordinatus,atque Constantinopolim Apocristarius ab Apostolica sede directus est, non tamen in terreno conuersatus palatio, [3] propositum vitæ cœlestis intermisit. Nam quosdam fratrum ex monasterio suo, qui eum gratia germanæ charitatis ad regiam vrbem secuti sunt, in tutamentum cœpit obseruantiæ regularis habere,videlicet vt eorum semper exemplo(sicut ipse scribit)ad orationis placidū littus, quasi anchoræ fune restringeretur,cùm incessabili causarū secularium impulsu fluctuaret: concussamque seculi mentem actibus,inter eos quotidie per custodiam lectionis roboraret eloquium. Horum ergo consortio non solùm à terrenis munitus incursibus, verumetiam ad cœlestia exercitijs vitæ magis succensus. Nam hortati sunt eum, vt librum beati Iob magnis inuolutum obscuritatibus, mystica interpretatione discuteret: neque negare potuit opus, quod sibi fraternus amor multis vtile futurum imponebat. Sed eundem librum,quomodo iuxta literam intelligendus,qualiter ad Christi & Ecclesię sacramenta referendus, quo sensu vnicuique fidelium sit aptandus, per trigintaquinque libros expositionis miranda ratione perdocuit: Quod videlicet opus in regia quidem vrbe Apocristarius inchoauit,Romæ autem iam factus Pōtifex impleuit. Qui cùm esset adhuc Regia in vrbe positus,nascentē ibi nouā hæresim de statu nostræ resurrectionis,in ipso quo exorta est initio,iuuante se gratia Catholicæ veritatis,attriuit. Siquidem Eutychius eiusdem vrbis Episcopus dogmatizabat corpus nostrum in illa resurrectionis gloria impalpabile, ventis, aëreq; subtilius esse futurum. Quod ille audiēs,& ratione veritatis,& exemplo Dominicæ resurrectionis probauit hoc dogma orthodoxæ fidei omnibus modis esse contrarium. Catholica etenim fides habet,quòd corpus nostrum in illa immortalitatis gloria sublimatum, subtile quidē sit per effectum spiritalis potentiæ, sed palpabile per veritatem naturæ, iuxta exemplum Dominici corporis, de quo à mortuis suscitato dicit ipse discipulis: Palpate, & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. In cuius assertione fidei,venerabilis pater Gregorius in tantum contra nascentē hæresim nouam laborare contendit, tantaque hac instantia, iuuante etiam pijssimo Imperatore Tiberio Constantino, comminuit,vt nullus exinde sit inuētus,qui eius resuscitator existeret. Aliū quoque librum cōposuit egregiū,qui vocatur Pastoralis: in quo manifesta luce patefecit,qualis ad Ecclesiæ regimen assumi, qualiter ipsi rectores viuere, qua discretione singulas quasque audientium instituere personas,& quanta cōsideratione propriā quotidie debeant fragilitatem pensare. Sed & homilias Euangelij numero quadraginta cōposuit, quas in duobus codicibus æqua sorte distinxit. Libros etiam Dialogorum quatuor fecit,in quibus rogatu Petri diaconi sui, virtutes sanctorū,quos in Italia clariores nosse vel audire poterat,ad exemplū viuēdi posteris collegit: vt sicut in libris expositionū suarum, quibus sit virtutibus insudandū edocuit, ita etiam descriptis sanctorū miraculis,quæ virtutū eorundem sit claritas,ostenderet. Primā quoque & vltimam Ezechielis prophetæ partē,quæ videbantur obscuriores,per Homilias vigintiduas declarauit, ac quantum lucis intus habeant, demonstrauit: excepto libello responsionum,quas ad interrogationes sancti Augustini primi Anglorum Episcopi scripsit, vt supra docuimus, totum ipsum libellum his inserentes historijs: libello quoque synodico, quem cum Episcopis Italiæ de necessarijs Ecclesiæ causis vtilissimum composuit,&

familia-

[3] *Ecce quomodo monachale institutū. cœlestis vitæ propositum vocat. Quid dicis tu qui adeò monachismo detrahis?*

familiaribus ad quoſdam literis. Quod eò magis mirum eſt, tot eum ac tanta condere volumina potuiſſe, quòd penè omni iuuentutis ſuæ tempore (vt verbis ipſius loquar) crebris viſcerum doloribus cruciabatur, horis momentiſque omnibus fracta ſtomachi virtute laſſeſcebat: lentis quidem, ſed tamen continuis febribus anhelabat.

Verùm inter hæc dum ſolicitus penſaret, quia ſcriptura teſte, omnis filius qui recipitur, flagellatur, quò malis præſentibus durius deprimebatur, eò de æterna certius præſumptione reſpirabat. Hæc quidem de immortali eius dicta ſint ingenio, quod nec tanto corporis potuit dolore reſtringi. Nam alij quidem Pontifices conſtruendis ornandiſque auro vel argento Eccleſijs operam dabant: hic autem totus erga animarum lucra vacabat. Quicquid pecuniæ habuerat, ſedulus hoc diſpergere ac dare pauperibus, vt iuſtitia eius maneret in ſeculum ſeculi, & cornu eius exaltaretur in gloria, ita vt illud beati Iob veraciter dicere poſſet: Auris audiens beatificabat me, & oculus videns teſtimonium reddebat mihi, quòd liberaſſem pauperem vociferantẽ, & pupillum, cui non erat adiutor. Benedictio perituri ſuper me veniebat, & cor viduæ conſolatus ſum. Iuſtitia indutus ſum, & veſtiui me ſicut veſtimẽto & diademate, iudicio meo. Oculus fui cœco, & pes claudo. Pater eram pauperum, & cauſam quam neſciebam, diligentiſsimè inueſtigabam. Conterebam molas iniqui, & de dentibus illius auferebam prædam. Et pauló pòſt: Si negaui, inquit, quod volebant, pauperibus, & oculos viduæ expectare feci: Si comedi buccellam meam ſolus, & non comedit pupillus ex ea: quia ab infantia mea creuit mecum miſeratio, & de vtero matris meæ egreſſa eſt mecum. Ad cuius pietatis & iuſtitiæ opus pertinet etiã hoc, quòd noſtram gentem per prædicatores, quos huc direxit, de dentibus antiqui hoſtis eripiens, æternæ libertatis fecit eſſe participem. Cuius fidei & ſaluti congaudens, quæque digna laude commendans, ipſe dicit in expoſitione beati Iob: Ecce rem, lingua Britanniæ quæ nihil aliud nouerat, quàm barbarũ frendere, iamdudum in diuinis laudibus Hebræũ cœpit Alleluia reſonare. Ecce quondam tumidus, iam ſubſtratus ſanctorum pedibus ſeruit Oceanus, eiuſq; Barbaros immites, quos terreni principes edomare nequiuerant, hos pro diuina formidine, ſacerdotum ora ſimplicibus verbis ligant: & qui cateruas pugnantiũ infideles nequaquam metuerent, iam nunc fideles humilium linguas timent. Qui enim perceptis cœleſtibus verbis, clareſcentibus quoq; miraculis virtus ei diuinæ cognitionis infunditur, eiuſdem diuinitatis terrore refrenatur, vt prauè agere metuat, ac totis deſiderijs ad æternitatis gratiam venire concupiſcat. Quibus verbis beatus Gregorius hoc quoq; declarat, quòd ſanctus Auguſtinus, & ſocij eius, non ſolùm prædicatione verborum, ſed etiam cœleſtium oſtenſione ſignorum, gentem Anglorum ad cognitionem veritatis perducebant. Fecit inter alia beatus Papa Gregorius, vt in Eccleſijs beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli ſuper corpora eorum [4] miſſæ celebrarentur. Sed & in ipſa miſſarum celebratione tria verba maximæ perfectionis plena [5] ſuperadiecit. Dieſq; noſtros in tua pace diſponas: atque ab æterna damnatione nos eripi, & in electorum tuorum iubeas grege numerari. Rexit autem Eccleſiam temporibus Imperatorum Mauritij & Focatis. Secundo autem eiuſdem Focatis anno tranſiens ex hac vita migrauit ad veram quæ in cœlis eſt vitam. Sepultus [6] verò eſt corpore in Eccleſia beati Petri Apoſtoli ante ſecretarium, die quarto Iduum Martiarum, quandoque in ipſo cum cæteris ſanctæ Eccleſiæ paſtoribus reſurrecturus in gloria. Scriptumque in tumba ipſius epitaphium huiuſmodi.

SVſcipe terra tuo corpus de corpore ſumptum.
  Reddere quod valeas, viuificante Deo.
Spiritus aſtra ſubit, leti nil iura nocebunt,
  Cui vitæ alterius mors magis ipſa via eſt.
Pontificis ſummi hoc clauduntur membra ſepulchro,
  Qui innumeris vixit ſemper vbique bonis.
Eſuriem dapibus ſuperauit, frigora veſte,
  Atque animas monitis texit ab hoſte ſacris.
Implebatque [7] actu quicquid ſermone docebat,
  Eſſet vt exemplum myſtica verba loquens.
Anglos ad Chriſtum vertit, pietate magiſtra,
  Acquirens fideique agmina agente noua.
Hic labor, hoc ſtudium, hæc tibi cura, hoc paſtor agebas,
  Vt Domino offerres plurima lucra gregis.
Hiſque Dei conſul factus lætale triumphis,
  Nam [8] mercedem operum iam ſine fine tenes.

Nec ſilentio prætereunda opinio, quę de beato Gregorio traditione maiorum ad nos vſq; perlata eſt: qua videlicet ex cauſa admonitus tam ſedulam erga ſalutem noſtræ gentis

4 Fecit D. Gregorius vt in Eccleſijs B. Apoſtolorũ Petri & Pauli ſuper corpora eorũ miſſæ celebrarentur.

5 Quod ſanctus pater hæc verba in Canone addiderit, non aſtruit hæreticorũ commentũ: miſſam videlicet eſſe nouitium inuentũ. Nã quo ad ſubſtãtialia, Miſſa eſt à Domino noſtro Ieſu Chriſto inſtituta, & non ab alio.

6 Sepultus eſt in Eccleſia B. Petri Apoſtoli ante ſecretarium.

7 Ecce vera prædicatio, implere actu quod verbis doces.

8 Vides ſanctos habere merita apud Deũ pro ſuis operibus, verùm ex illius gratia.

curam gesserit. Dicunt, quia die quadam, cùm aduenientibus nuper mercatoribus multa venalia in forum fuissent collata, multique ad emendum confluxissent, ipsum Gregorium inter alios aduenisse, ac vidisse inter alia pueros venales positos candidi coloris, ac venusti vultus, capillorum quoque forma egregia. Quos cùm aspiceret, interrogauit (vt aiunt) de qua regione vel terra essent allati. Dictumque est, quòd de Britannia insula, cuius incolæ talis essent aspectus. Rursus interrogauit, vtrum ijdem in ea Insula essent Christiani, an Paganis adhuc erroribus essent implicati. Dictum est, quòd essent Pagani. At ille intimo ex corde longa trahens suspiria: Heu proh dolor, inquit, quòd tam lucidi vultus homines tenebrarum autor possidet, tantaque gratia frontis speciei mentem ad internam gratiam vacuam gestat. Rursus ergo interrogauit, quod esset vocabulum gentis illius. Responsum est, quòd Angli vocarentur. At ille: Bene, inquit, nam & Angelicam habent faciem, & tales Angelorum in cœlis decet esse cohæredes. Quod habet nomen ipsa prouincia, de qua isti sunt allati? Responsum est, quod Deiri vocarentur ijdem prouinciales. At ille inquit: Bene Deiri, de ira eruti, & ad misericordiam Christi vocati. Rex prouinciæ illius quomodo vocatur? Responsum est, quòd Elle diceretur. At ille alludens ad nomen ait: Alleluia laudem Dei creatoris illis in partibus oportet cantari. Porrò accedens ad Pontificem Romanæ & Apostolicæ sedis (nondum enim erat ipse Pontifex factus) 9 rogauit, vt genti Anglorum in Britanniam aliquos verbi ministros, per quos ad Christum conuerterentur, mitteret: seipsum paratum esse in hoc opus Domino cooperante perficiendum, si tamen Apostolico Papæ hoc vt fieret placeret. Quod dum perficere non posset, quia etsi Pontifex concedere illi quod petierat voluit, non tamen ciues Romani, vt tam longè ab vrbe secederet, potuerunt permittere. Mox vt ipse pontificatus officio functus est, perfecit opus diu desideratum, alios quidem prædicatores mittens, sed ipse prædicationem, vt fructificaret, suis exhortationibus ac precibus adiuuans. Hæc iuxta opinionem, quæ ab antiquis accepimus, historiæ nostræ ecclesiasticæ inserere optimum duximus.

9 Gregorius rogauit Romanum Pontificem vt in Angliā prædicatores mitteret, quia ad ipsum tāquam ad Christi vicariū pertinet omnium Ecclesiarum cura.

Habetur in martyrologio eiusdem sub iiij. Idus Martij.

VITA SANCTI GREGORII PAPAE, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

ROMAE depositio sancti Gregorij Papæ, qui nobili genere liberalibus artibus eruditus est. Deinde defunctis parentibus sex in Sicilia monasteria 1 construens, septimum intra vrbis muros cōstituit. In quo ipse post secularem habitum multis fratribus aggregatis, sub Abbatis imperio strenuè militauit, & suæ nobilitatis lineā moribus extulit, probis actib⁹ decorauit. Nam qui antè sericis vestibus ac gemmis micantibus per vrbem solebat procedere trabeatus, pòst 2 vili contectus tegmine, ministrabat pauper ipse pauperibus. Quibus monasterijs tantum de redditibus prædiorum delegauit, quantum posset commorantibus ad quotidianū victum sufficere: reliqua verò 3 vendidit, ac pauperibus erogauit. Deinde coactus, & multum renitens, factus vrbis Romæ summus Pontifex, Anglorum gentem ad fidem conuertit, directis videlicet sui monasterij monachis, Melito, Augustino, atque Ioanne, & cum eis alijs plurimis fratribus.

1 Cùm sanctissimus Pontifex sex monasteria in Sicilia condiderit, sequitur quòd monasteria cōstruere sit opus Deo acceptum & gratum.

2 Ecce quomodo etiā vestimentorū vilitate antiqui monachi vtebātur

3 Vide Euangelicam paupertatem, quam exactissimè obseruarunt prisci religiosi.

Rexit autem gloriosissimè Romanam Ecclesiam annis tredecim, mensibus sex, & diebus decem. Augmentauit etiam in præcatione Canonis; diesque nostros in tua pace dispone.

VITA SANCTI PATRIS NOSTRI Gregorij Papæ Romani.

Per Simeonem Metaphrasten.

XII. Martij.

BEATVS Gregorius, qui sanctæ Dei Ecclesiæ Romanæ Pontifex fuit, antequam fieret Patriarcha, monachus erat in monasterio sancti Andreæ Apostoli, ad Cliuum Scauri, prope templum sanctorū martyrum Ioānis & Pauli. Atque illi quidē monasterio ipse præerat. Matrē verò habuit beatam Syluiam, quæ tunc iuxta portam S. Apostoli Pauli locum patriū, qui Cella noua dicitur, incolebat. Accidit vt cū in cellula ipse sua sederet, & scriberet, accesserit ad eum mendicus voce supplici: Miserere mei, inquiens, serue Dei altissimi, qui cùm essem nauis gubernator, naufragium feci, & aliena meaque perdidi. At ille, vti benignus in pauperes, ac verè Christi seruus, vocato procuratore, Da, inquit, frater, huic sex nummos

nummos aureos. Frater autem id quod seruus Dei Gregorius mandauerat, fecit, mendicoque pecuniam dedit. Eodem rursus die pauper idem ad beatum Gregorium venit: &, Miserere mei, inquit, serue Dei altissimi, qui cùm multa amiserim, parum abs te accepi. Beatus autem Gregorius ministrum suum iterum vocauit, dixitque, vt sex item nummos eidem pauperi numeraret. Ac frater quidem paruit. Sed pauper cùm acceptis duodecim nummis discessisset, ad beatum Gregorium paulò pòst redijt eodem die: Miserere, inquiens, mei, serue Dei altissimi, & aliquid rursum elargire, quoniam magnam iacturam feci. Procuratore tertiùm accersito: Da frater, inquit, huic pauperi sex alios nummos. At ille respondens: Crede mihi pater, inquit, ne vnus quidem in arca relictus est nummus. Cui beatus Gregorius: Nónne aliud quicquam habes in promptuario, vt vas aliquod, aut vestimentum, quod pauperi largiaris? Nullum, respondit ille, vas habemus, præter argenteum illud, quod magna domina de more leguminibus plenum misit. Abi, inquit seruus Dei Gregorius, atque illud pauperi præbe. Frater autem fecit, quod sibi à beato Gregorio mandatum fuerat. Pauper igitur acceptis duodecim nummis, & vase argenteo, discessit.

Cùm autem in sanctissima & 1 maxima Dei Ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha: & quemadmodum Patriarcharum est consuetudo, quodam die thesaurario mandasset, vt duodecim pauperes ad mensam suam conuocaret, qui secum595 pranderent, paruit ille, ac pauperes conuocauit. Verùm cùm discubuissent cum Patriarcha, deprehensi sunt esse tredecim. Quamobrē accersito thesaurario: Nónne, inquit, mandaui tibi, vt duodecim vocares? Cur igitur tredecim vocasti præter sententiam meam? His ille auditis perterritus: Crede, inquit, mihi venerande Domine, duodecim sunt, nec alius quisquam, præter Patriarcham, tredecim vidit. Inter prandēdum igitur Patriarcha tertiumdecimum illum spectabat, qui in summo scamno considebat. Et ecce facies eius varias formas sumebat. Modò enim senex, modò adolescens illi videbatur. Itaq; cùm è mensa consurrexissent, beatus Gregorius, reliquis omnibus dimissis, tertiumdecimum illum, qui tam admirandus ipsi visus fuerat, manu apprehensum in cubiculum duxit, & allocutus est ad hunc modum: Adiuro te per magnam omnipotentis Dei virtutem, vt aperias mihi, qui sis, & quo nomine appelleris. Et ille: Cur, inquit, nomen meum quæris quod est admirabile? Ego sum pauper ille, qui ad te veni in mansionem sancti Andreæ Apostoli, ad Cliuum Scauri, cùm tu in cellula tua sederes, ac scriberes: cui duodenos dedisti nummos, & vas, quod tibi beata mater tua Syluia cum leguminibus miserat. Itaq; cùm perspicuum fuerit, te in cordis simplicitate, & patientia constantē permansisse, ex quo die mihi hæc tribuisti, constituit Dominus, vt Ecclesiæ sanctæ suæ, pro qua proprium etiam sanguinem effudit, Pontifex fieres, & Petri principis Apostolorum successor esses: vt posses omnibus, quod cuique opus foret, subministrare. Vnde, beatus inquit Gregorius, nosti tunc Dominum, vt ego Pontifex fierem, decreuisse? Quia, respondit, sum Dei Angelus omnipotentis, idcirco id noui. Et tunc Dominus misit me, vt animi tui propositum explorarem, & vtrum humanitate ductus, an ostentatione faceres eleemosynam. Quo beatus Gregorius audito timuit: neque enim antea eum Angelum esse cognouerat: & ideo cum illo, tanquam cum homine egerat, & locutus fuerat. Dixit autem Angelus Domini ad beatum Gregorium: Ne timeas, misit enim me Deus, vt tecum verser in hac vita.

1 Nota, Cùm in sanctissima & maxima Dei Ecclesia veteris Romæ creatus esset Patriarcha.

Quod ille cùm audisset, humi prostratus in faciem suam, adorauit Dominum: Si propter exiguam hanc, inquiens, ad promerendum animi propensionem tantum benignitatis cumulum clementissimus Dominus declarauit, vt Angelum suum mitteret, qui mei in perpetuum custos esset, quænam eorum futura est gloriæ magnitudo, qui mandatis eius obtemperabunt, & iustitiam colent? Verax enim est ille qui dixit: Iudicio misericordiam præstare: & Deo fœnerari eum qui pauperis miseretur. Quinetiam ipse Dominus Angelorum, qui salutis hominum autor est, eos qui à dexteris erunt collocati, sic alloquetur: Venite benedicti patris mei, paratam vobis à mundi constitutione suscipite regni hæreditatem: Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: Sitiui, & dedistis mihi bibere: Hospes eram, & collegistis me: Æger, & visitastis me: Nudus, & operuistis me: In carcere, & venistis ad me. Quatenus enim fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Quam quidem beatam vocem vtinam audiamus nos omnes, qui hæc vel legimus, vel audimus: & consequamur ea bona sempiterna, quæ parauit Deus ijs à quibus diligitur: per gratiam, atque humanitatem Domini nostri Iesu Christi: Cui gloria in secula seculorum. AMEN.

DE INUNDATIONE TYBERIS, ET DE beato Gregorio Papa.

Ex libro decimo historiarum D. Gregorij Turonensis.

ANNO igitur quintodecimo Childeberti, Diaconus noster ab vrbe Roma cum sanctorum pignoribus veniens retulit, quòd anno superiore, mense nono, tanta inundatione Tyberis fluuius vrbem Romam obtexerit, vt ædes antiquæ diruerentur. Horrea etiam Ecclesiæ subuersa sunt, in quibus nonnulla millia modiorum tritici periêre. Multitudo quoque serpentium cum magno dracone in modum trabis validæ, per huius fluuij alueum in mare descendit. Sed suffocatæ bestiæ inter salsos maris & turbidos fluctus, littori eiectæ sunt. Subsecutaque est è vestigio clades, quam inguinariam vocant. Nam medio mense xi. adueniens, primum omnium, iuxta illud quod in Ezechiele propheta legitur: A sanctuario meo incipite: Pelagium Papam perculit. Quo defuncto, magna strages populi hoc morbo facta est. Sed quia [1] Ecclesia Dei absque rectore esse non poterat, Gregorium Diaconum plebs omnis elegit.

1 *Vide Papam rectorē esse Ecclesiæ Dei.*

Hic enim de Senatoribus primus, ab adolescentia deuotus Deo, in possessionibus proprijs sex in Sicilia monasteria congregauit, septimum intra vrbis Romæ muros instituit, tantam illis delegans terrarum copiam, quanta ad victum quotidianum præbendum sufficeret. Reliqua vendidit cum omni præsidio domus, ac pauperibus erogauit. Et qui antè serico contectus, ac gemmis micantibus solitus erat per vrbem procedere trabeatus, nunc tenui contectus vestitu, ad altaris Dominici ministerium consecratur, septimusque Leuita ad adiutorium Papæ asciscitur. Tanta insuper ei abstinentia [2] in cibis, vigilantia in orationibus, strenuitas in ieiunijs erat, vt infirmato stomacho vix consistere posset. Literis Grammaticis, Dialecticisque, ac Rhetoricis ita est institutus, vt nulli in vrbe ipsa putaretur esse secundus. Hunc apicem attentius fugere tentans, ne quod prius abiecerat, rursum accipiendo, de adepto honore iactantia quædam subreperet, epistolam ad Imperatorem Mauritium dirigit, cuius filium ex lauacro sancto susceperat, contestans eum, & multa prece deposcens, ne vnquam consensum præberet populis, vt se huius honoris gloria sublimarent. Sed Præfectus vrbis Romæ germanus eius anticipauit nuncium, & comprehenso eo, ac disruptis epistolis, consensum quem populus præbuerat, Imperatori direxit. At ille gratias Deo agens pro amicitia ipsius Diaconi, quòd tanti honoris locum reperisset, facta præceptione ipsum iussit institui. Cumque in hoc esset, vt benediceretur, & lues populum deuastaret, verbum ad plebem pro agenda pœnitentia in hunc modum exorsus est.

2 *Ecce abstinētia, orationes, & ieiunia magni Pontificis Gregorij.*

ORATIO BEATI GREGORII Papæ ad plebem.

OPortet, fratres dilectissimi, vt flagella Dei, quæ metuere ventura debuimus, saltem præsentia & experta timeamus. Conuersionis nobis aditum dolor aperiat, & cordis nostri duritiam ipsa, quam patimur, pœna dissoluat. Vt enim propheta teste prædictum est: Peruenit gladius vsque ad animam. Ecce etenim cuncta plebs cœlestis iræ mucrone percutitur, & repentina singuli cæde vastantur, nec languor mortem præuenit, sed languoris moras, vt cernitis, mors percutit. Percussus quisque antè rapitur, quàm ad lamenta pœnitentiæ conuertatur. Pensate ergo qualis ad conspectum districti Iudicis peruenit, cui non vacat flere quod fecit. Habitatores quique non ex parte subtrahuntur, sed pariter corruunt, domus vacuæ relinquuntur, filiorum funera parētes aspiciunt, & sui eos ad interitum hæredes præcedunt. Vnusquisque ergo nostrum ad pœnitentiæ lamenta confugiat, dum flere ante percussionem vacat. Reuocemus ante oculos mentis quicquid errando commisimus, & quod nequiter egimus, flendo puniamus. Et præueniamus faciem eius in confessione, & sicut Propheta admonet, leuemus corda nostra cum manibus ad Deum. Ad Deum quippe corda cum manibus leuare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere. Dat profectò, dat tremori nostro fiduciam, qui per Prophetam clamat: Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Nullus autem de iniquitatum suarum immanitate desperet: veternosas namque Niniuitarum culpas triduana pœnitentia abstersit, & conuersus latro vitæ præmia etiam in ipsa sententia suæ mortis emeruit. Mutemus igitur corda, & præsumamus nos iam percepisse quod petimus. Citius ad precem Iudex flectitur, si à prauitate sua petitor corrigatur. Imminente ergo tantæ animaduersionis gladio, nos importunis fletibus insistamus. Ea namque quæ ingrata esse hominibus importunitas solet, iudicio veritas placet, quia pius & misericors Deus

vult

vult à se precibus veniam exigi, qui quantum meremur non vult irasci. Hic etenim per Psalmistam dicit: Inuoca me in die tribulationis tuæ, eripiam te, & magnificabis me. Ipse ergo sibi testis est, quia inuocãtibus misereri desiderat, qui admonet vt inuocetur. Proinde fratres charissimi, contrito corde, & correctis operibus, ab ipso feriæ quartæ primo diluculo, septiformen litaniã 3 iuxta distributionem inferius designatã, deuota ad lachrymas mente veniamus, vt districtus iudex cùm culpas nostras nos punire considerauit, ipse à sententia propositę dãnationis parcat. Clerus igitur egrediatur ab Ecclesia sanctorũ martyrum Cosmæ & Damiani, cum presbyteris regionis sextæ. Omnes verò Abbates cum monachis suis, ab Ecclesia sanctorũ martyrũ Geruasij & Prothasij cũ presbyteris regionis quartæ. Omnes Abbatissæ cum congregationibus suis, egrediantur ab Ecclesia sanctorum martyrũ Marcellini & Petri cũ presbyteris regionis primæ. Omnes infantes ab Ecclesia sanctorũ martyrũ Ioannis & Pauli cum presbyteris regionis secũdæ. Omnes verò laici ab Ecclesia Protomartyris Stephani cũ presbyteris regionis septimæ. Omnes mulieres viduæ ab Ecclesia sanctæ Euphemiæ cũ presbyteris regionis quintæ. Omnes autẽ mulieres coniugatæ egrediantur ab Ecclesia sancti martyris Clementis cum presbyteris regionis tertiæ. Vt de singulis Ecclesijs exeũtes cum precibus & lachrymis, ad beatę Mariæ semper virginis genitricis Domini nostri Iesu Christi basilicã cõgregemur, vt ibi diutius cũ fletu ac gemitu Dominum supplicantes, peccatorum nostrorum veniam promereri valeamus.

3 Vide antiquissimũ vsum litaniarum.

Hæc cùm dixisset, congregatis clericorum cateruis psallere iussit per triduum, ac deprecari Domini misericordiam. Hora igitur tertia veniebant omnes chori psallentium ad Ecclesiam, clamantes per plateas vrbis, Kyrie eleison. Asserebat autem diaconus noster qui aderat, in vnius horæ spatio, dum voces plebs ad Dominũ supplicationis emisit, octoginta homines ad terram corruisse, & spiritum exhalasse. Sed non destitit sacerdos tantus prædicare populo, ne ab oratione cessarent. Ab hoc etiam Diaconus noster reliquias sanctorũ, vt diximus, sumpsit, dum adhuc in diaconatu degeret. Qui cùm post electionem latibula fugæ prępararet, capitur, trahitur, & ad beati Apostoli Petri basilicam deducitur, ibiq; ad Pontificalis gratiæ officium consecratus, Papa vrbi datus est. Sed noluit Diaconus noster nisi post Episcopatum eius confirmatum redire, & nisi prius qualiter ordinatus esset, præsenti contemplatione suspiceret.

VITA BEATI ISIDORI HISPALENSIS EPIscopi, per D. Braulium Cæsaraugustanum Antistitem descripta.

ISIDORVS vir egregius, Hispalensis Ecclesiæ Episcopus, Leandri Episcopi successor & germanus, floruit à tempore Mauritij Imperatoris & Recaredi Regis, in quo quicquam sibi antiquitas vendicauit: Imò verò tempus antiquitatis in eo scientiam imaginauit. Vir in omni genere locutionis famatus, & peritus, doctusq; qualitate sermonis existens & apertus. Congrua verò oportunitate loci incomparabiliter eloquentia clarus. Iam verò quãtus sapiẽtia fuerit, ex eius diuersis studijs, & elaboratis opusculis, perfacilè prudẽs intelligere potest. Deniq; de his quę ad nostrã notitiam peruenerunt, ista commemorabo.

Habetur in fine operis eiusdem Isidori de viris illustribus nondum typis excusi.

Edidit enim libros differentiarum duos, quibus subtili discretione ea quæ confusè vsu præferuntur, sensu discreuit. Procemiorũ librũ vnum, in quo quid quisque sanctæ scripturæ liber cõtineat, breui subnotatione distinxit. De ortu & obitu patrum, in quo gesta, dignitatemque, & mortẽ eorum atque sepulturã sententiali breuitate subnotauit. Ad germanũ suum Fulgentiũ Astigitanũ Episcopum, officiorũ libros duos, in quibus originẽ officiorũ, cur vnumquodq; in Ecclesia Dei agatur tempore suo, non sine maiorũ autoritate elicuit. Synonymorũ libros duos, in quibus ad consolationẽ animi, & ad spem percipiẽdæ veniæ, intercedente rationis exhortatione erexit. De natura rerum ad Sisebutũ Regem, vnum, in quo tam de Ecclesiasticorũ doctorum, quàm etiã de philosophorũ indagine, obscura quædam de electione absoluit. De numeris librũ vnum, in quo Arithmeticã, propter numeros Ecclesiasticis scripturis insertos, & ex parte tetigit disciplinam. De nominibus legis & Euangeliorum librũ vnum, in quo ostendit quid memoratæ personæ mysterialiter significent. De hæresibus librum vnum, in quo maiorũ secutus exempla, breuitate qua potuit, diffusa collegit. Sententiarum libros tres, quos floribus ex libris Papę Gregorij Moralibus decorauit. Chronicorum à principio mundi vsque ad tempus suum, librum vnum, nimia breuitate collectum. Contra Iudæos postulãte Florentia germana sua, proposito virgine, libros ij. in quibus omnia quæ fides Catholica credit & legit, etiam Prophetarum testimonijs approbauit. De viris illustribus librum vnum, cui nos ista subiungimus. Monasticæ

regulæ librum vnum, quem pro patriæ vsu, & inualidorũ animis decentissimè temperauit. De origine Gothorum, & regno Sueuorum, & etiam Vandalorum historiæ librũ vnum. Quæstionum libros duos, quos qui legit, veterum tractatorum multam suppellectilem recognoscit. Etymologiarum codicem nimiæ magnitudinis, distinctum ab eo titulis non libris: quem quia rogatu meo fecit, ego in viginti libris diuisi, quos omnes omnimodæ philosophię repleta, quisquis crebra meditatione perlegerit, non ignorabit diuinarum humanarumque rerum scientiam: Et meritò, est enim ibi redundans diuersarum artium elegantia, vbi quæcunque fert scribi, restricta collegit.

Sunt autem alia huius viri opuscula multa in Ecclesia Dei cum ornamento inscripta. Quem Deus post tot defectus Hispaniæ nouissimis temporibus suscitans, credo ad restauranda antiquorũ munimenta, ne vsquequaque rusticitate veterasceremus, quasi quandam lucem apposuit destinari, cui non immeritò illud philosophicũ à nobis appropriatur: Nos, inquit, in nostra vrbe peregrinantes errantesque quasi hospites, tui libri tanquam domum reduxerunt, vt possimus aliquando, qui, & vbi essemus, agnoscere. Tu autem patrię in descriptione temporum & sacrorũ viris sacerdotum, tu domesticam publicam disciplinam, tu sedium, regionum, locorum, tu omnium diuinarum humanarumq; rerum nomina, genera, officia, causas aperuisti. Quanto verò flumine eloquentiæ, & quot iaculis diuinarum scripturarum seu patrum testimonijs, Acephalitarum hæresim confuderit, synodalia gesta coram eo specialiter acta declarant, quæ contra Gregorium præfatæ hæresim Antistitem eam asserunt veritatem. Obijt temporibus Heraclij Imperatoris, & Christianissimi Scintillani regis, summa doctrina præstantior cunctis, & copiosior operibus charitatis.

VITA VILBRORD SERVI DEI IN FRESIA EPIscopi, & duorum sanctorum martyrum Heuuold nomine, apud Fresones, per venerabilem Bedam Presbyterum conscripta.

Habetur libr. 5. histor. Eccles. Anglicanę eiusdem capite 10.

CVM viueret adhuc venerabilis, & cum omni honorificentia nominandus famulus Christi & sacerdos Ecgberecht, quẽ in Hibernia insula peregrinã ducere vitam pro adipiscenda in cœlis patria retulimus, proposuit animo pluribus prodesse, id est, inito opere Apostolico verbũ Dei aliquibus eorum qui nondum audierant gentibus euangelizando committere. Quorum in Germania plurimas nouerat esse nationes, à quibus Angli, vel Saxones, qui nunc Britanniã incolunt, genus & originẽ duxisse noscuntur. Vnde hactenus à vicina gente Britonũ, corrupti Germani nuncupãtur. Sunt autẽ Fresones, Rugini, Dani, Hunni, antiqui Saxones Boruchtuarij. Sunt alij perplures ijsdẽ in partibus populi, paganis adhuc ritibus seruientes, ad quos venire præfatus Christi miles, circumnauigata Britannia disposuit: si quos fortè ex illis ereptos sathanæ, ad Christũ transferre valeret: vel si hoc fieri nõ posset, Romam venire [1] ad videnda atque adoranda beatorum Apostolorum ac martyrum Christi limina cogitauit. Sed ne horũ aliquid perficeret, superna illi oracula simul & opera restiterunt. Siquidẽ electis socijs strenuissimis, & ad prædicandũ verbum idoneis, vtpote actione simul & eruditione præclaris, pręparatis omnibus, quæ nauigãtibus esse necessaria videbantur, venit die quadam mane primò ad eum vnus de fratribus, discipulus quondam in Britannia, & minister Deo dilecti sacerdotis Boisil, cùm esset idem Boisil præpositus monasterij Mailrosensis sub Abbate Eata, referens ei visionem, quę sibi eadem nocte apparuisset. Cùm expletis, [2] inquit, hymnis matutinalibus, in lecto membra posuissem, ac leuis mihi somnus obrepsisset, apparuit magister quondam meus, & nutritor amantissimus Boisil, interrogauitque me, an eum agnoscere possem? Aio: Etiam, tu es Boisil. At ille: Ad hoc, inquit, veni, vt responsum Domini Saluatoris Ecgberechto adferam, quod te tamen referente, oportet ad illum venire. Dic ergo illi: quia non valet iter quod proposuit implere: Dei enim voluntas est, vt ad Columbę monasteria magis docendo pergat. Erat autẽ Columba primus doctor fidei Christianæ transmontanis Pictis ad Aquilonem, primusque fundator monasterij, quod in Hu insula multis diu Scotorum, Pictorumq; populis mansit venerabile: qui videlicet Columba nunc à nonnullis cõposito à cella & columba nomine, Coluncella vocatur. Audiens autem verba visionis Ecgberecht, præcepit fratri qui retulerat, ne cuiquam hæc alteri referret, ne fortè illusoria esset visio: Ipse autem tacitus rem considerans, veracẽ esse timebat. Nec tamen à parando itinere, quo ad Gentes docendas iret, cessare volebat. At post paucũ rursum venit ad eum præfatus frater, dicens: quia [3] & ea nocte sibi post expletos matutinos Boisil per visum apparuerit, dicens: Quare tam negligenter & tepidè dixisti Ecgberechto, quæ tibi dicenda præcepi? At nunc vade, dic illi: quia

1 Ecce peregrinationis ad limina Apostolorum Petri & Pauli antiquissimus vsus.

2 Expletis hymnis matutinalibus, vides quod horæ canonicæ tam nocturnæ quàm diurnæ semper fuerunt in Ecclesia.

3 Et ea nocte sibi post expletos matutinos Boisil per visum ei apparuit

quia velit, nolit, debet ad monaſteria Columbæ venire, quia aratra eorum non rectè incedunt. Oportet autem eũm ad rectum hæc tramitem reuocare. Qui hæc audiens, denuò præcepit fratri, ne hæc cuiquam patefaceret. Ipſe verò tametſi certus eſt factus de viſione, nihilominus tentauit iter diſpoſitum cum fratribus memoratis incipere.

Cumq; iam naui impoſuiſſent quæ tanti itineris neceſsitas poſcebat, atque oportunos aliquot diebus ventos expectarent, facta eſt nocte quadam tam ſæua tempeſtas, quòd perditis nonnulla ex parte his quæ in naui erant rebus, ipſam in latus iacentem inter vndas relinqueret. Saluata ſunt tamen omnia, quæ erant Ecgberechti & ſociorum eius. Tum ille quaſi propheticum illud dicens: Quia propter me eſt tempeſtas hæc, ſubtraxit ſe illi profectioni, & remanere domi paſſus eſt. At verò vnus de ſocijs eius vocabulo Victberecht, cùm eſſet & ipſe contemptu mundi, ac doctrinæ ſcientia inſignis (nam multos annos in Hibernia peregrinus anachoreticam in magna perfectione vitam egerat) aſcendit nauem, & Freſiam perueniens duobus annis continuis genti illi ac regi illius Redbedo verbum ſalutis prædicabat. Tunc reuerſus ad dilectæ locum peregrinationis, ſolito in ſilentio Domino vacare cœpit: Et quoniam externis prodeſſe ad finem non poterat, ſuis amplius ex virtutũ exemplis prodeſſe curabat. Vt autem vidit vir Domini Echberecht, quia nec ipſe ad prædicandum gentibus venire permittebatur, retentus ob aliam ſanctæ Eccleſiæ vtilitatem, de qua oraculo fuerat præmonitus, nec Victberecht illas deueniens in partes quicquam proficiebat, tentauit adhuc in opus verbi mittere viros ſanctos & induſtrios, in quibus Vilbrord presbyterij gradu, & merito perfulgebat. Qui cùm illò aduenissent (erant autem numero duodecim) diuertentes ad Pipinum ducem Francorum, gratanter ab illo ſuſcepti ſunt. Et quia nuper citeriorẽ Freſiã, expulſo inde Redbebo Rege ceperat, illò eos ad prædicandũ miſit, ipſe quoq; imperiali authoritate iuuãs, ne quis prædicãtibus quicquã moleſtiæ inferret, multiſq; eos qui fidem ſuſcipere vellent beneficijs attolliens. Vnde factũ eſt, opitulãte gratia diuina, vt multos in breui ab idololatria ad fidem cõuerterent Chriſti.

Ex cap. 11.

Horum ſecuti exempla duo quidam presbyteri de natione Anglorum, qui in Hibernia multo tempore pro æterna patria exulauerant, venerunt ad prouinciã antiquorũ Saxonũ, ſi fortè aliquos ibidẽ prædicando Domino acquirere poſſent. Erant autẽ vnius ambo ſicut deuotionis, ſic etiam vocabuli. Nam vterque eorum appellabatur Heuuold, ea tamen diſtinctione, vt pro diuerſa capillorũ ſpecie, vnus niger, alter albus Heuuold diceretur. Quorum vterq; pietate religionis indutus, ſed niger Heuuold magis ſacrarum literarum erat ſcientia inſtructus. Qui venientes in prouinciam, intrauerunt hoſpitium cuiuſdam villici, petieruntq; ab eo vt tranſmitterentur ad ſatrapã qui ſuper eum erat, eò quòd haberẽt aliquid legationis & cauſæ vtilitatis, quod deberent ad illum perferre. Non enim habent Regem ijdem antiqui Saxones, ſed ſatrapas plurimos ſuæ gentis præpoſitos, qui ingruẽte belli articulo, emittant æqualiter ſortes, & quemcunq; ſors oſtẽderit, hunc tempore belli ducẽ omnes ſequuntur, huic obtemperant. Peracto autem bello, rurſum æqualis potentiæ omnes fiunt ſatrapæ. Suſcepit ergo eos villicus, & promittẽs ſe mittere eos ad ſatrapã qui ſuper ſe erat, vt petebãt, aliquot diebus ſecum retinuit. Qui cùm cogniti eſſent à Barbaris, quòd eſſent alterius religionis: nam & 4 pſalmis ſemper & orationibus vacabãt, & quotidie ſacrificiũ Deo victimæ ſalutaris offerebãt, habentes ſecum vaſcula ſancta, & tabulam altaris vice dedicatã, ſuſpecti ſunt habiti: quia ſi peruenirent ad Satrapam, & lequerentur cum illo, auerterent illum à dijs ſuis, & ad nouã Chriſtianæ fidei religionem transferrent, ſicque paulatim omnis eorum prouincia veterem cogeretur in nouam mutare culturam. Itaque rapuerunt eos ſubitò, & interemerunt: Album quidẽ Heuuoldum veloci occiſione gladij, Nigellum autem longo ſuppliciorum cruciatu, & horrenda membrorum omnium diſcerptione: quos interemptos in Rhenum proiecerunt. Quod cùm ſatrapa ille, quem videre volebant, audiſſet, iratus eſt valdè, quòd ad ſe venire volentes peregrini non permitterentur. Et mittens occidit vicarios illos omnes, vicumque incendio conſumpſit. Paſsi ſunt autem præfati ſacerdotes & famuli Chriſti quinto Nonarum Octobrium die.

4 Pſalmis ſemper & orationibꝰ vacabãt, & quotidie ſacrificium Deo victimæ ſalutaris offerebãt: habentes ſecum vaſcula ſancta, & altare portatile. Nota hic pſalmorũ & orationũ vſum: deinde Miſſam ſacrificium dici: poſtremo quod ad illam celebrandam, vos fuit ſemper ſacra vaſa habere

Nec martyrio eorũ cœleſtia defuêre miracula. Nam cùm perempta eorũ corpora amni, vt diximus, à Paganis eſſent iniecta, 5 contigit vt hæc contra impetum fluuij decurrentis per quadraginta ferè millia paſſuum ad ea vſq; loca, vbi illorũ eſſent ſocij, transferrentur. Sed & radius lucis permaximus, atque ad cœlum vſque altus, omni nocte ſuper locum fulgebat illum, vbicunque ea perueniſſe contingeret, & hoc etiam Paganis, qui eos occiderãt, intuentibus. Sed & vnus ex eis in viſione nocturna apparuit cuidam de ſocijs ſuis, cui nomen erat Tilmon, viro illuſtri, & ad ſeculum quoque nobili, qui de milite factus fuerat monachus, indicãs quòd eo loci corpora eorum poſſet inuenire, vbi lucem de cœlo terris radiaſſe cõſpiceret. Quod ita completum eſt. Inuenta autem eorum corpora 6 iuxta honorem martyribus condignum recondita ſunt, & dies paſsionis eorum vel inuentionis

5 Signa hæc à Deo exhibita poſt mortem ſanctorũ circa eorũ corpora, euidẽtia indicia ſunt ſplendoris & innocẽtiæ eorum, & quod dum viuerent, ſpiritus ſancti gratiam in ſe habitantem habuerint.

6 Corpora eorum iuxta honorẽ mar-

tyribus cōdignum recondita sunt, & dies passionis vel inuentionis eorum congrua illis in locis veneratione celebratur.

7 Pipinus etiā corpora hæc cum magna gloria in Ecclesia Coloniensi condidit.

* Ex cap. 12.

8 Vilbrord voluit habere licentiā & benedictionem à Roma Pōtifice, vt in Fresia prædicaret quia ad ipsum pertinet cura omnium Ecclesiarū.

9 Habes hic templorū ædificationem, atque in honorem sanctorum, illorum dedicationem & reliquiarū sanctarum in eis depositionē, quoniā sine illis templa minimè consecrantur.

congrua illis in locis veneratione celebratur. Denique gloriosissimus Dux Francorum Pipinus, vbi hæc comperit, misit, & 7 adducta ad se eorum corpora condidit cum magna gloria in Ecclesia Coloniæ ciuitatis iuxta Rhenum. Fertur autem quia in loco, in quo occisi sunt, fons ebullierit, qui in eodem loco vsque hodie fluenti sui dona perfundat.

* Primis sanè temporibus aduentus eorū in Fresiam, mox vt comperit Vilbrord datam sibi à principe licentiam ibidem prædicandi, accelerauit venire Romam, cuius sedi Apostolicæ tunc Sergius Papa præerat, vt 8 cum eis licentia & benedictione desideratū euangelizandi gentibus opus iniret, simul & reliquias beatorum Apostolorum ac martyrum Christi ab eo se sperans accipere, vt dum in gente prædicaret, destructisque idolis Ecclesias 9 institueret, haberet in promptu reliquias sanctorum, quas ibi introduceret, quibusq; ibidem depositis consequēter in eorum honorem, quorum essent illæ, singula quæq; loca dedicaret. Sed & alia perplura, quæ tanti operis negotiū quærebat, vel ibi discere, vel inde accipere cupiebat. In quibus omnibus cùm sui voti compos esset effectus, ad prædicādum rediit. Quo tempore fratres, qui erant in Fresia, verbi ministerio mancipati, elegerunt ex suo numero virum modestum moribus, & mansuetum corde Suidberechtum, qui eis ordinaretur Antistes. Quem in Britanniā destinatum ad petitionē eorū ordinauit Reuerendissimus Vilfrid Episcopus, qui tūc fortè patria pulsus in Merciorū regionibus exulabat. Non enim eo tempore habebat Episcopum Cantua, defuncto quidem Theodoro, sed necdū Berechtualdo successore eius, qui trans mare ordinandus ierat, ad sedē Episcopatus sui reuerso. Qui videlicet Suidberchtus accepto Episcopatu, de Britannia regressus, non multò pòst ad gentem Goruchtuariorum secessit, ac multos eorum prædicando ad vitam veritatis perduxit. Sed expugnatis non longo pòst tempore Boruchtuariis à gente antiquorum Saxonum, dispersi sunt quolibet hi qui verbum receperant, ipseque Antistes cum quibusdā Pipinū petiit. Qui interpellante Blichdride coniuge sua, dedit ei locū mansionis in Insula quadā Rheni, quæ lingua eorū vocatur in litore. In qua ipse constructo monasterio, quod hactenus hæredes possident eius, aliquandiu continentissimam gessit vitam, ibique diem clausit vltimum. Postquam verò per annos aliquot in Fresia, qui aduenerant, docuerunt, misit Pipinus, fauente omniū consensu, virum venerabilē Vilbrordū Romam, cuius adhuc pontificatū Sergius habebat, postulans vt idem Fresonū genti Archiepiscopus ordinaretur. Quod ita vt petierat impletū est, anno ab incarnatione Domini sexcentesimo nonagesimo tertio. Ordinatus 10 est autem in Ecclesia sanctę martyris Ceciliæ, die natalis eius, imposito sibi à Papa memorato nomine Clemens. Ac mox remissus est ad sedem Episcopatus sui, id est, pòst dies quatuordecim, ex quo in vrbem venerat. Donauit autem ei Pipinus locum Cathedrę Episcopalis in castello suo illustri, quod antiquo gentium illorum vocabulo Viltaburg, id est, oppidum Filtorum, lingua autem Gallica, Traiectum vocatur. In quo ædificata Ecclesia reuerendissimus Pontifex, longè lateq; verbum fidei prædicans, multosque ab errore reuocans, pluresque 11 per illas regiones Ecclesias, sed & monasteria nonnulla cōstruxit. Nam non multò pòst alios quoq; illis in regionibus cōstituit ipse Antistites ex eorū numero fratrū, qui vel secum, vel post se illò ad prædicandum venerant. Ex quibus aliquanti iam dormierūt in Domino. Ipse autem Vilbrord cognomēto Clemens adhuc superest, longa iam venerabilis ætate, vtpote tricesimum & sextum in Episcopatu habens annum, & post multiplices militiæ cœlestis agones, ad præmia remunerationis supernæ tota mente suspirans. His temporibus miraculum memorabile & antiquorum simile in Britannia factū est. Namq; ad excitationē viuentium de morte animę, quidam aliquandiu mortuus ad vitam resurrexit corporis, & multa memoratu digna quæ viderat narrauit. E quibus hîc aliqua breuiter perstringenda esse putaui. Erat paterfamiliâs in regione Nordamhimbrorū, quę vocatur Incuniningū, religiosam cum domo sua gerens vitam. Qui infirmitate corporis tactus, & hac crescente per dies, ad extrema perductus, primo tempore noctis defunctus est: sed diluculo reuiuiscens, ac repente residens, omnes qui corpori flentes adhæserant, timore immenso percussos in fugam conuertit. Vxor tantùm, quæ eum amplius diligebat, quamuis multum tremens, & pauida, remansit. Quam ille consolatus: Noli, inquit, timere, quia iam verè surrexi à morte qua tenebar, & apud homines sum iterum viuere permissus. Non tamen ea mihi, qua antè consueueram, conuersatione, sed multum dissimili ex hoc tempore viuendum est. Statimq; surgens, abiit ad villulæ oratoriū, & vsque ad diem in oratione persistens, mox omnem quam possederat substantiam, in tres diuisit portiones, è quibus vnā coniugi, alteram filiis tradidit, tertiam sibi ipsi retentam statim pauperibus distribuit. Nec multò pòst seculi curis absolutus, ad monasterium Mailros, quod Tuidi fluminis circunfluxu magna ex parte clauditur, peruenit, acceptaque tonsura, locum secretæ mansionis quam præuiderat Abbas, intrauit, & ibi vsq; ad diem mortis in tanta mentis & corporis contritione durauit, vt multa illum, quæ alios

10 Ordinatus est in Ecclesia sanctæ Ceciliæ martyris in die natalis eius.

11 Vides primum esse signū receptæ fidei tēplorum & monasteriorū ædificationem?

Ex cap. 13.

alios laterent, vel horrenda, vel desideranda vidisse, etiamsi lingua sileret, vita loqueretur.

Narrabat autē hoc modo quod viderat: Lucidus, inquiens, aspectu, & clarus erat indumento, qui me ducebat. Incedebamus autem tacentes, vt videbatur mihi, contra ortum solis solstitialem. Cumque ambularemus, deuenimus ad vallem multæ latitudinis ac profunditatis, infinitæ autem longitudinis, quæ ad leuam nobis sita, vnum latus flammis feruentibus nimium terribile, alterum furenti grandine ac frigore nimium omnia perflante atque vrente, nō minus intolerabile præferebat. Vtrunque autē erat animabus hominum plenum, quæ vicissim hinc inde videbantur quasi tempestatis impetu iactari. Cùm enim vim feruoris immensi tolerare non possent, prosiliebant miseræ in mediū frigoris infesti. Et cùm neque ibi quicquā requiei inuenire valerent, resiliebant rursus vrendę in medium flammarum inextinguibilium. Cumque hac infelici vicissitudine longè lateque, prout aspicere poteram, sine vlla quietis intercapedine innumerabilis spirituum deformium multitudo torqueretur, cogitare cœpi, quòd hic fortasse esset infernus, de cuius tormentis intolerabilibus narrare sæpius audiui. Respondit cogitationi meæ ductor, qui me præcedebat: Non hoc, inquiens, suspiceris: *non enim hic infernus est ille, quem putas.

** Heus tu qui negas esse locū purgatorium, in quo post mortē animæ defunctorum luāt pœnas peccatorū, quid dicis hoc in loco? Fortè respondeas nō vocari hic purgatorium locum. At vide paulò infra vbi ductor serui Dei declarās ei omnia visa, expresse dicit hunc locum esse examinandarū & castigandarū animarum. quæ tamen in die iudicij ad regnum cœlorum peruenient.*

At cùm me hoc spectaculo tam horrendo perterritū paulatim in vlteriora produceret, vidi subitò ante nos obscurari incipere loca & tenebris omnia repleri. Quas cùm intraremus, intantum paulisper condensatæ sunt, vt nihil præter ipsas aspicerem, excepta duntaxat specie & veste eius qui me ducebat. Et cùm progrederemur sola sub nocte per vmbras, ecce subitò apparent ante nos crebri flammarum tetrarum globi ascendentes quasi de puteo magno, rursumq; decidētes in eundē. Quò cùm perductus essem, repentè ductor meus disparuit, ac me solum reliquit in medio tenebrarum, & horrendæ visionis. At cùm globi ignium sine intermissione modò alta peterēt, modò ima barathri repeterent, cerno omnia quæ ascendebant fastigia flammarum plena esse spiritibus hominū, qui instar fauillarum cum fumo ascendentium, nunc ad sublimiora procederent, nunc retractis ignium vaporibus relaberentur in profundū. Sed & fœtor incomparabilis cum eisdem vaporibus ebulliens, omnia illa tenebrarum loca replebat. Et cùm diutius ibi pauidus consisterem, vtpote incertus quid agerem, quò verterē gressum, quiue mihi finis maneret, audio subitò post terga sonitum immanissimi fletus ac miserrimi, simul & cachinnum crepitātem quasi vulgi indocti captis hostibus insultantis. Vt autem sonitus idem clarior redditus ad me vsque peruenit, considero turbam malignorum spirituum, quæ quinque animas hominum merentes eiulantesq;, ipsa verò multum exultās & cachinnans medias illas trahebat in tenebras. E quibus videlicet hominibus, vt dignoscere potui, quidā erat attōsus vt clericus, quidā laicus, quædā fœmina. Trahentes autē eos maligni spiritus, descenderūt in medium barathri illius ardentis. Factumq; est vt cùm longius subeuntibus eis fletū hominum, & risum dæmoniorū clarè discernere nequirem, sonū tantum adhuc promiscuum in auribus haberem. Interea ascenderunt quidā spirituum obscurorum de abysso illa flammiuoma, & accurrentes circundederunt me, atque oculis flammantibus, & de ore ac naribus ignem putridum efflantes angebant, forcipibus quoque igneis, quos tenebant in manibus, minitabantur me comprehendere, nec tamen me vllatenus contigêre, tametsi terrere præsumebant. Qui cùm vndique versus in hostibus, & cæcitate tenebrarū conclusus, huc illucq; oculos circumferrem, si fortè aliundè quid auxilij quo saluarer adueniret, apparuit retro viam qua venerā, quasi fulg..r stellæ mica..tis inter tenebras, qui paulatim crescens, & ad me ociùs festinans: vbi appropinquauit, dispersi sunt, & aufugerunt omnes, qui me forcipibus rapere quærebant, spiritus infesti. Ille autem qui adueniens eos fugauit, erat ipse qui me antè ducebat. Qui mox conuersus ad dexterū iter, quasi contra ortum solis brumalem me ducere cœpit. Nec mora, exemptum tenebris in auras me serenæ lucis eduxit. Cumq; me in lucem apertam duceret, vidi ante nos murum permaximum, cuius neq; longitudini hinc vel inde, neque altitudini vllus esse terminus videretur. Cœpit autem mirari, quare ad murum accederemus, cùm in eo nullam ianuam, vel fenestrā, vel ascensum alicubi conspicerem. Cùm ergo peruenissemus ad murū, statim nescio quo ordine fuimus in summitate. Et ecce ibi erat campus latissimus ac lætissimus, tantaque fragrantia vernantium flosculorum plenus, vt omnem mox fœtorem tenebrosæ fornacis qui me peruaserat, effugaret admirandi huius odoris suauitas. Tanta autē lux cuncta ea loca perfuderat, vt omni splendore diei siue solis meridiani radijs videretur esse prçclarior. Erantq; in hoc campo nimia hominum albatorum conuenticula, sedesque plurimæ agminum lætantium. Cumq; inter choros feliciū incolarū medios me duceret, cogitare cœpi, quòd hoc fortasse esset regnum cœlorum de quo prædicare sæpius audiui. Respōdit ille cogitatui meo: Non, inquiens, hoc est regnum cœlorum, quod autumas. Cumq; procedentes transissemus ad has beatorum māsiones spirituum, aspicio ante nos multò maiorem luminis gratiam quàm prius, in qua

etiam vocem cantantium dulcissimam audiui, sed & odoris miri fragrantia tanta de loco effundebatur, vt is, quē antea degustās quasi maximum rebar, iam permodicus mihi odor videretur, sicut etiā lux illa campi florentis eximia in cōparatione eius, quæ nūc apparuit, lucis tenuissima prorsus videbatur & parua. In cuius amœnitate loci cùm nos intraturos sperarē, repentè ductor substitit. Nec mora, gressum retorquens, ipsa me via qua venimus reduxit. Cumq; reuersi perueniremus ad mansiones illas lætas spirituū candidatorū, dixit mihi: Scis quæ sunt ista omnia, quæ vidisti? Respondi ego: Non. Et ait: Vallis illa quam aspexisti flammis feruentibus, & frigoribus horrendā rigidis, ipse est locus, in quo examinandæ & castigandæ sunt animæ illorū, qui differentes confiteri & emendare scelera quæ fecerunt, in ipso tandem mortis articulo ad pœnitentiam confugiunt, & sic de corpore exeunt: qui tamen quia confessionē & pœnitentiā vel in morte habuerunt, omnes in die iudicij ad regnū cœlorum peruenient. Multos [12] autem preces viuentium, & eleemosynæ, & ieiunia, & maximè celebratio missarū, vt etiam ante diem iudicij liberentur, adiuuant. Porrò puteus ille flammiuomus, ac putridus, quem vidisti, ipsum est os gehennæ, in quo quicunque inciderit, nunquam inde liberatur in æuum. Locus verò iste florifer, in quo pulcherrimam hanc iuuentutem iucundari ac fulgere conspicis, ipse est, in quo recipiūtur animæ eorum, qui in bonis quidem operibus de corpore exeunt, non tamen sunt tantæ perfectionis, vt in regnum cœlorum statim mereantur introduci, qui tamen omnes in die iudicij ad visionem Christi, & gaudia regni cœlestis intrabunt. Nam quicunque in omni verbo, & opere, & cogitatione perfecti sunt, mox de corpore egressi, ad regnū cœlorum perueniunt, ad cuius vicinia pertinet locus ille, vbi sonum cantilenæ dulcis cum odore suauitatis, ac splendore lucis audisti. Tu autē qui nunc ad corpus reuerti, & rursum inter homines viuere debes, si actus tuos curiosius discutere, & mores, sermonesq; tuos in rectitudine ac simplicitate seruare studueris, accipies & ipse post mortem locū mansionis inter hæc quæ cernis agmina lætabunda spirituū beatorū. Namque ego cùm ad tempus abscessissem à te, ad hoc feci, vt quid de te fieri deberet, agnoscerē. Hæc mihi cùm dixisset, multū detestatus sum reuerti ad corpus, delectatus nimium suauitate ac decore loci illius quem intuebar, simul & consortio eorum, quos in illo esse videbam. Sed inter hæc nescio quo ordine, repentè inter homines me viuere cerno. Hæc & alia quæ viderat idē vir Domini, nō omnibus passim desidiosis, ac vitæ suæ incuriosis referre volebat, sed illis solummodo qui vel tormentorum metu perterriti, vel spe gaudiorum perennium delectati, profectum pietatis ex eius verbis haurire volebant. Denique in vicinia cellæ illius habitabat quidam monachus nomine Henigils, presbyteratus etiam, quem bonis operibus adornabat, gradu præeminens, qui adhuc superest, [13] & in Hibernia insula solitarius vltimam vitæ ætatem pane cibario & frigida aqua sustētat. Hic sæpius ad eundem virum ingrediens, audiuit ab eo, repetita interrogatione, quæ & qualia essent quæ exutus corpore viderat. Per cuius reuelationem ad nostram quoq; agnitionem peruenēre, quæ de his pauca perstrinximus. Narrabat autē visiones suas etiā Regi Alfrido, viro vndecunq; doctissimo, & tam libenter tamq; studiosè ab illo auditus est, vt eius rogatu in monasterio suprà memorato indutus, ac monachica sit tonsura coronatus, atq; ad eum audiendū sæpissimè, cùm illas in partes deuenisset, accederet. Cui videlicet monasterio religiosæ ac modestæ vitæ Abbas & presbyter Ediluald tempore illo præerat, qui nunc Episcopalem Lindisfarnensis Ecclesiæ cathedrā condignis gradu actibus tenet. Accepit autē in eodem monasterio locum mansionis secretiorem, vbi liberius continuis in orationibus famulatui sui conditoris vacaret. Et quia locus ipse super ripā fluminis erat situs, solebat hoc creber ob magnum castigandi corporis affectum ingredi, ac sæpius in eo supermeantibus vndis immergi, sicque ibidem quādiu sustinere posse videbatur, psalmis vel precibus insistere, fixusq; manere, ascendente aqua fluminis vsq; ad lumbos, aliquādo & vsque ad collum, atque inde egrediens ad terrā, nunquam ipsa vestimenta vda vel algida deponere curabat, donec ex suo corpore calefierent, & siccarentur. Cumq; tempore hyemali defluentibus circa eum semifractarū crustis glacierum, quas & ipse aliquando contriuerat, quo haberet locum standi siue immergendi in fluuio, dicerent, qui videbant: Mirū frater Drichelme (hoc enim erat viro nomen) quod tantam frigoris asperitatē vlla ratione tolerare præuales. Respōdebat ille simpliciter (erat namq; homo simplicis ingenij, ac moderatę naturæ) Frigidiora ego vidi. Et cùm dicerent: Mirumq; cur tam austeram tenere continentiam velis. Respondebat: Austeriora ego vidi. Sicq; vsque ad diem suæ vocationis infatigabili cœlestium bonorū desiderio, corpus senile inter [14] quotidiana ieiunia domabat, multisq; & verbo & cōuersatione saluti fuit. At cōtra fuit quidam in prouincia Merciorum, cuius visiones ac verba, nec non & conuersatio plurimis, sed non sibimet profuit. Fuit autem temporibus Cœnridi, qui post Edilredum regnauit, vir in laico habitu atque officio militari positus: sed quantum pro industria exteriori

12 Ecce quomodo suffragijs viuorū liberantur animæ à pœnis purgatorij, inter quæ maximè est Missarū celebratio.

13 In Hibernia insula solitarius vltimam vitæ ætatem pane cibario & frigida aqua sustentat.

14 Inter quotidiana ieiunia corpus senile domabat.

Ex cap. 14.

exteriori Regi placens, tantum pro interna suimet negligentia displicens. Admonebat ergo illum sedulò vt confiteretur, & emendaret ac relinqueret scelera sua, priusquam subitæ mortis superuentu tempus omne pœnitendi & emendãdi perderet. Verùm ille frequenter licet admonitus, spernebat verba salutis, seseque tempore sequenti pœnitentiam acturum esse promittebat. Hæc inter, tactus infirmitate, decidit in lectum, atque acri cœpit dolore torqueri. Ad quem ingressus Rex qui diligebat eum, multum hortabatur, vt vel tunc antequam moreretur, pœnitentiam ageret commissorũ. At ille respondit, non se tunc velle confiteri peccata sua, sed cùm ab infirmitate sua resurgeret, ne exprobrarent sibi sodales, quòd timore mortis faceret ea quæ sospes facere nolebat, fortiter quidem, vt sibi videbatur, loquutus, sed mirabiliter, vt pòst patuit, dæmoniaca fraude seductus. Cumq; morbo ingrauescente, denuò ad eum visitandum ac docendum Rex intraret, clamauit statim miserabili voce. Quid vis modò? quid huc venisti? non enim mihi aliquid vtilitatis, aut salutis potes vltrà conferre. At ille: Noli ita loqui, vide vt sanum sapias. Non, inquit, insanio, sed pessimã mihi conscientiã certus præ oculis habeo. Et quid, inquit, hoc est? Paulò antè, inquit, intrauerunt domũ hanc duo pulcherrimi iuuenes, & sederunt iuxta me, vnus ad caput, & vnus ad pedes, protulitq; vnus libellum perpulchrũ, sed vehementer modicum, ac mihi legẽdum dedit, in quo omnia quæ vnquã bona fecerã intuens scripta reperi, & hæc erant nimium pauca & modica. Receperunt codicem, neq; aliquid mihi dicebant. Tunc subitò superuenit exercitus malignorum & horrendorum vultu spirituum, domumque hanc & exterius obsedit, & intus maxima ex parte residens impleuit. Tunc ille qui & obscuritate tenebrosæ faciei, & primatu sedis maior esse videbatur eorum, proferens codicem horrendæ visionis, & magnitudinis enormis, & ponderis penè importabilis, iussit vni ex satellitibus suis mihi ad legendum deferre. Quem cùm legissem, inueni omnia scelera, non solùm quæ opere vel verbo, sed etiam quæ tenuissima cogitatione peccaui, manifestissimè in eo tetricis esse descripta literis, dicebatque ad illos, qui mihi adsederãt, viros albatos & præclaros: Quid hic sedetis, scientes certissimè, quia noster est iste? Responderunt: Verum dicitis, accipite, & in cumulum damnationis vestræ ducite. Quo dicto, statim disparuerunt, surgentesque duo nequissimi spiritus, habentes furcas in manibus, percusserunt me, vnus in capite, & alius in pede: qui videlicet modò cum magno tormento transfodiunt viscera mea, & interiora corporis mei penetrant, moxq; vt ad inuicem peruenient, moriar, & paratis ad rapiendum me dæmonibus, in inferni claustra pertrahar. Sic loquebatur miser desperans, & pòst non multò defunctus pœnitentiam, quam ad breue tempus cum fructu veniæ facere supersedit, in æternum sine fructu pœnis subditus facit. De quo constat, quia sicut beatus Papa Gregorius de quibusdam scribit, non pro se ista, cui non profuêre, sed pro aliis viderit: qui eius interitum cognoscentes, differre tempus pœnitentiæ, dum vacat, timerent, ne improuiso mortis articulo præuenti, impœnitentes perirent. Quòd autem codices diuersos per bonos, siue malos spiritus sibi vidit offerri, ob id superna dispensatione factum est, vt meminerimus facta & cogitationes nostras non in ventũ diffluere, sed ad examen summi Iudicis cuncta seruari, siue per amicos Angelos in fine nobis ostendenda, siue per hostes. Quòd verò prius candidum codicem protulerunt Angeli, deinde atrum dæmones: illi perparuum, isti enormem, animaduertendum est, quòd in prima ætate bona aliqua fecit, quæ tamen vniuersa prauè agendo iuuenis obnubilauit: Qui si econtrariò errores pueritiæ corrigere in adolescentia, ac benefaciendo à Dei oculis abscondere curasset, posset eorũ numero sociari, de quibus ait Psalmus: Beati quorũ remissę sunt iniquitates, & quorũ tecta sunt peccata.

Hanc verò sequẽtem historiam, sicut à venerabili Antistite Pectelmo didici, simpliciter ob salutem legentium siue audientium narrandam esse putaui. Noui autem ipse fratrem, quem vtinam non nossem, cuius etiam nomen, si hoc aliquid prodesset, dicere possem positum in monasterio nobili, sed ipsum ignobiliter viuentem. Corripiebatur quidem sedulò à fratribus, ac à maioribus loci ad castigatiorem vitam conuerti admonebatur: Et quãuis eos audire noluisset, tolerabatur tamen ab eis longanimiter ob necessitatẽ operum ipsius exteriorum: erat enim fabrili arte singularis. Seruiebat autem multum ebrietati, & cæteris remissioris vitæ illecebris, magisq; in officina sua die, noctuque residere, quàm ad 15 psallendũ aut orandum in Ecclesia, audiendumq; cum fratribus verbum vitæ concurrere consueuerat. Vnde accidit illi, quod solent dicere quidã: Quia qui nõ vult Ecclesiæ ianuam sponte humiliatus ingredi, necesse habet ianuam inferni non sponte damnatus introduci. (Ex cap. 15.)

(15 Ad psallendum & orãdum in Ecclesia. Ecce quod Eccesia etiam propter orationes fabricata est, nec tãtum propter auditionem verbi Dei.)

Percussus enim languore, atq; ad extrema perductus, vocauit fratres, & multum mœrẽs ac damnato similis, cœpit narrare quia videret inferos apertos, & Sathã demersum in profundis Tartari, Caiphamque cum cæteris qui occiderant Dominum, iuxta eum flammis vltricibus contraditum. In quorum vicinia, inquit, heu misero mihi, locum aspicio æternæ perditionis

perditionis esse præparatum. Audientes hæc fratres cœperunt diligenter exhortari, vt vel tunc positus adhuc in corpore, pœnitentiam ageret. Respondebat illi desperans: Non est mihi modò tempus mutandi vitam, cùm ipse viderim iudiciũ meum iam esse completum. Talia dicens: sine 16 viatico salutis obijt, & corpus eius in vltimis est monasterij locis humatum: neque 17 aliquis pro eo missas facere, vel psalmos cantare, vel saltem orare præsumebat. O quàm grandi distantia diuisit Dominus lucem à tenebris. Beatus protomartyr Stephanus passurus mortem pro veritate, vidit cœlos apertos, vidit gloriam Dei, & Iesum stantem à dexteris Dei: & vbi erat futurus ipse post mortem, ibi oculos mentis ante mortem, quò lætior occumberet, misit. At contrà faber iste tenebrosæ mentis, & actionis imminente morte, vidit aperta tartara, vidit damnationem diaboli, & sequacium eius, vidit etiam suum infelix inter tales carcerẽ, quò miserabilius ipse desperata salute periret, sed viuentibus qui hæc cognouissent, causam salutis sua perditione relinqueret. Factum est hoc nuper in prouincia Berniciorum, ac longè lateq; diffamatum multos ad agendam, & non differendam scelerum suorum pœnitudinem prouocauit. Quod vtinam ex hac etiam nostrarum lectione literarum fiat.

16 Sine viatico salutis obijt.
Vides quod morituris Christi fidelibus datur sanctissima Eucharistia.
17 Vides quòd pro animabus defunctorũ missæ fiunt, psalmi cantantur, & orationes funduntur?

VENERABILIS BEDAE PRESBYTERI VITA, per semetipsum conscripta, cum lubricationum suarum elencho.

Habetur in frõtispicio libri Homiliarum eius.

BEDA famulus Christi, & presbyter monasterij beatorum Apostolorum Petri & Pauli, quod est ad Vuerimode in Anglia, natus in territorio eiusdem monasterij, cùm essem annorum septem, cura propinquorũ datus sum educandus Reuerendissimo Abbati Benedicto, ac deinde Geolfrido, cunctumque ex eo tempus vitæ in eiusdem monasterij habitatione peragens, omnem meditandis scripturis operã dedi, atque inter 1 obseruantiã disciplinæ regularis, & quotidianã cantãdi in Ecclesia curã, semper aut discere, aut docere, aut scribere dulce habui. Nonodecimo autem vitæ meæ anno diaconatum, tricesimo gradum presbyteratus, vtrunque per ministerium Reuerendissimi Episcopi Ioannis, iubente Geolfrido Abbate suscepi, ex quo tempore suscepti presbyteratus vsque ad annum ætatis meæ quinquagesimum nonum, hæc in scripturam sanctam mea meorumq; necessitudine, ex opusculis venerabilium patrum breuiter annotare, siue etiam ad formam sensus & interpretationes eorum semper adijcere curaui. In principium mox Genesis vsque ad natiuitatem Isaac, & in alio libro, & electionem Israëlis & Ismahelis libros quatuor.

1 Inter obseruantiam disciplinæ regularis & quotidianam cãtandi in Ecclesia curam.

De tabernaculo & vasis eius, ac vestibus sacerdotum, libros quatuor.
Item in primam partem Samuelis, id est, vsque ad mortem Saulis, libros quatuor.
De ædificatione templi allegoricæ expositionis sicut & cætera, libros duos.
Item in Regum librum triginta quæstionum.
In prouerbia Salomonis libros tres.
In Cantica Canticorum libros septem.
In Esaiam, Danielem, duodecim Prophetas, & partẽ Hieremiæ, distinctiones capitulorum ex tractatu beati Hieronymi excerptas.
In Ezram & Neemiam libros tres.
In Canticum Abacuc librum vnum.
In librum beati patris Tobiæ explanationis allegoricę de Christo & Ecclesia, libros duos.
In Capitula lectionum in Pentatheucum Moysi, Iosue, Iudicum, in lib. Regum, & verba dierum, in librum beati patris Iob.
In Parabolas, Ecclesiasten, & Cantica canticorum.
In Esaiam prophetam. In Ezram quoque & Neemian.
In Euangelium Marci libros quatuor.
In Euangelium Lucæ libros sex.
In Homiliarum Euangelij libros duos.
In Apostolum, quæcunque in opusculis S. Augustini exposita inueni, cuncta per ordinem transcribere curaui.
In Actus Apostolorum libros duos.
In Epistolas septem catholicas libros singulos.
In Apocalypsim sancti Ioannis libros tres.
In Capitula lectionum in totum nouum Testamentum excepto Euangelio.
Item libro Epistolarum ad diuersos, quarum de sex ætatibus seculi vna est.
De mansionibus filiorum Israel vna.

De eo

De eo quod ait Esaias: Et claudentur tibi in carcere, & post dies multos visitabuntur, vna.
De ratione bissexti: &, De æquinoctio iuxta Anatholium, vna.
Item de historijs sanctorum.
Librum vitæ & passionis sancti Felicis Confessoris.
De metrico Paulini opere, in prosam transtuli.
Librum vitæ & passionis sancti Anastasij male de Græco translatum, & peius à quodam imperito emendatum, prout potui, ad sensum correxi.
Vitam sancti patris monachi simul & antistitis Gudberti, primùm Heroico metro, & postmodum sermone plano descripsi.
Historiam Abbatum monasterij huius, in quo supernę pietati deseruire gaudeo, Benedicti, Geolfridi, & Vuicberti in libellis duobus.
Historiam quoque Ecclesiasticam gentis nostræ in quinque libris.
Martyrologium de natalitijs sanctorum Martyrum diebus, in quo omnes quos inuenire potui, non solùm qua die, verùm etiam quo genere certaminis, vel sub quo Iudice mundum vicerint, diligenter annotare studui.
Librum Hymnorum diuerso metro siue rithmo.
Librum Epigrammatum Heroico metro siue Elegiaco.
De natura rerum, & de temporibus libros singulos.
Item de temporibus librum vnum maiorem.
Librum etiam de Orthographia, alphabeti ordine distinctum.
Item librum de metrica arte, & huic adiunctum alium de schematibus & tropis libellum, hoc est, de figuris modisque locutionum quibus scriptura sancta contexta est.

Te deprecor bone Iesu, vt cui propitius donasti verba tuæ sapientiæ vel scientiæ dulciter haurire, dones etiam benignus aliquando ad te omnis sapientiæ fontem peruenire, & apparere semper ante faciem tuam.

ALOYSIVS LIPOMANVS EPISCOPUS Veronensis pio Lectori.

HANC Diui Francisci vitam beatus ille Bonauentura sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis, & Episcopus Albanensis, Franciscani instituti non solùm sectator, verùm & instaurator & rector, vir in diuinis scripturis eruditissimus, & vitæ sanctitate conspicuus, de quo præceptor eius Alexander de Hales dicere solebat: In Bonauenturam Adam peccasse non videtur, puro ac simplici stylo descripsit: tanta autem rerum copia & sententiarum grauitate refertam, vt totus mundus eius lectione instrui possit, & ad amorem Dei per Beati Francisci exemplum instaurari. Ego, vt verum fatear, cùm Francisci vitam lego, non solùm accendor, sed in eius meditatione totus exardesco, vtpote in quo tanta diuini amoris claritas effulserit, vt Angelus potius, atque ex supremo ordine, qui ardor & incendium dicitur, magis quàm homo dici posse videatur. Semper enim beatissimus iste cogitatione in cœlo versabatur, semper fœlix eius anima summo autori purissimè & intentissimè inhærebat, adeò vt præ amoris magnitudine, præ ea quam intus gustabat dulcedine (quod hominibus plerunque ardentissimè amantibus contingere solet) alienatus à sensibus atque extra se esse videretur. Accede & tu benigne Lector, accede ad sanctum ignem istum, certò scio, calesces plus satis. Sed iam ipsum diuum Bonauenturam audi.

INCIPIT LEGENDA MAIOR PER SANctum Bonauenturam Cardinalem, de vita beati patris Francisci composita.

PROLOGVS.

APparuit gratia Dei Saluatoris nostri diebus istis nouissimis in seruo suo Francisco omnibus verè humilibus, & sanctę paupertatis amicis, qui super affluentē in eo Dei misericordiā venerātes, ipsius erudiūtur exēplo, impietatē & secularia desideria funditus abnegare, Christo cōformiter viuere, & ad beatā spē desiderio indefesso sitire. In ipsum namq; vt verè pauperculū, & contritū, tāta Deus excelsus benignitatis cōdescensione respexit, quòd non so-

non solùm de mundialis conuersationis puluere suscitauit egenum, verùm etiam Euangelicæ perfectionis professorem, ducem, atque præconem effectũ, in lucem dedit credentium: vt testimonium perhibendo de lumine, viam lucis & pacis ad corda fidelium Domino præpararet. Hic etenim quasi stella matutina in medio nebulæ, claris vitæ micans & doctrinæ fulgoribus, sedentes in tenebris & vmbra mortis irradiatione præfulgida direxit in lucem, & tanquam arcus refulgens inter nebulas gloriæ, signum in se Dominici fœderis repræsentans, pacem & salutem euangelizauit hominibus, existens & ipse Angelus veræ pacis, secundùm imitatoriam quoque similitudinem Pręcursoris, destinatus à Deo vt viam parans in deserto altissimæ paupertatis, tam exemplo, quàm verbo pœnitentiam prædicaret, primùm supernæ gratiæ præuentus donis, dehinc virtutis inuictæ adauctus meritis, prophetali quoque repletus spiritu, necnon & Angelico deputatus officio, incendioque Seraphico totus ignitus, & vt vir Ierachicus curru igneo sursum vectus, sicut ex ipsius vitę decursu luculenter apparet, rationabiliter comprobatur venisse in spiritu & virtute Helię. Ideoque alterius amicus sponsi, Apostoli, & Euangelistæ Ioannis vaticinatione veridica, sub similitudine Angeli ascendentis ab ortu solis, signumque Dei viui habentis astruitur, non immeritò designatus. Sub apertione namque sexti sigilli vidi (ait Ioannes in Apocalypsi) alterum Angelum ascendentem ab ortu solis, habentem signum Dei viui. Hunc Dei nuncium amabilem Christo, imitabilem nobis, & admirabilem mundo, seruum Dei fuisse Franciscum indubitabili fide colligimus, si culmen in eo eximiæ sanctitatis aduertimus, qui inter homines viuens imitator fuit puritatis Angelicæ, qui & positus est perfectis Christi sectatoribus in exemplum. Ad quod quidem fideliter sentiendum & piè, non solùm inducit officium quod habuit vocandi ad fletum & planctum, caluitium & cingulum sacci, signandique Thau super frontes virorum gementium & dolentium signo præsentiali crucis, & habitus cruci conformis, verùm etiam irrefragabili veritatis testificatione confirmat signaculum similitudinis Dei viuentis Christi, videlicet Crucifixi, quod in corpore ipsius fuit impressum, non per naturæ virtutem vel ingenium artis, sed potius per admirandam potentiam spiritus Dei viui. Ad huius tam venerabilis viri vitam omni imitatione dignissimam describendam, indignum & insufficiẽtem me sentiens, id nullatenus attentassem, nisi me fratrum feruens incitasset affectus, generalis quoque capituli concors induxisset instantia, & ea quam ad sanctum patrem habere teneor, deuotio compulisset, vtpote qui per ipsius [1] inuocationem & merita, in puerili ætate, sicut recenti memoria teneo, à mortis faucibus erutus, si præconia laudis eius tacuero, sceleris timeo argui, vt ingratus. Est & hæc penes me causa præcipua hunc assumendi laborem, vt ego, qui vitam corporis & animæ à Deo mihi conseruatam recognosco per ipsum, & virtutem eius in meipso expertus agnoui, vitæ illius virtutes, actus & verba, quasi fragmẽta quædã partim neglecta, partimque dispersa, quanquam plenè non possem, vtcunque colligerem, ne morientibus ijs qui cum seruo Dei conuixerant, deperirent. Vt igitur vitæ ipsius veritas ad posteros transmittenda, certius mihi constaret & clarius, adiens locum originis, conuersationis, & transitus viri sancti, cum familiaribus eius adhuc superuenientibus collationem de ijs habui diligentem, & maximè cum quibusdam, qui sanctitatis eius & conscij fuerunt, & sectatores præcipui, quibus propter agnitam veritatem, probatamque virtutem fides est indubitabiliter adhibenda. In descriptione autem eorum, quæ per seruum suum Deus dignanter effecit, curiosum stili ornatum negligendum esse putaui, cùm legentis deuotio plus simplici sermone, quàm phalerato proficiat. Nec semper historiam secũdùm ordinem temporis texui propter confusionem vitandam: sed potius ordinem seruare studui magis aptæ iuncturæ, secundùm quod eodem peracta tempore diuersis materijs, vel diuersis patrata temporibus eidem materiæ congruere videbatur. Initium autem vitæ ipsius, progressus & consummatio quindecim distincta capitulis describuntur, inferius annotatis. Agitur enim primò de conuersatione ipsius in habitu seculari. Secũdò de perfecta conuersione eius ad Deum: & de reparatione trium Ecclesiarum. Tertiò de institutione religionis, & approbatione regulæ. Quartò de profectu ordinis sub manu ipsius, & cõfirmatione regulæ prius approbatæ. Quintò de austeritate vitæ, & quomodo creaturæ præbebant ei solatium. Sextò de humilitate & obedientia, & de condescensionibus diuinis sibi factis ad nutum. Septimò de amore paupertatis, & mira suppletione defectuum. Octauò de pietatis affectu: & quomodo ratione carentia affici videbantur ad ipsum. Nonò de feruore charitatis, & desiderio martyrij. Decimò de studio & virtute orationis. Vndecimò de intelligentia scripturarum, & spiritu prophetiæ. Duodecimò de efficacia prædicandi, & gratia sanitatum. Decimotertiò de stigmatibus sacris. Decimoquartò de patientia ipsius & transitu mortis. Decimoquintò de canonizatione, & translatione ipsius. Prostremò de miraculis post transitum eius felicem ostensis aliqua subnectuntur.

1 Sanctus Bonauentura per D. Francisci inuocationem & merita in puerili ætate à faucibus mortis erutus est.

INCIPIT

INCIPIT VITA BEATI FRANCISCI,

Et primò de conuersione eius in habitu seculari.

Capitulum primum.

VIR erat in ciuitate Asisij Franciscus nomine, cuius memoria in benedictione est, pro eo quòd Deus ipsum in benedictionibus dulcedinis benignè præueniens, & de præsentibus vitæ periculis clementer eripuit, & cœlestis gratiæ donis affluēter impleuit. Etenim cùm inter vanos fuerit hominum filios, iuuenili ætate nutritus in vanis, & post aliqualem literarū notitiam lucratiuis mercationum deputatus negotijs, superno tamen sibi assistente præsidio, nec inter lasciuos iuuenes, quamuis effusus ad gaudia, post carnis petulantiā abijt, nec inter cupidos mercatores, quanquā intentus ad lucrū, sperauit in pecunia & thesauris. Inerat namq; iuuenis Frācisci præcordijs diuinitus indita quædam ad pauperes miseratio liberalis, quæ secum ab infantia crescens tanta cor ipsius benignitate repleuerat, vt iam Euangelij non surdus auditor, omni proponeret se petenti tribuere, maximè si diuinum allegaret amorem. Cùm autem solis negociationis intētus tumultibus, pauperē quendam pro amore Dei petentem eleemosynam præter morem solitum vacuū repulisset, statim ad cor reuersus, cucurrit post ipsum, & eleemosyna illis clemēter impensa, promisit Domino Deo, quòd nunquā ex tunc dū adesset possibilitas, petentibus pro amore Domini se negaret. Quod vsq; ad mortem indefessa pietate obseruās, copiosa in Deū dilectionis & gratiæ incremēta promeruit. Aiebat enim pòst cùm iam perfectè Christum induerat, quod etiam existens in habitu seculari vocē Domini expressiuam amoris audire, vix vnquā sine cordis immutatione valebat. Porrò mansuetudinis lenitas cum elegantia morum, patientia, & tractabilitas supra humanū modū, munificētiæ largitas vltra suppetentiā facultatū, quibus bonę indolis adolescēs certis florere cōspiciebatur indicijs, quædā videbātur esse pręludia, quòd copiosior super eum foret in posterum diuinæ benedictionis abūdantia diffundēda.

Quidam sanè vir de Asisio valde simplex (vt creditur, eruditus à Deo) cùm aliquando per ciuitatem eunti obuiaret Francisco, deponebat pallium, sternebat ipsius pedibus vestimentum, asserens omni fore Franciscum reuerentia dignum, vtpote qui esset in proximo magna facturus, & ob hoc ab vniuersitate fideliū magnificè honorandus. Ignorabat autem adhuc Franciscus circa se consiliū Dei, pro eo quòd tam iussione patris ad exteriora distractus, quàm corruptione naturalis originis ad inferiora depressus, nondum didicerat contemplari cœlestia, nec assueuerat degustare diuina. Et quia spirituali auditui dat intellectū inflicta vexatio, facta est super eum manus Domini, & immutatio dexteræ excelsi, diutinis languoribus ipsius corpus affligens, vt coaptaret animā ad sancti spiritus vnctionē. Cumq; resumptis corporeis viribus, sibi vestimenta decentia more solito præparasset, obuium habuit militem quendam generosum quidem, sed pauperem, & malè vestitum: cuius pauperiem pio miseratus affectu, illum protinus se exuto vestiuit, vt scilicet in vno geminum impleret pietatis officium, quò & nobilis militis verecundiā tegeret, & pauperis hominis penuriam releuaret. Nocte verò sequenti cùm se sopori dedisset, palatium speciosum & magnū cum militaribus armis crucis Christi signaculo insignitis, clemētia sibi diuina monstrauit, vt misericordiam pro summi Regis amore pauperi exhibitam militi, præostēderet incomparabili compensandā esse mercede. Vnde & cùm quæreret, cuius essent illa omnia: sua fore, militumque suorum, superna fuit assertione responsum. Euigilans itaq; manè, cùm nondum haberet exercitatum animum ad diuina perscrutanda mysteria, nesciretque per visibilium species transire ad contuendam inuisibiliū veritatem, magnæ fore prosperitatis indicium existimabat insolitā visionem. Disposuit itaque, diuinę adhuc dispositionis ignarus, in Apuliam ad quendā Liberalem comitē se conferre, in ipsius sperans obsequio decus adipisci militiæ, vt ostensa sibi visio prætēdebat. Cumque paulò pòst iter aggressus iuisset vsque ad proximā ciuitatem, audiuit in nocte Dominū familiari sibi allocutione dicētem: Francisce, quis potest melius facere tibi, Dominus aut seruus: diues aut pauper? Cui cùm Franciscus respondisset, quòd tā Dominus quàm diues facere melius potest: intulit statim: cur ergo relinquis pro seruo Dominum, & pro paupere homine diuitem Deum? Et Franciscus: Quid me vis Domine facere? Et Dominus ad eum: Reuertere in terram tuam, quia visio quam vidisti, spiritualem præfigurat effectum, non humana, sed diuina in te dispositione complendum. Manè itaq; facto, cum festinatione reuertitur Asisium versus, securus & gaudens: & iam exemplar obedientiæ factus expectabat Domini voluntatē. Ex tunc à publicę negociationis tumultu se subtrahēs, supernā deuotè precabatur clementiā, vt quid sibi foret agendum, ostendere dignaretur. Cùm autem ex frequenti orationis vsu flamma desiderij cœlestis in eo vehementer succresceret, & iam pro amore supernæ patrię terrena

omnia despiceret, quasi nihil, thesaurum sentiebat se reperisse absconditum, ac velut prudens negociator margaritam inuētam excogitabat venditis omnibus comparare. Adhuc tamen qualiter id ageret, ignorabat: nisi quia ipsius suggerebatur spiritui, quòd spiritualis mercatio à mundi contemptu sumat initium, Christique militia sit à sua ipsius victoria inchoanda. Quadam itaque die dum equitaret per planiciem, quæ subiacet ciuitati Assisij, leprosum quēdam habuit obuium, cuius inopinatus occursus ei non paruum incussit horrorem. Recurrens autem ad perfectionis mente iam conceptæ propositū, & recolens quòd seipsum oporteret primùm deuincere, si vellet effici Christi miles, ad deosculandum eum equo lapsus accurrit. Cui cùm manum quasi aliquid accepturus leprosus protēderet, pecuniam cum osculo reportauit. Statim autem equū ascendens, & se circūquaque conuertens, cum campus pateret vndiq; liber, leprosum illū minimè vidit. Admiratione itaq; repletus & gaudio, laudes cœpit Domino decantare deuotè, proponens ex hoc semper ad maiora conscendere. Solitaria proinde loca quærebat amica mœroribus, in quibus dum gemitibus inenarrabilibus incessanter intenderet, post longam precum instantiam à Domino meruit exaudiri. Dum enim vna dierū sic sequestratus oraret, & prę nimietate feruoris totus esset absorptus in Deum, apparuit ei Christus Iesus veluti cruci confixus: Ad cuius conspectum liquefacta est anima eius, & memoria passionis Christi visceribus cordis ipsius adeò impressa medullitus, vt ab illa hora cùm Christi crucifixio veniret in mentem, vix posset à lachrymis & gemitibus exterius contineri: sicut ipse postmodum familiariter retulit, cùm appropinquaret ad finem. Intellexit per hoc nempe vir Dei illud Euangelicum sibi dici: Si vis venire post me, abnega temetipsum, & tolle crucem tuam, & sequere me. Induit ex tūc spiritum paupertatis, humilitatis sensum, & affectum intimæ pietatis. Nam cùm prius leprosorū non solùm consortium, verùm etiam longinquū contuitū vehementer horreret, iam propter Christum crucifixum, qui iuxta verbum Propheticum contemptibiliter vt leprosus apparuit, vt semetipsum plenè contemneret, humilitatis & humanitatis obsequia leprosis benefica pietate præstabat. Visitabat enim frequenter domos ipsorū, liberaliter eis eleemosynas erogabat, & cum multo cōpassionis affectu manus eorū osculabatur & ora. Pauperibus etiā mendicantibus non solùm sua, verùm etiam seipsum cupiebat impēdere, aliquando vestimenta exuens, aliquando dissuens, aliquando scindens ad largiendum eis, cùm præ manibus alia non haberet. Sacerdotibus etiā pauperibus reuerenter subueniebat & piè, præcipuè 2 in ornamentis altaris, quò & cultus diuini particeps fieret, & cultorum inopiæ supplementa præberet. Cùm autē religiosa deuotione tunc temporis limina 3 visitaret Apostoli Petri, conspecta multitudine pauperum ante fores Ecclesiæ, partim pietatis ductus dulcedine, partim paupertatis allectus amore, vni ex eis magis egēti proprias largitus est vestes, & semicinctijs contētus illius, diem illum in medio pauperū cum insolita spiritus iocunditate transegit, vt & secularē gloriā sperneret, & ad perfectionem Euangelicam gradatim cōscendendo perueniret. 4 Mortificationi carnis inuigilabat attentius, vt Christi crucē, quam interius ferebat in corde, exterius etiā circunferret in corpore. Agebat autem hæc omnia vir Dei Franciscus nondum habitu, vel conuictu sequestratus à mundo.

2 Vides quomodo subuētiones in ornamēta altarium placent Deo: nam aliter sanctus eas non fecisset.

3 Ecce peregrinationes ad loca sanctorum

4 Audis quomodo sanctus pater carnis concupiscentiā per eius mortificationem calcabat.

De perfecta conuersione eius ad Deum: Et de reparatione trium Ecclesiarum.

Capitulum secundum.

QVoniam autem seruus altissimi doctorem non habeat aliquē in huiusmodi nisi Christum, addidit adhuc ipsius clemētia eum in gratiæ visitare dulcedine. Dum enim die quadā egressus ad meditandū in agro, deābularet iuxta Ecclesiā sancti Damiani, quæ minabatur præ nimia vetustate ruinā, & in eam, instigante se spiritu, causa 5 orationis intrasset, 6 prostratus ante imaginem crucifixi, non modica fuit in orando spiritus consolatione repletus. Cumq; lachrymosis oculis intenderet in Dominicam crucem, vocem de ipsa cruce dilapsam ad eū corporeis audiuit auribus ter dicentē: Francisce vade, & repara domum meā, quæ, vt cernis, tota destruitur. Tremefactus Franciscus, cùm esset in Ecclesia solus, stupet ad tam mirandæ vocis auditum, cordeq; percipiens diuini virtutem eloquij, mentis alienatur excessū. In se tādem reuersus, ad obediendū se parat, & totū se recolligit ad perficiendū mandatū de materiali Ecclesia reparanda: licet principalior intentio verbi ad eam ferretur, quā Christus suo sanguine acquisiuit, sicut eum spiritus sanctus edocuit, & ipse postmodū fratribus reuelauit. Surrexit proinde signo 7 crucis se muniēs, & assumptis pannis venalibus, ad ciuitatem quæ Fulgineum dicitur, accessit: ibique venditis quæ portauerat, equum cui tunc insederat, fœlix mercator assumpto pretio dereliquit. Rediensque Assisium, Ecclesiā, de cuius reparatione mandatū acceperat, reuerenter intrauit, & inuento illic sacerdote pauperculo, ei reuerentiā decentem exhibuit, & ad reparationē Ecclesiæ, & pauperum vsum pecuniam obtulit, & vt secum se morari pateretur ad tempus, humiliter requisiuit. Acquieuit sacerdos de mora ipsius, sed timore parentum pecuniam recusauit.

5 Vides quod etiā causa orationis constructæ sunt Ecclesiæ

6 Ecce quomodo genu flectere ante imagines, & orare eos quos repræsentant, opus bonū ac piū est & quale miraculū per hanc sā imaginē Christus operatus sit.

7 Surrexit signo crucis se muniens.

Quam

quam verus pecuniarum contemptor in quandam fenestram proiiciens, abiectam velut puluerem vilipendit. Moram autem faciẽte seruo Dei cum sacerdote prædicto, cùm hoc intellexisset pater ipsius, perturbatus animo cucurrit ad locũ. At ipse, quia nouus Christi erat athleta, cùm audiret persequentium minas, & eorum præsentiret aduentum, dare locum iræ volens, in quadam occulta fouea se abscondit: In qua diebus aliquibus latitando, rogabat Dominum incessanter, lachrymarum imbre perfusus, vt liberaret de manibus persequẽtium animam suam, & pia quę inspirauerat vota benigno fauore compleret. Igitur excessiua quadam completus lætitia, cœpit de pusillanimitatis ignauia semetipsum arguere: relictaque fouea, & abiecto pauore, versus ciuitatem Assisij iter aggressus est. Quem cum ciues cernerent facie squalidum, & mente mutatum, ac per hoc alienatum putarent à sensu, luto platearum & lapidibus impetebant, & tanquam insano & dementi clamosis vocibus insultabant. Famulus autẽ Domini nulla fractus aut mutatus iniuria, vt surdus in omnibus pertransibat. Cumque clamorem huiusmodi pater audisset, statim accurrens non ad liberandum eum, sed potius ad perdendum, omni miseratione subtracta, pertractum, domi primò verbis, deinde verberibus & vinculis angit. Ipse autem ad exequendũ Domino quod cœperat, promptior & validior reddebatur, recolens illud Euangelicum verbum: Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cœlorum. Post modicum verò tempus, patre à patria discedente, mater eius factum mariti non approbans, & inflexibilem filij constantiam emolliri posse non sperans, à vinculis absolutum abire permisit. At ipse gratias omnipotenti Deo referens ad locum in quo prius fuerat, est reuersus. Rediẽs autem pater, & eum non inueniens domi, conuitijs illatis vxori fremens cucurrit ad locum, vt si eum reuocare non posset, saltem de prouincia effugaret. Franciscus verò confortatus à Deo obuium vltrò se obtulit patri furenti, libera voce clamans, se pro nihilo ducere vincula & verbera eius, insuper & contestans se pro Christi nomine gaudenter mala omnia subiturum. Videns itaque pater quòd eum reuocare non posset, ad extorquendam pecuniam se conuertit. Qua tandem inuenta in fenestrella quadam, aliquantulum ipsius mitigatus est furor, auaritiæ siti vtcunque per haustum pecunię temperata. Tentauit deinde pater carnis, filium gratiæ pecunia iam nudatum ducere coram Episcopo ciuitatis, vt in ipsius manibus facultatibus renunciaret paternis, & omnia redderet quæ habebat. Ad quod faciendum se promptum exhibuit veræ paupertatis amator. Perueniensq; coram Episcopo, nec moras patitur, nec cunctatur de aliquo, nec verba expectat, nec facit, sed continuò depositis omnibus vestimentis, restituit ea patri. Inuentus est autem tunc vir Dei cilicium habere ad carnẽ sub vestibus delicatis. Insuper ex admirando feruore spiritu ebrius, reiectis etiam femoralibus, totus coram omnibus denudatur, dicens ad patrem: Vsque nunc vocaui te patrem in terris, amodò autẽ securè dicere possum: Pater noster qui es in cœlis, apud quẽ omnem thesaurum reposui, & omnẽ spei fiduciam collocaui. Hoc cernẽs Episcopus, & admirans tam excedentem in viro Dei feruorẽ, protinus exurrexit, & inter brachia sua illum cum fletu recolligẽs, vti erat vir pius & bonus, pallio quo erat amictus operuit, præcipiens suis, vt aliquid sibi darent ad membra corporis contegenda. Oblatus est autem ei mantellus pauper & vilis cuiusdam agricolæ seruiẽtis Episcopo. Quem ipse gratanter suscipiens, cum semento quod sibi occurrit, ad modum crucis manu propria consignauit, operimentum formãs ex eo crucifixi hominis & pauperis seminudi. Sic igitur seruus Regis altissimi nudus relictus est, vt nudum sequeretur crucifixum Dominũ quem amabat: sic vtique cruce munitus, vt animam suam ligno salutis committeret, per quod de mundi naufragio saluus exiret. Solutus exinde mundi contemptor à vinculis mundanarum cupidinum, ciuitate relicta, securus & liber secretũ solitudinis petijt, vt solus & silens supernæ audiret allocutionis arcanũ. Dumq; per syluam quandã iter faciens, laudes Domino lingua Francorũ vir Dei Franciscus decantaret cum iubilo, latrones super eum ex abditis irruerunt. Quibus ferali animo quis esset interrogantibus, vir Dei confidẽtia plenus prophetica voce respondit: Præco sum magni Regis. At illi percutientes, eum in defossum locũ plenũ niuibus proiecerunt, dicentes: Iace rustice præco Dei. Ipse verò recedẽtibus illis, exiliuit de fouea, magnoq; exhilaratus gaudio, altiori cœpit voce per nemora laudes Creatori omnium personare. Et veniens ad quoddam vicinum cœnobium, eleemosynam petijt vt mendicus, & recepit vt incognitus & despectus. Inde verò progrediẽs deuenit Euchubiũ, vbi à quodam amico pristino agnitus & susceptus, paupere tunicula vt Christi pauperculus, est contectus. Exinde totius humilitatis amator se transtulit ad leprosos, eratque cum eis diligentissimè seruiens omnibus propter Deum. Lauabat ipsorum pedes, ligabat vlcera, educebat plagarum putredinem, & saniem abstergebat. Osculabatur etiam ex miranda deuotione vlcerosas plagas ipsorum Euangelicus medicus mox futurus. Propter quod tantam est à Domino consequutus virtutem, vt in spiritualibus & corporalibus morbis mirabiliter expurgãdis mirabilem efficaciam obtineret.

Referam vnũ de multis, quod accidit, viri Dei fama postmodum latius clarescẽte. Cùm enim cuiusdam de comitatu Spoletano os pariter & maxillam, morbus quidam horribilis depascendo corroderet, nec subueniri posset eidem aliquo medicinæ remedio: contigit vt propter ipsorum sanctorum exposcenda merita, Apostolorum visitatis liminibus, de [8] peregrinatione rediens, seruo Dei occurreret. Cumq; præ deuotione vellet ipsius osculari vestigia, vir humilis hoc non ferens, osculari volenti pedes, osculũ oris dedit. Dum autem leprosorum seruus Franciscus mirabili pietate illam plagam horribilem ore sacro contingeret, omni fugato morbo, æger ille sanitatem recuperauit optimam. Nescio quod horum magis sit meritò admirandum, an humilitatis profunditas in osculo tam benigno, an virtutis præclaritas in miraculo tam stupendo. Fundatus iam Christi humilitate Franciscus ad memoriam reducit obedientiam sibi è Cruce iniunctam de S. Damiani Ecclesia reparanda, & tanquam verus obediens Assisium rediјt, vt saltem mendicando, voci diuinæ parêret. Depositaque omni verecundia, propter amorem pauperis crucifixi mendicabat apud eos, inter quos abundare solebat, debile corpus, attritũ ieiunijs, oneribus lapidum supponendo. Prædicta igitur Ecclesia, iuuante se Domino, & deuotione ciuium assistente, refecta, ne post laborem corpus torperet ignauia, transtulit se ad reparandã Ecclesiam quandã B. Petri, longius à ciuitate distantẽ ob deuotionem specialẽ, quam ad Apostolorũ principẽ synceræ fidei puritate gerebat. Hac tandẽ Ecclesia [9] consummata, peruenit ad locum qui Portiuncula dicitur, in quo Ecclesia beatissimæ virginis genitricis Dei antiquitus fabricata extiterat, sed deserta tunc à nemine curabatur. Quam cùm vir Dei sic derelictam conspiceret, ob deuotionem feruentẽ, quam habebat ad Dominã mũdi, cœpit illic assiduè pro ipsius reparatione morari. Sentiens autem, iuxta nomen ipsius Ecclesiæ, quo ab antiquo S. Maria de Angelis vocabatur, Angelicarum ibi visitationũ frequentiã, pedem fixit ibidem propter reuerẽtiam Angelorũ, amoremq; præcipuũ matris Christi. Hunc locũ vir sanctus amauit præ cæteris mundi locis. Hîc etenim humiliter cœpit, hîc virtuosè profecit, hîc fœliciter consummauit, hunc in morte fratribus tanquã virgini charissimũ cõmendauit. De hoc frater quidam Deo deuotus ante conuersionẽ suã, visionẽ viderat relatione condignã. Innumeros cernebat homines cœcitate percussos, facie in cœlũ directa, & genibus flexis, in huius Ecclesiæ stare circuitu, qui omnes protensis manibus in altũ, lachrymabiliter clamabant ad Deũ misericordiã postulantes, & lumẽ. Et ecce ingens de cœlo splendor aduenit, se per omnes diffundẽs, qui lumen vnicuiq; tribuit, & salutẽ desideratã cõcessit. Hic est locus, in quo fratrũ minorũ ordo à S. Frãcisco per diuinæ reuelationis instinctũ inchoatus est. Diuinę namq; prouidẽtię nutu, qua Christi seruus dirigebatur in omnibus, [10] tres materiales erexit Ecclesias, antequã ordinẽ inchoãs, Euangeliũ prędicaret: vt nõ solũ à sensibilibus ad intelligibilia, à minoribus ad maiora, ordinato progressu cõscenderet, verùm etiã vt quid esset facturus in posterũ, sensibili foris opere mysterialiter præsignaret. Nam instar reparatę triplicis fabricę ipsius sancti viri ducatu, ob datam ab eo formam, regulam & doctrinam, Christi triformiter renouanda erat Ecclesia, trinaq; triumphatura militia saluandorũ sicut & nũc cernimus esse cõpletum.

8 Vide iterum peregrinationem ad loca sancta.

9 Franciscus tres Ecclesias ex fidelium eleemosynis reparauit. Ergo opus est bonum & Deo placens.

10 Tres Ecclesias D. Frãciscus ante inchoatũ ordinem construxit.

De institutione religionis, & approbatione regulæ.

Capitulum tertium.

IN Ecclesia igitur Virginis matris Dei moram faciente seruo ipsius Francisco, & apud eam, quæ concepit verbum plenum gratiæ & veritatis, continuis insistente gemitibus, vt fieri dignaretur aduocata ipsius, meritis matris misericordiæ concepit, ac peperit spiritum Euangelicæ veritatis. Dum enim de quodam missam de Apostolis deuotus audiret, perlectum est Euangelium illud, in quo Christus discipulis ad prædicandum mittendis formam tribuit Euangelicam in viuendo, ne videlicet possideant aurum, vel argentum: nec in zonis pecuniam, nec peram in via, nec duas tunicas habeant, nec calceamenta deferant, neque virgam. Quod audiens, & intelligens, ac memoriæ commendans Apostolicæ paupertatis amicus, indicibili mox perfusus lætitia: Hoc est, inquit, quod cupio, hoc quod totis præcordijs concupisco. Soluit proinde [11] calceamenta de pedibus, deponit baculum, peram, & pecuniam execratur, vnaque contentus tunicula, reiecta corrigia, pro cingulo funem sumit, omnem solicitudinem cordis apponens, qualiter audita perficiat, & Apostolicæ rectitudinis regulæ per omnia se coaptet. Cœpit ex hoc vir Dei diuino instinctu Euangelicæ perfectionis æmulator existere, & ad pœnitentiam cęteros inuitare: erant autem ipsius eloquia non inania nec risu digna, sed virtute spiritus sancti plena, medullas cordis penetrantia, vt in vehementem stuporem audientes conuerterent. In omni prædicatione sua pacem annuncians, dicendo: Dominus det vobis pacem, populum in sermonis exordio salutabat. Hanc quippe salutationem, Domino reuelante didicerat, sicut ipse postmodum testabatur. Vnde factum est, vt iuxta sermonem propheticum & ipse Prophetarum spiritu afflatus annunciaret pacem, prædicaret salutem, ac salutaribus monitis fœderaret plurimos

11 Ecce vera euãgelica paupertas, rerũ omniũ temporalium propter Christũ abdicatio.

veræ

veræ paci, qui discordes à Christo prius extiterant à salute longinqui.

Innotescente itaque apud multos viro Dei, tam doctrinæ simplicis veritate, quàm vitæ, cœperunt ipsius exemplo viri quidam ad pœnitentiam animari, & eidem, reiectis omnibus, habitu vitaque coniungi: Quorum primus extitit vir venerabilis Bernardus, qui vocationis diuinæ particeps factus, patris beati primogenitus esse promeruit, tam prioritate temporis, quàm priuilegio sanctitatis. Hic enim serui Christi paupertate comperta, ipsius exemplo disponens perfectè contemnere mundum, ab eodem qualiter id perficeret, consilium requisiuit. Quo audito, Dei famulus pro propriæ prolis conceptu sancti spiritus consolatione repletus: A Deo est, inquit, hoc consilium requirendũ. Intrauerunt proinde Ecclesiam sancti Nicolai, mane iam facto: Et oratione præmissa, cultor Trinitatis Franciscus ter Euangeliorum librum aperuit, trino exposcens à Deo testimonio sanctum Bernardi propositum confirmari. In prima libri apertione illud occurrit: Si vis perfectus esse, vade, & vẽde omnia quæ habes, & da pauperibus. In secunda. Nihil tuleritis in via: In tertia verò: Qui vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. Hæc est (ait vir sanctus) vita & regula nostra, omniumque qui nostræ voluerint societati coniungi. Vade igitur, si vis perfectus esse, & perfice quæ audisti. Non multò pòst vocatis eodem spiritu quinque viris, filiorum Francisci senarius numerus completus est: inter quos tertiũ sortitus est locum sanctus pater Ægidius, vir vtique Deo plenus, & celebri memoria dignus. Hic etenim postmodum virtutum sublimium exercitatione præclarus, sicut famulus Domini de seipso prædixit, quanquam esset idiota, & simplex, ad excelsæ contemplationis sublimatus est verticem. Nam per multa curricula temporum sursum actionibus incessanter intentus, adeò crebris in Deum rapiebatur excessibus: quemadmodum & ego ipse oculata fide conspexi: vt magis cẽseretur inter homines vitam Angelicam agere, quàm humanam.

Illo quoque tempore cuidam sacerdoti ciuitatis Assisij, nomine Syluestro, honestæ conuersationis viro, quædam à Domino fuit ostensa visio non tacenda. Cùm enim modum, & viam Francisci, fratrumq; suorum humano spiritu abhorreret, ne periclitaretur pro temeritate iudicij, respectu fuit supernæ gratiæ visitatus. Videbat namque in somnis totam Assisij ciuitatem à dracone magno circundari, præ cuius magnitudine nimia, tota regio videbatur exterminio subiacêre. Contuebatur post hoc crucem quãdam auream ex ore procedentem Francisci, cuius summitas cœlos tangebat, cuiusq; brachia protensa in latum, vsq; ad mundi fines videbantur extendi: Ad cuius etiam aspectum præfulgidũ, draco ille teter, & horridus penitus fugabatur. Hoc dum sibi tertiò mõstraretur, diuinum æstimans esse oraculum, viro Dei & fratribus suis per ordinem enarrauit, ac non multò pòst tempore mundũ relinquens, vestigijs Christi sic perfectè adhæsit, quòd vita ipsius in ordine authenticam reddiderit eam, quam in seculo habuerat visionem. Ex huius visionis auditu vir Dei non in gloria est elatus humana, sed bonitatem Dei in suis beneficijs recognoscens, fortius animatus est ad hostis antiqui fugandam versutiam, & Crucis Christi gloriam prædicandam. Quadam autem die dum in quodam solitario loco in amaritudine recogitans deploraret, sancti spiritus in eum superueniente lætitia certificatus est de remissione plenaria omnium delictorum. Raptus deinde supra se, ac in quoddam mirandum lumen totus absorptus, dilatato mentis sinu, quæ circa se & filios suos futura erant, luculenter aspexit. Post hoc reuersus ad fratres: Confortamini, ait, charissimi, & gaudete in Domino, nec quia pauci estis, efficiamini tristes, neque vos terreat mea vel vestra simplicitas, quoniam sicut mihi à Domino in veritate ostensum est, in magnam multitudinem faciet nos Deus crescere, suæque benedictionis gratia multipliciter dilatabit. Eodem quoque tempore, quodam alio bono viro religionem intrante, ad septenarium numerum viri Dei soboles benedicta peruenit. Tunc pius pater omnes ad se filios conuocauit, & plura eis de regno Dei, de contemptu mundi, de abnegatione propriæ voluntatis, corporisque castigatione pronuncians, propositum suum de mittendo illos in quatuor partes orbis aperuit. Iam enim sterilis & paupercula simplicitas sancti patris pepererat septem, & desiderabat vniuersitatem fidelium ad pœnitentiæ lamenta vocatam, Christo Domino parturire. Ite, inquit, dulcis pater ad filios: Annunciantes hominibus pacẽ, prædicate pœnitentiam in remissionem peccatorum. Estote in tribulationibus patientes, in orationibus vigiles, in laboribus strenui, in sermonibus modesti, in moribus graues, & in beneficijs grati, quia pro his omnibus regnum vobis præparatur æternum. At illi coram seruo Dei humiliter se prosternentes in terram, cum gaudio spiritus suscipiebant obedientiæ sanctæ mandatum. Ipse verò dicebat vnicuique sigillatim: Iacta cogitatum tuum in Domino, & ipse te enutriet. Hoc verbum dicere solitus erat quotiescunque fratrem aliquem ad obedientiam dirigebat. Tunc & ipse sciens se datum alijs in exemplum, vt prius faceret, quàm doceret, cum vno sociorum versus vnam orbis partem perrexit, reliquis sex ad modum Crucis, tribus alijs mundi partibus deputatis. Modico autem elapso pòst tempore,

benignus pater charæ prolis exoptans præsentiam, cùm in vnum eos per se conuocare non posset, per eum orabat hoc fieri, qui dispersiones congregat Israëlis. Sicque factum est, vt absque humana vocatione omnes ex insperato post modicum temporis, iuxta eius desiderium diuina operante clementia, non sine ipsorum admiratione, pariter conuenirent. Illis quoque diebus, quatuor sibi adhærentibus viris honestis, ad duodenarium numerũ excreuerunt. Cernens autem famulus Christi paulatim accrescere numerum fratrum, scripsit sibi & fratribus suis simplicibus verbis formulam vitæ, in qua sancti Euangelij obseruantia pro fundamento indissolubili collocata, pauca quædam alia inseruit, quæ ad vniformem viuẽdi modum necessaria videbantur. Desiderans autem per summum Pontificem approbari quæ scripserat, disposuit cum illo simplicium cœtu Apostolicæ sedis adire præsentiam, de sola confisus directione diuina. Cuius desiderium Deus de alto respiciens, sociorum animos simplicitatis suæ consideratione perterritos, ostensa viro Dei visione huiusmodi, confortauit. Videbatur siquidem ei, quòd per quandam viam incederet, iuxta quam stabat arbor celsitudinis magnæ. Ad quam cum appropinquasset, & sub ea stans ipsius altitudinem miraretur, subitò tantum diuina virtute leuabatur in alto, vt cacumen contingeret arboris, eiusque summa facillimè curuaret ad ima. Huius visionis pręsagium vir Deo plenus intelligens referri ad condescensionem Apostolicæ dignitatis, exhilaratus est spiritu, fratribusque suis in Domino confortatis, iter cum eis aggressus est. Cùm autem ad Romanam curiam peruenisset, & adduceretur ante conspectum summi Pontificis, essetque Vicarius in palatio Lateranensi, in loco qui dicitur speculum, deambulans altis occupatus meditationibus, Christi famulum tanquam ignotum repulit indignanter. Quo humiliter foras egresso, sequenti nocte huiusmodi reuelatio facta est à Deo ipsi summo Põtifici. Videbat namq; inter pedes suos palmam paulatim succrescere, & in arborem pulcherrimã eleuari. Et eo mirante quid hæc visio vellet ostendere, diuina lux impressit menti ipsius Christi Vicarij, quòd hæc palma illum pauperem, quem in præcedenti die repulerat, designabat. Et mane sequenti mandauit per suos famulos per vrbem dictum pauperem quæri. Quem inuentum iuxta Lateranum in hospitali sancti Antonij, ante conspectum suum celeriter iussit adduci. Cumque introductus esset ante conspectum summi Pontificis, exposuit suum propositum, petens humiliter & instanter supradictam sibi viuendi regulam approbari. Videns autem Christi Vicarius Dominus Innocentius tertius, vir vtique sapientia clarus, admirandam in viro Dei simplicis animi puritatem, propositi constantiam, ignitumque voluntatis sanctæ feruorem, Christi pauperem mentis amore complectens, inclinatus est animo, vt pium supplicanti præberet assensum. Distulit tamen perficere quod Christi postulabat pauperculus, pro eo quòd aliquibus de Cardinalibus nouum aliquid, & supra vires humanas arduum videretur.

Aderat autem inter Cardinales vir venerandus, Dominus Ioãnes de sancto Paulo Episcopus Sabinensis, omnis sanctitatis amator, & adiutor pauperum Christi: qui diuino spiritu inflammatus, summo Pontifici dixit, & fratribus suis: Si petitionem pauperis tanquã nimis arduam nouamq; refellimus, cùm petat confirmari sibi formam Euangelicę vitæ, cauendum est nobis, ne in Christi Euangelium offendamus. Nam si quis intra Euangelicæ perfectionis obseruantiam & votum ipsius, dicat contineri aliquid nouum, aut irrationabile vel impossibile ad obseruandum, contra Christum Euangelij autorẽ blasphemare conuincitur. Quibus propositis, successor Apostoli Petri cõuersus ad pauperẽ Christi, dixit: Ora fili ad Christum, vt suam nobis per te voluntatem ostendat, qua certius cognita, tuis pijs desiderijs securius annuamus. Omnipotentis autem Dei famulus totum se conferens ad orandum, precibus deuotis obtinuit, & quod exterius ipse proferret, & quid interius Papa sentiret. Nam cùm parabolam de diuite rege cum muliere formosa, & paupere contrahente gratanter, & de prole suscepta proferente generantis regis imaginem, ac per hoc educanda de mensa ipsius, sicut à Deo acceperat, retulisset, ex illius interpretatione subiunxit: Non est formidandum, quòd fame pereant æterni regis filij, & hæredes qui ad imaginem Regis Christi per spiritus sancti virtutem de paupere matre nati, & ipsi per spiritum paupertatis sunt in regione paupercula generandi. Si enim Rex cœlorum imitatoribus suis regnum promittit æternum, quantò magis illa subministrabit, quæ communiter largitur bonis, & malis? Hanc ergo parabolam, & intellectum ipsius, Christi Vicarius cùm diligẽter audisset, miratus est valde, & indubitanter Christum loquutum in homine recognouit. Sed & visionem, quam tunc temporis è cœlo perceperat, in hoc viro fore complendã, spiritu diuino suggerente firmauit. Videbat namque in somnis, (vt retulit) Lateranensem Basilicam fore proximam iam ruinæ, quam quidam homo pauperculus, modicus, & despectus, proprio dorso submisso, ne caderet, sustentabat. Verè, inquit, hic est ille, qui opere & doctrina Christi sustentabit Ecclesiam. Inde præcipua deuotione repletus, petitioni eius se per omnia inclinauit, ac Christi famulũ spiritali semper amore dilexit. Proinde postulata concessit, & adhuc cõcedere plura

promisit. Approbauit regulam: dedit de pœnitentia prædicanda mandatum,& laicis fratribus omnibus,qui seruum Dei fuerant comitati, fecit coronas paruulas fieri,vt verbum Dei liberè prædicarent.

De profectu ordinis sub manu ipsius: Et confirmatione Regulæ prius approbatæ.
Capitulum quartum.

FRetus exinde Franciscus superna gratia,& autoritate papali, cum fiducia multa versus vallem Spoletanam iter arripuit, vt Euangelium Christi faceret & doceret. Dum autem in via conferret cum socijs,qualiter regulam quam susceperant, syncerè seruarent, qualiter in omni sanctitate & iustitia coram Deo incederēt,qualiter in seipsis proficerent, & essent alijs in exemplum , diutius collatione protracta, hora pertransijt . Et cùm iam lassati essent ex diuturnitate laboris,esuriētes in quodā loco solitudinis substiterunt.Sanè cùm omnis via deesset,qua possent sibi de victu necessario prouidere, statim affuit prouidentia Dei.Nam subitò apparuit homo afferēs panem in manu,quem pauperculis Christi dedit,subitoque disparuit,incognitus vnde venerit.aut quò iret.Cognoscentes autem per hoc pauperes fratres supernum sibi in comitatu viri Dei adesse præsidium , magis dono liberalitatis diuinæ , quàm cibo carnis propriæ sunt refecti . Insuper diuina consolatione repleti,statuerunt firmiter,& irreuocabiliter confirmauerūt,nullius inediæ aut tribulationis impulsu,à sanctę paupertatis resilire promisso.Exinde in vallem Spoletanā cum sancto proposito redeuntes,tractare cœperunt,vtrum inter homines conuersari deberent,an ad loca solitaria se conferre. Sed Christi seruus Franciscus, non de sua vel suorum confidens industria, per orationis instantiam diuinæ super hoc voluntatis beneplacitum requisiuit. Supernæ igitur reuelationis illustratus oraculo,intellexit se ad hoc missum à Domino,vt Christo lucraretur animas,quas diabolus conabatur auferre.Ideoq; magis omnibus,quàm sibi soli viuere prælegit,illius prouocatus exēplo,qui vnus pro omnibus mori dignatus est.Recollegit itaq; se vir Dei cum cæteris socijs in quodam tugurio derelicto iuxta ciuitatem Asisij, in quo secundùm sanctæ paupertatis formā in labore multo & inopia victitabant,magis lachrymarū,quàm delitiarū panibus refici satagentes.Vacabāt enim ibidem diuinis precibus incessanter,mentaliter potius quàm vocaliter,studio intendentes orationis deuotæ,pro eo quòd nondum Ecclesiasticos libros habebant,in quibus possent horas Canonicas decantare: Loco tamen illorum,librum Crucis Christi continuatis aspectibus diebus ac noctibus reuoluebāt,exēplo patris & eloquio eruditi,qui iugiter faciebat eis de Cruce Christi sermonem. Rogantibus autem fratribus,vt eos doceret orare, dixit : Cùm orabitis,dicite: Pater noster: Et adoramus te Christe,ad omnes Ecclesias tuas,quę sunt in toto mundo: Et benedicimus tibi,quia per Crucē tuam sanctam redemisti mundū.Docuit insuper eos Dominum laudare in omnibus & ex omnibus creaturis : honorare præcipua reuerentia sacerdotes,12 fidei quoque veritatem,secundùm quod sancta Romana tenet & docet Ecclesia,& firmiter credere,& simpliciter cōfiteri.Seruabant illi patris sancti documenta per omnia,& ad omnes Ecclesias,& 13 Cruces, quas è longinquo videri poterant, iuxta datam sibi formā orantes,se humiliter prosternebant.Contrahētibus autē fratribus moram in loco præfato,vir sanctus die quadam sabbathi ciuitatē Asisij intrauit,prædicaturus mane diei Dominicæ,vt moris erat,in Ecclesia cathedrali.Cumq; in quodā tugurio sito in horto Canonicorum vir Deo deuotus in oratione Dei more solito pernoctaret absentatus à filijs,ecce ferè media noctis hora quibusdā ex fratribus quiescētibus,quibusdam perseuerantibus in orando,currus igneus mirandi splendoris per ostiū domus intrans,huc atque illuc per domicilium tertiò se conuertit, super quem globus lucidus residebat, qui solis habens aspectum,noctem clarere fecit.Obstupefacti sunt vigilantes,excitati simul & exterriti dormientes: & non minus senserunt cordis claritatem,quàm corporis,dum ex virtute mirandi luminis alterius alteri conscientia nuda fuit.Intellexerūt namq; concorditer omnes videntibus inuicem vniuersis in cordibus singulorū,sanctū patrem absentem corpore,præsentem spiritu,tali transfiguratum effigie, supernis irradiatum fulgoribus,& ardoribus inflammatum supernali virtute in curru splendente simul & igneo,sibi demonstrari à Domino, vt tanquam veri Israëlitæ post illum incederent, qui virorum spiritualium,vt alter Helias,factus fuerat à Deo currus & auriga.Credendū sanè,quòd ille horum simplicium aperuit oculos ad preces Francisci , vt viderent magnalia Dei , qui oculos quondam aperuerat pueri ad vidēdum montem plenum equorum,& igneorum curruum in circuitu Helisæi.Regressus autem vir sanctus ad fratres,cœpit conscientiarum ipsarum secreta rimari, confortare ipsos de visione illa mirabili, & de profectu ordinis multa futura prædicere.Cumque patefaceret plurima quæ sensum transcendebant humanum,verè cognouerunt fratres, super seruum suum Franciscum spiritum Domini in tanta plenitudine quieuisse, quòd post ipsius doctrinam & vitam erat eis proficisci tutissimum.

12 Vides quod ea fides tenenda & confitenda est, quā sancta Romana tenet & docet Ecclesia.

13 Ad omnes Ecclesias & cruces orantes se prosternebant.

Post

Post hæc pusilli gregis pastor Franciscus ad sanctam Mariam de Portiuncula duodenarium illum fratrũ numerum, superna gratia præeunte, deduxit, vt vbi meritis matris Domini Minorum sumpserat ordo initium, ipsius illic susciperet auxilijs incrementum. Ibi quoque factus Euangelicus præco, ciuitates circuibat, & castra, non in doctis humanæ sapientiæ verbis, sed in virtute spiritus annuncians regnum Dei. Videbatur intuentibus homo alterius seculi, quippe qui mente ac facie in cœlum semper intentus, omnes sursum trahere conaretur. Cœpit ex hoc Christi vinea germinare germen odoris Domini, & productis ex se floribus suauitatis, honoris & honestatis, vberes fructus afferre. Nam prædicationis ipsius feruore succensi quamplurimi, secundùm formam à Dei viro acceptam, nouis se pœnitentiæ legibus vinciebant: quorum viuẽdi modum idem Christi famulus ordinem fratrum de pœnitentia nominari decreuit. Nimirum, sic in cœlum tendẽtibus, pœnitentiæ viam omnibus constat esse communem, sicut & hic status clericos & laicos, virgines & coniugatos in vtroque sexu admittens, quanti sit apud Deũ meriti, ex pluribus per aliquos ipsorum patratis miraculis innotescit. Conuertebantur etiam virgines ad perpetuum 14 cœlibatum: inter quas virgo Deo charissima Clara, ipsarum plantula prima, tanquam flos vernans & candidus, odorem dedit, & tanquam stella præfulgida radiauit. Hæc nunc 15 glorificata in cœlis, ab Ecclesia dignè veneratur in terris, quæ filia fuit in Christo sancti patris Frãcisci pauperculi, & mater pauperũ dominarum. Multi etiam non solùm deuotione compuncti, sed & perfectionis Christi desiderio inflammati, omni mundanorum vanitate contẽpta, Francisci vestigia sequebantur. Qui quotidianis succrescentes profectibus, vsque ad fines orbis terræ celeriter peruenerunt. Faciebat namque sancta paupertas, quam solam deferebant pro sumptibus, ipsos ad omnem obedientiã promptos, robustos ad labores, & ad itinera expeditos. Et quia nihil terrenum habebant, nihil amabant, nihilque timebant amittere, securi erant vbique, nullo pauore suspensi, nulla cura distracti, tanquã qui absque mentis turbatione viuebant, & sine solicitudine diem crastinum & serotinum hospitium expectabant. Multa quidem eis in diuersis partibus orbis inferebantur conuitia, tanquàm personis despicabilibus & ignotis: verùm amor Euangelij Christi adeò ipsos patientes effecerat, vt quęrerent potius ibi esse, vbi persecutionem paterentur in corpore, quàm vbi, cognita sanctitate ipsorum, mundano possent gloriari fauore. Ipsa quoque rerum penuria superabundans eis videbatur vbertas, dum iuxta consilium Sapientis, pro magno ipsis minimum complacebat. Sanè cùm ad infidelium partes aliqui ex fratribus peruenissent, contigit, vt quidã Sarracenus pietate cõmotus, pecuniam eis offerret pro necessario victu: illis autem recusantibus accipere, miratus est homo, cernẽs quòd inopes essent. Intellecto tandem quòd pauperes affecti amore Dei, pecuniam possidere nolebant, tanta est eis affectione coniunctus, vt offerret se ad ministrandum omnia necessaria, quàm diu facultatum sibi aliquid superesset. O inęstimabilis pretiositas paupertatis, cuius miranda virtute mens feritatis barbaricæ in tantam miserationis est immutata dulcedinẽ. Horrendũ est proinde ac nepharium scelus, vt hanc margaritam nobilem vir Christianus conculcet, quam tanta veneratione extulit Saracenus. Eo tempore religiosus quidam de ordine Cruciferorum, Moricus nomine, in hospitali quodam prope Asisium languore tam graui, tamq; prolixo laborans, vt iam morti foret adiudicatus à medicis, viro Dei supplex factus, per nuncium postulabat instanter, vt pro se ad Dominum intercedere dignaretur. Cui beatus pater benignè assentiens, oratione præmissa, panis micas accepit, & cum oleo accepto de lampade, quæ coram virginis ardebat altari, cõmiscens, quasi quoddam electuarium per manus fratrum infirmanti transmisit, dicens: Medicinã hanc fratri nostro deferte Morico, quia ipsum Christi virtus non solùm plenè sanitati restituet, verum etiã robustũ bellatorem effectum aciei nostræ perseueranter adiunget. Statim autem vt antidotum illud, sancti spiritus adinuentione confectum, æger homo gustauit, sanus exurgens, tantum mentis & corporis à Deo vigorẽ obtinuit, vt paulò pòst viri sancti religionem ingressus, & vnica tãtùm operiretur tunicula, sub qua longo tempore loricam portabat ad carnem, & 16 crudis duntaxat cibarijs, herbis vel leguminibus, fructibusq; contẽtus, per plura tẽporum lustra nec panem gustaret, nec vinum, fortis tamen & incolumis perseuerans. Crescentibus quoq; virtutum meritis in paruulis Christi, odor opinionis bonæ circunquaq; diffusus, ad præsentiã sancti patris videndam, plurimos è diuersis mundi partibus attrahebat. Inter quos quidam secularium cantionum curiosus inuentor, qui ab Imperatore fuerat coronatus, & inde Rex versuum dictus, virum Dei contẽptorem mundaliũ adire proposuit. Cumq; apud castrum sancti Seuerini eum prædicantẽ reperisset in monasterio quodã, facta manu Domini super se vidit eundẽ Crucis Christi prædicatorẽ Franciscũ, duobus transuersis ensibus, valde fulgentibus, in modũ Crucis signatũ, quorum vnus à capite ad pedes, alius à manu in manum per pectus transuersaliter tẽdebatur. Non nouerat facie seruũ Christi, sed tanto monstratũ miraculo

14 Si virgines ad perpetuũ cœlibatum conuertebantur, falsum est impoßibile esse Deo fauẽte virginitatem seruare.

15 Clara nunc glorificata in cœlis, ab Ecclesia dignè veneratur in terris.

16 Vide miram sancti viri abstinentiã, qui nec panem, nec vinũ per multum temporis degustauit, & crudis duntaxat cibis vsus est.

miraculo mox agnouit. Subitò stupefactus ad visum incipit meliora proponere. Tandemq; verborum ipsius cõpunctus virtute, tãquam si esset gladio spiritus ex eius ore procedente transfixus, secularibus pompis omnino contemptis, beato patri professione cohæsit. Propter quod videns ipsum vir sanctus ab inquietudine seculi ad Christi pacem perfectè conuersum, fratrem pacificum appellauit. Hic postmodum in omni sanctitate proficiens, antequam fieret minister in Francia (siquidem primus ibidem ministerij gessit officium) meruit iterato magnũ Thau in fronte Francisci videre: quod colorũ varietate distinctum, faciem ipsius miro venustabat ornatu. Hoc quippe signum vir sanctus magno venerabatur affectu, frequenti commendabat eloquio, & in eis quas dirigebat literulis manu propria subscribebat, tãquam si omne ipsius studium foret signare Thau, iuxta dictũ propheticum: Super frontes virorũ gementium, & dolentiũ ad Christum Iesum veraciter conuersorum.

Processu quoque temporis multiplicatis iam fratribus, cœpit eos pastor solicitus in loco sanctæ Mariæ de Portiuncula ad generale Capitulum conuocare, vt in funiculo distributionis diuinæ in terra paupertatis eorum vnicuique tribueret obedientiæ portionem. Vbi licet omnium necessariorum esset penuria, fratrumq; multitudo vltra quinque milia conueniret aliquãdo, diuina tamen opitulante clemẽtia, & victus sufficientia suberat, & salus comitabatur corpora, & spiritualis iucũditas affluebat. Capitulis verò Prouincialibus quia corporalem præsentiam exhibere non poterat, per solicitam curam regiminis, instantiam precis & efficaciã benedictionis, spiritu præsens erat, quamuis aliquando, mira Dei faciẽte virtute, visibiliter appareret. Dum enim egregius prædicator, qui & nunc Christi præclarus confessor Antonius, de titulo crucis: Iesus Nazarenus Rex Iudæorum, in Arelatensi Capitulo fratribus prædicaret, quidã frater probatę virtutis Monaldus nomine, ad ostium Capituli diuina commonitione respiciens, vidit corporeis oculis beatum Franciscum in aëre subleuatum, extensis velut in Cruce manibus benedicentem fratres. Tanta verò & tam insolita fratres omnes cõsolatione spiritus repletos se fuisse senserũt, vt de vera sancti patris præsentia certum eis intra se spiritus testimoniũ perhiberet: licet postmodũ id non solùm per euidentia signa, verùm etiam per eiusdem sancti patris verba exteriori fuerit attestatione compertum. Credendum sanè quòd omnipotentis Dei virtus, quæ Ambrosium pium & sacrum Antistitem tumulationi gloriosi cõcessit interesse Martini, vt pium Pontificem pio veneraretur officio, etiam seruum suum Franciscum prædicationi præsentauit veracis sui præconis Antonij, vt approbaret veritatis eloquia, præcipuè Crucis Christi, cuius erat baiulus & minister. Cùm autẽ dilatato iam ordine viuẽdi formã per Dominum Innocentium approbatã disponeret per successorem ipsius Honorium in perpetuũ facere roborari, huiusmodi fuit à Deo reuelatione commonitus. Videbatur quidem sibi de terra micas panum subtilissimas collegisse, multisque famelicis fratribus ipsum circunstantibus debere tribuere. Cumque micas tam tenues distribuere formidaret, ne fortè inter manus exciderent, vox ei desuper ait: Francisce, vnam de micis omnibus hostiam facito, & manducare volentibus tribue. Quod id agẽte, quicunq; illud nõ deuotè recipiebãt, aut receptũ contemnebãt donũ, mox lepra infecti, notabiles apparebãt. Recitat mane vir sanctus hæc omnia socijs, dolẽs se non percipere mysteriũ visionis. Sequenti verò die cùm vigil in oratione persisteret, huiusmodi vocẽ de cœlo elapsam audiuit: Frãcisce micæ præteritæ noctis verba Euãgelica sunt: hostia, regula: lepra, iniquitas. Volens igitur confirmandã regulã ex verborũ Euangelij aggregatione profusius traditã, ad compendiosiorẽ formã, iuxta quod dictabat visio monstrata, redigere, in montem quendam cum duobus socijs, spiritu sancto ducente, conscendit, vbi [17] pane tantum contentus & aqua, ieiunans conscribi eam fecit, secundùm quod oranti sibi diuinus spiritus suggerebat. Quam cùm de monte descendens seruandã suo vicario cõmisisset, & ille paucis elapsis diebus assereret per incuriã perditam, iterato sanctus vir ad locum solitudinis redijt, eamq; instar prioris, ac si ex ore Dei verba susciperet, illicò reparauit, & per supradictũ Dominũ Papam Honoriũ octauo Põtificatus illius anno, sicut optauerat, obtinuit confirmari. Ad cuius obseruantiã fratres feruenter inducens, dicebat: se nihil ibi potuisse secundùm industriã propriã, sed omnia sic scribi fecisse, [18] sicut sibi fuerant diuinitus reuelata. Quod vt certius constaret testimonio Dei, paucis admodũ euolutis diebus, impressa sunt ei stigmata Domini Iesu digito Dei viui, tanquam bulla summi Pontificis Christi, ad confirmationem omnimodam regulæ, & commendationem autoris: sicut post suarum enarrationem virtutum suo loco inferius describetur.

17 Ecce ieiunium in pane & aquâ.

18 Beatus Franciscus sicut diuina reuelatione acceperat, regulam suam scribi fecit.

De austeritate vitæ: Et quomodo creaturæ præbebant ei solatium.

Capitulum quintum.

CVM igitur cerneret vir Dei Franciscus, suo exemplo ad Crucẽ Christi baiulandum feruenti spiritu plurimos animari, animabatur & ipse tanquam bonus dux exercitus Christi,

Christi, ad palmam victoriæ per culmen inuictæ peruenire virtutis. Attendens enim illud Apostoli verbum: Qui autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs: vt crucis armaturam suo ferret in corpore,[19] tanta disciplinæ rigiditate sensuales appetitus arcebat, vt vix necessaria sumeret sustentationi naturæ. Difficile namque fore dicebat, necessitati corporis satisfacere, & pronitati sensuũ non parêre, propter quod cocta cibaria sanitatis tẽpore vix admittebat, & rarò: admissa verò aut conficiebat cinere, aut condimenti saporem admixtione aquæ vt plurimum reddebat insipidum. De potu quid dicam, cùm & de aqua frigida, dum sitis æstuaret ardore, vix ad sufficientiam biberet? Modos adinueniebat abstinentiæ potioris, & quotidie exercitatione crescebat: licetque iam perfectionis culmen attingeret, tanquam incipiẽs semper aliquid innouabat, afflictionibus carnis puniendo libidinem. Egrediens tamen exterius propter verbum Euangelij, conformabat se suscipientibus ipsum in qualitate ciborũ: cùm tamẽ ad interiora regressus districtè seruaret rigidam abstinentię parcitatem. Sicque seipsum austerum sibi, humanum proximo, subiectum Euangelio Christi per omnia reddens, non solùm abstinendo, verùm etiã manducando præbebat ædificationis exemplũ. Nuda humus vt frequentius [20] lectus erat lassato corpusculo: & sæpius sedens, ligno vel lapide ad caput posito, dormiebat: vnica paupere contectus tunicula, in nuditate Domino seruiebat, & frigore. Interrogatus aliquando, quomodo vestitu tam tenui se posset ab hyemalis algoris asperitate tueri, spiritus feruore respondit: Si supernæ patriæ flamma per desiderium cõtegeremur interius, frigus istud exterius facilè portaremus.[21] Vestis horrebat molliciem, asperitatem amabat, asserens propter hoc Ioannem Baptistam ore diuino fuisse laudatum. Si quando verò in data sibi tunica lenitatem sentiret, cordulis eam contexebat interius, quia non in casulis pauperum, sed in palatijs principum, iuxta veritatis verbum, vestimentorũ dicebat requirendam esse molliciem. Experientia enim certa didicerat, dęmones asperitate terreri, delitiosis autem & mollibus vestibus ad tentandum fortius animari. Vnde cùm nocte quadam propter infirmitatem capitis, & oculorum, præter solitum morem ceruical de pluma positum haberet ad caput, dæmon in illud ingressus, ipsum vsque ad horam matutinalem inquietatũ multimodè à sanctæ orationis studio perturbauit, donec vocato socio puluinar cum dæmonio fecit extra cellulam lõgius exportari. Egressus autem cum puluinari frater de cella, membrorum omnium vires amisit & visum, quousque ad vocem sancti patris hoc cognoscentis in spiritu, vigor pristinus cordis & corporis sibi fuit plenariè restitutus. Rigidus in disciplina super custodiam suam stabat, curam permaximã gerẽs de vtriusque hominis puritate seruanda. Quapropter circa conuersionis suæ primordia tẽpore hyemali in foueam glacie plenam seipsum plerunque mergebat, vt & domesticum sibi hostem perfectè subigeret, & candidum vestimentum pudoris à voluptatis incendio præseruaret. Tolerabilius viro spirituali fore incomparabiliter asserebat, magnum sustinere frigus in carne, quàm ardorem carnalis libidinis vel modicum sentire in mente.

19 Vide quãta disciplinæ rigiditate sanctus pater carnis concupiscentiã edomaret, vide & mirã eius abstinentiam.

20 Nuda humo frequentius dormiebat vir Dei.

21 Ecce quanta in beato patre vestitus vilitas & asperitas, & vide mirabile de austeritate vestimentorum.

Cùm autem apud eremũ de Sarthiano nocte quadã orationi vacaret in cellula, vocauit eum hostis antiquus tertiò, dicens: Francisce, Francisce, Frãcisce. Cui cùm quid quæreret, respondisset, fallaciter ille subiungit: Nullus est in mundo peccator, cui si conuersus fuerit, non indulgeat Deus, sed quicunque semetipsum pœnitentia dura necauerit, misericordiam non inueniet in æternum. Statim vir Dei per reuelationem cognouit hostis fallaciam, quo modo visus fuerit eũ ad tepida reuocare: nam hoc sequẽs indicauit euentus. Cõtinuò enim post hoc ad insufflationem illius, cuius halitus prunas ardere facit, grauis ipsum carnis tentatio apprehẽdit. Quã vt præsensit castitatis amator, deposita veste, corda cœpit se verberare fortissimè: Eia, inquiens, frater Asine, sic te decet manere, sic subire flagellum. Tunica religioni deseruit, sanctitatis signaculum præfert: furari eam libidinoso nõ licet, si quo vis pergere, perge.[22] Insuper & mirando feruore spiritus animatus aperta cella foras exiuit in hortum, & in magnã demergẽs niuẽ corpusculũ iam nudatũ, septem ex ea plenis manibus cœpit compingere massas, quas sibi proponẽs, suo sic exteriori homini loquebatur: Ecce, inquit, hæc maior vxor tua est, quatuor istæ duo filij & duæ filię, reliquæ duæ seruus & ancilla, quos ad seruiendũ habere oportet. Festina igitur omnes induere, quoniã frigore moriũtur. Si verò eorũ multiplex solicitudo molestat, vni Domino solicitè serui. Illicò tẽtator victus abscessit, & vir sanctus cũ victoria in cellã redijt, quia dũ bene pœnaliter arsit foris, ardorẽ interius sic extinxit libidinis, vt deinceps tale aliquid minimè sentiret. Quidã autem frater, qui tunc orationi vacabat, hæc omnia, luna clarius incedente, prospexit. Comperto vir Dei, quòd hæc ille nocte vidisset, referens ei tentationis processum, præcepit vt quãdiu ipse viueret, nulli viuenti rem quã viderat propalaret. Non solùm autem [23] mortificari debere docebat vitia carnis, & eius incentiua frenari, verũ etiã exteriores sensus, per quos mors intrat ad animã, summa vigilãtia custodiri. Mulierũ [24] familiaritates, colloquia & aspectus

22 Vides quod totũ sancti viri propositũ erat, vitiorũ cõcupiscentias radicitus de animo suo euellere?

23 Mortificanda sunt carnis vitia, & eius incentiua frenanda, exterioresq; sensus summa vigilantia custodiendi.

24 Quid hic di-

& aſpectus qui multis ſunt occaſio ruinæ, ſolicitus euitari iubebat, aſſerens per huiuſmodi debilem frangi, & fortem ſæpe ſpiritum infirmari. Harum contagionem euadere conuerſantem cum eis, niſi probatiſsimum virum, tam facilè dixit, quàm iuxta ſcripturam, in igne ambulare, & non comburere plantas. Siquidem ipſe adeò auerterat oculos ſuos, ne huiuſmodi vanitatẽ viderent, quòd (ſicut aliquando ſocio dixit) quaſi nullã recognoſcebat in facie. Non enim ſecurum eſſe putabat earum formarum introrſus haurire imagines, quæ poſſunt aut edomitæ carnis reſuſcitare igniculum, aut pudicæ mentis maculare nitorem. Aſſerebat etiam friuolum eſſe mulieris colloquium, excepta ſola confeſsione, vel inſtructione breuiſsima, iuxta quod & ſaluti expedit, & congruit honeſtati. Quæ ſunt, inquit, religioſo cum muliere tractanda negotia, niſi cùm ſanctam pœnitentiam, vel melioris vitæ conſilium religioſa petitione depoſcit? Ex nimia ſecuritate minus cauetur hoſtis: Et diabolus ſi de ſuo capillum poteſt habere in homine, citò excreſcere facit in trabem.

Et hæretici noſtri, qui nunquã à lateribus fœminarũ recedere nolunt? Hoc modo viuere nullus vnquam ſanctorũ patrum repertus eſt.

Otium autem omnium malarum cogitationum ſentinam, docebat ſummopere fugiendum, exemplo demonſtrans, rebellẽ carnem & pigrã, diſciplinis 25 continuis & fructuoſis laboribus eſſe domandam. Vnde corpus ſuum fratrem aſinum appellabat, tanquam laborioſis ſupponendum oneribus, crebris cædendum flagellis, & vili pabulo ſuſtentandum. Si quem verò cernebat otioſum & vagũ, aliorũ velle manducare labores, fratrem muſcam nominandum cenſebat, eò quòd talis nihil boni faciens, ſed benefacta inficiens, vilem & abominabilẽ ſe omnibus reddat. Propter quod dixit aliquando: Volo fratres meos labore exercitari, ne otio dediti, per illicita corde & lingua vagentur. Euangelicum ſiquidem volebat à fratribus obſeruari ſilentium, vt videlicet ab omni otioſo verbo omni tempore abſtinerent ſolicitè, tanquam reddituri in die iudicij de huiuſmodi rationẽ. Sed & ſi quem inueniſſet fratrem verbis aſſuetum inanibus, acriter arguebat, taciturnitatem modeſtam, & puri cordis affirmans cuſtodiam, & non modicam eſſe virtutem, pro eo quòd mors & vita fore dicuntur in manibus linguæ, non tam ratione guſtus, quàm ratione loquelæ.

25 Facit hoc cõtra noſtri temporis Euangeliſtas, qui nullas pati volunt tribulationes nullos labores ſuſtinere, vt regnum cœlorum adipiſcãtur, ſed tantum fidei illi ſuæ inani cõfidentes, in otio & inertia vitam ducunt.

Licet autem pro viribus ad vitam auſteram fratres induceret, non tamen ei placebat diſtrictionis ſeueritas, quæ pietatis non induit viſcera, nec eſt diſcretionis ſale cõdita. Cùm enim quadam nocte vnus ex fratribus præ nimietate abſtinentiæ admodũ fame cruciatus, nullam poſſet habere quietẽ, intelligeretq; pius paſtor oui ſuæ imminere periculũ, vocauit fratrem, appoſuit panem, & vt ruborem illi tolleret, cœpit ipſe prior comedere, eumq; ad manducandum dulciter inuitare. Depoſuit frater verecundiam, ſumpſit cibum, gauiſus quamplurimũ, quod per circunſpectã condeſcenſionẽ paſtoris, & corporis euaſiſſet diſpẽdium, & non modicũ accepiſſet ædificationis exemplũ. Mane facto, fratribus cõuocatis in vnum, vir Dei referẽs quod acciderat nocte, prouida commonitione ſubiunxit: Sit vobis fratres, nõ cibus, ſed charitas in exemplũ. Docuit inſuper eos diſcretionẽ ſequi, vt aurigam virtutum, non eam quam caro ſuadet, ſed quam edocuit Chriſtus, cuius ſacratiſsimã vitam expreſſum conſtat eſſe perfectionis exẽplar. Et quoniam agnũ ſine macula Crucifixũ non eſt poſsibile homini carnis infirmitate circũdato ſic perfectè ſectari, quin aliquas cõtrahat ſordes, ideo documento certo firmabat eos, qui perfectioni vitæ vigilanter intẽdunt, quotidianis debere ſe lachrymarũ emundare fluentis. Licet enim iam eſſet adeptus cordis & corporis puritatẽ mirabilẽ, nõ ceſſabat tamẽ lachrymarũ imbribus iugiter oculos expiare mentales, corporeorũ luminum non ponderando iacturam. Cùm enim & continuo fletu infirmitatem oculorum incurriſſet grauiſsimam, ſuadente ſibi medico, quòd abſtineret à lachrymis, ſi corporei viſus cœcitatẽ vellet effugere: Vir ſanctus reſpondit: Non eſt frater medice, ob amorem luminis, quod habemus commune cum muſcis, viſitatio lucis æternæ repellenda vel modicum, quia non ſpiritus propter carnẽ, ſed caro propter ſpiritũ beneficium lucis accepit. Malebat ſiquidẽ corporalis viſus lumen amittere, quàm lachrymas, quibus oculus mundatur interior, vt Deũ videre valeat, repreſſa deuotione ſpiritus impedire. Cùm autẽ ſemel daretur conſiliũ à medicis, & inſtãter ſuaderetur à fratribus, vt pateretur ſibi per remedium ſubueniri cocturæ, humiliter vir Dei aſſenſit, quia ſalutiferum hoc ſimul & aſperum eſſe cernebat. Vocatus itaq; venit chirurgus, inſtrumẽtum ferreũ igni ſubmittens ad faciendã cocturam. At Chriſti ſeruus corpus iam horrore concuſſum confortans, ſicut amicum, cœpit ignem alloqui, dicens: Mi frater ignis, præ cæteris rebus æmulandi decoris, virtuoſum, pulchrum & vtilem te creauit altiſsimus, eſto mihi hac hora propitius, eſto curialis: Precor magnũ Dominum qui te creauit, vt tuum mihi calorem tẽperet, quo ſuauiter vrentẽ valeã ſuſtinere. Oratione finita, contra igne candeſcens ferreũ inſtrumentum ſignũ crucis edidit, ac deinceps intrepidus perſiſtebat. Profundatũ eſt crepitãs ferrum in tenera carne, & ab aure vſq; ad ſupercilium coctura protracta. Quantũ irrogauerit ignis ille dolorem, vir ipſe ſanctus expreſsit: Laudate, inquit ad fratres, altiſsimum, quia verè dico vobis, nec ignis ardorem ſenſi, nec carnis vllum dolorem. Et cõuerſus ad medicum:

 Si non

Si non est,inquit,caro bene decocta,imprime iterum.Expertus medicus in inualida carne virtutem spiritus tam potentem, miratus est,& diuinum hoc miraculum extulit,dicens: Dico vobis fratres, vidi mirabilia hodie. Quia enim ad tantam deuenerat puritatem, vt caro spiritui,& spiritus Deo,harmonia mirabili concordarent,diuina ordinatione fiebat, vt creatura creatori suo deseruiens,voluntati & imperio eius mirabiliter subiaceret.Alio etiam tẽpore apud eremũ S.Vrbani,seruo Dei ægritudine grauissima laborante,cùm ipse naturæ defectum sentiens,vini poculum postulasset,nihilq; de vino, quod sibi dari posset, responderetur adesse, iussit aquã adferri, & allatam signo 26 crucis edito benedixit. Mox vinum efficitur optimũ quod fuerat aqua pura,& quod deserti loci paupertas non potuit, viri sancti puritas impetrauit.Ad cuius gustũ tanta protinus facilitate cõualuit,vt saporis nouitas,& innouatio sanitatis gustabile ac gustantẽ supernaturaliter innouãtes,perfectam in ipso expoliationem veteris hominis,& induitionẽ noui duplici attestatione firmarẽt.

26 Signo crucis edito B Franciscus aquam puram in vinum optimum commutauit.

Non solùm creatura seruo Dei seruiebat ad nutum,sed & creatoris vbique prouidentia condescendebat ad placitum. Cùm enim tempore quodam ex multarum infirmitatum concursu,aggrauata corpore,ad iocunditatem spiritus excitandam,alicuius audiendi soni harmoniaci desiderium habuisset,nec id honestatis decentia per ministeriũ fieri pateretur humanum,adfuit Angelorũ obsequium ad viri sancti placitũ adimplendum.Nocte etenim quadam vigilante ipso, & meditante de Domino repente insonuit cithara quædam harmoniæ mirabilis,& suauissimæ melodiæ.Non videbatur aliquis,sed transitum & reditum citharædi,ipsa hinc inde auditus volubilitas innuebat. Spiritu in Deum directo,tanta fuit in illo dulcisono carmine suauitate perfruitus,vt aliud se putaret seculũ commutasse.Hoc & fratres sibi familiares non latuit,qui per certa frequẽter conspiciebant indicia,eum tam excessiuis, & crebris consolationibus à Domino visitari, vt nec ipsas omnino occultare valeret.Alio quoq; tempore,viro Dei prædicationis causa inter Lombardiã & Marchiam Teruisinam iter agente cum fratre socio iuxta Padum,tenebrosa noctis superuenit obscuritas.Cumque via esset exposita periculis magnis & multis,propter tenebras, fluuium & paludes,dixit socius ad virum sanctũ: Ora pater,vt de instantibus periculis liberemur.Cui vir Dei cum fiducia multa respondit: Potens est Deus,si placet suæ dulcedini,tenebrarum effugata caligine,beneficiũ nobis impendere lucis. Vix sermonẽ compleuerat,& ecce tanta lux illicò cœpit circa eos superna radiare virtute,vt nocte alijs existente obscura, ipsi luce clara viderent non solùm viam, verùm etiam plurima circunquaque. Cuius lucis ducatu corporaliter directi,& spiritualiter confortati,vsque ad locum hospitij per non modicum viæ spatium cum diuinis hymnis & laudibus incolumes peruenerunt. Perpende quantæ fuerit vir iste mundiciæ,quantæq; virtutis,ad cuius nutum suum ignis ardorem contemperat, aqua saporem commutat, Angelica præbet melodia solatium,& lux diuina ducatum: vt sic sanctificatis viri sancti sensibus, omnis probetur munda machina deseruire.

De humilitate & obedientia: Et de condescensionibus diuinis sibi factis ad nutum. Capitulum sextum.

OMnis virtutum custos & decor humilitatis,copiosa virũ Dei vbertate repleuerat.In propria quidem reputatione nihil erat,nisi peccator, cùm in veritate speculum esset & splendor omnimodæ sanctitatis.Super hanc studuit ædificare seipsum,vt sapiens architectus,fundamẽtum præiacens,quod à Christo didicerat.Dicebat propter hoc filiũ Dei de altitudine sinus paterni ad nostra despicabilia descendisse,vt tam exẽplo quàm verbo Dominus & magister humilitatẽ doceret.Propter quod studebat,tanquã Christi discipulus,in oculis suis & aliorũ vilescere,à summo dictum esse magistro cõmemorans:Quod altum est apud homines,abominatio est apud Deum.Sed & verbũ hoc dicere solitus erat:Quantum homo est in oculis Dei,tantum est,& nõ plus.Stultum proinde iudicans mũdanis extolli fauoribus,gaudebat de opprobrijs,& de laudibus tristabatur.Malebat quidẽ de se vituperiũ audire,quàm laudẽ,sciens quòd hoc ad emendandũ induceret,illa impelleret ad cadẽdum. Et ideo sæpe cùm populi merita in eo sanctitatis extollerent,præcipiebat alicui fratri,vt in contrariũ verba ipsum vilificantia suis auribus inculcando proferret.Cumq; frater ille licet inuitus,eum rusticũ,& mercenariũ imperitũ & inutilẽ diceret,exhilaratus tã mente quàm facie respondebat: Benedicat tibi Dominus fili charissime, quia tu verissima loqueris, & talia filiũ Petri Bernardonis decet audire.Vt autẽ se cæteris despicabilẽ redderet,non parcebat rubori, quin in prædicatione coram omni populo proprios manifestaret defectus. Accidit semel vt infirmitate grauatus,rigorẽ abstinentiæ pro recuperanda sanitate modicum relaxaret.Viribus autem corporis vtcunq; resumptis,verus sui contẽptor ad propriæ carnis animatus opprobriũ:Non est,inquit,conueniens,vt populus abstinentẽ me credat, & ego è cõtrario reficiar in occulto.Surrexit propterea sanctę humilitatis spiritu inflammatus,& in platea ciuitatis Asisij populo conuocato,solenniter cũ fratribus multis,quos

secum

secum adduxerat, maiorem introiuit Ecclesiam, funeque ad collum ligato, nudum cum fœmoralibus solis in oculis omnium se trahi cœpit vsque ad lapidem, in quo malefactores puniendi consueuerant collocari. Super quem conscendēs, licet quartanarius esset & debilis, acerbi frigoris tempore cum multo vigore animi prædicauit. Audientibusq; cunctis, asseruit se non tanquam spiritualē honorandum fore, quinimo tanquam carnalem & glutonem ab omnibus contemnendum. Igitur qui conuenerant, tam ingenti viso spectaculo admirati sunt, & quia ipsius austeritatem iam nouerant, deuotione compuncti, humilitatem huiusmodi magis admirabilem quàm imitabilem proclamabant. Licet autem id magis videatur portentum fuisse, instar prophetalis vaticinij, quàm exemplum, tamen verè documentum extitit humilitatis perfectæ, quo Christi sectator instruitur transitoriæ laudis præconium debere contemnere, tumentis quoque iactantiæ comprimere fastum, & fraudulentæ simulationis mendacium confutare. Multa quidem in hunc modum sæpius faciebat, vt exterius tanquam vas perditum fieret, & sanctificationis spiritū interius possideret. Studebat bona Domini sui arcano pectoris condere, nolens patere gloriæ, quod posset occasio esse ruinæ. Nam sæpe cùm beatificaretur à pluribus, verbum huiusmodi proferebat: Filios & filias adhuc habere possem, nolite laudare vt securū: Nemo laudandus, cuius incertus est exitus. Ista quidem laudantibus. Ad se autem sic: Latroni si tanta contulisset altissimus, gratior te foret Francisce: Dicebat fratribus sæpe: De omni eo quod peccator potest, nemo sibi debet iniquo applausu blandiri. Peccator, ait, ieiunare potest, orare, plangere, carnemque propriam macerare: hoc solum non potest, Domino scilicet suo esse fidelis. In hoc itaque gloriandum, si suam Domino gloriam reddimus: si fideliter seruientes ipsi quicquid donat adscribimus. Vt autem pluribus modis negociator hic Euangelicus lucraretur, ac totum præsens tempus conflaret in meritum, non tam præesse voluit, quàm subesse: nec tam præcipere, quàm parēre. Idcirco generali cedens officio, Guardianum petijt, 27 cuius voluntati per omnia subiaceret. Tam enim vberem asserebat sanctæ obedientię fructū, vt eis qui iugo ipsius colla submitterent, nil temporis sine lucro transirent: vnde & fratri cum quo erat solitus ire, semper obedientiā promittere consueuerat, & seruare. Dixit aliquando socijs: Inter alia quæ dignanter pietas mihi diuina concessit, hanc gratiam contulit, quòd ita diligenter nouitio vnius horæ obedirē, si mihi Guardianus daretur, sicut antiquissimo, & discretissimo fratri. Subditus, inquit, pręlatū suū nō hominē considerare debet, sed illū, pro cuius est amore subiectus. Quantò enim contēptibilior præsidet, tantò magis humilitas obediētis placet.

27 Ecce quanta fuerit in beato patre obedientia & humilitas.

Cùm verò vice quadam quęreretur ab eo, quis esset verus obediens iudicandus, corporis mortui similitudinē pro exemplo proposuit. Tolle, inquit, corpus exanime, & vbi placuerit pone: Videbis non repugnare motum, non murmurare situm, non reclamare dimissum. Quòd si statuatur in cathedram, non alta, sed ima despiciet: Si collocetur in purpura, duplo pallescet. Hic, ait, verus obediens est, qui cur moueatur non dijudicat, vbi locetur nō curat, vt transmutetur non instat, euectus ad officium solitam tenet humilitatem, plus honoratus plus reputat se indignū. Dixit aliquando socio suo: Non mihi videor frater minor, nisi fuero in statu, quē tibi descripsero. Ecce prælatus existens fratrum, vado ad capitulum, prædico & commoneo fratres, & in fine dicitur contra me: Non conuenis nobis, quia illiteratus es, elinguis, idiota, & simplex. Tandem eijcior cum opprobrio, vilipensus ab omnibus. Dico tibi, nisi eodē vultu, eadē mentis lætitia, & eodē sanctitatis proposito hęc verba audiero, frater minor nequaquā sum. Et addebat: In pręlatione casus, in laude præcipitiū, in humilitate subditi animæ lucrū est. Cur ergo periculis plus quàm lucris attendimus, cùm acceperimus tempus ad lucrū? Hac igitur de causa humilitatis forma Franciscus fratres suos voluit vocari minores, & prælatos sui ordinis dici ministros: vt & verbis vteretur Euangelij, quod obseruare promiserat, & ex ipso nomine discerent discipuli eius, quòd ad discendā humilitatem ad scholas humilis Christi venissent. Magister siquidē humilitatis Iesus Christus vt informaret discipulos ad humilitatē perfectā, dixit: Quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister: Et quicunq; voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Cùm autē requireret ab eo Dominus Hostiēsis, ordinis minorū protector & promotor præcipuus, qui postmodum iuxta quod idem vir sanctus prædixerat, ad summum Pontificatus sublimatus honorem, Gregorius Nonus est dictus, vtrum sibi placeret, quòd fratres sui promouerentur ad Ecclesiasticas dignitates, respondit: Domine, minores ideo vocati sunt fratres mei, vt maiores fieri non præsumant. Si vultis, ait, vt faciant fructum in Ecclesia Dei, tenete illos, & conseruate in statu vocationis eorum, & ad prælationes ecclesiasticas nullatenus ascendere permittatis. Et quoniam humilitatem tam in se quàm in subditis cunctis præferebat honoribus, amator humilium Deus, altioribus ipsum dignum iudicabat fastigijs, secundùm quod vni fratri viro virtutis & deuotionis præcipuæ visio cœlitus ostensa monstrauit. Cùm enim esset in comitatu viri Dei, & vnà cū ipso in quadā ecclesia deserta feruēti oraret affectu,

in extasi factus, vidit inter multas in cœlo sedes vnam præ cæteris digniorem, pretiosis ornatam lapidibus, & omni gloria refulgentem. Miratus intra se præcelsi refulgentiã throni, anxia cœpit cogitatione perquirere, quis ad illum deberet assumi. Audiuit inter hæc vocem dicentem sibi: Sedes ista vnius de ruentibus fuit, & nunc humili seruatur Francisco. Reuersus demum frater ad se ab orationis excessu, virum beatum exterius prodeuntem solito fuit more sequutus. Cumq; incedentes per viam de Deo inuicem loquerentur, frater ille visionis suæ non immemor, solerter ab eo quæsiuit, quid de seipso sentiret. Ad quem humiliter Christi seruus: Videor, ait, mihi maximus peccatorum. Cui cùm frater diceret ex aduerso, quòd hoc non posset sana conscientia dicere, nec sentire, subiunxit: Si quantumcunque sceleratum hominem tanta fuisset Christus misericordia prosequutus, arbitror sanè, quòd multò quàm ego Deo gratior esset. Confirmatus fuit frater ex tam admirabilis humilitatis auditu de veritate visionis ostensæ, Euangelio sacro testante cognoscens, quòd ad excellentiam gloriæ, de qua superbus eijcitur, verè humilis exaltetur.

Alio quoque tempore cùm in deserta quadam oraret ecclesia in prouincia Malle apud montem Casalẽ, intellexit per spiritum sacras ibidem remansisse reliquias: quas cùm longo iam tempore defraudatas honorificentia debita non sine mœrore conspiceret, præcepit fratribus, vt eas cum reuerentia deferrent ad locum. Sed cùm poscente causa, discessisset ab eis, mandati patris immemores filij, obedientię meritũ neglexerunt. Die verò quadã cùm sacra celebrare vellent mysteria, superiori altaris operimento submoto, ossa pulcherrima & redolentia nimis non sine admiratione reperiunt, intuentes reliquias, quas non hominis manus, sed Dei [28] virtus attulerat. Reuersus paulò pòst vir Deo deuotus, diligẽter cœpit exquirere, si quod de reliquijs mandauerat, esset impletum. Verùm neglectæ obedientiæ culpã fratres confitentes humiliter, cum pœna veniam meruerunt. Et ait vir sanctus: Benedictus Dominus Deus meus, qui per seipsum impleuit quod vos facere debuistis. Considera diligenter diuinæ prouidentiæ curam circa puluerem sanctorum: & humilis Francisci excellentem in oculis Dei perpende virtutem: Nam cuius iussis non paruit homo, votis obediuit Deus.

28 Tu qui sanctorum reliquias negligis, vide quantam vir Dei illis exhibeat reuerentiam, imo Deus ipse, si ita dici fas est.

Quodam tempore deueniens Imolam, ciuitatis Episcopum adijt, humiliterque poposcit, vt cum ipsius beneplacito posset populum ad prædicationem vocare. Cui Episcopus durè respondens: Sufficit, inquit, frater, quòd ego prædicem populo meo. Inclinauit caput verus humilis, & foras egressus, post modicam horã regreditur intrò. A quo cùm Episcopus quasi turbatus requireret quid iteratò petere vellet, humili tam corde, quàm voce respondit: Domine, si pater filium vno repulerit ostio, alio sibi reintrandum est. Humilitate victus Episcopus, alacri vultu eum amplexus est, dicens: Tu & omnes fratres tui de cætero in Episcopatu [29] meo generali mea licentia prædicetis, quia illud humilitas sancta promeruit.

29 Ecce quomodo nullus superioris potestate carens, verbum Dei prædicare potest.

Contigit ipsum aliquando Aretium deuenire, cùm tota ciuitas intestino bello quassata propinquũ sui minabatur excidium. Hospitatus verò in suburbio vidit supra ciuitatẽ exultantes dæmones, ac perturbatos ciues ad cædem mutuam succendẽtes. Vt autem seditiosas illas effugaret aëreas potestates, fratrem Syluestrum columbinæ simplicitatis virum quasi præconẽ præmisit, dicens: Vade ante portam ciuitatis, & ex parte Dei omnipotẽtis dæmonibus in virtute obedientiæ præcipe, vt exeant festinanter. Accelerat verus obediens patris iussa perficere, & præoccupãs in laudibus faciem Domini, ante portã ciuitatis cœpit clamare valenter: Ex parte omnipotentis Dei, & iussu serui eius Francisci procul hinc discedite dæmones vniuersi. Redit ad pacem continuò ciuitas, & ciuilitatis in se iura ciues omnes cum magna trãquillitate reformant. Expulsa quippe dæmonũ furibunda superbia, quę ciuitatem illam velut obsidione vallauerat, superueniẽs sapiẽtia pauperis, videlicet Frãcisci humilitas, pacem reddidit, vrbemq; saluauit. Humilis enim obediẽtia ardua promerente virtute, super spiritus illos rebelles atq; proteruos tam potestatiuũ fuerat assecutus imperiũ, vt & ipsorum feroces proteruias premeret, & importunas violẽtias propulsaret. Fugiunt quidem superbi dæmones excelsas virtutes humiliũ, nisi cùm interdum ad humilitatis custodiã diuina eos clementia colaphizari permittit: sicut & Paulus Apostolus de seipso scribit, & Franciscus experimento probauit. Rogatus enim à Domino Leone Cardinale sanctæ Crucis, vt secum aliquantulũ moraretur in Vrbe, acquieuit humiliter ob ipsius reuerẽtiam & amorem. Prima igitur nocte cùm post orationẽ vellet quiescere, superuenerunt dæmones in Christi militem atrociter insurgẽtes. Quem cùm diu verberassent, ac durè, ad vltimũ quasi semynecẽ reliquerunt. Discedẽtibus illis socius vocatus aduenit. Cui cùm vir Dei rei narrasset euentũ, subiungẽs ait: Credo frater, quòd dęmones qui nihil possunt, nisi quantũ prouidẽtia superna disponit, ideo in me nũc tam ferociter irruerũt, quia non bonã spem præfert mansio mea in curia magnatorũ. Fratres mei qui in locis pauperculis cõmorantur, audientes me cũ Cardinalibus esse, suspicabũtur forsitan implicari mũdanis, efferri honoribus, & delitijs abũdare. Ideo melius iudico, eum qui ponitur in exemplum fugere curias, & humiliter inter humiles in locis

conuersari humilibus, vt sustinentes penuriam fortes efficiat similia sustinendo. Veniunt ergo mane, & humili excusatione proposita, valefaciunt Cardinali. Abhorrebat nempe vir sanctus superbiam omnium malorum originem & inobediētiam ipsius pessimam prolem, sed non minus humilitatem pœnitentiæ acceptabat. Accidit semel, vt eidem præsentaretur quidam frater, qui contra legem obedientiæ aliquid fecerat, disciplina iustitiæ corrigendus. Videns autem vir Dei fratrem illum per signa euidentia veraciter esse compunctum, ad indulgendum ei amore fuit humilitatis inductus. Ne tamen facilitas veniæ incentiuum esset alijs delinquendi, iussit ablatum fratri caputium in medio flammarum proijci, vt omnes aduerterent, quanta qualiq; vindicta offensa sit inobedientiæ percellenda. Cumque per moram caputium fuisset in medio ignis, præcepit ipsum flammis detrahi, reddiq; fratri humiliter pœnitenti. Mirabile dictu: Extrahitur caputium de medio flammarum, nullum habens adustionis vestigium: sicque factum est, vt hoc vno Deus miraculo & sancti viri virtutem & humilitatem pœnitentiæ commendaret. Dignè itaque sectanda est Francisci humilitas, quæ tam miram in terris etiam dignitatem obtinuit, vt Deum inclinaret ad votum, & hominis immutaret affectum, dæmonum proteruitatem suo iussu propelleret, & flammarum voracitatem solo nutu refrenaret. Re vera hæc est, quæ possessores suos exaltans, dum omnibus reuerentiam exhibet, ab omnibus promeretur honorem.

De amore paupertatis, & mira suppletione defectuum.

Capitulum septimum.

INter cætera charismatum dona, quæ à largo datore Franciscus obtinuit, prærogatiua quadā spirituali promeruit in diuitias simplicitatis excrescere per altissimæ paupertatis amorem. Hanc filio Dei vir sanctus familiarem attendens, & iam quasi toto orbe repulsam, charitate sic studuit desponsare perpetua, quòd non solum pro ea patrem matremque reliquit, verum etiam quę habere potuit vniuersa dispersit. Nemo tam auri, quàm ipse cupidus paupertatis: nec thesauri custodiēdi solicitior vllus, quàm iste huius Euangelicæ margaritę. In hoc præcipuè suus offendebatur aspectus, si quicquam videret in fratribus, quod paupertati non per omnia cōsonaret. Re vera ipse à principio religionis vsque ad mortem, tunica, cordula, & fœmoralibus diues, ijs 30 contentus fuit. Christi Iesu paupertatem & matris frequenter cum lachrymis reuocabat ad mentem, inde hanc virtutum asserens esse reginam, quia in rege regum & in regina matre ipsius tam præstanter effulsit. Nam & fratribus in conclaui quærentibus, quę virtus magis amicum redderet Christo, quasi secretum sui cordis aperiens, respondebat: Paupertatē noueritis fratres, spiritualem viam esse salutis, tanquam humilitatis fomentum, perfectionisque radicem, cuius est fructus multiplex, sed occultus. Hæc enim est Euangelici agri thesaurus abscōditus, pro quo emendo vendēda sunt omnia, & quæ vendi non possunt, illius comparatione spernenda. Ad huius, inquit, culmen qui cupit attingere, non solum mundanæ prudentię, verum etiam literarum peritiæ renunciare quodāmodo debet, vt tali expropriatus possessione, introeat in potētias Domini, & nudum se offerat brachijs crucifixi. Nequaquam enim seculo perfectè renunciat, qui proprij sensus loculos intra cordis arcana reseruat. Sæpe verò de paupertate sermonem faciens, ingerebat fratribus Euangelicum illud: Vulpes foueas habent, & volucres cœli nidos: filius autem hominis non habet vbi caput suum reclinet. Propter quod docebat fratres, vt pauperum more pauperculas casulas erigerent, quas non habitarent vt proprias, sed sicut peregrini & aduenæ alienas. Leges namque peregrinorum esse dicebat, sub alieno colligi tecto, sitire ad patriam, pacificè pertrāsire. Mandabat dirui aliquando domos erectas, aut fratres exinde amoueri, si aliquid in eis perciperet, quod ratione appropriationis vel sumptuositatis contrarium esset Euāgelicæ paupertati. Hanc sui dicebat ordinis fundamentū, cui substrato primariè sic omnis structura religionis innititur, vt ipsius firmitate firmetur, & euersione funditus euertatur. Docebat proinde sicut reuelatione didicerat, sacrę religionis ingressum ab illo fore inchoandū Euāgelico verbo: Si vis perfectus esse, vade, & vēde omnia quæ habes, & da pauperibus. Ideoq; non nisi expropriatos, & nihil penitus retinentes admittebat ad ordinē, tùm propter verbum sancti Euangelij, tùm etiam ne forent in scandalum loculi reseruati.

30 Vide quā fautor & studiosus euangelicæ paupertatis amator fuerit beatus pater Franciscus.

Vnde in Marchia Anchonitana cuidam petenti ad ordinem recipi, verus pauperum Patriarcha respondit: Si vis Christi pauperibus iungi, pauperibus tua distribue. Quo audito perrexit homo, & ductus amore carnali sua suis reliquit, nilque pauperibus. Verùm cùm hoc illo referente vir sanctus audisset, dura eum increpatione feriens, dixit: Vade viam tuam frater musca, quoniam nondum existi de domo & cognatione tua: consanguineis tuis tua dedisti, & defraudasti pauperes, dignus non es pauperibus sociari. Incepisti à carne, ruinosum fundamentum spirituali fabricæ collocasti. Redijt animalis homo ad suos, & repetijt sua, quæ pauperibus derelinquere nolens, virtutis propositum citius dereliquit.

Alio quoque tempore cùm in loco sanctę Mariæ de portiuncula tanta esset inopia, quòd

 non

non posset hospitibus fratribus superuenientibus secundùm necessitatis exigentiam prouideri, adijt virum Dei Vicarius suus, allegans penuriam fratrum, & petens vt intrantium nouitiorum res aliquas reseruare liceret, ad quas expendendas recurrere possent fratres tempore oportuno. Ad quem vir sanctus superni cõsilij non ignarus: Absit, inquit, à nobis frater charissime, vt pro quouis homine impiè agamus in regulam: Malo te altare Virginis gloriosæ nudare, cùm necessitas id requirit, quàm contra paupertatis votum & obseruantiam Euangelij aliquid vel modicum attentare. Gratius enim habebit beata Virgo, sancto Euangelij perfectè seruato consilio, suum altare detegi, quàm altari suo ornato, filij sui promissum consilium prætermitti. Transiens autem quodam tempore vir Dei cum suo socio per Apuliam iuxta Barrum, inuenit in via bursam magnam, quasi plena esset denarijs, tumescentem, quam vsitato vocabulo, Fundam appellant. Monetur à socio pauper Christi, & instanter inducitur, vt bursa tollatur è terra, & pecunia pauperibus erogetur. Renuit homo Dei, commentum affirmans fore diaboli in bursa inuenta: & fratrem non suadere rem meriti, sed peccati, alienam scilicet surripere ac donare. Recedunt de loco, festinant iter perficere cœptum. Sed nondum quiescit frater, vacua pietate delusus, virum Dei molestans, quasi qui de releuanda pauperum penuria non curaret. Acquieuit tandem vir inuitus redire ad locum, non vt fratris voluntatẽ perficeret, sed vt detegeret diabolicam fraudem. Reuersus est ergo ad Fundam cum fratre & iuuene quodam qui erat in via. Oratione præmissa, iubet socio illam leuare. Tremefactus frater obstupuit, diabolicum iam præsentiens monstrum: propter obedientiæ tamẽ sanctæ mandatũ, dubietatem abigens cordis, manum extendit ad bursam. Et ecce serpẽs non modicus de bursa exiliens, simulq; cũ ipsa subitò euanescens, diabolicam deceptionem fratri monstrauit. Hostilis itaq; versutiæ deprehensa fallacia, dixit vir sanctus ad socium: Pecunia seruis Dei ô frater, nihil aliud est, quàm diabolus, & coluber venenosus.

Accidit post hæc quoddam mirabile viro sancto, dum se ad ciuitatem Senensem, causa exigente, transferret. Tres quidem mulieres pauperculæ, statura, ætate, ac facie per omnia similes, in quadam ei magna planicie inter Campilium & sanctum Quiricum occurrerunt, nouum salutationis munusculum offerentes, Bene veniat, inquiunt, domina paupertas. Quo audito, verus paupertatis amator indicibili repletus est gaudio, vtpote qui nihil in se salutandum hominibus tam libenter haberet, quàm quod illæ decreuerãt. Subitò disparentibus illis, considerãtes fratres socij tam admirabilem in eis similitudinem, salutationis, occursus, & disparẽtiæ nouitatem, mysticum aliquid designari circa virum sanctum non irrationabiliter perpenderunt. Sanè per illas tres, vt videbatur, mulieres pauperculas sic vniformi facie occurrentes, sic salutantes insolitè, sic subitò disparentes, Euangelicæ perfectionis formositas, quantum ad castitatem scilicet, obedientiam & paupertatem, satis conuenienter ostenditur in viro Dei pari forma perfectè fulsisse: licet gloriari præelegerit in priuilegio paupertatis, quam modò matrem, modò sponsam, modò dominam nominare solebat. In hac cæteros cupiebat excedere, qui ex ipsa didicerat inferiorem se omnibus reputare. Si quando pauperiorem se quempiam secundùm exteriorem habitum cerneret, semetipsum protinus arguens excitabat ad simile, tanquã si æmula paupertate concertans vinci se timeret in illo. Accidit enim vt pauperculum quẽdam obuium haberet in via. Cuius cùm nuditatem aspiceret, cõpunctus corde, lamẽtabili voce dixit ad socium: Magnam verecundiã intulit nobis huius inopia, quia nos pro magnis diuitijs paupertatem elegimus, & ecce magis relucet in isto. Propter sanctæ paupertatis amorem omnipotentis Dei famulus, eleemosynis ostiatim quæsitis vtebatur multò libentius, quàm oblatis. Si quando enim inuitatus à magnis personis, mensis esset profusioribus honorandus, pius per propinquas vicinorum domos panum fragmenta petebat, ac deinde sic ditatus inopia discumbebat. Et cùm aliquando id fecisset, inuitatus à Domino Hostiẽse qui pauperem Christi præcipuo complexabatur affectu, conquerenti Episcopo, quòd suo derogasset honori, vtpote qui in eius comesturus domo pro eleemosynis isset, seruus Dei respõdit: Magnum mi domine, vobis honorem exhibui: dum maiorem Dominum honoraui: siquidem beneplacitum est Domino in paupertate, & ea maximè quæ voluntaria pro Christo mendicitas est. Hanc dignitatẽ regalẽ, quam pro nobis Dominus Iesus egenus factus assumpsit, vt sua nos ditaret inopia, ac verè pauperes spiritu regni cœlorũ reges institueret, & hæredes, nolo relinquere pro feudo diuitiarũ falsarũ nobis ad horam concesso. Nonnunquam fratres ad petendum eleemosynam hortans verbis vtebatur huiusmodi: Ite, inquit, quoniam hac nouissima hora fratres minores commodati sunt mundo, vt electi in eis impleant, vnde à Iudice cõmendentur, illud audientes suauissimum verbum: Quãdiu fecistis vni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Iocundum proinde dicebat sub fratrum minorum titulo mendicare, quem in retributione iustorum Euãgelicæ veritatis magister ore suo tam signanter expressit: In festis quoque præcipuis, vbi oportunitas aderat, mẽdicare solitus erat, dicens in sanctis pauperibus Propheticum illud impleri:

Panem

Panem Angelorum mãducauit homo. Illum sanè panem Angelicum esse dicebat, quem pro Dei petitum amore, & beatis suggerentibus Angelis, pro ipsius charitate largitum sancta paupertas colligit ostiatim. Vnde cùm semel die sancto Paschæ morã faceret in eremitorio quodam ab hominum habitatione remoto, quòd commodè mẽdicare non posset, memor illius, qui discipulis eũtibus in Emaus ipso die in specie peregrini apparuit, ab ipsis fratribus eleemosynã petijt, vt peregrinus & pauper. Quam cùm accepisset humiliter, sacris eos informauit eloquijs, quòd transeuntes per mundi desertum tanquam peregrini & aduenæ, veriq; Hebræi, Pascha Domini, hoc est, transitũ ex hoc mundo ad patrem, in paupertate spiritus continuè celebrarent. Et quoniã in petendis eleemosynis non quæstus agebatur cupidine, sed spiritus libertate, pater pauperũ Deus specialem de ipso curã gerere videbatur. Accidit enim, vt infirmitate grauatus Domini seruus in loco Nocerię, reduceretur Assisium per solennes nuncios ab hoc Asissinatis populi deuotione trãsmissos. Qui Christi famulum deducentes, ad villam quandam deuenerunt, pauperculum nomine Sathianum, vbi cùm fames & hora cibum expeterent, euntes & nihil inuenientes venale, vacui redierunt. Ad quos vir sanctus, ideo nihil inuenistis, quia plus in muscis vestris quàm in Domino cõfiditis. Muscas nempe denarios vocauit. Sed reuertimini, ait, per domos quas circuistis, & amorem Dei offerentes pro pretio, humiliter eleemosynam postulate. Nec falsa id æstimatione verecundum putetis aut vile, quoniam vniuersa in eleemosynam post peccatum dignis & indignis eleemosynarius ille magnus largiflua pietate concessit. Deponunt erubescentiam milites, & eleemosynam sponte petentes, plura pro Dei amore quàm denarijs emunt. Siquidem diuino nutu corde compuncti pauperes incolæ non solùm sua, sed & seipsos liberaliter obtulerunt. Sicq; factum est, vt inopiam quam pecunia releuare non poterat, Francisci paupertas suppleret. Tempore quo infirmus iacebat in eremitorio propè Reate, medicus quidam opportuno eum frequentabat officio. Cùm autem Christi pauper impotens esset ad rependendam mercedem labori condignam, liberalissimus Deus ne ipsum sine præsenti remuneratione dimitteret, pium eius obsequium hoc nouo beneficio vice pauperis compensauit. Huius enim medici domus, quam tunc temporis ex omni lucro suo de nouo construxerat, parietum patula scissione à summo vsque deorsum, adeò de proximo minabatur ruinam, quòd non videbatur per humanę artis industriam possibile ipsius casui obuiare. Ipse verò de sancti viri meritis planè confidens, cum magna fidei deuotione petiuit à socijs eius aliquid sibi concedi, quod idem vir Dei manibus cõtrectasset. Cùm igitur modicũ de capillis ipsius multa precum obtentum instantia, posuisset de sero intra muri scissuram, mane consurgens tanta inuenit apertulam illam soliditate cõclusam, vt nec reliquias ibi positas posset extrahere, nec scissuræ prioris vestigiũ aliquod inuenire. Factumq; est, vt qui ruinoso corpusculo serui Dei sedulè ministrârat, ruituræ domus propriæ periculo præcaueret. Alio quoque tempore vir Dei ad quandam eremum transferre se volens, vt ibi liberius contemplationi vacaret, quia debilis erat, cuiusdam viri pauperis vectabatur asello. Cumque diebus æstiuis famulum Christi sequendo vir ille montana conscẽderet, asperioris & longioris viæ itinere fatigatus, nimioq; sitis ardore deficiens, instanter cœpit clamare post sanctum: En morior, inquit, siti, nisi poculi alicuius beneficio refociller. Absque mora vir Dei prosiliuit de asino, & fixis in terra 31 genibus, palmas tetendit in cœlum, orare non cessans, donec se intellexit auditum. Oratione tandem finita: Festina, inquit viro, ad petram, & illic aquam viuam inuenies, quam tibi hac hora misericorditer Christus de lapide bibendam produxit. Stupenda Dei dignatio, quæ seruis suis tam facilè se inclinat. Bibit sitiens homo aquam de petra orãtis virtute, & poculum hausit de saxo durissimo. Aquæ decursus ibidem antè non fuit, nec vt est diligenter quæsitum, deinceps potuit inueniri. Qualiter autem per merita sui pauperis Christus multiplicauerit cibos in mari, cùm suo sit loco inferius adnotandum, hoc tantùm commemorasse sufficiat, quòd de eleemosyna modica sibi collata, nautas à famis & mortis periculo per dies plurimos liberauit, vt ex hoc liquidò possit aduerti, quòd omnipotentis Dei famulus, sicut in eductione aquæ de petra conformis extitit Moysi, sic in multiplicatione victualium Helisæo. Procul igitur à pauperibus Christi diffidentia omnis abscedat. Si enim paupertas Francisci adeò copiosæ sufficientiæ fuit, vt subuenientiam cibi defectus tam mira virtute suppleret, quòd nec cibus, nec potus, nec domus deesset, cùm pecuniæ, & artis, & naturæ facultas defecerat: multò magis illa merebitur, quæ vsitato diuinæ prouidentiæ ordine communiter conceduntur. Si, inquam, petræ siccitas ad pauperis vocem abundans poculum sitienti propinauit pauperculo, nil iam inter omnia suum denegauit obsequium his, qui pro autore omnium omnia reliquerunt.

31 Habes hic orationem cum genu flexione, & manuum ad cœlum extensione, nec non illius exanditionem.

De pietatis affectu, & quomodo ratione carentia videbantur ad ipsum affici.

Capitulum Octauum.

PIetas vera, quæ secundùm Apostolum ad omnia valet, adeò cor Francisci repleuerat, ac

penetrauerat, vt totum videretur seruum Dei in suum dominium vendicasse. Hæc est, quæ ipsum per deuotionem sursum agebat in Deum, per compassioné transformabat in Christum, per condescensioné inclinabat ad proximum, & per vniuersalē cōciliationem ad singula, refigurabat ad innocétiæ statum. Cumque per hanc piè moueretur ad omnia, specialiter tamen animas Christi Iesu sanguine pretioso redemptas, cùm cerneret inquinari aliqua sorde peccati, tanta miserationis teneritudine deplorabat, vt eas tanquam mater in Christo quotidie parturiret. Et hoc penes ipsum causa præcipua venerandi verbi Dei ministros, quòd semen fratri suo defuncto, Christo videlicet pro peccatoribus crucifixo, per ipsorum conuersionem & pia solicitudine suscitent, & solicita pietate gubernent. Istiusmodi miserationis officium patri misericordiarum omni sacrificio firmabat acceptius, maximè si studio fuerit perfectæ charitatis impensum, vt ad id laboretur magis exemplo, quàm verbo, magis lachrymosa prece, quàm loquaci sermone. Plangendum proinde dicebat prædicatorem tanquam vera pietate priuatum, siue qui in prædicatione non animarum quærit salutem, sed propriam laudé, siue qui prauitate destruit vitæ, quod ædificat veritate doctrinæ. Præferendum huic dicebat fratrem simplicem & elinguem, qui bono exemplo alios prouocat ad bonum. Illud quoq; verbum: Donec sterilis peperit plurimos, taliter exponebat: Sterilis, inquit, est frater pauperculus, qui generandi in Ecclesia filios non habet officium. Hic pariet in iudicio plurimos, quia quos nunc priuatis orationibus cōuertit ad Christum, suæ gloriæ tunc Iudex ascribet. Quæ multos habet filios infirmabitur: quia prædicator vanus & loquax, qui multis nunc quasi sua virtute genitis gaudet, cognoscet tunc se nil proprij habere in eis. Cùm igitur animarum salutem viscerosa pietate appeteret, & feruida æmulatione zelaret, suauissimis se dicebat repleri odoribus, & quasi vnguento pretioso liniri, cùm sanctorum fratrum per orbem distantium odorifera fama multos audiret ad viam veritatis induci. Ex talium auditu exultabat in spiritu, benedictionibus omni acceptione dignissimis fratres illos accumulás, qui verbo vel opere ad Christi amorem inducerent peccatores. Sic etiam qui religionem sacram iniquis violaret operibus, maledictionis eius grauissimā incurrebant sententiam. A te Domine, inquit, sanctissime, & à tota cœlesti curia, & à meo paruulo tuo sint maledicti, qui suo malo exemplo confundunt & destruunt, quod per sanctos fratres ordinis huius ædificasti, & ædificare non cessas. Tanta frequenter afficiebatur mœstitia super scandala pusillorum, vt deficere se putaret, nisi diuinæ fuisset clementiæ consolatione suffultus. Cùm autem semel malis turbatus exemplis anxio spiritu misericordē patrē precaretur pro filijs, responsum huiusmodi reportauit à Domino: Cur tu pauper homuncio conturbaris? An ego te super religionem meam sic pastoré institui, vt me principalem nescias esse patronum? Hominem simplicé ad hoc te constitui, vt quæ in te fecero, nō humanæ industriæ, sed supernæ gratiæ ascribantur. Ego vocaui, seruabo, & pascam, & alijs excidentibus, alios subrogabo, ita vt si nati non fuerint, faciam illos nasci. Et quantiscunq; fuerit impulsibus paupercula hæc concussa religio, salua semper meo munere permanebat.

Detractionis quoque vitium inimicum fontis pietatis & gratiæ, tanquam serpentinum abhorrebat morsum & atrocissimam pestem, & pijssimo Deo abominabile fore firmabat, pro eo quòd detractor animarum sanguine pascitur, quos gladio linguæ necat. Audiés semel fratrem quédam denigrare famam alterius, conuersus ad vicarium suum dixit: Surge, surge, discute diligenter, & si accusatum fratrem innocentem reperis, accusantem dura correctione cunctis redde notabilem. Nonnunquam verò eum qui fratrem suum famæ gloria spoliaret, iudicabat habitu spoliandum, nec ad Dominum oculos posse leuare, nisi prius quod abstulerat, reddere pro posse curaret. Tantò maior est (aiebat) detractorum impietas, quàm latronum, quantò lex Christi quæ in obseruantia pietatis impletur, magis animarum quàm corporum nos astringit optare salutem. Afflictis quoque qualicunque corporali molestia, mira compassionis teneritudine condescendens, si quid penuriæ, si quid defectus in aliquo cerneret, pij cordis dulcedine regerebat in Christum. Sanè clementiam habebat ingenitam, quam superinfusa Christi pietas duplicabat. Itaque liquescebat animus eius ad pauperes, & infirmos, & quibus non poterat manum, exhibebat affectum.

Contigit semel vt pauperi cuidam eleemosynam importunè petenti vnus è fratribus durius responderet. Quod audiens pauperum pius amator, fratri præcepit, vt ad illius pauperis pedes se nudatum prosterneret, proclamaret culpabilem, orationis suffragiū postularet & veniam. Quod cùm ille fecisset humiliter, dulciter pater adiecit: Dū pauperem vides, ô frater, speculū tibi proponitur Domini, & pauperis matris eius: In infirmis similiter infirmitates quas assumpsit, considera. Cumque in pauperibus cunctis & ipse Christianissimus pauper effigiem Christi prospiceret, si qua etiam necessaria vitæ sibi collata fuissent, eis occurrentibus non solùm liberaliter conferebat, verùm etiam ac si illorum propria essent, iudicabat esse reddéda. Accidit semel, vt eidem redeunti de Senis pauper quidam occurreret, cum

occasione infirmitatis super habitum palliolo quodam esset amictus. Cuius miseria oculo clementi conspecta: Oportet, inquit ad socium, vt reddamus mantellũ pauperculo isti, nam ipsius est: mutuò enim ipsum accepimus, donec pauperiorem inuenire contingeret. Socius autem pij patris necessitatem considerans, pertinaciter obsistebat, ne prouideret alij, se neglecto. At ille: Pro furto, ait, mihi reputo à magno eleemosynario imputandum, si hoc quod fero, non dedero magis egenti. Propterea de omnibus quæ sibi dabantur ad necessitatem corporis releuandã, solitus erat à dantibus licentiam petere, vt licitè posset, si magis egenus occurreret, erogare. Nulli prorsus rei parcebat, nec mantellis, nec tunicis, nec libris, nec etiam paramẽtis altaris, quin omnia hæc dum posset, vt pietatis impleret officiũ, largiretur. Pluries cùm oneratis obuiaret in via pauperibus, imbecilles humeros illorum oneribus supponebat. Consideratione quoq; primæ originis omnium abundantiori pietate repletus, creaturas quãtumlibet paruas fratris vel sororis appellabat nominibus, pro eo quòd sciebat eos vnum secum habere principium. Illas tamen viscerosius amplexabatur & dulcius, quæ Christi mansuetudinem piam similitudine naturali prætendunt, & scripturæ significatione figurant. Redemit frequenter agnos qui ducebantur ad mortẽ, illius memor agni mitissimi, qui ad occisionem duci voluit pro peccatoribus redimendis. Hospitato quadam vice seruo Dei apud monasterium sancti Verecundi de Episcopatu Eugubij, ouicula quædam agniculum peperit illa nocte. Aderat sus ferocissima, quæ vitæ innocenti non parcens rapaci eum morsu necauit. Hoc audito, pius pater mira compassione commotus, & agni sine macula recordatus, lamẽtabatur pro morte agniculi corã omnibus, dicens: Heu me, frater agnicule, animal innocens, Christum hominibus repræsentans, maledicta sit impia, quæ te interfecit, nullusque de ea comedat homo, vel bestia. Mirabile dictu. Statim infirmari cœpit porca malefica, & tribus diebus corpoream pœnam exoluens, vltricem tandem pertulit necem. Proiecta autem in vallum monasterij, ibiq; longo tempore iacens, in modum tabulæ desiccata, nulli fuit esca famelico. Aduertat igitur humana impietas, quali pœna sit ferienda finaliter, si tam horrẽda morte percussa est ferocitas bestialis. Perpẽdat & fidelis deuotio, quàm in seruo Dei pietas fuerit admirandæ virtutis & copiosæ dulcedinis, vt ei applauderet suo modo etiam natura brutorũ. Iter enim faciens iuxta ciuitatem Senensem, inuenit in pascuis magnum ouium gregem. Quas cùm benignè (vt erat solitus) salutasset, relicto pastu, cucurrerunt omnes ad eum, leuantesq; capita sua, erectis in eum luminibus intendebant. Tantum quidem ei fecerunt applausum, vt & pastores mirarentur & fratres, cernentes circa ipsum tam ouium agnos, quàm ipsos arietes sic mirabiliter exultantes. Alio quoq; tempore apud sanctam Mariam de Portiuncula quędam viro Dei fuit ouis oblata, quam propter innocentiæ & simplicitatis amorem, quas ouis natura prætendit, gratanter suscepit. Monebat pius vir ouiculam, vt & laudibus diuinis intenderet, & ab omni fratrum offensa caueret. Ouis autem, quasi viri Dei pietatem aduerteret, informationem ipsius sollicitè obseruabat. Nam audiens fratres in choro cantare, & ipsa Ecclesiam ingrediens sine alicuius informatione flectebat genua, vocem balatus emittens ante altare virginis matris agni, ac si eam salutare gestiret. Insuper & cùm 32 eleuaretur sacratissimum Christi corpus inter missarum solẽnia, flexis curuabatur poplitibus, tanquam si referens pecus de irreuerentia indeuotos argueret, Christoque deuotos ad sacramenti reuerentiam inuitaret. Tempore quodam agniculum in vrbe secum habuerat ob reuerentiam illius mitissimi agni, quem nobili matronæ, dominæ scilicet Iacobæ de septem solijs in suo recessu conseruandum commisit. Agnus verò quasi in spiritualibus eruditus à sancto, dominæ ad Ecclesiam eunti, stanti, & reuertenti societate inseparabili cohærebat. Si matutinali hora domina tardaret exurgere, agnus consurgens impellebat eam cornulis, & balatibus excitabat, gestibus adhortans & nutibus, vt Ecclesiam properaret. Propter quod agnus Francisci discipulus, deuotionis iam magister effectus, vt mirabilis & amabilis à domina seruabatur.

32 Et quũ eleuaretur sacratissimũ Christi corpus inter Missarũ solennia, ouicula flexis curuabatur poplitibus, ecce quomodo bruta animalia Deum suum cognoscunt & reuerentur, miseri autem hæretici minime.

Alio quoque tempore apud Græcium v[n]us viro Dei oblatus fuit lepusculus, qui liber in terra positus, cùm posset quò vellet effugere, vocante se patre benigno, in sinum illius propero cursu saltauit. Quem ipse pio cordis affectu circumfouens, videbatur eidem compati quasi mater, dulciq; alloquutione commonitum, ne se iterum capi permitteret, liberũ abire permisit. Cumque pluries in terra positus vt abscederet, semper in sinum patris rediret, tanquam si sensu quodam occulto cordis ipsius perciperet pietatem, tandem iussu patris à fratribus delatus est ad loca solitudinis tutiora. Modo quoq; consimili in insula lacus Perusini cuniculus quidam captus, & viro Dei oblatus, cùm cæteros fugeret, manibus eius & sinui se domestica securitate commisit. Per lacum Reatinum eidem ad eremũ de Gręcio properanti, piscator vnam ex deuotione fluuialem obtulit auem. Quam cùm libenter susceptam apertis inuitaret manibus ad recessum, nec illa vellet abire, 33 erectis in cœlum oculis, diu in oratione permansit, & quasi aliunde post longam horã ad se reuersus, dulciter iterato mandauit

33 Et erectis in cœlũ oculis diu in oratione permãsit.

dauit auiculæ,vt Dominum laudatura recederet.Suscepta itaque cum benedictione licentia,gestu corporis quoddam prætendens gaudium auolauit.In eodem lacu similiter oblatus fuit ei piscis magnus & viuus, quem more solito fraterno nomine vocans in aquam reposuit iuxta nauem.Piscis verò coram viro Dei ludebat in aqua,& quasi amore illius allectus nullatenus recessit à naui, nisi prius ab eodem cum benedictione licentia sibi data.

Alio quoque tempore ambulans cum quodam fratre per paludes Venetiarum, inuenit maximam auium multitudinem residentium & cantantium in virgultis.Quibus visis dixit ad socium: Sorores aues laudant creatorem suum, nos itaque in medium ipsarum euntes, laudes 34 & horas canonicas Domino decantemus. Cumq; in medium ipsarum intrassent, non sunt aues motæ de loco, & quia propter garritum ipsarum in dicendis horis se mutuò audire non poterant,conuersus vir sanctus dixit ad aues: Sorores aues à cantu cessate donec laudes Deo debitas persoluamus. At illæ continuò tacuerunt,tam diu in silētio persistentes, quamdiu dictis horis spaciose,& laudibus persolutis à sancto Dei cantādi licentiam receperunt. Dante autem eis viro Dei licentiam,statim more solito cantum suum resumpserunt.

34 Nota, Laudes & horas canonicas Domino decātemus.

Apud sanctam Mariam de Portiuncula iuxta cellam viri Dei,super ficum Cicada residēs & decantans, cùm seruum Domini, qui etiam in paruis rebus magnificentiam creatoris admirari didicerat, ad diuinas laudes cantu suo frequentius excitaret, ab eodem quadam die vocata velut edocta cœlitus,super manum volauit ipsius.Cui cùm dixisset: Canta soror mea Cicada, & Dominum creatorem tuo iubilo lauda, sine mora obediens canere cœpit, nec destitit, donec iussu patris ad locum proprium reuolauit. Mansit autem per octo dies ibidem, quolibet die veniendo, cantando, & recedendo eius iussa perficiens. Tandem vir Dei ait ad socios: Demus iam sorori nostræ Cicadæ licentiam, satis enim nos suo cantu lætificans, ad laudes Dei octo dierum spacio excitauit. Et statim ab eo licentiata recessit, nec vltrà ibidem apparuit, acsi mandatum ipsius non auderet aliquatenus præterire.

Eidem Senis infirmo Phasianus quidam de nouo captus, à nobili quodam transmissus est viuus, qui continuò vt virum sanctum audiuit & vidit, tanta ei amicabilitate cohæsit, vt nullo modo pateretur ab ipso seiungi. Nam pluribus vicibus extra locellum fratrum in vinea positus, vt abiret, si vellet, rapido semper cursu redibat ad patrem, tanquam si ab eodem omni fuisset tempore educatus. Deinde cuidam collatus viro, qui ex deuotione seruum Dei visitare solebat, velut sibi molestum foret à pij patris absentari conspectu, escam recusauit omnino. Reportatus tandem ad famulum Dei, statim vt conspexit eundem, quibusdam hilaritatis prætensis gestibus auidè manducauit.

Cùm ad eremū peruenisset Aluernæ propter Quadragesimam celebrandam in honorem Archangeli Michaëlis,diuersi generis aues circa ipsius cellulam volitantes,concentu sonoro, & lætitiæ gestibus, quasi de eius aduentu gaudentes, patrem pium inuitare ac allicere videbantur ad moram.Quo viso,dixit ad socium: Cerno frater,voluntatis esse diuinæ,quòd hîc aliquamdiu commoremur, tantum sorores auiculæ de nostra videntur præsentia consolari. Cùm igitur contraheret ibi moram, falco ibidem nidificans, magno se illi amicitiæ fœdere copulauit.Nam semper horam nocturno tēpore,in qua vir sanctus ad diuina officia surgere solitus erat, cantu suo præueniebat & sono, quod famulo Dei grauissimum erat, eò quòd tāta solicitudo,quam circa eum gerebat,omnem ab ipso torporem desidiæ excuteret, Cùm verò seruus Christi infirmitate plus solito grauaretur, parcebat falco, nec tam tempestiuas indicebat vigilias,siquidem velut instructus à Deo,circa diluculum suæ vocis campanam leui tactu pulsabat. Diuinum certè videtur fuisse præsagium, tam in exultatione multimodi generis auium, quàm in cantu falconis, cùm Dei laudator & cultor pennis contemplationis subuectus tunc foret illic apparitione Seraphica sublimandus.

Moram eo faciente tēpore quodam in eremitorio Græcij,loci illius indigenę malis multiplicibus vexabantur.Nam & luporū rapacium multitudo non solùm bruta,sed & homines consumebat,& grando annua tēpestate blada & vineas deuastabat. Dum igitur sic afflictis pręco sacri Euangelij prædicaret,dixit ad eos: Ad honorē & laudem Dei omnipotentis fidere iubeo vobis, quòd pestilentia hæc omnis abscedet,& respiciens vos Dominus multiplicabit in temporalibus bonis,si mihi credētes misereamini vestri, vt vestra confessione præmissa,dignos faciatis pœnitentiæ fructus.Iterum hoc annuncio vobis,quòd si beneficijs ingrati ad vomitum cōuersi fueritis,innouabitur plaga,duplicabitur pœna,& maiori in vos ira desæuiet. Ab illa vtique hora pœnitētiam ad exhortationem ipsius agentibus illis,cessauerunt clades, periēre pericula, nec molestiæ quicquam lupi intulēre, vel grandines. Imò quod maius est,si quando vicinorum arua grando peruaderet, istorum terminis appropinquans terminabatur ibidem, aut in partem aliam diuertebat. Cessauit grando, seruauerunt & lupi pactionem serui Dei, nec contra pietatis legem in homines ad pietatem conuersos attentauerunt amplius desæuire, quamdiu iuxta conditum, contra pijssimas Dei leges

impiè

impiè non egerunt. Piè igitur sentiendum est de pietate viri beati, quæ tam miræ dulcedinis & virtutis fuit, vt domaret ferocia, domesticaret syluestria, mansueta doceret, & brutorum naturã homini iam lapso rebellẽ, ad sui obedientiã inclinaret. Verè hęc est, quæ cũctas sibi creaturas cõfœderans valet ad omnia, promissionẽ habẽs vitæ quæ nũc est, & futuræ.

De feruore charitatis, & desiderio martyrij.

Capitulum Nonum.

CHaritatem feruentem, qua sponsi amicus Franciscus ardebat, quis enarrare sufficiat? Totus namq; quasi quidã carbo ignitus diuini amoris flamma videbatur absorptus. Subitò enim ad auditum amoris Domini excitabatur, afficiebatur, inflammabatur, quasi plectro vocis extrinsecæ corda cordis interior tangeretur. Talẽ pro eleemosynis censum offerre nobilem prodigalitatẽ dicebat, & eos qui minus ipsum, quàm denarios reputarẽt, esse stultissimos, pro eo quòd solius diuini amoris impreciabile preciũ ad regnũ cœlorum sufficiat comparandũ, & eius qui nos multum amauit, multũ sit amor amandus. Vt autem ex omnibus excitaretur ad amorem diuinũ, exultabat in cũctis operibus manuũ Domini, & per iocunditatis specula in viuificam cõsurgebat rationem, & causam. Contuebatur in pulchris pulcherrimum, & per impressa rebus vestigia, prosequebatur vbique dilectum, de omnibus sibi scalã faciẽs, per quã cõscenderet ad apprehendendũ eum qui est desiderabilis totus. Inauditæ namq; deuotionis affectu fontalem illam bonitatem in creaturis singulis tanquam in riuulis degustabat, & quasi cœlestem concentũ perciperet in consonãtia virtutum, & actuũ eis datorum à Deo, ipsas ad laudem Domini more prophetæ Dauid dulciter hortabatur. Christus Iesus crucifixus intra suæ mentis vbera, vt myrrhæ fasciculus, iugiter morabatur, in quẽ optabat per excessiui amoris incendiũ totaliter transformari. Prærogatiua quoq; peculiaris deuotionis ad ipsum, ab Epiphaniæ festo vsque ad cõtinuos quadraginta dies, eo scilicet tempore, quo Christus latuit in deserto, ad solitudinis loca declinãs, cellaque reclusus quanta poterat arctitudine 35 cibi & potus, ieiunijs, & orationibus, & laudibus Dei sine intermissione vacabat, tam feruido quidem in Christũ ferebatur affectu. Sed & dilectus illi tam familiarem repẽdebat affectum, vt videretur ipsi famulo Dei, quasi iugem præ oculis ipsius Saluatoris sentire præsentiam, sicut aliquando socijs familiariter reuelauit. Flagrabat erga sacramentum Dominici corporis feruore omnium medullarum, stupore admirans per maximã illam charissimã dignationẽ & dignatissimam charitatem. Sæpe communicabat, & tam deuotè, vt alios deuotos efficeret, dum ad immaculati agni degustationẽ suauẽ quasi spiritu ebrius, in mẽtis vt plurimũ rapiebatur excessum. Matrem Domini nostri Iesu Christi indicibili complectebatur amore, eò quòd Dominũ maiestatis fratrem nobis effecerit, & per eam simus misericordiã cõsequuti. In ipsa 36 post Christum præcipuè fidens, eam sui ac suorũ aduocatam cõstituit, & ad honorẽ ipsius à festo Apostolorum Petri & Pauli vsque ad festum Assumptionis deuotissimè ieiunabat. Angelicis spiritibus ardentibus igne mirifico ad excedendũ in Deum, & electorum animas inflãmandas, inseparabilis erat amoris vinculo copulatus, & ob deuotionem ipsorum, ab assumptione virginis gloriosæ quadraginta diebus ieiunans orationi iugiter insistebat. Beato autem Michaëli Archangelo, eò quòd animarum repræsentandarum haberet officium, spirituali erat amore deuotior, propter feruidum quem habebat zelum ad salutem omnium saluandorum. Ex recordatione sanctorum omnium tanquam lapidum ignitorum, in Deificum recalescebat incendium. Apostolos omnes, & præcipuè Petrum & Paulum, propter feruidam charitatem quam habuerunt ad Christum, summa deuotione complexans, ob quorum reuerentiam & amorem quadragesimæ specialis ieiunium Domino dedicabat.

35 *Vide sancti patris cibi & potus abstinẽtiam, vide ieiunia & orationes Hæc sunt bonorum monachorum exercitia.*

36 *Consideret heretici quid dicatur hic de beata Dei genitrice. In ipsa post Christum præcipue fidens, eã sui ac suorum aduocatam constituit.*

Non habebat aliud Christi pauper nisi duo minuta, corpus scilicet & animam, quod posset liberali charitate largiri. Sed hoc per amorem Christi sic offerebat cõtinuè, vt quasi omni tempore per rigorem ieiunij corpus, & per ardorem desiderij spiritum immolaret, exterius in atrio sacrificans holocaustum, & in templo interius concremãs thymiama. Sic autẽ eũ charitatis excessiua deuotio sursum in diuina ferebat, vt eiusdẽ affectuosa benignitas ad naturæ consortes & gratiæ dilataret. Quem enim creaturis cæteris germanũ pietas cordis effecerat, mirum nõ est si creatoris insignitis imagine, & sanguine redemptis autoris germaniorem Christi charitas faciebat. Non se Christi reputabat amicum, nisi animas foueret, quas ille redemit. Saluti animarum nihil præferendum esse dicebat, eò maximè probans quòd vnigenitus Dei pro animabus dignatus fuerit in cruce pendere. Hinc sibi in oratione luctamen, in prædicatione discursus, & in exemplis dandis excessus. Vnde quotiens austeritas nimia reprehenderetur in ipso, respondebat se datũ alijs in exemplũ. Licet enim innocẽs eius caro, quæ iam se spontè subdebat spiritui, nullo egeret flagello propter offensas, tamẽ exempli causa renouabat illi pœnas & onera, custodiens propter alios vias duras. Dicebat enim, si linguis hominũ loquar, & Angelorũ, charitatẽ autẽ in meipso non

habeam

habeam, & proximis virtutum exempla non monstrem, parum prosum alijs, mihi nihil.

Feruenti quoque charitatis incēdio gloriosum sanctorum martyrū æmulabatur triumphum, in quibus nec amoris flamma extingui, nec fortitudo potuit infirmari. Desiderabat propterea & ipse illa perfecta charitate succēsus, quæ foras mittit timorem, per martyrij flammam, hostiam Domino se offerre viuentem, vt & vicem Christo pro nobis morienti rependeret, & ad diuinum amorem cæteros prouocaret. Sexto namque conuersionis suæ anno, desiderio martyrij flagrans, ad prædicandum fidem Christianam & pœnitentiā Saracenis, & alijs infidelibus, ad partes Syriæ trāsfretare disposuit. Cumq; nauem quandam vt illuc tenderet, conscendisset, ventis contrarijs flantibus, compulsus est in Sclauoniæ partibus applicare. Cùm igitur moram aliquandiu contraxisset ibidem, nec inuenire posset nauem tunc temporis transfretantem, fraudatum à suo desiderio se sentiens, nautas quosdam Anchonam tendentes, vt amore Dei eum secum ducerent, exorauit. Verùm illis propter expensarū defectum pertinaciter recusantibus, vir Dei plurimum de Domini bonitate confisus, nauem cum socio latenter conscendit. Affuit quidam à Deo, vt creditur, pro paupere suo missus, qui secum ferens necessaria victus, quendam timentem Deum de naui ad se vocatum sic alloquutus est: Hæc pro pauperibus fratribus in naui latitantibus conserua fideliter, ac necessitatis tempore amicabiliter subministra. Sicque factum est, vt nautis propter vim ventorum per dies plurimos nusquam applicare valentibus, omnia consumerentur ipsorum cibaria, & sola pauperi Francisco collata desuper eleemosyna superesset. Quæ cùm esset modica, tantum diuina virtute suscepit augmentum, vt diebus pluribus in mari propter tempestatē continuam contrahentibus morā, vsque ad portum Anchonæ omnium necessitatibus plenariè subueniret. Videntes itaq; nautæ per seruū Dei multa se mortis euasisse discrimina, tanquam qui maris horrenda pericula senserant, & miranda opera Domini viderant in profundo, gratias egerūt omnipotēti Deo, qui semper in suis amicis & seruis mirabilē & amabilē se ostēdit. Cùm autē relicto mari terrā perābulare cœpisset, iactato in eam salutis semine, reportabat manipulos fructuosos. Verùm quia martyrij fructus adeò cor eius allexerat, vt preciosam pro Christo mortē super omnia virtutū merita peroptaret, versus Marrochiū iter arripuit, vt Miramolino, & gēti eius Christi Euāgelium prædicaret, si quo modo ad cōcupitam palmā valeret attingere. Tanto namq; desiderio ferebatur, vt quāuis esset imbecillis corpore, peregrinationis suæ præcurreret comitem, & ad exequendum propositum festinus, & tāquam spiritu ebrius aduolaret. Sed cùm iam vsque in Hispaniam perrexisset diuina dispositione, quæ ipsum reseruabat ad alia, grauissima ei superuenit infirmitas, qua præpeditus quod cupiebat, adimplere nequiuit. Sentiēs igitur vir Dei, quòd necessaria erat adhuc proli quā genuerat, ipsius vita in carne, quāuis mortem sibi lucrum putaret esse, redijt ad pascendū oues suæ solicitudini cōmendatas.

Verùm charitatis ardore spiritū ipsius ad martyrium perurgente, tertia adhuc vice pro fide Trinitatis effusione sui sanguinis dilatāda, versus infideles proficisci tentauit. Tertiodecimo namque cōuersionis suæ anno ad partes Syriæ pergens, multis se periculis cōstanter exposuit, vt Soldani Babylonię posset adire præsentiam. Inter Christianos enim ac Saracenos tunc bellū tam implacabile erat, exercituum castris hinc inde in campo cominus ex aduerso locatis, vt via mutui trāsitus sine mortis discrimine non patêret. Exierat siquidem à Soldano edictum crudele, vt quicunq; caput alicuius Christiani afferret Bisantium, aureum pro mercede reciperet. At intrepidus Christi miles Franciscus sperās in proximo suum adipisci posse propositum, definiuit iter arripere, mortis pauore non territus, sed desiderio prouocatus. Oratione namque præmissa confortatus à Domino, confidenter illud propheticum decātabat: Nam etsi ambulauero in medio vmbræ mortis, nō timebo mala, quoniam tu mecum es. Assumpto igitur socio fratre Illuminato nomine, viro vtique luminis & virtutis, cùm iter cœpisset, obuias habuit ouiculas duas, quibus visis exhilaratus vir sanctus dixit ad socium: Confide frater in Domino. Nam in nobis Euangelium illud impletur: Ecce ego mitto vos sicut oues in medio luporum. Cùm autem processissent vlterius, occurrerūt ei satellites Sarraceni, qui tanquam lupi celerius accurrentes ad oues, seruos Dei feraliter comprehensos crudeliter & contemptibiliter pertractarūt, afficientes conuitijs, affligentes verberibus, & vinculis alligantes. Tandem afflictos multipliciter, & attritos ad Soldanum diuina disponente prouidentia, iuxta viri desiderium produxerunt. Cùm igitur princeps ille perquireret à quibus, & ad quid, & qualiter missi essent, intrepido corde respondit Christi seruus Franciscus: Non ab homine, sed à Deo altissimo se fuisse transmissum, vt ei & populo suo viā salutis ostenderet, & annunciaret Euangeliū veritatis.

Tanta verò mentis constantia, tanta virtute animi, tantoque feruore spiritus prædicto Soldano prædicauit Deum trinum & vnum, & Saluatorem omnium Iesum Christum, vt Euangelicū illud in ipso clarescceret veraciter esse completū: Ego dabo vobis os, & sapientiam,

tiam cui non poterunt resistere, & contradicere omnes aduersarij vestri. Nam & Soldanus admirandum in viro Dei feruorẽ spiritus conspiciens, & virtutẽ, libenter ipsum audiebat, & ad moram contrahẽdam cum eo instantius inuitabat. Christi verò seruus superno illustratus oraculo: Si vis, inquit, conuerti tu cum populo tuo ad Christum, ob illius amorem libẽter vobiscum commorabor. Quòd si hæsitas propter fidem Christi legem Machometi dimittere, iube ignem accendi permaximũ, & ego cum sacerdotibus tuis ignem ingrediar, vt vel sic cognoscas, quæ fides certior & sanctior non immeritò tenẽda sit. Ad quem Soldanus: Non credo quòd aliquis de sacerdotibus meis se vellet igni propter fidem suam defensandam exponere, vel genus aliquod subire tormenti. Viderat enim statim quendam de presbyteris suis virum authenticũ & longæuum, hoc audito verbo, de suis cõspectibus aufugisse. Ad quem vir sanctus: Si mihi velis promittere pro te, & populo tuo, quòd ad Christi cultũ, si ignem illæsus exiero, veniatis, ignem solus introibo: Et si cõbustus fuero, imputetur peccatis meis: si autem diuina me protexerit virtus, Christi Dei virtutem, & sapiẽtiam, verum Deum, & Dominum Saluatorem omnium agnoscatis. Soldanus autem optionẽ hanc accipere se non audẽre respondit, quia seditionẽ populi formidabat. Obtulit tamen ei multa munera preciosa, quæ vir Dei non mundanarum rerum, sed salutis animarum auidus, spreuit omnia quasi lutum. Soldanus autem videns virum sanctum tam perfectum rerum mundialium contemptorem, admiratione permotus maiorem erga ipsum deuotionem concepit. Et quamuis ad fidem Christianam transire nollet, vel forsan non auderet, rogauit tamen deuotè famulum Christi, vt prædicta susciperet pro salute ipsius, Christianis pauperibus vel Ecclesijs eroganda. Ipse verò quia pondus fugiebat pecuniæ, & in animo Soldani veræ pietatis non videbat radicem, nullatenus acquieuit. Videns etiam se non proficere in conuersione gentis illius, nec suum assequi posse propositum, ad partes fidelium diuina reuelatione præmonitus remeauit. Sic itaque Dei ordinante clementia, & sancti viri promerente virtute, misericorditer & mirabiliter factum est, quòd Christi amicus mortem pro ipso viribus totis exquireret, & tamen nullatenus inueniret, vt & merito non careret optati martyrij, & insigniendus seruaretur in posterum priuilegio singulari. Sic vtique factum est, vt ignis ille diuinus adhuc perfectius ipsius æstuaret in corde, vt pòst potentius euaporaret in carne. O verè beatum virum, cuius caro etsi tyrannico ferro non cæditur, occisi tamen agni similitudine non priuatur. O inquam, verè ac plenè beatum, cuius animam etsi gladius persecutoris non abstulit, palmam tamen martyrij non amisit.

De studio & virtute orationis. *Capitulum decimum.*

SEntiens Christi seruus Franciscus corpore se peregrinum à Domino, cùm iam ad terrena foris desideria per Christi charitatem totus esset insensibilis factus, ne foret absque consolatione dilecti, sine intermissione orans, spiritum Deo contendebat exhibere præsentem. Erat quidem oratio cõtemplanti solatium, dum supernarum circuitu mansionum Angelorũ conciuis iam factus, feruenti desiderio quærebat dilectũ, à quo solus eum carnis paries disiungebat. Erat & operanti præsidium, dum in omnibus quæ agebat, de sua diffidens industria, & de superna pietate confidens, per ipsius instantiam totum in Domino cogitatum iactabat. Orationis 37 gratiam viro religioso desiderandã super omnia firmiter asserebat, nullumq; credens sine ipsa in Dei prosperari seruitio, modis quibus poterat fratres suos ad eius studium excitabat. Nam ambulans & sedens, intus & foris, laborans & vacans, orationi adeò erat intentus, vt illi videretur non solùm quicquid erat in eo cordis & corporis, verùm etiam operis & temporis dedicasse. Solitus erat nullam visitationem spiritus cum negligẽtia præterire. Siquidem cùm offerebatur, sequebatur eam, & quamdiu Dominus concedebat, dulcedine perfruebatur oblata. Cùm autem intentus itineri, diuini spiritus aliquos sentiret afflatus, socijs præcedentibus gradum figebat, nouamque inspirationem ad fruitionem conuertens, gratiam non recipiebat in vacuum.

37 Ecce quàm necessaria viro religioso oratio.

Suspendebatur multoties tanto cõtemplationis excessu, vt supra semetipsum raptus, & vltra humanũ sensum aliquid sentiens, quid ageretur circa se exterius ignoraret. Transiens namque semel per Burgum sancti Sepulchri, castrum vtique populosum, pro debilitate corporis subuectus asello obuias habuit turbas in eum præ deuotione ruentes. Tractus autẽ & detẽtus ab eis, cõpressus quoque, ac multipliciter attrectatus, insensibilis videbatur ad omnia, & velut exanime corpus, de ijs quæ fiebát circa ipsum nihil penitus aduertebat. Vnde cùm iam diu transito castro, turbisque relictis peruenisset ad quoddam domicilium leprosorum, quasi aliundè rediens cœlestiũ contemplator, solicitè requisiuit quando propinquarent ad Burgum. Mens quidẽ ipsius in cœlestibus fixa splendoribus, varietates non senserat locorũ, nec temporum, nec occurrentiũ personarũ. Quod ipsi accidisse frequẽtius, sociorum eius experientia multiplex comprobauit. Et quia in oratione perceperat sancti

ſpiritus deſideratam præſentiam tantò familiarius ſe offerre precantibus,quantò plus inuenit elongatos à ſtrepitu mundanorum , ideo loca ſolitaria quærens , ad ſolitudines & Eccleſias derelictas oraturus nocte pergebat: Vbi dæmonũ pugnas horribiles frequenter ſuſtinuit , qui ſecum ſenſibiliter confligentes, nitebantur ipſum ab orationis ſtudio perturbare.Ipſe verò armis munitus cœleſtibus,quãtò vehemẽtius impetebatur ab hoſtibus, tantò fortior in virtute , & feruentior reddebatur in opere, fidenter dicens ad Chriſtum: Sub vmbra alarum tuarum protege me à facie impiorum qui me afflixerũt.Ad dæmones autem: Facite quicquid in me valetis,maligni ſpiritus,& fallaces.Non enim poteſtis,niſi quantum vos manus ſuperna relaxat : & ego ad perferendum omnia , quæ illa infligenda decreuerit,cum omni iucunditate paratus aſsiſto.Quam mentis conſtantiam ſuperbi dæmones non ferentes, abſcedebant confuſi.

Vir autem Dei ſolitarius remanens & pacatus , nemora replebat gemitibus, loca ſpargebat lachrymis.pectora manu tundebat, & quaſi occultius ſecretarium nactus, confabulabatur cum Domino ſuo. Ibi reſpondebat Iudici, ibi ſupplicabat patri,ibi colloquebatur amico.Ibi quoque à fratribus ipſum piè obſeruantibus,aliquoties auditus eſt,clamoſis gemitibus apud diuinam pro peccatoribus interpellare clementiam , deplorare etiam alta voce,quaſi coram ſe poſitam Dominicam paſsionem.Ibi viſus eſt nocte [38] orans manibus ad modum crucis protenſis,toto corpore ſubleuatus à terra, & nubecula quadam fulgẽte circundatus, vt illuſtrationis mirabilis intra mentem mira circa corpus perluſtratio teſtis eſſet.Ibi etiam,ſicut certis eſt comprobatũ indicijs,incerta ſibi & occulta diuinæ ſapiẽtiæ pandebantur, quamuis illa non vulgaret exterius, niſi quantum Chriſti vrgebat charitas, & proximorum vtilitas exigebat.Dicebat enim: Leui mercede rem impreciabilem contingit amitti, & illum qui dedit, ad non dandum iterum facilè prouocari.

38 Orãs manibus ad modum crucis protenſis.

Quando à priuatis redibat orationibus,quibus penè in virum alterum mutabatur,ſummoperè ſtudebat conformare ſe cæteris,ne fortè quod foris oſtenderet,aura fauoris intus à mercede euacuaret. Cùm in publico ſubitò afficeretur viſitatus à Domino , ſemper aliquid obijciebat aſtantibus, ne ſponſi familiares attractus forinſecus vulgarentur. Excreationes,gemitus,duros anhelitus,extrinſecos nutus orans inter fratres deuitabat omnino, ſiue quia diligebat ſecretum,ſiue quia ad interiora reintrãs,totus ferebatur in Deum.Sæpe talia familiaribus dixit: Quando ſeruus Dei orãs viſitatur diuinitus,dicere debet:Iſtã conſolationẽ mihi peccatori & indigno de cœlo miſiſti Domine,& ego illam tuæ committo cuſtodiæ,quia theſauri tui me ſentio eſſe latronem.Cùm autem ab oratione reuertitur,ſic debet ſe pauperculũ & peccatorẽ oſtendere,ac ſi nullam ſit nouam gratiam conſequutus.

Orante autem viro Dei in loco de Portiuncula,contigit Aſsinatem Epiſcopum venire ad eum,vt erat ſolitus,viſitandũ.Qui mox vt locum fuit ingreſſus,ad cellã,in qua Chriſti ſeruus orabat,plus debito fidenter acceſsit: Pulſoque oſtiolo intraturum ſe ingerens,dum caput immiſit,ſanctumq; orantem conſpexit,repẽtino timore concuſſus,obrigeſcentibus membris etiam loquelam amiſit . Subitoque voluntate diuina per vim foras propulſus, retrogrado pede procul abductus eſt. Stupefactus Epiſcopus ad fratres feſtinauit , vt potuit, Deoque ſibi reſtituente linguam, primo verbo confeſſus eſt culpam.

Contigit tempore quodam Abbatem monaſterij ſancti Iuſtini de Epiſcopatu Peruſij obuiare famulo Chriſti. Quo viſo Abbas deuotus celeriter de equo deſcendit , vt & viro Dei reuerentiam faceret , & de ſalute animæ aliqua cum ipſo conferret . Tandem habita collatione ſuaui,Abbas abſcedẽs orari pro ſe humiliter petijt.Cui vir Deo charus reſpondit: Orabo libenter. Parum itaque diſcedente Abbate, dixit fidelis Franciſcus ad ſocium: Expecta frater modicum,quia debitum volo ſoluere quod promiſi. [39] Orante autem illo, ſubitò Abbas inſolitum calorem,& dulcedinem hactenus inexpertam ſenſit in ſpiritu,ita quòd in exceſſu mentis effectus,totus à ſeipſo in Deum defecit. Parua morula ſubſtitit,& in ſe reuerſus,virtutem orationis ſancti Frãciſci cognouit.Maiore proinde circa ordinem ſemper amore flagrauit, multiſque factum pro miraculo retulit.

39 Audi rem mirã de vi orationis B. Franciſci.

Solitus erat vir ſanctus horas [40] canonicas non minus timoratè Deo perſoluere quàm deuotè.Nam licet oculorũ,ſtomachi,ſplenis,& epatis ægritudine laboraret,nolebat tamẽ muro vel parieti inhærere dum pſalleret,ſed horas ſemper erectus,& ſine caputio non gyrouagis oculis,nec cum aliqua ſyncopa perſoluebat.Siquando eſſet in itinere conſtitutus, figebat tunc temporis greſſum,huiuſmodi conſuetudinẽ reuerentem & ſacrã,propter pluuiarum inundantiã non amitens.Dicebat enim,ſi quietè comedit corpus cibũ ſuum futurũ cum ipſo verminũ eſca,cum quanta pace & tranquillitate accipere debet anima cibũ vitę. Grauiter etiam ſe putabat offendere , ſi quando orationi deditus , vanis phantaſmatibus interius vagaretur.Cùm aliquid tale accideret,non parcebat confeſsioni,quin illud protinus expiaret.Hoc ſtudiũ ſic in vſum cõuerterat,vt rariſsimè muſcas huiuſmodi pateretur.

40 Vide quã deuotè & quàm attentè canonicas horas perſolueret.

Fecerat

Fecerat in Quadragesima quadam vasculum vnum, vt minutias temporis ne omnino exciderent, occuparet: Quod cùm dicenti tertiam in memoriam veniens paulùm ipsius animum distraxisset, motus feruore spiritus, vasculum igne cōsumpsit, dicens: Sacrificabo illud Domino, cuius sacrificium impediuit. Psalmos cum tanta mentis attentione dicebat, quasi Deum præsentem haberet: & cùm nomen Domini in eis occurreret, præ suauitatis dulcedine labia sua lingere videbatur. Ipsum quoque Domini nomen non solùm cogitatum, verùm etiam prolatum & scriptum reuerentia volens honorare præcipua, fratribus persuasit aliquando, vt omnes scedulas scriptas vbicunque repertas colligerent, mundoq; loco reponerent, ne fortè sacrum illud nomen contingeret conculcari. Nomen autē Iesu cùm exprimeret vel audiret, iubilo quodam repletus interius, totus videbatur exterius alterari, ac si mellifluus sapor gustum, vel harmoniacus sonus ipsius immutasset auditum. Contigit autem anno tertio ante obitum suum, vt memoriam natiuitatis pueri Iesu ad deuotionem excitandā apud castrum Græcij disponeret agere cum quanto maiori 41 solennitate valeret. Nec verò hoc leuitati posset adscribi, à summo Pōtifice petita & obtēta licentia, fecit præparari præsepium, apportari fænum, bouem & asinum ad locum adduci. Aduocantur fratres, adueniunt populi, personat sylua voces, & venerabilis illa nox luminibus copiosis & claris, laudibusq; sonoris, & consonis, & splendens efficitur, & solennis. Stabat vir Dei coram præsepio pietate repletus, respersus lachrymis, & gaudio superfusus. Celebrantur missarum solennia super præsepe, Leuita Christi Francisco sacrū Euangelium decantante. Prædicat deinde populo circunstanti de natiuitate Regis pauperis, quem cùm nominare vellet, puerum de Bethleem pręamoris teneritudine nuncupabat. Miles autem quidam virtuosus & verax, qui propter Christi amorem seculari relicta militia, viro Dei magna fuit familiaritate coniunctus, dominus Ioannes de Græcio, se vidisse asseruit puerulum quendam valde formosum in illo præsepio dormientem, quem B. pater Franciscus ambobus complexans brachijs excitare videbatur à somno. Hanc siquidem deuoti militis visionem non solùm videntis sanctitas credibilem facit, sed & designata veritas comprobat, & miracula subsecuta confirmant. Nam exemplum Francisci consideratum à mundo, excitatiuum est cordium in fide Christi torpentium, & fænum præsepij reseruatum à populo, mirabiliter sanatiuum fuit brutorum languentium, & aliarum repulsiuum pestium diuersarum, glorificante Deo per omnia seruum suum, sanctæque orationis efficaciam euidentibus miraculorum prodigijs demonstrante.

41 Festum Natiuitatis Domini nostri Iesu Christi maximè solenne.

De intelligentia scripturarum, & spiritu prophetiæ.

Capitulum vndecimum.

AD tantam autem mentis serenitatē indefessum orationis studiū cum cōtinua exercitatione virtutū, virum Dei perduxerat, vt quamuis non habuerit sacrarū literarum peritiam per doctrinam, æternæ tamen lucis irradiatus fulgoribus, scripturarum profunda miro intellectus scrutaretur acumine. Penetrabat enim ab omni labe purum ingenium mysteriorum abscondita. Et vbi magistralis scientia foris stat, affectus introibat amantis. Legebat quandoque in libris sacris, & quod animo semel iniecerat, tenaciter imprimebat memoriæ, quia nō frustra mētalis attētionis percipiebat auditu, quod cōtinuę deuotionis ruminabat affectu. Quærētibus aliquādo fratribus, vtrū sibi placeret, quòd literati iam recepti ad ordinē intenderent studio sacræ scripturæ, respondit: Mihi quidem placet, dum tamen exēplo Christi, qui magis orasse legitur quàm legisse, orationis studiū non omittat: nec tamen studeant, vt sciant qualiter debeant loqui, sed vt audita faciant, & cùm fecerint, alijs facienda proponant. Volo, inquit, fratres meos discipulos Euangelicos esse: sicque in notitia veritatis proficere, quòd in simplicitatis puritate cōcrescant, vt simplicitatē columbinā à prudētia serpentina nō separent, quas magister eximius ore suo benedicto cōiunxit.

Interrogatus Senis à quodam religioso viro Theologiæ sacræ doctore, de quibusdam quæstionibus difficilibus intellectu, tanta claritate doctrinæ diuinæ sapientiæ patefaciebat arcana, vt vehementer stuperet vir ille peritus, & cum admiratione referret: Verè Theologia sancti patris istius, puritate & contemplatione, tanquam alis in altum subuecta est aquila volans: nostra verò scientia ventre graditur super terrā. Licet enim esset imperitus sermone, scientia tamen plenus enodabat dubia quæstionum, & abscondita producebat in lucem. Nec absonum, si vir sanctus scripturarum à Deo intellectum acceperat, cùm per imitationem Christi perfectam veritatem ipsarum descriptam gestaret in opere, & per sancti spiritus vnctionem plenariam, doctorem earum apud se haberet in corde.

Adeò etiam in ipso claruit spiritus prophetiæ, vt & præuideret futura, & cordium contueretur occulta: absentia quoque velut præsentia cerneret, & se præsentem absentibus mirabiliter exhiberet. Tempore namq; quo Damiatam Christianorū obsidebat exercitus, aderat vir Dei non armis, sed fide munitus. Cùm igitur die belli Christiani pararentur ad

pugnam, hoc audito Christi seruus vehementer ingemuit, dixitq; socio suo: Si belli fuerit attentatus ingressus, ostēdit mihi Dominus nō prosperè cedere Christianis: Verùm si hoc dixero, fatuus reputabor: si tacuero, conscientiam non euadam. Quid igitur tibi videtur? Respondit socius eius dicens: Frater pro minimo tibi sit vt ab hominibus iudiceris, quia non modò incipit fatuus reputari. Exonera conscientiã tuam, & Deum magis time, quàm homines. Quo audito, exiliens Christi præco salutaribus monitis Christianos aggreditur, prohibet bellũ, denunciat casum. Fit veritas in fabulã: indurauerunt cor suũ, & noluerunt reuerti. Itur, cōmittitur, & bellatur, totaq; in fugã vertitur militia Christiana, finem belli opprobriũ regerēs, non triumphũ. Tanta verò strage Christianorũ imminutus est numerus, vt circa sex milia fuerint inter mortuos & captiuos. In quo euidenter innotuit, quòd spernenda non erat sapientia pauperis, cùm anima viri iusti annunciet aliquando vera, quàm septem circunspectores sedentes in excelso ad speculandum. *Miraculum.*

Alio quoque tempore, cùm post reuersionem ipsius de vltra mare, Celanũ prædicaturus accederet, miles quidam supplici eum deuotione cum instantia magna inuitauit ad prandium. Venit itaque ad militis domum, omnisque familia pauperum hospitum exultauit in ingressu. Antè verò quàm 42 cibum sumerent, iuxta solitum morem vir mente deuotus offerens Deo preces & laudes, oculis stabat eleuatis in cœlũ. Oratione completa, benignũ hospitem familiariter aduocatũ in partem, sic allocutus est: Ecce frater hospes, tuis victus precibus, vt manducarem domũ tuam intraui. Meis nũc citò monitis acquiesce, quoniam non hîc, sed alibi manducabis. 43 Confitere nunc peccata tua veræ pœnitentiæ dolore contritus, nec in te remaneat quicquam quod veridica confessione non pandas. Reddet tibi Dominus hodie vicem, quoniam tanta deuotione suos pauperes suscepisti. Acquieuit continuò vir ille sermonibus sancti, socioq; ipsius vniuersa peccata in cōfessione detegēs, disposuit domum suam, & ad mortem suscipiendam se quantum valuit, præparauit. Intrauerunt tandem mensam, & incipientibus alijs manducare, hospes subitò spiritũ exalauit, iuxta verbum hominis Dei repētina morte sublatus. Sicq; factum est, hospitalitatis gratia promerente, vt iuxta verbum veritatis, prophetam recipiens, mercedem prophetæ acciperet, dum per sancti viri prænunciationem propheticam miles ille deuotus sibi contra mortis subitationem prouidit, quatenus armis pœnitentiæ præmunitus, perpetuam damnationem euaderet, & in æterna tabernacula introiret. *Miraculum.*

42 Ecce Christianum morem antequam cibus sumatur, fundere preces ad Dominum.

43 Si sacerdotalis confessio nō fuisset necessaria ex diuino præcepto, nec antiquis patribus in vsu, ab homine iamiam morituro, non eam iussisset fieri vir Dei B. Franciscus.

Tempore quo vir sanctus Reatę iacebat infirmus, præbendarius quidã nomine Gedeon lubricus, & mundanus, infirmitate graui correptus, lectulo decubans, cùm ad eum fuisset delatus, lachrymosè rogabat cum simul astantibus, vt ab ipso crucis signaculo signaretur. Ad quem ille: Cùm vixeris olim secundùm desideria carnis, non veritus iudicia Dei, quomodo te cruce signabo? Verùm propter deuotas intercedentium preces, signo te crucis signabo in nomine Domini. Tu autem scito te grauiora passurum, si ad vomitum redieris liberatus. Propter enim peccatum ingratitudinis semper peiora prioribus inferuntur. 44 Signo itaque crucis super eum facto, statim qui contractus iacuerat, surrexit sanus, & in laudem Dei prorumpens: Ego, inquit, sum liberatus. Insonuerunt autem ossa renũ eius, audientibus cunctis, veluti cùm manu ligna sicca franguntur. Paucis autem interlapsis temporibus, Dei oblitus, corpus impudicitiæ reddidit. Cumque sero quodam cœnasset in domo cuiusdam Canonici, nocteque illa dormiret ibidem, subitò super omnes corruit tectum domus. Cæteris autem euadentibus mortem, solus ille miser interceptus atque interemptus est. Iusto igitur Dei iudicio facta sunt nouissima hominis illius peiora prioribus propter ingratitudinis vitium, Deiq; contemptum, cùm de accepta venia gratum esse oporteat, & duplo displiceat flagitium iteratum. *Miraculum.*

44 Signo Crucis super ægrotum à Francisco edito, statim is redditus est sanitati.

Alio quoque tempore mulier quædã nobilis, Deo deuota, venit ad sanctum, vt suum ei explicaret dolorē, ac remedium postularet. Habebat quidem virum valde crudelem, quem aduersarium patiebatur in seruitio Christi. Et ideo petebat à sancto, quatenus oraret pro illo, vt sua Deus cor ipsius dignaretur emollire clemētia. Ipse verò hoc audiēs, ait illi: Vade cum pace, indubitanter expectãs de viro tuo consolationē tibi de proximo adfuturam. Et adiecit: Dices ei ex parte Dei & mea, quòd nunc est tēpus clemētiæ, postmodũ æquitatis. Benedictione accepta reuertitur mulier, inuenit virũ, denunciat verbũ. Cecidit super eum spiritus sanctus, & nouum factum de veteri, sic facit cum omni mansuetudine respondere: Domina, seruiamus Domino, & saluemus animas nostras. Suadente igitur sancta vxore, pluribus annis 45 cœlibem vitam agentes, eodem die ambo ad Dominum migrauerunt. Miranda certè in viro Dei spiritus prophetici virtus, qua & membris iam arentibus restituebat vigorem, & duris imprimebat cordibus pietatem: quanquam non minus eiusdem spiritus sit stupenda limpiditas, qua sic futurorũ præcognoscebat euentum, vt etiam conscientiarum scrutaretur arcanũ, quasi alter Helisæus duplicem Heliæ spiritum assequutus.

45 Vides quod etiã coniugati Dei gratia cœlibē vitam ducere possunt? Multi quoq; Sãcti hoc modo vixisse reperiuntur.

Miraculum

Miraculum.

Nam cùm Senis viro cuidam sibi familiari quædam superuentura finaliter prædixisset, & vir ille peritus, de quo suprà mentio facta est, quòd de scripturis cum eo conferebat aliquando, his auditis, ab eodem sancto patre dubitando perquireret, an hæc ipse dixisset, qui illius viri relatione cognouerat, non solùm se illa dixisse asseruit, verùm etiam quærenti alienum euentum, proprium exitum prophetando prædixit. Quod vt certius cordi eius imprimeret, quendam secretum conscientiæ illius scrupulum, quem nulli viuenti vir præfatus expresserat, & mirabiliter reuelãdo explicuit, & salubriter consulendo reserauit. Ad quorum omnium firmitatem accidit, quòd vir ille religiosus, sicut Christi famulus ei prædixit, sic finaliter consummauit. *Miraculum.*

Eo quoq; tempore, quo reuertebatur de vltra mare, socium habens Fratrẽ Leonardum de Assisio, contigit eum fatigatum & lassum parumper asellum conscendere: Subsequens autẽ socius & ipse non modicum fessus, cœpit dicere intra se, humanũ aliquid passus: Non de pari ludebant parentes eius, & mei? En ipse equitat, & ego pedester asinum eius duco. Hoc illo cogitante, protinus descendit de asino vir sanctus, & ait: Non frater conuenit vt ego equitem, tu venias pedes, quia nobilior & potentior in seculo tu me fuisti. Obstupuit illicò frater, & rubore suffusus, deprehensum se recognoscens, procidit ad pedes ipsius, & lachrymis irrigatus, nudum exposuit cogitatum, veniamque poposcit. *Miraculum.*

Frater quidã Deo deuotus & famulus Christi, frequẽti cogitatione versabat in pectore, superna fore gratia dignum, quem vir sanctus familiari complecteretur affectu: quem verò tanquam extraneum reputaret extra numerum electorum reputandum à Deo. Cùm igitur cogitationis huius crebrius vexatus impulsu, viri Dei familiaritatem vehemẽter optaret, nec tamen cordis sui secretum reuelaret alicui, aduocans eum ad se dulciter pater pius, sic alloquutus est: Nulla te turbet cogitatio fili, quoniam te charissimum habens inter præcipuè mihi charos, libẽter tibi munus meæ familiaritatis & dilectionis impendo. Miratus exinde frater, factusque deuotior ex deuoto, non solùm in amorem creuit hominis sancti, verùm etiam per spiritus sancti gratię munus donis est maioribus cumulatus. Cùm autem in monte maneret Aluernæ cella reclusus, vnus à socijs magno desiderio cupiebat habere de verbis Domini aliquod scriptum manu ipsius breuiter annotatum. Grauem enim, qua vexabatur, tentationem, non carnis, sed spiritus, ex hoc credebat euadere, vel certè leuius ferre. Tali desiderio languens anxiabatur interius, quia verecundia victus, reuerendo patri rem pandere non audebat. Sed cui homo non dixit, spiritus reuelauit. Portari namque sibi iussit à fratre prædicto atramentum & chartam, laudesq; Domini iuxta fratris desiderium propria manu scripsit, & vltimò benedictionẽ ipsius, dicens: Accipe tibi chartulam istam, & vsque ad diem mortis tuæ custodias diligenter. Accepit frater donum illud optatum, & statim omnis illa tentatio effugatur. Seruatur litera, & cùm in posterum mirãda effecerit, virtutum Francisci testimonium fuit. *Miraculum.*

Frater quidam erat, quantum à foris videbatur, sanctitate præclarus, conuersatione insignis, tamen admodum singularis. Omni tempore orationi vacãs, tanta districtione silentium obseruabat, quòd consueuerat non verbis, sed nutibus confiteri. Accidit autẽ sanctum patrem venire ad locum videre fratrem, & de ipso cum alijs fratribus habere sermonem. Commendantibus autem omnibus & magnificantibus illum, respondit vir Dei: Sinite fratres, ne mihi in eo diabolica figmenta laudetis. In veritate sciatis quòd diabolica tentatio est, & deceptio fraudulenta. Durè acceperunt hoc fratres, tanquam impossibile iudicantes, quòd tot perfectionis indicijs fraudis se commenta fuscarent. Verùm non post multos dies eo religionem egresso, euidenter apparuit, quanta luculentia interioris contuitus vir Dei cordis eius secreta perspexit. Multorum quoque per hunc modum, qui stare videbantur, ruinam: sed & plurium peruersorum conuersionem ad Christum immobili veritate prænuncians, appropinquasse videbatur ad æternæ lucis speculum contemplandum, cuius fulgore mirabili absentia corporaliter, tanquam si essent præsentia, mentis eius cernebat obtutus. *Miraculum.*

Quodam namque tempore vicarius suus tenebat capitulum, ipse verò in cella orans, sequester erat, & medius inter fratres, & Deum. Cùm igitur vnus ex ipsis defensionis quodam contectus palliolo non se subderet disciplinæ: Videns hoc vir sanctus in spiritu, vocauit quendam de fratribus, & dixit ad eum: Vidi frater diabolum super illius fratris inobedientis dorsum, collum eius tenentem astrictum, qui tali sessore subactus obedientiæ freno spreto, instinctus eius sequebatur habenas. Et cùm rogarem Deum pro fratre, subitò dæmon confusus abscessit. Vade igitur, & dic fratri, vt obedientiæ sanctæ iugo collum sine mora submittat, monitus per internuncium frater, statimq; conuersus ad Deum, ad pedes vicarij humiliter se proiecit.

Miraculum.

Alio quoq; tempore contigit, duos fratres ad eremitorium Græcij de remotis venire, vt virum Dei cernerent, & benedictioně multo desideratam iam tempore reportarent. Venientes autě & non inuenientes, quia de publico iam ad cellã redierat, desolati abibant. Et ecce recedentibus illis, cùm de ipsorũ aduentu vel recessu nihil secundùm humanum sensum percipere potuisset, præter solitũ morě egressus è cella, clamauit post eos, & iuxta quod optauerant, signo crucis facto, in Christi nomine benedixit. *Exemplum.*

Duo fratres venerunt aliquando de terra laboris, quorum antiquior nonnulla intulit scandala iuniori. Cùm autem peruenissent ad patrem, quæsiuit ille à iuniore, qualiter erga ipsum se frater socius habuisset in via. Quo respondẽte: Vtiquè satis bene. Subiũxit: Caue frater, ne sub humilitatis specie mentiaris: scio enim, scio, sed expecta modicũ & videbis. Miratus est perplurimũ frater, quomodo tam absentia per spiritũ cognouisset. Igitur non post multos dies, contempta religione foras egreditur, qui scandalum fecerat fratri, & à patre non petierat veniam, nec correctionis debitã receperat disciplinam. Simulq; duo in vna illius claruêre ruina, æquitas scilicet diuinæ iustitiæ, & perspicacitas spiritus prophetiæ. Qualiter autem absentibus se præsentem exhibuit, diuina faciente virtute, euidenter ex superioribus innotescit, si reuocetur ad mentem, qualiter absens in curru igneo transfiguratus apparuit, & quomodo se Arelatensi capitulo in crucis effigie præsentauit. Quod factũ esse diuina dispositione credendũ est, vt ex præsentiæ corporalis apparitione mirabili patẽter claresceret, quàm præsens & peruius spiritus eius luci sapientiæ foret æternę, quæ omnibus mobilibus mobilior est, & vbiq; attingens propter sui munditiam, per nationes in animas sanctas se transfert, & Dei amicos & prophetas constituit. Simplicibus & paruulis sũa solet pandere mysteria doctor excelsus, sicut prius apparuit in Dauid prophetarum eximio, & post in Apostolorũ principe Petro, & tandem in pauperculo Christi Francisco. Hi enim cùm essent literarum imperitia simplices, facti sunt sancti spiritus eruditione illustres. Is quidem pastor, vt gregem pasceret synagogæ de Ægypto eductum: iste piscator, vt sagenam repleret Ecclesiæ multiformitate credẽtium: hic autem negotiator, vt margaritam emeret Euangelicæ vitæ, vẽditis & dispersis omnibus propter Christum.

De efficacia prædicandi, & gratia sanitatum.

Capitulum duodecimum.

Fidelis re vera famulus & minister Christi Franciscus, vt cuncta fideliter & perfectè perageret, illis potissimè virtutum exercitijs intendebat, quæ sacro dictante spiritu, Deo suo magis placere cognouerat. Qua de re contigit illum in magnam dubitationis cuiusdam agoniã incidere, quam multis diebus ab oratione exiens terminandam fratribus sibi familiaribus proponebat. Quid, inquit, fratres consulitis, quid laudatis? An quòd orationi vacem, an quòd prædicando discurram? Siquidẽ ego paruulus, simplex & imperitus sermoně, maiorẽ orandi accepi gratiam, quàm loquendi. Videtur etiam in oratione lucrũ, & cumulatio gratiarũ: in prædicatione distributio quædam bonorũ cœlitus acceptorum, in oratione etiam purificatio interiorũ affectuum, & vnitio ad vnum verum & summum bonũ cum vigoratione virtutis: in prædicatione spiritualiũ puluerisatio pedũ, distractio circa multa, & relaxatio disciplinæ. Tandem in oratione Deũ alloquimur, & audimus, & quasi Angelicã vitam agentes, inter Angelos conuersamur, in prædicatione multa oportet condescensione vti ad homines, & humanè inter eos viuendo, humana cogitare, videre, dicere, & audire. Sed vnũ est in contrarium, quod videtur præpõderare his omnibus ante Deũ, quod videlicet vnigenitus Dei filius, qui est sapientia summã, propter animarũ salutẽ de sinu patris descendit, vt suo mundum informans exemplo, verbum salutis hominibus loqueretur, quos sacri sanguinis & pretio redimeret, & emũdaret lauacro, & poculo sustẽtaret, nihil sibi omnino reseruans, quod non in salutem nostram liberaliter erogaret. Et quia debemus omnia facere secundùm exemplar eorũ quæ videmus in ipso, tanquam in monte sublimi, videtur magis Deo placitum quòd intermissa quiete foras egrediar ad laborem. Cumq; per multos dies verba huiusmodi ruminaret cum fratribus, certitudinaliter nequibat percipere, quid horũ sibi foret vt Christo verè acceptius eligendum. Cùm enim miranda nosset per spiritum prophetiæ, hanc per seipsum quæstionem dissoluere non valebat ad liquidum, Deo melius prouidente, vt prædicationis meritum per supernum manifestaretur oraculum, & serui Christi humilitas seruaretur. Non erubescebat à minoribus parua quærere verus minor, qui magna didicerat à magistro supremo. Studio namq; præcipuo solitus erat exquirere, quali via, qualique modo Deo posset secundùm ipsius beneplacitum perfectius deseruire. Hæc summa eius prophetia, hoc summum eius desiderium extitit, quoad vixit, vt quæreret à sapientibus & simplicibus, perfectis & imperfectis, paruulis & grandæuis, qualiter ad perfectionis culmen virtuosius peruenire valeret.

Assumens

Assumens itaq; duos ex fratribus misit ad fratrem Syluestrum,qui crucem egredientem viderat de ore ipsius, & tunc in montem supra Asisium iugiter orationi vacabat, vt diuinum super dubitatione huiusmodi responsum perquireret, quod sibi ex parte Domini demandaret. Hoc ipsum demandauit sacræ virgini Claræ, vt per aliquam puriorem & simpliciorem de virginibus sub ipsius disciplina degentibus, & ipsa cum sororibus alijs orans,super hoc exquireret Domini voluntatem. Concordauerunt autem mirabiliter in idipsum, superno eis reuelante spiritu, venerabilis sacerdos & virgo Deo dedicata, beneplaciti scilicet esse diuini,quòd Christi præco ad prędicandum exiret.Reuertentibus itaq; fratribus, & Dei iuxta quod acceperant, indicantibus voluntatem, exurgens continuò succinxit se nulla prorsus cōtracta mora,iter aggressus est.Ibat autē cum tanto feruore,vt diuinū exequeretur imperium,tamq; celeriter percurrebat,ac si facta manu Dei super eum nouam induisset è cœlo virtutē.Cùm igitur appropinquaret Beuanium,ad quendā locum deuenit,in quo diuersi generis auium maxima multitudo conuenerat. Quas cùm sanctus Dei vidisset,alacriter cucurrit ad locū,& eas velut rationis participes salutauit.Omnibus verò expectantibus, & conuertentibus se ad eum, ita vt quæ in arbustis erant, inclinatis capitibus,cùm appropinquaret ad eas, insolito modo in ipsum intenderent, vsque ad eas accessit,& omnes vt verbum Domini audirent,solicitè admonuit,dicens:Fratres mei volucres, multum debetis laudare creatorem vestrū,qui plumis vos induit,& pennas tribuit ad volandum, puritatem concessit aëris, & sine vestra solicitudine vos gubernat. Cùm autē eis hæc & his similia loqueretur,auiculæ modo mirabili gestientes,cœperūt extēdere colla,protendere alas, aperire rostra,& in illum attentè respicere. Ipse verò cum spiritus feruore mirando per medium ipsarum transiens,tunica contingebat easdem,nec tamen de loco aliqua mota est,donec signo crucis facto,& licentia data,cum benedictione viri Dei, omnes simul auolârunt. Hæc omnia contuebantur socij expectantes in via. Ad quod reuersus vir simplex, & purus, pro eo quòd non hactenus auibus prædicauerat, cœpit se de negligentia inculpare. Exinde prædicando per loca vicina procedens, venit ad castrum quoddam nomine Aluianum, vbi congregato populo, & indicto silentio,propter hirundines nidificantes in eodem loco, magnisque garritibus perstrepentes,audiri vix poterat. Quas vir Dei omnibus audientibus alloquutus est, dicens: Sorores meæ hirundines, iam tēpus est vt loquar & ego,quia vos vsque modò satis dixistis: Audite verbū Dei tenentes silentium,donec sermo Dei cōpleatur.At illæ tanquam intellectus capaces,subitò tacuerunt,nec fuerunt motæ de loco,donec fuit omnis prędicatio consummata.Omnes igitur qui viderunt, stupore repleti glorificauerunt Deum. Istius miraculi fama circumquaque diffusa, multos ad sancti reuerentiam,& fidei deuotionem accendit. *Exemplum.*

In ciuitate namque Parisiensi scholaris quidam indolis bonæ cum socijs alijs studio diligenter intentus, dum importuna garrulitate cuiusdam infestaretur hirundinis, dicere cœpit ad socios: Hæc hirundo vna de illis est, quæ virum Dei Franciscum prædicantem aliquando,donec silentium eis imponeret,molestabant.Et cōuersus ad hirundinem fiducialiter ait: In nomine serui Dei Francisci præcipio tibi,vt ad me veniens continuò conticescas.At illa Frācisci audito nomine,quasi viri Dei disciplinis edocta,& statim cōticuit, & ipsius manibus tanquam tutæ custodiæ se commisit. Stupefactus scholaris statim eam libertati restituit, & eius garritum amplius non audiuit. *Exemplum.*

Alio quoque tempore cùm famulus Dei Caietæ prædicaret in littore maris, turbis præ deuotione ruentibus, vt eum contingerent, horrens Christi seruus tantum populorum applausum in vnam hærentem littori nauiculam prosiliuit solus. Illa verò tanquam si rationis particeps motore moueretur intrinseco, sine aliquo remige, cernentibus & mirantibus cunctis,se longius à terra protraxit.Cùm autē aliquanto spacio in maris altitudinē secessisset,stetit inter fluctus immobilis,quādiu vir sanctus turbis expectantibus in littore prædicauit. Cumq; audito sermone, & viso miraculo,ac benedictione accepta multitudo recederet,ne ipsum amplius molestaret,nauicula proprio ductu ad terram reuersa est.Quis igitur tam obstinatæ mentis esset, & impiæ, vt prædicationem Francisci contemneret, cuius miranda fiebat virtute,vt non solum carentia ratione disciplinā susciperent,verùm etiam inanimata corpora tanquam animata prædicanti seruirent? *Miraculum.*

Adherat equidem seruo suo Francisco ad quæcunque pergeret is qui eum vnxerat, & miserat spiritus Domini, & ipse Dei virtus,& sapientia Christus, vt sanæ doctrinæ verbis afflueret,& magnæ potētiæ miraculis coruscaret.Erat enim verbū eius,velut ignis ardēs, penetrans intima cordis,omniumq; mentes admiratione replebat,cùm non humanæ inuentionis ornatum prætenderet, sed diuinæ reuelationis afflatum redoleret. Nam cùm semel prædicaturus coram Papa, & Cardinalibus, ad suggestionem Domini Hostiensis, sermonem quendam studiosè compositum commendasset memoriæ,stetissetq; in medio,

vt ædificationis verba proponeret, ſic obliuioni tradidit omnia,vt effari aliquid omnino neſciret. Verùm cùm hoc veridica humilitate narraſſet,cōferens ſe ad ſpiritus ſancti gratiā inuocandam,tam efficacibus ſubitò cœpit verbis affluere,tamque potenti virtute illorum mentes virorum ſublimium ad compunctionē inflectere,vt apertè clareret, quòd non ipſe, ſed ſpiritus Domini loquebatur. Et 46 quoniam primò ſibi ſuaſerat opere,quod alijs ſuadebat ſermone,reprehenſorem non timens,veritatem fidentiſsimè prædicabat. Neſciebat aliquorum culpas palpare,ſed pungere: nec vitam fouere peccantium,ſed aſpera increpatione ferire. Eadem mentis conſtantia magnis loquebatur & paruis, eademque ſpiritus iocunditate paucis loquebatur & multis. Omnis ætas,omniſque ſexus properabat,virum nouum,mundo cœlitus datum & cernere,& audire. Ipſe verò per diuerſas regiones progrediens, euangelizabat ardenter, Domino cooperante,& ſermonē confirmante,ſequentibus ſignis. In virtute namq; nominis eius,veritatis præco Frāciſcus eijciebat dæmonia, ſanabat infirmos,& quod maius eſt,ſui ſermonis efficacia obſtinatorum mentes ad pœnitentiam molliebat,ſimulq; ſanitatem corporibus reddebat,& cordibus,ſicut aliqua comprobant operum eius, exempli gratia, inferius adnotanda. *Miraculum.*

46 Hoc eſt optimū docēdi genus,cùm videlicet qui exēpla prædicat & verbo.

In ciuitate Tuſcanella à milite quodā hoſpitio deuotè ſuſceptus filium eius vnicum à natiuitate contractū ad multā ipſius inſtantiā,manu eleuans,ſic ſubitò incolumē reddidit, vt vidētibus cūctis protinus cōſolidarentur omnia corporis mēbra,& puer ſanus & fortis effectus,confeſtim exurgeret ambulans,& exiliens,& laudans Deum. *Miraculum.*

In ciuitate Narnienſi cùm paralyticum quendam membrorum omnium deſtitutum officio,ſigno 47 crucis à capite vſque ad pedes ad inſtantiam ſignaſſet Epiſcopi, perfectæ reſtituit ſanitati. *Miraculum.*

47 Signo Crucis paralyticum reſtituit ſanitati.

In Epiſcopatu Reatino puer quidam ſic turgidus à quatuor annis,vt nullo modo propria cura cernere poſſet, à matre cum lachrymis præſentatus eidem,ſtatim vt vir ſanctus tetigit eum manibus ſacris, incolumis eſt effectus. *Miraculum.*

Apud ciuitatem Ortenſem puer vnus ita conglomeratus, vt caput pedibus portaret applicitum,& haberet oſſa nonnulla confracta,ſigno 48 crucis ad parentum lachrymabiles preces ab eodem ſuſcepto, ſubitò extenſus extitit, & illicò liberatus. *Miraculum.*

48 Eodem ſigno & hunc puerum liberat.

Mulier quædā ciuitatis Eugubij ambas contractas & aridas habēs manus,adeò vt nihil per illas operari valeret,ſigno 49 crucis ab eodē in nomine Domini ſibi facto,tam perfectā obtinuit ſoſpitatem,quòd ſtatim rediēs domum cibos in miniſterium eius & pauperum, quaſi altera ſocrus Simonis, proprijs manibus præpararet. *Miraculum.*

49 Signo Crucis aridas manus mulierū ſanat.

Puellæ cuidā in caſtro Meuanij oculorū priuatæ luminibus, cùm in Trinitatis nomine ſputo ſuo ter ipſius oculos liniuiſſet, lumen concupitum reſtituit. *Miraculum.*

Mulier quædam ciuitatis Narnij,oculorū cœcitate percuſſa,ſignum 50 crucis ab eodem ſuſcipiens, lucem recuperauit optatam. *Miraculum.*

50 Eodem cæcam illuminat.

Bononiæ puer quidam vnum oculorum macula adeò habēs obtectum,vt nihil prorſus videre poſſet,nec aliquo iuuari remedio,poſt ſignum 51 crucis à capite vſque ad pedes per ſeruum Domini ſibi factum, viſum recuperauit tam limpidum, vt poſtmodum fratrum minorum ordinem ingreſſus, ſe longè clarius videre aſſereret de oculo prius infirmo, quàm de oculo ſemper ſano. *Miraculum.*

51 Ad idem facit.

In caſtro ſancti Gemini ſeruus Dei à quodā deuoto viro ſuſceptus hoſpitio, cuius vxor à dæmonio vexabatur,poſt 52 orationem factam in virtute obedientię imperauit dæmoni vt exiret,eumq; poteſtate diuina tam ſubitò effugauit,vt verè clareſceret,quòd obediētiæ ſanctæ virtuti peruicacia dæmonum non obſiſtat. *Miraculum.*

52 Oratione dæmoniū effugauit.

In ciuitate de Caſtello quidam furibūdus & nequam ſpiritus quandā obſidēs mulierem, à viro ſancto obedientiæ accepto mandato,indignabundus diſceſsit,mente ſimul & corpore liberam obſeſſam prius fœminam derelinquens. *Miraculum.*

Frater quidam infirmitate tam horribili grauabatur, vt magis eſſe vexatio dæmonis, quàm naturalis infirmitas à pluribus firmaretur. Nam totus ſæpe allidebatur, & volutabatur ſpumans, membris corporis nunc contractis, nunc extenſis, nunc plicatis, nunc tortis,nunc rigidis effectis,& duris. Quandoq; totus extenſus,& rigidus,pedibus æquatis capiti,leuatur in altum, horribiliter illicò relapſurus. Hunc ſic miſerabiliter,& irremediabiliter ægrotantem plenus miſericordia Chriſti ſeruus commiſerans,buccellam ſibi panis, de quo edebat trāſmiſit. Tantam verò guſtatus panis cōtulit ægro virtutem,vt deinceps huius infirmitatis moleſtiam non ſentiret. *Miraculum.*

In comitatu Aretij cùm diebus pluribus mulier quędam laboraſſet in partu,eſſetq; iam proxima morti, nullum omnino deſperanti de vita ſupererat remedium, niſi Dei. Cùm autem equo vectus propter corporis infirmitatē Chriſti famulus per partes illas tranſitum habuiſſet, contigit reduci animal per villam, in qua mulier torquebatur. Homines verò

loci viso equo cui vir sanctus insederat, extraxerunt fenum, vt superponerent mulieri. Ad cuius contactum mirificum, omni remoto periculo, mulier illicò peperit cum salute.

Miraculum.

Vir quidā de castro plebis religiosus ac timens Deū, cordam apud se, qua cinctus fuerat sanctus pater, habebat. Cumq; multitudo virorum ac mulierum in castro illo varijs infirmitatibus laboraret, ibat per infirmantium domos, & intincta corda in aqua, dabat bibere patientibus: Sicque per hunc modum plurimi sanabantur. Sed & de panibus à viro Dei contactis gustantes ægroti, diuina operante virtute, consequebantur celeriter remedia sanitatū. Cùm his & alijs multis miraculorū prodigijs præco Christi prædicans coruscaret, attendebatur his quæ dicebantur ab eo, ac si Angelus Domini loqueretur. Excellens namque in ipso prærogatiua virtutum, prophetiæ spiritus, efficacia miraculorum, oraculum de pręedicando cœlitus datum, obedientia creaturarum ratione carentium, vehemens immutatio cordium ad verborum ipsius auditum, eruditio eius à spiritu sancto præter humanam doctrinam, prædicandi autoritas à summo Pontifice non sine reuelatione concessa, insuper & regula, in qua forma prædicandi exprimitur, ab eodem Christi Vicario confirmata: summi quoq; regis signacula per modū sigilli corpori eius impressa, tanquam testimonia decem, toti seculo indubitanter affirmant, Christi præconem Franciscum & venerandū officio, & doctrina authenticum, & admirabilē sanctitate, ac per hoc, tanquam verè Dei nuncium, Christi Euangelium prædicasse.

De stigmatibus sacris. *Capitulum decimumtertium.*

MOS erat Angelico viro Francisco, nunquā ociari à bono, quin potius instar supernorum spirituū in scala Iacob, aut ascendebat in Deū, aut descēdebat ad proximos. Nam tempus sibi concessum ad meritum, diuidere sic prudenter didicerat, vt aliud proximorum lucris laboriosis impēderet, aliud contemplationis trāquillis excessibus dedicaret. Vnde cùm secundùm exigentiam locorum, & temporum, alienæ condescendisset procurandæ saluti, inquietationibus derelictis turbarum, solitudinis secreta petebat, locumque quietis, quo liberius Deo vacās, extergeret si quid pulueris sibi ex conuersione hominum adhæsisset. Biennio itaque antequam spiritum redderet cœlo diuina prouidētia duce, post labores multimodos perductus est in locū excelsum seorsum, qui dicitur mons Aluernæ. Cùm igitur iuxta solitum morem, Quadragesimam ibidem ad honorem S. Archangeli Michaelis ieiunare cœpisset, supernæ contemplationis dulcedine abundātius solito superfusus, ac cœlestiū desideriorū ardentiori flamma succensus, supernarū cœpit immissionum cumulatius dona sentire. Ferebatur quidē in altū, non vt curiosus maiestatis perscrutator opprimendus à gloria, sed tanquam fidelis & prudens inuestigans beneplacitum Dei, cui se conformare omnimodè summo peroptabat ardore. Immissum est igitur menti eius per diuinum oraculū, quòd in apparitione libri Euangelici reuelaretur ei à Christo, quod Deo in ipso, & de ipso maximè foret acceptū. Oratione itaq; cum multa deuotione præmissa, sacrum Euāgeliorum librum de altari sumptum, in sanctæ Trinitatis nomine aperiri fecit per socium, virum vtique Deo deuotum & sanctum. Sanè cùm in trina libri apertione semper Domini passio occurreret, intellexit vir Deo plenus, quod sicut Christum fuerat imitatus in actibus vitæ, sic conformis ei esse deberet in afflictionibus & doloribus passionis antequā ex hoc mundo transiret. Et licet propter multā austeritatem vitæ præteritæ, Crucisque Dominicæ baiulationem continuam, imbecillis iam esset corpore, nequaquam est territus, sed ad martyrij sustinentiam vigorosius animatus. Excreuerat quidem in eo insuperabiliter amoris incendium boni Iesu in lampades ignis atque flammarum, vt aquæ multæ charitatem eius tam validam extinguere non valerent.

Cùm igitur Seraphicis desideriorū ardoribus sursum ageretur in Deum, & cum passiua dulcedine in eum transformaretur, qui ex charitate nimia voluit crucifigi, quodam mane circa festū Exaltationis sanctæ Crucis, dum oraret in latere mōtis, vidit Seraph vnum sex alas habentem tam ignitas, quàm splendidas, de cœlorum sublimitate descendere. Cumq; volatu celerrimo peruenisset ad aëris locum viro Dei propinquum, apparuit inter alas effigies hominis crucifixi, in modum crucis manus & pedes extensos habentis, & cruci affixos. Duæ alæ super caput ipsius eleuabātur, duæ ad volandū extendebantur, duæ verò totū vehebant corpus. Hoc videns vehementer obstupuit, mixtumq; mœrore gaudiū cor eius incurrit. Lętabatur quidē in gratioso aspectu, quo à Christo sub specie Seraph cernebat se cōspici, sed crucis affixio cōpassiui doloris gladio ipsius animam pertransibat. Admirabatur quàmplurimū in tam inscrutabilis visionis aspectu, sciens quòd passionis infirmitas cum immortalitate spiritus Seraphici nullatenus conueniret. Intellexit tandem ex hoc, Domino reuelante, quòd ideo huiusmodi visio sic diuina prouidētia suis fuerat præsentata cōspectibus, vt amicus Christi prænosceret, se non per martyrium carnis, sed per incēdium mentis

mentis totum in Chriſti crucifixi ſimilitudinem transformandum. Diſparens igitur viſio mirabilem in corde ipſius reliquit ardorem: ſed & in carne non minus mirabilé ſignorum impreſsit effigiem. Statim namque in manibus eius & pedibus apparere cœperunt ſigna clauorum, quemadmodũ paulò antè in effigie illa viri crucifixi conſpexerat. Manus enim & pedes in ipſo medio clauis confixæ videbantur, clauorum capitibus in interiori parte manuum & ſuperiori pedũ apparentibus, & eorum acuminibus exiſtentibus ex aduerſo. Erantque clauorum capita in manibus & pedibus rotunda & nigra, ipſa verò acumina oblonga, retorta, & quaſi repercuſſa, quæ de ipſa carne ſurgentia carné reliquam excedebant. Dexterũ quoque latus quaſi lancea transfixum, rubra cicatrice obductum erat, quod ſæpe ſanguinem ſacrũ effundens, tunicam & fœmoralia reſpergebat. Cernens auté Chriſti ſeruus, quòd ſtigmata carni tam luculenter impreſſa ſocios familiares latêre non poſſent, timens nihilominus publicare Domini Sacramentum, in magno poſitus fuit dubitationis agone, vtrum videlicet quod viderat diceret, vel taceret. Vocauit proinde aliquos ex fratribus, & generalibus verbis loquens, dubium coram eis propoſuit, & conſiliũ requiſiuit. Quidam verò ex fratribus gratia illuminatus & nomine, intelligens quòd aliqua miranda vidiſſet, pro eo quod videbatur admodum ſtupefactus, dixit ad virum ſanctum: Frater non ſolùm propter te, ſed etiam propter alios, ſcias tibi oſtendi aliquando Sacramenta diuina: Timendum propterea iure videtur, ne ſi quod pluribus profuturũ accepiſti celaueris, pro talento abſcondito reprehenſibilis iudiceris. Ad cuius verbum motus vir ſanctus, licet aliâs dicere ſolitus eſſet: Secretum meum mihi: tunc tamen cum multo timore ſeriem retulit viſionis præfatæ, addens quod is qui apparuerat, aliqua dixerit, quæ nunquam dum viueret alicui hominum aperiret. Credendum ſanè tam arcana illa fuiſſe ſacri illius Seraph in cruce mirabiliter apparétis eloquia, quòd fortè nõ liceret hominibus ea loqui. Poſtquã igitur verus Chriſti amor in eandem imaginem transformauit amantem, quadraginta dierum numero iuxta quod decreuerat, in ſolitudine conſummato, ſuperueniente quoque ſolennitate Archangeli Michaelis, deſcendens Angelicus vir Franciſcus de monte ſecum ferens crucifixi effigiem, non in tabulis lapideis vel ligneis, manu figuratam artificis, ſed in carneis membris deſcriptam digito Dei viui. Et quoniam Sacramentum Regis abſcondere bonũ eſt, ideo ſecreti Regalis vir conſcius, ſignacula illa ſacra pro viribus occultabat. Verùm quia Dei eſt ad gloriã ſuam magna reuelare. quæ facit Dominus ipſe, qui ſignacula illa ſecretè impreſſerat, miracula quædam apertè per ipſa monſtrauit, vt illorũ occulta & mira vis ſtigmatum, manifeſta pateret claritate ſignorum. *Miraculum.*

In Prouincia namque Reatina peſtis inualuerat valdè grauis, quæ oues & boues omnes ſic conſumebat crudeliter, quòd nullum poterat remedium adhiberi. Vir autem quidam timens Deum nocte fuit per viſioné commonitus, vt ad eremitorium fratrum feſtinanter accederet, & loturam manuum ac pedum famuli Dei Franciſci, qui tunc temporis morabatur ibidem, acceptam ſuper animalia cuncta reſpergeret. Mane itaque ſurgens venit ad locũ, loturaq; huiuſmodi per ſocios ſancti viri latenter obtenta, oues & boues languentes ex ea reſperſit. Mirabile dictu. Statim vt aſperſio animalia languida & in terra iacentia quantumcunq; paululũ attingebat, priſtino recuperato vigore, ſurgebãt continuò, & tanquam nihil mali ſenſiſſent, ad paſcua feſtinabant. Sicq; factum eſt, vt per virtuté mirandam aquæ illius, quæ ſacras plagas contigerat, omnis prorſus plaga ceſſaret, peſtilenſq; morbus à gregibus fugaretur. Circa præfatũ montem Aluerne, antequã vir ſanctus ibi contraheret morã, nube ex ipſo monte ſurgente, grandinis violenta tempeſtas fructus terræ conſuetudinariè deuaſtabat. Sed poſt illam apparitioné felicem non ſine incolarum admiratione grando ceſſauit, vt cœleſtis illius viſionis excellentiã, & ſtigmatum ibidem impreſſorum virtutem, ſerenati præter morem ipſa cœli facies declararet. Contigit quoq; eum tempore hyemali propter debilitaté corporis, & aſperitaté viarũ, hominis vnius pauperis ſubuectum aſello, ſub rupis cuiuſdam prominentis pernoctare crepidine, vt niuis & noctis ſuperuenientium quoquo modo declinaret incõmoda, quibus præpeditus ad hoſpitij locum non valuerat peruenire. Cùm autem vir ſanctus hominem illum queruloſis ſubmurmurantem gemitibus hinc inde ſeipſum iactare ſenſiſſet, tanquam qui tenui operimento contectus, quieſcere præ frigoris acerbitate nequibat, diuini amoris feruore ſuccenſus manu illum protenſa palpauit. Mirabile certè. Repentè ad illius ſacræ manus contactũ, quæ Seraphici calculi gerebat incendiũ, omni fugato frigore, tantus in virũ intus & extrà calor aduenit, ac ſi quædam in eum vis flammea ex fornacis ſpiraculo proceſsiſſet. Nam illicò & mente & corpore confortatus, ſuauius inter ſaxa & niues vſque mane dormiuit, quàm vnquam in proprio lecto pauſauerat, ſicut ipſe poſtmodum aſſerebat. Certis itaq; conſtat indicijs, ſacra illa ſignacula illius impreſſa fuiſſe virtute, qui operatione Seraphica purgat, illuminat, & inflammat, cùm ipſa forinſecus expurgando à peſte ſaluté, ſerenitatem & calorem

corporibus

corporibus efficacia mira cõferrent, ſicut & poſt mortẽ euidentioribus eſt demonſtratum prodigijs ſuo loco poſterius adnotandis. Ipſe verò licet theſaurum inuentum in agro multa diligentia ſtuderet abſcondere, latêre tamen non potuit, quin aliqui ſtigmata manuum viderent & pedum, quanquam manus quaſi ſemper portaret contectas, & pedibus ex tunc incederet calceatus. Viderunt enim, dum viueret, fratres plurimi, qui licet eſſent propter ſanctitatem præcipuam viri per omnia fide digni, tamen ad omne dubium amouendum, ſic eſſe, ac ſe vidiſſe, tactis ſacroſanctis, iuramento firmârunt. Viderunt etiam ex familiaritate, quam cum viro ſancto habebant, aliqui Cardinales, laudes ſacrorũ ſtigmatum proſis, & hymnis, & antiphonis, quas ad ipſius ediderunt honorẽ veraciter inſerentes, qui tam verbo, quàm ſcripto perhibuerunt teſtimonium veritati. Summus etiam Pontifex Dominus Alexander cùm populo prædicaret, corã multis fratribus, & me ipſo affirmauit, ſe dum ſanctus viueret, ſtigmata illa ſacra ſuis oculis cõſpexiſſe. Viderũt in morte pluſquã quinquaginta fratres, virgoq; Deo deuotiſsima Clara cum cæteris ſororibus ſuis, & ſeculares innumeri, ex quibus, quemadmodũ ſuo loco dicetur, quamplurimi & oſculati ex deuotionis affectu, & contrectauerunt manibus ad teſtimonij firmitatẽ. Vulnus autẽ lateris tam ſolicitè occultauit, vt illud nemo poſſet niſi furtim contueri dũ viueret. Vnus etenim frater qui ei ſedulè miniſtrare ſolitus erat, cùm pia eum cautela, vt ad excutiendum extraheret tunicam, induxiſſet, attentè reſpiciens vidit plagam, cui etiam tres veloci contactu digitos applicans, tam viſu, quàm tactu, vulneris quantitatem agnouit. Cum ſimili cautela vidit etiam frater ille, qui tunc temporis erat Vicarius eius. Frater verò ſocius mirandæ ſimplicitatis, dum infirmitatis cauſa languentes ſcapulas cõtrectaret, manu per caputium miſſa, & caſualiter vulneri ſacro illapſa, magnũ ei dolorẽ inflixit. Proinde portabat ex tũc fœmoralia ita facta, vt vſq; ad aſcellas pertingerent ad vulnus lateris contegendũ. Fratres quoque, qui illa lauabãt, vel tunicã excutiebant pro tẽpore, quia inueniebãt eam ſanguine rubricatã, indubitanter per euidens ſignũ in cognitionẽ ſacri vulneris peruenerunt: quod poſtmodum in morte reuelata facie ipſi cum alijs plurimis contemplati ſimul & venerati ſunt. Eia nũc ſtrenuiſsime miles Chriſti, ipſius fer arma inuictiſsimi ducis, quibus munitus & inſignitus omnes aduerſarios ſuperabis. Fer vexillũ Regis altiſsimi, ad cuius intuitum omnes pugnatores diuini exercitus animentur. Fer nihilominus ſigillũ ſummi Pontificis Chriſti, quo verba & facta tua tanquã irreprehenſibilia, & authentica meritò ab omnibus acceptentur. Iam enim propter ſtigmata Domini Ieſu, quæ in corpore tuo portas, nemo debet tibi eſſe moleſtus, quin potius quilibet Chriſti ſeruus Domini eſſe tenetur affectione deuotus. Iam per hæc ſigna certiſsima non duobus aut tribus teſtibus ad ſufficientiam, ſed quàmplurimis ad ſuperabundantiam comprobata, teſtimonia Dei in te & per te credibilia facta nimis, omne tollũt infidelibus velamẽ excuſationis, dum credẽtes in fide ſtabiliunt, ſpei fiduciã ſurſum agunt, & ignem charitatis accendũt. Iam verè impleta eſt prima viſio quã vidiſti, videlicet quòd dux in militia Chriſti futurus, armis deberes cœleſtibus, ſignoq; crucis inſignibus decorari. Iam in principio tuæ conuerſionis crucifixi viſio compaſsiui doloris gladio mentaliter transfigens: ſed & auditus vocis de cruce tanquam de throno Chriſti ſublimi & ſecreto propitiatorio procedẽtis, iuxta quod tuo ſacro firmaſti eloquio, vera indubitanter fuiſſe creduntur. Iam in tuæ conuerſionis progreſſu & crucem quam vidit frater Syluester ex ore tuo mirabiliter procedẽtem, & gladios in crucis modum tua viſcera transfigentes, quos ſacer vidit pacificus, teque ſecundùm crucis figuram in aëre ſubleuatum, cùm de crucis titulo ſanctus prædicabat Antonius, iuxta quod proſpexit Angelicus vir Monaldus, non fantaſtica viſione, ſed reuelatione fuiſſe cœlica conſpecta, verè creditur, & firmatur. Iam denique circa finem quòd ſimul tibi oſtẽditur, & ſublimis ſimilitudo Seraph, & humilis effigies crucifixi interius te incendens, & exterius te cõſignans, tanquam alterũ Angelum aſcendentem ab ortu ſolis, qui ſignum in te habeas Dei viui, & prædictis dat firmitatẽ fidei, & ab eis accipit teſtimonium veritatis. Ecce iam ſeptẽ apparitionibus crucis Chriſti in te ſecundùm ordinem temporũ mirabiliter exhibitis & monſtratis, quaſi ſex gradibus ad iſtam ſeptimam, in qua finaliter requieſcis, perueniſti, Chriſti namque crux in tuæ conuerſionis primordio tam propoſita, quàm aſſumpta, & dehinc in cõuerſationis progreſſu per vitam probatiſsimã baiulata in te ipſo continuè, & in exemplum alijs demonſtrata, tanta certitudinis claritate oſtendit Euangelicæ perfectionis apicem te finaliter concluſiſſe, vt demonſtrationem hanc Chriſtianæ ſapientiæ tuæ carnis puluere exaratam, nullus verè deuotus abijciat, nullus verè fidelis impugnet, nullus verè humilis paruipendat, cùm ſit verè diuinitus expreſſa, & omni acceptione condigna.

De patientia ipſius & tranſitu mortis. *Capitulum decimumquartum.*

CHriſti iam igitur cruci cõfixus Frãciſcus tã carne, quàm ſpiritu, nõ ſolùm Seraphico amore ardebat in Deum, verumetiam ſitiebat cum Chriſto crucifixo multitudinem ſaluan-

saluandorum. Faciebat proinde, quoniã propter excrescentes in pedibus clauos ambulare non poterat, corpus emortuum per ciuitates & castra circumuehi, vt ad crucem Christi ferendam cæteros animaret. Fratribus quoq; dicebat: Incipiamus fratres seruire Domino Deo nostro, quia vsque nunc parum profecimus. Flagrabat etiam desiderio magno ad humilitatis redire primordia, vt leprosis sicut à principio ministraret, corpusq́ue iam præ labore collapsum reuocaret ad pristinam seruitutẽ. Proponebat Christo duce se facturum ingentia, & fatiscentibus membris, spiritu fortis & feruidus, nouo sperabat certamine de hoste triumphũ. Neque enim languor vel desidia locũ habet, vbi amoris stimulus semper ad maiora perurget. Tanta autem in eo carnis ad spiritũ erat concordia, tanta obedientię promptitudo, quòd cùm ille ad omnẽ niteretur sanctitatẽ pertingere, ipsa non solùm non repugnaret, sed præcurrere niteretur. Vt autẽ viro Dei cumulus meritorum accresceret, quæ omnia verè in patiẽtia cõsummantur, cœpit infirmitatibus multimodis laborare tam grauiter, vt vix in eo membrũ aliquod remaneret absq; ingenti passionis dolore. Ad hoc tandem per varias & diuturnas ac continuas ægritudines deductus est, vt cõsumptis iam carnibus, quasi sola cutis ossibus cohæreret. Cumq; duris corporis angeretur doloribus, illas suas angustias non pœnarũ censebat nomine, sed sororũ. Cùm autem semel grauius solito dolorũ vrgeretur aculeis, quidã frater simplex dixit ad eum: Frater ora Dominum, vt mitius tecũ agat: manũ enim suam plus debito super te grauare videtur. Quo audito, vir sanctus cum eiulatu exclamans, ait: Nisi noscerem in te simplicem puritatem, tuum ex nunc abhorrerẽ consortiũ, qui ausus fueris circa me diuina iudicia reprehensibilia iudicare. Et licet totus esset attritus grauis prolixitate languoris, proijciens se in terrã, ossa debilia duro casu collisit. Et deosculãs humũ: Gratias, inquit, tibi ago Domine Deus de omnibus his doloribus meis, teq; mi Domine rogo, vt centuplũ si tibi placuerit, addas, quia hoc erit mihi acceptissimũ, vt affligens me dolore, non parcas, cùm tuæ sanctæ voluntatis adimpletio, sit mihi consolatio superplena. Videbatur propterea fratribus, quòd quasi alterum Iob viderent, cui cùm languor cresceret carnis, crescebat simul & vigor mentis. Ipse autẽ obitum suum longè antè præsciuit, dieq; transitus imminente, dixit fratribus sui corporis tabernaculum deponendũ in proximo, quemadmodũ sibi fuerat reuelatũ à Christo. Cùm itaque per bienniũ ab impressione sacrorum stigmatum, anno videlicet à sua conuersione vigesimo, multis fuisset angustiantiũ infirmitatum probatiuis tonsionibus conquadratus, tanquã lapis in supernæ Hierusalẽ ædificio collocandus, & tanquã ductile opus sub multiplicis tribulationis malleo ad perfectionẽ adductus, ad S. Mariã de Portiuncula se portari poposcit, quatenus vbi acceperat spiritũ gratiæ, ibi redderet spiritũ vitæ. Quò cùm fuisset perductus, vt veritatis exemplo mõstraret, quòd nihil erat illi cõmune cum mundo, in illa infirmitate tam graui, quę omnẽ languorem conclusit, super nudã humum se totũ nudatũ in spiritus feruore prostrauit, quatenus hora illa extrema, in qua poterat adhuc hostis irasci, nudus luctaretur cum nudo. Decubans sic in terra, saccina veste deposita, faciẽ solito more leuauit in cœlũ, & intendens illi gloriæ totus manu sinistra dextri lateris vulnus ne videretur obtexit. Et ait ad fratres: Ego quod meũ est feci, quod vestrũ est Christus edoceat. Illachrymantibus autẽ socijs sancti, qui miro fuerant cõpassionis telo percussi, vnus ex eis, quẽ vir Dei Guardianũ suũ esse dicebat, votũ ipsius diuina inspiratione cognoscẽs, festinus surrexit, & acceptam cum cordula & fœmoralibus tunicam, pauperculo Christi obtulit, dicens: Hæc tibi tanquã pauperi commodo, & tu illa suscipias obedientiæ sanctæ mandato. Gaudet ex hoc vir sanctus, & iubilat præ lætitia cordis, quoniam fidem tenuisse Dominicæ paupertatis, vsq; in finẽ se vidit, palmasq; leuans ad cœlũ, Christũ suum magnificat, pro eo quòd exoneratus ab omnibns liber vadit ad ipsum. Fecerat enim hæc omnia paupertatis zelo, vt nec habitũ quidem vellet habere, nisi ab illo cõmodatum. Voluit certè per omnia Christo crucifixo esse conformis, qui pauper & dolens, & nudus in cruce pependit. Propter quod & in principio conuersionis suæ nudus remansit corã Antistite, & in consummatione vitæ nudus voluit de mundo exire, fratribusq; sibi assistẽtibus in obedientia charitatis iniunxit, vt cùm viderẽt eum iam esse defunctũ, per tam longũ spacium nudum super humũ iacere permitterent, quò vnius miliarij tractũ suauiter quis perficere posset. O verè Christianissimum virũ, qui & viuens Christo viuenti, & moriens morienti, & mortuus mortuo perfecta esse studuit imitatione cõformis, & expressa promeruit similitudine decorari. Hora deniq; sui transitus propinquãte, fecit fratres omnes existentes in loco ad se vocari, & eos cõsolatorijs verbis pro sua morte demulcens, paterno affectu ad diuinũ est hortatus amorẽ. Dei patientia & paupertate, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ [53] fide seruandis sermonẽ protraxit, cæteris institutis sanctũ Euangelium anteponens. Circumsedentibus verò omnibus fratribus, extendit super eos manus, in modum crucis brachijs cancellatis, pro eo quòd hoc signũ semper amabat, & omnibus fratribus tam præsentibus quàm

53 Vides hæretice quanti fecerit diuinus hic pater sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem?

quàm abſentibus in crucifixi virtute ac nomine benedixit. Inſuper & adiecit: Valete filij omnes in timore Domini,& permanete in eo ſemper. Et quoniam futura tentatio & tribulatio appropinquat,felices qui perſeuerabunt in his quæ cœperunt. Ego verò ad Deum propero, cuius gratiæ vos omnes commendo. Suaui huiuſmodi admonitione completa, 54 iuſsit Deo vir chariſsimus Euangeliorũ ſibi codicem apportari, & Euangelium ſecundùm Ioannẽ, quod incipit ab eo loco: Ante diem feſtũ Paſchæ,ſibi legi popoſcit. Ipſe verò prout potuit in huius pſalmi vocem erupit: Voce mea ad Dominum clamaui, voce mea ad Dominũ deprecatus ſum: & ad finem vſque compleuit: Me,inquit,expectant iuſti,donec retribuas mihi. Tandem cunctis in eum completis myſterijs, anima illa ſanctiſsima carne ſoluta, & in abyſſum diuinæ claritatis abſorpta, beatus vir obdormiuit in Domino.

54 Ecce quomodo fideles Christiani moriuntur.

Vnus autem ex fratribus & diſcipulis eius vidit animam illam beatam ſub ſpecie ſtellæ præfulgidæ à candida ſubuectam nubecula, ſuper aquas multas in cœlum recto tramite ſurſum ferri, tanquã ſublimis ſanctitatis candore prænitidã,& cœleſtis ſapientiæ ſimul & gratiæ vbertate repletam, quibus vir ſanctus promeruit locum introire lucis & pacis, vbi cum Chriſto ſine fine quieſcit. Miniſter quoque fratrum in terra laboris tunc erat, Frater Auguſtinus, vir vtiq; ſanctus & iuſtus, qui in hora vltima poſitus,cùm iam diu perdidiſſet loquelam, audientibus qui aſtabant, ſubitò clamauit & dixit: Expecta me pater, ecce iam venio tecum. Quærentibus fratribus,& admirantibus multum, cui ſic loqueretur, audacter reſpondit: Nónne videtis patrem noſtrum Franciſcũ, qui vadit ad cœlum? Et ſtatim ſancta ipſius anima migrans à carne, patrem eſt ſequuta ſanctiſsimum. Epiſcopus Aſsiſinas ad oratorium S. Michaelis in monte Gargano tunc temporis peregrinationis cauſa perrexerat, cui B. Franciſcus apparens nocte tranſitus ſui, dixit: 55 Ecce relinquo mundũ,& vado ad cœlum. Mane igitur ſurgens Epiſcopus, ſocijs narrauit quæ vidit,& Aſsiſium rediens, cùm ſolicitè perquiſiſſet, certitudinaliter comperit, quòd ea hora qua ſibi per viſionem innotuit, beatus pater ex hoc mundo migrauit. Alaudæ aues lucis amicæ,& crepuſculorũ tenebras horreſcentes, hora tranſitus ſancti viri cùm iam eſſet noctis ſequuturæ crepuſculum, venerunt in multitudine magna ſuper tectum domus, & diu cum inſolita quadam iubilatione rotantes, gloriæ ſancti, qui eas ad diuinas laudes inuitare ſolitus erat, tam iocundum quàm euidens teſtimonium perhibebant.

55 Nota. Ecce relinquo mundum, & vado ad cœlũ.

De canonizatione & tranſlatione ipſius. *Caput decimumquintum.*

FRanciſcus igitur ſeruus & amicus Altiſsimi, ordinis minorum fratrũ inſtitutor & dux, paupertatis profeſſor, patientiæ forma, veritatis præco, ſanctitatis ſpeculum,& totius Euangelicæ perfectionis exẽplar, ſuperna præuentus gratia, ordinato progreſſu, ab infimis peruenit ad ſumma. Hunc virum mirabilem, vtpote paupertate prædiuitem, humilitate ſublimem, mortificatione viuidum, ſimplicitate prudentem, omniq́ue morum honeſtate conſpicuum, quem in vita Dominus mirabiliter effecerat clarum, in morte fecit incomparabiliter clariorem. Beato namque viro migrante à ſeculo, ſpiritus ille ſacer domũ æternitatis ingrediens, fontiſq; vitę hauſtu plenario glorioſus effectus, expreſſa quædã in corpore futuræ gloriæ ſigna reliquit, vt caro illa ſanctiſsima quæ crucifixa cum vitijs, in nouã iam creaturam tranſierat, & paſsionis Chriſti effigiem priuilegij ſingularitate præferret, & nouitate miraculi reſurrectionis ſpeciem præmonſtraret. Cernebãtur quidem in membris illis felicibus claui ex eius carne virtute diuina mirificè fabricati, ſicq; carni eidem innati, quòd dum à parte qualibet premerentur, protinus quaſi nerui continui & duri ad partem oppoſitam reſultabãt. Inuenta quoque fuit patentius in ipſius corpore non inflicta humanitus, neque facta plaga vulneris lateralis, inſtar vulnerati lateris Saluatoris, quod redemptionis & generationis humanæ in ipſo Redemptore noſtro protulit ſacramentum. Erat autem ſimilitudo clauorum nigra quaſi ferrum, vulnus autem lateris rubeum,& ad orbicularitatem quandam carnis conciſione reductum, roſa quædam pulcherrima videbatur. Caro verò ipſius reliqua, quæ prius tam ex infirmitate quàm ex natura ad nigredinem declinabat, candore nimio reniteſcens, illius ſecundæ ſtolæ pulchritudinem prætendebat. Membra ipſius adeò mollia & tractabilia ſe præbebant palpantibus, vt cõuerſa viderentur in teneritudinem puerilis ætatis,& quibuſdam cernerẽtur euidentibus ſignis innocentiæ decorata. Cùm igitur in cãdidiſsima carne claui nigreſcerẽt, plaga verò lateralis vt vernãs roſeus flos ruberet, mirãdum non eſt ſi tam formoſa & miraculoſa varietas iocunditatem & admirationem contuentibus ingerebat. Lachrymabãtur filij pro ſubtractione amabilis patris, ſed & non modica profundebantur lætitia, dum deoſculabantur in eo ſignacula ſummi regis. Miraculi nouitas planctum vertebat in iubilum,& intellectus rapiebat indaginem in ſtuporem. Erat quippe tam inſolitum, tamq; inſigne ſpectaculum contuentibus omnibus & firmamentum fidei,& incitamentum amoris, audientibus verò admirationis materia,& excitatio deſiderij ad videndũ. Audito ſiquidem tranſitu patris,& fama diffuſa

 miraculi,

miraculi, accelerans populus confluebat ad locum, vt id cernerent oculis, quod à ratione dubium omne repelleret, & affectioni gaudium cumularet.

Admissi sunt igitur Assisinates ciues quamplurimi ad stigmata illa sacra contemplanda oculis, & labijs osculanda. Vnus autem ex eis miles, literatus quidem & prudens, Hieronymus nomine, vir vtique famosus & celeber, cùm de huiusmodi sacris signis dubitasset, essetque incredulus, quasi Thomas, feruentius & audacius coram fratribus & alijs ciuibus mouebat clauos, sanctique manus, pedes, & latus manibus proprijs contrectabat, vt dum vulnerum Christi veracia illa signa palpando contingeret, de sui & omniũ cordibus omne dubietatis vulnus amputaret. Propter quod & ipse inter alios huius veritatis tam certitudinaliter agnitæ testis constans postmodum effectus est, & tactis sacrosanctis iuramento firmauit. Fratres autem & filij qui vocati fuerant ad transitum patris, cum omni multitudine populorum noctem illam, in qua almus Christi confessor decessit, sic diuinis laudibus dedicârunt, vt non defunctorum exequiæ, sed Angelorum excubiæ viderentur.

56 Habes hic sancti viri de more Catholicæ Ecclesiæ sepulturam, videlicet cum cæreis ardentibus, cum hymnis & canticis, cum exequiarum solenium celebratione.

Mane autem facto, turbæ quæ conuenerant acceptis arborum ramis, & 56 cæreorũ multiplicatis luminibus, cum hymnis & canticis sacrũ corpus ad ciuitatem Assisij detulerunt. Transeuntes verò per Ecclesiam S. Damiani, in qua virgo illa nobilis Clara nunc gloriosa in cœlis, tunc inclusa cum virginibus morabatur, ibique aliquantulum subsistentes, sacrum corpus margaritis cœlestibus insignitũ vidẽdum & osculandũ sacris illis virginibus obtulerunt. Peruenientes denique ad ciuitatem cum iubilo, preciosum thesaurum quem portabant in Ecclesia sancti Georgij cum omni reuerentia condiderunt. In eo siquidem loco puerulus literas didicit, ibique postmodum prædicauit, postremò ibidem locum primum quietis accepit. Transijt autem venerabilis pater ex huius mundi naufragio, anno Dominicæ incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo sexto, quarto Nonas Octobris die sabbati in sero, sepultus in die Dominico.

Cœpit autẽ vir beatus cõtinuò, diuinæ faciei superirradiante respectu, magnis & multis coruscare miraculis, vt sublimitas sanctitatis eius, quæ ipso viuente in carne ad morũ directionem per exempla perfectæ iustitiæ innotuerat mundo, illo iam regnãte cum Christo, ad omnem fidei firmitatẽ per miracula diuinæ potentię comprobaretur è cœlo. Cumq; in diuersis orbis partibus gloriosa eius miracula, largaq; per ipsum impetrata beneficia plurimos ad Christi deuotionẽ accenderẽt, & ad ipsius sancti reuerentiã incitarent, acclamantibus tam linguis sermonũ, quàm operũ, ad aures summi Pontificis domini Georgij noni, quæ per seruum suũ Franciscũ Deus operabatur magnalia peruenerũt. Sanè cùm idẽ pastor Ecclesiæ non solùm ex miraculis auditis post mortem, verum etiam experimẽtis in vita ipsius oculis visis, & manibus contrectatis, sanitatem eius mirabilẽ plena fide certificatus agnosceret, ac per hoc in cœlis glorificatum à Domino nullatenus dubitaret: vt Christo cuius erat vicarius, concorditer ageret, hunc in terris reddere celebrẽ tanquã omni veneratione dignissimũ, pia consideratione disposuit. Ad omnẽ quoque certitudinẽ faciendam orbi terrarum de glorificatione viri sanctissimi, inuenta miracula & conscripta, & testibus idoneis approbata examinari fecit per illos, qui minus inter Cardinales fauorabiles negotio videbantur. Quibus diligenter discussis, & ab omnibus approbatis, de fratrum suorum omnium prælatorum, qui tunc erant in curia, concordi consilio & assensu canonizandum decreuit, veniensq; personaliter ad ciuitatem Assisij, anno Dominicę incarnationis millesimo ducentesimo vigesimo octauo, decimoseptimo Calẽdas Augusti, die Dominico, cum maximis, quæ longũ foret enarrare, solennijs, beatum patrẽ catalogo sanctorũ adscripsit.

Anno verò Domini millesimo ducentesimo trigesimo, conuenientibus fratribus ad capitulum generale Assisij celebratum, ad basilicã in honore ipsius constructam, corpus illud Domino dedicatum, octauo Calẽdas Iunij translatum est. Dum autem ille sacer transportaretur thesaurus bulla regis altissimi consignatus, miracula plurima ille, cuius effigiem præferebat, operari dignatus est, vt per odorem ipsius saluificũ affectus traheretur fidelium ad currendũ post Christum. Erat re vera condignũ, vt quem Deus in vita sibi placentem & dilectum effectum, in paradysum per contemplationis gratiam transtulerat, vt Enoch, & ad cœlum in curru igneo per charitatis zelum rapuerat, vt Heliam, eius iam vernantis inter flores illos cœlicos plantationis æternę, ossa illa felicia de loco suo pullulatione mirifica redolerent. Porrò sicut vir iste beatus mirandis virtutum signis in vita claruerat, sic à die trãsitus sui vsque in præsens per diuersas mundi partes præclaris miraculorum prodigijs, diuina se potentia glorificante coruscat. Nam cæcis & surdis, mutis & claudis, hydropicis, & paralyticis, dæmoniacis, & leprosis, naufragis, & captiuis, ipsius meritis remedia conferuntur, omnibusq; morbis, necessitatibus & periculis subuenitur. Sed & multis mortuis mirificè suscitatis, innotescit fidelibus mirificans sanctum suum magnificentia virtutis altissimi, cui est honor & gloria per infinita secula seculorum. AMEN.

Incipiunt

Incipiunt quædam de miraculis ipsius post mortem ostensis. Et primò de virtute sacrorum stigmatum. Miraculum primum.

AD omnipotentis Dei honorem,& gloriam B.patris Francisci,post glorificationem ipsius in cœlis aliqua ex approbatis conscripturus miracula,ab illo præcipuè censui sumendũ fore initiũ,in quo crucis Iesu virtus ostẽditur,& gloria innouatur.Nouus igitur homo Franciscus nouo & stupendo miraculo claruit, cum singulari priuilegio retroactis seculis non concesso insignitus apparuit, sacris videlicet stigmatibus decoratus, & configuratus in corpore mortis huius corpori crucifixi.De quo quicquid humana lingua dicatur,minus erit à laude cõdigna. Totũ quidem viri Dei studiũ,tam publicũ quàm priuatũ, circa crucẽ Domini versabatur. Et vt crucis signaculo cordi eius,à principio suæ conuersionis impresso,corpus consignaret exterius,in ipsa se cruce recludens,habitũ pœnitentiæ sumpsit crucis imaginẽ præferentẽ: quatenus sicut mens eius intus Dominũ crucifixum induerat, sic & corpus eius indueret arma crucis: & in quo signo Deus potestates aëreas debellarat,in eodẽ suus exercitus Domino militaret.Sed & à principio temporis,quo crucifixo militare cœperat,diuersa circa eum crucis præfulsêre mysteria,sicut vitæ ipsius consideranti deorsum clarius innotescit,qualiter apparitione crucis Dominicę septiformi,tam cogitatu,quàm affectu,& actu,totus fuit in crucifixi effigiẽ,per ipsius excitatiuum transformatus amorẽ.Dignè igitur summi Regis clementia suis amatoribus vltra omnẽ existimationem hominũ condescendens,suæ crucis vexillũ ipsius corpori deferendũ impressit, vt qui mirando fuerat crucis amore præuẽtus,mirando etiã fieret crucis honore mirificus. Ad huius stupendi miraculi irrefragabilem firmitatẽ non solum videntium & palpantium testimonia per omnem modũ credibilia, verùm etiam apparitiones mirabiles,& virtutes post ipsius obitũ coruscantes ad omne mentis effugandum nubilum suffragantur. Felicis namq; recordationis Dominus Gregorius Papa nonus,de quo vir sanctus vel prophetãdo prædixerat, quòd ad dignitatẽ foret Apostolicam sublimandus antequã crucis signiferum catalogo sanctorũ ascriberet,scrupulũ quendam dubitationis in corde gerebat de vulnere laterali. Nocte verò quadam (sicut ipse felix Antistes referebat cum lachrymis) beatus ei Franciscus quadã faciei prætensa duricie in somnis apparuit,& hæsitationem cordis ipsius redarguens eleuauit brachium dexterum,detexit vulnus,phialamque poposcit ab ipso,vt scaturientẽ reciperet sanguinẽ qui ex latere defluebat.Obtulit in visione summus Põtifex phialam postulatã,quę vsque ad summũ sanguine profluente de latere videbatur impleri. Ex tunc ad illud sacrum miraculum tanta cœpit deuotione affici, & æmulatione feruere, vt nullo modo pati posset, quod aliquis præfulgentia illa sacra signa superba præsumeret impugnatione fuscare, quin eum seuera increpatione feriret. *Miraculum.*

Frater quidam ordine minorum,officio prædicator,virtutis & famæ prærogatiua præpollens, cui firmiter erat de sanctis stigmatibus persuasum, dum humano sensu miraculi huius apud se rationem perquireret, dubitationis cœpit cuiusdam scrupulo titillari. Cùm igitur per dies plurimos sensualitate sumente vigorem, luctamen huiusmodi pateretur, nocte dormienti S. Franciscus pedibus lutulentus apparuit,humiliter durus & patienter iratus. Et quæ sunt, ait, ista in te conflictationum certamina? Quæ dubitationum sordes? Vide manus meas & pedes meos. Cumque ille videret manus confixas, lutulentorum pedum stigmata non videbat. Remoue, inquit, lutum à pedibus meis, & cognosce loca clauorum. Quos cùm ille apprehendisset deuotè,lutum sibi videbatur abstergere,locaque clauorũ manibus cõtrectare. Continuò vt euigilat, lachrymis irrigatur,& priores affectus quodammodo lutulentos, tam lachrymarũ profluuio, quàm publica confessione detersit.

Miraculum.

In vrbe Roma matrona quædã morum claritate ac parentũ gloria nobilis, S. Franciscũ in suum elegerat aduocatũ, ipsius habens depictam 57 imaginem in secreto cubiculo, vbi patrem in abscondito exorabat.Die vero quodam dum orationi vacaret,cõsiderans imaginem sancti sacra illa signa stigmatum non habentẽ, dolere cœpit non modicũ & mirari. Sed non mirum si in pictura non erat quod pictor omiserat.Cumque per plures dies quid causæ foret defectus huiusmodi,mente solicita pertractaret,ecce subitò die quadam apparuerunt signa illa mirifica in pictura, sicut in alijs ipsius sancti imaginibus pingi solent. Tremefacta illa filiam suam Deo deuotam aduocauit protinus, requirens si absque stigmatibus vsque tunc imago fuisset.Affirmat illa,& iurat,olim sine illis sacris stigmatibus extitisse,& nunc verè cum stigmatibus apparere. Verùm quia mens humana semetipsam frequenter impellit vt cadat,& in dubium reuocat veritatem, subintrat iterum cor mulieris dubitatio noxia,ne fortè sic fuisset imago à principio consignata.At Dei 58 virtus,ne primum contemneret miraculũ,addidit & secundũ. Continuò namque disparentibus signis illis,nudata priuilegio imago remansit,vt per sequẽs signum fieret probatio præcedentis.

57 Ipsius habens depictã imaginem in secreto cubiculo.

58 Si imaginum vsus non esset licitus, nequaquam diuina virtus tot mirabilia circa hanc imaginem operata fuisset.

 Miraculum.

Miraculum.

In Cathalonia quoque apud Ilerdã,accidit virum quendam nomine Ioannẽ B.Francisco deuotum,quodam sero per quandã incedere viam,in qua pro inferenda morte latitabant insidiæ,nõ quidem ipsi,qui inimicitias non habebat,sed alteri cuidã,qui videbatur similis eius,& tunc erat in comitatu ipsius.Exurgens autẽ quidã de insidijs,cùm hostẽ suũ hunc esse putaret, tam lætaliter eum plagis plurimis gladiauit, vt nulla prorsus superesset spes recuperandæ salutis.Siquidẽ primò inflicta percussio humerum cum brachio penè totum absciderat, & ictus alius sub mamilla tantã reliquerat aperturã, vt flatus inde procedens, circa sex candelas similiter iunctas extingueret. Cùm igitur consilio medicorum, ipsius impossibilis esset curatio,pro eo quòd putrescẽtibus plagis ex eis fœtor tam intolerabilis exhalaret,vt etiã ipsa eius vxor vehementer horreret,nullisq; iam humanis iuuari posset remedijs,conuertit se ad B.patris Francisci patrociniũ quanta poterat deuotione poscendum,quem inter ipsos ictus vnà cum beata virgine fidentissimè inuocarat.Et ecce misero in lectulo calamitatis solitario decubanti,cum Francisci nomen 59 vigilans & eiulans frequentius replicaret,astitit quidã in habitu Minoris,per fenestrã,vt ei videbatur,ingressus, qui vocãs eum ex nomine,dixit: Quia fiduciã habuisti in me,Dominus liberabit te.A quo cùm æger quis esset requireret,Franciscum ille se esse respõdit.Et statim appropians vulnerum illius ligaturas resoluit,& cum vnguẽto per omnes plagas,vt videbatur,perunxit. Statim autem vt sensit illarum sacrarum manuum, stigmatum Saluatoris virtute sanare valentium suauem contactum, expulsa putredine,restituta carne,& vulneribus solidatis, restitutus est integrè pristinæ sospitati.Quo facto beatus pater abscessit.Et ipse sentiẽs se sanatũ,& in vocẽ diuinæ laudis,& B.Francisci lætanter erumpens,vocauit vxorẽ.At illa celerius currens,& stare iam videns quem sepeliendum credebat in crastino,cùm esset stupore vehementi perterrita, viciniã totam clamore compleuit. Accurrẽtes autem sui cùm illum niterẽtur tanquàm freneticũ in lecto reponere,& ille è contrariò renitens assereret, & ostenderet se sanatũ, tanto sunt stupore attoniti,vt quasi sine mẽte omnes effecti,fantasticum esse crederẽt quod videbant,quia qui paulò antè conspexerãt plagis atrocissimis laniatũ, & totum iam marcidũ, plena cernebant incolumitate iocundũ. Ad quos ille qui factus fuerat sanus: Nolite timere,inquit,nolite credere inane quod cernitis,quia S.Franciscus modò à loco recessit,& illarũ sacrarum manuũ tactu,me integre ab omni plaga curauit.Crebrescente tandẽ huius fama miraculi,accelerat populus omnis,& vidẽtes in tam aperto prodigio stigmatũ B.Francisci virtutẽ,admiratione simul & gaudio replebantur, Christiq; signiferum magnis laudũ præconijs extollebant.Dignè quidẽ beatus pater carne iam 60 mortuus, & viuens cum Christo, præsentiæ suæ ostensione mirabili, & manuum sacrarũ palpitatione suaui, vulnerato lætaliter viro sanitatẽ concessit,cùm illius etiam in se stigmata tulerit,qui misericorditer moriens, & mirabiliter surgens, vulneratum genus humanum,& semiuiuum relictum plagarum suarum virtute sanauit. *Miraculum.*

59 Vides sanctos inuocandos inuocatosq; ferre præsidium.

60 Si sancti carne iam mortui, viuũt anima cũ Christo, & in futuro iudicio sunt resurrecturi, quare scioli nostri eos potius cũ hæreticis emortuos, quàm dormientes cũ Paulo appellant?

Apud Potentiã Apuliæ ciuitatẽ erat quidã clericus Rogerius nomine, vir honorabilis, & Ecclesię maioris Canonicus.Hic cùm infirmitate quassatus,die quadã Ecclesiã oraturus intrasset,in qua erat imago B. Francisci depicta,gloriosa stigmata repræsentans,cœpit de illius sublimitate miraculi,tanquam de re omnino insolita & impossibili dubitare.Subitò igitur dũ mẽte plagatus interius cogitaret inania,in palma sinistræ manus sub chirotheca grauiter se sensit esse percussum,sonitum audiens percussurę,velut cùm spiculũ prosilit de balista:moxq; tam vulnere sauciatus,quàm sonitu stupefactus,chirothecã de manu traxit, vt visu dignosceret,quod tactu perceperat & auditu.Cumque nulla fuisset prius in palma percussio,cõspexit in medio manus plagã, quasi sagittæ percussione inflictã,ex qua tanta vis procedebat ardoris,vt videretur ex illo deficere.Mirabile dictu.Nullum in chirotheca vestigiũ apparebat,vt latẽti plagę cordis,latẽter inflicti pœna vulneris respõderet.Clamat exinde per duos dies & rugit,dolore grauissimo stimulatus, & increduli cordis velamen explicat vniuersis.Credere se veraciter sacra stigmata in sancto fuisse Francisco fatetur & iurat,contestãs omnis dubitationis abscessisse fantasmata. Orat 61 suppliciter Sanctũ Dei per sacra sibi stigmata subueniri, & multas cordis preces multo impinguat profluuio lachrymarũ.Mirũ certè: Incredulitate proiecta,sanationẽ mẽtis sanatio sequitur corporalis. Omnis quiescit dolor,frigescit ardor,nullũ remanet vestigiũ percussuræ.Sicq; factũ est,vt latens mẽtis infirmitas,per patẽs carnis cauteriũ superna prouidente clemẽtia,curaretur, menteque sanata,& ipsa caro pariter sanaretur.Fit homo humilis Deo,deuotus sancto,& fratrũ ordini perpetua familiaritate subiectus.Huius rei tam solenne miraculũ iuramentis firmatum fuit, & literis sigilli Episcopi munimine roboratis, ipsius ad nos notitia delata peruenit.De sacris ergo stigmatibus nullus sit ambiguitati locus:nullius in hoc,quia Deus bonus est,nequã sit oculus,quasi huiusmodi doni largitio sempiternę bonitati nõ cõgruat.

61 Ecce sancti inuocationẽ,postquã statim sequitur exauditio.

Si enim

Si enim illo amore Seraphico multa membra capiti cohærent Christo, vt & in bello simili armatura inuenirentur condigna, & in regno ad similē fore vt gloriā subuehenda, nullus hoc sanæ mentis, nisi ad Christi gloriam diceret pertinere.

De mortuis suscitatis.

In castro mōtis Marani prope Beneuentū, mulier quędā S. Frācisco peculiari deuotione cohærēs, viā vniuersæ carnis intrauit. Conuenientibus autē 62 clericis nocte ad exequias, & vigilias cum psalterijs decantandas, subitò cunctis cernentibus erexit se mulier super lectum, & vnū de astantibus sacerdotē, patrinū videlicet suū, aduocauit, dicens: Volo confiteri pater: Ego enim mortua duro eram carceri mancipanda, quoniā peccatum quod tibi pandā, necdum 63 confessa fuerā. Sed orāte, inquit, pro me S. Francisco, cui dum viuerem, deuota mente seruiui, redire nunc ad corpus indultum est mihi, vt illo reuelato peccato sempiternā promerear vitā. Et ecce vobis vidētibus, postquā illud detexero, ad promissam requiē properabo. Trementer ergo sacerdoti tremēti confessa, post absolutionē receptam quietè se in lecto collegit, & in Domino feliciter obdormiuit. *Miraculum.*

62 *Vide exequias & vigilias mortuorū, cum clericis & psalterijs decantandas.*

63 *Ecce maximū miraculum pro approbatione confessionis quæ fit sacerdoti secundùm diuinam institutionem & Catholicæ Ecclesiæ consuetudinem.*

In castro Pamarco in montanis Apuliæ posito, patri & matri vnica erat filia in tenera ætate tenerè perdilecta. Qua infirmitate graui ad mortē perducta, parētes eius successione aliā non sperātes, se in illa quasi mortuos reputabāt. Conuenientibus ergo consanguineis & amicis ad flebile nimis funus, iacebat mater infelix ineffabilibus completa doloribus, & absorpta suprema tristitia de his quæ fiebant, nihil penitus aduertebat. Interim S. Franciscus vno tantùm socio comitatus apparens, desolatā 64 visitare dignatus est fœminam, quam sibi senserat esse deuotā, & pijs eam affatus alloquijs: Noli flere, inquit: nam lucernę tuæ lumen quod deploras extinctum, mea tibi est intercessione reddendū. Surrexit continuò mulier, & quæ sibi dixerat sanctus, omnibus manifestās, nō permisit extinctū corpus efferri, sed cum magna fide S. Francisci nomen inuocans, & mortuam felix apprehendens, viuam & incolumem cunctis videntibus & mirantibus alleuauit. *Miraculum.*

64 *Vide quāta sit sanctorū potestas post mortem. Et quomodo sancti sunt inuocādi & quod per eorum inuocationem non offuscatur Dei necessaria inuocatio.*

Cùm fratres de Noceria peterent quoddam plaustrum à quodam viro Petro nomine, quo aliquantulū indigebant, stultè respondit eis pro petito subsidio irrogādo conuitium, & pro eleemosyna ad honorem sancti postulata Francisci, in nomen ipsius blasphemiam iaculando. Pœnituit hominē statim insipientiæ suæ, diuino super eum irruente pauore, ne fortè vltio Domini sequeretur, sicut & fuit protinus subsequuta. Nam infirmatus cōtinuò primogenitus eius, paruo elapso spatio spiritum exhalauit. Volutabatur per humum pater infelix, & sanctū Dei Franciscum vocare nō cessans, cum lachrymis exclamabat: Ego sum qui peccaui: ego qui iniquè locutus sum, me in persona propria flagellare debuisti. Redde sanctè iam pœnitenti, quod abstulisti impiè blasphemāti. Tibi me reddo, tuis me obsequijs semper expono, nam & deuotum sacrificiū laudis pro tui honore nominis semper offeram Christo. Mira res: Ad hæc verba surrexit puer, & planctū prohibens, se morientē eductum de corpore per B. Franciscum, deductum asseruit & reductum. *Miraculum.*

Cuiusdam vrbis Romæ notarij puerulus vix septennis, matrem ad Ecclesiam S. Marci euntem, puerili more sequi desiderans, dum remanere domi compelleretur à matre, per fenestram palatij se proiecit, & vltima quassatione collisus continuò expirauit. Mater verò, quæ nondum longè discesserat, ad sonitum corruentis præcipitium pignoris suspicata, celeriter rediit, filiumq; reperiens tam miserabili casu repentè subtractum, protinus sibijpsi manus iniecit vltrices, ac dolorosis clamoribus totam excitauit viciniam ad lamentum. Frater verò quidam nomine Raho, de ordine minorū, illuc se ad prædicandum cōferens, propinquauit ad puerū, & fide plenus ait ad patrem: Credísne sanctum dei * Franciscum posse filiū tuum à mortuis suscitare propter amorē quem semper ad Christum habuit pro reddenda vita hominibus crucifixū? Quo respōdente, se firmiter credere, & fideliter confiteri, seruumq; sancti in perpetuū se esse futurū, si tantum à Deo munus per ipsius merita recipere mereretur, 65 prostrauit se frater ille cū fratre socio in oratione, cæteros qui aderant excitans ad orandum. Quo facto cœpit puer aliquantulum oscitare, & apertis oculis, brachijsque eleuatis, seipsum erexit, & statim coram omnibus ambulauit incolumis, per mirandam sancti virtutem vitæ simul redditus & saluti. *Miraculum.*

* *Vidésne quomodo Deus fidem qua creditur etiā sanctos posse mortuos suscitare, & nō tantùm Deum in illis illud agere, per subsequēs miraculum confirmauit? Vide etiam simile in miraculo sequenti.*

65 *Prostrauit se frater ille cū fratre socio in oratione & puer mortuus ad inuocationem B. Francisci sanus & viuus redditus est.*

In ciuitate Capuę, dum puer quidam super ripam Vulturni fluminis cum pluribus iocaretur, incautus cecidit in profundum. Quem fluminis impetus celeriter vorans, sub sabulo mortuum sepeliuit. Proclamantibus autem pueris, qui cum eo luserant circa flumen, populosa illuc multitudo conuenit. Cumq; vniuersus populus suppliciter & deuotè B. Francisci merita inuocaret, vt deuotorum sibi parentum fidem aspiciens, prolem à mortis periculo dignaretur eripere, natator quidā procul astans, clamoribus auditis accessit, & post diutinam inquisitionem inuocato tandem beati Francisci subsidio locum inuenit, in quo limus in modum sepulchri pueri cadauer obtexerat. Quem effodiens, & extrà deportans,

dolens defunctum inspexit. Licet autem populus qui astabat, videret iuuenem mortuum, nihilominus tamen flens & eiulans proclamabat: Sancte 66 Francisce, redde puerum patri suo. Sed & Iudæi qui venerant, naturali pietate cōmoti, dicebant: Sancte Francisce, redde puerum patri suo. Subitò puer lætantibus & mirantibus cunctis exurgēs incolumis, duci se ad Ecclesiam B. Francisci suppliciter postulauit, vt gratias ille deuotus exolueret, cuius se nouerat virtute mirabiliter suscitatum. *Miraculum.*

66 *Ecce quomodo ad inuocationem S. Francisci puer mortuus vitæ redditur.*

In ciuitate Suessa in vico qui ad columnas dicitur, repentè quædā corruens domus vnū absorbuit iuuenē, & subitò interemit. Viri autē & mulieres ruinę sonitu excitati, vndique accurrētes, eleuauerūt hinc inde ligna & lapides, & miserę matri mortuū filiū reddiderūt. Illa verò amarissimis repleta singultibus, sicut poterat, dolorosis vocibus exclamabat: Sancte Francisce, sancte Francisce, redde mihi filiū meū. Non solùm autē illa, sed & omnes qui aderant, B. patris præsidium flagitabant. Sed cùm non esset neque vox, neque sensus, cadauer posuerūt in lectulo, & ad sepeliendū ipsum diem crastinū expectabāt. Mater verò fiduciā habens in Domino per merita sancti eius, 67 votum emisit, noua se syndone beati Francisci opertura altare, si filiū suum reuocaret ad vitā. Et ecce circa horā noctis mediā, cœpit iuuenis oscitare, & calescentibus membris viuus exurgens & sanus, in laudis verba prorūpit. Sed & clerū qui cōuenerat, & populū vniuersum excitauit ad laudes & gratias, Deo & B. Francisco cum mentis lætitia persoluendas. *Miraculum.*

67 *Vide quomodo ad votū mulieris cōditionale suscitatur puer ruina domus oppressus.*

Iuuenis quidā Gerlandinus nomine, de Ragusa oriundus, vindemiarū tēpore ad vineas exiens, cùm in vase vinario, vt vtres impleret, sub torculari se mitteret, repēte prægrandes lapides, motis in se lignorum struibus, caput ipsius lætali percussione quassarūt. Festinauit continuò pater ad filiū, & desperans obrutum nō adiuuit, sed eum sub onere, sicut corruit, sic reliquit. Accurrerunt expeditius vinitores, magni clamoris vocē lugubrem audientes, multoq; cum patre pueri dolore cōpleti, extraxerunt iuuenem iam mortuū à ruina. Pater verò ipsius Iesu pedibus prouolutus, humiliter precabatur, vt filium suum vnicum per S. Francisci merita, cuius tunc imminebat solennitas, sibi reddere dignaretur. Ingeminabat preces, vouebat officia pietatis, & sancti viri corpus se 68 visitaturum cum filio, si suscitaretur à mortuis, repromisit. Mirū certè: Continuò puer qui toto fuerat corpore conquassatus, restitutus vitæ & integræ sospitati gaudens coram omnibus exurrexit, plangentes obiurgans, & S. Francisci suffragijs vitæ se redditum asseuerans. *Miraculum.*

68 *Ad votum visitandi corporis B. Francisci eius meritis, & suffragijs pater filium mortuum viuum recepit.*

Quendam aliū mortuū in Alemania suscitauit, de quo Dominus Papa Gregorius tempore translationis ipsius sancti, fratres omnes qui ad translationem & capitulum conuenerant, per Apostolicas literas certos reddidit & gaudentes. Miraculi huius seriem quia ignoraui, non scripsi, credens Papale testimoniū omnis assertionis excellere instrumentū.

De his quos à mortis periculo liberauit.

In cōfinibus Vrbis vir quidā nobilis Rodulphus nomine, cum Deo deuota vxore fratres minores suo recepit hospitio, tam hospitalitatis gratia, quàm B. Francisci reuerentia, & amore. Nocte verò illa in summitate turris dormiēs custos castri, cùm iaceret super struem lignorum in ipsa muri positorū crepidine, ipsorū soluta compage, in tectū palatij corruit, & exinde super terram. Excitata ad sonitū casus tota familia, & custodis intellecta ruina, dominus castri & domina cū fratribus accurrerunt. Is verò qui ab alto corruerat, absorptus fuerat tam profundo sopore, vt nec ad casum euigilaret iteratæ ruinæ, nec ad strepitum accurrētis familiæ cum clamore. Trahentiū tandem, & impellentium manibus excitatus, conqueri cœpit, quòd dulci fuisset quiete priuatus inter beati Francisci brachia suauiter asserens se dormisse. Cùm verò de casu proprio doceretur ab alijs, & in imo se videret, qui in alto iacuerat, stupens esse factum quod fieri non perceperat, pœnitentiam se facturum ob reuerentiam Dei & B. Francisci coram omnibus repromisit. *Miraculum.*

In castro Pophis, quod in Campania positū est, sacerdos quidā Thomas nomine accessit ad reparandū Ecclesiæ molendinum. Deambulans autē incautè secus extrema canalis, quo gurges profundus copioso defluebat influxu, subitò casu cauiloso ligno intrusus est, cuius impulsu voluitur molendinū. Cùm igitur cōsertus iaceret in ligno, & super os ipsius, quia supinus erat, aquarum impetus inundaret, corde tamen, quia lingua non poterat. 69 S. Franciscū flebiliter inuocabat. Per magnū verò spatiū sic illo iacente, ac de vita ipsius iam penitus socijs desperatis, in contrariam partem molam cum violentia reuoluerunt, & sic eiectus sacerdos palpitās volutabatur in aquæ meatu. Et ecce quidā frater minor indutus tunica cādida, & fune succinctus, cum magna suauitate arreptū per brachiū extra flumen eduxit, dicens: Ego sum Frāciscus, quem inuocasti. Ille verò sic liberatus nimis obstupuit, volensq; pedum ipsius osculari vestigia, huc atque illuc anxius discurrebat, quærēs à socijs: Vbi est ille? Quò abijt sanctus? Qua via discessit? Viri autē illi tremefacti, proni ceciderūt in terrā, sublimis Dei gloriosa extollentes magnalia, & virtuosa merita humilis serui eius. *Miraculum.*

69 *Ad inuocationem sancti presbyter è manifesto periculo mortis liberatus est.*

Miraculum.

Iuuenes quidā de Burgo Celani pro metendis herbis exierant ad campestria quædā,in quib' vetus latebat puteus, herbis in summo ore virētibus obūbratus,qui quasi per passus quatuor aquarū altitudinē continebat.Segregatis igitur per campū discurrentibus pueris, vnus ex improuiso decurrit in puteū. Absorbente autem profunda fouea corpus,spiritus mentis sursum recurrebat ad B. Francisci suffragium,clamans [70] in ipso lapsu fideliter & fidēter: S.Francisce,adiuua me.Cæteri huc atq; illuc se vertētes,dum puer alius nō compareret,clamore,circuitu,& lachrymis requirebāt eundē.Cōperto tandē quòd in puteum cecidisset,festināes cum gemitibus redierunt ad Burgū,indicantes euentum,exposcentes auxiliū.Redeūtibus autē illis cum multa hominū turba,demissus vnus per funē in puteū, puerū respexit in aquarū superficie residentē,nihil passum penitus lęsionis.Extractus verò de puteo puer,dixit omnibus qui astabāt: Quando subitò cecidi,B.Francisci patrocinium inuocaui,qui corruenti mihi statim præsentialiter affuit,& manū porrigēs,leniter apprehendit, nec vnquam deseruit, donec vnà vobiscum puteo me eduxit.

[70] Vides ad inuocationem B patris puerum è puteo incolumem reductum.

Miraculum.

In Ecclesia B. Francisci apud Assisium, dum præsente Romana Curia prædicaret Dominus Episcopus Hostiensis, qui postmodū summus Pontifex extitit Alexander,quidam lapis pōderosus & magnus incautè super pulpitum excelsum & lapideum derelictus, præ nimietate pressuræ impulsus, super caput cuiusdam cecidit mulieris. Existimantes igitur circunstantes perfectè ipsam iam mortuam, & caput eius totaliter conquassatum,cooperuerunt eam pallio,quo erat amicta,vt sermone finito educeretur extra Ecclesiam lugubre funus. Ipsa verò se B. Francisco,ante cuius iacebat altare, fideliter commendauit. Et ecce prędicatione finita,mulier corā omnibus adeò surrexit incolumis,vt nullius in ea læsionis vestigiū appareret.Sed & quod est amplius admirandum,cùm per longa tempora vsq; ad horam illam dolorē capitis quasi continuum habuisset,plenè fuit ex tunc ab omnis morbi molestia liberata, sicut ipsa postmodum testabatur.

Miraculum.

Apud Cornetum cùm in loco fratrum ad fusionem campanæ viri quidam conuenissent deuoti , puerulus quidam octennis Bartholomæus nomine, xenium quoddam fratribus laborantibus apportauit. Et ecce subitò ventus vehemens,concussa domo,ostium portæ graue quidem & magnum , super ipsum puerulum ita valido proiecit impulsu , vt quem tam ingens pondus oppresserat, lætali crederetur collisione quassatus. Sic enim totaliter iacebat tumulatus sub pondere, vt nihil exterius appareret. Accurrerunt omnes qui aderant,beati Francisci virtuosam dexteram inuocantes.Sed & pater ipsius,qui rigescentibus membris se mouere nō poterat præ dolore, [71] votis & voce,sancto Francisco filium offerebat. Leuatum est denique funestum pondus desuper puerum : Et ecce quem credebant mortuum, quasi suscitatus à somno, lætus apparuit,nullam in se prorsus præferens læsionem.Igitur cùm quatuordecim esset annorum,factus est frater minor,vir postea literatus, & famosus in ordine prædicator.

[71] Ecce quot miracula ad inuocationē B.Francisci.

Miraculum.

Homines de Lentino lapidē prægrandem absciderunt de monte,qui supponendus erat altari cuiusdā Ecclesiæ B.Francisci in proximo consecrandæ. Cùm autē ferè quadraginta homines lapidē illū supponere vehiculo niterētur,repetitis sæpius viribus super quendam hominē lapis ille cecidit,& in modū sepulchri obtexit.Sed cùm mente confusi quid facerent,ignorarent,maior pars hominū desperata discessit.Porrò viri decē,qui remanserant, lugubri voce sanctū inuocantes Franciscū,ne in suo seruitio sic horrendè mori hominem pateretur,resumpto tandē corde, tanta facilitate lapidem amouerunt,vt nullus dubitaret virtutē adfuisse Francisci.Surrexit homo incolumis in omnibus mēbris,insuper & lumen recuperauit limpidum oculorum, quod habuerat obscuratū,vt omnibus daretur intelligi, quàm in rebus desperatis B.Francisci merita validæ sint virtutis.

Miraculum.

Simile quoddam accidit apud sanctum Seuerinum in Marchia de Anchona.Dum enim lapis prægrandis de Constantinopoli apportatus,ad Basilicam beati Francisci multorum viribus traheretur,rapido lapsu est super quendam trahentium deuolutus.Cumq; ille non solùm crederetur defunctus , sed etiam totaliter comminutus , assistente sibi beato Francisco , & lapidem subleuante , absque omni læsione sanus & incolumis , lapidis proiecto pondere, prosiliuit.

Miraculum.

Bartholomæus Caietanus ciuis,cùm ad constructionē cuiusdā Ecclesię B.Francisci non modicū desudaret, ruente trabe quadam infirmiter posita,eiusq; opprimente ceruicē,fuit grauiter conquassatus. Ipse verò mortem sibi sentiens imminentem, vti erat vir fidelis & pius,à quodam fratre viaticū postulauit.Quod frater ille tam celeriter afferre non valens, quia mori subitò credebatur, B. Augustini verba protulit,dicens ei: Crede & manducasti. Sequēti verò nocte B.Franciscus cum vndecim fratribus illis apparuit,& inter vbera portans agniculum,ad lectum eius accessit,vocauitq; illum ex nomine,dicens:Bartholomæe,

noli timere, quia non præualebit aduersus te inimicus, qui te in medio seruitio voluit impedire. Hic est agnus, quem tibi dari petebas, quem & propter bonũ desiderium suscepisti, cuius etiam virtute consequeris vtriusque hominis sospitatem. Et sic per vulnera manum ducens, ad opus quod cœperat, eum redire præcepit. Qui valde mane consurgens, & ijs qui eum seminecem reliquerant, incolumis & lætus apparens, admirationem intulit & stuporem, sed & ipsorum mẽtes ab beati patris reuerentiam, & amorem, tam exemplo sui, quàm sancti miraculo excitauit. *Miraculum.*

Quidam de castro Ceperani nomine Nicolaus, in manus inimicorum crudelium incidit die quadam. Qui crudelitate ferali vulneribus eum super vulnera concidentes, vsque adeò super miserum sæuierunt, donec vel extinctum crederent, vel protinus extinguendum. Clamauerat autem Nicolaus prædictus cùm primos ictus exciperet, alta voce, 72 Sancte Francisce succurre mihi, sancte Francisce adiuua me. Hanc vocem à remotis audierunt quamplurimi, licet auxilium ferre non possent. Deportatus tandem domum, totus suo sanguine volutatus, fiducialiter asserebat se mortem ex illius vulneribus non visurum, nec etiam se tunc sentire dolores, quoniam S. Franciscus sibi succurrerat, & vt pœnitentiam ageret à Domino impetrauit. Quod & sequẽs cõfirmauit euentus. Nam lotus à sanguine, continuò contra humanam spem extitit liberatus. *Miraculum.*

72 Inuocat sanctũ & adiuuatur. Nota etiam verborum illorum efficaciã, videlicet, sancte Francisce succurre mihi.

Filius cuiusdã nobilis in castro S. Geminiani, valido languore detentus, omniq; vlterius desperatus salute, ad extremum vsque perductus est. Riuus etenim sanguinis ab oculis eius emanabat, sicut ex vena brachij assolet ebullire. Cæterisq; propinquę mortis veris indicijs in reliquo corpore apparentibus, iudicabatur pro mortuo. Sed & pro debilitate spiritus & virtutis, sensus & motus vsu priuatus, visus est penitus emigrasse. Congregatis autem ex more ad planctum parentibus, & amicis, ac de sola agentibus sepultura, pater ipsius fiduciam habens in Domino, concito gressu ad Ecclesiam cucurrit B. Francisci, quæ in eodẽ erat castro cõstructa, & in cingulo suspẽso ad guttur, cum omni humilitate se 73 prostrauit in terram: sicq; vota vouens, & multiplicans preces, suspirijs & gemitibus meruit apud Christum S. Franciscum habere patronum. Reuersus itaque statim pater ad filium, & sanitati restitutum inueniens, luctum in gaudium immutauit. *Miraculum.*

73 Habes hic orationẽ cum prostratione & gemitib⁹. Habes vota nuncupata. Habes & sanctos apud Dominum Christum esse deuotorum suorum patronos

Simile quiddam meritis sancti operatus est Dominus circa puellam quandam in Cathalonia de villa nomine Thamarit, & circa aliam de Anchona, quæ cùm essent præ nimietate ægritudinis in vltimo spiritu constitutæ, beatus Franciscus fideliter à parentibus 74 inuocatus, perfectæ continuò eas restituit sanitati. *Miraculum.*

74 Beatus Franciscus fideliter inuocatus perfectæ continuò eas restituit sanitati.

Clericus quidã de vico albo, nomine Matthæus, veneno mortifero bibito, in tantũ fuit grauatus, quòd loqui aliquo modo nõ valens, solùm finalem exitum expectabat. Sacerdos quidã, vt sibi confiteretur, admonuit, & verbũ vnũ ab eo extorquere non valuit. Ipse verò in corde suo humiliter Christũ orabat, vt per B. Francisci merita à mortis eũ faucibus eripere dignaretur. Moxq; vt cõfortatus à Domino B. Francisci nomẽ fideli deuotione deprompsit, testibus qui aderant, veneno euomito, liberatori suo gratias egit. *Miraculum.*

In magno maris periculo positi quidam nautę cum milliaria decem à portu Barulitano distarent, ingrauescente nimirum tempestate, iam de vita dubij anchoras submiserunt. Verùm spiritu procellarũ mari feruentius tumescente, fractis funibus & relictis anchoris, incerto & inæquali cursu per æquora gradiebantur. Tandem nutu diuino mari placato, ad resumendas anchoras, quarum funes superius enatabant, toto se conamine parauerunt. Cumq; id perficere proprijs viribus non valerent, plurimorũ sanctorũ inuocato subsidio, multisq; iam sudoribus liquescentes, nec vnam per totã diem resumere potuerunt. Aderat autem nauta quidã Perfectus nomine, sed moribus imperfectus, qui cum irrisione quadam dixit ad socios: Ecce sanctorum omnium inuocastis auxilium, & vt videtur nullus est qui succurrat. Inuocemus istum Franciscum, qui nouellus est sanctus, si quo modo in mare se emergat, & anchoras perditas reddat. Consenserunt cæteri non irrisoriè, sed veraciter suasioni Perfecti, & ipsius obiurgantes irrisorium verbum, firmauerunt cum sancto spontaneum 75 votum. Statimque in momento sine aliquo adminiculo natauerunt anchoræ super aquas, quasi ferri natura versa foret in ligneam leuitatem. *Miraculum.*

75 Vides hæretice quod emisso voto nautæ statim exauditi sunt? Cur ergo irridentur vota?

Peregrinus quidã inualidus corpore propter febris peracutæ symptomata, quam fuerat antè perpessus, naui quadam subuectus de vltramarinis partibus veniebat. 76 Ferebatur autem ipse ad B. Franciscum præcipuo deuotionis affectu, eum sibi apud cœlestem Regem elegerat aduocatum. Cùm igitur necdum perfectè liber à morbo, sitis angustiaretur ardoribus, deficiente iam aqua, cœpit alta voce clamare: Ite fidenter, haurite poculũ mihi, quia B. Franciscus vasculum meum aqua repleuit. Mirum certè. Inuenerunt vas aqua repletum, quod fuerat antè vacuũ derelictũ. Alio verò die cùm tempestate suborta operiretur nauis fluctibus, & procellis quateretur perualidis, ita vt iam naufragium timerent, cœpit idem

76 Ecce peregrinatio ad S Franciscum. Ecce quomodo apud cœlestẽ Regem factus est infirmi aduocatus

infirmus

infirmus subito clamore vociferari per nauem: Surgite omnes, inquit, & beato Francisco venienti occurrite: ecce ad saluandum nos adest. Sicque cum voce magna & lachrymis in faciem procidens adorauit. Statim ad sancti visionem omnem sospitatem resumpsit infirmus, & maris fuit tranquillitas subsecuta. *Miraculum.*

Frater Iacobus Reatinus cùm in nauicula parua fluuium quendam cum alijs fratribus pertransiret, socijs primò super ripam positis, postremò se ad exitum præparabat. Sed modico illo per infortunium reuoluto, rectore natãte, frater mersus est in profundum. Inuocabant fratres extra positi affectuosis precibus beatum Franciscum, & vt filio succurreret, lachrymosis gemitibus supplicabant. Submersus autem frater de ventre gurgitis nimis immensi, cùm ore non posset, corde clamabat, vt poterat, implorans pij patris subsidium. Et ecce auxiliante sibi beati patris præsentia, per profundum sicut per aridam ambulabat, & demersam nauiculam capiens, cum ea peruenit ad littus. 77 Mirabile dictu. Vestimenta eius madidata non sunt, nec aquæ gutta proximauit ad tunicam. *Miraculum.* *77 Vide rem mirã ad inuocationem beati Francisci subsequutam.*

Frater, Bonauentura nomine, cum duobus viris per lacum quendam nauigãs, confracta ex parte nauicula, propter aquæ influentis impetũ demersus est cum naui & socijs in profundum. Cùm autẽ de lacu miseriæ misericordem fratrem Franciscum 78 inuocarent cum multa fiducia, supernatauit subitò aqua plena nauicula, & cum eis, sancto præbente ducatum, salubriter peruenit ad portum. Sic & quidam frater de Esculo submersus in flumine, S. Francisci meritis extitit liberatus. Sed & in lacu Reatino cùm quidam viri & mulieres in consimili essent periculo constituti, ad inuocationem nominis S. Francisci de aquarum multarum periculoso naufragio salubriter euaserunt. *Miraculum.* *78 Sanctus Franciscus inuocatus de aquarũ periculo multos liberat.*

Quidam nautę Anchonitani periculosa tempestate iactati, submersionis periculum iam videbant. Cumque sic desperati vita, S. Franciscum suppliciter inuocarent, lumen in mari magnum apparuit, & cum ipso lumine tranquillitas concessa diuinitus, ac si beatus vir sua miranda virtute & ventis imperare posset & mari. 79 Quantis autem miraculorum prodigijs beatus hic pater in mari claruerit, & clarescat, quotiens idem opẽ tulerit desperatis, nullatenus credo possibile per singula enarrare. Nec mirum si iam regnanti in cœlis collatum est imperium super aquas, cui & in hac mortalitate degenti omnis corporea creatura ad suam refigurata originem mirabiliter seruiebat. *79 Vide quanta possit B. Frãciscus post mortem.*

De liberatis à vinculis & carceribus.

In Romania Græcum quendam cuiusdam domini seruientem contigit de furto fallaciter accusari, quem dominus terræ in alto carcere mãdauit includi, & grauiter vinculari. Domina verò domus miserta serui, quem indubitanter credebat à culpa sibi imposita innocentem, pro liberatione ipsius apud virum precibus insistebat deuotis. Verùm non acquiescente viri sui duritia obstinata, recurrit domina supplex ad S. Franciscum, & eius pietati 80 voto commendauit insontem. Protinus affuit miserorum adiutor, & virum in carcere positum misericorditer visitauit. Soluit vincula, carcerem fregit, innocentem manibus apprehensum foras eduxit, & ait: Ego sum ille, cui domina tua te deuotè commisit. Cumque ille timore magno corriperetur, & pro descensu altissimæ rupis voraginem circuiret, subitò liberatoris sui virtute inueniẽs se in plano, redijt ad dominam suam, relataq; per ordinem miraculi veritatẽ, deuotam dominam ad Christi amorẽ & reuerentiam serui eius Francisci feruentius inflammauit. *Miraculum.* *80 Voto captiuus commendatus est D. Francisco, & statim mirabiliter liberatus.*

In Massa S. Petri cuidam militi debebat pecuniæ quantitatem pauperculus quidam. Cumq; præ inopia facultas non suppeteret persoluẽdi, captus debitor à milite repetente, misereri sibi orabat suppliciter, dilationem quærens amore B. Francisci. Spreuit superbus miles preces oblatas, & sancti amorẽ, velut inane quid, inaniter vilipendit. Nam ceruicosè respondens: Tali te, ait, loco recludam, & tali retrudam carcere, quòd nec Franciscus, nec aliquis te poterit adiuuare. Tentauit quod dixit. Carcerem adinuenit obscurum, in quo hominem vinculatum coniecit. Paulò pòst affuit B. Franciscus, & fracto carcere, ruptisque compedibus, illæsum hominem reduxit ad propria. Sic fortitudo Francisci militem præsumptuosum deiecit, captiuum qui se sibi subiecerat, liberauit à malo, militisq; proterui admirando miraculo immansuetudinem commutauit. *Miraculum.*

Albertus de Aretio cùm in vinculis atrocissimis teneretur pro debitis iniustè ab eo petitis, suam innocentiam sancto Francisco humiliter commendauit. Ordinem quidem fratrum minorum plurimum diligebat, & S. Franciscum inter sanctos speciali venerabatur affectu. Dixit autem creditor suus voce blasphema, quòd nec Franciscus, nec Deus posset eum de suis manibus liberare. 81 Factum est itaque in vigilia sancti Francisci, cùm vinctus ille nihil comedisset, sed ob sancti amorem victum suum cuidam tribuisset egeno, nocte veniente apparuit ei vigilanti S. Franciscus, ad cuius ingressum vincula de pedibus, & catenæ de manibus ceciderunt, sponte aperta sunt ostia, prosilierunt tabulæ de solario, & liber *81 Considera hæc tu qui dicis Sãctos nil posse post mortem.*

82 Nota, impleuit ex tunc votum, ieiunās vigilia sancti Francisci, & superaddens semper vnciam vnam cæreo quē annuatim solebat offerre

& liber abscesit homo ad propria rediens, impleuit [82] ex tunc votum, ieiunans vigiliam B. Francisci, & cæreo, quem annuatim consueuit offerre, in accrescentis deuotionis indicium, annuatim vnam vnciam superaddens. *Miraculum.*

Residente in sede B. Petri Domino Gregorio nono, quidam, Petrus nomine, de ciuitate Alisia, de hæresi accusatus, Romæ captus est, & de mandato eiusdem Pontificis ad custodiendum traditus Episcopo Tyburtino. Quē sub pœna Episcopatus accipiēs compedibus alligauit, obscuroque ipsum carcere, ne posset effugere, includi fecit, panem ei præbens in pondere, & poculum in mensura. Cœpit autem homo ille beatum Franciscum ad sui miserendum multis præcibus & fletibus [83] inuocare, eò quòd audierat solennitatis eius iam adesse vigiliam. Et quoniam fidei puritate omnem abdicauerat hæreticæ prauitatis errorem, totaque cordis deuotione adhæserat fidelissimo Christi seruo Francisco, intercedentibus ipsius meritis à Domino meruit exaudiri. Instāte enim iam nocte suæ [84] festiuitatis, circa crepusculum B. Franciscus in carcerem miseratus descendit, & illum suo nomine vocans, vt citò surgeret imperauit. Qui timore perterritus quisnam esset interrogans, beatum Franciscum adesse audiuit. Cumque virtute præsentiæ viri sancti vincula pedum suorū confracta conspiceret cecidisse, & tabulas carceris clauis vltrò prosilientibus aperiri, & apertum iter sibi ad exeundū præberi, solutus tamē, & obstupefactus fugere nesciebat, sed ad ianuam clamans custodes omnes perterruit. Qui cùm eum liberatum à vinculis Episcopo nunciassent, post intellectum ordinē rei, ad carcerem Pontifex deuotus accesit, & manifestè Dei virtutem cognoscens, Dominum adorauit ibidem. Vincula quoque coram Domino Papa & Cardinalibus delata fuerant, qui videntes quod factum fuerat, admirati plurimum, benedixerunt Deum. *Miraculum.*

83 D. Franciscus multis precibus & fletibus inuocatus, miro modo carceratum liberat.

84 Festiuitas S. Francisci.

Guidolotus de sancto Geminiano, falsò accusatus fuit, quòd veneno interemerat quendā virum, & quòd eodem genere mortis filium eiusdē viri, & vniuersam eius familiā proposuerat enecare. Captus proinde à potestate terrę grauissimis vinculis aggrauatus, in turrim quandam reclusus est. Ipse verò fiduciam habens in Domino pro sua innocentia, quam sciebat, causam commisit B. Francisci patrocinio defendēdam. Excogitante igitur Potestate, qualiter criminis obiecti confessionem eliceret per tormenta, qualibusq; pœnis confessum faceret interire, nocte illa, cùm mane ad cruciatus deberet adduci, S. Francisci præsentia extitit visitatus, & immenso luminis fulgore vsque mane circundatus repletusque gaudio, & fiducia multa securitatem euasionis accepit. Aduenerunt mane tortores, & eductū de carcere eculeo suspenderūt, aggrauantes super eum multa pondera ferri. Depositus est pluries, & iterū eleuatus, vt pœna pœnę succedente, citius ad confessionē criminis arceretur. Sed spiritu innocentiæ lætabatur in vultu, nullam molestiam prætendens in pœnis. Deinde accēsus est ignis sub ipso nō modicus, nec propterea capillus est læsus, cùm tamen capite dependeret ad terram. Tandem bulliente oleo superfusus, virtute patroni, cui se commiserat defensandum, hæc omnia superauit, & sic dimissus liber, saluus abscesit.

De liberatis à periculo partus.

Quædam comitissa in Sclauonia sicut nobilitate illustris, sic & æmula probitatis, erga S. Franciscum deuotione flagrabat, erga fratres verò sedula pietate. Tempore verò partus duros perpessa dolores, tāta fuit angustia molestata, vt prolis futurus ortus, pręsens videretur matris occasus. Non videbatur infantē eniti posse ad vitā, nisi expiraret è vita, nec tali visu parere, sed perire. Subuenit cordi eius S. Frācisci fama, virtus, & gloria, excitatur fides, inflammatur deuotio: Conuertit se ad auxiliū efficax, ad fidum amicū, ad deuotorum solatium, refugiū afflictorū: S. Francisce, inquit, pietati tuæ supplicant omnia ossa mea, & mēte voueo quod explicare non possum. Mira celeritas pietatis. Finis dicendi, finis fuit dolēdi, parturiendi meta, pariendi principiū. Statim enim omni cessante pressura, partum edidit cum salute. Non fuit immemor [85] voti, non propositi refuga. Ecclesiam quandā pulchram construi fecit, & constructam ad sancti honorem fratribus assignauit. *Miraculum.*

85 Mulier in partu adiuta votum exoluit, & Ecclesiam in eius honorem construi facit.

In partibus Romanis mulier quædam Beatrix nomine, vicina partui, cùm per dies quatuor fœtum in ventre portaret extinctū, multis infelix agitabatur angustijs, & exitialibus doloribus vrgebatur. Mortuus fœtus matrem cogebat ad mortem, & nondum in lucem productum abortiuum, publicū matris periculum pariebat. Tentabat medicorū auxilium, sed omne humanum remedium laborabat in vanū. Sic de primis maledictionibus copiosius aliquid declinârat in miseram, vt sepulchrum facta conceptus, sepulchrum pro certo proximum expectaret. Fratribus tandem minoribus per internuncios tota se deuotione committēs, suppliciter aliquid de S. Francisci reliquijs fide plena poposcit. Contigit nutu diuino aliquantulum inueniri de [86] chorda, qua fuerat sanctus quandoq; præcinctus. Mox vt super dolentē posita chorda fuit, omnis facillimè solutus est dolor, mortis causa mortuus fœtus emissus, pristina sanitas restituta.

86 Vide quomodo chorda sancti mulieri applicita, eā à mortis periculo liberauit.

Miraculum.

Miraculum.

Cuiusdã de Caruio nobilis viri vxor, Iuliana nomine, pro filiorũ morte annos trahebat lugubres, & continuè infelices deplorabat euẽtus, pro eo quòd omnes, quos cum pressura portauerat filios, modico interiecto tẽpore cum vehemẽtiori dolore sepulturę tradiderat. Cùm igitur quatuor mensium cõceptum haberet in vtero, magisq; propter euentus præteritos de conceptæ prolis solicitaretur obitu, quàm de ortu, beatũ patrem Franciscũ pro vita nondũ nati fœtus fideliter precabatur. Ecce autẽ nocte quadam dormienti sibi mulier quædam apparebat in somnis, formosum puerulum gestans in manibus, illumq; lætissimè offerebat eidem. Cùm verò illa recipere recusaret, quẽ statim formidabat amittere, mulier illa subiunxit: securè suscipias, quia quem tuo mœrori compatiens sacer mittit Franciscus, vita viuet, & sospitate gaudebit. Statim euigilãs mulier, intellexit per ostẽsam sibi cœlitus visionem B. Francisci sibi adesse suffragium. Ex tunc abundantiori completa lætitia, pro suscipiẽda prole iuxta promissum multiplicauit 87 preces, & vota promisit. Impletum est denique tempus pariendi, & peperit fœmina masculũ, qui iuuenilis robore florens ætatis, tanquã per B. Francisci merita fomentũ susciperet vitæ, incitamentũ parentibus præbuit ad Christũ & sanctũ eius deuotionis affectus. Simile quiddã huic in Tyburis ciuitate sanctus pater effecit. Cùm enim mulier quædã filias plurimas peperisset, desiderio prolis fatigata virilis, apud S. Franciscum preces ingeminauit & vota. Concepit igitur eius meritis mulier illa, & geminos ei parere dedit, qui pro vno fuerat exoratus. *Miraculum.*

87 Multiplicauit preces, & vota promisit D. Francisco, & exaudita est, ita & subsequens mulier.

Apud Viterbum partui propinqua mulier, morti propinquior censebatur visceralibus tormentata doloribus, & tota calamitosa in infortunijs mulierũ. Cumq; naturæ succumbente virtute, omnis deficeret artis industria, inuocato B. Francisci nomine, liberata confestim mulier partum salubriter terminauit. Sed assecuta quod voluit, & oblita beneficij quod accepit, honorem 88 sancto non deferens die natalis ipsius ad opera seruilia manus extendit, & ecce subitò dexterum brachium ad laborem extensum, inflexibile remansit & aridũ. Quod cùm studeret ad se reuocare cum altero, vltione consimili & illud exaruit. Timore igitur diuino correpta mulier, redintegrauit votum, vsumque membrorum, quem propter ingratitudinem amiserat & contemptũ, per misericordis & humilis sancti merita cui se iteratò deuouit, recuperare promeruit. *Miraculum.*

88 Vide quomodo ingrata mulier nõ deferẽs sancto honorem, punitur, et pœnitẽs, ac rursus vouẽs, sancti meritis liberatur.

Mulier quædã de partibus Aretinis cùm per septem dies partus discrimina sustineret, & iam in nigredinẽ versa, desperata esset ab omnibus, 89 votũ fecit B. Frãcisco, & eius cœpit moriẽs auxilium inuocare. Emisso autem voto celeriter obdormiuit, viditq; in somnis B. Franciscũ se dulciter alloquentẽ ac requirentẽ, vtrum faciẽ ipsius agnosceret, & an Antiphonam illã virginis gloriosæ, Salue Regina misericordiæ, sciret ad honorẽ huius virginis recitare. Qua respõdente se habere notitiã de vtrisque: Incipe, ait Sãctus, antiphonã sacrã, & antequã cõpleas paries cũ salute. Ad hãc vocẽ & euigilauit mulier, & cũ timore cœpit dicere: Salue Regina misericordiæ. Cumq; illos misericordes oculos precaretur, fructumq; cõmemoraret vteri virginalis, cõtinuò cũctis liberata pressuris, infantẽ speciosum peperit, gratias agẽs Reginę misericordię, quę per B. Frãcisci merita ipsius fuerat dignata misereri.

89 Votum fecit D. Francisco, & eius cœpit moriens auxilium inuocare. Et voto emisso, mirabiliter mulier liberata est.

De cœcis illuminatis.

In conuentu fratrũ minorum Neapoli, cùm quidã frater, Robertus nomine, cœcus annis plurimis extitisset, creuit in oculis eius caro superflua, motum & vsum impediens palpebrarum. Cùm igitur fratres Forenses ad diuersas mundi partes tendentes, ibidem plurimi conuenissent, beatus pater Franciscus speculũ obediẽtiæ sanctæ, vt eos miraculi nouitate hortaretur ad iter, prædictum fratrem ipsis præsentibus tali modo curauit. Iacebat nocte quadam frater Robertus prædictus æger ad mortẽ, iamq; sibi fuerat anima commendata: tum ecce astitit ei beatus pater cum tribus fratribus omni sanctitate perfectis, videlicet sancto Antonio, fratre Augustino, & fratre Iacobo de Assisio, qui sicut eum perfectè fuerãt secuti dum viuerent, ita & ipsum alacriter comitabantur post mortẽ. Accipiens cultellum sanctus 90 Franciscus, carnem superfluam resecauit, lumen restituit pristinum, & à mortis eum fauce reduxit, dixitq; illi: Fili Roberte, gratia quam tecũ feci, signum est fratribus ad remotas nationes euntibus, quòd ego præcedam eos, & ipsorũ dirigam gressus. Vadant, inquit, gaudenter, & iniunctam obedientiam alacri animo exequantur. *Miraculum.*

90 O qui negas sanctos aliquid posse post mortem, vide quid hic dicatur.

Apud Thebas in Romania mulier cœca 91 vigiliã S. Francisci in pane tantum & aqua ieiunans, ad Ecclesiam fratrum minorũ summo mane festiuitatis à viro suo superducta est. Quę dum missa celebraretur, in eleuatione corporis Christi oculos aperuit, clarè vidit, deuotissimè adorauit. In ipsa verò adoratione voce magna proclamans: Gratias, inquit, Deo & sancto eius, quia video corpus Christi. Omnibus qui aderant in voce exultationis conuersis, post sacrorum expletionem, reuersa est mulier in domũ suam cum gaudio spiritus, & lumine oculorũ. Exultabat quidem mulier, non solùm quia lucis corporeæ recuperârat aspectum,

91 Habes hic multa notatu digna, videlicet, Ieiuniũ in vigilia S Francisci. Ieiunium in pane & aqua. In missa eleuari corpus Christi. Sacram Eucharistiã adorandam esse.

Ipsam mirificum esse sacramẽtum, & lumen verũ & viuum animarũ.

aspectum, verùm etiam quia sacramentum illud mirificum, quod est lumen animarum verum & viuum, respectu primario, per beati Francisci merita, fidei suffragante virtute, meruerat intueri. *Miraculum.*

Miraculum in ipsa eleuatione & adoratione consequutum.

92 Si Domino nostro Iesu Christo per hos recursus primum ad sanctũ eius iniuria fieret, nequaquam ipse Dominus tot miracula per seruum suum Franciscum operaretur.

In Cãpania puer quidã quatuordecim annorũ de castro Pophis subita vexatus angustia, sinistrum oculum amisit ex toto. Passionis acerbitas sic de loco suo propulit oculũ, quòd per octo dies extra, neruo relaxato longitudine digiti vnius ad maxillas dependens, penè aridus est effectus. Sed cùm sola superesset abscissio, & à medentibus foret penitus desperatus, pater eius ad 92 auxiliũ B. Francisci tota se mẽte cõuertit. Non defuit ille indefessus miserorum adiutor precibus supplicantis. Nam oculum aridum mirabili virtute in locum suum pristinumq; vigorem restituit, & lucis optatæ radijs illustrauit. *Miraculum.*

93 Ecce quomodo sancti innocandi sunt, & quomodo inuocati opem ferunt poscentibus.

In eadem Prouincia apud castrum, magni ponderis lignũ ex alto prorupit, & cuiusdam sacerdotis caput grauissimè quassans, sinistrum oculũ excæcauit. Qui humi deiectus cœpit alta voce S. Franciscum luctuosè 93 clamare, dicens: Succurre pater sanctissime, vt ad festum tuũ ire valeam, sicut fratribus tuis ire promisi. Erat enim vigilia sancti. Qui statim exurgens peroptimè liberatus, in vocẽ prorupit laudis & gaudij, & circumstantes omnes, qui eius miseriæ condolebant, in stuporem conuertit & iubilum. Iuit ad festum narrans omnibus, quam in se expertus fuerat clementiam & virtutem. *Miraculum.*

94 Vides votũ sub conditione, quod tantopere irrident hæretici nostri, & post illius emissionem sanitatẽ subsequutam?

Vir quidam de monte Gargano dum in vinea sua laborans lignum quoddam ferro succideret, proprium percussit oculum, & sic diuisit per medium, vt quasi media pars ipsius exterius depẽderet. Cumq; in tam desperato periculo desperaret sibi posse per hominem subueniri, ieiunaturum se in festo S. Francisci, si ei succurreret, 94 repromisit. Statim in loco suo debito viri oculum sanctus Dei restituit, sicq; diuisum reuniuit, & lumine pristino decorauit, vt nullius læsionis vestigia remanerent. *Miraculum.*

Filius cuiusdam nobilis viri à natiuitate cæcus, meritis B. Francisci lumẽ recepit optatum. Qui nomen ab euentu sortitus, Illuminatus vocatus est. Assumpsit postea cùm in ætate esset, ordinem B. Francisci, accepit beneficij non ingratus, tantumque profecit in lumine gratiæ & virtutis, vt verè lucis filius videretur. Tandem B. patris promerentibus meritis, sanctum initium fine sanctiore conclusit. *Miraculum.*

95 Nota miraculũ pro cõfeßione peccatorũ & humili pœnitẽtia cũ cordis contritione suscipienda.

In Zachanto, quod est castrum iuxta Ananiam, miles quidam Gerardus nomine, oculorum lumen ex toto perdiderat. Accidit autem vt duo fratres minores ab exteris partibus venientes, ad domum ipsius hospitaturi diuerterent. Suscepti itaque deuotè propter reuerentiam S. Francisci à familia tota, & cum omni benignitate tractati, gratias agentes Deo & hospiti, ad locum fratrum deuenêre vicinum. Nocte igitur quadam B. Franciscus vni fratrum illorũ in somnis apparuit, dicens: Surge, festina cum socio ad domũ hospitis nostri, qui Christũ & me suscepit in vobis, volo enim beneficia rependere pietatis. Cæcus quidem effectus est suis promerentibus culpis, quas pœnitentiali non studuit 95 cõfessione purgare. Disparente quoque patre, frater festinus surrexit, vt mandatũ cum socio celeriter adimpleret. Venientesque ad hospitis domum, cuncta quæ viderat alter, per ordinem narrauerunt eidem. Stupuit vir ille non modicum, & vniuersa quæ dicebantur, vera esse confirmans, compunctus ad lachrymas, confessus est libens. Tandem correctione præmissa, interiorique homine taliter renouato, exteriorem continuò recuperauit aspectum. Huius miraculi fama circumquaque diffusa, non solùm ad reuerentiam sancti, verùm etiam ad confessionem humilem peccatorum, & hospitalitatis gratiam plurimos incitauit.

De liberatis à diuersis infirmitatibus.

96 Ecce & hic votum sub cõditione, & vt appareat id Deo placitum esse, considera effectum mirabilem subsequutum.

Apud castrum Plebis iuuenis quidam mendicus surdus erat, & mutus à natione sua, qui linguam adeò curtam habebat ac tenuem, quòd multotiens exquisita à pluribus, præcisa penitus videretur. Vir quidã Marcus nomine, ipsum propter Deum suscepit hospitio, qui eum sibi benefacere sentiẽs, cœpit cum ipso assiduus demorari. Sero quodã cùm prædictus vir cœnaret cum coniuge, astante puero coram eis, dixit vxori: Hoc ego maximum miraculum reputarem, si B. Franciscus huic auditum redderet & loquelam. Et adiecit: Voueo 96 Deo, quòd si hoc S. Franciscus dignabitur operari, propter amorem suum huic puero expensas conferã, donec viuet. Mirum certè. Subitò lingua creuit, & loquutus est, dicens: Gloria Deo, & S. Francisco, qui mihi loquelam præbuit & auditum. *Miraculum.*

97 Nota, vbi preciosus thesaurus sacrorum oßium eius nunc est reconditus.

Frater Iacobus de Iseo cùm puerulus esset in domo paterna, incurrit rupturã corporis valde grauem. Superno verò afflatus spiritu, licet esset iuuenis & infirmus, ordinẽ S. Francisci deuotus intrauit, nulli tamen qua vrgebatur infirmitate detexit. Factum est autem cùm corpus S. Francisci transferretur ad locum, vt pretiosus 97 sacrorũ ossium eius nunc thesaurus est conditus, affuit & tunc dictus frater translationis gaudijs, vt glorificati iam patris corpori honorem debitum exhiberet. Et appropinquans tumbæ, in qua ossa sacra fuerant collocata, præ deuotione spiritus sacrũ tumulum complexatus, subitò miro modo

ad loca

ad loca debita partibus reuocatis, sanum se sensit, succinctorium deposuit, & ex tunc ab omni dolore præterito liber fuit. Ab infirmitate quoque consimili frater Bartholus de Eugubio, frater Angelus de Tuderto, Nicolaus sacerdos de Stichano, Ioannes de Fora, vir quidam de Pisis, & alius de castro Disternæ, Petrus quoque de Sicilia, & homo quidam de castro Spelli iuxta Asisium, & quamplures alij per Dei misericordiam & B. Francisci merita extiterunt mirabiliter liberati. *Miraculum.*

In maritima mulier quædā mentis alienationē per quinquennium passa, visu & auditu priuata est. Indumenta dilaniabat dentibus, ignis & aquæ periculū non timebat, & caduci morbi ad summū incurrebat horribilem passionē. Nocte verò quadā, cùm disponeret sibi diuina misericordia misereri, salutaris fulgore lucis superillustrata diuinitus vidit beatum Franciscum super solium sedere sublime, ante quem prostrata sanitatem suppliciter exposcebat. Illo verò nondum fauente precibus, firmauit mulier 98 votum, promittens pro Dei amore ac sancti, petentibus, donec haberet, eleemosynam non negare. Illicò sanctus pactum decognouit, quòd olim cum Domino fecerat simile, & signans eam Crucis signaculo, integram sibi restituit sanitatem. A consimili passione puellam quandam de Nursia, & filium cuiusdam nobilis viri, & alios quosdam relatione veridica compertum est S. Dei Franciscum misericorditer liberasse. *Miraculum.*

98 *Ecce votum, & post eius emissionem sequuta sanatio.*

Petrus de Fulgineo ad visitandū 99 limina B. Michaelis quodā tempore pergens, dum minus reuerenter peregrinationem peregit, fontis cuiusdā aquam degustans, à dæmonibus est inuasus: & exinde per tres annos obsessus, discerpebatur in corpore, pessimè loquens, & horrenda prætendens, habens aliquando lucida interualla, beati virtutē, quam efficacem audierat, ad effugādas aëreas potestates, humiliter requisiuit. Et ad 100 sepulchrū pij patris accedēs, mox vt illud cōtigit manu, à dæmonibus eum crudeliter discerpentibus mirificè liberatus fuit. Simili etiam modo mulieri cuidam de Narnio habenti dæmonium misericordia Francisci subuenit, & alijs pluribus, quorum vexationum angustias, & curationum modos, longum esset per singula enarrare. *Miraculum.*

99 *Pergēs ad visitandum limina B. Michaelis.*

100 *Vides quomodo confugiētes ad sanctorum sepulchra ab eis adiuuentur?*

Vir quidā nomine Bonus, homo de ciuitate Fani, paralyticus & leprosus ad Ecclesiam B. Francisci à parentibus deportatus, vtriusque morbi plenā consecutus est sanitatem. Sed & alius iuuenis quidā, Acto nomine, de S. Seuerino, totus leprosus, 101 voto emisso, & ad sepulchrum sancti delatus, meritis ipsius à lepra mundatus est. Habuit quidē sanctus supra huiusmodi morbo curando præcellentem 102 virtutē, pro eo quòd humilitatis & pietatis amore, leprosum obsequijs se humiliter deputârat. *Miraculum.*

101 *Voto emisso iuuenis & ad sepulchrum sancti delatus meritis ipsius à lepra mundatus est.*

102 *Nota aliquē sanctum supra aliquem morbum specialem habere virtutem.*

Nobilis quædam mulier Rogata nomine, in Episcopatu Sorano, per xxiij. annos fluxu sanguinis fatigata, sed & à quampluribus medicis quamplurima mala perpessa, præ nimietate quidem languoris sæpius videbatur mulier expirare. Sed si quando fluxus huiusmodi stringebatur, tumescebat corpore toto. Audiens autem quendam puerum Romano sermone canentem miracula, quæ Deus per B. Franciscum fuerat operatus, nimio dolore commota tota prorupit in lachrymas, sicque intra se fide accensa, dicere cœpit: O beate pater Francisce, qui tantis coruscas miraculis, si me digneris ab hac ægritudine liberare, 103 magna tibi accrescet gloria, quoniam adhuc tantum miraculum nō fecisti. Quid plura? His dictis, sensit se B. Francisci meritis liberatam. Filium quoque ipsius Marcum nomine, qui brachium habebat contractum, S. Franciscus 104 voto ad ipsum emisso sanauit. Fœminam etiam quandā de Sicilia per septennium fluxu sanguinis fatigatam, beatus Christi signifer saluam fecit. *Miraculum.*

103 *Vides quod ob noua miracula sanctis accrescit gloriæ incrementum.*

104 *Voto emisso S. Franciscus brachium contractum homini sanauit.*

In vrbe Roma Praxedis quædam nomine, religiositate famosa, quæ à tenella ætate propter æterni sponsi amorem arcto se carcere per xl. iam ferè annos abdiderat, apud B. Franciscum gratiam promeruit specialem. Nam cùm die quadam pro rebus oportunis solarium suæ cellulę conscendisset, & impulsione fantastica corruens, cùm fractum haberet pedem cum crure, & humerum, appositione debita sequestratum, apparuit ei benignissimus pater vestimentis gloriæ candidatus, & dulcibus affatibus alloqui cœpit eandem: Surge, inquit, filia benedicta, surge ne timeas. Et apprehensa manu ipsius, alleuans eam disparuit. Ipsa verò per cellulā suam huc atq; illuc se conuertens, putabat se visum videre, vsquequo ad clamorem ipsius apportato iam lumine, perfectè se sentiens per seruum Dei Franciscum esse sanatam, cuncta quæ acciderant, per ordinem enarrauit.

De non obseruantibus festum, & non honorantibus sanctum.

In Pictauiæ partibus in villa, quæ Simo dicitur, sacerdos quidam Reginaldus nomine, B. Francisco deuotus, 105 festum ipsius parochianis suis indixerat solenniter celebrandum. Vnus autem de populo ignorans sancti virtutem, sui paruipendit sacerdotis mandatum. Egressus autem foras in agrum, vt ligna succideret, cùm se præparasset ad opus, vocem audiuit huiusmodi ter dicentem: Festum est, operari non licet. Verùm cùm nec imperio sacerdotis,

105 *Festum sancti Frācisci parochianis suis solenniter indixerat celebrandum.*

ſacerdotis, nec ſupernæ vocis oraculo ſeruilis temeritas frenaretur, addidit diuina virtus ad gloriam ſancti ſui ſine mora miraculum, & flagellum. Mox enim vt furcam vna manu iam tenens, alteram cum ferreo inſtrumento leuauit ad opus, ſic diuina virtute vtraque manus vtrique inſtrumento cohæſit, vt ad neutrius dimiſsionem, digitos aliquatenus relaxare valeret. Ex quo ſtupefactus nimis, & quid ageret neſciens, ad Eccleſiam, multis vndique ad videndũ prodigiũ concurrentibus, properauit. Vbi mente cõpunctus ante altare, quodã ex aſsiſtentibus ſacerdote monente (plures quippe ad feſtum vocati conuenerant ſacerdotes) B. Franciſco humiliter ſe deuouit, tria, ſicut ter vocẽ audierat, 106 vota vouens, quòd ſcilicet feſtum ipſius coleret, quòd ad illã, in qua tunc erat, Eccleſiam in feſto veniret, & quòd ſancti corpus perſonaliter viſitaret. Mirum certè relatu. Vno emiſſo voto, vnus digitus factus eſt liber: ad ſecũdi emiſsionẽ ſolutus eſt alius: ſed tertio facto voto, laxatus eſt tertius, & poſtmodũ tota manus, necnon & altera ſubſequẽter, populo, qui iam multus aduenerat, ſancti clementiã deuotiſsimè implorante. Sic homo priſtinæ redditus libertati, per ſeipſum inſtrumenta depoſuit, cunctis laudãtibus Deum, virtutemq; ſancti mirificam, qui tam mirabiliter percutere poterat, & ſanare. Ipſa verò inſtrumẽta vſque hodie coram altari ad honorẽ B. Franciſci fabricato ibidem in memoria ſancti dependent. Plura quoq; illic, & in locis vicinis patrata miracula, & ſanctum in cœlis oſtendunt eximium & feſtum ipſius in terris venerabiliter excolendum. *Miraculum.*

106 Emiſsis tribus votis in honorem B. Franciſci, omnis viri plaga ceſſauit.

In ciuitate quoq; Cenomanenſi, dum in ſolennitate S. Franciſci mulier quædam manus ad colum extenderet, & digitis apprehenderet fuſum, obrigeſcentibus manibus cœperũt digiti magnis ardoribus cruciari. Igitur pœna 107 docente ſancti recognoſcens virtutem, corde compuncta, cucurrit ad fratres. Cumq; pro ſalute ipſius, deuoti filij S. patris clementiam precarentur, incolumis effecta eſt ſtatim, nec aliquid læſionis remanſit in manibus, niſi ad ſancti memoriam, ſolùm veſtigium combuſturæ. Simili etiam modo in Campania maiori mulier quædã, & in villa Oleti mulier altera, & in caſtro Pilei tertia, dum B. patris feſtum celebrare contemnerent, præuaricantes primum mirabiliter ſunt punitæ, ſed poſtmodum pœnitentes, per S. Franciſci merita mirabilius liberatæ. *Miraculum.*

107 Vide ſanctorũ feſta non eſſe contemnenda.

Miles quidam in Prouincia Maſſæ beati Franciſci operibus & miraculorum ſignis impudentiſsimè detrahebat. 108 Inferebat multa opprobria peregrinis ad ipſius memoriam venientibus, & contra fratres publica garriebat inſania. Cùm autem ſemel ſancti Dei gloriam impugnaret, addidit ſuper peccata ſua blaſphemiam deteſtandam. Si verum eſt, inquit, quòd Franciſcus iſte ſit ſanctus, gladio cædat hodie corpus meum. Si verò ſanctus non eſt, euadam incolumis. Non diſtulit ira Dei condignum inferre ſupplicium, cùm iam facta fuiſſet oratio in peccatum. Mora enim modica interiecta, dum blaſphemus nepoti ſuo inferret iniuriam, accepit ille gladium, & patrui viſceribus cruentauit. Eodem die mortuus eſt ſceleratus, inferni mancipium, & filius tenebrarum, vt cæteri diſcerent miranda Franciſci opera non blaſphematorijs verbis impetere, ſed deuotis laudibus honorare. *Miraculum.*

108 Sanctis huius militis exemplo, docetur quilibet non detrahere.

Iudex quidã nomine Alexander, dum à B. Franciſci deuotione quos poterat venenata lingua retraheret, diuino 109 iudicio lingua priuatus, per ſex annos obmutuit. Qui cùm in eo, quo peccauerat, torqueretur, alta pœnitudine reuocatus, dolebat ſe contra ſancti miracula oblatraſſe. Itaque non præſtitit miſericordis indignatio ſancti, ſed pœnitentem, ac ſe humiliter inuocantem, reſtituta loquela, recepit ad gratiam. Ex tunc linguã blaſphemam conſecrauit laudibus ſancti, deuotionem ſimul & diſciplinam recipiens per flagellum.

109 Sanctis cognoſce non eſſe detrahendum.

De quibuſdam alijs miraculis diuerſorum generum.

In caſtro Galiani Valuenſis diœceſis, mulier quædã nomine Maria, quæ Chriſto Ieſu & B. Franciſco famulatu deuoto ſubiecta, vna dierũ æſtiuo tempore exijt, vt manibus conquireret proprijs neceſſarium victum. Cùm igitur feruente nimium æſtu, ſitis deficere cœpiſſet ardoribus, omni priuata beneficio poculi, pro eo quòd in mõte arido ſola eſſet, quaſi exanimis humi proſtrata, patronum ſuum S. Franciſcũ inuocabat pro mẽtis affectu. Dum autem perſeueraret mulier in affectuoſa & humili prece, labore, ſiti, & æſtu ſatigata quamplurimum, paululũ obdormiuit. Et ecce S. Franciſcus adueniens, & eam vocãs ex nomine: Surge, inquit, & bibe aquã, quæ diuino munere tibi ac pluribus exhibetur. Ad huius vocis auditum ſurrexit mulier à ſomno non modicũ confortata, & accipiens ſilicem, quæ iuxta ſe erat, radicitus euulſit à terra, effodienſque ligno paruulo circumquaque, viuentẽ reperit aquam, quæ cùm primò videretur paruula ſtilla, ſubitò diuina virtute creuit in fontem. Bibit itaq; mulier, & ſatiata oculos lauit, quos cùm lõga prius haberet ægritudine obumbratos, noua ex tunc ſenſit luce perfuſos. Feſtinauit ad domum mulier, tam ſtupendum miraculum ad gloriam S. Franciſci denuncians vniuerſis. Concurrerunt vndique multi ad miraculi famam, experientia magiſtra diſcentes mirabilem illius aquæ virtutem, dum ad

dum ad ipsius [110] contactum confessione præmissa, à varijs morborum cladibus plurimi liberabantur. Perseuerat vsque hodie fons ibi perspicuus, & in honore beati Francisci ibidem oratorium est constructum. *Miraculum.*

110 Fons meritis B. Francisci miraculose exortus, à varijs morborum cladibus plurimos eum contingentes confessione præmissa liberabat.

In Hispania apud S. Facundum viri cuiusdam cerasum arefactam ad virorem frondium, florum, & fructuũ contra spem mirabiliter reuocauit. Incolas quoq; terræ apud Vilesios, à vermium peste corrodentium vineas circunquaque, miraculoso suffragio liberauit. Sacerdotis cuiusdam iuxta Palentiam horreum quoddam, quod vermibus frumentarijs repleri quolibet anno solitum erat, sibi fideliter commendatum penitus expurgauit. Terram quoque domini cuiusdam de Petra mala in regno Apuliæ sibi suppliciter commendatam, ab odiosa peste brucorũ penitus seruauit indemnem, cùm tamen in circuitu omnia essent prædicta pestilentia deuorata. *Miraculum.*

Vir quidam Martinus nomine, cùm longè à castro suo boues minasset ad pascua, crus vnius bouis casu quodã sic fuit desperatè confractum, vt nihil esset sibi de remedio aliquo cogitandum. Dum autem pro decoriatione foret solicitus, & instrumentum cum quo id faceret, non haberet, domum reuersus, B. Francisco bouis curam reliquit, ipsumque fideli sanctæ custodiæ fiducialiter commendauit, ne ante suum reditum deuoraretur à lupis. Summo itaque mane ad bouem in sylua relictum cum excoriatore reuersus, pascentem ipsum ita reinuenit incolumẽ, quòd nequaquam crus fractũ ab altero discernebat. Gratias egit bono pastori, qui diligentem de boue suo curam habuit, & medelam donauit. [111] Succurrere nouit humilis sanctus omnibus inuocantibus ipsum: nec quantumcunque paruas necessitates hominũ dedignatur. Nam viro cuidam de Amitrino iumentum restituit furto sublatum. Mulieri cuidam de Interduco catinum nouum in multas partes casum integrè reparauit. Viro etiam cuidam de monte Vlini in Marchia, consolidauit vomerem in frusta confractum. *Miraculum.*

111 Succurrere nouit humilis sanctus omnibus inuocantibus ipsum, nec quantumcunque paruas necessitates hominum dedignatur

Quod nota pro inuocatione sanctorũ, ac mirabili eorũ post mortem potestate.

In Sabinensi diœcesi vetula quędam octogenaria erat, cuius filia moriens lactentem infantulum dereliquit. Cùm igitur anus paupercula plena esset inopia, & vacua lacte, nullaq; esset mulier, quæ sitienti paruulo lactis stillicidium, iuxta quod exigebat necessitas, erogaret, quò se verteret vetula penitus ignorabat. Debilitato verò infantulo, nocte quadam omni humano destituta subsidio, ad B. patris Francisci auxiliũ implorandum lachrymarũ imbre perfusa, tota se mente conuertit. [112] Affuit statim innocentis amator ætatis: Ego, inquiens, sum Franciscus, ô mulier, quẽ cum tantis lachrymis inuocasti. Pone, ait, mámas tuas in ore puerili, quoniã abundanter tibi lac Dominus dabit. Impleuit anus sancti mandatum, & statim octogenariæ mammæ lactis copiam effuderunt. Innotuit omnibus mirabile sancti donum, multis tam viris, quàm mulieribus accelerantibus ad videndum. Et quia quod testabantur oculi, lingua impugnare non poterat, excitabantur omnes ad laudandum Deum in sancti sui virtute mirabili, & amabili pietate. *Miraculum.*

112 Vide hic num sancti inuocati suum benignè indigẽtibus impendant auxilium.

Apud Spoletum vir & vxor vnicum habentes filium, quotidie velut hæreditarium opprobrium deplorabant. Brachijs siquidem collo connexis, iunctisque genibus pectori, & pedibus natibus alligatis, non hominis proles, vel monstrum quoddam potius videbatur vehementiori mulier ex hoc afflicta dolore, crebris gemitibus clamabat ad Christũ, S. Francisci auxilium inuocando, vt infelici sibi, & in tali opprobrio constitutæ succurrere dignaretur. Nocte igitur quadam, cùm propter huiusmodi tristitiam tristis eam somnus arriperet, apparuit ei S. Franciscus, pijs eam affatibus mulcens, insuper & suadens, quòd ad locum propinquum suo nomine dedicatum deferret puerum, vt ex aqua putei loci illius in nomine Domini superfusus, plenam reciperet sospitatem. Negligente autem illa sancti adimplere mandatum, secundò replicauit id ipsum. Tertiò quoque apparens, mulierem cum puero vsq; ad ianuam dicti loci præambulo ducatu perduxit. Superuenientes autem nobiles quædam matronæ deuotionis causa ad prædictum locum, eis à muliere præfata diligenter exposita visione, vnà cum ipsa puerum fratribus præsentârunt: & haurientes aquam de puteo, earum nobilior proprijs manibus lauit infantem. Statim puer omnibus membris ad sua loca productis, sanus apparuit, & magnitudo miraculi omnibus admirationem induxit. *Miraculum.*

In castro Chore Hostiẽsis diœcesis, vir quidã sic crus ex toto perdiderat, vt nullo modo progredi vel mouere se posset. Positus itaque in angustia vehementi, & auxilio desperatus humano, cœpit nocte quadam, ac si præsentem cerneret B. Franciscum, talem coram eo assumere materiam querulandi: [113] Adiuua me S. Francisce, recolens meum seruitium & deuotionẽ tibi impẽsam. Nam in asino meo te portaui, sanctos pedes tuos, & sanctas manus tuas osculat⁹ fui, semper tibi deuotus, semper beneuolus extiti, & ecce morior doloris huius durissimo cruciatu. His pulsatus querelis statim affuit beneficiorũ memor, & deuotionis gratus, & vigiláti viro cum vno fratre apparuit. Ad vocationẽ eius se venisse dixit, & tulisse

113 Ecce quanta cum fiducia sanctum inuocat, & quàm mirabiliter inuocans adiuuatur.

& tulisse remedia sanitatis. Tetigit locum doloris cum baculo paruulo, qui figuram Thau in se habebat, & fracto mox apostemate, perfectã tribuit sanitatem, & quod mirabilius est, sacrum signũ Thau impressum super locum sanati vlceris ad miraculi memoriã dereliquit. Hoc signo S. Franciscus suas consignabat literas, quotiens charitatis causa scriptũ aliquod dirigebat. Sed ecce dum per diuersa miracula gloriosi patris Francisci, mens narrationis varietate distracta decurrit, promerente ipsõ Crucis glorioso signifero, in signum salutis Thau non sine diuina directione peruenit, vt ex hoc possimus aduertere, quòd sicut crux militanti post Christum fuit sublimitas meriti ad salutem, sic & triumphanti cum Christo facta est firmitas testimonij ad honorem. Hoc quippe crucis mysterium magnũ & mirum, in quo charismata gratiarum, & merita virtutum, & thesauri sapientiæ & scientiæ tam alta profunditate velantur, vt à mundi sapientibus & prudentibus sit occulta, tam planè fuit Christi paruulo reuelatũ, vt omnis vita ipsius non nisi crucis vestigia sequeretur, non nisi crucis dulcedinem saperet, non nisi crucis gloriam prædicaret. Verè namque in suæ conuersionis principio dicere cum Apostolo potuit: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri Iesu Christi. Nõ minus etiã verè in cõuersationis progressu addere valuit: Quicunque hanc regulam secuti fuerint, pax super illos, & misericordia. Verissimè autem in consummatione potuit subinferre: stigmata Domini Iesu in corpore meo porto. Sed & illos nos quotidie desideramus ab ipso audire: Gratia Domini nostri Iesu Christi cum spiritu nostro fratres. Amẽ. Gloriare igitur iã securè in crucis gloria Christi signifer gloriose, quoniã à cruce incipiens, secundùm crucis regulã processisti, & tandem in cruce proficiẽs, per crucis testimonium quantæ gloriæ sis in cœlo cunctis fidelibus innotescis. Securè iam te sequantur, qui exeunt ex Ægypto, quia per baculum crucis Christi mari diuiso, deserta transibunt in repromissam viuentium terram, Iordane mortalitatis transmisso, per ipsius crucis mirandam potentiam ingressuri. Quò nos introducat vetus populi ductor, & Saluator Iesus Christus crucifixus, per merita serui sui Francisci. Ad laudem & gloriam vnius & trini, Dei, qui viuit & regnat in secula seculorum. AMEN.

FESTIVITAS OMNIVM SANCTORVM, PER Adonem Episcopum Treuerensem collecta.

Habetur in Martyrol. eiusdẽ sub Calend. Nouẽb.

CALENDIS Nouembris festiuitas omnium Sanctorum. Petente namq; Papa Bonifacio iussit Phocas Imperator in veteri Fano, quod Pantheon vocabatur, & à Domitiano prius factum erat, ablatis idololatriæ sordibus, Ecclesiam B. semper virginis Mariæ, & omnium martyrum fieri: vt vbi quondam omnium non Deorum, sed dæmoniorum cultus agebatur, ibi deinceps omnium fieret memoria sanctorũ. Quæ ab illo tempore Calend. Nouemb. in vrbe Roma celebris, & generalis agitur. Sed & in Gallijs, monente sanctæ recordationis Gregorio Pontifice pijssimus Lodouicus Imperator, omnibus Regni & Imperij sui Episcopis consentientibus statuit, vt solenniter festiuitas omnium sanctorum in prædicta die annuatim perpetua ageretur. 1 Quam sanctam constitutionem reuerenti amore suscepit omnis Ecclesia.

1 Omnis Ecclesia reuerenti amore suscepit festiuitatem solennem omnium sanctorum.

DE SANCTORVM ET RELIQVIARVM HOnore Sermo B. Ioannis Damasceni.

Habetur lib. 4. cap. 16. de Orthodoxa fide.

1 Cur honorare decet sanctos.

HONORARE 1 decet sanctos & amicos Christi, vt filios, & hæredes Dei, quemadmodũ ait Deiloquus Ioannes Euangelista: Quicunque autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri. Quare non amplius sunt serui, sed filij: si autem filij, & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi. Et Dominus in sacris Euãgelijs Apostolis dicit: Vos amici mei estis. Item, Non vos vocaui seruos, nam seruus nescit quid faciat dominus eius. Si autem Rex regnantium, & Dominus dominantiũ, & Deus deorum, conditor omnium, & Dominus dicitur, omnino & sancti, 2 Dij, & Domini, & Reges. Nam horũ Deus, & Deus, & Dominus, & Rex est, & dicitur: Ego enim sum, inquit Moysi, Deus Abraham, & Deus Isaac, & Deus Iacob. Et Deum Pharaonis fecit Deus Moysen. Deos autem dico, & Reges, & Dominos, non natura, sed vt affectus regentes, illorum dominantes, & diuinæ imaginis similitudinem, secundùm quam geniti fuerunt, inobliteratam custodientes (nam & dicitur Rex, Regis imago) qui vniti sunt Deo secundùm voluntatem, quique illum suscipiunt inhabitatorẽ, & qui id participatione sunt effecti gratia, quod ipse est natura. Quomodo igitur non honorandi sunt, qui cultores & amici, & filij Dei existunt? Nam honor erga gratos, & benignos conseruos, beneuolentiæ erga commu-

2 Vide quia sancti Dij, Domini, & Reges dicũtur, & quæ sit huius rei ratio.

communem Dominũ indicium est. Hi promptuarium Dei & pura habitacula facta sunt. Inhabitabo enim in eis, dicit Dominus, & inambulabo, & ero eorũ Deus. Et quod iustorũ animæ in manu Dei sunt, & non tanget illos mors, dicit diuina scriptura. Nam [3] mors sanctorũ, dormitio magis est, quàm mors. Laborauerũt enim in præsenti sæculo, & viuunt in æternũ. Et pretiosa in conspectu Domini mors sanctorũ eius. At quid pretiosius, quàm in manu Dei esse? Vita enim Deus est, & lux: & qui in manu Dei sunt, in vita & luce existunt. Quòd autem per mentem corpora eorum inhabitauerit Deus, dicit Apostolus: nescitis quia corpora vestra spiritus sancti inhabitantis in vobis templum sunt? Dominus autem spiritus est. Et, Si quis templũ Dei corruperit, corrumpet & illum Deus. Quomodo igitur non honoranda sunt animata templa Dei, & animata tabernacula? Hi viuentes in fiducia Deo assistunt. Fontes nobis [4] salutares dominator Christus præbuit sanctorum reliquias, multimoda beneficia scaturientes, vnguentum suauitatis emanantes, vt nullus discredat. Si enim ex rupe, & firmo saxo aqua in eremo prosiliuit, volente Deo: & ex maxilla asini Sampsoni sitienti: ex martyrum reliquijs vnguentum suaue olens emanare incredibile est? Nullo pacto profectò ijs qui sciunt Dei virtutem, & ab ipso sanctorum honorem. In lege omnis qui tangebat mortuũ, immundus efficiebatur, verùm ij nõ mortui. Nam ex quo ipsa vita, is scilicet, qui vitæ causa est, inter mortuos computatus est, eos qui in spe resurrectionis, & fide, quæ in ipso est, dormierunt, non [5] mortuos appellamus. Mortuum enim corpus quomodo miracula operari potest? Quomodo igitur per [6] eos dæmones abiguntur, infirmi curantur, cæci vident, leprosi mundãtur, tentationes & tristitiæ soluuntur, denique omne donum bonum à patre luminum per eos ijs qui inhæsitabili fide petunt, descendit? Quantũ sanè laborares, vt inuenires adiutorẽ, qui ad mortalem Regem te adduceret, & pro te ad ipsum sermones faceret? Adiutores [7] ergo totius generis, Deo pro nobis supplicationes porrigentes, non honorandi sunt? Certè honorandi. Templa [8] à nobis Deo erigenda sunt in ipsorum nomine. Fructus afferendi illorum memoriam venerantibus, & in ipsis lætãtibus spiritu, vt propria inuocantiũ lætitia fiat, ne nos non colere tentati, è conuerso ipsos irritemus. Nam ijs, à quibus Deus colitur, & eius serui delectãtur, & quos despicit Deus, & eius despiciunt clientes. In Psalmis, & hymnis, & Odis spiritualibus, cùm compunctione & misericordia indigeamus, sanctos fide veneremur, à quibus maximè Deus colitur. Statuas illis erigamus, & visibiles imagines, & nos ipsi animatæ statuæ, & imagines ipsorum, virtutum imitatione efficiamur.

3 Ecce quomodo sancti magis dormientes quã mortui dici debent.

4 Vide quid dicat sanctus pater de sanctorũ reliquijs. Nam fontes salutares eas appellat, Dei indulto multimoda beneficia scaturientes, & suauitatis vnguẽtum emanantes.

5 Sanctos cur appellemus dormientes, non autem mortuos.

6 Nota per sanctos dæmones abigi, infirmos curari, cæcos videre, leprosos mundari, tentationes & tristitias solui.

7 Vide sanctos adiutores dici totius generis humani, & pro nobis Deo porrigere supplicationes.

Deiparam, vt propriè & verè Dei matrem honoremus. Præcursorem Ioannem, vt prophetam, & Baptistam, & missum, & martyrem. Neque enim inter natos mulierum maior surrexit Ioanne, vt Dominus dixit: & regni eius primus præco factus est. Apostolos vt fratres Domini, & inspectores, & ministros in passionibus eius. Quos præsciens prædestinauit conformes fieri imaginis filij sui Deus, & pater, primùm Apostolos, secundò Prophetas, tertiò pastores, & doctores. Martyres verò Domini ex omni ordine delectos, vt milites Christi, & qui eius biberunt calicẽ, tunc viuificæ eius mortis baptismate baptizati, vt communicãtes passionibus eius & gloriæ. Quorum exercitus dux est Protodiaconus Christi, & missus, & protomartyr Stephanus. Et sanctos patres nostros exercitatores, qui diuturniore martyrio conscientiæ certauerunt, qui circuierunt in melotis, in pellibus caprinis, egeni, tribulati, afflicti, in solitudinibus errantes, & montibus, & speluncis, & cauernis terræ, quibus nõ erat dignus mũdus. Prophetas ante gratiæ tempus, Patriarchas iustos, qui prænunciauerunt Christi aduentum. Horum omnium attendentes conuersationem, æmulamur fidem, bonitatem, spem, zelum, vitam, tolerantiam passionum, & sustinentiam vsque ad sanguinem, vt & corona gloriæ cum ipsis participemus.

8 Ecce quã multa dicit de sanctis contra nouorum hæreticorum insanias. Templa à nobis Deo erigenda in ipsorũ nomine. Inuocãdos & colendos, ne non colere tentati ipsos irritemus. In Psalmis, hymnis & odis spiritualibus venerandos. Statuas illis erigendas, & visibiles imagines & nos virtutis illorum imitatores efficiendos.

DE ADORATIONE IMAGINVM SERMO Beati Ioannis Damasceni.

Habetur lib. 4. cap. 17. de Orth. fide.

QVIA nonnulli nobis exprobrant, quòd [1] adoramus & veneramur Saluatoris nostri, & Reginæ nostræ Deiparæ imaginem, insuper & reliquorum sanctorum famulorum Christi, audiant, quòd à principio Deus hominem ad suam imaginem fecerit. Cuius igitur gratia inuicem adoramus, nisi quatenus ad imaginem Dei facti sumus? Nam, vt inquit Deifer & magnus in diuinis Basilius, imaginis honor ad exemplaris [2] transfertur honorem. Exemplar autem est, quod imaginem efformat, & ex quo quod deducitur fit. Cuius gratia Mosaicus populus tabernaculum in circuitu adorabat, imaginem & formam gerens cœlestium, magis autem & totius creaturæ. Dixit igitur Deus Moysi: Vide feceris omnia secundùm formam tibi ostensam in monte. Et Cherubin obumbrantia propitiatoriũ nónne

1 Audiant veteres & noui hæretici, nam contra eos loquitur hic S. pater.

2 Imaginis honor ad exemplaris transfertur honorem.

3 Diuinā scripturam non esse cōtra colētes imagines.

4 Cur in veteri testamento tritus non fuerit imaginum vsus, sed tantùm in nouo.

opera ſunt manuum hominum? Quid autem in Hieroſolymis celebratiſsimum templum, nónne manu factū eſt, & hominum arte conſtructum? Diuina autē ſcriptura accuſat 3 adorantes ſculptilia, ac etiam ſacrificantes dæmonibus. Sacrificabāt autem Grçci, ſacrificabant & Iudæi. Sed Græci dæmonibus, Iudæi verò Deo. Et deteſtabile erat Græcorum ſacrificium, & damnabile, Iudæorum autem Deo benè acceptabile. Sacrificauit enim Noë, & odoratus eſt Deus odorē ſuauitatis, bonæ voluntatis, & beneuolentiæ erga ſe ſuauitatem ſuſcipiens. Sic Græcorum ſculptilia, quia dæmoniorum erant ſimulachra, deteſtabilia, & interdicta ſunt. Ad hæc inuiſibilis, & incorporei, incircunſcriptibilis, & infigurabilis Dei quis poteſt facere repreſentationē? Inſipientiæ igitur, & extremæ impietatis eſt, figurare diuinitatē. Hinc in antiquo teſtamento tritus non fuit 4 imaginum vſus. At verò poſteaquam Deus per viſcera miſericordiæ ſuæ, ſecundùm veritatem factus eſt homo propter noſtram ſalutem, non vt Abrahæ viſus eſt in ſpecie hominis: non vt prophetis, ſed ſecundùm ſubſtantiā veraciter factus homo eſt, diuerſatus in terra, & cum hominibus conuerſatus eſt, miracula operatus eſt, paſſus eſt, crucifixus eſt, ſepultus eſt, reſurrexit, aſſumptus eſt. Et hæc omnia ſecundùm veritatem geſta ſunt, & viſa ab hominibus, & ſcripta nobis ob memoriam & doctrinam ſunt, cùm præſentes non eſſemus: vt, cùm non viderimus, audientes, & credentes adipiſcamur beatitudinem Dei.

5 Inuentæ ſunt imagines ad promptitudinē memoriæ, & procidētes adoramus nō materiā, ſed imagine repreſentatum.

6 Adorare Crucē, & alia plurima, eſt traditio non ſcripta.

7 Vides quod ipſe Dominus Ieſus Chriſtus miſit imaginem ſuam Regi Abagaro? Qua fronte ergo poteſt qui imagines traducere?

Et quia non omnes literas norūt, neque lectioni incumbunt, patres noſtri conſenſerunt, veluti quædam trophæa, hæc in imaginibus repræſentare ad promptā 5 memoriam. Siquidem ob negligentiam frequenter cogitatione non tenentes paſsionem Chriſti, imaginem transfixionis Chriſti videntes, in Saluatoris paſsionis memoriam redimus, & procidentes adoramus, non materiam, ſed imagine repręſentatum, vt neque materiam, ex qua ſcriptum eſt Euangelium, neque Crucis materiam adoramus, ſed quod typo, figuraque exprimitur. Nam quid refert Crux à materia, ſi non habet Chriſti repræſentationem? Identidem & de Dei matris imagine. Nam honor ad ipſam, in illum, qui ex ea incarnatus eſt, reuocatur. Similiter autem & ſanctorum fortia facta præparant nos ad fortitudinem, & zelum, & imitationem virtutis illorum, & gloriam Dei. Vt enim diximus, honorem, qui exhibetur benignis, gratiſque conſeruis, beneuolentiæ ad communem Dominum præ ſe ferre indicium: ſic & imaginis honor ad prototypon exemplar, imaginiſque veritatem transfertur. Eſt autem hæc traditio non ſcripta, perinde ac adorationis ad Orientem, adorate, 6 ſcilicet Crucem, & alia plurima, ijs quæ dicta ſunt ſimilia.

8 Nota Apoſtolos plurima tradidiſſe ſine ſcripto, & hæc vocantur traditiones Apoſtolicæ, quæ non minus quàm ea quæ ſcripta ſunt, ſemper in obſeruantia fuerunt.

Fertur autem & quædam hiſtoria, quòd cùm Abagarus Edeſſenorum ciuitatis Rex, pictorem miſiſſet, vt Domini ſimilem pingeret imaginem, non valente pictore id præſtare ob reſplendentem faciei Domini claritatem, ipſe Dominus veſtimentū ſuæ faciei diuinæ & viuificæ applicans, in veſtimento ſui ipſius 7 imaginem impreſsit, & ſic deſideranti miſit Abagaro. Quòd autem plurima ſancti Apoſtoli 8 tradiderunt ſine ſcripto, ſcribit Paulus Gentium Apoſtolus, ita dicens: Ergo fratres, ſtate, & tenete traditiones noſtras, quas docti eſtis, ſiue per ſermonem, ſiue per epiſtolam noſtram. Et ad Corinthios: Laudo autem vos, fratres, quia per omnia mei meminiſtis, & ſicut tradidi vobis, traditiones tenetis.

Finis Epitomes hiſtoriæ Aloyſij Lipomani
De vitis Sanctorum.

VITA DIVI DOMINICI, PER D. IOANNEM GARZONEM BONONIENSEM Oratorem clarißimum ſcripta.

ADRIANO quarto Pontifici maximo ſucceſsit Alexander tertius. Id temporis Callagoram, quod Hiſpaniæ admodum nobile eſt oppidum, Felix quidam incolebat: Vir ſumma probitate, ſumma virtute, ſummaq; liberalitate præditus. Hic Ioannam ſibi matrimonio cõiunxerat, puellam quidem venuſtam, muliebribuſq; officijs ornatam. Ex hac Chriſti optimi maximi munere duos ſuſcepit filios, Dominicum & Antonium. Eos, vt conſuetudinis eſt, inſtituendos, & ad omne officij munus inſtruendos curauit. Quo factum eſt, vt cùm ætate progrederentur, in ſacerdotum numerũ adſcriberentur. Antonius, quòd mira pollebat miſericordia, his qui in ſumma erant mendicitate, egregiã nauabat operam: omnibus ſiquidem & parebat, & ſeruiebat. Vt morte defunctus eſt, multa ſunt ab eo ſigna perpetrata. Dominicus autem contemptis huius mundi illecebris, ſeſe religioni addixit. Non illius ſigni memoriã abijciam. Nam cùm mater eum contineret aluo, viſa eſt ſe continere catulum facem ore ferentem ardentem. Vt verò puerum enixa eſt, confeſtim totus orbis enituit. Iam ætati paululũ roboris acceſſerat, cùm ad templa proficiſcebatur, Deum venerans colenſque. Ita eum parentes erudierant. Ab omnibus, non molli ſtrato, ſed duro iacens vſque ad extremum tempus ætatis conſpectus eſt. Erat puero auunculus quidam, cui ex ſacerdotibus principatus deferebatur. Hic illius erudiendi, atque ad res ſacras inſtruendi curam ſuſceperat. Breui & doctrina, & his artibus, quibus ætas puerilis informari ſolet, peritus euaſit, & quæ ad ſanctam religionẽ pertinebant, nihil eſt eorum ab illo prætermiſſum. Nondum quartum & decimum, cùm ab eo quæ diximus gerebantur, egreſſus erat annũ, admirabantur omnes, quòd adoleſcens de ſe tam grandia polliceretur. Ea tempeſtate Palentiæ in omni ſcientiarũ genere ingenia florebant. Eò parentis iuſſu profectus eſt Dominicus diſcendarum literarum gratia. Difficile dictu eſt, in quam frugem euaſerit: non modò æquales, ſed natu etiam maiores ſuperauit. Verùm ne vel minima labe inquinaretur, non modò non ſcortorum, ſed etiam virginũ matronarum ſocietatem recuſabat. Adde ebrios, aleatores, teſtamẽtarios, atque omnes bonorum corruptores, quos tanquam acerbiſsimam peſtẽ vitabat. Voluptates, blandiſsimas dominas, ne ipſum à ratione detorquerent, contemptui habebat. Ad virginitatem, quam Deo dicauerat, conſeruandã, omni erat cura intentus. Ferunt ipſum omnes liberales diſciplinas memoria tenuiſſe, vt ipſis quibus in illis diſcendis vſus fuerat, præceptoribus excellere videretur. Nec his contentus eſſe voluit, quòd qui contempta omnium ſcientiarum regina Theologia, in philoſophia operam contuliſſent, hos aſpernabatur, eoſq; induſtriã atque oleum perdidiſſe affirmabat, qui in illa ætatem conſumpſiſſent. Ego etſi nullis ſim diſciplinis ornatus, à Dominico minimè diſſentio. Quis enim Platoni, quis Ariſtoteli, quis Anaxagoræ, quis cæteris ſtultis mundi ſapientibus laudẽ dederit, cùm nunquam ad ſanctæ veritatis diſciplinam peruenire potuerint? Vellem Chriſtus optimus faceret, vt ipſe fatuorum ſapientum princeps Ariſtoteles ab inferis excitaretur. Anni profectò mille octingenti tres & triginta circumacti ſunt, cùm extremum vitę diem morte confecit. Quærerem quid ei Plato, philoſophiaque profuiſſent, quando tot annos de ipſo tam exquiſitũ apud inferos ſumptũ ſit ſupplicium. Fateor eum ſine dubio fuiſſe prodigium, grandeque miraculum in tota natura. Fateor ei penè fuiſſe infuſum, quicquid naturaliter eſt capax humanũ genus. At huius mũdi ſapiẽtia, apud Deum, vt inquit ille, ſtultitia eſt. Quis eum ſapientem cenſuerit, quem charitas non informat, cuius intellectus non captiuatur ad fidem, cuius cor ad Chriſti ſeruitutem non inclinatur? Sed vt ad id redeã, vnde digreſſus ſum, qui Theologiam callebant, hos quatuor annos audiuit. Nequeo verbis conſequi quàm clarus euaſerit, vt vnum eſſe Dominicum omnes admirarentur, qui virtute, ſacratiſsimis moribus, & doctrina ſuperaſſet ætatẽ. Fortè ita caſus tulit, vt non modò ciuitas ipſa, ſed omnis quoque Hiſpania fame laboraret, & ita laboraret, vt ciues, externiq;, ſiue nobili, ſiue infimo eſſent genere, carnibus omnis generis quadrupedũ, & corijs, herbiſq; veſci cogerentur. Qui egeſtatis referti erant, fame abſumebantur. Tum Dominicus vehemẽti in eos cõmotus miſericordia, vniuerſam ſupellectilem tum librorum, tum earum rerum, quæ illi in vita opus erant, vænum vt his ſubueniretur, dedit. Sub idem tempus Epiſcopus Oxomenſis, cui Didaco erat nomen (erat hic & diuinarum literarum ſtudijs, & optimis moribus expolitus) omnes cogitationes ſuas ad augendam Chriſti religionẽ referebat. Quòd ſi virum cõperiſſet probitate præditum, diſciplinisque imbutum, hunc ad ſe allicere adnitebatur, & ampliſsimis afficiebat muneribus,

Felix. *Dominicus.* *Signum.* *Didacus.*

Augustinus. crebrisq; admonitionibus, vt sese religioni dicaret, hortabatur. Inter cætera B. Augustini religioné summis efferebat laudibus. Ex quo illi, quòd canonica esset (sic enim eam vocāt) assentirentur. Complures in hunc modū ad sententiā suam traducebat. Ad hunc sanctarū actionum Dominici fama peruenit. Quò factū est, vt eum ad se accersiri iusserit. Confestim ipsum Canonicatu regulari (ita eam dignitatē nuncupabant) ornandū duxit. Non possum, quanto gaudio exilierit, oratione complecti: quin se perbeatū asserebat, quòd hominem pium, probum, sanctis literis excultum in ædem suam collocasset. Interea Dominicus, vt cœlestium numerū augeret (siquidem ad diuinā domum propensissimo ferebatur animo) nullū sibi laboris, si labor dicendus est, genus defugiendū putabat. Igitur librū, quas patrū collationes vocāt, ad se adferri iussit. Quē cùm diligenter accurateq; legisset, instituit eorū quos vitā piè & sanctè instituisse conspexerat, sese haud dissimilē fore, neq; ab humilitate, quæ virtus laudatissima est, abesse. Vt enim ad Christi nuptias inuitabatur, omnibus honoré deferebat, eosq; iubebatur anteire. Apud Christo dicatos est in more positū, vt vnus qui præside (quem priorē vocant) excepto, reliquis præsit, deligatur. Is quantū coniectura consequi possum, præsidis, si negotijs impeditus absit, munus sustinet. Adeò Dominicus in ea mole se præstitit, vt ne vllū quidem factū suum iure reprehendi posset. Quod enim sui fuit muneris atque officij, id consilio, fide, grauitate, vigilantia executus est. Nocte atque interdiu vacabat orationibus, nunquā ieiunus abstinens. Adeò cibi potionisq; parcus erat, vt vix vires reficerētur. Decennium vino abstinuit, quæ res eius stomacho plurimū obfuit. Id Episcopus cùm animo suo cōsiderans, ne in posterū ita vini parcus esset, suo iure commonuit. Qui vel inopia, vel solicitudine, vel dolore premebantur, eorū incredibilis ipsum capiebat miseratio. Quòd si flagitia admittebantur, nequaquā ei deerat misericordia, quin stillabant per ora lachrymæ. Qui verò nullis se sceleribus inquinabant, his gratulabatur, quòd omni illorū cura posthabita sese ad Deū tota mente conuertissent. Hæc dum à Do-

Alphonsus. minico gerebantur, qui Hispaniæ imperabat Alphonsus ad Didacum Episcopum literas perferri curat, quibus illū docet, vt ad se iter suscipiat, quòd ad Pontificē maximū mittēdus sit legatus. Nec vllam morā interponit Didacus, ne regis voluntati deesset, socio sibi ad-

Tolosa. iuncto Dominico, Castellā, quæ caput est Hispaniæ, cōtendit. Cùm Tolosam peruenisset, cognouit magnam vim incolarū hæretica prauitate impeditā. Tum Dominicus (nam ad hospitiū diuerterat) hospitem ad se acciri iubet. Quærit ex eo, quæ sibi de religione Christiana animo sedeat sententia. Vt ipsum percepit eodem errore implicari, confestim quid sequendum, quid fugiendum esset, illi ante oculos posuit. Hospes Dominicū afflatu diuino locutum existimans, errati veniā petijt: se posthac nunquam tanta lapsurum imprudentia pollicitus est: quin Dominico, quod ex eius animo opinionem tam penitus insitā, & tam

Prima Dominici victoria de diabolo vetustam euulsisset, amplissimis verbis gratias egit. Hæc est prima de colluctatore nostro Dominici victoria. Iam Didacus legationē obierat, cùm quid ei esset in animo Pontificem

Albanenses. commonuit: se malle, vt sibi in tanta dignitate alter succederet, quòd Albanenses peruersa hæresis occuparet, se nulla spe, quin eos tanto liberaret errore, decidere. Id se facturū Pontifex recusauit. Ex quo Didacus ad Regem regressus est. Paucis post diebus ad Cistertium, quod monachorum, qui id religionis genus profitebantur, vsum sibi iucundum futurum sperabat, contendit. Multis verbis vltro citroq; habitis, in eorum numerū adscriptus est. Tertia pòst die cum cōpluribus monachis comitibus, quò ab eis Cistertiensium institutis præceptisque erudiretur, inde excessit. Nec Dominicus quidem aberat. Cùm ad montem Pessulanū peruenissent, Abbates xij. nonnulliq; Episcopi, quos Innocētius tertius Pōtifex Max. hæresis Albianensium reprimendæ ac delēdæ gratia eò proficisci iusserat, ipsis obuiā prodeunt. Repente Didacus, cæteriq; ex equis desiliunt. Tum qui apud eos maximo erat in honore Abbas quidā: Nos, inquit, patres optimi, Pontificis iussu ad reuocandos ab erroribus Albanenses huc iter contulimus: quòd ad tam sanctam nauandam operam nobis præsidio sitis, vos omnes oratos volumus. Non enim scimus, nec si sciamus dicere audemus, quid præstabilius efficere possitis, quàm tantum animarū gregem diaboli dominatu liberare. Casu accidit vt Abbas Euangelij mentionem faceret, quod cùm se planum facere adniteretur: Quæ tibi, inquit Didacus, oratio elapsa est? Si sic sentias, è recta via declinas: Concede in sententiā meā. Quod homini Christiano fas est optare, id adipisceris: Non te spes tua frustrabitur. A vobis (me enim ad vos cōuerto) cum infinita hominū multitudine non opinionibus, non sermonibus, sed re congrediendū est. Tum Abbas: Nos te consilij participē habemus. Tua exequi mandata nobis statutum est ac decretum. Igitur Didacus comitibus suis vnà cum pretiosa supellectile, vt sese patriæ redderent iussis: Nos, inquit, in oppido cōmorabimur: Quæ à nobis fient, eadem à vobis fiant. O spectaculum memoratu dignum, ac semper literis, laudibus, monumentisq; decorandum. Subsequebantur Didacū Abbates atq; Episcopi temporū suorū clarissima lumina. Nec Dominicus à tanto munere

seiunge-

ſeiungebatur. Cùm igitur omnes tantā hęreſim obliterare inſtituiſſent, atq; ad rectā viuēdi formā eos traducere, cœperunt per oppidū pedibus iter facere. Nullus ferè vicus erat, quin ibi ſacra Christi Euāgelia exponerēt, ipſius paupertatē explicantes. Fuit hæc nimirū religionis prædicatorū ſpecies. Eam rē qui hæreſi impediebātur adeò inimico ferebāt animo, vt ardētius & importunius ex ſuggeſtis mētis ſuæ cogitata denunciarēt. Verùm Didacus ſic ſpectatæ erat virtutis & prudētiæ, vt in ſe hæreticorum oculos cōuerteret. Quin apud Iudices cauſa ipſa acta eſt. Qui veritati accedebant, libellos proferebāt Christianæ fidei indices. Age, Dominicus libellū protulit, quo permulta, tum exēplis cōfirmata, tum ſanctiſsimorū virorū ſentētijs corroborata cernebātur. Libuit hæreticis vt de libellis ſuis periculū fieret: his vt ignis iniectus eſt, protinus incēdio cōflagrarunt. Semel, iterū, tertiò Dominici libellus igni admotus eſt, nunquam abſumi potuit, quin ſemper reſiliebat, dixiſſes ipſum à nullo ſenſu abhorrere. Quos hęreſis occupabat, hos nō mediocris capiebat admiratio. Quo factū eſt, vt hi ſe ab errore quo implicati erāt, ad rectam viam reuocarēt. Qui verò ſe ab eo ſeiungebāt, exultabāt lætitia, & triumphabāt gaudio. Accedebat alia calamitas. Nā quibus nullæ erāt opes, nullæq; facultates, hi filias hæreticis educādas, atque eorū præceptis erudiēdas tradiderāt. Id Didacus iniquè ferēs, in loco quod Prulianū vocāt, monaſterium vbi puellæ habitarēt, iuſsit extrui. Cōfecto biennio Didacus omnes quibus in exponēdis Euāgelijs vſus fuerat, ſocios ad ſe accerſiuit: cumq; eos, ne cœptis deſiſterēt, cōmonuiſſet, his Dominicū præfecit. Paucis pòſt diebus ſeſe patriæ reddidit. Non multo deinde interiecto tēpore vi morbi oppreſſus eſt. Id vbi his quorū familiaritate vtebatur, nunciatū eſt, ab his cogitationibus ad alia cōſilia ſe cōtulerunt, atq; ad patriā incredibili celeritate aduolarūt. Querebātur ſe eo principe deſtitutos: quem ſi fieri poterat, immortalē eſſe oportebat. At Dominic⁹ dolorē quē acceperat, tū ſanctiſsimi viri, tum amiciſsimi morte, ferre moderatè nitebatur. Siquidē non cōmoueri non ſuæ arbitrabatur eſſe humanitatis. Quis enim non moueretur tali ac tanto viro orbatus? Interea cum Innocentij 3. verbis & literę reddūtur, quibus vt ad expugnandā Albianenſiū hæreſim proficiſcatur, fit certior, ſe nō vereri, quin de hominibus abiectis, & luce indignis ampliſsimā ſit reportaturus victoriā. Sub idē tēpus Simō quidā nulla egens virtute (præerat is oppido, quē Montē fortē nuncupabāt) Dominicū incredibili beneuolētia cōplectebatur. Ille pupillorū, ille viduarū, ille templorū tutelā ſuſcipiebat. Ille miſeris, qui nullis erant opibus præditi, ſubueniebat. His præterea, qui à Christiana veritate diſſentiebāt, male optabat, ſeq; acerrimū hoſtē profitebatur: quin etiā Dñicus apud eos maximo odio inuiſus erat. Detrahebant perditi homines de ſanctiſsimi viri dignitate, quod ſe omnibus ridendū præberet. Sed viro conſtanti, & religionis Christianæ propugnatori fortiſsimo, ne vllū quidē metū incutiebāt. Vt igitur Pōtifici audiens eſſet, comite oppidi Epiſcopo ſibi addito, ad conferendū cum hoſtibus præliū contendit. Euntibus forte obuius fuit ex hæreticis quidā. Ex eo petūt vt ad hæreticos (is namque ab ipſis nulla impeditus hæreſi putabatur) deducātur. Homo vafer eos extra viam egit, cuius calliditatē cùm percepiſſent: Vos, inquit Dominicus, viri optimi, nullus ſubeat timor: ſit vobis in Deo ſpes omnis conſtituta: ipſe nobis erit firmū magnumq; ſubſidiū. Vix finem dicēdi fecerat, cùm ille quāto in errore verſaretur mēte agitās, Deū quo ſibi tetrū crimen cōdonaretur, precibus fatigauit. In hunc modum reſipuit. Igitur multū itineris per ſyluas emenſi ad Aregiā amnē peruenerūt. Dū ipſum per vada nota traijciūt, libellus Dominico, quo in tribuēdis Deo laudibus vtebatur, manibus prolapſus decidit. In ſequēti die à piſcatore hamo captus eſt, & à muliere ad eū allatus. Eſt hoc nimirū loco miraculi habendum, cùm nulla eſſet aqua cōſperſus. Dies cōplures interceſſerūt, cū nonnullis comitibus aſſumptis ad aliud flumē peruenit, quod vt vidit, & altitudine aquæ, & rapiditate ad tranſeundū difficile, portitorē ad ſe accerſit. Is prę̄ſto fuit. Cùm omnes lintre traieciſſet, vt ſibi pecunia exoluatur, petit. Ad vnū omnes, extra Dominicū exoluerūt. Ad quē ille ſe vertens veſtem leniter manu traxit. Heus tu, inquit, vt mihi ſatisfiat iube. Nihil eſt, inquit Dñicus, mihi neq; auri, neq; argēti. Cœpit ille inclamare, nequaquā cum eo bene agi, qui alienis abutatur laboribus. Tū Dñicus procidit, atq; ad cœlū ſuſpiciēs: Ne me, inquit, Christe Opt. Max. deſeras. Repētè è terra num⁹ egreſſus eſt, quē cùm portitor legiſſet, exceſſerūt omnes. Annos plures ob delendā hæreſim Toloſę cōmoratus erat, cùm nōnulli ſuperbia & nequitia præditi de eo occidēdo conſilia inierunt. Quin ſi ipſis fuiſſet obuius, ſuis manibus periturum minitabātur. Cùm ei ex vrbe abeundū eſſet, homines quib⁹ nulla fides, nulla charitas, nulla ſtabilis beneuolētia erat, quòd de eius diſceſſu certiores facti erant prægreſsi, loca qua iter facere ſtatuerat, inſederūt. Eò cùm vir ſanct⁹ veniſſet, ſeſe ipſi obijciūt. Ex his vnus: Tēne, inquit, mortis tenet metus? Si præhēſus eſſes, quo fuiſſes animo? Vt mentē meam, inquit Dñicus, teneas, nil mihi iucundius eſt, quàm vt poſsim martyrio coronari. Vtinā Christus Opt. Max. mihi hanc optionem deferret. Vos hoc corpore vtimini iudicio veſtro: pro Christo,

Miraculum.

Christo,cui maximis sum beneficijs obstrictus,nullũ laboris,cruciat⁹,mortis genus recuso. Hæc audientes,cæde abstinuerunt. Haud sanè intelligo,quî fieri possit,vt qui à charitate alienus existit, is cœlestiũ numerum sit aucturus, cùm Paulus Apost.se nihil vtilitatis,si à charitate absit,cõsequi affirmet,quãuis exquisitissimos subeat cruciatus. Igitur Dñicus ne à tãta virtute seiũgeretur,hæretico,cui nullę erãt opes,in hunc modũ subueniendũ duxit: Nã cùm ipsum ab hæresi qua diu implicatus fuerat,ad rectã viã reuocare omnibus ingenij viribus adniteretur,perstabat homo miser in sententia,nec precibus suis mouebatur,quòd se eò calamitatis deuenturũ affirmabat,vt ipsi victus ac vestitus defuturi essent. Vir sanctus, quò illi quæ in vita opus erãt,suppeditarentur,instituit vt sui fieret venundatio. Fuit ei in animo in Asiã traijcere. Qua verò ratione adductus de sentẽtia discesserit,parũ cõpertum habeo. Per idẽ tempus matronę quædam nobili genere natæ ad hæresim defecerãt: id vbi Dñico nunciatũ est,cõfestim ad ferendã illis opẽ comite vno cõtendit. Igitur intendẽtibus se tenebris ad matronarũ domiciliũ proficiscitur,pulsatur,aperitur,honorificè cõsurgitur: vt Dñicus salutatione functus est,matronæ(nã cœnę satisfecerãt)eos ad sumendã potionẽ inuitant. Id illi,quòd ieiunio indulgebãt,renuerũt. Tandẽ eos in cubiculum,quod peripetasmatibus ornauerãt,deducũt. Cubile præterea aulæis operuerãt. Tũ vir S. Nõ est,inquit, nostræ cõsuetudinis cùm quieti operã damus,tam molli,tam delicato vti strato. Iubete ad nos tabellas deferri,super eas cubabimus. Matronę mãdata exequũtur,seq; inde proripiũt. At Dñicus manibus sublatis procidit,Deumq; vt misellarum mentibus lumina præferret, precibus obsecrauit. Hoc tã præclaro facinore effectũ est,vt matronæ posthac nullo laberentur errore. Phanũ Iouis, ita incolæ vocant,oppidum est nõ longè distans à Tolosa: id infinita hæreticorũ multitudo incolebat. Cùm igitur ad illã prosternendã omni studio duceretur,cõmonendæ ipsius gratia illuc iter contulit. Descendenti ex suggesto mulieres 9. mira pollẽtes nobilitate se obijciũt. Quæ grauis erat annis,ad eius genua procidens: Nos, inquit,virorũ sapientũ,quos hæreticos vocas,vestigia sequimur. Ab illorũ opinione mirũ in modũ dissentis: nobis quã sententiam secuturæ sumus,inijcitur scrupulus ac dubitatio quædã. Tu pater optime animũ nostrũ tanta suspitione libera. Tuus iste Deus,de quo tam grandia prædicas,qui præceptis suis fidẽ habendam putabunt,his cœlestẽ ac diuinã domũ vltrò pollicetur. Tu si ea de re signũ edideris,profectò eæ sumus,quæ nunquã de tua sententia decedemus. Vir S. incredibilẽ quandã percepit animo voluptatẽ,quod nec oleũ,nec impensam,vt tritũ est prouerbiũ,perdidisset. Igitur paululũ se colligẽs: Si,inquit,cõstantiæ vestræ minimè defueritis,à Dño edetur signũ,quo cõpulsæ falsam istã religionem vestram sempiterna obliuione delendã censebitis. Cui antehac seruitutẽ seruieritis, res ipsa declarabit. Cùm hanc orationẽ locutus esset,repente felis,quem musionem voce,erat is tantæ magnitudinis,vt in se omniũ oculos cõuerteret,ex illarũ medio prosilijt. Præterea vultus adeò deformis erat,vt eum nemo sustinere posset. Omitto quẽ exhibebat odorẽ ingratũ, vt propè omnes se inde abdicare cogerẽtur. Semel,iterũ,tertiò mulieribus obambulauit. Tandẽ ad turrim iter intendit,vbi reste nolæ suspensa in summũ euasit. Cùm aliquantulũ constitisset,ab oculis,& in caliginosas descendit tenebras. Dñicus in mulieres oculos cõijciens: Quid,inquit,timuistis? Cur tãtus vos opprimit timor? Vobis in Christo Opt. Max. spes omnis constituẽda est. Igitur mulieres beneficij memoriã minimè abijciẽtes,errores abiecerũt, seq; sanctæ religioni addixerũt. Annos x. Galliam Narbonensem peragrauerat Dñicus prædicando,populos docẽdo,eosq; ab hæresi reuocãdo. Nemo vnquàm inuentus est,qui cum hęreticis tam forti,& tam cõstanti animo arma cõtulerit. Accedebat sentẽtiæ suæ is,de quo suprà memoraui, Simon princeps,qui eos ferro igneq; castigabat. Id causæ fuit,cur mutua se beneuolẽtia prosequerentur, illudq; Dñico cum Simone cõmune esset, in quo omnis vis esse[illegible]micitiæ. Cùm igitur apud Simonẽ inter hæreticos & Christianos de rebus ad sanctã fide[illegible]pectantibus esset oborta contentio,Dominicus libellos sua manu exscriptos exhibens: Soluite, inquit,hæc,si potestis argumẽta. Quidã ex Barbaris hæresi oppressus: Conspiciamus,inquit,an libelli igne corrũpantur. Non defuit Dominicus illius voluntati. Cùm igitur libelli in ardentissimũ ignem inijcerentur,confestim resiliebant. Id actũ non semel, sed sæpius. Tum hæretici se in orbẽ colligentes suis edicunt, ne de tanta re quisquã admoneatur, quod magno sit omnibus futura periculo. Sed res ipsa non diu in obscuritate latuit. Per ea tẽpora Dominicus aliud secundum cum hostibus præliũ fecerat, quãdo ad templũ die in noctẽ inclinante iter cõferebat,cuius ianuã vectibus clausam,cum is qui se comitẽ præbuerat,animaduertisset: Nos,inquit,difficili tẽpore huc venimus. Non enim,vbi noctẽ agamus,vllus est locus. Nulla te,inquit Dominicus,dubitatio subeat. Hoc onus Christus Opt. Max. sibi suscipiet. Subitò ianuæ patuerunt. Illi templũ ingredientes, Deo gratias egerũt. Cõmonefaciebat populũ Dominicus,cùm ad eum deductus est homo diaboli dominatu oppressus, hunc suarum orationum beneficio tanta seruitute liberauit. Sunt &

Simon.

Sunt & alij ad eum adducti,qui infirma erant valetudine, quos pristinæ sanitati restituit. Alter præterea dæmoniacus hunc stola primum suo, deinde dæmoniaci collo cincta, de aduersarij manibus eripuit,illi mandás,ne in posterũ hominẽ eadẽ afficeret molestia.Hęc dum à Dñico gerebantur,Simõ non longè à Tolosa castra posuerat,eam nocte & interdiu tormentis,cæterisq; telorũ generibus verberabat.Igitur Anglici quidam,quos ad quadraginta fuisse accepimus,quòd ad Iacobi templũ ipsis proficiscendũ erat,Tolosæ appropinquauerant. Cùm vrbẽ intrare non auderent (nam Tolosani Pontificis iussu à piorũ cæde cætuq; abacti erant) ad flumen aduerterunt nauẽ piscatoriã,quam vt transueherẽtur,conscenderunt. Dũ transuehũtur,nauis quod putris erat,& admodũ vetustate dilabẽs,nimio põdere soluta est. Cuncti flumine absorpti sunt, maximis sumptis lanceis ad ripam factus est militũ concursus. Clamor ingens tollitur, ad quem Dñicus excitus, non enim procul aberat,accurrit.Quid tantus sibi velit militũ clamor sciscitatur.Rem exponunt: tum ipse qui nunquã misericordiã proscripserat,procidit,ac nullis lachrymis temperans ad cœlum suspexit,atq; ita locutus fertur: Christe Opt.Max.cuius imperio cœlũ,terra,mariaq; subijciuntur, qui vt perpetua genus humanum seruitute liberares, ne mortem quidem ipsam recusasti : cõmouearis oro & obsecro in hos peregrinos misericordia, qui vt cum eis piè sancteq; ageretur,à gurgitibus exhausti sunt. Facito, ne tantã de miseris victoriam hostis cõsequatur.Hãc abs te operã exigo. Præbe te mitẽ,præbe te misericordẽ peregrinis tuis. Hæc vbi dicta dedit,ad vnum omnes caput manusq; aqua extulerũt. At Dñicus se ad eos vertẽs:Cõcedite,inquit,ad me viri,Opt.Max.debetis Deo beneficia,cuius admirabili sapiẽtia à mortuis excitati estis.Qui in ripa stabãt milites,prodcũtibus lãceas porrigebãt:quibus manu prehẽsis ad ripã trahebãtur.Iam Dñicus adeò signorũ gloria florebat,vt nemo esset exceptis hæreticis,qui ab eo alienũ haberet animũ.Episcopi,Archiepiscopi,cæteriq; ædis sacræ principes nõ modò eum diligebant,verũ etiã amabãt.Tribus potuit ornari Episcopatibus:Id semper renuit.Malebat vir sanctus Christi sequi vestigia,quàm honoribus caducis & mobilibus honestari.Nil sibi iucũdius esse affirmabat,quàm vt posset & diuitibus & egenis esse præsidio.Se non abesse à spe,quin omnes hæreticos ad sanctã religionem reuocaturus esset.Interea Tolosani cùm nimium diuturna & graui obsidione premerentur,legatos ad Alphõsum Arragonię regẽ proficisci iubent,qui auxiliũ implorẽt. Rẽ in mala spe esse,nec vereri,quin ipsi,nisi subueniatur,cogãtur iugũ subire seruitutis.Rex robustissimas legiones illis in præsidiũ misit.Ex quo nunquã illucescebat,quin Tolosani vrbẽ egrederentur cum hostibus signa collaturi. Erat id tẽporis apud Dñicum homo quidã religioni Cistertiensi dicatus: Is Dñicum adiens: Quando,inquit,tantis bellis finis imponetur? Cùm ei Dñicus taciturnitate respõderet: Quid taces vir sancte? ni Deus subuenerit,de nobis prorsus actũ est. Tũ Dñicus: Macte,inquit,iuuenis,cõstanti & forti esto animo.Tãtis calamitatibus Dñs optima adhibebit remedia. Nec vereor, quin Tolosanos sit subitura pœnitentia, ipsi suis malis docti resipiscẽt. Res nõ diu morabitur.Multis ferro vita eripietur.Cùm ventũ erit ad manus,Rex lætali vulnere accepto mortem occũbet. Interim Simõ,qui in Tolosanos magno æstuabat odio,vt illucescebat,signa portis inferebat. Id Tolosanis indignũ visum est.Igitur patẽti porta erũpunt.Præliũ cõseritur,victoria neutro inclinata stetit.Ex Tolosanis plus xx.capti sunt,quos vt cognitũ est heretica prauitate impeditos,confestim in vincula cõijciuntur.Cùm in sententia permanerẽt,qui senio cõficiebatur: Nos,inquit,quoad animã efflauerimus,eo sumus animo,nunquã sententijs vestris accedemus,de nobis quod vultis suppliciũ sumite.Igitur in quæstionem adhibẽtur.Miseri re cõfessa sub ea cõditione carnifici tradũtur,vt nulla interiecta mora,eos succensis ignibus torreat. Dũ ignis miseris admouetur,ex captiuis vnus in Dñicum oculos cõijciens:Iubebis, inquit,vir Christi interpres,cineres meos ne igne amburãtur,seruari. Iudices misericordia commoti,nulla ipsum morte afficiendũ duxerũt.Annos xx.hũc misellũ hæresis occupauerat.Ex quo abiecto errore sese religioni prædicatorũ addixit.Adeò vigebãt egregia Dñici facinora,vt apud oẽs summa esset dignitate & existimatione. Fortè filiã Simon ex vxore susceperat, cùm vt à Dñico aqua pro lauacro peccata carnis aboleret,tingeretur,instituit.Filii pręterea nuptias, quæ breui celebrãdæ erãt,benedictione afficeret.Erat id tẽporis Turelianensis Episcopus, vir nulla egens virtute: hunc populi venerabãtur,obseruabant,colebant.Inter prædicandum: illud,inquit,denũcio, illud significo,quendã præsto futurũ,qui summus prædicator censeri poterit.In eo tanquàm in speculo,quiuis vitã suam intueri poterit.Abbas quoque Ioachimus cùm multa literis memoriæq; prodidisset,vnũ futurũ affirmauit, à quo prædicatorũ religio extruẽda esset.Hunc ipso vita functo fratres sui & amarẽt,& honore prosequerentur.Haud falsus vates fuit. Monachus quidã cùm sanctè vitã instituisset,in morbũ incidit.Ex quo tres dies extra se positus est,& quasi mẽte alienatus.Tandẽ ad se rediens, quę viderat omnes celatos voluit.Nõ multo interiecto tẽpore,cùm in templũ iter faceret,

fratres

Simon.

Anglici.

Oratio Dominici.

Miraculum.

Alphonsus.

Monachus.

fratres prædicatores obuios habuit, eosq́; in secretum abduxit. Tum ita verba fecit: Quæ cõspicio, ea mihi Christus denunciauit, cùm quasi mente alienatus essem. A natali Domini Saluatoris anni agebãtur 1215. cùm in vrbe Romana celebrata est synodus. Eò conuenerũt

Fulcho.

omnes ædis sacræ principes. Fulcho Episcopus Tolosanus, cui Dominicus se comitẽ præstitit, Romã contendit. His cùm sui cõueniendi summus Pontifex potestatẽ fecisset, quid

Prædicatorum religio.

ipsis esset in animo paucis expresserũt: Se diu diligenter cogitasse, vt prædicatorũ religio institueretur, quãdo ea res Christianis maximo esset futura præsidio. Vtriusq; sententiam summis laudibus extulit Põtifex. Veruntamen de re ipsa sibi suscipiendã esse cogitationẽ. In sequenti nocte per somniũ visa est Pontifici ædes Lateranensis solutis cõpagibus ruere, se Dominicum intueri, qui suppositis humeris ruinæ obsisteret. Vt è somno excitatus est, cœpit quæ per quietẽ viderat, cum animo suo cõsiderare. Tandẽ Fulchonis & Dominici voluntati parendũ duxit, Dominicũ autem, vt se ad fratres suos, cum quibus de ineunda

Principium religionis prædicatorum.

prædicatorũ religione cõsultaret, reciperet, admonuit. Ea statuerent quæ sanctitatis plena essent, & religionis Christianæ, Pontificis voluntati morẽ gessit Dominicus. Posteaquam mandata diligenter exposuit, fratres incredibili sunt voluptate affecti. Cuncti se eos fore affirmãrunt, qui quicquid Dominicus statuisset, firmum ratumque habituri essent. Multa oratione vltro citroq; habita, in hanc sententiã conuenerũt, vt B. Augustini prædicatoris

Honorius tertius põtifex maximus.

ditionis essent, ipsiq; prædicatores nuncuparentur. Hæc dum gerebãtur, Innocentius de vita exiuit: huic Honorius tertius successit. Quæ Innocẽtius instituerat, hic autoritate sua

Christus iratus in peccatores.

confirmauit: iussitq; vt prædicatorũ religio vna esset, quæ hæreticis sese obijceret. At Dominicus Romã regressurus erat, qui cùm noctu sanctis orationibus indulgeret, Christum intuitus est in peccatores ira commotum, quòd eos de medio tollere instituisset, præter Mariã cœli Reginã illi resistere posse neminẽ. Hæc precibus obsecrabat, ne quos suo san-

Dominicus.

guine redemerat, eos iret perditũ. Vnũ esse Dominicũ, cuius virtute & sanctimonia pleriq; se ab erratis reuocarẽt. Hæc quanquã ita sint, nequaquã tamẽ, inquit Christus, seiungẽdus

Franciscus.

est Franciscus, cùm omniũ sit virtutũ simulachrũ. Hic eã prouinciã minimè recusabit. Iam

Franciscus fit obuius Dominico.

nox in diẽ inclinabat, cùm Dñicus quæ cõspexerat cum animo suo cõsiderans, ad templũ

Verba Dominici ad Franciscum.

iter suscipiebat. Fortè illi obuius fuit Frãciscus, cõfestim ipsum amplexus est, & deosculatꝰ, atq; ita verba fecisse fertur: Nos Christi Opt. Max. munere societatẽ inuenimꝰ. Illud oneris pro religione Christiana suscipiamus oportet, nec vllũ defugiamus laborẽ, vt qui à Christo deficient, hos prosternamus, deleamusq́;. Reprimenda erit eorũ qui propter rationẽ appetitui obtẽperabunt, iniquitas atq; insolẽtia. Accessit Franciscus Dñici sententiæ. Rebus in hunc modũ cõpositis Dominicus Tolosam se retulit, fratribusq; accitis, eo se esse animo denunciauit, qui illis suaderet, vt per orbẽ terrarũ Christi Euangeliũ prędicatũ proficiscerentur, quòd Dñs ea esset voluntate. Multos admiratio cepit quid ea sibi vellet profectio. Princeps Simon Archiepiscopus Narbonensis, Episcopus Tolosanus, compluresque ædis

Verba Dominici.

sacræ principes hanc sententiã ex eius animo euellere nitebantur. Tum Dñicus: Nolite, inquit, dolore affici. Quæ à me aguntur, nulla temeritate agũtur. Vos autẽ fratres mei iure meo cõmoneo, in literas incũbite, prædicate, vt monasteria ædificẽtur curate. Nullus vos subeat metus. Optatis vestris omnia respondebunt. Paruerunt omnes voluntati suæ. Ipse Romã iter cõtulit. Fortè ita casus tulit, vt prædicationẽ exerceret, cui cũ adesset matrona

Gutadonna.

Romana vidua) erat huic Gutadõna nomen) incredibili exiliebat gaudio. Huic cum Dñico summa erat familiaritas. Filiũ habebat infirma valetudine occupatũ, qui domi mãserat. Vt Dñicus finẽ dicendi fecit, matrona domũ regressa est, quę vt filiũ animã exhalasse animaduertit, lachrymarũ multũ profudit, & se filiũ amisisse questa est. Eius querelæ cùm nullius cõsilio opprimi possent, accersitis ancillis cadauer ad Dñicum deportari iussit. Casu Dominicus ad capituli (ita eum locũ vocant) ianuã erat, cùm matrona ancillis comitata peruenit, atq; ad illius genua procidẽs: Ego, inquit, misera atq; infelix orbata sum vnico filio. Vnũ illud erat solatiũ senectutis meæ. Quo me vertã? quẽ implorẽ? Potes ipsum excitare à mortuis. Omnis oratio mea ad misericordiã tuam, qua plurimi qui nõ viuebãt, vixerũt, cõfertur. Sũma tibi est potestas. Redde eum incolumẽ. Dñicus misericordia adductus: Ne te, inquit, mulier excrucia, Christus Opt. Max. optima adhibebit remedia. Tũ cõstanti & forti sis animo. Hæc cùm dixisset, se paulũ abdicauit, perbreuiq; oratione vsus ad cadauer cõtendit, illudq; salutaris signi impressione armauit, ac ipsum manu præhendens: Viuit,

Miraculum.

inquit, ô mulier, filius tuus, voti cõpos facta es. Quæ vt eũ inspexit iter pedibus facientẽ præ gaudio penè desipuit. Tũ Dñicus, vt ea de re omnes celarẽt, ipsos admonuit. Vix dies intercesit, cùm fato nescio quo de tam memorabili facinore ad Honorium tertiũ allatus est nuncius. Destinauerat id miraculi vulgò explicare, ni Dñicus inimico tulisset animo.

Virgines.

Quòd si in sentẽtia mansisset, hic mare traijcere instituerat, sic res ipsa taciturnitate tecta est. Virgines cõplures se Christo dicauerant, quarũ saluti atq; vtilitati consulendum erat.

Igitur

Igitur iussu Pontificis ea cura Dominico nonnullisque Cardinalibus demandata est. Cùm inter se confabularentur, nuncius aduenit, inclamans & in fletum prorumpens, quod nobilissimus adolescens, cui Napuleon nomen erat, ex equo lapsus esset, & fato functus. Qui illi sanguine cõiungebatur Stephanus (hunc priore anno Honorius cardinalatus dignitate ornauerat) tantum acceperat dolorem, vt eum moderatè ferre non posset. Ex quo Dominicus quam benedixerat, ipsum aqua consperfit, iussitq; cadauer in cubiculum quod non longè aberat, deportari. Atque Tancredo ad se accersito: Parato, inquit, aram, quòd mihi celebranda sint missarũ solennia. Cùm vir sanctus hostiam salutarem immolaret, stillabant per ora lachrymæ. Qui aderant, non admirari non poterant, quod vir castissimus Christi corpus purissimis manibus tenens magnitudini cubiti in altum tolleretur. Celebratis solennibus ad cubiculum profectus est. Sequebantur ipsum Cardinales, quíue ipsis seruitutem seruiebant, nonnulli preterea sacerdotes. Vt fuit ad cubile, conspicatur corpus exanimum, membraque quassata. Tum eas suis locis disposuit, vacauitque orationi: cuius cùm finem fecisset, salutaris signi impressione cadauer armauit. Atq; manu ipsum prehendens, magna voce inclamat: Te suscitet Napuleon Dominus noster Iesus Christus. Qui hæc spectatum venerant, admiratione commouebantur, quòd adolescens à mortuis reuiuisceret. Igitur Napuleon se ad Dominicum vertens: Facito, inquit, vt cibi potusq; desiderio satisfaciam. Eius sententiæ assensit Dominicus. Sub idem tempus qui se prædicatorum religioni addixerant, Romæ habitabant non longè à templo Sixti. Ex quo Honorius Pontifex (non mediocri insuper in Dominicum erat beneuolentia) iussit vt ad Sabinæ templum habitatum proficiscerẽtur. Mons est Romę, quem Auentinum vocant. In eo compluriũ deorum falsorum, & humana manu factorum, Iunonis, Matutæ, Mineruæ, Dianæ, Lucinæ, extructa erant templa, Honorius & qui illi ætate antecesserant Pontifices maximi, propulsatis gentilium erroribus, ea sanctis martyribus dedicarunt: In eo monte situm est monasterium B. Sabinæ, quod ab Honorio fratribus prædicatoribus, vt in eo habitarent, dono datum est. Verùm quæ se Christo dicauerant virginibus, vt Sixti monasterio habitationis loco vterentur, concessum. Hoc primum virginũ fuit monasterium, quod à Dominico Christo dicatum est. Eas cum consolatione afficeret, moneretque ne è recta via declinarent, factus est maximus populi concursus. Tum mulier quædam aduersarij nostri dominatu oppressa, in Dominicũ oculos conijciens: Perdite, perdite, inquit, mea opera, mea industria, meo labore quatuor mihi vendicauerã mulieres, his abs te priuata sum. Quæ modò mihi est, ne tu eam quidem è manibus meis eripies. Tum Dominicus: Silentium agito. At illa: Septem sumus qui hãc vi tenemus. Nunquã hinc egrediemur. Christe Opt. Max. quàm variæ, quàm horrendæ voces à muliere mittebantur, vt audientibus terrorem inijcerent. In tanto tumultu Dominicus manũ tollens (nam crucem in fronte signauerat) Vobis, inquit, ex Iesu Christi autoritate, vt inde exeatis præcipio: Nec in posterum mulieri vel minimo sitis impedimento. Hæc cùm dixisset, vehementer mulier commota est, magnamque vim carbonum exhalauit, quam incredibilis sanguinis multitudo subsecuta est, vt qui aderant, eam obijsse mortem arbitrarentur. Repente Dominici iussu extra ædem deportata est, & vt curaretur accersiti sunt medici. Vt in pristinam valetudinem redijt, sese Christo dicauit, eiq; Dominicus Amatæ nomen imposuit, à qua posthac vita sanctè acta atq; decursa est. Magna erat Dominicus apud Romanos autoritate. Omnes admiratione percellebantur, quòd vnus esset cuius imperio dæmones subijcerentur. Sub idem tempus Episcopus Aurelianensis ac Arnoldus Decanus, eorum qui ætate sua in ius Pontificium incumbebant, nulli secundus, Romam profecti sunt. Huic Cardinalis quidam, quòd ei cum hoc summa erat familiaritas, sui conueniendi potestatem fecit: hic quid sui esset consilij diligenter exposuit, se eo esse animo, qui Christum inopem inops sequeretur, nondum se satis mente agitasse, quonam modo posset ad eum exitum peruenire. Tum Cardinalis: Si hanc, inquit, opinionẽ, mente cõprehendisti, adest Dominicus nouæ religionis autor. Hic sese Christo dicauit. Euangelia vulgo explicat. Quæ facienda, quæ fugienda sunt prædicit, denunciat, ante oculos ponit. Huiuscemodi oratio Arnoldum incredibili voluptate affecit. Igitur Dominicum cõuenit, & mentis suæ cogitata enunciat, quæ cùm Dominicus summis laudibus collaudasset, ille sese religioni prædicatorũ addixit. Haud multi dies intercesserunt, cùm in febrem incidit, & satis molestam: vt curaretur ad ipsum deducuntur medici, hi desperata salute retrò iter verterunt. Interea Arnoldum ardentissima febris vexabat, cùm Maria cœli Regina, quam puellæ duæ mira venustate ornatæ comitabantur, sese illi obiecit, quæ cùm ægrotum contemplata esset: Pete, inquit, quę tibi sunt cordi. Tuis obsequar studijs. Cùm quid petiturus esset, ipsius animum diu cogitatio subijsset, vna ex puellis: Ne vllius quidem postulationis, inquit, tibi sit cura. Ipsa in hoc onus incumbet. Haud abfuit Arnoldus à puellæ voluntate. Tum virgo sanctissima ægroti os, manus, oculos, nares salutari quod detulerat perunxit

Napuleon. *Stephanus.* *Tancredus.* *Auentinus mons.* *Amata.* *Arnoldus.*

vnguento: nec ei deerant verba pro membris vngendis accommoda. Vt ventum est ad renes: Renes, inquit, tui castitatis cingulo obstringuntur. Cumque illi prædicatorum habitum ostenderet: hoc tibi, inquit, vestimenti genere vtendum erit. Hæc sic fata euanuit. At Arnoldus in pristinam valetudinem restitutus est. Ex quo medicos non mediocris admiratio cepit. Harum rerũ Dominicus minimè ignarus erat, tanquam eius intercessione illa gesta essent. Tertio pòst die Dominicus atque Arnoldus inter se suauissimos sermones conferebant, cùm virgo sanctissima adfuit, quæ iterum Arnoldum eodem perunxit vnguento. Vir quidam & religioni & hospitalitati dicatus, hæc se oculis vidisse affirmauit. Eiusmodi vnguentũ id Arnoldo vtilitatis attulit, vt libidinis vinculis, quoad in humanis fuit, semper laxatus fuerit. Abduxit autem Dominicum in secretum, eumq; ne harũ rerum quenquam, quoad ipsi vita suppeteret, conscium redderet, oratum voluit. Id ille se facturum pollicitus est. Ex quo Arnoldo vita functo, cuncta fratribus exposuit. Dimidiũ fermè noctis erat, cùm Dominicus se in eum locũ contulit, vbi Christo dicatos sopor opprimit, ibi sanctissimis orationibus, vt suæ consuetudinis erat, indulgenter virgines tres, quarum quæ media erat cæteris venustate præstabat, sese visendas præbuerũt. Ex his alia vas sacrę aquæ plenum deportabat. Alia ei quæ medium obtinebat locum, aspergillum porrigebat. Hæc cum illis iter faciens, cunctos, vno excepto, dormientes aqua sacra cõspergebat. Id ea causa plerique factum putant, quòd dormientibus etiam religionis & pudicitiæ cura minimè posthabenda est. Dominicus quam venustate excellere diximus, eam cœli Reginam ratus, orationibus modum statuit, eiq; obuiam processit, & se ad illius pedes prosternens: Expone, inquit, quæ sis virgo. Ego, inquit, illa sum, cui cùm non multum diei superest, vt vobis præsidium præstem, preces, cultusque adhibetis. Ob hæc verba Dominicus animi magnitudine accensus: Quænam, inquit, illæ quæ te comitãtur, sunt puellæ? Virgo vnam esse Ceciliam respondit, alteram Catharinam. Tum Dominicus: Admiratione adducor, cur omnes præter vnum religioni dicatos aqua sacra consperseris. At virgo: Hunc, inquit, si officio & munere suo egregiè vsus esset, conspersissem. Sic locuta in cœlum euanuit. Confestim Dominicus ad orationem regressus est. Nec multo interiecto tempore fuit extra se positus. Contemplatus est vir sanctissimus Mariam cœli Reginam Christo assidentem, multos præterea patrum, qui sacris religionibus mares fœminasque dicauerant: insuper eorum multitudinẽ, qui Deum immortalibus laudibus prosequebantur. Vt suorũ intuitus est neminem, lachrymas continere non potuit. Verùm maiestatem diuinam contemplans, pedem retulit. At virgo vt ad se accederet, digito annuit. Ille pauore consternatus in sententia permanebat, quoad à Domino accersitus est. Verùm nullis lachrymis temperans ad vtriusque pedes procidit. Tum Dominus: Quid subest causæ, vt te in lachrymas effundas? Hoc, inquit ille: Nulla est religio, ex qua fructus vberes non acceperis: At nostra, ne vllum quidem fructum edidit. Tum Dominus: Conspicare religionem tuam, quæ intra matris pallium delitescit. Quod vt extensum vidit, vehemẽter lętatus est. Cognouit enim vnam esse cœli Reginam, qua prædicatorum religionem firmissimo teneret præsidio. Interim edituus, vt in matutinis celebrãdis egregia nauaretur opera, nola signũ dedit. His vt finis impositus est, qui aderant religiosos, Mariam cœli Reginam amarent, venerarentur, colerent, grauissima oratione hortatus est. Erat apud Dominicum in more positũ, vt qui graui & diuturno morbo laborassent, eos non semel, sed sæpius viseret, præsertim si in summa fuissent mendicitate. Igitur Romę nõ longè à porta Cœlimontana, habitabat mulier quæ-

Bona. dam, & religioni & castitati addicta, cui Bona erat nomen. Huic in pectore purulentũ erat vlcus, è quo vis ingens vermium emanabat. Ad eam vir sanctissimus profectus est, tum misericordia adductus, tum visendi gratia. Vt ex fenestra illius vidit pectus infirma valetudine oppressum: Quæso, inquit, mulier, vnum ex vermibus mihi dederis muneri. Parebo, inquit illa, voluntati tuæ, si eum mihi reddideris. Accessit Dominicus sententiæ suæ: qui cum vermem (erat is quidem mirę magnitudinis) in manus suscepisset, repentè preciosissimus lapillus factus est. Id miraculi his qui aderant religiosis admirationem præbuit. At mulier se lachrymis tradens, lapillum repetit, oratque vt promissa persoluat, ne à fide desistat. Tum à Dominico est in illius sententiam discessum: Lapillus verò subitò in vermem conuersus est. Dominicus mulieri benedicens abijt. Illa extinctis vermibus reddita est incolumis. Ob recuperatam pristinam valetudinem, Dominicoque minimè dissentiente, Arnoldus, de quo memini, etsi prædicatorum religioni sese addixisset, vnà cum Episcopo Aurelianensi mare traiecit. Cumque ei rei cuius summum ipsum ceperat desiderium, ad voluntatem satisfecisset, Bononiam iter contulit. Interiectis paucis diebus Christi Euangelia cœpit exponere. Ad ipsum audiendum confluebat Senatus populusque Bononiensis vniuersus. Ex castellis, ex agro magnus hominum erat concursus. Dixisses alterũ Heliam. Ex sanctissimis sermonibus suis ea reportata est vtilitas, vt complures prædicatorum

religionem sibi suscipiendam ducerẽt. Interea fama percrebuit vnum esse Bononiæ, qui in exponendis Christi Euangelijs nulli esset secundus. Ex quo permulti prædicatorum religioni dediti Bononiam sibi veniendum statuerunt. Fortè mulier quædam castitati & religioni dedita in eo loco quo illi proficisci instituerant, cum Deo precibus agebat. Cùm permulti eam riderent: Magna vos, inquit, tenet mẽtis imbecillitas. Si qui huc profecturi sunt viri, vos non fugeret, profectò in sententiam meam concederitis, & mea sequeremini vestigia. Nulla erit pars orbis terrarũ, quæ de sanctissimis illorum actionibus conticescat. Vicus est Bononiæ, quam Mascarellam vocant. In eo templum est Mariæ cœli Reginæ sacrum. In hoc qui sese prædicatorum religioni tradebant, habitabant. Id Arnoldus ægrè ferens, Vgolinum Hostiensem Cardin. qui id temporis Legationis Bononiensis dignitate ordinatus erat, conuenit, egitq; cum eo fraternis precibus, vt qui se prædicatorũ religioni addicturi essent, addixissentque, in B. Nicolai monasterio habitarent. Eius voluntati morẽ gessit Vgolinus. Quidam ex his, quos conuersos vocant, auaritia lapsus, furti nescio cuius, accusatus est. Confestim Arnoldi iussu prehensus est, atque accitis fratribus de eo in hunc modum suppliciũ sumpsit. Nam cùm ille iracundia adductus mussaret, nec se tanto scelere alligasse fateretur: Exuite hunc, inquit Arnoldus, non erit ei impunè. Tum sublatis in cœlum oculis flens: Christe, inquit, cuius imperio cœlum, terra, mariaque subijciuntur, largire huic famulo tuo, vt huius flagri beneficio diaboli dominatu liberetur. Adeò miserum exquisito affecit supplicio, vt qui aderant, ad vnum omnes lachrymas profunderẽt, eius vicem dolentes. Proh sancte Christe, præclarum est in sanctam frugem euasisse. Adeò Arnoldus sanctissimis suis verbis effecit, vt cõuersus amplissimis verbis ei gratias ageret. Nec immeritò. Nam qui in diaboli seruitutẽ redactus erat, ei libertas affulsit. Verùm prædicatorũ paucitas erat, quod in monasterio Bononiensi non deerant, qui spem abijcientes, sese inde abdicare instituerent. Præterea religionis malè iacta fundamenta censebant. Ea tempestate, qui Bononiæ Pontificis munus obibat (eius nomen à rerum scriptoribus prętermissum admiror) duobus se abdicandi potestatem fecerat. Legebantur vulgo eius syngrapha. Quod vbi Arnoldo nunciatum est, repentè fratres accersiri iussit: rem exponit: omnes in fletum prorumpunt. Ipse in cœlum oculos sustulit, seque ad Deum tota mente conuersus, ad conseruandã religionem omnes hortatus est. Erat in monasterio religiosus quidam, cui Clarus nomen erat, de quo omnes bene existimabant. Multa in Arnoldi sententiam dixit, eosq́, qui abituri erant, vt de sententia decederent, quando à Deo maxima essent præmia reportaturi, obtestatus est. Sub hæc verba Rolãdus ciuis Cremonensis (callebat hic ius pontificiũ & ciuile) monasterij ianuam pulsat: aperitur, hic intrat. Tum prior: Accersite, inquit, ad me qui apud ciues nostros tanta est autoritate, Arnoldum: mihi cum eo sunt obeunda negotia. Accitur Arnoldus, quem cùm intuitus esset: Nullo, inquit, vtar exordio. Vos me in societatem vestram recipite. Accedite consilio meo. Nulla me subit mentis insania: hac sum opinione, hac sententia. Semel, iterum, tertiò hanc animã Christo dicaui. Huic instituti perpetuam seruire seruitutem. Quantam Arnoldus conceperit animo voluptatẽ, nullis possum verbis consequi. Est locus in monasterio quod Capitulũ vocant, huc posteaquã deductus est Rolandus. Arnoldus omnes religiosos accersiri iussit. Rolando quid ei esset in animo, paucis expressit. Vt eum vidit Arnoldus in sententia permanere, amictum quo caput suum tegebat, illius capiti imposuit. Edituus verò nola signum dedit. Factus est in eo maximus virorum, matronarum, puerorum, virginum concursus. A religiosis hymnus ille canitur: Veni creator spiritus. Qui verò de discessu cogitauerant, de sententia decesserunt. Hæc dum Bononiæ gerebantur, plus quàm centum viri beneficio Dominici se prædicatorum religioni Romæ addixerant. Casu obtigit, vt ex his duos, qui quæsitum panem proficiscerentur, Dominicus ad se accersiret, Ioannem Calabrum, & Albertum Romanũ. Illi mandata exequuntur. Qui ipsis panem erogaret inuenerant neminẽ. Ad monasterium se referebant, cùm anus quædam religione & optimis moribus prædita ipsis obuiam prodijt, quę panem porrexit. Vt fuerunt ad ianuam, homo quidam veste alba indutus, eos præstolabatur eleemosynam petens. Responderũt apud eos nihil esset, quod erogare possent. At ille magis postulare quàm petere. Tandem verbis commoti, illũ compotem fecerunt. Qui vt pane potitus est, in cœlũ sublimis abijt. Hi rem gestam Dominico exponunt, quanquam eius minimè ignarus esset. Vos, inquit, panem Domini nuncio porrexistis: non est apud me dubium, quin Dominus seruis suis sit cibaria præbiturus. Diu orationibus vacarunt, quarũ vt finis fuit: Date, inquit Dominicus, operam ô filij, vt omnes cibi quicquam sumant & potus. Nequaquam id fieri posse nonnulli responderunt. Verùm Dominicus, quæ à Domino agenda erant, non ignorans: Seruis, inquit, suis Dominus cibũ potionemq; adhibebit. Tu Romane vt epulentur fratres congregato, nec moram interponito, omnibus à Domino abundè suppeditabitur. Cùm igitur cuncti se in triclinium

Vgolinus Cardinalis Hostiensis.

Conuersus.

Animaduersio Reginaldi in conuersum.

Clarus.

Rolandus.

Capitulum.

Ioannes.

Albertus.

contulissent, recubuissentque, duos inspiciunt iuuenes egregia forma præstantes, qui vnicuique panem ministrabant. Paulò pòst euanuerunt. Omnes cibi desiderio satisfecerant, sed potione recreandi erant. At ministri vinũ deesse affirmant. Tum Dominicus: Deportate, inquit ad fratres quod vase continetur vinum. Illi incredibili celeritate aduolant. Vt ad cellam vinariam venerunt, vas Falerni plenum inuenerunt. Ex quo desiderio naturali potus omnibus satisfactum est. Insequenti die quicquid panis reliquum fuit, iussit Dominicus pauperibus erogari. Paucis pòst diebus fratres in consiliũ conuocauit, eosq; docuit, duos è vita excessuros, nec multum abesse quin alter naturæ concederet. Tertio pòst die Gregoriũ virum in omni dote præstantem, atque Albertum Romanũ, cuius mentionem feci, grauissimus morbus oppressit, ex quo morte defuncti sunt. Dies propè x. intercesserunt, cùm Iacobus homo insigni scelere & audacia (hic nouum viuendi genus sibi deligere instituerat) in ardentissimam febrim incidit. Huic pro morbi conditione adhibita sunt remedia. Quæ cùm non multũ proficerent, & vana essent, omnes eius morte mouebãtur. Ad eum visendũ cùm Dominicus cõtendisset, omnes è cubiculo iussit egredi. Ipse occlusa ianua in sanctissimam orationẽ operam dedit. In hunc maximè modum ægrotũ reddidit incolumem. Henricus ciuis Romanus erat nobili genere natus, nondũ quartum & vigesimum annum agens: hic inanes mundi voluptates mente agitans, prædicatorũ religioni se tradidit. Eam rem cognati atque amici inimico ferebant animo. Ex quo ipsum à tam optima sententia auertere moliebãtur. Dominicus factu optimum ratus (non enim ipsum fallebat, quàm astutus, & quàm violentus esset aduersarius noster) eum Roma abdicandum duxit. Igitur de ipsius sentẽtia Henricus comite vno assumpto, ab vrbe discessit. Cùm ad amnem quendam peruenisset, portitor rate ambos traiecit: vix eos in terram exposuerat, cum qui vestigijs instabant appellunt. Henricus ne prehenderetur, metu perculsus: pater, inquit, Dominice, cui animam corpusque addixi, me hodierno die tanta calamitate libera, ne patiaris seruũ tuum sub diaboli imperio redigi. Tuo beneficio semel eius manus effugi. Succurre inopi, atque afflicto. Confestim inundauit amnis, vt vado nequaquam superari posset. Id illi admirati obstupuerunt, ac retro verterunt iter. Cùm Dominicus mulieres quasdam Christo dicatas non mediocri cõsolatione affecisset) nondum nox in diem inclinabat) ad Sabinæ templum profectionem suscepit. Comitati sunt ipsum Tancredus atque Odo. Referam rem memoratu dignã. Nam proficiscentes formosum prospectant iuuenẽ. Hic eos pręibat, ipsi subsequebantur. Erat iuueni in manibus baculus. Vt fuerunt ad templum, valuã suscipiunt firmissimis seris clausam. Iuuenis gradũ retulit. Tum porta repente reserata est. Omnes intro se recipiunt. O mirum. Vt iuuenis egressus est, valuam iterum obseratam intuentur. Vix hora circumacta est, cùm à fratribus nocturna celebrata sunt officia. Admirabantur omnes quod Dominicus, Tancredus, Odoque foribus clausis ædem intrassent. Quonam fato fieri dixerim, vt aduersarius noster tot ac tanta, quæ hominem illicere possunt, pro laqueis habeat? Iacobus ciuis Romanus se pręδicatorum religioni tradiderat, nec quid ei esset in animo ratum habebat, cùm colluctator ille, vt de tam sancto negotio desisteret, ipsum nocte atque interdiu solicitabat. Tandẽ illius fraudibus exceptus habitum deposuit. Dominicus eius casum dolens, ita locutus est: Consule fili saluti tuæ. Multos ista ad interitum præcipitauit via. Tu me hic præstolare: Vt rediero, agito ad voluntatem. Igitur in cellulã se contulit, & ad Christi Opt. Max. simulachrũ procidit, orans, obsecransque ne misellum sineret se ire perditum: homini misericordiam tribueret, eum esse, cuius tanta vis esset, quæ aduersario subdolo & versuto frenũ semper iniecisset. Huiuscemodi oratio haud fuit sine effectu. Quippe vix dicendi finẽ fecerat, cùm Iacobus quantũ sceleris admissurus esset, cõsiderans, Dominicum adijt, aque erranti veniam supplex petit. Dominico virgines religioni deditas, vt in sanctissimam frugem euaderent hortante, callidissimus aduersarius in Tyberis ripa consedit. Erant ei duo capita miræ magnitudinis, nunc vnũ attollere, nunc alterum demittere, nunc in virgines impetũ facere, nunc pedem referre. Non latuerunt eius doli Dominicũ. Quin se ad eum conuersus: Cui, inquit, verba? quid istas succinis ambages? Tibi luditur, effluis amens. Nullus ô virgines vos subeat metus. Ego hanc beluam conficiam: vt se in Tyberim præcipitem immittat, & præcipio, & iure meo cõmoneo. Ille prospectantibus cunctis ex Dominici egit sententia. In sequenti anno Dominicus in Hispania profectus est. Quid causæ fuerit haud compertum habeo. At ferunt ipsum virginibus detulisse munuscula. Cùm igitur ad vrbẽ regressus esset, biduum, quòd de via fessus erat, se in monasterio continuit. Tertio pòst die ad virgines contendit. Vt mutuæ sunt ab omnibus salutes adscriptæ, cœpit Christi Euangelia exponere. Tum hostis versutus specie passeris super virginum capita volans immoderato alarum remigio sanctissimis verbis intercessit, Dominicus minimè risum continens: Prehendito, inquit, ô Maximilla hanc auem, & ad me deportato. Haud defuit virgo illius voluntati. Subitò vir san-

Romanus.
Miraculum panis & vini.
Tancredus.
Odo.
Iacobus.

vir ſanctus auem impennatam reddidit. Ea res omnibus riſum mouit. Tandem auem de manibus depoſuit. Atque ad auem conuerſus: Quid, inquit, aſelle tibi vis? Strepitum excitabis, nulli tamen iacturam inferes. Mos erat virginibus ſanctiſsimam Mariæ cœli Reginæ aram igne perpetuo colere. Quippe ſcyphus vitreus olei plenus vaſe æneo continebatur. Id è lacunari cathenis ferreis appenſum demittebatur. Vas auis cõſcendit, magno ſtrepitu cathenas concutiens. Quo factum eſt vt ſcyphum inuerterit. Virgines ad ſtrepitum excitę mirabantur ſcyphum inuerſum oleum continentem, cùm præſertim nihil eſſet, quod eum ſuſtentaret. Paſſer ſe ab oculis omnium eripuit. Vacabat Dominicus orationi nocturnæ, cùm aduerſarius ſpecie ſimiæ ſeſe illi obijciens ſcurrile neſcio quid exercebat. At ille: Depone, inquit, aſelle has ſcurrilitates, & funalem cereum ardentem manibus ſuſtine, quoad igne abſumptus fuerit. Non poſſum riſum continere, flamma & beluæ digitos & funale obiuit, miſera & infelix in dolorem fletumque prorupit. Tum Dominicus, Abi in malum cruciatũ. Illa nec vltrà apparuit. Duo in Hiſpania Dominicus extruxerat monaſteria, cùm ei ad Toloſam iter ſuſcipiendum fuit. Religioſi complures ſe illi comites exhibuerunt. Caſu accidit vt cœnatis ſolus ſcyphus vini plenus eſſet. Tum Dominicus: Sumite, inquit, amphoram, eamq; opplete aqua. Illi imperata faciunt. Satisfacite, inquit Dominicus, deſiderio potionis. Cùm vino ſcyphos opplerent, vehementer admirabantur. Admirabantur profectò aquam in vinum conuerſam. Rupes amatoria (ita incolæ eum locum vocant) à Pariſio non longè abeſt, ibi extructum eſt templum Mariæ ſacrum. In eo pernoctauit Dominicus. Erat huic Beltrandus, quem patres prioratus dignitate ornauerant, & multis officijs, & ſumma familiaritate coniunctus. Inde abeuntibus occurrunt Germani quidam. Hi Dominicum Pſalmos exponentem audientes, ſummis laudibus efferunt, ſeque ad eum adiungunt. Quatridui iter pariter fecerant, cùm Dominicus: O Beltrande, inquit, nos cum Germanis in amicitiã coiuimus. Diuerſa natio eſt, diuerſi mores, diuerſa natura, Chriſtum precibus fatigemus, vt quã ipſi loquuntur, nos orationẽ percipiamus. Peroratis precibus, dixiſſes Dominicum, Beltrandumq; Germanos, quippe ſermo Germanus omnibus communis erat, vt illi mirarentur, quomodo hi breui Germanã orationem loquerentur, intelligerentq;. Paucis pòſt diebus Pariſium omnes peruenerunt. Tum Dominicus Beltrandum in ſecretum abduxit, atque ita orſus eſt: De his quæ inſpexiſti, omnes celatos velis. Tu quæſo in ſententiam meam concede. Multa à Deo perpetrata ſunt ſigna, quæ ſi edideris, vereor ne nobis malè conſulamus. Quis mihi præſtet, ne in inſolentiã procedamus? Quare ſi quid precibus apud te poſſum, neminem conſcium reddes. Vt verò naturæ conceſſero, ad voluntatem agito. A natali Saluatoris anni erant 1219. cùm Dominicus Pariſio proficiſcens ad caſtrum, cui Caſtellioni eſt agnomen, peruenit. A ſacerdote oppidi benignè, humaneq; acceptus eſt. Huius nepos ſolarium conſcendens, ſe à lapſu ſuſtinere non potuit. Mater, cognatiq; eum rati exhalaſſe animam, ſe lachrymis ac triſtitiæ tradiderunt. Vt Dominicus vidit lamentationẽ nequaquam ſedari, ſubitò manus ad cœlum tendit, & precibus ac lachrymis, vt puer incolumis redderetur, à Domino conſecutus eſt. In exitu anni Bononiam venit, quo tempore Arnoldus religioſorũ multitudine abũdabat. Is vt venientem intuitus eſt, magnopere lętatus eſt. In ea ciuitate omnem ætatẽ duxit, etſi antea Romam, Bergomum, Mediolanum iter intendiſſet. Verùm quàm contempſerit diuitias, hinc facilè ſciri poteſt. Nã cùm Odoricus Gallicianus optimis prædijs monaſteriũ donaſſet, extaretq; ſyngraphum, & recuſauit, & reſcindi iuſsit, nec paſſus eſt vt religioſis eſſent prædia. Quin ipſi victum, veſtitumq; precibus expoſcerent contenti domuſculis. Sub idem tempus, Rodulphus homo ſpectatæ virtutis prædicatorum religioni deditus monaſterij curam ſuſceperat. Is cellas fratribus habitandas inſanis ſubſtructionibus magnificas reddebat. Id vbi Dominicus animaduertit, vehementer cõmotus eſt, & lachrymas profundens: Quænam, inquit, hæc eſt inſolentia? quæ ſuperbia? quàm grauis atque intolerabilis arrogantia? Vos oblectãt tecta magnifica. Antequam in Gallias, & in Hiſpaniam traijcerem, vos vt Chriſti paupertatẽ coleretis, non inuitus admonui, ne ab ea diſcederetis. Vt tecta marmorea, ſigna, tabulas, argentũ, aurum, opes Corinthias contineretis, vos monitos etiã atque etiã volui. At præclara illa, egregia, præſtanſque illa Hieronymi ſententia veſtra memoria dilabitur. Malebat homo ſanctiſsimus, qui ſapientiã cum religione coniunxerat, Pauli tunicã, quàm regum purpuram cum regnis ſuis. Vbi Chriſti Euãgelia, in quibus ſi vultis, poteſtis ipſius tanquã in ſpeculo vitã intueri: Quid loquar de Paulo Apoſtolo, cuius epiſtolas cùm lego, ſanctiſsimam videor mihi nauare operam? Non diuitiarum, non auri, non argenti, non inſanarum ſubſtructionum illi appetentes fuerunt. Imitamini obſecro, quantum in vobis eſt, illorum veſtigia. Nemo fuit quin in Dominici ſententiã conſentiret, ſummiſq; efferret laudibus, quòd nulla charitatis cura poſthabita ad honeſtã ſanctamq; habitaculi formã eos traduxiſſet. Reuocatis ab errore fratribus Arnoldum ad ſe accerſiuit, iuſsitq; vt Pariſium iter con-

Nota rem ridiculosam.

Miraculum.

Rodulphus.

Digreßio.

iter conferret Christi Euangelia prædicaturus. Id quod fratres non æquo tulerunt animo. Arnoldus Dominicæ sententiæ paruit. Tanti viri laudes nullo silētio prætcribo. Vt enim populus ei cōmonendus erat, tanta charitate & beneuolentia mentis suæ cogitata enunciabat, vt omnes eum de cœlo delapsum arbitrarentur. Apud illum Prophetarum, Euangelistarum, Oratorum, Poëtarum valebat memoria. Dixisses eum Paulum Apost. Nam vt suggestum conscendebat, maximus fiebat virorum & mulierum concursus. Fatebantur omnes se nunquam vidisse hominē, qui sanctitatis, fidei, religionis, charitatis illustrius præ se ferret exemplum. Sed vt propositum prosequar, haud multi menses intercesserunt, cùm vi morbi oppressus est. Animam extremis (vt aiunt) labris tenebat, cùm ad eum visendum, qui monasterio præerat, Matthæus profectus est. Eum in hanc sententiam verba fecisse tradūt: Non terrearis miles Christi formidine mortis. Tu egregiā cum aduersario pugnam semper pugnasti. Victoriæ cōpos factus est. Fortunata est mors tua, quam naturæ debitam pro Christo potissimū reddis. Consequêris, mihi crede, piorum sedem & locum. Omnibus breuis vita data est. Sed eius bene redditæ premia consequemur æterna. Præclarè tecum actum est Christi miles. Quare & constanti & forti sis animo. Cum Christo eris, & sanctorum misceberis choris. Legimus in sanctis literis qui se castos integrosque seruârunt, seseq; ab omnibus sceleribus seuocârunt, his ad Deum facilem patêre aditum. Sub hæc verba vir sanctissimus è vita exiuit. Vt de eius obitu Dominico allatus est nuncius, non dolere non potuit, cùm præsertim eum virum amisisset, qui & morum probitate, religione, & ingenij elegantia fuerat ornatus. Ipse interea de omni re quæ ad sanctam religionem spectabat, fratres erudiebat. Est hoc profectò loco miraculi habendum, vt nullum vnquam ab eius ore verbum, quod vel minima reprehensione dignum censeri posset, exciderit. Neminem vnquam in iracundiam adduxit, nec de eius dignitate detraxit. Casu accidit, vt fratres cibo potuque reficiendi essent: ex quo Rodulphus, de quo suprà memoraui, Dominicum conuenit, affirmans duos tantùm panes apud se esse, nec fieri posse, vt tanta hominum multitudo tam paruo cibo contenta esset. Dominicus cui in Christo Opt. Max. spes omnis constituta erat: Benedicito, inquit, Rodulphus mandata exequitur. Seruus cui ea cura demandata erat, canistrū sumit, vbi panis frusta erant reposita, & mensas panibus onerat. Ad eum omnes naturali cibi desiderio satisfecerunt. Plus panis deportatum est, quàm fuerat appositū. Deerat vinum. Confestim Dominicus se ad sanctam orationem proiecit. Tum vas diuinitus vino oppletū est. Postquam exempta fames epulis, mensæq; remotæ, cuncti Deo optimo amplissimis verbis gratias egerunt. Multa mihi verba de signis à Dominico perpetratis fecisse videor. Quare in exponendis eius moribus, quod memoratu digni existunt, mea versabitur oratio. Polliceor autem ea me scripturum, quæ nullo sunt contaminata mendacio. Est enim rerū scriptoribus lex hæc imposita, ne quid falsi dicant, ne quid veri taceant: absint ab omni suspicione gratiæ, tollatur omnis simultas. Dominicus igitur ne insolentia notaretur, à quo vitio semper abhorruit, vestitus voluit habendam esse rationem. Erat ei vestis, & quidem vnica atque abiecta, & ad pedes defluens, nec turpe ducebat eam ferre, quanquam ei principes cōueniendi forent. Hac vtebatur, siue vis frigoris & hyemis instaret, siue ardor æstatis. Vsque ad mortem super lectum implumem cubitauit, siue prospera, siue infirma esset valetudine: somni parcus erat, in quo vestem nunquā deposuit. Calceos tantùm deponebat. Semper catena ferrea nudatos renes cinxit. Vt enim supremum vitæ diem egit, Rodulphus corpus spoliauit, spoliato catenam detraxit, detractam Iordani dedit muneri. Crepusculo noctis solus templum ingrediebatur, sanctissimis orationibus indulgens, nec antequā horæ quartæ intercessissent, abibat. Ædes ipsa eius gemitu ploratuque personabat, vt quos sopor oppresserat, hi sæpe excitarentur. Nonnunquam adeò parua noctis pars ab eo quieti dabatur, vt recumbentem somnus premeret. Age, diuitias, vt suprà memoraui, mirum in modum contempsit, quòd hæ essent quæ religiosis maximè forent iacturæ. Paupertatem adeò dilexit, vt ad eam complectendam fratres hortaretur, atq; de religiosis qui paruis essent opibus & facultatibus præditi, bene sperarent. Multi agros, domos, officinas suas monasterio concesserant, honore, beneuolentia, charitate quam Dominico deferebant, compulsi. Cuncta recusauit, quin eos monuit præcepitque, vt qui prædicatorum religionem profiterentur, paupertate contenti existerent, nec se diuitijs implicarent, quòd eorum mentes distraherentur. Iussit præterea, ne aræ auro, argento, sericisque ornamentis, calice excepto, ornarentur, quòd ea res quædā esset diuitiarum ostentatio. Qui iter susciperent, hos monuit, ne vllas portarent pecunias, cùm non deessent, qui eis cibum potumq; erogarent. In sequenti anno Pontifice maximo minimè dissentiente instituit, vt ab his, à quibus ei successum foret, synodi sæpenumerò haberentur, in quibus de religionis cōseruatione ageretur: In eos qui in errorē incidissent, animaduersio fieret. Qui optimi iudicati essent, ad hos aut prioratus, aut vicariatus, aut genera-

Obitus Arnoldi seu Reginaldi.

Diuina laus Dominici.

Lex scriptorum.

Nota diligenter.

De frequentandis capitulis.

generalatus deferretur. Ex quo factum est, vt eodem anno Parisium ad Iordanem, cuius mentionem habui, literas perferri iusserit, quibus ille, vt assumptis tribus comitibus, quod synodus celebrãda erat, Bononiam proficisceretur commonebatur. Iordanes se ad Dominici voluntatem confirmauit. Neque enim ab eo honestè dissentire poterat. Sunt & plures ex alijs nationibus euocati: qui cùm conuenissent, vt prædiorum prouentibus perpetuò renunciaretur, instituerunt. Erogationibus contenti essent. Multa tandem oratione vltrò citroq; habita, iussit vir sanctissimus, vt viri complures autoritate & grauitate præstantes, quibus decernẽdi, diffiniendi, ordinandi summa esset potestas deligerentur. Instituit præterea, vt ob multa vitiorum genera propulsanda, colendasque virtutes quotannis synodus celebraretur. His exactis Iordanes sese patriæ reddidit. Etsi antehac Dominicus ad prædicatorum religionem erigendam omnem operam contulisset, atque illius confirmationi Pontifex Max. minimè defuisset, tamen vt ab alio sibi succederetur, à patribus benignè petijt. Hi non modò quæ ab eo acta erãt, summo studio, magnoq; consensu approbarunt, verùm etiam instituerunt, vt eadem in posterum dignitate fungeretur, cùm qui illi vel præferri vel æquari posset, inueniretur nemo. Nam quantum cura, labore, vigilijs, autoritate, consilio eniti atque efficere poterat, nihil prætermittebat, quod ad religionem conseruandam augendamque pertinere arbitraretur. Abstinẽtia, ieiunijs, vigilijs, orationibus, in quas summè incumbebat, sese alijs in exemplum statuebat. Nocte atque interdiu cùm diuina celebraretur oratio, à choro nunquam aberat. Non enim ex eius memoria præclara illa sententia exciderat: Tanti esse exercitum, quanti Imperatorem. Age, fragilitas humana quanta est? Labimur, erramus, decipimur, incognita pro cognitis habemus. Qui se errore inquinassent, hos humanè reprehendebat, & castigabat, ac ne in posterum vllo notarentur errore, quibus poterat precibus obsecrabat. Nunquam illucescebat, quin fratres ad sanctam viuendi formam, ni necessitas ipsum abduxisset, hortaretur. Quanta erat illa charitas, qua illum in eos qui vel aduersa fortuna vexarentur, vel minus prospera valetudine impedirentur, vsum legimus? Omnibus orationibus præsidio succurrebat. Cõplures desperatione adductos adeò consolatus est, vt fortunæ telis resisterent, atque his contemptis spem omnem, fidemque in Deo collocarent. Vt ei faciendum iter erat, aut literis incumbendum, aut fratres commonendi, primùm ad Christi simulachrum procidebat, nec lachrymis, nec sanctis orationibus abstinens, vt ea efficeret, quæ & animę suæ cõducerent, & alijs honori emolumentoq; existerent. Nemo vnquam ei stomachum mouit, nunquam in iracundiam adductus est, quod omnes cogitationes, omnia consilia ad Christum referebat. Ad omnes animi perturbationes semper patientiã accommodauit. Semper pedestri itinere profectus est, sine calceatu, nunquã attollens oculos. Vt vrbes ingrediebatur, calceo pedes induebat. Eos nonnunquam, si à præacutis lapidibus læsus esset, induerę cogebatur. Interdum flumina imbribus augebantur, vt ne vllo quidem vado pertransiri possent, ad quæ cùm ventum erat, se salutari crucis signo armabat, iubebatque comitem, quanquam metu percelleretur, anteire, illi animum deferens, ipse subsequebatur. In hunc modum, flumina transitu difficilia transgrediebantur. Nunquam dies illucescebat, quin ab eo missarum solennia celebrarentur, magnam vim lachrymarum profundente. Vt ad hospitium diuerterat, ad ædem exibat orandi gratia. Ab eo menses plus septem totius anni ieiunio tribuebantur, non modò carnibus semper abstinuit, verùm & cibarijs abdomine conditis. Cùm Romam iter haberet, morbi grauitate impeditus est. Omne genus carnis recusauit, solis pomis contentus. Idem aliâs factitasse memoriæ literisque proditum est. Lectitabat Matthæi Euangelium, & Pauli Epistolas, nec eas vnquam, vt otij quicquam nanciscebatur, de manibus deponebat. Inter cætera maximum illud ipsum, vt omnium animæ Christianorũ ad sempiternæ atque beatæ vitę domiciliũ proficiscerentur, capiebat desiderium. Quod verò Gentiles & Mahumetani in tanto errore versarẽtur, & mœrebat & flebat. Id temporis mulier quædam nobili genere nata, ad Dominicum, quòd eius frater à Sarracenis & captus, & in carcerem coniectus esset, querimoniam detulit. Repentè virum sanctũ (ita ei natura insitum erat) tantæ illius calamitatis, incredibilis quædam cœpit miseratio. Igitur cùm nullæ sibi pecuniæ essent, quibus captiuus redimi posset, sui vendendi animum cogitatio subijt. Ita Christum fecisse aiebat, qui vt humanum genus saluum redderet, nullum laboris, cruciatus, mortis genus defugerat. Postero die, fratres ad se acciri iussit, vt quæ consilio menteque agitauerat, illis exposuit. Sibi esse in animo in Asiam traijcere, vt eas nationes tantis quibus implicabantur erroribus, liberaret. Nec vereri quin Christo Opt. Max. consentiente ad eum exitum, quem sibi proposuisset, peruenturus esset. Se religioni semel dicatum, Apostolorum adniti sequi vestigia: qui vt populos ab erroribus reuocarent, totum terrarum orbem peragrassent. Ipsi suo exemplo docti Deum colerẽt, in eo spem omnem fidemq; constituerent, pecuniam contemnerent,

Nota.

quando hominum pietate,& charitate præditorū eleemosynis recreandi essent. Hæc cùm dixisset,comitibus duobus assumptis,terrestre iter ingressus est. Ei religiosi duo casu obuij fuerunt, qui cùm fame vehementer laborarent (nam media dies coquente desuper sole feruebat) Nos,inquit alter,summis affecti sumus difficultatibus. Neque enim est qui nobis cibum præbeat,ne minimum quidem panem quispiam petentibus erogauit. Nullæ adsunt pecuniæ. Hæc audiens Dominicus: Qualis, inquit, ex ore vobis excidit sermo? Vos ad Deum mentes erigite, atque extollite. Qui brutis animalibus cibum exhibet, seruis suis non exhibebit? Non longè abest ager,ad quē peruenturi estis. Apud hunc vicus est,quem viri incolunt ab humanitate minimè alieni. Sacerdos quidam vobis occurret, qui manu prehensos vos tuebitur. Siquidem miles externus aderit,qui vtrumque à sacerdote nitetur extrahere. Interea qui templo præsidet, vos, sacerdotem, militem ad sumendum cibum inuitabit. Hæc locutus abijt. Tandem Parisium venit,qui etsi fratrum paucitatem intueretur,eos tamen ad Christi Euangelia prædicāda vehementer hortabatur,populos admonerent, quod ex ea re amplissimum essent fructum consecuturi. Eos & piam & sanctam, si qui peccarunt,sceleratéque fecerunt,hos admonerent,& erroribus leuarent,nauare operam. Ipsis in Deo omnis esset fiducia,quòd ab eo nullus iuuādi locus prætermitteretur. Illi prædicandi imperitiam causati,respōderunt eum religioni honestius consulere,si peritioribus,doctioribusq; tantam molem imponeret. Nolite,inquit Dominicus,de spe decidere. Ipse rerū opifex,dominusq; mundi Deus maximo vobis erit præsidio. Eius igitur consilio obtemperantes in Germaniā ad quoddam Cistertiensium monasteriū profecti sunt. Huius præsidem,cui Heberrardus nomen erat,conueniunt. Qua causa adducti in eam regionem iter contulerint,exponunt. Se prædicatores esse,qui pro salute populorū quæuis pericula laboresq; subire instituerint. Heberrardus sub hæc verba sese ad eorum genua prostrauit, seque vnà cum monachis suis non illotos pedes nouis calceis induens, in prædicatorum numerum adscribi voluit. Non hæc à me finguntur. Dominicus Mutinam venerat, cùm Decanus quidā Gallus eum secretò alloquitur, & quid faciendū esset consilio contulit, de salute sua actum esse,quoniam præceps ferretur in libidinem, se impediri quò in sanctam frugem non posset euadere. Tum Dominicus: Ne desperatione adducaris,misericordiam tibi retribuet Dominus. Tu ne animū contrahas ac demittas,ne quicquam tēporis dederis otio. Nam quantū iacturæ homini suggerat otiū,Poëta ingeniosus his versibus expresit:

Otia si tollas, periêre cupidinis artes: Contemptæq; iacent, & sine luce faces.

Heberrardus.

Ego verò Deum, vt te à tam nefario scelere defendat precabor, venerabor,implorabo. Hæc vbi vir sanctus dicta dedit, nunquam Decanus libidine impeditus est, quin castissimus euasit,& omnis officij diligentissimus. Postero die Dominicus Bononiam venit. Ea tempestate Conradus Germanus (callebat hic sacras literas) ipsam vrbem incolebat. Is si qui sub Dominici tutela erant, cum eo amicitiam iniuissent,iucundissimum ducebat. Interim vir quidam, cui Cistertiensis religionis prioratus delatus erat, in Gallias regrediebatur. Summa ei cum Dominico, cùm vterque Romæ esset, fuerat familiaritas. Is cùm Bononiam appulisset, ad Dominicum visendum profectus est. Vt mutua fuerunt salutatione functi: Nequeo, inquit Dominicus, quantum Deo optimo debeam, verbis referre. Nihil vnquam ex eo petij, quin illud sim ad voluntatem assecutus. Semper optatis meis respondit. Huiusce rei quoad mihi vita suppetet,neminē conscium reddideris. Prior admiratione propè attonitus,quòd summus rerum Creator in Dominicum suam voluntatem contulisset: Cùm hæc, inquit,ita sint, Deum precibus fatigato, vt Conradi menti lumen præferat,quò fratrum tuorum sententiæ accedat. Hanc sibi opinionem,vt is in eorum numerum adscribatur,deferri optant. Nec vereor quin ea res ipsorum desiderio sit accessura. Tum Dominicus: Apud me pernoctato. Vterque Deum, vt illi voti compotes fiant,precibus exposcet. Totam noctem in æde oratū est. In aurora Conradus adfuit,petijtq; vt in prædicatorū numerū referretur. Obtemperauit cōsilio suo Dominicus. Verùm ille paucis pòst mensibus morbo extinctus est. Anni 1221. agebantur, cùm iussu Dominici Bononiæ habita est synodus. Religiosis quibusdā eò proficiscētibus, aduersarius noster nuncij specie sese obiecit,eiq; hæc verba exciderūt: Quo iter intenditis? Ad synodum,aiunt illi. Quibus de rebus, inquit,hoc consiliū habetur? De exponendis, respondet illi, Christi Euangelijs. Nos iussu patrū nostrorum per totū terrarum orbē iter facturi sumus, ea ratione adducti, vt omnes doceamus quo pacto Christi vitam adipisci possint. Hæc cùm dixissent, miser horrendā vocem emisit: Vestra,inquit,religio nostra est confusio. Repentè ex oculis eorū euanuit. Qui vt Bononiā appulerūt,hæc Dominico & reliquis patribus enarrarūt. Quæ in synodo acta sunt,referre mei non est cōsilij,ne scribendo modū excedā. Dominicus igitur, vt reliqua prosequar,statura fuit mediocri. Corpus habuit exile,atque extenuatū,barbam & capillos rufos, oculos claros ac nitidos, quibus inerat quiddam diuini vigoris. Etsi

Conradus.

Audi quid dicat B. Dominicus.

Attende vocem à diabolo emissam.

Statura beati Dominici.

multa

multa de sanctissimis eius moribus dixerim, illud tamen minimè prętermittendum duco. Siquidem in singulas noctes corpus suũ, nulla libidine, nullo scelere, nullo dedecore inquinatum flagello ferreo verberabat. Id ea ratione factũ sapientissimi viri asserunt, vt ei Deus cæterisq; peccato labentibus, & his qui morte purgationem agunt, misericordiã tribueret. Nullas tenebat lachrymas. Vt synodi finis fuit, in Galliam Cisalpinã iter suscepit, Vgolini Hostiensis Episcopi, qui id temporis Pont. Max. vicem in ea gerebat, visendi gratia. Cùm Bononiam se recepisset, in grauissimum morbum, quòd de via fessus erat, incidit. Ventura, cui prioratus prouincia demandata erat, ipsum vt aliquid noctis quieti daret, vehementer exorare. Negare ille, ni orationem antè perorasset. Vt orationibus nocturnis, quibus adfuit finis impositus est, cœpit ex capite, & ex intestinorum exulceratione laborare. Accessit febris valida. Hos morbos æquissimo tulit animo. Cùm verò diem extremũ, quem morte confecturus erat, haud procul abesse non ignoraret, eos qui nondũ professi nomen subierant, ad se acciri iussit. Omnes ad religionem hortatus est, quòd ea esset, quæ, vt inquit ille, pro laboribus requiem, pro morte vitã, pro tenebris claritatẽ largiri posset. His dimissis, de eius sententia accersiti sunt sacerdotes xij. quos cùm actionũ suarum conscios fecisset, in hanc sententiam locutus fertur: Quantis sim Deo immortali beneficijs obstrictus, vel hoc vno maximè cognosci potest, quãdo suo consilio, sua virtute, suo munere effrenatam libidinem cohibuerim. Nullum vnquam me libidinis desideriũ cepit. Quare vt nunquam tantam turpitudinis notam subeatis, & oro, & obtestor. Vitanda vobis erit non solùm nefaria fœminarum societas, sed impudici quoque sermones, qui teste Apostolo, optimos solent mores corrũpere. Haud scio, nec si sciam dicere ausim, quid eo religioso, qui libidinis aspergatur infamia, turpius inueniri queat. Est in Prouerbium celebratum, eorum qui bonæ famæ curam posthabendam putant, salutem esse desperandam. Vos eam pro virili vestra parte amplecti debetis: Inconstantia nil turpius esse, cùm singulis hominibus, tum verò religioni dicatis, non solùm qui veritati accedunt Christiani, sed Gentiles quoque affirmant. Semel cum Deo coniuncti estis, perstate in sententia, & quod illi polliciti estis, id exitu præstate. Cõferte cum cœlesti ac diuina domo huius mundi illecebras, quæ fragiles sunt & caducæ. Nimirum cognoscetis, qui eam incolunt, hos beatissimos esse quando suauissimo regno potiantur, cui finem nulla ætas vnquam est allatura. Non est à vobis posthabẽda charitas. Paulus Apost. is cuius mentionem habui, hos negat cœlestium numerum aucturos, qui à se charitatem secernunt. Quinetiam M. Tullius ipsa sublata nihil iucundum arbitratur. Nolite insolescere, quin vt nulla superbiæ in vobis sit suspicio, operã date. Quid loquor de paupertate? Ne hæc quidem contemnenda est. Magistrum atque autorẽ habetis Christum, quem in ea re imitari potestis, & debetis. Quis mihi eas diuitias laudi debuerit, quæ aut surripi, aut igne absumi, aut vetustate deleri possunt? Mea semper sententia fuit, vt his rebus, quæ mobiles sunt & instabiles, domus illa æterna præponeretur. Nihil sit alteri altero iucundius, cùm præsertim religioni addicti sitis. Estote inter vos cõiunctissimi. Id quod Christus suo iure commonuit: Breui sum excessurus è vita, per meam in vos, & vestram in me beneuolentiã oro, quæsoque, vt Deum quò in hanc animulam misericordia inducatur, precibus obsecretis. Huiuscemodi oratio omnibus lachrymas excussit. At prior, quantum in eo erat, illius animum omni molestia leuare annitebatur, ac vt in spem erigeretur cõsequendæ valetudinis, multos in difficiliorem morbum incidisse, qui Christi Opt. Max. munere redditi sunt incolumes, asserebat. Mons ab vrbe Bononiensi mille passus abest, in eius cacumine extructum est templũ Mariæ cœli Reginæ sacratum. In eum locum Dominicus medicorum consilio, quoniam morbi difficultate premebatur, deportatus est. Quippe cœli est ibi salubritas, nec aëris spiritus vlla paludũ graui nebula inficitur. Sed cùm Dominicus nihilo melius haberet, quin etiam valetudo ipsa multò desperatior (siquidem noctes duas insomnis egerat) priorem, cui fratres xij. se comites præbuerunt, ad se accersiri iussit. Quo in statu, inquit, res mea sit, vobis perspectum puto. Quod extremi temporis superest, id ad Christi memoriam reseruo. Illud peto, vt mihi sub fratrum meorum pedibus constituatur sepulchrum. Sed ne Prior fide haud syncera secum ageret, suspicione perculsus, se in vrbem reportari iussit. Qui eum reportabant, his ne in itinere vita fungeretur, metus animum versabat. Tandem Christi benignitate in cubiculum delatus est. Rodulphus sudorẽ facie detergebat. Omnes in fletum prorumpebant, quòd se tanto viro, & omnium virtutum simulachro priuatum iri animaduertebant. Ipse in eos oculos conijciens: Cur, inquit, tanti gemitus fletusque fiunt? An inertes, & improbi fœlicitati meæ inuidetis? Magna me spes tenet bene mihi euenire. Cùm in amœnissimum locum peruenero, maiori vobis ero vtilitati quàm dum vitam agebam. Qui prioratum gerebat: Te, inquit, pater obtestor atque obsecro, ne nostrî memoriam abijcias: Commendato nos diuinæ maiestati. Tum Dominicus manibus in cœlum sublatis: Tibi, inquit, pater cœlestis, nos om-

Grauissimo morbo laborat Dominic⁹.

Oratio B. Dominici.

Bona fama.

Constantia.

Charitas.

Amor mutuus.

Finis orationis.

Quãta humilitas.

nos omnes quos mihi tuendos dedisti, commendo. Vos verò (nam mors mihi nunc obeunda est) in orationes diuinas incumbite. In hæc verba vir sanctissimus spiritum exhalauit. Quo tempore Dominicus è vita exiuit, eo tẽpore Gualla, cui monasterij Brixiensis prioratus delatus erat, altissimo somno premebatur. Huic per quietem visum est cœlum aperiri: inde scalas duas miræ albedinis demitti, quarum altera Christi Opt. Max. altera Mariæ manibus sustentabatur. Has alios Angelos scandere, alios descendere. Inter eas sellam esse, occuparique ab homine prædicatorum veste induto. Ipsas tandem à Christo ac Maria in cœlestem domum trahi, mox cœlum ipsum claudi. Gualla somno excitatus, vt ea quæ dormienti sese per somnium obtulerant, patribus exponeret, Bononiam cõtendit. Vt Dominicum exhausisse spiritum cognouit, repentè confessus est, quæ per somnium viderat, ad Dominicum referri oportere. Tancredus, cuius suprà mentionem habui, cum religioso, cui Raon erat nomen, vsu coniunctus erat. Vnà iter pedibus faciebant. Aduentante nocte, ad hospitium diuerterunt. Insequenti die Raon rem diuinam facturus ad aram iter suscepit. Tancredus quod ei de valetudine Dominici minus prospera nunciatũ fuerat: Cùm rem, inquit, diuinam facies ô Raon, ne memoria tua elabatur, qui apud nos patris grauitatem obtinet, Dominicus, illum Deo commendabis, graui enim implicatur morbo. Raon cùm eorum qui vitam viuunt (nam ad aram iter contulerat) mentionem haberet, subitò ad Dominici memoriam animum suum reuocauit, & sublatis in cœlum oculis, Dominicum intuitus aureo diademate ornatum, quem viri duo modesti & prudentes sequebãtur. Quin ei tantus inerat fulgor, vt oculos submittere cogeretur. Anni plures intercesserunt, cùm huius rei ne vllũ quidem participem fecit. Postremò à Deo admonitus, quod viderat ad omnes detulit. Sed vt ad Rodulphũ redeam, ipsius iussu corpus sanctũ in ædem elatum est. Non modò ipse, sed omnes quoque quibus socius præceptorque fuerat, illud complexi sunt, & lachrymis consperserunt. Ea tempestate Vgolinus Cardinalis Hostiensis in Gallia Cisalpina Pontificis maximi munus sustinebat. Is compluribus nobilissimis viris in societatem suam receptis, Bononiam venit. Vt ei de sanctissimi viri obitu renunciatum est, subitò ad corpus sepeliendum omnes cogitationes suas retulit, omnem ei reuerentiam præstitit, quod à teneris (vt Græci dicunt) vnguiculis mutua se fuerant beneuolentia complexi. Iussu autem Rodulphi, cui seniores eam curã demandauerant, capsa lignea fabricata est, & in ea corpus conditum, fixi, ne aperiretur, insuper claui. In hunc modũ in sepulchro reconditũ est, & magno lapide, ne deportaretur, contectũ. Anni verò cùm vir sanctissimus naturæ concessit, agebantur 1221. octauo Idus Augusti. Antequam huic libro extremam manum imponam, respondebo ad ea quæ mihi ab his qui se inter historiarum scriptores Africanos putant, obijciuntur. Id à me consulto efficitur, ne videar honoris mei abiecisse memoriam. Est is mea sententia in sanctorum numerũ adscribendus, qui iniuriam illatam non inimico fert animo. Aiunt me veritatem non mediocri contaminasse mendacio, quòd Dominici corpus Bononiæ in Nicolai templo sepultum scripserim, quando grauissimi & sapientissimi viri Assisij in sepulchro cõditum affirment. Extant literæ Clementis quarti Pontificis maximi, quibus si fidem nullam habendam putant, vereor ne ad insaniam redigantur, vel sint natura leuissimi. In his & magistro & fratribus religionis prædicatorum, vt in vrbe Bononiensi nobiliorem pro sanctissimo Dominici corpore in sepulchro constituendo ad voluntatem deligant locum, potestatem facit, se in illo transferendo eorum sententiæ accedere. Dominicũ ita castè, piè, sancteq; vitam instituisse, vt qui se Christianos profitentur, eum venerari & colere debeant. Venerunt & ad manus meas Vincenensis Episcopi literæ, quas cùm diligenter accurateque legissem, coactus sum eos fateri aniliter desipere, qui Dominici corpus ad Assisium delatum, atque in Francisci templo sepultum asserunt. Affirmat vir grauissimus cùm corpus transferebatur adfuisse. Hæc eius verba sunt. Cùm Dominici corpus quod humili iacebat lecto, transferendum esset, conuenit Bononiam fratrum multitudo. Accersiti sunt Arnulfus ac Egidius, quorum alter Hunianensis, alter Torsallanensis Episcopatus dignitate præditus erat. Imperator præterea Bononiensis, Consulesque ac Tribuni plebis, omitto populum Bononiensem vniuersum, qui ad rem perspiciendam profectus est. Dixisses ipsam Bononiam propè conuulsam sedibus suis. Quippe omnium generum, ætatum, ordinum viri, ac mulieres omnis fortunę ad perspectandum corpus, & auulsum ab humeris caput, iter contulerunt. Haud grauabuntur qui mei sunt studiosi, si librum prouexero. Siquidem signa quæ à Dominico, morte obita sunt perpetrata, si silentio prætereunda duxero, vereor ne illis fiat iniuria. Nec tamen cuncta complectar, quòd vna hæc est materia, cui ille ipse eloquentiæ Romanæ magister & princeps M. Tullius succumberet. Mulier erat Hispana nobili genere nata, hęc membris, ingenio, moribus, muliebribus officijs, atque operibus reliquis antecellebat. Putasses eam Christo dicatam, tanta pollebat religione. Cùm igitur viro in matrimonium collocaretur, nec vllos

Obitus B. Dominici.
Gualla.
Tancredus.
Raon.
Capsa lignea.
Digressio.
Clemens papa.
Arnulfus.
Egidius.

nec vllos coniugij fructus daret, se ad Dominici, quem semper in veneratione habuerat, simulachrum abiecit, vouitque vbi marem in lucem procreasset, illum se prædicatorum religioni dicaturam. Exacto anno fœminam enixa est. Quod vbi ex mulieribus intellexit, intolerabilem concepit animo doloré. Igitur Dominico & precibus, & orationibus ab ea fatigato: Inspicite, inquit, partum. Mulieres mandatum exequentes, marem confessæ sunt, qui vt duodecimum egressus fuit annum, ad prædicatorum religionem aduolauit. Vbi cùm esset annos quinque & viginti natus, morbo contracto decessit. Asculum ciuitas est Piceni, à quo non longè abest amnis, cui Truento est nomen. Huc se mulier quædam linteum lotura contulerat. Subsequebatur eam filius nondum quintum annum agens. Is dum in ripa ludum ludit, fato nescio quo in flumen decidit. Imperitum nandi hauserunt gurgites. Sic absorptus impetu aquæ, ad molendinum quoddam deductus est. Mater vbi filium exanimem audiuit, dolore commota iuges lachrymas continere non poterat. Quæ aderant mulieres accurrunt. Miseram consolantur. Illud vnum superesse, vt cadauer extrahatur, sepeliaturque. At matrem, quanquam puerum pro egresione aquæ pedibus appendisset, nec succederet exitus, magna spes tenebat illum in vita rediturum, si ad Dominici templum, in cuius sacrario eius dens, qui ab ipsius ore, dum vitam agebat, exciderat, seruabatur, deportasset. Igitur mortui super aram constituti ventrem fratres dente contigerunt, subitò defunctus reuocatus est, & qui non viuebat, vixit. Eques quidam auratus *Miraculum.* Apulus Dominico amplissimos honores habebat. Qui prædicatorum religioni addicti erant, si ad oppidum suum diuerterant, hos humanè benigneque excipiebat. Erat huic in cubiculo non longè à cubili tabella Dominici signo ornata. Casu accidit, vt quas habi- *Miraculum.* tabat ædes, corruerent. Ipse vniuersaque familia præter vnum filium in cubiculo relictum abessent. Ad rem inspiciendam factus est hominum cōcursus existimantium equitem vnà cum familia perijsse. Semotis lapidibus inuentus est puer illæsus, tabellaque incorrupta, ac nullis maculis infecta. Quærebant ex eo vllóne fuisset metu perculsus. Nullo, aiebat ille, quòd eum Dominicus tutatus esset. Gallus quidam virtute, existimatione, nobilitate præditus, cùm anni complures intercessissent, nullos ex vxore filios suscipere poterat. Is Dominicum, & Petrum martyrem amplissimis honoribus honorabat. Horum munere id consecutus est, vt ei filius nasceretur. In hanc piam actionem aduersarius noster inuidia æstuans, specie peregrini ad eum profectus est, vt sibi pecuniam erogaret postulans. Imminebat nox. Eam erogationem pro Dominico & Petro martyre sibi susciperet. Paruit Gallus studijs aduersarij. Fortè ita casus tulit, vt mater ad templum contenderet. Tum hic, de quo loquor, aduersarius, puerum qui nondum è lecto egressus erat, occidit, occisum per artus concidit, concisum in vase lapideo super ignem ebulliente posuit. Tanto scelere admisso, in malam crucem abijt. Pedissequa tantæ crudelitatis ignora, ad culinam ijt. Confestim quid intuita sit, matri exponit. Mater vt rem ipsam nulli explicet, pedissequam admonet: In capsa reponat membra. Se quin Dominici, ac Petri martyris beneficio vitam adepturus sit puer, nulla spe decidere. Totam noctem insomnem egit, illos orans atque obsecrans, & nullis lachrymis temperans, vt puer vitæ redderetur. In sequenti die Gallus, nam nulli peregrini apud ipsum pransi erant, ex fenestra prospectans, duos vidit prædicatorum religioni addictos, ad eius oppidum iter facientes: eos accersiri iussit, quamuis tanti sceleris nescius. Vt religiosi in triclinium venerunt, ad sumendum cibum inuitauit. Id illi recusarunt, ni primum quæ potiora habuisset, in eorum conspectum deportarentur. Tum ille: iube, inquit, ô vxor, quo nihil potius habemus, pueros ad nos acciri. Mulier timore adducta, quò se vertat ignorat. Verùm qui senex erat, prouectæque ætatis religiosus: Nulla, inquit, ô mulier tibi inijciatur dubitatio: Ipse rerum Dominus consola- *Miraculum.* tionem adferens aderit. Mulier illius verbis fidem habens, vas lapideum, quo pueri membra continebantur detulit. Id quod patri admirationem fecit. Tum viri sancti pueri membra suis locis disposuerunt, & ita disposuerunt, vt repente puer resurrexerit incolumis. Post tam admirabilem nauatam operam, qui essent exposuerunt, seque ab illorum oculis eripuerunt.

FINIS.


FERVENS AMOR

ALOISII

Lipomani

de Vitis Sanc


colorchecker CLASSIC
calibrite
mm